




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Wysbegeerte 32.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

KW 390 B 4

ASTROLOGIA GALLICA

PRINCIPIIS & RATIONIBUS

propriis ſtabilita,

Atque in XXVI. Libros diſtributa.

Non ſolùm

ASTROLOGIÆ JUDICIARIÆ
Studioſis, ſed etiam Philoſophis, Medicis, & Theologis omnibus per-neceſſaria: Quippe multa complectens eximia ad ſcientias illas ſpectantia.

OPERA & STUDIO

JOANNIS BAPTISTÆ MORINI,
apud Gallos è Bellejocenſibus Francopolitani, Doctoris Medici, & Pariſiis Regii Mathematum Profeſſoris.

Ejus Anagramma.

MIRA SAPIENS UNI BONO STAT.



HAGÆ-COMITIS,

Ex Typographia ADRIANI VLACQ,

M. DC. LXI.

KONINKL. BIBLIOTHEEK TE SHAGE.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

EPISTOLA DEDICATORIA
AD
REGEM REGUM
ET
DOMINUM DOMINANTIUM
JESUM CHRISTUM,
FILIUM DEI.

DUM tua in me viliſſimum homunculum beneficia peculiaria meditor, JESU CHRISTE, penitus obſtupeſco, ſtant comæ, voxque faucibus hæret, dum ad tuam laudem & gloriam, meamque confuſionem ea enarrare, tibi gratias agere deſiderat anima mea.

Tu enim me feciſti non lapidem, neque plantam; neque Brutum, ſed hominem; non Atheum, non Idololatram, non Mahumetanum, non Judæum, ſed Chriſtianum; non Hæreticum, non Schiſmaticum, ſed Catholicum; non ſtupidum, ſed ad veritatem inquirendam propenſum, ac idoneum; non ignarum, ſed ſcientiarum quarumcunque amantiſſimum, cuique tua præ cæteris doctrina atque Religio, ut verum animæ pabulum, perplacuit: Quamvis dum tuæ Legi mente ſervio, carne, (heu miſer!) ſerviam Legi peccati. Tu mihi de neceſſariis ad vitam paternâ bonitate ſic providiſti, ut quamvis de divitiis comparandis nunquam ſollicitus fuerim, tamen à pueritia huc uſque extra Patriam degenti nihil neceſſarium mihi adfuerit, ſed propriâ induſtriâ atque parſimoniâ ſine fraude vel avaritia me à penuria & creditoribus liberaverim, imò reſervaverim, unde conſanguineis lubenti animo benefecerim.

Tu me olim gravibus peccatis irretitum etiam acriter aliquoties corripuiſti, at perdere ſumma tua bonitate ac patientia noluiſti, meque non obſtante futura ingratitudine mea tibi cognita pluſquam vigeſies à mortis violentæ periculis magnis, ferro, aqua, præcipitio, catapulta, aliiſque modis, & conſequenter ab æterna morte miſericordia tua infinita liberaſti: Quæ pericula præterita, meamque ingratitudinem quoties recolo, totus ad oſſium uſque medullas horrore concutior, cupioque diſſolvi in gratiarum actiones tibi æternùm referendas.

Tu me in ſcientiis Phyſicis pro veritate ſcribentem adverſus plures invidos meam famam ſuis ſcriptis turpiter diſcerpere conantes protexiſti. Tu hoc opus Aſtrologiæ ſcientiarum altiſſimæ ad honorem tuæ infinitæ ſapientiæ, quæ cœlum terramque creavit, omniaque fecit in pondere, numero, menſura & ordine, ſtudio laboreque per triginta annos indefeſſo abſolvere mihi dediſti, mentemque meam ad te perpetuò attendere voluiſti, ne quid contra ſupercœleſtem tuam doctrinam, veramque Religionem ſcriberem, ſed eas in exemplar inviolabile mihi proponerem.

Nunquid ergo poſt ſupradicta hærere debeo, in ipſo opere tibi primum dedicando? abſit; quamvis ego & ipſum opus nihil ſimus in conſpectu tuo, tu enim ſinceram non reſpuis voluntatem, nec cor contritum & humiliatum deſpicis,atque idcirco coram Celſiſſima Tua Majeſtate in terram procumbens, hoc præcipuum opus ſtudiorum meorum tibi Filio Dei ac Regi Regum dedico & conſecro, Tibi tuoque Spiritui Sancto ſæpe nec fruſtra in occurrentibus difficultatibus à me invocato, immortales gratias agens pro veritatibus in illo contentis; ac humillimè deprecans, ut ſi quid falſi in illo reperiatur, circa hoc Lectorem illuminare digneris, ut ipſum detegat & corrigat. Homo enim ſum errori obnoxius, utcumque ex natali conſtitutione veritatis indagator ſtudioſus, & falſitatis oſor, maloque juſtè redargui, quàm fallere, vel erroris cauſa eſſe, cùm etiam errando veritatem quæſierim.

Cedat igitur ipſum opus in tuæ Sapientiæ & Providentiæ mirabilis honorem, nec non proximi utilitatem: mihi verò concedat tua Clementia, ut hujus miſerrimæ vitæ curſu peracto, animaque ab omnibus ſordibus expurgata, tandem aſtra hic eminùs à me obſervata, cominus intueri, ineffabilem Majeſtatem Tuam contemplari, & coram ipſa adorationibus, laudibus, gratiarum actionibus & amore in æternum liqueſcere valeam. Hoc ex toto corde totaque mente precatur, & hoc opus opus reſignat tuo beneplacito cum Eccleſiæ tuæ cenſura,

Tuæ Super-excelſæ Majeſtatis

Viliſſimus & abjectiſſimus ſervulus & creatura

JOANNES BAPTISTA MORINUS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

LUDOVICÆ MARIÆ

Dei gratiâ

REGINÆ POLONIÆ, SUETIÆ, &c.

Magnæ Duci Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Czernihoviæ, Livoniæ, Smolensko, &c. natæ Principi Mantuæ, Montisferrati, Niverniæ, &c. Duci Opoliæ & Ratiboriæ.

A*Strologiam Gallicam tuò jure vindicare potes.* REGINA SERENISSIMA, *tua eſt enim, quæ Authori animum, ne tanto operi deeſſet; ſubſidium, ut illud in publicum proferret, regali curâ, regali munificentiâ addidiſti; Tuum, inquam, quòd Majeſtati tuæ ſacris ultimæ voluntatis oraculis ab Authore dicata eſt. Quid tot virtutis tuæ ornamenta commemorem? quid impenſum Majeſtatis tuæ erga bonas artes ſtudium, quæ aliò euntem revocare debuiſſent, ſi Authoris mens, ſi tuum ultro oblatum operi patrocinium, & opus, & me operi evulgando incumbentem, Majeſtati tuæ non addixiſſet? Abeat ergo Aſtrologia Gallica ſuâ ſorte beata, nec invidiæ dentes pertimeſcat, quæ eo loco præſidium invenit, qui ſupra invidiam eſt. Eſt profectò,* REGINA, *non enim Imperii tui limitibus præſidium conſtringere quæro; ſed immenſæ tuæ Virtutis metis; Imperium invidos habuit, virtus cultores, Imperium ſub infidis ſubditis aliquando penè ſuccubuit, virtus etiam hoſtes fidos eſſe coëgit. Imperium fortunam expertum eſt, virtus ſupra fortunam fuit, imò fortuna tandem etiam Virtutem adoravit. & dum Virtuti quod debuit, reddidit, reddidit & imperio. Abſit,* REGINA, *ut dum tantas Majeſtatis tuæ dotes commendo, dum Virtuti tuæ Imperii ſaltem vindico,* REGI SERENISSIMO *injurius ſim, cujus fortitudini Polonia libertatem ſuam acceptam refert. Verùm enim verò cur non quod* REGI, *hoc &* REGINAE, *quibus eadem mens, eadem animi conſtantia & eadem Virtus? Ergo in te etiam* REGEM *fortiſſimum ſuſpicio, ut & in* REGE *magnanimo fortiſſimam* REGINAM: *Quidni? quibus idem & favens cœlum non diſſimiles mores, uti & non diſſimilem ſortem ſpoſpondit. Vidit multis retro annis clariſſimus* MORINUS, *& cùm tot tantorumque Principum votum; ſola ſine voto fores, cœlum tibi regnum adſignaſſe palàm pronuntiavit.* Faxit Deus *ut quod victricibus Magni armis feliciſſimo ſuo aſpectu pollicetur, citò eveniat; quod pietati tuæ, quod Virtuti, tardè, ſicque diu bono Reipublicæ Chriſtianæ vivas, æternùm orbi Chriſtiano victura.*

Majeſtati Tuæ

Addictiſſimus

G. T. D. G. V.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

PRodit tandem Aſtrologia Gallica, non minus optata, quam diu expectata, nec à Gallis dumtaxat, qui huic ſententiæ ſtudent, ſed & ab iis omnibus,qui de operis præſtantia,deque Authoris nomine per Europam aliquid accepere. Sin autem non prodiit eo ipſo quo peracta fuit tota moles, Anno nimirum 1648. non una, ſed multiplex cauſa Tibi (benevole Lector) haud ignoranda proponitur: Obſtitit imprimis civilis diſcordia, & inde duplex Pariſienſis obſidio; quæ Authorem, qui tunc in ſuburbio S. Marcelli degebat, in alias eòque graviores curas diſtraxere: Non paucos dein per Annos, illum diſtinuerunt varia cum doctiſſimis, & oculatiſſimis certamina, quibuſcum per malevolorum Invidiam habuit dimicare. Antevertit igitur conſilium, ac operis vulgandi deſiderium mors repentina,quæ inopina tamen authorem non oppreſſit, eam ſiquidem diu ante paratus expectabat, concinnato jam inde, & elaborato, quo ego te hodiè dono munere: divino nempè factum eſt Numine, ut tam eximia non periret lucubratio, in noſtraſque manus omnibus ita numeris abſoluta perveniret, ut ne unum quidem verbum deſideraretur, ſicque fruſtratus non fuit juſta æque ac firma ſpe Joannes Baptiſta Morinus; cum enim id operis ſuſcepiſſet, quò non paucos ab errore revocaret, ignaroſque erudiret, non dubitaverat unquam quin Typis mandaretur: quod ſi ſerius pro tuis atque authoris votis contigit, in eo vacare me culpa teſtabuntur quot quot non fugerit,quam ſtuduerim ſupremæ amici mei voluntati,& officio non deeſſe:quamvis tam illuſtre monumentum ipſos ferè duos annos in muſæoli tenebris apud me delituerit, nihil ſiquidem prætermiſi quod ad illud quam primum edendum pertineret, nihil veritus hoſtium vel inſidias vel impreſſiones, cum hoc ſit rerum imprimis præclararum non minus indicium, quam fatum propemodum ſingulare, vix ac ne vix quidem vitabile: Nec deerant, nec me latebat, qui ſe jactitarent ſive odio infenſi, ſeu aliena carpendi prurigine malè ſibi temperantes; ſive quod vero propius videtur, nomen inde quærerent, quod tanto Antagoniſtæ repugnare auſi forent, qui inquam dictitarent ſe impatienter Aſtrologiam Gallicam expectare, quò ſcilicet metuendi Thraſones totam illam convellerent, reffellerent, expungerent; & quod maximoperè mirum videri debet, etſi nondum ſcirent quid illa contineret, quid afferret. At Authoris animo ipſo animoſior effectus, adverſariorum minas deſpexi, impetus non pertimui, cum ſatis validum ad ſe tudandum inſigne illud opus per ſe foret. Enimverò quid in contrarium afferri, aut excogitari poteſt,quod eodem opere non confutetur, principiis non ratione tantum confirmatis, ſed ab ipſa etiam experientia omni ratione firmiore deſumptis? Sin verò quædam ab aliis jam ante tradita, ab Authore noſtro prout nova exhibentur, perpende quæſo num pariter fuerint demonſtrata,an non potius ab ipſius ore dum viveret excepta.Cave certè ne falſi eum inſimules, nam licet alibi extarent, ab illo potuere (cui enim omnia conſtant?) non fuiſſe lecta; ac proinde talia dixit, qualia credidit. Qui eo familiarius ſunt uſi, novere hominem veritatis unicè amantem, ſciant cæteri parum illum curaſſe, quid dictum fuiſſet prius; Totus ſcilicet erat in inveſtigandis uniuſcujuſque rei primordiis, & quæ comperiſſet exarare ſolitus. Cæterùm lubens iis conceſſerim, qui calamum jam ſtrinxerunt, cœleſte iſtud, non ſecus ac ſceleſtum quoddam opus malè accepturi, hic reperiri nonnulla,quæ & alibi poſſint deprehendi: Ceſſent itaque, vel tempus & operam melius collocent, nec intelligere deſinant, tot

præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

præclara hic reſtare, ut prioribus quidem Author non ſit inferior: & poſteriori-bus ſpem omnem tantæ gloriæ adipiſcendæ præripiat.

Quod ad Terræ quietem attinet, quæ non gyrare hic aſſeritur, quamquam id eſt futurum offendiculo pleriſque, etiam è gravioribus, quos contrarius tantæ molis motus indiſcrepantem ſententiam circumactos traxit, ſtare Terram haud dubitabunt, ſi ſatis ipſis conſtet, quid Morinus variis in locis ſtatuerit, Nono præſertim Primæ Sectionis Tertii Libri Capite, ubi adjuncta Sacrarum paginarum auctoritate multiplici, argumentis è Phyſica ſimul & Aſtrologia petitis, quæ ſolæ ſunt diſciplinæ, ex quibus id confici poſſet, luculenter probat Terram nulla ſui parte mobilem per ſe eſſe, nulla ſiquidem erant Aſtronomicæ demonſtrationes parabiles, quidquid cum ſuis aſſeclis Lansbergius putarit, priuſquam argutus hic doctor contrarium oſtendiſſet, quæ id evincerent. At fruſtra Carmelitæ Foſcarini ad totius ordinis Magiſtrum epiſtola laudabitur, cum enim non conſentiat, imo diſcrepet à ſummi Pontificis ſententia, à vero Chriſtiano haberi non debet, niſi pro fœtu monſtruoſo, & illaudabili conatu: liquet etenim illum Monachum perversè accepta è ſacris Bibliis teſtimonia, in perverſiorem, ſed prout nova ſolent, opinionem non ingratam detorſiſſe. Neque vero pluris eſſe debet libellus ille latinus, qui Ariſtarchi cujusdam nomen præ ſe fert: Minimè velim aliquid detrahi de judicio & auctoritate Marini Merſeni Minimi, qui eum ſtudiòsè excudi curavit, plurimum tribuo Ægidio Perſonerio dicto de Roberval, qui Commentariis illum optimis locupletavit: Cavendum tamen eſt ne manuſcriptum Arabicum nomen ſit ſpecioſum, quo plus ponderis accedat vetitæ ſententiæ, & pretii, ſi creditur, exarato ex eo libello: quî quæſo fieri porerat, ut Ariſtarchus de varietate obliquitatis Ecclipticæ diſſereret, quæ Ptolemæi ætate nondum innotuerat, neque fuit obſervata & primum indicata, niſi ab Arabe Thebetio, regnante Alphonſo? Ecquis verò non videat, vel potius ferat vaniloquam ac inanem Galilæi, Mariique jactantiam; qui auſi ſint uterque gloriari, ſe hiſce temporibus primos (fallacibus ſuis nempe conſpicillis hallucinati fuerant) circularem Solis motum viginti octo dierum ſpatio abſolutum advertiſſe, ſi Ariſtarchus aliquot ante ſæculis, lucidiſſimum illud ſydus circa ſuum axem intra unum fermè menſem rotari ſcripſerit.

At Morinus Aſtrologica Principia à ſe tradita demonſtravit, id ipſi non condonabiaur ſentio, nec prætereundem etiam eſt, ſed diligentius attendendum, Aſtrologiam, ſcientiam merè non eſſe Mathematicam, ac Phyſicam ſimul & Theologicam: Ut vero in his duabus poſtremis, perinde ac in Medica, aliiſque id generis diſciplinis principia nec Geometricè demonſtrantur ſingula, nec expoſtulantur, id ab Authore noſtro repoſci iniquum planè videretur. Satis ergo Tibi Lector benevole factum puta, æquum ſi te ac prudentem præbere cupis, nihil non appoſitè, nihil non ſapienter allatum fuiſſe, cum Aſtrologiam ſcientificè tradenti ſufficiat ſi fundamentorum veritate per experientias evidenter probatâ, fundamentorum ipſorum rationes ſupremas à primo ſimpliciſſimoque rerum omnium principio, quippe Deo deducens, nihil dicat quod vel Deo ſit incongruum, vel in Aſtrologica ſcientia ejuſque experimentis contradictionem aut repugnantiam involvat: Plura tamen effeciſſe videtur noſter Morinus, præcipua enim fundamenta demonſtravit Lib. 14, 17, 18, & more quoque Mathematico Lib. 19. per ipſam experientiam non quidem ſenſibilem, vel brutis propriam, quæ ab hujus ſcientiæ oſoribus petitur, ſed rationalem quam neceſſario admittendam eſſe docuit Libro 9. Quod vero ad ſupremas fundamentorum rationes

ſpectat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ſpectat deſumptas ab Unitate, Ternario, & Quaternario, certum eſt nihil dixiſſe ipſi Deo inconveniens, nihil à mente Philoſophorum Epicureorum, nihil quod repugnet veræ Aſtrologiæ, quæ tota ſic innititur determinationi corporum cœleſtium circa ſublunaria, ut dici poſſit maximum Aſtrologia ſecretum, quamvis ſcientiæ magiſtris hactenus ignotum. Quod ſi cuipiam tanti vivi conceptus non arriſerint, veriores aut ſaltem probabiliores de ſuo penu proferat, & erit mihi magnus Apollo.

Sed interim concedat unuſquiſque illuſtriſſimum noſtrum Morinum longè certius ac evidentius Aſtrologiam demonſtraſſe quam aut Phiſicen Ariſtoteles, aut Therapeuticen Galenus oſtenderint. Tu vero, Lector Amice, his ad Dei gloriam tuamque ac cœterorum utilitatem paratis fruere pro otio, & incolumis age. Vale.

G. T. D. G. V.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

De editione
ASTROLOGIÆ GALLICÆ
ſuſcepta, atque ad exitum adducta.

PErvigil aſſiduo, longoque labore MORINUS
Sidereum ſudavit opus, quo cælifer Atlas
Tempore, ſive viro bonus inclinaverit axes
Aſtriferos, ſive hunc Phœbe rorante quadriga
Ad magnum extulerit lucentibus Æthera flammis;
Cærula luſtravit ſpatia, ardentéſque Planetas,
Stellatúmque adiit geminâ teſtudine cœlum,
Quam via perpetuo conjungit lactea nexu.
Hìc volucres curſus, nec non fatalia vidit
Arbitria, & quicquid venturis imminet horis,
Humanæ rapidum vitæ volventibus orbem,
Viſáque veridicum ſtatuerunt ſidera vatem.
Ille manus oculis ſignet, vel ab ore futurum
Exprimat, aut nugis intendat vanus Hetruſcis;
Certior eſt Æthræ facies, duce præſcia cœlo.
Ipſa laborantis ſtudio vigilata MORINI
Ad metas deducta fuit, donécque laborat
Sunt illi vetitæ filum dirumpere Parcæ,
Tam placuit ſuperis auſum, conatus & ingens,
Atque ea magnanimus chartis dum traderet Author,
Canuit, emerito ſpatiatus in æthere curru,
Atque alti ſcrutatus opes, arcanaque Mundi.
Cumque viro Lacheſis tumulum feſtina pararet
Adfuit Uranie ſtellanti cyclade fulgens,
Compellatque ſuum; Tua jam perfecta perirent
Extremâ monimenta manu? tam clara laterent
Abdita ſcriniolis? Aſtrorum hoc abnuo Præſes
Uranie, quibus & favit pulcherrima gentis
Sarmaticæ Regina; deditque ut currere poſſent
Cuncta per ora virûm prælis excuſa Batavis.
Haud potes ipſe quidem, cupidis qui paſceris aſtris

*** Edere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Edere: præcipuus tibi ſubſtituatur amicus
Optima Tronſoni ſoboles, te nempe Magiſtro
Aſtronomi partes didicit; ſuffecerit iſti
Conſilio, & charæ grata ſub mente ſuperſtes
Nomen amicitæ, quanquam grave, non tamen illud
Detrectabit onus; nigram Tronſonus ad horam,
Illuſtri fratrem ille ſequens in Plejade primum,
Aſtiterat morienti, exauditâque camœnâ
Annuit, & rapti curas ſupplevit amici.

H. G.

In Astrologiae Gallicae *ſuturos obtrectatores & calumniatores* Scazon.

ORiuntur Aſtra, Lector, en Morinaea;
Bene tu labores auſpicare tricennes,
Queis ſtuduit Autor Gallicæ rei, ac laudi.
An cernis ullos Galliis ab immenſis
Adiiſſe tanto ſiderum ad faces auſu,
Atque æquè Olympi ſpatia pervolaviſſe?
Quò quò Moloſſi ruitis? ecquis in prædam
Vos adigit ardor? audione latratus?
At quid nocebunt in volubiles ſtellas?
Hos ventus ultro diſſipabit effuſus.
Sævire in auras irriti videbuntur.
Ibit Morinus Solis invehens curru,
Et fremere inani voce te, nihil læſus,
Scriptorculorum gens canina, ridebit.
Latrate quantum poteritis, licet; vobis
Silebit Echo cuncta, nulla reddetur
Ad provocantes; interim Morinaea
Volventur Aſtra, quæ canem nihil curant,
Spernuntque in imo quicquid orbe latretur.

P.P.P.P.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

De

ASTROLOGIA GALLICA

JONNIS BAPTISTAE MORINI

Mathematum Profeſſoris Regii.

POſthumus iſte liber, longævaque cura MORINI
A Batavis ad nos luce favente redit.
Authorem fatis qui conceſſiſſe putabas
Aſpice; ſtelliferum dat redivivus opus.
Quale nec abnueret facundi nomen Aratî,
Et quod Chaldæo de grege quiſquis amet.
De Phœnice novum videas Phœnica renaſci.
Tempora Phœnicis vicerit iſte liber.


S. G.

In Autoris Effigiem.

CErnite noctivagis Vatem qui præſidet Aſtris;
Illius en terris reddidit Aſtra labor.
Notus ut Heſperiis ſit vultu, & notus Eois,
Hunc deceat primi ſideris axe vehi.

H. G.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4



Quis, qualis, quantus que fuit Morinus habetur
Ex ſcriptis, cœli themate et effigie.
Colleſonius.

Illustr. ac nobiliss. D. D. Guill. Tronson Regi ab jnter. Cons. et Secre.² hanc effigiem dicat amicitiæ, in viuum mortuumq. familiarem, pignus fidelissimum
B. Flaman pinxit. Claudius Mercerius ex vxore patruelis Nepos. 1657. *N. Poilly Sculp.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

JOANNIS BAPTISTÆ MORINI

Doctoris Medici & Regii Mathematum Lutetiæ Profeſſoris

VITA.

SI quid unquam in naturæ theatro egregium atque inſigne viſum eſt, hominum id ſtudium fuit ut illud ipſum in luce ponerent, I. *Vitæ deſcriptio ad memoriam.* factúmque Juris publici ab oblivione tanquam à tenebris vindicarent. In hac porrò rerum univerſalitate cùm homines antecellant quàm æquiùs ex hoc numero illuſtriores cœteris, quâ dote non refert, ſtatuentur in conſpectu palam, ut norimus quales quantique ex nobis prodierint? cùm autem mortalium unuſquiſque vitæ ſuæ tenore cenſendus ſit, eâ diligentiùs expoſita certaq; fide explorata, quænam haberi de ipſo debeat exiſtimatio nulli non apertum eſt.

Quot ideo eximiis authoribus præfixus is ſcopus fuit, non ut hiſtorias, ſed ut hiſtorico ſtylo vitas quorumcumque quapiam in re præſtantium poſteris commendarent? II. *Vitarum ſcriptores.* Sic primos deſcripſit Cæſares Suetonius, conſecutos proximè, Spartianus, Lampridius, Capitolinus, aliique, Græcorum Romanorumque præcipuos Plutarchus, Philoſophos Laërtius, Apollonium Phlioſtratus, & ævo noſtro quot magnates Jovius?

Mitto beatorum cælitum flores quorum virtutis ſpecies ſuis nos illecebris ad imitationem trahit; aliorum famæ ſtudemus, ut ipſis à convictu ſublatis debitum gloriæ præmium referatur.

JOANNEM BAPTISTAM MORINUM noſtra tulit ætas prioris hujuſce dimidii ſæculi, nullo negotio, nulláque contentione, (abſit verbo invidia) Principem, III. *Morini natalia.* cujus vitam hic expandimus, ut nimirum tot ejus operibus atque his potiſſimum Aſtrologicis, velut in veſtibulo, ſpectanda præluceat, quod quidem tanti viri, tantique Aſtrologi meritis ac labori non eſt ſanè indebitum, quicquid livor improbiſſimus obſtrepere audeat. JOANNIS BAPTISTÆ MORINI communem in lucem editi locus ac tempus certiſſimè conſtat, neque vilitate adeò ſunt obruta, ut ſilentio tegi ſe atque ignorari patiantur.

Francopoli, quæ apud *Bellijonenſes* primaria eſt civitas, ſeptimo Calendas Martias fuit 23 *Februarii* 1583. natus, anno ab reparata ſalute ſupra quingenteſimum ac milleſimum, tertio atque octuageſimo, horarum octavâ matutinâ quatuor ac triginta minutiis additis. *Petrum Morinum* patrem habuit, matrem vero *Annam Moncæam*.

In matris Religioſo fratre manifeſta legitimæ nobilitatis obſervare ſigna poſſumus, ubi IV. *Parentes ejus.* *Claudium Moncæum* inter *Athanaci* Cœnobitas Lugdunenſes recenſeri videbimus, & in Abbatia *Salleſia* functum fuiſſe munere Prioratus, utriuſque verò tam Cœnobitæ, quam conjugatæ pater, è gentilitiæ teſſeræ legibus in patria vixit inclytus, & apud omnes origine nobilis audiebat.

In *Petri* quidem *Morini* natalibus ſplendorem iſtiuſmodi minimè collocamus, at conjuncta in eo prudentiæ probitas haud minorem attulit; V. *Pater ejus.* *Ille enim verè generoſus eſt qui ad virtutem à natura bene compoſitus fuerit.* Seneca Epiſt. 44. Francopoli floruit & cives inter præcipuos adnumeratus eſt.

Nec *Petrum* eundem *Morinum* exprobata honeſtaque prodiiſſe familia quiſquam inficiari poteſt; avos enim ipſius non tenui cum re, ſed locupletes vixiſſe *Morina* teſtantur *Horrea* pluribus in locis Francopoli circumjecta; horum certè dominus ac poſſeſſor non extitit, cùm hæc commutabilia fortunæ membra juris modò ſint alieni; in quo iſtud venit ſub *Ioannem Baptiſtam* filium in tantum talemq; haud unquam evaſurum fuiſſe, ſi avita latifundia poſſediſſet parens; opes enim ſunt morum corruptelæ potius, quàm ad Doctrinam ſtimuli, aut incitamenta virtutis,

Imò verò paternam hanc inopiam laude digniſſimam arbitror, neque enim aliunde evenit quàm quòd, quæ in cultu corporis abſumuntur ab aliis, ab eo ad excolendum ingenium laudabili profuſione conſumpta ſunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

VI. *Morinus extra patriam.*

Hac indole à Parente hauſtâ exui ſe non paſſus JOANNES BAPTISTA more Virorum illuſtrium exceſſit è Patria; ſcimus enim Pythagoram ac Platonem diu multumque eſſe peregrinatos, atque Apollonium Thyaneum plurimas ac remotiſſimas obiiſſe Regiones; ut externa quoque ſapientiæ poſt domeſticam extra patriam compotes eſſe poſſent; atque ut in plaga meliore plantæ nobiles feliciùs adoleſcunt, ſic ipſe Gymnaſia celebriora ſuis aptiora ſtudiis exquiſivit, quanquam minoribus impenſis apud ſuos eadem abſolvere potuiſſet; quin etiam ut in Medicinæ facultate Doctoris aſſequeretur lauream, patrimonii partem hereditario jure ſibi relictam Fratri Germano ad fruendum dimidiam tribuit, reliquâ verò Doctoris Medici titulum ex more comparavit, ſuis ipſe providus, & ſibi non inutilis.

VII. *Iuvenis Philoſophiam docet.*

Priùs tamen quàm illo decore inſignitus eſſet, non eſt omittendum aliud quo eluxit apud Aquenſes. Vix auditor Philoſophiæ metam attigerat, cùm ad docendam Philoſophiam judicatus idoneus auditores magiſter habuit; nec mirum ſedecennis tantum, ſuopte ingenio nondum à magiſtro Philoſophus Magneticam *Gilberti* Angli Philoſophiam contraxit in Epitomen, quo fœtu primulo quanta ex ipſo naſceretur in poſterum librorum ſeges, meſſem paritura gloriæ, liquidò præmonſtravit.

VIII. *Vairio primò apud Aquenſes Præſidi charus.*

Similibus pariter argumentis idem ipſum atteſtari poſſemus, niſi ab illuſtriſſimo apud Aquas Sextias Curiæ ſummo Præſide *Vairio* facta in eam rem fides producendis quibuslibet longè præcellentior emineret; ut ipſe *Morini* adoleſcentis Philoſophi judicium perſpicax & acutum ſolidiùs exploravit, cum eodem conſueſcere voluit; edixit, ut ad ædes ſuas crebriùs ventitaret, quin & ejuſdem ſtudiis præſidere conſtituit, quorum jam maturiorum monumentum, eidem ad Sigilli cuſtodiam evecto *Ioannes Baptiſta* nuncupavit, habuitque Procancellarius aptiſſimum.

IX. *Doctor Medicinæ creatus Avenione.*

Quem progreſſum ſub Genio potentiſſimo non feciſſet præſtans ingenio juvenis, ſi diutius in tanta clientela conſtitiſſet? in ſpeciem certè nulli dubium erat; verum ab integerrimi Præſidis favore ac benevolentia, relictâ ipſius urbe coactus eſt excedere, ſicut ante triennium è ſolo natali exceſſerat. Avenionem itaque commigravit, qua in urbe ſub ſummi tutela Pontificis, cujus eſt hæc ditio, anno ætatis ſuæ triceſimo Doctor Medicus Avenionenſis Academiæ creatus eſt, ſeptimo Idus Majas anni 1613.

X. *Lutetiæ apud Epiſcopum Bononienſem degit.*

Anno verò proximè conſecuto Lutetiam contendit, ſive quòd in Patriam reverſio ei minimè grata fuerit, ſive quod in patentiore pelago vela facere ſtatuiſſet, proſperum fortunæ, ſi qua forſitan aſpiraret, excepturus afflatum. Exiguo poſt ab ejus adventu tempore Bononienſem Epiſcopum ſuſceptorem invenit.

XI. *Mittitur ab eo ad inviſendas Germaniæ fodinas.*

Claudius is *Dormius* vocabatur quem ævo illo & ſuaviſſimi convictus, & ingenii ſagaciſſimi fuiſſe planè conſtat; neque prolixa probatione opus ei fuit, ad indagandum quid *Morinus* mentis acie poſſet; ut Lynceum vidit in abſtruſioris cujuſvis ſcientiæ facienda inveſtigatione, illum à ſe cum opportuno viatico in Germaniam ablegat, ut illic miranda naturæ in foſſilium effectione ſcrutaretur, in auro præſertim metallorum Principe quod in Tranſylvanicis Hungaricíſque fodinis indefeſſâ mortalium operâ erui conſuevit. Mirâ quadam alacritate animi impoſitam à Præſule provinciam amplexus eſt; ætas illi tum erat peregrinationi melior quàm Muſeis; adde quod inſitâ propenſione in id omne, quo fieret eruditior, ferebatur; neque quicquam obſtitit quod pulcherrimum properantis impetum rerardaret.

XII. *Ejus peregrinatio.*

Ubi Viennam in Auſtria pervenit, quantis ſuſceptum iter periculis eſſet obnoxium, diligenter ſciſcitatus omnia, deprehendit; latere nempe in Sylvis prædones acerrimos ferè ſemper commeatibus inhiantes, ſive ad fodinas tendant, ſive inde redeant; Turcarum quoque aſſiduis incurſibus Hungariam infeſtari, tantopere metuendis, ut cogantur indigenæ ligneas extruere caſulas omni ſupellectilium genere vacuas, ne hoſtem rapaciſſimum, ac ſpoliorum avidiſſimum ad ſe ullo modo prolectent.

Preſburgum. XIII. *Paracelſi experimenta.*

His obicibus, animoſus viator, neq; deterreri aut contineri potuit, quin onerariâ nave cum aliquot Hungaris *Poſonium* profectus, inde poſtea diſſitum leucis triginta *Noviſolium* iret nonnulla vehicula conſecutus; percelebrem hîc fodinam illam inviſit proventu annuo Imperatori quæſtuoſiſſimam, utpote talentorum auri millia proferentem; nomen quoque conciliavit eidem maximum præſtantiſſimus arcanorum naturę *Paracelſus* Indagator dies aliquot in ea commoratus; quo quidem tempore Chalcanthum, Cinnabaris, Stibium & Cuprum ad experimenta egregia materies Viro fuere; Cuprum ſanè in Argentum ab eo verſum eſſe memorant, quo appenſo quicquid expenſarum apud hoſpitem aurificem fecerat, in Tranſylvaniam abiturus exoluit.

Pergens

Pergens inde *Morinus Vaſſavium* biduo venit ; aurum ibi obryzum eruitur nullâ prorſus alieni metalli mixturâ coinquinatum ; hæc eſt totius Hungariæ fodina nominatiſſima quâ nulla eſt defæcatior ; ubi tamen pro voto peregrinus noſter breviſſimo tempore inſtitit, quoniam à prædonibus expectari ſe non vanis nuntiis didicerat ; cinctus præſidiaria manu *Schemnitzium* de induſtria venit, ut cum *Ioanne Rulando* colloquia miſcere poſſet. Doctor fuit in arte medica celeberrimus , & à ſtipendiis ipſimet Imperatori ; viros enim inſignes conveniſſe fructus eſt è præcipuis peregrini; hîc etiam in fodinam deſcendit argenti fertiliſſimam, quam triennio ante ſcrutatus fuerat *Ioannes Beguinus*, *Morini* familiaris,& Chymici curſus Lutetiæ primus ex inſtituto Profeſſor , ad cujus auram nonnulli etiamnum adnavigant.

XIV *Vaſſavii fodina.*

Poſtquam *Novijolium* rediit , ab metallorum Præfecto fidei literas obtinuit , quibus fretus advenit *Cremnitſium*, ubi monetarium opus copioſiùs quàm ullibi exercetur, atque auraria metalla uberiora quàm alibi ſunt mœnibus oppidi circumpoſita. *Hi profecto ſpecus ſunt, ad quos dierum noctiumque diſcrimen non pervenit , ubi ſupra homines avaritia urgens terrarum pondus injecit , quibus abſtulit cælum , & quos in imo , ubi illud malum auri virus latitat, infodit.*

XV. *Fodina Cremnitſia.* Seneca libro 5. quæſtionum naturalium,

Quinquemeſtre ſpatium hîc *Morinus* exegit , deſcenditque ſæpius in cavernas cuniculoſas , ad opificum inventa , machináſque attentiùs obſervandas , ubi & mirificum quiddam ipſemet obſervavit , Cœli nempe aërei ac terræ ſimilitudinem ; ut enim tres in Regiones aër diſtinctus eſt , ſic etiam triplex Regio in terræ viſceribus animadverti poteſt, ſumma , media , infima ; & id quidem validiſſimis rationum momentis adeò ſtabilivit, edito hujus argumenti ad Annum 1619 Libello , ut hæc ſententia , etſi nulla Philoſophorum veterum authoritate fulciatur, ſuos tamen habeat Sectatores.

XVI. *In terra ut in aëre regio triplex.*

Hæc itinerum *Morini* pars eſt illuſtriſſima , cui tamen haud diutius , quàm tempus exigat, immorari ſtatui , cùm liber ab ipſo excuſus *De nova Mundi ſublunaris Anatomia* ad ſubjiciendam oculis univerſam illam peregrinationem abundè ſufficiat eruditis. Enimverò in eo de peculiaribus eventis quæ ipſi contigere ne verbum quidem exarare voluit ; at ne quidpiam ſolliciti Lectoris cupiditati ſubtraxiſſe videar , ea nunc commemorare noſtrarum eſſe partium duxi ; nam æqui boníque minimè conſultum foret , ſi ancipitia illa periculoſáque diſcrimina ſilentio conſepulta eſſent , ex quibus divinæ providentiæ ſtudio Vir adeo celebris effugit incolumis. Ex periculis quæ totâ illâ unius anni peregrinatione vitavit , præcipua duo ex ore ipſius excepi.

XVII, *Peregrinationem Morinus ſuam ipſe deſcripſit.*

Primum accidit Julio menſe cùm nocte jam evectâ eſſet in lembo, & in Rheno flumine cum vectoribus aliquot navigaret ; æſtus eum ad natandum impulit , nudatus itaque aliis non advertentibus deſiliendo aquæ ſe credidit ; ubi ſatis pro voluptate ſe ipſum in fluvio jactatione brachiorum exercuit, Cymbam, quæ tum hæſerat, repetivit , nec quatuor paſſus aberat , cùm ad natatoris plauſum Comites qui ſedebant in navigio fuere conterriti; rati eſſe prædones (quod quidem in his plagis non eſt infrequens) faventibus tenebris ad expoliandum adnatare , mox igniarias catapultas in *Morinum* explodunt , à quibus mirabili felicitate nullo læſus eſt modo ; ipſe cùm adventare pergeret , ſtrictis gladiis foros præcinxerant, ut prædones ingruentes confoderent, at cognitâ comitis enatantis voce pœnituit ſingulos , & ipſe ſalvus *medias acies , medioſque per ignes* in phaſelum admiſſus aſſiluit.

XVIII, *Feliciter ad cymbam enatat.*

Virg, l 7 Æneid.

Alterum, ex quo non minùs feliciter ſubductus eſt , fuſiori narratione meretur exponere periculum. Equo meritorio vehebatur incitatiore in Sueviam curſu , duos inſtitores aſſequitur, eiſque ſe adjungit tertium;in publicum unâ digrediuntur hoſpitium; Hera ibi adminiſtra cauponæ pulchritudinis eximiæ ſedebat; famæ illa deterioris & libidini dedita jactabatur , & cum Dæmonibus habere conſortium , veneficiiſque pollere , quo duplici nomine apud indigenas habebatur in pretio; ambos pridem inſtitores noverat, ideoq; adurgebat inſtantius ut noctem apud ſe ducerent; at ipſi rejectis mulierculę precibus ſe ad nundinas feſtinare opponunt,quibus ad condictam horam adeſſe tenebantur; ipſâ verò aſſeverante ad deſtinatum ſibi domicilium hac luce non ituros ,& velocem pænitudinem comminatâ , viæ nihilominus ſe dedunt. *Morinus* cùm ipſis abit , quoniam itineris ignoti ſequi duces ſatius eſſe duxit.

XIX. *Ex Sagæ præſtigiis mirifico modo evadit.*

Dum in via pergunt mercatorum alter aliquo ſpatio anteceſſerat, ipſum alii duo comites ex intervallo conſecuti, ut vadoſum amnis exigui locum tranſmeant , fluctuare in aqua pileum vident , deinde pallium innatare , utrumque verò alterius eſſe mercatoris agnoſcunt

XX. *Duo ejus comites malè multati.*

paſſibus aliquot præeuntis; diſquirunt ipſum attoniti, videntque in aquis glacialibus volutatum. Opem miſero ferunt ut ripam attingat, eique reddunt viatorium inſtrumentum hærentibus glaciei fruſtulis undique aſperſum & ſtillans; mox ſunt adminiculo ut in æquo ſedeat, qui placidus & immotus ad ripam Dominum expectabat. Caſus etiam ſuus alteri parabatur qui roganti hoſpitæ pertinaciùs abnuerat, en ipſius equum ocyſſima fuga derepente rapi, ſeſſoremque ſuum ex ephippio mox excutere, dextráque plantâ intercepta ſtapade, per ſaxa dumoſque raptare pendulum cruentata facie, veſte conſciſſa, toto corpore lividis contuſionibus affecto; tractatum tam malè ambo alii in equo reponunt, & mutato ulterius pergendi conſilio ad pagum uno jam milliari ſuperatum reverti duxere convenientius, atque ita iſte duplex exitus minas ab inſigni ſaga non fruſtra intentatas abiturientibus eſſe demonſtravit.

Immunem ab his inſultibus ſe minimè futurum *Morinus* ſubodoratus eſt, mitiorem tamen ſperavit culpæ ſibi levioris conſcius, nam ab hoſpitio digredi primò noluerat, ac deinde, ubi quid arte magica poſſet famoſa mulier, ab ipſis reſciviſſet, eiſdem, quòd apud ipſam manere recuſaſſent, plurimum ſuccenſuerat. Venere poſtridie ejus diei ad viam ſaxis conſitam eminentibus & acutis, perinde atque in ludo ligneos trunculos minimis ſpatiis ſtare diſſitos vides; hac progreſſus equus frequentiſſimè deſultabat, & pro conſuetudine priſtina, cùm ſæpe illac iret, lapidoſum illud diſcrimen, qua poterat, evadebat. Cùm propterea *Morinum* formido gravior percelleret, ea defunctus ſe ultioni veneficæ ſatisfeciſſe perſuaſit animo, ubi prato invitante ad faciliorem tramitem eſt admiſſus, unde cùm exeundum eſſet, obtulit ſe cavitas torrentibus aquis exeſa, ſtrepitu formidoloſis fluxuq; adeò depreſſo, ut ad illas oculi caligerent; ponticulo vincenda erat viatoribus ejuſmodi cavitas. Is fuit trabs injecta duorum pedum latitudine, adjectis ad utrumque latus aſſerculis, ideoque trabe paulò inferiore formam ſtillicidii referebat. Ambo jam inſtitores *Morino* prævii è ponticulo feliciter evaſerant, ipſe hos ſubſequens in medio hæſit derepente defecto pedibus equo, & ventre in trabem aſtrato, cruribus hinc & inde pendulis, quò ſe tanto in periculo verteret eques noſter? ſubit in torrentem ſe præcipitem dare, & natatu, cujus imperitus haud erat, ſalutem ſibi quærere modò lapſu ad ſubjectos ſcopulos minimè diffringatur. Jamque, id cogitans defibulato pallio ex equo ſeipſum expedire tentabat, cùm ecce quadrupes in crura conſtanter erigitur, & *Morinum* ad comites antegreſſos citò tranſtulit, atque ad domicilium; quieſcat hic ſanè & ad Bononienſem Antiſtitem exacta peregrinatione tum demum Lutetiam revertatur.

XXI. *Morini reverſio.* *Dormius* Præſul ſibi familiarem & in familiæ partem habebat Scotum quendam Virum eruditiſſimum nomine *Daviſſonum*, qui poſtea libris editis lectiſſima eruditione refertis multum eſt conſecutus gloriæ, ac præterea curſu illo ſcientiæ Chymicæ tum privatim tum publicæ in hortis plantarum Regiis inſtituto; eſt verò quod in ipſo ac *Morino* non leviter admiremur; artium nempe, quas profitebantur, factam ab utroque veluti permutationem; Aſtrologiam Scotus, ſcientiam alter Medicam ſectabatur; uterque proceſſu temporis poſt experimenta complura in arte propria nil ſubeſſe certi deprehendit, unde animus amborum fluctuans, in quo pedem figeret, non inveniebat.
XXII. *Profeſſionum permutatio.* Tædet itaque hunc & illum aberrantis plerumque judicii; Medicus ergo in Aſtrologum vertitur, & in Medicum Aſtrologus, tam ſecundo exitu, ut beati transfugæ inter hujus ætatis Viros inſignes annumerari mereantur. *Daviſſonus* certe eò exiſtimationis in Gallia pertigit ut accitus ad Septemtrionem, Medicorum Reginæ Poloniæ modò teneat principatum; quantum verò *Morinus* in quavis Mathematum parte ſupra nuperos præſtiterit, in Aſtrologia præſertim, quam Judiciariam vocant, norunt Europæi omnes; neque mirum videri cuiquam debeat hunc feciſſe tantos in ea parte progreſſus, qui de primo ipſius vaticinio, quæ ſequuntur audiverit.

XXIII. *Prima Morini prædictio.* Vix libros ſublimis hujus ſcientiæ inſtructores diligentiùs evolvere cœperat, cùm ex ea, quicquid ad Bononienſem Epiſcopum attineret ſtuduit expiſcari, ſive læta ſignificarentur, ut gauderet, ſive dura ut præcaveret atque averteret; ad quod ipſum amor in Dominum eximius incitabat. Anni, hoc currente ſæculo, ſeptimi ac decimi, qui ætatis *Dormii* quintus & quinquageſimus erat, revolutionem inſtruit, hiſque verbis, quid illa portenderet & minaretur, expreſſit.

Reperio locum Martis revolutionis oppoſitum ejus radicali loco, Martem lædentem Horoſcopum, & Solem ſuo quadrato, itaque omnia valde mala minantur, aut mortem, aut carcerem: hoc ultimum inſinuat Mercurius in duodecima peregrinus, ſub radiis Solis parili conjunctione Saturni & quadrato Mercurii læſus.

Dor-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Dormium Morinus de malo impendente admonet, atque ut ſibi caveat, deprecatur; explodit monentem Epiſcopus, & jocatur in vatem, tanquam ille tyro adhuc in arte, magiſterii jam ambiat dignitatem; neque tamen hac contemptione, quod monebatur, effugit, cùm enim in res aulæ tunc intricatiſſimas non cautè ſatis ſe ipſum intruſiſſet, nec ſtetiſſet à potiori parte, interceptus eſt, & tanquam perduellis conjectus in carcerem.

XXIV. *Prædictionis effectus.*

Hic quidem *Morinus* præſidio & columine caruiſſet, niſi ſui nominis fuſâ jam claritate, aliud etiam illuſtrius, ipſo quod amiſerat, nactus eſſet. Tunc Ducem Luxenburgenſem Ducis *Luineſii* fratris fortuna aurea ad eum felicitatis apicem provexerat, qua peculiari medico ad tuendam ſeu recuperandam valetudinem ſeſe dignum eſſe duceret. *Morinum* itaque ſibi legit penſionis ſplendidæ præmiis invitatum. Id profecto medici noſtri non erat ingenio conſentaneū ſervitutē aulicam non amantis, quæ ſemper aliud in ore aliud in pectore, illud palam collocat, hoc recondit. Vicit indolem viri præſens vitæ ſtatus; In Ducis Luxemburgenſis familiam, Medici nomine anno 1621 allectus eſt, & per annos octo integros cariſſimis ſibi ſtudiis aſſiduus & indefeſſus incubuit, ac ſuarum tam Medicinæ, quàm Aſtrologiæ impenſis officiis & plurimos & conſpicuos in poſterum amicos comparavit; complures quoque libros de rebus Phyſicis & de ſiderum obſervatione in publicum emiſit, quibus apud noſtrates, atque etiam exteros famam gloriamque collegit.

XXV. *Morinus Ducis Luxenburgenſis medicus.*

Ad eum tandem vitæ ſtatum advenit partâ ſibi nominis gloriâ quo in ſua poteſtate poſitus à nemine dependeret. Id verò *navibus atque quadrigis* veluti portum ſuæ felicitati s appetebat. Ea nempe libertas eſt, *cujus proprium ſic vivere ut velis*, teſte Tullio, & *ad quam* eodem ſimiliter teſte, *incenſi omnes rapimur obtinendam*, nec ſecutus ſolum impulſum ingenii, ſed adhibito quoque conſilio ac prudentiæ maturitate in hoc arbitrii ſui Jure ſic obfirmavit animi ſententiam, ut hinc nullis poſtea machinis potuerit conſtantiſſimus amoveri, quò ad procerum ſervitutem tranſiret; de quo cum Luciano id uſurpem. *Quot Midæ, quot Crœſi, quot Pactoli vel toti hunc hominem diducere à propoſito, non potuere, ut libertatem dulciſſimam repudiaret.*

XXVI. *Iuris ſui deinceps eſſe vult.*

Hor. Lib. I Epiſt. II.
Cicero Lib. I officiorum.
Philipppica 13.
Libro de mercede conductis.

Excellebant tunc inſignis Franciæ Polemarchus *Ruſæus Deffiatus* fiſco univerſo à Rege præpoſitus, nec modicæ apud primarium regni Miniſtrum gratiæ; quid non ab eo tam potente, ac ſibi talem Aſtrologum ambiente conſequi noſter potuiſſit, ſi oblatis uberibus ſtipendiis migrare in ejus familiam conſenſiſſet? ſpes certè oboriebatur, nec immeritò, ampliſſima, ſolius anni ſpatio ſe ipſius beneficiis poſſe plus locupletari, quàm totius, & prolixæ vitæ laboribus, induſtriaque non vulgari. Fortunam auream, quam Galba ſe ſiſtentem in limine cùm dormiret ultro amplexus eſt, vigilans & prudens à ſe *Morinus* ablegare maluit, non quidem imitatus Cratetem ut in mare nummos projiceret, verùm ut auri cumulis marſupia, & marſupiis arcas non impleret, neque enim fluxis incertiſque divitiis animum agglutinare ſuſtinerit, ejuſque tot cernentis Pariſiorum opes ea vox eſſe poterat *Quam multis non indigeo*! quod Socrates protuliſſe dicitur in ſolemnioribus nundinis opes Atticas contemplatus.

XXVII. *Deffiato abnuit inſervire.*

Suetonius in Galba.

XVIII. *Morini moderatio atq; opum contemptio.*

Laërtius.

Neque tamen paupertatem illam Cynicam plurimum faſtus ac ſupercilii obtinentem affectare ſtuduit; ſi quid pecuniarum in operæ præmium acquirebat, ne tam inopiæ timori, quàm ſtudiorum in otio liberiore pulcherrimæ cupiditati aſcriptum velis; ſi quis ipſum avaritiæ labe inſimularit, ut pote nonnunquam aliquo vexatum quæſita vigiliis amittendi metu, iniquior is eſſe videatur, cùm laudem potius impendere debeat, & cogitanti levare familiam, & emolumenta publica procuranti. Nonnullos ſcio virtutis ejus æmulos, & acrioribus quò injuſtioribus odiis æſtuantes in ipſum, ſordes ei domeſticas objeciſſe; at quàm nullo negotio refelluntur à *Morini* neptibus, quarum duas voluntariâ pietate incenſas in Nonnarum clauſtris liberali dote ornatas divinis obſequiis mancipavit, tertiam vero *Mercerio* Villæ franciæ inter inſtitores haud obſcuro in matrimonium collocavit; Quid dicam quibus ſumptibus ſua tot volumina typis calchographicis in lucem ediderit, ut eum potiùs eo nomine prodigum appellare liceat, quàm ulla ratione ſordidum ſuſpicari.

XXIX. *Minimè ſordidus.*

XXX. *Ex partis rebus in ſuos liberalis.*

Profeſſoris Mathematum regii cathedra Pariſienſis ipſi demum attributa initium fortunæ certioris aperuit.

XXXI *Sanclaro ſuccedit Regio Mathematum Profeſſori.*

Sanclarus hanc occupabat. Nono & vigeſimo Junii 1629. exceſſus illius inopini nuntii ad *Morinum* venere, uſus eſt ille perventore ad Reginam matrem *Mariam Medicæam* cui non erat ignotus, nec ipſa difficilem ſe præbuit, imò in eam bene affecta dat protinus ę ſcutatis unum à quo ad *Rupifucaldium* Cardinalem magnum Elemoſinarium Franciæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

duceretur. Indicitque *Rancæo* ut eam in rem ad *Buthillerium* Regni à ſecretis literas mittat, tantâ profecto bene merendi commendatione, ut *Rancæo* dicenti eam ſe cathedram Inſtructori liberorum ſuorum dare jam poſtulaſſe, Regina auguſtiſſima; *Egiſti pro te*, reſponderit, *pro me nunc agas, edico*; quod finxeram ergo diffingam? *Rancæo* ſubjungente.

Nec *Morini* conatus ille fuit irritus; etſi enim Cardinalis ipſe menſes aliquot obluctaretur, atque obice *Rancæano* plus formidandus ſemetipſum opponeret, cathedræ tamen candidatus ad menſem ejus anni ſextilem gratuito dono regium diploma conſecutus eſt, cui Sacramentum in manus dicti Cardinalis ab ipſo præſtitum, ſequentis anni menſe Februario ſubſcriptum fuit.

XXXII. *Conjugii propoſitum caſu mirando ipſi diſcutitur.*

Hoc honore Magiſterióque pollentem familiares amici conjugio propoſito ſtabilire firmiùs voluerunt, vivebat anteceſſoris conjux memorati modo *Sanclari*, non abjicienda quidem illa planè & quam opibus non contemnendis inſtructam popularis fama jactabat, par eſt, inquiunt, ut quemadmodum *Sanclari* cathedræ, ſic & ejuſdem opibus ductâ ipſius uxore ſuccedas; conſilio iſtiuſmodi ſæpius repetito *Morinus* tandem acquievit, Dominámque inviſere eâ mente conſtituit, & procum gerere prima vice; propior factus ædibus nigra veſte videt limen obſeptum, docéntque vicini *Sanclari* conjugem eſſe mox ad tumulum efferendam; id audiens, quantum obſtupuerit, cogitate: tum verò de cælibatu perpetuo conſilium ſibi quondam ducibus aſtris injectum, certiſſimum fore decrevit, omnibúſque in poſterum renuntiare nuptiis, & quicquid vitæ reliquum eſſet, in doctrinis ac librorum, ſeu lectione, ſeu ſcriptione placido tenore tranſigere, atque in amicorum convictu ſuaviſſimè conſeneſcere: hoc fixum apud ſe ratúmque nunquam poſtea violavit. Quid enim libero lectulo jucundius? nunquid uni conjugi moleſtiarum plerúmque ſeminario tot amicos támque illuſtres anteferret? quorum indicem texo, ut quo numero ac loco haberetur, laudum ipſius iuvidis luce clarius innoteſcat.

XXXIII. *Magnates quorum favorem expertus eſt.*

Berullo Cardinali pietatis juxta politiæque peritiſſimo (utrámque præclaro fœdere conjunxerat) *Morinus* in pretio fuit, eóque charior quòd amicitiam ſingularem cum Patre *Carolo Gondreno* iniviſſet, in ſupremum Oratorii moderatorem ſociorum ſuffragiis poſt *Berullum* electo.

Marilliaco regalium ſigillorum cuſtodi quoties ſeſe obtulit, benigniſſimum ſuſceptorem expertus eſt.

Villoclercius & Comes *Brienneus* ejus filius ambo ab regni ſecretis, eidem cùm res exigeret, amicos ſe minimè inutiles oſtendebant.

Nemini æquè ſe ipſum devinxerat quàm *Ludovico Tronſono* tunc in Aula ſpectatiſſimo, non tam quòd eſſet à conclavis arcanis, ærarióque Præfectus, quàm quòd in ejus ſinum ſingulari cum fiducia mentem omnem rex effunderet, tanti virum exploratis ejus ingenio ac virtute fecerat; eum ergo cum *Morino* arctus adeò familiaris amicitiæ nodus aſtrinxerat, ut neque emiſſo ex aula *Tronſono*, imò & vitâ functo ſolvi unquam potuerit; commigravit etiam ad mortui liberos, ad *Guillelmum* in primis natu ſecundum, quem paternæ indolis heredem, ut & officii, vultúſque lineamentorum, nullus, qui utrumque noverit, inficiabitur.

Richeliaus Cardinalis, immenſus ille Genius, Judicio nunquam, ubi quempiam pertentaſſet, errante, dignum ea exiſtimatione *Morinum* duxit, ut ipſum ad ſecretius Muſeum admitteret, déque negotiis momenti graviſſimi conſuleret.

Eundem Eminentiſſimus Cardinalis *Mazarinus*, qui *Richeliæo* totius regni ſucceſſit adminiſter, penſione cohoneſtavit annua bis Francorum mille, ipſi ſemper, dum in vivis fuit, exoluta.

Chavignium Comitem Europa novit, ſub *Ludovico* XIV nondum tredecenni, propter excellentem ingenii vim unum ex regni Miniſtris inſtitutum; priùs ille ſub *Ludovico* XIII, cùm eſſet ab Imperiorum ſecretis eo ſe fungi munere meritum approbaverat, præceptis *Richeliæis* inſtructus. Agere ipſe cum *Morino* ſolitus, menſæ ipſum frequentiùs adhibebat, atque ut quietiùs convictu viri frueretur, comitem, ubi rus ſecederet, abducebat.

Ut amicos viritim enumerem, quandonam exhauſero? inſignes, inquam, omnes, & cujuſlibet dignitatis? ex aulicis nobiliſſimos jam produxi, quibus etiam adjunge, ſi velis, *Bullonium*, & *Deffiatum* ſummos conſequenter fiſco regio præpoſitos. *Lionnæum*, non ita pridem in Germania pro Imperatoris electione Franciæ Legatum, & *Beotruum* egregiis animi dotibus, quæ neminem latuere, præditum. Amicos accipe nunc togatos.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

In amicotum numero *Morinum* habuere *Vairius* ſigillorum regis cuſtodia inſignitus. *Cogneuxius*, *Meſmius* & *Ballolius* Præſides Infulati, *Alligrius*, *Pommerolius*, *Sevæus*, *Rancæus*, *Arderius*, *Melianus*, & *Terrerius*, in Regis auguſtiore conſeſſu ſub Cancellario Conſiliarii.

Quot Hierarchæ amicitiam cum eo coluere, quot etiam cœnobitæ! quos inter *Condrenus* Oratorii Generalis ſecundus pietate maximus, & à caducis mirum in modum abſolutus, vita quoque ſanctiſſimus, ac proinde amicus veriſſimus, ex potiſſimis fuit; hos omnes morum bonitas, & candor in *Morino* elucens, atque in bene merendo velocitas alacris, in amicos ipſi acquiſiverant, neque pauciores alios inter literatos meritis, exiſtimatione, atque eruditione commendatus.

Paganus ſtemmate Comitis coronato, nobilitate pariter, doctrináque conſpicuus, ex quo cum eodem apud Ducem Luxemburgenſem Avunculum familiariùs egit, ſemper habuit chariſſimum. *Valtero* plaudit adhuc Francia, in ortis Hippocraticæ ſtudiis apud omnes celeberrimo, cui *Ludovici* regnantis valetudo credita eſt, poſtquam *Mariæ Medicææ* Regis Aviæ Archiatrus extitiſſet. Is *Morinum* vera ex ſideribus vaticinantem cùm ſæpius comperiſſet, ac crebrò ejus operam feliciter atque utiliter expertus eſſet, multis eum meritis ſibi planè addixit; hócque agitaverat animo, & ipſa re jam ſatagebat, cum Aſtrologum inter aulica miniſteria conſtituendum eſſe, qui Primario medicorum Regis comes eſſet adjumento futurus, & quidem ex Galeni placito.

XXXIV. *Viri docti apud quos in numero fuit.*

Lib. 3. de diebus decretoriis.

Galterus Valletenſis Prior in Aſtrorum ſcientia verſatiſſimus *Morino* per Provinciam iter faciente atque occurrente, quanti hominem faceret, multis clariſque indiciis commonſtravit, hanc à *Galtero* ſuſceptionem amiciſſimam, verbis poſtea contrariis ab eo veluti exſufflatam fuiſſe obtrectatores æmuli jactavere, ſed inſignem ejuſmodi calumniam redarguit vehementer *Canelus* ipſius *Galteri* nepos, qui patruum in *Morini* dotes nunquam obloquutum fuiſſe ſanctiſſimè in mendaces invidos aſſeverat.

Mothæus Gulaſius, quem *Morino* Pater *Condrenus* inſinuavit, ac dedit, eos habuit ex ejus conſuetudine progreſſus, ut palam & clarè dixerit huic ſe amicitiæ devinctiſſimum eſſe, in qua, quod cunctos cælabat, in ſinu amici confidentiſſimè deponeret.

Meunerius Sancti Honorati regularis Abbas tanto animi ſenſu defuncti memoriam colit, ut in ea benevolentiæ flamma vim plurimam ſuſpicêre fuiſſe, qua ardor ejuſmodi ſervaretur.

Valleſius publicæ contributionis Quæſtor in *Delphinatu*, nunquam interruptis cum *Morino* literis, de rei literariæ ortis ævo ſuo contentionibus avidiſſimè cum ipſo communicavit.

Bloſius Catalaunenſis Archidiaconus ea mente Lutetiam adiit ut virum internoſceret, ejúſque imbueretur doctrina.

Pater *Merſennus* ex Religioſis Minimis, qui moliebatur id præcipuum ut eruditorum quiſquis ad ſuam notitiam perveniret, (quibus etiam ea de cauſa in pretio fuit) multam cum *Morino* neceſſitudinem fovit.

Grindorgius Prior Culæus, ubi nonnulla hujus opuſcula perlegiſſet ſcriptis ad eum literis cupidiſſimum ſe oſtendit, quicquid in lucem *Morinus* ederet, legendi ante alios, ut miranda quæ docet inter primos admiraretur.

Gaſpar Diemæus miſſis Amſtelodamo Epiſtolis ipſi parem animum explanavit.

Carteſius, quo perſpicaciorem Philoſophia vix habuit, priuſquam ſua principia divulgaret, *Morinum* quid de ipſis ſentiret, conſuluit, eâ ille ſubtilitate reſpondit, ut deceptum minimè ſe *Carteſius* agnoſceret, quòd eum inter ſæculi lumina, & cujus reſponſa peteret, collocaſſet.

Chriſtianus Severus Longomontanus Regis Daniæ Profeſſor clariſſimus, & magni *Tychonis Brahe* decennio toto in Cœli obſervatione ſocius, eundem cùm difficilia quædam occurrerent, ſcribendo interpellavit, & quem de illis calculum noſter ferret, quæſivit libens & accepit, ſtetitque annis duodecim ea literarum viciſſitudo, quibus quicquid in Aſtrologiæ atque Aſtronomiæ latifundiis ad quærendum eſt abſtruſius, reciprocis amborum ingenia diatribis excoluit.

Martinus Hortenſius apud Batavos obſervationum ſuarum claritate nobiliſſimus atque in Aſtronomicis *Lansbergii* tabulis tantopere prædicatus, *Morini* longitudinibus evulgatis, quas mirificè probat, ad Autoris notitiam aſpiravit; itáque ut inter ambos neceſſitudinis aliquid interveniret, nonnulla ſibi explicanda, ſed precatus, objecit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Galilæus Galilæi Primarius magni Hetruriæ Ducis Philoſophus & Mathematicus, etſi probè longitudinum cognoſceret inventorem, ab eodem tamen ſæpius efflagitatus quidnam de ipſis ſentiret, ſcripto aperire noluit, uni ſolùm ex intimis *Bellograno* ſenſum ſuum eam in rem literis patefecit; quanti ergo *Morinum* penderet, teſtimonium in eo non obſcurum dedit; cum enim ab illo tanquam adverſario ſententia de Terræ motu, cui *Galilæus* mordicus adhærebat, oppugnata fuiſſet acerrimè, inventas longitudines, par referens pari vellicare ac vexare debuiſſet,

Virg. lib. 1. Æneid.

Nec dum etiam cauſæ irarum, ſævique dolores
Exciderant animo.

His profectò refellendis incumbere debuiſſe videtur niſi argumentorum vim, quibus alas telluri noſter Aſtrologus evulſerat, formidaſſet.

Neque *Morino* meliùs cum *Vallangreno* Regis Hiſpaniæ Coſmographo Buxellis agente convênit, quanquam per ipſum *Vallangrenum* minimè ſteterit, quin inter ipſos amicitiæ jus intercederet, at ipſi ferenda nullo modo viſa eſt viri oſtentatio ſe Regis ſui præmio dignum eſſe jactantis ob inventas à ſe longitudines, quas alia à *Morino* methodo ſeſe excogitaſſe gloriabundus ajebat.

XXXV. *Morini & Gaſſendi contentio.*

Ab hoc Belga haud multum *Gaſſendus* abluſit Dinienſis ille Theologus, quo cum hujuſce temporis vix ullus Philoſophorum ſubtilitate certaverit, aut Aſtronomorum quiſpiam; Juvat extergatur nubilum quod ipſi *Morinóque* mutuò ſe affudit, & primum quidem ſic habere jam à teneris & ab eiſdem Scholis utriúſque amicitiam inchoaſſe, plurimis deinceps Epiſtolarum centuriis firmius inolitam ac ſervatam, prævia ſemper chariſſimi nomenclatione; in his profectò, eruditis juxta atque amœnis ſermocinationibus, quicquid in pectore continebatur, effundunt; decedat ergo ex animis, quam illevere ſcripta nonnulla, quædam injuſta cogitatio; ſi quid enim ex diſputationis fervore dictum aliquando durius hinc & inde irrepſerit, ne ſtatim exiſtimationem mutuò læſam, aut violatam ſenſeris charitatem; ea ſunt doctorum interdum imò & ſanctorum certamina; Platonem inter atque Ariſtotelem controverſias non ſine aliquo aſperitatis felle agitatas fuiſſe novimus, & apud Latinos Patres Hieronymi atque Auguſtini pugnas calamo tenus incaluiſſe viſas, ut & apud Græcos, Chryſoſtomi Epiphaniique vocali ſono tenus.

Sanlegerius Avenionenſis Patronus *Tonduti* nomine inter Aſtrologos celebratiſſimus inventori longitudinum candidè congratulatus eſt, & ab eodem, quæ de temporum æquatione à ſe reperta, de directionum latitudine ſententiam exquiſivit, ac de circuli quadratura, quam amicorum quiſpiam ſe tandem inveniſſe credebat, reſponſis pluribus ſatisfecit ei *Morinus*; *Sanlegerium* enim multùm honorificè ei reſcripſiſſe, ac ipſius ſententiæ plurimum tribuiſſe conſtat.

Pater *Athanaſius* de Britannia Capucinus in rebus Aſtronomicis ſummopere illuminatus hoc loco prætermittendus eſſe non videtur, quocum & *Morino* fuit amicitiæ per literas commercium.

In chartacea ipſius ſupellectile complures inſignibus è viris comperio qui Aſtrologi noſtri familiaritatem per Epiſtolas ambierint; erunt citati antea recenſendo ſatis; ut enim comprehendam brevi, neminem aſſevero alicujus notæ Philoſophum, aut Mathematicum his temporibus floruiſſe qui conferre cum *Morino* ſibi gloriæ non duxerit, habitiſque cum eruditiſſimo viro ſermonibus amplificare famam ac nomen. Cùm enim in continua ſcientiarum contemplatione ſex annos & ſexaginta verſatus eſſet, quantas opes, & quem doctrinæ theſaurum inexhauſto ingenii fonte ſibi tandem comparaſſe credendus eſt! pulcherrima illa ex intervallis, edita in lucem opera planè admiratione digna non minori fuere literatorum utilitati, quàm ſtupori: ſic enim patuit quantum eſſet in Philoſophia ſubtilis, in Phyſica perſpicax, in Alchimia præſtans, in Medicina peritus, in Theologia profundus; acutus in Aſtronomia, atque in Aſtrologia felix.

XXXVI. *Morinus quàm doctiſſimus.*

XXXVII. *Excuſorum ipſius Operum Index.*

Opera ejus multiplicia, illuſtres parentis egregii fœtus per indicem exhibeo, ut quot flores hortus ipſius in publicum emiſerit & videas & laudes.

Ab anno 1619 excudendi jam duxit initium. *Mundi ſublunaris Anatomia* libellus ejus è prælo primus emiſſus eſt, cujus cùm in Hungaria peregrinaretur, facta eſt jam mentio.

Anno 1623 Rationes confœderationis duodecim domorum Cœleſtium, in medium protulit, ac definitionis uniuſcujuſque, & qui reſpectus per earum ternarios inter ipſas eſſet, ſermone dilucido demonſtravit, quibus de rebus ante ipſum ſcripſerat nemo, huic libello eſt titulus, *Aſtronomicarum domorum Cabala detecta.*

Anno

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

XXXVIII. *Morinus Antivillonianus.*

Anno conſequente *Antonius Villonius* vulgò Philoſophus Miles, unà cum *Stephano Claveſio* Chymiſta Medico, in Ariſtotelem, Paracelſum ac Cabaliſtas Theſeon publicarum programma fecit, à ſe in ædibus *Margaritæ* Reginæ quibuſlibet præſentibus propugnandum, atque invitatis Curiæ, plurimiſque omnium generum ſpectabilibus viris; tantorum Scientiæ Ducum principia ſuis ſe argumentationibus planè ſubverſuros receperunt; Has theſes Primo Præſidi *Villonius* ipſe in manum dederat, quarum unâ ad trutinam accuratiùs expensâ inhibuit ei Præſes ne publicus fieret earum propugnator; plures trecentis ad condictum locum horámque convenerant, quos remittere coactus eſt invitator; ex his *Morinus* erat, qui jam ipſi *Villonio* & amicorum pluribus tantos ſe Philoſophos vindicaturum promiſerat, etſi jam pridem & Senatus judicio & Sorbonæ cenſurâ damnatus eſſet hic ingeniorum excurſus, & ſtructum ad Veteres à Neotericis protegendos tutiſſimum authoritatis præſidium; cùm noſter ergo nil tunc ſermone potuiſſet, ſcripto pòſtmodum Villonianas theſes exploſit, quo edito conſecutus eſt ut Chymiſta peritus, & ſubtilis audiret Philoſophus.

XXXIX. *Idem Alchymiſta ſciens & peritus.*

Quî, rogo, in Chymicis non expertus eſſet cui fuerant, ut dictum eſt, parentes; Philoſophiæ talis experientiſſimi? ipſe quidem apud Bononienſem Præſulem in ea ſe jam exercuerat, & deinceps cum pluribus hac in arte celeberrimis & voce & literis contulerat, quorũ ex numero ſi *Colteſonum* & *Lauberium* indictos elabi patimur, illatæ ipſis injuræ meritò inſimulemur, cùm inter naturaliſtas ſint ambo clariſſimi, ac *Morino* inſuper, hac in arte fuerint conjunctiſſimi. Unum hic obſervari pervelim quod licet lucis publicæ minus obtinuerit, non ideo minus obtinet veritatis; colloquium eſt de magno opere inter ipſum & duos dignitate ac probitate non vulgari viros eximios, quorum alter quod quæſivere tam multi vitæ periculo ac ſortunarum damno, viderat; alter verò *Sylvio* quodam ipſimet Regi ſui pulveris experimentum præbente interfuerat, quod quidem enarrare prolixius non eſt hujus loci; noſſe ſuffecerit ob ſcelera damnato *Sylvio*, artis tamen ejus myſterium minimè damnatum eſſe, cùm poſtea *Richeliaus* Cardinalis ex hujus diſciplina damnati, ſcriptis ab eodem tradita, in fornaculis Ruellianis juſſerit multa tentari.

Anno 1633. *Trigonometriæ canonicæ tres Libros Morinus* excudit, de triangulis nempe tam planis quàm Sphæricis tractatum, quem & Gallicè reddidit.

XL. *Atheorum hoſtis.*

Deinde cum Atheo quodam ex ejus familiaribus depugnandum fuit; illum ergo dedocere aggreſſus eſt quem debilibus Syllogiſmis in Atheiſmi barathro pertinacia retinebat. Itaque Deum eſſe vi ſolius naturalis luminis mathematico more evidentiſſimè demonſtrare inſtituit; hunc in finem produxit theoremata certiſſimis rationibus ſtabilita, axiomataq; hactenus inconcuſſa, quibus mortalium ullus haud unquam obluctetur, ſed ultro ſubmittat aſſenſum. Hoc opuſculum eo prælato titulo, *Quod Deus ſit*, Diœceſeon Gallicarum Præſulibus ad decennalem conventum Lutetiæ tunc congregatis dedicavit, Epiſcopali approbatione conſecuta. Idem opuſculum anno 1655 incudi reddidit, & tornatum elegantiùs ampliavit; excuſum denuo ſic prætulit. *De vera cognitione Dei ex ſolo naturæ lumine.*

XLI. *Ejus calumniatores.*

Exin prodiit è typographia libellus *Morinum* plagiarium inclamans, tanquam è *Richardi* à Sancto Victore commentario quodam integrum exſcripſiſſet, & ſuo ſub nomine venditaſſet; idem quoque libelli hujus chartâ cæruleâ ſolummodo conveſtiti parens merus calumniator, pluribus à *Morino* ſcriptis plagii crimen intulit. Ergo verò vitæ ipſius ſcriptor falſi modò non evincam hunc improbum invidumque mendacem; id enim diſſertationes copioſas exigeret, deinde Apologiſter hìc non ago, ſed actorum candidum narratorem. Satis profectò eſt Authoris noſtri gloriæ, nec non amicorum ipſius voluptati tot ejus labores cum plauſu à cunctis exceptos & ab ejuſdem morte non mediocri cura conquiſitos fuiſſe; qui verò memoriam inſectantur mortui, bellè ſecum actum iri putent, ſi quouſque ipſe progreſſus eſt, ipſi quoque progredi poſſint, neque enim unquam metuendum eſt, ne ipſo ſuperato ad ulteriores gloriæ metas perveniant; quantalibet vanitate inflati ſibi eventurum id credant; œſtro ejuſmodi, quo de loquimur, author percitus, cœci more, quid agat, haud videt; ipſe autem cùm nulli ſit formidini, quid prohibet, nominetur? *Petrus* eſt *Balduinus Montarſius*, neque enim ullius calumniæ dentibus tantum hoc opus deteret rubiginoſus iſte Sycophanta, quod lectum ab ipſo vires ejus intelligendi longè ſuperat.

XLII. *Balduini ejuſdam improbitas.*

Interim officii ſe oblitum ſciat; ipſi enim lacerare mortuum, pudendum eſt, & ei quem Magiſtrum habuit, eam ingratitudinem rependere, impium & imfame.

Rudolphinis Morini tabulis laudem hìc modò non impertior; libellus eſt perexiguus, quicquid ad inſtruendas cœleſtes figuras neceſſe eſt mirâ brevitate complexus; quæ antea

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

facienda conformatio plura volumina & quidem ſpiſſa perlegi poſtulabat; Inſtruxit ergo ad uſum proprium Bibliothecam portatilem, quam ſolum anno 1650 typis creditam, communem eſſe paſſus eſt inſtantibus amicis, metumque incutientibus ne quiſpiam ex ejus inventis ſibi decus expiſcari valeret. Hoc opuſculum eruditis omnibus adeò placuit, ut accedens laudationis noſtræ cumulus omnino ſupervacaneus eſſet; *Montheo Gulaſio* dicatum voluit, cujus liberalitas ac cura hanc ſibi de publico bene merendi viam aperuit.

XXLIII. *Notæ Aſtrologicæ.*

Nicolaus Burdinus Illuſtriſſimus Marchio *Villenneſius* Centiloquium Ptolemæo vulgò aſcriptum ediderat, *Notas Aſtrologicas* quadriennio poſt in illud elaboratas *Morinus* emiſit è prælo mirâ omnium gratulatione ſuſceptas; ſi quid in eis eſt quod quiſpiam jure poſſit carpere, non diffitebor contra Authorem hunc nobilem calentis ingenii leves quoſdam inſultus haberi; revera tamen, hac etiam in Doctrina hoſpites ſingularium ſcriptorum ſubtilitatem immenſam in tam ſublimi diſputatione mirati ſunt. Quem non ad ſtuporem adduxere dicta illa præclara quæ Ptolomæo ttibuebat? quis non illuſtratis ab eo Coryphæi hujus Aſtrologorum Aphoriſmis lucem non hauſit uberem ad diſcendum? quis porrò Aſtrologiam *Morini* Gallicam non expetebat, certus ex hoc ſpecimine, pleniſſimum in ea fore divinæ illius ſcientię tractatũ. Neq; mirum cui quam videri debet hunc Authorem ab eis quæ profiteatur ſtudiis, ut pote ad illa propenſior, nonnunquam avulſum ad alia minùs ſibi familiaria ſeceſſiſſe, ut Veritatem lucis filiam aſſereret; præſervidi erat, neque ſat tolerantis animi, ſed qui amore veritatis caleret ardentius, eam quippe ſuis in ſermonibus neque leviter decolorare aut fucare poterat, Imò neque in aliorum ore aut ſcriptis id ineſſe vitii perferebat, quamvis ad ipſum nihil attineret.

XLIV. *Cætera Morini opera præter Aſtrologica.*

XLV. *In Præadamitas.*

Liber de Præadamitis ab aliquo tempore Lutetiæ circumferebatur, unde ipſi de Religionis pietate acriter defendenda exarſit cupiditas, cùm recuſam ejuſmodi opinionẽ & vulgatam ad fidei Chriſtianæ ſubverſionem tendere credidiſſet, eam enervare penitus ſuarum duxit eſſe partium; aggreſſus eſt ergo Aonymum illum proſternere iiſdem Geneſeos ac Pauli quibus abutebatur textibus; Librum cum hac inſcriptione *Terrerio* nunc upavit. *Refutatio compendioſa erronei ac deteſtandi libri de Præadamitis.*

Hæc vero ſupra memorata opera, eſſe omnia quæ horum temporum decurſu ab ipſo manarunt ad populum, ne putetis, cavete; duo ejus edidere calchographi ex quibus ſudandi laborandique ſeges copioſa ipſi oborta eſt. Volumen prius, mea quidem ſententia debilius ad ejus gloriam, niſi illud adverſariorum nomine ac multitudine eapropter in eum excitatâ expendere ac metiri voluerimus,

XXVI. *In motum telluris.*

Problematis ſolutio fuit optata toties *de motu ſeu quiete telluris* anno 1631 Cardinali *Richeliæo* legendam obtulit, *Copernicus*, lux illa Germaniæ, paradoxum de terræ motu ſepultum pridem ætate noſtrâ velut ab inferis revocavit, neque enim de invento ſibi jure blandiri poſſit, cùm ab viginti pluſquam ſæculis Pythagoras, ejuſque Ariſtarchus auditor Græciæ idem propoſuere, totique orbi admirabile reddiderunt. *Copernicus* vero eo ingenii acumine, eaque induſtria hoc de motu Syſtema compoſuit iiſque pollet argumentis ad evincendum, ut ſi quiſpiam non acquieverit, è doctorum grege procul ablegandus eſſe cenſeatur. Huic tamen ſententiæ nunquam ſeipſum accommodare *Morinus* potuit, neque enim is fuit qui alienis atq; aſcititiis uteretur oculis ad videndum, atque is inſuper extitit qui Eccleſiæ ſanctæ oraculis firmiſſimè adhæreret. Ipſe ergo ex eruditorum collegio (nemo enim doctum negare jure poterit) unus ebulliit qui Copernicianum paradoxum impugnare vellet, atque auderet. Ariſtotelem itaque cum Ptolomæo Pythogoræ contraria ſentientes ſuo texit clypeo, quamvis amborum rationibus objectis, ſcitè ut videbatur, ac ingenioſè *Copernicus* reſpondiſſet; quo tentato *Morinus* ſine ullo dubitationis nubilo poſteritati oſtendit, etiam noſtro ſæculo ſingulares producendi viros vim non eſſe ademptam, neque ſolis præteritis eam fuiſſe conceſſam.

XLVII, *Scribendi conſtantia.*

Hic non libet alterum Briareum demirari: cum ingeniis eximiæ tenuitatis erat illi certamen; cingebat numeroſus æmulorum cuneus, quo crederetur obruendus, non ceſſabat ſuis ſumptibus typographicas operas exercere, quibus impenſis exhauſtus & fatigandus putaretur, laborum onera, quibus humeros ſubmiſerat, eundem integrum depoſcebant; ô Herculem Tragœdi! *Superat & creſcit malis!* Tot fluctibus undequaque pulſatus etiam reſponſis indulget; propugnat idem & oppugnat, iis certè viribus ut Anno 1634 *Laubergium* Doctorem Medicum, cujus Apologetico de Terræ motu reſpondit, dejectum proſtraverit, *Philolaum* verò Anno 1642. Scriptor ille falſo perſonatus nomine providerat, ne petitiones in eum à *Tychone Brahe* Morinæo immiſſas detorquere, niſi forſitan vellet, teneretur.

Seneca in Hercule furenti.

Eo,

Eo, qui ſecutus eſt, Anno, *Gaſſendi* Philoſophi acutiſſimi telis validiſſimis umbonem
reſponſionis obtendit, libro inſcripto. *Alæ telluris fractæ.*

Tunc vallati ad provocationem campi dominus, victor hoſtium ſtetit, at quiete mi-
nime diuturnâ; hoc enim ex conflictu exortus eſt alius, à quo ipſe cum amicorum cha-
riſſimo velut antagoniſta commiſſus eſt; haud ita pridem operâ *Turneſii* ex Provincia XLVIII.
inſignis nobilis de diſcordia ambo redierant in fœdus priſtinum; tanta fuit in hac animo- *Renovata*
rum conciliatione ultro citróque humanitas ac teneritudo, ut eſſet credendi locus præ- *cum Gaſſendi*
clariſſimam concordiam jure poſtliminii revocatam inter utrumque ad extremum uſque *concordia.*
ſpiritum vim & florem ſervaturam fore, atque ea res, uti præ ſe ferebat, ſic ſe habuiſ-
ſet, niſi jacto diſſenſionis ſemine (quo fato & qua mente id contigerit, incertum) acer-
biſſimi poſtea fructus hinc & inde germinaſſent. *Morinus* quidem decus ſuum tueri ſe
debere ratus verborum aſperitati non pepercit, at priuſquam nigro calculo condemne-
tur, expendantur, ſi placet, hujus adverſarii, quorum aut probitas aut doctrina nullo
modo nunc à me diſcutitur; rogo interea quid ipſos ad *Morinum* urgendum inflam-
maverit, cum nihil haberet cum eis negotii; ſi ſe continuiſſent à ſcriptis, næ ſapientiùs
famæ ſuæ conſuluiſſent, ac honori alterius cujus ajebant ſe defenſionem ſuſcepiſſe, & ſi
ab eo ne quidem rogati eſſent, quin & palam quicquid ab eis evulgatum eſt, ultro ipſe-
met improbavit.

Morinus ergo quanquam invito animo, & cum occupationum majoris ipſi momenti
non levi jactura, alterum exercere ſtylum in *Gaſſendum* coactus eſt, Epicuræam ejus Phi- XLIX.
loſophiam typis mandatam calamo inſectatus, cujus ut fundamenta dirueret, Atomos *Rurſus inter-*
conſerere & vacuum difflare molitus eſt, ejuſmodi doctrinæ principia ſanè viliſſima. *rupta.*
Diſſertationem brevem de his inſtituit, quam Anno 1650 *Henrico Borbonio* Principi Sere-
niſſimo ac Vernolii Duci dedicavit; neque ratio defuit quæ in Epicuræum *Gaſſendum*
vertit ejus conatus, atque ut exſcinderet, impulit.

Familiares hujus authoris lucubrationem illam *Morino* auſcultante tollebant in Cœ-
lum, ac velut ad Monamachiam provocatores acuebant virum, oſtensâ rupe ad quam
ſubvertendam nemo niſi certo naufragio aſpirare poſſet, ac niti; adde quòd Epicuræus
ille ſcriptor mirum in modum Aſtrologiæ Judiciariæ infenſus, quâvis datâ occaſione di-
vinam artem, ejúſque principia vellicabat, jocis uſus ac dicteriis, ſecutúſque veteres illos
Aſtrologorum irriſores, *Picum* Mirandulanum, *Alexandrum* de Angelis, & *Sextum*
ab Hemminga.

Poſtmodum ut in bello literario non vibrantur tela mortifera, illi diſſertationi, quam-
vis optimæ ſua ſe objecit reſponſio, *Anatomia* videlicet, *ridiculi* muris *Franciſci Ber-
nerii*; eam quoque Noſter labefecit, & Epiſtola *Vincentii Panurgi* de tribus impoſtori-
bus tanquam inuſto cauterio peſſumdedit.

Opus quod ingenio ſimul & manu his etiam temporibus extudit, & oſtendit, *Scien-*
tia longitudinum fuit, non ſolum hæc apud Gallos in celebritate ſermonis, verùm & apud L.
exteras gentes à Gallis longè ſepoſitas; quid enim hoc invento nautis unquam optatius *Longitudines*
accidit, ex quo *Chriſtophorus Columbus* Occidentalis Indiæ repertor aſſeclas ſuos Oceano *à Morino in-*
credidit ſummis ob errores aeus nauticæ periculis obnoxios? Dynaſtæ pretiis invitavere *ventæ.*
ad artis excogitationem tantæ rei præſidio futuræ. Batavi centies mille Libris, Rex Hiſ-
paniæ trecenties millenis; quot ingenia luculenta hujuſce inventi eruendi decus ea cum
mercede conjunctum annis abhinc ducentis incendit ad ejuſmodi ſtudium? aſpiraverunt
illuc *Orontius Finæus*, *Gemma Friſius*, *Vernerius*, *Appianus*, *Keplerus*, *Longomontanus*,
pluréſque alii quos recenſuiſſe piget, hi Mechanica via inſtructis machinis Longitudines
quæſiere, illi Aſtronomica ſideribus obſervatis.

Morinum tandem aut mens acutior aut genius felicior his omnibus ſagaciſſimis in-
quiſitoribus ſuperextulit; Scientiæ hujus tot votis expetitæ inventor fuit, ejuſdémque
clariſſimam in Armamentarii Pariſini aula majore demonſtrationem exhibuit, Anno LI.
1634 Martii 30. Mirùm hic ſi livor quieſceret nil prorſus obſtrepens; hujus inventionis *Ab eodem*
palmam ipſi fecit ancipitem, partæ gloriæ is urebat dolor, qui tenebris pulcherrimum *demonſtratæ.*
opus obruere ac ſepelire tentavit; quoties Autori depugnandum fuit, ut legitimum de-
cus acquiſiti ſibi nominis tueretur! Bellum illud graſſatum eſt decennio Trojano proli- LII.
xius; & primum quidem cum ipſis delegatæ cognitionis Judicibus ab Cardinali *Richelizo* *Earum ergo*
ſummo tunc Regni Adminiſtro, quo cum noſter ſua de re tranſegerat, deputatis; lu- *ejuſdem ve-*
ctandum deinde fuit cum *Georgio Frommio* in Danorum gratiam *Longomontanum* vindi- *xatio.*

γ 2 cante,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

cante, cum *Lyriſio* Recollecto, melius quidpiam aliud ſe inveniſſe jactante; àc denique cum *Vallangreno* eamobrem ab Hiſpaniæ rege præmium flagitante. Sed *Morinum*

Juvenalis, Sat. 2.

Defendit numerus, junctæque umbone phalanges.

Nam quot & moribus inculpatis & illuſtri dignitate commendatiſſimi viri demonſtratarum ab ipſo longitudinum teſtes, ab ejus ſtetere partibus, & conjunctis ſyngraphis tanquam ad inſtrumentum publicam fidem Cognitorum improbam oſtendêre! teſtimonia

LIII. *Earumdem approbatio.*

quoque manu propria contulere omnium eruditorum nomine *Galterus*, *Gaſſendus*, *Valleſius*, *Hortenſius*, *Longomontanus* & *Galilæus* in laudem Demonſtrationis excuſæ, atque ipſis ab Authore tranſmiſſæ.

Hunc denique laborem velut in agro ſterili non periiſſe commonſtrat præmium ab ipſo Rege Conſilióque ipſius Secretiore tandem obtentum; cùm enim ipſis Anno 1645 li-

LIV. *Præmium à Rege.*

bellum ſupplicem obtuliſſet, bina librarum millia in penſionem annuam ex Regii Montis Abbatia conſecutus eſt; nil igitur opus ad codicem præſtantiſſimum amandare lecturos, in quo non ſolum promiſſi fidem liberavit; ſed ipſius inſuper Aſtronomiæ inſtauravit præcipua fundamenta, cum hac inſcriptione, *Aſtronomia jam à fundamentis integrè & exactè reſtituta.*

Opere tanti ponderis jam exacto, quod inutili ſudore optima quæque ingenia tot annos exercuerat, nónne hujus unius labor, cujuſcumque exiſtimationis fuiſſet, abſumptus deinceps videretur, nil ut præter *Morinus* elaboraret? progreditur adhuc vir indefeſſus, nec in otium jure ſibi optimo comparatum dilabi ſe patitur; non eâ, quam prius moleſtiſſimam expertus erat, ingratitudine deterretur, non invidiæ flamma petere alta ſolitæ, ipſique ut claram, ita & gravem triumphorum ſegetem ſuppeditante.

LV. *Aſtrologia hæc Gallica commendatur.*

Invictus itaque Gallicam hanc perfecit Aſtronomiam manu adhibita ultima; hanc omnes in arte docti vehementer optaverant, nec injuria ſanè, hic enim veterum hallucinationes prorſus emendatæ ſunt, traduntúrque germana principia Scientiæ aliarum omnium auguſtiſſimæ, utiliſſimæ, atque fuſiſſimæ, quæ tamen hactenus longè minus quàm cæteræ, ſuis cultoribus innotuerat.

Et jam editionis hujus operis triginta annos integros accuratiſſimè limati ſtabat in procinctu, libróſque quatuordecim priores ad Typographum Batavum tranſtulerat, cùm id meditantem mors oppreſſit, loca & tempora & mortales ipſos nil pendens ne tamen obruta cum ipſo præclara illa conſilia quiſpiam ſuſpicetur; nam etſi modò ad umbram

LVI. *Opus eſt poſthumum.*

cupreſſeti ſui funebris ab exantlatis laboribus conquieſcat, familiares ipſius præſto ſunt, quos ad rumpendos quoſviſcumque obices mirâ quadam alacritate complevit.

Venit ergo ad lucem publicam divina hæc Aſtrologia minis intempeſtivioribus nullo pacto hactenus retardata, quin ſemetipſam in aggreſſores propugnet acerrimè, quantumcumque ſe reputaverint eruditos; quanto plus in eum qui ut Dares alter in Entellum certus induit, nunquid hunc reformidet? quis unquam de victo à culice elephanto ſparſum rumorem accepit?

Virgil. lib. 5. Æneid.

LVII. *Opera Morini non edita.*

Sunt & alii tractatus inediti, nec prælo minùs idonei, quos inter ſunt præcipuæ notæ,

In Euclidis ſex libros priores Commentarii.

Vniverſalis Planiſphærii constructio ac uſus.

Hoc excogitavit organum quod cum cæteris ſuis Mathematicis inſtrumentis teſtamento legavit *Agarrato* Mathematum Lutetiæ Profeſſori, talibus ad utendum peritiſſimo.

Libri tres de concurſu primæ cauſæ cum ſecundis, in actionibus tam naturalibus quàm ſupernaturalibus.

Libri quinque Theoriæ Planetarum ex mente Copernici, *ac* Kepleri.

Eſt tamen quod demptâ *Aſtrologiâ Gallicâ* omnibus ab eo relictis antecellat, & quod in primis ſtudentes erudiat, quicquid ipſe calamo ſcripſit quorumdam ad Librorum margines, *Obſervationes*, *Notas*, *Commentarios* rectè appellaveris; ſic *Iunctinum* ſuum, ſic *Cardanum*, ſic *Ptolemæum* ad librorum oras doctiſſimis quaſi fimbriis prætexuit, ſic & complures alios, ex quibus ſtructam ſarcinam *Gulielmo Tronſono* in amicitiæ pignus obtulit, quanto ipſum haberet in pretio ſic teſtatus,

Virgil. Eclog. 2.

Et dixit moriens, te nunc habet iſta ſecundum.

Suum his Muſeum gratulabundus inſtruxit quo nullum eſt in Aſtrologicis orbe toto locupletius; hic conſultis doctiſſimorum apud veteres judicia mutantur in melius, ſi quid erraverint, patet, nec non & erroris cauſa falſæque vaticinationis aperitur. Axiomata deniq; hic habentur certis adeò rationibus effulta, ut quæ à veteribus ignorantiæ cæcitate prætermiſſa ſunt, facili negotio ſuppleantur.

Mo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Morinum quiſpiam à me doctiſſimis Aſtrologiæ Judiciariæ aſſenſu omnium Principibus
anteponi fortaſſe mirabitur; quis verò viatorem miretur itinerum moleſtiæ jam laſſatum ab LVIII. *In Aſtrologicis Morinus præcellentiſſimus.*
alio recente viribus ſuperari, eundémque validiorem progreſſum alacriùs multo intervallo
præterire? ſuum eſt decus antiquis authoribus, ſua eſt gloria; ſidereæ hujuſce doctrinæ orbi-
tas perparum ævo illo cognitas detexere primi; quid porrò *Morinus* egit? Scabras eas & aſ-
peritate inamœna difficiles æquando planas dedit, ac certas reddidit, ex incertis. Itáq; præter
ingenium, quod ipſi acutum æquè ac eis eſſe potuit, duobus præſidiis, quibus illi caruere, LIX. *Etiam ſupra veteres.*
fretus & provectus eſt. Primo quidem jam peractarum ab ipſis obſervationum, ac fidei no-
ſtræ altero, qua illuſtratus quicquid Chaldæi, Arabes Ethnicique ſuperſtitioſum in hanc
Scientiam invexerant, expurgavit, cóque confidentiùs, quòd ab eorum origine quàm re-
motiſſimus, quicquid immeritò ipſi contra pugnaſſent, nullatenus formidarit.

Ubinam, inquies, præclara illa ſunt ab ſcientiis Cœleſtibus, *Morino* hauriente, ducta ex-
perimenta? ubinam prolata indicia authoritatem fidémq; præferentia? habentúrne aliqua LX. *Ab effectu vaticinii argumentum.*
vaticinia tam longo annorum decurſu ex illius tripode prænuntiata? quot verò, Deus! Im-
mortalis! horoſcoporum ſcrutator fuit, poſitarúmque in æthere figurarum! at ille non qui-
dem pro quibuſlibet obviis, pecunias etiam affatim offerentibus, elaborare voluit, & ſide-
rum arcana rimari; quas opes, ſi mercenarius eſſet, ſtellarum beneficio non in loculos
ſolùm, ſed etiam in arcas conjeciſſet! ſed amicis unis ſtuduit aut proceribus, quorum in-
ſignis dignitas legem ei ſtatuere poterat, aut præmii ſpecie exigere quod ab ipſis officii
nomine aut meriti eſſet expectabile. Sexcentis id exemplis manifeſtè probari poſſet, niſi
prædictorum ejuſmodi maxima pars in privatorum Scriniis deliteſceret; hæc enim ut arca-
na quædam ſecretiùs aſſervari ſolent; quibuſdam tamen etſi paucis allatis id evincam.

Præſignificatus Bononienſi Præſuli carcer, cujus antè memini, quaſi primum hac in fa-
cultate ſpecimen *Morino* fuiſſe dici poteſt.

Ab hoc tyrocinio magiſterium aſſecutus eſt *Ludovico* XIII Lugduni ægrotante; tunc
Maria Medicæa Regis parens quorumdam Aſtrologorum dictis conterita vitam Principi LXI. *Regis ægroti prædicta ſanitas.*
dubiam aſſerentium Cardinali *Berullæo* ſcripſit, ut juſſus *Morinus* filii geneſim inſpiciat; hac
ille perſpecta ægritudinem fore vehementem reſpondit, nullam verò mortem, quòd cum ex
prædicto contigiſſet ſplendidam vati ſuo mercedem ac Rege dignam contulit, cæteris, qui
malè monuerant, ad remum amandatis, forſitan quòd minimè juſſi in annos Principis in-
quiſiſſent. *Morino* Soli regalem Horoſcopum intueri ac examinare liceat, ut olim uni Apelli
conceſſum eſt Alexandrum in tabula pingere, Lyſippo ex ære ducere, ac in gemma Pyrgo-
teli ſcalpere.

Procul ô procul eſte prophani. Virg. lib. 6. Æn.

Quanquam iſtud ex vaticiniis ejus congruum planè ſit, & exactum ad numeros, in aliud
æquè conveniens. Regi eidem mali quidpiam imminere prænuntiaverat, dicta die; ipſum
ergo domi ſe contineat, monent. Pomeridiano tempore contineri pertæſus aviculis poni LXII. *Ejuſdem caſus inopinatus.*
retia jubet, dúmq; ipſe attentiùs ea tenderet non advertens concidit, fune arctius tibiis alli-
gato, qui ſcindi, nec mora, debuit: Rex aſſurgens, cavete, inquit, *Morinus* reſciat, nimium
ex caſu meo tumoris admitteret.

Ferunt minùs feliciter in Regis ejuſdem morbo, quo & extinctus eſt, vaticinatum fuiſſe;
quoniam obitus horam momentumq; non prædixerit, tribus enim priuſquam ea mors con- LXIII. *Ejuſdem ex morbo obitus.*
tigiſset menſibus, *Chavignio* & quibuſdam ex aula Magnatibus, ac etiam intimo amicorum
Gaſſendo de Cœlo edixerat ad octavum Maji Regi mortem aſtra minari, ſex poſt dies ſo-
lummodo eventuram; quiſnam his error in calculis? inquam; vidit ad quartum & decimum
Maji periculum, at minùs quàm in octavo moleſtum, unde pro octavo concluſerat, quoniã
in eo regia valetudo ſe deterrimè habuerit, ita ut morti proximus ipſe rex videretur, & mo-
riturum brevi rumor ſpargeret; at medentum peritiâ & remediorum bonitate vita ejus Ma-
jas uſq; ad Idus extracta eſt; neque aberrabit à verò qui mortis plagam die Maji octavo Re-
gi fuiſſe illatam ſtatuerit.

Idem & *Leſdiguerio* contigit Regiorum exercituum Imperatori perpetuo, cujus obitus
in octavum & vigeſimum Septembris diem incidit, quem ad duodecimum ſidera ipſi com- LXIV. *Leſdiguerij mors prædicta.*
minata fuerant, quo quidem duodecimo, febrilis ardor tantum invaluit atq; hominem fre-
git, nullâ ut unquam medelâ reſtaurari aliquantiſper potuerit, atq; in ſpem venire ſanitati;
quid hic *Morinus* præſtitit? ſuis impulſus rationibus cum morbo deceſſurum prænuntia-
verat, quoniam cum Luna Sol in ejus geneſi nihil infeſti & noxii prætulere; malè ergo illi
Aſtrologi qui Biothanatum fore prædixerant, violentâ nempe morte interiturum.

XLV. *Item Suecorum Regis.*

Guſtavi Magni Suecorum Regis mors eſt ex inſignibus, Cardinalis *Richelæus* cùm ſibi ab hoc Victore forſitan metueret, aut quod ejuſdem jacturam ægrè laturus eſſet, aut quòd turbis ex ejus obitu oriundis medicamenta providere cuperet, Aſtrologo noſtro Nativitatis ipſius horam miſit, minutiis aliquot exerrantem; quo ergo tempore Rex *Guſtavus* moriturus eſſet, *Morinus* paucis diebus deceptis monuit Cardinalem.

LXVI. *Sueciæ Regis deſcriptus enſis.*

Regis hujus in prælio cædes enſem ejuſdem in memoriam revocat, de quo pauca levi uſus digreſſione nec injucunda proponam. Iſti enſi præclarè à *Guſtavo* acta in præliis tribuenda eſſe ſenſere complures, quod neque ipſe Rex abnuebat. Ipſo interempto diſquiſitus eſt enſis (quàm rectè non diſcutio) à milite ipſius poſſeſſore, pecunia redemptus venit tandem in *Morini* manus; lætus hoc viſo telo, cùm Taliſmanorum quoque non ignarus eſſet, expreſſos auro in enſis veruto characteres inſpexit, ac expendit diligentiùs, una ex parte ſcutulam verſus capularem ſic legebatur, *Guſtavus Adolphus Rex Sueciæ*, ex altera verò,

Audaces fortuna juvat, timidóſque repellit.

ad imum Sol aureus videbatur, & Martis character, ex quo guttæ in pluviæ modum effuſæ decidebant; ex adverſo varii & ignoti fuere characteres, Planetarum aliquot intermiſti figuris, quæ cuncta cum ejus Horoſcopo & mortis themate nil omnino fœderis habuere.

Walſtinum eodem modo violentia mortis ereptum iri *Morinus* præmonuit.

LXVII. *Conjugii prædictio.*

Sed quàm ad amuſſim *Ludovici Tronſoni* modò felicis conjugium ab eo prænuntiatum eſt nono & decimo Februarii menſis Anni 1618! hujus tempeſtivitas non erat, neq; conciliandi ſpecies ulla, ſive ad privata negotia intenderet animum, ſive ad publica; Rex enim, cui unus ex comitibus adhærebat, fuerat in Neuſtriam profecturus; at rebus præter opinionem citiùs compoſitis Lutetiam reverſus eſt; de conjugio cum *Tronſono* agitur, ultro citróq; inclinatur in illud, ſed pridie conſtitutæ à *Morino* diei ferè infectum fuit, ac penitus diſſolutum; poſtridie ſperatus ſocer filiæ metuens ne raptu abduceretur, de quo jam audierat, primo manè generum vocat, adeſt ille mox, neque impetratâ conſanguineos admonendi facultate, itur ad templum, & matrimonium celebratur, qua die noſter ſic fore jam pridem affirmaverat, unde eſt conjecturæ non dubiæ locus rem totam in Cœlo priùs inſtitutam fuiſſe, quam in ſtellis legerat, cùm præter morem, atque expectationem ceſſiſſet.

Ejuſdem *Tronſoni* ab aula dimiſſio in ipſius Geneſi deſignata erat obſcuriùs, at *Morinus* Aquilinis oculis univerſa perluſtrans in amicorum gratiam; eam, quæ Anno 1625 accidit, ad certum diem prædixit, & fidem ejus veritas conſequens liberavit.

LXVIII. *Aſtrologorũ veraciores.*

Non Patris ſolum ſed etiam liberorum natales horas idem Aſtrologus diligentiſſimè indagavit, & cùm incenſus ſtudio his ardenter incumberet, quid mirandum ejuſmodi vaticinia feliciter eveniſſe? cæteri enim etiam hac in arte peritiſſimi, tamen aut præmio ducti, aut importunitate compulſi operam ſuam ponunt, inde eſt ut rariùs in ſcopum jaculando colliment, atque ad illum attingant, quod quidem in amicitiis aliter omnino ſe habet; res probetur exemplis.

LXIX. *Lapſus prænuntiatus.*

Guillelmus natu ſecundus ex *Tronſoni* liberis (ipſius hic non eſt infrequens facta mentio) Lutetiæ, ex Gymnaſii Regiæ Navarræ convictoribus erat; ſteterat ad feneſtram in impluvium tuens, pone illum verſatilis jacebat tabula, qua cellæ vinariæ os obturari ſolet; aperta illa, eo non animadvertente, cùm recederet, in gradus penè imos decidit, nullo tamen incommodo alio, quàm oppreſſa leviter coſta, quæ cadentem ſuſtinuerat; lapſum hunc vaticinatio *Morini* prædixerat, & duriorem quidem ex aſtris, ſed Beatæ Virginis ope, cujus tunc feſta lux agebatur, piè creditur emollitus, ut vitæ careret diſcrimine.

LXX. *Status vitæ prædictus.*

Æquè vera de indole ſeptimi liberorum ſtatim ab ipſius ortu præmonuit, fore videlicet ad commune vitæ genus propenſiorem, etiam ad conjugium, ſed ex poſitu germano ſiderum Religionem amplexurum, futurum videlicet cœnobitam, in quo & vates perſtitit; quamvis enim Juvenis ille parentum conſilio ad militiam deſtinaretur, & ad optandum jam eſſet idoneus, ad aras Eccleſiaſticas aſpiravit, quibus & modò mancipatus eſt.

LXXI. *Puelli obitus prævisus.*

Id licet exacto deciderit, aliud fateor exactius decidiſſe. Auguſti octavâ die Anni 1633. *Tronſono* cum *Morino* in Pyræi horto deambulantibus, de uno liberorum ex eadem familia inter ipſos injectus eſt ſermo, cujus alias geneſim ipſe Aſtrologus inſtruxerat; filiolus ille Lutetiæ alebatur, vitam illi parum fortunatam erant auſpicata ſidera. Imo verò eodem, quo inter ſe colloquebantur tempore, magno eſſe in periculo puellum *Morinus* aſſeverat, quo pene momento puellus hic animam exhalabat.

LXXII. *Conjugia principum prænuntiata.*

At quam omnibus ſuis partibus abſolutum fuit vaticinium illud *Mariæ* tunc Principi, nunc verò Reginæ Poloniæ ab *Morino* editum! de futuro ipſius conjugio cum illuſtriſſimo

Prin-

Principe didebatur rumor, quod quidem potiſſimum illi fuiſſet, ac plurimæ dignitatis; nihilominus tamen haud iucundum fore noſter aſſeruit, cum Regem ei conjugem aſtra pollicerentur.

Mirificum quoque videtur, cùm Sereniſſimi Principis *Contii* prævidit ex aſtris conjugium, & eo ſignificavit tempore, quo à thori conjugalis propoſito Princeps ipſe remotiſſimus eſſe videretur. Frater ejus *Condæus* Princeps *Morinum* in prædictis veracem ex victoriarum inſignium eventu interdum expertus eſt.

Sic plurima permultis Principibus viris ex doctrina ſiderum patefecit, de quibus ipſimet teſtimonia ferre poſsent, & proferrem ea niſi noſtri ævi res ac geſta non deſtinaſsem attingere; ſervantur illa in conclaviis, & cultu ſilentii reverentius honorantur, quo certè ſilentio utar in plurimis unde tamen copioſius quæ memoro, ad voluptatem legentium his prolatis locupletarentur.

Ex pluribus quorum fama ſatis percrebuit, exempla pauca mihi nota depromam mortuis, quorum intereſſet, tutiori relatu.

LXXIII. *Mortis procerum præſignificata ſeu naturales ſeu violentæ.*

Bullionii ſummi regio fiſco Præfecti obitum quis ignorat? ignoratur porrò eumdem à *Morino* prænuntiatum eſſe qui & conſtellationum poſituram, & ea in quæ *Bullionius* proclivis erat, & ſtatum ipſius domeſticum prænoviſſet. Sic & *Duci Luxemburgenſi* fuerat vaticinatus, quem cùm noſter Aſtrologus officiis complurimis, belli in primis cum rebellibus tempore, ſibi demeruiſſet, exiguam ac prope nullam ab ipſo mercedem aſſecutus eſt.

Horoſcopum *Cinmartii* nonnemo procerum ei oſtenderat, celato, cujus eſſet, nomine; is tum erat regii Stabuli Præſes maximus, & apud ipſum regem præcipua pollens gratia, Horoſcopo ejus ad ſiderum libellam expenſo, caput ipſius carnifici debitum eſſe reſpondit, cognito poſtea *Cinmartii* nomine idem non dubitanter aſtruere perrexit.

Idem quoque *Thuani* finem durum pariter in aſtris animadvertit, & veridicum docuit exitus, ubi *Thuanus* capite truncatus eſt.

Idem & Patre *Condreno* ægrotante (hoc dignum fide complures teſtimoniis ſuis ſtabilient) medicis ſalutem perinde ut minime dubiam pollicentibus, hoc tamen morbo extinguendum fore aſſeruit, & quicquid obniterentur alii, de ſententia nunquam potuit dimoveri; æger porrò ex illa ægritudine diem clauſit extremum.

LXXIV *Cardinalis Richeliæi prædictus obitus.*

Richeliæi Cardinalis, & quidem ipſius imperio, quod Sancti Madovii edixerat Epiſcopus, exortus momentum in ſtellis inſpexit: quæ tunc monuit, Cardinali ceſſere feliciter, ideo cùm ad expeditionem Perpinianæam profecturus eſſet, inconſulto Aſtrologo noſtro noluit proficiſci; mandavit ergo *Chavignio* ut ab eo reſponſum exprimeret; ter propterea *Chavignius* apud ipſum inſtitit; neſcitur reſponſio: dicam tamen quid ipſi ſub hoc tempus acciderit. Totâ aulâ Pariſiis exeunte & capeſſente jam iter, conveni hominem; reperi domi ſpeculæ ſuæ incumbentem feneſtris, abeuntium currus & omne viatorium inſtrumentum conſpicilli tubulo proſpectantem, dum per acclive Villæ Judaicæ conſcenderent; roganti quid ageret, vale, inquit, Cardinali facio, eâ horæ infelicitate diſcedenti, ut eum me viſurum ampliùs haud ſperem; quem exitum hæc ſortita ſit expeditio cunctis eſt notum, & quam malè in ea Cardinalis morbo affectus fuerit; reverſus eſt tamen Lutetiam, ipſoq; per Sequanam in cymba hoſpitali tranſmeante, nonnullis, quibuſcum eram, *Morini* vetus prædictum jocoſè ſugillantibus, metæ proximus eſt, ajebat, ipſiuſque imminentem obitum tam definitè circumſcripſit, ut vaticinantē ſolis decē horis Cardinalis moriens antevenerit.

LXXV. *Morini modeſtiſſimi mores.*

Hæc poſt oracula, tam ſtata, tamque inſignia Noſter Aſtrologus, ab his qui viventem haud cognovere, eo tumore crederetur forſitan fuiſſe diſtentus, ut acceſſus ad eum niſi per immenſam pecuniæ ſummam, tanquam per imbres aureos non pateret; errant illi ac vehementer errant; modeſtior ipſo vixit nemo, cum enim nullâ lucri cupiditate inflammatus eſſet, Aſtrologiæ ſuæ nomine innoteſcere non curabat; ſi verò quibus operam navavit, aut amici quibuſcum egit familiariùs, præclara hæc ab eo profecta non evulgaſſent, ab omnibus ignoraretur.

Non abnuo reperiri quoſdam aſperitate cenſoria ſemper truces, cuncta hæc in dubium revocaturos, quanquam teſtibus extra controverſiam poſitis, nec exiguo numero confirmata ſint.

LXXVI. *Mariæ Medicæ Morinus non fecit Horoſcopum.*

Cur amabo, ſiderum ille adeò peritus, & per ea rerum futurarum acerrimus indagator, Dominam ſuam *Mariam Medicæam* meritam de ipſo quàm optimè, nullâ opitulatione ab ſtellis obtentâ juvit? ſic ajunt æmuli; Nonne ſæpius, exaggerant iidem, de ſuis faticanis Aſtrologis conqueſta eſt, ſe tanquam à præſtigiatoribus deceptam in tot calamitatum in-

cidiſse voragines, unde emergere nequiverit? enimvero quidnam iſti caperatâ fronte Cenſores dicturi ſunt ubi audierint Reginæ hujus Nativitatem nunquam à *Morino* exploratam fuiſſe? cùm tamen paucis ante diebus quàm ad exteros ſe fugâ reciperet, id ipſum fieri juſſerit, Aſtrologo autem *Morino* non admonito, re infecta diſceſſit.

LXXVII. *Antichriſtus apud Morinum natus excuſatur.*

Alterum eſt quod improperant, natum credidit *Morinus* Antichriſtum, quam in ſententiam libelli prodiere, verùm hos authores mimos ac ſcurras potiùs, quàm doctos & eruditos cenſeas, ſi nullo ſubnixus fundamine id exiſtimavit, hos in ipſum dicta dixiſſe non mirer; etenim eventilandum iſtud eſt, neque enim de Aſtrologicis agitur. Cardinalis *Cuſani* Scriptoris minimè contemnendi *Conjecturam de ultimis temporibus* legerat, quo libro ad annum 1675 totius orbis terminus ac interitus ex literis aſtruitur inſpiratis. Idem ſcripſit Anglus *Alabaſter in tubarum ſpiraculis*, libro edito author, inquam, orientis idiomata, & Scripturas & Cabalam mirificè callens, Complurium exorciſmorum qui habentur excuſi volutarat *Morinus* hiſtorias, in quibus paſſim Energumeni ex variis Regionibus natam eſſe beſtiam proclamarunt, quod creditu facile nequitia temporis noſtri præſtat & ſuadet, quamvis in his incertiſſimis rebus, quid tandem eventurum ſit mortalium nemo affirmare valeat.

LXXVIII. *Et Gaſſendi morbus ab eo præconjectus.*

Tertium quod objectum eſt, certo *Gaſſendum* tempore obiturum veſter Aſtrologus falsò prænuntiavit. Id certè Aſtrologicum eſt, & in ſcriptis modò memoratis haud murmuris perparum excitavit; at quid *Morinus* hic dixit, imò & excuſum ſparſit? *Gaſſendum* niſi valetudinem ſuam curaret diligentiùs, fore in vitæ diſcrimine anno 1650, & ad exitum Julii, ſive ad initium Auguſti periculum illud futurum evidentiùs. Eſtne obitum præmonere certò, ſic loqui, (licet is ſtolidus indoctorum ſenſus ſit) cùm tantummodo ſignificetur diſcrimen? *Nam poteſt qui ſciens eſt, multos ſtellarum effectus avertere.* Inquit Ptolemæus, quinto Centiloquii Aphoriſmo, Nec *Gaſſendus* vaticinium ſprevit; contendit enim ſapienter ad patriam, ut naturalis auræ beneficio labantem valetudinem tueretur.

LXXIX. *Et carcer Chavignii.*

Ultimum quod inſimulant, *Chavignii* carcer eſt, quæ ſolum fuit erroris interceptio, cùm enim in annua ipſius revolutione ex aſtris & morbum & carcerem colligeret, & ad carcerem prædicendum proclivior fuiſſet Aſtrologus, ægritudine tamen rem decîdit. Namque & ipſe *Chavignius*, hujus forte qui carceris eſſet, metus diſſimulator, aut tale nihil ſibi metuens (ſe quippe apud aulam gratioſiſſimum eſſe confidebat) carcerem ſibi fruſtra intentari dixerat; vates itaque noſter arti ſuæ non ſatis credulus hac vice hallucinatus eſt.

LXXX. *Prædicta non ſemper effecta.*

Neque profecto prædictiones ejus irritas nunquam fuiſſe affirmaverim, ubi conſtat eum plurimas effudiſſe; nullóne tamen in numero poſueris, quæ ab ipſo in ſignis ſidereis lecta fuerant, tam definitè pronuntiaſſe, etiamſi à nobis immenſo quodam ſejuncta ſint intervallo? Ducendum eſt maximi in doctrina tantopere abſtruſa ipſum haud aberraſſe à

LXXXI. *Suecorum reginæ de Morino teſtimonium.*

ſcopo ſæpius, & hæc acu puncta tetigiſſe, in quo, id omnibus ætate noſtra profeſſis planè antecelluit; quis enim *Chriſtinæ* magnæ hujus Suecorum Reginæ teſtimonio lubens non faveat? quâ primùm vice Lutetiam venit, *Morinum* ad videndum eum accerſiri juſſit, quem in Aſtrologicis omnium perſpicaciſſimum palam & clarè teſtata eſt.

LXXXII. *Quæ Morinus ſenſerit de Aſtrologicis prædictionibus.*

Quæ cùm ita ſe habeant, nunquidnam tanto Aſtrologo breviter diſſertaturo audientiæ momentum denegaturi ſumus? quid de ſcientia è Cœlo petita judicaret ipſe, intelligemus dilucidè, & quàm ab aliorum opinione diſcrepet & quatenus Aſtrologis credendum ſit agnoſcemus, quânam etiam ratione pulcherrima diſciplina utendum ſit, liquidò videbitur, cujus ſola prædicta damnantur à pluribus, cùm tamen ejus principio, ſicut & artium cæterarum, ab ipſomet Naturæ ſinu ducantur. In chartacea ejus ſupellectile manu propria ſcripta diſſertatiunculam *de veritate prædictionum Aſtrologicarum* reperimus vernaculè conſcriptam; in ea, qua ſunt dignæ fide, diſputando inquirit; audite, amabo; prolixitate minime fatigabit.

Circa doctrinam ſiderum erratur tripliciter, quidam omnino non credunt ductis ab eorum motu prædictionibus, quidam parum, quidam nimium.

LXXXIII. *Agere ſtellas oſtenditur.*

Primi illi qui fidem omnem his abrogant, neque Hiſtoriographos evoluêre, neque Philoſophia imbuti ſunt, alioquin ipſi faterentur ſublunarium effectuum cauſas eſſe generales ſidera, quæ naturæ ordine, atque vi inſitâ penitus ſunt diverſæ; quod etiam ab ingeniis hebetioribus ac prope plumbeis in Sole obſervatur, ac Luna; at ſidera generales cauſæ dici nequeunt, niſi in particulares cauſas influxum immiſerint, neque natura differentes, niſi varios effectus produxerint. Is etiam eorum inſtitutus eſt ordo, ut certo tempore ac loco in re quapiam

aliquid

aliquid efficiant, quod quidem non poſſint aliàs, neque enim æſtatis vice brumam poteſt ſol inducere, quibus admiſſis ab aſtris prænuntiari eventura quid vetat? maximè ſi qualiter diſpoſita ſublunaria fuerint accuratiùs expendatur ab Aſtrologo, & idem cœleſtium orbium vim ac naturam diligentiſſimè ſcrutatus fuerit, motuumque ſucceſſiones ac converſiones in primis cognoverit.

LXXXIV. *Ab aſtris futura prædici poſſe.*

In hiſtoria quoque peregrini ſunt omnino tales increduli quæ prædictionibus Aſtrologicis abundat ſuum poſtea ad exitum adductis, id enim exemplis propemodum innumeris confici evidenter poteſt. Cacodæmon, inquiunt, ipſe vaticinans Aſtrologo ſuo, quicum habet conſortium, eas prædictiones ſuggerit, aut ipſemet efficit, & componit. Quam facile repudiantur ſic ab eis quærendo; Nunquid ex aſtris Hæretico prædici poteſt futurum ipſum Catholicum? aut Catholico in ſtatum Religionis ingreſſurum fore? hæc ſcilicet ſuggerit Cacodæmon? ſuggeſſit præcognitum, ajunt; Cacodæmon ergo veritatem præcogniti, nonniſi Deo revelante cognovit; O dictum impium, & ab ore Orthodoxi penitus amovendum! Deus ergo malum Genium mortalibus illuſurum adjuvat; id novere, dicent, ſcientia naturali; at cauſarum particularium futura particularia contineri non poſſunt, niſi in ipſis generalibus cauſis, ſphæris nempe cæleſtibus, & hac unicâ viâ, tanquam ſcientiæ naturalis præſidio, ventura certo Dæmones proſpexere.

LXXXV. *Dæmones non prædicunt.*

Genus aliud prædicentibus Aſtrologis minùs æquo credulitatis adhibet, ſive ob conſcientiæ ſcrupulos, ſive ob Phyſices ignorantiam, vim tamen influxumque ſiderum in elementa, metalla, plantas, imò & animalia velut ab univerſalibus cauſis admittere non abnuunt. Senſu enim oculorum id facile percipitur; verùm quod ipſos percellit moleſtius, Infuſus ſidereos humani arbitrii actibus, moderari nolunt, cùm animus ab naturalibus cauſis abſolutus ſit, ut independens exiſtat; imo verò cur non & idem de corporis temperamento aſtruunt quod ex humorum mixtura componitur? morum enim quaſi Tyrannum agnoſcunt illud Authores celeberrimi duo, Ariſtoteles in Phyſiognomia, *& Galenus* in arte parva. *Ex ejus quippe in Voluntatis opera dominio futura poſſe præviderі docent, etſi jure ſuo ſit ipſa Domina atque inſtrumenta corporis Deſpotico ejus imperio ſubjecta ſint, quibus affixa eſt; ſunt ei tamen ad æquipondium, quin & frequentiùs eandem ſuas ad partes inclinant. Utrum autem aut aſtris aut temperamento ſubdere hominem cenſetur abſurdius? temperamento, inquam, quod ab ipſa infuſione aſtrorum inſtruitur, à quo neque corpus, neque temperamentum aſſerere animus unquam poteſt. Eſtne deinde in animi poteſtate ut hauſto largiùs generoſo mero, præſtet tamen, ne illud,* in quo *ex Apoſtoli dicto* Luxuria eſt, *ad libidinem non ſit incentivum, nec eum inflammet, cujus ad venerem natura ſit pronior? obſtabitne Dominus ille Animus ne liquor idem in iracundis bilem excitet, & mutet in leones? ne ſolvat in hilaritatem eos qui velut ſimii geſticulationibus ac mille nugis addicti ſunt? hæc autem cum ſine nulla religione ac ſcrupulo vino tribuantur, cur & ſiderum virtuti minimè tribui poſſunt? quòd enim influxus in corpora directi ſunt, eſt nobis in propatulo. Inferiora enim, quæ à ſuperioribus defuſa ſunt, ſuſcipiunt; hæc autem ex obliquo etiam in animum defluunt, ipſe quippe cùm altioris ſit ordinis nihil à ſideribus pati poteſt.*

LXXXVI. *A temperamento corporis agere ſtellas evincitur.*

Ad Epheſ. 5.

Qui ultra modum prædictis ſunt creduli, omnium illi ſunt imperitiſſimi, atque ſtultiſſimi. Deum exiſtere aut negant aut credunt; ſi negant, Fato duce ac neceſſario Naturæ curſu, regi omnia fateantur neceſſe eſt, neque ullam viam inveniri poſſe aut ad dexteram aut ad lævam qua quiſpiam te ab ipſis expediat: Si verò divinitatem admiſerint, quam fatuè nihil ab ea in legibus à ſe conſtitutis mutari poſſe ſibi perſuaſerint! nam quid morer Atheos? ordinem ipſi hac in rerum univerſitate ab omnibus ſpectabilem eſſe concedunt; ubicumque autem ordo eſt, ſit oportet in eodem ordine primum ejus principium, ultra quod aliud fingi nequeat. Principium autem iſtud ſi primum eſt, conſequenter, quod attinet ad ejus naturam, ab omnibus in eodem ordine ſub eo poſitis eſt independens ac penitus abſolutum, unde manifeſtiſſima elucet illatio, principium illud ſuam à ſemetipſo obtinere naturam, ac proinde ab æterno extitiſſe, alioquin antequam eſſet, ſibimet ipſi, ut exiſteret contuliſſet, quod eſt pugnantia loqui; eſſe porro primum principium à nullo eſt, quoad naturam, pendere, & infinita potentia atque æternitate pollere, quæ germanæ Dei ſunt dotes, ex quibus contra ipſos Atheos hoc in rerum orbe Deum exiſtere evinco.

LXXXVII. *Deus eſt ſtellis potentior.*

Deo verò, quem exiſtere confitentur, manus aſſignare ſic vinctas ut in ordine à ſe inſtituto nil mutare prorſus valeat, quantum audaciæ atque impietatis ea præfert inſcientia! nonne ipſe eſt qui rapidiſſimum Solis curſum in Ioſuë pugnantis gratiam inhibuit, & fixit? qui pro Ezechia retrogradum ire juſſit ad certum horarum ſpatium? & cùm crucem à Iudæis patere-

LXXXVIII *Deus pro arbitrio naturæ potens.*

teretur, Solem ipſum radiis omnibus ſpoliavit? Summus itaque rerum omnium moderator ac Princeps pro arbitrii ſui libertate in Naturæ theatro cuncta molitur, & ſolita fieri pervertit, & patrat contraria naturæ non ſervato tenore; imò etiam, ſi placuit violato, Deus enim alioquin non eſſet.

LXXXIX. *Voluntas hominis non eſt aſtris ſubdita.*

Adde quod hæc Aſtrorum mancipia voluntatis noſtræ liberæ poteſtatem ad utrumlibet infringunt, & temporalis ordinis ſervam eſſe cogunt, cùm ipſa ſit in ſpirituum ordine; quid autem experimentis conſtantius, quam temperamento corporis, ſeu pravum, ſeu laudabile fuerit, poſſe obſiſtere voluntatem? neque quidpiam boni à nobis aut mali ſuſcipi, quin priuſquam fiat, in noſtra ſit opinone, aut agere illud, aut etiam omittere? eodem certè modo influſibus ſiderum obluctari poſſumus, imò & faciliùs, quàm ipſi temperamento, quod inclinationum noſtrarum pondus eſt quam proximum; noſtram verò voluntatem adigi in unius Dei poteſtate ſitum eſt; quibus ex omnibus liquet, Alboazeni Hali *& quorumdam Arabum Aſtrologiam eſſe mendaciſſimam;*

XC. *Arabum errores.*

hi naturæ noſtræ limites prætergreſſi docent quânam ratione ad propoſita quælibet ariolando quis reſpondeat. & inveniat ignotorum etiam nomina, & in occultas uſque cogitationes penetret; qui ab Religionis eorum falſitate tanquam ab impuriſſimo fonte nequiſſimus rivulus emanavit.

Hac ergo concluſione res terminetur, ut in Aſtrologiæ prognoſticis veritas ineſſe credatur ſano modo intelligenda, ejuſmodi enim ſcientia Solis nititur conjecturis, ut & medicina, quas neceſſaria non afficit certitudo, Deus enim ad arbitrium tam bonos quam malos effectus potis eſt avertere, quod ipſum ejuſdem dono poteſt quoque vir ſapiens, de quo tritum eſt illud,

Sapiens dominabitur aſtris.

Eſt quoque apud Ptolemæum in Centilioquio hic ex Aphoriſmis. Sapiens anima confert cæleſti operationi, quemadmodum optimus agricola arando expugnandoque confert naturæ.

XCI. *Aſtrologia Principibus utiliſſima.*

Id experientia quotidiana comprobatur quibuſlibet in hominibus, Principibus maximè ac Regibus, quibus in adminiſtratione regnorum divina hæc ſcientia in primis conducit; atque id quidem niſi ſe ſic habeat, quid juvarent ſidera, præterquam vel in deſperationis adigere barathrum, vel ad arrogantiæ inania tollere? præviſis malis quid aliud quam animorum conſternatio ſequeretur? præviſis bonis quid oriretur aliud quàm ſuperbia & intolerabilis tumor? & utroque modo foveretur inertia.

XCII. *De Fato ſecundo.*

Alia quoque plura ſunt quibus prædictorum veritas velut arietibus appetitur, etſi ex Doctrinæ præceptis diligenter exacta ſint, carcer nimirum, exilium, ægritudo, religionis ſtatus, cæteraque à Cardano commemorata: fingamus enim ex directione ac revolutione pugnas cuipiam victoriaſque portendi; ipſe interea corripiatur paralyſi ſeu diſſolutione nervorum, tunc neque pugnaturus eſt, ac de conſequenti nullam victoriam relaturus; id à Ptolemæo Secundum fatum *apellatur, quod ipſum, cujus eſt, debito affectum modo ſupponit, ac bellè diſpoſitum; quod certè non minus, ac ſidera conſiderari debet, ne aliqua fiat in vaticiniis deceptio: unde in his nullum aliud eſt præſentius periculum, quàm Aſtrologo fidere imperito, blandienti atque infideli.*

Si quotquot iſti ſcientiæ addixere ſeipſos ad ejus penetrale ſcrutandum paria *Morino* ſcripſiſſent, longè aliter de ipſis meliùs ſentiretur: tantum abeſt ut uſum ejus quiſpiam prohiberet, quin potius à ſapientibus viris neceſſarius atque utilis haberetur, atque ut *Morinum* ipſum non ore tenus aut calamo ſuos expreſſiſſe ſenſus omnibus innoteſcat, nunquam triſtior viſus eſt, quàm ſuis prædictis irritis, nunquam lætior quam effectis, quod plurimis atteſtari liceat, his in ipſo ſcilicet obſervatis.

XCIII: *Morinus quid minarentur ſidera, tantum aperiebat.*

Alias in ejus Muſæo cùm eſſem, adveniſſe memini quendam è proceribus, ſibi eventura prædiceret, enixius deprecantem, ideoque copioſæ pecuniæ munus offerentem; recuſavit accipere, aliis ſe ſtudiis aſſerens implicatum, adjecitque reperiri poſſe mortalium neminem à quo ipſi fieret eo nomine ſatis, unum in ſideribus cerni quid intentarent, aut ad quæ ipſe propendêret, uni verò Deo certam vaticinandi rationem debere ſervari, nulli autem viventium ullo unquam modo, niſi falſo aſſignari poſſe; quòd ſi quempiam ex Aſtrologis id ei pollicentem inveniret, eum aut inſcientem indubiè teneret, aut callidum pecuniarum emunctorem.

Pro ſemetipſo ſtellas conſulebat.

Qui cælum pro aliis ſæpius conſuleret, pro ſe ipſo etiam conſulebat; & norat revera,

Quid ſidus triſtè minetur
Saturni, quo læta Venus ſe proferat aſtro.

Ut ſibi comminantem conſtellationum aliquam, ac periculum creantem certo tempore depre-

deprehenderat, religioſiſſimè ſemper obſervavit, ut primũ quidem ſacra exomologeſi conſcientiam ſanctiùs expiaret, deinde potione medica utebatur, ac denique in cubiculo illa die ſe continebat, quo more ut Chriſtianus, & ut Medicus agebat; atque ita ſæpius malum, quod minabantur aſtra, cautiſſimus evitavit.

Ne *Morinum* mirere in doctrinæ hujus abditiora ſe ipſum altiſſime penetraſſe, ad omnes quippe futurorum inveſtigatrices ſcientias ab ipſa natura videbatur effictus, quod ex propriis ejus eventis probè conſtat, quorum hæc exempla ſunt.

Anno 1633 Tronſoni rus adiverat, ſecundâ Novembris Lutetiam reverſurus; illic cùm XCV. *Ex unguibus præconjectebat.*
degeret in Indicis digiti exteriori radice animadvertit maculam mirificè collucentem, quam & cunctis oſtendit; ipſe verò præſagium interpretari ſolebat boni cujuſpiam affuturi ſibi, ut aliàs, nec raro expertus fuerat; neque etiam ei hac vice eventus impoſuit; nam loci dominus pretii non levis adamantem ex deſtinato pridem ipſi tunc dono dedit. *Morinus* honeſtè obluctatus admiſit, veritus ne tam clari muneris oſtentatione munus aliud tanquam hoſpitale ac mutuum ab eo repoſceretur.

Simili quoque Phenomeno ducentos illos aureos, quos in penſionem annuam ei numerari juſſit Polemarchus Franciæ *Deffiatus*, ſignificatos præſenſit, biennio antequam hoc beneficio frueretur, anguli ſpeciem habuit nævus ille eximiè ſplendidus in Jovis dextro monte, octiduum integrum in ejus ungue ſic fulſit. Anno 1635 in extrema digiti medii radice micans orbiculus increvit, muneris alicujus à ſe obtinendi certum ut præſagiebat augurium; poſt contigit ut ob librum in Atheos excuſum ſumma inſignis Patrum infulatorum decreto ei tribueretur.

Sanclaro mortuo idem ipſi contigit, cujus in locum poſtea ſuffectus eſt. Alia ſunt hujuſmodi complurima quibus ſignis danda ſibi commoda ſine ulla fraude ac errore præcognoſcebat, nonnunquam etiam & ruitura in ſe infortunia.

Quo tempore frater ipſius ortu prior mortem abiit in ejus dextera è regione montis Jovis viſus eſt inſcriptus centro circulus. Poſtquam in Navarræo facultatem docendi regio diplomate impetravit in eodem Jovis monte lunula præfulgens apparuit, quam poſt dies decem multæ interſeruere lineæ directæ & tranſverſæ, quæ ob Regis diſceſſum obtentis ab eo literis difficilem exitum innuebant.

Crederes & per ſomnium eundem feliciter divinaſſe? quo die bina librarum millia ex
opimo ſacerdotio detracta ſibi quotannis ſolvenda Regis beneficio conſecutus fuit, nocte XCVI. *Ex ſomnüs divinabat.*
quæ præceſſerat, Abbatum *S. Ebrulti* horas canonicas porrigentem vidit in ſomnis, libróſque ab eodem tradi permultos, quales in templis ad chori concentum aſſervari ſolent.

Audito poſtrâ die *Sanclari* obitu pridiana nocte ad quartam matutinam ſopore perfuſus tendebat per ſomnum in locum mucronibus ferreis undequaque concluſum; quærenti aditum oblatus eſt ſecundùm lacum trames anguſtior cujus in fine apertis poſtibus eſſet janua, quos vir Deo ſacratus reduxerat (Patrem *Condrenum* credidit) oblongam porticum introſpicit tabulis ornatiſſimam, quas inter *Cardinalis à Berullo* effigiem adnotat, cujus gratia, Patre *Condreno* interventore, optatum negotii ſui terminum multo licet cum labore adeptus eſt.

Anno 1633. beatiore ſomnio nummos ſibi dandos prævidit. Præſtationem regiam Cardinali *Richeliæo*, ut ratam haberet, obtulerat, ſed ab eo repulſam multa cum acerbitate paſſus eſt; ſex diebus deinde lapſis numiſmata ſibi aurea dormiens à Cardinali dari vidit; experrectus quos primum accepit nuntios hi fuere; veniret ad Regalis Montis Abbatiam, ibique Cardinalem conveniret; ut venit illuc, tota pecuniæ ſumma ipſi exſoluta eſt.

Hic quidem mortalium de ſomniis ſenſus eſſe longè diſpares me non fugit; velim tamen XCVII.
obiter animadvertas *Morinum* ea peritiæ ſufficientia fuiſſe ut redditis rerum corporearum *Pro ſomniis defenſio.*
per ſomnos imaginibus fidem ſuam ſtabiliri nollet, nec in ſacris codicibus adeò fuiſſe hoſpitem, ut quid in obſervatores ſomniorum fulminent, ignoraret; cum fides adhibita 2. Paralipom. 33.
ſomniis, ut ipſi memorant, in Manaſſis caput iracundiæ divinæ incendium excitarit, eſto, ejuſmodi ſuperſtitio damnanda ſit, verum in aliis ſacrorum codicum locis (quos citatos habes ad marginem) multorum ſomnia comprobantur, ut Joſephi, Judæ, Da- Eccl. 34
nielis, Nabuchodonoſoris &c. & stricto jure pro mea cauſa ſic agunt ut auxiliarem Eccl. 5.
mihi *Cardanum* arceſſerem fruſtra, qui quidem in vitæ ſuæ hiſtoria de ſemetipſo narrat do- Gen. 37.
lenti ſibi de filii cæde ſubiiſſe in ſomnis arctioribus, ut ſmaragdum ad levandum mærorem 2 Mach. 15
ore contineret; nec ſomniis Xenophontæis opus eſt, quorum in Cyrii junioris expeditione ſcriptor ipſe meminit, Platonem quoque, Porphyrium, Diodorum Siculum, ac cætero-

rum teſtium nubem omittam, ut eorum authoritate, quæ ſenſere de ſomniis Ariſtoteles,
Epicurus, Xenophanes, ac Cicero, tanquam momentis additis eleventur.

XCVIII. *Chiromantia Morino in pretio.*
Ad Chiromantiam, Phyſiognomiamque venio; plurimum ſanè Aſtrologiæ ſuæ *Mo-
rinus* tribuebat, ſe tamen ajebat ipſius regulis ac judiciis aſſenſurum minùs quàm harum
ſcientiarum prognoſticis, modò à peritis provenerint; & accepi ab ipſo nonnulla ex inſpe-
ctione ſui vultus, ac manuum à quibuſdam ſcientiſſimis fuiſſe ſibi dicta, ſibimet ipſi uni
ſolummodo congruentia; quod autem hac in re mihi quoque ſtupendum fuit, veriſſi-
mum illud eſt de ipſius obitu exactum tempus, atque à vaticinante quadam reſponſo non
irrito circumſcriptum. Hoc prætermiſiſſe abſonum foret cum ejus vitæ à nobis deſcrip-
tæ fuerit exitus.

XCIX. *Conſulit vaticinantem ex arte Chiromantiæ mulierem.*
Audierat multa jactari ab uno familiarium de quadam Chiromantica Vate, quam Lu-
tetiâ totâ celeberrimam ex manuum lineis oracula reddiderant; videndæ hujus vaticinæ
cupido eum inceſſit, atque de ſcientia quondam ſibi chara ſermones cum ea conſerere.
Ut verò eam noris non præcipitem fuiſſe cupidinem, mulierem illam non niſi poſt ſeſqui-
annum conſuluit. Anno itaque 1656. cùm illo familiari jam dicto inſignem virum di-
gnitate atque animi dotibus, nec non quibus fungitur, magiſtratibus ornatiſſimum, in-
viſerat; agitur inter illos de muliere fatidica, & quarto addito ad ipſam ſimul adeunt, non
tam futuri ſciendi quàm ipſius excutiendæ ſcientiæ inducti deſiderio. *Morinus* qui Ele-
ctionis cujuſdam Præſidem ſimulabat, manu præbitâ quærit utrum ſuo ſit reddendus mu-
C. *Prædicitur ei obitus imminens.* neri à quo fuerat abdicatus; perſpectis lineis, Vitalis jam ſciſſa eſt, inquit vates, rebus tuis
conſule, nil aliud eſt quod tibi de futuro præcinam; urgeris tempore. *Morinus*, qui ad ea
minimè moveretur; familiarem appellans, recordare, ait, dicti à me tibi jam dudum; an-
nus hic fluens mihi permoleſtus eſt, & menſe hoc exeunte ab aſtris terreor vehementer,
fugamque ab hoc diſcrimine vix mihi polliceri audeo; audit inſuper à Sybilla de variis
quæ ſibi contigiſſent iſtud de futuris iterum, nil quod ultra fari poſſit quàm quod ei jam
ipſa reſponderat, occurere ſibi aſſerit; ut abiere hi conſultores, quid altiore ſcientia opus
CI. *Paulo poſt in morbum incidit.* eſt, dictitabant, ut ſenex de futura vitæ ſuæ brevitate commoneatur? quantus verò ſtupor
eos invaſit ubi novem poſt dies ipſum febre audivere correptum, ejuſque vehementia in
ſtratis jacere defixum, *accitoſque medicos* deterius de tali morbo ſentire, cujus ea vis fuit ut
ſextâ die ſit elatus ad tumulum, cum autem defectis jam eſſet viribus, & irritis uti ſe me-
CII. *Stellas ſibi obitum minantes præſenſerat.* dicamentis videret, ſuimet ipſius judex mortem imminere nil dubitavit à ſideribus ſibi de-
nuntiatam, quod amicos pridem non celaverat, *Noyerium* maximè delectiſſimum ſibi
atque arcanorum conſcium, illum inquam Reginæ Poloniæ à mandatorum ſecretis.

Tunc moras præcidens de ratione totius vitæ jamjam Deo reddenda ſeriò cogitavit, ut-
que huic uni vacaret negotio ab omnibus aliis ſeipſum ſtuduit expedire. Orditur ab opi-
bus laborè ſuo atque induſtria partis, ut excuſſo illo pondere menti nimium importuno
levius atque alacriùs ſe ad ſuperos erigeret.

CIII. *Condit teſtamentum.*
Summam pecuniæ non aſpernandam, ut pro ſe poſt obitum offerantur precum ſuffra-
gia, templo legat, domeſticis atque egenis partes ſuas aſſignat. Neptis ſuæ liberos pluri-
bus relictis eſt proſecutus, eſt etiam largitus aliquid duabus neptibus quas impenſis pro-
priis clauſtro conſecraverat; Nepoti ſuo centum aureos tantummodo deſtinavit, quod ri-
gori cave referas, eum enim dubitabat in vivis eſſe, reique familiaris œconomum eſſe no-
rat improbum & imperitum, quanquam & ingenio, quod lege non aſtringitur, in eum
haud erat belle affectus; de libris ac de ſcriptis ſiluit, quæ cuncta *Tronſono* intimo & teſta-
mentariæ procurationi præpoſito jam donaverat.

His tanquillo animo conſtitutis, quòd vitæ ſupererat, divinæ omnino providentiæ com-
miſit; egit cum eo ſæpius qui ipſi de more conſcientiam expurganti aurem dabat; is erat
vir pietate clarus & Patrum Doctrinæ Chriſtianæ Superior. *Lauberium* ſacerdotem reli-
gione commendatiſſimum ſemper ad cervical habuit; accivit quoque Parochiæ Vica-
CIV. *Piiſſimè moritur.* rium à quo abſolutus eſt, & Viatico ſacro munitus, & oleo infirmorum inunctus; poſtmo-
dum inter ejuſdem manus animam exhalavit pluſquam ſeptuagenarius die Lunæ, ſexto
Novembris, horâ poſt noctem mediam ſecundâ, ejuſdem anni 1656: ſui autem adeò com-
pos erat, animoque tam ſedato, ut morientem mirarere; eo verò in Deum affectu, ut qui
vivum haud noſſet, in Medico, ac nominis tanti Aſtrologo tantam ineſſe probitatem vix
caperet.

CV. *Ipſius vitæ probitas.*
Ipſum quidem eo profectu in ſanctorum ſcientia progreſſum eſſe nemo demire-
tur, qui Ducem ejus plures annos ac Præceptorem in ea cognoverit; Pater *Condrenus*
hic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

hic fuit Doctor Sorbonicus, ac Oratorii Superior Generalis, quem pietas eximia & cæleſtis illuſtratio inter ſpiritales viros effecere nominatiſſimum; cum multis etiam è variis Religionum ſtatibus amicitiam coivit, ac ſanctè coluit, pios libros pervolutabat aſſiduè, *Ruſbrochium* ante omnes quem ſuas eſſe delicias prædicabat.

Singulis menſibus ſaltem ſemel ad ſacrum tribunal noxas depoſiturus, deinde ad auguſtiſſimam Synaxim accedebat; mirum, quòd ab his lucis fontibus hauſerit radios mentis illuminatæ: libet unum ex his proferre luce publica dignum in teſtamentario ejus codice inter cæteros emicantem.

Præſenſerat Epitaphii ſui decus non prætermittendum fore ab conſanguineis aut amicis, quibus ultimas tabulas demandaſſet, neque enim tam benignum patruum, aut illuſtrem amicum neglecturos arbitrabatur: Timuit ne ſi penitùs id prohiberet, aut gratitudine aut ſtudio amicitiæ obſtantibus neutiquam fore aſſenſuros; ne tamen liberiore amore ultra modeſtiæ ſibi inſitæ lineas proſilirent, his verbis poſſe ſatis ſe facere ambobus credidit.

Si de apponendo mihi epitaphio cogitetur, honorem meum ac laudem illud non attingat, edico; in eo unicis Dei meritis aſcribatur gloria, ſitque unde proximus utiliter inſtruatur: his ſit expreſſum verbis percupio.

Hic jacet cadaver JOANNIS BAPTISTAE MORINI, Francopolitani, Doctoris Medici, & Pariſiis Mathematum Profeſſoris regii, Chare viator, gnare communionis ſanctorum, ora pro fidelibus defunctis in purgatorio detentis, donec ab omni cicatrice ac labe peccati liberentur; felix nondum eris cùm ad illorum lugubrem ſimulque beatam ſortem deveneris.

His ad unguem obſecutus eſt teſtamenti exequendi Curator, ut cuivis patet; in Divi *Stephani à Monte*, quæ fuit Lutetiæ ipſius Parochia, prope limen Hierophilaci, Epitaphium iſtud legi poteſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

SECTIONUM
INDEX.

I. *Vitæ deſcriptio ad memoriam.*
II. *Vitarum ſcriptores.*
III. *Morini natalia.*
IV. *Parentes ejus.*
V. *Pater ejuſdem.*
VI. *Morinus extra patriam.*
VII. *Juvenis Philoſophiam docet.*
VIII. *Vairio primo apud Aquenſes Præſidi charus.*
IX. *Doctor Medicinæ creatus Avenione.*
X. *Lutetiæ apud Bonienſem Epiſcopum degit.*
XI. *Mittitur ab eo ad inviſendas auri fodinas.*
XII. *Ejus peregrinatio.*
XIII. *Paracelſi experimenta.*
XIV. *Vaſſavii fodina.*
XV. *Fodina Cremnitſia.*
XVI. *In terra ut in aere regio triplex.*
XVII. *Peregrinationem Morinus ſuam ipſe deſcripſit.*
XVIII. *Feliciter ad cymbam enatat.*
XIX. *Ex Sagæ præſtigiis mirifico modo evadit.*
XX. *Duo ejus comites malè multati.*
XXI. *Ejus reverſio.*
XXII. *Profeſſionum permutatio.*
XXIII. *Prima Morini prædictio.*
XXIV. *Prædictionis effectus.*
XXV. *Morinus Ducis Luxenburgenſis medicus.*
XXVI. *Iuris ſui deinceps eſſe vult.*
XXVII. *Deffiato abnuit inſervire.*
XXVIII. *Ejus moderatio atque opum contemptio.*
XXIX. *Minimè ſordidus.*
XXX. *Ex partis rebus in ſuos liberalis.*
XXXI. *Sanclaro ſuccedit Regio Mathematum Profeſſor.*
XXXII. *Conjugis propoſitum caſu mirando ipſi diſcutitur.*
XXIII. *Magnates quorum favorem expertus eſt.*
XXXIV. *Viri docti apud quos in pretio fuit.*
XXXV. *Morini & Gaſſendi contentio.*
XXXVI. *Morinus quàm dictiſſimus.*
XXXVII. *Excuſorum ipſius operum index.*
XXXVIII. *Morinus Antivillonianus.*
XXXIX. *Idem alchimiſta ſciens & peritus.*
XL. *Atheorum idem hoſtis.*
XLI. *Ejus calumniatores.*
XLII. *Balduini cujuſdam improbitas.*
XLIII. *Notæ Aſtrologicæ Morini.*
XLIV. *Cætera ejus opera præter Aſtrologica.*
XLV. *In Præadamitas.*
XLVI. *In motum telluris:*
XLVII. *Scribendi conſtantia.*
XLVIII. *Renovata cum Gaſſendo concordia.*
XLIX. *Rurſus interrupta.*
L. *Longitudines à Morino inventæ.*
LI. *Ab eodem demonſtratæ.*
LII. *Earum ergo ejuſdem vexatio.*
LIII. *Earumdem approbatio.*
LIV. *Præmium à Rege.*
LV. *Aſtrologia Gallica commendatur.*
LVI. *Opus poſthumum.*
LVII. *Opera Morini non edita.*
LVIII. *In Aſtrologicis Morinus præcellentiſſimus.*
LIX. *Etiam ſupra veteres.*
LX. *Ab effectis vaticiniis argumentum.*
LXI. *Regis ægroti prædicta ſanitas.*
LXII. *Ejuſdem caſus inopinatus.*
LXIII. *Ejuſdem obitus ex morbo.*
LXIV. *Leſdiguerii mors prædicta.*
LXV. *Item Suecornm Regis.*
LXVI. *Sueciæ Regis deſcriptus enſis:*
LXVII. *Conjugii prædictio.*
LXVIII. *Aſtrologorum veraciores.*
LXIX. *Lapſus prænuntiatus.*
LXX. *Status vitæ prædictus.*
LXXI. *Puelli prævíſus obitus.*
LXXII. *Conjugia principum prænuntiata.*
LXXIII. *Mortes procerum præſignificatæ ſeu naturales ſeu violentæ.*
LXXIV. *Richeliæi Cardinalis obitus prædictus.*
LXXV. *Morini modeſtiſſimi mores.*
LXXVI. *Mariæ Medicæ Morinus non fecit Horoſcopum.*
LXXVII. *Antichriſtus apud Morinum natus excuſatur.*
LXXVIII. *Et Gaſſendi morbus præconjectus.*
LXXIX. *Et carcer Chavignii.*
LXXX. *Prædicta non ſemper effecta.*
LXXXI. *Suecorum Reginæ de Morino teſtimonium.*
LXXXII. *Quæ Morinus ſenſerit de Aſtrologicis prædictionibus.*
LXXXIII. *Agere ſtellas oſtenditur.*
LXXIV. *Ab aſtris futura prædici poſſe.*
LXXXV. *Dæmones non prædicunt.*
LXXXVI. *A temperamento corporis agere ſtellas evincitur.*
LXXXVII. *Deus eſt ſtellis potentior.*
LXXXVIII. *Deus pro arbitrio naturæ potens.*
LXXXIX. *Hominis voluntas non eſt aſtris ſubdita.*
XC. *Arabum errores.*
XCI. *Aſtrologia Principibus utiliſſima.*
XCII. *De fato ſecundo.*
XCIII. *Morinus quid minarentur ſidera tantum aperiebat.*
XCIV. *Pro ſemetipſo ſtellas conſulebat.*
XCV. *Ex unguibus præconjectabat.*
XCVI. *Ex ſomniis divinabat.*
XCVII. *Pro ſomniis defenſio.*
XCVIII. *Chyromantia Morino in pretio.*
XCIX. *Conſulit vaticinantem ex arte Chiromantica mulierem.*
C. *Ei prædicitur obitus imminens.*
CI. *Paulo poſt in morbum incidit.*
CII. *Stellas ſibi obitum minantes præſenſerat.*
CIII. *Condit teſtamentum.*
CIV. *Piiſſime moritur.*
CV. *Ipſius vitæ probitas.*
CVI. *Pro epitaphio ejuſdem moribundi cura.*
CVII. *Sepulturæ locus.*

JOAN-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

IOANNIS BAPTISTÆ MORINI

IN UNIVERSAM

ASTROLOGIAM

PRÆFATIO APOLOGETICA.

INTER Phyſicas Scientias duæ ſunt præ cæteris excellentiſſimæ: ſed adeo abſtruſæ & difficiles, ut earum Profeſſores egregii, non immeritò dicti fuerint *Sapientes*. Prima vocatur *Chymia*, quæ verſatur circa corpora Globi terreſtris, præſertim reſolvenda in ſua prima principia, Sal, Sulphur, & Mercurium, à ſordibus defæcata, ut cujusvis corporis mixti vires multiplices ſigillatim pateant in propriis ſubjectis, & humano corpori inſerviant, vel ad conſervationem, vel ad recuperationem ſanitatis, vitamque producendam; multaque fiant alia nobiliſſima, quæ docet ipſa Scientia. Altera dicitur *Aſtrologia*, quæ verſatur circa corpora cœleſtia; quorum vires & influentias in hæc inferiora contemplatur; ad ipſorum effectus aut præſentes aut futuros cognoſcendos; & cum fauſtis concurrendum, infauſtis verò occurrendum, inſuperque ſingulorum hominum temperamenta, mores, ingenia, vitæque fata vel accidentia prævidenda.

Porro Chymiam docuerunt viri maximi & arcanorum *Naturæ* peritiſſimi: Inter quos præcipuè recenſentur HERMES TRISMEGISTUS Chymicorum pater, à quo dicti ſunt Philoſophi Hermetici; *Geber*, *Raimundus Lullius*, *Arnaldus de Villa nova*, *Bonus Ferrarienſis*, *Iſaacus Hollandus*, *Paracelſus*, & alii plurimi. Cumq; tres ſint mixtorum ordines, quippe Mineralium, Vegetabilium, & Animalium; ab ipſis Philoſophis Chymia præſertim in Mineralibus & Vegetabilibus fuit exculta; ut inde conficerentur Medicinæ, quæ non modò animalium ac præſertim hominis, ſed etiam metallorum imperfectorum morbos depellerent, ita ut fieret etiam ex horum quolibet puriſſimum aurum, quale ego vidi ex plumbo per projectionem confectum, longè melius quovis naturali, quod etiam in examine, magno examinatoris ſtupore, non exiguam plumbi partem convertit in aurum; ob exceſſum tincturæ ſuſceptæ à projecto pulvere. Quæ transmutatio plumbi in aurum facta per illum pulverem, quem *Philoſophorum lapidem* vocant, ſatis inſinuavit veteribus Chymicis illum fore potentiſſimum, ad quemvis morbum hominis ſanandum, ejuſque corpus ob omnibus impuritatibus purgandum, reducendumque ad optimum valetudinis ſtatum, unde nil mirum, quod Paracelſus, cui illud arcanum innotuit, Epilepſiam, Paraliſim, Hydropem, Lepram, Podagram, aliosque morbos deſperatos brevi tempore curaverit, beneficio tantæ Medicinæ; quæ non abs re *Vniverſalis Medicina* ſolet appellari; à multis quæſita, à pauciſſimis autem inventa.

Quoniam verò præcipua fuit cura Paracelſo, medendi methodum Galeni, falſis hypotheſibus calidi, frigidi, humidi, ſicci, præcipùe innixam evertere; atque oſtendere naturas illas inanes non eſſe morborum medicatrices, quales intellexit Hyppocrates, ſed id nomen ac officium convenire vitali principio, ſemini vel balſamo vegetabilum, mineralium & animalium; vitalibuſque potentiis ſalis, ſulphuris & mercurii, ex quibus illa componuntur: Idcirco horum præparationes atque uſus, novamque, ſed veram ac legitimam medendi methodum indefeſſo labore aggreſſus eſt, cunctaque diuturnis & mirabilibus experientiis confirmata poſteritati commendavit,

Sed quid inde accidit? Hoc certè deteſtandum: quod nempe Medici Galenici, quibus præſertim incumbebat Paracelſum venerari, ejus medendi methodum & excellentiſſima remedia grato animo excipere, illamque diſcere & ad praxim reducere: ipſam è contra ſpreverunt, ne ſuam inſcitiam prodere viderentur: in illumque cœperint convitiis debacchari: hic enim mos eſt ſuperborum ignarorum: Atque ſic quos amiciſſimos habere de-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

buiſſet, inimiciſſimos habuit; adeoque infenſos, ut totis viribus Paracelſi Medicinam extirpare conati ſint. Sed obſtitit curationum chymicarum fama celebris, etiam ſuſceptarum ab Agyrtis & circumforaneis Medicinæ prorſus ignaris, in morbis à Galenicis deſperatis. Quo permoti cordatiores quidam Medici Galenici, & remedia chymica experti, Paracelſicæ Medicinæ tutelam ſuſceperunt. Inter quos famoſi fuêre Rulandus, Quercetanus, Crollius, Hartmannus, ac præſertim Petrus Severinus Danus, qui in ſua Idea Medicinæ Philoſophicæ totius doctrinæ Paracelſicæ, Hypocraticæ & Galenicæ fundamenta, expoſuit. At inde aliorum indignatio exaſperata eſt, & bellum utrimque accenſum: eo tamen ſucceſſit, ut juxta Paracelſi vaticinium Chymia paſſim triumpharet, ipſaque publicè etiam in Medicinæ ſcholis celebrioribus doceretur; ac pro fatuo ignaroque haberetur qui illam reſpueret. Inde verò factum eſt, ut per totam Europam, ſed in Germania præſertim, Pharmacopolæ remediis chymicè præparandis ſe devoverint, iiſque (ne quidem accerſitis Medicis, qui ob ignorantiam ipſa reſpuebant) fœliciſſimè uſi ſint.

Id nimis indignè ferentes plerique Medicinæ Galenicæ Doctores, præ ſuperbia doceri nolentes, ſed veræ Medicinæ nimis ignari, ac invidi, curandorum morborum novam methodum excogitarunt, ab Hipocratis, Paracelſi, imò ſui Galeni mente alieniſſimam: quâ ab omni Medicinæ ſtudio, & ab exquiſita ſibique ignota remediorum præparatione chymica liberarentur, atque in Pharmacopolas ſuam exercerunt vindictam, illis remediorum præparationes ſubtrahendo. Quippe decreverunt in purgationibus abſtinendum eſſe à validioribus pharmacis Hipocrati familiaribus, ac præſertim Elleboro; in antimonium verò, Mercurium, vitriolum, chymica purgantia, anathema dixere: contenti infuſionibus ſennæ, caſſiæ, rhabarbari, & clyſteribus per ſingulos dies iteratis: quamvis à paucis annis antimonii pulverem emeticum & præſertim vinum emeticum ex calcinato antimonio, quod vocant *crocum metallorum*, confectum admiſerint; ſed iis peſſimè utantur, fractis quippe viribus à ſanguinis miſſionibus: quæ cum antimonii vomitoriis exitiales ſunt: ſed de remediis Galenicis nihil ſperantes de illis chymicis periculum faciunt, in extremo vitæ periculo, rebuſque deſperatis. Corroborantia verò & alterantia veteribus uſitata penè omnino neglexerunt, eorumque loco juſcula præſcripſerunt: Hæcque omnia præparare docuerunt mulierculas & ancillas, ne Pharmacopolis opus eſſet. Pro ſupremo autem cujuſcunque morbi remedio, ſanguinis miſſionem uſurpandam cenſuerunt, in quavis ætate, puerili, virili, ſenili: & quovis temperamento, calido, frigido, humido, ſicco; iterandam ſexies, decies, quindecies, vigeſies, & eò uſque ut vel morbus vel vita remedio cedat; nulla virium habita ratione, an adſint, vel jam exhauſtæ ſint; ægerque ſit agoniæ proximus. Quod autem ægroti pereant, non tam morbi magnitudine vel malignitate, quàm illa crudeli & veteribus ignota methodo, Pariſiis præſertim, vulgatum eſt, ubi illa incepit atque viget, eſtque ipſis etiam Chyrurgis frequenter horrori. Atque hæc præcipua fuit cauſa cur ab annis 28. exercitium Medicinæ deſeruerim: quippe nolens ob conſcientiam talibus curationibus & conſultationibus aſſentiri vel intereſſe.

Porrò quamvis Galenus aſſeruerit, ſymmetriam elementorum in humani corporis mixtione ſanitatis eſſe productricem; ametriam verò morborum & mortis: contraria contrariis curari; calidum frigido, humidum ſicco, & viceverſa deduxerit: Attamen hoc Medicorum genus deprehendens tales hypotheſes frequentiùs non ſatisfacere; ſanguinis effuſioni vim potiſſimam cenſuit eſſe tribuendam, non modò curandorum vel expellendorum morborum, ſed etiam corporis temperamentum alterandi & refrigerandi in febribus aliiſque calidis affectibus: Aſſerentes nullum ſibi ad hæc præſentius remedium innoteſcere, ſanguinis miſſione. Hoc enim mihi dicebat Medicus primæ notæ anno 1652: quo plus quàm 100000 hominum Pariſiis ex febribus perierunt, cum illis miſſionibus ſanguinis ad diem uſque ultimum iteratis: ſed ipſe quoque Medicus febre correptus, poſt undecies detractum ſibi ſanguinem mortuus eſt; emetico vino priùs ſumpto, quod ipſis Medicis eſt ſubicis ephippiarii vinum.

Cùm autem DEUS cunctis brutis etiam ſerpentibus & formicis neceſſaria ad victum & ſanitatem largitus ſit; Nunquid hoc DEI Sapientiam, Omnipotentiam, Bonitatem & Providentiam erga hominem opus ſuum præcipuum egregiè commendat; quòd univerſam Naturam mineralium, vegetabilium & animalium adeo inopem & mendicam effecerit, ut congruis careat remediis ad humani corporis morbos curandos, ipſaque corpora prout neceſſe fuerit alteranda; ſed in his omnibus Chyrurgi ſcalpellum quo aperiuntur venæ & ſcarificantur ſcapulæ ad effundendum ſanguinem, toti Naturæ prævaleat, quam præcipuè ad univerſas hominis neceſſitates condidit ipſe DEUS? Nunquid ſcalpellum aut ſi mavis effuſio ſanguinis contraria eſt calido, frigido, humido, ſicco & cuilibet morbo; ideoque Medicina univerſalis? Nunquid ſi miſſio ſanguinis refrigerat per accidens, vires tamen exolvendo; non dantur in

Natura

Natura per ſe refrigerantia eas conſervando vel etiam augendo ; ideoque omnino præfe-renda ? Nonne dicunt ipſimet ſanguinem eſſe frænum bilis ; idque præſertim in febribus no-tandum eſt , ubi miſſio ſanguinis per accidens refrigerans , per ſe plurimum exſiccat , quo nihil bilem magis acuit & exaſperat ; frequenterque efficit ex ſimplici tertiana duplicem , in-deque continuam , indeque mortem , in hominibus præſertim bilioſis vel atrabiliariis & ægri ætate , annique tempore conſpirationibus ? Nunquid dum Hipocrates dixit *Naturas eſſe mor-borum medicatrices* ; & dum Eccleſiaſtici cap. 38. dicitur, *Altiſsimus creavit Medicinam* (traductio correctior habet medicamenta) *de terra , & vir prudens non abhorrebit eam* ; per Naturas medicatrices , aut medicamenta (quod idem eſt) intelligitur ſcalpellum Chyrurgi , effuſio ſanguinis repetita uſque ad mortem , ægro ſingulis diebus deteriùs habente ; quam-vis Medici ignaris aſtantibus impudenter aſſeverent cuncta à ſe circa ægrum ad mortem uſq; acta , benè ſucceſiſſe ac profuiſſe ; quodque verbi gratiâ ſuffocatus fuiſſet æger , niſi miſſio ſanguinis aliunde lethalis repetita fuiſſet, ſicque græcula præſertim loquacitate imperitis illu-dant ? O inſcitiam graviter puniendam ! Certè non negatur miſſionem ſanguinis in pluribus morbis, ut febribus continuis primò exortis ; pleuritide , peripneumoniâ , anginâ & ſimilibus maximè prodeſſe , qua decet ratione uſurpatam : ſed ejus abuſus ſupra expoſitus , eſt intole-rabilis ; nec non habendus pro DEI punitione ſupra civitatem in qua regnat. Taceo quàm magnus ſperandus ſit & fœlix effectus , ex phlebotomiunculis ad uncias duas vel unam cum ſemiſſe , pluribus diebus , imò bis in die repetitis , dum interim omiſſis curatricibus medicinis, morbus vires acquirit eundo , quas è contra Natura ægri deperdit , quæ ſic Medicum , non modò inſcitiæ ſed proditionis accuſat.

Campus certè ampliſſimus hîc nobis pateret ſcribendi adverſus tales Medicos, ſalvis Me-dicinæ principiis & aphoriſmis ab Hipocrate traditis : ſed publicæ utilitatis gratiâ , hæc obi-ter duntaxat à Nobis dicta ſunto , in comparatione Nobis propoſita Chymiæ ſeu veræ Me-dicinæ cum Aſtrologia. Chymia enim plurimos habuit adhucque habet hoſtes ; ſed ignaros ; invidos atque pigros ; Ac plurimos quoque Sycophantas, qui eâ abutuntur vel in morborum temerè ſuſcepta curatione , vel in metallorum falſa tranſmutatione , ideoque patibulo dignos: verùm hæc non ipſi ſcientiæ , ſed Sycophantorum inſcitiæ , fraudi , avaritiæ , & iniquitati tri-buendum eſt. Jam ergo ad Aſtrologiam deveniamus , & quot & quales habuerit adverſarios exponamus.

Sed permittamus ipſam ab hominibus inventam non fuiſſe, ſaltem quoad fundamentalia ejus principia ; quippe diviſionem primi Cœli, naturâ ſimpliciſſimi ac homogenei in 12. Do-decatemoria diverſarum naturarum, quæ Planetarum naturis correſpondent. Nec non divi-ſionem mundani ſpatii in 12. Domos,diverſarum quoque virtutum. Hæc enim humanæ men-tis aciem ſuperare Mihi videntur,ut dicimus Libris 14. & 18 : ſed à DEO fuit Adamo peculia-liter infuſa, à quo per Cabalam devenit ad Poſteros ; cujus cultores præcipui & celebriores poſt diluvium fuere Chaldæi,& Ægyptii, à quibus Thales Mileſius primus inter Græcos illam didicit, & in Græciam tranſportavit: ut deducitur ex Diogenis Laertii Libro 1. de Vita Philo-ſophorum, nec non Ptolomæo lib. 1. Quatrip. cap. 18 : ex quo patet ipſius Ptolomæi Aſtro-logiam fuiſſe ab Ægyptiis & Chaldæis deſumptam , ſed mos fuit Græcis , qui diſcendi gratiâ in regiones extraneas peregrinati ſunt , quæ ab exteris didicerant , ut ſua tradere in Græcia ; ubi eorum Inventores habiti & apud ſuos admirationi fuerunt, nonullique ex Plagiariis Dii effecti ſunt: quod autem Adamo hæc ſcientia cum cæteris omnibus à DEO fuerit infuſa , ex eo patet quia Naturam univerſam perfectè cognovit ſtatim atq; creatus eſt,indeque unicuique viventi proprium nomen impoſuit. At ſi tantam habuit rerum terreſtrium cognitionem,opinandū non eſt quod cœleſtium ignarus fuerit cùm ad Cœlū potius quam Terram intuendam factus eſſet.

Quamvis igitur evidenter pateat ex iis circa quæ Aſtrologicam verſare diximus , ipſam eſſe phyſicarum ſcientiarum altiſſimam & diviniſſimam : utpote ſcientiam fati naturalis , vel Pro-videntiæ Divinæ, circa hæc Sublunaria per cauſas univerſales ſive cœleſtes diſpenſandæ. At-tamen vix dici poteſt quot adverſarios ab antiquis temporibus huc uſque habuerit ; Philoſo-phos , Medicos , Juris-Conſultos , Theologos , Eccleſiæ Patres , ac etiam Aſtrologos , quibus omnibus illa fuit lapis offenſionis , non abſque aliquot rationibus apparenter probabilibus ; dum interim præ cæteris omnibus ſcientiis phyſicis doctorum Aſtrologorum mentes rapit in admirationem, venerationem , ac amorem ſapientiæ ac bonitatis infinitæ Omnipotentis DEI. Quicumque enim in illam inſurrexerunt , ac præſertim debacchati ſunt ut in ſtultiſſimam va-nitatem, à Diabolo quoque ſuggeſtam ad hominum ruinam in hoc ſeculo,& damnationem in futuro; hi omnes ipſius Aſtrologiæ fuerunt ignari ; ut ſufficienter à Nobis oſtenſum eſt in ſolu-tionibus objectionum paſſim occurrentium in toto hoc Opere , jamque patebit ex aliis hîc exponendis. Eſt autem Axioma vetuſtiſſimum , & ab omnibus receptum , *Homine*

ignaro nihil in judicando injuſtius eſſe. Nec refert quod in aliis ſcientiis fuerint viri celebres atque docti: quæſtio eſt de Aſtrologia, quam exſibilandam, extirpandam & de medio tollendam, nonnulli datâ operâ pluribuſque libris in eum finem compoſitis fruſtra ſuſceperunt. Inter quos Joannes Picus Mirandulanus, Alexander de Angelis in Collegio Romano Societatis Jeſu ſtudiorum Præfectus, & Sixtus ab Heminga (quorum vanæ rationes à Nobis toties refutatæ ſunt in Operis proceſſu) cæteris fuere famoſiores.

Equidem Franciſcus Junctinus Sacræ Theologiæ Doctor, in ſuo ampliſſimo Speculo Aſtrologico, longam præmiſit Aſtrologiæ Defenſionem, permultaque Adverſariorum argumenta expoſuit, quorum alia rectè ſolvit, & alia ſolvere tentavit: ſed quia ipſemet vera Aſtrologiæ principia ignoravit; ac ejus Opus eſt duntaxat farrago ſive collectio Aphoriſmorum & ſententiarum omnium veterum & neotericorum Aſtrologorum, veris ſcientiæ fundamentis deſtitutum, multis autem refertum vanitatibus ac ineptiis Aſtrologorum Chaldæorum, Ægyptiorum, Indorum & aliorum, ex quibus verum à falſo diſcerni nequit; nec proinde ſcientia, ſed potiùs confuſio in mente generari: Idcirco Aſtrologiam aliter cenſemus eſſe defendendam; ac ita ut jam vera ſcientia fiat evidentiſſima. Hoc autem ſequenti methodo ſuſcipimus; non quidem reſpondendo ad ſingulas Adverſariorum nugas, ſed ad præcipuas eorum rationes; quibus everſis, reliquæ adhuc citiùs diſſipabuntur quàm alicujus exercitus prœliantes milites, cunctis Ducibus occiſis.

Itaque rationes apparenter probabiles, quibus præcipuè Aſtrologiæ veritas in dubium revocari poteſt, ad ſequentes referuntur.

Prima: Quod hujus doctrinæ nulla fuerint hactenus tradita principia vel fundamenta maſeſta aut genuina; ſi hoc unum generaliſſimum evidentiſſimumque exceperis; Quod *Cœleſtia corpora agunt in hæc inferiora*, quamvis etiam negatum fuerit ab Alexandro de Angelis cap. 11. & 12. libri ſui primi: Atqui doctrinam geminis fundamentis carentem, nemo ſanæ mentis dixerit eſſe ſcientiam.

Secunda: Quod Aſtrologi celebriores, compulſi reddere rationem ſuarum regularum, ſententiarum & prædictionum; nihil reſpondent quod viris doctis ſatisfaciat; ſed hos pro ratione ſuprema ferè ſemper relegant ad ſuas & veterum experientias, non minùs quàm ipſæ regulæ dubias.

Tertia: Quod ipſi etiam famoſiores Aſtrologi, in ſuis prædicationibus ſæpe fallant homines; vel fallantur ipſimet.

Quarta: Quod maxima pars eorum qui Aſtrologiam profitentur, vel ſibi Aſtrologi nomen arrogant; ſit gens vilis & prorſus ignara, non ſolùm ipſius Aſtrologiæ, ſed Philoſophiæ, omniſque liberalis diſciplinæ: Quæ tamen omnia hominis fata prædicere, & Aſtrologiam docere gloriatur; vel Libellis, vel Scriptis paſſim non minùs impudenter quàm publicè affixis, quamvis nil niſi mendacia & inſcitiam prodere valeat: unde Aſtrologia, & Aſtrologi contemptui ac ludibrio exponuntur.

Quinta: Quod tanta ſit authoritas atque doctrina virorum in Aſtrologiam unanimiter inſurgentium; ut dici nequeat hos omnes decipi; non autem Aſtrologos, aut prorſus ignaros, aut ſaltem validis rationibus Aſtrologicis deſtitutos.

Ad primam igitur rationem reſpondeo. Equidem certum eſſe, vera & propria Aſtrologiæ principia ſeu fundamenta rationalia non fuiſſe ante Nos à quoquam tradita & explicata. Ptolomæus enim Aſtrologorum Archidux, qui vixit circa annum à CHRISTO 140, & ex ſuorum Prædeceſſorum placitis Aſtrologiæ aliquam ſcientiæ formam conferre molitus eſt in ſuo Quatripartito, quod omnes Ptolomæi Succeſſores magna cum veneratione ſequuntur, ut præ cæteris omnibus Antiquorum libris, complectens puriorem Aſtrologiæ doctrinam huc uſque ſcriptam; ait quidem cap. primo libri primi. *Evidentiſſimum eſſe & non indigere verboſa confirmatione: Diffundi quandam vim à Cœlo in omnia quæ circa Terram ſunt & in naturam mutationibus obnoxiam*, idque ipſo capite probat, ſed hoc non eſt proprium Aſtrologiæ principium, quandoquidem Phyſici idem aſſerunt atque probant. Dum autem cap. 3. propria Aſtrologiæ principia aggreditur, & Planetarum vires elementales tradit, fallitur circa vires Jovis & Mercurii. In aſſignandis verò cauſis virium ipſarum, in abſurda & contradictoria lapſus eſt: Et circa hæc Cardanus in Commento peccavit abſurdiùs, ut probatur à Nobis Libro 13. ſect. 1. & 2. quæ videat Lector. De influentialibus verò & analogicis viribus Planetarum nihil dixit; pro quibus vide ſectionem 3. libri 13. Dumque Ptolomæus ejuſque Commentator Cardanus in fine capitis dividunt Planetas in naturâ beneficos & maleficos; ajuntque Solem & Mercurium eſſe naturæ ancipitis, rurſus falluntur, ut probo cap. 3. ſect. 2. ejuſdem libri 13. Deinde verò capitibus 4. 5. malè rationantur de Planetis maſculinis & fœmininis, tum diurnis & nocturnis; pro quibus vide

capita

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

capita 1. & 2. ſect. 2. ipſius lib. 13. ubi tota hæc doctrina valde abſtruſa fusè exponitur. Capite autem 6. ait Ptolomæus, Planetas ♄ ♃ ♂ atque ☽, pro ſuo ad Solem poſitu vires ſuas elementales augere vel remittere, ſed quâ ratione id fiat minimè dixit; nec Veneris & Mercurii hac in re meminit; quæ tamen ex veris Naturæ fundamentis traduntur à Nobis cap. 3. ſect. 1. ejuſdem libri 13. In ſupradictis enim omnibus aſſerit duntaxat Ptolomæus; ſed nihil probat, congruis ſaltem rationibus: ſicut nec cap. 7. dum agit de viribus ſtellarum fixarum & conſtellationum; de quibus vide cap. 5. ſect. 3. & alibi. Dumque ait de ſignis Zodiaci ac præſertim cap. 15. ubi exponit dominia Planetarum in ſignis Zodiaci, quod eſt præcipuum Aſtrologiæ fundamentum, rationes affert ſpurias & abſurdas, ſimiliterque peccat in Planetarum Trigonis, Finibus & Aſpectibus.

Prolixior quàm par ſit efficerer, ſi cuncta ejus errata hîc recenſerem; nec non ſui Commentatoris Cardani, qui ne latum quidem unguem diſcedit à Ptolomæi placitis; quem ſolum ait capacem fuiſſe hanc divinam condendi ſcientiam; ſed neminem ejus mentem aſſequi potuiſſe præter ipſum Cardanum. Nam lib. 2. Quatripartiti, abſurdam tradidit diviſionem Terræ reſpectu ſignorum Zodiaci: deindeque abſurdius loquitur de Conſtitutionibus Cœli univerſalibus, præſertim Eclipſibus earumque effectibus, & horum temporibus, ſibi in multis contradicens. Libro autem 3. & 4. agit de Nativitatibus vel Aſtrorum effectibus in naſcente homine: ſed qualem hujus rei ſcientiam tradere potuit Ptolomæus, qui prorſus ignoravit quomodo agant corpora cœleſtia in hæc inferiora, & determinentur circa particularia, quod eſt præcipuum totius Aſtrologiæ arcanum à Nobis primò inventum; feréque tantùm judicat ex quibuſdam cauſis generalibus nulla ratione habita determinationis ipſarum? Tandem in fine libri 4. agit de Directionibus ſignificatorum & Tranſitibus Planetarum: Tantúmque agnoſcit ſignificatores 5. dirigendos in Themate cœleſti; nempe Horoſcopum, Medium Cœli, Solem, Lunam, & partem fortunæ, qui fuit hactenus inſignis error in Aſtrologia veterum. De ſupradictis autem omnibus fusè tractamus in Aſtrologia Gallica propriis locis contra Ptolomæum & Cardanum: quorum quidem non totam rejicio doctrinam, ſed duntaxat rejiciendam; multa enim optima habent & retinenda, ſed plura reſpuenda: Ita ut in hoc Opere univerſo, vix pauciora mihi ſcribenda fuerint contra Ptolomæum & Cardanum, quàm contra Picum Mirandulanum & Alexandrum de Angelis, præcipuos hujus ſcientiæ Adverſarios.

At quamvis hujus doctrinæ tradita non fuerint hactenus vera fundamenta; non tamen inde ſequitur nulla eſſe; proindeque nec ſcientiam. Idem enim dicendum fuiſſet de omnibus aliis ſcientiis etiam Mathematicis ante illarum inventionem. Certum enim eſt quod ſcientiæ ſunt materialiter vel fundamentaliter in rebus, & tantùm formaliter in hominis intellectu poſt inventionem principiorum ipſarum.

Ad ſecundam rationem facile eſt reſpondere ex dictis ad primam. Etenim ſi nec à Ptolomæo, nec ab ullo ante Nos tradita fuêre vera hujus ſcientiæ principia & fundamenta, quid ipſi celebriores Aſtrologi reſpondere queunt objectionibus virorum doctorum quod his ſatisfaciat? Ego ſanè ad Aſtrologiæ ſtudium invitus fui compulſus ab annis 40, à quodam Epiſcopo, cujus eram Medicus, illamque ſpernebam, quòd ipſam rationibus vacuam cernerem; Solæque experientiæ à Me factæ, Me per decennium in hoc ſtudio ignarum retinuêre; nam multas quidem videbam experientias, nullas autem rationes: tandem verò mente aperta & rationalibus principiis Dei dono inventis, jam dicere queo in Aſtrologia nihil mihi objici poſſe, quod citò & rationabiliter ex principiis ipſis à Me non reſolvatur, quodque objicienti ſi fuerit rationalis, non ſatisfaciat: & Mihi facillimum eſſe ex omnibus ſententiis & aphoriſmis veterum omnium & Neotericorum Aſtrologorum diſcernere, qui ſint falſi & qui veri, tum qui medii, hoc eſt quandoque veri, & quandoque falſi, ac cur & quomodo: eademque præſtabit quilibet Aſtrologiæ Gallicæ peritus.

Ad Tertiam reſpondeo: Malitiâ fallere & contra proprium judicium, eſſe hominis iniquiſſimi: & hoc ſcientiæ non magis imputandū eſſe quàm Theologiæ, ſi quis Hæreticus verbi divini Pſeudominiſter ſuos auditores propria ſuperbiâ vel avaritiâ fallat: ſed imputandum hominis iniquitati: At ignorantiâ fallere (quo pacto fallitur ipſemet Aſtrologus, niſi fuerit nebulo & ſycophanta prorſus ignarus) humanum eſſe, nec infrequens in omnibus conjecturalibus diſciplinis circa futuros eventus; ut Medicinâ, Politica, Nautica, Militari, ſed præſertim in Aſtrologia. Erroris autem vel fallaciæ ſeu potius hallucinationis, plures cauſæ afferri queunt.

Prima eſt Thema cœleſte falſum vel errore Ephemeridum in quibus falſa ponuntur Planetarum loca, vel errore temporis ad quod Thema ipſum erigitur. At ex falſo Themate neceſſariò fient falſæ prædictiones.

Secunda ex Ptolomæo lib. 1. cap. 1. Quatrip. eſt humani ingenii imbecillitas circa tam ſublimem ſcientiam. Nullus eſt enim Planeta, qui in cœleſti figura, multa ſimul non ſignificet &

quan-

quandoque contraria; quippe alia ſitu in figura, alia dominio, & alia connexione cum aliis Planetis:& ſignificatorum alia ſunt conſpicua,alia dubia vel obſcura: ex quibus fit, ut ſi Aſtrologus accidentis genus prædixerit, fallatur interdum circa ſpeciem, ſi ad hanc deſcendere voluerit. Ut ſi quis rectè dixerit, Natum violenta morte periturum, forſan errabit circa ſpeciem mortis: indeque & ſe & Artem exponit irriſioni. Sed quia ſimile etiam frequenter accidit in aliis artibus conjecturalibus, Medicina,Politica, Militari, Nautica, quæ propterea non condemnantur,ſed homines malè conjicientes; non eſt quod in Aſtrologia longè difficilioris judicii, Artificum errata ſcientiæ veris fundamentis innixæ tribuantur; præſertim quòd docto ex fundamentis Aſtrologo vix ullus error accidere queat, quin illico ejus cauſam agnoſcat, ut deinceps cautior fiat in prædicendo: erratis enim notatis, perficitur in homine ſcientia conjecturalis. Quid dicerent oſores Aſtrologiæ adverſus Medicos præſertim Pariſienſes, qui ut ſcitur ab omnibus, quamvis ſummi Hippocratis aphoriſmos & coacas prænotiones, tum Galeni præſagia ex urinis & pulſibus,aliaque habeant quæ ſunt de futuris accidentibus in morbis oracula Medicinæ; vix tamen quidquam niſi falſi prædicunt circa ægros: non ſanitatem neque mortem,nec an futura ſit criſis, & quando, & qualis. Et licet habeant morbum & ſua remedia præ manibus, præſertim ſanguinis miſſionem illis adeo familiarem; tamen nihil certò aſſeverare queunt de effectu ſuorum remediorum,ne quidem in febre tertiana ſimplici,quam frequenter duplicem & continuam efficiunt: ægro & aſtantibus ſatisfacientes his verbis, videndum eſt, exſpectandum eſt quid Natura ſit molitura; quaſi verò ullus ſit Sutor, qui idem dicere non valeat; ac ſæpe accidit ut proximis agoniæ ſanguinis miſſiones, clyſteres, & purgationes præſcribant, etiam ad ſequentem diem, imò cum emetico vino, cujus uſum infamant dum illud uſurpant poſt tot miſſiones ſanguinis,fractis viribus & rebus deſperatis,ut ipſemet vidi; quamvis in hoc judicio non unicus adſit Medicus,ſed plures conſultantes; qui morte interveniente decepti (ſi ſanitatem prædixerint) de ſubſequenti infamia non curant: quippe quòd ab aſſuetis non fiat paſſio: ſed tantùm ſibi cavent,ne circa morbos quidquam poſtea polliceantur. Frequentiùs enim fallerent in his rebus merè naturalibus quàm Aſtrologus, qui circa res naturales tum etiam liberas prædicit ſolus & ſine conſultatione; quæ tamen in rebus magni momenti quales ſunt morbi Principum & negotia publica,eſſet valde utilis & neceſſaria. Ideoque ad ſupremum Regis Chynæ Conſilium nullus admittitur qui non ſit doctus Aſtrologus; qualis ergo eſſe debebit Archiater, ſive primus Regis Medicus? Ideo autem Medici Pariſienſes aut nihil prædicunt, aut falluntur ſæpiſſimè in ſuis prædictionibus; tum quia ſuis miſſionibus ſanguinis diebus ſingulis, imò bis in die iteratis, omnem perturbant Naturæ motum, quem Hipocrates & Galenus ſtudioſiſſimè obſervabant & cognitum juvabant, non autem perturbabant, quamobrem iu ſuis prædictionibus erant cunctis mirabiles raróque fallebantur, idque in morbis acutis; in quibus dixit Hipocrates aphor. 19. ſectionis ſecundæ, *non omnino certas eſſe prædictiones ſalutis aut mortis*. Medici autem Pariſienſes, ex ſalutari morbo ſæpe lethalem faciunt, hoc etiam neſcientes, quibus idcirco poſt duas ſaltem aut tres miſſiones ſanguinis, ſine apparente fructu, jure dici debet ab ægro illud Pſalmi 130. *Viri ſanguinum declinate à me.* At poſt duodecies aut quindecies iteratam ſanguinis miſſionem, ægri ſalute pejùs ſemper habente ac deſperata, is pro altera vita multùm merebitur, ſi ad DEUM converſus patienter piéque dixerit, *Pater, ignoſce illis quia neſciunt quid faciunt*, nec advertunt quod *anima carnis in ſanguine eſt*, ex Levit. cap. 17. & alibi.

Tertia cauſa cur Aſtrologus quandoque fallatur & fallat, eſt ipſius Aſtrologi incuria, ſegnities, vel mentis perturbatio in examinandis, conferendis & ponderandis effectuum cauſis, juxta præcepta & prudentiæ regulas à Nobis obſervatas & traditas in fine librorum 22. 23. & 24. quæ Aſtrologi memoriæ ſemper debent eſſe præſentes. Aſtrologus enim qui celebris fieri cupit, famâque perpetuò creſcere; debet huic ſcientiæ totus eſſe addictus, honoris potiùs quàm lucri gratiâ, ſtudioſus, ſedulus, liber, tranquillus, animâ & corpore purus, ad mentis vel intellectus puriorem ſtatum Prophetiæ neceſſarium; de neceſſariis ad vitam minimè ſolicitus; quique ad ſcientiæ laudem claras & non ambiguas captet occaſiones prædicendi inſignia accidentia, ex Magnatum & Principum nativitatibus ad unguem rectificatis: certum eſt enim quod tales occaſiones frequenter occurrunt, ut ſæpius obſervavi.

Quarta eſt: Quod ex iis qui præmonentur ab Aſtrologis de parvis accidentibus futuris, nonnulli prædictionem ſpernunt ſuo damno: Alii verò prudenter ſibi cavent, ut fit etiam in aliis artibus circa futura conjecturalibus: idque ſuadente Ptolomæo aphor. 5. Centiloq. *Poteſt qui ſciens eſt multos ſtellarum effectus avertere*: tum cap. 2. lib. 1. Quatrip. *Exiſtimandum non eſt ſingula hominibus à cœleſti cauſa accidere; tanquam prorſus ab immutabili, & divino decreto, & quaſi lege lata de ſingulis, ut neceſſariò eveniant, nec poſſit alia cauſa obſiſtere*: unde Divus Thomas in prima ſecundæ q. 9. art. 5. hoc egregium deduxit effatum; *Sapiens dominabitur aſtris.*

Dum

Dum autem aliquis malum ſibi prædictum cavet, non ſolùm alii, ſed ipſi putabant erraſſe
Aſtrologum, quod ſanè iniquum eſt; cùm omnis prædictio Aſtrologi de rebus non neceſſariò
futuris, ſemper intelligenda ſit, nulla cauſis cœleſtibus reſiſtente altera cauſa. Et hoc eſt præ-
cipuus Aſtrologiæ fructus & utilitas quæ alioquin nulla eſſet; pro qua etiam Aſtrologo gra-
tiæ potiùs habendæ ſunt. Aliæ queunt afferri cauſæ, ſed hæ ſunt præcipuæ.

Ad Quartam reſpondeo: Hanc nimis veram eſſe, taleſque ſycophantas impudentiſſimos
in republica benè inſtituta minimè tolerandos eſſe, ſed exilio vel ſupplicio caſtigandos, quòd
hi filii Diaboli falſa ſua oracula paſſim circumferant, cunctis offerant, ac imperitis vendant,
etiam Magnatibus, præſertim mulieribus, inſigni Naturæ hujuſque nobilis ſcientiæ oppro-
brio: qualem præ cæteris vidi Pariſiis famoſum Nebulonem Aſtrologiæ imperitiſſimum,
qui in ſua duodecim domorum figura, vix trium ſignorum & totidem planetarum cha-
racteres apponebat, imò ejuſdem ſigni aut planetæ characterem bis in domibus oppoſitis,
ſine ullo tempore. Qua de re cùm argueretur, Nebulo impudenter reſpondebat, ſuam
Aſtrologiam non eſſe vulgarem, ſed aliam ſibi ſoli cognitam, ſicque imperitis illudebat, &
aulas Principum Magnatumque domos frequentando plus quàm 20000. libras lucratus
vel potius furatus eſt, priuſquam ejus ignorantia & fraudes detectæ fuerint. Sed quis neſcit
hæc veræ Aſtrologiæ non eſſe imputanda, ſicut nec Medicinæ chymicæ fraudes & homici-
dia circumforaneorum & Agyrtarum, qui ſine ulla doctrina & tantùm lucri causâ, quos-
cunque morbos curandos aggrediuntur, cum aliquot remediis chymicis, quæ ne quidem ut
decet præparare norunt, ideoque ſic de hominum vita ludentes morte puniendi ſunt.

Ad Quintam reſpondeo: In rebus phyſicis non eſſe ponderandas authoritates, ſed rationes
virorum aſſerentium vel negantium: pluſque valere unius ruſtici veram & perſpicuam ratio-
nem, quàm quorumvis Phyloſophorum, Medicorum, Juris-Conſultorum, aut Theologo-
rum falſas, vanas aut obſcuras rationes, unde illud vulgatum axioma, *Amicus Plato, Amicus
Socrates, ſed magis amica veritas.* Adde quod omnes qui in Aſtrologiam ſcripsêre, fuerunt
ipſius ſcientiæ ignari theoricè & practicè, ideoque nil mirum ſi ipſam hactenus vanis ſuis ra-
tiunculis utcumque ſuperbo apparatu malè explicatis, evertere non potuerint.

Sed his in genere præmiſſis, ſupereſt ut ipſorum virorum aliquot ex præcipuis rationibus
exponamus, earumque vanitatem oſtendamus; inde enim reliquæ objectiones à Nobis ultro
omiſſæ facilè diluentur; vanis enim objectionibus finis imponi nequit, & benè ſtabilita veritas
manet inconcuſſa adverſus omnia tela, juxta Eſdræ libro 3. cap. 4. *Magna eſt veritas &
prævalet.*

Nemo autem à Nobis reſponſa exſpectet ad objectiones Pici Mirandulani, Alexandri de
Angelis & aliorum, adverſus nugamenta Arabum, Chaldæorum, Indorum aliorumque circa
nomina & vires conſtellationum Zodiaci, Decurias planetarum, Monomeria ſignorum, cæ-
teraque figmenta ridicula à Dæmone potiùs ſuggeſta ad hanc phyſicarum diviniſſimam
ſcientiam diffamandam, quàm ab homine rationali inventa. Ego enim talia validiùs refello,
eorumque falſitatem clariùs oſtendo, veritate fretus, quàm fecerint de Angelis & Mirandula-
nus Comes: ſed reſponſa exſpectet ad eas duntaxat objectiones, quæ probabiliori ſpecimine
aliquot etiam doctos fallere poſſent. Videamus igitur primò quid dicant Philoſophi, vel qui
hac in cauſa pro Phyſicis haberi volunt.

Igitur Joannes Picus Mirandulanus libro ſuo 3. in Aſtrologos cap. 4. ut corporum cœ-
leſtium influentias tollat; omnes eorum actiones in hæc inferiora tribuit luci ipſorum cor-
porum; quam ait primas 4. qualitates, calorem, frigus, humiditatem, & ſiccitatem emi-
nenter continere, & has producere prout illa determinatur ab ipſis corporibus cœleſtibus
ut horum inſtrumentum. Alexander verò de Angelis fretus Ariſtotelis authoritate vult
cap. 4. lib. 1. *Omne Cœli lumen per ſe habere vim caloris, ipſumque producere:* & Keplerus
in Paralip. in Vitell. ait: *calorem eſſe proprium quarto modo lucis.* Verùm ne hîc longior
ſim, videat Lector quid his Philoſophis reſponderimus cap. 13. lib. 11. qui totus eſt de
luce ejuſque effectu; deprehendetque argumentorum vanitatem. Dari autem influentias
corporum cœleſtium, videbit egregiè probatum lib. 12. ſectionibus 2. & 3. & argumenta con-
traria funditus everſa.

Alexander verò de Angelis ſibi non conſtans audaciùs aſſerit cap. 12. *In rerum procrea-
tione nullas eſſe Cœli partes.* Idque egregio ſanè probare conatur hoc ratiocinio. *In ge-
neratione equi* (ait) *vel pares exercet vires Cœlum & ſemen, cæteræque cauſæ conjunctæ;
vel minores, vel majores. Si majores, aliquid eſt in equo, quod non eſt à ſemine, neque à pro-
ximis cauſis effectuum, ſed à ſolo Cœlo; id nimirum quod ſublunarium cauſarum vires excedit:
& cur equum quoque totum non proſeminat ſine proximis cauſis? Quid agunt cauſæ inferiores ſi
Cœlum per ſe ſine ope alterius cauſæ efficit quæcunque efficiuntur? Si minores, aliquid cauſæ*

ſublu-

ſublunares præſtant ſine ope cœleſti:ſit igitur iſtud pars una,cur non & aliam?cur non totum? cur quidquam debemus Cœlo?ſi pares; fateantur primùm in effectione rerum, Cœli partes non eſſe potiores: Deinde nihil cauſas ſublunares juvari à Cœlo.Cùm enim ſimile nihil patiatur à ſimili,neq; ab æquali æquale,pares ſi ſunt Cœli & cauſæ proximæ vires,neutrum alterum afficere aut agere poteſt. Subjungitque duas ratiunculas inde deductas, proindeque ejuſdem farinæ atque valoris.

Atque hoc mihi videtut eſſe præcipuum Alexandri de Angelis argumentum Phyſicum in ſuis 5. libris adverſus Aſtrologos; quo certè vix abſurdius excogitari poteſt. Hoc ſiquidem ratiocinio ſimiliter probabitur in rerum procreatione nullas eſſe DEI partes, dicendo: In generatione equi, vel pares exercet vires DEUS & ſemen cæteræque cauſæ conjunctæ, vel minores, vel majores. Si majores, &c.: Nunquid igitur de Angelis ſibi perſuadens ſe tali argumento Aſtrologiam debellaſſe, meritò claſſicum canit his verbis. *Quid ergo nugantur Aſtrologi cum Horoſcopo ſuo*? Et rurſus. *Eant Aſtrologi, prædicent genitale Cœlum, doceant cùm nihil ſit quod à proximis cauſis non ſit profectum, quodque earum vires excedat,cur in rerum omnium efficientiam aſtra quoque pertrahant.* Ac tandem: *Proferant ſi poſſunt experimenta, quæ præter cauſas ſublunares,quæ omne id quod eſt in effectu præſtant, oſtendant neceſſarias eſſe cauſas etiam cœleſtes: ſi nulla ſunt experimenta, (at verò nulla eſſe poſſunt) patiantur Genethliacam in illud ſepulchrum inferri, in quo aliæ Divinationes, in quo Aruſpicina, in quo Sortilegium, in quo Auguria jam dudum fœtent mortalibus.*

Aſſumit autem de Angelis duo ab Aſtrologis negata, nec à ſe probata. Nempe *Cœlum per ſe efficere,ſine ope alterius cauſæ quæcumque efficiuntur:* & è contrà; *cauſas ſublunares id omne præſtare quod eſt in effectu.* Ex quibus ſuam prodidit inſcitiam circa concurſum cauſarum univerſalium & particularium. Cœlo enim & equi ſemine concurrentibus, quodlibet agit ſecundum proprias vires: & ſemen dat formam ſive ſpeciem equi; at quod equus ſit generoſus vel pavidus ac in ſumma egregiæ vel parvæ indolis, Cœlum præcipuè iſta confert. Ideoque Plotinus licet oſor Aſtrologiæ, advertens indolem frequenter a Parentibus ſimili carentibus,conferri non poſſe per ſuum ſemen; aſſerere coactus eſt quod *Cœlum non facit equum*, hoc eſt non facit ut quod gignitur ſit equus (hoc enim eſt à ſemine) *ſed dat equo nonnihil*,quippe indolem ut ſupra diximus. Quod ſanè de Cœlo & hominibus quoque naſcentibus dici debet. Ex mendicis enim,& ſtolidæ, aut pravæ indolis parentibus, frequenter naſcuntur infantes moribus ingenio, armis, litteris vel artibus clari ac fortunati, qui ad opes & dignitates evehuntur etiam in aulis Principum: Alii verò ex illuſtribus virtuteque prædictis parentibus, naſcuntur moribus improbi & miſeri: idque habere deprehenduntur non à Parentibus vel eorum ſemine, quòd ipſi tales non ſint,ſæpeque ex 12. vel 15. fratribus & ſororibus vix unus alteri aut parentibus ſimilis ſit: ſed à congruo ſtatu corporum cœleſtium in cujuſque Geneſi, ut experientiâ patet. Dat igitur Cœlum id quod ſemen dare nequit & viciſſim. Idemque cenſendum de concurſu DEI in hominis generatione,in qua dici nequit quod ſolus DEUS,nec quod ſolus homo generet hominem: ſed quælibet cauſa de ſuo ſibiq; proprio confert,quod non confertur ab altera.

Porrò ſuperioris ratiocinii abſurditas univerſalis ferè per totos libros 1.2.3. Alexandri de Angelis diſſeminatur & particulariter applicatur; præſertim cùm loquitur de diebus criticis,de Aſtris quæ conceptui præſunt,de ſimilitudine filiorum cum parentibus,de diverſitate ſexus, de monſtris, de temperamento &c: imponit enim Aſtrologis quod hæc omnia à ſolo Cœlo fieri velint, cùm tamen nullus eorum id aſſerat: vultque hæc omnia fieri à cauſis ſublunaribus, juxta titulum capitis 13. libri ſui 3. *Omnia de quibus Aſtrologi vaticinare ſolent ex ſyderum ductu, pendere à cauſis ſublunaribus, multò magis quàm cœleſtibus*, ut explicat in textu, ſed minimè probat; quamvis diverſimodè probare contendat, ſibique jam contradicat, dum aſſerit cap.12. *in rerum procreatione nullas eſſe Cœli partes*. Unde ſatis patet quod velint nolint oſores Aſtrologiæ, admittendus & concurſus cauſarum cœleſtium & univerſalium,cum particularibus ſublunaribus, ut ſemine,parentibus, horum conditione &c. & in illo concurſu notandum quid poſſint & efficiant cœleſtes & quid ſublunares. Aſtrologi verò ex corporum cœleſtium ſibi notis viribus,dicunt qualis ſit Natus, & de ipſo futurum ſit; quidque ab eo ex parte Cœli ſperandum aut timendum ſit, nec dicunt qualis ſit Natus, vel quid de eo futurum ſit ex ſublunaribus cauſis concurrentibus, quæ non ſunt illorum objectum: ideoque non eſt eorum munus ferre ſententiam aut vaticinari ex cauſis ſublunaribus, ſed tantùm ex cœleſtibus. Nec tamen ſublunarium conſiderationem excludunt; imò hanc præcipiunt, ut patet cap. 1. & 2. lib. 1. Quatrip. Quod ſi quis cum Alexandro de Angelis protervè clamitet, Aſtrologos prædicere ex ſola inſpectione corporum cœleſtium. Reſpondeo illos quatenus Aſtrologos non ad aliud aſtringi, facereq; quod ſuum eſt: ſemperq; ab illis audiendum eſſe quid Cœlum ſignificet, ut huic ſignificato ſublunares cauſæ ad accuratiorē notitiam præſentium & futurorum accommodentur vel opponantur. Atq; his pauciſſimis verbis ferè omnia diſſipantur quæ Alexander

de

de Angelis congeſſit in illis tribus libris. Quæ verò habet eodem libro contra cœleſte temperamentum : de mutatione nativi temperamenti, à Nutrice, victu, exercitiis, educatione, regione, medicamentis, &c. de propoſitionibus naturalibus, de Caſu, de Divina Providentia, de Legibus, de conſcientia, & contra influentias; evidentiſſimè à Nobis refelluntur ſect. 2. & 3. lib. 12. ad quas Lectorem remittimus : ſimulque refellitur Picus Mirandulanus à quo de Angelis maximam ſui Operis partem deſumpſit.

Objiciunt alii plerique. Quod ſi vera eſſent Aſtrologorum decreta, ſequeretur omnes qui ſimul occumbunt in prœlio, vel ſubmerguntur in navi, natos fuiſſe eodem die ac eadem horâ; quandoquidem omnes eadem mors violenta eodem tempore tollit. Atqui illud eſt perabſurdum, nam ætate maximè differunt, ſuntque alii ſenes, alii juvenes & forſan alii adhuc infantes in Navi. Si verò dicatur illos diverſis temporibus natos fuiſſe, nihilominus ab Aſtris tali violenta morti deſtinatos, hoc etiam erit abſurdum; cùm nullus Aſtrologus id probare queat; nec ſit etiam probabile, tot genethliaca themata diverſorum temporum in diverſis etiam locis, convenire ad idem tempus pro eadem morte violenta, ferro, vel aquis in eodem loco. Ergo vana ſunt Aſtrologorum decreta de futuris Nato accidentibus.

Reſpondeo ad primam objectionis partem : Non omnes qui eodem die vel horâ naſcuntur in eadem etiam urbe, neceſſariò ſubjici iiſdem accidentibus à natalitio Themate, niſi fatalis neceſſitas afferatur, quam Ptolomæus etiam Ethnicus ſuprà repudiavit, multóque magis repudiabitur à quolibet vero Chriſtiano Philoſopho, ut libertatis deſtructiva, quæ tamen negari nequit. Ergo nec ſequitur, quod omnes qui eadem horâ trucidantur vel ſubmerguntur, eadem horâ nati ſunt, rediret enim fatalis neceſſitas. Ad ſecundum Reſpondeo: Ne quidem probabile eſſe, tot eadem horâ ſubmerſos, fuiſſe tali morti à cujuſque natali themate obnoxios, quamvis hoc nonnullis accidere poterit; ſed nec navigantes in Navi, nec milites in prœlio ſui ſunt juris vel liberi; quin potiùs ſubditi ſunt, hi Præfecto exercitus, illi Nauclero quibus coguntur obſequi, ut cauſæ ſibi ſuperiori & generali, à quorum ductu vel regimine omnium vita dependet, etiam eodem tempore. Si igitur in ſuo regimine cauſa generalis fuerit infœlix, particulares pereunt; non proprio fato, ſed cauſæ generalis cui alligantur, & ſubordinantur, cui tunc tale ſignificatur infortunium : ſi verò cauſa generalis in prœlio ſit fœlix & vincat, amiſſis nihilominus 10000. militibus, hi rurſus pereunt fato cauſæ generalis, cui prœlium & victoria, ſed difficilis & periculoſa, ideoque cruenta ſignificabitur illo die : aut etiam pereunt fato ſui Ducis particularis tunc infortunati. Non enim Præfectus totius exercitus fœlix, fœlices habet omnes alios Duces ſibi ſubalternos. Eademque eſt ratio in cæteris: ſemper enim cauſa particularis patitur à fato univerſalis aut ſuperioris cui alligatur & ſubjicitur, ſicq; mortuo Principe vel Magnate, ejus domeſtici privantur ſuis officiis vel functionibus, &c.

Objiciunt alii, Aſtra non eſſe cauſas effectrices, ſed tantùm ſigna eorum quæ in his ſublunaribus fiunt : Hujuſque opinionis fuit etiam Cardanus Aſtrologus, Philoſophus & Medicus; quæſt. 13. lib. de Interrog. nec non Keplerus.

Sed contrarium probatur à nobis evidentiſſimè lib. 12. ſect. 1. cap. 7. ad quod Lectorem remittimus, videbitque hujus non minimæ difficultatis claram ſolutionem; videat etiam lib. 22. ſect. 4. cap. 6.

Cæterùm hîc præ cæteris non videtur omittendus Petrus Gaſſendus, Eccleſiæ Dinienſis Præpoſitus, in Mathematicis meus Collega, & hoc ſeculo Epicureæ Philoſophiæ reſtitutor ac promotor celebris: de quo ſatis locutum eſt in Diſſertatione noſtra, adverſus ejus Philoſophiam Epicuream : ſed præſertim in ipſius Diſſertationis Defenſione; & maximè in Epiſtola Panurgi *De tribus Impoſtoribus*, ubi talis Philoſophia penitus everſa eſt, in ridiculas atomos inaneque reſoluta. Ipſe enim quamvis omnium qui in Aſtrologiam ſcripſerunt, fuerit hujus ſcientiæ maximè ignarus; quippe quòd ipſam neget ludibrioque habeat, & nunquam ſit expertus, tamen in ſua Philoſophia Epicurea longo diſcurſu totiſque viribus conatus eſt, cæteris omnibus hac in palæſtra palmam præripere, ſed fruſtra. Picus enim Mirandulanus, Alexander de Angelis, & Sixtus ab Hemminga, qui ſaltem Aſtrologorum libros evolverunt; & à quibus ille deſumpſit, longè acriùs in Aſtrologiam inſultant: Ne igitur alii ignari, præſertim Gaſſendi opinionibus cæcè additi, diutius ab eo fallantur, & mendacium veritati prævaleat; breviter quoad fieri poterit hîc à nobis refutanda ſunt, quæ in longo illo diſcurſu continentur. Nec enim in Aſtrologia, quam ignorat, nobis timendus eſt ille qui pro Philoſophia, cujus eſt Doctor, hujus refutatione nobis reſpondere nequivit præter atrociſſima convitia, impoſturas atque mendacia.

Præmonemus autem primò, Ipſum nihil ferè aliud objicere, quàm quæ à ſupradictis Authoribus pro ſuo more excerpſit & ſibi arrogat talibus rapinis aſſuetus, ſuppreſſis Authorum nominibus; imò arbitror Gaſſendum non alio uſum fuiſſe ut pharetrâ & ſagittis ad Aſtro-

logiam

logiam confodiendam quàm libro de Angelis, qui ſimiliter à Pico & Hemminga deſumpſit. Secundò Ipſum nihil eorum quæ ad Aſtrologiam pertinent diſcutere phyſicis rationibus : ſed duntaxat de iis pueriles quæſtiones, dubitationes, admirationes, & exclamationes exponere, quæ nihil probant neque refellunt, ut fecêre authores ſupradicti. Tertio: Si de ſuo quidpiam propoſuit, hoc in rei veritate nullius eſſe momenti, præterquam ad ejus in hac ſcientia majorem inſcitiam propalandam.

Itaque circa primum; videantur in propriis locis Aſtrologiæ noſtræ ſolutiones objectionum Pici Mirandulani, Sixti ab Hemminga, Alexandri de Angelis, & aliorum, quas Gaſſendus ab eis depromptas nobis iterum obtruſit, ne ſuperfluis repetitionibus hæc Præfatio nimis infletur.

Circa ſecundum: Aſtrologia inter omnes alias ſcientias ejus naturæ eſt, ut quemlibet ignarum in eam inſultantem confundere, excœcare & ad inſaniam redigere queat: unde nil mirum quod ratione deſtitutus, quæſtiunculis, exclamationibus & verbis inanibus ac ridiculis ſuum intentum perſuadere conetur: Atque hoc commune eſt Gaſſendo, & prædictis authoribus. Hoc autem indignum eſt minimo etiam Philoſopho, qui rationibus agere debet, ergo multò magis Maximo qualis haberi voluit Gaſſendus in ſuis Libris ſub nomine Franciſci Bernerii ſui diſcipuli in lucem editis, pro vana ſua Philoſophiæ defenſione, in quibus ſcilicet ſe in ſcientiis virum Incomparabilem, Maximum, Gigantem & Elephantem eſſe jactat reſpectu mei, quem duntaxat Mirmidonem, Pygmeum, & culicem eſſe ait, quòd nec me nec ſe ipſum cognoverit. Ac ne videar illi imponere, poſtquam Aſtrologiæ principia expoſuit, de Zodiaci diviſionibus in ſigna diverſæ naturæ; de naturis Planetarum eorumque dignitatibus, fortitudinibus & effectibus in ſingulis ſignis; de Aſpectibus, &c: Hæc omnia his tantùm verbis refellit. *Non eſt quorſum in his refellendis tempus teratur, ut ſatis videatur ea enumeraſſe, ut quàm ſint non modò incerta ſed etiam fictitia manifeſtum fiat.* Contra ſignorum naturam elementalem, igneam, aëream, aqueam, terream hæc habet. *Ecquis eſt qui in Cœlum intendens, tametſi apud nos eſſe concedat 4. vulgaria elementa, in Cœlo nihilominus deprehendat duodecimam partem igneam, cum duabus circumſtantibus, altera aqueâ, altera terreâ? vide an habere cerebrum oporteat & ſimile quid obſervabile credere?* Contra ſignorum diviſionem in ſigna maſculina, & fœminina hæc dicit. *An non ſi cuique maſculino ſigno copulandum fœmineum erat, debebat ovis arietem ſequi, aut ſaltem non Taurus, ſed vacca inſcribi?* Quæ ſanè refutationes ſunt ridiculæ, & Philoſopho indignæ, Gaſſendo tantùm excepto: Cujus diſcurſus tantùm ſimilibus nugis refertus eſt, ſine ulla prorſus ratione quæ quidpiam probet adverſus Aſtrologiæ ſcientiam, quam tamen dum eſſet vivus, condemnavit hic Judex ignarus, ſed tales ignari de rebus ſibi ignotis judicant, ut ſe nihil ignorare aliis ignaris perſuadeant.

Tertium verò jam à nobis probandum eſt, ac primùm circa Aſtrologiæ principia. Itaq; dum ſuperiùs dixit contra Signorum elementalem naturam. *Et quis eſt in Cœlum intendens*, &c: Reſpondendum eſt, ut Plato reſpondit Epicuro formas & ideas reſpuenti, ac dicenti, *ſe Cyathum videre, at non cyathitatem: Habes oculos* (reſpondit Plato) *quibus Cyathum videas; at mentem non habes quâ videas cyathitatem.* Sic igitur reſpondi Gaſſendo Epicuri diſcipulo. Habes oculos quibus videas 4. elementa ſublunaria: At mentem non habes quâ videas elementa cœleſtia; Quæ dari probamus validis rationibus & experientiis lib. 2. ſect. 1. cap. 1. 2. 3. 4. 5.

Circa ejus aridas quæſtiunculas de conditione & ſexu ſignorum legantur à nobis tradita libro 14. ſect. 2. cap. 3. 4.

Circa ſterilem quæſtiunculam. *Cur Soli & Lunæ ſit unica domus in Zodiaco; reliquorum Planetarum ſingulis binæ?* Legatur lib. 15. Dum ait. *Quod ſpectat ad exaltationes; Mirum quàm ardenter amplexati ſunt Aſtrologi, dari Planetarum ſummas Abſides. At nunc Abſidibus mutatis, quorſumnam eaſdem exaltationes retinent?* Patet ex hac jejuna quæſtiuncula, Gaſſendi hac in parte inſcitia principiorum Aſtrologiæ: Quippe quòd Planetarum exaltationes nihil habeant commune cum ſummis eorum abſidibus, nec ab his illas dependentes fecerint Aſtrologi; ut poſt Plinium & Picum opinatus eſt Gaſſendus, legatur libri 15. cap. 5.

Circa ejus ridiculas, inanes nihilque probantes quæſtiunculas de Dominatu Signorum in corporis humani partes; de commutatis Aſteriſmorum & Dodecatemoriorum viribus; de Planetarum natura calida, frigida &c: benefica, malefica; de eorum fortitudinibus & debilitatibus: legantur quæ à nobis dicta ſunt in propriis locis contra Picum & de Angelis, quorum objectiones Gaſſendus ſibi arrogat tantumque repetit in ſuo Diſcurſu poſteriùs edito.

Circa aſpectuum naturam beneficam maleficamque vult Aſtrologos eam deſumpſiſſe ab aſpectu oculorum qui in ſextili & trino benevolè, in quadrato & oppoſito malevolè intuentur, ſed in hoc imponit Aſtrologis: Quaſi verò duo homines, aut vir & mulier ſibi præſentes & ex diametro oppoſiti, ſeſe benevolè intueri nequeant, & in trino poſiti malevolè.

Dum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Dum ait: Quis capiat Jovem & Venerem habere in Trino 5. teſtimonia fortitudinis, in Sextili 4. in intercepto Quadrato nullam? quæſtiuncula hæc nihil probat præter Gaſſendi impoſturam. Aſtrologi enim dant Quadrato aſpectui malefico fortitudinem maleficam, ut Trino & Sextili beneficis beneficam: ac utramque probat experientia.

Circa ejus ſteriles quæſtiunculas: *Cur Cœlum pro figura cœleſti potiùs in domos 12 quàm in* 8. 10. 16. 20 *dividatur? & nonne diviſio hæc ſit merè arbitraria? Nonneque præclarius fieret per circulos aliquot Horizonti parallelos, aut certè qui ſe in vertice & oppoſito puncto interſecarent?* Patet ipſum duntaxat imprudenter quæſiviſſe quidquid ejus occurrebat imaginationi. Quo non probavit id fuiſſe præclarius; aut ſaltem validis rationibus non evertit diviſionem à Ptolomæo traditam & uſitatam. Quia nempe neutrum potuit, factuſque fuiſſet adhuc magis ridiculus Aſtrologis omnibus, quorum nullus de tam abſurdis & à Natura alienis diviſionibus cogitavit: In quarum priore Planetæ in obliquiore ſphœra nunquam reperti fuiſſent in domibus vertici ex puncto oppoſito vicinis: In poſteriori verò domus ſingulæ fuiſſent partim ſupra, partim intra Horizontem; contra Ptolomæi, ejuſque Prædeceſſorum mentem. Qua de re vide librum 18 Aſtrologiæ noſtræ.

Circa proprietates domorum figuræ cœleſtis, ut quod una ſit vitæ, alia morborum &c: multas propoſuit quæſtiunculas; ſed planè famelicas, & rationis vacuas; nihil probantes nihilque refutantes, ex quibus tamen fruſtra concludit. *An quicquam manifeſtius eſt quàm totam accomodationem eſſe merè fictitiam?* Deinde verò ſubjungit quod in libello à Me olim in lucem edito, cui titulus eſt Aſtrologicarum Domorum Cabala Detecta, quatuor excogitaveram quæ præfeci figuræ cardinibus: ut puta Vitam Horoſcopo; Bonum Medio Cœli; Amorem Occaſui; & Paſſionem imo Cœli. Sed Gaſſendus non ſyncerè hîc mea verba retulit. Ego enim illis quatuor cardinibus, 4. hæc naturalibus rationibus attribuo; Vitam, Actionem, Conjugium & Paſſionem; vel hæc 4. æquivalentia, Ortum, Vigorem, Declinationem, & Interitum: quorum quodlibet ternario multiplicatum ob rationem dictam in Cabala, fiunt 12 domus. Tandem verò ait hæc à Me gratis aſſumpta fuiſſe; & omnium à Me dictorum rationes quærit: Ac præſertim, *Quî fieri poſsit ut vita in* D E O *ſeu* D E V S *in quo omnia vivunt, alligetur domui nonæ potiùs quàm primæ, quàm omnibus, quàm nulli? Cur ſi vita in* DEO *fiat unum membrum, non fiat vita in Sole aliud, in Parentibus tertium?*

Verùm cur rationes à Me quærit quas in ipſa quam vidit Cabala tradidi? Cur eas validis rationibus ipſe non refellit? Profectò quia id non potuit: ſibique ſat eſſe viſum eſt ignaro Lectori aridis quæſtiunculis nihil docentibus illudere. Quod verò ait me D E U M alligare domui nonæ, impoſtura eſt ac inſcitia. Primò quia Religio quæ eſt vita in D E O (juxta illud C H R I S T I in Evangelio Joan. cap. 6. *Qui credit in me habet vitam æternam:* Et cap. 17. *Hæc eſt autem vita æterna ut cognoſcant Te* D E V M *verum & quem miſiſti* IESVM CHRISTVM) Hæc inquam vita in D E O non eſt D E U S, ut putavit Gaſſendus. Secundò. Quia nec D E U M nec Religionem alligavi domui nonæ, ſed tantùm dixi ex domo nona ſumi præſagia de Nati Religione, hoc eſt propenſione circa Religionem: Quòd nempe nona domus ſigna & planetas determinet circa Nati Religionem, non autem prima nec alia, ſaltem per ſe ob differentes domorum proprietates. Et dum ait, quod ſi vita in D E O unum fiat membrum, cur non fiat vita in Sole aliud? in Parentibus tertium? Ex his quæſtiunculis patet Gaſſendi inſcitia. Nam homo natus verè in D E O vivit per Religionem veram, & non metaphoricè: At neque in Sole neque Parentibus verè vivit. Non enim eſt in Sole nec in Parentibus, cùm tamen ſit in D E O, ac in ſuis Liberis per ſuum ſemen, ut omnibus notum eſt. Atque hæc ſunt Gaſſendi futilia non argumenta, ſed verba & quæſtiunculæ, circa Aſtrologiæ principia, & præſertim noſtram Domorum Cabalam.

Poſt hæc verò inſurgit adverſus Judicia & Prædictiones Aſtrologicas bifariam diviſas: ſcilicet in generales à Conſtitutionibus generalibus, & particulares à particularibus. Ac primò videt Conſtitutionum generalium Dominos electos, aitque: *Quaſi verò ſi ſit habendus inter Planetas Dominus, Sol jus ſuum alicui cedat: Et ſecundùm non debeat dominium Lunæ competere? Quaſi inquam Soli aut Lunæ eripiendum dominium ſit, & Marti, Mercurio aliive tradendum, cujus reſpectu potentia Solis & Lunæ pene obſcuretur?*

At circa Judicia Gaſſendus doctior non invenietur, quàm circa Principia. Quid enim hîc probat eorum quæ dicit? ſanè nihil. Nec quæſtio eſt de præcipuo vel potentiore inter Planetas abſolutè ſpectato, ut putavit Gaſſendus; ſed de Dominio Conſtitutionis penes cujus naturam atque ſtatum contingent effectus Conſtitutionis ipſius. Unde perſuadere mihi nequeo, quod tantus Philoſophus & Aſtrorum obſervator, quantus cenſetur Gaſſendus à ſuis diſcipulis, adhuc neſciat quod à Noviluniis & Pleniluniis præſertim Eclipticis hęc Sublunaria maximè alterentur, omneſque Sublunares alterationes cauſentur à diverſis corporum cœleſtium naturis

turis eorumque diverſo motu ac ſitu inter ſe & Telluris reſpectu: quodque ſublato ipſorum corporum motu ac ſitu diverſo, omnia hæc inferiora ſemper in eodem ſtatu permanerent. Jam verò ſingula novilunia & Solis Eclipſes, etiam in eodem ſigno contingentes, non eodem modo Tellurem afficiunt ejuſque incolas, ut patet ex hujus anni 1652. magna Solis Eclipſi in gradu 19. Arietis, oriente Pariſiis Saturno domino octavæ domus in 22. gradu Cancri cui Luna præeſt, quam Eclipſim præter politicas mutationes, tanta per Galliam mortalitas ſecuta eſt, ut Pariſiis credantur mortui & febribus malignis pluſquàm centum millia ægroti, ſine peſte, quamvis in ſingulis noviluniis & Eclipſibus Solis, Sol & Luna conjungantur in Zodiaci gradu: proindeque differentia effectuum ab aliis cauſis cœleſtibus petenda ſit quàm à Sole & Luna; quorum jura in Conſtitutionibus ignoravit Gaſſendus. Nec ſatisfaciet dicens pro effugio, quod differentia petenda eſt à diverſa diſpoſitione rerum Sublunarium in ſingulis Terræ locis; quia hæc diſpoſitio eſt à cauſis cœleſtibus quæ movent Sublunares continuò mutabiles: Non ego Sol & Luna dominantur in ſingulis Conſtitutionibus univerſalibus; ſed aliquando unus & aliquando plures ex aliis Planetis, ut contigit in ſupradicta Eclipſi Solis, cujus Domini præcipui fuerunt ambo malefici, ſcilicet Mars, in cujus ſigno igneo facta eſt Eclipſis in decima domo, nec non Saturnus malignè affectus oriens in Quadrato Solis & Lunæ: atque de his Gaſſendus erit docendus. Dumque ſubſequenter ait, *Ecquid facere poteſt ad electionem Domini* ipſum momentum, quo centrum Solis aut Æquatorem præterit, aut alterutrum Tropicorum attingit? Et nonne Sol ad eos accedens, aut ab eis recedens uno tenore progreditur, neque in ipſis influxum ſic variat, ut non idem ſit ante & poſt? aut ſi variat, non ſit idem ante & poſt varietatis tenor? adeo ut ex uno momento nil jure poſſit magis colligi, quàm ex quovis alio aut præcedente aut ſubſequente? Quod idem planè dicendum eſt de iis momentis quibus Luna eſt in ipſis ſeu Conjunctionis ſeu Oppoſitionis, ſeu mox Antecedentibus aut Conſequentibus momentis? Hîc adhuc ſuis inanibus, aridis quæſtiunculis nihil omnino probat præter ſuam Aſtrologiæ inſcitiam.

Nam ſi à Noviluniis & Pleniluniis præſertim Eclipticis hæc Sublunaria maximè alterantur ut ſupra dictum eſt: tum ab ingreſſu Solis in puncta cardinalia Zodiaci, præſertim æquinoctialia; Ergo momenta Noviluniorum, Pleniluniorum & ingreſſuum Solis ad hoc proſunt ut ad illa erigatur figura Conſtitutionis Cœleſtis: In qua deinde eligitur Dominus ſive Planeta, potentior, ſecundum quem effectus Conſtitutionis præcipuè producuntur: quandoquidem Conſtitutiones ſingulæ diverſos inter ſe pariunt effectus ex ſupra dictis. Quod ſi Gaſſendus de his credere noluit Ptolomæo & aliis Aſtrologis in hac Arte ſuis Magiſtris, jure relegandus fuit ad Ruſticos in Terra pro Plantarum cultura, & Nautas in Mari pro Oceani fluxibus & refluxibus, qui ipſum erudirent. Quippe Maximus hic Philoſophus qui etiam de ſuis Aſtrorum obſervationibus toto vitæ decurſu tantopere gloriatus, ne quidem unius tantùm Planetæ aut fixæ naturam, vires & formales effectus in his inferioribus unquam obſervavit, notavit, & in ſuis Libris Poſteros docuit: Imò nec unius Planetæ aut fixæ verum motum ex propriis principiis reformavit; Nec tamen ipſum puduit, viros illuſtres qui Aſtrologiæ excolendæ provinciam ſuſceperunt, irridere.

Ut autem ſuam tegeret inſcitiam duo dixit quæ hanc ampliùs detegunt. Primum: Quod circuli cœleſtes, ut Æquator, Ecliptica, &c: ſunt imaginarii, omniſque virtutis expertes. Secundum quod nemo certus eſſe poteſt momentorum Conſtitutionum ipſarum.

Jam verò primum probatur eſſe falſum. Nam ſive motus primus competat Cœlo, ſive Terræ (dicimus autem competere Cœlo) datur in rerum natura nemine cogitante circulus maximus hujuſce motus, qui dicitur Æquator, iſque unicus, qui deſignari & demonſtrari poteſt. Non ergo imaginarius eſt. Et de Ecliptica idem dici poteſt pro motu ſecundo: Tum de Horizonte, qui nemine cogitante dividit hæmiſphœrium ſuperius ab inferiori; Tum de Meridiano, qui dividit partem Cœli orientalem ab occidentali, & in quo Aſtra maximè ſuper Horizontem elevantur & potentiùs agunt, etiam elementaliter. Quod verò hi circuli ſunt omnis virtutis expertes, probatur evidenter eſſe falſum. Nam Eclipſes ideo ſunt cæteris Lunationibus efficaciores, quia fiunt in Ecliptica, & ſinguli Planetæ eò potentiùs agunt, quò ſunt viciniores Eclipticæ, & in ipſa Ecliptica potentiſſimè. Dumque Sol verſatur in punctis Æquinoctialibus, maximæ fiunt alterationes in Terra, & maximi æſtus in Mari, quia tunc ſimul eſt in Ecliptica & Æquatore: Ac in Horizonte & Meridiano Planetæ potentiùs agunt quàm in aliis locis figuræ cœleſtis. Atque hæc omnia ſunt adeo manifeſta præſertim Aſtrologis, ut mente cæcus ſit in Aſtrorum obſervationibus qui hæc videre non poteſt. Jam verò quis hæc animadvertens, hos circulos nullius eſſe virtutis aſſeret? Nonne ſimiliter punctum illud in quo radii Solis à Speculo concavo reflexi coeunt & comburunt, dicendum erit punctum imaginarium, nulliuſque virtutis? Quod ſi illi circuli ſint alicujus, imò tantæ virtutis, abſurdè

dicentur

diſcentur duntaxat imaginarii : non enim reales virtutis inſunt rebus duntaxat imaginariis.

Ad ſecundum autem quod attinet, ſi conſtitutionum momenta obſervari nequeunt, Gaſſendus qui totâ ſuâ vitâ momentis eclipſium & appulſuum Lunæ ad fixas obſervandis operam dedit, ſe ridiculum exhibuit : niſi dixerimus quod ad prædictiones ſufficiunt momenta in tali præciſione obſervata ; quamvis per Aſtronomiam à Nobis fundamentaliter reſtitutam accuratiùs obſervari & determinari queant, præſertim pro Tabulis modernum reformandis. Quod verò ſpectat ad circulos Tropicos, Polares & Coluros, hi quidem ſunt imaginarii & nullius per ſe virtutis : dumque tandem Gaſſendus ait, quod Sol accedens ad ipſos circulos, aut ab eis recedens, influxum ſic non variat, ut non ſit idem ante & poſt varietatis tenor ; hoc omnino falſum probatur ex anni quartis inter ſe in Temperatura diverſis : quodque nulla æſtas vel Autumnus, imò nullum æquinoctium Vernum aut ſolſtitium æſtivum, alteri præcedenti vel ſequenti omnino ſimilis deprehendatur, ut lippis & tonſoribus notum eſt : quódque Agricolæ non quodlibet momentum Lunaris motus, ſed conjunctiones & oppoſitiones præſertim ad ſua opera fœliciter agenda eligant.

Poſt hæc ſequuntur duæ quæſtiunculæ aridæ, ſi Luna (inquit) & prout augetur vel minuitur lumine, alterat hæc inferiora : nonne idem erit dicendum de Venere ? tum ſi Terra tantopere alteratur à ſuæ Lunæ aſpectibus, nonne Jupiter ſummè alterabitur à ſuarum quatuor Lunarum multò velociorum & crebriùs configuratarum aſpectibus ? & nonne Jupiter inde fiet fortior, debilior, aut alius reſpectu Terræ ? ſic de Saturno & ſuis anſulis.

Sed ad Primam reſpondeo : Lunam talia non præſtare à ſuo majori vel minori lumine, quod duntaxat illuminat & nihil aliud efficit, ut probavimus Libro 11. cap. 13. ſed à ſuis cum Sole & aliis Planetis aſpectibus reſpectu Terræ, & appulſu ad fixas : quod etiam dicendum eſt de Venere : Ad Secundam reſpondeo : Gaſſendum neſciviſſe quid diceret. Non enim Luna alteratur ſaltem influentaliter à ſuis aſpectibus ad Solem reſpectu Terræ ; ſed Terra ipſa : ſimiliterque Terra alteratur à Jove, pro ſuis ad Solem ſyzigiis reſpectu ipſius Terræ : Jupiter verò à ſuis ſatellitibus Planetis non alteratur influentialiter, ſicut nec Sol à ſuis ſatellitibus, ut à Nobis probatum eſt Libro ſecundo, ſect. 2. cap. 1. Tota igitur hæc maxima Gaſſendi impugnatio circa Conſtitutiones univerſales, ut rationibus caret, ita virtute ad Aſtrologiam evertendam.

Deinde verò Gaſſendus ridet Portarum apertiones, & Planetarum appulſus ad fixas, ſine promiſſis effectibus ab Aſtrologis.

Sed neſcivit, quod in Judiciis Aſtrorum ſive generalibus pro aëre, ſive particularibus pro homine, non eſt pronunciandum ex unica cauſa, ſed plures tunc vigentes attendendæ ; ferendaque ſententia pro robuſtiore parte, aut temperanda pro cauſarum miſcella & anni quarta ; quod arduum eſt, nec factum à Gaſſendo. Miratur poſtea quod Aſtrologi vires tribuant Præſepi, Aſellis & Stellis nebuloſis, nihil autem toti Viæ Lacteæ quæ in Cœlo eſt adeo inſignis & innumeris referta ſtellulis non otioſis.

At Primò : Gaſſendus non legit Aſtrologos, qui frequenter loquuntur de Planetis in Via Lactea repertis. Secundò : Cur non æquè dixit Aſtrologos vires tribuere Præſepi, nihil autem toti Cœlo ſtellato, adhuc longè inſigniori & pluribus ſtellis referto, quàm Via Lactea ? Tertiò : Via Lactea non eſt particulare corpus, vel particularis conſtellatio, ſed faſcia totum cingens Cœlum ſtellarum, pluresque continens conſtellationes : ergo ejus peculiaris natura influentialis inveſtigari non debet, nec poteſt ; donec Gaſſendus ſignum aliquod in Zodiaco & domum aliquam in figura cœleſti condiderit, in quibus tota Via Lactea (riſum teneatis amici) collocari poſſit. Ex his enim Aſtrologi particulares venati ſunt corporum cœleſtium naturas & vires influentiales. Videantur quæ à Nobis dicta ſunt de Via Lactea Lib. 3. ſect. 3. cap. 1.

Tandem verò Gaſſendus ipſa veritate coactus pag. ſuæ Philoſophiæ 943. ait. *Non negatur quidem, quin DEVS aliquas virtutes ſyderibus tribuerit : ſed quæſtio eſt, an Aſtrologi illas perſpectas habeant ?*

At ego : Si Aſtrologi hujus Artis Magiſtri & Obſervatores illas virtutes non habent perſpectas, quis igitur illas habebit perſpectas ? nunquid ipſe Gaſſendus Aſtrologiæ prorſus ignarus ; quique nullius Aſtri vim in hæc inferiora cognovit in tota ſua vita, excepto lumine & calore Solis, quamvis maximus habeatur Philoſophus, ac præſertim Phyſicus à ſuis diſcipulis, qui toties illum ad Aſtra naſo ſuſpenſum viderunt ? ſanè tanti erat Philoſophi & Aſtronomi, ſi non auſus fuiſſet ſe committere Mari magno & ſpatioſo ſtellarum fixarum, ſaltem in-

inveſtigare ac tradere, an Planetæ eſſent ejuſdem inter ſe ſpeciei vel naturæ, an verò diverſæ: ſi quæ eſſent diverſæ, docere quænam ſit natura & virtus ſingulorum, ex eorum effectibus, in hæc interiora: ſed de his nihil unquam dixit: prorſus ſimilis ei qui in Horto Medicinæ Regiæ cum ſuis inſtrumentis ſingularum plantarum diſtantias inter ſe tota ſua vita obſervaret ad minuta & ſecunda uſque, nullius autem plantæ vires & naturam cognoſceret: & quia hæc ipſi ſunt ignota, vult illa omnibus aliis & præſertim Aſtrologis etiam eſſe ignota.

Conſequenter fatetur, Cœlum eſſe cauſam generalem plurium effectuum: ſed in his inferioribus ſunt cauſæ ſpeciales & per ſe ad quas referendum eſt quod illi effectus hîc & nunc ad hoc modo non alio contingant. Et loquens de natalitiis conſtitutionibus, idem repetit his verbis. *Quæcumque ſit illa ſyderum actio, generalis eſt; neque ex illa effectus ullus ſingularis producitur, niſi quatenus coit cum actione cujuſpiam cauſæ ſingularis, quæ determinet tribuatque effectui ut talis potiùs quàm talis ſit.*

Cæterùm doctrinam iſtam Gaſſendo ignotam jam ſuperiùs contra Alexandrum de Angelis evidentiſſimè explicuimus. Sed quia ſaltem fatetur Gaſſendus DEUM dediſſe virtutes ſyderibus, quibus agunt prout determinantur à cauſis ſublunaribus particularibus: ergo ad ampliorem veritatis confeſſionem quaſi gehennâ nobis eſt compellendus. Primò igitur dico: Ipſum neſciviſſe quid ſit propriè cauſa univerſalis & particularis de quibus loquitur. Videatur ergo Liber 7. cap. 8. Secundò non negant Aſtrologi, quod generalis actio Cœli vel Planetæ, ſpecificatur à particulari cauſa ſublunari. Ideoque Sol cùm homine generat hominem, non bovem; & cum bove bovem, non leonem: ſed quæſtio eſt, an in hoc cauſarum concurſu Sol det aliquid effectui, quod non detur à cauſa ſublunari? ſi negetur, ergo Sol erit ſuperfluus in effectu; ideoque nihil aget, contra hypotheſim, quia Natura nihil efficit fruſtra. Quomodo enim conſtabit Solem aliquid agere ex ſe, niſi ex ſe det aliquid effectui, quod à cauſis proximis & particularibus eſſe nequit? ſi verò aſſeratur; ergo Sol ſecundum ſuam naturam aget: & ſimiliter Saturnus ſecundum ſuam, Jupiter ſecundum ſuam, &c: ſicque ſinguli diverſa dabunt effectui; niſi Gaſſendus id impediat, dicendo Solem, Lunam & reliquos Planetas ejuſdem eſſe naturæ vel ſpeciei, atque virtutis, quod nemo ſanæ mentis cum illo dixerit. Sed hoc inſuper notandum eſt, quod quamvis Planetæ omnes à Petro naſcente determinentur; tamen non omnes eodem modo vel circa idem determinantur; ſed alius circa vitam, alius circa mortem; alius circa actiones, &c: idemque de ſignis Zodiaci: & hoc de Gaſſendo probabit experientia evidentiſſima in propria Geneſi. Itaque licet forma ſpecifica effectus, ſit à cauſis proximis, tamen ejus particularia accidentia vel propenſiones naturæ, erunt non ſolùm à cauſis proximis, ſed etiam à cœleſtibus, eritque verum illud Plotini quamvis oſoris Aſtrologiæ: *Sol non facit equum, ſed dat equo nonnihil.* Interim verò falſum eſt quod Gaſſendus imponit Aſtrologis; nempe quod dicant cauſas proximas eſſe Cœli inſtrumenta. Videatur pro cauſa principali & inſtrumentali Liber 7. cap. 9.

Paginâ 943. Poſtponit Aſtrologiam Medicinæ, Nauticæ, & Agriculturæ quoad prædictiones: cùm tamen hæ artes nihil prædicant, quàm quæ jam videntur eſſe in fieri. Aſtrologia verò eminus & à longè futura prædicat. Imò auſus eſt concludere pag. 946. *Fruſtra eſſe Leges quæ Aſtrologiam tolerant in iis quæ ad Medicinam, Agriculturam & Nauticam ſpectant*; ſicque condemnat Concilium Tridentinum & Bullam Sixti V. Atque hæc habet Gaſſendus circa prædictiones Conſtitutionum Univerſalium.

Circa prædictiones Nativitatum ſic incipit. *Imprimis ergo fata omnino ſeu quidquid in vita eventurum eſt, pendere volunt ab eo momento, quo infans editur in Lucem. Nempe contendunt ſydera, ac ſeptem præſertim Planetas, ubicumque ſint eo temporis puncto quo quis naſcitur; ita in ipſum agere, conferreque in unum radios, ut neceſſitatem ipſi imprimant tantùm & non ampliùs, nec minus vivendi, moriendi hoc genere mortis, conjugem ducendi tali tempore, naufragium certo die faciendi, certo alio excipiendi vulneris, iſto ineundi carcerem, illo cadendi à lite,* &c.

Ad quæ reſpondeo: Quod Saturnus dominus Horoſcopi in Geneſi Gaſſendi, exul in ſexta domo, in quadrato Martis domini Medii Cœli, & in Horoſcopo jus exaltationis habentis; non quidem neceſſitatem Gaſſendo impreſſit mendacia & impoſturas effutiendi; ſed dumtaxat illum tam fortiter inclinavit ad mendacia & impoſturas; ut quamvis præditus fuerit voluntate quæ eſt tali inclinationi ſuperior, hoc tamen in loco ſicut & alibi voluntatis neglecto dominio, ſuæ ad mendacia & impoſturas validæ inclinationi obſecutus fuerit. Mendacium verò & impoſtura patent, quia Ptolomæus etiam Ethnicus neceſſitatem illam reſpuit.

Videat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Videat Lector infra poſita contra Theologos Alexandrum de Angelis, &c: circa libertatem hominis.

Deinde miratur quod ſeptem Planetæ tam diverſimode influant in omnes qui eodem momento temporis naſcuntur per totum terræ circuitum, ſive ſint ſupra, ſive infra Terram: & ait. *Ecquis ſibi jure illud in mentem inducat?* ſed quia admiratio eſt filia ignorantiæ, hæc erat illi exuenda per obſervationes in genituris. Dumque ait, *vim Solis aut alterius Planetæ non poſſe per Terræ molem trajici.* Id quidem verum eſt de vi elementali caloris, frigoris, &c: non autem de influentiali: legantur ſectiones 1. & 3. libri 12.

Poſt hæc aſſerit. Quod ut Aſtrologus cuipiam prædicat aliquid, neceſſe eſt quod non ſolùm rationem habeat omnium prædeceſſorum ſuorum uſque ad Adam, ſine quibus ille non eſſet: ſed etiam omnium quibuſcum rem habiturus eſt, & eorum quoque prædeceſſorum.

Circa hoc autem videantur libro duodecimo cap. 4. noſtræ reſponſiones ad Picum & de Angelis, à quibus deſumpſit Gaſſendus, qui tamen tam abſurdæ aſſertionis exponit ratiunculam ſibi propriam, quâ Aſtrologiam confodere putat. Nempe, *quod cùm ſingulares ſint radii per quos Aſtrologi definiunt futuros eventus; neceſſe eſt definitionem eſſe ſingularis eventus: non poteſt autem eſſe ſingularis, ſine omnibus illis circumſtantiis: eritque Aſtrologia vaniſſima ſcientia niſi ſingulares eventus prædixerit. Ergo Aſtrologus eorum omnium rationem habere debet.*

Sed reſpondeo Primò: Non eſſe Aſtrologi prædicere ſingularia, ſed numine afflati ex aphor. 1. Centiloq. Secundò: Vaniſſimas igitur & inutiliſſimas fuiſſe omnes Prophetias veteris Teſtamenti, præſertim de CHRISTO, taleſque futuras de Anti-Chriſto, cùm nulla ſit quæ circumſtantias habeat quales poſcit Gaſſendus. Tertiò: Aſtrologos non definire futuros eventus per radios ſingulares Planetarum, ut putavit Gaſſendus Aſtrologiæ ignarus: ſed per Planetarum naturam ſtatum in Cœlo, & domum figuræ quam occupant in figura cœleſti: qua de re legatur liber 12. Quartò: Radii ex quibus voluit Gaſſendus Aſtrologos prædicere Natis futuros eventus, cognoſcuntur ſingulares eſſe vel à ſolo Gaſſendo, vel ab Aſtrologis. At non poterit (ex Gaſſendo) cognoſci ſingularis radius Solis, niſi cognoſcantur omnes radii & præſentes & præteriti aliorum aſtrorum ex diverſis Cœli punctis, cum quibus combinationem habuit à creatione Mundi: quod ſi hæc cognoſci queunt à ſolo Gaſſendo vel ab Aſtrologo; cur non ipſe effectus ſingularis? ſi cognoſci nequeunt (ut verè nequeunt) ergo aut nullus effectus ſcietur eſſe ſingularis, aut ad hoc ſciendum non erit opus illis circumſtantiis. Quintò: Aſſertionem Gaſſendi omnem tollere prædictionem & humanam providentiam in Medicina, Nautica, Agricultura, Militia, & omnibus aliis rebus, ſi nihil prædici queat in genere vel ſpecie; ſed omnis prædictio debeat eſſe de ſingulari effectu ut ſupra cognito. Sextò: Totam difficultatem in hoc conſiſtere. An ex eo quod cauſa cœleſtis ſit ſingularis, neceſſe ſit, ut ejus effectus ſit ſingularis? Hoc enim ſi aſſeratur, quoniam Sol eſt cauſa cœleſtis ſingularis, ergo neceſſe erit, ut ei unicus tantùm & ſingularis effectus competat: quod tamen abſurdum eſt, dum ſimul tempore illuminet, calefaciat & influat, qui ſunt effectus formaliter diverſi. Septimò: Si ſingularitas effectus conſiſteret in omnibus illis circumſtantiis, & ſine ipſis cognoſci non poſſet; evidens eſt quod Gaſſendus ne quidem ſciviſſet ſe eſſe hominem ſingularem. Vaniſſima igitur eſt hæc objectio.

Deinde Gaſſendus ait: Infantulum ſucceſſivè naſci: proindeque caput habere ſua fata priùſquam pedes, &c: dumque ait Cardanus, *ſumendum eſſe momentum quo Natus reſpirare incipit:* Reſpondet Gaſſendus: *Id dici gratis; parique jure ſpectandum eſſe momentum aut eradicatæ placentæ aut reſecti umbilici. Inſuperque momenta illa præciſè ſciri non poſſe, ob adhuc ignota Aſtrorum loca, Poli altitudinem, Meridianorum differentiam*, &c.

Ad primum autem reſpondeo: Eandem eſſe capitis & pedum animam ſingularem; nec corporis partes naſci ab invicem ſeparatas, ſed ſibi unitas; proindeque eundem influxum totum corpus ex illis compoſitum ſimul afficere, ut afficeret aqua baptiſmi, qua in difficili & periculoſo partu ſolum infantis caput egreſſum aſpergeretur. Ad Secundum reſpondeo: Quo momento Natus reſpirare incipit, eodem ex ſe vivere deſinit vitâ Matris, incipitque vivere vitâ ſibi propriâ: ideoque tunc per ſe liberatur à fato Matris & proprio ſubjicitur. Hoc autem non accidit quo momento placenta eradicatur, aut umbilicus reſecatur: reſecatio enim diu retardari poteſt fœtu nihil ampliùs à Matre per umbilicum accipiente. Ad tertium reſpondeo: Illud abſurdè objici ab Aſtronomo, quaſi neſciat nihil eorum impedire poſſe, quo minus adhibita ſaltem cautione & induſtria requiſita atque poſſibili, gradus oriens aut Cœlum medians in figura cognoſci queat; cùm non ſit opus minutis primis, ſecundis, tertiis, &c.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Poſt hæc aggreditur rectificationes Nativitatum per accidentia nati præterita, nec non methodos inveſtigandi tempora effectuum quæ ſunt Directio, Revolutio, Profectio animæ, & Tranſitus: ſed præter accepta ab de Angelis & Pico, nihil ex ſe habet quàm inanes & ridiculas quæſtiunculas. Ut dum quærit quomodo punctum Revolutionis exoriens perſentiſcat punctum Nativitatis? & in Tranſitibus quid cauſæ erit, cur Planeta iſtud potiùs quàm aliud punctum pertranſiens, hoc vel illud agere debeat, niſi Planeta ſit attentiſſimus dum quis naſcitur, ut ea omnia loca in quibus cæteri fuerunt tunc temporis ad unguem norit ac teneat? ſed de his omnibus fuſiſſimè & ex propriis principiis egimus contra Picum & de Angelis, libris 22. 23. & 24. quos videat Lector: Nobiſque hoc repetere ſufficiat, quod Aſtrologia ad inſaniam rediget quemcumque ignarum ejus principiorum, qui illam inſurgit.

Circa electiones, interrogationes & urbium fundationes videat Lector quæ diximus libris 25. & 26.

Tandem pro ſupremo conatu aggreditur Aſtrologos circa ſcientiæ antiquitatem, rationes & experientiam. Et circa Antiquitatem negat *Ptolomæum eſſe Authorem Quatripartiti*; ne hæc ſcientia jam tempore Ptolomæi fuiſſe credatur; qui tamen illam ab Ægyptiis & Chaldæis acceptam exponit, & cap. 1. lib. 3. rejicit antiquam methodum prædicendi, quia ipſam non intellexit. *Quod ſi* (inquit) *fuerit ejus author, an debet unius viri authoritas irrationalem artem ſuadere, præſertim cùm nullam reddat principiorum rationem?* ſed hîc concludit de ſcientiæ veritate aut falſitate, non autem de antiquitate. Probet autem Ptolomæum non eſſe authorem Quatripartiti aliter quàm ſuâ vanâ quæſtiunculâ.

Circa rationes repetit quod ſupra dixit de actione generali Aſtrorum, quæ (inquit) Aſtrologis non innoteſcit. Sed ad hæc jam ſupra reſpondimus.

Denique circa experientias & prædictiones ab Aſtrologis factas Alexandro, Julio Cæſari, Neroni, & aliis. Ait hæc omnia eſſe fabulas ſuppoſitas. Sed ſi Tacito, Apiano, Suetonio & cæteris gravibus Hiſtoricis fides denegetur, nonne ſic omnes hiſtoriæ pro fabulis habebuntur? & fabula erit Epicurum olim fuiſſe quem Gaſſendus his annis reſuſcitavit? ſed quis dicet contra tot prædictiones his temporibus factas à pluribus Aſtrologis, ſine omni apparentia effectuum à cauſis ſublunaribus, & tot viris doctis præſertim Aulicis notas? nunquid adhuc eas dicet eſſe fabulas, vel vafritiem Aſtrologorum? ſupererat igitur ipſi attenta mente conſulere experientiam; non ſolùm in propria ſed qualibet altera Geneſi, ac præſertim Virorum in moribus, ingenio & fortunæ caſibus illuſtrium; ac tandem palinodiam canere non erubeſcere, ſed mecum fateatur Aſtrologiam eſſe Phyſicarum ſcientiarum altiſſimam, nobiliſſimam & diviniſſimam: quamvis in omnibus ſuis libris, & adhuc noviſſimè in Vita Tychonis & Copernici, duo præcipuè in votis habuiſſe videri velit; nempe Terram in Cœlo revolvere; & Aſtrologiam funditus evertere; quam tamen Tycho ſemper excoluit: eamque duntaxat optavit perfectius tradi, quàm à prioribus Aſtrologis tradita fuerit: quod à me jam factum eſſe tota poſteritas fatebitur.

Atque hæc pro Gaſſendo ſufficiant, qui in toto ſuo diſcurſu ſuis inanibus aridiſque quæſtiunculis nihil omnino probavit adverſus Aſtrologiam, ſicut nec fecerunt de Angelis & Picus, à quibus totum ſuum deſumpſit diſcurſum: longéque meliùs exemplo Ariſtotelis honori ſuo conſuluiſſet, de Aſtrologia ſibi ignota tacere, quàm imperitè loqui: licet in tota ejus Philoſophia Epicurea, nihil hac Aſtrologiæ refutatione excellentius eſſe credatur à nonnullis ejus diſcipulis, qui ſibi ſupra cæteros ſapere videntur, & de hac re judicant ut cœci de coloribus: Quòd certè ipſam Philoſophiam Epicuream Gaſſendi non parum commendat.

Poſſem hîc examini ſubjicere 100. Aphoriſmos quos habet Laurentius Euchſtadius, in tertia parte ſuarum Ephemeridum; deſumptos à Pico Mirandulano, Argolo, & præcipuè Keplero, Aſtrologiæ prorſus ignaro: in quibus paucula ſunt vera, malè uſurpata; plurima falſa, & multa contradictoria vel invicem pugnantia. Verùm non eſt mihi otium ſingulas hujuſmodi nugas, ignaris duntaxat decipiendis idoneas, enucleandi: & tam in hac Præfatione, quàm in totius Aſtrologiæ Opere noſtro, cuncta ſufficientiſſimè exponuntur, falſaque à veris ſecernuntut. Jam ergo ad Medicos aciem convertamus.

Mirum profectò eſt, quod Medici qui non circa herbas, fructices & arbores laborant ut ruſtici; ſed circa corpus humanum, cujus causâ & Aſtrorum vires atque motus obſervandos aſtringuntur ab Hipocrate & Galeno: tamen hac in parte ſint imperitiores ruſticis; qui in ſerendo, plantando, ſcindendo, inſerendo, & alia Agriculturæ opera inchoando ſaltem Lunam ſtudioſè obſervant, ſublimioris Aſtrologiæ incapaces; experientiâ docti quantùm hoc proſit, quantúmque noceat Lunæ ſtatum non attendere ad opus inchoandum: Medici verò in curandis hominum morbis nullam Aſtrorum rationem habeant; quaſi hæc eſſent duntaxat inanes in Cœlo ſtatuæ nullius virtutis in hæc

infe-

inferiora; à quibus nulla fieret corporum noſtrorum alteratio: ita ut certò affirmare queam, Me Lutetiæ (quæ Medicis ſaltem trecentis luxuriat) ne quidem ab annis 40. unicum noviſſe Aſtrologiæ peritum ad erigendas & judicandas figuras cœleſtes. Vidi quidem pauculos libris aſtrologicis inſtructos ad oſtentationem: ſed erigendarum & judicandarum figurarum cœleſtium ad momentum Nativitatis vel initiantis morbi prorſus ignaros, qui tamen apud vulgus de hac ſcientia gloriabantur: cumque de vita aut morte Principum interrogabantur, peritum conſulebant Aſtrologum, cujus reſponſum pro ſuo reddebant. Indeque docti Aſtrologi famam ſibi comparabant: & hoc verè ſcio, de Archiatro qui me circa vitam Regis conſuluerat, cui nonnullæ prædictiones falſæ ex Italia miſſæ minabantur interitum. Eſt autem Archiatri morbos Principis eminus prævidere & prævifos avertere; aut ſi contigerint, non neglecto Cœli ſtatu reſpectu Principis, remedia, præſcribere.

Ideo autem Medicorum gens ferè univerſa Aſtrologiæ ignara eſt, quia dum Philoſophiæ & Medicinæ ſtudent, de Mathematicis non curant, neſcientes quantùm ſibi futuræ ſint neceſſariæ: Doctoris verò gradum utcumque adepti, de lucro impoſterum dumtaxat ſoliciti ſunt, vixque aliter ſua Medicinæ ſtudia promovent; quàm obſervando ſuorum coëtaneorum praxim (Gallicè *Routine*) infrequenti miſſione ſanguinis, clyſteribus, purgationibus, & verboſis conſultationibus, ſicque Aſtrologiæ & per conſequens Medicinæ veræ manent ignari. Utque ſuam non modò apud imperitos ſed etiam viros doctos inſcitiam tegant, dicunt impudenter, cauſarum cœleſtium ac univerſalium inſpectionem non eſſe Medico in morborum curationibus neceſſariam, ſed ſuperfluam; illique ſufficere cauſarum proximarum, hoc eſt antecedentium & conjunctarum (ut vocant) inſpectionem. Atque hæc eſt eorum validiſſima ratio, qua Aſtrologiam ſpernentes, ſuo honori benè proviſum eſſe putant.

At Primò: Vel tales Medici ſunt mendaces, vel Hipocrates & Galenus fuerunt ignari aut fatui: Hi enim Aſtrologiam Medico valde commendarunt; præſertim verò Galenus toto libro 3. de diebus decretoriis, qui talibus Medicis ſeptem Planetarum ſignaculis clauſus eſt. In hoc enim libro Galenus Medicum docet, quomodo ex figura natali, vel ad initium morbi erecta, obſervatoque in ea vero Lunæ loco & ejus tranſitibus, durante periodica ejus revolutione, judicandum & prædicendum ſit de ſtatu ægri & morbi à principio uſque ad finem. Non dicent Hipocratem aut Galenum fuiſſe ignaros aut fatuos: dicant ergo ſe eſſe mendaces.

Secundò: Quoniam cauſæ cœleſtes efficiunt eas, quas vocant antecedentes, & hæ conjunctas; patet veram & completam non haberi cognitionem antecedentium & conjunctarum ignotis cœleſtibus; ad quas idcirco advertendum eſſe juſſerunt Hipocrates & Galenus: nec abs re, nam quilibet effectus ſublunaris habet ſuam in Cœlo propriam & particularem cauſam cœleſtem: nec producitur à qualibet vel ab omnibus ſimul, ut docuimus lib. 20. & 21. Ideoque ſi ♄ in ♑ primam occupaverit domum figuræ natalis quæ eſt de temperamento; citiùs certiúſque multò dicetur ex ipſa figura, natum eſſe temperamento melancholicum, quàm ſi anni quarta, Regio, victus ratio, pulſus, urinæ & ſtercora conſulantur: atque ſic de Luna in ♋. pro temperamento pituitoſo de ♂ in ♈ pro bilioſo, &c. Similiter ſi in figura initiantis morbi, Mars fuerit dominus octavæ in prima domo, aut dominus primæ in octava præſertim Lunæ conjunctus; illico pronuntiandum erit morbum fore aut lethalem, præſertim à ſanguinis miſſione, aut valde periculoſum, dum Luna proprio motu venerit ad □ & ☍ loci quem oriente morbo occupavit: & hoc erit certiſſimum, ſi revolutiones Solis & Lunæ nec non directiones conſenſerint; quocirca peritus in Aſtrologia Medicus ab initio morbi prædicet periculum, & cum ægro cautiùs aget. Videantur apud Aſtrologos plurimi circa rem hanc alii aphoriſmi de decubitu lethali aut ſalutari ex figuris nativitatis & morbi; præcipuè apud Maginum Commento in illum tertium Galeni librum de diebus decretoriis, quem ſequitur ipſius Magini liber egregius de legitimo Aſtrologiæ in Medicina uſu. His enim neglectis & perturbato Naturæ motu per frequentiores ſanguinis effuſiones, nil mirum quod Medici Pariſienſes neque in principio, neque in augmento, neque in ſtatu, neque in declinatione morbi quidquam certi prædicere valeant, fallantque adſtantes uſque ad mortis adventum, ingenti plerumque ſcandalo & confuſione, nec non damno totius magnæ alicujus familiæ: cùm tamen certum ſit, ex ſola prædictione cognoſci poſſe, an Medicus ſit artis ſuæ peritus, vel ignarus. Eſt autem notatu digniſſimum, quod Pariſienſes Medici videntes permultos ægrotos ſuis prognoſticis ad mortem condemnatos appellare de ſententia ad Chymicos, horumque remediis deſperatam recuperare ſanitatem, decreverunt, ne poſthac mortem ullius ægroti ante agoniam imminentem prædicant, vel de ejus vita deſperent, quamvis ipſam non polliceantur; quaſi malint ad ſuam circa prognoſim & remedia ignorantiam tegendam, ægrotos in ſuis manibus mori, quàm ab aliena recuperare ſanitatem.

Sed juniores ſaltem Medici, quibus adhuc multùm tempus ſtudendi ſupereſt, Mihi Doctori Medico, & Aſtrologo ſeni credant pro ægrorum ac ſuæ animæ ſalute, & Medicinæ gloria. Diſcant ſaltem Arithmeticam; & cum hac figurarum cœleſtium conſtructionem, Ephemeridumque uſum: deindeque habitis ægrorum figuris natalitiis ſi poſſint, aut ſaltem figuris ad initia morborum, experiantur ſupradictum Magini librum, aut Harsfurti, aut Darioti Medicorum, vel alios qui ea de re tractant. Non temerè ſed prudenter & ſenſim judiciis & prædictionibus aſſueſcentes: & cum his pauculis ſui ſtudii fructum brevî percipient. In noſtra Aſtrologiæ praxi ſi DEUS illam perficere mihi conceſſerit, habebunt quidquid hac in re deſiderari queat. Atque hæc ad Medicos. Jam expediamus Aſtrologum unicum qui ſit inſtar omninm.

Igitur Sixtus ab Hemminga Medicus Friſius in Aſtronomiæ & Aſtrologiæ notitia Picum Mirandulanum, Alexandrum de Angelis, cæteroſq; tum veteres, tum neotericos Aſtrologię oſores longè ſuperavit: quia ſaltem in ſuo libro Aſtrologiæ refutatæ geniturâ 22. aſſerit ipſemet ſe longo uſu & exercitio aſſiduo Aſtrologiæ praxi incubuiſſe: ideoque ab Alexandro de Angelis vocatur *Vir in Aſtrologicis rationibus longè Princeps*. Hic ergo omnium acerrimè ſcripſit in Aſtrologos; qua in re plus malignitate quàm ignorantiâ peccavit, quòd in Aſtrologiam debacchatus fuerit quaſi eorum quæ aſſerebat certiſſimus eſſet, cùm tamen craſsâ laboraverit hujus ſcientiæ inſcitiâ; non ſolùm circa judicia 30. geniturarum à ſe explicatarum, & plurimarum aliarum ad quas provocat; ſed præcipuè circa propriam, in qua ſe per Directiones nihil de præteritis ſuis accidentibus reperire potuiſſe conteſtatur.

Ejus verò Librum univerſum duobus duntaxat capitibus 3. & 4. ſectionis 5. libri 22. qui eſt de Directionibus, evidentiſſimè refello. Exponens cap. 3. ſex duntaxat falſa fundamenta generalia pro univerſali Aſtrologia, & 7. particularia pro Directionibus, quibus tota ejus falſa doctrina innititur: & cap. 4. in ejus confuſionem oſtendo, quam egregiè conſentiant directiones ſuæ nativitatis, cum ſuis accidentibus præteritis, quòd circa horum cauſas cœcutiens animadvertere non potuit. Videantur ergo illa duo capita, ad quæ Lectorem remittimus: & inveniet quid reſpondendum ſit cunctis ſimilibus Aſtrologis aut Philoſophis: jamque ad Theologos accedamus; quibuſcum diutiùs erit dimicandum.

Theologorum pars major Aſtrologiam non modò ſprevit, ſed duplici etiam oppugnatione ipſam evertere, ac infamare tentavit: quippe rationibus & authoritatibus. At quia hi Theologi fuerunt Aſtrologiæ imperiti, nil mirum eſt quod eorum rationes in veram Aſtrologiam, vanæ ſint nulliuſque momenti: & ideo coacti ſunt aſyla quærere, quæ ſibi adverſus Aſtrologorum tela putarunt eſſe tuta: nimirum aliqua ſacræ Scripturæ loca quibus confidunt, quòd ipſa non intelligant. Ab utraque igitur oppugnatione Aſtrologia jam à Nobis liberanda eſt ut ſequitur: initio facto à rationibus, quarum duntaxat præcipuas exponemus, omiſſis mille nugis reſponſione indignis, quibus Picus Mirandulanus & Alexander de Angelis occupantur.

Itaque prima omnium ac præcipua ratio, quam Alexander de Angelis paſſim, ſed maximè lib. 3. cap. 1. 2. 22. & lib. 5. cap. 10. Picus Mirandulanus in pluribus locis, & alii objiciunt Aſtrologis, & cum ſanctis Patribus quaſi uno agmine facto in Aſtrologiam irruunt: eſt, quod hæc Ars mentes humanas & liberum arbitrium ſubjiciat Aſtris, fatalemque neceſſitatem inducat in actibus humanis: quo dogmate nullum Chriſtianæ Religioni pernicioſius eſſe poteſt; quandoquidem actionum ſpontanearum merita & demerita tollit, ac DEUM Legeſque ob malarum actionum punitionem iniquitatis accuſat; cùm tamen omnium conſenſu Gentium, ac præſertim Philoſophorum, Medicorum & Juris-Conſultorum hominis libertas aſſeratur, ut ipſe de Angelis enarrat capite 1. libri 3.

Sed reſpondeo Primò: Nos lib. 2. cap. 25. tum lib. 12. capitibus 5. & 22: nec non lib. 20. ſect. 4. cap. 7. adeo evidenter probaſſe voluntatem hominis vel ejus rationalem animam, per ſe nec Elementorum, nec Corporum cœleſtium impreſſionibus ſubjici, ſed tantùm per accidens, ratione corporis, cui anima ſubſtantialiter unitur & quo ad agendum utitur; ut ea de re dubium nullum ſupereſſe queat. Videat igitur Lector illa capita.

Reſpondeo Secundò: Alexandrum de Angelis ſibi non conſtare: nam ipſo capite 1. refert tres Aſtrologos, Ptolomæum, Julium Firmicum, & Albumazarem, quos vult liberum approbaſſe arbitrium; ideoque fatalem rejeciſſe neceſſitatem. Et quidem Ptolomæus Aſtrologorum Princeps id diſertè teſtatur libro 1. cap. 2. Quatrip. tum aphor. 5. Centil; quæ duo loca expoſuimus ſupradicto capite 5. atque oſtendimus ejus doctrinâ nullam eſſe veritati Philoſophicæ imò Religioni Chriſtianæ congruentiorem.

Sed nihilominus digladiatur adhuc de Angelis, vocatque Aſtrologos Chriſtianos vulpes vaferrimos, quod dicant, ſe equidem liberum arbitrium confiteri & non evertere; ut nempe ſacrorum Doctorum retia queant evadere: At quia eandem profitentur Aſtrologiam quam veteres Ægyptii, Chaldæi, Arabes & Indi, iiſdemque utuntur obſervationibus & præceptis, eademque Aſtra obſervant; inde ſequitur, ut libertatem è medio tollant ſicut fecêre gentiles illi, qui fatalem introduxêre neceſſitatem.

Cæte-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Cæterùm quamvis ex illis orientalibus Aſtrologis, tum Antiquis, tum Neotericis, non pauci
crediderint fatalem ab Aſtris neceſſitatem, quippe ſeducti à Diabolo quem coluêre, quique
totis viribus depravare conatur ſcientias, quæ præ cæteris ad veri DEI cognitionem & venera-
tionem ducunt, quales ſunt Aſtrologia & Theologia: imò inter Judæos Saducæi, & inter no-
ſtrates Sciſmatici Calviniſtæ fatalem credant neceſſitatem in actionibus humanis; nunquid
propterea ſuperior Alexandri ſequela erit neceſſaria? ſanè ſimiliter eſſet neceſſaria hujuſce ar-
gumenti ſequela. Alexander de Angelis eandem profitetur Religionem quam Calvinus, ſcili-
cet Chriſtianam, & nititur iiſdem mandatis DEI, iiſdemque Scripturis ſacris quibus Calvinus,
qui fatalem aſſeruit neceſſitatem à præmotione Phyſica voluntatis, negavitque liberum arbi-
trium, CHRISTI realem præſentiam in Euchariſtiæ Sacramento, & multa alia: Ergo Alexan-
der de Angelis eſt Sciſmaticus Calviniſta. Sed abſit: diceret enim de Angelis, hoc quidem ſi-
bi commune eſſe cum Calvino, quod uterque ſit Chriſtianus, iiſdemque innitantur ſacris
Scripturis: ſed maximè differre in rebus ſidei & ſacrarum litterarum puritate ac interpretatio-
ne; ſeque Catholicam doctrinam profiteri. Calvinum verò hæreticum eſſe. Idem igitur à ſi-
mili de Aſtrologis Arabibus, Chaldæis, Indis &c. dicendum eſt: nempe quod omnes ſint
Aſtrologi & innitantur iiſdem Aſtrologiæ primis principiis; *quod Aſtra influant in hæc inferiora,*
ac præcipuè naſcentem hominem, quodque ſint 12. *ſigna Zodiaci, &* 12. *domus figuræ cæleſtis*, &c:
ſed Ethnici illi nec non Turcæ & Schiſmatici Aſtrologi orientales, erroribus multis implican-
tur, à quibus liberi ſunt Aſtrologi Catholici; ſicque magna hæc objectio nullius erit momenti.

Secundo objiciunt Alexander de Angelis, & Picus Mirandulanus poſt Plotinum; non mo-
dò rationi, ſed etiam Divinæ Bonitati & ſapientiæ repugnare, quod Saturnus, Mars & Venus
certo modo affecti procreent furta, cœdes, adulteria: Quod homo naturâ liber flectatur à
Cœlo ad mala: Quod DEUS optimos ſervos ſcilicet Planetas malorum fecerit authores ac
miniſtros; ut cùm ipſi juſſa Regis nunquam tranſgrediantur, ipſi tamen maximè ſint, qui alios
ad tranſgreſſionem invitent & impellant, impium eſſe aſſerere DEUM Aſtris dediſſe vim pro-
penſiones malas hominibus influendi; cùm id Divinæ Bonitati contrarietur, & alia his ſimilia
ad terrorem debilium ingeniorum excogitata Rhetorico more.

Verùm quàm futilia ſint omnia hujuſmodi argumenta, quantùmque è contrariò repugnent
Divinæ Bonitati & Sapientiæ, probavimus evidenter lib. 12. ſect. 1. cap. 22; ubi Lector noſtras
videat Reſponſiones, quibus Aſtrologica ſcientia egregiè contra talia Theologorum tela de-
fenditur & elucidatur.

Tertio objiciunt: Aſtrologiam impietatis eſſe refertam: ut dum ajunt Aſtrologi, Venerem
conferre præſentis vitæ fœlicitatem, Jovem autem futuræ. Tum ejus qui habuerit Saturnum
in Leone, animam poſt hanc vitam in Cœlum migrare, & alia his ſimilia. Adde quod Magi
& Necromantici, in artibus ſuis diabolicis utuntur Aſtrologiâ, quam dicunt eſſe Magiæ cla-
vem: ergo Aſtrologia ut impia, fraudulenta & diabolica, eſt fugienda, damnanda & deteſtanda.

Reſp: Nil mirum eſſe, quod inter Aſtrologos præſertim orientales Ethnicos, tales impii,
taliaq; dogmata reperiantur: quippe quòd Aſtrologia ſit phyſicarum ſcientiarum nobiliſſima,
diviniſſima, & quæ præ cæteris humanum intellectum ſublimiùs elevat, ad veri DEI ejuſque
Bonitatis, Sapientiæ & Providentiæ cognitionem, ut ſæpius à Nobis aſſeritur. Ideoque Diabo-
lus illam præ cæteris depravare conatus eſt apud Ethnicos, ut ſic quod illis ſupererat luminis
naturalis ad veri DEI inveſtigationem ex ſuis Operibus, ſuoque hujus Mundi ordine ac re-
gimine, offuſcaretur. Nullus enim veræ Aſtrologiæ hoſtis acerbior eſt Diabolo, qui vel homi-
nes avertit à contemplatione operum DEI; vel nugis & ſuperſtitioſis vanitatibus paſcit eorum
ingenia; vel hæc accendit ad ſcribendum contra divinæ illius ſcientiæ veritatem. At inter Chri-
ſtianos Aſtrologos nullus invenietur, qui talium dogmatum author extiterit; multóque mira-
bilius eſt quod inter Chriſtianos Theologos, quam plurimi reperiantur, qui non modò fal-
ſorum ac horrendorum, ſed etiam humano generi in hac vita & poſt mortem pernicioſiſſi-
morum dogmatum, contra DEUM Patrem, Filium & Spiritum ſanctum; nec non contra
B. Virginem MARIAM, atq; Sanctos, & alios fidei ariculos Authores extiterunt: unde Schiſma-
ta, Hæreſes, Bella, deſolationes Regnorum & damnationes innumerarum animarum prodiê-
re. Nunquid propterea ſacræ Scripturæ & vera Teologia damnandæ erunt ac deteſtandæ?

Ad id verò quod dicitur, Magos uti Aſtrologia, Aſtrórumque viribus in ſuis artibus diabo-
licis. Reſpondeo Primò: Horribilius multò eſſe quod in Magorum ipſorum Synagogis per-
petratur, etiam à Sacerdotibus quibuſdam, proditore Judâ ipſoque Diabolo nequioribus:
dum (ut conſtat ex multis relationibus) nefariè ac impiiſſimè abutuntur rebus ſacris, ac præ-
ſertim pane & vino conſecratis in corpus & ſanguinem CHRISTI, in odium & deteſtatio-
nem ipſius Domini noſtri JESU CHRISTI, quod profectò non auderunt ipſimet Dæmo-
nes; nec facerent Magi, niſi certò ſcirent ibidem eſſe corpus & ſanguinem CHRISTI; qui
per ineffabilem patientiam brevi tempore cum hoc ſæculo ceſſaturam, tales contumelias pa-

titur ab hominibus, non ignorantiâ (ut Judæi qui Chriſtum occiderunt) ſed diabolica malignitate peccantibus. Nec tamen idcirco hæc ſacramenta ſunt rejicienda: ergo nec inflnentiæ cœleſtes. Reſpondeo Secundò: Diabolum equidem eſſe Aſtrologiæ peritiſſimum, perfectamque habere notitiam virium ac influxuum corporum cœleſtium, nec non Elementorum: tum etiam vegetabilium, mineralium & animalium, atque propenſionum cujuſque hominis. Cúmque non ſit in ejus poteſtate, quidquam efficere ſupra Naturam, ſeu verum aliquod miraculum; ſed ſit peritiſſimus magnæque poteſtatis Artifex in activorum & paſſivorum applicatione; hinc fit ut influentiis cœleſtibus ad effectus mirabiles uti queat. Verùm hoc potiùs Aſtrologiæ excellentiam, aſtrorumque vim mirificam commendat, quàm quod inutilis, vana & fugienda ſit perſuadere valeat. Et hoc addam, quod nulla ſit ars vel ſcientia Diabolo prædicendi futura certior, quàm ipſa Aſtrologia inter conjecturales primaria: eſſet enim abſurdum, imò impium aſſerere, quod quotieſcumque futura eminus prænuntiat, ad impios, vel idololatras in ſuo cultu continendos, illa à bonis Angelis vel DEO ipſi Diabolo revelentur.

Quartò objiciunt Picus Mirandulanus cap. 5. lib. 2. in Aſtrologos, & de Angelis cap. 25. lib. 3. alteram non exigui momenti impietatem, nempe quod velint Aſtrologi, non ſolùm Veteres idololatræ, ſed aliqui etiam noſtrorum ſeculorum Chriſtiani; Religiones cauſari, vel ortum ducere, ab Aſtrorum & ſignorum influentiis. Id patet ex Ptolomæo cap. 2. lib. 2, uti Nationum mores & Religiones diverſas deducit ab Aſtris & ſignis Zodiaci, per horum Trigonos, quibus Terræ loca diſtribuit. Omitto alios Ethnicos, & venio ad Cardanum Chriſtianum Aſtrologum, commento in ſupradictum caput Ptolomæi, nec non Origanum Cardani approbatorem. Hi ergo Duce Ptolomæo pro Religionum judicio generali, opinati ſunt, Religionem Judæorum regi & ſignificari à Saturno & Mercurio, Chriſtianorum à Jove & Sole, Turcarum à Marte & Venere cum Luna, Æthiopum à Venere & Luna: de aliis autem Indiæ orientalis & occidentalis Religionibus nihil dicunt, nec quomodo, nec quando Religiones ab Aſtris excitatæ ſunt.

Ad hæc autem reſpondeo primò: Cardanum non modò in hoc, ſed etiam in pluribus aliis fuiſſe deceptum à Ptolomæo, cujus tanti ſemper fecit authoritatem, ut ab illius placitis diſſentire nefas eſſe cenſuerit: ideoque non ſolùm approbaverit doctrinam illam Ptolomæi de moribus & Religionibus gentium: ſed inſuper Religiones Judaicam, Chriſtianam & Mahumetanam, de quibus nihil dixit Ptolomæus, hujus imitatione ad Planetas retulerit, tanquam ad ipſarum Religionum cauſas ſive Rectores. Quàm abſurdè verò peccaverit Ptolomæus in illa ſua diviſione Telluris, reſpectu ſignorum Zodiaci, quodque ipſa merum ſit figmentum, adeo evidenter à Nobis probatum eſt lib. 20. ſect. 1. cap. 2; ut inde Cardani, Origani & aliorum fundamentum corruat, atque pateat, hos Chriſtianos longè graviùs erraſſe quàm idololatram Ptolomæum. Quomodo autem Terra Cœli reſpectu naturaliter dividatur; & ſingula Terræ loca tam per ſe quàm per accidens ſignis & Planetis ſubjiciantur, diximus cap. 4. & 5. ejuſdem ſectionis; quæ videat Lector, ac inveniet nos nullam Religionem ſignis & Planetis ſubjicere, niſi forſan per accidens eas, quas quilibet homo effingit, juxta naturales ſuas propenſiones ab Aſtris acceptas, ut infra dicetur.

Reſpondeo ad Secundum: Ad ſuperiorem Ptolomæi & Cardani doctrinam hîc adhuc efficaciùs refellendam, dicendum eſſe, Religionum alias eſſe veras, & alias falſas. Veræ ſunt tres, vel potiùs una perfectionis gradibus diſtincta. Nempe naturalis, quam Adamo; ſcripta, quam Moyſi; & Gratiæ, quam Apoſtolis à DEO ſolo datas fuiſſe conſtat: eſſetque impietas nimia contrarium aſſerere. At falſæ fuerunt atque ſunt, adhucque erunt multæ, quæ à Diabolo fuerunt hominibus ſuggeſtæ in odium Chriſti & hominum damnationem. Diabolus enim coli & adorari voluit, etiam ab ipſo CHRISTO ſi potuiſſet: & ſub diverſis horrendiſque formis ab Indis orientalibus & occidentalibus, imò per totum Orbem Terrarum, cujus ipſe fuit Princeps, adoratus fuit etiam cum hominum ſacrificiis numeroſiſſimis. Nec tamen quiſquam ſanæ mentis has Religiones attribuet corporibus cœleſtibus; horum enim impreſſionibus Dæmones non ſubjacent. Præter ſupradictas autem ſunt aliæ Religiones falſæ ab hominibus effictæ, juxta Authorum propenſiones nativas & proprias, ab Aſtris in ſua Geneſi acceptas, ob rationem à Nobis allatam ſupradicto cap. 5. ſicque Mahomet, Lutherus, Calvinus & alii Religiones effinxerint propenſionibus ſuis congruas. Has autem per accidens referre ad corpora cœleſtia quæ Mahumethi vel Lutheri mores ſignificarunt, nullum eſt inconveniens; ut de moribus Gentium diximus illo cap. 5. At per ſe referre, neque licet, neque verum eſſe poteſt.

Objicietur ad hoc: Mahumeti, Lutheri & Calvini Religiones, receptas fuiſſe ab innumeris hominibus diverſarum cum illis propenſionum, proindeque illas regi hoc adhuc tempore à cauſis cœleſtibus & univerſalibus, iiſque per ſe ſubjici.

Sed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Sed Reſpondeo : Concluſionem ex antecedente non ſequi : nec illam à quoquam pro-
bari poſſe. Antecedens autem ideo verum fuiſſe ; quia conſtat hiſtoriis Religiones ipſas frau-
de, bellis atque tyrannide fuiſſe ſtabilitas, inter ignaros & debiles populos; ideoque ſic dura-
turas, quamdiu DEUS permiſerit.

Quod autem nullæ ſint per ſe cauſæ cœleſtes & univerſales Religionum in diverſis Terræ
locis, probari poteſt multis rationibus. Primò enim in Imperio Turcarum ingens eſt nume-
rus Chriſtianorum & Judæorum incolarum : quonam igitur modo Rectores cœleſtes Reli-
gionis Mahumetanæ, ſeligunt Turcas à Chriſtianis & Judæis ejuſdem regionis & urbis, ſtan-
te Rectorum virtute in totam illæ Terræ partem? Secundò : Quid dicetur de Chinenſibus, &
Americanis jam Religionem priſtinam mutantibus pro Chriſtiana? nunquid mutatum eſt do-
minium generale ſignorum & Planetarum in illa Terræ loca, vel eorum vis evanuit? nunquid
Jupiter & Sol Authores Chriſtianæ Religionis ex Cardano, pugnarunt in alios Planetas pro
Religionis dominio, eoſque debellarunt; aut Soli & Jovi quidpiam extraordinarium & nun-
quam antea viſum accidit? Tertiò : Oſtendatur mutatio facta in Cœlo, dum idololatriæ di-
verſarum Religionum in Ortu, Occaſu, Meridie, & Septentrione Chriſtianam Religionem
etiam eodem tempore ſuſceperunt. His igitur rationibus patet, ſtultum ac impium eſſe do-
gma, quo Religiones ac præſertim Chriſtianam à corporibus cœleſtibus cauſari vel regi aſ-
ſeritur.

Quintò : Objiciunt alteram (ut opinantur) impietatem, quam verbis exagerant atrociſ-
ſimis : nempe quod Aſtrologi ipſum etiam JESUM CHRISTUM Dominum DEUM
noſtrum ſubjiciant Aſtris. Ideoque Cardanus, Commento in cap. 9. lib. 2. Quatrip. tex. 54.
CHRISTI figuram natalem erigere; ex eaque de ejus moribus, ingenio & actionibus ju-
dicium ferre ſit auſus. Itaque cum Thuano Tom. 4. ſuæ hiſtoriæ, lib. 62. exclamant. *Quæ*
extrema amentia, imò impia audacia, Aſtrorum commentitiis legibus verum Aſtrorum Domi-
num ac Creatorem velle ſubjicere; quod tamen Cardanus exaratâ Servatoris noſtri Genitu-
râ fecit?

Sed Reſpondeo : Nihil certius eſſe, quàm quod ignaro nihil ſit in judicando injuſtius; at
tales ſunt in Aſtrologia, quicumque Cardanum condemnant ob erectam ab eoque judica-
tam natalem CHRISTI figuram; ingenio exclamandi pollentes, non autem rationandi, in
hac ſaltem doctrina. Videat qui voluerit propriam Cardani defenſionem in ſua Præfatione;
Ego illius cauſam adverſus tales ignaros hiſce rationibus tuebor. Nonne CHRISTUS ſub
aliqua Cœli conſtitutione etiam à ſe præviſa & inter innumeras electa natus eſt? quis hoc ne-
gabit, cùm D. Lucas cap. 2. de Virgine MARIA dixerit : *impleti ſunt dies ut pareret?* Quæ
verò impietas eſſe poteſt in erectione Thematis illius Conſtitutionis, præ aliis omnibus quæ
durante Mundo accidere queunt inſpectandæ; præſertim ſuppoſita vi Aſtrorum in alios na-
ſcentes homines, quam tota Caterva oſorum Aſtrologiæ ſibi ignotæ nequit evertere? dicunt
impietatem in eo conſiſtere, quod erectâ figurâ, ex ea deinde judicent de temperamento,
moribus, ingenio, vita, geſtis & morte CHRISTI; quod eſt CHRISTUM fictitiis
Aſtrorum Legibus ſubjicere. Atqui hoc eſt mera impoſtura : tum quia Aſtrologi nec CHRI-
STUM, nec quemquam alium ſubjiciunt Aſtris; ſed humana corpora iis per ſe naturaliter
ſubjiciuntur : tum quia non judicant de CHRISTO ut eſt CHRISTUS, vel DEUS;
ſed ut eſt verus homo : explorantes an ratione corporis ſubditus fuerit Aſtrorum impreſſioni-
bus velut cæteri homines : nec in hoc adhuc (niſi ab ignaro) ulla poteſt objici impietas.
Quod ſi viderint Aſtrologi, corpus CHRISTI, mores, ingenium, &c : correſpondere fi-
guræ natalitiæ; quis niſi ignarus aſſeret impium eſſe dicere, quod ratione corporis fuerit ut
cæteri homines ſubditus Aſtrorum impreſſionibus, quia nempe his ſubditus eſſe voluit? non
ne inde confirmatur, quod ipſe fuerit verus homo? contrarium verò dici poſſet, ſi contrarium
accideret : nimirum ſi figura hominem deformem, horrendum moribus, ingenioque mali-
gnum ſignificaſſet, cùm tamen ipſe CHRISTUS fuerit egregio temperamento, ſpecioſus
formâ præ filiis hominum, optimorum morum, & excellentiſſimi ſapientiſſimique ingenii,
qualia ſignificata ſunt ab ejus Genitura? ſed nonne CHRISTUS ſe ipſum ut hominem
ſubjecit ſolis ardori, elementorum qualitatibus, calori, frigori, humiditati & ſiccitati, quæ
etiam ab Aſtris effunduntur in hæc ſublunaria; tum fami, ſiti, Judæis, carnificibus, ipſique
Diabolo, à quo tranſportatus eſt? quæ autem major ſit injuria CHRISTO, ſi dicatur fuiſ-
ſe ſubjectus ſolis ardori, elementis, hominibus, diabolo & doloribus à clavis & flagellis? nonne
CHRISTUS à Naturæ Legibus & viribus quas ipſe condidit, ſic abhorruit, ut omnia in
eo fuerint contra & nihil ſecundum naturam? certè contrarium patet ex ejus figura, quæ fuit
mirabilis, ut ipſe corporis forma, moribus, ac ingenio mirabilis, atque ipſi figuræ conformis.
Quod certè convincit CHRISTI carnem ſive corpus, fuiſſe ejuſdem naturæ cum no-
ſtro, & non tantùm apparens vel phantaſticum; quæ fuit hæreſis Euthycheana. Ad hæc,
cur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

cur DEI filius per quem omnia facta ſunt, cæteros homines ſubjeciſſet Naturæ Legibus, ſi factus homo verus, ab illis ſe eximeret? nunquid impoſſibile eſt ſimul ſecundum Naturam & ſecundum DEUM vivere, quaſi Natura & DEUS qui fecit illam, ſint inimici; præſertim cùm CHRISTUS præ cæteris hominibus fuerit liberrimus, nec non patientiſſimus in tolerandis corpori contrariis? nonne ſi CHRISTUS non fuiſſet ut cæteri homines ſubditus Naturæ Legibus, inde non ſpernendam occaſionem ſumpſiſſent peccatores ſua crimina excuſandi; quæ *CHRISTO per omnia* (ut ait D. Paulus) *nobis ſimili facto abſque peccato*, jam prorſus ſit invalida? his igitur rationibus patet, quantum à Natura & Divina Sapientia aberrent ignari, qui de Aſtrorum viribus ſibi ignotis, & CHRISTI corpore temerariam ſententiam ferunt.

At impietatem in eo objiciunt Aſtrologis, quod hi velint CHRISTUM in ſuis actionibus uſum fuiſſe horarum electione. Ut dum apud Joann. cap. 11. Apoſtolis ei diſſuadentibus reditum in Hieruſalem metu mortis, Reſpondit: *Nonne ſunt duodecim horæ diei?* quaſi inſinuans ſe horam ad iter electurum fauſtam & periculo vacuam. Tum quando pluries ſe abſcondit & fugit, quia nondum venerat hora ſuæ mortis: quâ inſtante dixit, *Pater, venit hora; clarifica filium tuum*, &c.

Sed reſpondeo ad Primum: Negari non poſſe, CHRISTUM non ſine cauſa dixiſſe ſuis Apoſtolis. *Nonne ſunt duodecimi horæ diei?* Oſores autem Aſtrologiæ nullam veriſimilem cauſam excogitare valent: Aſtrologi verò ſciunt, horarum diei alias eſſe fauſtas & alias infauſtas Nato, pro diverſa poſitione Cœli & Planetarum reſpectu nativitatis illius. Et hoc de ſe ipſo dicere poterat CHRISTUS Aſtrologiæ præ cunctis hominibus & Angelis peritiſſimus: non quòd ad evitandum periculum indigeret temporis electione; ipſe qui Aſtrorum & hominum & temporis dominus eſt: unde ſe dominum etiam Sabbati vocat in Euangelio; ſed quòd ut ſimplex homo, Apoſtolis nondum ſcientibus illum eſſe DEUM, & apud Marcum cap. 4. *Quis putas eſt iſte, quia Ventus & Mare obediunt ei*, dicentibus; proverbium illud gratiosè reſponderit, nonne ſunt duodecimi horæ diei, probabiliter uſitatum ad ſimilia dicta inter orientales, apud quos Aſtrologia celebatur, quam tali reſponſo potius approbare quàm condemnare videtur.

Ad Secundum verò reſpondeo: Quod ſuppoſita veritate genethliacæ figuræ CHRISTI à Cardano erectæ, de qua Authores Æræ vulgaris ne quidem cogitarunt, illa proculdubio mirè conformis reperitur temperamento, moribus, ingenio, vitæ ac morti ipſius CHRISTI; ex eaque deduci poteſt evidenter, quod Aſtrorum influentiis fuerit obnoxius. Habuit enim cardinalia Cœli puncta in figuræ ſuæ cardinibus ferè partiliter; quod toti Mundo magnum illuſtremque Virum cæteris conſpirantibus præſagiebat; neglecta etiam fictitia illa conjunctione capitum ♈ & ♎ octavi & noni orbis, quam Cardanus tantùm extollit, deluſus à Copernico cæteriſque introductoribus motuum librationis Cœlorum. Habuit autem in Horizonte ſigna æquinoctialia quæ vocantur ſigna Religionis, & in Meridiano ſigna Solſtitialia quæ Politica vocantur. At in Horoſcopo non habuit Arietem, domum Martis & exaltationem Solis, alioquin ex parte Cœli fuiſſet ad iracundiam & ambitionem propenſus: ſed habuit ♎ domum Veneris & exaltationem Saturni, unde morum ſuavitas cum gravitate; fueruntque ♄ & ♂ inimici Horoſcopo & Medio Cœli; quod ab ejus moribus & actionibus excludit Martis & ♄ malignitatem. Spica autem Virginis juncta Horoſcopo, egregios mores, præ cæteris omnibus ſtellis fixis influere cenſetur. Sol denique in domo ♄, & imo Cœli, cordis humilitatem & poſt mortem famoſum nomen & gloriam largiri conſuevit. Atque ſupradicti ipſi Filio DEI incarnato, ex Aſtrorum influxu naturaliter conveniebant, quocumque anno ex controverſis apud Chronologos natus fuiſſet: Cœlum enim atque Solem eodem modo diſpoſitos habuiſſet.


Pro reliquis autem Planetis ♄ ♃ ♂ ☿ ♀ atque ☽ certum eſt quod ex Aſtrologiæ principiis, neque aliquo priore anno neque poſteriore videntur diſponi poſſe congruentiùs ad temperamentum, corporis formam, mores, vitam & mortem CHRISTI, quàm diſponuntur in illa Cardani, vel noſtra figura; quod hîc notandum cenſeo; præſertim contra Keplerum, qui in ſuo Libro & Eclogis de anno natali CHRISTI, præ cæteris clamitat Chronologis, ut perſuadeat ipſum eſſe natum anno 40. Juliano; die, menſe, & horâ ſupradictis. Quo tempòre ♂ eſt in prima domo, & ♄ in ſeptima oppoſiti & pravè affecti; quod CHRISTI propenſionibus nativis quibus ipſi præeſſent, non congruit.

At in themate vulgaris Æræ à nobis erecto per Tabulas Rudolphinas infra poſito, Jupiter eſt in prima domo in Trino ♀ ſuæ & Horoſcopi dominæ, nec non in △ ♄. Cúmque Horoſcopus Jupiter in Horoſcopo ♀ domina Horoſcopi, & Saturnus dominus Veneris, ſint in ſignis ſanguinis, patet inde quod fuerit egregio temperamento, ſcilicet ſanguineo nonnihil melancholico, ob ♄ qui potens eſt in locis Horoſcopi ♃ & ♀ ac in eorum △ aſpectu.

Quod-

Quodque ob ♃ & ♀ ita poſitos fuerit ſpetioſus formâ, ſed cum auguſtâ gravitate ob ♄. A
Jove & ♀, morum fuit optimorum, pius, juſtus, fidelis, verax, humanus, miſericors, gratio-
ſus, affabilis, apertus, officioſus, beneficus, liberalis, ſapiens,&c: A ♄ gravis, taciturnus, pru-
dens, patiens, ac profundi excellentiſſimique ingenii, ob ipſum ♄ in ♊ ſigno mercuriali
in △ Horoſcopi ♃ & ♀. Hic enim △ horum trium Planetarum & connexio cum Horo-
ſcopo, eſt ad mores ingeniumque optimum hac in figura mirandus; non omiſſa Spicâ Vir-
ginis, fixa ad idem fortunatiſſima in Horoſcopo. A Jove & ♄ in nona domo habuit quod
ad Religionem maximè inclinaretur, eſſetque condendæ Legis optimæ naturaliter capaciſſi-
mus. Ecce autem ejus thema cœleſte erectum ad annum à Mundo condito 3968, ut probo
cap.3. Libri 2. ex motu Apogæi Solis, & annum 45. Julianum, menſe Decembri die 24. ho-
ris 12. poſt meridiem ex communi conſenſu, ſed per rectificationem Horoſcopi ad oppoſi-
tum Lunæ pro tempore mortis, reperiuntur duntaxat 11. horæ 55′: quod parum abeſt à me-
dia nocte, hocque tempus mihi videatur accuratius ob rationem infra dicendam: Natus eſt
autem Bethleem, ideoque Meridianorum differentia fuit 2. horæ 12′ ſubtrahenda, & tem-
poris æquatio 4′. addenda prædictis 11. horis 55′. ad quod tempus loca Planetarum ſic ſe
habuerunt cum figuræ cardinibus. Porrò de ſtella quæ in Euangelio dicitur apparuiſſe Ma-
gis, eoſque ab Oriente adduxiſſe Hieruſalem; certum eſt tale phœnomenon nec fuiſſe veram
Stellam, nec Cometam ut opinatus eſt Cardanus, nec meteorum aliud naturale: tum quia
hæc Magos docere non potuiſſent natum eſſe Regem Judæorum adorandum: tum quia eos
interdiu atque noctu ad locum nativitatis ducere, & in biviis aut triviis occurrentibus rectum
iter diſcernere nequiviſſent. Sed fuit DEI Angelus lucidâ nubeculâ amictus, qui juſſu DEI
Magos illos Philoſophiæ & Aſtrologiæ peritiſſimos, forſan tunc congregatos ad Aſtra con-
templanda, indeque Divinam Sapientiam & Providentiam venerandam edocuit CHRI-
STUM eſſe natum eoſque Bethleem adduxit. Sic enim Angelus olim Filios Iſraël in forma
nubis interdiu noctuque per deſertum ducebat. Stella autem Magorum movebatur in infima
Aëris regione, nec procul a Terra; alioquin ſublimior ſtando non indigitaſſet locum ubi
erat puer.

NATIVITAS
JESV CHRISTI
FILII DEI.



Latitudines.

♄	0.	7′.	M.	A.
♃	1.	19.	S.	A.
♂	0.	48.	S.	A.
♀	1.	1.	M.	A.
☿	2.	1.	M.	D.
☽	4.	40.	S.	D.

Quod

Quod verò ad cætera, CHRISTI ſpectat accidentia, conſtat ex Euangelio Lucæ quod completis 12. annis & 3. menſibus inventus eſt Hieroſolymæ ſedens in Templo in Medio Doctorum, audiens & interrogans illos: tunc autem Horoſcopus inclinationum ſignificator directione erat ad △ ♄. domini Solis in 9. domo quæ eſt Religionis; & Medium Cœli actionum ſignificator devenerat ad ejuſdem ♄ dodectilem, huic igitur accidenti valdè quadrabant ipſæ directiones. Habuit autem Lunam dominam Media Cœli, quod eſt de ſuſceptis, actionibus & dignitate, partiliter poſitam in cuſpide 8. domus quæ eſt mortis, ſub dominio ♂, qui fuit potens in ſeptima, quæ eſt hoſtium apertorum, oppoſitus Horoſcopo atque ♃ in prima domo quæ eſt vitæ, idque in quadrato Solis in 4: ex quibus ipſi ſignificabatur mors violenta & publica ob ☽ partiliſſimè junctam longitudine capiti Meduſæ; mandato Principis, ob ☍ ♃ & ♂ domini octavæ, horumque quadratum ad ☉ in octava potentem; nec non Plebis conſenſu clamoſáque petitione, ob ipſam Lunam inter Pleiadas ſitam: ideoque ob ſuſcepta actiones & dignitatem quam aſſumebat dicens ſe eſſe CHRISTUM, Meſſiam promiſſum, quòd ipſa Luna eſſet domina Medii Cœli: Luna autem interfectrix applicans Trino ☉ in quarta nomen præſagiebat poſt mortem glorioſum. Tandem verò notatu digniſſimum eſt, quod directio Horoſcopi ad oppoſitum Lunæ, quæ mortem illam ejuſque tempus ſignificavit, præcisè completa eſt anno CHRISTI completo 33. cum 3. menſibus. Nam aſcenſioni obliquæ Horoſcopi 181. gr. 6′. pro tempore elapſo à nativitate per Tabulam Naibodæ, conſurgent 213. gr. 52′. pro exacta aſcenſione obliqua oppoſitionis Lunæ cum latitudine, in Polo figuræ; cui nihil reperitur ſimile in figuris erectis ad alios annos à Chronologis expoſitos.

Neque hæc adeo clara dicuntur, ut fatali neceſſitati CHRISTUS ſubjiciatur: tum quia nullus homo ipſi fatalitati ſaltem pro actionibus liberis ſubjicitur ex ſupradictis; tum quia nullus Aſtrologus Chriſtianus dubitat, quod poterat non mori ſi voluiſſet; & oblatus eſt quia ipſe voluit, Eſaiæ cap. 53. Et apud Joan. cap. 10. *Ego pono animam meam, ut iterum ſumam eam: Nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à me ipſo:* ſed hæc dicuntur, ut ad majorem gloriam ipſius CHRISTI pateat etiam ex Aſtrologia, ipſum fuiſſe verum hominem, & ſuum corpus ſubjeciſſe iiſdem cauſis naturalibus à ſe conditis, quibus aliorum hominum corpora ſubjecit, unde infero, Aſtrologiam quæ id maximè probat, Theologis maximè venerandam eſſe debere. Cúmque CHRISTUS ad ſui Patris honorem & humani generis redemptionem, mori & ſanguinem ſuum effundere decreviſſet aliquo tempore; ipſum congruenter ad cauſas Phyſicas & cœleſtes pro ſua morte tale tempus elegiſſe, nec eo præſente mortem ſuam diutiùs differre voluiſſe; ſed dixiſſe, *Pater venit hora, clarifica Filium tuum.* Ex ſupradictis verò quid impietatis niſi ab Aſtrologiæ ignaro objici, imò quid in Natura de CHRISTO mirabilius dici poteſt?

Sed dicet aliquis, magnam inter Chronologos diſſentionem eſſe de anno nativitatis & paſſionis CHRISTI; ita ut differentia inter ipſos etiam ad ſex annos ſe extendat. Ideoque vanam eſſe figuram à Cardano & nobis erectam.

Sed reſpondeo Primò: Talia objicienti; ut ipſe Chronologos concordet ſi poſſit, quandoquidem inter ſe convenire nolunt vel nequeunt: nec meum eſt inſtitutum adeo inextricabilem tædioſumque ingredi labyrinthum.

Reſpondeo Secundò: Ex ſupradictis negari non poſſe, quod CHRISTUS ratione corporis fuerit ut cæteri hominis obnoxius Aſtrorum influentiis. Et ideo quæcumque fuerit ejus figura natalitia, ipſa fuit conformis ejus temperamento, moribus nativis, ingenio, vitæ, humanis actibus, atque morti, ut ſupradictum eſt: quantùm autem his figura ſuperior congruat oſtenſum eſt.

Adde quod ea ſuppoſita, & morte CHRISTI anno ætatis ſuæ currente 34. Eccleſiæ traditione; non incongrua occurrit confirmatio utriuſque temporis; quippe nativitatis atque mortis. Nam certum eſt apud omnes quod ſurrexerit die Dominica quæ proximè ſucceſſit plenilunio quod Vernale æquinoctium proximè ſecutum eſt: ideoque crucifixus ſit Feria ſexta ſeu die Veneris; quæ in Euangeliis dicitur paraſceve ſive præparatio ad ſequentem magnum diem Sabbathi. Jam verò currente anno 34. verum æquinoctium Vernum ex Tabulis Rudolphinis contigit Hieroſolymæ die 22. Martii 11. horis 18′. poſt meridiem tempore vero; fuitque æquatio temporis ex nobis 8. minuta horæ addenda, & differentia Meridianorum 2. hor. 12′. ſubtrahenda: ideoque tempus medium Uraniburgi pro Tabulis Rudolphinis ſunt 33. anni completi, Februarius communis, 21. dies 9. horæ 14′.

Factum eſt autem verum plenilunium die 23. Martii horâ 5. minut. 51. poſt meridiem tempore vero Hieroſolymæ; Sole in 0 grad. 45′. ♈, & Luna in 0 grad. 45′. ♎ exiſtentibus: ſicque plenilunium contigit ante Solis occaſum. Ex quibus patet, quod æquinoctium & plenilunium contigerunt eodem die 23. Martii juxta ſupputationem Judæorum, qui diem

inchoa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

inchoabant ab occaſu Solis: fuitque hic dies decimus quartus Lunæ, ob ipſum plenilunium,
ſive prima dies azymorum,in qua (ait D. Lucas) *neceſſe erat occidi Paſcha.* Ideoque CHRI-
STUS qui non venerat Legem ſolvere, ſed adimplere, Legem ipſam hoc die vigeſimo tertio
perfectiſſimè adimplevit & conſummavit. Nam comedit Paſcha legale cum ſuis diſcipulis;
deindeque inſtituit novum ſui corporis juge ſacrificium,tandemque ipſemet occiſus eſt, verus
agnus DEI, qui tollit peccata Mundi: hæc ſiquidem tria facta ſunt inter Solis occaſus dierum
vigeſimi ſecundi & vigeſimi tertii,ideoq; currente vigeſimo tertio.Ex quibusconſtat quod dies
vigeſimus tertius fuerit feria ſexta, ſeu dies Veneris, & dies Dominicus proximè ſequens ple-
nilunium ſupradictum, fuerit dies vigeſima quinta Martii, in qua CHRISTUS reſurrexit, ut
Eccleſiæ placet. Littera autem Dominicalis eo anno 34. fuit C, ideoque littera feriæ ſextæ A;
falſum eſt autem quod CHRISTUS paſſus ſit Lunâ decima quinta, ut volunt Joannes Luci-
dus & alii; id enim fuiſſet contra Legem. Ac præ cæteris hoc mirabile notatuque digniſſimum
accidit, quod Luna quæ in figura CHRISTI ſupra poſita fuit anæreta ſeu interfectrix, præter
directionem Horoſcopi ad ejus oppoſitum pro tempore mortis, ipſo die plenilunii atque horâ
tranſiverit partialiter ſupra Horoſcopum, dum CHRISTUS eſſet in cruce: & ex hoc tranſitu
& directione Horoſcopi ad ☍ Lunæ, patet quod natus ſit hora duodecima cum 55′.

Judæi autem ſuum Paſcha retardaverunt uno die,illudque celebrarunt Lunâ decima quinta.
Nam plenilunium contigit die Veneris poſt paſſionem & mortem CHRISTI, priuſquam Sol
occumberet; ergo in Solis occaſu incipiebat Luna decima quinta, in qua Judæi ſuum Paſcha
celebrarunt,vel manducarunt,quod tamen manducare debebant veſperi diei decimæ quartæ,
ut DEUS præceperat Exodi cap. 12. Dies enim, ſive Luna decima quarta ſemper ea fuit in
qua contingit plenilunium, incepta à præcedente Solis occaſu. Et hæc fuit prima eorum cœci-
tas, Sole CHRISTO ab illis extincto.

Jam verò ſi hic annus qui fuit 78. Julianus pro CHRISTI paſſione ſupponatur, tum annus
vitæ ſuæ quaſi 30. dum baptiſatus fuit & prædicari cœpit ex D. Luca; nec non feſta Paſchalia
ab eo poſtea Hieroſolymæ celebrata; non difficile videtur deducere, quod natus ſit anno Ju-
liano 45. Videant igitur Chronologi, an ex ſuis hypotheſibus & hiſtoriis controverſis afferre
valeant aliquid veriſimilius ſupradictis omnibus.

Sed hæc obiter dicta ſunto: Non enim ſolis rationibus Aſtrologicis de annis CHRISTI na-
tali & lethali definire nobis ſtatutum eſt, ipſaque veritas ſi DEUS tandem voluerit dilucidè
probata, prædictis rationibus ſi veritati contrariæ ſint, erit ſemper præferenda. Sed veritatis hu-
juſce momenti curioſos, velim eſſe monitos, ut notent quod Joſephus, cujus præſertim hiſtoriæ
innituntur plures Chronologi & præ cæteris Keplerus, mortuus fuit Judæus religione; ideoque
ſuſpectæ fidei Chriſtianis, ob odium erga CHRISTUM; qui Judaicam religionem abroga-
vit, gentiſque illius ſubverſionem prædixit atque cauſavit; ut fatetur etiam Rabbi Moſes in
Tractatu de Regibus atque bellis, dum ait. *Ille qui viſus eſt eſſe Meſsias & occiſus eſt ſententiâ*
Iudiciali, &c: *Ille fuit cauſa cur Iſrael perierit gladio, & reliquiæ Iſrael diſperſæ ſint & deſperſæ,*
& cur Lex mutata ſit. Hoc autem inde patere, quia Joſephus CHRISTO ferè contempera-
neus nullam mentionem facit Magorum, qui ab Oriente venerunt Hieroſolymam, ut adora-
rent novum Regem Judæorum, alium ab Herode, qui inde maximè turbatus eſt, omniſq; Hie-
roſolyma cum ipſo; nec ſtellæ quæ illos adduxerat, nec infanticidii ab Herode patrati, nec ſu-
pernaruralis Eclipſis quæ per tres horas duravit totalis in paſſione CHRISTI, & Sole & Lunâ
oppoſitis, nec cæterorum quæ in ejus morte & palam teſte reſurrectione contigerunt; cùm ta-
men hæc omnia ſint pro CHRISTI nativitate & paſſione notatu digniſſima, mirabilia, & à ta-
li Hiſtorico non omittenda: quòd fuerit CHRISTUS ſpecioſa majeſtate ſpectabiliſſimus præ
filiis hominum, morum & doctrinæ ſanitate eminentiſſimus, & miraculis quotidianis etiam in
ſua morte clariſſimus; nec eo tempore quidquam viſum ſit inter Herodianos, aut Cæſaria-
nos, vel in toto Mundo mirabilius: præſertim quòd JESUS palam in templo doceret co-
ram Principibus, Scribis & Phariſæis, & ſe eſſe Filium DEI profiteretur; ob idque fuerit ab
eis occiſus, poſtea reſurrexerit ut prædixerat, in Cœlum aſcenderit coram ſuis diſcipu-
lis, eiſque deinde Spiritum ſuum ſanctum miſerit cum donis linguarum & miraculorum, ut
notum factum eſt Judæis omnibus; & per eoſdem ex ſe idiotas doctrinam legemque ſuam
per totum Orbem diſſeminaverit, idololatriamque profligaverit; quorum nullam mentio-
nem facit Joſephus, quaſi cæterorum Judæorum inſtar memoriam CHRISTI datâ ope-
râ delere ſibi proponens: quandoquidem horum ignarus eſſe non potuit, viditque Reli-
gionis Judaicæ everſionem, & Chriſtianæ propagationem martyriis & miraculis coruſcan-
tem. Idem enim fecerant Pontifices, Scribæ & Phariſæi, dum Actorum cap. 4. 5. congre-
gati prohibuerunt Apoſtolis Petro & Ioanni, ne omnino loquerentur, vel docerent in no-
mine JESU, idemque adhuc paſſim facit Judæorum vulgus, dum interrogati de JESU
CHRISTO, reſpondent, ſe neſcire quis ille fuerit, nec mentionem ejus fieri in ſuis Libris:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

cùm tamen Rabbini ipſum non ignorant, ſed in ſuo Talmud de ipſa ſanctiſſima Matre blaſphement impiiſſimè ac velut canina rabie.

Nec obſtat quod apud Joſephum reperiatur locus, in quo ſit mentio de JESU, ac dicitur quod ipſe erat CHRISTUS, mirabilium effector & plus quàm homo; quodque à Primoribus gentis Judæorum accuſatus & morte affectus poſtea reſurrexerit, ut hæc & alia Prophetæ de ipſo prædixerant. Nam certum eſt hunc locum fuiſſe ab aliquo Chriſtiano perperam additum textui Joſephi: quod probatur tum ex modo phraſis, tum ex Rabbinis ad Chriſtianam fidem converſis, qui hoc aſſerunt; tum maximè quia ſi locus ille ſit Joſephi, nonne hic fuit ſtultiſſimus gratiſque damnari voluit, dum ſciens ipſum Jeſum fuiſſe verum Meſſiam promiſſum à Prophetis, ejus tamen ſprevit Legem ab aliis tam Judæis quàm gentilibus paſſim receptam & Judæus mori voluit? hoc certè eſt ab omni ratione alienum. Sed Joſephus odio ac invidia in JESUM CHRISTUM inſtar aliorum Gentis Judaicæ Primorum excæcatus, nullam ejus mentionem facere voluit; rerumque geſtarum tempore nativitatis & mortis CHRISTI hiſtorias, confuſione temporum datâ operâ depravavit; ut ex ipſo etiam colligitur Keplero; hiſtoriæ Joſephi aliquid humani accidiſſe dicens, dum vidit ipſam Euangelio & hiſtoriis Romanis non quadrare. Sed de his jam dicta ſufficiant.

Sextò: Objiciunt aliam adhuc impietatem Aſtrologorum, dicentium quod CHRISTUS per cœleſtes influentias operatus ſit miracula quæ patravit.

Sed reſpondeo: Dogma iſtud eſſe potius Judæorum vel Turcarum, CHRISTI divinitatem, non autem miracula negantium, quàm Chriſtianorum Aſtrologorum. Quod ſi ex his quiſpiam in hanc dementiam inciderit, ejus opinio pro hæreſi in Aſtrologia cenſeatur; ſed longè minoris momenti atque vis ad alia ingenia depravanda, quam hæreſes inter Theologos exortæ. Non ergo ſcientiæ tribuatur, quod eſt ab hominum depravatis ingeniis.

Septimò objiciunt: Aſtrologos referre peſtes, famem, bella, terræ motus, diluvia, &c: ad quaſdam cœleſtes cauſas prorſus commentitias: cùm tamen hæc ſint flagella DEI, quibus hominum crimina & impietates punit, ut ſacræ Scripturæ teſtantur.

Sed reſpondeo: Certum eſſe apud Aſtrologos, conſtitutiones cœleſtes duplicis eſſe generis: alias univerſales, de quibus fusè agimus Libro 25, falſaſque doctrinas rejicimus; alias verò particulares. Univerſales autem producunt effectus toti alicui nationi vel Terræ parti communes, quales ſunt peſtes, fames, bella, diluvia, &c: ideoque hæc ut plurimùm accidunt duntaxat à cauſis naturalibus, ipſi etiam Divinæ Providentiæ ſervientibus ad hominum punitionem, ut qui pravis Aſtrorum influxibus obſecuti ſunt ad peccandum, pravis Aſtrorum influxibus puniantur ad reſipiſcendum. Sed hoc non obſtare, quin DEUS Naturæ Legibus non aſtrictus, interdum illa mala, vel alia hominibus immittat propria voluntate, etiam abſque concurſu vel contra efficientiam cauſarum univerſalium. Quo pacto tam DEO quàm Naturæ quod ſuum eſt tribuitur, neutrique ſit injuria. Videantur ſuper hoc punitiones Judæorum in veteri Lege.

Atque hæc mihi videntur eſſe præcipua argumenta, quæ à Theologis objiciuntur. Ex quorum ſolutione patet, quàm facile ſit deinceps alias eorum innumeras nullius momenti ratiunculas refellere. Jam ad Patrum, Conciliorum, Juris-Conſultorum, nec non Principum & Pontificum authoritates atque ſententias deveniamus. Ac in primis dicamus: quod Patres dumtaxat obiter & veluti per tranſennam viderunt Aſtrologiam; ſuperficie tenus qualis ipſa eſſet inquirentes, idque forſan ut ſui ſeculi conſcientiis & hominibus de Aſtrologiæ veritate interrogantibus ſatisfacerent, unde nil mirum ſi de Aſtrologia perperam judicaverint: hoc enim Naturæ talentum non fuit eis à DEO datum, ſed ſublimius, ſcilicet Theologiæ & Scripturæ ſacræ. Ad hæc communiter imponunt Aſtrologis omnibus, quod de futuris hominum cunctis eventibus certò & fatali neceſſitate prædicant: cùm tamen tale dogma ſit ab Aſtrologorum ſaltem Chriſtianorum atque Doctorum mente prorſus alienum; hi ergo à Turcis & Paganis orientalibus fatalem illam neceſſitatem ſtultè aſſerentibus diſtinguendi ſunt.

Incipiamus autem à D. Ambroſio, qui lib. 4. Hexam. cap. 4. deſcribens S. Baſilii diſputationem hom. 4. in Hexam. imponere videtur Aſtrologis quod velint humanas hominum actiones & paſſiones etiam ſupernaturales, à concurſu gratiæ vel peculiari voluntate DEI contingentis, ut improborum hominum, ſed præſertim D. Pauli converſionem, Apoſtolorum electionem, boni latronis confeſſionem & ſalutem, &c: eſſe neceſſariò vel fataliter ab influentiis cœleſtibus horâ nativitatis.

Cùm autem nullus ſit Chriſtianus Aſtrologus adeo demens, vel ignarus qui talium quidquam aſſeruerit, vel cauſas naturales ſaltem ex ſe agere ſupernaturaliter, idque ſit à vera & naturali Aſtrologia prorſus alienum; conſtat totum D. Ambroſii circa hoc diſcurſum inutilem eſſe.

Arguit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Arguit deinde : Impoſſibile eſt Aſtrologo veram Zodiaci portiunculam momento nati- vitatis aſcendentem notare vel obſervare , quod tamen eſt præcipuum Aſtrologiæ funda- mentum. *Nam* (ait) *Aſtrologi totum Zodiacum in duodecim partes ſive ſigna dividunt, & horum quodlibet in* 30. *portiunculas quas gradus vel tempora vocant ; & quamlibet por- tiunculam in* 60. *minuta prima , & horum quodlibet in* 60. *minuta ſecunda. Quàm igitur* (ait) *incomprehenſibile eſt in quoto ſexageſimo , ſexageſimæ portiunculæ nativitatis momento conſiſtant, & qui ſingulorum ſignorum ſit motus , aut ſpecies in nativitate naſcentis ? unde cùm impoſſibile ſit tam ſubtiles minutias temporis comprehendere , exigua autem mutatio invehat univerſatis errorem , totum negotium plenum eſt vanitatis.*

At reſpondeo : Hîc palam fieri D. Ambroſium Aſtrologiam ignoraſſe. Aſtrologi enim in obſervando Horoſcopo , vel Zodiaci parte ſupra Horizontem emergente , aut Cœlum me- diante horâ partus ; non curant de illis minutiis ; ſed illis ſufficit habere verum gradum tunc emergentem , vel ad ſummum minuta prima gradui adhærentia. Imò gradus aſcendens vel Cœlum medians , potiùs attendi debet in Æquatore , qui eſt vera temporis menſura , quàm in Ecliptica ; cujus deinde gradus ſcitur per gradum Æquatoris aſcendentem vel culminan- tem. Quod autem hoc ſit facillimum per obſervationem horæ ex Sole interdiu , vel ex ſtella fixa noctu , dum infans ex utero egreditur , & aërem externum pro reſpiratione attrahens , à Matre ſeparatur, proprioque fato à Natura traditur, inde conſtat : quia gradus quilibet Æqua- toris pertranſit Meridianum circulum in 4. minutis horæ , quæ valet 60. minuta : minutum verò unum durat per 80. circiter pulſationes arteriæ hominis temperati : ergo 4. minu- ta horæ durabant 320. pulſationibus ; quo tempore (quod eſt decima quinta pars horæ) obſervari non poſſe gradum culminantem à perito Artifice , ridiculum eſt aſſerere ; cùm ab eo in uno etiam horæ minuto obſervari queat ipſe gradus cum minutis primis adherentibus, ſi aptum ſit inſtrumentum. Jam verò Aſtrologi non judicant de temperamento , vita , mo- ribus ingenio , &c : Nati , ex minutis adhærentibus gradui horoſcopanti , imò nec ex ipſo gradu ; ſed tantùm ex natura ſigni cujus eſt ipſe gradus , & Planetæ domini ipſius ſigni : proin- deque de illis idem fiet judicium , ſive decimus quintus , ſive vigeſimus gradus ipſius ſigni ſit in Horoſcopo. Idemque dicendum de Medio Cœli pro ſuſceptis actionibus & profeſſio- ne ; ſi quidem gradus Zodiaci lucidos , fumoſos , puteales , &c : nec non Planetarum termi- nos, ut mera Orientalium figmenta, tanquam ſuggeſta à tenebroſo , famoſo , & puteali hoſpi- te Tartari , explodimus in Aſtrologia noſtra Gallica : quocirca multùm fallitur D. Ambro- ſius , dum ſuperiùs dixit , quod exigua mutatio in minutiis illis invehat univerſitatis errorem. Non tamen negamus , ſed aſſerimus , quod in vera figura cœleſti haberi debent veri gradus Horoſcopi ac Medii Cœli , etiam cum minutis primis adjacentibus , ſi Aſtrologus ad hoc fuerit expers : tum quia ſic habebitur accuratiſſimè figura conſtitutionis cœleſtis ; tum quia inde eruentur exactiùs futurorum eventuum tempora per directiones Aſtrologis notas : At jam ſupra dictum eſt, facile eſſe gradus illos obſervare ; idque ſufficit Aſtrologo. Reliquæ au- tem rationes D. Ambroſii , vel nullius ſunt momenti , vel jam refutatæ ſunt in præcedentibus. Sic verò corruunt etiam quæcumque ſimilia argumenta de natali hora vel gradu horoſco- pante à D. Auguſtino, Origene & aliis objiciuntur.

Sed unum minimè videtur omittendum , ignaris decipiendis idoneum, quod tribuitur D. Auguſtino lib. 5. de Civitate Dei cap. 5. & tale eſt. Rota figuli quantumvis celeriter in gy- rum mota , nequit ſui motus velocitate adæquare primi Mobilis ſtupendam velocitatem : at ſi rotâ ſic circumactâ , quiſpiam illi quàm citiſſimè poterit duas notas imprimere velit , ex eodem ſitu manus imprimentis , tantùm abeſt quod notæ in idem rotæ punctum incidant , ut etiam quadrante vel dimidio peripheriæ à ſe diſtent : Quantò igitur minùs poterit Aſtrolo- gi oculus Cœlum obſervans , idem ejus punctum determinare , ad figuram cœleſtem eri- gendam ?

Sed reſpondeo, hujus argumenti Authorem valde hallucinatum fuiſſe. Nam rota ut ſu- periùs agitata , fortaſſis 100000. gyrationes abſolvit in 24. horis , quo tempore Cœlum uni- cam abſolvit gyrationem. Si igitur rota in 24. horis unicam ſicut Cœlum abſolverit gyratio- nem (quod fieri debet in hac comparatione , ut valeat) tunc notæ quæ ipſi rotæ ut ſupra im- primentur , ad omnem oculi ſenſum incident in idem punctum. Nonne ergo hæc argu- menta probant tantos viros ut homines, nos de rebus ſibi non benè perſpectis judicaſſe ?

Incredibile eſt (ait de Angelis cap. 5. lib. 5.) *quàm multis variiſque modis ſanctus Auguſtinus Aſtrologiæ futilitatem oſtendat*. Et cap. 7. *Nullus aut ſæpius aut acriùs in Aſtrologos invectus eſt, quàm S. Auguſtinus*. Ideoque capitibus 4. 5. 6. & 7. diverſa refert Divi Auguſtini argumenta ; ſed quæ potiùs Rhethorem quàm Philoſophum, aut Aſtrologum, ant Aſtronomum redolent. Ac certè quicumq; in Aſtrologiam ſcripſerunt, quia hujus ignari , fuerunt incapaces inſignes ob- jiciendi difficultates, quales multæ in Opere noſtro à nobis propoſitæ & reſolutæ invenientur.

Præcipua autem D. Auguſtini objectio lib. 2. de doctr. Chriſt. cap. 21. 22. 23; lib. 7. confeſſ. cap. 5. de Civit. DEI cap. 5. & in pluribus aliis locis, eſt de Gemellorum nativitate, *fieri enim poteſt* (ait) *ut aliqui Gemini ita ſequaciter fundantur ex utero, ut intervallum temporis inter eos nullum poſsit apprehendi & conſtellationum numerus annotari. Vnde neceſſe eſt nonnullos geminos eaſdem habere conſtellationes, cùm paria rerum vel quas agunt, vel quas patiuntur eventa non habeant; ſed plerumque ita diſparia, ut alius fœlicisſimus, alius infœlicisſimus vivat; ſicut Eſau & Iacob geminos accepimus natos; ita ut Iacob qui poſterior naſcebatur, manu plantam præcedentis fratris tenens inveniretur. Horum certè dies atque hora naſcentium, aliter notari non poſſet, niſi ut amborum conſtellatio, una eſſet. Quantùm autem interſit inter amborum mores, facta, labores, atque ſucceſſus; Scriptura teſtis eſt, jam ore omnium pervagata.*

Sed reſpondeo Primò: Ex ſupradicto loco patere, D. Auguſtinum ne quidem ſciviſſe quid ſit conſtellatio apud Aſtrologos. Vult enim ipſam eſſe totius Cœli Thema natalitium, vel totius Cœli poſitum reſpectu naſcentis, quem nullus Aſtrologus vocavit Conſtellationem: quippe quòd Conſtellatio apud illos, ſit tantùm quædam fixarum in aliqua Cœli parte ſimul exiſtentium, in quandam formam vel imaginem conceptam vel effictam aſſumptio: quales ſunt in Zodiaco ſtellato Aries, Taurus, Gemini, &c: tum extra Zodiacum Canis major, Perſeus, Corona Gnoſia, Coma Berenices, &c: quæ ne quidem res, quarum dicuntur eſſe Conſtellationes, repreſentant, & de quibus egimus lib. 14. ſect. 2. cap. 12.

Reſpondeo Secundò: Gemellorum difficultatem, frequenter ab Aſtrologiæ ignaris objectam, ſic nobis videri explicandam atque tollendam. Certum eſt & perpetuâ experientiâ confirmatum, maximam Gemellorum partem, adeo ſimiles eſſe vultu, ſtaturâ, temperamento, moribus, ingenio, & Natis ſupervenientibus accidentibus, ut ſæpius illud ſit omnino mirabile. At etiam certum eſt, accidere interdum nativitates Gemellorum in prædictis omnino diſſimilium, ut Jacob & Eſau, qui toties objiciuntur Aſtrologis. Ratio autem differentiæ facillima eſt maximéque naturalis. Si enim acciderit Primogenitum naſci horoſcopante ultimo gradu alicujus ſigni, ut Sagittarii; hic habebit Sagittarium ſignum igneum Jovis pro Horoſcopo, cui vis eſt præcipua circa temperamentum, formam corporis, mores, ingenium atque ſanitatem & vitam: ideoque Sagittarius ejuſque dominus Jupiter, erunt ipſi Nato ſignificatores & cauſæ illarum rerum. Hoc autem poſito, alter egredietur ex utero, horoſcopante primo vel ſecundo vel tertio gradu Capricorni, ſigni terrei Saturni: ideoque Capricornus & Saturnus erunt ipſi ſignificatores, & cauſæ temperamenti, formæ corporis, morum, ingenii atque vitæ. Quamobrem quantùm inter ſe diſcrepant elementaliter & influentaliter ſigna Sagittarii & Capricorni, tum Jupiter & Saturnus (quæ ſanè differentia eſt maxima) tantùm inter ſe in prædictis different ipſi Gemelli: & hoc forſan aut quid ſimile accidit in partu Jacob & Eſau: non enim Scriptura dicit quod Jacob egreſſus ſit ex utero, dum teneret pedem Eſau in manu præcedente; hic enim partus fuiſſet tam Matri quàm Filio periculoſus. Laurentius Eichſtadius in ſuis Aphoriſmis Aſtrologicis à Keplero deſumptis differentiam Gemellorum ipſorum hanc eſſe ait: quod Eſau egreſſus ſit ex utero Marte horoſcopante in 24. gra. 5′: ♋, cum juba villoſa Leonis; Jacob autem Jove horoſcopante in 24. gr. 29′. Cancri: ſed hoc abſurdum eſt. Nam habuiſſent ambo eundem gradum horoſcopantem, eandem ☌ ♃ & ♂ partilem, cum eadem fixa in Horoſcopo & eandem Horoſcopi dominum: ideoque mores eoſdem potius quam diverſos. Dum autem ambo Gemelli naſcuntur eodem horoſcopante ſigno, quoniam ipſi habent idem ſignum eundemque ipſius ſigni dominum, pro ſui temperamenti, formæ corporis, morum, ingenii, &c: ſignificatoribus; convenit ut in his ſimiles ſint & inter ſe conſentientes; ac eò magis, quò minor erit differentia temporis inter utrumque partum. Atqui valde rarum eſt, Primogenito oriri ultimum gradum ſigni unius, frequens verò ambos geminos oriri eodem ſigno horoſcopante, ergo valdè rarum eſt videre geminos diſſimiles; & frequens videre ſimiles. Atque hæc ratio Aſtrologica ut eſt evidentiſſima ex Aſtrologiæ veris principiis; ita eſt certiſſima, quam nullus recuſabit ſanus intellectus.

Quod verò aliunde objicit D. Auguſtinus lib. 7. confeſſ. cap. 6. de domina & famula quæ in eadem urbe eodem horæ minuto maſculos pepererunt, quorum dominæ filius domi ſuæ auctus eſt divitiis, & ſublimatus honoribus; famulæ verò filius remanſit ſervus: indeq; vult D. Auguſtinus Aſtrologiam convinci falſitatis; hoc etiam abſurdum eſt; eadem enim cauſa agit penes ſubjectorum diſpoſitionem de communi conſenſu Philoſophorum; ut patet ex Sole qui in eodem loco lutum indurat & ceram liquefacit. Si igitur fuiſſent Gemelli ejuſdem matris, eadem fuiſſet utriuſque ſors: ſed quia unus fuit filius divitis dominæ, & alter pauperis famulæ, quilibet pro ſua conditione vel diſpoſitione communem cœleſtis thematis influxum ratione ſortis vel fortunæ participavit. Non tamen dicit D. Auguſtinus quod fuerint diverſi temperamenti,

menti, morum, vel ingenii. Cætera Divi Auguſtini argumenta, ut nullius momenti omittimus.

Veniamus ad Originem Adamantium qui apud Euſebium Cæſarienſem lib. 6. de præp. Euangelii cap. 9. ut diſputet contra Aſtrologos, ſupponit etiam hos credere, quod futuri hominum eventus fatali neceſſitate accidant; imò quod fideles fato ducti in CHRISTUM credant; ſicque hominis libertatem evertunt.

Cæterùm vel ſcribit contra idololatras Aſtrologos, qui falsò fati neceſſitatem ab Aſtris aſſeruerunt, ſicque valet ejus argumentum: vel ſcribit contra Chriſtianos, qui cum Ptolemæo illam fati neceſſitatem repudiant: vel potiùs ſcribere intendit contra veram Aſtrologiam, quæ in Aſtrorum concurſu cum ſublunaribus cauſis ac præſertim liberis, tale fatum non admittit; quòd Aſtra inferioris ſint ordinis ac ignobilioris naturæ, quàm mens humana, quæ ſpiritualis eſt, Aſtra autem corporea; ſicque Chymeram ſibi effingit debellandam.

Itaque aliter Aſtrologos aggreditur, probandumque ſuſcipit, nihil humanarum rerum à ſtellis effici, ſed tantummodo ſignificari. Nam (ait) Aſtrologi ferunt ſententiam, de Patris & Matris fortuna & corporis diſpoſitione: at Cœli poſitus infante naſcente, ea quæ præterita ſunt non effecit; ergo ad ſummum duntaxat ſignificavit. Et ſi quis dixerit præterita quidem in Patre & Matre ante infantis partum à ſtellis tantùm ſignificari; at eis futura poſt partum à ſtellis effici; quærit rationem diſcriminis: ſed ait quod Aſtrologi nullam hujus rei cauſam unquam afferre poterunt veriſimilem. Nunquid ſic egregiè probavit intentum?

Cæterùm qualiter natalis conſtitutio ſit cauſa ſignificans, tum etiam efficiens reſpectu parentum, fratrum natu majorum, &c: videat Lector lib. 21. ſect. 1. cap. 7. tum lib. 22. ſect. 4. cap. 6. ubi hæc à Me enodantur.

Rurſus autem alia ratione probare nititur, ſtellas non eſſe cauſas efficientes, ſed tantùm ſigna. Nam (inquit) ſi patibulo moriturum aliquem dixerint Aſtrologi, non à nativitate ſua id ſolum modo, verùm etiam fratrum, filiorum & aliorum attinentium poſſe intelligi credunt. At ſtultum ipſi videtur, in unaquæque tam multarum nativitatum, mortem unius eſſe contentam.

Nonne hîc adhuc ſuum egregiè probat intentum? videantur ergo cap. 6. & 7. ſect. 4. lib. 22, ubi hæc difficultas Aſtrologiæ maxima fuse diſcutitur & dilucidè ſolvitur.

Denique Origenes quærit, cur cùm multæ ſint prævidendi viæ ab hominibus excogitatæ, ut Augurium, Auſpicium, ſomniorum interpretatio; omnes aliæ viæ tantùm ſignificent, Genethliacam verò efficere putent?

Sed neque hîc quidquam probat Origenes; & ad ejus quæſtionem reſpondeo. Aſtrologiam eſſe ſcientiam veris & naturalibus innixam principiis, tam materialibus, quæ ſunt corpora cœleſtia, quàm formalibus, quæ ſunt axiomata, ab experimentis deſumpta: Augurium verò, Auſpicium & ſimiles vias prævidendi, eſſe falſas & diabolicas: ideoque Aſtrologiam poſſe ſignificare & efficere, alias autem vias nequidem verè ſignificare niſi ex pacto cum Diabolo ſæpe mendace. Eſt tamen notandum id quod Origines fatetur, Cœlum univerſum eſſe quaſi librum apertum omnia futura in ſe conſcripta continentem; ſicque explicat quod à Jacob dictum fuit in oratione Joſeph. *Legi enim in Tabulis Cœli quæcumque contingent vobis & filiis veſtris*: atque Solem & Lunam factos in ſigna.

Tandem non videtur omittenda Bardaſenis Syri oratio in Aſtrologos, quam de Angelis cap. 9. lib. 5. diſertiſſimam vocat, tantique facit, ut ſi à Nobis prætermitteretur, de Aſtrologia actum eſſe videretur. Itaque Bardaſenes (quem de Angelis immeritò vocat Aſtrologum) multa nullius momenti rethoricè præfatus, exponit Gentium diverſarum mores atque leges. Verbi gratiâ: *Apud Seras* (ait) *Lex eſt nec occidere, nec fornicari, nec furari, nec adorare ſimulachra: unde in illa regione nullum templum conſpicitur, nulla mulier meretrix, nulla adultera, nemo fur, nemo homicida: nec voluntatem alicujus illorum ardentiſsima ſtella Martis in medio Cœli conſtituta, ad cædem hominis coëgit: nec Venus Marti conjuncta ut alienam quiſpiam ſolicitaret uxorem potuit efficere. In Bactris mulieres caſtæ non vivunt, ſed tam ſervis quàm conſervis permiſcentur; nec à viris accuſantur, quippe cum eorum dominari videantur: nec Bactrianarum omnium nativitas, Venerem cum Iove ac Marte in medio Cœli & terminis Veneris habuit*: & ſic de aliis nationibus quas refert.

Sed præterquam quod Bardeſenes ſpurias cauſas affert, nunquid his & ſimilibus armis Aſtrologiam jugulavit? imò potiùs illam confirmavit. Cur enim leges ſanciuntur, ſaltem bonæ? proculdubio ut pravus coërceatur Naturæ impetus: alioquin lex inutilis eſſet atq; ſuperflua. Jam verò apud quos ſunt meliores leges tum Civiles, tum Divinæ circa DEUM & proximum, quam apud Chriſtianos & præſertim Gallos? ubi nam verò Gentium plures reperientur qui in mala vetita ruant, impietatis, hypocriſis, blaſphemiæ, ſacrilegii, homicidii, fornicationis, adulterii, mendacii, falſificationis, injuſtitiæ, furti, fraudis &c: quæ omnia legibus prohibentur?

Itaque dicendum leges eſſe quidem fræna hominibus impoſita, ſed eos quibus à Geneſi ſunt [illegible]criores propenſiones contra legem, hac non obſtante delinquere, in his præſertim, quæ occultè committi poſſunt; nam publica magis timentur ob pœnam. In vitiis verò lege vel more permiſſis, ut mulieri omnibus miſceri, cum ſorore, filia aut matre matrimonium ducere, ut fecerunt olim Perſæ lege Patria; multi tamen ita naſcuntur, ut talia naturaliter averſentur, imò [illegible] oderint. Igitur ſicut nulla permiſſio legis efficit, ut omnes ferantur in id quod lege permittitur; ſic nulla prohibitio ex parte legis efficit, ut nulli ferantur in id, quod lege prohibetur. Sicque vana eſt hac in parte Bardaſenis Rethorica: ex qua tantùm probari poteſt, quod [illegible]rum regionum incolæ, patrias leges meliùs obſervant, quam aliarum regionum incolas. Ergo datur aliquid ſupra legem, ſcilicet propenſio naturalis quam influunt corpora cœleſtia, quæque ex ſe contrariam legem odit, ſicque Aſtrologia quæ docet illas propenſiones detegere confirmatur.

Philoſophorum, Medicorum, Theologorum ac Patrum argumentis in veram & naturalem Aſtrologiam enervatis; jam iis ſatisfaciendum ſequitur, quæ ex parte Principum, Pontificum & Conciliorum objici conſueverunt: tandemque ad loca ſacræ Scripturæ objecta reſpondebimus. Nec in dicendis errabimus, ſi piæ memoriæ Reverendiſſimi Patris Caroli de Condren, dum viveret Præpoſiti generalis Congregationis Oratorii JESU CHRISTI doctrinam ſecuti fuerimus. Quantæ enim fuerit eruditionis in omnibus ſcientiis divinis ac humanis, quantæque pietatis & morum ſanctitatis, tot ſuperſunt adhuc Teſtes magni ponderis in Sorbona, in Religioſis monaſteriis, in Aula, totaque civitate Pariſienſi, qui ipſum adamarunt & mirati ſunt; ut ejus hac in re Authoritas non poſſit non eſſe magni momenti. Ipſe ergo ſcientiarum omnium Mathematicarum peritus, ac præſertim Aſtrologiæ (quæ ſimul eſt Phyſica & Mathematica) de qua ſæpiùs mecum locutus eſt, dum per annos circiter 12. Me indigniſſimum in ſuam amicitiam & ſcientifica admiſit colloquia; Meque adhortatus eſt, ut ipſius Aſtrologiæ reſtitutionem à me ſuſceptam ipſique oſtenſam abſolverem, quod hanc DEO ſpectaret honorificam, rogatus à Cardinali Richelio ſupremo Galliarum Miniſtro ipſius Aſtrologiæ curioſo, hanc ſcientiam ſuo examini ſubjicere & quid de illa ſentiret exponere; hoc quidem aggreſſus eſt; non ut rei ignarus, vel ſtudio maledicendi aut infamandi, ut fecêre Picus Mirandulanus, Alexander de Angelis & alii ſupradicti, ſed ut rei & virtutis Aſtrorum periti ſſimus; ac eo fine, ut veritas (ad quam detegendam & protegendam natus erat) hominibus innoteſceret, & conſcientiæ ſcrupula in ejus vero uſu tollerentur; ſed præſertim ut DEUS, Veritas ipſa Aſtrorumque Creator, inde ab hominibus ut decet glorificaretur: ſed morte interceptus, ſuſceptum de Aſtrologia diſcurſum dereliquit imperfectum. Quod tamen ſcripſit, Aſtrologiam ipſam egregiè defendit contra objecta Principum, & Pontificum ſtatuta atque decreta, Conciliorum Canones & Scripturæ loca: Doctoribus etiam Sorbonicis non ſine elogiis approbantibus quidquid ejus ſcriptorum recuperari potuit. Itaque multa deinceps à tanto ingenio mutuabor: ſed priùs mihi valde prænotandum videtur.

Quod Diabolus ad veram Aſtrologiam depravandam ac infamandam ea ſit uſus fraude & malignitate, ut falſis omnibus devinandi artibus Aſtrologiam admiſceri ſuggeſſerit, etiam abſque ulla neceſſitate vel congruitate. Id enim patet in Auguribus, Haruſpicibus, Geomanticis, & aliis etiam Aſtrologiæ prorſus ignaris, qui ut ſuæ arti mendaci, falſam authoritatem lucri causâ concilient, tam ſigna & Planetas, quàm domos cœleſtes falsò ac præpoſterè in ipſa introducunt. At in Magia diabolica id præſertim ſtudioſiùs obſervatur: unde Aſtrologiam Magiæ clavem eſſe propterea dixerint ejus oſores: atque gens hæc omnis Diabolo mancipata, de Aſtrologia ſeſe jactitat, & eorum quilibet Aſtrologi nomen uſurpat: quo certè nihil ipſe Dæmon excogitare potuit efficaciùs ad divinam Aſtrologiæ ſcientiam diffamandam.

De illis autem omnibus arbitror verum eſſe quod de Aſtrologis mendaciſſimè aſſerit Alexander de Angelis lib. 4. cap. 52. vix ullum eſſe qui arctiſſimo neceſſitudinis vinculo cum Dæmone non ſit conjunctus; non ſolùm ad hominibus curioſis illudendum, ſed eos quoque perdendum. Præter hos verò ſunt etiam in magnis præſertim civitatibus, ut Pariſiis, quàm plurimi nebulones Aſtrologiæ prorſus ignari, qui aliter Diabolo quamvis ſine pacto ſaltem expreſſo, ſed propria ſponte famulantur: nempe lucri causâ ſe Aſtrologos eſſe dicentes, & futura certò prædicere jactantes, tam particulares homines cum figuris genethliacis frequentiùs falſis aut commentitiis, quàm univerſæ Regionis incolas cum ſuis Almanach decipiunt ac infatuant; & quod pejus eſt ſuæ inſcitiæ diſcipulos inveniunt. At juſto DEI judicio fit, ut omnes hi vel ipſi Diabolo vel mendacio lucri causâ ſerviunt, tandem egeſtate & inopiâ laborent, miſeréque vivant, ac miſeriùs moriantur. Et quamvis de omnibus Aſtrologis id aſſerat de Angelis lib. 5. cap. 14; hoc tamen eſt mendacium evidentiſſimum etiam ex Aſtrologis ab illo citatis, Ptolomæo, Julio Firmico, Matervo, Cardano, Junctino, Bellantio, Pontano, Bonato,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

nato, Pighio, &c: quos quidem verè ait declamaſſe contra ſupradictos nebulones ignaros
& mendicos, Aſtrologiam falſam & quæſtioſam exercentes, ſed dicere non eſt auſus quem-
quam horum Virorum Doctorum ad infamem egeſtatem fuiſſe redactum. Quod ſi mihi de
me ipſo loqui liceat, qui totam meam præſentem fortunam etſi tenuem DEO per Aſtrolo-
giam debeo, ob quam piæ memoriæ Sereniſſima Regina Maria Medicea mihi Regii Ma-
thematum Profeſſoris dignitatem procuravit, ex qua deinde prodiit reliquum fortunæ ferè ad
4000 librarum annui reditus; unde duas pauperes Neptes in optimis Monaſteriis Religioſas
effeci, & tertiam ad votum ſuum marito copulavi, etiam difficillimis bellorum noſtrorum
temporibus: ſcitur mihi per DEI providenriam ac miſericordiam, neceſſaria ad ſenis vitam
adhuc ſuppetere, quamvis lùcri causâ nec Aſtrologiam docere, nec hominum curioſitatibus
ſervire voluerim, cùm etiam plures Magnates; tam ſæculares quàm eccleſiaſticos recuſaverim;
malens tempus meum ad honorem DEI in hoc Aſtroiogiæ Gallicæ Opere, quàm in lucrandis
copioſè pecuniis impendere; horum enim alterum mihi neceſſariò fuit omittendum. Jam ve-
rò quid mirum ſi Aſtrologia diffamata à tot nebulonibus filiis mendacis Diaboli, nullo obſi-
ſtente Aſtrologiæ veræ perito; hæc ſæpe malè audierit apud Principes, Magiſtratus, Epiſco-
pos, Pontifices & Concilia, veram à falſa ut par erat non ſemper diſtinguentes? his igitur præ-
notatis ut veriſſimis, jam ad objecta reſpondeamus.

Objiciunt igitur Primò: Imperatorum, Principum & Magiſtratuum ſtatuta varia in Ma-
thematicos: quorum hoc ſit inſtar omnium. Diocletiani & Maximini Imperatorum refertur
hoc decretum cap. de Maleficiis & Mathematicis. *Artem Geometriæ diſcere atque exercere pu-
blicè inter eſt: Ars autem Mathematica damnabilis eſt, & interdicta omnino.* Et rurſus: *Nemo
Aruſpicem conſulat aut Mathematicum, nemo Ariolum: Augurum & vatum prava confeſ-
ſio conticeſcat: Chaldæi ac Magi & cæteri quos Maleficos ob facinorum magnitudinem vulgus
appellat, nec ad hanc partem aliquid moliantur.*

Sed his reſpondeo: Patere in primis quanta fuerit illorum Imperatorum vel ſui Conſilii
imperitia Mathematicarum diſciplinarum, quarum quatuor præcipuæ partes ſunt, Arithme-
tica, Geometria, Aſtronomia & Muſica: ex quibus deinde aliæ, Optica, Catoptria, Archite-
ctura, Nautica, &c: deducuntur. Illud vero decretum ſolam retinet Geometriam, reliqua
autem omnino damnat, quod eſt perabſurdum. Secundo: Mathematicam ab illis damna-
tam, eſſe artem falſam ac peſſimam, Auguribus, Aruſpicibus, Ariolis & Magis maleficiis uſi-
tatam, quòd omnes haberi vellent ſcientiarum Mathematicarum periti: jam verò Aſtròlogia
ne quidem primo & per ſe inter Mathematicas recenſeri debet. Quamvis enim ratione calculi
pro ſciendis Planetarum & domorum figuræ veris locis ſupponat, Arithmeticam & Aſtrono-
miam nobiliſſimas Matheſeos ſcientias à nullo unquam rejectas: tamen ratione judicii &
prognoſis quod eſt ejus proprium munus, ipſa non pertinet ad Mathematicam; ſed omnino
ad Phyſicam, quæ ſpeculatur cauſas omnes naturales & earum effectus, & quam priùs damna-
ri oportet, ſi Aſtrologia ſit condemnenda. His autem intellectis, nonne ridiculi ſunt Picus &
de Angelis, tum alii; qui talia Principum ſtatuta, contra naturalem Aſtrologiam, ut larvas in-
firmis ingeniis terrificas producunt? ſanè hæc omnia ridet Aſtrologia naturalis & vera.

Objiciunt Secundo: Jus Canonicum & Eccleſiaſticam poteſtatem, adverſus Aſtro-
logiam.

Sed reſpondeo cum R. P. de Condren, tantùm ab illis condemnatam fuiſſe Aſtrologiam,
ut eſt Mathematica auguralis, haruſpicina ethnica, hæretica & fatalem inducens neceſſita-
tem. Multoque magis vel ſæpius à primis Chriſtianis & Patribus condemnatam fuiſſe Philo-
ſophiam, ob ingens malum quod in Eccleſia per ſophiſmata ſeu fallaces diſputationes & hæ-
reſes concitabat. Non quòd Philoſophia ſit in ſe mala, ſed quòd prava ingenia ejus argutiis
ad ſeducendum uterentur. Quod autem ſuperius dictum de Aſtrologia ſit veriſſimum, patet
ex locis & authoritatibus allatis ab Alexandro de Angelis cap. 12. lib. 5; non advertente quod
ſe ipſum jugularet.

Primò enim affert D. Auguſtinum Pſalm. 6. de quodam Chriſtiano, qui in Eccleſia non
fuit receptus, niſi peracta publica pœnitentia; quòd eſſet Mathematicus, & diceret. *Quod
adulterium non faciebat voluntas propria, ſed Venus; homicidum non faciebat voluntas propria,
ſed Mars; & juſtum non faciebat DEVS, ſed Iupiter*; & alia multa Sacrilega non parva.
Verùm nunquid talia non condemnant omnes Aſtrologi Chriſtiani? nunquid horum quid-
quam deduci poteſt ex veræ Aſtrologiæ principiis? ille igitur fuit ſolus in ſua opinione ſtultus.

Secundò: Papa Alexander III. Presbyterum qui conſuluerat Aſtrologum de furto quo-
piam in ſua Eccleſia admiſſo, per integrum annum amovit à Divinis.

Ad hoc autem dico, quod forſan conſulerat Magum, vel Ariolum, vel falſum aut ignarum
Aſtrologum, falſam Chaldæorum, Indorum & Arabum doctrinam profitentem, qui ad
quamlibet quæſtionem pro quæſtu reſpondent. At tales quæſtiones ſunt à vera Aſtrologia

alienæ ; & Arabum doctrina circa illas falſa, fraudulenta & diabolica, ut probatur à Me tota ſectione 1. lib. 26 : ac DEUS ſcit quàm graviter tales conſultores objurgaverim malens eorum ſalutem, quàm eorum mihi oblatam pecuniam.

Tertiò : Objicitur Concilium Bacarenſe 1. cap. 9. *Si quis animas & corpora humana fatali ſigno credit aſtringi, ſicut Pagani & Priſcilianiſtæ dixerunt, Anathema ſit.*

Sed reſpondeo: Veram Aſtrologiam quæ reſpuit fatalem neceſſitatem, liberam eſſe ab hoc Anathemate.

Quartò : Objicitur Concilium Toletanum 1. *Si quis Matheſi vel Aſtrologiæ putat eſſe credendum, Anathema ſit.*

Sed reſpondeo Primò : Concilium intelligere de falſa & ſuperſtitioſa Matheſi & Aſtrologia ab idololatris deſumpta. Secundò : Vocabulum *credendum* ſumi à Concilio non pro aſſenſu ſcientiæ ; alioquin Arithmeticam, Geometriam & Aſtronomiam, præcipuas Matheſeos partes condemnaret abſurdè ; cùm facta demonſtratione nullus non poſſit credere vel aſſentiri, tres angulos Trianguli rectilinei æquales eſſe duobus rectis ; Solem eſſe Terrâ centies majorem ; Lunam verò Terrâ minorem, &c : ſed ſumi pro aſſenſu & fide Religionis ; quæ fides fuit communis Babyloniis, Epheſiis & aliis idololatris, qui aſtra religioſè colebant ; credentes fatalem ab eis neceſſitatem rerum omnium in ſublunari Mundo contingentium : & eorum Theologia myſtica, vel cabala, falsò ab eis vocabatur Aſtrologia ; quippe quòd Aſtrorum & quarundam Mathematicarum linearum notis nominibus & figuris conſtaret. Igitur credendum ſumitur ibi in propria ſua ſignificatione ; quod veræ Aſtrologiæ non convenit.

Quintò : Objicit de Angelis Concilium Tridentinum adverſus libros Aſtrologiæ judiciariæ, Regulâ 9. Indicis Librorum.

Sed reſpondeo : Concilium duntaxat condemnare Libros & Tractatus qui de futuris contingentibus ſucceſſibus, fortuitiſque caſibus, aut iis actionibus quæ ab humana voluntate pendent, certò aliquid eventurum affirmant : non autem eos qui fatalem illam certitudinem vel neceſſitatem reſpuunt. Unde in tertia parte Regulæ ſequitur. *Permittuntur autem judicia & naturales obſervationes quæ Navigationis, Agriculturæ, ſive Medicæ Artis juvandi gratiâ conſcripta ſunt.* Quo ſanè Decreto liber tertius de Diebus Decretoriis Galeni Medicorum Principis admittitur : in quo eſt habenda ratio Thematis cœleſtis ad momentum Nativitatis, pro iis quæ ad vitam & valetudinem ſpectant. Galenus autem cap. 6. ipſius libri hæc habet. *Porrò illud denuò repetendum eſt, quod nos quoque obſervantes, veriſſimum ſemper eſſe comperimus ab Ægyptiis Aſtronomis inventum : Lunam non modò ægris, ſed etiam ſanis dies quales tandem futuri ſint poſſe prænunciare. Si enim ad Planetas temperatas ſteterit (quos jam* ἀγαθοποιὲς *Græci nominant) ſalutares Latini, fauſtos ac bonos dies producere ; ſi ad intemperatos, graves moleſtoſque. Fingamus enim homine quodam naſcente, ſalutares Planetas in Ariete, malignos in Tauro eſſe : is homo nimirum cùm Luna in Ariete, Cancro, Libra & Capricorno fuerit, pulchrè deget : cùm verò Taurum ipſum vel tetragonum aliquod vel diametrum ſignum occupat, malè tunc & moleſtè vitam tranſiget. Atque tam morborum initia huic, cùm Luna & Tauro, Leone, Scorpio & Aquario fuerit peſſima : ſine periculo autem & ſalutaria, cùm Arietem, Cancrum, Libram & Capricornum Luna permeat.* Quibus ſanè verbis Thema cœleſte tam nativitatis quàm initiantis morbi Galenus ſpectandum inſinuat, ut quo in Zodiaci loco ſit Luna & quis ſit ejus ſtatus, à beneficis aut maleficis Planetis innoteſcat, indeque de morbo ejuſque fine judicetur, ut jam aliàs dixi in Defenſione Diſſertationis meæ de Atomis & vacuo, contra Petri Gaſſendi Philoſophiam Epicuream, quam videat Lector.

Sextò : Pro ultima igitur & omnium maximè ruinoſa in Aſtrologiam bombarda, objicit de Angelis lib. 5. cap. 12. Conſtitutionem Sixti V. Pontificis Maximi : qui præter Concilii Tridentini Decretum ſupradictum, ubi condemnantur libri & Aſtrologi certò prædicentes futuros eventus ex humana voluntate pendentes. Inſuper condemnat facientes *judicia & nativitates hominum, quibus de futuris contingentibus exceſſibus, fortuitiſque caſibus aut actionibus ex humana voluntate pendentibus, aliquid eventurum affirmare aſſerant aut proteſtentur.* Quia ultima clauſula, duriore quàm Regula nona Concilii Tridentini, Alexander de Angelis aſſerit Sixtum V. Aſtrologiæ uſum planè interdixiſſe.

Sed reſpondeo, maximè decipi de Angelis. Primò : Quia Sixtus V. excipit Aſtrologica judicia, circa Agriculturam, Nauticam, & Medicinam, ut Concilium Tridentinum, ideoque librum 3. de diebus Decretoriis, de quo ſupra.

Secundò : Quia ut doctè notat R. P. de Condren in ſuó excellenti diſcurſu de Aſtrologia ad Cardinalem Richelium, Bulla Sixti V. vetat duntaxat prædictiones de futuris contingentibus ſucceſſibus: *Vera enim Aſtrologia* (inquit) *non alios debet effectus prædicere quàm qui naturaliter cauſantur ab Aſtris, non autem res contingentes, quia nullam habent cauſam propriam, ita ut verba Bullæ ſint potius pro vera Aſtrologia, quàm contrà. Inde enim patet, quod Eccleſia*

non

non condemnat eos qui erigunt Nativitates infantium, hoc eſt figuras conſtitutionis Cæli & Aſtrorum, ad momentum quo ipſi naſcuntur, excepto caſu quo velint inde judicare de contingentibus rebus quæ illis accident; quod vera Aſtrologia nunquam intendit. Non enim judicat niſi de Aſtrorum effectibus: res autem contingentes non poſſunt eſſe eorum effectus; quandoquidem non ſunt contingentes, niſi quia nullam cauſam habent naturalem nec propriam; ſed duntaxat fortuitum concurſum cauſarum plurium: ſique Aſtra eſſent eorum naturalis cauſa, jam non eſſent contingentes, ideoque veritas illius Bullæ eſt infallibilis. Hæc ille vir maximus, ex quibus tamen patet doctiſſimum Patrem ſumere contingentia pro fortuitis, quorum nulla eſt cauſa propria; ſed tantùm fortuitus vel caſualis concurſus cauſarum diverſarum, qui concurſus nequit eſſe ab Aſtris ſaltem directè & pro ſe. Ac ſanè talis debet eſſe Bullæ ſenſus, alioquin ſibi ipſi contrarietur. Nam in meo libro de concurſu primæ cauſæ cum ſecundis, adverſus Doctrinam Janſeniſtarum ſect. 3. cap. 1. diſtinguens neceſſarium Ens (quod eſt ſolus DEUS, qui neceſſariò exiſtit) à contingente, dico & verè, contingens illud vocari, quod ex ſe eſt indifferens ad exiſtere aut non exiſtere, ſicque res omnes præter DEUM ſunt contingentes: Quia licet hic etiam totus Mundus exiſtat, eſt tamen ex ſe indifferens ad diutiùs exiſtendum vel non exiſtendum. Attamen magna eſt differentia inter contingens & fortuitum. Nam omne fortuitum eſt contingens, ſed non viceverſa; quippe fortuitum non habet cauſam propriam & per ſe ſuæ exiſtentiæ; ſed duntaxat concurſum cauſarum caſualem, inordinatum & per accidens; Mundus autem, hic Homo, Leo & cætera ſimilia contingentia habent cauſas ſuæ exiſtentiæ proprias & per ſe. Bulla autem non condemnat prædictiones futurorum contingentium à cauſis naturalibus & per ſe; alioquin condemnaret etiam prædictiones ex Aſtris deſumptas ad Medicinam pro hominum via & ſanitate (res etiam contingentes) quas tamen excipit & approbat. Condemnat igitur duntaxat prædictiones ex Aſtris, circa eventus fortuitos & caſuales, qui nullam habent veram & propriam cauſam naturalem ſuæ exiſtentiæ ex parte Aſtrorum, ergo quorumcumque effectuum in Genituris hominum aſſignari queunt propriæ & naturales cauſæ, ii omnes ſi non certò, ſaltem conjecturaliter, illæſa Bulla prædici queunt, ſaltem in ſpecie vel genere. Nec in hoc ullum videtur ſupereſſe dubium. Quod ſi Papa ob nebulones & impios Aſtrologiâ abutentes, ipſam veram ſcientiam condemnare vellet; jure quæreretur cur non potiùs condemnaret Theologiam & ſacras Scripturas, ob Hæreticos qui illis abutentes, malum & ruinam in Eccleſia DEI millies majorem perpetrant. Vide quæ à nobis dicta ſunt lib. 12. ſect. 2. cap. 24. de DEI providentia, caſu, fortuna & fato contra Alexandrum de Angelis.

Supradictis igitur omnibus clariſſimè explicatis, ſuperſunt nobis exponenda ſacræ Scripturæ loca, nil minùs ineptè in naturalem Aſtrologiam, ejuſque Profeſſores objecta. Primò igitur objiciunt D. Paulum cap. 4. ad Galatas: *Dies obſervatis, & menſes, & tempora, & annos: timeo vos ne fortè ſine cauſa laboraverim in vobis.*

Sed hæc objectio fit ab ignaris, non ſolùm Aſtrologiæ, ſed etiam ſacræ Scripturæ. Nam ut ait R. P. de Condren, Apoſtolus ibi tantùm arguit Galatas de obſervatione Veteris Legis; quæ dies obſervabat ob Sabbatha & alia Feſta. Menſes, ob eorum neomenias & primos & ſeptimos menſes, qui eorum præcipuas ſolemnitates continebant; & annos ob annum Sabbathi & Jubilæum. Addit autem etiam & tempora, ob circumciſionem & mulierum purificationem, quæ determinatis à partu temporibus fieri ſolebant. Quodque hic ſit verus D. Pauli ſenſus, patet ex immediatè præcedentibus verbis, quibus eos increpat, *Quomodo* (inquit) *convertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuò ſervire vultis?* per egena elementa intelligens antiqua legalia à Moyſe præſcripta.

Secundò: Objiciunt D. Pauli teſtimonium Actor. cap. 19. qui dum prædicaret Euangelium Epheſi, *ex credentibus multi qui fuerant curioſa ſectati, confitentes & annunciantes actus ſuos, contulerunt libros & combuſſerunt eos coram omnibus: & computatis prætiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum* 50000.

Sed R. P. de Condren locum hunc doctè & verè explicat. Primò enim ait, quòd textus Græcus non dicit curioſa, ſed inutilia: quod eſt nomen Scripturæ ordinarium, ad ſignificanda idola, horumque ſuperſtitioſos cultus. Secundò: inde deducit libros illos non fuiſſe de vera Aſtrologia, quos ſtultum fuiſſet comburere, ſed de Epheſiorum ſuperſtitionibus. Epheſus enim erat urbs totius Aſiæ in idololatria & ſuperſtitionibus famoſiſſima; præſertim circa Lunæ cultum, quam Epheſii magnam Dianam appellabant. Ideoque tota urbs referta erat libris ejus myſteriorum, ac ſuperſtitioſarum viarum Deam ipſam, alioſque DEOS colendi, conſulendi, indeque Populo de rebus omnibus præteritis, præſentibus & futuris reſponſa dandi: fuitque illius Dianæ templum in maxima veneratione toti Aſiæ. Ideoque Paulus prædicans Epheſi idolorum vanitatem, magnum ſubiit vitæ periculum. Jam verò ſi attendatur quod Epheſus erat civitas mediocris in Aſtrologia vel aliis ſcientiis non famoſa; & in qua

etiam

etiam pauci ad prædicationem Pauli converſi fuêre ad fidem CHRISTI, magna ex parte pauperes; probabile non eſt, quod hi habuerint veræ Aſtrologiæ ſeu Philoſophiæ cœleſtis libros ad ſummam 50000. aureorum, qui eſt minimus valor illorum 50000. denariorum: maximè autem probabile quod fuerint libri ſuarum ſuperſtitionum & ceremoniarum, quarum maximè curioſi erant, & qui ipſis Epheſiis maximo erant in pretio, forſanque auro & gemmis exornati, ſicque non abs re tanti ſunt æſtimati: ſed nihilominus ob idololatriæ vanitatem agnitam combuſti coram omnibus.

Tertiò: Æquè ineptè objiciunt Hieremiæ caput 10. *Iuxta vias Gentium nolite ambulare, & à ſignis Cœli nolite metuere quæ timent Gentes; quia Leges populorum variæ ſunt.* Textus enim ſequens apertè indicat, quod per ſigna Cœli, Propheta non intelligit nec ſigna Zodiaci, nec conſtellationes cœleſtes, nec Aſtra: ſed intelligit idola corporum cœleſtium, Solis, Lunæ, &c: ex ligno, auro & argento fabricata: quæ cultu divino à Babiloniis ut Dii venerabantur. Et hoc patet evidenter ex ipſis Prophetæ verbis, qui abſolutè condemnat Leges populorum ſive Religiones Gentium, non autem ſcientias: patet autem adhuc evidentiùs in ipſius Hieremiæ Epiſtola ad Judæos in Babylonia captivos, cap. 6. Baruch. ubi fusè talium Deorum vanitatem, quodque ab illis non ſit metuendum, nec illis ſerviendum, ſed potiùs irridendum inculcat. Vaniſſima igitur etiam eſt hæc contra Aſtrologos objectio. Quod ſi protervus aliquis vellet per ſigna Cœli intelligenda eſſe corpora cœleſtia, quæ Propheta dixiſſet non eſſe timenda: igitur Concilium Tridentinum malè approbaſſet Aſtrologiam, pro Agricultura Nautica & Medicina, quid enim prodeſſet in his Aſtrologia ſi nihil timendum eſſet à corporibus cœleſtibus?

Quartò: Objiciunt Eſaiæ caput 47. ubi Dominus per Prophetam alloquens Babyloniam, ejuſque futuram deſolationem prædicens, ob maleficia & incantationes ſuas ait. *Stent & ſalvent te Augures Cœli, qui contemplabant ſydera, & ſupputabant menſes, ut ex eis annunciarent ventura tibi.*

Sed hæc objectio adverſus Aſtrologos nullius eſt planè momenti, eamque R. P. de Condren, Sacrarum Litterarum, & veteris Gentium idololatriæ peritiſſimus, egregiè explicat. Primò enim non dicit Propheta ſalvent te Aſtrologi vel corpora cœleſtia; ſed *ſalvent te Augures Cœli annuntiantes futura.* Vocabantur autem Augures Cœli, quia contemplabantur ſydera: ſeptuaginta autem interpretes, loco Augurum Cœli, habent quidem Aſtrologos Cœli, ſed malè; cum nullus ſit Aſtrologus niſi Cœli. Rectiùs ergo dicitur in ſcriptura, Augures Cœli. Secundò: Dicitur in Textu *ſtent & ſalvent te*, quod proprium erat Auguribus ex Aſtris, in ſuo miniſterio. Atque hi non ſolùm prædicebant futura, ſed ſuis precibus & ſacrificiis iram Deorum placabant, ut à Gentibus credebatur. Augures autem ex avium volatu, ſedere debebant in ſella ſua augurali, dum ſacris vacabant: at Aſtrologis ad futura prædicenda, neque ſtare, neque ſedere jubetur, nec precibus utuntur & ſacrificiis, quibus iram DEI avertant & populum ſalvent; cùm proprias vires Aſtrorum nec augere, nec minuere, nec cohibere valeant; nec de alio curent, quàm de ſua prævisione ac prædictione, & forſan munitione futurorum ſive bonorum, ſive malorum eventuum; quæ DEO, Angelis & Hominum libero arbitrio ſubjicitur. Tertiò: Dicitur in Textu, *qui contemplabantur ſydera:* & hoc quidem proprium erat Augurum Cœli, dum veſtibus ſacris induti ſuo fungebantur officio, Aſtrorum contemplantes ſigna accidentaria, quæ illis credebant eſſe libera ad ſuæ manifeſtationem voluntatis. Ut ſi Sol fuiſſet pallidus, rutilus, fuſcus; ſi Luna fuiſſet alba, rubra, nigra; ſi Planetæ coronis cingerentur magnis, parvis, integris, fractis, &c: unde Virgilius lib. 1. Georg. de Sole.

> *At tibi ſigna dabit; Solem quis dicere falſum,*
> *Audeat? Ille etiam cæcos inſtare tumultus,*
> *Sæpe monet, fraudemque & operta tumeſcere bella:*
> *Ille etiam extincto miſeratus Cæſare Romam,*
> *Cùm caput obſcura nitidum ferrugine texit:*
> *Impiaque æternam timuerunt ſecula noctem.*

Aſtrologis verò non eſt opus contemplari ſydera; cùm habeant Tabulas motuum Cœli, cum quibus in ſuo muſcolo figuram erigunt cœleſtis thematis, ex quo judicant ſecundum naturam & determinationem Aſtrorum, Cœlo ne quidem inſpecto, nec curant de prædictis Aſtrorum ſignis accidentariis. Aſtronomi verò obſervant quidem Aſtra, ſed cum inſtrumentis Aſtronomicis, ut vera eorum loca in Cœlo diſcant, & leges motuum ipſorum ſtatuant: At neque hoc dicendum eſt contemplari, ſed quærere, contemplatio enim eſt, circa rem aliquam apparentem intimè cognoſcendam, attenta mentis ſpeculatio; ſicque Augures Cœli, Aſtrorum ſigna contemplabantur. Atque hæc de Auguribus Cœli, qui ſigna Aſtris accidentaria, vel Ætheri, ut Cometas contemplabantur.

Fuerunt

Fuerunt autem alii Augures apud Babylonios, etiam in magna veneratione; nempe Augu-
res ex volatu avium: & vocabantur etiam Augures Cœli, quia contemplabantur volucres
Cœli, & ad majorem ſuæ ſuperſtitionis authoritatem fidemque conciliandam, mentiebantur
etiam ſe Aſtra & Cœlum contemplari; ſed alio modo quàm Augures ſupradicti. Hi enim in
ſella Augurali ſedentes, cum Augurali virga (quam Lituum appellabant) Cœlum divide-
bant primò in 4. partes reſpectu ſui; ſcilicet anticam, poſticam, dextram, & ſiniſtram; & has
deinde in 12. Templa longè diverſa à 12. domibus Aſtrologorum: nam hæ totum Cœlum
comprehendunt, illa verò Templa tantùm hemiſpherium ſuperius. In his verò templis, Aſtra
& ſuos Deos collocabant, nulla habita ratione verorum locorum in Cœlo, vel ſitus reſpectu
Terræ, ipſorum Aſtrorum; quæ interdiu excepto Sole non erant conſpicua: ſicque diviſo ſu-
periore hemiſpherio, volatum avium per illa templa contemplabantur; attendentes in quo
Templo & ſub quo Aſtro aves volarent, canerent, luderent, pugnarent invicem, &c: creden-
tes ipſis avibus datum eſſe ab Aſtris, ut ea ſignificarent, quæ Augures vaticinabantur. Videan-
tur Auguſtini Niphi Philoſophi Sueſſani duo libri de Auguriis.

Dicitur in Eſaiæ textu qui ſupputabant menſes: quia Augures tam Aſtrorum, quàm avium
ſtudioſiſſimè obſervabant menſes & dies quibus vacabant ſuis myſteriis; ac etiam numeros
quos Aſtris, diebus & menſibus attribuebant, quoſque credebant quadam ſympathiâ monere
Aſtra ad rerum futurarum ſigna prodenda. Atque hæc omnia patent in veteribus Poëtis Vir-
gilio, Horatio, Lucano, &c: quos R.P. de Condren citat, omnesſque dum eſſet in vivis memo-
riter callebat. Videatur ipſius Patris ſuper hac re doctiſſimus diſcurſus; tantúmque ex illo jam
concludamus.

Quod ſacra Scriptura (quæ toties de variis Gentium devinationibus verba facit, eaſque con-
demnat) nunquam loquitur de Aſtrologis, nec de Aſtrologia, nec de aliis Philoſophiæ natu-
ralibus partibus, quæ licitæ ſunt. Idque patet evidenter cap. 18. Deuteronom: ubit Moiſes ait
Populo. *Quando ingreſſus fueris terram quam Dominus DEVS tuus dabit tibi; cave ne imi-
tari velis abominationes illarum Gentium. Nec inveniatur in te qui luſtret filium aut filiam, du-
cens per ignem; aut qui Ariolos ſciſcitetur, & obſervet ſomnia atque Auguria, ne ſit maleficus,
nec incantator; neque Pythones conſulat, nec divinos (alibi magos) nec quærat à mortuis verita-
tem.* Hîc omnes tunc uſitatæ divinationes falſæ recenſentur. Nec fit ulla mentio Aſtrologo-
rum, quamvis Aſtrologia tunc eſſet in uſu. Equidem opinati ſunt quidam, eos quos Scriptura
hîc Chaldæos & Magos vocat, fuiſſe Aſtrologos; ſed falluntur, potiúſque intelliguntur Au-
gures ſupradicti, ut colligitur ex Daniele cap. 1.24. Ubi Chaldæi & Magi ponuntur cum Ario-
lis & Maleficis; nec apponuntur Augures Cœli de quibus loquitur Eſaias; quandoquidem
de ejuſdem civitatis Babyloniæ vatibus fit ſermo. Erant autem hi homines peculiariter Diabo-
lo addicti, quamvis ceremoniis diverſi; ejuſque ſpiritu tacti reſponſa dabant: & major pars eo-
rum incantationibus & maleficiis dedita erat, ut patet in textu ipſius 47. capitis Eſaiæ: atque hi
propriè vocabantur malefici, gens vilis & contempta. Fuit igitur magna differentia inter Au-
gures Cœli, & Aſtrologos, qui tamen ab ignaris confunduntur. Ars enim augurandi, fuit Re-
ligio profana, diabolica, & idololatra; ſed Aſtrologia eſt vera & naturalis ſcientia: Augures
divinabant ex ſighis Aſtrorum accidentariis in colore, ſplendore, cinctura, &c: Aſtrologi ve-
rò ex natura Aſtrorum perpetua, eorumque ſtatu cœleſti ac determinatione, ut cauſis Phyſi-
cis, prædicunt futuros effectus naturales; quæ prædictio ex cauſa ad effectum nequit everti.
Augures in vaticinando derigebantur à maligno ſpiritu, cui ſe per ceremonias applicabant,
Aſtrologi verò nullis utuntur ceremoniis, ſoláque ratione à DEO ſibi conceſſa & experientia,
diriguntur in ſuis prædictionibus. Nefas eſt Auguribus cæteriſque devinationibus in ſacra Scri-
ptura recenſitis credere, vel eos conſulere; quòd hæc fides credentem aut conſulentem Dia-
bolo ejuſque Religioni convertat: Aſtrologis fides omnis denegari nequit, niſi & ratio ipſa, &
virtutes quas DEUS Aſtris largitus eſt denegentur. Denique Augures cæterique ſupradicti va-
tes, tantùm per ſuas ceremonias & ſuperſtitiones reſponſa dabant de rebus ſibi per naturalem
viam ignotis: Aſtrologi verò abſque ſuperſtitione prædicunt res ſibi ratione naturali conſpi-
cuas. Itaque ut Arioli, Augures, &c: ſtultiſſimè ſe vocant Aſtrologos vel Mathematicos: ita
oſores Aſtrologiæ omnes Aſtrologos ſtultè vocant Ariolos, &c.

Quintò: Objici poteſt caput 8. Eccleſiaſt. ubi dicitur. *Omni negotio tempus eſt & opportuni-
tas, & multa hominis afflictio, quia ignorat præterita, & futura nullo poteſt ſcire nuncio.* Ergo
pro futuris vana eſt Aſtrologica doctrina.

Sed reſpondeo præterita & futura intelligi poſſe de rebus neceſſariis vel de rebus probabi-
libus. In rebus neceſſariis tam præterita, quam futura etiam certò ſciri queunt, ut conjunctio
Solis & Lunæ præterita vel futura; quam etiam in lege Moſaica ſciri erat neceſſarium. In re-
bus autem probabilibus tam præterita quàm futura certò ſciri nequeunt & hoc intendit Eccle-
ſiaſtes: at probabiliter, vel conjecturaliter ſciri vel prævideri queunt, quod non negat Eccle-
ſiaſtes:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ſiaſtes : alioquin prævisiones omnes in Politica, Nautica, Agricultura & Medicina vanæ eſſent, omniſque tolleretur providentia, quod non intendit Eccleſiaſtes.

Sextò : Objici poteſt patere ex lib. 10. Regum, quod David in rebus magni momenti ſuſcipiendis ſemper conſuluerit DEUM & non corpora cœleſtia, quod etiam factum eſt ab aliis Regibus & Prophetis. Ergo Aſtrologia judiciaria vel vana eſt, vel incerta, vel diabolica.

Sed reſpondeo, Davidem quæſiviſſe à DEO certum & indubitabile reſponſum de rebus futuris. Aſtrologica autem reſponſa de rebus futuris eſſe duntaxat conjecturalia, etſi non ſpernenda : de quibus tamen dubitare licet, non autem de reſponſis à DEO datis, quibus credendum erat : quæque DEUS in magni momenti rebus Pontifici maximo ex parte Regis vel Populi conſulenti non denegabat. Sed inde non ſequitur quod ſinguli homines pro futuris eventibus ad proprium ſtatum pertinentibus, corporum cœleſtium vires ſpernere debuerint præſertim pro valetudine & agricultura.

Atque hæc ſunt præcipua ſacræ Scripturæ loca quæ objici queunt, ſed quàm fruſtra, quantùmque ex eorum explicationibus ſupra poſitis Aſtrologia ſtabiliatur, potiùs quam evertatur, patet evidentiſſimè ex ſupradictis.

Quid igitur nobis jam ſuper eſt, niſi ut ASTROLOGIAM phyſicarum ſcientiarum nobiliſſimam, diviniſſimamque Reginam, ſummis laudibus ad Cœlum uſque unde orta eſt extollamus : eamque Philoſophis, Medicis, Theologis, omnibuſque Doctis, ut univerſæ naturalis ſcientiæ complementum commendemus ? Nobis hac in re ſuffragarentur Philoſophi atque Theologi non pauci, imò Doctores Eccleſiæ primarii ; ſed veritati in Opere noſtro conſpicuæ tot teſtibus non arbitror eſſe opus. Itaque ſufficiet nobis huic Præfationi finem facere cum teſtimonio D. Thomæ quem Doctorem Angelicum vocant ; quique licet D. Auguſtino in omnibus maximè ſit addictus ; tamen de Aſtrologia judiciaria ab illo diſſentire & hanc evidenter approbare voluit. Ipſe ergo primâ ſect. quæſt. 9. ſic loquitur. *Appetitus ſenſitivus eſt actus organi corporalis : unde nihil prohibet ex impreſſione corporum cœleſtium, aliquos eſſe habiles ad iraſcendum, vel concupiſcendum, vel aliquam hujuſmodi paſſionem: ſicut & ex complexione naturali plures hominum ſequuntur paſſiones quibus ſoli ſapientes reſiſtunt. Et ideo ut in pluribus, verificantur quæ pronunciantur de actibus hominum ſecundum conſiderationem corporum cœleſtium ; ſed tamen, ut Ptolomæus dicit in Centiloquio. Sapiens dominabitur Aſtris,* &c: Et in Opuſcul. 25. cap. 4. ait. *Ptolomæus dicit in Centiloquio, quod ſapiens homo dominatur Aſtris, id eſt inclinationi quæ ex Aſtrorum diſpoſitione relinquitur : ſtulti verò omnino ſecundum eam aguntur, quaſi ratione non utentes ; in quo parum diſcordant à beſtiis, ſecundum illud Pſalmi, Homo cùm in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis. Et quia ſtultorum ſecundum Salomonem infinitus eſt numerus, in paucis autem perfectè ratio dominatur; in pluribus hominum, inclinationes cœleſtium corporum ſortiuntur effectum. Et propter hoc Aſtrologi quandoque ex inſpectione ſtellarum vera prænunciant, præcipuè circa communes eventus, quamvis in particularibus frequenter deficiant, propter rationem quæ corporibus cœleſtibus non eſt ſubjecta.*

Cæterùm quæret forſan aliquis Cenſor, cur Libris propriè Aſtrologicis, incipientibus à decimo ad vigeſimum ſextum, præmiſerimus octo Libros Phyſicos, incipientes à ſecundo, qui eſt de Mundi creatione ; huic verò Librum præmiſerimus metaphyſicum, qui eſt de cognitione DEI ex lumine Naturæ ; cùm hæc ad Aſtrologiam neceſſaria eſſe non videantur ?

Cui reſpondemus : Nos pluribus Scriptis in lucem editis aſſeruiſſe, & verè ; Aſtrologiam eſſe Phyſicarum ſcientiarum nobiliſſimam, altiſſimam, diviniſſimamque : ea verò perfectè ſciri nequit niſi præſciantur præcipua Naturæ principia, de quibus tam veteres quàm Neoterici Philoſophi multa quidem inter ſe diverſa, ſed maximâ ex parte falſa ſcripsêre ; ut conſtabit ex illis octo Libris Phyſicis ; Natura autem perfectè quoque ſciri non poteſt, ignoto ejus Opifice DEO : quamobrem neceſſarium fuit ut tota Doctrina his omnibus libris contenta, ab eodem Authore ſive Genio traderetur ſine contradictionibus, ſed ſibi conſentiens in omnibus, atque tendens in eundem ſcopum, ſcilicet completam Aſtrologiæ cognitionem : ſicque noſter Aſtrologus ſimul fieret rerum phyſicarum & metaphyſicarum peritiſſimus ; nulluſque à Theologis, Philoſophis, Medicis aut Juriſperitis inſultus in Aſtrologiam fieri poſſet, qui clarè & facilè ipſorum novem Librorum, hujuſque Præfationis ope non enervaretur.

Hæc igitur ad Aſtrologiæ defenſionem & DEI gloriam quam Cœli enarrant, præfata ſufficiant : quæcumque enim alia deſiderabuntur, in totius Operis lectione, propriis locis invenientur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ASTRROLOGIÆ GALLICÆ

LIBER PRIMUS.

De Vera cognitione DEI ex lumine Naturæ; per Theoremata adverſus Ethnicos & Atheos Mathematico more demonſtrata.

PRÆFATIO.

QUNIAM in ASTROLOGIA GALLICA *corporum cæleſtium proprias naturas, virtutes, modos agendi, & effectus in his Sublunaribus explicandos ſuſcepimus; in hiſque conſiſtit totius hujus Mundi ſuprema Philoſophia naturalis: Indecorum profectò nimiſque ſtupidum videretur rem tantam aggredi, neglectâ naturalium cognitionum primâ atque præcipuâ; num hic Mundus ſit ſeipſo, vel habuerit eſſe ab alio: Et quis ille ſit: Et quomodo Mundum ipſum produxerit: Ac utrum Mundus ab illo regatur. His enim ignotis non poteſt humana mens circa ipſa non eſſe ſemper inquieta; quippè quòd agnoſcat ſe non ſemper extitiſſe, velit autem ſcire quomodo in eſſe prodierit; an ſeipſa vel ab alio; tum an ſit aliquod primum eſſendi principium, à quo & ipſa & individua ſingula, & totus hic Mundus ſuum eſſe habeant. Equidem Regius Vates Pſalmo* 18. *canit ovans:* Cœli narrant gloriam DEI, & opera manuum ejus annunciat firmamentum: *ſed hæc authoritas ac ſimilia, ingenia à veri DEI cognitione aliena non convincit, ut fateantur unum eſſe DEUM à quo reliqua omnia proprium habent eſſe, dicent enim ſe neſcire, quis ſit ille Regius Vates, & quiſquis ipſe fuerit, tali opinione deceptum fuiſſe. Si objeceris DEI cultum ac Religionem cunctis nationibus communem, dicent hoc eſſe duntaxat Politicum artificium quo Reges ac Principes populos ſibi ſubditos in pace contineant, vel ad bella urgeant: Et quæcunque objeceris ex parte legum, virtutum, vitiorum, præmii atque pœnæ; ſua habebunt reſponſa quibus tam obſtinatè ſe defendent intra incredulitatis mœnia, ut tales homines oppugnare ſaltem ſit difficillimum. Hoc quidem maximis conatibus tentarunt non ſolùm Plato, Ariſtoteles, Plotinus & alii veteres Philoſophi atque Theologi; verùm etiam ex neotericis quoque Chriſtianis non pauci, ingentibus in hunc finem contextis voluminibus: ſed non adeò fælici ſucceſſu, quin apud illos Religionis omnis principium, DEUS eſt, ſic obſcurum remanſerit, ut inde præſertim ortum duxerit, ab eoque tempore extiterit, & nunc præcipuè in Aulis Regum inſoleſcat effrenata Atheorum ſecta. Quos etſi natura ipſa mentiri neſcia, quibuſdam igniculis DEUM eſſe moneat intrinſecus; indeque etiam nolentes anxios efficiat: Tamen vel quòd in re tanti momenti eos pigeat, ſuæ rationis proprium naturaleque lumen ſeriò audire atque conſulere, vel quòd pati nolint ullis legibus Religionis ſuam cohiberi voluntatem inſanam; indeque affectata cæcitate ſeipſis decipiendis toto vacent ingenio: vel potiùs quòd DEUM eſſe, videant equidem in quæſtione poſitum à pleriſque; à nemine verò iis rationibus eâve methodo probatum, quibus ipſi cogantur aſſentiri: idcircò his lethalibus jactati procellis, falsô opinantur Atheiſmum ſibi fore portum ingenii atque libertatis præ cæteris pacatiſſimum & optatiſſimum: ſicque in medio luminum ab ipſo DEO in Cælo, Æthere atque Terra accenſorum miſerè pereunt; nulla inde vel Philoſophi vel Theologi, vel ſacræ Scripturæ authoritate vel morali ratione revocandi, quòd hæc omnia ſpernant vel eludant.*

Ego verò qui non quid ſit DEUS, ſed quod ſit, lumine ſolo naturali evidentiſſimè oſtendi poſſe nunquam dubitavi: Illiuſque ſummam bonitatem in hoc præcipuè deprehendi, quod Atheis utcunque ab eo averſis, lumen naturale reliquerit: cujus ſolius ope, capaces ſuperſunt primorum Naturæ principiorum; quæ etiam nolentes nequeant non percipere, quòd illa ſint per ipſius luminis objectum: Ac proinde hæc ſaltem nobis via pateat, de DEI exiſtentia cum Atheis diſſerendi, ut ſuum & omnium maximum errorem agnoſcant: Idcircò rem hanc in ipſius DEI gloriam, fidelium confirmationem & Atheorum reſipiſcentiam aggreſſus methodo mathematica, eò perduxi, ut conceſſis quæ à me ponuntur principiis, ſolo naturali lumine perceptibilibus DEUM

 eſſe,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

eſſe, Mundumque hunc ab ipſo creatum fuiſſe in tempore, & illius providentiâ gubernari, ampliùs negari nequeat ab Atheis; niſi etiam ſe eſſe ipſi negent.

Et ego quidem in de re Libellum hunc jam publicè expoſui anno 1635. quem etiam tunc in Epiſtola Dedicatoria toti Clero ad ſacra comitia Pariſiis convocato, Aſtrologiæ Gallicæ caput effeci; fuitque à Philoſophis & Theologis inſigni applauſu exceptus, ob methodi in hiſce rebus tractandis novitatem ac brevitatem; à Doctoribus autem Sorbonicis approbatus ob doctrinæ veritatem.

Anno autem 1637. Vir Celeberrimus Dominus Renatus Des-Cartes in lucem edidit ſuam rationandi Methodum; in qua cœpit ſuam de exiſtentia DEI demonſtranda mentem aperire: Anno autem 1641. ſuas propalavit meditationes de prima Philoſophia; in qua DEI exiſtentiam & animæ immortalitatem aſſerit evidentiſſime demonſtrari; eaſque Pariſios tranſmiſit ad ſacræ Facultatis Theologiæ Pariſienſis Decanum & Doctores, aſſerens in Epiſtola nuncupatoria ſe primas hujuſce Philoſophiæ rationes, ita proſecutum fuiſſe, ut jam pro certiſſimis & evidentiſſimis demonſtrationibus illas auſit proponere: addenſque etiam tales, ut non putet ullam viam humano ingenio patere, per quam meliores unquam inveniri poſſint; quippè quòd (ut paulò poſt ait) certitudo, & evidentia quibus hîc utitur, Geometricas æquare vel etiam ſuperare exiſtimet, quæ verba Geometræ omnium conſenſu excellentiſſimi ac ſubtiliſſimi, notatu ſunt maximè digna. Qualis autem fuerit ſtructura demonſtrationum ipſarum, & quod ipſarum fundamentum hîc perſtringam.

Primùm ergo in fine Meditationis quintæ, ait; ſe planè videre omnis ſcientiæ certitudinem & veritatem ab una veri DEI cognitione pendere; adeò ut priuſquam illum noſſet, nihil de ulla alia re perfectè ſcire potuerit. Et Medit. 3. pag. 35. jam ſimiliter dixerat; ſe non videri ulla alia re planè certum eſſe unquam poſſe, ſi an ſit DEUS, & ſi ſit, an poſſit eſſe deceptor, ignoraverit. Rurſuſque Parte 1. princip. Phil. art. 13. ait, ſe nullam habere poſſe certam ſcientiam, priuſquam ſuæ authorem originis agnoverit. Unde patet cognitionem omnium primam & certiſſimam quæ cuilibet ordine Philoſophanti occurrat, eſſe debere cognitionem DEI. At Parte 1. princip. Philoſ. art. 7. hæc cognitio; Ego cogito, ergo ſum, eſt omnium prima & certiſſima quæ cuilibet ordine Philoſophanti occurrat. Non poteſt autem ex ſuprapoſitis eſſe certiſſima, priuſquam DEUS cognoſcatur, vel ſi DEUS ignoretur, proindeque nec erit omnium prima & certiſſima: Ergo D. Deſcartes jam hîc ſibi manifeſtè contradixit.

Nec proderit D. Carteſio aſſerere in reſponſione ad ſecundas objectiones pag. 189. dum dixit; nihil nos certò ſcire poſſe, niſi DEUM priùs exiſtere cognoſcamus, ſe tantùm loqui vel intelligi velle de ſcientia earum concluſionum, quarum memoria poteſt nec recurrere, cùm non ampliùs attendimus ad rationes ex quibus ipſas deduximus: Tum quia Medit. pag. 35. tantùm quæſtio eſt de hoc pronunciato, Ego cogito, ergo ſum: ibique aſſerit, hac enim re ignota (nempè an ſit DEUS, & ſi ſit, an poſſit eſſe deceptor) non videor de ulla alia planè certus eſſe unquam poſſe: Tum quia Ego cogito, ergo ſum; eſt concluſio deducta ex iſta ratione vel propoſitione majore. Illud omne quod cogitat, exiſtit, ut ipſemet fatetur; quæ quidem per ſe non eſt notior quàm hæc, totum eſt majus ſua parte, vel ſi æqualibus adduntur æqualia, quæ fient inde tota erunt inter ſe æqualia; ex quibus multæ concluſiones priùs ignotæ deducuntur. Adde quod ſemper D. Carteſio determinandum reſtat, utra ex his duabus cognitionibus, Ego cogito, ergo ſum; & DEUS exiſtit; omnium prima & certiſſima ſit, quæ cuilibet ordine Philoſophanti occurrere debeat, vel in quibus Philoſophiæ partibus una ſit prima; & in quibus altera: At certè in mediatione quinta cognitioni DEI, univerſalem primatum evidenter attribuit: quia (inquit) etſi aliquid valdè clarè & diſtinctè percipiens non poſſit non credere illud eſſe verum. tamen ſi DEUM ignores facilè ab opinione dejici poſſet: At poſtquàm percepit DEUM eſſe, & non eſſe fallacem: Inde colligit ea omnia quæ clarè & diſtinctè percipit, neceſſario eſſe vera, nec poteſt ampliùs de illis dubitare. Cùm autem D. Carteſius non minùs clarè & diſtinctè percipiat, tres angulos rectilinei trianguli æquales eſſe duobus rectis, atque percipit hoc, Ego cogito, ergo ſum: Probet quod ad prioris cognitionis indubiam incertitudinem requiratur ſcire quod DEUS exiſtat, & non ſit deceptor: Non autem ad indubiam certitudinem poſterioris; ut in ſuperiore ſua reſponſione vult; ſibi paſſim contradiceris ut vim objectionum ſibi propoſitarum effugiat.

Facta autem hypotheſi quod certiſſimè cognoſcat ſe exiſtere ex eo quod cogitet: jam ex ſe exiſtente quærit exiſtentiam DEI viâ planè Circulari: Nam certò ſcire nequit ſe exiſtere, ſine prævia DEI cognitione ut ſupra voluit: & ex cognitione quod ipſe exiſtat, quærit an DEUS exiſtat, idque hac ratione. Deprehendit in ſeipſo vel in ſua mente diverſas ideas: Ex tertio verò Meditatione pag. 36. ait, quaſdam ex his tanquam Rerum imagines eſſe; quibus ſolis propriè convenit ideæ nomen, ut cùm hominem vel Chymæram, vel Cœlum, vel Angelum vel DEUM cogitat. Poſtmodum verò pag. 43. lumine naturali ſibi perſpicuum eſſe ait, Ideas in ſe vel ſua mente eſſe veluti quaſdam imagines, quæ poſſunt quidem deficere à perfectione rerum à quibus ſunt deſumptæ: non autem quidquam majus aut perfectius continere. At in reſponſione ad objectiones ſecundæ ſibi propoſitæ à Theologis, poſtquam Defin. 1. Cogitationis nomine ait ſe complecti illud omne quod ſic in nobis eſt, ut ejus immediatè conſcii ſimus; & ita omnes voluntatis, intellectus, imaginationis & ſenſuum operationes eſſe cogitationes; Defin. 2. Ideæ nomine intelligit cujuſlibet cogitationis formam illam, per cujus immediatam perceptionem, ipſius ejuſdem cogitationis conſcius eſt; nec vult imagines in phantaſia corporis vel parte aliqua cerebri depictas vocare ideas; niſi quatenus mentem ipſam in illam cerebri partem converſam informant; ita ut ex prædictis ſemper ſequatur, quod idea ſit menti forma alicujus rei repreſentativa.

Porrò ex eadem Meditat. 3. quatenus ideæ ſunt tantùm quidam cogitandi modi, non agnoſcit inter ipſas inæqualitatem, ſed omnes à mente eodem modo ipſi procedere videntur: at quatenus una unam rem, alia aliam repreſentat, patet eaſdem eſſe ab invicem valdè diverſas. Nam proculdubio (ait) quæ ſubſtantias exhibent, majus aliquid ſunt, atque plus realitatis objectivæ in ſe continent, quàm illæ quæ tantùm modos ſive accidentia. Ex his autem meis ideis (ſicque ſubſequenter) præter illam quæ meipſum mihi exhibet, de qua hîc nulla dificultas eſſe poteſt, alia eſt quæ DEUM, aliæ quæ res corporeas & inanimes, aliæ quæ animalia, ac denique aliæ quæ alios homines mei ſimiles repreſentant. Jam verò ſi quæratur à

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

D. *Deſcartes, unde habeant iſtæ ideæ quod repræſentativè ſint inter ſe diverſæ: Reſpondet eadem Medit.* 3. *pag.* 40. *Illa quæ priùs dixit de idea Solis ſatis demonſtrare, ſe non hactenus ex certo aliquo judicio, ſed tantùm ex cæco aliquo impulſu credidiſſe, res quaſdam à ſe diverſas exiſtere quæ ideas vel imagines ſuas per organa ſenſuum, vel quolibet alio pacto ipſi immittant. Pag. autem* 45. *ait.* Et quantùm ad ideas quæ alios homines vel animalia, vel Angelos exhibent, facile intelligo, illas ex iis quas habeo mei ipſius & rerum corporalium & DEI poſſe componi, quamvis nulli præter me homines, nec animalia, nec Angeli in Mundo eſſent: At quantùm ad ideas rerum corporalium, nihil in illis occurrit quod ſit tantum, ut non videatur à meipſo potuiſſe proficiſci.

Quæ ſanè reſponſio tota conſtat paralogiſmis & aſſumptis ab ipſo probandis, eóque magis quòd hîc fundamenta jaciat ſuæ demonſtrationis de exiſtentia DEI, *cujus ideam ſe habere ſupponit, priuſquàm id probaverit. Non enim ad aſſenſum extorquendum ſola ſufficit ejus authoritas, quod talia facilè intelligat; ſed efficere debet etiam demonſtratione quæ ſaltem Geometricam æquet, ut idem ab aliis intelligatur; atque convincantur, quod ſi præter ipſum nulla eſſent in Mundo animalia, mens ejus poſſet ideam componere, quæ Leonem repræſentaret: & rationem reddere cur potiùs Leonem quàm Corvum: ſimiliterque quod ex ideis quas habet ſui ipſius &* DEI, *poſſit componere ideam Angeli, qui naturæ perfectione & excellentiâ ſuperat hominis mentem, infinitè verò ſuperatur à natura divina: & rationem reddere cur idea ipſa ſit potiùs Angeli quàm Cherubini, vel alterius naturæ ſpiritalis adhuc excellentioris, quam* DEUS *omnipotens de novo creare poſſet: Tum quod ſi nec Solem, nec lucem unquam vidiſſet, ideam Solis effingere poſſet. Cùm igitur hæc omnia habeantur non pro paradoxis, ſed pro rebus falſiſſimis; incumbit D. Carteſio vel ab eo aſſumpta demonſtrare; vel fateri ſe nullius rei creatæ à ſeipſo diverſæ ideam habere poſſe, quam ab ipſa re quæ miniſterio ſenſuum vel alio pacto ſuam imaginem ipſi tranſmittat, eſſeque naturaliter ſaltem impoſſibile quod à natura cæcus ullius coloris vel lucis ideam habeat, aut omninò ſurdus à natura, ullius ſoni.*

Quod verò ad ideam ſui ipſius de qua ut ſibi innata, & ab extrinſecis non deſumpta tantoperè gloriatur; Dicam negari non poſſe quod Angelus ſimiliter concludere queat, Ego cogito, ergo ſum: *Imò ſum res cogitans ſicut D. Carteſius: Et tamen abſurdum eſſe opinari quod D. Carteſius ſit Angelus, vel Angelus ſit D. Carteſius, valdè ſi quidem naturâ differunt. Ac proinde quod Angelus & D. Carteſius ſunt res cogitantes, hoc utrique commune, nec eſt idea propria alterutrius, veluti res bibens non magis eſt idea hominis, quàm idea bovis: quia uterque eſt res bibens. Ideoque D. Carteſius per rem cogitantem non habet ſui ipſius ideam propriam, vel quæ ejus naturam ipſi repræſentet; ſed duntaxat ideam actionis ſuæ, quippè cogitationis. Quia dum cogitat, conſcius eſt ſe cogitare; ſed cogitatio non eſt ipſa res cogitans ſive mens:* Nam ex Defin. 5. & 6. *quæ opponuntur reſponſioni ad ſecundas objectiones, mens eſt ſubſtantia, cogitatio autem quæ immediatè ineſt menti, poteſt tantùm ejus eſſe accidens ſive modus mentis. Igitur cùm D. Carteſius fateatur ſe componi duabus partibus inter ſe maximè diverſis, mente ſcilicet & corpore, jam conſtat quod ſuæ mentis ideam propriam non habeat; ſed ſibi & Angelo communem.*

Circa propriam verò ideam corporis graviùs hallucinatur, dum Parte ſecunda principiorum vult naturam materiæ ſive corporis tantùm in eo conſiſtere quod ſit res extenſa in longum, latum & profundum: Et conſequenter probare nititur veram naturam corporis in ſola extenſione conſiſtere; quod ſimiliter in ſuis meditationibus & reſponſionibus ab abjectiones cotendit. Ejus autem ratio eſt in Medit. 1. *tum Parte* 2. *principiorum;* Quia ſi attendentes ad ideam quam habemus alicujus corporis, exempli causâ ceræ vel lapidis, rejiciatur ab illa id omne quod ad ipſius corporis naturam non requiri cognoſcimus, ſola relinquitur extenſio in longum latum & profundum. *Qua in ſententia triplex depræhenditur Parologiſmus: primus eſt quod rejectis iis omnibus quæ ad ceræ vel lapidis naturam non pertinere ipſe cognoſcit, ſola ſuperſit extenſio; hoc enim illi demonſtrandum eſt. Secundus; quod extenſio quam ait ſuper eſſe, ſit propria natura corporis ceræ vel lapidis, quandoquidem id omne rejectum ſupponit, quod ad naturam ceræ vel lapidis non pertinere, vel non requiri cognoſcebat; maxima enim pars Philoſophorum negat extenſionem eſſe de natura vel eſſentia ceræ, qui idcircò demonſtratione ſunt convincendi; Tertius: Quæritur unde habeant extenſiones derelictæ ex cera & lapide quod ſint adhuc naturâ diverſæ, & una ſit extenſio ceræ, altera verò extenſio lapidis, cum id minimè fuerit rejectum, quod erat de natura ceræ vel lapidis? Et tamen quatenus ſunt extenſiones non ſint naturâ diverſæ, ſicut nec materia Cœli & Terræ ex* 2. *part. principiorum art.* 22. *Si dixerit adhuc remanere ſubſtantiam ceræ & lapidis, quæ eſt ſubjectum immediatum extenſionis, & quæ vocatur corpus ex Defin.* 6. *in reſponſione ad ſecundas objectiones; ſanè hîc ſibi contrariabitur: Nam ex ſupropoſitis vult quod vera natura corporis in eo tantùm conſiſtat, quod ſit res extenſa in longum, latum atque profundum: quod autem tale eſt, non poteſt eſſe ut ſit ſubjectum extenſionis, alioquin extenſio ſubjiceretur extenſioni, duplexque admittenda foret in cera extenſio. Et in rei veritate duo hîc ſunt diſtinguenda, nempe ſubſtantia quæ eſt ſubjectum extenſionis, & ipſa extenſio. Utque extenſio non poteſt eſſe ſubjectum extenſionis, ſic ſubſtantia non poteſt eſſe extenſio; alioquin extenſio poſſet eſſe ſubjectum extenſionis, quod eſt contradictorium.*

Nec prodeſt D. Carteſio aſſerere Part. 2. *princip. art.* 8. Quantitatem à ſubſtantia extenſa in re non differre, ſed tantùm ex parte noſtri conceptus, ut & numerus à re numerata. *Primò enim non valet comparatio quantitatis continuæ cum diſcreta in rebus Phyſicis; numerus enim eſt tantùm ens rationis vel intellectus, quamvis res numerata ſit naturalis ſive realis; at tam ſubſtantia extenſa quàm ejus extenſio ſunt reales. Adde quod multa ſint in Mundo quorum non eſt numerus à parte rei; ut non ſunt duo Soles, nec duæ Lunæ; at nullum eſt corpus quod non ſit extenſum. Secundò allata ab eo ratio non convincit. Etſi enim verum ſit quod ſubſtantia & ejus quantitas vel extenſio non poſſint ab invicem naturaliter ſeparari; non tamen probat eas nullo alio modo, nullaque ſuper naturali virtute ſeparari poſſe; ex quibus etiam conſtat quod D. Carteſius ſui corporis vivam ac propriam ideam nondum aſſecutus eſt. Multa hîc occurrerent de natura mentis & corporis, cum illo agitanda, niſi Præfationis metas longiùs prætergredi vererer: ſed dato & non conceſſo quod ex ſe veras habeat ideas ſuæ mentis ſuique corporis, & quibus alias omnes Cœli, Solis, Angelorum, brutorum, &c*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ideas componere poſſit quamvis nihil eorum ante ipſum in Mundo extitiſſet; videamus quomodo pergat ad exiſtentiam D E I *demonſtrandam.*

Inter varias ideas ſuæ mentis inhærentes, nec ab extrinſecis cauſis acceptas, animadvertit ideam DEI*: quo nomine ex Medit.* 3*. intelligit*; Subſtantiam quandam infinitam, independentem, ſummè intelligentem, ſummè potentem, & à qua tum ipſe, tum aliud omne ſi quid aliud extat, quodcunque extat, eſt creatum; quæ ſanè omnia (*inquit*) talia ſunt, ut quo diligentiùs attendit, tantò minus à ſe ſolo profecta eſſe poſſe videantur. *Paulò poſt vero ait*; Se ideam illam à Deo accepiſſe, nec ſenſibus ab extrinſeco habuiſſe; nec etiam (*inquit*) à me effecta eſt; nam nihil ab illa detrahere, nihil illi ſuperaddere planè poſſum: Ac proinde ſupereſt ut mihi ſit innata quemadmodum etiam mihi eſt innata idea mei ipſius, & ſanè non eſt mirum, Deum me creando, illam mihi indidiſſe, ut eſſet tanquam nota artificis operi ſuo impreſſa. *Quibus ſanè verbis D. Carteſius multa dicit, ſed nihil probat, nec ſuadet ratio ut ejus ſoli credatar authoritati, hoc enim ſcirè non eſſet, itaque ipſi probandum eſt quòd nullas ex ideis quas habet, à cauſis extrinſecis exceperit: Ac præſertim ideam* D E I *ſupra expoſitam; quando quidem priuſquam de hac Theologia & ideis cogitaſſet vel tractandum ſuſcepiſſet, fortaſſis pluſquàm millies de* D E O *ejuſque attributis, tum de Creatione verba à parentibus, magiſtris, concionatoribus, vel aliis hominibus audiviſſet: aut in Libris legiſſet, per quorum immediatam perceptionem de* D E O *cogitavit, fuitque ipſius cogitationis conſcius.*

Probandum inſuper quod talis idea ſit illi innata, & à D E O *dum illum creavit indita, ac proindè quod à* D E O *creatus fuerit, quandoquidem inde ſequeretur illam cæteribus hominibus ſimiliter innatam, & creationem inditam eſſe; cùm tamen Ethnici & Athei nullam veri* D E I *ac præſertim rerum omnium Creatoris ideam in ſua mente deprehendant; & nihilominus multa alia æquè certò ſciant, quodque hæc ſe aliter habere non poſſint: Atque D. Carteſius cùm ſibi innata idea* D E I, *quem facit Creatorem priuſquàm exiſtere probaverit; cùm tamen Creator eſſe nequeat, quin prius exiſtat: nec ex eo quod Ariſtoteles agnoverit Mundum &* D E U M *exiſtere, ſequi viderit* D E U M *eſſe Creatorem Mundi. Denique probandum, quod talis idea à D. Carteſio non ſit efficta, quamvis ei nihil addere nec detrahere poſſit: quandoquidem in reſponſione ad ſecundas objectiones ipſemet conceſſit*, ideam ipſam formari poſſe ab Intellectu, licet ens ſummum exiſtere neſciremus, ſed non ſi revera non exiſteret; quòd fieri non poſſit ut facultas ideam iſtam formandi in nobis ſit, niſi à Deo ſimus creati. *Hoc autem ultimum negabitur ab Atheo; primum verò contrariatur ſuperiori aſſertioni D. Carteſii quod talis idea ab ipſo non ſit efficta, quandoquidem ignarus etiam quod* D E U S *ſit, illam effingere potuit. Hæc igitur ſingula ſine paralogiſmis ſunt illi demonſtranda; ſi negari nolit ſe* D E I *Exiſtentiam demonſtraſſe.*

Ne verò ad illam demonſtrandam rationibus carere videatur, duas alias profert valde præcipuas; Prima deſumitur ex natura mentis, quæ cùm ſit finita, nequit (ut ipſe vult) ideæ D E I *eſſe cauſa efficiens vel eam componere, cujus tamen contrarium ſupra conceſſit. Secunda deſumitur ex natura entis ſummè perfecti, ad quam ait pertinere actualem exiſtentiam.*

Quod ad primam attinet, ait primò Defin. 3. Se per realitatem objectivam ideæ, intelligere entitatem rei repræſentatæ per ideam, quatenus eſt in idea: *non tamen explicat an res repræſentata habeat entitatem actualem, vel tantùm poſſibilem, vel tantùm effictam ab intellectu. Nihilominus vult Axiomate* 4. Realitatem objectivam idearum noſtrarum requirere cauſam in qua ipſa realitas non tantùm objectivè, ſed formaliter, vel eminenter continuatur: & omnem ideam habere debere cauſam ſuæ realitatis objectivæ realiter exiſtentem. *Jam verò in Medit.* 3*. pag.* 44. *deprehenderis in idea quam de* D E O *habet tantam realitatem objectivam ſupra expoſitam, ut certus ſit eandem nec formaliter, nec eminenter eſſe in ſe; concludit ſe ejus ideæ cauſam eſſe non poſſe: Et quò diligentiùs attendit ad ipſam ideam, quod ſcilicet ſit ſubſtantiæ infinitæ independentis, ſummè intelligentis, ſummè potentis, &c: tantò minus à ſe ſolo profecta eſſe videatur: Quamobrem* D E U M *neceſſariò exiſtere concludit à quo illam habuerit.*

Verùm quoniam D. Carteſius Defin. 2. Ideæ nomine intelligit cujuſlibet cogitationis formam illam, per cujus immediatam perceptionem ipſius ejuſdem cogitationis conſcius eſt: adeò ut nihil poſſit verbis exprimere, intelligendo id quod dicit, quin ex hoc ipſo certum ſit, in ſe eſſe ideam ejus quod verbis illis ſignificatur: *priùs ipſi definiendum erat: An omnis ideæ in mente noſtra deprehenſæ realitas objectiva repræſentet entitatem rei actu vel ſaltem poteſtate exiſtentis. Ac certè videtur id ſtatuiſſe, Axio.* 10. *dum ait.* In omnis rei idea ſive conceptu, contineri exiſtentiam aut poſſibilem, ſive contingentem, aut neceſſariam; quoniam (*inquit*) nihil poſſumus concipere, niſi ſub ratione exiſtentis; *ſed hoc ipſe non probat; imò veritati contrariatur; alioquin intellectus nihil falſi concipere, aut nullum falſum ferre judicium poſſet, quod Experientiæ nimis contrariatur. Quiſquis autem falſum fert judicium, habet ſuæ cogitationis formam; per cujus immediatam perceptionem ipſius ejuſdem cogitationis conſcius eſt; ideoque habet ideam in mente ex Defin.* 2*. cujus tamen realitas objectiva non repræſentat entitatem rei actu vel ſaltem poteſtate exiſtentis extra intellectum, quandoquidem falſum non exiſtit extra intellectum. Ac proinde in nobis ſunt ideæ quarum aliæ ſunt veræ, aliæ falſæ repræſentativè: Et quidem falſæ ſunt à nobis, cùm falsè judicamus, ut jam patuit; unde ſequitur quod ſi verè judicemus fient à nobis ideæ repræſentativè veræ. Inde verò patet quod intellectus ſit cauſa efficiens ſuarum idearum: Et confirmatur ex ſuprapoſita ideæ definitione, quæ eſſentialiter eſt cogitationis forma; quandoquidem omnis cogitatio eſt efficienter ab intellectu: unde tamen deducitur nullam ideam eſſe nobis innatam. Et hoc etiam evidentiſſimè aliunde probabitur de ipſa idea quam D. Carteſius habet ſui ipſius, nimirum quod ſit res cogitans*, quam ſibi innatam eſſe dicit, nec de hac re ullam eſſe difficultatem: *Nam quia ex ſuprapoſitis ideo concludit ſe cauſam eſſe non poſſe illius ideæ quam habet de* D E O, *quia tantam habet realitatem objectivam, hoc eſt tantam repræſentat entitatem, ut certus ſit eandem nec formaliter, nec evidenter in ſe contineri: Ergo inde ſequitur quod ſi ideæ ſui ipſius realitatem objectivam formaliter in ſe continuerit (ut de facto illam continet) poterit ipſius eſſe cauſa efficiens; ideoque non erit ei innata, quia hoc neceſſe non eſſet.*

Quod

Quod verò ad ideam D E I *ſpectat quantacunque ſit ejus realitas objectiva, jam ex ſupradictis confeſſus eſt D. Carteſius in reſponſione ad ſecundas Objectiones pag.* 179. *illam à nobis formari poſſe, licet Ens ſummum exiſtere neſciremus: proindeque hîc falsô & ſibi contradicere aſſerit, ſe talis ideæ cauſam eſſe non poſſe, quòd illius realitatem objectivam in ſeipſo nec formaliter, nec eminenter contineat. Hoc ſiquidem non eſt neceſſe; alioquin nec ipſe D. Carteſius, nec ullus Atheus, nec ullus idololatra, vel de* D E O *malè ſentiens, veram ideam* D E I *formare poſſet; quod tamen ex ejus confeſſione, nec non converſione Ethnicorum & Atheorum patet eſſe falſum, quam alioquin rationibus vel quibuſvis demonſtrationibus tentare ſtultum eſſet. Præterea nemo Doctorum neſcit objectum intellectus eſſe ens, non hoc, aut illud; ſed omne, vel ens ut ens: fuiſſeque intellectui datum quoddam nobiliſſimum naturæ lumen, quo entis cujuſlibet veritatem indagare poſſet diverſimodè; nimirum concipiendo, enunciando, definiendo, dividendo. Dum igitur intellectus circa aliquod ens occupatus, concipit aliquam ejus perfectionem, atque deprehendit hanc eſſe diverſam ab alterius entis perfectione, quam etiam concipit: Deprehendit etiam utramque eſſe limitatam ſeu finitam. Ex conceptu autem perfectionis finitæ, ſtatim lumine diviſionis occurrit illi conceptus perfectionis infinitæ, quamvis ipſe intellectus neque ſit perfectione realiter infinitus, neque tunc ſciat utrum detur perfectio infinita, veluti concipiens diſtantiam aliquam ut finitam; ſtatim occurrit conceptus diſtantiæ infinitæ, quamvis neſciat tunc an detur diſtantia infinita, nec detur in rei veritate. Quamobrem D. Carteſius in Medit.* 3. *pag.* 60. *rectè quidem ait, quod attendens ſe eſſe rem incompletam & dependentem, ſtatim illi occurrit idea entis independentis & completi; ſed ex hoc non poteſt deducere, quod clarè & diſtinctè percipiat ens illud independens exiſtere.*

Ex ſupradictis igitur dicendum eſt, quod idea D E I *non eſt entitativè, vel formaliter infinita, alioquin ipſa eſſet* D E U S *ipſe, ſed tantùm repræſentativè: quam repræſentationem D. Carteſius vocat realitatem objectivam: proindeque neceſſe non eſſe, ut cauſa talis ideæ quippè intellectus illam formans, ſit in eſſendo, ſeu entitativè infinitus; ſed ſufficere quod ſit infinitus in cognoſcendo; eſt autem infinitus in cognoſcendo, ſecundum noſtrum cognoſcendi modum admiſſum in reſponſione ad primas Objectiones pag.* 150, *qui etiam infinitum attingit ac percipit, quia ſcilicet in cognoſcendo eſt univerſalis, ſemperque ex particularibus notionibus ſuâ naturâ tendit ad univerſales, quæ neque tempori, neque loco, neque mutationi ſunt obnoxiæ; ſed ubique & ſemper immutabilis veritatis: Imò ex D. Carteſio ſuprà, poteſt in ſe formare ideam* D E I, *hoc eſt Entis infinitè perfecti, quamvis illum exiſtere neſciremus: unde etiam deducitur quod ex ſola idea entis ſummè perfecti, nec certò innoteſcit ipſum ens exiſtere.*

Secunda autem ratio D. Carteſii talis eſt in reſponſ. ad primas Objectiones pag. 152. Quod clarè & diſtinctè percipimus pertinere ad alicujus rei veram & immutabilem naturam, ſive eſſentiam ſive formam; id poteſt de ea re cum veritate affirmari: ſed poſtquam ſatis accurratè inveſtigavimus quid ſit Deus, clarè & diſtinctè intelligimus ad ejus veram & immutabilem naturam pertinere ut exiſtat: Ergo cum veritate poſſumus affirmare quod exiſtat: *Major denegari non poteſt: Sola minor reſtat, in qua fatetur eſſe difficultatem non parvam; proindeque dicere non debuit* clarè, & diſtinctè intelligimus, &c: *Præcipua autem difficultas non conſiſtit in his quæ expoſuit; ſed in eo quod faciat naturam* D E I, *veram & immutabilem priusquam illum eſſe probaverit. Cúmque per ideam* D E I, *intelligat ideam entis infinitè perfecti: Equidem certum eſt, quod enti ſub tali ratione concepto competit exiſtentia, quia perfectiùs eſt exiſtere quàm non exiſtere. Nec ei competit exiſtentia tantùm poſſibilis, nam hæc includit defectum exiſtentiæ actualis; at in ente infinitè perfecto quale concipitur, nullus defectus concipi poteſt; ideoque cùm Ens ſub tali ratione conceptum, ſuam naturam habeat à conceptu intellectus; debet intellectus in illo etiam neceſſariò concipere actualem exiſtentiam, & non tantùm poſſibilem: ſed inde non ſequitur tale ens realiter & actualiter exiſtere extra intellectum, veluti ſi conciperem vel formarem ideam naturæ mediæ inter hominem & Angelum, deberem in illa concipere operationes medias, & medium exiſtendi modum inter hominem & Angelum: ſed inde non ſequeretur quod talis natura exiſteret extra intellectum.*

Atque ex hactenus dictis, clarè (ni fallor) notum fecimus demonſtrationes exiſtentiæ D E I *à D. Carteſio expoſitas, à nemine pro evidentiſſimis admittendas eſſe: proindeque non abs re Theologos Sorbonicos ipſarum approbationem illi denegaſſe.*

Cæterum hîc non videtur omittendum, quod cùm Libellus meus adverſus Atheos omnibus placuiſſet, rogatus fuit D. Carteſius poſt ſuarum Meditationum editionem, ut quia ejus demonſtrationes exiſtentiæ D E I *per hujus ideam non ſatisfaciebant; eandem à poſteriori per Creaturas demonſtrare vellet, ut ego feceram, in eumque finem petitus fuit à me ipſe Libellus, quem R. P. Merſennus nemini Doctorum ignotus illi tranſmiſit in Hollandiam, ut methodum meam geometrico more procedentem intueretur. Itaque in ſua reſponſione ad ſecundas Objectiones pag.* 210. *ubi incipit.* Quantùm denique ad conſilium veſtrum de meis rationibus more geometrico proponendis, ut unico velut intuitu à Lectore percipi poſſint, &c: *præmiſſa duplici demonſtrandi ratione, alia ſcilicet per analyſin quam ait ſe obſervaſſe, alia per ſyntheſin quam ego cum Geometris ſecutus ſum; huic ſuam analyſin præfert, rationibus hîc à me non diſcutiendis. Tandem verò pag.* 216. *ait.* Sed quia novi quàm difficile eſt futurum, etiam iis qui attendent, & veritatem ſeriò quærent, totum corpus meditationum mearum intueri, & ſimul ipſarum ſingula membra cognoſcere; quæ duo ſimul exiſtimo eſſe facienda, ut integer fructus ex iis capiatur, (*quod certè dici non poſſet de demonſtrationibus, certitudine, & evidentiâ geometricas non ſolum æquantibus, ſed etiam ſuperantibus, quales in ſua epiſtola nuncupatoria pollicitus eſt*) pauca quædam ſtylo ſynthetico hîc ſubjungam, à quibus ut ſpero nonnihil juvabuntur. *Supponit igitur Definitiones & Axiomata ut ego feci; ſed controverſiæ obnoxia, nec ad propoſitum vera ut infra patebit: tum etiam* 7. *Poſtulata, quibus ingenia ſibi adſtringat; cùm tamen ego nihil poſtulaverim; ſed ingenia in ſui judicii libertate reliquerim; & inter cætera notatu dignum eſt Poſtulatum* 5. *quod eſt.* Ut Lectores diu multúmque in natura entis ſummè perfecti contemplanda immorentur, & inter cætera conſiderent, in aliarum quidem omnium naturarum ideis exiſtentiam poſſibilem, in Dei autem idea non poſſibilem tantùm, ſed omninò neceſſariam contineri. Ex hoc enim ſolo (*inquit*) & abſque ullo diſcur-

diſcurſu cognoſcent DEUM exiſtere. *Quod adeò verum eſt, ut hoc poſtulato conceſſo, nullis definitionibus, nullis axiomatibus, nec ullis demonſtrationibus, ſive per analyſin, ſive per ſyntheſin opus eſſe queat; ſed illi non conceditur, quod inde DEUS aliter exiſtat, quàm idealiter in ejus mente qui talem ideam conceperit: non autem quod à parte rei & actualiter exiſtat: ſemper igitur probandum relinquitur quod data in intellectu idea entis infinitè profecti, detur ipſum ens à parte rei. Tandem verò tres ſubjungit demonſtrationes exiſtentiæ DEI. Quarum prima talis eſt.*

Dei exiſtentia ex ſola ejus naturæ conſideratione cognoſcitur.

NAm (*inquit*) idem eſt dicere aliquid in rei alicujus natura ſive conceptu contineri: ac dicere ipſum de ea re eſſe verum per Defin. 9. Atqui exiſtentia neceſſaria in DEI conceptu continetur per Axio. 10, quo ait in omnis rei idea ſive conceptu contineri exiſtentiam; quia nihil poſſumus concipere niſi ſub ratione exiſtentis: Et continetur exiſtentia poſſibilis, ſive contingere in conceptu rei limitatæ; ſed neceſſaria & profecta in conceptu entis ſummè perfecti; Ergo verum eſt de DEO dicere ipſum neceſſario exiſtere.

Cujus demonſtrationis major concedenda eſt, minor verò neganda, quoniam Axioma 10. *non eſt univerſaliter verum; ut à nobis oſtenſum eſt in refutatione rationis ejus primæ anteà expoſitæ, ad probandum Exiſtentiam DEI. Adde quod in conceptu entis ſummè perfecti, debet quidem concipi exiſtentia actualis neceſſaria & perfecta; alioquin conceptus non eſſet entis ſummè perfecti ut ſupponitur, ſed non inde ſequitur tale ens ſic conceptum actualiter exiſtere extra intellectum, ut jam dixi in refutatione rationis ejus ſecundæ; proindeque non valet hæc demonſtratio. Unde nil mirum ſi D. Carteſius de ipſa diffidens aſſerat, quod etſi ejus concluſio per ſe nota eſſe poſſit iis qui à præjudiciis ſunt liberi, tamen non eſt facile ad tantam perſpicacitatem pervenire. Secunda talis eſt.*

Dei exiſtentia ex eo ſolo quod ejus idea ſit in nobis, à poſteriori demonſtratur.

NAm realitas objectiva cujuſlibet ex noſtris ideis, requirit cauſam in qua eadem ipſa realitas, hoc eſt entitas repreſentata, non tantùm objectivè, ſed formaliter, vel eminenter contineatur, per Axioma 5: *Habemus autem ideam DEI per Defin.* 2. *quâ ideæ nomine intelligit, cujuſlibet cogitationis formam illam per cujus immediatam perceptionem, ipſius ejuſdem cogitationis conſcius eſt; & per Defin.* 8. *quâ ſubſtantia quam ſummè perfectam eſſe intelligimus, & in qua nihil planè concipimus quod aliquem defectum ſive perfectionis limitationem involvat, DEUS vocatur: Hujuſque realitas objectiva nec formaliter, nec eminenter in nobis continetur per Axioma* 6. *quo ait, quod ſubſtantia infinita plus habet realitatis ſeu entitatis quàm finita: Nec in ullo alio præterquam in ipſo DEO poteſt contineri per Defin.* 8. Ergo hæc idea DEI quæ in nobis eſt requirit DEUM pro cauſa: DEUSQUE proinde exiſtit, Axio. 3. *quo ait*, nulla res, nec ulla rei perfectio actu exiſtens, poteſt habere nihil, ſive rem non exiſtentem pro cauſa ſuæ exiſtentiæ.

Cujus demonſtrationis prima propoſitio falſa eſt. Tum quia D. Carteſius faſſus eſt, nos Ideam Dei formare poſſe, etiam ignari quod DEUS exiſtat, quamvis ejus realitatem objectivam nec formaliter, nec eminenter contineamus. Tum quia ſi ideam DEI infiniti formare poſſumus etiam ignari ipſam eſſe, multò magis ideam naturæ alicujus ſuperangelicæ formare poterimus. Cujus tamen realitatis objectivæ nulla erit cauſa in qua ipſa realitas formaliter vel eminenter contineatur; erit enim idea rei quæ non exiſtit. Habemus autem (*inquit*) ideam DEI, *hoc concedendum; ſed ejus realitas objectiva nec formaliter nec eminenter in nobis contineatur, hoc negandum. Nam cùm ipſa idea non ſit entitativè ſeu formaliter infinita, ſed tantùm repreſentativè, quam repreſentationem D. Carteſius vocat realitatem objectivam; nec proinde neceſſe ſit ut intellectus ad illam formandam ſit in eſſendo infinitus; ſed ſufficiat quod ſit infinitus in cognoſcendo, quatenus poteſt ſi non comprehendere, ſaltem apprehendere infinitum; patet quod ſua amplitudine cognoſcendi, contineat evidenter realitatem objectivam ideæ Entis infiniti. Alioquin neſciens an ens infinitum exiſtat, formare non poſſet ideam entis infiniti, quod fatetur D. Carteſius. Ex his verò patet evidenter demonſtrationem ejus eſſe mancam. Tertia denique cæteris intricatior ac imperfectior talis eſt.*

Dei exiſtentia demonſtratur etiam ex eo, quod nos ipſi habentes ejus Ideam, exiſtamus.

NAm (*inquit*) ſi vim haberem meipſum conſervandi, tantò magis haberem etiam vim mihi dandi perfectiones, quæ mihi deſunt. ſed non habeo vim mihi dandi iſtas perfectiones, alioquin enim jam iſtas haberem, Axio. 7. *quo ait*, Rei cogitantis voluntas fertur voluntariè quidem & liberè, ſed nihilominus infallibiliter in bonum ſibi clarè cognitum: ideóque ſi norit aliquas perfectiones quibus careat, ſibi ſtatim ipſas dabit ſi ſint in ſua poteſtate. *Quod tamen Axioma patet eſſe falſum in iis, qui clarè vident virtutes morales ſibi deficientes, nec tamen illas ſibi dant; quamvis ſint in ſua poteſtate, juxta illud Geneſ. cap.* 4. Sub Te erit appetitus tuus, & tu dominaberis ipſis; Ergo (*concludit*) non habeo vim meipſum conſervandi, ac proinde cùm exiſtam conſervor ab alio: Ille autem à quo conſervor habet in ſe formaliter vel eminenter id omne quod in me eſt Axio. 4. *quo dicitur*, quidquid eſt realitatis vel perfectionis in aliqua re, eſt formaliter vel eminenter in prima, & adæquata ejus cauſa: *non tamen dicitur quod hæc cauſa rem ipſam conſervet, vel quod omne id à quo conſervor, ſit mea prima, & adæquata cauſa, cum etiam à Cælo, aſtris, elementis, & cibo potuque conſerver: nec tamen in iſtis eſt perceptio multarum perfectionum quæ mihi deſunt, & ideæ DEI quæ eſt in me; ut vult eſſe in illo à quo conſervor; quem proinde ait multò magis ſibi daturum perfectiones illas*

quas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

quas mihi deeſſe, & in ſolo DEO eſſe concipio, ſi illi deeſſent: unde tandem concludit ſuprà aſſumptum, quod
illas formaliter vel eminenter in ſe habet, atque ita eſt DEUS. Quæ demonſtratio quàm ſit clara & certitu-
dine ac evidentia geometricis non ſolùm æquiparanda, ſed etiam præferenda, quilibet hujus rei capax judicet;
repenetque illam multipliciter eſſe falſam.

Igitur nec per analyſin, nec per ſyntheſin D. Carteſius exiſtentiam DEI demonſtravit, quamvis in ve-
ritatibus geometricis analyticè vel ſyntheticè demonſtrandis jure habeatur vir incomparabilis. Nec eſt quod
ipſe cauſſetur meditationes ſuas metaphyſicas concipi vel intelligi non poſſe niſi ab ingeniis abſtractis quæque
præjudicia cuncta exuerint; neminem enim vidi qui demonſtrationes ejus metaphyſicas approbaverit, nec ullus
eſt eorum qui approbationem denegarunt, qui Geometricas demonſtrationes ab eo vel Euclide, vel alio metho-
dicè factas approbare recuſaret: quippè quòd hæ nimis clarè convincant ingenia. Nec mirum eſt, quando-
quidem longè dificilius eſt demonſtrare in Phyſicis, vel Metaphyſicis quàm in Mathematicis; ubi principia
evidentiſſima quaſi ſponte cuilibet emergunt, quæ in phyſicis ac metaphyſicis præſertim non niſi à ſublimiori-
bus ingeniis deteguntur. Quamobrem verendum, ne dicatur D. Carteſium virum ſubtiliſſimum ac ingenio-
ſiſſimum, ſeipſum ſubtilitate ſua decepiſſe, & præjudiciis adeò involviſſe, ut percipere nequiverit paralogiſmos
ſibi objectos à Sorbonicis, præter eos quos hîc appoſui.

Ac profectò mirum mihi videtur quod D. Carteſius ad DEI exiſtentiam demonſtrandam methodum ana-
lyticam elegerit, quæ ad hoc eſt prorſus inepta. Cùm enim analyſis à Vieta definiatur, aſſumptio quæſiti tan-
quam conceſſi, per conſequentia ad verum conceſſum, ſi verum conceſſum fuerit quod ipſe exiſtat ex eo
quod cogitet; imò quod habeat ideam Entis infinite perfecti, quod DEUM vocat: quæſitum verò ſit, an
DEUS exiſtat: Jam ex Defin. analyſis debet aſſumi, quod DEUS exiſtat tanquam conceſſum; & ex
tali conceſſo conſequenter inveniri quod Dominus Carteſius cogitet, ideoque exiſtat, vel quod habeat ideam
Entis infinitè perfecti ſive DEI. At in ſua analyſi nihil tale demonſtravit, imò nec demonſtrare poteſt:
Nam DEUS exiſtit ab æterno, nec D. Carteſius ab æterno cogitavit, ideoque fuit, vel habuit ideam DEI;
ergo patet analyſin nihil poſſe ad Exiſtentiam DEI demonſtrandam, ex idea DEI quam ſe habere dicit; ſu-
mendo Ideam ipſam pro conceptu Entis ſummè perfecti, vel naturæ infinitè perfectæ ut paſſim ſumit. Quod
enim in Medit. 3. pag. 48. ait, ſe nomine DEI intelligere ſubſtantiam quantam infinitam indepen-
dentem, ſummè intelligentem, ſummè potentem: quidem hactenus rectè: ſed dum addit, & à qua, tum
aliud omne, ſi quid aliud extat, quodcunque extat, creatum eſt: nimis craſſus eſt paralogiſmus, cùm enim
DEUS non poſſit eſſe creator quin priùs exiſtat; jam in tali idea ſupponit pro conceſſo id quod illi quæren-
dum eſt, ſcilicet exiſtentiam DEI: Et ex tali conceſſo probanda eſt creatio; at hanc etiam in illo DEI con-
cepto ſupponit; patet ergo paralogiſmus. His adde quod DEUS extitit ab æterno, nec tamen Creator fuit ab
æterno: Ac proinde quod ſit Creator eſt tantùm ipſi denominatio extrinſeca, & non de illius natura, alioquin
mutabilis eſſet: Non igitur per analyſin demonſtrari poteſt exiſtentia DEI, ex conceſſis creaturis; ſicut nec
conceſſa exiſtentia DEI infinitè perfecti atque potentis, demonſtrari poteſt quod ulla creatura actualiter exi-
ſtat, ſed tantùm poſſibiliter.

At methodo ſynthetica Geometris ad inveniendum uſitata, DEI exiſtentia ex creaturis exiſtentibus evi-
dentiſſimè demonſtrari poteſt, ut patebit in hoc Libello, cujus cum Editio prima Viris doctis olim placuerit,
opinor hanc editionem ſecundam non fore injucundiorem: potuiſſem verò ex principiis à me aſſumptis & Theo-
rematibus inde deductis illum in alia plurima de DEO, & Creaturis Theoremata peregregia facile diffun-
dere: ſed meum hîc inſtitutum fuit duntaxat oſtendere, DEUM exiſtere, ipſum eſſe hujus mundi Creato-
rem, Gubernatorem & finem ultimum: & omnes ſcientias Phyſicas & Metaphyſicas eodem modo demonſtra-
ri poſſe.

Ideo autem D. Carteſii demonſtrationes de DEI exiſtentia diſcutienda eſſe cenſui ante demonſtrationes
meas; quòd illæ propter Authoris famam Philoſophos omnes atque Theologos Pariſiis non parum commove-
rint, neminem verò (quod ſciam) convicerint, exceptis forſan aliquot ignaris viri famâ deluſis.

DEFINITIONES

PRIMA. Eſſe, eſt id, quod eſt quidquid eſt, vel eſſe poteſt.
2. Ens eſt id, quod habet eſſe; ſive actuale, ſive potentiale.
3. Ens actuale, eſt quod exiſtit actualiter.
4. Ens potentiale, eſt quod actualiter exiſtere poteſt.
5. Nihil, eſt id, quod nullum habet eſſe.
6. Ens finitum, eſt quod eſſendi limitibus quibuſdam includitur.
7. Ens Infinitum, eſt quod tranſcendit omnes eſſendi limites, vel nullis eſſendi limitibus includitur.
8. Æternitas, eſt duratio infinita, vel tranſcendens omnes durationis limites.
9. Creatio, eſt productio entis ex nihilo.
10. Providentia, eſt ratio ordinandarum rerum in aliquem finem.
12. Prius actus, eſt perfectio entis excludere ab eo omnem ad aliquid potentiam.
13. Natura ut hîc à nobis ſumitur, eſt quodlibet ens finitum, quatenus propria virtute dotatum; vel concurſus entium finitorum, ad aliquid propriis virtutibus efficiendum.

AXIOMATA.

PRIMUM. Quodlibet eſt, vel non eſt.
2. Impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe, & non eſſe.
3. Non eſt aliquid, priuſquam ſit.
4. Quod non eſt, nihil poteſt.
5. Quod eſt, non eſt in potentia ad eſſe id, quod ipſum eſt.
6. Quidquid eſt, vel eſt ſeipſo, vel habet eſſe ab alio à ſe.
7. Quod eſt ſeipſo, eſt independens ab alio à ſe, & viceverſa.
8. Nulla res dare poteſt id, quod ipſa non habet.
9. Ut ſe habet res in ſe, ſic in poſſe.
10. Entis finiti potentia, finita eſt; tam activa, quàm paſſiva ad actum reducibilis.
11. Virtutis finitæ effectus, nequit eſſe infinitus.
12. Quovis finito dari vel concipi poteſt majus aut perfectius.
13. Infinito nihil majus eſſe vel concipi poteſt.
14. Cuivis finito, poteſt alterum æquale concipi, eorumque additio.
15. Totum, eſt majus ſua parte.
16. Quæ ſunt idem uni tertio, ſunt idem inter ſe in ipſo tertio.
17. Quod eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſati cauſa.
18 Quod non eſt æternum, incepit eſſe in tempore, vel alia inchoata, ſibique propriâ duratione.
19. Ejus quod eſt ab æterno, non datur durationis initium.
20. Omne Compoſitum diviſibile eſt in ea, ex quibus componitur.
21. Natura nihil efficit ex nihilo, nec quodlibet ex quolibet.
22. In Cauſis non datur progreſſus in infinitum.

THEO-

THEOREMATA.

Theorema I.

Ens infinitum, eſt id omne quod eſt, vel eſſe poteſt.

ALioquin ipſum Ens infinitum eſſendi limitibus includetur contra *Definit.* 7. Ergo Ens infinitum eſt in ſe, id omne quod eſt, vel eſſe poteſt. Inde verò ſequitur, Ens infinitum eſſe quodlibet ens finitum: attamen extra vel ſupra quoſcunque eſſendi limites, juxta infiniti definitionem: vel (ut ait Cardinalis de Cuſa) abſolutè ſeu incontractè vel (ut alii volunt) eminenter.

MONITUM.

PEtrus Gassendus, *inter hujus ſeculi Viros doctos à pleriſque numeratus*, pag. 194. *ſuæ* Favillæ ridiculi muris, *pro ſuæ Philoſophiæ Epicureæ defenſione adverſum me in lucem editæ ſub nomine Franciſci Bernerii ſui diſcipuli, viſo hoc Theoremate in prima Libelli hujus editione, ait, me à prima ſtatim propoſitione hac, paralogiſmum inchoare & continuare uſque ad Propoſitionem ſive Theorema* 16. *prioris editionis; quod eſt* Datur a parte rei Ens Infinitum. *Vult enim me hoc primo Theoremate ſupponere, dari ens infinitum, quod poſtea per ejus proprietates dari probo Theoremate illo* 16.

Verum noſter Vincentius Panurgus ſua ad me Epiſtola De tribus Impostoribus *adeò evidenter probavit Gaſſendi inſcitiam ac impoſturam, circa hoc Theorema & aliquot alia, ut nemo ſit qui illum non condemnaverit; nec potuerit Panurgo de his, vel de aliis in illa eruditiſſima epiſtola contra Epicuream Philoſophiam reſpondere. Nam (ut Panurgus noſter ait) definitio Entis finiti eſt veriſſima nec rejicitur ab ipſo Gaſſendo, ex ea autem neceſſariò ſequitur definitio Entis infiniti, & ex hac à nobis duntaxat ſuppoſita ut vera, neceſſariò deducitur hoc primum Theorema, ſive detur ſive non detur ipſum Ens infinitum: non ergo ſuppono hoc Theoremate dari Ens infinitum, ut Gaſſendus mihi impoſuit.*

Hoc autem confirmatur evidenter: Quia hoc primo Theoremate, agitur de Ente infinito, definitione 7. à me definito. Definitio autem non ſupponit dari à parte rei id quod definitur, vel ſciri quod ipſum detur; ſed abſtrahit ab exiſtentia rei definitæ: quod etſi probari poſſit multipliciter, tamen probatur apertè hac definitione. Quadratura Circuli, eſt inventio rectæ lineæ, quæ ſit æqualis circumferentiæ circuli. *Quia nec datur à parte rei talis inventio, nec ſcitur an ipſa detur; cùm hactenus à nullo Geometra, etiam maximis laboribus quæſita inveniri potuerit. Igitur nec in definitione 7. nec in hoc Theoremate & ſubſequentibus ſupponitur à me, dari à parte rei Ens infinitum. Videantur reliqua in Panurgi Epiſtola noſtra.*

Theorema II.

Ens infinitum eſt purus actus.

Aliquin erit in potentia ad aliquid, *Defin.* 12. Ideoque non erit id omne quod eſt, vel eſſe poteſt, contra *Theor.* 1. vel eſſendi limitibus includetur contra *Defin.* 7. Ergo Ens infinitum eſt purus actus.

Theorema III.

Ens infinitum eſt actus infinitus, ſive omnis actus qui eſt, vel eſſe poteſt.

Alioqui Ens infinitum non erit id omne quod eſt, vel eſſe poteſt, contra *Theor.* 1. Nec actus ipſe erit purus, contra *Theor.* 2. Ergo Ens infinitum eſt actus infinitus. Ac per conſequens eſt bonum, verum, potens, ſapiens: Et quidquid aliud ſub ratione actus, & perfectionis eſſe aut concipi poteſt, etiam in ſummo gradu.

Theorema IV.

Ens infinitum eſt immutabile.

Alioquin erit in potentia ad id in quod eſt mutabile: Ideoque non erit purus actus, contra *Theor.* 2. neque actus infinitus contra *Theor.* 3.

Theorema V.

Ens finitum nequit eſſe ſubjectum infiniti.

Nam alioquin potentia paſſiva finiti, eſſet infinita contra *Axio.* 10.

Theorema VI.

Non poſſunt eſſe duo Entia infinita.

Sint enim ſi fieri poſſit duo Entia infinita A & B in dato quovis momento temporis. Et quia A eſt Ens infinitum, ergo erit quidquid eſt, vel eſſe poteſt illo momento temporis: Et ſimiliter B erit quidquid eſt, vel eſſe poteſt illo eodem momento temporis. At quidquid eſt, vel eſſe poteſt ipſo momento temporis, nullam à ſeipſo admittit differentiam genericam, ſpecificam, vel individualem, aut quamvis alteram, ſed eſt unum & idem re & ratione: Ergo neque A & B ullam omnino admittent inter ſe differentiam; ſed erunt entitate idem omnino, *Axio.* 16. ideoque non duo Entia infinita, contra hypotheſim; non ergo eſſe queunt duo Entia infinita.

Dici poteſt Theorema rectè concludere de duobus infinitis eſſentiâ vel entitate: cùm infinitum eſſentiâ vel entitate verè ſit omne id quod eſt, vel eſſe poteſt, *Theor.* 1. Non autem de duobus infinitis, quorum ſaltem alterum ſit finitum eſſentiâ, ſed infinitum accidente; ſicut corpus, quod extenſione poteſt eſſe infinitum, aut qualitas intenſione.

Sed reſpondeo quod finita corporis eſſentia, nequit eſſe ſubjectum accidentis infiniti, qualis eſſet extenſio infinita, *Theor.* 5. Ac proinde non datur tale infinitum. Idemque dicendum eſt de qualitate, &c. non ergo poſſunt eſſe duo Entia infinita.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Theorema VII.

Ens infinitum eſt indiviſibile.

Non enim eſt diviſibile in duo Entia infinita, quoniam pars non poteſt æqualis eſſe toti, *Axio.* 15. nec poſſunt eſſe duo Entia infinita, *Theor.* 6. neque dividi poteſt in duo finita. Nam quodlibet finitorum ipſorum poteſt concipi majus aut perfectius, *Axio.* 12. Et cuivis finito alterum illi æquale concipi poteſt, eorumque additio, *Axio.* 11. ſic verò conciperetur quid majus vel amplius, vel perfectius infinito, contra *Axio.* 13. Nec tandem eſt diviſibile in finitum & infinitum. Nam detracto finito ſemper relinqueretur infinitum. Ergo Ens infinitum eſt indiviſibile.

Theorema VIII.

In infinito nihil eſt prius aut poſterius.

Alioquin eſſet diviſibile in id quod prius, & id quod poſterius eſt, contra *Theor.* 7. Ergo in infinito nihil eſt prius aut poſterius.

Theorema IX.

Ens infinitum eſt ſimpliciſſimum.

Nam ſi quovis modo eſſet compoſitum, eſſet diviſibile in ea ex quibus componeretur, *Axio.* 20. At infinitum eſt indiviſibile, *Theor.* 7. Ergo eſt ſimpliciſſimum.

SCHOLIUM.

Quamvis ergo Ens Infinitum ſit unum, verum, bonum, potens, &c. *Theor..* 3. tamen hæc ſingula in Ente infinito identificantur cum ipſo, *per hoc Theor.* Ideoque inter ſe, *Axio.* 16. ſuntque unicum Ens infinitum ſimpliciſſimum. Imò quoniam Ens infinitum ex vi vocum videtur conceptus quidam compoſitus ex ente & infinitate, purior ac ſimplicior evadet ille, ſi tantùm Ens ipſum in ſe concipiatur: cùm Ens in ſe, ſit id omne quod eſt, vel eſſe poteſt; Ac proinde idem cum Ente infinito, *Theor.* 1. & *Axio.* 16. Et rurſus quoniam Ens in ſe, videtur adhuc quidam conceptus concretus ex eo quod habet eſſe, *Defin.* 2. & ipſo eſſe quod habetur: purior adhuc ſimpliciorque Entis infiniti conceptus evadet, ſi ſolum Eſſe in ſe concipitur: quandoquidem ipſum Eſſe, eſt etiam id omne quod eſt, vel eſſe poteſt: Cùm ſit id, quo eſt quidquid eſt, ipſiuſque Entis eſſentia, *Defin.* 1. Simili ratione Ens infinitum puriùs ſimpliciúſque concipitur, ſi concipiatur eſſe ipſa unitas, ipſa veritas, ipſa bonitas, ipſa ſapientia, &c. quàm ſi concipiatur eſſe unum, verum, bonum, ſapiens, &c. Porrò ipſa unitas eſt in ſe, omnis unitas quæ eſt, vel eſſe poteſt; quippe quòd ſit unitas infinita, atque tranſcendens omnes finitæ unitatis limites: Imò ipſa unitas eſt ipſa bonitas, ipſa veritas, &c. quòd hæc ſingula quatenus infinita identificentur cum Ente infinito, & inter ſe ut dictum eſt ſuprà. Idemque dicendum eſt de ipſa veritate, ipſa bonitate, &c. At cum Ens infinitum ſit quid unum ſimpliciſſimum: Et ipſa unitas, ipſa veritas, ipſa bonitas, &c. in ſimpliciſſimo ipſius Eſſe conceptu complicentur: nequit humanus ſaltem intellectus Ens infinitum ſimpliciùs concipere quàm ſub conceptu ipſius Eſſe vel Eſſentiæ.

Theorema X.

In infinito quidquid eſt, vel concipi poteſt, eſt infinitum.

Nam quidquid in infinito eſt vel concipi poteſt, eſt ipſum infinitum, quod eſt indiviſibile, *Theor.* 7. Ergo, &c.

Theorema XI.

Nullum quovis modo compoſitum, poteſt eſſe infinitum.

Nam omne compoſitum eſt diviſibile, *Axio.* 20. At infinitum eſt indiviſibile, *Theor.* 7. Ergo nullum compoſitum poteſt eſſe infinitum.

Theorema XII.

Ens infinitum neque eſt pars, neque totum.

Non pars, quia eſſet pars Entis finiti, vel infiniti: ſi finiti, pars eſſet major ſuo toto: ſi infiniti, pars eſſet æqualis toti, contra *Axio.* 15. Sed neque etiam eſt totum; nam totum quatenus totum conſtat partibus, in quas idcirco eſt diviſibile: Ens autem infinitum eſt indiviſibile, *Theor.* 7. Ergo Ens infinitum neque eſt pars, neque totum: ſed ſupra hæc.

Theorema XIII.

Entis infiniti ab Ente finito differentia eſt infinita.

Quoniam enim Ens infinitum excedit finitum deficiens ab infinito: ſi exceſſus vel differentia fuerit finita; ergo infinitum componetur, vel ex duobus finitis, vel ex finito, & infinito; ideoque, in ipſa erit diviſibile contra *Theor.* 7. Ergo Entis infiniti à finito differentia eſt infinita.

Theorema XIV.

Ens infinitum ab eſſe finito differt ſeipſo.

Alioquin vel differentia Entis infiniti à finito non erit infinita, contra *Theor.* 13. vel ſaltem duo erunt diverſa infinita, contra *Theor.* 6. Ergo Ens infinitum ab Ente finito differt ſeipſo.

Theorema XV.

Ipſum Eſſe eſt ſeipſo.

Nam eſt id quo eſt quidquid eſt, *Defin.* 1. Et quia multa eſſe videmus, neceſſe eſt ut ipſum Eſſe ſit, alioquin nihil eſſet: At ipſum Eſſe non erit altero Eſſe, quia daretur proceſſus in infinitum, contra *Axio.* 22. Ergo eſt ſeipſo.

Theorema XVI.

Solum Eſſe eſt ſeipſo.

Alioquin ſi præter ipſum Eſſe aliquid eſſet ſeipſo, ipſum Eſſe non eſſet id, quo eſt quidquid eſt, contra *Defin.* 1. Ergo ſolum Eſſe eſt ſeipſo.

Theorema XVII.

Ipſum Eſſe eſt infinitum.

Nullis enim eſſendi limitibus includitur: Ergo eſt infinitum, *Defin.* 7. Et quia non ſunt duo infinita ex *Theor.* 6. Ergo ipſum Eſſe, & Ens infinitum idem ſunt; ideoque quidquid dicitur de Ente infinito, dicitur etiam de ipſo Eſſe.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

THEOREMA XVIII.
Nihil poteſt ſeipſo tranſire à nihilo ad eſſe actu.

Alioquin id poteſt dum non eſt, vel dum eſt. Non primum; nam quod non eſt, nihil poteſt, *Axio.* 4. Non ſecundum; nam quod eſt, non eſt in potentia ad eſſe id, quod ipſum eſt, *Axio.* 5. Ergo nihil poteſt ſeipſo tranſire à nihilo ad eſſe actu.

THEOREMA XIX.
Nullum finitum eſt ſeipſo, nec quò ad eſſentiam, nec quò ad exiſtentiam.

Non primum, alioquin cùm ens omne finitum limitibus eſſendi hoc, & non aliud includatur, *Defin.* 6. ſi aliquod ens finitum fuerit ſeipſo quò ad eſſentiam; Ergo ſequetur ipſum ens à ſeipſo incluſum fuiſſe limitibus, vel ſibi limites impoſuiſſe eſſendi hoc, & non aliud. Hoc autem potuit vel priuſquam eſſet contra *Axio.* 4. vel poſtquam fuit contra *Axio.* 5. Non ſecundum, alioquin ens finitum eſſet ipſum Eſſe, quod ſolum exiſtit ſeipſo, *Theor.* 16. ſicque eſſet infinitum, *Theor.* 17. Ergo nullum finitum eſt ſeipſo.

Idem ſic aliter breviùs oſtenditur. Solum Eſſe eſt ſeipſo, *Theor.* 16. At ipſum Eſſe eſt infinitum: Ergo nullum finitum eſt ſeipſo.

THEOREMA XX.
In Entium productionibus non datur circulatio.

Si enim A. daret eſſe alteri B, & B alteri C, & C eidem A, ſequeretur A ejuſdem C reſpectu eſſe cauſam efficientem & effectum: ſicque priùs eſſe quàm eſſet, contra *Axio.* 3. Ergo in Entium productionibus non datur circulatio.

THEOREMA XXI.
Omne Ens finitum habet ſuum eſſe ab Ente infinito.

Nam habet ſuum eſſe ab ipſo Eſſe, quod eſt id quo eſt quidquid eſt, *Defin.* 1. At ipſum Eſſe eſt infinitum ens, *Theor.* 9. 17. Ergo habet ſuum eſſe ab Ente infinito. Idem ſic aliter oſtenditur, nam quidquid eſt, omnino neceſſe eſt ut ſit ſeipſo, vel habeat eſſe ab alio ente, *Axio.* 6. Neque enim ipſum nihil quod nullum habet eſſe, *Defin.* 5. poteſt cuipiam dare eſſe, *Axio.* 8. Jam verò nullum ens finitum eſt ſeipſo, *Theor.* 19. Quod ſi ens finitum habet eſſe ab alio ente; Ergo ab ente finito, vel ab infinito: Si hoc, habetur intentum: ſi illud, rurſus dicetur hoc finitum ens, habere eſſe ab alio ente finito, vel ab infinito; ſicque vel iterum habebitur intentum: vel continuabitur progreſſus in qualemcunque numerum Entium finitorum contra *Axio.* 22. Qui numerus ideo nequit eſſe infinitus, quia infinitum eſt indiviſibile, *Theor.* 7. At cùm ille numerus ſit multitudo compoſita ex unitatibus ſingulorum Entium productorum, *Defin.* 11. Idcirco erit diviſibilis in illas unitates vel entia, *Axio.* 20. proindeque non infinitus, *Theor.* 7. ſed finitus: Ac per conſequens dabitur primum ipſorum entium finitorum, à quo reliqua producta ſunt, ipſum verò à nullo eorum: quòd in entium productionibus non detur Circulatio, *Theor.* 20. Et de hoc primo ente finito rurſus dicetur, illud non eſſe ſeipſo: ſed habere eſſe ab alio ente finito vel infinito; non finito, alioquin hoc eſſet primum entium finitorum, & non illud, contra hypotheſin: Ergo infinito. Poſito autem primo ente finito ab Ente infinito; etiam reliqua finita quæ ſunt ab ipſo primo, erunt ſaltem ut ſic ab Ente infinito; nam quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſati cauſa, *Axio.* 17. Ergo omne finitum habet eſſe ab Ente infinito.

Aliter ſic oſtenditur, numerum entium finitorum ab aliis entibus finitis productorum, non poſſe eſſe infinitum. Ponatur enim hominum hactenus productorum numerus infinitus: Ergo continebit omnes homines, qui fuêre, ſunt, & eſſe poſſunt, *Axio.* 13. ſicque nullus homo erit amplius producibilis. Atqui in dies, & ſingula momenta novi homines producuntur, ut experientiâ patet; idque ſine circulatione, *Theor.* 20. Non ergo poni poteſt numerus hominum productorum infinitus, ſed tantùm finitus: Ac per conſequens dabitur primus ipſorum, &c. ut ſupra. Quare cùm ſit eadem ratio de cæteris Entibus finitis, quorum unum habet eſſe ab alio ente finito, neceſſariò ſequitur omne ens finitum habere eſſe ab Ente infinito.

MONITUM.

Hîc parumper ſiſtendum. Si Ens quod eſſendi limitibus clauditur rectè finitum dicitur: Ergo Ens quod tranſcendit omnes eſſendi limites, infinitum dicetur. De utriuſque autem entis proprietatibus nonnullis hactenus egimus, facta utriuſque comparatione: Minimè tamen determinantes an ipſa dentur, præſertim verò ipſum Ens infinitum. Sed tantùm manifeſtiſſimè oſtendimus, quod nullum ens finitum poſſit eſſe ſeipſo, ſed quolibet tantùm eſſe poſſit, ab Ente infinito. Jam verò ſic perſequimur.

THEOREMA XXII.
Mundus hîc finitus eſt.

Nam Globus terreſtris non eſt totus Mundus, ſed pars Mundi, idemque dicetur de Sole, Luna, & quolibet aſtro, vel etiam Cœlo: Ergo Mundus eſt aliquod totum ex illis partibus compoſitus. Ideoque in illas diviſibilis, *Axio.* 20. Ac proinde non eſt infinitus, *Theor.* 7. ergo finitus.

THEOREMA XXIII.
Datur à parte rei Ens infinitum.

Nam datur à parte rei ens finitum. Quippe Terra, Sol, Luna, homo, &c. Ergo datur Ens infinitum à quo illa habent eſſe, *Theor.* 21. Nec enim dici poteſt, fuiſſe quidem aliàs infinitum Ens, à quo illa finita habuerint eſſe; ipſum vero non ampliùs eſſe: nam inde omnino ſequeretur tale Ens infinitum durationis limitibus incluſum fuiſſe; proindeque nec fuiſſe infinitum, *Defin.* 7. quod eſt contradictorium: Ergo datur Ens infinitum.

THEOREMA XXIV.
Ens infinitum eſt ſeipſo.

Alioquin habuit eſſe ab alio à ſe, *Axio.* 6. Eoque vel finito, vel infinito: Non primum, quia Entis finiti virtus finita eſt, *Axio.* 10. Cujus effectus nequit eſſe infinitus, *Axio.* 11. Non ſecundum; quia nequeunt eſſe duo entia infinita, *Theor.* 6. Ergo Ens infinitum eſt ſeipſo.

Aliter. Infinitum eſt ipſum eſſe, quod eſt ſeipſo, *Theor.* 16. Ergo Ens infinitũ eſt ſeipſo, *Theor* 15. & 17.

THEO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

THEOREMA XXV.

Ens infinitum eſt independens.

Nam eſt ſeipſo, *Theor.*24. Ergo independens ab alio. *Axio.*7.

THEOREMA XXVI.

Quidquid eſt independens eſt infinitum.

Nam quidquid eſt ſeipſo, eſt ipſum eſſe, *Theor.*16. ſed quidquid eſt independens eſt ſeipſo, *Axio.*7. Ergo quidquid eſt independens eſt ipſum Eſſe. At ipſum Eſſe eſt infinitum. *Theor.* 17. Ergo quidquid eſt independens eſt infinitum.

THEOREMA XXVII.

Ens infinitum eſt æternum.

Alioquin habuit eſſe ab alio à ſe, *contra Theor.* 24. vel ſeipſo tranſivit à nihilo ad eſſe actu *contra Theor.* 18. Ergo Ens infinitum eſt æternum; imò ſua vel ipſa æternitas. *Theor.*7. & 9.

THEOREMA XXVIII.

Ab ente infinito nihil reale effluit extra ipſum, quo producat ens finitum.

Nam ſi ab Ente infinito quid reale extra ipſum effluere poſſet, Ens finitum eſſet diviſibile *contra Theor.*7. Ergo ab Ente infinito nihil reale effluit, &c.

THEOREMA XXIX.

Ens infinitum producit finitum ſimplici voluntatis actu.

Nam cùm ab Ente infinito nihil reale effluat extra ipſum quo producat ens finitum. *Theor.*28. Ergo neceſſe eſt, ut hoc producat per aliquem actum immanentem. Dico autem hunc actum eſſe voluntatis actum. Cùm enim in Entium finitorum productione, neceſſariò deveniatur ad aliquod primum à ſolo Ente infinito productum, *Theor.*21. ſint autem innumera producibilia, ex ſe æquè indifferentia ad produci: Ergo vel ab Ente infinito extra ſe producente, omnia poſſibilia ſimul producentur, vel nullum producetur (quorum utrumque patet eſſe falſum) vel denique in illo admittenda erit electio, ſeu voluntatis actus, quo unum poſſibile producat, potiùs quàm aliud; quandoquidem ipſum Ens infinitum eſt in extra ſe producendo ſummè liberum, ſapiens atque potens, imò ſumma libertas, infinita ſapientia & omnipotentia. *Theor.* 9. Tribuitur autem Entis finiti productio peculiariter actui ſimplici ipſius voluntatis, ideoque amori qui eſt proprius voluntatis actus; quia licet Ens infinitum ſit infinita ſapientia, & omnipotentia; tamen nec producit extra ſe, quidquid producere poteſt, nec quicquid ſuo ſcit intellectu ſe poſſe producere: ſed tantùm id quod ex poſſibilibus vult producere. Hoc autem poſito voluntatis actu, non poteſt non produci ens finitum eo momento, quo hoc fieri ab æterno voluit ipſum Ens infinitum, quippe quòd ejus voluntas identificetur cum ejus omnipotentia. *Theor.*9. Ideoque ſit per ſe efficaciſſima, nulloque alio vel efficienter vel ſubjectivè concurrente indigeat ad producendum; alioquin nec eſſet ſummè libera, nec omnipotens contra prædicta, Ergo Ens infinitum producit finitum ſimplici voluntatis actu.

THEOREMA XXX.

Ens finitum ab infinito productum, continuò producitur vel conſervatur ab eodem Ente infinito.

Nam cùm ens finitum producatur per actum voluntatis Entis infiniti, *Theor.*29. Ergo tantùm eatenus eſt finitum ens, quatenus hoc eſſe vult Ens infinitum, ſed quatenus Ens infinitum vult eſſe ens finitum, eatenus hoc producit, quòd Entis infiniti voluntas omnipotens ſit efficaciſſima, *Theor.*29. Ergo ens finitum ab infinito productum continuò producitur ab eodem Ente infinito: Hæc autem continua entis finiti productio, dici ſolet ejus conſervatio ab Ente infinito, quâ ceſſante ipſum ens finitum illico deſineret eſſe.

THEOREMA XXXI.

Ens infinitũ concurrit efficienter & immediatè, ad omnes effectus reales entis finiti.

Quoniam enim Ens infinitum ſuo voluntatis actu continuò producit finitum ens, huic dando eſſe, & vim agendi, *Theor.* 30. Ergo quocumque temporis momento finitum ens agat, hoc agere vult Ens infinitum: Alioquin vel fruſtra daret ei vim agendi, ſicque non eſſet ſapientia infinita contra *Theor.* 9. & 29. vel ſaltem ens finitum ageret contra Entis infiniti voluntatem; ſicque hæc neque eſſet infinitè potens, *contra Theor.*29. Sed quatenus Ens infinitum vult ens finitum agere, vel novum realem effectum producere, eatenus efficit ut agat; Et vult illum eundem effectum; & quatenus hunc vult, eatenus illum quoque producit, quòd ejus voluntas ſit efficaciſſima, *Theor.*29. Ergo Ens infinitum concurrit efficienter & immediatè ad omnes effectus reales entis finiti. Intellige autem immediationem ſuppoſiti, & non virtutis effluxæ, quòd ab Ente infinito virtus non effluat extra ipſum, qua producat ens finitum, *Theor.*28.

Hujus Theorematis demonſtrationem attenta mente perpendant, qui de DEO tam malè ſentiunt, ut ipſum Theorema negent: afferentes DEUM initio creationis ſemel dediſſe vim agendi cauſis efficientibus, qua ſine concurſu DEI ſuos producunt effectus, frivolis ratiunculis; quarum vanitatem oſtendimus libro de concurſu Primæ cauſæ cum ſecundis, adverſus Janſeniſtas.

THEOREMA XXXII.

Omne ens finitum immediatè dependet in eſſe ab Ente infinito.

Nam ens finitum vel producitur à ſolo Ente infinito, vel ab alio ente finito. Si primum; patet veritas Theorematis: Si ſecundum, quoniam Ens infinitum concurrit efficienter & immediatè ad omnes effectus reales entis finiti, *Theor.* 31. Ergo etiam ens finitum à finito productum in eſſe dependet immediate ab Ente infinito. Conſtat ergo Theorema.

THEOREMA XXXIII.

Nullum ens finitum, eſt, vel eſſe poteſt ab æterno.

Cùm enim omne finitum habeat ſuum eſſe ab Ente infinito, *Theor.* 21. Ponatur ergo aliquod ens fini-

finitum actu ab æterno. Et quia productum fuit ſimplici voluntatis actu Entis infiniti, *Theor.* 29. eodemque actu continuò producitur ſive conſervatur, *Theor.* 30. Ergo ſi Ens infinitum velit (ut velle poteſt) ipſum ens finitum fore deinceps ſempiternum: omnino ſequitur quod ejus duratio nullis inde clauſa limitibus ponitur infinita; proindeque indiviſibilis *Theor.* 7. In qua per conſequens, neque erit prius, neque poſterius, *Theor.* 8. Sed ipſa erit tota ſimul: Ideoque vera æternitas, *Defin.* 6. Eſt autem Ens infinitum etiam æternum, *Theor.* 27. Imò ſua ſive ipſa æternitas, *Theor.* 9. Vel igitur Entis infiniti & finiti æternitates ſunt duæ numero, vel unica. Si primum, quoniam utraque eſt infinita; Ergo dabuntur duo infinita, *contra Theor.* 6. Si ſecundum, cùm æternitas Entis infiniti identificetur cum ejus entitate, *Theor.* 9. Ergo ſi Ens infinitum poteſt enti finito ſuam dare æternitatem, dabit illi quoque ſuam entitatem infinitam: ſicque finitum ens erit infinitum contra Hypotheſin. Nullum ergo finitum eſt, vel eſſe poteſt ab æterno. Nec proderit objicere æternitatem eſſe infinito Enti eſſentialem, Enti autem finito tantùm accidentalem & participatam; nam cùm inde non tollatur infinitas ab entis finiti æternitate; ſemper redibit ratio ſuperior, quod nempe vel ſunt duæ numero æternitates, vel unica, &c.

Idem ſic aliter oſtenditur. Nullum actu eſſe poteſt finitum ens, quod non fuerit producibile ab æterno; Ergo nullum ens finitum fuit aut potuit eſſe actu ab æterno. Alioquin fuiſſet ſimul actu & poteſtate; vel actu, & non actu, quod implicat: Conſequentia patet; antecedens verò ſic probatur: quia quodlibet ens finitum, poteſt tantùm produci actu voluntatis Entis infiniti, ejuſque voluntas eſt in producendo ente finito liberrima, *Theor.* 29. ideoque ex ſe indifferens ad dandum ei vel non dandum eſſe actuale; ac propterea ſupponit ipſum ens finitum eſſe tantùm poteſtate: Alioquin ejus indifferentia verſaretur circa dandum, vel non dandum eſſe rei, quæ jam eſt actu, aut rei impoſſibili; quorum utrumque eſt perabſurdum. Nullum ergo finitum ens poteſt eſſe actu ab æterno, etſi ab æterno ſit poſſibile. Dicunt nonnulli creatum eſſe, & non habere ſuæ durationis initium, non eſſe invicem repugnantia, quamvis creatio fiat ex nihilo: quippe quòd ſufficiat nihilum præcedere creaturam naturâ, etſi non præcedat duratione. Ut poſito Sole ponitur illuminatio, quam Sol ipſe non duratione, ſed naturâ præcedit.

Sed reſpondendum primò. Comparationem eſſe valde ſpuriam, in qua Sol comparatur nihilo. Secundò nequidem concipi poſſe, quod mera cujuſvis naturæ ſive actualis ſive potentialis negatio, quale eſt ipſum nihil, naturâ præcedat naturam aliquam actualem; cùm hîc etiam fiat comparatio inter ipſum nihil, & creaturam actualem. Tertiò quod ſi Mundus eſſet creatus ab æterno, ergo Sol poſitus fuiſſet tunc in aliquo Zodiaci gradu, ut in primo gradu Arietis: cúmque proprio motu deveniſſet ad gradum ſecundum, omnino verum fuiſſet dicere quod Mundus ab uno die creatus fuiſſet; Ergo non ab æterno, contra Hypotheſin.

THEOREMA XXXIV.

Mundus hîc non habuit eſſe per generationem Phyſicam.

Omnis enim Phyſica generatio terminatur ad quid unum formaliter, & per ſe. At Mundus hic non eſt quid unum formaliter, & per ſe, ſed tantùm per accidens, nempe aggregatum ex multis corporibus Terræ, Solis, Lunæ, &c. ſpecie diverſorum & diſcontinuorum. Non ergo habuit eſſe per generationem Phyſicam.

THEOREMA XXXV.

Mundus hîc creatus eſt in tempore ab Ente infinito.

Quoniam enim finitus eſt, *Theor.* 22. Ergo non eſt æternus, *Theor.* 33. Adde quod illi qui cum Ariſtotele ponunt Mundum hunc ab æterno, etiam ejus vel Cœli motum ideò ponunt ab æterno, quòd primum Mundi motorem fateantur æternum: illis autem ſuppoſitis, vel numerus gyrationum primi mobilis ab æterno huc uſque finitus eſt, vel infinitus. Si primum, ergo dabitur prima gyratio, proindeque initium durationis Mundi contra *Axio.* 19: ſi ſecundum, ergo numerus ille non erit numerus contra hypotheſin. Nam omnis numerus eſt diviſibilis, *Axio.* 20. quòd nempe ſit compoſita ex unitatibus multitudo, *Defin.* 11. infinitum autem eſt indiviſibile, *Theor.* 7. unde ſequitur nullum numerum eſſe infinitum, nec eſſe poſſe. Ergo Mundus hic non eſt æternus.

Probatur etiam aliter numerum gyrationum Cœli non eſſe infinitum. Nam ſi fuerit infinitus, ergo complectetur omnes gyrationes quæ fuerunt, ſunt, & eſſe poſſunt, *Axio.* 13. ac per conſequens nulla erit ampliùs poſſibilis Circulatio. Atqui in dies ſingulos fiunt novæ primi Cœli gyrationes: non ergo Mundus hic æternus eſt: Ideoque incœpit eſſe in tempore ſibi propria duratione, *Axio.* 18. Sed neque accepit eſſe à nihilo, *Axio.* 8. Neque habuit eſſe per generationem Phyſicam, *Theor.* 34. Nec tandem ſeipſo tranſivit à nihilo ad eſſe actu, *Theor.* 18. Ergo à nihilo ad eſſe actu traductus eſt immediatè ab eo, à quo omne finitum habet ſuum eſſe, quippè ab Ente infinito, *Theor.* 32. Quod autem ſic producitur, creari dicitur, *Defin.* 9. Ergo Mundus hic creatus eſt in tempore ab Ente infinito. Quod erat oſtendendum.

THEOREMA XXXVI.

Mundus hic & ſingula in ipſo Entia, reguntur providentiâ Entis infiniti.

Cùm enim Ens infinitum ſit hujus Mundi & ſingulorum in illo Entium productorum cauſa efficiens immediata, *Theor.* 32. Omnis autem cauſa efficiens agat propter finem: maximè verò ipſum Ens infinitum, quod eſt ſapientia infinita, *Theor.* 9. Ergo vel Ens infinitum fruſtra dicetur agere propter finem: vel mundum ipſum & ſingula entia finita in finem à ſe intentum in eorum productione, per media congrua ordinabit, quod eſt providere ſeu providentiâ regere, *Defin.* 10. Ergo Mundus hic, & ſingula in eo Entia reguntur providentiâ Entis infiniti.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Idem ſic aliter oſtenditur. Quoniam omnibus animalibus ineſſe providentiam manifeſtiſſimè deprehenditur: quippè bruta ſuis fœtibus provident, parentes liberis, paterfamilias familiæ, Rex ſuo regno atque ſubditis: Ergo erit hæc providentia finita ab Ente infinito, *Theor.* 32. Ideoque ipſum Ens infinitum erit providum, tum *Axio.* 8. tum *Theor.* 3. Imò providentia infinita, *Theor.* 9. Hoc eſt providentia ad quodlibet Ens finitum extenſa, alioquin non eſſet infinita. Ergo Mundus hic & ſingula in eo Entia, reguntur providentiâ Entis infiniti.

Vel ſic. Quodlibet Ens finitum continuò producitur ab Ente infinito: quæ continua productio, dicitur ipſius Entis finiti conſervatio, *Theor.* 30. Producitur autem voluntatis actu, quæ identificatur cum ſapientia infinita, *Theor.* 29. Proindeque non temerè neque fruſtra, ſed in aliquem finem; Ergo etiam continuò dirigitur in ipſum finem ab eodem Ente infinito: quod certè non eſſet infinitum, ſed eſſendi limitibus clauſum, niſi eſſet providum; imò providentia infinita, quæ neminum quidem ſui expers alicubi prætermittit.

Porrò Entis infiniti providentiæ triplex munus in Mundo deprehenditur. Primum: In ſingulorum Entium finitorum propriis in locis & ordinibus collocatione. Secundum: In eorumdem ipſis in locis & ordinibus conſervatione. Tertium: In illorum motione atque directione in proprium finem juxta cujuſque naturam. Providet ergo ut cauſæ neceſſariæ neceſſariò agant: contingentes contingenter; & liberæ liberè. Ac voluit ex ſuis creaturis quaſdam eſſe liberas, hoc eſt intellectu & voluntate præditas: ne ipſum Ens infinitum inter omnia finita Entia à ſe producta maneret incognitum; ſed ab ipſis ſaltem liberis creaturis (quas hac in parte præ cæteris nobilitavit ſibique aſſimilavit) per intellectum agnoſceretur rerum omnium principium, medium ſive conſervator, & finis ultimus: per voluntatem verò ſuper omnia creata coleretur, amaretur, & optaretur: ſicque ipſæ creaturæ liberæ per ſuam ipſi Enti infinito aſſimilationem puritate, juſtitia, charitate, ſanctitate, &c. in illud continuò tenderent, illudque tandem aſſequerentur, eoque fruerentur. Siquidem liberæ creaturæ, capaces factæ ſunt verum à falſo, bonum à malo, & juſtum ab injuſto diſcernendi: indeque ſuam præ aliis finitis Entibus excellentiam, majoremque obligationem dignoſcendi: Ac propterea infinitæ providentiæ decreto, juſta illis vel facienda ſunt, vel patienda: ſique primùm non ſequantur voluntariò, in ſecundum labuntur neceſſariò.

Theorema XXXVII.

Eſt quidam finis ultimus ſingulorum Entium finitorum.

Quodlibet enim Ens finitum producitur ab Ente infinito, *Theor.* 32. Idque ob aliquem finem ad quem finitum ab infinito ordinatur, *Theor.* 36. Ideoque datur ipſe finis; Alioquin fruſtra finitum Ens ad illum ordinaretur ab infinita ſapientia, quod dici non poteſt. Jàm ergo vel finis hic, eſt ultimus ipſius Entis finiti, ſicque habetur intentum, vel eſt tantùm medius ad ultimum. Qui ultimus, ſi datur, rurſus habetur intentum: ſi non datur, ergo ad hunc ille non erit medius contra hypotheſin. Eſt igitur neceſſariò quidam finis ultimus ſingulorum Entium finitorum: in quo nempè finitum Ens quodlibet, ſuæ perfectionis complementum ſecum naturam propriam adipiſcitur; Et idcircò ab ipſo ente finito appetitur, ut in illo quieſcat à motu, quo exiens à ſua cauſa, tendit in optatum terminum,

Theorema XXXVIII.

Ens infinitum eſt finis ultimus omnium Entium finitorum.

Alioquin vel in finibus procederetur in infinitum; quo pacto finitum Ens finem in ſui productione ab Ente infinito intentum nunquam aſſequeretur; ſicque ab ipſa infinita ſapientia in illum fruſtra ordinaretur: vel dabitur Ens finitum, quod in nullum alium finem productum ſit ab Ente infinito, quàm ut ſit finis ultimus aliorum Entium finitorum, *Theor.* 37. Atque hoc pacto alia Entia finita eſſent etiam finis ultimus illius Entis finiti, ſicque ſibi mutuò eſſent cauſæ in eodem genere; quod fieri non poſſe fatentur omnes Philoſophi. Adde quòd finis ultimus ſummè appetitur ab his quæ in illum tendunt, quia ipſis ſufficit: ideoque in illo obtento planè quieſcunt. At ſi quodlibet ens finitum ne quidem ſibi ſoli ſufficit, ſed continuò produci & conſervari indiget ne deſinat eſſe, *Theor.* 30. ergo aliis multò minùs ſufficiet, præſertim hominis appetitui qui nullo finito ſatiari poteſt. Nullum ergo Ens finitum ſibi vel alteri poteſt eſſe finis ultimus. Adde tandem quod cùm rationalis creatura toto intellectu, totaque voluntate teneatur in finem ultimum tendere, ad quem ordinatur: ergo ſi is fuerit alius ab Ente infinito, etiam tenebitur toto intellectu, totaque voluntate ſeſe avertere ab ipſo Ente infinito, quod ſupra diximus rationales feciſſe creaturas, ut ab his per intellectum & voluntatem cognoſceretur, & amaretur. Ergo Ens infinitum eſt finis ultimus omnium Entium finitorum, tandemque à quolibet in ipſo tendente poſſidetur juxta ſingulorum naturam propriam, ideoque immediatè per intellectum & voluntatem ſive cognitione & amore à rationabilibus creaturis, quæ in illum tendunt intellectu & voluntate; per has verò mediatè ab aliis.

Hoc autem Ens infinitum, unicum, ſimpliciſſimum, immutabile, independens, Æternum, Mundi Creator, Conſervator, Rector providentiſſimus & finis ultimus; Nationum omnium conſenſu Deus appellatur. Qui eſt infinita Bonitas, infinita ſapientia, infinitus amor, infinita liberalitas, infinita juſtitia, infinita Beatitudo, & cætera omnia quæ illi decentiſſimè tribuuntur; alioquin non eſſet ipſum infinitum. Cui creatura omnis propter acceptum eſſe, agendique vires, ac propter conſervationem, tum per cauſas ſecundas, debet ipſum ſuum eſſe, ſuas agendi vires, nec non harum omnes actiones, ſive uſum integrum: ſed maximè creatura rationalis uſum integrum ſui intellectus, ſuæque voluntatis: quandoquidem quod ille ſit, ipſa neſcire neque poteſt (ſi illum naturali lumine velit inquirere ut ſupra patuit) neque debet; tum quia poteſt atque tenetur; tum quia ipſius creaturæ rationalis ſumma beatitudo in Dei cognitione & amore conſiſtit. Cui tandem ſit gratiarum actio, laus, honor, virtus & gloria per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Theorema XXXIX.

Deus in agendo Naturæ legibus ex ſe non aſtringitur: & ſua vi Naturæ vim ſuperat infinitè.

Prima pars ſic probatur. Leges enim Naturæ ſunt, ut ex nihilo nihil efficere poſſit; nec quodlibet ex quolibet, *Axio.* 21. ſed tantùm aliquid ex aliquo idoneo. Deus autem omnia quæcunque vult efficit, *Theor.* 29. etiam ex nihilo, *Theor.* 35. Ergo multò magis ex quolibet, cùm minoris ſit potentiæ quodlibet ex nihilo efficere, quàm quodlibet ex quolibet.

Secunda pars probatur, quia ut ſe habet res in eſſe, ſic in poſſe, *Axio.* 9. At Deus eſt Ens infinitum, *Theor.* 38. ideoque vis ejus eſt infinita, Natura autem eſt finitum ens, *Defin.* 13. Ideoque vis ejus eſt finita, *Axio.* 10. Ergo vis ſive potentia Dei vim naturæ ſuperat infinitè, *Theor.* 13.

Athei verò qui Deum negant, uno ore Naturam admittunt, & quod à nullo habeat eſſe, fatentur: Ideoque quod ſeipsâ ſit cogentur aſſerere, *Axio.* 6. Ac proinde quod ſit infinita, *Theor.* 19. Ideo omnipotens, *Theor.* 9. Hoc autem eſt abſurdum, & contra experientiam: Natura enim legibus ſtrictiſſimè ſubjacet; ita ut non quodlibet ex quolibet gignere queat, ſed tantùm ex propriis ſeminibus; quippè triticum ex tritico, lupum ex lupo, &c. Cùm ergo ſubjaceat legibus, quis erit Legiſlator? Cùm ſit ſubdita, quis erit Dominus? Certè ille erit qui ſimul eſt omnipotens, quique Naturæ poteſtati limites præſcripſit; Deus ſcilicet revera infinitus & ipſius Naturæ finitæ Conditor.

Theorema XL.

Deus poteſt quidquid non implicat contradictionem.

Deus enim poteſt quidquid eſt poſſibile, alioquin non eſſet omnipotens. At quidquid non implicat contradictionem eſt poſſibile: Ergo Deus poteſt quidquid non implicat contradictionem.

MONITUM.

HUc uſque proprio lumine poteſt humanus pertingere intellectus. At quod una numero Natura divina ſit communis tribus perſonis divinis; Ideoque Deus ſit unus naturâ & trinus perſonis, quarum altera ſit verè Pater, altera verè Filius à Patre per intellectum genitus: Et altera Patris & Filii, Spiritus ſanctus vel amor; ex unica numero Patris, & Filii voluntate procedens: Quod hæc perſonarum actualis emanatio ſit ab æterno, nec per infinita ſæculorum ſæcula finem ſit habitura: Quod eadem perſona divina communis eſſe queat duabus naturis diverſis, ut in Chriſto perſona Filii, quæ communis eſt Naturæ divinæ ac humanæ. Quod perſona divina mori queat: Quod verbo Chriſti fiat naturarum tranſſubſtantiatio; panis ſcilicet in ipſum Chriſti corpus; quod idem numero Chriſti Corpus ſit ſimul tempore pluribus in locis: Quod Chriſti Corpus ſit totum in tota, & totum in minima parte hoſtiæ conſecratæ: Quod ipſum Corpus ſit ſpiritualis animæ cibus atque vita: Quod Mundus hic finem ſit habiturus; tuncque omnes homines mortui ſint reſurrecturi, ut ex operibus ſuis à Chriſto judicentur, alii ad vitam æternam, alii ad mortem æternam, & multa alia, nequit humana ratio per ſe cognoſcere. His tamen à Deo revelatis duplici de cauſa aſſentitur proprio lumine. Primâ quia ſcit Deum mentiri non poſſe. Secundâ, quia ſcit Deum in agendo tam intra, quàm extra ſe, legibus Naturæ non eſſe aſtrictum, ſuaque vi Naturæ vim infinitè ſuperare, *Theor.* 39. Ideoque efficere poſſe quidquid contradictionem non implicat, *Theor.* 40; in ſupradictis autem nullam inveniri poſſe contradictionem. Quocirca lumine fidei in hanc Dei ſublimem & ſupernaturalem ſcientiam aſſurgens ipſis myſteriis firmiſſimè credit.

VERA METHODUS

Divina docendi myſteria.

Porrò non erit forſan à propoſito alienum hîc ſubjungere quomodo & quo ordine, Ethnici vel Athei docendi, & ad fidem in Chriſtum adducendi ſint. Quandoquidem hoc fuit miniſterium propriaque miſſio Apoſtolorum, jamque tempus adeſt quo Euangelium Chriſti per totum Telluris ambitum diſſeminatur. Non enim ut in diebus Apoſtolorum, ita & nunc docendi videntur Ethnici. Tunc enim illicò prædicabatur Chriſtus pro Deo, & Dei filio colendus, adorandus, & ſequendus, qui tamen dicebatur turpiſſima & crudeliſſima morte affectus; quippè in patibulo crucis inter duos latrones ſuſpenſus & enecatus; mandato & conſenſu ſupremarum Mundi poteſtatum. Quod teſte D. Paulo Gentibus videbatur ſtultitia inſignis; nec Divinitas ejus credita fuiſſet, niſi donis linguarum, miraculorum, & ſapientiæ cui nemo poterat reſiſtere confirmata fuiſſet; imò liberrima Prædicatorum morte ob nomen & gloriam Jeſu. Talibus enim Gentilium ingenia convincebantur ut omninò ſupernaturalibus. At nunc neque linguarum, neque miraculorum dona conferuntur Euangeliſtis, ideoque Chriſtus ab initio non videtur illis proponendus. Sed primò ab idolorum aut Dæmonum cultu prorſus abſurdo, ridiculo ac deteſtando ſunt abducendi; & per Theoremata ſupraposita ducendi ad cognitionem unius tantùm veri Dei Infiniti, Optimi, Omnipotentis, Creatoris, atque Rectoris totius Mundi, & omnium quæ in eo ſunt, Æterni, Beatiſſimi, Immutabilis, &c. quique ſi talis non eſſet, qualis antea oſtenſus eſt, indigeret ut talis eſſet; ideoque Deus non eſſet: quis enim mente ſanus Deum admiſerit indigentem, cùm indigentia ſit imperfectio & miſeria?

Cúmque Mathematica quantitas in ſuo eſſe abſtracto, præ cæteris omnibus Creatis Dei eſſentiam perfectiùs repreſentet; ſive continuam, ſive diſcretam quantitatem inſpexeris: Divinitas ſive Dei eſſentia vel natura, maximè elucet in Circulo. Circulus enim eſt figurarum omnia prima, ſimpliciſſima, ſibi undequaque ſimillima, principii atque finis neſcia, omnium capaciſſima, atque innumeris proprietatibus fœcundiſſima: ex ſe omnium maximè cognoſcibilis, ſed à nobis omnium minimè comprehenſibilis, ut teſtatur tamdiu quæſita & adhuc ignota ipſius Circuli quadratura. Atque hæc omnia vera ſunt de ipſa Divina Natura quæ eſt primum rerum omnium principium, principii atque finis expers, in qua eſt ſumma ſimplicitas, ſumma unitas, ſumma infinitas, ſumma capacitas atque fœcunditas: utpote in qua ſunt tres Perſonæ divinæ, & omnia Creata

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

& Creabilia; quò ad exiſtentiam maximè cognoſcibilis; ſed quò ad eſſentiam omni creaturæ incomprehenſibilis.

Poſtquam verò lumine naturali clarè agnoſcent unum tantùm eſſe Deum infinitum, æternum, omnipotentem, ſummè intelligentem, optimum, &c. jam illis myſterium Trinitatis aperire licebit. At quia ſolo lumine naturali comprehendi nequit; juvandus erit intellectus nonnullis rationibus congruis, ut faciliùs in obſequium fidei ſeſe captivet. Ac primò oſtendendum, quod id nullam implicet contradictionem; ideoque ſit poſſibile in Deo, *Theor.* 40. Ideoque ſit actu, cùm Deus ſit actus infinitus, in quo eſſe, & poſſe eſſe, idem ſunt, *Theor.* 3. Secundò dicendum, quod ex ſupradictis Eſſentia divina eſt quid ſimpliciſſimum, infinitè perfectum, atque fœcundiſſimum. Deus autem ſuam Eſſentiam hoc eſt ſeipſum contemplando, gignit in ſeipſo per hunc actum ſui intellectus filium ſuum, ſibi coæqualem & ſubſtantialem. Nec enim datur in Deo accidens, qualis eſt ſpecies intelligibilis in homine ſeipſum vel quid aliud contemplante. Neque gignit aliam ſubſtantiam à ſeipſo, ſed duntaxat alteram perſonam à ſeipſo, quæ cum Patre unus eſt, idemque Deus. Ex Patre autem & Filio procedit in ipſis mutuus & infinitus eorum Amor, per actionem voluntatis ipſorum, qui dicitur ipſorum Spiritus ſanctus. Et quia eſt in ipſis unica voluntas, quòd Pater & Filius ſolâ hypoſtaſi vel perſonâ differant; Ergo Spiritus ſanctus procedit à Patre & Filio, ut ab unico principio; eſtque etiam coæqualis & conſubſtantialis Patri Filioque, ac unus idemque Deus cum ipſis, quòd plures eſſe Deos impoſſibile ſit; ſed eſt adhuc altera perſona. Atque ſic Deus eſt unus eſſentiâ vel naturâ, ſed trinus Perſonis amore fruitivo unitis: unde hæc perſonarum Trinitas, in unitate ſimpliciſſima naturæ vel eſſentiæ, tantam complectitur perfectionem, ut nihil ipſi ſuperaddi queat.

Deinde explicandum eſt, quod omnia creata, ſanctiſſimo illius Trinitatis charactere ſint inſignita, ut ſingula ſui Authoris imaginem ferant. Omnes enim res corporeæ conſtant materiâ, formâ & utriuſque unione: ſpirituales verò eſſentiâ, exiſtentiâ & utriuſque nexu: Et in cunctis deprehenduntur eſſe, poſſe & agere: ſive natura, virtus activa, & utriuſque applicatio ad agendum. In Aſtrologia autem Trini aſpectus, ſignaque Zodiaci, & domus figuræ cœleſtis in Trino aſpectu conſtituta, præ cæteris omnibus aliis rebus corporeis, Trinitatem in unitate naturæ manifeſtant. Sed omnium maximè tres anguli unius Trianguli æquianguli, qui ſunt unica numero natura ipſius Trianguli; & tamen ſunt numero tres inter ſe diſtincti propriâ exiſtentiâ, ita ut unus non ſit alter; ſuntque omnes inter ſe maximè æquales, quorum uno dempto tota deſinit eſſe natura Trianguli. At in hominis anima ipſius Trinitatis character etiam excellentiſſimè figuratur. In ipſa enim de communi conſenſu reperiuntur tres potentiæ naturâ ſpirituales; ſcilicet memoria, intellectus & voluntas; quæ ſi fuerint ipſa animæ eſſentia ſive natura; patet character ex tribus diverſis potentiis in unitate naturæ: ſi verò dicantur effluere ab ipſius animæ eſſentia, quandoquidem fons & rivi effluentes ex illo fonte, non ſunt diverſæ, ſed unica natura; ſic iterum evidens erit character Trinitatis in unitate Naturæ. Quidni ergo in æterno, omnipotente & infinitè perfecto rerum omnium exemplari, erit Trinitas perſonarum in unitate naturæ? Equidem naturaliter impoſſibile eſt eandem numero naturam ſubſiſtere in tribus numero perſonis. At in omnipotente Deo, qui naturam ex nihilo creavit, quique eſt infinita perfectio, quis negare audeat eſſe aliquid, quod naturæ limites infinitè tranſcendat?

Tandem exponendum, quod cùm homo factus à Deo poſſit per intellectum devenire ad tantam ipſius Dei cognitionem, qualis ſuperiùs oſtenſa eſt; & infinita, ſed ſimpliciſſima illa perfectione raptus, ejus amore ac deſiderio per voluntatem flagrare; abſurdum eſſet opinari, quod ipſemet Deus ſeipſum infinitè perfectiùs non cognoſcat & amet: Cognoſcit autem ſeipſum, dum ſeipſum contemplatur, ac dum producit in ſeipſo ſuæ cognitionis terminum, qui eſt producentis imago; veluti dum noſter intellectus quidpiam concipit, producit in ſeipſo rei conceptæ ſpeciem. Illa autem imago ratione naturæ, idem eſt omninò cum ipſo producente: ſcilicet eadem ſimpliciſſima & indiviſibilis Natura divina; ſed in ratione termini eſt quid realiter diſtinctum à producente: verè enim hîc aliquid producitur, quod habet ſuum eſſe à producente, hic verò à nullo; & productum adæquat producentis omnipotentiam: Nec tamen ipſa natura producitur, quandoquidem eſſe ſupponitur, eaque unica numero *ex Theor.* 6. Cùm ergo producens & productum naturâ nullatenus diſtinguantur, oportet ut aliter inter ſe diſtinguantur: & quia productio fit ſecundum naturæ ſimilitudinem, imò identitatem; idcircò ipſa productio eſt vera generatio; & producens vocatur ac verè eſt Pater; productus verò dicitur ac verè eſt Filius, inter ſe perſonaliter, ideoque realiter diſtincti. Ex ambobus autem ut unico principio, una ſcilicet voluntate, procedit utriuſque mutuus & individuus amor; altera perſona quæ dicitur Spiritus ſanctus à Patre & Filio realiter diſtinctus. Ideoque Deus eſt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus; & hæ tres perſonæ ſunt unicus, idemque Deus.

Prædictis autem rationibus humano intellectu ad tanti myſterii fidem parato, ſi ſacræ Scripturæ teſtimonium accedat, quo probabitur Deum ipſum qui eſt ipſa veritas, myſterium illud revelaſſe hominibus, à quibus cognoſci, coli, & amari voluit, ut ipſorum ſummum bonum ac finis ultimus; nullum erit ingenium ſaltem rationabile, quod in tali revelatione quidquam abſurdi vel contradictorii deprehendere queat, proindeque denegandi aſſenſum fidei cauſam legitimam habeat.

Denique propalandum erit myſterium Incarnationis Filii Dei, quod eſt totius Religionis Chriſtianæ ſacramentum ſupremum. In quo tanta Dei bonitas, tanta ſapientia, tanta juſtitia, tanta miſericordia, tanta liberalitas, & tantus amor erga hominem deteguntur, ut in horum contemplatione mens hominis præ ſtupore & admiratione deficiat.

Primò autem Ethnicis vel Atheis exponendum eſt, quod homo eſt mediæ inter creaturas naturæ: ſi quidem aliæ ſunt tantùm corporeæ, ut Elementa, lapides Mineralia; homo autem ex duobus naturis extremis componitur, ſcilicet corporea & ſpirituali: Ac proinde cùm detur ſeorſim una extremarum naturarum, quippè corporea, nec non media; divi-

næ

næ Sapientiæ ac rerum creatarum ordini congruit, ut detur altera extrema, nempè merè ſpirirualis, quæ Angelica vocatur;Ac inter Ethnicos qui omnes ſerviunt Diabolo, & Magiæ ſunt dediti, vix ullus reperietur qui Dæmones eſſe neget, eoſque non fateatur eſſe naturæ ſuperioris humanâ:Sciunt autem Ethnici Dæmones eſſe naturæ malignæ atque peſſimæ, hominibus præſertim infeſtiſſimæ, ac intellectu & voluntate præditæ, non ſecus ac homo: Nec dici poteſt quod à Deo ſummè bono, creati ſunt cum tali malignitate naturæ; ſed potiùs dicendum quod omnes Angeli in perfecto naturæ ſuæ ſtatu conditi & ſuæ voluntatis libero arbitrio derelicti ad bonum & malum indifferentes, quamvis omnes à Deo ad bonum excitati, nihilominùs plurimi pravo libertatis uſu ex amore proprio ad malum ſe converterint; ſicque à Deo juſtè damnati, in malignitate, pœnis, miſeria, & deſperatione perſeverarint.

Quòd verò ad hominem ſpectat, confeſſi ſunt ipſi etiam Ethnici Philnſophi, miſerias quas in homine poſt ejus nativitatem animadvertebant, eſſe pœnas peccati in aliqua anteriore vita commiſſi. Illis quippè prodigioſum videbatur, cæterorum animantium atque entium naturalium ſtatum naturalem rectè ordinatum deprehendi, ac ſemper eundem; Hominis verò naturam ſublimiorem, intellectu, & voluntate præditam, ac rationis compotem,nec non reliquis animantibus dominantem,pro qua etiam præcipuè totus hic Mundus videtur eſſe factus; eſſe ad ſtuporem depravatam, moribus belluina deteriorem, in ſeipſam rapinis,litibus, cædibus, belliſque æſtuantem; Tum ignorantiæ, inconſtantiæ, ignaviæ, infamiæ, inopiæ, innumeriſque corporis & animi miſeriis paſſim obnoxiam. Quod certè in rerum ac univerſi ordine divinam Sapientiam aberraſſe teſtaretur, niſi hominem ex ſe etiam liberum ad virtutes & vitia, olim peccaſſe, indeque pœnas illas ſubiiſſe ſupponeretur. Peccavit igitur etiam homo in juſtitia originali initio ſuæ creationis conſtitutus: At fragilitate & ignorantiâ potiùs quàm malignitate peccavit; quippè tentatus atque ſeductus à Diabolo qui priùs ſola malignitate peccaverat, cumque diabolus, ex invidia tentavit atque ſeduxit; Divina revelatione præſciens, filium Dei naturam humanam ſibi hypoſtaticè uniturum, eamque ab omnibus Angelis adorandam fore, ut Libro ſecundo Astrologiæ Gallicæ exponetur, quæ fuit occaſio peccati ſuperbiæ diabolis, adorationem illam naturæ ſibi inferiori detrectantibus. Ideò autem primos generis humani parentes ad peccandum induxit diabolus, ut ipſis à Deo per peccatum averſis,tam hi quàm tota eorum poſteritas æterna damnatione ſicut ipſi plecterentur; ſicque irritum fieret decretum filii Dei aſſumendæ ſibique uniendæ naturæ humanæ.

At Deus cujus decretum eſt immutabile fatum,tantæ Dæmonis non ſolùm in hominem, ſed in filium Dei nequitiæ, congruum ab æterno deſtinaverat remedium; ſcilicet ipſammet incarnationem filii Dei: quâ non ſolùm humana natura penes immutabile decretum aſſumeretur, ſed inſuper ipſe homo à peccato & æterna morte redimeretur; Sicque diabolus omninò confunderetur. Ad redemptionem verò neceſſe erat ſatisfieri Divinæ Juſtitiæ ob hominis peccatum, imò ſatisfactione infinita ob culpam in Deum infinitum, quod tamen præſtare non poterat reus homo, nec ulla creatura. At filius Dei iterum à Patre genitus in tempore & factus homo ex Virgine Matre ſanctiſſima, utrumque potuit: quippè ſatisfacere pro homine, quia homo, & ſatisfacere infinitè, quia Deus & homo in eadem perſona. Itaque in filio Dei incarnato hoc eſt Christo, tanta lucet Dei patris bonitas ac liberalitas ſuum filium dando in Salvatorem ac Redemptorem humanæ naturæ per peccatum lapſæ: tanta filii Dei ſapientia in ſuæ incarnationis inventione ad Patri ſuo ſupremos in ordine creaturarum honores exhibendos, & humanum genus reparandum: tanta Spiritus ſancti charitas, & pietas in ipſo opere complendo ex amore infinito: tanta Dei miſericordia erga reos homines Diabolorum Tyrannidi ſubditos, & eorum retibus in damnationem æternam involutos, tantaque Juſtitia erga Deum offenſum; ut circa hæc attentè meditari non poſſit anima rationalis, quin ſanctiſſimæ Trinitatis amore accendetur,& de propria miſeria, ingratitudine, atque peccatis tota confundatur.

Porrò Christus degens in Terra & cum hominibus converſans,ferè per annos 30. Mundo ignotus, præterquàm chariſſimæ Virgini Matri ejuſque conjugi Joſeph; Patri ſuo ſummos honores exhibuit adorationis,ſervitutis & obedientiæ; quos ei in ordine divino nec debebat,nec cõferre poterat; Utpotè quatenus Deus Patri æqualis in omnibus; ſed quatenus homo Patre minor eique ſubditus: Anno autem ferè trigeſimo poſtquam baptiſatus fuit à Joanne, & audita vox Patris dicentis: *Hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi complacui*, ſeſe Mundo palam manifeſtavit,ſpecioſus ac majeſtuoſus formâ præ filiis hominum, ſapientiâ, virtutum omnium praxi,ſanctitate incomparabili,& miraculorum propria abſolutaque poteſtate in Elementa, morbos omnes, mortem ipſam, & ſpiritus malignos adeò clarus atque famoſus; ut turbæ quatuor & quinque millium virorum præter mulieres & pueros illum etiam per deſerta loca ſequerentur, ejus doctrinâ, miraculis, manſuetudine, benignitate, affabilitate & miſericordiâ ſuſpenſæ, ac ita raptæ, ut ne quidem de cibo potuque ſibi neceſſario cogitarent. Docebat autem homines ſe eſſe filium Dei, & Salvatorem promiſſum à Deo Patre per Prophetas ab initio Mundi; utque talis propria authoritate peccata remittebat, prædicans non niſi per fidem in ipſum homines ſalvari poſſe; quibus ipſe Charitate ſumma viam aperiebat ad vitam æternam per virtutes in illa fide, & peccata graviſſimè reprehendebat, præſertim verò Phariſæorum, Scribarum, Sacerdotum ac Pontificum populi Judaïci, quibus præcipuè promiſſus fuerat, quique etiam ipſum exſpectabant à temporibus Abrahæ: ſed natum ſeſe manifeſtantem, nec agnoſcere, nec recipere, nec in eum credere voluerunt: ſed è contrariò invidiâ, perfidiâ ac iniquitate ſumma mortem ejus conſpirarunt, nolentes ab eo de peccatis ſuis atque hypocriſi redargui, atque timentes ne Religionem ipſorum everteret, indeque ſuis dignitatibus ſpoliarentur. Itaque apud Pilatum, Cæſaris in Judæa Præſidem, Christum comprehenſum & tamquam latronem ligatum falsò accuſarunt,quod turbas ſeduceret & Cæſaris regnum affectaret: Et quamvis Pilatus illum innocentẽ proclamaret & dimittere vellet; tamen à Scribis, Phariſæis & Pontificibus fuit coactus vel metu, vel pecuniâ, vel utroque, illum

crudeliter flagellatum & ſpinis coronatum ad mortem crucis turpiſſimam & violentiſſimam condemnare; ex eo præcipuè quòd filium Dei ſe feciſſet, nam Matthæi cap. 26. Marci cap. 14. & Lucæ cap. 22. adjuratus à Summo Pontifice reſpondere, an eſſet Christus filius Dei benedictus reſpondit apertè ſe eſſe filium Dei, & apud Joannem cap. 11; dicens coram Judæis ad Martham, ego ſum reſurrectio & vita, &c. quæ ſoli Deo conveniunt, & dicens Marthæ *credis hoc?* reſpondit ipſa, *utique Domine, ego credidi quia tu es Chriſtus filius DEI vivi, qui in hunc Mundum veniſti.* Nec de hac fide fuit Christo reprehenſa; ſicut nec D. Thomas dum poſt reſurrectionem Christi vocauit ipſum Dominum & Deum ſuum, Joan. cap. 20: Atque hæc obiter dicta ſunto adverſus impios & excæcatos Arrianos qui Christi divinitatem negant. Eam verò mortem ad honorem patris & ſalutem noſtram clementiſſimus Jesus patientiſſimè pertulit, & in cruce primò inimicis ſuis pepercit, & pro ipſis Patrem rogavit: latroni in ejus dextera crucifixo & ipſum invocanti Paradiſum ipſo die promiſit. Ultimò autem ut teſtaretur ſe verè eſſe filium Dei, magna voce coram perfidis Judæis atque diverſarum Nationum Ethnicis ejus morti præſentibus ſit exclamavit. *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Et hæc dicens expiravit: Eodemque momento Terra tremuit, Calvariæ rupes ſupra quam fuit crucifixus cum ingenti fragore rupta eſt, atque diviſa inter cruces Christi & latronis impii, & adhuc fiſſura non ſine ſtupore videtur tribus lata pedibus; velum Templi medium inter ſanctuarium & ſancta ſanctorum ſciſſum eſt à ſummo uſque deorſum; in ſignum quod per Christi mortem via aperta erat credentibus ad Deum, vitamque æternam; multa corpora ſanctorum reſurrexerunt & apparuerunt multis, teſtantes ipſum eſſe Filium Dei, ac Meſſiam promiſſum tamdiu exſpectatum. Quibus maxima ex parte animadverſis à Centurione qui pro Pilato morti ejus adſtabat, quodque Sol ab hora meridiana per tres horas contra Naturæ ordinem totaliter fuiſſet obſcuratus, ſicque Cœlum & Terra Creatori & Domino ſuo compati eſſent deprehenſi; continere ſeſe non potuit quin exclamaret, *verè hic homo juſtus erat & filius DEI:* ſimiliterque cæteri adſtantes ad illud ſpectaculum & videntes quæ fiebant, timore perculſi ac pectora ſua percutientes illicò reverſi ſunt in Hieruſalem derelicta propè crucem Maria Matre Jesu cum diſcipulo Joanne quem ipſe vivus præ cæteris dilexerat, & aliquot Mulieribus ſanctis. Poſteà verò ſepultus eſt juxta locum ubi crucifixus fuerat, & ſepulchrum ejus (petentibus Judæis) traditum cuſtodiæ Militum, ſigilloque munitum ne à diſcipulis raperetur, & poſteà reſurrexiſſe diceretur; quòd Christus ipſe vivens ſe reſurrecturum promiſiſſet: ſed die tertia poſt mortem, oriente Sole cœleſti ex hemiſphærio ſubterraneo, ortus eſt Sol ſupercœleſtis ex ſepulchro, & propria virtute reſurrexit Christus, cum tanta gloria & majeſtate, ut *præ timore exterriti ſint cuſtodes & facti velut mortui.* Poſt reſurrectionem verò per dies 40. remanſit in Terra; Apoſtolos ſuos ſubinde viſitans, ut eos in ſuæ reſurrectionis Myſterio validiùs confirmaret, & conſolaretur abiturus in Cœlum, promittens illis intra paucos dies ſuum Spiritum ſanctum. Tandemque die 40. coram ſuis Apoſtolis atque diſcipulis ad Cœlum glorioſus propria virtute conſcendit, & nubes eum ſuſcepit ab oculis eorum. Tranſactis autem 10. diebus cùm eſſent omnes Apoſtoli ac Diſcipuli cum Maria Matre Jesu, & ſanctis aliquot Mulieribus in eodem loco congregati, perſeverantes in oratione, ac exſpectantes promiſſum Spiritum, factus eſt repentè de Cœlo ſonus tanquam advenientis Spiritus vehementis. Et Spiritus ipſe tertia Trinitatis Perſona ſuper ſingulos deſcendit in forma linguarum diſpertitarum, & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, ejuſque donis, ſapientiâ, intellectu, conſilio, fortitudine, ſcientia, pietate, atque timore; illiſque datum eſt loqui variis linguis & quælibet miracula operari, etiam reſurrectionem mortuorum: Et facti ſunt magnanimi ad Euangelium Christi prædicandum: Ideoque cœperunt ex tunc Jesum prædicare primò Judæis deinde Gentibus: annunciantes ipſum eſſe filium Dei, & hominum Redemptorem; nec ullam eſſe ſalutem hominibus niſi per fidem in illum & Baptiſma in Nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Ac pro tali Fide & Euangelio ſua corpora quibuſvis tormentis atque morti ad imitationem ſui Domini & Magiſtri lubentiſſimo animo, & amore magno expoſuerunt. Ubicumque verò prædicatum fuit Euangelium Christi, ibidem Idololatria profligata eſt, & Diaboli regnum everſum: imò Judæi qui ante Christi incarnationem ſubinde ad Idolorum cultum convertebantur, (quam ob ſolam cauſam à Deo puniebantur) nuſquam ab eo tempore huc uſque, hoc eſt, per annos ferè 1700. ad Idololatriam reverſi ſint, quod eſt valde notandum. Sed quia perfidiam ſuam confiteri hactenus noluerunt, ſcilicet ſe turpiſſimo crucis ſupplicio interfeciſſe filium Dei & Christum ipſis promiſſum quem etiam exſpectabant, adhucque negant ejus divinitatem ut ſe ſuoſque Patres ab opprobrio liberent: Idcirco ob Sacroſanctæ imò divinæ Perſonæ tam dirum Parricidium ab illis malignè perpetratum, ita excæcatum eſt cor eorũ, ut habentes ſacras Scripturas in quibus evidentiſſimè patet Christum adveniſſe, illas nec intelligãt, nec intelligere velint, ſed illum adhuc exſpectent Meſſiam, quem à tot ſæculis perfidè trucidarunt. Sicque ab eo tempore facti ſint reprobi, miſeri, ſervi cunctarum Nationum, & ab omnibus contempti, & odio habiti; qua etiam tam longa punitione ipſi planè ſunt attoniti, nec ejus cauſam aſſignare queunt, qui olim duntaxat ob Idololatriam bellis & annorum aliquot ſervitute caſtigabantur, ſed ad Deum converſi illicò liberabantur, ut populus ejus inter reliquas omnes nationes electus atque dilectus, ob Patriarchas atque Prophetas quos Deus ex ipſa natione elegerat; cùm tamen à morte Christi huc uſque videantur à Deo planè derelicti; ad ipſum clamantes, ſed non exauditi; quia in ſua perfidia obſtinati, ipſum non Deum, ſed impoſtorem fuiſſe credunt.

Eſt autem notatu digniſſimum & Judæis objiciendum, quod ſi Jesus non eſſet Messias Judæis promiſſus, ſed alius adhuc exſpectandus, certum eſt quod hunc tractarent omnino ut Jesus fuit olim ab illis tractatus; alioquin falſæ eſſent omnes eorum prophetiæ de vero Meſſia: Nunquid ergo rurſus negarent ſe occidiſſe Christum, vel Meſſiam, & adhuc alium exſpectarent? Cùm

igitur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

igitur in JESU CHRISTO omnes prophetiæ de Meſſia fuerint adimpletæ, cœcitas & obſtinatio maxima eſt negare illum eſſe Meſſiam.

Talia igitur de CHRISTO ejuſque vita & morte, reſurrectione & aſcenſione ſummatim Ethnicis narranda ſunt; ut prægustent ac videant quàm ſuavis eſt Dominus: nec prima fronte CHRISTUS crucifixus eſt illis prædicandus, & imago crucifixi oſtendenda: ne à Gentibus tantum myſterium pro ſtultitia habeatur, ut ait D. Paulus: Jam enim DEUS Euangelium per miracula non confirmat, ut Apoſtolorum tempore: ſed vult homines lumine naturali atque ratione, concurrere cum gratia præveniente ad cognitionem veritatis & ſanctitatis Chriſtianæ Religionis: quem in finem ordine ſupraposito procedendum eſt.

Tandem verò aperiendum illis erit Euchariſtiæ ſacramentum, quod eſt totius Religionis Chriſtianæ perfectio & complimentum, ſed captu difficilius. Atque dicendum quod CHRISTUS præſciens ſuam mortem quam etiam Apoſtolis ſuis ad unguem prædixerat; pridiè quàm moreretur, teſtamentum ſuum condere voluit; quod fuit & teſtamentum, & convivium. Convivium quidem, quatenus panem & vinum in proprium corpus & ſanguinem tranſmutavit, ſicque ſuis Apoſtolis & omnibus in eum credentibus ſe ſe amore ſummo comedendum & bibendum exhibuit, ut cum ipſo unum fierent præcepitque ut comederent & biberent: alioquin vitam æternam non haberent. Hocque convivium per manna in deſerto & Agnum Paſchalem præfiguratum, verbis apertiſſimis promiſit, *Joannis capite* 6. & verbis apertiſſimis adimplevit ex Euangeliſtis & D.Paulo. Nam poſtquam Dominus JESUS apud *Joan. cap.* 6. dixit. *Ego ſum panis vivus qui de Cælo deſcendi, ſi quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum: Et panis quem ego dabo caro mea eſt pro Mundi vita; litigabant Judæi ad invicem, dicentes quomodo hic poteſt nobis carnem ſuam dare ad manducandum*? Et vidit quidem JESUS quod loquebantur de reali ſuæ carnis manducatione: tantùmque abeſt ut eos à tali opinione avocaverit, ut è contra eoſdem redargueritquòd id firmiter non crederent; & juramentum minaſque addiderit dicens: *Amen amen dico vobis niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Et ſubjunxit, *Caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus, &c.* Multis autem ex ejus diſcipulis dicentibus; Durus eſt hic Sermo & quis poteſt eum audire? JESUS ſciens eos non capere quomodo ſuam carnem ſuumque ſanguinem daturus eſſet; ſed opinari quod caro CHRISTI comedenda eſſet ut caro mortua lanienæ fruſtatim diviſa; dixit eis, *Hoc vos ſcandalizat? ſi ergo videritis filium hominis aſcendentem ubi erat prius? ſpiritus eſt qui vivificat, caro non prodeſt quidquam.* Quæ divinæ ſapientiæ verba totam Catholicæ Fidei doctrinam continent, nec ab Hæreticis intelliguntur, qui tamen illa perperam ſuo more interpretata paſſim objiciunt Catholicis. Dicens enim, *ſi ergo videritis filium hominis aſcendentem ubi erat prius*, quid aliud voluit, quàm eorum admirationem augere in hoc, quod non ſolùm CHRISTI in Terra degentis caro eſſet comedenda; ſed etiam poſt ejus aſcenſionem in Cœlo; quandoquidem ſuperius dixit, *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in nobis.* Ad hoc autem neceſſe eſt, ut caro CHRISTI ſit ſimul tempore in Cœlo & in Terra, ſicque in pluribus locis; quæ eſt fides Catholicorum. Dum dixit, *Caro non prodeſt quicquam*, intellexit carnem ſuam ſpiritu deſtitutam, hoc eſt mortuam & in fruſta diſſectam, qualem Capharnaïtæ & diſcipuli comedendam concipiebant. Dum dixit *ſpiritus eſt qui vivificat*; intellexit animam ſuam ſive ſpiritum carni ſuæ unitum, quem moriens Patri ſuo commendavit. Ex quibus patet quod caro CHRISTI debet comedi viva; proindeque non pars à corpore ſeparata, ſed totum corpus vivum. Quæ eſt etiam fides Catholicorum. Atque hæc verba CHRISTI, ſpiritus & vita ſunt credentibus; à nobis non obſcurè, ſed clarè admodum explicata.

Ex ſupradictis patuit quod JESUS ſuam carnem comedendam, & ſuum ſanguinem bibendum promiſerit, ac comedi bibique juſſerit, & qualiter hoc ſit intelligendum. Jam æquè clarè videamus, quomodo adhuc in Terra degens, pridie quàm pateretur promiſſum ſuum adimpleverit, hujuſque ſacramenti figuras.

Pſalmo 109. *Juravit Dominus filio ſuo, Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*, qui in Geneſ. cap. 14. proferens panem & vinum benedixit Abrahæ coram DEO. Ieſus enim Sacerdos ſummuſque Pontifex noſter, ſua bonitate, potentiâ ac ſapientiâ infinita, voluit hoc juge ſacrificium atque ſacramentum abſcondere ſub ſpeciebus panis & vini ciborum homini maximè naturalium, ne aliter ab ejus eſu deterrerentur homines cujuſvis ſexus & ætatis; ſicque omnibus ſeſe accommodaret ſapientiſſime. Itaque pridie quàm pateretur, poſtquam legale Paſcha cum ſuis diſcipulis manducavit, illiſque dixit ex Luc. *cap.* 22. *Dico vobis quia ex hoc non manducabo, illud, donec impleatur in regno DEI*, & de vino ſimiliter *non bibam de genimine vitis donec regnum DEI veniat*. Poſt cœnam illam ex D. Luc. & D. Paulo ad Cor. 1. cap. 11. accepit panem & gratias agens fregit, deditque diſcipulis ſuis dicens, *Accipite & manducate, Hoc eſt enim corpus meum*: non quidem imaginarium aut figurativum, ut opinantur Calviniſtæ, ſed verum & reale. Ideoque ſubjunxit *quod pro vobis tradetur*: quod autem corpus CHRISTI pro nobis traditum, non fuerit verum ejus ac reale corpus, ſed imaginarium aut figurativum, hæreſis eſt ac dementia deteſtanda. Eademque eſt ratio de vino in ſanguinem CHRISTI verbo ejus converſo, dum dixit *Bibite, Hic eſt ſanguis meus qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Quo certè pacto à ſe promiſſis illo capite 6. Ioannis perfectiſſimè & adæquatè ſatisfecit. Hîcque patet quod totum CHRISTI corpus comedendum eſt, & non pars ejus: quandoquidem poſt fractionem panis dixit unicuique dum illum dedit, *hoc eſt corpus meum*: patet etiam quod ſuum dederit corpus vivum, dum dixit *quod pro vobis tradetur*; ac denique patet quod ejus corpus ſimul tempore fuerit in pluribus locis, dum de ſingulis partibus fracti panis dixit, *hoc eſt corpus meum*, ipſeque ſeorſim in ſuo corpore à ſingulis Apoſtolis videretur: omnia igitur hîc dicta perfectiſſimè quadrant cum dictis illo capite ſexto Ioannis. Dum verò dixit *hoc facite in meam commemorationem*; Apoſtolos ſuos eorumque ſucceſſores conſecravit,

fecitque Sacerdotes & Epiſcopos ad continuandum illud ſacramentum in memoriam ſuæ mortis, donec ipſe veniat; nimirum in ſua gloria & majeſtate, Mundum hunc judicaturus.

Jam verò Sectarii ſive Lutherani, ſive Calviniſtæ, vel eorum ſurculi à fide Catholica alieni, ſuperiora ſanctæ Scripturæ loca evidentiſſima, ſuis figmentis ac interpretationibus diverſis depravant & adulterant: nec ipſi etiam inter ſe de ulla interpretatione convenire queunt; ſed quot capita tot ferè ſenſus, quod eſt Hæreſeos maximè proprium. Atque hæc de tanto tamque divino convivio dicta ſufficiant.

Illud autem convivium fuit etiam Teſtamentum: quatenus ipſe Pater noſter mori noluit, quin unicuique ſuorum filiorum legatum ſeipſo dignum relinqueret; non aliud certè quàm ſeipſum in Euchariſtia ſacra, ut omnes in ipſo uniremur ipſeque viveret in nobis, dum autem in convivio ſeipſum dedit manducandum, & in Teſtamento ſeipſum legavit unicuique; effecit id quod nulli creaturæ poſſibile eſt; & eò uſque pertigit, quò uſque Deus pertingere poteſt: ultra enim non poteſt, nihilque ſibi fecit reliquum, dum ſeipſum dedit totum ac unicuique. Hæc autem Chriſtianæ Religionis myſteria, & Christi præcepta tantam redolent Sapientiam, Sanctitatem, Juſtitiam & Charitatem in Deum, & proximum; ut nullus ſit rationis compos, qui illa mente attenta inſpectans, Religionem ipſam recuſare valeat, cujus comparatione Religiones omnes cæteræ, ſunt aut perfidia, ut in Judæis; aut beſtialis ſpurcities, ut in Mahumetanis; aut Dæmonum cultus atque tyrannis, ut in Ethnicis; aut falſæ opiniones ut in Hæreticis; quos omnes Iesus Christus Dominus per Euangelium ſuum illuminare atque convertere dignetur: Amen.

Cæterùm quoniam apud Idololatras Indos, maximè verò apud ipſorum Antiſtites quos Brachmanes vocant, ſtultæ ſuæ ſapientiæ nimis confidentes, invaluit opinio peſſima ad avocandas hominum præſertim ignatorum mentes à Religione Chriſti; quæ etiam opinio viget apud Mahumetanos & plures quoque Schiſmaticos & Hæreticos Chriſtianos, *Poſſe hominem ſalvari in qualibet Religione, omnique religioſo cultu iri ad Cœlum:* falſa hæc opinio ſic erit deſtruenda.

Nam cùm ex ſuprapoſitis Theorematibus conſtet unicum eſſe Deum totius Mundi & hominis conditorem, Ergo debet eſſe unicus Dei cultus ſive Religio. Non enim vult Deus ſuos cultores dividi, ſed uniri, tum ſibi, tum inter ſe. Diviſio autem Religionum dividit homines diviſione ſumma, patetque omnes qui ſunt diverſæ Religionis odio ſe habere ubique terrarum; ſi non apertè ob politicam, ſaltem occultè. Iam verò divinus cultus ſeu vera Religio quâ ad æternam pervenitur beatitudinem, non eſt hominum inventum, nec Diaboli: Hic enim potiùs idololatriam, & hominum damnationem ſuggeret. Illi verò quia per peccatum primi Parentis & propria peccata, laborant ignorantiâ in intellectu, & malitiâ in voluntate, nequeunt per ſe viam æternæ vitæ invenire, & ſtatuere: Non ſinguli, quia quot capita tot ſenſus, ut palam eſt in Anglia: Nec omnes ſimul, quia ex ſe nunquam inter ſe convenirent. Neceſſe eſt igitur ut illa via ſive cultus verus à Deo ipſo reveletur atque tradatur, cujus eſt Mundi leges juxta voluntatem ſuam præſcribere, vel per ſe & immediatè, vel per Angelos ſuos: ſitque lex illa ſanctiſſima, Deo digna, & hominibus omnibus accommoda. Iam verò expendantur omnes Religiones diverſæ quæ ſunt in Mundo, & conferantur cum Catholica, cui ut Christi Vicarius præeſt Romanus Pontifex; ac certum eſt quod hæc ſola ſaltem in doctrina reperietur ſanctiſſima, Deo digna, perfecta, hominibus omnibus accommoda, atque expers omnis contradictionis & abſurditatis: Ergo ſola à Deo per Iesum Christum filium ſuum data, eſt vera Religio, quâ itur ad Cœlum: adimplens & perficiens priorem legem etiam à Deo traditam, ſcilicet Moſaicam.

Quoniam verò huic Religioni homines non dederunt eſſe, ſed Deus ſolus: Ergo ſolius Dei eſt illam per ſuum ſanctum Spiritum conſervare. Id enim ex ſe nequeunt homines qui ignorantiæ, malitiæ, fragilitati, inconſtantiæ, ſuperbiæ & tentationibus Mundi, carnis & Diaboli ſunt obnoxii: unde ſchiſmata hæreſeſque variæ à Christo huc uſque prodierunt, adhucque vigent & pullulant. Aut ergo deſiit vera Religio (quod Dei providentiæ & Christi verbis Math. 28. *Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus*, ideoque ſine intermiſſione *uſque ad conſummationem ſæculi* omnino adverſaretur) aut ipſa perdurat. Quæ autem ſit illa Religio; patet ex ſucceſſione à Christo per Apoſtolos & Pontifices maximos, tum ex miraculis, nec non unitate & puritate doctrinæ, quod alia non ſit quàm Catholica, quam ſucceſſione continua regit Romanus Pontifex. Ergo extra hanc non eſt ſalus; in hac enim nullus error in fide vel doctrina poteſt accidere, multò minùs quàm in lege Moſaica, de qua dixit Christus Math. cap. 23. *Super cathedram Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi, omnia ergo quæcunque dixerint vobis ſervate & facite, ſecundum verò opera eorum nolite facere, dicunt enim & non faciunt.* Ideoque ſicut nonobſtante Scribarum & Phariſeorum vitâ pravâ, Christus ad mortem uſque ſervavit legem Moſaicam à Deo datam; ſic non obſtantibus Eccleſiaſticorum Catholicorum moribus depravatis, Eccleſiæ Catholicæ à Christo inſtitutæ atque fundatæ, cujus caput viſibile eſt Romanus Pontifex, omninò adhærendum eſt. Et hoc confirmatur evidentiſſimè. Quia à Christo huc uſque, quot fuerunt Hæreſiarchæ & Hæreſes etiam potentiſſimæ? tamen hæ & illi fuerunt condemnati à Romano Pontifice, & perierunt, perdurante Romana Eccleſia. Nec alius finis expectandus à Lutheranis & Calviniſtis aliiſque Sectariis eorumque ſurculis, niſi Mundi hujus deſtructio brevi (ut opinor) acciderit: Ergo ſola Romana Eccleſia veram & ſalutiferam poſſidet Religionem. His adde quod non licet unicuique ſeſe propria voluntate ad prædicandum Euangelium exponere, ſed ad hoc miſſio à ſuperioribus requiritur ex D. Paulo ad Rom. cap. 10. Alioquin talis ſemper orietur confuſio prædicationis & contrarietas, qualis huc uſque deprehenſa eſt inter omnes Hæreticos. Jam verò Lutherus

therus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

therus & Calvinus Sciſmatici hujus ſeculi, & eorum paſſim luxuriantes ſurculi, quamnam & àquo habuere prædicandi miſſionem contra Romanæ Eccleſiæ doctrinam? An ordinariam quæ duntaxat à Papa & Epiſcopis derivatur? Id ſtultum eſſet aſſerere, nec probari poteſt. An extraordinariam quæ à ſolo Deo datur, & miraculis ſemper confirmatur, ut in Moyſe & Apoſtolis factum eſt? Probent ſuam talem miſſionem Sciſmatici, qui priores ſemper ſeſe ab Eccleſia Romana ſeparant, quandoquidem ipſe Christus qui ſe à Deo Patre miſſum eſſe dixit, ſuam miraculis maximis & plurimis probavit miſſionem. Hæc ſanè duo argumēta ultima ſunt eruntq; perpetuò Sciſmaticis omnibus indiſſolubilia: ſuntque prædicationis Euangelii fundamentalia, & non rabuliſmus, ut ajunt Sciſmatici. Ut proinde maxima ſit eorum cæcitas & pervicacia, quòd veram Eccleſiam non agnoſcant, ſoliſque duntaxat ſua ingenia paſci velint figmentis in falſa ſcripturarum explicatione: Quæ cæcitas eò cunctis evidentior eſt, quòd contra omnem rationis & doctrinæ ordinem, ſcripturæ loca clariſſima reſpuant, & obſcurioribus quæ nec ipſi intelligunt ſeſe protegant, aut clariſſima per obſcuriora ſuo modo explicare contendant; Judæis hac in parte tum cæcitate tum pervicacia ſimillimi; quòd Judæi eaſdem etiam nobiſcum ſcripturas habeant, ſed ipſas peſſimè explicent. Unde patet quàm verè dixerit Christus Joan. cap. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum*; Quippe per ſancti ſui Spiritus gratiam illuminantem. Quod ut citò faciat, neque hîc oblatam gratiam Judæi ac Sciſmatici diutiùs reſpuant, ſed attenta mente ſpectent, devotè precatur is, qui anagrammaticè Mira Sapiens, uni Bono stat.

EPILOGUS.

Ex hoc igitur libello diſcant Athæi ſuum rerumque omnium Authorem Deum agnoſcere & venerari. Diſcant Ethnici unicum eſſe Deum, & hunc à Diis falſis quippe Idolis, aut corporibus naturalibus, aut Dæmonibus, aut mente duntaxat effectis Numinibus diſtinguere. Diſcant Mahumetani & Judæi Deum eſſe unum Naturâ, & Trinum perſonis, Christum autem eſſe verum Dei filium, verumque Deum ac hominem in unica Perſona divina: Ac ipſum eſſe ſua morte hominem redemptorem; ideoque jure optimo ſupremum Legiſlatorem ac Judicem. Nec Judæi perfidiâ ſua excæcati Christo negent quæ hominis ſunt, quòd Deus eſſe dicatur, nec quæ Dei ſunt, quòd homo eſſe dicatur; confundentes naturas eadem perſonâ unitas, earumque proprias actiones. Tandemque noſtri temporis Sciſmatici præſertim Calviniſtę, diſcant Naturæ legibus Christum minimè ſubjicere: quod faciunt dum tranſubſtantiationem panis in ſuum verum corpus, hujuſque corporis poſitionem in Cœlo & Terra, Terræque pluribus ſimul tempore locis, & pleraque alia, ipſi impoſſibilia eſſe profitentur, quòd hæc Naturæ ſint impoſſibilia; ſic Christum mendacem ac impotentem facientes, proindeque colentes non verum Christum, qui talis non eſt; ſed excæcatæ ſuæ mentis idolum, quod nullibi eſt.

FINIS LIBRI PRIMI.

ASTRO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ASTROLOGIÆ GALLICÆ

LIBER SECVNDVS.

De Creatione & creatis in univerſum.

PRÆFATIO.

Poſtquam Libro primo evidenter probatum eſt Unum eſſe DEUM, *æternum, & perfectionibus infinitum; Hujuſce Mundi Creatorem, Gubernatorem, & finem ultimum: Jam ſequitur ut hoc ſecundo Libro, De creatione & creatis in univerſum diſſeramus. Pro creationis autem hiſtoria, ſequamur ad Litteram ſacræ Scripturæ textum cum explicatione congrua; multaque ſcitu digniſſima inquirentur atque reſolventur, de toto Mundo ejuſque partibus, nempe Cœlis, Planetis & Homine, cujus præſertim natura accuratè inveſtigabitur, veriſſimaque doctrina definietur. Hæc enim omnia ad Aſtrologiam fundamentaliter ſtabiliendam ſunt neceſſaria. Tandem verò de hujus Mundi fine, probabiliores conjecturas apponemus: Atque in his omnibus quid proprio Marte præſtiterimus, dignoſcetur.*

CAPUT I.

Cur Deus Mundum hunc creaverit.

QUod Mundus hic à DEO creatus ſit in Temporis initio, demonſtratum eſt Theoremate 35. Libri primi. Cur verò ipſum creaverit, inquirere forſan pleriſque videbitur temerarium. Nam quia Ens infinitum ſive DEUS, producit finitum, hoç eſt creaturam, ſimplici volnntatis actu *Theor.* 29. *Lib.* 1. Igitur quærere cur DEUS Mundum creaverit, eſt quærere cur illum creare voluerit; atque ſi Divinæ voluntatis rationem inveſtigare, quod nimis arduum atque nefas eſſe videtur.

Cùm autem dubitari nequeat, DEUM nec fortuitò, nec inconſideratè; proindeque nec ſine aliqua ſublimi ratione, Mundum iſtum quo non indigebat creaſſe: certum eſt ſimiliter, quod ſi humanus intellectus ad eam uſque rationem ſaltem maximè probabilem DEOQUE dignam pertingere potuerit; non ſolùm ipſam admirabitur, ſed magna etiam ex ipſa deducet. Id igitur jam humiliter ac modeſtè ad majorem DEI gloriam nobis conandum eſt ut ſequitur; invocata ſancti Spiritus inſpiratione.

Proverbiorum cap. 16. dicitur: quod *omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*; & hoc quidem verum eſt, ſed à paucis intellectum. Non enim verborum ipſorum ſolus vel præcipuus ſenſus eſt, quod DEUS infinita ſua bonitate creaturas extra ſe producere voluerit, ut iis ſuam communicaret entitatem, bonitatem & cognitionem; eaſque emiſſas ad ſe reduceret per amorem, tanquam earum finis ultimus, ſicut eſt primum principium; indeque à ſuis creaturis & in ipſo glorificaretur, ut communiter cenſetnr ab omnibus. Quid enim hæc ad DEUM, qui ſeipſo eſt ſummum ac infinitum bonum, cui nihil accedere poteſt, nec creaturis ab æterno indiguit, vel jam indiget? Alia igitur ſublimiori ratione DEUM omnia propter ſemetipſum fuiſſe operatum videtur aſſerendum. Nulla autem ſublimior deoque dignior nobis occurrit iſta ſequente.

Perſonæ Divinæ ſola hypoſtaſi inter ſe differentes: Alioquin verò prorſus æquales, & ſingulæ ac omnes ſimul Unus idemque DEUS, ſeſe ab æterno ſummis honoribus proſequebantur; non tamen omnibus poſſibilibus honoribus, ut adoratione, ſacrificiis, & ſimilibus, quæ tamen Divinæ Majeſtati, ipſique ſoli conveniunt: Id ſcilicet non permittente Perſonarum æqualitate ac independentia in natura Divina. At Filius DEI cùm eſſet prima omnium emanatio à primo principio; decrevit ab æterno citra obligationem ullam, ſed amore infinito ipſi primo principio ſive Patri ſuo honores cunctos poſſibiles deferre, etiam adorationis, ſacrificii & alios; non qualeſcumque, ſed DEO ipſo dignos ac infinitos; nec non ad ejus gloriam Virtutes omnes poſſibiles humilitatis, obedientiæ, patientiæ, miſericordiæ infinita perfectione exercere, ejuſque divitias immenſas ſiç probare. Quod cùm in Divinitatis ſtatu præſtare non poſſet, ob cauſam ſuperiùs dictam; idcircò decrevit ad creaturarum ordinem atque ſtatum deſcendere; ſibique perſonaliter unire, vel aſſumere aliquam naturam creatam DEI cognitionis, & amoris capacem, hoç eſt intellectu & voluntate præditam; per quam illud adimpleret. Atque hæc mihi videtur fuiiſe omnium prima ratio cur DEUS Mundum creare voluerit. Volens enim creatam naturam aſſumere, ideoque extra ſe agere; non ſe continuit Divina bonitas in illius tantùm naturæ creatione: ſed ſeſe diffundere voluit in varia naturarum genera ac ſpecies, per quas explicaret divitias DEI, & ſingulas diſponere ac in ordinem redigere, qui Mundum hunc conſtituit. Creavit igitur Cœlum & Terram, cæteraque corpora ſimplicia, ipſius Mundi partes integrantes, ac in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ipſis etiam creavit naturarum merè ſpiritualem, intellectu & voluntate præditam, ſcilicet Angelicam, variis hierarchiis diſtinctam; tum naturam mixtam merè corpoream variis generibus & ſpeciebus mineralium, vegetabilium atque brutorum refertam: ac ultimò naturam inter Angelos & bruta mediam, ſpecie unicam, ſcilicet humanam, intellectu & voluntate dotatam; quam aſſumere decreverat, quæque Microcoſmus appellatur, cujus gratiâ ipſe Macrocoſmus videtur eſſe factus, ut hæc infra fuſiùs exponentur.

Placuit autem decretum toti Trinitati cujus eſt unica voluntas, ſed hoc à Filio perſonaliter adimpleri congruentius erat, quàm à Spiritu ſancto, quippè quòd Filius ſit primogenitus, ſive prima in Divinis emanatio à primo dumtaxat principio ſive Patre: Spiritus verò ſanctus ſit ſecunda emanatio, à Patre & Filio ſimul. Adde quod honores deferendi à Filio, uni tantùm perſonæ congruebant, ſcilicet Patri. Ideoque in Euangeliis Chriſtus non ait ſe honorare Spiritum ſanctum; ſed Patrem ſuum, at honores à Spiritu ſancto deferendi duabus perſonis conveniſſent, ſcilicet Patri & Filio, à quibus ipſe procedit. In Divinis autem, ordo atque ſimplicitas obſervantur, quantùm fieri poteſt. Quod verò ad Patrem attinet, qui nec à Filio, nec à Spiritu ſancto emanat, ſed è converſo, non erat congruum ut ſe infra illos demitteret, vel eos adoraret. Atque hinc præcipuè deſumenda mihi videtur ratio, cur DEUS Exodi cap. 13. omnem maſculum primogenitum in Filiis Iſraël ſibi conſecrari voluerit, atque Majeſtatis ſuæ ſervitium deputari, in honorem primogenituræ ac ſubmiſſionis Filii ſui, quam ipſe Filius iterum primogenitus inter homines factus confirmavit, dum quadrageſima poſt natalem die ad Templum deferri, & Patri ſuo conſecrari voluit.

Adverſus doctrinam iſtam objicietur Filium DEI factum fuiſſe hominem, ut homines ab æterna morte redimeret: Idque probari ipſius Chriſti verbis, Joan. cap. 3. *Sic DEUS dilexit Mundum, ut Filium ſuum Unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Tum ex Symbolo D. Anaſtaſii: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cælis.* Tum ex communi ſententia Theologorum, & publica fide totius Eccleſiæ. Ideoque Filium DEI non fuiſſe factum hominem ob rationem à nobis ſuperiùs aſſignatam. Sique homo non peccaſſet, Filius DEI non fuiſſet incarnatus. Ex D. Thoma, Parte 3. quæſt. 1. art. 3. & D. D. Auguſtino ſerm. 9. de verbis Apoſt.

Sed Reſpondeo, ambas rationes non eſſe invicem incompatibiles; ſed maximè compatibiles. Superiorem verò à nobis aſſignatam præceſſiſſe in DEI decreto: ita ut quamvis homo non peccaſſet, tamen Filius DEI incarnatus fuiſſet, ad honores omnes poſſibiles Patri ſuo deferendos. Hocque decretum Angelis creatis revelatum, plurimis diſplicuiſſe; videntibus in illa unione hypoſtatica humanæ naturæ cum perſona Divina, naturam humanam extolli ſupra Angelicam, & hanc illi ſubjici, ac etiam debere Divinos honores: Cui Divinæ voluntati ex invidia atque ſuperbia plurimi ſeſe opponentes, Diaboli facti ſunt, & in æternum damnati. Cùm autem his permiſſum eſſet de rebellione in DEUM tentare homines, ad majorem horum gloriam; factis primis parentibus Adamo & Eva; hanc Diabolus ſeducendam aggreſſus eſt, ut per eam deinde Adamum ſeduceret: ſicque ambo peccarent, & cum tota ſua poſteritate ob peccatum damnarentur, non ſecus ac Diaboli, & conſequenter decretum Filii DEI de aſſumenda humana natura everteretur. Et quidem Adam & Eva peccaverunt, & rei facti ſunt damnationis æternæ: totaque eorum poſteritas per illud peccatum excluſa eſt ab æterna beatitudine; nec propterea ex toto voti compos factus eſt Diabolus; qui in ipſo homine bellum gerebat adverſus Filium DEI: Hic enim Patris ſapientia infinita, non ſolùm ab æterno Diaboli nequitiam præviderat, ſed miſericorditèr congruentiſſimum remedium excogitaverit: Nimirum quod non obſtante Adami totiuſque poſteritatis ſuæ peccato, nihilominus naturam humanam etiam ab Adamo derivatam in ſtatu puriſſimo aſſumeret ex puriſſima Virgine: Et pro Adamo totaque ejus poſteritate Divinæ Juſtitiæ propria morte ſatisfaceret, ſe DEO Patri in victimam expiationis offerens: ſicque ſimul & ſemel Patri honores intentos redderet, homines redimeret, & Diabolum victor confunderet. Placuit autem Patri totale decretum; nam eadem eſt voluntatis Filii atque Patris; qui idcirco dicitur, Joan. cap. 3. Filium ſuum unigenitum dediſſe mundo, ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed vitam habeat æternam; quippe quòd ſit ipſius Patris dare vel mittere ſuum Filium: & in Epiſt. ad Rom. cap. 8. dicitur Pater proprio Filio non peperciſſe, ſed pro nobis omnibus illum tradidiſſe, & in Evangeliis paſſim dicit CHRISTUS, *ſe à DEO Patre miſſum fuiſſe*: & Eſaiæ cap. 53. *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus & propter ſcelera noſtra.* Ac proinde veriſſimum eſt, quod Filius DEI *propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcenderit de Cælis & incarnatus ſit ex Maria Virgine*, ſed veriſſimum eſt etiam quod incarnatus ſit, vel Naturam humanam aſſumpſerit, primariò ob rationem à nobis ſuperiùs aſſignatam, hoc eſt ut quatenus prima Patris emanatio, ipſe ſuo & omnium primo principio, poſſibiles omnes honores exhiberet; hæc enim ratio, eſt DEO Patre ac ejus Filio primogenito digniſſima, & intellectuali creaturæ ſcitu utiliſſima, ut norit quantùm DEO Patri ſe ſubmittere debeat cui proprius Filius tantùm ſe ſubmittere voluit: ſed præſertim homini, ut norit quantùm debeat ipſi Filio DEI, qui non ſolùm homo fieri, ſed propria morte homines à morte æterna redimere voluit. Superiùs autem expoſita ratio primaria incarnationis Filii DEI adeò clara eſt in Euangeliis ipſo loquente Filio, ut de illa dubitare non liceat. Nam paſſim ait, ſe miſſum fuiſſe à Patre, at præſertim Joan. cap. 6. ut doceret homines, ſcilicet myſteria & perfectiones DEI, necnon viam ſalutis æternæ, cap. 7. ait: *Qui quærit gloriam ejus qui miſit eum, hic verax eſt.* cap. 8. *Ego honorifico Patrem meum, & vos inhonoraſtis me.* cap. 13. *Qui miſit me Pater, ipſe mandatum dedit mihi quid dicam & quid loquar; quæ ergo Ego loquor, ſicut dixit mihi Pater ſic loquor.* cap. 14. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam ut glorificetur Pater in Filio.* cap. 17. Patrem alloquens ait: *Ego te clarificavi ſuper terram, opus conſummavi quod dediſti mihi ut faciam.* & Luc. cap. 2. dixit Matri ſuæ: *Neſciebatis quia in his quæ Patris mei ſunt oportet me eſſe.*

CAPUT

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Caput II.

An plures ſint, fuerint, vel futuri ſint, vel eſſe poſsint Mundi. Et cur DEUS hunc citiùs non creaverit.

QUinque hoc Capite proponuntur quæſtiones, quarum tres priores facillimè ſolvuntur ex Capite primo; quoniam enim hunc Mundum à Deo creatum fuiſſe demonſtratum eſt Lib. 1. Et primaria ratio creationis ejus non fuit alia, quàm ut Dei Filius ſuo Patri omnium primo principio, poſſibiles omnes deferret honores, naturam creatam ſibi hunc in finem hypoſtaticè uniendo: Igitur cùm in hujus Mundi creatione ipſe Dei Filius voti ſui compos pleniſſimè factus ſit, in omnem etiam æternitatem, quandoquidem in æternum erit Deus & homo, nec non Patris ſummus Sacerdos ſecundum Ordinē Melchiſedech, ut ipſi Hoſtiam ſempiternam jugeque ſacrificium ſeſe offerat: Patet evidenter, quod ad ad hoc pluribus non ſit opus Mundis nec ſucceſſive præteritis, nec ſimul exiſtentibus, nec ſucceſſivè futuris: cùm hic ſolus Dei inſtituto ſufficiat. Ergo nec plures ſunt, nec plures fuerunt, nec plures futuri ſunt Mundi; plures enim eſſent ipſi Deo ſuperflui, qui omnia propter ſemetipſum operatur, nec propter ſe quid majus operari poteſt quam ut Deus à Deo adoretur, & ſacrificium ſeipſo dignum recipiat. Hoc enim primarium fuit Divini Conſilii decretum, non enim fecit Deus hominem ut peccaret, eumque poſtea redimeret; ſed enim fecit ut non peccaret, nullaque redemptione indigeret.

Quod verò ad quartam quæſtionem attinet, vana eſt Ariſtotelis ratio, qua conatur probare plures eſſe non poſſe Mundos: nempe nullum corpus eſſe poſſe extra ultimum Cœlum, quia Cœlum ipſum includit omne corpus, quod Natura effecit, ſive ſimplex, ſive mixtum. Nam primò Natura non effecit corpora hujus Mundi ſimplicia, ſed ipſa Corpora & ipſa Natura per creationem facta ſunt à Deo, qui idcirco Naturæ dicitur author, quam creationem Ariſtoteles concipere non potuit, proindeque nec Omnipotentiam Dei qui nullo indiget præjacente ſubjecto ut quidquid vult efficiat, contra ipſius Ariſtotelis ſolemne principium naturale, *nihil fieri poſſe ex nihilo*: Etſi enim hoc Naturæ ſit impoſſibile, non tamen inde ſequitur id eſſe impoſſibile Deo, cujus virtus infinitè ſuperat virtutem Naturæ, quam ipſe ex nihilo creavit. Secundò igitur, quoniam Deus eſt Omnipotens, ergo id omne poteſt quod nullam implicat contradictionem: at plures eſſe Mundos, vel huic omnino ſimiles, vel diſſimiles, & alios aliis excellentiores, nullam implicat contradictionem, cùm ad hoc nullâ Deus indigeat materiâ; ſed ex nihilo creare poſſit quidquid ipſe voluerit, quandoquidem tantùm vult, & fiunt quæcunque vult; ergo plures poſſunt eſſe Mundi alii aliis excellentiores; idque tam ſimul tempore quàm ſucceſſivè: hic enim Mundus quantumvis excellens ſit, tamen finitæ eſt excellentiæ, qua major ab Omnipotente Deo fieri poteſt. Nec de hoc ulla eſt dubitandi ratio.

At circa quæſtionem quintam major apparet difficultas: Cum enim à creatione Mundi huc uſque numerentur dumtaxat anni circiter 5616, certum eſt numerari potuiſſe annos pluſquam 100000. ſi Deus voluiſſet. Inde verò naſcitur occaſio quærendi, cur Deus hunc Mundum citiùs non creaverit.

Sed Reſpondeo: Citiùs conſiderari poſſe reſpectu Dei, vel Creaturarum. Reſpectu Dei nullum datur citiùs aut tardiùs; alioquin ejus duratio quæ eſt ipſa æternitas eſſet ſucceſſiva; haberetque præſens præteritum & futurum, ut hæreticè dixit Petrus Gaſſendus in ſua Philoſophia Epicurea, pag. 625; ideoque eſſet imperfecta, cùm tamen æternitas ſit tota ſimul, conſiſtens in nunc ſempiterno. Similiterque reſpectu Creaturarum nullum fuit citiùs ante Mundi creationem, quia ſcilicet tunc nec erant Creaturæ, nec erat tempus; quod quia ſucceſſivum eſt, admittit citiùs & tardiùs. Ex quibus ſequitur Deum propriè loquendo non potuiſſe Mundum creare citiùs quàm ipſum creavit, quia nullum fuit citiùs ante Mundi Creationem. Nihilominus tamen potuit ipſum actualiter creare, priuſquam ipſum actualiter creaverit; quoniam Deus prior eſt ipſo Mundo, & æternitas prior tempore in qua etiam aliqua concipi poteſt prioritas ex cap. 17. D. Joan. ubi Christus ait: *Nunc clarifica me tu Pater apud temetipſum claritate quam habui priuſquam Mundus fieret, apud te*; æterna ſcilicet prioritate.

Itaque dicendum videtur quod non ſecus ac Deus, omnia continet eminenter, ſic ejus duratio quæ eſt æternitas, omnes alias durationes eminenter continet. Utque ſecundum noſtrum concipiendi modum aliqua in Deo priora concipimus, alia verò poſteriora; verbi gratiâ, quod priùs velit aliquid eſſe futurum, quàm ſciat illud eſſe futurum: (quandoquidem futurum tale eſt formaliter à voluntate Dei, & non ab ejus ſcientia quæ ſupponit voluntatis actum, quamvis à parte rei voluntas & ſcientia Dei ſint unum & idem) ita in Dei æternitate quæ eſt indiviſibilis duratio, cùm ſit ipſemet Deus, à nobis concipi queunt plura inſtantia, non quidem re ſed dumtaxat ratione, alia aliis priora in infinitum; atque dici, quod Deus hunc Mundum creare potuerit in quolibet ipſorum, priuſquam de facto illum creaverit: Creavit autem in illo inſtanti in quo ſuæ voluntatis actu ipſum creare decrevit, & & hoc ſuppoſito decreto, Mundum in priore, vel poſteriore ſecundum quid æternitatis inſtanti à nobis cogitabili creare non potuit, quia Deus eſt immutabilis.

Caput III.

Quot anni fluxerint à Creatione Mundi ad Naturam Chriſti: indeque ad hunc Annum 1648. juxta numerandi rationem in Eccleſia uſitatam.

QUamvis Mundum hunc ab æterno eſſe non potuiſſe, ſufficienter demonſtratum ſit Lib. 1. Idem tamen ſic aliter demonſtrari poteſt. Quoniam Sol eſt in ſingulis Eclypticæ punctis ſimul tempore, ſupponatur illum fuiſſe ab æterno

in

in Arietis principio. Ergo non fuit ab æterno in Arietis gradu. Secundò: Cúmque uno die tranſacto pervenit ad ſecundum Arietis gradum, tunc veriſſimum fuit aſſerere Mundum exiſtere ab uno tantùm die, ergo falſum dicere illum fuiſſe ab æterno, quod eſt contra hypotheſin. Si quis autem dixerit Mundum fuiſſe poſſibilem ab æterno, & poſito poſſibili in actu, nullum ſequi abſurdum; ideoque Mundum exiſtere potuiſſe ab æterno: hæc ratiocinatio manifeſtæ falſitatis convincitur ex eo, quòd primi mobilis circulatio milleſima, fuit ab æterno poſſibilis; nec tamen actu potuit eſſe ab æterno, quia non potuit eſſe actu milleſima circulatio, quin præceſſerint 999: adde quòd Mundus fuiſſet ſimul actu & poteſtate, quod fieri nequit.

Cæterùm de numero annorum à Mundi creatione hactenus effluxorum, maximæ ſunt controverſiæ apud veteres & neotericos Chronologos atque Theologos; quæ hîc diſcutere non eſt noſtri inſtituti. Nobis igitur ſufficit compendioſè exponere, quod ſecundum Orientales Eccleſias Græcas à Mundo condito ad Natalem CHRISTI, numerandi ſunt 5508. anni. Juxta Occidentales Eccleſias Latinas 5199. Penes Judæos ac Rabinos 3761. At ſecundum hiſtoricam Veritatem & præſtantiores Chronologos, Origanus Prima parte Introduct. cap. 1. vult nec plures, nec pauciores annos numerari quam 3949. Galliſardus autem in ſua brevi Chronographia ponit annos penes Hebræos atque Bedam 3964. à creatione Mundi ad Nativitatem CHRISTI: ſed Longomontanus Lib. 1. Theor. cap. 3. ponit annos 3966. Kepplerus verò in Tabulis Rudolphinis cap. 33. numerat annos 3993. quamvis ex motu Apogæi Solis ab illo aſſumpti tantùm numerandi ſint 3968. Ut infra patebit, ſiquidem hi Aſtronomi parum inter ſe ab hiſtorica Veritate diſſentientes ſuos numeros deducunt à motu Apogæi Solis, quod juxta Aſtronomiæ reformationem à Tychone Brahæo factam, ſingulis annis promovetur uno minuto, & circiter duobus ſecundis ſub Ecliptica. Nam rationi maximè conſentaneum arbitrantur Aſtronomi, & Divinæ Sapientiæ arbitror Ego congruentiſſimum ob cauſas dicendas in fine capitis 4: quod Apogæum Solis initio Mundi fuerit à DEO poſitum in interſectione circulorum Æquatoris & Eclipticæ, hoc eſt in Medio Cœli, cujus extrema ſunt Eclipticæ vel Æquatoris Poli: Ipſa enim interſectio ad utroſque Polos refertur: Ex quâ ſuppoſitione ſequitur, quod ipſum Apogæum fuerit in Arietis principio: Alioquin ſi fuiſſet in principio Libræ, à creatione Mundi ad CHRISTUM natum, numerarentur juxta Motum Apogæi Solis 14420. anni. Nam ex tabulis Rudolphinis Apogæum ipſum naſcente CHRISTO, fuit in 8. gradu 20′. 44″. Geminorum: At 14420. anni nimiùm exorbitant ab omnium Chronologorum calculis, & ſacris Scripturis: fuit igitur Apogæum Solis initio Mundi in Arietis principio. Ideoque ſi 2. ſigna 8. gradus 20′. 44″. hoc eſt 246044″, quæ peragravit Apogæum ipſum à Mundo condito ad natum CHRISTUM dividantur per 62″. motum annuum ipſius Apogæi ex obſervationibus Tychonis, conſurgunt 3968. anni à Mundi creatione ad Natalem CHRISTI, hoc eſt anni ferè 4000. uſque ad Paſſionem CHRISTI, & prædicationem Euangelii. Qui calculus cum maximè conſentiat hiſtoricæ Veritati & ſacris Scripturis, certum eſt reliquos eſſe rejiciendos, atque ſtandum eſſe huic conſenſui Aſtronomiæ, hiſtoriæ, & ſacrarum Scripturarum, quamvis de vero anno dubitetur.

De Annis autem à CHRISTI Nativitate numerandis, major adhuc & acrior eſt controverſia inter Chronologos, ut videre licet apud Keplerum in ſuo Libro de anno Natali CHRISTI, & in ſuis Eclogis Chronicis, & res eſt intricatiſſima, multâ lectione, doctrinâ & conjecturali prudentiâ indigens, ut quid hac in parte pro certo tenendum ſit, concludatur. Quamobrem curam hanc quæ plures hac in re Viros doctos jam torſit, aliis relinquentes, duo hîc tantùm notabimus. Primum: Quod cùm circa CHRISTI tempora plures numerandorum annorum rationes ſibi ſucceſſiſſent in Judæa, Paleſtina, totaque Syria, propter bella & regnorum mutationes: Tandemque Herodes Idumæus cognominatus Aſcalonita; Regnum Judææ impetraſſet ab Auguſto; ſicque Sceptrum de Juda ablatum fuiſſet, numerari cœptum eſt in Judæa ab annis Regni Herodis ipſius; ſub cujus Imperio naſcente CHRISTO, hujus beatiſſima Mater & Virgo, aut non notavit quo anno ipſius Imperii natus eſt JESUS, aut id Euangeliſtis indicandum non putavit eſſe neceſſarium; ſed duntaxat annum CHRISTI quo baptiſatus eſt, palàm in Mundo loqui ſeque manifeſtare cœpit, nimirum anno à Nativitate quaſi 30; præſagium veriſſimum, annos deinceps numerandos fore à Nativitate ipſius CHRISTI, exemplo Mariæ, ut fit adhuc hodie, fietque ad finem Mundi.

Secundum quod Julius Cæſar anno 4. ſui Conſulatus, anno ab Urbe condita 709, anno Olympiadis 732, operâ Soſigenis Mathematici Alexandrini, annum emendavit, ad Solis revolutionem accomodavit, & eum 365 dierum, 6 horarum conſtituit: Ejus verò ſucceſſor Auguſtus Cæſar Monarchiam per annos 57. tenuit. CHRISTUS autem ab aliis dicitur natus anno 42. Imperii Cæſaris: ab aliis anno 43: ab aliis 44. à Keplero autem anno 40: ut proinde Keplerus in Eclogis ſuis Chronicis pag. 112. ponat annum 47. Julianum, ſive emendationis Julianæ eſſe Primum annum ætatis CHRISTI juxta Dioniſium; Secundum penes uſitatam in Eccleſia numerationem: Tertium penes Guntingum: Quartum penes Scaligerum & Patres: Quintum juxta Dekerium & Suſlygam: Sextum verò penes Keplerum ipſum, qui opinionem ſuam mordicus defendit: & anno juxta Æram uſitatam 1611. numerat annum 1616. hoc eſt anno iſto 1648. annum 1653. qua de re adhuc ſub Judice lis eſt, vix à quoquā dirimenda; quamvis doctiores Chronologi conveniant CHRISTUM natum eſſe ante æram uſitatam; qua de re videatur Præfatio noſtra in reſponſionibus ad objectiones Theologorū.

Si igitur à Mundo condito ad CHRISTUM fluxerint anni Juliani 3968. & à CHRISTO huc uſque anni 1648. erunt à Mundo condito huc uſque anni 5616.

CAPUT IV.

Quo anni tempore Mundus creatus fuerit.

HAc de re fuit adhucque viget magna contentio. Julius enim Firmicus lib. 3. cap. 1. & Macrobius lib. 1. in ſomnium Scipionis ſecuti Æſculapium

lapium & Arabes, arbitrantur in genitura Mundi, Solem orientem fuiſſe in 15 gradu Leonis, Lunam in 15 gradu Cancri, Mercurium in 15 gradu Virginis, Venerem in 15 gradu Libræ, Martem in 15 gradu Scorpionis, Jovem in 15 gradu Sagittarii, & Saturnum in 15 gradu Capricorni: Sicque Mundum fuiſſe creatum menſe Auguſto; quibus etiam conſentit Mercator. Quod quidem Aſtrologo patet excogitatum fuiſſe, ut in ipſius Mundi genitura Planetæ omnes in propriis domiciliis collocati cernerentur; quaſi congruentius & ipſi Mundo melius videretur, Planetas ſingulos verſari in propriis domibus, indeque motus ſuos inchoare, quam peregrinari in alienis. Sed Aſtronomo patet ſitum ejusmodi Planetarum eſſe fictitium; quippe quòd ☿ non poſſit diſtare à Sole ultra 29 gradus, nec Venus ultra 50 gradus. Alii cenſuerunt omnes Planetas poſitos fuiſſe in principio Arietis, & hæc fuit ſententia Philoſophorum Indorum, ſcilicet Brachmanum & Gymno-ſophiſtarum, de qua iterum infra loquemur.

Alii verò alia commenti ſunt circa locum Solis & Planetarum in Zodiaco; ſed ſine ullo probabili fundamento, quorum idcirco opiniones ut vanas hîc omittimus, quas Junctinus exponit. Comm. in Sphæram Joan. de Sacroboſco à pagina 659.

At Keplerus in Tabulis Rudolphinis cap. 33. præceptorum & initio Tabularum Solis & Lunæ, vult Mundum creatum fuiſſe die 24. Julii anni Juliani retro extenſi 3993. hora 0. 33′. 26″. Uraniburgi; fuiſſeque medium locum Solis 0. 0′ 0″. ♋. Ejus Apogæum 0. 0′. 0″. ♈: ☊ ſive nodum boreum Lunæ, 0. 0′. 0″. ♋. fuiſſeque Solem & Lunam conjunctos centraliter in 27. gr. 56′. 17″. ♊, ablata ſcilicet æquatione centri Solis 2. gr. 3′. 45″. Ex ejus medio loco; ita ut in Æthiopia fuerit totalis Eclipſis Solis. Quod verò ad alios Planetas tam inter ſe quàm cum Sole & Luna ſpectat; ipſe vult Solem, Lunam, nodum Lunæ, Martem, Venerem, Aphelium ☿, nodum & fortè etiam Aphelium ♃. fuiſſe conjuncta in principio ♋. Jovem, nodum ☿ in principio ♑. Saturnum Aphelium ♀ Apogæum ☽ & fortè Aphelium ♄ in principio ♎; Mercurium, Apogæum Solis, nodum ♄, nodum ♀, & fortè etiam nodum ♂ in principio ♈: ita ut ſolum Aphelium ♂ inter ♈ & ♋ incertum extiterit: ſed omnia reliqua loca in punctis Cardinalibus. Et quia hic ſitus locorum eſt maximè notabilis, arbitratur ipſa loca eſſe carceres unde proſilierunt omnia mobilia in ſuos curſus.

Sed triplici de cauſa hæc opinio à me refellitur. Primâ quoniam ipſemet Keplerus incertus eſt illorum locorum, nam anno, die & hora ſupra poſitis medius locus ♄ ex Tabulis Kepleri eſt 5 gr. 29″. 57″. ♎: & Aphelium ejus 28 gr. 24′: 6″. ♌. Interrogat autem Keplerus ipſe, quid ſi Medius & Aphelium ſint 0. 0′ 0″. ♎? ſimiliterque dubitat pro aliis Planetis. Secundâ: Quoniam pro concinno ſitu Planetarum initio Mundi, ſpectanda non ſunt eorum loca media, ſed vera loca reſpectu Terræ, quæ ſunt naturalia, & ex quibus ſolis Planetæ agunt in hæc inferiora; quæque à mediis multùm diſcrepabunt. Tertia: Quoniam hæc opinio nullum habet in ſacra Scriptura fundamentum, ſed ei contrariatur, ut infra patebit. Rationi verò etiam adverſatur. Nam quia Sol factus fuit ad cauſandos dies atque noctes in quibus accidunt æqualitas & inæqualitas; eſt autem æqualitas prior inæqualitate; ergo initio Mundi atque rerum, congruentius erat, diem atque noctem priùs æquales eſſe, quàm inæquales, ideoque Solem poni in Æquinoctiali, non ergo Sol initio Mundi fuit in principio Cancri.

Superſunt igitur examinandæ celebriores aliæ duæ ſententiæ, in hoc convenientes, quod velint Mundum Æquinoctii tempore conditum fuiſſe. Cùm autem duplex ſit Æquinoctium, utpotè à Sole in principio Arietis, & in principio Libræ conſtituto; quonam horum Mundus ſit creatus, maximè controvertitur inter Chronologos, Theologos, & Aſtrologos. Inter quos Junctinus Tomo 2. pag. 664. ait ſe hac de re non audere quidquam determinare; & ſi auderet, ſe non ſufficere.

Igitur Hebræi cum Rabbi Eleazaro, Scriptores Græci, Joſephus, Nicephorus, Clemens, Cedrenus, item Chronologi non pauci, Cruſius, Beroaldus, Hoſpinianus, Calviſius, Scultetus & alii, Mundum in Autumnali Æquinoctio ſive Libra creatum eſſe cenſent. Aitque Origanus Parte 1. Introd. pag. 7. illorum ſententiam ſibi maximè arridere. Longomontanus autem Theor. Lib. 1. cap. 3. ſe non dubitare Mundum à Deo in Autumnali Æquinoctio conditum fuiſſe; ob varias conjecturas atque teſtimonia. Verùm hi omnes nullam habent rationem Phyſicam, Aſtronomicam, vel Aſtrologicam, quâ opinionem ſuam duntaxat probabilem efficere valeant, ſed Veteri duntaxat Hebræorum ſupputationi, & nonnullis ſacræ Scripturæ textibus malè intellectis innituntur.

Dicunt igitur Primò: A Mundo condito ad exitum Iſraëlitarum ex Ægypto, Hebræos anni principium numeraſſe à Menſe Tiſri, qui in Octobrem tunc temporis Juliana numeratione incidebat. Ideóque Mundum illa anni parte creatum fuiſſe.

Sed reſpondetur: Non conſtare hujus opinionis aſſertoribus, id quod ſupponunt, nempe Hebræos ſic numeraſſe ab initio Mundi: hoc enim eſt quod quæritur & ignoratur. Imò Judæi tantùm poſt Talmud in lucem editum, cœperunt numerare annos à creatione Mundi. Vide Joſephum de Voyſin in ſuo libro De Lege Divina, cap. 19. qui id probat ex Rab. Azaria in libro quem inſcripſit Meor Enajim. Eſt autem certum apud omnes, Hebræos, captivitatis tempore numeraſſe Ægyptiorum more apud quos detinebantur, quique Joſepho teſte, Moyſis tempore annum ab Æquinoctio Autumnali inchoabant. Cúmque apud ipſos captivi fuerint per annos 215; valde eſt probabile quod Hebræi durante hac longa ſervitute coacti fuerint commercii & negotiorum causâ tranſire ad numerandi rationem Ægyptiis uſitatam; & eam relinquere quam priùs obſervabant ab Æquinoctio Verno. Et hoc inde maximè confirmatur, quia ex cap. 12. Exodi, dum Deus voluit populum ſuum educere de Terra Ægypti, ſic alloquutus eſt Moyſem & Aaron in Terra Ægypti Menſe Niſan, hoc eſt Martio. *Menſis iſte vobis principium Menſium; primus erit in menſibus anni.* Quibus in verbis vulgatæ verſionis, aut dictio *vobis* tranſpoſita eſt, aut ſuperfluam repetitionem efficit. Et ſic legi debet: *Menſis iſte principium menſium primus erit vobis in menſibus anni.* Quo pacto Deus duo efficit. Primum docet Menſem Niſan eſſe principium ſive caput menſium ſimpliciter & abſolutè. Secundum redarguit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

guit atque repudiat Hebræorum numerationem annorum ab Ægyptiis acceptam, ut minimè veram, illiſque præcipit ut Menſem Niſan habeant pro primo Menſium anni. Alioquin ſi Menſis Niſan erat Hebræis principium Menſium juxta vulgatæ verſionis verba *Menſis iſte vobis principium Menſium*, nonne Deo ſuperfluum fuiſſet præcipere, ut *ipſe Menſis eſſet illis primus in Menſibus anni?* Ad hæc Menſis Niſan tunc nullo modo erat Hebræis principium Menſium, neque numerationis annorum Mundi quam non obſervabant, neque feſtorum quæ nondum à Deo erant inſtitutæ: & quo ad feſta omninò ſuperflua fuiſſent in hoc præcepto vocabula duo, *principium Menſium*, tantúmque dicendum fuiſſet, Menſis hic vobis erit primus in Menſibus anni, ſupple feſtivitatum, ut verè quoque fuit. Nam Deus feſta præcipua quæ inſtituit, voluit inchoari circa verum anni principium; hoc eſt circa Æquinoctium Vernum, & idcirco ipſemet capite 12. Exodi, eodem Menſe Niſan vult celebrari Paſcha in memoriam liberationis filiorum Iſraël; & poſtridie ſolemnitatem Azimorum in memoriam egreſſionis ex Ægypto; deinde Pentecoſtem in memoriam Legis acceptæ in Monte Sinay: ut proinde principium anni feſtivitatum, fuerit accommodatum principio anni creationis. Quamobrem neceſſe eſt vocem *vobis* fuiſſe in illo textu tranſpoſitam, & ejus ſenſum talem eſſe quem ſupra poſuimus, vel ſi quis neget tranſpoſitionem; neceſſariò vox erit ſubaudienda *eſt*, poſt dictionem, *vobis*, & ſic legendum, *Menſis iſte vobis erit principium Menſium; primus erit in Menſibus anni*. Quo etiam pacto Deus ſupradicta duo efficiet, idem enim erit utriuſq; lectionis ſenſus, ſicque ex hoc Dei præcepto, de Mundi creatione in Arietis Æquinoctio maximè confirmamur.

Dicunt Secundò: Quod Hebræi juſſi ſunt Exodi cap. 23. Feſtum Tabernaculorum celebrari in exitu anni, congregatis fructibus de agro. Et cap. 34. Reiteratur mandatum ejuſdem feſti, quando redeunte anni tempore cuncta conduntur. Cùm ergo exitus & reditus anni notentur eo tempore quo fruges ex agro congregatæ ſunt, & cuncta conduntur, (quod tempus non eſt aliud ab Autumno) erit exitus, & reditus anni ſeu finis & principium anni in Autumno. Ideoque Mundus factus erit in Autumno.

Sed reſpondeo, nihil aliud inde inferri, quàm Hebræis fuiſſe duplicem numerationem annorũ, unam reſpectu Paſchatis, & aliorum feſtorum ex eo ſequentium, quæ Dei mandato reducta eſt ad veram numerationem annorum Mundi ut ſupra dictum eſt. Alteram reſpectu frugum terræ, quam neceſſe erat inchoari ab Autumno, qnandoquidem annus reſpectu frugum terræ, ut naturaliter incipit à tempore ſementis, ita in tempus meſſis deſinit. Idcirco ut in juſſu feſti Tabernaculorum diſtingueretur hæc annorum numeratio à priore; non dicitur à Deo in exitu vel reditu anni ſimpliciter, ſed quo fruges ex agro congregatæ ſunt & cuncta conduntur. At Exod. 12. dicitur, *Menſis iſte principium Menſium, vobis erit primus in Menſibus anni*, ſimpliciter, quod eſt valdè notandum, indeque ſolvitur etiam quod objicitur de anno Jubileo, & ſeptimo quoque Deo dicatis, qui non ſunt anni Mundi, ſed fructuum Terræ à ſemente incipientes, & in meſſem deſinentes, ut patet ex Levit. cap. 25, ubi Deus ait. *Non ſeretis, neque metetis*, &c. Tum infra: *Quod ſi dixeritis quid comedemus anno ſeptimo, ſi non ſeruerimus neque collegerimus fruges noſtras? dabo benedictionem meam vobis anno ſexto, & faciet fructus tres annorum, ſeretiſque anno octavo, & comedetis veteres fructus uſque ad nonum annum, donec nova naſcantur, edetis vetera*. Ex quibus patet annum intelligi de generatione & maturatione fructuum, cumque incipere & deſinere, ut dictum eſt, ſupra à ſemente in meſſem ſequentem. Atque hos annos juxta Dei mandatum de requie Terræ per annum ab Autumno ſeu ſemente rectè inſtitutos fuiſſe ex eo manifeſtum eſt: quia etſi de Mundo in Arietis initio creato apud omnes conveniret; tamen ipſi anni Iubilæi & ſeptimi, ſemper ab Autumno incipere debuiſſent; ne Hebræi pro una Meſſe duas perderent; quippè quòd meſſem anni ſexti non poſſent colligere, neque anno ſeptimo ſeminare. Adde quod eodem cap. 25. alia eſt etiam anni ratio pro domorum ſuarum venditoribus. Ideoque annus in Scriptura multipliciter accipitur, quippè abſolutè ut Exod. 12. Et reſpectivè ut Exo. 23. & 34. Tum Levit. 25. Et anni reſpectivi varia ſunt initia, pro rerum ad quas refertur varietate: Anni verò abſoluti unicum eſt principium, ſcilicet Menſe Niſan, Exod. cap. 12.

Dicunt 3. vel potiùs 4. Quod Diluvium ex Geneſi cap. 7. inceperit die 17. Menſis ſecundi. Ex Joſepho autem Menſis ille incidit eo tempore cum Novembri Iuliano. Ergo Mundus creatus eſt in Autumno.

Sed tripliciter reſponderi poteſt. Primò Ioſephum hoc in loco ſecutum fuiſſe Ægyptiorum numerandi rationem, quæ ſuperiùs rejecta eſt. Secundò Noëmum fuiſſe archam iugreſſum poſt fructuum Terræ collectionem menſe Novembri, ob alimenta pro ſe & beſtiis in archa obſervanda: ideoque ingreſſum fuiſſe ſecundo menſe anni frugum Terræ: ſicque intelligendum eſſe Moyſis textum Geneſ. c. 7. Tertiò Moyſen annos à Mundo condito ad Dei uſque mandatum de principio anni, numeraſſe de induſtria juxta conſuetum Hebræis & Ægyptiis calculum; ut Dei mandati evidentior eſſet neceſſitas, pro numerationis veritate: utroque ſiquidem modo difficultas tollitur.

Deniq; dicent. Quod tempore creationis Adami, pomi fructibus maturis onuſtæ fuerint, hoc autem Autumno tantùm eveniat, juxta ordinẽ à Deo ſemel iuſtitutum in natura, quẽ illicò non immutat.

Sed reſpondeo: Quod etſi de pomo quod comedit Adam, & loco Paradiſi non mediocris etiam ſit diſſentio; tamen dicere ſufficiet, à nemine mortalium ſciri Paradiſi locum. Eſſe autem certum, Solem ſimul tempore facere in diverſis climatibus Ver, Æſtatem, Autumnum & Hyemem; atque idcircò fructus in una Terra parte maturos eſſe, dũ in alia incipiunt, in alia florent, & in alia maturantur. Et prætereà pomorum eſſe in eodem climate magnam diverſitatem: quorum alia citiùs, alia tardiùs ex ſua natura maturitatem adipiſcuntur. Quocirca ex illo pomo ſtatui non poſſe, qua anni parte Mundus creatus ſit. Cùm ſi Deus Terram in ſua perfectione creaverit, ut impoſterum opus ejus reformatione non indiguerit, ejus partes pro cujuſque ad Solem ſitu floribus, & fructibus maturis & immaturis decreverit: Zona autem torrida, à qua non procul Adam creatus eſſe putatur,

 per-

perpetuò floribus & fructibus maturis & immaturis referta eſt. Quandoquidem ſub Æquatore 4. tẽpora Ver Æſtas Autumnus & Hyems (ſi hanc ibidem Sole circa ♋ aut ♑ degente liceat admittere) duplicantur. Ab Æquatore ad Tropicum ♋ datur duplex Æſtas, quam duplex Ver præcedat oportet. A Tropico ♋ ad circulum Arcticum dantur illa 4 tempora ſimplicia optimè inter ſe partita. A Circulo tandem Arctico ad Polum, dantur eadem ſed valdè inæqualiter diviſa; Hyems enim ſub Polo durat 6 Menſes, quæ nullibi reperitur Sole-Æquinoctiorum puncta tenente. Non igitur convinci poteſt quod poma defuerint in Paradiſo terreſtri, Æquinoctio Verno: cùm præſertim Paradiſus ille eſſet temperatiſſimus, & fructus ferret nulli alteri loco communes: ut patet ex fructibus ligni vitæ & ligni Adamo prohibiti.

Atque iſtæ ſunt rationes illorum qui Mundum in Æquinoctio libræ creatum fuiſſe volunt: quæ cùm nullius ſint ponderis facilliméque ſolvantur ut ſupra patuit, aliam ſententiam amplectimur, quæ creationem in Arietis Æquinoctio conſtituit ob rationes ſequentes.

Prima: Quod Patrum & Doctorum Eccleſiaſticorum majore ac celebriore parte fulciatur: imò confirmetur uſu numerandi annos univerſæ Eccleſiæ à creatione Mundi. Ipſa enim pro annis Mundi & feſtivitatem obſervat ſupradictum Dei præceptum de Menſe Niſan, facitq; Æquinoctium Vernum caput utriuſque anni: Annos autem à Nativitate Christi numerat à die prima Januarii, non quòd Christus natus ſit ipſa die, ſed quòd propter differentiam dumtaxat 6 dierum noluerit pervertere annum politicum à Julio Cæſare, inchoatum à ſolſtitio Hyberno juxta Numæ decretum, paſſimque toto Imperio Uſualem. At Romulus autem ab Æquinoctio Verno inchoandum ſtatuerat.

Secunda: Omnes Aſtrologi antiquiſſimæ traditione mundanam Solis revolutionem conſtituunt in Arietis principio, ad illudque momentum figuram Cœli erigunt pro quolibet Terræ loco: quam Thema revolutionis Mundi nuncupant: ex qua verè judicant de accidentibus generalibus eo anno futuris in quolibet Terræ loco. Et quamvis etiam figuras erigant ad ingreſſus Solis in ♋, ♎ & ♑; tamen de his non judicant niſi habita ratione illius primæ figuræ; quam per conſequens independentem, alias verò ab illa dependentes eſſe oportet, ſicque figuram Æquinoctii Verni eſſe omnium primam; ut fuſiùs à nobis explicabitur Libro 25.

Tertia: Hominis gratiâ conditus eſt Mundus, huncque accepit in perfectiſſimo ſtatu. At Adamo & animantibus ejus poteſtati ac uſui traditis convenientius erat Solem primò moveri in partem borealem refertam homine & animantibus, in qua idcircò promovendæ generationi & coctioni futurum Terræ neceſſarius eſt; quàm in Auſtralem deſertam.

Quarta: Deus Mundi partem borealem plurimis nominibus ſuper Auſtralem nobilitavit; Adami peccato in illa commiſſio non obſtante. Quippè Stellis illuſtrioribus, Hominis fabricâ, Monarchiis, ſua Eccleſiâ, Veteri Lege data, & (quod eſt maximum) ſua incarnatione, vitâ, morte, reſurrectione, & Euangelii manifeſtatione prima: Ergo abſurdum eſt quod aſſerunt Adverſarii pro ſua cauſa, nempè Solem ob Adami peccatum ab illo diſceſſiſſe in partem auſtralem: cùm præſertim Sol ante Adamum ejuſque peccatum creatus ſit atque motus: Tum ne Sol ipſe influxu potentiſſimus Adami peccatum præſignificaſſe, ideoque cauſaſſe cenſeretur: quandoquidem aſtra non ſignificant, niſi quatenus cauſant, ut ſuo loco dicemus.

Quinta: De communi Aſtronomorum conſenſu Solis Apogæum fuit initio Mundi poſitum in Arietis principio: cùm igitur Sol in optimo quo potuit ſtatu creatus fuerit, juxta illud Geneſis cap. 1. *Vidit DEUS cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona*, id eſt valdè perfecta; non modò Solem in Mundi medio, quippè ſub Æquinoctiali Circulo, ſed etiam in ſuo Apogæo, & exaltatione creatum fuiſſe fatendum eſt; hic enim Solis ſtatus, eſt omnium qui eſſe queunt perfectiſſimus & efficaciſſimus, ut Aſtrologis notum eſt. Ergo creatus fuit in principio Arietis, & non in principio Libræ, ubi in ſua dejectione, ideoque debilis ac infauſtus fuiſſet.

Sexta: Poſito Sole in Arietis principio cum ſuo Apogæo; medius & verus locus Solis coincidebant, nec non tempus medium atque verum. At rerum exordio maximè congruebat ut ſicut idem eſt, priùs diverſo; ita uterque locus & utrumque Tempus priùs idem eſſent, quàm diverſa: omnia igitur altè clamant Solem fuiſſe factum in Arietis principio: forſanque cæteri omnes Planetæ; ut Junctinus comm. in cap. 2. Sphæræ, ex Philoſophis Indis refert, qua de re fuſiùs infra.

Caput V.

Quo die & qua horâ Mundus creatus eſt.

Hoc ſcire multùm prodeſſet in Aſtrologia: nimirum ad præſcienda atque prædicenda in ſingulis Terræ locis accidentia univerſalia; de quibus agemus Libro 25. Sic enim conſtrui poſſet verum Mundi Thema genethliacum pro quolibet Terræ loco; continens fundamentaliter atque potentialiter ſeriem factorum ipſius loci propriorum, ab initio ad finem Mundi. Sed annus ignoratur ut patuit cap. 3. Ideoque de ſitu Planetarum in Cœlo nihil aliud ſcitur, quàm quod Sol fuerit in principio Arietis; reliquorum verò Planetarum loca initio creationis ſuæ ignorantur, quamvis infra cap. 10. Valdè fiat probabile omnes Planetas ♄ ♃ ♂ ♀ ☿ ☽ factos fuiſſe cum Sole in principio Arietis. Quocirca revolutiones Solis ad principium Arietis coguntur Aſtrologi aſſumere pro figuris fundamentalibus præſagiorum, de univerſalibus cujuſque loci fatis; non habita ratione locorum radicalium aliorum Planetarum; ideoque in ſuis præſagiis eos falli ſæpè contingit, non ſecus ac ei contingeret qui de alicujus nati fatis judicaret duntaxat ex Revolutionibus ejus annuis, ignota Nativitatis figura.

Quod verò ad diem attinet, ſcitur ex cap. 2. Geneſis creatum fuiſſe Mundum eo die Hebdomadæ qui nobis eſt Dominicus, & non abs re dies Solis dictus eſt ab antiquis. Nam poſtquam diebus ſex operatus eſt Deus, requievit die ſeptimo & ſanctificavit illum, fuitque hic dies Sabbathum Judæorum ſtrictiſſimè obſervandum, ut patet Exodi capitibus 16. 20. & 31. Quamobrem neceſſe fuit ut dies creationis eſſet ille qui jam nobis eſt Dominicus. Sicque Chriſtiani colant diem quo Deus cœpit operari ad extra: Judæi verò diem coluerint quo ceſſavit ab opere quod patraverat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Tandem de creationis hora controvertitur inter Theologos propter verba Moyſis per dies ſingulos: *& factum eſt veſpere & mane dies unus, dies ſecundus, dies tertius*, &c. Quæritur enim primò ubi nam locorum veſpere & mane facti ſint dies primus, ſecundus, &c. à Moyſe intellecti, quandoquidem id per totum ambitum Terræ fieri poterat? Secundo, cur diem incœperit à veſpere, & finierit ad mane, nulla noctis facta mentione.

Quod ad primum attinet, non videtur dubitandum, qnod Moyſes diem intellexerit reſpectu loci Terræ in quo factus eſt Adam, qui ultimus erat terminus creationis Mundi, & quem Deus præcipuè ſpectabat. Cujus enim alterius loci reſpectu dies intelligendus fuiſſet, vel principium diei qui primus fuit in univerſo orbe?

Quod attinet ad ſecundum, ſanè aſſerendum eſt, quod Moyſes equidem diei nomine, diem natalem 24. horarum intellexerit, qui complectitur moram Solis ſupra ac infra Horiſontem: ſed veſpere & mane dupliciter explicari queunt. Primò, quod per veſpere intelligatur tempus à meridie ad occaſum Solis: & per mane tempus ab ortu Solis ad meridiem. Quo pacto dies incipiet ab hora meridiana vel Sole verſante in meridiano Circulo more Aſtronomorum; & nox artificialis, cujus nulla fit mentio, diem artificialem dividet; ac veſpere præcedet mane juxta verba Moyſis, ideoque multi hanc ſequuntur ſententiam. Secundò, quod per mane intelligatur tempus ab ortu Solis ad ejus occaſum, quod vocatur dies artificialis: & per veſpere intelligatur tempus ab occaſu Solis ad ejus ortum, quod vocatur nox artificialis: quo pacto nox artificialis fuiſſet prima pars diei naturalis, qui in loco creationis Adami incœpiſſet ab occaſu Solis; quia Moyſes ponit veſpere ante mane, & hac diei formâ veteres Hebræi, Athenienſes & hactenus Itali ſunt uſi: utraque ergo congruit verbis Moyſis de veſpere ante mane, ſed poſterior ut ſimplicior mihi ſequenda videretur; ipſa enim non obſtat quin Adam factus ſit interdiu: ſicque datâ horâ creationis Mundi occidente Sole in loco ubi Adam factus eſt; & locis 7 Planetarum in principio ♈: poſſet erigi ſyſtema Mundi radicale pro quolibet Terræ loco, ſi ſciretur locus Terræ, ubi Adam factus eſt.

Caput VI.

An totus Mundus in inſtanti vel ſucceſſivè conditus fuerit.

IN Mundi productione, ſpectandæ ſunt duæ actiones inter ſe diſtinctæ. Prima, qua Deus res fecit ex nihilo, & hæc propriè dicitur creatio; per quam facta dicuntur ipſius Mundi corpora ſimplicia, juxta Moyſis verba; *in principio creavit DEUS Cœlum & Terram*. Secunda, qua Deus perfectionem & ornatum neceſſarium ipſis corporibus contulit, dum ſcilicet in Cœlo fecit Solem, Lunam & Stellas, in Terra autem plantas, animalia & hominem.

Prima igitur actio fuit inſtantanea de communi conſenſu: Quod verò ad ſecundam attinet, plerique ſequuntur ſententiam D. Auguſtini, qui opinatus eſt ſimul & eodem momento facta fuiſſe omnia quæ narrat Moyſes facta fuiſſe diebus 6. ſucceſſivis: hoſque dies ſex nihil aliud eſſe quàm cognitionem Angelicam ſex illis rerum ordinibus & quaſi generibus repræſentatam. Itaque putat unum diem dici à Moyſe cognitionem Angelicam, ut ad unum ordinem rerum, uno die à Moyſe conſideratum terminabatur: cumque in die quolibet ponit Moyſes veſpere & mane, vult veſpere dici cognitionem Angelicam rerum ipſarum, per ſpecies earum intelligibiles ut ſunt in ſeipſis: per mane verò dici cognitionem Angelicam ipſarum rerum ut ſunt in verbo Divino.

Cæterùm hæc opinio rejicienda eſt. Primo, quia nulli rationi, nec Scripturæ ſacræ authoritati innititur. Secundo, quia hiſtoriæ Moyſis omninò contrariatur, nec cum ipſa eſt compatibilis. Dicitur enim Geneſ. cap. 1. Terram fuiſſe inanem & vacuam, quod falſum erit ſi ſimul cum Terra plantæ & animalia fuerint producta. Præterea dicitur per congregationem aquarum in unum locum Terram apparuiſſe: at ſub aquis non latuiſſet ſi eodem momento, Terra, Aqua, & Aquarum congregatio facta fuiſſent. Tertiò, quia Moyſis hiſtoria de Mundi productione erat pro rudi populo à quo debebat intelligi, ideoque ſimpliciter deſcribi: ſi autem ejus deſcriptio non ſit vera, quid minùs potuit venire in mentem populo rudi quàm ſubtilitas illa ſancti Auguſtini? Quartò, Exodi cap. 20. & 31. Deus Moyſem alloquens, ſtrictiſſimè jubet & ſub pœna mortis requieſcere & celebrari Sabbathum poſt ſex dies operis in memoriam quod ipſe Deus fecerit Cœlum, & Terram, & Mare, & omnia quæ in eis ſunt, & requieverit die ſeptimo; ex quibus hiſtoria Moyſis omninò confirmatur. Ergo pro fidei articulo habendum cenſeo, quod ſucceſſivè per ſex dierum ſpatium totus hic Mundus à Deo conditus ſit. Neque hujus ordinis congrua etiam deeſt ratio. Nam ut Natura à ſimplicioribus ad magis compoſita, & ab imperfectioribus ad perfectiora ſucceſſive progreditur: Sic Deus Naturæ Author, in condendo Naturam idem obſervare voluit, ut inde etiam homo qui Microcoſmus, & Natura media vocitatur, ſeipſum perficere doceretur. Quamobrem, nil mirum quod allegoriæ D. Auguſtini ſuper totum caput primum Geneſeos paſſim rejiciantur, utpotè hiſtoricæ veritati contrariæ & confuſionis plenæ.

Objici ſolet ab adverſariis illud Eccleſiaſtici cap. 18, qui vivit in æternum creavit omnia ſimul, hicque forſan locus fuit cauſa opinionis D. Auguſtini ſupra poſitæ.

Sed nunquid loculus hic æquiponderabit capitibus 1. & 2. Geneſeos, tum cap. 20. & 32. Exodi. Ubi Mundi fabrica ponitur, ſucceſſivè facta, etſi his omnibus locus ille omninò contrarietur? At quod omnino non contrarietur inde conſtat; quia cùm ſuperiùs de communi conſenſu ſit, corpora Mundi ſimplicia, quippè Cœlos, Ætherem & Elementa fuiſſe creata in inſtanti: ſintque ipſa corpora ſimplicia aliorum mixtorum materia, rectè ac verè dici poteſt omnia fuiſſe creata ſimul, quippè corpora ſimplicia, formaliter: mixta verò quæ ad ornatum & perfectionem Mundi pertinent, duntaxat materialiter: ſicque concordat locus hic Eccleſiaſtici, cum hiſtoria Moyſis.

Confirmatur autem explicatio hæc per locum capitis 2. Geneſeos, qui etiam objici ſolet, eſtque apparenter difficillimus, cùm nihil aliud eſſe videatur quàm mera confuſio, niſi juxta ſuperiorem ſenſum explicetur, unde nil mirum quod D. Auguſtinus lib. 2. de Geneſ. ad litteram, ſeptem capitibus occupetur in ejus explicatione, ut tandem

concludat omnia eodem inſtanti fuiſſe à Deo facta. Locus autem habet. *Iſtæ ſunt generationes Cœli & Terræ, quando creatæ ſunt in die quo fecit Dominus DEUS Cœlum & Terram & omne virgultum agri, antequam oriretur in Terra; omnemque herbam Regionis, priuſquam germinaret.* Quid enim ſignificat generationes Cœli & Terræ fuiſſe creatas? Quid creatas in die quo fecit Dominus Cœlum & Terram, & omne virgultum? &c. Quid Deum feciſſe omne virgultum agri, antequam oriretur in Terra, omnemque herbam Regionis priuſquam germinaret? Nunquid Deus fecit virgultum & herbam ſeorſim extra Terram, poſteáque hæc plantavit in Terra? Sed hoc poſito non fuiſſent omnia eodem momento facta, itaque patet loci difficultas.

Ejus autem verus ſenſus mihi eſſe videtur, quod per generationes Cœli & Terræ, intelligenda ſint ea quæ ad ornatum Cœli & Terræ facta ſunt diebus 2. 3. 4. 5. & 6. Quæ idcirco dicuntur generationes Cœli & Terræ, quia facta ſunt ex vel in præjacente ſubjecto cœleſti & terreſtri; & dicuntur etiam creata in die quo Deus fœcit Cœlum & Terram; quoniam die primo, quo Deus creavit Cœlum & Terram, cæteraque corpora ſimplicia, reliqua ad eorum ornatum pertinentia & conſequenter facta, verè ipſo die primo creata ſunt materialiter, hoc eſt eorum materia creata eſt: & omne virgultum agri ipſo quoque die creatum eſt materialiter, priuſquàm formaliter oriretur in Terra: & omnis etiam herba priuſquàm germinaret: ſicque maximus eſt ſacræ Scripturæ conſenſus. Quod autem ſequitur in textu, *non enim pluerat Dominus ſuper Terram*, &c. Explicationem noſtram compatitur, nec ei repugnat. Qui verò putant ſenſum textus eſſe planum, ſi pro die intelligatur totum Tempus quo Deus fecit Cœlum & Terram & reliqua: non explicant quomodo generationes Cœli & Terræ creatæ ſint ipſo tempore, nec quid intelligendum ſit per generationes Cœli & Terræ creatas: in noſtra autem explanatione plana ſunt omnia.

Caput VII.

Quænam facta ſint die primo fabricæ Mundi.

Tanta eſt controverſia inter Patres, & Doctores Eccleſiaſticos circa opera ſex dierum creationis Mundi, ut ſingulas opiniones recenſere & examini ſubjicere non modò tædioſum, ſed etiam ſuperfluum putem. Quocircà de his compendioſè duntaxat acturus, ſolum Moyſis textum ad litteram ſequendum & rationibus illuſtrandum mihi proponam, ne Lector opinionum diverſitate confundatur: qui ſi Joannis Pici Mirandulani Heptaplum à pleriſque adeò commendatum legerit, arctiùs forſan nobis adhærebit.

Itaque Geneſis capite primo dicitur. *In principio creavit DEUS Cœlum & Terram, Terra autem erat inanis & vacua; & Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi: & Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Dixitque DEUS, fiat lux. Et facta eſt lux. Et vidit DEVS lucem quod eſſet bona, & diviſit lucem à Tenebris, appellavitque lucem diem, & tenebras noctem: factumque eſt veſpere & mane dies unus.*

Quibus verbis primò docet Moyſes, quod in principio, hoc eſt, primo inſtanti Temporis, Deus creaverit Cœlum & Terram; hoc eſt prima corpora ſimplicia ex quibus alia deinde facta ſunt. Non enim Cœlum & Terra alio die vel momento creata dicuntur, quàm in ipſius creationis principio, & poſt hæc cætera omnia dicuntur facta. Secundò, quod Terra fuerit inanis & vacua; nempe rerum ſpeciebus diverſis. Tertiò, quod tenebræ fuerint ſuper faciem abyſſi, hoc eſt ſpatii inter Cœlum & Terram interjecti, quod ſpatium eſt abyſſus immenſa. Quartò, quod Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas, vel ut habet alia verſio, incubabat aquis, hoc eſt, opus ſuum fovebat, vel conſervabat in eſſe, ne rediret in nihilum; dicitur autem aquas in plurali, quia jam erant creatæ duplicis generis aquæ; nempe fluidæ, ut quæ terram involvebant, & concretæ, per quas intelligitur Cœlum à Deo creatum, quod eſt primum mobile naturæ ſolidiſſimæ maximéque Diaphanæ inſtar cryſtalli vel adamantis, ideoque puriſſimæ glaciei vel aquæ concretæ ſimillimi, quamvis à glaciei vel aquarum corruptibilium natura diverſiſſimi. Quod ſi quis per Spiritum Domini, velit cum D. Auguſtino & aliis Patribus non intelligi Spiritum ſanctum, de quo vix explicari queunt verba hæc *ferebatur ſuper aquas*, ſed Spiritum creatum: ſanè aër contiguus aquis priuſquam in unum locum congregarentur motu primi mobilis circumductus, aptiſſimè intelligitur. Aër enim quem ſpiramus ſæpe Spiritus appellatur. Quinto, quod Deus fecerit lucem; de qua præ cæteris maxima eſt contentio ad definiendum quid ipſa fuerit.

Ut autem ſacræ Scripturæ textui ſua ſervetur authoritas in ſenſu quoque litterali, dupliciter à nobis lux illa explicabitur. Primùm, dicendo lucem illam primo die factam, fuiſſe globum aliquem ignis Cœleſtis vel Ætherei, ex quo deinde Sol factus ſit die 40. cum propria & ſpecifica forma: cui tamen Globo nullus inerat motus proprius ob rationem dicendam, quando agemus de Sole, ſed fixus hærebat in Æquatore Cœlum mediante, ubi poſtea Sol conditus eſt; quamvis circa Terram volveretur motu primi mobilis, quod moveri cœpit ſtatim atque creatum eſt.

Quod autem hæc ita ſint, textus ipſe ſacer fateri plurimùm urget. Nam die primo lux dicitur eſſe facta & à Tenebris diviſa, & factus eſſe veſpere & mane dies primus, ſecundus, tertius: quod ſine corpore lucido Telluris orbi circumducto concipi nequit: Lux enim circa Terram undique expanſa per Aërem non feciſſet diem atque noctem; nec diviſionem lucis à tenebris, quia nullæ fuiſſent tenebræ. Quod ſi quis dixerit lucem creatam occupaſſe ſuperiorem Abyſſi vel Mundi partem, reliqua in tenebris remanente, ſicque diviſam fuiſſe lucem à tenebris, & ſic fuiſſe diem & noctem uſq; ad diem 4. quo Sol factus eſt; ex illa ſuperiori vel circumferentiali parte Abyſſi illuminata, inferiore vel centrali reſtante tenebroſa; is non videt cum ſua luce, quod ſic impoſſibile ſit ut fiat mane & veſpere dies primus, ſecundus & tertius, ut habetur in ſacro textu. Ergo hæc opinio falſa; nam mane & veſpere nequit fieri ſine ortu & occaſu lucis. Ad hæc plantæ cum floribus, foliis & fructibus factæ ſunt die tertio ante Solem: at niſi corpus lucidum ſupradictum fuiſſet etiam calidum, quandoquidem lux non calefacit ex ſe ut proprio loco dicemus contra Ariſtotelem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

lem, Picum Mirandulanum & vulgares Philoſophos; ipſæ plantæ harumque flores & fructus fuiſſent per diem integrum expoſitæ rigidiſſimo frigori terreſtris globi, quale viget ſub Polo Arctico dum Sol eſt in principio Capricorni: quod earum conſervationi, Divinæque Providentiæ non congruebat. Cùm alioquin ſapientius fuiſſe videatur illas produci poſt Solem cujus calore vivunt atque vegetant. Ergo corpus illud fuit lucidum & calidum, ideoque globus igneus, nec fuit corpus ſimplex duntaxat luminoſum: fuitque globus ipſe ſufficienter denſus ad illuminandum & calefaciendum; lux enim & calor tantùm ex corpore ſolido ſenſibiliter agunt in diſtans.

Secundò: Lux illa explicabitur dicendo: Quod cùm initio creationis facta ſint corpora ſimplicia, ſive Elementa quæ deinde fuerunt materia corporum mixtorum: Mixta autem alia ſint Cœleſtia, alia Ætherea, alia Sublunaria, quæ ſibi propriis conſtant Elementis, ut Lib. 9. probabitur, lux fuit illa quoddam corpus confuſum materiæ Planetariæ in qua Solaris prædominabatur: ideoque ratione lucis & caloris Solaris, poterat diei per præſentiam, & noctis per abſentiam, ſpeciem quandam exhibere, & vitæ ſatisfacere & vegetationi plantarum terio die productarum. Die autem 4. Deum diviſiſſe globum illum in 7. Planetas ☉ ☽ ♄ ♃ ♂ ♀ ☿ quos ex ipſo globo effecit & ad propria loca demandavit ſupra & infra Solem, quem in medio conſtituit: non ſecus ac die tertio diviſit globum terreſtrem in Mare & Aridam naturâ differentes, ut ſeptem Planetæ, naturis inter ſe differunt. Nam poſtquam die primo facta ſunt corpora ſimplicia, deinde facta ſunt in Terra plantæ & animalia: in Æthere Planetæ, & in firmamento Stellæ quæ ſunt corpora mixta, ut ſuo loco contra Ariſtotelem, & ejus ſectatores oſtendetur. Uterque modus ſatisfacit textui & Naturæ pro Plantis, & veritas utriuſque patebit evidentiùs infra, dum opus 4. diei explicabitur; quamvis poſteriorem lubentiùs amplectamur. Porrò quod lux illa non fuerit facta primo inſtanti creationis cum Cœlo & Terra, patet ex ſacro textu, nam dicitur, *quod tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*, ideoque nox diem præceſſit artificialem; quod confirmatur ex eo, quod dicitur poſteà, *factumque eſt veſpere & mane dies unus*, ſcilicet, Naturalis à nocte incœptus, qui ritus dies numerandi fuit à Judæis obſervatus. Unde probabile videtur Globum illum Planetarum initio creationis fuiſſe in occaſu loci in quo factus eſt Adam; & poſt 12 horas Æquinoctiales dum pervenit ad Ortum à Deo fuiſſe accenſum, ut divideret diem atque noctem, ſicq; lux facta fuit die primo, ut habetur in textu ſacro. Vide caput 2. Libri 11.

Caput VIII.

Quid factum ſit die ſecundo.

Die ſecundo dixit Deus: *Fiat firmamentum in Medio aquarum & dividat aquas ab aquis. Et fecit DEUS firmamentum, diviſitque aquas quæ erant ſub firmamento ab his quæ erant ſuper firmamentum, & factum eſt ita. Vocavitque DEUS firmamentum Cœlum.*

Mirabile profectò eſt quod vulgò dici ſolet à Patribus & Doctoribus Theologis de Moyſe, in explicatione primi capitis Geneſeos; quod ſcilicet ſcribens Mundi Geneſim hiſtoricam rudi populo, nihil obſcurum aut difficile captu illis expoſuerit, ſed omnia ſimplicia & juxta ſenſum litteralem intelligibilia. Quandoquidem ne ipſi etiam Patres atque Doctores de illarum intelligētia convenire queunt, ſed in tam varias diſtrahuntur opiniones præſertim de ſupradicto firmamento, adſcitis etiam Ethnicis Philoſophis, Platone, Ariſtotele & aliis hìc neutiquam audiendis. Ubi agitur de rebus fidei qua caruerunt, & tanquam illi falſa opinantes de ſoliditate Cœlorum ſingulorum Planetarum, hoſque eſſe partes ſui Cœli; ut ex eorum lectione intellectus nihil niſi confuſionem inextricabilem haurire queat, utcumque Cœli & firmamenti varias acceptiones effingant. Quocirca nobis conandum eſt aliquam meditari expoſitionem, quæ nec Scripturæ ſacræ textui, nec rebus in Natura conditis, nec jam à nobis ſupradictis adverſetur, ſed omnibus quadret, quamvis hoc non mediocris difficultatis eſſe videatur.

Primò igitur certum eſt: Per firmamentum ſecundo die factum intelligi non poſſe ſpatium illud Aëris in quo denſantur nubes; vel partem eam Aëris quæ denſatur in nubes, ut voluere D.D. Baſilius, Auguſtinus & alii: Tum quia falſum eſt Aërem denſari in nubes cùm ſoli vapores & exhalationes è globo Terræ & Aquæ prodeuntes denſentur in nubes à frigore mediæ Regionis Aëris: Alioquin, ſi etiam ipſa Aeris ſubſtantia in nubes denſaretur à frigore, nunquam media Aeris Regio conſpiceretur ſerena, & alia ſequerentur abſurda, cùm in ipſa ſummum frigus perpetuò regnet, ob cauſam à nobis dicendam Lib. 3. Tum quia ſi ſpatium illud, vel pars illa Aeris in qua denſantur nubes dicatur eſſe firmamentum; quod frigus in ea ſit firmatum atque perpetuum: Ergo non erit factum die ſecundo. Nam die primo creata ſunt 4. Elementa Sublunaria, duo ſcilicet calida, Ignis & Aër: duo autem frigida, Terra & Aqua, quæ unicum globum conſtituebant, ab aliis Elementis ſuperioribus ſeparatum: ut conſtat ex opere diei tertii quo Deus Terram Aqua opertam detexit: Globus autem Terræ & Aquæ agens in diſtans ſuo frigore, Mediam illam Aeris regionē effecit, & non Deus actione peculiari; neque potuit hic effectus naturalis ſine miraculo impediri, ut evidenter probabitur Lib. 3. Ac Deum condendo Mundum, miraculo cohibuiſſe vim agentium à ſe jam productorum; non videtur ejus ſapientiæ conſentaneum. Quod ſi dicatur mediam illam regionem dividere aquas Cœleſtes ab Elementaribus, ſive Mari; profectò idem etiam præſtant ſuprema & infima regio Aeris, tum Elementum ignis & Æther: non ergo media regio Aeris eſt firmamentum ſecundo die factum; quidquid ad id probandum conentur afferre nonnulli adverſarii, difficultates duntaxat difficultatibus accumulantes, & abſurda abſurdis, nihilque probantes.

Secundò per firmamentum die ſecundo factum, intelligi non poſſe corpus occupans ſpatium Cœlo & Terræ interjectum, inde patet, quia alioquin ſpatium illud fuiſſet antea corpore vacuum, quod dici non debet.

Si verò quis aſſerere velit, firmamentū ſecundo die factum, fuiſſe revera Cœlum Sellatum; primum verò Cœlum fuiſſe factum die primo ut cenſuit Damaſcenus, non minor occurrit ſolvenda difficultas: nam ſpectata Cœli Stellati ſtupenda vaſtitate atque profunditate; quæretur an ſpatium ſive locus Cœli Stellati priùs eſſet vacuus, vel quonam corpore plenus? Non enim dici debet quod Deus

 hoc

hoc faciendo, Cœlum ipſum Ætheri intruſerit per penetrationem utriuſque corporis;aut cogendo denſandoque Ætherem,ut tam vaſto corpori locum cederet; ſicque Ætheri liberam ſuam amplitudinem adimeret, quaſi Deo ſpatium ad Mundana corpora liberè collocanda deeſſet. Inde igitur apparet maxima hujus loci difficultas. Nihilominus ſi ſacræ Scripturæ litteralem ſenſum ſequi velimus,omninò fatendum eſt quod Cœlum ſecundo die factum non aliud ſit quàm illud in quo Stellæ fixæ viſuntur. Quod qualiter explicandum ſit (meo ſaltem judicio) Lector attendat.

In Mundi fabrica,triplex Dei Omnipotentis actio animadvertenda eſt, ſcilicet creatio primorum ſive ſimplicium corporum,horum diſcretio,& ornamentum neceſſarium. Quæ tres actiones locum habuere tam in globo terreſtri quàm in orbibus Cœleſtibus, ut hîc probabimus, & capite 10. probabitur etiam habuiſſe locum in regione Ætherea, ſcilicet in Planetis.Nam die primo Terra & Aqua terreſtrem globum componentes creatæ ſunt, die autem tertio discretæ ſunt ab invicem congregatis Aquis in unum locum & apparente Terra : poſteà verò ornatæ ſunt variis mixtorum generibus ut ſequenti capite dicetur: ſimiliter igitur die primo primum mobile & firmamẽtum unicum orbem componentia creata ſunt. Hicque orbis proprio motu primi mobilis circumvolutus eſt ab ortu ad occaſum totam circumferens mobilem Machinam intra ſe contentam cum lucido corpore de quo dictum eſt capite 7.ad diem primum efficiendum. Die autem ſecundo ambo Cœli fuere diſcreti non ſolùm corpore, ſed etiam motibus:ac ſuperiori Cœlo remanſit primus motus citiſſimus ab ortu in occaſum ſuper axem vel Polos Æquatoris, qui diurnus motus appellatur;ideoq; Cœlum ipſum vocatur primum mobile.Inferiori verò datus eſt novus ac proprius motus tardiſſimus ab occaſu in ortum ſuper alium axem, vel alios Polos,qui jam ſunt Poli vel axis Eclipticæ : ipſumque Cœlum dictum eſt firmamentum, quod rectè hoc die dicitur fuiſſe factum, tam ob diſcretionem ſui corporis à primo mobili,quàm ob motum ſuper Eclipticæ Polos inſtitutum , eique primariò collatum,cui dies peculiaris congruebat. Non ſecus ac die 4. Sol, Luna & cæteri Planetæ dicuntur facti fuiſſe, quia tunc globus Planetarius in Æthere creatus die primo , diſcretus eſt in ſeptem Planetas motibus & Naturâ inter ſe differentes. Die autem ipſo hoc Cœlum Stellis fixis ornatum eſt atque perfectum : non ſecus ac Terra quo die aquis detecta eſt, plantis & arboribus in ſuperficie, mineralibus verò in ſuis viſceribus decorata fuit : & Mari datus eſt motus.

Quod autem ſupradicta veritati quadrant, inde confirmatur quia ſolum firmamentum ſive Cœlum fixarum, dividit aquas concretas & incorruptibiles, quæ ſunt primum mobile ex cap.7. ab aquis liquidis vel reſolutis,quæ ſunt corruptibiles ; & reperiuntur non ſolùm in regione Elementari,ſed etiam inÆtherea,ut dicetur capite ſequenti : ac proinde cùm ſit abſurdum opinari , ſupra hoc Cœlum eſſe aquas liquidas vel in vapores reſolutas,ſequitur eſſe tantùm concretas,quas primum mobile eſſe dicimus. Ideoq; de nullo alio corpore veriùs dici poteſt quod dividat aquas ab aquis,hoc eſt, ſeparat aquas incorruptibiles à corruptibilibus. His omnibus adde quod Deus vocavit hoc firmamentũ Cœlum.Ideoq; hęc appellatio nec æquivoca, nec impropria cẽſerit debet, ſed vera ut cùm aridam vocavit Terram. Neq; per hoc Cœlum intelligi poteſt ſupremum, ſupra quod non ſunt aquæ;ergo poteſt duntaxat intelligi,ſecundum à ſupremo ſive primo ; quod dicitur firmamentum,quia eſt ſuſtentaculum primi,ut c. 10. Æther dicetur firmamentũ Cœli,quia eſt ipſius Cœli ſuſtentaculum.

Hic objicietur, firmamentum ſive Cœlum Stellarum eſſe in mente noſtra ſolidiſſimum & maximè diaphanum ut dicemus Lib. 3 .ideoq; naturæ aqueæ: ac proinde non poſſe de ipſo verè dici quod dividat aquas ab aquis , cùm ipſummet ſit aqua concreta & incorruptibilis ut primum mobile : quod autem dicitur duo diverſa dividere, debet eſſe naturæ diverſæ ab utroque diviſo.

Sed Reſpondeo,falſum eſſe antecedens:non enim omnia ſolida & diaphana ſunt aqua , vel ejuſdem naturæ ſaltem formaliter:ut patet ex cryſtallo, ſapphyro, ſmaragdo , adamante & ipſo vitro , ab omnibus illis naturâ maximè diverſo nulliſque virtutis. Et quamvis nobis ſit ignotum cujus vel qualis ſit naturæ Cœlum fixum : patet nihilominus in Aſtrologia ipſum eſſe à primo mobili naturâ diverſiſſimum. Solum enim primum mobile eſt prima cauſa Phyſica , omnium aliarum vires eminenter continens,& ad ſingulas naturas determinabile, ut oſtendetur Lib. 14. Proindeque Dodecatemoria diverſæ inter ſe virtutis in hoc tantùm Cœlo reperiuntur : quod ſi etiam darentur in firmamento Dodecatemoria diverſæ virtutis,à duplicibus illis in Natura Dodecatemoriis , omnia Sublunaria confunderentur, nullaque poſſet haberi ſcientia de Aſtrorum effectibus.Cùm igitur ambo Cœli naturâ differant, & primum ſit quædam natura mirabilis , aquæ concretæ & incorruptibilis : ergo ſecundum ſive firmamentum non erit talis aqua : cúmque in Aſtrologia nulla deprehendatur virtus manans à firmamenti ſubſtantia ſive natura ; ſed duntaxat à fixis vel conſtellationibus : ergo ejus ſubſtantia videtur eſſe corpus ſimplex vitro maximè analogum ; ideoque ab aquæ natura maximè alienum. Aut ſi ſubſtantia ipſa vim aliquam habeat ſibi naturalem & propriam, ut reliqua omnia corpora naturalia ; hanc ad unicum duntaxat effectum in Natura eſſe determinatam,eumque adeò communem ut nulla obſervatione particulari poſſit magis ab homine diſcerni,quàm virtus propria Ætheris. Atque in hoc capite continentur ſolutiones omnium difficultatum ab aliis objectarum circa ipſum firmamentum.

Caput IX.

Quid factum ſit die tertio.

Die tertio dixit Deus. *Congregentur aquæ quæ ſub Cœlo ſunt in locum unum, & appareat arida.Et factum eſt ita.Et vocavit DEUS aridam Terram : congregationeſque aquarum appellavit Maria. Et vidit DEUS quod eſſet bonum, & ait. Germinet Terra herbam virentem , & facientem ſemen ; & lignum pomiferum*, &c.

Tria hoc die facta recenſentur,ſcilicet diſcretio Aquæ & Terræ,quæ die primo creatæ fuerant, ſed aqua Terram undiq; involvebat: propria utriuſque Elementi appellatio;& productio plantarũ ad Telluris ornatum futurarumque animalium pabulum. Non enim Divinam providentiam & ſapientiam decebat,ut animalia fierent nullo præexiſtente pabulo. Cæterùm per Aquas quæ ſub Cœlo ſunt,tantùm eas intelligi quæ videntur in globo terreſtri,patet ex eorum

eorum congregatione & Maris conſtitutione. Proindeque Moyſem hîc ſaltem juxta ſenſum rudis populi pro quo ſcribebat loquutum fuiſſe, quippè qui non alias eſſe aquas ſuſpicabatur, quàm illas quas videbat, veluti ad ſenſum ejuſdem populi ſe accomodavit, dum Lunam quæ eſt Planetarum minima, vocavit luminare magnum, non ſecus ac Solem; quòd ſenſui appareant corpora magnitudine æqualia. Attamen cum in Æthere generentur Cometæ, maculæ Solares, & alia nobis adhuc ignota, humiditas autem ſit primum cujuſque generationis principium; credibile eſt regionem Æthercam non eſſe omninò aquis inviſibilibus deſtitutam. Nec mirum quod in Æthere ad ſummum rarefactæ maneant ſuſpenſæ, quandoquidem vapor aſcendens è Terra per infimam Aëris regionem, eſt aqua inviſibilis in Aëre donec in vaporem aut pluviam à frigore concreſcat. Ac forſan hi ſunt fontes abyſſi magnæ & cataractæ Cœli apertæ pro Diluvio ex cap. 7. Geneſeos: quandoquidem quantitas aquarum Diluvii quæ operuit omnes montes excelſos ſub univerſo Cœlo; ita ut quindecim cubitis altior eſſet aqua ſuper montes, neque à Terra, neque à Mari prodire potuit; tota enim humiditas globi Terreſtris ad hoc ſufficere non potuiſſet, poſito Diluvio per totam Terram univerſali. Sicque forſan ante Diem Iudicii plus ignis de Cœlo ad conflagrationem globi Terreſtris, ut ſuper Regionem Sodomæ pluiſſe ignem de Cœlo à Domino dicitur Geneſ. cap. 19. Poſitis autẽ etiam aquis corruptibilibus in Æthere multò clariùs patet quod firmamentũ dividat aquas ab aquis ut ſuperiùs dictum eſt. Et idcircò cùm in ſingulis Mundi regionibus Cœleſti, Ætherea, & Elementari, dentur novæ generationes teſte experientia, ideoque mixta corpora; quippè in Cœlo Stellæ fixæ, in Æthere Planetæ, Cometæ, aliaque; & in Sublunaribus mineralia, vegetabilia & animalia; datur hinc occaſio aſſumendi quod à nobis aſſeretur Lib. 9. dari in Mundo aquam Cœleſtem, Æthercam ac Sublunarem, atque ſic de Igne, Aëre, & Terra, ex quibus componuntur mixta Cœleſtia, Ætherea & Sublunaria.

Si vero Diluvium non fuit univerſale, ſed duntaxat ſuper eam Terræ partem quæ tunc ab hominibus & beſtiis habitabatur, potuit Deus efficere, ut Oceani tanta aquæ copia verteretur in denſas nubes & pluvias per dies 40, ut Diluvium illud particulare cauſare potuerit; à quis in illa Terræ parte miraculosè cohibitis, ne deorſum ad mare relaberentur; quandoquidem hoc Diluvium, quomodocunque ſumatur, non fuit à ſola Natura efficienter, ſicque in Æthere dari aquas noſtris ſimiles aſſeverari non poſſet, ſed tantùm alterius generis humiditates ob generationes in ipſo Æthere conſpicuas. Sed communiter creditur Diluvium fuiſſe univerſale.

Caput X.

Quid factum ſit die quarto.

Die quarto dixit Deus, *fiant luminaria in firmamento Cæli & duntaxat diem atque noctem. Et ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos; ut luceant in firmamento Cæli & illuminent Terram. Et factum eſt ita, fecitque DEUS duo luminaria magna, luminare majus ut præeſſet diei, & luminare minus ut præeſſet nocti: & Stellas. Et poſuit eas in firmamento Cæli, & lucerent ſuper Terram & præeſſent diei ac nocti, & dividerent lucem ac tenebras.*

Poſtquam Deus die primo creavit omnia corpora ſimplicia totumque Mundum generaliter diſcrevit in tres differentes Regiones, Cœleſtem Æthercam & Elementarem; ipſe deinde regionem ſingularum corpora præcipua ab invicem ſeparare atque perficere aggreſſus eſt. Ac ſecundo die diſcrevit atque perfecit regionem Cœleſtem: tertioque Elementarem ut ſupradictum eſt; quarto autem Æthercam quæ media eſt inter alias.

Itaque quoniam à die primo ad quartam, fuit creatum corpus aliquod lucidum, diem à nocte dividens, & dies ipſos efficiens; quod corpus vel fuit globus aliquis ignis Ætherci aut Cœleſtis; ex quo deinde Sol factus eſt: vel quoddam corpus confuſum materiæ Planetariæ in qua Solaris prædominabatur, ut cap. 7. dictum eſt: Jam videndum quid de utroque ſit probabilius.

Dici ergo poteſt quod globus ille igneus die quarto ſubſtantiali forma Solis fuerit inſtructus, & ex illo Sol effectus. Nam Sol factus eſt lucidus & calidus ſicut ille globus; nec duo tales globi ſimul remanſerunt, ergo ex primo factus eſt ſecundus qui prioris munus etiam excellentiùs continuavit. Quod autem prior globus motu proprio caruerit, probari ex eo poteſt, quia Sol ipſe ſecundum ſuam naturam factus eſt in principio Arietis ut cap. 4. dictum eſt. Indeque virtute propria Zodiacum in ſigna diverſæ naturæ diviſit ut dicetur Lib. 14. At probabilius eſt factum fuiſſe ubi erat prior globus, & hunc factum fuiſſe ſub medio Cœli circulo, ſcilicet Æquatore: imò in Æquatoris & Eclipticæ ſectione in qua Sol poſitus eſt: ergo fuit ſine motu proprio. Et hæc quidem ſeſe rectè habere videntur. At quia ſupponimus de communi conſenſu materiam cunctorum corporum Mundum hunc integrantium die primo fuiſſe creatam: die autem ſecundo & tertio, duæ regiones Cœleſtis & Elementaris diſcretæ & perfectæ ſunt: non videtur ulla fuiſſe in Æthere materia, ex qua reliqui Planetæ ☽ ☿ ♀ ♂ ♃ & ♄ denſa, opaca valdéque magna fieri potuerint.

Itaque multò probabilior eſt altera noſtra ſententia, & ordini in reliquis duabus regionibus Cœleſti & terreſtri ſervato conſentanea, ſcilicet lucem primo die creatum fuiſſe quoddam corpus confuſum materiæ Planetariæ, in qua ſolaris prædominabatur cùm ex Aſtronomiæ mẽſuris, & præſertim Lansbergii calculos, Sol ſit ſaltẽ ſexies major reliquis omnibus Planetis ſimul ſumptis: quodque corpus ipſum die 4 diviſum fuit in ſeptem Planetas. Solem ☽ ♄ ♃ ♂ ♀ ☿, quos Deus ex ipſo globo effecit & ad propria loca demandavit ſupra & infra ſolem, quem in medio ut choragum ſuorum ſatellitum conſtituit, & ſingulis 7 Planetis proprios motus aſſignavit. Ideoque corpus lucidum primo die in Arietis principio collocatum fuiſſe, ſine ullo alio motu quàm diurno à primo Mobili: Solem autem quarto die factum, ex illo principio moveri cœpiſſe proprio motu boream verſus, & etiam omnes alios Planetas; quod valdè confirmat ſententiam Philoſophorum Indorum qui voluerunt omnes Planetas ſactos fuiſſe in principio Arietis, & inde etiam moveri cœpiſſe propriis motibus ad Boream. Paruiq; faciendæ ſunt rationes eorum qui opinantur lunam factam fuiſſe plenam ut præeſſet nocti, cùm præſit nocti tàm in Novilunio quàm in Plenilunio. Et facta in Novilunio potuerit conſpici ab Adamo die eodem quo factus eſt; congruentiuſque fuerit rerum principio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

cipio Lunæ incrementum & decrementum videri & obſervari ab ipſo Adamo per totum Menſem Lunarem; quàm priùs decrementum, vel finem Menſis Lunaris, ante ejus principium. Indeque rationem validam peti poſſe cur revolutiones Synodicæ Solis & Lunæ, tum aliorum Planetarum tam inter ſe, quàm cum Luminaribus, ſint adeò efficaces in hæc ſublunaria, quòd nempe initio creationis omnes Planetæ conjuncti fuerunt.

Porrò quod 7 Planetæ fuerint hoc die non ſolùm ab invicem diſcreti, ſed etiam ornatu ſibi congruo perfecti, probatur tum ex eorum motibus propriis, tum ex eo præſertim, quod in Luna deprehendantur montes, valles, foſſæ profundæ valde rotundæ, cùm diverſis partibus lucidis obſcuris, nec deſunt alia quæ Teleſcopio nondum licuit detegere. In ♀ autem ♂, ♃ & ♄ peculiaris ſtructura, vel ornatus conſpiciatur. Nec opinandum eſt per Stellas in textu Hebraicè *chochavvim* intelligi Stellas fixas, ut fit à plurimis; quamvis enim *chochavvim* quòdlibet aſtrum præter Solem & Lunam promiſcuè ſignificet, Planetis tamen peculiariter quandoque tribuitur ac præſertim Mercurio. Adde quod dicatur Stellas præeſſe diei atque nocti, vel ut habet verſio 70 interpretum dominari diei atque nocti. Ex Aſtrologiæ autem principiis certum ſit, quod ut Sol præeſt diei & Luna nocti, ſic ♄ ♃ ♂ ♀ & ☿ præſint diei atq; nocti; quæ res fuſiùs à nobis explicatur ad Aſtrologorũ mentem lib. 13. ſect. 2. c. 1. & 2. De Stellis autem fixis nunquam ab Aſtrologis traditum fuit, ipſas præeſſe diei atque nocti. Et hoc ſacræ Scripturæ Arcanum, prima Aſtrologiæ fundamenta continens, nulli hactenus Aſtrologiæ Scriptorum innotuit. Adde tandem quod cùm ſeptem Planetæ ☉ ☽ ♄ ♃ ♂ ♀ ☿ ſint ſeptem Rectores Mundi Sublunaris, Aſtrologorum experientiâ teſte: hic dies quartus ſeptem his corporibus diſtinguendis ac perficiendis; ideoque toti æthereæ regioni complendæ peculiariter debebatur: fixæ enim Stellæ non ſunt de hac Regione, ſed de Cœleſti quæ die ſecundo completa eſt: & juxta explicationem hanc, prima Aſtrologiæ principia egregiè in hoc Geneſis capite continentur; nempè quod Sol ſit Planeta diurnus & maſculinus; Luna nocturna & fœminina; Saturnus autem ♃ ♂ ♀ & ☿ diurni & nocturni, ideoque maſculini ſimul & fœminini, ut fuſiùs oſtendetur Lib. 13. cap. 2. ſupradicto: & ſint in ſigna & tempora, & dies & annos, nam ſi ſunt in ſigna, ergo ſunt in cauſas: & hoc eſt præcipuum Aſtrologiæ fundamentum; ut hæc omnia clarè à nobis oſtendentur Lib. 21. ſect. 1. cap. 6. 7.

Tandem quod Sol ☽ ♄ ♃ ♂ ♀ ☿ dicantur poſiti in firmamento Cœli, patet Moyſem loquutum fuiſſe juxta rudem ſenſum Hebræorum qui Regionem æthercam à Cœleſti neſciebant eſſe diſtinctam: ſed noctu videntes Planetas opinabantur illos eſſe in firmamento Cœli cum aliis Stellis à quibus ne quidem diſtinguere noverant ♄ ♃ ♂ ☿ ♀ lucentes inter alias Stellas ignotis eorum propriis motibus. Jam verò quòd Sol & multò minùs Luna ſint in firmamento Cœli, hoc eſt in Sphæra fixarum ridiculum eſſet opinari, quamvis id aſſerat Moyſes cum ſint in Æthere, quod nequit eſſe firmamentum vel Cœlum die ſecundo factum, atque hæc expoſitio ſatisfacit utcumque Theologis & Aſtronomis. At mihi videtur ſacrum Textum veriùs & planiùs ſic exponi poſſe. Nempè quod Moyſes per firmamentum Cœli ter repetitum non intellexit firmamentum ſecundo die factum quod à Deo vocatum eſt Cœlum, non enim hîc dicitur fiant luminaria in Cœlo, vel in firmamento jam luminaribus ſive Stellis fixis repleto, ſed dicitur in firmamento Cœli, quod non eſt aliud quam Æther qui eſt Cœli firmamentum ſive ſuſtentaculum immediatum, luminaribus indigens ut lucerent ſuper Terram à Stellis fixis ſive luminaribus ipſius Cœli minimùm illuminatam: quod autem Æther firmet ac ſuſtentet Cœlum patet ex contiguitate primorum Mundi corporum, quorum inferiora ſuſtentant ſuperiora, tum quod vas aëre plenum ſuſtentet etiam corpus grave ſuper aquam. Sic igitur ipſo die quarto tres Mundi Regiones, Cœleſtis, Æthcrea & Elementaris perfectæ fuerunt: & explicatio noſtra quadrat textui Moyſis & eis quæ ab Aſtronomis & Aſtrologis in Natura deprehenduntur.

Caput XI.

Quid factum ſit die quinto.

Die quinto dixit Deus. *Producant aquæ reptile animæ viventis & volatile ſuper Terram ſub firmamento Cœli*, &c.

Poſtquam tres Mundi regiones fuerunt perfectæ, & alimentis inſtructæ ad animantium pabulũ, tunc Deus animalia producere cœpit, & in hoc perfectionis ordinem obſervavit, producendo primùm piſces, tum aves, tum beſtias Terræ, ac tandem hominem animantium perfectiſſimum, & reliquorum omnium Dominum. Piſcium enim natura cæterls ſtupidior eſt, & ab hominis forma vel effigie magis aliena: tum avium, tandemque brutorum.

Non eſt autem hîc noſtri inſtituti piſcium volatilium & brutorum genera in ſuas ſpecies dividere, & eorum hiſtorias deſcribere, cùm hîc tantùm agamus de creatione & creatis in univerſum. Et præcipuum fuerit noſtrum inſtitutum inveſtigare, quomodo & quo ordine tres Mundi regiones Cœleſtis, Ætherea & Elementaris creatæ, diſcretæ & perfectæ fuerint; & quæ de his à nobis dicenda eſſent, cum ſacro Textu Moyſis, cum natura ipſa, & cum Aſtrologica ſcientia, reddere conſona; quod quàm accuratè ſit à nobis præſtitum, ſapientiores judicent: itaque de brutis in genere hîc tria tantùm proponentur obiter annotanda.

Primum: Quod eorum formæ ſpecificæ non conſiſtunt nec in primarum qualitatum temperamento, nec in figura vel propria ſtructura corporis; hæc enim omnia ſunt tantum accidentia, & diſpoſitiones requiſitæ ad formam ipſam quæ ſubſtantialis eſt. Nec moriente bruto forma ipſa annihilatur. Nam generatio & corruptio bruti ſunt quidem Naturæ opus; ſed Natura ut nihil ex nihilo facere non poteſt; ita aliquid in nihilum redigere nequit; eſtque ſolius Dei creare & annihilare.

Secundum: Quod omnia bruta ſunt diſciplinæ capacia ut patet in Equis, Elephantibus, Canibus, Avibus & aliis quæ ab hominibus inſtruuntur; etſi in Piſcibus hoc non ita facile ſit experiri. Ideoq; rationem aliquam participant: non quidem abſtractivam & capacẽ concluſionis univerſalis ut homines, bruta enim nullum univerſale cognoſcunt; ſed circa ſingularia etiam mirabilem. Quòd certè vix inficiari poterit, qui aranearum retia, apum alvearia hexagòna, hirundinum nidos, vulpium & luporum

cau-

cautelas, animalium gregatim viventium diſciplinam politicam, & mille alia quoque ſtupenda contemplatus fuerit in ſingulis animalium ſpeciebus: inter quæ non infimum locum obtinent, quod ſpecifici idiomatis quo utuntur ad ſuas paſſiones animæ ſignificandas, naturalem cognitionem habeant; tum aliorum animalium ſibi inimicorum, nec non herbarum ſibi medicinalium.

Tertium: Quod pro ſingularibus ſpecificarum propenſionum differentiis, & particularibus accidentibus vitæ, aut mortis, ſubjiciuntur Aſtrorum influxibus, eiſque ſine ulla reluctatione propria obſequuntur; præſertim bruta ſylveſtria: Nam domeſticorum paſſiones ab hominibus multùm cohibentur, & oves, boves, gallinæ, ſimiliaque animalia domeſtica in hominis alimentum à Deo deſtinata, & ab hominibus in hunc finem ſervata, etiam contra Aſtrorum decreta, morte violenta pereunt, inferiore facto prævalente ſuperiori. Atque in hoc rationem brutorum valdè exiguam aut potiùs duntaxat æquivocam eſſe patet: quòd ſcilicet neſciant quid ſit vita, & quid mors; atque videntes in lanienis ſociorum corpora diſcerpta, neſciunt quid illud ſit, quodque ſimiliter occidenda ſint: nam ſi hoc ſcierent, & ut decet apprehenderent, nunquam hominibus confiderent, ſed ab eis ut ſuis carnificibus effugerent, dum præſertim in agris liberè paſcunt. De ſupradictis verò plura dicendi, dabitur forſan occaſio in hujus voluminis progreſſu.

Poſita verò ſunt hæc omnia bruta ſub firmamento Cœli mediato, ſcilicet ſub Aere: Æther enim eſt firmamentum Cœli immediatum, ut ſuprà dictum eſt.

Caput XII.

Quid factum ſit die ſexto.

Die ſexto dixit Deus. *Producat Terra animam viventem, in genere ſuo. Iumenta,* &c. Tandemque eodem die *faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram; & præſit piſcibus Maris, & volatilibus Cœli, & beſtiis univerſæ Terræ.*

Hic primò quæri poteſt: cur Deus beſtias Terræ ac hominem eodem die produxerit, & non hominem ſeorſim die peculiari, cùm homo totius ſui operis caput eſſet, propter quem præcipuè reliqua omnia fuerant facta, quemque volebat dominari piſcibus Maris, volatilibus Cœli & beſtiis Terræ.

Reſpondeo, id ipſius hominis majeſtatem magis decuiſſe, & hunc Divinæ ſapientiæ ordinem, etiam ad praxim à Regibus Terræ; qui ſolemniter ingreſſuri alicujus Regionis vel ſui etiam Regni Metropolin, hanc non ingrediuntur ſolitarii, ſed præmiſſis ſubditorum ſuorum cohortibus inferioris ordinis; intrant deinde ſtipati purpuratorum & familiarium catervâ: quibus conſpectis à civitatis populo, non abs re conclamatur adeſſe Regem. Sic ergo Deus præmiſſis piſcibus & volatilibus quæ ſunt animalia inferioris ordinis & perfectionis, voluit hominem hunc Mundum intrare cum animantibus perfectioribus, ſibique ſimilioribus & magis familiaribus; nempe Elephantibus, Camelis, Equis, Bobus, Aſinis aliiſque jumentis & Terræ beſtiis ad ipſius hominis tanquam ſui Regis ſervitium deſtinatis.

Secundò quæri poteſt: An cùm Deus dixit producat Terrâ animam viventem in genere ſuo: Terra tunc ex ſe produxerit Boves, Equos, Elephantes, Leones, Cervos, & ſimilia bruta.

Reſpondeo nonnullos id opinatos fuiſſe: ſed falluntur; non enim eſt in poteſtate naturæ Bovem, vel Equum aliter producere quam viâ ordinariâ, ſcilicet per coitum & ſemina maris & fœminæ: alioquin id aliquando contingeret alicubi; at nullibi unquam obſervatum eſt Equum ſine Patre & Matre productum fuiſſe à Natura. Ergo neceſſe eſt ut Deus ipſe primos Parentes Equorum, Boum, Leonum & ſimilium brutorum produxerit, factis corporibus ex Elementis ac præcipuè Terrâ, iiſque animatis per verbum *fiat*. Qui verò contrariam ſequuntur ſententiam, non advertunt Moyſis textum pro plantis & animalibus; nam pro plantis dixit Deus *germinet Terra herbam virentem*, &c. Et ſequitur: *Et protulit Terra herbam virentem, lignumque faciens fructum.* Hoc quippè non excedit virtutem Terræ quæ plena eſt ſeminibus plantarum quæ in ipſa germinant, & ex ipſa ſuum hauriunt alimentum, ſed ad hoc Natura indiget tempore, & anni quartâ congruâ. Ideoque ut in Paradiſo terreſtri & aliis locis quibus Ver erat eſſent arbores & fructus tempore creationis, dicitur cap. 2. Geneſeos. *Produxitque Dominus DEUS de humo omne lignum pulchrum viſu & ſuave ad veſcendum*, &c. At pro piſcibus Aquæ, volatilibus Cœli, & jumentis, nec non beſtiis Terræ: Poſtquàm Deus dixit, *producant Aquæ* & *producat Terra*: ſequitur illicò quod Deus ipſe creaverit, vel fecerit piſces, volatilia, jumenta & beſtias; imò cap. 2. dicitur, quod *Dominus* DEUS *formaverit de humo cuncta animantia Terræ, & univerſa volatilia Cœli:* quippè quòd nec Aquæ, nec Terra ad has productiones animalium perfectorum ſufficerent. Quamvis ad multa reptilia & inſecta producendum calore Solis concurrente ſufficere valeant. His ergo circa bruta obiter duntaxat annotatis, jam de homine præcipuo Dei opere, Mundi hujus poſt Deum Domino, & noſtræ Aſtrologiæ ſubjecto primario, quæ ſcitu digniora, & hîc magis neceſſaria ſunt, differamus.

Caput XIII.

De Hominis Creatione.

Poſtquàm perfecti ſunt Cœli & Terra, omniſque ornatus ipſorum, & producti ſunt piſces, aves & beſtiæ Terræ. Dixit Deus ex cap. 1. Geneſ. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus Maris, & volatilibus Cœli, & beſtiis univerſæ Terræ, omnique reptili quod movetur in Terra. Et creavit DEUS hominem ad imaginem ſuam: ad imaginem DEI creavit illum, maſculum & fœminam creavit eos.* Ubi idem verbum creavit ter repetitum non obſcurè innuit Adamum & Evam à Deo naturâ uno, ſed perſonis Trino fuiſſe creatos. Primum creavit convenit Patri: Secundum Filio: Tertium Spiritui ſancto. Idque cum myſterio excellentiſſimo. Cæterùm creatio ipſorum generaliter tantùm hîc exponitur: Particulariter verò dicitur de Adamo cap. 2. *Quod DEUS formavit hominem de limo Terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus ſit homo in animam viventem*: Tandem in fine capitis pro Eva dicitur. *Immiſit ergo Dominus DEUS ſoporem in Adam: Cúmque obdormiiſſet tulit unam de coſtis ejus & replevit carnem pro ea. Et ædificavit Dominus DEUS coſtam quam tulerat de Adam in mulierem, & adduxit eam ad Adam, dixitque Adam. Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.*

Porrò

Porrò de Adamo duplex hîc occurrit actio Dei in illius creatione ſtudiosè notanda: Prima circa corpus quod Deus formavit de limo Terræ. Secunda circa animam, quam Deus in hominis faciem dicitur inſpiraſſe, ut ſic pateat hominis animam non à corporis intrinſeco vel primo principio, quale eſt cujuſque rei proprium ſemen prodiiſſe: ſed ab extrinſeco, quippè à Deo ipſo: quod verbum *inſpiravit*, vel *inſufflavit* egregiè denotat: Non quod Deus de propria ſua ſubſtantia Adami animam fecerit, eamque ipſius corpori immiſerit, cùm Deus ſit indiviſibilis: ſed quòd nullam aliam habuerit cauſam præter Deum ipſum; ac proinde Omnipotentiâ Dei fuerit creata & Adamo infuſa. De brutis verò non dicitur quòd Deus inſpiraverit in eorum corpora ſpiraculum vitæ, quippè quòd eorum animæ in ipſorum ſemine contineantur, ut ſuo loco probabitur, ex eoque prodeant, in illorum generatione.

Caput XIV.

De hominis Natura in genere.

PLotinus Enn. 3. Lib. 2. cap. 9. ait. Hominem tam pulchrum opificium eſſe, quam pulchrum eſſe poteſt. Et Triſmegiſtus in Aſclep. 2. vocat hominem magnum miraculum; & animal adorandum ac honorandum. Quod explicans Marſil. Ficinus in Plat. de Legibus Dial. 1. ait hominem eſſe miraculum, quia cùm ſit Divinus, mirum eſt eum à mortalibus affici, & cum ſit mortalis mirum eſt affici ad Divina: & ipſum eſſe Divinum miraculum quia à Deo eſt inſtitutum, ita ut Plotinus tantùm ad ſpeciem, Triſmegiſtus verò ad Naturam internam hîc attendiſſe videantur.

De utraque verò jam nobis agendum eſt; ſic tamen ut quæſtionem multiplicate, & diſcurſuum prolixitate vitatis; homo ſibi ipſi etiam excellenter innoteſcat. Et idcircò cùm de hac re ab annis 20. Pariſiis publicè diſſeruiſſem, noſtrique conceptus inſigni applauſu ab auditoribus eruditiſſimis excepti fuiſſent: videtur opportunum illos hîc clariùs exponere, quàm factum ſit ab aliquibus, qui eoſdem velut fœtus proprios, etſi imperfectè in lucem ediderunt, omiſſis rationum noſtrarum præcipuis, aliis verò non benè digeſtis.

Caput XV.

De hominis pulchritudine exteriori.

QUamvis pulchritudo dicatur de omnibus quæ vel ſenſu, vel intellectu percipi queunt, ipſaque ſit in genere ſplendor quidam ſummi boni, animum rapiens & amore accendens; propriè tamen de rebus corporeis ad viſus ſenſum pertinentibus, communiter ſolet enunciari: inter omnia verò aſpectabilia corpora, vel in Terra, vel in Cœlo (neque hoc Soli diſpliceat) nullum eſt cujus externa forma ſit auguſtior ac venerabilior, animamque dulciùs alliciat, quàm hominis vel fœminæ forma externa, dum ipſorum utervis, charactere pulchritudinis ſpeciei ſuæ proprio perfectè inſignitus eſt: ſi enim hæc forma à pedis planta ad capitis crines attentè ſpectetur, nulla pars invenietur quæ ſibi peculiari gratiâ & leocinio fortiter per oculos appetitui non inſultet. At dùm viſus in vultum perfectæ pulchritudinis incidit, veneranda quædam majeſtas cernitur, & occurrunt duo lumina amorem ſpirantia, quorum radii ſolaribus etiam radiis efficaciores, frequenter excæcant vel urunt quoſvis audentiores ad eorum coruſcationes ſuſtinendas. Quin etiam, cùm homini ſoli Natura ſive Deus, propriè vultum ſive faciem dederit; cæteris animalibus vel os, vel roſtrum: in hominis vultu adeò lucent Divinitatis radii, ut ejus aſpectu bruta etiam ferociora terreantur, mitiora verò ut ſpectaculo ſibi gratiſſimo mirè lætentur, fixoque intuitu in ipſum rapiantur: non tamen abſque timore, juxta illud Dei dictum ad Noe cap. 9. Geneſeos. *Terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animalia Terræ, & ſuper omnes volucres Cœli, & univerſis quæ moventur ſuper Terram.* Quod profectò admiratione dignum eſt, cùm homo ſit corpore multò minor Elephante, debilior Leone, tardior Lupo, &c: Nec tamen bruta viſo homine etiam nudo & parvulo, hunc aggredi audeant, ſed quaſi Deum ſuum viſibilem, ſive Regem naturaliter venerantes, ab eo cum pavore recedant.

Diutius non eſt immorandum circa hoc ſubjectum, quod omnium Poetarum conceptus nec hactenus potuere, nec poterunt unquam exhaurire, & ex quo ipſi etiam Architecti pulchriora proportionis ac ſymmetriæ deduxerunt principia & Theoremata; ſed ut etiam ultra humani ingenii captum concludam, dicere ſufficiat, Deum ipſum qui eſt eſſentialis & infinita pulchritudo, inter omnes à ſe creatas pulchritudines, hominis pulchritudinem elegiſſe, quam ſibi & hypoſtaticè & inſeparabiliter uniret; voluiſſeque ſpectari in Terris ſpecioſum formâ, ſcilicet humanâ, præ omnibus filiis hominum; atque naſci ex pulcherrima Virgine. Quod ſi primâ fronte tanta ſit hominis excellentia in eo duntaxat quod extrinſecum eſt: quid cenſendum erit de illis quæ eidem ſunt intrinſeca? Hæc autem dividemus in duas partes, materiam & formam, ſive corpus & animam, ex quibus homo ipſe componitur; & de corpore quidem pauciora dicemus, circa animam verò diutiùs diſſeremus.

Caput XVI.

De Humani Corporis ſtructura.

AD humani corporis ſtructuram conferunt, non ſolùm 4. Elementa & Æther, propriâ ſubſtantiâ & qualitatibus; ſed etiam corpora cœleſtia propriis ſibi qualitatibus & influentiis: Ac ex pauco ſemine illis principiis conſtante, inſtructoque mirabili ſpiritu, cui vis ineſt Architectriæ humani corporis ad imaginem ſpeciei, fit ab ipſo ſpiritu, Cœleſtium corporum influxu concurrente, ſtructura corporis humani; in tot partes ſimilares & diſſimilares diviſi, ut in eo numerentur plusquam 200. oſſa, totidem cartilagines, plurima ligamenta, quaſi innumeræ venæ, arteriæ, nervi & membranæ, & ferè 400. muſculi, præter porenchymata, ex quibus componuntur diſſimilares & organicæ partes, cor, cerebrum, jecur, lien, renes, ſtomachus, oculus, auris, manus, & aliæ, quarum ſigillatim ſi peculiaris ſubſtantia, temperies, ſtructura, figura, ſitus, connexio, uſus, & actio ſpectentur, & quomodo animæ facultates per eas operentur, nullus eſt Atheus qui fateri non cogatur, potentiam & ſapientiam eſſe aliquam infinitam,

tam, hoc eſt DEUM, qui circa illam fabricam quaſi luſiſſe videatur : & in cujus notitiam Galenus ipſe teſtatur, ſe perveniſſe anatome ſola, quæ fuit ejus præcipua & clarior Theologia, ut videre eſt in ejus Libris de uſu partium.

Quod ſi quis dixerit eadem in Equo, Cane, vel Simia præſertim reperiri, nec proinde eſſe homini propria. Reſpondeo cum Laurentio Lib. 1. Anatom. cap. 4. Quod ut in homine & cæteris animalibus par eſt vitæ & nutritionis ratio : Ita vitalium & naturalium organorum in his non eſt admodum diſſimilis ſtructura : ſenſus verò & motus in quibus animalitatis natura conſiſtit, quia in homine nobiliori formæ mancipantur, & ad diviniores uſus, quàm ad noxii fugam, cæteraq; appetitus objecta ſunt comparati, organa majori artificio conſtructa poſtulabant.

Idcirco ſolus homo habet caput naturâ rotundum cum cerebro ampliſſimo, & faciem Divinitatis radiis illuſtrem. Nullum animal præter hominem mammas in pectore habet, omnium quadrupedum crura priora & poſteriora contrario modo flectuntur quàm in homine. Nam homo brachia retrorſum flectit, crura antrorſum. Solus homo ad amuſſim rectus, crurum beneficio incedit, habetque pedes ad diu ſuſtinendam corporis molem idoneos: Indeque fit ut partes quas habet homo priores anterioreſque; pectus, ventrem, guttur; quadrupedes habent inferiores: quas autem ille poſteriores, dorſum, lumbos, nates, hæ habent ſuperiores. Sed ne diutiùs circa mirabilem illius ædificij ſtructuram occupemur, accedamus ad hoſpitem intus habitantem, & cujus cauſâ factum eſt.

CAPUT XVII.

De Hominis animæ ſupra brutorum animas eminentia.

MAxima eſt hominis prærogativa in eo quòd ſolus inter animalia ſui intrinſecum penetrare, ideoque ſeipſum extrinſecè ac intrinſecè valeat agnoſcere. Hoc enim nulli brutorum poſſibile eſt, quorum cognitio tantùm fertur ad externa, quatenus naturæ ſuæ congrua vel contraria : Ipſaque eſt fluxus ſine refluxu ad ſuum principium. At hominis cognitio habet fluxum ad extra & refluxum ad intra, quo ſeipſum in ſuis operationibus contemplari poteſt; indeque in altum ſe ſe extollere verſus rerum omnium primum principium.

Hæc autem homo habet formaliter ab anima ſua, quæ quamvis inde ab omnium brutorum animabus longiſſimè diſtare, maximèque differre prima fronte deprehendatur : tamen ſi amplior fiat comparatio, res evadet multò ad huc evidentior. Bruta enim ſine arte vivunt, aut ſi quædam artem habent, ut araneæ, apes, ad ejus ſolius uſum fatali lege trahuntur. E contra verò homines ſunt innumerabilium artium inventores quibus utuntur pro arbitrio : omneſque inferioris Mundi materias tractant, quaſi omnes homini ſubjiciantur : ſcilicet elementa, metalla, plantas & animalia, & ſingulorum analyſin ac principia ſcrutantur, & quæ volunt traducunt ad nobiliorem formam ſive gradum, quàm poſſit unquam ſola natura, ut ſcitur ab Alchymiæ peritis : horum verò bruta nihil ſciunt efficere. Ad hæc homo non uno contentus eſt Elemento, aut quibuſdam ut beſtiæ, ſed utitur omnibus pro arbitrio quaſi omnium Dominus. Terram enim calcat, imò currus invenit & jumenta domavit, quibus Terrâ vehatur: Ingenio mirabili naves excogitavit, cum Velorum, Ventorum, ac Cœli ſcientia quibus Maria ſulcet, ut quò voluerit per vaſtum Oceanum ſe transferat. Imò vaſa invenit quibus piſcis inſtar ſub aquis occultè progrediatur. Altiſſimis turribus aſcendit in aërem ac noſtro tempore tentatus eſt etiam volatus in aëre ad inſtar avium, & poſſibilis judicatus, ſed experimento periculoſus, ut olim fuere prima per Aquam itinerandi experimenta. Prætereà artem invenit utiliſſimam ignem accendendi, etiam, (quod eſt mirabile) per radios Solis, cujus ignem è Terra evocat, ſed quod longè majus eſt diſponit ad libitum de corporum cœleſtium viribus propriis ac motibus ad Medicinam, Agriculturam, Nauticam, & electiones circa vitæ propriæ vel aliorum hominum accidentia; bonis utens influxibus, & à malis ſe præſervans, quaſi cœleſtia corpora ejus dominio ſubjicerentur. Domat omnes feras, eaſque ſibi ſervire cogit; At quodnam brutum quidquam ex ſupradictis legitur unquam effeciſſe; aut hominem quempiam ad ſuam ſervitutem redegiſſe? Denique ſingula bruta vix ad ſui ipſorum, vel brevem natorum curam ſufficiunt. Unus autem homo tanta perfectione abundat, ut ſibi ipſi primùm imperet, quod beſtiæ nullæ faciunt, gubernet deinde familiam, adminiſtret rempublicam, regat gentes, & totius orbis imperium affectet, quaſi natus ſit ad regnandum. Taceo quod vitæ ac mortis notitiam habeat, Deumque totius Mundi, & ſuum Conditorem agnoſcat, ſummiſque honoribus colat, & poſt hanc vitam quid majus hoc toto Mundo ſperet : quorum ne ullum quidem in brutis omnibus apparet veſtigium. Tanta eſt igitur hominis animæ ſupra brutorum animas eminentia, ut qui eam fateri recuſat, non inter homines, ſed inter bruta ſit numerandus.

CAPUT XVIII.

De Hominis animæ gradibus ac potentiis in genere.

AN formæ ſubſtantiales educantur de potentia materiæ, definiendum reſervabimus in lib. 20. Hîcque nobis ſufficiet aſſerere, quod nulla talis forma eſt entitativè materialis : hoc eſt, neque eſt duntaxat materia; Alioquin corpus phyſicum conſtaret tantùm materiâ : neque eſt quid compoſitum ex materià & forma, alioquin eſſet corpus phyſicum, ſicque in corpore quod ipſa formaliter conſtitueret, duplex eſſet corpus phyſicum, & mutua ipſorum penetratio, quæ omnia ſunt abſurda; unde concluditur omnem formam ſubſtantialem eſſe entitativè immaterialem, quamvis dici queat determinativè & activè materialis; quatenus eſſentialem habet propenſionem ad informandam materiam, eamque determinandam ad ſpeciem aliquam phyſici corporis, atque in pluribus ſaltem actionibus à materia dependet,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

vel corpore organico, ut anima ab oculis in viſione, ab auribus in auditione, & ſic de aliis.

Quamvis autem omnis forma ſubſtantialis ſit entitativè immaterialis, non tamen inde ſequitur omnem eſſe ſpiritualem, nam entitativè immateriale non eſt idem quod ſpirituale; calor enim, color & lux ſunt quidem res immateriales entitativè, non tamen ſpirituales. Utque entitativè materiale & immateriale ſunt extremè oppoſita, ita corporeum & ſpirituale entitativè ſeu corpus & ſpiritus ſunt extremè oppoſita. Jam verò omne corporeum entitativè eſt diviſibile in partes entitativas. Ergo ſpirituale entitativè erit lege oppoſitorum indiviſibile. Atqui hominis anima eſt ſpiritualis, ergo erit entitativè indiviſibilis. Quod autem ſit ſpiritualis probatur 1. ex ejus primaria & eſſentiali actione quæ eſt intellectio per quam hominis anima non modò ea quæ ex ſe ſunt ſpiritualia, ut bonitatem, veritatem, unitatem, prima ſcientiarum principia, indeque ſcientias ipſas, Angelos, ipſumque DEUM apud ſemetipſam concipit ſpiritualiter, hoc eſt ſub Ideis ſpiritualibus ac entitativè indiviſibilibus; ſed etiàm omne ens corporeum à ſua phyſica corporeitate abſtrahit, & ſpirituali forma induit, per quam ipſum ens corporeum eſt in ipſa anima entitativè indiviſibile ac independens ab omni tempore, loco circumſcriptivo atque mutatione. Ergo anima ipſa eſt ſpiritualis in ſe, ideoque indiviſibilis: quale enim eſt agere proprium & formale, tale eſt eſſe, ac vice verſa. Probatur 2. experientia illorum qui patiuntur extaſin: anima ſiquidem rerum divinarum aviditate accenſa atque rapta, tanto impetu vires ſuas omnes inferiores à corpore ad ſeipſam retrahit ne ab illis impediatur in ſuo mentis exceſſu, ut corpus ipſum fiat inde frigidum, immobile, inſenſibile, pallidum & quaſi mortuum appareat, quandiu perdurat extaſis. Quod eſt evidens ſignum præcipuas animæ actiones, ſcilicet intellectuales non eſſe corporeas, alioquin ſe ad illas corpore potiſſimum applicaret, cùm è contra ſe tunc à corpore quantùm poteſt maximè retrahat, ideoque ſpirituales ſint neceſſe eſt, ac per conſequens anima ipſa ſit etiàm ſpiritualis. Affertur autem à me experientia hæc pro ratione validiſſima, quod ſcilicet illa in cœnobiis præſertim ſit ſatis frequens. Et qui attentiùs incumbunt ſcientiarum ſpeculationibus ſimile quid patiuntur, etſi gradu valdè inferius, illis enim maximè neceſſaria eſt quietudo mentis quæ non habetur niſi vires animæ inferiores à ſuis actionibus corporeis vel ſenſitivis retrahantur. Ergo hominis anima eſt ſpiritualis, ideoque indiviſibilis.

Objicies, hominis caput truncatum ſaltat, oculos movet, & quandoque mordet præſenſu doloris. Et ex Chalcondilæ hiſtoria Mahomet Turcarũ Imperator XII. juſſit Leontarij homines plures dividi in duas partes unico ictu acinacis præacuti circa diaphragma, quo facto pars utraque per tempus aliquod huc & illuc ſe ſe præ doloris ſenſu horrendè volutabat. Ergo in his anima in duas partes dividitur veluti in ſerpentibus & aliis brutis.

Fortunius Licetus lib. 1. de animarum coextenſione corpori, cap. 41. opinatur animam vegetantem & ſentientem ineſſe fœtui per ſemen, priuſquàm à DEO introducatur anima rationalis: atque hanc prorſus eſſe indiviſibilem ad diviſionem corporis, non autem illas, ideoque ad experientiam Mahometi cenſet abſcedere animam rationalem, & reſtare ſenſitivam in corpore diviſioni obnoxiam, à qua ſit illi motus. Verùm inde ſequeretur propriam hominis formam, à qua ſola habet ut ſit homo, non conferre gradum ſenſitivi, ſicque hominem quatenus homo eſt non eſſe formaliter vel eſſentialiter animal rationale, quod eſt abſurdum & contra hominis ipſius definitionem. Præterea ſi anima ſenſitiva & rationalis in homine realiter differrent, & diviſo corpore ſenſitiva tales motus cauſaret abſente rationali; multò magis in fœtus corpore integro ſimiles motiones excitaret ante adventum rationalis: ſicque juxta ritum Eccleſiæ, poſſet baptiſari fœtus abſente anima rationali, quod piaculum eſſet: non ergo in homine ſenſitiva & rationalis diſtinguntur realiter. His adde quod animæ in infernum detruſæ, ſua tormenta ſentiunt, ut fatebatur dives Epulo in Evangelio, ergo facultates rationalis & ſenſitiva ſunt inſeparabiles. Ideoque dicendum ad barbaram & crudelem experientiam Mahometi, nil mirum eſſe quod truncus in quo ſuperſunt caput, cor, pulmo, ſtomachus, forſanque jecur, primariæ hominis ejuſque vitæ partes, horrendè volutentur præ doloris ſenſu, quia anima adhuc moratur in illo trunco ad aliquod tempus, nec momento ictus acinacis abſcedit: Reliqua verò poteſt adhuc ſed breviori tempore moveri atque ſentire, non ab anima præſenti, ſed à valida impreſſione motus & ſenſus facta in illa parte ab anima illam violenter deſerente cui fortiter erat unita, ſed in capite truncato, totus truncus illicò cadit immobilis. Caput autem quod eſt præcipua ſedes animæ pro ſenſu atque motu, imò fons ſenſus & motus, ſaltat, oculos movet & mordet, vel quod in tali morte anima ſuperſit ad aliquod tempus in capite velut ad corporis arcem & motus, ſenſus & intelligentiæ ſedem retracta, vel ob validam impreſſionem ſenſus & motus factam in capite ab anima violentur avulſa. Sic enim lapis projectus movetur à virtute quam impreſſit motor, à quo lapis ſeparatus eſt. At in brutis, ut ſepentibus, avibus, piſcibus &c. diviſis, diuturnior ſenſus & motus in partibus, eſt ab anima diviſa ſingulas partes informante.

Cæterùm quamvis ſola hominis anima ſit naturæ ſpiritualis, ideoque in partes entitativas realiter indiviſibilis: non eſt tamen omninò ſimplex judicio intellectus, qui ipſam diviſibilem cernit in eſſentiam ipſius animæ ejuſque potentias. Non enim anima agit immediatè per ſuum eſſe; hoc DEO Soli convenit qui eſt ſumma ſimplicitas; ſed agit per virtutes ſive potentias aut ſibi annexas aut à ſua fluentes eſſentia. Veluti Sol agit in hæc inferiora mediatè per ſuam lucem, calorem & influentiam ab illo effluentem. Dicemus igitur eſſentiam vel ſubſtantiam hominis conſtare tribus gradibus, vegetativo, ſenſitivo & rationali ſive intellectuali: quorum ſenſitivus & rationalis inſunt ei formaliter: homo enim à ſua duntaxat habet anima quod ſit formaliter animal rationale, hoc eſt ſenſitivus & rationalis. Et hominis anima dum eſt in corpore agit, & patitur ſenſitivè per corpus; & etiam ſine corpore, ut in gaudio & triſtitia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

triſtitia ſpirituali; At dum eſt à corpore ſeparata (ut hîc aſſumimus ex fide Catholica & communi conſenſu gentium) agit & patitur ſenſitivè ſine corpore, quia eſt eſſentialiter ſenſitiva: quod enim eſſentiale eſt ſemper remanet, quoad eſſe & quoad agere ſive pati, ſed vegetativus gradus ineſt animæ hominis duntaxat virtualiter, ſemini verò omni, vel Embrioni ineſt formaliter, ut fuſius dicetur lib. 20. Eſt enim tantùm pro hac vita neceſſarius ad vegetationem, quæ nulla erit poſt hanc vitam, ſive anima ſit à corpore ſeparata, ſive eidem reſtituta.

Quod verò ad animæ hominis potentias attinet, hæ tres fluunt ab ejus eſſentia, ſcilicet cognitiva, appetitiva & loco motiva: Et quia totus homo conſtat corpore & anima, ſive carne & ſpiritu, quorum appetitus ſunt maximè diverſi, carne duntaxat carnalia ex ſe appetente, & ſpiritu ſpiritualia: Unde Divus Paulus jure ait. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum; & ſpiritus adverſus carnem.* Idcircò ad communem utrique vitam præſentem neceſſe fuit ut ipſa anima, vitæ principium atque cauſa, duplici potentia cognitiva, & duplici appetitiva eſſet inſtructa, nimirum cognitiva & appetitiva, rationali ſive ſpirituali, ad vitam & pabulum ſpiritui congruum, nec non cognitiva & appetitiva carnali vel ſenſitiva ad vitam & pabulum corporis ſive carnis: duæ ultimæ vulgò vocantur ſenſus, aut animæ pars inferior. Duæ verò priores vocantur ratio ſive animæ pars ſuperior. Facultas autem loco motiva eſt unica par quam anima in corpore ſeipſam & corpus ſuum movet localiter, extra corpus verò tantùm ſeipſam. De ſingulis igitur nobis jam agendum, initio facto à potentiis cognitivis ut ordine naturæ prioribus quæ ſunt ſenſus & intellectus: res enim priùs cognoſci debet quàm ametur vel odio habeatur, nec appetitus fertur in ignotum. Tandem verò actioni appetitus amore vel odio ſuccedit locomotiva ad proſecutionem boni abſentis, vel fugam à malo præſente. Et quia nihil cognoſcitur ab intellectu quod priùs non fuerit in ſenſu per ſe, vel per accidens, idcircò à primo omnium ſenſu nobis erit inchoandum. Neque in infra dicendis ſequemur doctrinas ſcholarum quæ frequentiùs fallunt, ſed naturam rerum ſpectabimus, quæ ſola veritatem continet.

Caput XIX.

De ſenſu & quotuplex ſit in homine.

Senſus eſt facultas animæ cognitiva quæ per ſe verſatur circa objectum quodvis ſenſibile. Eſt autem duplex objectum ſenſibile in genere; nempe proprium & commune: ſenſibile proprium à me dicitur, quod per unicum tantùm ſpecie organum ſenſitivum cognoſcitur: ut color qui tantùm per oculum cognoſcitur. Commune verò eſt quòd per plura ſpecie organa ſenſitiva percipitur, ut quantitas quæ oculis & manibus deprehenditur. In ſpecie autem quintuplex eſt objectum ſenſibile proprium: nimirum viſibile quod per oculos, audibile quod per aures, odorabile quod per proceſſus mammillares ad radicem naſi, guſtabile quod per linguam, & tactile quod per cutem & membranas.

Porro omnis creaturæ cognitio, eſt quædam paſſio & receptio formæ quæ priùs non inerat potentiæ cognoſcenti; quâ idcircò potentia ipſa ejuſque objectum uniuntur. Non tamen objectum ſenſibile afficit formaliter potentiam ſenſitivam, ſed ejus duntaxat organa, ipſam verò potentiam duntaxat objectivè movet: quippè potentiam ipſam ad ſe convertendo, eamque determinando. Ideoque propriè vocatur objectum potentiæ, non autem organi, cui etiàm convenit formaliter calefieri, frigefieri, &c. non autem potentiæ ſenſitivæ: ſed neque hæc ſemper movetur ſimul tempore cum organo, ut patet in dormiente, oculis, auribuſque apertis, qui nec videt nec audit, nec calorem ſentit, quamvis in ejus oculos, aures & cutem color, ſonus, & calor imprimantur: ſed priùs movetur organum, potentia verò per impreſſionem in organo factam convertitur ad ipſum objectum, duntaxat animâ per potentiam ipſam ſufficienter attendente ad illam impreſſionem, vel objectum præſens quod afficit organum; per quam attentionem fit ſenſatio, quaſi ſenſus actio, quæ formaliter eſt objecti ſenſibilis ab anima ad ipſum objectum converſa & attenta, vitalis per ſenſum perceptio vel expreſſio: Non enim ſat eſt objectum ſenſibile imprimi organo, ſed oportet exprimi à facultate ſenſitiva, illiuſque actionis terminus eſt ipſius potentiæ actus intrinſecus vel immanens, quo actuatur ipſa, atque unitur objecto, fitque ipſum objectum non formaliter, ſed tantùm cognitivè; Eſtque objectum ipſum in anima, non ut ſenſibile, ſed ut ſenſatum, vel ſenſu perceptum.

Quippè ſciendum eſt, animam eſſe centrum atque fontem ſuarum facultatem ab ipſa fluentium. Et ſingulis congruas eſſe in corpore partes præcipuas, quas informent, & quibus veluti propriis ſoliis inſideant; indeque pro ſingularum vi atque natura totum corpus gubernent, & animæ ſubſerviant. Ut ergo facultas naturalis reſidet in jecore, indeque totum corpus alit per venas & ſanguinem, & facultas vitalis reſidet in corde, indeque per arterias & vitalem ſpiritum, corpus totum vivificat: Sic facultas animalis ſive ſenſitiva reſidet in cerebro, ut in proprio & principali ſuo ſubjecto materiali, indeque per nervos & animalem ſpiritum, toti corpori ſenſum atque motum tranſmittit, & animæ cognitionibus ſubſervit. Tranſmittit autem ſenſum & motum per irradiationem ſuam ex cerebro in organa ſubalterna ſenſus, ſcilicet oculos, aures, nares & cætera. Et probatur hæc irradiatio, quia ſub nervi ligatura non fit ſenſatio tactibus objecti applicati; nec obſtructis meatibus nervorum opticorum, fit viſio lucis aut coloris præſentis: quod ſignum eſt evidens facultatem ſenſitivam non ineſſe organo viſus, ſcilicet oculo; aut tactus, verbi gratia pedi, niſi per irradiationem ipſius facultatis à cerebro, ubi facultas ipſa reſidet; quæ irradiatio vel influxus fit per ſpiritum animalem nervis incluſum, & per ipſos tranſmiſſum ad ſenſationem, cum facultatis attentione: hæc enim omnia ſunt ad ſenſationem abſolutè neceſſaria.

Hîc autem objiciet aliquis; quod ſi nervi ligatura impedit, quo minùs pars ſub ligatura ſentiat: Ergo facultas ipſa erit entitativè materialis, ideoque non effluet ab hominis anima ſpirituali: alioquin ſi eſſet immaterialis ligaturam penetraret, cùm ſub ligatura non deſint ſpiritus à ligatura intercepti: Ideoque ſub ligatura fieret ſenſatio contra experientiam.

Sed Reſpondeo, non inde ſequi facultatem ſenſitivam eſſe materialem, ſed tantùm quod ſenſatio fieri non poſſit per ſpiritum interceptum à ligatura atque diſcontinuum; ſed neceſſaria ſit continuatio ſpiritus à cerebro, unde facultas irradiat uſque ad partem affectam ſenſibili, quam continuationem ligatura impedit. Neque hoc de facultate ſenſitiva mirandum eſt, cùm ipſe intellectus in cerebro aut pravè confirmato, ut in ſtultis pluribus, aut inſigniter diſtemperato, ut in phreneticis aut maniacis; ſua intellectionis munia obire non poſſit, ſed inprimis ſaltem operationibus ſuis pendeat à cerebro in quo ipſe operatur utcumque ſit ſpiritualis.

His præmiſſis jam videamus quomodo fiat ſenſibilis objecti ſenſatio. Primò igitur ſenſibile per ſe, ut calor, ſonus, ſapor, &c. efficienter movet organum ſenſus externum; quippe color oculum, ſonus aurem, ſapor linguam, &c. Quodlibet autem objectum ſenſibile afficit organum vel immediatione ſuppoſiti, vel immediatione virtutis. Quæ non agunt in diſtans ut ſapor, ſoliditas, ſcabrities, levitas, afficiunt organa guſtus & tactus immediatione ſuppoſiti: At quæ agunt in diſtans ut calor, lux, color, ſonus, odor afficiunt organa tactus, viſus, auditus & odoratus immediatione virtutis ſuæ; nec ad ſui ſenſationem producunt ullam ſpeciem. Non enim Sol vel carbo ignitus indigent ſpecie caloris ut calefaciant manum poſitam intra ſphæram activitatis ipſorum, ſed ipſi manui proprium calorem imprimunt effuſum per totam ſphæram: Eòque validiùs imprimunt quò manus fuerit propinquior, & validiſſimè in ipſo contactu. Idemque dicendum de corpore lucido reſpectu oculi, quandoquidem lucidum agit in diſtans: Quod verò ad coloratum attinet, nulla etiàm ab eo producitur ſpecies, ſed videtur per lumen ab eo reflexum, ut diximus lib. 11. cap. 11. 12. Tandemque ſonus & odor, cùm etiàm agant in diſtans afficient aures & nares poſitas intra ſphæram activitatis ipſorum: ſicque omnis ſenſatio externa fiet ſine ſpecie à ſenſibili externo producta, contra hactenus receptam veterum Philoſophorum opinionem.

Quoniam verò anima immediatè unita eſt ſuæ facultati ſenſitivæ in cerebro principaliter reſidenti, ac per eam ſemper attendit ad ipſius facultatis organa externa, irradiatione ejuſdem facultatis in ipſa per ſpiritus animales; debiliter quidem durante ſomno, fortiter autem durante vigilia: perpetuò ſervata attentionis & irradiationis hac proportione, ut forti attentioni correſpondeat fortis irradiatio, & debilis debili: Igitur dum objectum ſenſibile movet ſive alterat organum, verbi gratia, calor pedem; Ipſa facultas ad impreſſionem in pede factam converſa atque attendens ac irradians, exprimit ſeipſa ſpeciem alterationis in organo receptam, quæ ſpecies expreſſa, eſt terminus actionis immanentis ipſius facultatis ſenſitivæ, ſive ſenſationis: Exprimitur autem ſpecies ipſa in pede; nam dum pes uritur vel pungitur, uſtio vel punctura ſentitur in pede, non autem in manu vel capite: At ſpecies expeſſa remanet in facultate; quippè quòd ſenſatio ſit actio immanens. Sicque anima naturalem ſuam cognoſcendi ac fruendi ſitim per facultatem ſenſitivam incipit extinguere; & indifferens ex ſeipſa, determinari circa objectum ſenſibile.

Facta autem ſenſatione objecti ſenſibilis, multùm laborant Philoſophi in excogitanda via, quâ objectum ipſum uſque ad intellectum deducant, ut intellectualiter cognoſcatur. Plureſque imaginati ſunt Januas, quarum ſingulis ſingulæ præſint facultates inter ſe differentes ac ſubordinatæ; ac unaquæque proprio ſibi modo veſtit objectum; alioquin ulteriùs progredi & à ſuperiore facultate admitti non poſſet. Communis igitur opinio eſt quod ſint 6. ſenſus externi, ſive 5. facultates ſenſitivæ externæ. Nempe viſiva in oculo, auditiva in aure, odorativa in proceſſibus mammillaribus, guſtativa in lingua, & tactiva in cute, inter ſe formaliter ac realiter differentes: Et harum quamlibet facta ſenſatione objecti proprij, hujus ſpeciem producere in ſenſu communi, quæ & objectum & ejus ſenſationem externam repræſentet: ſenſum verò communem rurſus aliam ſpeciem in phantaſia efficere, & à phantaſia ad intellectum, aliam rurſus eſſe neceſſariam; Et has facultates ſenſum communem, phantaſiam & æſtimativam, vocant ſenſus internos, ab externis ſupradictis & inter ſe ſpecificè ac realiter etiàm differentes. Quomodo autem ſpecies illæ à ſenſibus externis & internis producantur, explicare nequeunt, ſed difficultatum in extricabilibus labyrinthis ſe ſe implicant, multòque magis illi qui ab objectis ſenſibilibus externis immediatè produci volunt ſpecies in ipſo intellectu: Hæc eſt autem mea ſententia.

Quod non ſolùm ſenſus communis, phantaſia æſtimativa, & memoria ſenſitiva ſunt duntaxat unica ſpecie facultas ſenſitiva interna: ſed (quod ampliùs eſt) facultates videndi, audiendi, odorandi, guſtandi, ac tangendi eſſe unicam duntaxat ſpecie facultatem ſenſitivam externam, & (quod pleriſque durioris erit digeſtionis) facultatem ſenſitivam internam, & facultatem ſenſitivam ſenſitivam externam: eſſe duntaxat unicam & ſpecie & numero facultatem ſenſitivam. Quod ſi verum eſſe probavero, nonne cerebrum inde mirum in modum alleviabitur & extricabitur? Rem autem ſic ſe habere, multis oſtendi poteſt rationibus.

Prima eſt quia in organis externis ſenſus, nulla fit ſenſatio ſine irradiatione & attentione facultatis ſenſitivæ in cerebro reſidentis, ut patet in ligatura vel obſtructione nervi delati ad ſenſorium. Ergo ſenſatio per organa externa fit ab ipſa facultate in cerebro reſidente, aliaque particularis facultas in organo, ut viſiva in oculo ſuperflua eſſet.

2. Si in organo eſt potentia ſenſitiva differens à ſenſu interno qui reſidet in cerebro: cur dormiens oculis apertis interdiu non videt objecta oculis ſuis expoſita? Et à quo impeditur potentia

illa

illa ſenſitiva, cùm adſit congrua oculi temperatura (quam Medici ipſam eſſe videndi facultatem falsò dicunt) & ſpiritus animales non deſint, nec potentia illa ſit in oculo ab anima ſeparata?

3. Si in oculo eſſet potentia viſiva diſtincta à ſenſu interno qui reſidet in cerebro: Ergo quoniam omnis ſenſatio eſt actio immanens potentiæ ſentienti illa, produceret in ſeipſa viſionis ſuæ terminum, qui eſt ſpecies objecti viſibilis quatenus viſi; proindeque non eam produceret in interno ſenſu. Quanam igitur ratione ſenſus internus cognoſcet illam ſenſationem externam? Non enim potentia viſiva externa movet ſenſum internum efficienter, quippè quod ut jam dictum eſt ejus actio ſit immanens. Quod ſi dicatur movere objectivè per illam ſpeciem, quæ & objectum ſenſibile externum, & ejus ſenſationem repræſentat: Quæram primò qua ratione ſenſus internus ex ſe indifferens determinetur ut potiùs ad oculi quàm auris objectum & ſenſationem convertatur? Secundò dicam certiſſimum eſſe & ab omnibus receptum, ſenſum intern priùs ſaltem naturâ attendere per oculum ad viſibile externum quàm fiat viſio & producatur illa ſpecies; nec fieri viſionem ſine tali attentione; proindeq; eſſe ipſum ſenſum internum qui videt & producit in ſeipſo illam ſpeciem, quam etiam abſente objecto conſervat, & non viſivã potentiam externã quę nulla eſt diſtincta à ſenſu internó, aut planè ſuperflua foret.

Eademque eſt ratio de ſingulis aliis potentiis ſenſitivis externis, quas veteres Philoſophi ac Medici nobis tradiderunt, realiter diſtinctas à ſenſibus internis. Ac proinde illæ potentiæ nihil aliud ſunt quàm unica numero potentia ſenſitiva interna, quam generico nomine ſenſum appellamus, ut ex objectionibus patebit adhuc evidentiùs.

Itaque primò objicietur. Ex doctrina ſuprapoſitâ ſequi, quod viſiva potentia & auditiva erunt eadem ſpecie & numero potentia ſenſitiva; quod quàm ſit abſurdum, Sole clariùs patet: Tum quia objectis formalibus differunt, à quibus ſpecificantur: objectum enim viſivæ potentiæ eſt lux vel color, objectum autem auditivæ eſt ſonus. Tum quia differunt ſubjectis, viſiva enim eſt in oculis, & auditiva in auribus, ergo ſpecificè & realiter differunt.

Sed reſpondeo: Viſivam & auditivam potentiam ſpectari dupliciter: quippè in ſe & in ſuis organis. In ſe ſunt eadem numero facultas quæ videt & audit, quippè ſenſus, qui ſpecificatur à ſenſibili in genere: diverſas enim actiones eſſe ab eadem cauſa frequens eſt in natura. Nam idem Solis calor ſimul tempore lutum indurat & ceram liquefacit. Et eadem Solis influentia eſt ſimul tempore uni nato cauſa vitæ, alteri mortis, alteri dignitatum, alteri liberorum. Unde etſi videre & audire non ſint idem, erit nihilominus eadem facultas videndi & audiendi. Ratione verò organorum dici queunt diverſæ potentiæ, quatenus per illa diverſimodè ſpecificantur ab objectis ſenſibilibus ſpecie diverſis; ſed tantùm per accidens & ratione ſenſorii, ſeu organi. Veluti etſi color dicatur eſſe per ſe objectum viſus, & per accidens factus; hoc erit tantùm ratione organi & non potentiarum in ſe cùm ſint unica potentia. Eſt igitur ſenſus re unicus, in cerebro reſidens; cui pro ſpecifica diverſitate ſenſibilium data ſunt organa ſive ſenſoria diverſa; in quæ irradians & per ipſa quaſi ex ſpecula attendens ad objecta ſenſibilia, eorum venatur cognitionem ſenſitivam: & videt per oculum quia oculus eſt organum ad id aptum; & ita de cæteris. Atque ſic in animali facultate, attractrix, retentrix, coctrix & expultrix ſunt unica ſpecie & numero facultas altrix, quæ per diverſa organa diverſas edit actiones.

Quod ſi potentiæ illæ eſſent per ſua ſubjecta diſtinguendæ; ſequeretur in homine duas eſſe potentias viſivas realiter diſtinctas, quia ſunt duo oculi, & duas auditivas ob duas aures, quod tamen eſt inauditum: præſertim quòd facultas videndi pereat in uno oculo & non in altero: atque ſic de audiendi facultate, ſed poſita unica ſentiendi facultate in cerebro, facile patet, quod ſi ambo oculi fuerint ſani videbit per utrumque: ſi unicus, tantùm per hunc: ſi neuter, per neutrum quidquam videbit; nec per aliud organum, quia nullum aliud eſt aptum ad videndum.

Objicietur ſecundò: Vulgò receptum eſſe potentias ſpecificari ab objectis, ergo quot ſunt ſpecies objectorum, tot erunt potentiarum: ſed ſunt 5. ſpecies objectorum ſenſibilium, nempe viſibile, audibile, &c. Ergo 5. ſpecies potentiarum.

Reſpondeo, potentiæ objectum eſſe duplex, adæquatum ſcilicet ac inadæquatum. Potentia autem ſpecificatur eſſentialiter ab objecto adæquato, quod unicum eſt; non autem ab inadæquato quod multiplex eſt. Atque ſic ſenſitiva hominis potentia ſpecificatur à ſenſibili, non autem à viſibili. Quod ſi arguatur: Atqui viſibile eſt objectum adæquatum viſivæ potentiæ, auditivæ, &c. Ergo viſiva & auditiva ſpecie differunt. Reſpondendum, quod potentia viſiva dupliciter ſpectanda eſt: quippe eſſentialiter & accidentaliter ratione organi. Poſteriore modo viſibile eſt ejus adæquatum objectum, non priore: ergo illam ſpecificat, accidentaliter concedo; eſſentialiter nego.

Objicietur tertiò: Animal priùs agere ſenſu externo quàm interno, ſive phantaſiâ. Ut patet ex infante, qui priùs percipit guſtu atque tactu, quàm phantaſia vel imaginatione aut æſtimativa, ergo illi ſenſus externi differunt ab interno, nec ſunt eadem potentia.

Reſpondeo, falſum eſſe antecedens; cùm ſenſus externus & phantaſia, vel ſenſus internus, ſunt eadem ſententia. Sed diverſas eſſe ac differentes ejus actiones ordine, tempore atque perfectione, præſertim in infante omnis cogitationis primò experte: quem priuſquàm rei viſæ idolum retineat & de eo judicet, opus eſt per oculum rem ipſam pluries intueri, attentéque inſpicere, ut iis accidit qui ſcripta vel audita non primo intuitu vel auditu, ſed pluries viſa, vel audita memoriter diſcunt: quia, ſcilicet, difficilior eſt retentio atque judicium, quàm ſimplex viſio. In brutis verò plurimis ut Ove reſpectu Lupi, & Pullo reſpectu Milvi nunquam antea viſi. Naturæ ſagaci providentiâ primo etiam intuitu ſenſus internus operatur per modum æſtimativæ.

Objicietur quarto: Quod ſi ſenſus externus & phantaſia eſſent à parte rei una numero potentia; ſequeretur quod non fieret duplex expreſſio ſpeciei, objecti ſenſibilis, ſed fit duplex expreſſio talis ſpeciei, ut caloris pedem adurentis; una in pede à ſenſu externo quæ eſt fugax, verè enim uſtio ſentitur in pede & non in manu: altera in cerebro quæ eſt conſtans & repræſentatur phantaſiæ abſente objecto: Ergo non ſunt una numero potentia.

Reſpondeo, fieri duntaxat unicam expreſſionem ſpeciei caloris, ſcilicet, in pede, ſed quia eadem eſt facultas ſenſitiva in pede ac in cerebro; cerebrum autem ad ſpecierum conſervationem aptum eſt, non autem pes: Idcircò conſervatur in cerebro

& non in pede. Quod autem ſit eadem facultas quæ exprimit in pede & reſidet in cerebro probatur; quia niſi facultas reſidens in cerebro fieret pedi præſens per irradiationem & attentionem, impediente obſtructione vel ligatura, nulla fieret in pede expreſſio vel ſenſatio.

Cæterùm ſenſus internus non eſt ſpecie vel numero multiplex, ſed unicus; qui dicitur ſenſus communis, quia ſpecies omnes objectorum ſenſibilium percipit per oculos, aures, &c. Et dicitur etiam phantaſia, quia objecti ſenſibilis ſpeciem vel phantaſma exprimit vel fabricat; Et dicitur etiam memoria ſenſitiva, quia ſpeciem ipſam in ſeipſo conſervat, eamque ſibi abſente objecto externè ſenſibili repræſentat: tandemque vocatur æſtimativa, quia de rebus per organa externa perceptis judicat, eaſque ſub ratione boni vel mali apprehendit: hæc enim omnia operatur anima per unicam ſpecie & numero potentiam ſenſitivam. Veluti de communi conſenſu per unicum intellectum percipit vel ſimpliciter apprehendit objecctum intelligibile, & poſteà de illo judicat: Neque ad hæc dantur duæ potentiæ intellectivæ, ſpecie vel numero diſtinctæ, ut infra patebit clariùs. Unde patet non modò ſuperfluam, ſed abſurdam quoque eſſe potentiarum ſenſitivarum multiplicationem realem, tam intra quàm extra cerebrum. Atque hæc de ſenſitiva potentia ſufficiant.

Caput XX.

De appetitu ſenſitivo, & quotuplex ſit.

POſtquam anima ſenſu percepit objectum ſenſibile, de ipſoque judicium tulit, apprehendens ſcilicet ipſum ſub ratione boni vel mali ſenſibilis: tunc eadem anima per aliam potentiam quæ dicitur appetitus ſenſitivus, circa illud operatur. Nempè ipſum appetens, ſi apprehenſum fuerit ſub ratione boni vel amabilis; abhorrens verò ſi apprehenſum fuerit ſub ratione mali, vel odibilis: hæque duæ potentiæ ſenſus & appetitus ſenſitivus vulgò dicuntur in homine pars animæ inferior. Et quamvis appetitus dicatur eſſe duplex à Philoſophis, nimirum concupiſcibilis qui in bonum obtentu facile ferri putatur, per actiones deſiderij, amoris, voluptatis; & iraſcibilis qui in bonum difficile vel arduum fertur, per actiones ſpei, audaciæ, iræ: tamen unicus duntaxat eſt appetitus à parte rei: quia ſcilicet bonum ſenſibile quod eſt objectum adæquatum appetitus ſenſitivi, comprehendit facile & difficile obtentu: Utque ejuſdem eſt potentiæ ſenſitivæ apprehendere objectum ſenſibile ſub ratione boni & mali: ita erit ejuſdem potentiæ appetitivæ, objecti apprehenſi præſentiam vel abſentiam appetere: Utraque enim appetetur ſub ratione boni, quod eſt objectum ad æquatum appetitus.

Porrò præter objecti ſenſibilis perceptionem & judicium de ipſo latum ut ſuperiùs dictum eſt; nulla alia intervenit operatio alterius facultatis animæ aut ſupradictæ potentiæ ſenſitivæ: quâ moveatur vel determinetur appetitus ad objectum ipſum appetendum vel abhorrendum, ſed ab anima ſola movetur efficienter; quod ex eo patet evidenter, quia potentia ſenſitiva agit duntaxat immanenter; Ergo non movet efficienter appetitum, qui nec etiàm objectivè moveri poteſt, vel à phantaſmate, vel ab objecto ſenſibili externo, cùm appetitus ipſe ſit cognitionis incapax: Cùm autem nunquam feratur in ignotum, ſufficit ut eadem anima quæ unitur potentiæ ſenſitivæ ad cognoſcendum ſenſibile objectum, reperiatur etiàm unita appetitui; ut cognito objecto per ſenſum, illud immediatè appetat vel reſpuat per appetitum: quandoquidem anima ſuis potentiis immediatè unita, dum per unam determinatur circa objectum aliquod, poteſt ſine ullo impedimento circa idem objectum agere per aliam potentiam: nec ad hoc aliud requiratur quàm unio animæ cum ipſa potentia. Sic igitur appetitus à ſola movetur anima per potentiam ſenſitivam circa objectum ſenſibile determinata. Cæterùm appetitus actionem, non ſolùm præcedit actio ſenſus, ſed comitatur aliqua humorum commotio in animali, ſi præſertim ipſa appetitus actio fuerit intenſa; Ut in gaudio vel triſtitia, nec non timore vel ira perſpicuum eſt: unde ipſæ appetitus actiones jure meruerunt paſſiones appellari, quibus agitatur pars inferior animæ, ob apprehenſionem ſenſibilis objecti ſub ratione boni vel mali.

Caput XXI.

De intellectu, & qualiter ipſe operetur repudiata ejus diviſione in agentem & poſſibilem.

PArte animæ inferiore, perluſtrata jam ad ſuperiorem nobis aſcendendum eſt, ſcilicet intellectum & voluntatem, potentias homini proprias: quibus à reliquis animantibus differt, ipſiſque ſupereminet. Se habent autem inter ſe intellectus & voluntas, ut ſenſus & appetitus ſenſitivus inter ſe: ſenſus enim & intellectus ſunt animæ potentiæ ad cognoſcendũ; appetitus autem ſenſitivus & voluntas, potentiæ ad appetendũ: ſed ſenſus & appetitus ſenſitivus, tantùm verſantur circa materialia & corporea: Intellectus verò & voluntas præcipuè circa ſpiritualia. Intellectus enim eſt potentia cognoſcendi ſpiritualis, cujus objectum circa quod, eſt omnis veritas.

Quoniam igitur communis eſt Philoſophorum ſententia nihil eſſe in intellectu quod priùs non fuerit in ſenſu: acerrimè huc uſque certatum eſt inter illos, quomodo res ſenſu percepta tranſeat in intellectum, quem fatentur eſſe unicam animæ facultatem ſpiritualiter cognoſcendi. Tria enim ut certa ſuppoſuerunt. Primum, ſenſum, ejuſque ſpeciem ſive Phantaſma, eſſe res materiales & corporeas. 2. ſpirituale, qualis eſt intellectus, pati non poſſe naturaliter à corporeo. 3. eſſe nihilominus neceſſe intellectum aliquid recipere, per quod ad intelligendum determinetur; Cùmque adverterent ſenſum nec per ſe nec per ſuum Phantaſma agere poſſe in intellectum; ſecuti Ariſtotelem. lib. 3. de anima cap. 5. intellectum diviſerunt in agentem & poſſibilem; & cuilibet munus proprium aſſignaverunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Dixerunt igitur intellectum agentem converti ad phantaſma ſive ſpeciem objecti ſenſibilis, expreſſam à potententia ſenſitiva; converſum verò producere ſpeciem intelligibilem repræſentativè ſimilem phantaſmati; illamque imprimere intellectui poſſibili, ſicque phantaſma illuſtrare, efficere objectum actu intelligibile, & poſſibilem intellectum actuare; cum ponendo per talem ſpeciem impreſſam in potentia proxima ad intelligendum. Ad ipſam verò ſpeciei productionem; neque phantaſiam neque Phantaſma ullo modo phyſicè & efficienter concurrere, niſi forſan objectivè per modum exemplaris. Illam verò ſpeciem impreſſam intellectui poſſibili, ab hoc exprimi, ſicque intellectionem fieri. Qui intelligendi modus, quantùm ſit rationi contrarius ita probatur.

Nam primò. Cùm intellectus ſit unica facultas ſpiritualis, proindeque realiter indiviſibilis, ergo ejus diviſio in agentem & poſſibilem erit dũtaxat fictitia, proindeq; id omne quod ſequitur ex ea diviſione erit etiam fictitium, nec erit à parte rei.

2. Suppoſita intellectus diviſione reali in agentem & poſſibilem, certum eſt animæ facultates ad cognoſcendum deſtinatas agere duntaxat immanenter, proindeque intellectus agens, tantùm in ſeipſo, & nõ in intellectu poſſibili producet actionis ſuæ terminum.

3. Aut intellectus agẽs percipit phantaſma, vel non: ſi hoc, (quod etiam concedunt) nonnè ſuperflua, imò ridicula redditur illius converſio ad phantaſma, ut ejus imaginem ſpiritualem producat? Nunquid cæcus judicabit de coloribus, & unum potiùs quàm aliud phantaſma depinget? Cùmque ſit ex ſe indifferens ad quamcumq; ſpeciem producendam; à quo & quomodo determinabitur ad ſpeciẽ huic phantaſmati potiùs quàm alteri ſimilem producendam? Si verò phantaſma percipit & cognoſcit; hoc aliter fieri nequit, quàm ejus intellectualem ſpeciem vel imaginem exprimendo in ſeipſo immanenti actione; quæ expreſſio eſt verus & proprius intellectionis terminus; quamobrem ſuperfluus erit intellectus poſſibilis; hic enim aliud efficere nequit quàm id ipſũ quod ab agente factum eſt. Et cùm intellectus agens & poſſibilis ſunt idem re, ergo ſi agens percipit phantaſma, ergo & poſſibilis, ideoque ſemper eorum alter erit ſuperfluus.

Cùm igitur hæc ita ſe ſe habeant, tantùm ſupereſt aſſerendum, animam per intellectum eodẽ modo agere, quo eandẽ per appetitum ſenſitivum agere probatum eſt. Nimirum poſtquàm per ſenſum vel etiam appetitum ſenſitivum determinata eſt circa objectum ſenſibile, quod ex ſe ſoli patet ſenſui; tunc ipſam ex vi ſuæ connexionis immediatæ cũ omnibus ſuis potentiis, agere circa idem ſenſibile per intellectum, ſpiritualẽ cognoſcendi potentiam, excellenti lumine præditam, nõ modo ad rerum veritates ſenſui patẽtes diſcernendum, ſed etiàm alias eidem occultas indagandum, & de ſingulis judicandum, itaq; ipſum objectum primò apprehendit atque inſpectat quatenus eſt ſenſibile ac individuum; quod ex eo probatur, quoniam alioquin de illo quatenus tale eſt rationcinari non poſſet, quod experientiæ refragatur: deinde verò ut ſeipſum ſuo modo tali paſcat objecto, propria individuatione illud exuit, ex coque ſpeciem ſeu ideam ſpiritualem fabricat, apud ſe, ac in ſeipſo conſervat, quam ut naturam quandam contemplatur, cujus cauſas materialem, formalem, efficientem & finalem, tum virtutes, proprietates & effectus perſcrutatur; ipſumque effectum eò uſque ſequitur perſecutando, donec per ipſum ad rerum omnium primum principium, quippe DEUM, ſe deveniſſe deprehendat; in quo tandem quieſcit intellectus; quem ad DEUM ſic ducere poteſt quodlibet objectum ſenſibile, in hunc finem præcipuum à DEO deſtinatum. Porrò ſpiritualis idea objecti quam intellectus fabricat & vitaliter exprimit, eſt qualitas realis intellectionem terminans; ideoque habet eſſe reale in ipſo intellectu, qui agit immanenter; & vocatur verbum mentis. Cùm autem ſit triplex intellectio ſeu intellectus actio, nimirum apprehenſio, enunciatio & ratiocinatio; idcircò erit etiam triplex verbum mentis. Quæ prima omnium ab intellectu producitur ſpecies, fit per ſimplicem apprehenſionem; quâ ſcilicet intellectus ſimplicem entitatis rei veritatem, ſeu quod ipſa ſit, apprehendit; Ad alias deinde actiones enunciationis & ratiocinationis ſubordinatim progrediens, ut ipſius rei complexas veritates intelligat: quippè quid ſit, propter quid, & cæteras. Præ cæteris autem ſpectanda eſt ea intellectus facultas ſuprema, & nobiliſſima, quâ rerum prima principia non diſcurſivè ſed intuitivè ac Angelico more percipit. Ut *quodlibet eſt vel non eſt. Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe; totum eſt majus ſua parte*, &c. Ex quibus deinde per diſcurſum ſibi proprium omnes deducit ſcientias. Illa enim facultas vocatur naturæ lumen quod omni humano intellectui eſſentiale eſt, quamvis in quibuſdam ſit clarius & in aliis obtuſius. Atque illarum intellectus actionem termini, ſunt ſpecies illæ intellectuales adeò famoſæ inter Philoſophos, in ipſo etiam intellectu conſervabiles. De quarum quidem eſſentia non eſt imaginem rerum, ſed duntaxat veritatem intellectui repreſentare; quippe quòd multa poſſit apprehendere & enunciare, quorum nulla imago effingi poteſt ab intellectu, ſaltem in hac vita; in qua id tantùm quod eſt rebus ſenſibile nobis patet; hoc eſt ſolus cortex vel fucus rerum: harum verò nucleus, hoc eſt eſſentia vel eſſentialis pulchritudo nos latet, nec de ipſa claram in hac vita ſed obſcuram & ſæpè falſam cognitionem habere poſſimus, cùm tamen ipſa eſſentia ſit proprium ipſius intellectus objectum, in quod avidiùs tendit, & pro quo ſe pertinaciùs excruciat. Quod certè argumentum eſt validiſſimum, claram illam cognitionem, homini in aliam extra hanc viam reſervari, alioquin homo deterioris eſſet conditionis quàm bruta, quibus DEUS optimus ac ſapientiſſimus, cognitionem ac plenam fruitionem ipſius ſenſibilis, quod eorum eſt objectum unicum; homini verò denegavit claram cognitionem ipſius intelligibilis; imò etiam fructionem ſenſibilis, ſaltem cum amore adhæſivo, ſine quo non eſt vera fruitio. Itaque res ſenſibiles ſunt in ſola phantaſia, ſecundum imaginem ſuam ſenſibilem, hoc eſt rei ſenſibilis repræſentativam: In intellectu verò tantùm penes veritatem ſuam vel intelligibilitatem; Indeque ſit ut rei ſenſibilis duplicem

in nobis non deprehendamus imaginem, cùm unica ſufficiat.

Unicam autem ſufficere ſic oſtenditur. Quoties vult anima rem ſenſibilem antea ſenſatam ſuo intellectu ſpeculari, primò ejus ſpeciem ſenſatione expreſſam ſive phantaſma abſentis objecti in memoriam ſenſitivam revocat: ſique (ut plerumque accidit) phantaſmati ipſi non omninò fidat intellectus, ab eo provocat ad ſenſationem, verbi gratia viſionem, ſi ejus occaſio adſit: cujus terminus non eſt alius quàm rei viſæ imago expreſſa à potentia ſenſitiva, ideoque ejus phantaſma; quod quidem priori ſimile eſt omninò, ſi prius verè fuerit expreſſum, aut diſſimile & correctius, ſi ultimò verius expreſſum fuerit: at ſive hoc, ſive illud, unicum intellectui ſufficit; ad quod anima per phantaſiam pluries ſæpe recurrit ut ſuam per intellectum operationem circa rem ſenſatam continuet & perfectiorem efficiat: indeque nata eſt opinio intellectum in ſua ſpeculatione circa res ſenſibiles, ad earum phãtaſmata ſubinde converti, quæ tamẽ opinio falſa eſt.

Objicies Primò: vulgatum eſſe axioma apud Philoſophos, potentias animæ moveri ab objectis, ſi non efficienter (quod ſoli animæ diximus convenire, cujus ipſæ potentiæ ſunt inſtrumenta) ſaltem objectivè. Ergo intellectus ſive intellectualis facultas animæ ab aliquo movetur objecto, objectivè; quòd non poteſt non eſſe Phantaſma ſuperiùs dictum.

Reſpondeo, potentias animæ dici in genere moveri ab objectis, objectivè: non quòd ab his prævia motione qualicunque excitentur potentiæ ad agendum, ſed quòd objecta per rationem ſuam formalem determinent formales potentiarum actiones: ſintque id circa quod tantùm ipſæ agunt potentiæ, quatenus tale eſt: ut potentia ſenſitiva circa ſenſibile, quatenus tale eſt: appetitus circa appetibile quatenus tale, & intellectus circa intelligibile quatenus tale: jam verò phantaſma non eſt objectum intellectus quatenus phantaſma, ſed quatenus intelligibile, nec prævia motione excitat intellectum ad agendum, niſi forſan per accidens, quatenus, ſcilicet, ordine cognitionis actio intellectus in hac vita dependet à prævia ſenſus actione cujus terminus eſt ipſum phantaſma.

Objicies Secundò: eſto quod anima per ſenſum determinata circa objectum ſenſibile, poſſit per aliam facultatem ut per intellectum agere, ſine hujus prævia aliqua motione à ſenſu vel phantaſmate: unde accidit intellectui ex ſe indifferenti, quod potius ad hoc phantaſma, vel ſenſationis terminum attendat quàm ad alterum.

Reſpondeo, quod hac in re intellectus eſt tantùm agens quo minùs principale, anima autem, eſt agens quo principale; totus autem homo eſt agens quod. Jam verò anima determinata eſt circa objectum ſenſibile per ejus ſenſationem; & quia unionem habet immediatàm imò eſſentialem cum omnibus ſuis potentiis, quibus utitur velut inſtrumentis ad agendum circa omnia quæ ad ejus perfectionem attinent: ex vi ipſius unionis poteſt agere circa objectum ſenſatione præcognitum, per quamlibet ex aliis ſuis potentiis, juxta propriam hujus naturam. Neque neceſſe eſt potentiã ipſam aliunde moveri vel ab alio determinari quàm ab ipſa anima, à qua determinatur activè ad agendum prout à nobis explicatur cap. 10. Lib. 7. Idque patet evidenter ex ſupradictis cap. 20. de appetitu ſenſitivo, qui nec à ſenſu, nec ab objecto ſenſibili, ſed à ſola anima efficienter movetur, ad appetendũ vel abhorrendum id, quod ipſa per ſenſum præcognovit. Itaque dum quæritur unde accidat intellectui ex ſe indifferenti, quod potius ad hoc phantaſma convertatur & attendat, quàm ad alterum. Dicendum id ei accidere ab anima circa ipſum phantaſma jam determinata per ſenſum, quæ ulterius vult illud ſpeculari per ſuum intellectum: non ſecus ac Artifex circa eandem ſtatuam fabricandam, nunc uno nunc altero ex ſuis utitur inſtrumentis ad libitum, & quolibet operatur juxta propriam organi naturam ſive aptitudinem. Nec opus eſt ut ſtatua agat in inſtrumenta vel ipſa moveat, ſed tantùm ut anima determinata circa ſtatuam huic inſtrumenta applicet ipſaque moveat.

Cæterùum quoniam intellectus agit immanenter, ideoque conſervat ſuæ intellectionis ſpeciem, idcirco, quoties eam ſibi repræſentat, memoria intellectualis dici ſolet; non enim pro cognoſcenda veritate rerum præteritarum, præſentium & futurarum opus eſt triplici intellectu; ſed unicus ſufficit, cujus objectum adæquatum eſt ipſa veritas, vel quælibet veritas, ſive rerum præteritarum, ſive præſentium, ſive futurarum.

CAPUT XXII.

De voluntate & qualiter operetur. Tum in quo conſiſtat eſſentia libertatis.

NOn ſecus ac intellectus eſt ſpiritualis cognoſcendi potentia cujus objectum circa quod eſt verum in communi; ſic voluntas eſt volendi vel amandi ſpiritualis potentia: cujus proprium & adæquatum objectum eſt bonum in communi, ſive bonum ipſum: ideoque dicitur appetitus ſpiritualis ſive rationalis. Quoniam verò non eſt potentia cognitiva objecti proprii, ſive boni, quod triplex eſſe dicitur; jucundum, ſcilicet, utile, & honeſtum; nec ipſa voluntas ferri poteſt in ignotum: idcircò priuſquàm anima velit per voluntatem, prærequiritur ut per ſenſum vel intellectum aliquid præcognoverit ac apprehenderit ſub ratione boni; tuncque poteſt anima eique liberum eſt illud apptere. Dico poteſt, quia inſtructa eſt volendi potentiâ. Dico ei liberum eſt; quia etſi voluntas neceſſariò appetat bonum in communi, nec ſit ad hoc indifferens; ſed determinata ex natura propria: non tamen neceſſariò appetit quodlibet ſingulare bonum etſi præcognitum: eſt enim ad hoc indifferens: ideoque bonum quodlibet etiam ab intellectu ut tale præcognitum, & ab ipſo Deo juſſum, poteſt anima pro ſuo arbitrio appetere vel reſpuere, ſeu velle & nolle: tanta ſiquidem eſt hujus potentiæ libertas, ut à nulla altera creatura cogi vel phyſicè præmoveri queat, tantúmque, ſuæ ſubjiciatur animæ ad volendum ſeu appetendum, non ſecus ac inſtrumentum ſuæ cauſæ principali. Non enim animæ potentiæ ſe ſolis agere queunt,

queunt, ſed anima per ipſas, quæ ſola ſuas movet potentias: Et ab hac potentia habet ipſa anima eſſentialiter, quod liberè velut aut nolit. Ejuſque libertas in eo præcisè conſiſtit, quod ſit domina omnium actuum ſuæ voluntatis: Ita ut poſitis omnibus prærequiſitis ad agendum, ipſa ex ſe poſſit agere vel non agere per voluntatem, & ſit ex ſe ad utrumque indifferens priuſquam agat. Quæ ratio libertatis vera eſt, non ſolùm in homine, ſed etiàm in Angelo, ipſoque Deo ut à nobis explicatur & evidenter oſtenditur lib. de concurſu primæ cauſæ cum ſecundis, ſect. 1. cap. 6. Quo in libro doctrina de præmotione voluntatis, de Gratia, de Prædeſtinatione, de hominis ſtatu ante peccatum, de originali peccato, ac de infantibus ſine baptiſmo decedentibus ad rationis & ſacræ ſcripturæ examen à nobis revocatur, contra Janſeniſtas.

Ex ſupra dictis verò patet falſum eſſe quod à pleriſque cenſetur: Nempè quod intellectus bonum à ſe præcognitum proponat voluntati, ut hanc ad appetendum moveat, cùm ipſa ſit cognitionis incapax, proindeque bonum ipſum percipere nequeat, Sed anima bono per intellectum præcognito, ac circa illud determinata, ipſum per voluntatem appetit; agens per ipſam ut ſuperiùs dictum eſt, eandem agere per appetitum ſenſitivum & intellectum.

Caput XXIII.

De potentia motrice & qualiter operetur.

PRæter potentias animæ cognitivas quibus res apprehendit ſub ratione boni vel mali, nec non appetivas quibus res eaſdem appetit vel abhorret; Ei omninò neceſſaria eſt potentia motrix, quâ anima localiter ſe moveat ad bonum abſens ut illud aſſequatur, eoque fruatur; vel fugiat malum præſens, ne ab eo damnum patiatur. Nam circa hæc verſatur potentia motrix. Per hanc verò potentiam, movens agit non ſolùm ad intra, ut dum homo ſeipſum movet localiter; ſed etiam ad extra, ut dum movet aliud corpus, vel lapidem projicit.

Quamvis autem communis ſit Philoſophorum ſententia, duplicem in homine reperiri motricem potentiam, nempè organicam, quâ per nervos & muſculos movet ſuum corpus, aliaque externa corpora; Et ſpiritualem qua anima ſeparata ſeipſam movere valeat: Nihilominus dico unicam eſſe in homine motricem potentiam, quæ illis omnibus ſufficiat. Nam in Dæmonibus vel Angelis quæ naturæ ſunt omnino ſpiritualis, duplex non admittetur potentia motrix ſed unica, quâ & ſeipſos movent de loco ad locum; Et alia etiàm. Imò in corporibus hominum quæ poſſident, eorum muſculos atque membra ad libitum propria virtute movent atque torquent, ut ipſe faceret homo, & ampliùs. Si ergo Dæmon id poteſt in corpore cui duntaxat accidentaliter unitur & applicatur, quantò magis conveniet animæ, corpus illud quod informat, eadem movere facultate, quâ ſeipſam movet localiter? At ſe movet localiter niſi ſuum movendo corpus, nam ſeipſam primò, & per ſe, ſuum corpus ſecundariò movet, ergo eadem eſt potentia quâ & ſeipſam & ſuum corpus movet, alioquin vel unum ſine altero movere poſſet; vel altera potentiarum ſuperflua eſſet.

Jam verò quod ſpectat ad actionem animæ per motricem potentiam, illa fit eodem prorſus modo, quo reliquarum potentiarum actiones. Nempè quod ex vi connexionis animæ cum ſuis potentiis, poſtquàm per appetitum ſenſualem vel intellectualem egit, agit deinde per motricem, nulla interveniente motione ipſius facultatis motricis ab aliis potentiis, vel earum objectis. Ad huncque agendi modum per motricem redacti fuere ipſi ſapientiores Philoſophi. Nam etſi fateantur motum localem animalis imperari ab appetitu ſenſitivo vel rationali, elici ab anima per vim motivam, & dirigi à phantaſia vel intellectu potentiis cognitivis; tamen negant quod applicatio motivæ potentiæ per appetitum, ſit per actionem phyſicam & propriam appetitus in motivam potentiam; ſed per ſubordinationem ipſarum potentiarum, quibus eadem ex æquo præſens eſt atque connexa. Quod ergo dicunt motum localem hominis imperari ab appetitu & dirigi à potentia cognoſcente, ſic debet intelligi. Poſt actionem animæ per appetitum, eadem anima movet hominem per motricem: Interim verò per potentias cognitivas attendit ad medium motus & ejus accidentia: Et prout de his bonum vel malum judicat, illa odit vel amat per appetitum, indeque motum inſtituit, potentiæ cognitivæ judicio & appetitui conformem: Sicque tribus potentijs ſimul operatur, ſed ſine actione unius in alteram; quamvis ex eo quod unius actio pendet neceſſariò ab alterius actione propter ſubordinationem, una videatur movere alteram, dicique poſſit id apparenter fieri.

Ex ſupradictis igitur patet uniformis agendi modus animæ per omnes ſuas potētias cognitivas, appetitivas & loco motivam, qui cùm ſit valdè ſimplex, non ſolùm omnes difficultates ex aliis modis prodeuntes ac inſolubile eliminat, ſed etiàm Deum ad cujus imaginem facta eſt perfectiùs repræſentat. Itaque dum aſſerunt Philoſophi voluntatem movere reliquas omnes potentias iiſque imperare, inſtar ipſarum Reginæ, non intelligendum eſt id fieri formaliter per imperium aut motionem reliquarum potentiarum à voluntate; ſed hac ratione. Poſtquam anima per potentias cognitivas determinata eſt circa aliquod objectum aut ſenſibile aut ſpirituale; ipſa poteſt velle agere circa ipſum non modò ut ipſius objecti cognitionem in ſe renovet atque perficiat, ſed etiam ut ipſum appetat vel reſpuat, ad ipſum feratur ſi fuerit bonum abſens, vel ab eo fugiat ſi fuerit malum præſens vel imminens: Ad hæc autem omnia congruis indiget potentiis, cognitivis, appetitivis & loco motivis. Quibus cùm ſit inſtructa, eiſque unita (quòd nempe anima ipſa ſit illarum origo) ergo poſtquàm per earum aliquam determinata eſt circa objectum aliquod, agit deinde circa idem objectum per quamlibuerit aliam facultatem actionis ratione immediatè ſubordinatam. Indeque voluntas dicitur cæteris imperare potentiis, eaſque ad agendum movere atque determinare, quamvis hæ à ſola anima moveantur juxta ſuum velle.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Caput XXIV.

Quomodo animæ potentiæ inter ſe, & ab anima diſtinguantur.

OMnes animæ potentiæ differunt inter ſe formaliter ſive eſſentialiter. Nam de communi Philoſophorum conſenſu ſpecificantur per rationes formales ſuorum objectorum completorum. Ergo potentiæ ſpecificatæ per differentes rationes formales objectorum completorum, differunt inter ſe ſpecie vel eſſentialiter : Nec idem objectum completum per differentes rationes formales eandem facultatem ſpecificare poteſt. Jam verò potentia ſenſitiva ſpecificatur ab ente quatenus eſt ſenſibile : Et potentia intellectiva ſpecificatur ab eodem ente quatenus eſt intelligibile. Ergo potentia ſenſitiva eſſentialiter differt ab intellectiva. His adde quod potentia ſenſitiva tantùm verſatur circa individuum ſenſibile, & in ſua actione propria dependet ab organo materiali : Nam ſentit per ſenſoria. Intellectus verò verſatur ex ſe circa univerſale intelligibile; Et in actione ſua propria eſt independens ab organo materiali; Nam per ſe ratiocinatur in cerebro, non autem per cerebrum; ideoque dicitur potentia inorganica ; etſi ratiocinetur in corpore dependenter à diſpoſitione cerebri; unde alij ſunt ingenio ſubtiles, alij ſtolidi, alij ſtulti. Similiter ſenſus ſpecificatur à ſenſibili quatenus ſenſibili. Appetitus verò ſenſitivus ſpecificatur ab eodem ſenſibili quatenus appetibili; Eſtque ſenſibile objectum completum tam ſenſus quàm appetitus ſenſitivi : ergo hæ duæ potentiæ differunt eſſentialiter.

Eademque omninò ratione oſtendetur intellectum & voluntatem inter ſe differre formaliter ; ambæ ſiquidem hæ potentiæ ſpecificantur ab ente univerſali, quod eſt eorum objectum adæquatum, nempè intellectus ſpecificatur ab ente quatenus vero ac intelligibili; voluntas autem ab eodem ente quatenus bono & appetibili.

Tandem eodem modo probabitur appetitum ſenſitivum & rationalem ſpecificè differre : quòd hic verſetur circa omne bonum, ſed præſertim circa intellectuale; ille verò tantùm circa bonum ſenſibile.

Jam verò quod ſupradictæ potentiæ differant etiam inter ſe realiter, patet imprimis de ſenſu & intellectu. Nam in brutis eſt ſenſus organicus, ſed non intellectus. In Angelis verò contra. At in homine ſenſus non percipit intelligibile vel univerſale, nec quoties homo ſentit, toties intelligit, multaque clarè videt in quibus nihil intelligit. Ut dum quiſpiam ignorans linguæ Hebraivæ, clarè videt paginam Hebraicè ſcriptam, ergo ſenſus & intellectus in homine non ſunt res eadē.

Patet ſecundò inter appetitū ſenſitivū & rationalē, inter quos eſt certamen ferè cōtinuum in hac vita; de quo maximè D. Paulus in Epiſt. ad Rom. c. 7. ubi inter alia hæc habet. *Condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem : Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati quæ eſt in membris meis*. Et paulo poſt : *Igitur ego ipſe mente ſervio legi Dei, carne autem legi peccati* : Ipſeque Christus apus Math. c. 26. ſuis conſulens Apoſtolis, hæc illis ait. *Vigilate & orate ut non intretis in tentationem : ſpiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma* : quæ verba tantùm intelliguntur de duplici appetitu, nempè ſenſitivo & rationali ; ex quibus maxima eorum differentia inſinuatur. Quod ſi inſuper ratio expetatur, ecce validiſſimam.

Realis & ſenſibilis pugna appetituum in eodem homine, eodem inſtanti, & circa idem objectum, oriri nequit à duabus cauſis ſola ratione diſtinctis. Nā ſi quid realiter appetitur, ergo per cauſam realem appetitur, & ſi realiter reſpuitur, ergo etiā per cauſam realē. Si igitur ambo fierent ab eadē cauſa reali, ſequeretur quod idem ab eadem reali cauſa ſimul tempore appeteretur & reſpueretur, quod eſt contradictorium. Sunt igitur duo appetitus realiter diſtincti. Quod ex eo confirmatur ampliùs, quia eorum unus alterum ſibi repugnantem perpetuò conatur ſubjugare, eique dominari : At ſi ne quidem æqualis dominatur æquali, multò minùs idem ſibi ipſi dominabitur : Ergo pugna & dominium accidit inter res planè diverſas.

Denique potentias cognitivas ab appetitivis realiter differre probatur, quia cognitivæ verſantur per ſe circa ignota ; appetitivæ autem duntaxat circa priùs cognita. Nec omne quod cognoſcitur ideo appetitur aut reſpuitur, non enim appetimus corpora cœleſtia quæ videmus, nec veritates mathematicas quas intelligimus. Ideoque latiùs patet cognitiva quàm appetitiva : & poteſt eſſe actio potentiæ cognitivæ ſine actione appetitivæ ; Imò poteſt eſſe actio appetitivæ contraria judicio cognitivæ , juxta illud, *Video meliora, proboque: deteriora ſequor*, (quæ de intellectu & voluntate dicuntur peculiariter) ergo differunt realiter,

Quod verò ſpectat ad potentiam motricem, quia hæc ſubordinatur cognitivis & appetitivis, realiterq; ab his in agēdo dependet, ergo cùm harū neutris eſt idem realiter, nihil enim ſibi ipſi realiter ſubordinatur, vel à ſeipſo realiter dependere poteſt. Addo quod potentiæ cognitiva, appetitiva & locomotiva ſe habēt ut ſcire, velle & poſſe. Jam verò ad movendum vel agendum non ſat eſt ſcire & velle, ſed adhuc requiritur poſſe , quod ad vim motricem pertinet, ſine quo non fiet motus vel actio. Idque palam eſt in diabolo ipſo, qui multa ſcit mala, eaque vellet efficere, ſed non poteſt: tum in incarcerato qui feneſtræ apertæ innixus, videt quidem & cognoſcit quod ad ſuum egreſſum ex carcere, neceſſe eſſet ei volare per feneſtram; Et id quidem vellet, ſed non habet hanc motricem potentiam. At avis id ſciret, appeteret, atque poſſet. Differt igitur etiàm realiter potentia motrix ab aliis potentiis.

Ex his autem jam fit manifeſtum animam ſpecificè ac realiter differre à qualibet ſuarum potentiarum. Non enim poteſt idem eſſe ſpecie & re cum pluribus ſpecie & re differentibus. Nec ulla eſt ratio cur identificetur re ac ſpecie cum una potius quàm altera, cùm ipſa ſit omnium origo atque ſubjectum : Ergo à ſingulis differt realiter : Adde quod anima eſt ex ſe ſubſtantia; ſingulæ verò potentiæ tantùm ejus accidentia , vel proprietates, ſed de animæ potentiis hactenus dicta ſufficiant.

Caput XXV.

An hominis anima ſubjiciatur per ſe Elementorum & Corporum Cœleſtium Impreſſionibus.

QUæſtionem hanc agitat D. Thomas prima parte q. 115. art. 4. Tum. 1. ſec. q. 9. art. 5. eamque ſapienter reſolvit. Ac proinde non ſolùm ejus ſtamus ſententiæ; ſed eandem quoque hîc nobis licet confirmare, contra illos qui omnes actus humanos fatali neceſſitate contingere putant à cauſis univerſalibus.

Ac primò ex cap. 17. conſtat, quod hominis anima etiàm hac durante vitâ utitur omnibus Elementis, & horum qualitatibus prout ipſi libet ac velut ipſorum domina: nullaque eſt Elementorum impreſſio contra quam ſe tueri non poſſit: Ac de corporum Cœleſtium propriis viribus ac motibus ad libitum diſponit pro Medicina, Agricultura, Nautica & Electionibus circa vitæ propriæ vel aliorum hominum accidentia, bonis utens influxibus; & à malis ſe alios præſervans; aut per utroſque operans, ſecundum finem à ſe intentum, aut vi ſuæ libertatis bonos & malos rejiciens, ut in ſequentibus libris probabitur tum ratione tum experientiâ. Ex his verò manifeſtè patet, Elementa & Corpora Cœleſtia eorumque impreſſiones, potiùs animæ dominio ſubjici, quàm quod ipſa iiſdem per ſe ſubjiciatur: ſi enim iiſdem per ſe ſubjiceretur, nihil prædictorum efficere poſſet.

Secundò oſtenſum eſt cap. 18. hominis animam eſſe ſpiritualem. At nullum corporeum per ſe poteſt agere in ſpirituale: Nam omnis actio Entis corporei eſt tantùm corporea; quia ut ſe habet res in eſſe, ſic ad agere, proindeque ipſius actionis terminus eſt etiam corporeus vel entitativè diviſibilis, ſeu in partes entitativas. Ideoque recipi nequit in ſubſtantia ſpirituali quæ eſt entitativè indiviſibilis. Equidem corporeum poteſt recipere ſpirituale; Tum quia quod recipitur eſt actus & perfectio: corporeum autem perfici poteſt à ſpirituali, non contra; Tum quia materiæ paſſiva potentia eſt indifferens ad corporeum & ſpirituale: At corporeum nihil ex ſe poteſt producere quod ſpirituale ſit, quia nec formaliter nec eminenter continet ſpirituale; quod enim aliquid producere poteſt, neceſſe eſt ut illud vel formaliter vel eminenter contineat, nec tamen ſemper neceſſe eſt illud producat ex ſua ſubſtantia, ſed ſaltem ſua virtute, ut patet in Deo creante, vel Sole hæc Inferiora generante: aut ſua arte vel ſcientia, ut patet in homine vitrum conflante, aut Muli generationem cauſante, & ſimilibus, quæ homo virtute propria non efficit, ſed aliena; per ſuam ſcientiam applicando activa paſſivis. At nullo iſtorum modorum, poteſt corporeum quidquam producere ſpirituale, nec ſpirituale quidquam recipere corporeum. Ergo hominis anima non ſubjiciter per ſe elementorum vel corporum cœleſtium impreſſionibus; quòd omnes ſint corporeæ.

Tertiò ex cap. 19. conſtat objecta ſenſibilia (quæ ſunt omne ens corporeum) nequidem afficere per ſe potentias ſenſitivas; ſed earum duntaxat organa: quantò igitur minùs attingent potentias intellectuales? Et quantò minùs adhuc ipſam eſſentiam à qua fluunt ipſæ potentiæ?

Attamen quia corpus humanum ſubjicitur per ſe elementorum & corporum cœleſtium impreſſionibus: ipſaq; anima utitur ſuo corpore ut inſtrumento in ſuis omnibus actionibus etiàm Intellectualibus, quæ expeditè ac rationabiliter exerceri nequeunt, ſi cerebrum prava intemperie aut conformatione laboret, ut in phreneticis & amentibus palam eſt: Idcircò negari nequit quod elementa & præſertim corpora cœleſtia per accidens ac indirectè agant in hominis animam: non quidē huic quidquam imprimendo vel ejus potentiis, ſed per impreſſiones factas in organis quibus ad agendum anima utitur; efficiendo ut diverſimodè agat per ſuas potentias, ſentiendo, judicando, appetendo, intelligendo atque volendo; ac proinde interdum benè ac virtuosè, interdum malè ac vitiosè. Unde D. Thomas prima ſecundæ q. 9. art. 6. ait. *Ex impreſſione Cælorum aliqui ſunt habiles ad iram, & ad alias paſſiones, quas homines ſequuntur: ab quam cauſam Aſtrologi ut in plurimùm vera dicunt; ſed ſapiēs dominabitur aſtris.*

Porrò id etiàm confirmatur ex præcipuis Aſtrologiæ ſtoribus, Pico Mirandulano, Alexandro de Angelis, ac cæteris, qui quidem probant mentem humanam aſtris directè & per ſe non ſubjici; ſed inderectè & per accidens ratione corporis, à quo dependet in agendo, ipſius actiones non juvari, vel depravari; neque probant neque probabunt unquam. De his autem fuſiùs agetur lib. 12. contra ipſos ſtores Aſtrologiæ.

Caput XXVI.

An hominis anima ſit immortalis.

DE animæ immortalitate, multa ex Platonicis & Chriſtianis Theologis doctiſſimè ſcripſit Marſilius Ficinus Libris 18. quæ ſi attenta mente notentur, hominis animam immortalem eſſe planè perſuadebunt. Sed quia Atheis familiare eſt non modò Deum ſed ipſius animæ immortalitatem negare, idcircò breviter hîc eam probare videtur opportunum eſſe.

Probatur igitur primò ex pluribus ſacræ ſcripturæ locis: hæc tantum ſeligo. Num. cap. 16. de Chore, Dathan & Abiron dicitur, quòd deſcenderint vivi in infernum. Reg. 3. cap. 17. Helias pro reſurrectione filij ſuæ hoſpitis dixit, *Domine DEUS meus revertatur, oro, anima hujus pueri in viſcera ejus.* Ex quibus conſtat animam tunc fuiſſe alicubi à corpore ſeparatam. Eſaiæ 14. de Nabuchodonoſor Rege Babylonis dicitur, quod poſt ejus mortem conturbatus ſit in occurſum adventus ſui infernus; quod detracta ſit ad inferos ſuperbia ejus: Et quod ipſe ad infernum detrahetur in profundum laci. Sapientiæ 3. juſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis. Viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace. Eccleſiaſtes 12. Revertatur pulvis in Terram ſuam unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum. Joann. cap. 11. Chriſtus reſuſ-

reſuſcitans Lazarum *clamavit Voce magna. Lazare Veni foras*, Math. 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere, ſed potius timete eum, qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam* Math. c. 25. ubi poſt reſurrectionem mortuorum judicantur Electi atque Reprobi, Lucæ cap. 16. dives Epulo ſepelitur in Inferno, Lazarus autem mortuus portatur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Plurima autem alia hac de re teſtimonia paſſim habentur in ſacris ſcripturis.

Probatur 2. ea Conciliis & Patribus : Nam in 6. Synodo generali, actione 13. opprobatur Epiſtola Sophronij, ubi legitur Angelos & animas eſſe à Deo creatas immortales. Item in Concil. Lateran. ſub Leone 10. ſect. 8. *Damnamus ſacro approbante Concilio omnes aſſerentes animam Intellectivam eſſe mortalem.* D. Auguſtinus lib. confeſſ. cap. 16. *Diſputabam* (inquit) *cum amicis meis, Epicurum accepturum fuiſſe palmam in anima mea, niſi ego credidiſſem, poſt mortem reſtare animæ vitam.* D. Ambroſius lib. de bono mortis. cap. 9. & Chryſoſtomus orat. 4. de providentia; contrariæ ſententiæ aſſertores vocant infames ac Inſanos.

Probatur 3o. rationibus Theologicis moralibus & phyſicis ex : Theologicis præcipua hæc erit; ſi hominis anima deſtruitur cum corpore, falſi ſunt ferè omnes articuli fidei noſtræ, qui dirigunt nos in vitam æternam, quæ eſt etiàm de fide, & Christi Incarnatio fit nobis inutilis : quid enim curandum eſt de vita æterna, ſi anima deſinat eſſe per corporis mortem ? Moralis præcipua erit iſta. Si hominis anima perit cum corpore, Deus erit iujuſtus in hujus mundi regimine & Legiſlator iniquus; Nam præcipit bona facienda & prohibet mala, æqui autem Legiſlatoris eſt præmiare qui bona faciunt, & punire mala perpetrantes: At frequens eſt in hac vita improbos affluere bonis terrenis atque gaudiis, probos autem miſeriis atque luctibus, & hos ab illis opprimi nullo puniente, ut omnibus palàm eſt : Ergo niſi fuerit altera vita in qua boni pro benè actis & ſua patientia remunerentur, mali verò pro ſuis ſceleribus ac tyrannide puniantur : Sequetur Deum non eſſe juſtum, hoc eſt non eſſe Deum; cujus tamen contrarium libro 1. demonſtratum eſt.

Prima ratio ex phyſicis erit hæc. Univerſalis omnium Mundi nationum conſenſus eſt, quod hominis anima ſit immortalis; ſi quoſdam exceperis Atheos, ne quidem ſe prodere audentes metu ſuppliciorum : Iſque conſenſus multò evidentiùs patuit hiſce duobus ultimis ſæculis, quibus orbis novi barbaræ nationes detectæ ſunt, nulla quippè fuit inventa quæ Deos aliquos non coleret & animæ immortalitatem non crederet. Et quamvis in Dei cultu maximè differant; dum una natio unum Deum, alia alium ſibi colendum proponit : tamen in immortalitate animæ omnes conveniunt : Ergo hominis anima eſt immortalis: ſi quidem conſenſus adeò univerſalis de re falſa eſſe nequit, pendetque à lumine naturali ipſius animæ, quæ naturæ ſuæ conſcia eſt : Et poſt hanc vitam meliorem expectat.

Secunda ratio petitur ab hominis præſtantia ſupra belluas omnes, quæ ejus ſervituti, ac imperio traditæ ſunt ab Authore Naturæ, ut dictum eſt cap. 17. Ipſis autem homo longè miſerior eſſet, ſi præter hanc vitam nulla alia ei ſperanda foret. Nam præterquàm quod multa bruta, imò & multæ arbores diutiùs vivunt quàm homo; habent inſuper bruta quod legibus nullis ſubjiciantur, ſuoque indulgeāt appetitui ſine metu redargutionis, ab innumeris curis & paſſionibus, quibus mens humana torquetur libera, & quid ſit mors ignara, ut dictum eſt cap. 11. at homini planè contrarium accidit; ſoluſque inter animalia, habet vitæ & mortis cognitionem.

Tertia potentia hominis ſenſitiva completè actuatur in hac vita ab objecto ſenſibili; eoque frui & ſatiari poteſt : A potenria ejus intellectiva circa proprium objectum adeò remanet famelica, ut vix ullius creaturæ cognoſcat eſſentiam, & circa ſingularum proprietates frequentius hallucinetur, utcumque ſe torqueat pro hiſce cognitionibus ſibi comparandis. Cùm autem ſenſus ſit pars hominis inferior, & intellectus ſuperior, quem præcipuè actuari, ſuoque frui objecto adæquato, rerum ordini congruit, id verò non fiat in hac vita: Vel Authoris Naturæ præcipuum opus, hoc eſt hominis anima imperfectionis arguetur, vel erit altera vita, in qua Intellectus illa omnia non minùs clarè intueatur, quàm oculus colorem ſive lucem in hac vita.

Quarta. Nullus dubitat Philoſophus, naturale eſſe Intellectui ſe ſe à ſenſibus abſtrahere, etiàm in hac vita, ut contempletur : Ideoque contemplatio vel intuitus veritatis eſt ejus actio propria: in qua cùm impediatur à corruptibilis hujus corporis ſarcina, & diſtrahatur à ſenſus & appetitus perpetuis agitationibus; ergo propria intellectus actio eſt per ſe independens à corpore, aliaque debet eſſe vita, vel alter animæ ſtatus in quo liberè contempletur, aut à corpore ſeparata, aut eidem incorruptibili mentiſque actionibus nequaquam obſtanti, ſed indefectibiliter ſubmiſſo reſtituta.

Quinta. Dum quæritur an hominis anima ſit mortalis vel corruptibilis, hoc nihil eſt aliud quàm quærere utrum ipſa à cauſis naturalibus ſive corporeis deſtrui poſſit. Jam verò capitibus 17. 18. 19. & 25. probatum eſt quod ipſa ſit tota natura corporea ſuperior, quia ex ſe eſt naturæ ſpiritualis, proindeque minimè ſubjecta impreſſionibus Elementorum, corporumque Cœleſtium; Alioquin ex ſe non poſſet cohibere Paſſiones appetitus ſenſitivi, ſed iis obſequeretur, inſtar animæ bruti, cui per omnia ſimilis eſſet contra experientiam. Si igitur hominis anima per ſe non ſubjicitur viribus corporum Cœleſtium, multòque minùs Elementorum; Ergo tota Natura hominis animam producere nequit; quippè quòd ipſa ſit forma ſupernaturalis in ſui productione, ideoque ad Metaphyſicam pertinens, ut cenſuit etiam Ariſtoteles lib. 1. de partibus animal. cap. 1. produceret enim aliquid ſupra ſuas vires; quamobrem nec eam deſtruere poteſt; Ideoque nec mortalis eſt nec corruptibilis. Adde quod cùm ſit naturæ ſpiritualis, Ergo eſt entitativè indiviſibilis. Ideoque indiſſolubilis, omne enim diſſolubile eſt diviſibile. De Plantarum verò atque brutorum animabus idem dici nequit: producuntur enim vel propagantur à Natura, ideoque non ſunt ſupra Naturam, ſed ejus regimini ac impreſſionibus per ſe ſubjiciuntur; ſuntque entitativè diviſibiles.

qua-

Quapropter ab ipſa etiam deſtruuntur ac diſſolvuntur. Quod autem Deus qui ſolus animas hominum producit per creationem, eaſdem non annihilet morientibus hominibus; probabitur ex morali ratione ſupraposita.

Sexta. Homo per intellectum cognoſcit Deum eſſe ſummum bonum, ideoque ſumme amabilem, ergo Lege naturæ debet tota voluntate ipſum amare ſuper omnia: omnis autem amor creaturæ tendit ad unionem cum amato, ejuſque fruitionem, ſub quacunq; ratione cognoſcatur appetibile, alioquin ipſe amor vel eſſet irritus, vel tormentum, ſi fruitio nunquam ſperaretur. At fruitio illius ſummi boni non appetitur temporanea vel perturbata, ſed perpetua atque pacifica: Ergo cùm anima hæc non habeat, nec habere queat in hac vita; ne amor ille ſit fruſtra neceſſe eſt alteram eſſe vitam pro ipſa anima, in qua talia habere queat; ac per conſequens non deſtruatur unà cum corpore, ſed ſit immortalis. His adde quod hominis anima non vivit, nec reficitur cibo materiali, ſed ſpirituali, ſcilicet, verbo Dei, ut dixit Christus in Euangelio, *Non in ſolo pane vivit homo; ſed in omni verbo quod procedit de ore DEI.* Ergo ipſa eſt ſpiritualis, ideoque immortalis: & certè cùm animæ vita & pabulum ſit gratia Dei, ipſa eſt omnino ſpiritualis ut ipſa gratia. Dum autem à corpore ſeparatur in ipſa remanent ſenſitiva & appetitiva ſenſualis; licet cum Ariſtotele contrarium ſentiat D. Thomas in ſupplem. 3. Partis, q. 10. Art. 1. & 2. Nam homo eſt eſſentialiter ſenſitivus ab anima ſua, ergo hæc per ſe eſt ſenſitiva, hoc eſt ſentiendi facultate prædita: eademque eſt ratio de aliis animæ potentiis ab ipſa fluentibus ut à ſuo fonte, ſive radice: & damnati anima pœnas inferni ſentit, non per intellectum, cujus non eſt proprium ſentire, nec per voluntatem; ideo enim non vult illas pœnas, quia illam afficiunt, hoc eſt ſentiuntur ut pœnæ; ergo illas ſentit per potentiam ſenſitivam. Ideoque Dives Epulo apud Luc. cap. 16. cruciabatur in flamma inferni & appetebat guttam aquæ. Deluſus autem fuit D. Thomas cum Ariſtotele, quòd opinati ſint plures eſſe potentias ſenſitivas internas & externas organis duntaxat inhærentes, quæ opinio fuit à nobis ſuperiùs rejecta. Atque hæc ſunt præcipua quæ de animæ natura ejuſque potentiis viſa ſunt nobis eſſe dicenda: de ejus enim ſtatu & operationibus in altera vita, ſive ſit à corpore ſeparata, ſive eidem reſtituta conſulantur Theologi; eorumque dicta in Scripturarum, Conciliorum, Patrum, & rationis lance ponderentur. Hîc enim non eſt de his dicendi locus.

Caput XXVII.

De Angelorum creatione, eorumque natura & officiis.

Quamvis de Fide Chriſtiana ſit dari Angelos, quia tamen Sadducæi apud Math. cap. 22. & Act. cap. 23. dicunt non eſſe reſurrectionem mortuorum, neque Angelum neque ſpiritum: quos Athei quidam imitantur nulli authoritati ſed duntaxat ſenſui, vel apertæ rationi aſſentientes: idcirco talem naturam dari, ſic primò nobis probandum eſt ratione naturali, quod impoſſibile eſſe cenſetur à nonnullis. Omne corpus quatenus corpus componitur materia & forma ut ſuis principiis: Etſi enim mixtum omne quatenus mixtum componatur ex 4. Elementis vulgaribus, aut ex tribus principiis Chymicis ſale, ſulphure ac Mercurio (ut vocant) nihilominus quodlibet ipſorum Elementorum, vel principiorum quatenus eſt corpus, componitur ex materia & forma, quæ ſunt prima principia omnium corporum tam ſimplicium quàm mixtorum, ideoque ut materia in ſua entitate, nihil habet entitatis formæ, ſic forma in ſua entitate nihil habet entitatis materiæ, alioquin prima principia non eſſent principia, ſed compoſita contra eorum definitionem, ac per conſequens forma in entitate ſua, eſt omninò immaterialis; imò formarum ſubſtantialium (de quibus loquimur) propriæ qualitates & facultates, etiam in ſua entitate ſunt immateriales, nec in lucis, caloris, albedinis, potentiæ vegetatricis, ſenſitivæ aut rationalis entitate, ulla eſt atomus materiæ, alioquin eſſent ſubſtantiæ in ſua entitate.

Jam verò ipſarum formarum ſubſtantialium aliæ pollent cognitiva facultate, ut formæ animalium; aliæ vero non, ut formæ Elementorum mineralium atque plantarum. Ac tandem quæ pollent facultate cognitiva, vel eam habent tantùm ſenſitivam, ut brutorum formæ; vel intellectualem ut hominis forma: ideoque forma vel anima hominis eſt ſubſtantia entitatis immaterialis & intellectualis contra opinionem Platonicorum; ſed ſubſtantia duntaxat incompleta, quandoquidem tantùm eſt principium ſubſtantiæ completæ, ſcilicet hominis; imò ſubſtantia quæ extra materiam ſubſiſtere poteſt, cùm ſit immortalis ex capite 26. Quoniam ergo datur ſubſtantia immaterialis & intellectualis per ſe ſubſiſtens, ſed incompleta, & ad totum aliquod completum relativa, ſcilicet, ad hominem quem componit atque conſtituit; igitur in completis rerum generibus dari neceſſe eſt ſubſtantias immateriales ac intellectuales completas & abſolutas. Nam completum & incompletum, nec non abſolutum & relativum ſunt differentiæ inter ſe diametraliter oppoſitæ, quæ genus ſubſtantiæ immaterialis & intellectualis adæquatè dividunt; & intellectualis completa, ea eſt natura quam Angelicam nuncupant, ergo datur natura Angelica, eaque purè immaterialis, ſive ſpiritualis contra mentem Platonicorum; qui Dæmones volunt eſſe corporeos, vel naturæ mediæ inter corpoream & ſpiritualem, quam crediderunt Diis ſolis convenire. Ideoque Proclus in Alcibiad. Platonis, eos collocat in genere rationalium animarum; & Chalcidius in Tymæum Platonis, Sectæ collectis ſuffragiis, ait. *Dæmonem eſſe animal rationale, æthereum, patibile & immortale*, quamvis non omnes fateantur illos eſſe æthereos ac immortales. Marſilius enim Ficinus comment. in cap. 5. & 6. Ennead. 3. Plotini, ait, *Dæmones produci ab anima Mundi, qua virtutibus vitalibus in materiam infuſis producit animas Dæmonum, eaſque corporibus alligat.* Et horum corporum Platonici cum Marſilio Ficino quinque ſpecies enumerant.

Prima eſt eorum quorum materia eſt ſolus ignis, cui ajunt vitam priuſquam cuivis alreri Ele-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

mento competere. Secunda eſt eorum quorum materia eſt Ignis & Aër optimè commixti. Et hæ duæ ſpecies, naturæ ſunt immortalis & indiſſolubilis, nullamque ſuæ ſubſtantiæ diſſipationem patiuntur; quippè quod tantùm paſcantur cantibus, honoribus, figuris atque luce. Tertia eſt eorum qui Igni & Aëri commixtam habent ſubtilem Aquam. Quarta inſuper admittit ſubtilem Terram: hæque duæ ſpecies ut craſſioris compaginis ſunt ſeipſis viſibiles, terreſtris verò etiam palpabilis; indigentque cibo quia ſubſtantiæ ſuæ diſſipationem patiuntur, ſuntque corruptibiles & mortales. Imò ſecundùm Pſellium comburi, & in cineres redigi queunt. Quinta denique (ait Ficinus) eſt hominum qui ſunt ſpecies una Dæmonum, quæ præter mixtionem 4. Elementorum ſortita eſt denſitatem atque ſoliditatem: ideoque inſignem paſſa continuí ſolutionem non ex ſe conſolidatur ut reliquæ ſpecies, quamvis hæ ſolutionem continui enſe, vel alio inſtrumento pertimeſcant. Sed hæc ſunt Platonicorum figmenta nullâ ratione ſtabilita & à Catholica fide aliena, quæ jam tenet Angelos eſſe ſpirituales juxta Pſalm. 103. *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus*, quamvis olim quidam Patres Platonicæ Doctrinæ addicti cenſuerint illos eſſe corporeos.

Cùm ergo tam ratione quàm ex fide conſtet Angelos eſſe naturæ omninò incorporeæ & intellectualis: Patet quod à tota natura corporea produci non poſſunt, natura enim corporea inferior eſt ſpirituali, neque hanc formaliter vel eminenter continet, ut ipſam producere queat: Ac per conſequens à ſolo DEO per creationem facti ſunt. Probabilius autem eſt illos fuiſſe creatos in Cœlo Empyreo quod eſt locus naturalis Angelorum: ut Terra locus naturalis brutorum & hominum, ac ipſos fuiſſe factos poſt Adamum. Tum quia ex D. Thom. 1. part. quæſt. 6. art. 3. non ſunt creati ante Mundum corporeum, ut opinati ſunt D. D. Hyeronimus, Gregorius, Ambroſius, & alii magni nominis Doctores, qui multis ſæculis ante hunc Mundum viſibilem, illos fuiſſe creatos & DEO ſerviiſſe dixerunt. Quomodo autem in hoc ſtatu peccaverint, & quò expulſi fuerint dici nequit, ſed ex Geneſi cap. 1. *DEUS in principio creavit Cœlum & Terram*: tum quia poſt Cœli & Terræ creationem progreſſus creaturarum fuit ab imperfectioribus ad perfectiores; ipſi verò ſunt omnium perfectiſſimi & excellentiſſimi ratione naturæ. Nec obeſt quod dicitur Geneſ. cap. 2. *Igitur perfecti ſunt Cœli & Terra, & omnis ornatus eorum, complevitque DEUS die ſeptimo opus ſuum quod fecerat, & requievit die ſeptimo ab omni opere quod patrarat.* Ex eo enim quod die 6. fecit primò bruta & deinde hominem, nec fit mentio de Angelis, non ſequitur quod eodem die non fuerint creati Angeli; ſicque tres naturæ cognitionis capaces, brutum, homo & Angelus eodem die facti ſint, ſed videtur Moyſes cap. 1. Geneſ. voluiſſe Populo Iſraël duræ cervicis ac ſenſuali, duntaxat exponere generationes rerum corporearum.

Quod verò ad eorum dotes naturales attinet, datum eſt eis lumen intellectus ſupremæ excellentiæ, quo omnes creaturas ſibi inferiores ſecundum eſſentiam & proprietates modo perfectiſſimo, ſcilicet, intuitivè cognoverunt, tum ſeipſos, tum DEUM ſupra ſe, non tamen ut eſt in ſeipſo, ſed ut eſt in creaturis omnibus: videruntque clariſſimè DEUM eſſe æternum, infinitum, immutabilem, omnipotentem, rerum omnium conditorem, ipſas in eſſe conſervantem, & cum ipſis ſuo concurſu operantem, ſapientiſſimum, beneficentiſſimum, atque ſummum bonum. Ideoque ſuper omnia amandum, timendum, colendum & adorandum, ipſumque ut ſic naturalitèr amarunt etiam multò perfectiùs quàm Adamus, ſic naturaliter beatiſſimi ſed non omnes in illa veritate ſteterunt, ut dixit CHRISTUS Ioann. cap. 8. nam eorum pars circiter tertia (Apocal. 12.) facti ſunt Diaboli propriâ ſuperbiâ, Deoque & hominibus inimici. Quamvis autem proprius eorum ſciendi modus ſit intuitivus, tamen etiam ratiocinari ſciunt, & ignotum ex ſibi noto deducere; ut dum Satanas CHRISTO dicebat: *Si Filius DEI es, dic ut lapides iſti panes fiant.* Math. cap. 4. ſique Angelus hominem doceret Geometriam, hanc illi demonſtraret.

Porrò omnes Angeli fuerunt eodem inſtanti creati, & maximus eſt eorum numerus, ſed ex eo quod Danielis cap. 7. dicitur: *millia millium miniſtrabunt ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei*; velle dicere & inferre quod eorum numerus excedat omnem numerum materialium, vel numerũ arenæ Maris, abſurdum eſt. Nam millies mille ſunt tantùm 1000000, & millies centena millia ſunt tantùm 1000000000. quorum ſumma eſt 1001000000. pro numero Angelorum. Si tamen ſint Angeli & boni & mali quot ſunt homines jam viventes in Terra, certum eſt quod major erit numerus Angelorũ. Dividuntur autem in tres hierarchias & quælibet hierarchia in 3. ordines. In infima hierarchia ſunt Angeli, Archangeli & principatus. In ſecunda poteſtates, virtutes & dominationes. In tertia ac ſuprema Throni Cherubin & Seraphin: valdeque probabile eſt non unicam eſſe ſpeciem Angelorum, ſed ſaltem tres Hierarchias eſſe tres ſpecies inter ſe differentes eſſentialiter: ut proinde in duobus extremis naturæ cognoſcentis, ſcilicet, brutis & Angelis dentur plures ſpecies: media autem natura, ſcilicet, homo, ſit unica ſpecies, quod rationi congruit.

Denique bonorum Angelorum officia præcipua ſunt. Primum: Aſtare DEO eique miniſtrare, vel mandatis ejus obſequi, cum perpetua generatione & canticis laudum ipſius. Secundum: Inter ſe, eſt præeſſe ſibi inferioribus hoſque illuminare, vel ad ſuperiores attendere eiſq; obſequi. Tertium: Eſt in Cœlo & Æthere movere corpora Cœleſtia: Hæc enim non moventur à principio intrinſeco ſive formali, quia non moventur proprii boni gratia, ſed hominis atque brutorum: ideoque moventur à principio extrinſecò, ſcilicet, ab intellectualibus creaturis, ut cenſuit etiam Ariſtoteles. Quartum: Eſt in Terra præeſſe regnis atque provinciis, eaſque ad nutum DEI regere ut patet Danielis cap. 10. Quintum: Eſt ſingulorum hominum cuſtodiæ præeſſe, ipſos docere ac illuminare, præſertim in his quæ ad animæ ſalutem pertinent, eoſque defendere ab hoſtibus apertis & occultis præſertim verò Diabolis, quod ego per miſericordiam DEI & Angeli mei cuſtodis fidelem Charitatem, plures in periculis vitæ maximis expertus ſum; & ſemel etiam prorſus miraculosè.

At Diaboli ſeu pravi Dæmones, DEUM totamente oderunt, & hominum perniciei atque damna-

damnationi indeſinenter incumbunt, excæcando eorum intellectum, illoſque inducendo in idololatriam, Atheiſmum, Magiam, artes nefarias, & genus omne ſcelerum, ac eorum vitæ inſidias perſæpè ſtruentes, à quibus Divina bonitas per ſuos Angelos nos liberare dignetur.

De Angelorum natura & operationibus, qui plura ſcire volet, Theologos conſulat.

Caput XXVIII.

Quo in ſtatu Homo & Angulus creati ſint.

HAc de re nihil certi habetur ex ſacra Scriptura, neque ex Conciliis; ſed ex Patribus, D. Auguſtinus opinatus eſt illos creatos fuiſſe in ſtatu gratiæ: quem deinde ſecuti ſunt alii ejus diſcipuli, de quorum numero erant 11. Epiſcopi à quibus celebratum eſt Concilium Arauſicanum. Cùm autem Deus hominem & Angelum creare potuerit in puro naturæ ſuæ ſtatu ut cæteras omnes creaturas abſque ullo ſupernaturali gratia, vel in ſtatu gratiæ, vel in ſtatu gloriæ: Conſtet autem non fuiſſe creatos in ſtatu gloriæ, quia homo & Angelus peccaverunt, magna eſt inter Theologos controverſia, utrum creati fuerint in ſtatu puræ naturæ, vel in ſtatu gratiæ: D. Auguſtino addicti ac præſertim Janſeniſtæ contendunt acriter eos fuiſſe creatos in ſtatu gratiæ. At Magiſter ſententiarum in 2. diſt. 24. D. Bonaventura in 2. diſt. 29. art. 2. q. 2. Alenſis 2. part. q. 91. memb. 1. art. 1. Et Scotus Lib. 2. diſt. 29. quæſt. Unica, quos citat Suarez tract. de Opere 6. dierum Lib. 3. cap. 17. num. 5. cenſent eos fuiſſe creatos in ſtatu puræ naturæ. Quorum ſententiæ Ego validiſſimis rationibus ſubſcribo, Libro de concurſu primæ cauſæ cum ſecundis à me compoſito adverſus Janſeniſtarum Doctrinam Sect. 3. à capite 9. ad 22. Omneſque Objectiones contrarias ex parte Scripturæ, Conciliorum & D. Auguſtini facilè evidenterque diſſolvo; atque concludo, quod cùm Deus hominem & Angelum condere potuerit in ſtatu puræ naturæ, vel in ſtatu gratiæ, vel in ſtatu gloriæ, videtur multò congruentius fuiſſe Divinæ Sapientiæ (quæ omnia fecit in pondere, numero, menſura & ordine) velle quod homo ſingulos ſtatus; & in duobus prioribus ad certiorem naturæ ſuæ cognitionem, vires proprias experiretur, præcipuéque in primo, quàm hoc prætermiſſo, ſecundum ordine ſtatum illi ab initio conferre. Imò longè probabilius videtur Adami peccatum fuiſſe à propriis ſuæ naturæ viribus ſolitariis, quàm cum iiſdem & duplici gratia, ſcilicet, habituali & actuali (ut volunt Janſeniſtæ) illum primæ occaſioni peccati ſuccubuiſſe, naturâ exiſtente ſanâ: Hoc enim non ſolùm naturæ, ſed etiam utriuſque gratiæ ſimul concurrentis magnam infirmitatem teſtari videretur. Idemque de Angelis dici poteſt. Itaque videatur Liber noſter non ſolum ſuper hac materia, ſed etiam circa promotionem primæ cauſæ à ſecunda, naturam, differentias & effectus gratiæ, prædeſtinationis arcanum, originale peccatum, & infantes abſque actuali peccato morientes ſine baptiſmo: inveniet que Lector unde circa quæſtiones iſtas hactenus obſcuriſſimas intellectui ſuo ſatisfiat.

Caput XXIX.

An Mundus hic ſit finitus.

QUamvis Mundum hunc eſſe finitum demonſtraverimus Lib. 1. Theor. 22. quia tamen D. Carteſius part. 2. princip. Philoſophiæ art. 21. nullos extenſionis ſuæ fines ipſum habere aſſerit, proindeque facit ipſum infinitè extenſum, hoc eſt actu infinitum, quæ ſit ejus ratio nobis expendendum eſt.

Vult igitur art. 4. *Naturam corporis in eo tantùm conſiſtere quod ſit res extenſa in longum, latum atque profundum:* ac proinde ubicunque talis reperitur vel concipitur extenſio, vult ibidem contineri corpus. Quoniam igitur ubicunque fines Mundi eſſe fingentur, ſemper ultra ipſos aliqua ſpatia indefinite extenſa non ſolùm imaginamur, ſed etiam verè imaginabilia, hoc eſt, realia eſſe percipimus (ait); ſpatium autem omne eſt quid extenſum in longum, latum & profundum: Ergo ultra fictos Mundi fines, erit adhuc corporea ſubſtantia quæ cùm non poſſit ad hunc Mundum non pertinere: Ergo Mundus hic (inquit) eſt indefinitè extenſus. Priùs verò dixerat ipſum nullos habere extenſionis ſuæ fines, hoc eſt, eſſe infinitè extenſum & non indefinitè; in quo ſibi non concordat. Sique per indefinitè extenſum, intelligit nos non poſſe Mundum adeò extenſum concipere quin ſit adhuc magis extenſus ut ipſemet explicat; tamen certum eſt quod Mundus in ſe, ac nemine cogitante, eſt revera infinitè extenſus (quod jam ipſe non vult) vel eſt tantùm finitè extenſus, ſicque ultra ejus fines nullum erit corpus; contra ejus Aſſertionem. Prætereà ſi Mundi moles eſſet infinita, quoniam ſtante Terra, Cœlum in 24. horas circumvolvitur, ergo in tempore finito pertranſiretur ſpatium infinitum, quod fieri nequit. Atque Terra ſtat ut probabitur Libro quinto: ergo Mundi moles non eſt infinita.

Porrò quod natura materiæ vel corporis (utrumque enim idem eſt D. Carteſio, contra Philoſophos, qui volunt corpus omne componi ex materia atque forma) non conſiſtat in eo quod ſit res extenſa in longum, latum atque profundum, inde probatur, quoniam ſi ſit res extenſa, ergo eſt aliquid cui extenſio accidit, nec eſt ipſa extenſio. Rectè enim dicitur quod materia ſit extenſa in longum, latum atque profundum, concreta enim de abſtractis non prædicantur. Ne verò hîc cavillari videar, probat ſuam mentem art. 11. ex eo, quod ſi à lapide rejiciamus id omne quod ad corporis naturam non requiri cognoſcimus, nempe duritiem, colorem, frigus aut calorem, aliaſque omnes qualitates, quia vel non conſiderantur in lapide, vel iis mutatis non ideò lapis corporis naturam amiſiſſe exiſtimatur; ita (inquit) advertemus nihil planè in ejus Idea remanere præterquam quod ſit quid extenſum in longum, latum & profundum. Unde concludit naturam corporis lapidis in tali extenſione conſiſtere: qui eſt Paralogiſmus manifeſtiſſimus. Nam probet

nihil remanere præter illam extenſionem: ac ſublatis omnibus qualitatibus ſupradictis, non adhuc reſtare materiam, formam & extenſionem, ſive qualitatem accidentalem ipſius lapidis. Vide caput 2. Libri quinti.

Caput XXX.

An Mundus ſit animal unum.

MUndus eſt patens occultæ Divinitatis imago, quem Plato in Timæo, ait, eſſe animal animatum, & mentis compos; in eamque ſententiam feruntur adhuc hodie non pauci ex Chriſtianis Philoſophis, Platonicorum dogmatibus imbuti, de anima Mundi mirabilia prædcantes: ab eaque totam ipſius Mundi, Machinam naturaliter moveri, omneſque Sublunares generationes perfici ac dirigi aſſerentes: hæcque anima dicitur à pleriſque ſpiritus univerſalis, de quo multa finguntur atque ſcribuntur.

Et quidem cùm Artifex machinam conſtruere queat, quæ rotulis internis ad aliquid tempus quaſi animata moveatur artificialiter. Non arbitror DEO Omnipotenti denegandum, quod naturalem machinam condere poſſit quæ ab aliqua cauſa intrinſeca ut animâ propriâ naturaliter moveatur; quodvis enim animal eſt talis machina naturalis: At quodvis animal eſt quid unum per ſe, nullamque in ſeipſo patitur partium ſuarum diſcontinuitatem, alioquin eadem anima ſimul tempore non poſſet iiſdem partibus communicari: indeque fieri unum per ſe animal. De hac verò machina Mundi res habet aliter. Præterea quoniam totus hic Mundus eſt corruptibilis ut patet in Terra, Sole, Æthere & Regione fixarum: Ergo erit animal corruptibile, quod cibo externo indigebit ad ſuæ vitæ conſervationem; nullum enim videmus animal quod ſeipſum comedat ſtatim atque natum ſit; quoniam igitur cibo extrinſeco veſcitur totus Mundus, ubi nam ſua egerit excrementa? Ad hæc vel Mundus unicam numero habet animam ipſum informantem, vel plures: ſi hoc, ergo Mundus non erit formaliter unicum numero animal, ſed multa animalia: veluti ſi idem corpus informaretur animabus Bovis, Equi & Leonis, eſſet formaliter triplex animal, quamvis materialiter eſſet unicum. At Platonici volunt hunc Mundum eſſe ab anima ſua unicum animal. Quod autem non etiam habeat unicam numero animam informantem, hinc probatur, quia Tellus, Sol & reliqui Planetæ partes hujus Mundi integrantes ſunt corpora diſcontinua & ab invicem ſeparata; proindeque eadem numero anima non poteſt eſſe ſimul in illis corporibus: Adde quod illa corpora ſunt formaliter inter ſe diverſæ ſpeciei atque naturæ, ut conſtat in Aſtrologia ex formalibus eorum Virtutibus; ſtultuſque cenſeretur qui Solem atque Terram vel Lunam diceret eſſe corpora ejuſdem naturæ ſpecificæ. Non ergo Mundus eſt animal unum.

Quidam opinati ſunt Mundi animam habere præcipuam ſedem ſuam in Sole, indeque toti Mundo ejuſque partibus ſingulis communicari, ſed vel ipſa anima totum informat Mundum, vel tantùm Solem: ſi tantùm Solem, ergo ſolus Sol erit animal, & non ipſe Mundus, nec Cœlum, nec Terra; nec reliqui Planetæ erunt animati, ſi quidem anima proprii corporis cancellos non prætergreditur, ut patet in brutis atque homine, imo ipſa lux Solis nequidem pertingit ſenſibiliter uſque ad Cœlum fixarum, ut à nobis probatum eſt Lib. 11. cap. 6. Si verò totus Mundus ſit animatus, recurret Objectio ſuperior de unica numero anima vel pluribus. Abſurdum eſt igitur opinari quod Mundus ſit animal unum, cùm non ſit unum per ſe, ſed per aggregationem plurium corporum diſcontinuorum, & diverſarum inter ſe naturarum. Eſtque hæc opinio Scripturæ ſacræ contraria, aſſerenti in quod Mundi productio fuerit ſucceſſiva, atque Sol & Planetæ tantùm die quarto producti ſint, ſed animal ſucceſſivè non informatur.

Quoniam verò oſtendemus Lib. 14. Sect. 1. cap. 1. in cauſis efficientibus Phyſicis dari aliquam primam & univerſaliſſimam, eamque eſſe primum Cœlum. Libro autem 20. Sectione 3. cap. 1. probabitur à primo Cœlo effluere virtutem ſimpliciſſimam in totum Mundum inferiorem, quæ ipſum vivificet atque conſervet, ſitque cauſa omnium effectuum naturalium: non immeritò inſtar animæ mundi habenda eſt, quamvis ſit duntaxat qualitas & forma accidentalis à primo Cœlo effluens; non autem ſubſtantialis, qualem eſſe fingunt animam Mundi, quæ ipſum conſtituit animal mentis etiam compos, ut ipſi fingunt: Sed de anima Mundi hæc ſufficiant.

Caput XXXI.

An Mundus hic ſit perpetuò duraturus.

HOc capite duo quæri poſſunt. Primum; An Mundus quo in ſtatu cernitur perpetuò durare queat, cum ſolo DEI concurſu generali. Secundum; An de facto ſit perpetuò duraturus.

Quod ad primum attinet, certum eſt quod Mundus quo in ſtatu cernitur, hoc eſt partes ejus integrantes Cœli: Planetæ & Elementa; tum mineralium, plantarum, brutorum & hominum generationes cum ſolo DEI concurſu in perpetuum durare queunt; Partes enim integrantes non ab aliqua Phyſica, ſed à ſolo DEO productæ ſunt, & propriis viribus ita contemperatæ ut nulla ab aliis corrumpi vel deſtrui queat: Ergo ſolius DEI concurſu in perpetuum durare queunt. Soluſque DEUS earum Conditor, eaſdem deſtruere poteſt. Idque patet evidenter ex Telluris globo quem habitamus: qui licet à corporibus Cœleſtibus ac præſertim Sole, quotannis contrarias patiatur alterationes Vere, Æſtate, Autumno & Hyeme: hæ tamen vix Terræ corticem penetrant, ſuntque ad mixtorum, & meteororum generationes perpetrandas neceſſariæ: ita ut tantùm abſit quod Terræ deſtructionem moliantur, ut è contra deſerviant ad ipſam

in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

in eodem ſtatu perpetuò conſervandam. Quod verò ad meteororum atque mixtorum generationes attinet, certum etiam eſt, quod quamdiu corporibus Cœleſtibus & Elementis propriæ vires inerunt, propriique motus (quæ à nulla cauſa Phyſica tolli queunt) non deerunt generationes & corruptiones quæ in his Sublunaribus animadvertuntur, dummodo adſit concurſus generalis Dei, ſine quo nulla cauſa Phyſica vel ſe ſolâ, vel cum altera quidquam efficere poteſt.

Supradicta verò confirmantur experientiâ, ab Origine Mundi: nulla enim ex Mundi partibus integrantibus legitur periiſſe, vel corrupta fuiſſe; noſtraque Tellus ſemper eadem eſt quæ apud veteres Geographos fuiſſe legitur. Et quamvis ab Aëris intemperie interdum contingant in aliqua regione peſtes hominibus & brutis, nulla tamen unquam ſpecies ex toto corrupta eſt, & in ipſa etiam regione; aliis interim illæſis, brevique tempore malum reparatur. Quod ſi quis objecerit Comœtas & Stellas novas, corpora Telure longè majora corrumpi, ideoque ab iiſdem cauſis poſſe etiam Tellurem & aliquos Planetas præſertim verò Lunam deſtrui: Reſpondeo, Comœtas & Stellas novas non eſſe partes Mundi integrantes, ut Tellus & Planetæ, ſed corpora in Æthere à natura generata, ut arbores, vel animalia, vel nubes in regione Elementari, proindeque poſſe etiam à natura corrumpi: cumque id olim jam acciderit, ut hiſce temporibus, nihil aliud inde inferri poſſe, quàm quod Mundus in eodem ſtatu perſeveret.

Quod verò ad ſecundum attinet, utrum Mundus in eo ſtatu qui jam cernitur perpetuò ſit duraturus, Omnipotens Deus qui Mundum ipſum ex nihilo creavit quando voluit, per ſuos Prophetas nobis revelavit, quod corruptibilis hic Mundi ſtatus quandoque ſit finem habiturus. Dicit enim per Eſayam cap. 65. *Ecce enim Ego creo Cœlos novos, & Terram novam; & non erunt in memoriâ priora.* Et in Apocalypſi cap. 21. ait D. Joannes: *Et vidi Cœlum novum & Terram novam: primum enim Cœlum, & prima Terra abiit*; quod intellige de corruptibili atque mobili ſtatu Cœli & Terræ; juxta D. Paulum dicentem. *Præterit figura hujus Mundi*; non autem ſubſtantia.

Ratio autem, cur Muudus in eo ſtatu qui cernitur non ſit perpetuò duraturus, mihi hæc eſſe videtur. Deus hunc Mundum propter hominem fecit; Terram enim dedit Filiis hominum. Pſalmus 113. in qua ſine corporum Cœleſtium influxibus ac motibus vivere non poſſent, nec animalia neque plantæ; Hominem verò fecit propter ſeipſum, ut nempè ex cæteris creaturis & ſeipſo, Deum authorem ſuum agnoſceret, amaret ſuper omnia & tota mente coleret. Dum autem poſt Adami peccatum ejus progenies Dei cultu derelicto, ad omne genus ſceleris converſa eſt; *Viditque DEUS quod multa malitia hominum eſſet in Terra, & tota cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore*; decrevit delere hominem à facie Terræ, ab homine uſque ad animantia; à reptili uſque ad volucres Cœli; idque effecit univerſali Diluvio. Geneſ. cap. 6. & 7. reſervatis duntaxat Noe, ejus uxore, liberis, & horum uxoribus. Poſt Diluvium verò ex hominum propenſione ad malum & Diaboli nequitia, prodiit idololatria, quæ totum ferè genus humanum depravavit atque perdidit; donec Deus hominum miſertus, unigenitum Filium ſuum dedit per incarnationem, ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed vitam habeat æternam: Christus verò homines ad verum Dei cultum revocavit, à morte æterna morte ſua redemit, Regnum Cœlorum eis aperuit, & idololatriam per ſe & ſuos Apoſtolos profligavit. Sed his non obſtantibus in tantùm crevit hominum malitia per ſchiſmata, ſectas, impietates, tyrannides, ſuperbiam, ambitionem, avaritiam, luxuriam, gulam, fraudes, latrocinia, &c. præſertim inter Chriſtianos qui ſoli ſunt populus Dei; ac ſeculorum ſucceſſu malum adeò ingraveſcit, tam inter Eccleſiaſticos quàm ſeculares, ut omninò neceſſe videatur, huic tandem Mundo finem imponere: jam enim vigent multò plura & graviora peccata per totum univerſum, ac præſertim inter Chriſtianos, quàm Diluvii tempore, nec ulla ſpes apparet à tam maligno ſtatu reſurgendi: quod Principes tam Eccleſiaſtici quàm Seculares, quorum eſſet reformationem aggredi, omnem juſtitiam & de Deo curam exuiſſe videantur maxima ex parte proprii muneris ignari, & ſuis duntaxat voluptatibus intenti, ſubditis interim adeò miſerabili ſervitute oppreſſis, ut horum parti maximæ Mundus hic odio ſit, & mors quàm vita optabilior: ſupereſt ergo ſolus Deus, qui gemitum pauperum exaudiens huic Mundo & generationi hominum, qui quotidiè in deteriùs abeunt, ſimulque tot malis finem imponat, ut ipſe promiſit Apocalyp. cap. 22. *Ecce venio citò & merces mea mecum eſt, reddere unicuique ſecundum opera ſua.*

Caput XXXII.

Quando & quomodo Mundus hic finem ſit habiturus.

Quamvis ex Mathæi cap. 24. ne quidem Angeli qui ſunt in Cœlo, determinatè ſciant quo die & qua horâ hic Mundi ſtatus finem ſit habiturus: Imò apud Marcum cap. 13. Filius Dei id ſibi dicat ignotum (humanis, ſcilicet, rationibus quæ ad illud momentum determinandum nullæ ſunt) ſed hæc notitia ſoli Deo Patri, ac per conſequens ejus ſapientiæ, quæ eſt verbum ejus, dicatur reſervata: nihilominus tanta eſt Dei bonitas & miſericordia erga hominem qui meritò dicitur Microcoſmus, ut vix ullus rationis compos moriatur ſine quibuſdam obitus ſui præſagiis; ſive internis per inſpirationes, ſomnia, corporis morbos; ſive externis per ſtatum Cœli reſpectu natalis ſuæ conſtitutionis; aut per accidentia diverſa illa occurentia in Aëre, Aqua, Terra, à brutis, hominibus, vel Dæmonibus, & rebus etiam inanimatis; quæ vulgo aut mortem, aut quid ſiniſtri, valdéque periculoſi creduntur portendere; etſi ad hæc ſingula homines non advertant, aut advertentes eadem contemnant, ut innumeris hiſtoriis Regum, Magnatum & Plebeorum probari poſſet. Dum autem Deus per Diluvium, totum genus humanum, duntaxat excepto Noe, tribus ejus Filiis eorumque uxo-

uxoribus, nullis etiam ſervis admiſſis delere decrevit ob ſcelera: per annos pluſquam 100. Noë fabricando Arcam, cæteris hominibus timorem DEI & pœnitentiam concionatus eſt, illis denuncians inſtare Diluvium atque finem univerſæ carnis, ut ſibi à DEO revelatum fuerat; ſed ab ipſis etiam videntibus Arcam in dies perfici deriſus eſt, donec Arcâ perfectâ venit Diluvium & perdidit omnes. Quantò igitur magis de Divina bonitate ſentiendum eſt, quod ſecundò ac ultimò volens delere hominem à facie Terræ in ſempiternum, ita ut nullus ſit ampliùs hominum reparationi vel generationi locus; imò totius univerſi hunc viſibilem ſtatum deſtruere; tam horrendæ cladis futuræ, homines Prophetiis atque ſignis admonere voluerit, ut ipſam prævideant, convertantur, & aliis prædicent?

Confirmatur autem paſſim hæc DEI bonitas in veteri Teſtamento. Nam apud Jonam cap. 1. Dixit Deus Jonæ; *Surge & vade in Ninivem Civitatem grandem & prædica in ea quia aſcendit malitia ejus coram me.* Et cap. 3. prædicavit Jonas, *adhuc 40. dies & Ninive ſubvertetur.* Hìc igitur DEUS minatus eſt everſionem Ninives Civitatis Gentilium, & tempus everſionis. Idem videre licet in aliis Prophetis, Iſaia, Ezechiele, Daniele, dum ab his Prophetis juſſu DEI prædicuntur & annunciantur deſtructiones aliarum Civitatum, & Regnorum Gentilium, ob crimina: Quod verò ſpectat ad populum Iſraël qui ſolus erat hæreditas DEI, ut habetur Eſaiæ cap. 19; inter varias calamitates quæ ipſis acciderunt ante adventum CHRISTI, tres fuerunt omnium graviſſimæ ac memorabiles: quippè ſervitus Ægyptiaca, Babylonica, & ſub Antiocho Epiphane, tempore Machabeorum, quas & earum tempora prænunciarunt Abraham Geneſ. cap. 15. Hieremias cap. 25. & 29. & Daniel cap. 8. At in fine capitis noni prædixit eis perpetuam deſolationem poſt occaſionem CHRISTI, in qua adhuc verſantur ab annis 1600, quæque durabit ad finem Mundi. Eamque prophetiam CHRISTUS ipſe confirmavit evidentiſſimè apud Lucam cap. 19. & 21; etiam flens deſtructionem Civitatis ſanctæ in qua à perfidis & excæcatis Judæis ignominioſæ morti tradendus erat. Ex quibus patet non licere opinari quod Mundi hujus univerſa deſtructio, & quoad ſigna, & quoad tempus ſaltem proximum non fuerit Propheticè deſignata. Quoniam verò ea eſt Prophetiarum natura, ut ſemper aliquid obſcuritatis involvant, & vix à ſagacioribus ante earum adventus perfectè intelligantur; inde fit ut de tempore deſtructionis hujus Mundi Doctores Eccleſiaſtici, ac ipſi inter Judæos Rabbini, in varias diſtrahantur ſententias.

Vetus eſt traditio Rabbinorum, hunc Mundum 6000. annis duraturum; atque fore annos 2000. inanitatis, hoc eſt ſine Lege: 2000. Legis; & 2000. Meſſihæ. Ac certè à creatione Mundi ad vocationem Abrahæ cui DEUS dedit Legem circumciſionis, numerantur anni 2023: & ad CHRISTI mortem quam ſecuta eſt Euangelii per totum orbem prædicatio, numerantur anni 3998. ex Chronologia Galliſardi, hoc eſt anni ferè 4000; quæ illi Judæorum veteri Cabalæ maximè congruunt, tum etiam Aſtronomis. Indeque valde probabile eſt, Mundum in ſecundo poſt CHRISTUM millenario finem habiturum. Hujus autem Cabalæ Rabbini poſuêre fundamentum; quòd in primo verſu cap. 1. Geneſ. in quo deſcribitur Mundi conſtructio, ſexies reperiatur littera Aleph; quæ Hebræis ſignificat 1000: quodque DEUS dicatur Mundum feciſſe diebus 6. At apud DEUM 1000. anni computantur dies unus Pſalm. 89. & Petri Epiſt. 2. cap. 3. At Rabbi Elcha celebris inter Judæos qui ſeculo poſt CHRISTUM undecimo vixit, in Libro qnem inſcripſit dies Domini, ſive de fine Mundi, traditionem illam cenſet maximam eſſe vanitatẽ; *nunquid enim* (ait) *hæc ſcientia nos & majores noſtros ridiculos exhibet Nazareis* (hoc eſt, Chriſtianis) *cùm annorum* 4000. *jam elapſis debuiſſet veniſſe deſideratiſſimus ille Meſſiah? & nonne verum ex parte JESU quem CHRISTUM vocitant, prædicarent? Nam quid nobis prodeſſet aſſerere propter iniquitates noſtras, quæ heu! multiplicatæ ſunt, Meſſiam ad extremum quarti illius millenarii non adfuiſſe, ſed multis ultra annis prætereuntibus, dilatus retardatuſque eſt, illius adventus? Videte quæſo quò nos deducat illa Cabalæ obſervatio.* Hæc ille; qui tandem poſt prophetias & ſigna naturalia in examen adducta, concludit his verbis: *Nulla ergo naturalia ſigna, nullaque ſupernaturalia ſi litteram ſpectas, nullamque certam ſcientiam de fine Mundi relictam nobis eſſe liquet.* Quæ ſanè concluſio ſaltem valet ad fucandam longiúſque producendam ſpem inanem Judæorum de futuro Meſſia ab illis exſpectato, nec mirum quod prophetias de fine Mundi non intelligant; cùm prophetias de CHRISTO multùm evidentiores capere nequeant, quippè excœcati, ut de ipſis prophetavit Eſayas, quam etiam prophetiam ne quidem intelligunt.

Quod verò ad naturalia ſigna ſpectat præſertim Cœleſtia, planè abſurdum eſt opinari aliqua eſſe quæ finem Mundi ſignificent tum quia cap. 21. diximus, Mundum hunc in ſuo ſtatu poſſe cum ſolo DEI concurſu in perpetuum conſervari: Tum quia ſi corpora Cœleſtia Mundi finem ſignificare poſſent, ergo etiam cauſare poſſent, ut ſuo loco probabitur; at ſolus DEUS qui Mundum hunc condidit, poteſt illum deſtruere: neque hoc potiùs quàm illud eſt in poteſtate naturæ: falſumque eſt quod fabulatur Albumaſar Diluvium univerſale cauſatum fuiſſe à præcedente ♂ ♄ & ♃ in Cancro, quandoquidem ex Geneſi conſtat, Diluvium ipſum fuiſſe factum à ſupernaturali cauſa, ſcilicet, mera DEI voluntate, ob nimia ſcelera generis humani. Adde quod Aſtrologi nec rationem, nec experientiam habent quod Cœli ſtatus qualiſcunque, univerſale Diluvium multóque minùs Mundi totius deſtructionem efficere valeat: quamvis de Terræ motibus & inundationibus in Terræ locis particularibus experientias & rationes habeant; quippè quod omnis conſtitutio Cœleſtis agat penes ſuam determinationem reſpectu ſingulorum Terræ locorum: ac proinde cùm diverſimodè determinetur reſpectu diverſorum locorum, ſi uni portendat inundationem, non omnibus idem portendet; ſicque non erit univerſalis inundatio, eadémque eſt ratio de cæteris accidentibus, ut peſte, bellis, &c. prout ſuo loco fuſiùs exponetur.

Quoniam igitur Filius DEI qui Mundum ipſum creavit, atque bis reparavit, ſcilicet, carnaliter per Noe ejuſque familiam, & animantia à Diluvio præſervata; tum ſpiritualiter per ſeipſum incarnatum ſuoſque Diſcipulos; de ejuſdem fine in Euan-

Euangeliis vaticinatus eſt, poſt Danielem Prophetam, iterumque vaticinari fecit per D. Joannem in Apocalypſi: eſtque certiſſimum quod non diutiùs ferenda hominum flagitia, erunt cauſa motiva deſtructionis Mundi, idcircò ex prophetiis Danielis, CHRISTI, ejuſque Diſcipuli, ac ſtatu Mundi, conandum eſt conjectare, quonam tempore ipſa deſolatio univerſa continget. Quamvis autem in Apocalypſi ſatis pateat beſtiam à D. Joanne deſcriptam cap. 17; eſſe Legem atque Regnum Mahumeti ejuſque Succeſſorum, quorum exterminatio à Chriſtianis futura prædicitur: attamen tempus ruinæ Mundi adeo latet hominum ingenia per Apocalypſin, ut inde quid certi nemo deſinire valeat. Quocirca CHRISTI verba nobis potius attendenda videntur, in quibus in luce fontali plus lucis apparet.

Itaque CHRISTUS apud Math. cap. 24. & Luc. cap. 17. poſtquàm dixit Apoſtolis ſuis ſolum Patrem determinatè ſcire diem & horam interitùs Mundi; ad illud tempus confuſè ſaltem indicandum ſubjunxit: *Sicut autem in diebus Noë ita erit & adventus Filii Hominis*, &c. Ab Adamo autem ſive Mundi creatione uſque ad Diluvium in diebus Noe, numerantur anni 1656. Ideoque probabile eſt à Nativitate CHRISTI, vel ejus morte (quæ fuit ipſius Mundi regeneratio per ſanguinẽ CHRISTI) uſque ad finem ipſius Mundi effluxuros annos circiter 1656. Ideoque in priori caſu finem Mundi futurum anno circiter 1656; In poſteriori verò anno circiter 1690. ut jam opinati ſunt nonnulli ex Neotericis quorum ſententia fuit rejecta ob exiguum tempus ſuperſtes: quæ ratio ſi valeret Mundus hic nunquam finiret. Videndum ergo an ex aliis CHRISTI verbis eadem ſententia confirmari valeat.

Igitur apud Joan. cap. 15. Dominus JESUS ſuos alloquens Diſcipulos, totum Eccleſiæ ſuæ corpus repræſentantes, ait illis: *Non eſt ſervus major Domino ſuo; ſi me perſecuti ſunt* (nempe Judæi cæterique CHRISTI hoſtes) *& vos perſequentur.* Quibus verbis comparat vitæ ſuæ ſtatum, ſtatui futuro Eccleſiæ ſuæ, cujus ipſe Typus erat: Mathæi autem cap. 12. & Luc. cap. 6. ait, *Filium Hominis eſſe etiam Dominum Sabbati*; quod intelligendum eſt tam de die quàm de anno; apud Judæos enim erant Sabbata annorum & dierum quæ dicebantur dies & anni Domini. Imò erat annus Domini inter cæteros præcipuæ dignitatis, maximæque libertatis, qui Jubilæus dicebatur; ſeptem complectens annorum Sabbata, atque recurrens anno quolibet quinquageſimo. Et quia Judæis omnia in figuris contingebant, idcircò eorum dies & anni Domini, veros dies & annos futuri Meſſihæ, qui eſt CHRISTUS & Dominus præſignificabant; ac præſertim annus ipſe Jubilæus qui per excellentiam annus Domini dicebatur: Non ſecus ipſe CHRISTUS ſuâ vitâ peregrinâ ſuiſque annis vitam & annos Eccleſiæ ſuæ cujus eſt Typus, ſignificavit. Vixit autem CHRISTUS annis 33. ⅓ qui cùm ſint dignitate ac virtute Iubilæi, ergo Eccleſia CHRISTI ſponſa, vivet etiam in terra 33. ⅓ annis Iubilæis; ideoque multiplicatis 33. ⅓ per 50. fient 1666. anni pro ipſius Eccleſiæ duratione, quod non procul abeſt à ſupra poſito numero 1656. vel 1690. Atque hanc conjecturam, jam ab annis circiter 200. tradidit omnimodæ doctrinæ & vitæ integritate eminentiſſimus Cardinalis Cuſanus. Quòd ſi juxta ſupputationem hanc fiat comparatio vitæ CHRISTI cum vita ſuæ ſponſæ, mirus apparebit conſenſus.

Nam primo anno vitæ CHRISTI, Herodes Aſcalonita ipſi necem moliens, trucidat infantes à bimatu natos: Primo autem anno Iubilæo Eccleſiæ, hoc eſt primis annis 50. occiduntur ipſi infantes, Ioannes Baptiſta, Stephanus Diaconus, Iacobus & Philippus Apoſtoli: totoque durante tempore annorum circiter 300. hoc eſt, 6. annorum Iubileorum Eccleſiæ, correſpondentium annis circiter 6. fugæ CHRISTI in Ægyptum. Eccleſia ipſa duriſſimas paſſa eſt perſecutiones ab Imperatoribus Romanis, aliiſque Ethnicis.

Anno circiter ſexto CHRISTI, ipſe ex Ægypto rediit in patriam Nazareth; & anno 12. inventus eſt in Templo diſputans cum Doctoribus, qui 6. anni intermedii valent 300. Eccleſiæ: in quibus præcipui poſt Apoſtolos floruerunt Doctores Eccleſiæ: multaque Concilia pro CHRISTI & Spiritus Sancti Divinitate defendenda, fuerunt adverſus Hæreticos illorum temporum celebrata.

Ab anno CHRISTI duodecimo ad trigeſimum nihil de ipſo refertur, præterquàm quod proficiebat ſapientia & ætate; quod etiam Eccleſiæ accidit illuminando mentes, deſtruendo hæreſes, & propagando Euangelium in Aſia, Europa & Africa.

Anno autem CHRISTI circiter 30. ipſe baptiſatus eſt, ſtatimque ſe Mundo cœpit publicè manifeſtare: annuncians ſe eſſe Filium DEI & Salvatorem Mundi per fidem in ſe. Ipſi verò 30. anni Domini, ſive Iubilei valent 1500. anni in Eccleſia: quo tempore annunciari cœpit Euangelium populis anteà nobis ignotis, in India Orientali & Occidentali conſenſu mirabili.

Quo tempore Dominus IESUS ſe à DEO Patre miſſum ad hominum ſalutem profeſſus eſt: Scribæ, Phariſæi, Pontificeſque Iudæorum, ipſum odio, invidiâ, blaſphemiis, & conjurationibus perſequi incœperunt, plurieſque occidere voluerunt, ejus Doctrinæ adverſantes: duravitque perſecutio hæc uſque ad ejus mortem procuratam à Iudæis, patratam à Gentilibus; hoc eſt per annos 3. cum triente. Similiterque ab eo tempore quo Euangelium CHRISTI detulit Mater Eccleſia ad Idolatras Orientis & Occidentis anteà ignotos, ortæ ſunt in Europa Sectæ Lutheri, Calvini, & earum appendices: à quibus vix dici poteſt, quàm crudelem, diram, amplamque perſecutionem paſſa eſt, adhucque patitur Eccleſia CHRISTI ſponſa; durabitque earum virus & perſecutio uſque ad Antichriſtum, qui in Eccleſia ipſa paſſionem & mortem CHRISTI conſummabit; ut per omnia fiat verum, & adimpleatur quod ipſe ſuperiùs dixit. *Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur.*

Præterea poſtquam CHRISTUS apud Math. cap. 24. loquens de fine Mundi dixit. *Et prædicabitur hoc Euangelium Regni in univerſo orbe in teſtimonium omnibus gentibus; & tunc veniet conſummatio*; ſic innuens non multùm ſupereſſe temporis uſque ad finem Mundi, poſt Euangelii in toto orbe prædicationem: remittit Diſcipulos ad Danielem Prophetam cui apertum fuit cap. 8. quod abominatio deſolationis in loco ſancto futura eſſet 2300. diebus ab hora egreſſionis verbi, hoc eſt pro-

phetiæ, quæ facta eſt an. 3. Regis Balthaſaris; qui ſi, ut volunt Hieron. Africanus & Joſephus, CHRISTUM præceſſerit annis 559. & 2300. dies illi ſumantur pro totidem annis ut Ezechielis cap. 4. Et Numer. 14. dicitur, dies in Prophetiis ſumi pro annis; ipſa deſolatio continget inter annos à CHRISTO 1700. & 1750. ut notat Cardinalis de Cuſa in ſua conjectura de noviſſimis diebus. Atque hoc tempus finis Mundi, non procul abeſt à ſuprapoſitis; ut proinde ſecundum harum Prophetiarum concordiam, exiguum tempus ſuperſit uſque ad finem Mundi, ſique dies brevientur ut dixit CHRISTUS Math. cap. 24. etiam minùs reſtabit. Quod verò attinet ad Regnum Antichriſti, hoc eſt illius beſtiæ ſeu cornu quæ Danielis cap. 7. loquetur ſermones contra Excelſum & Sanctos Altiſſimi conteret, regnum ejus dicitur ibidem daturum, *per tempus, & tempora, & dimidium temporis*, hoc eſt, per 3. annos & dimidium. Nam ex Danielis cap. 4. tempus ſumitur pro uno anno, & tempora ſeptem ſunt anni ſeptem, hicque mos loquendi fuit uſitatus Aſtronomis illius temporis, ut patet ex Ptolomæo, qui in directionibus tempora, ſive gradus Æquatoris ſumit pro totidem annis: dicitur etiam in fine cap. 9. Danielis, regnum ipſius Antichriſti, ſive abominationem deſolationis in Templo duraturam per dimidium hebdomadis, hoc eſt, per tres annos cum dimidio, nam ex eodem capite cum dicitur, *poſt 62. hebdomadas occidetur CHRISTUS*, hebdomas ſumitur pro ſeptem annis. Et confirmantur prædicta ex cap. 12. Danielis: ubi à tempore cùm ablatum fuerit juge ſacrificium & poſita fuerit abominatio in deſolationem, numerantur dies 1290. Ampliùs confirmantur hæc in Apocal. cap. 11. ubi dicitur, quod duo Prophetæ, ſcilicet, Enoch & Elias amicti ſaccis prophetabunt diebus 1260, ſive 42. menſibus, quibus ſancta Civitas calcabitur à gentibus, ubi patet dies & menſes propriè ſumi, idemque valere quod dimidiam hebdomadem annorum, vel tres annos cum dimidio: juxta cap. 12. ubi Mulier quæ peperit Filium DEI, hoc eſt, Eccleſia, paſcitur in ſolitudine, durante Antichriſti perſecutione diebus 1260; vel ut habetur in fine capitis ejuſdem per tempus & tempora & dimidium temporis alitur à facie ſerpentis, hoc eſt, occultè conſervatur à DEO.

Jam verò præſentem Mundi ſtatum contemplemur, & futurum inde conjiciamus. Primò itaque certum eſt Euangelium CHRISTI tanto fervore jam per totum Orbem diſſeminari, ut ſperandum ſit illud brevi tempore perventurum ad reliquas Terræ partes Polis Mundi viciniores, Sathanæ jugo per idololatriam adhuc ſubditas: & præſertim ad Terram auſtralem incognitam. Adeóque ſanctum ſuſceptum fœliciùs promotum fuiſſet, citiúſque abſolveretur, niſi horrenda & Chriſtianis indigna bella inter Reges Galliæ & Hiſpaniæ, quibus præcipuè id munus incumbit, totam ferè Europam Chriſtianorum ſanguine irrorarent ab annis 30; ſine ulla pacis apparentia: ſicque idololatrarum converſionem, Chriſtiani perverſione ſua retardarent ac impedirent, in ſuam quoque perniciem maximam, & periculum, ne juſto DEI Judicio in punitionem, ab Imperatore Turcarum ſubverſionem patiantur, vel à Sciſmaticis circumquaque Religionis Catholicæ ruinæ inhiantibus. Sed quod non fiet à Chriſtianis Europæis, DEO volente perfici poterit à Chriſtianis jam converſis in Terræ partibus, idololatris ipſis vicinioribus, ut olim fiebat ab iis quos Apoſtoli primos converterant, proindeque non eſt dubitandum quin Euangelium CHRISTI intra paucos annos toto Terrarum orbe innoteſcat; & paulò poſt Mundi finis contingat. Non tamen putandum eſt quod omnes ad CHRISTI fidem veram convertantur; hoc enim à CHRISTO non fuit prædictum; ſed tantùm quod Euangelium prædicabitur in univerſo orbe, & qui non crediderit & baptiſatus fuerit condemnabitur. Ideoque & Turcarum & idololatrarum & aliorum à CHRISTO averſorum reſtabit in fine Mundi innumera multitudo damnanda, quòd reſipiſcere aut pœnitentiam agere noluerit, ut colligitur ex Apocalypſi.

Quod verò ad hominum peccata ſpectat: non neceſſe hîc attendere ad idololatras Magos innumeros Antichriſtum principem ſuum exſpectantes, Iudæos, Mahometanos, Schiſmaticos & Hæreticos extra Eccleſiam DEI vitam lethalem agentes, quorum ſcelera tantùm abeſt ut minui queant, naturâ depravatâ & Diabolo cui ſerviunt invicem conſpirantibus, quin potiùs ſic in dies augentur, ut eorum fumus ad Cœlum uſque aſcendat: dum interim omnes ferarum more in populum DEI Catholica imbutum fide inſultant, conanturque totis viribus ipſum deſtruere; ſed nobis duntaxat conſiderandus eſt ipſe populus qui Religionem Catholicam profitetur: in quo ſtupendum eſt quot mala & flagitia deprehendantur hoc ſeculo; quibus haud aliud remedium, quàm univerſa hominum totiuſque Mundi deſtructio videtur congruere poſſe.

Si enim totius Catholicorum corporis partes præcipuas attenta mente hoc tempore luſtraveris; nempe cerebrum, quod eſt Eccleſiaſticus ſtatus; cor, quod eſt Regia poteſtas; atque jecur, quod eſt tertius, ſive Populi ſtatus: tam fœda cacochymia, tamque horrenda ſymptomata deprehenduntur, ut facillimum ſit conjectari corporis illius ſanitatem eſſe deſperatam, atque prædicere mortem eſſe in propinquo. Specialia ſingularum partium peccata hîc exponere, nec meum eſt, qui (proh dolor) ſum peccatorum maximus: nec etiam tutum; quòd in his præcipuè veritas odium pariat, & iniquam vindictam concitet conſciis viventibus: ſed vix deerunt fideles hiſtorici arcanorum gnari, qui ſingula vivis coloribus depingant, & Magnates in Regem & Galliam proditores infamiâ perpetuâ notent, horumque prolem; ad ſtupendum hujus ſeculi opprobrium, cujus turpitudo tandem volente DEO revelabitur.

Horret enim animus non modò ſcribere, ſed etiam meminiſſe criminum quæ à ſingulis partibus perpetrantur; non occultè, ſed adeo publicè ut nemo ſit qui illa ignoret maximo univerſæ Eccleſiæ Catholicæ ſcandalo ac detrimento; de illiſque non conqueratur: & CHRISTUS hac horribili durante procella, videatur in puppi dormire, dum ambitio, iniquitas, injuſtitia, impietas, hypocriſis, latrocinia, atque luxus (furibundi venti) naufragium jactatæ navi minitantur, niſi ad procellam diſſipandam CHRISTUS ipſe excitetur precibus bonarum animarum, ſoli DEO addictarum & ſeculi veneno non infectarum; quæ tamen paucæ reperientur in ipſis etiam cœnobiis, ubi de ſtatu perfectionis Monachi gloriantur.

Itaque ſinguli ſtatus ſeſe introſpiciant, & ſinguli

homines

homines vias pravas derelinquant convertanturque ad DEUM; tantam hujus ſeculi ſpectantes depravationem inter Catholicos præſertim, cum prophetiis ſuprapoſitis & CHRISTI annis in Eccleſia ſua nunc adimpletis concurrentem. Ut enim Ioannis cap. 7. Iudæorum aliqui credentes in IESUM dicebant. *CHRISTUS cùm venerit, nunquid plura ſigna faciet quàm quæ hic facit?* Ita jam dicere poſſumus, cùm venerit Antichriſtus, nunquid Populum Catholicum reperiet in deteriore & maligniore ſtatu, quàm qui jam nobis apparet, ſi de arbore ex fructu & non ex floribus, vel hypocriticis apparentiis feratur ſententia? Itaque vigilemus & oremus. Nam Dominus venit citò, ex Apocal. cap. 22. Neſcimus autem diem neque horam. Sed ſupradictis attentè ſpectatis, præſertim inter Catholicos; & horrendis Magorum Sacrilegiis circa CHRISTI corpus, à paucis annis in illorum Synagogis introductis, & à DEO diutiùs non ferendis; nullatenus dubito, brevì futuram Mundi hujus deſtructionem: jamque plures eſſe natos homines, qui illam inſpecturi ſint; nec pauciores qui illam à DEO petant; dicentes cum Ioanne in fine Apocalypſis: *Veni Domine Jeſu:* ſcilicet, finem imponere iniquitatibus & horrendis Hominum Sacrilegiis. DEUS verò miſereatur noſtri, AMEN.

CAPUT XXXIII.

Quænam ſigna præcedent finalem Mundi deſtructionem.

QUoniam futura Mundi deſtructio, per revelationem ſolam nobis innoteſcit, idcirco ſigna illius prognoſtica, ex Scripturis etiam ſacris ſunt deſumenda: ſignorum verò ipſorum alia erunt generalia, alia particularia.

Inter generalia hæc erunt ex Math. cap. 24. Primùm: Conſurget gens in gentem, & regnum in regnum; & erunt peſtilentiæ & fames, & Terræmotus per loca: hæc autem omnia erunt initia dolorum. Secundò: Multi Pſeudoprophetæ conſurgent, & ſeducent multos: dum, ſcilicet, quiſque ſectam ſuam promovere & ſub Religionis ſpecie ſuper alios regnare conabitur. Nec ſolùm ſeducentur ignari veræ Religionis, quales ſunt Iudæi, Turcæ & Pagani, ſed ex Chriſtianis etiam plurimi, aut Religionem veram à falſa diſtinguere neſcientes, aut perſecutionem metuentes. Qui autem perſeveraverit uſque ad finem in verò DEI cultu, hic ſalvus erit.

Tertiò: Abundabit iniquitas in univerſo orbe; eaque multò major quàm Diluvii tempore, quo præcipua iniquitas quæ repleverat Terram coram DEO, carnalis tantùm fuiſſe dicitur Geneſ. cap. 6. hiſce verbis. *Omnis quippè caro corruperat viam ſuam.* Nam ante Mundi finem exorbitabit iniquitas omnimoda tam carnis quàm ſpiritus, in cunctis nationibus, ac præſertim inter Chriſtianos quos DEUS præcipuè reſpicit, tantaque erit Regum atque Principum & Magnatum crudelitas & Tyrannis erga miſeros ſubditos. Juxta Luc. cap. 21. Erit in Terris preſſura Gentium; ut oppreſſorum clamor ad Cœlum uſque aſcendat, & Reges ſint inde circa finem Mundi graviter puniendi juxta Pſalm. 109. *Confregit in die iræ ſuæ Reges. Judicabit in Nationibus, implebit ruinas, conquaſſabit capita in Terra Multorum.*

Quartò: Prædicabitur Euangelium Regni in univerſo Orbe in teſtimonium cunctis gentibus, & tunc veniet conſummatio.

Quintò: Per Antichriſtum veniet abominatio deſolationis quæ dicta eſt à Daniele Propheta, ſtans in loco ſancto: eritque tunc tribulatio magna qualis nunquam fuit ab initio Mundi, neque fiet; durans per 3. annos cum dimidio ex cap. 32. vel 42. menſibus, quibus Enoch, Elias & Joannes prophetabunt Gentibus & Populis & Linguis & Regibus multis, ut convertantur ad DEUM & perſeverent in fide in CHRISTUM imminente Mundi deſtructione ac finali Judicio vivorum & mortuorum. Præ cæteris autem notanda erit converſio Judæorum ad CHRISTUM, tempore Antichriſti & prædicationis Heliæ. Ipſa enim converſio in ſacris Scripturis promittitur Judæis in fine Mundi; ſed priùs decipientur ab Antichriſto, ſe DEUM & Meſſiam promiſſum aſſerens; ut colligitur ex Joan. cap. 5. in fine. Et hæc erunt proxima ſigna generalia conſummationis; quorum quot jam appareant, cœcus eſt qui non videt.

Inter particularia ſigna proxima, Rabbi Elcha in Libello quem fecit de fine Mundi, hæc decem enumerat. Primùm: Cœlum & Aſtra obſcurabuntur. 2. Stellæ dilabentur. 3. Mare cum ingenti ſtrepitu horribiliter intumeſcet, & marina monſtra ſtupendos in Cœlum emittent boatus. 4. Arbores, Montes & ædificia Teerræmotu corruent. 5. Horribiles audientur ubique tubarum ſonitus & clangores. 6. Huc & illuc homines metu conſternati vagabuntur. 7. Omnia ſanguine madeſcent. 8. Venti, turbines, tempeſtates, & ſpiritus procellarum continuò flabunt. 9. Aperientur mortuorum ſepulchra. 10. Et ultimum pluet ſulphur & ignis, unde Cœli & Terra miſerabiliter exurentur. At B. Joannes in Apocal. cap. 16. enumerat ſigna ſeptem quæ vocat phialas iræ DEI, quæ in Terram effundentur ſuper eos qui adoraverint Beſtiam & Imaginem ejus: hoc eſt, qui Antichriſto adhæſerint: quod ex eo confirmatur, quia poſt effuſionem ſeptimæ phialæ, exivit vox magna de Templo à Throno dicens: *Factum eſt, & Terræmotus factus eſt magnus qualis nunquam fuit ex quo fuerunt homines ſuper Terram, & omnis inſula fugit, & montes non ſunt inventi.* Atque hæc omnia confirmantur à CHRISTO qui Mathæi cap. 24. ait: *Statim autem poſt tribulationem dierum illorum,* (ſcilicet, tempore Antichriſti) *Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, & Stellæ cadent de Cælo, & virtutes Cælorum movebuntur: & tunc parebit ſignum Filii hominis in Cælo, & tunc plangent omnes tribus Terræ, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus Cœli cum virtute multa, & Majeſtate.* Idemque prædici voluit à Davide Pſalmus 96. his verbis. *Ignis ante ipſum præcedet & inflammabit in circuitu inimicos ejus; illuxerunt fulgura ejus Orbi Terræ, vidit & commota eſt Terra: Montes ſicut cera fluxerunt à facie Domini, omnis Terra. Annuntiaverunt Cæli Juſtitiam ejus, & viderunt omnes Populi gloriam ejus.* Quibus verbis ſpecialiter prædicitur conflagratio univerſæ Terræ ante adventum Judicis, idemque dicitur Pſalm. 49. *Deus manifeſtè veniet, DEUS noſter & non ſilebit, ignis in conſpectu ejus exardeſcet, & in circuitu*

ejus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ejus tempeſtas valida. Idemque dicitur Epiſt. 2. Petri. *Adveniet Dies Domini ut fur in quo Cæli magno impetu tranſient, Elementa verò calore ſolventur, Terra autem & quæ in ipſa ſunt opera exurentur.* Eaque conflagratio non ſolùm mineralia, vegetabilia, animalia bruta, & omnes homines & mortuorum cadavera atque oſſa calcinabit, ſed ipſa etiam Elementa purgabit à ſordibus contractis per iniquitates hominum. Ut in Iudicis advenientis conſpectu munda reperiantur.

His peractis veniet Filius DEI CHRISTUS DEUS noſter cum Majeſtate ſumma, & facta hominum reſurrectione generali judicabit omnes ſecundum ſtatum in quo quilibet mortuus fuerit, & qui mortuus fuerit in DEI gratia, ducetur ad regnum cœlorum; qui in peccato mortali, mittetur in infernum æterno cruciandus: Qui verò nullum actuale peccatum mortale commiſerint, nec fuerint poſt CHRISTI mortem baptiſati, neque ſupernaturali beatitudine, ſcilicet, viſione ac fruitione DEI ut in ſe eſt perfruentur, quòd originali peccato ſunt infecti, nihil enim coinquinatum intrabit in Regnum Cœlorum; neque pœnis Ignis Infernalibus tradentur cruciandi, ut cenſuit D. Auguſtinus abſque ulla ratione vel ſacræ Scripturæ Authoritate: ſed ſuper globo Terreſti remanebunt, DEUM in ſuis creaturis perfectè cognoſcentes, amantes & tota mente colentes, atque ſic naturalem beatitudinem in ſupremo ſtatu poſſidentes, ut fuſe à nobis probatum eſt in Libro de concurſu primæ cauſæ cum ſecundis contra Janſeniſtas ſectione 3. cap. 30. qui Lectori ſatisfaciet.

CAPUT XXXIV.

A quo & qualis futura ſit Mundi hujus deſtructio ſive mutatio.

QUamvis Chymici in ſuis de Lapide Philoſophorum Libris aſſerant poſſe quodlibet mixtum naturaliter ſed concurrente ſupernaturali hominis artificio reduci ad ſupremum perfectionis gradum naturæ ſuæ congruum; ad quem dum pervenit nullo amplius modo eſt in aliam naturã mutabile, ſed ſtatum fixum adeptum eſt, omnis mutationis ultimum terminum & quietem; cui ſententiæ lubens ſubſcribo, indeque conjectetur id tandem huic mundo eventurum, nec perpetuis mutationibus fore jactandũ: Quia tamen mundus ipſe per ſuos motus ac mutationes non in perfectiorem ſtatum aſſurgit, ſed in eodem perdurat quò ad partes ejus integrantes, ejus autem hoſpes homo in deteriorem continuo prolabitur, nec ulla eſt vis vel artificium aut hominis aut angeli, cui totius mutatio mundi ſubjecta ſit: Id circò ut ſolus DEUS mundum hunc viſibilem condidit quo in ſtatu cernitur; ſic ipſo ſolus hunc ejus ſtatum deſtruere poteſt.

Non enim mundus hic viſibilis annihilabitur. Nam Eccleſiaſtes cap 1. dicitur: *Terra in æternum ſtat*, & cap. 3. *didici quod omnia opera quæ fecit* DEUS *perſeverent in æternum*, ſed reſtabunt corpora Cœleſtia, & Elementa quæ ſunt partes integrantes hujus Mundanæ Machinæ, tantúmque præſens eorum ſtatus immutabitur juxta illud D. Pauli *præterit figura hujus Mundi*; mutabitur autem in excellentiorem ſtatum; ideoq; Apocal. cap. 21. D. Joannes poſt diem Judicii; *vidit Cœlum novum & Terram novam; & exivit de Throno Vox dicens. Ecce nova facio omnia*: Quippe omnia reddentur puriora, clariora & pulchriora, tuncque lucebit Luna ut jam Sol; hicque ſeptuplo quam nunc lucidior erit, cæteraque proportionaliter, tantaque pulchritudo non ſolùm beatis in Cœlo, ſed etiam beatis innocentibus in Terra reſtantibus gratiſſima erit, Deoque honorificentiſſima, motus verò Cœlorum ceſſabit, ideoque omnis nova generatio & tempus non erit ampliùs ex cap. 10. Apocalypſis. Ex quibus teſtimoniis patet evidenter quam inſana ſit Copernicanorum Doctrina, qui obſtinatè negant Cœlum & aſtra eorumque motus propter hominem in Terra degentem eſſe facta, è contra verò aſſerunt Planetarum & Stellarum globos incolis eſſe refertos: Cur enim ob ſolius Globi Terreſtris incolas, hic totius Mundi ſtatus ſimul cum Terra deſtrueretur, Cœlis ne quidem exceptis; cum Terra, ut ipſi fatentur, ſit duntaxat exigua pilula reſpectu Solis, atque fixarum, imò punctum Cœli reſpectu? Ac in ſumma omnes Creaturæ præter Diabolos & homines damnatos glorificabuntur; quod his mœſtitiam & rabiem maximam in æternum concitabit. A qua nos liberet filius DEI: AMEN.

CAPUT XXXV.

Quo erroneus ac deteſtandus de Præ-Adamitis Liber compendiosè refutatur.

ANno 1655. ſuggeſtione ac impulſu Principis tenebrarum Diaboli prodiit in lucem peſtifer Liber, qui de Præ-adamitis inſcribitur; Authore & Bibliopola anonymis metu punitionis, quòd ſe adulteratæ Doctrinæ Chriſtianæ conſcios eſſe non ignorent. Attamen Author pluribus nomine ac etiam facie innoteſcit, futuro ſuo malo niſi brevî reſipuerit, cujus vix ulla ſpes apparet, quamvis hypocriticè ut ſuum venenum cautius diſpergat, Catholicum ſe eſſe mentiatur; & cap. 8. ſuæ Diſſertationis ſe ſuaque omnia caligine cæca devoveat Doctoribus orthodoxis, quos tamen tantum abeſt ut in re tanti momenti conſulere dignatus ſit, ut potius eorum communem Sententiam paſſim reſpuat & irrideat, eamque duntaxat vulgarem opinionem appellet.

Hujus autem Libri fama pervenit ad me Ianuario menſe hujus anni 1656. Cúmque ex relatione dogmatum illius mihi factæ conjectarer, ipſum maximè adverſari iis quæ hoc Libro 2. ſcripſi, de ortu & interitu Mundi, nec non hominum; tandem per amicos effeci ut illum videre ac perlegere mihi conceſſum ſit. Sed bone DEUS! quid vidi? Certè Librum quem nulla Secta DEUM unicum profeſſa, ſive ſit Catholica, ſive Hæretica, ſive Schiſmatica, ſive Judæa, ſive Mahumetana non deteſtabitur, quamvis pluribus individuis hominibus ſingularum Sectarum; ſcilicet, impiis vel Atheis, & nomitatim avidis forſan arridere queat. Meum igitur eſſe duxi, caput hoc coronidis loco attexere, quo Doctrina hoc Libro 2. contenta ut alexipharmaco ſalutari à tam lethifera peſte defendatur. Id verò compendiosè & ſummatim duntaxat efficiam: Tum quod totum Librum illum diſcutere non mihi liceat per otium, meque valde urgeat Aſtrologia noſtra Gallica ad Typographiam

trans-

tranſmittenda; tum quòd errorum illius Doctrinæ amplior refutatio forſan ab aliquo Doctore Theologo ſuſcipietur, niſi hac in parte profundior ſomnus, vel incuria omnes occupet, dum Diabolus vigilat & ſicut Leo rugiens quærit quos devoret.

Tria verò præfari mihi videtur neceſſarium. Primum: Quod Liber hic videtur ſi quis unquam alius ad hominum ingenia depravanda tam efficax, ut brevî futurum ſit (niſi provideatur) quod CHRISTUS de ſuo ſecundo adventu dixit Lucæ cap. 18. *Filius hominis veniens, putas fidem inveniet in Terra?* Quippe quòd evertat univerſam Religionem Chriſtianam & hiſtoriam Geneſeos, utcumq; Author hic impudentiſſimus aſſerat illo cap. 8. ſuæ Diſſert. & alibi, ſuam hypotheſin non efficere Doctrinæ Chriſtianæ, nec hiſtoriæ Geneſeos, ſed utrumque illuſtrare. Secundum: Idem accidiſſe huic Authori, quod pluribus aliis Hæreticis; qui ſuorum errorum fundamenta faciunt verba D. Pauli; à ſe non intellecta: Nec advertunt monitum D. Petri; qui in fine Epiſtolæ ſuæ ſecundæ, loquens de ſapientia & Epiſtolis D. Pauli, ait: *In quibus ſunt quædam difficilia intellectu; quæ indocti & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras Scripturas ad ſuam ipſorum perditionem.*

Tertium: Quod ſacræ Scripturæ ſenſum paſſim depravat, ut illum ad ſuas opiniones inflectat, veluti patebit in ſequentibus. Atque his præfatis jam exponamus Doctrinam ipſius, quæ ſuo fœtore Cœlum & Terram inficit.

Igitur peſtifer hic Author ad ingenia callidius ſeducenda, ſuumque toxicum cautius diſſeminandum, Primò ſuæ Doctrinæ fundamentum ſupponit imaginarium: Nempe verſus 12. 13. & 14. capitis 5. Epiſtolæ D. Pauli ad Romanos. In quorum explicatione, hoc eſt ſui & aliorum excœcatione fatetur ſe per annos 30. laboraſſe. Tentavit autem ingenia per Manuſcriptorum exemplaria ab annis plus quam 20. viſa: Et nonnullis ignaris ac impiis novitatum cupidis applaudentibus, tandem auſus eſt ſuum Librum in lucem edere. Verſus autem D. Pauli ſic ſe habent in editione vulgata.

Verſus: 12. *Sicut per unum hominem peccatum in hunc Mundum intravit, & per peccatum mors: Et ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes pecaverunt.*

Verſus 13. *Uſque ad legem peccatum erat in Mundo; peccatum autem non imputabatur, cùm Lex non eſſet.*

Verſus 14. *Sed regnavit mors ab Adamo uſque ad Moyſen; etiam in eos qui non peccaverunt ad ſimilitudinem prævaricationis Adæ, qui eſt forma futuri.*

Et quia Author hic ad finem à ſe intentum pertingere nequit, niſi depravanda tam Scripturæ ſacræ ſenſum, quàm hiſtoriam creationis Mundi, quamvis cap. 8. ſuæ Diſſertationis impudenter aſſerat, non majus apud Theologos oriri poſſe inconveniens ex ſua hypotheſi de Præ adamitis, quàm accidat Aſtronomis in Planetarum locis definiendis, ſive Cœlum, ſive Terra moveri ſupponatur, cùm tamen hîc quæſtio ſit non de rerum apparentiis, ſed de ipſarum veritate: idcirco duo duntaxat hîc nobis agenda videntur. Primum refellere ejus erroneas Scripturæ ſacræ explicationes: Tum deinde quam falſa ſit ipſius de Mundo creatione ſententia propalare.

Ad vitandam verò omnem confuſionem huic Authori familiarem, de nonnullis cum ipſo erit conveniendum, ut inde ad hominem (quod ajunt) tutior ſit argumentatio. Nec ejus capitum vel Librorum ordinem ſequar, ſed duntaxat mihi neceſſaria ſumam, ubicunque ille ſcripſerit.

Primum ergo de textu D. Pauli quò ad litteram nulla eſt controverſia inter hunc Authorem & Doctores orthodoxos: quò ad ſenſum verò multiplex eſt ut patebit inferius.

Secundò: Ex lib. 1. Syſtematis Theologici cap. 1. Duplicem admittit legem pro homine. Nempe naturalem ſive innatam quæ conſiſtit in uſu rectæ rationis, quæ eſt hominis perfectio naturalis, in qua ipſe rectus & perfectus creatus eſt: tum adventitiam ſive præſcriptam, qualis fuit Lex à DEO Moyſi vel Adamo præſcripta: quod concedatur.

Tertiò: Duplex ait eſſe peccatum, ſcilicet, materiale & formale cap. 14. Diſſert. vel naturale & legale cap. 1. lib. 1. ſyſtem. Theol. Ac peccatum naturale fuiſſe etiam ante legem, ortum habens à puris humanæ naturæ appetitionibus pravis in actum reductis: Peccatum verò legale, fuiſſe poſt legem, ortum ducens à tranſgreſſione legis. Et hoc etiam illi concedatur.

Quartò: Eodem cap. 1. Duplicem quoque mortem aſſerit, quippe naturalem & legalem. Naturalis accidit ex peccato naturali, quod (ait) manat à materia, carne & ſenſibus: ſed hîc nomine peccati abutitur. Nam peccatum propriè eſt dictum, factum, aut concupitum contra legem, ſive naturalem ſive præſcriptam. Jam verò dictum, factum aut concupitum contra legem, non occidit naturaliter; ſed mors naturalis accidit ex contrarietate & pugna mutua principiorum compoſitionis animalis, & à cauſis extrinſecis præſertim univerſalibus: ſicque Adamus poſt annos 930. morte naturali mortuus eſt. Mors verò legalis eſt quæ accidit ex peccato legati, hoc eſt commiſſio contra legem præſcriptam, ſicque Adamus mortuus eſt eo temporis momento, quo fructum vetitum manducavit.

Quintò: Hominem rationis compotem ſcire poſſe de DEO, quæcunque à nobis demonſtrata ſunt Libro 1. Aſtrol. Gall. Nam Author hic cap. 18 ſuæ Diſſert. introducit hominem Præ-adamitam de ſe loquentem ac dicentem, quod quidquid naturaliter de DEO ſciri poterat, illud noverat. Et quod inviſibilia DEI illius, erant ipſi intellecta à creatione Mundi, per ea quæ facta erant: ſed quod DEUM illum non noverat, quia per legem ſibi datam non ſe fecerat ipſi notum: ideoque beſtiali more ſuis omnibus concupiſcentiis obſequebatur, occidebat, furabatur, inceſtabat, &c. nec tamen peccabat, quia ſine lege vivébat. In quibus tamen duplex falſitas reperitur. Prima: Quia naturali modo DEUM perfectè noviſſet ex lib. 1. Aſtrol. Gall. licet ſupernaturali modo ipſum non noſſet. Secunda: Quoniam lex naturalis fuiſſet ipſi innata, ex ſupra conceſſis; Imò Præ-adamita fatetur, quod ipſum pudebat fœditatis ſuorum peccatorum contra humanæ naturæ perfectionem: Ergo peccabat naturaliter vel contra naturæ ſuæ legem. Et Apo-

ſtolus

ſtolus ad Rom. cap. 2. ait, quicunque ſine lege (ſubaudi ſcripta) peccaverunt, ii ſine lege peribunt, &c.

Sextò ſupponatur adhuc veram eſſe hujus Authoris hypotheſin falſiſſimam capitis 3. lib. 1. Syſt. Theol. Quod nempe Adamus fuerit productus à Deo puerulus ut Christus & cæteri homines conſueto modo geniti: & per 33. annos vixerit priuſquam Evam viderit, ipſique quindecennali nupſerit, ipſiſque Lex in Paradiſo data fuerit. Sed etiam ſimul ſupponamus ex ſacro Textu, Adamum aliquo tempore vixiſſe, priuſquam Deus ipſi Legem præſcriberet.

Septimò ſupponamus adhuc cum ipſo Authore, Legem datam Moyſi, non eſſe primam Legem; ſed alias etiam fuiſſe datas Adamo & Abrahamo. Non tamen negare poteſt, quod in novo Teſtamento, ubicunque Christus vel Euangeliſtæ loquuntur de Lege, intelligitur Lex data Moyſi, quæ Lex per excellentiam dicitur, quòd aliæ fuerint duntaxat particulares, hæc verò generalis priores omnes continens, & alia quamplurima ad Dei cultum & mores pertinentia. De hac enim Lege Christus loquitur Math. cap. 5. v. 17. *Non veni ſolvere Legem, ſed adimplere*: tum Lucæ cap. 10. v. 26. *In Lege quid ſcriptum eſt*: tum cap. 16. v. 16. *Lex & Prophetæ uſque ad Joannem*: tum Joann. cap. 7. v. 19. *Nonne Moyſes dedit vobis Legem, & nemo ex vobis facit Legem?* & alibi paſſim. Tum etiam D. Paulus ad Rom. cap. 7. v. 7. *Peccatum non cognovi niſi per Legem, nam concupiſcentiam neſciebam niſi Lex diceret non concupiſces*: Lex autem id dicens non eſt alia quàm Moyſis, Exod. cap. 20. & Deuter. cap. 5. Atque valde notandum eſt id quod, ait, Moyſes populo Iſraël eodem cap. 5. Deuter. eos alloquens de præceptis Decalogi & donatione Legis. *Dominus DEUS noſter* (ait) *pepigit nobiſcum fœdus in Oreb. Non enim cum Patribus noſtris iniit pactum, ſed nobiſcum qui in præſentiarum ſumus & vivimus*. cùm tamen hic Author aſſerat contrarium.

8. Denique ſupponamus triplex in genere peccatum eſſe, nimirum cogitationis, verbi, & operis tam in Deum, quàm proximum. Ex his verò ſuppoſitis jam ad rem ipſam veniamus. Ac videamus primò qua neceſſitate adactus fuerit Author hic pernegare, ſolum Adamum fuiſſe hominum omnium primum Parentem, alios autem homines innumeros ab innumeris ſeculis aſſerere.

Igitur cap. 8. ſuæ Diſſert. exponit anxietatem interpretum verborum D. Pauli circa verſum 13. ſuprapoſitum. *Uſque ad Legem peccatum erat in Mundo, peccatum autem non imputabatur, cùm Lex non eſſet*. Sicque argumentatur, vel intelligenda eſt Lex data Moyſi; vel Lex Adamo data. Si primum, ergo peccatum erat in Mundo ante Moyſem, & uſque ad Moyſen: peccatum verò per illud tempus non imputabatur. Quod tamen contrariatur hiſtoriis Caini fratricidæ, hominum diluvio ſubmerſorum, tum Sodomorum, qui propter peccata propria gravem paſſi ſunt punitionem, uxore Loth ne quidem excepta; quod ſine imputatione concipi nequit. Si ſecundum, ergo ſtatuendum erit peccatum fuiſſe in Mundo ante Adamum & uſque ad Adamum, ſed ante Adamum non fuiſſe imputatum; ideoque ponendi ſunt homines ante Adamum qui peccaverint, ſed peccatum non fuerit eis imputatum.

Hujus autem argumenti falſitas tripliciter à nobis oſtendetur. Ac primò falſificatione textus ſacræ Scripturæ ab hoc Authore perpetrata. D. enim Paulus ait, *uſque ad Legem peccatum erat in Mundo*. Hic verò falſarius inquit uſque ad Adamum peccatum erat in Mundo, vultque Legem Adamo datam ipſumque Adamum eodem momento incœpiſſe. Idque repetit cap. 11. Diſſert. aſſerens *Legem datam Adamo & ipſum Adamum pro eodem ſumi*, quod eſt de induſtria corrumpere Scripturæ ſenſum. Hæc autem falſificatio tanti eſt momenti, ut ea conceſſa pluribus verbis non ſit opus ad probandos Præ-adamitas. Ad tegendam verò tuendamque ſuam falſificationem, rurſus falsò utitur authoritate D. Pauli dicentis verſu 14. *Sed regnavit mors ab Adamo uſque ad Moyſen*; ubi vult per Adamum & Moyſen intelligi Leges Adamo & Moyſi datas, ſicque Adamum & Legem ipſi datam idem eſſe tempore, tum de Moyſe ſimiliter: cùm tamen Leges ipſas Adamus & Moyſes longe etiam temporis ſpatio præceſſerint, præſertim in hypotheſi hujus Authoris, qui ut ſupradictum eſt numero 6. vult Adamum factum fuiſſe puerulum; ideoque Legis ſuſcipiendæ incapacem. Verus ergo ſenſus illius verſus eſt, quod regnavit mors à transgreſſione Legis Adamicæ, uſque ad Legem Moſaicam. Ideoque falſa eſt ſuperior Præ-adamitarum probatio.

2. Argumenti falſitas ſic aliter oſtendetur, etiam ſupponendo cùm hoc Authore, quod verba illa uſque ad Legem intelligantur de Lege Adamo præſcripta. Nam ex Lib. 1. Syſtem. Theol. cap. 1. ut dictum eſt ſuperiùs numero 2. duplicem Legem agnoſcit pro homine, ſcilicet, naturalem, ſive innatam, quæ conſiſtit in uſu rectæ rationis, & adventitiam, ſive præſcriptam: Tum etiam duplex peccatum ex numero 3. ſcilicet, naturale ortum habens ab humanæ naturæ appetitionibus pravis; tum Legale, quod eſt transgreſſio Legis præſcriptæ. Iam verò ſi ex hujus Authoris hypotheſi Adamus vixit annis 33. antequam Deus illi daret Evam in uxorem, & ambobus ſimul prohibuiſſet eſum fructus arboris, ſcientiam boni & mali, ut colligitur ex capite 3. Geneſ. ubi Serpens alloquens Evam ſolam, fortaſſis curioſiùs & avidiùs inſpectantem fructum illum, pulchrum oculis aſpectuque delectabilem, indeque conjicientem bonum eſſe ad veſcendum, dixit illi, *Cur præcepit vobis DEUS ut non comederetis ex omni ligno Paradiſi?* Cui reſpondit Mulier. *De fructu lignorum quæ ſunt in Paradiſo veſcimur: de fructu verò ligni quod eſt in medio Paradiſi, præcepit nobis DEUS ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur.* At ſi ante Legem Adam & Eva recti & perfecti in ſua natura creati, ab illa rectitudine deflexerunt, ut ille ait, cap. 1. Lib. 1. Syſtem. Theol. & tam Evæ quàm Adami ſenſus fuere corrupti, priuſquam uterque comederet de fructu vetito & peccaret: ideoque Adamus priùs viſu quàm guſtu, & priùs ſenſu quàm voluntate peccavit; quæ corruptio quodve peccatum fuit duntaxat peccatum naturale, priùs peccato Legali, ut hæc aſſerit Au-

thor

thor Lib. 5. cap. 4. Ergo inde patet evidentiſſimè, quod uſque ad Legem vel hujus tranſgreſſionem peccatum erat in Mundo; peccatum autem non imputabatur; cùm Lex non eſſet lata niſi contra actualem fructus prohibiti manducationem. Fruſtra igitur hic Author introducit homines alios ante Adamum, ut probet uſque ad Legem peccatum fuiſſe in Mundo quod tamen non imputabatur: cùm D. Pauli textus verſu illo 12. per ſolum Adamum etiam ex mente Authoris ſufficenter probari queat; licet concederetur Paulum per illa verba uſque ad Legem, intelligere Legem Adamo præſcriptam.

At in hypotheſi & fide Catholica de Adamo omnium hominum parente primo, illud idem quoque probaretur. Nam inter Adamum creatum & formatum in ætate perfecta ſtatuq; recto, & Legis ſibi datæ tranſgreſſionem, multū temporis interceſſit ad peccandum naturaliter ex depravatione appetitus. Dicitur enim cap. 1. Geneſ. quod Deus factis beſtiis die ſexto, creavit hominem ad imaginem & ſimilitudinem Dei; & maſculum & fœminam creavit eos, & benedixit illis. Idemque repetitur cap. 5. qui incipit. Hic eſt Liber generationis Adam, in die qua creavit Deus hominem. Deditque Deus Adamo dominium ſuper univerſa vegetabilia, & animalia bruta quæ creaverat. Formatis igitur de humo cunctis animantibus Terræ & univerſis volatilibus Cœli ex cap. 2. Geneſeos, quod ut caput 5. eſt recapitulatio factorum capite 1. & plenior expoſitio formationis Adæ ac Evæ, (quidquid in contrarium mentiatur hic ſeductor cum ſua duplici creatione hominis, ut infra patebit) adduxit ea ad Adamum ut videret quid vocaret ea: appellavitque Adam ipſa nominibus ſuis propriis, ſcientiâ ſibi à Deo infusâ, de qua agetur in ſequentibus.

Adæ verò non inveniebatur adjutor ſimilis ei inter illa bruta, quorum ſpecies ſingulæ duplici ſexu gaudebant; cùm ipſe Adam ſe in ſua ſpecie ſolum eſſe videret. Ideoque dixit Deus, *non eſſe bonum, hominem eſſe ſolum, faciamus ei adjutorium ſimile ſibi*: quod intellige tum ad operandum, tum ad generandum: Et immiſſo ſopore in Adamum, tulit unam de coſtis ſuis, & ex ea ædificavit mulierem, quam adduxit ad Adam, qui illam in uxorem accepit, eique ſua ſubſtantia ſumptæ ardenti amore adhæſit. Tandem verò Deus illos poſuit in Paradiſo voluptatis; illiſque ambobus Legem præſcripſit de non comedendo fructu arboris ſcientiæ boni & mali, quam tamen tranſgreſſi ſunt: non ſtatim à Lege lata, ſed poſt aliquod tempus; ut colligitur ex reſponſo Evæ ad Serpentem. *De fructu lignorum quæ ſunt in Paradiſo veſcimur*, quod indicat illos aliquo tempore vixiſſe de aliis fructibus Paradiſi: atque hæc eſt ſeries eorum quæ acta ſunt circa Adamum & Evam uſque ad eorum crimen, quorum hiſtoria ordinatim non ponitur in Geneſi; ut colligitur ex cap. 1. & 2. Geneſ. unde Author hic homines creationem duplicem introducendi ſumpſit falſam occaſionem.

Jam verò ſi cum ipſo ſuppoſuerimus, Adamum in ſtatu recto & perfecto formatum; ſed inſtabilem, ad peccandumque ex ſua natura proclivem ut experientiâ patuit: probabile eſt quod de dominio totius Terræ, imò Paradiſi voluptatis, & omnium vegetabilium & animantium ſibi tradito, plus æquo ſibi complacuerit, & in vanam gloriam inciderit, ut idem accidit damnatis Angelis, nec non amore uxoris pulcherrimæ ſibi ex propria ſubſtantia factæ, plus æquo exarſerit; ideoque vocatus à Deo nudus comparere non auſus ſit, ſed pudenda texerit: forſanque conceſſo ſibi rerum omnium uſu, unicam arborem Paradiſi ſibi prohiberi gravatè tulerit; natura enim nititur in vetitum, cupitque negata; ſicque pravas appetitiones admiſerit. Quæ quidem erant peccata naturalia, vel naturæ jam incipientis depravari; ſed non imputabantur, quòd in illa Lex nulla fuiſſet lata. Imò Author his verbis expreſſis id aſſerit cap. 4. Lib. 5. Syſtem. dùm ait. *Quod ſenſus Evæ & Adami fuere corrupti, priuſquam uterque comederet & peccaret*. Et infra. *Peccavit Adamus viſu, priùs quàm guſtu; & concupiſcentia fuit ejus peccatum naturale*. Et rurſus infra. *Adamus peccavit ſenſu priùs quàm voluntate*. Citatque D. Iacobum cap. 1. Epiſt. *Unuſquiſque tentatur à concupiſcentiis ſuis abſtractus & illectus: Deinde concupiſcentia cùm conceperit generat mortem*. At quia hæc peccata ſenſus & appetitus nulla Lege præſcripta fuerant prohibita; verè dici poteſt, quòd ante Legem Adamo datam, vel ejus tranſgreſſionem, peccatum erat in Mundo, ſed non imputabatur, cùm non eſſet Lex contra ipſum. Quid ergo opus eſt Præadamatis, ad probandam veritatem verborum D. Pauli illo verſu 13?

Cæterùm huic Authori non eſt concedendum, quòd Lex à D. Paulo intellecta, ſit Lex Adamo præſcripta. Nam ipſe D. Paulus ſeſe apertè explicat cap. 7. Epiſt. ad Rom. dum ait. *Sed peccatum non cognovi, niſi per Legem. Nam concupiſcentiam neſciebam, niſi Lex diceret, non concupiſces*. Lex autem hoc dicens non eſt alia, quam ex data Moyſi, Exod. cap. 20. & Deuter. cap. 5. quæ Lex per excellentiam dicta eſt, ex ſupraposito numero 7, & cujus ſolius fit mentio in novo Teſtamento, non autem Legis Adamo præſcriptæ.

Tertiò tandem ſuperioris argumenti falſitas oſtendetur, reſpondendo ad primam partem dilemmatis, qua Author hic vult, quod ſi per Legem intelligatur Lex data Moyſi in illo verſu 13. Igitur peccata ante Legem Moyſis non imputabantur; quod tamen contrariatur hiſtoriis Adami, Caini, Diluvii, & Sodomorum; quibus patet peccata fuiſſe imputata graviterque punita.

Itaque dico ex numero 8. Triplex eſſe peccatum in genere; ſcilicet cogitationis, verbi & operis. Jam verò contra cogitationes, ſive appetitus depravatos non erat Lex ante Legem Moyſi datam. Idque patet non ſolùm ex Adamo ſuprà; ſed maxime ex Cain de quo dicitur cap. 2. Geneſ. quod vehementer iratus ſit, & conciderit vultus ejus, quia Deus reſpiciebat ad Abel & munera ejus, ad Cain autem & munera illius non reſpiciebat; unde invidiâ & irâ adverſus fratrem concitabatur. Sed propter hæc Deus illum non condemnavit, ſolúmque dixit ei. *Quare iratus es & concidit facies tua? Nonne ſi benè egeris recipies, ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit?* Sed poſt occiſum Abel, dixit Deus ad Cain, *quid feciſti? vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de Terra. Nunc igitur maledictus eris ſuper Terram, quæ aperuit os ſuum & ſuſcepit ſanguinem fratris tui de manu tua. Terra non dabit tibi fructus ſuos; vagus & profugus eris ſuper Terram*. Quam ſententiam ob illud fratricidium latam, Cain clarè comprehendens,

dixit ad Dominum. *Major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear*. Ideoque licet peccata operis etiam à Deo remitti putaret, ut diſcere potuerat ab Adamo, de tranſgreſſione Legis in fructu prohibito; tamen peccatum occiſionis ſui fratris longè gravius, atrocius, & malignius eſſe cenſuit, manducatione pomi vetiti. Peccata verò iræ & invidiæ in fratrem, non putavit eſſe peccata; ſed duntaxat naturæ ſuæ appetitus. At Lex data Moyſi vetuit concupiſcentias omnes depravatas, Exod. cap. 20. & Deuter. cap. 5. *Non concupiſces uxorem proximi tui, non domum, non agrum, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, & univerſa quæ illius ſunt.* Has autem concupiſcentias eſſe peccata, dixit Paulus cap. 7. ad Rom. ſe neſciviſſe, niſi Lex diceret non concupiſces. Ergo ante Legem Moyſi datam, erant peccata cogitationum & concupiſcentiarum, quæ non imputabantur, quòd non eſſet Lex contra ipſa: neque contra mendacia, convitia, calumnias, verba rixoſa, maledicta; tantùm enim cap. 22. Exod. verſ. 28. prohibitum eſt Diis non detrahere, & Principi Populi non maledicere. Imò in Moſaica Lege, plura ſunt relicta peccata, quæ Christus ſua Lege omnium perfectiſſima prohibuit; præſertim apud Mathæum, toto capite quinto, contra quæ Lex nulla priùs erat, ideoque non putabantur eſſe peccata. Ex his verò plus quàm ſufficienter probatur veritas verſus 13. Quod uſque ad Legem Moyſi datam peccatum erat in Mundo, ſed non imputabatur, cùm Lex non eſſet. At peccata operis graviora, ut homicidii, adulterii, carnis contra naturam, furti, idololatriæ, &c. imputabantur ante Legem ipſam, graviterque puniebantur. Undique igitur patet veritas verſus 13. abſque Præ-adamitis.

Jam veniamus ad verſum 14. Regnavit mors ab Adamo uſque ad Moyſen, etiam in eos qui non peccaverunt ad ſimilitudinem prævaricationis Adæ. Quamvis ergo Author iſte ad Præadamitas ſuos introducendos D. Pauli authoritate uti velit; tamen hîc etiam patebit, quam impudenter ipſa abutatur. Nam dum dicitur verſu 12. quod per unum hominem peccatum intravit in Mundum, & per peccatum mors: & ita mors in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt: vult intelligi peccatum Legale ab Adamo commiſſum, quod (ait) ipſis etiam Præadamitis imputatum eſt ſpiritualiter; ſicut & mors Legalis: nec vult intelligi mortem naturalem; quòd hæc (inquit) à peccato Legali Adami ortum non duxerit; ſed à materia, & naturæ corporeæ principiis contrariis & corruptibilibus; cum tamen ex Dei gratiâ Adamus virtute ligni vitæ ſibi dati, non eſſet moriturus in æternum, niſi peccaſſet; ut colligitur ex fine cap. 3. Geneſ. ubi dicitur, *quod DEUS expulit Adamum de Paradiſo voluptatis, ne ſumeret de ligno vitæ, & comederet, & viveret in æternum*, ſicque mors etiam naturalis per Adami peccatum intraverit in hunc Mundum, & regnaverit ab Adamo vel ejus peccato uſque ad Moyſen, imò ad finem uſque Mundi regnatura ſit, in eos etiam qui non peccaverunt vel non peccaverant (perinde enim eſt, cùm Apoſtolus loquatur de Adamo uſque ad Moyſen quibus ipſe fuit poſterior) ad ſimilitudinem prævaricationis Adæ.

Jam verò ſeductor hic vult, omnes Adæ poſteros, etiam infantes peccaviſſe ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adæ. Nam ex cap. 16. Differt. nemo potuit unquam peccare actualiter, ſicut Adam peccavit. Quia arbor ſcientiæ boni & mali evanuit ex oculis omnium hominum, poſt peccatum Adami: ergo (ait) omnes Adami poſteriores etiam infantes, neceſſe eſt peccaviſſe ad ſimilitudinem peccati Adami, variaſque ad hoc ſed à propoſito alienas, exponit ſimilitudinis ſpecies, quibus id confirmet. Indeque concludit eos qui non peccaverunt ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami, eſſe duntaxat homines ante Adamum creatos, qui etiam mortui ſunt, ut poſteriores Adamo; quòd peccatum Adami fuerat etiam illis imputatum ſpiritualiter; quòd ex verſu 12. mors pertranſierit in omnes homines ex peccato Adami, in quo omnes moriuntur. Sicque ſuos probare nititur Præadamitas.

Sed primò non recordatur quod cap. 7. lib. 5. dixerit: *Peccatum Adami fuiſſe inobedientiam*: idque rectè dixit, juxta D. Paulum cap. 5. ad Rom. verſ. 19. Non enim manducatio pomi fuit ex ſe Adami peccatum; ſed ejus inobedientia prohibitioni Dei. Ideoque omnes qui per inobedientiam peccant, hi peccant ad ſimilitudinem peccati Adamici: atque hi ſunt duntaxat homines adulti & rationis compotes, quibus innoteſcunt mandata Dei quæ tranſgrediuntur: infantes verò rationis adhuc impotentes ac ignari mandatorum Dei, per inobedientiam non peccant; de hiſque verificatur verſus 14. Quod mors in eos etiam regnaverit, qui non peccaverunt ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adæ. Quid igitur eſt opus Præadamitis ad verificandum D. Pauli verſum. 14.?

Præterea quoniam ſeductor iſte vult cap. 14. & 20. Differt. tum cap. 5. ſyſtem. Quod Adamus ex quo Legem ſibi datam tranſgreſſus eſt, peccatum fuit ipſi & omnibus hominibus etiam prædeceſſoribus ſuis imputatum, omneſque in ipſo peccante peccaverunt, & mortui ſunt: jam videndum quomodo velit ille peccatum & mortem, ab Adamo in Præadamitas pertranſiiſſe.

Ait igitur ipſo cap. 5. pertranſiiſſe duntaxat ſpiritualiter, ratione ſolius imputationis, ſicut & in ſuos poſteros, & non ratione generationis, quòd ſcilicet, Adamus Præadamitas non genuerit; qui non ſolum fuerunt ejus anteceſſores & alterius generis, ſed etiam alterius ſpeciei homines, ut ſtultus hic affert cap. 11. Lib. 2. ſyſtem. Eo quod Deus ſibi ipſi peculiariter formaverit in Adamo ſpeciem Judæorum; Gentilis verò ſpecies gregatim creata ſit cum brutis animantibus, uno eodemque neque diſtincto creationis die: atque gentiles Præadamitas Deus ſolo verbo fecerit & creaverit ex cap. 1. Geneſ. faciamus hominem, &c. Et creavit Deus hominem, &c. At cap. 2. formaverit Deus Adamum de limo Terræ; *Non ſimplicis voluntatis vel potentiæ actu, ſed verè & propriè ſuis ipſis manibus lutum tanquam figulus ſubigendo, & plaſma effingendo*, ut hic Hæreticus antropomorphita inquit cap. 10. lib. 2. Quod verò homines in America reperti, ſint alterius ſpeciei quam Judæi ſoli, ex Adamo progeniti; à quibus etiam cæteri Europæi Aſiatici & Afri quos gentiles & beſtias paſſim vocat, ſpecie differentes eſſe deberent; verba ſunt hominis beſtialis. Sed ad propoſitum redeamus.

Fides Catholica tenet, peccatum Adami fuiſſe imputatum ſuæ poſteritati; quia Deus Adamo & Evæ

Evæ pro ſe & ſucceſſoribus prohibuerat eſum fructus ſcientiæ boni & mali, quem tamen comederunt. Ex qua inobedientia rei mortis facti ſunt cum ſua poſteritate: & humana natura fuit corrupta & Diabolo ſubdita; quam Adami ſucceſſores per generationis actum libidine depravatum ſumentes, illius quoque peccati fiunt participes, & naſcuntut filii iræ juxta D. Paulum ad Epheſ. cap. 2. verſu 3. *Eramus naturâ filii iræ:* & Pſalmo 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Ideoque Theologi noſtri non dividunt imputationem peccati & realem ejus communicationem ex traduce; ſed hæc ambo ſimul conjungunt, ut fatetur hic Author cap. 5. Lib. 5. Sed ipſe communicationem ex traduce reſpuit; ideoque negat Scripturæ loca jam citata; aitque per ſolam imputationem ſpiritualem omnes homines in Adamo peccaviſſe, quòd Præadamitæ communicationem peccati ex traduce ſuſcipere nequiverint ab Adamo non geniti: ſicque ignarus hic ex ſua hypotheſi Præadamitarum nondum probata concluſiones adverſus fidem Catholicam deducere non erubſcit, aitque cap. 7. lib. 5. Idem Adamo contigiſſe quod Legato vel Regi; qui nomine ſui regni vel civitatis deditionem facit victori Principi. Et ſicut Legatus vel Rex ſe & ſuos obligat; ita Adamus ſe obligavit Deo pro ſe & omnibus hominibus.

Verum poteſt quidem Rex ſe & ſuos ſubditos præſentes & futuros obligare; quia in ipſos jus & dominii poteſtatem habet. At nonne deridendus eſſet, ſi homines â plurimis ſeculis mortuos, nec ſibi vel ſuo regno ſubditos obligare vellet, etiam ignarus an unquam in Mundo extitiſſent? Igitur abſurdiſſima eſt comparatio hæc, ut ſuos probet Præadamitas. Capite autem 19. Diſſert. poſtquam dixit peccatum Adami fuiſſe retro imputatum hominibus ante Adamum conditis, & oportuiſſe illos peccaviſſe in Adamo, & nullius Legis violatæ reos fieri reos in reatu Adami, hanc reddit rationem ſui dicti, *ut, ſcilicet, fierent participes ſalutis & gloriæ quæ eſt in CHRISTO:* idque confirmat cap. 9. lib. 5. quòd, ſcilicet, *conſultum exquiſitumque fuit illis Præadamitis mori ex transgreſſione & peccato Adami, ut olim reſurgant ex mortuis per ſpiritum juſtificationis quæ eſt in CHRISTO; ſicque ſalvi fiant quia perierunt.* At priuſquam hæc verba futilia, nulla ratione nec ulló ſacræ Scripturæ textu probata admittantur vel diſcutiantur, Præadamitas extitiſſe ſemper probandum ſupereſt. Adde quod ſatisfacere non poteſt quæſtioni ſibi factæ, quomodo dammatio mortis ex peccato Adami, retro in illos Præadamitas regnare potuerit? Nam cap. 21. Diſſert. reſpondet tantùm per aliud quomodo, ſcilicet, quomodò in Adamo cenſeantur peccaviſſe omnes Judæi & Gentiles adulti & infantes, qui ex Adamo progeniti eſſe dicuntur? Sed ad hoc facilis eſt reſponſio, & diſpar ratio. Nam ex ſupradictis Adamo poſteri ab eo geniti contraxerunt ejus peccatum non ſolùm per imputationem ſimplicem, ſed etiam per conceptionem in peccato, ut dictum eſt ſuperius: Præadamitæ verò non eſſent ab Adamo geniti.

Nec etiam valet ab eo dictum lib. 5. cap. 9. *Quod ut Juſtitia CHRISTI imputata eſt hominibus ipſo anterioribus, & non tantùm poſterioribus: ſic peccatum Adami imputari debuit prædeceſſoribus ſuis.* Nam ſemper probandum relinquitur, quod Adamus prædeceſſores habuerit, quod ex hactenus dictis nullo modo probatur, neque ex infra dicendis circa creationem probabitur. Omitto hîc causâ brevitatis Theologica multa, pluresque ſacros Textus ab hoc Authore perperam allatos, pejúſque explicatos: & ad hiſtorica tranſeo, in quibus multò evidentiùs patebit adhuc hujus Authoris inſcitia atque malignitas; in ſuſcepto conatu everſionis fundamentorum Chriſtianæ Religionis.

Primùm ergo cap. 5. lib. 3. exponit Philoſophos & Hiſtoricos diſputantes de Mundo; quem nonnulli poſuerunt ab æterno, & ortus interituſque expertem. Alii verò principium habuiſſe & finem habiturum. Et cum his poſt longam agitationem concedit hunc Mundum fuiſſe creatum; quod à nobis Libro 1. Aſtrol. Gall. demonſtratum eſt; tum hoc Libro 2. p. 3. adeo evidenter, ut nihil in contrarium objici queat. Sed vult ipſe à ſeculis innumeris eſſe creatum, & annis innumeris eſſe duraturum, cõtra aſſertiones noſtras capit. 3. & 32. hujus Libri.

Idque probare conatur ex Chaldæis, Regibus Ægyptiis, Sinenſibus & aliis Gentilibus ſuorum regnorum initiis plus quam 80000. annos tribuentibus: quorum hiſtoriis ab hominibus idololatris deſcriptis, plus habet fidei, quàm hiſtoriæ Sacræ. Nec advertit quod gentes illæ à Diabolo ad omnem idololatriam, vanitatem & mendacia converſæ; & omni de Deo & Mundi creatione vera cognitione ſpoliatæ, certatim inter ſe de ſuæ nationis antiquitate diſceptabant politica ratione; ut quælibet Terræ partem quam occupabat ſibi confidentiùs aſſereret, & præ aliis majori honore dignior haberetur. Cumque Heſiodus dixerit, juſtam hominum ætatem eſſe annorum 96, cornicum 864, cervorum 3456, corvorum 10368, & Phœnicis 93312; ridet hic Author eorum opinionem qui cenſent, Mundum hunc tantùm per 6000. annos duraturum, quod eſt circiter duntaxat dimidium vitæ unius corvi. Sed hæc Mundum eſſe ab innumerls ſeculis non probant; potiúſque deridendus eſt Heſiodus, qui ſine ratione vel experientia certa, cornicum, cervorum, corvorum & Phœnicis ætates determinat, & corvum quàm hominem centies octies diutiùs vivere pronunciat. Anni verò 6000. pluſquam ſufficientes ſunt Deo ad ſuam de Mundi creatione intentionem. Vide caput 2. hujus Libri.

Capite 4. Lib. 1. Syſtem. ut reſpondeat Objectioni ſibi factæ, quod ex Geneſi Deus creaverit hominem ad imaginem ſui; & valde bona fuiſſe omnia quæ Deus creaverat. Vult ad hoc ſibi concedi; duplicem fuiſſe hominum creationem; primam, ſcilicet, & ſecundam, & duplicem imaginem Dei: ſcilicet, imaginem primæ creationis, quæ eſt imago Dei extima, quam cuncta creata participant: facta, ſcilicet, ſecundum perfectiſſimas naturæ rationes: & imaginem ſecundæ creationis ſive intimam, Adamo reſervatam.

Verùm nonne Author hic inſanit, qui ut probet Præadamitas, id ſibi vult concedi quod controvertitur, illique planè negatur? ſcilicet duplicem fuiſſe hominum creationem: unam ante Adamum pro Præadamitis; & alteram pro Adamo ipſo ejuſque poſteritate? Quis adeo ſupinam patietur ignorantiam

tiam hominis qui per 30. annos laboravit, ſuumque torſit ingenium, ut tandem peteret ſibi concedi Præadamitarum creationem? Sed pergamus ad alia non minùs abſurda & ridicùla.

Capite 1. Lib. 3. ſyſtem. ait, unum & ſolum hominem pro univerſa Terra creari non debuiſſe, à quo omnes homines naſcerentur. Ejuſque ratio eſt (ſiquidem Authoritate caret) quia in prima creatione Terra fuit undique referta plantis & beſtiis ſecundum ſpecies ſuas. Hæc autem fuerunt creata, ut ſervirent hominibus ſuis dominis. ergo fruſtra viderentur creata, niſi ubicunque terrarum erant plantæ & beſtiæ, ibi eſſent etiam homines: & præſertim fuiſſent fruſtra per illud immenſiſſimum ſpatium, quo unius hominis progenies effuſa fuiſſet per univerſam Terram.

Ad hoc autem reſpondetur primò. Seductorem hunc falſo ſupponere primam creationem, quam ſibi vult concedi, nec adhuc probavit nec probabit unquam. Reſpondetur ſecundò. Deum die tertio produxiſſe plantas ſuper univerſam Terram, quia plantæ ſuis radicibus inhærent Terræ, ex qua ſuum trahunt nutrimentum; & carent imò non indigent virtute motiva, qua ſe de uno loco ad alium transferant, ut proprio ſemine ſpeciei ſuæ individua multiplicent. At piſces & aves productæ die quinto, tũ beſtiæ Terræ die ſexto factæ virtute motiva pollent, qua ſponte dum præſertim numero ſuis augentur, de uno loco ad alium tranſmigrare queant, ad ſuæ ſpeciei propagationem, atque victum: ſicque per univerſam Terram diſſeminari, quamvis in Mundi creatione, cujuſque ſpeciei unicus mas & unica femella creati ſint. Idem igitur de Adamo & Eva cenſendum eſt; à quibus omnes cæteri homines per generationem emanarunt. Quorum alii ad Ortum, alii ad Occaſum, alii ad Septentrionem, alii ad Meridiem, & alii ad intermedias plagas juxta ſui temperamenti, ingenii, conjecturæ, vel occaſionis rationem ſe contulerunt: ut conſtat ex Populorum numeroſiùs creſcentium coloniis, terras novas & habitationes ſibi congruas quærentibus: & patet hiſtoriis Gentium ſeptentrionalium, quæ in Galliam, Hiſpaniam, Italiam deſcenderunt. Quippe incredibile dictũ eſt, quàm celeriter homines & beſtiæ per generationem multiplicentur, progreſſione, quæ etiam geometricas rationes ſuperare videtur: niſique bella, peſtes & morbi, homines in quavis ætate raperent, Terra brevi mediæ hominum parti capiendæ non ſufficeret. Nec propterea plantæ, piſces, volucres & beſtiæ Terræ fruſtra fuerunt in Terræ locis prius quam homines illa incolerent. Deus enim de illis non curat niſi propter homines: eoque duntaxat fine præcipuo facta ſunt, ut ad quæcunque Terræ loca homines ſeſe multiplicantes appellerent, menſam ſibi à Deo ſtratam ad veſcendum reperirent, & animalia ad ſuum uſum & ſervitium neceſſaria; indeque ſummam ejus Bonitatem, Sapientiam & Providentiam admirarentur & colerent. Vaniſſima eſt igitur ſuprapoſita Authoris ratio, nihilque minùs probat quàm ſuos Præadamitas.

Cap. 3. Lib. 3. ait. Adamum non fuiſſe formatum à Deo grandem annorum 33. ut fert vulgata opinio: ſed fuiſſe in omnibus ſimilem Christo exceptâ juſtitiâ. Et ideo Adamum ſucceſſivè & per ætates provectum fuiſſe ab infantia & adoleſcentia ad virilem ætatem, ut cæteros homines conſueto more genitos: & conjicit ipſum fuiſſe ductum in Paradiſum, eo ſuæ pubertatis anno, quo potuit operari culturæ Paradiſi, quem conjicit fuiſſe regionem illam Terræ ſanctæ quæ Arabia fœlix eſt.

Verùm communis fides Chriſtiana, opinio vulgata dici non debet, ut ait hic inſanus conjector: nec Adam de Spiritu Sancto conceptus & ex Virgine natus eſt, ut Christus. Præterea oblitus eſt dare Adamo puerulo nutricem, quæ ejus curam gereret. Cur ſaltem ut Romulo non dedit illi lupam ex fabula, ſed Adamum exponit in ſtatu præ brutis omnibus miſerabiliſſimo? Et quid vult nos de Dei ſapientia & providentia cogitare, qui volucrum & beſtiarum parvulos committit curæ ſuorum parentum ut nutriantur, Adamum verò puerulum ne quidem ſurgere vel ambulare valentem nihilque ſcientem (ut dicet inferius) ſolitarium relinquere uſque ad annum 33. quo Eva tunc quindecennalis & ſimiliter (ut ipſe vult) puerula formata, fuit illi adducta à Deo in adjutorium? Num dicet Adamum & Evã fuiſſe formatos ſine patre & matre inter Gentiles, qui eorum curam ſuſceperunt pro educatione & eruditione? Id non eſt veriſimile: quid enim à Gentilibus didiciſſent præter idololatriam? Adde quod Adamus hoc pacto nullam ſuæ originis & à Deo formationis cognitionem habuiſſet. Præterea Adam & Eva vixerunt nudi uſque ad ſuum peccatum, quod ridiculum & inhoneſtum fuiſſet inter Gentiles qui veſtiebantur, ut dicet infrà hic Author. Jam verò ſi Adam & Eva facti ſunt à Deo parvuli, ut qui egrediuntur ex utero; id ſanè dicendum eſſet etiam de innumeris hominibus creatis per univerſam Terram in prima creatione: tum de beſtiis & volucribus. Quæ verò in hoc apparuiſſet ſapientia & providentia Dei, quæ plantis dederat Terram pro nutrice? Profectò nulla; ſed hîc tantùm apparet maxima hujus Authoris inſipientia: præſertim quòd paſſim fateatur, Adamum fuiſſe formatum hominem perfectum, quod de infante recens nato dici nequit.

Capite 2. Lib 3. ait. Deum didiciſſe quaſi experimento, & per quoddam tempus elapſum, Adamum ſolum & ſine adjutorio non coluiſſe nec cuſtodiviſſe commodè Paradiſum: ideoque dixiſſe, non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adjutorium ſimile ſibi. Et conſequenter ex Adæ coſta fabricaſſe Evam non quidem nubilem, ſed puerulam; quam puberem factam adduxit ad Adamum, circa hujus ætatis annum 33. Et tunc Adamum & Evam peccaviſſe.

Sed primo. Negatur formatio Evæ in puerilitate, & quod facta fuerit annis circiter 18. poſt Adamum, eique adducta anno Adami 33. Hæc enim ſunt meræ Authoris inſaniæ, à ſacro Textu alienæ, nec horum quidquam probari poteſt. Secundò. Quis coluit Paradiſum ante pubertatem Adami? Et ſi Deus vidit Adamum à pubertate non ſufficere culturæ Paradiſi, cur tamdiu illum reliquit ſolum & ſine adjutorio? Sed Author hic ait, non autem Scriptura, Deum id didiciſſe quaſi experimento & per quoddam tem-

pus

pus elapſum; quaſi id à principio neſciverit, quis verò feret tantam hujus hominis dementiam? Tertiò. Præceptum culturæ & cuſtodiæ Paradiſi ſoli Adamo datum fuit. Et Deus dedit illi Evam in adjutorium, præcipuè ob hominum generationem: ideoque cap. 2. Geneſ. dixit Deus de Adamo. Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adjutorium ſimile ſibi; ſcilicet, in natura: quòd nempe Adamus viſis & proprio nomine vocatis animantibus Terræ & volatilibus Cœli, anxius eſſet quia non inveniebatur adjutor ſimilis ejus quamvis ad Paradiſi culturam & cuſtodiam beſtiis ut adjutorio uti poſſet: videbat enim in ſingulis brutorum ſpeciebus marem & femellam, ſe autem ſolum.

Capite 4. lib. 3. ait. Quod poſtquam peccavit Adamus, timuit, quia nudus erat: fecitque Deus Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas & induit eos. Unde ſeductor iſte ait; credibile eſſe homines illius temporis conſueviſſe indui talibus pellibus: indeque conjici debet illo tempore fuiſſe coriarios, alutarios, pelliones & ſartores, inter quos indutos, Adam & Eva nudi vivebant: hisque conjecturis ſuos Præadamitas probat.

Verùm nunquid Deus qui Cœlum & Terram fecit ex nihilo, talibus indiguit, & pelles accepit vel emit à Præadamitis pellionibus, ut Adamum & Evam indueret? Sed ſeductor hic authoritate & rationibus nudus ad ſuos Præadamitas probandos, flammis ardentibus eſſet veſtiendus, ut Scripturæ fálſus interpres.

Capite 1. lib 4. fatetur Adamum fuiſſe factum hominem perfectum, ſed negat quo illo momento quo vitam hauſit ſcientias & diſciplinas omnes calluerit, præſertim Aſtronomiam & Aſtrologiam: alioquin extra perfectum humanum ſuum exceſſiſſet. Nec potuit Cœli Regiones animo deſcribere, quin Terrarum regiones priùs deprehendiſſet, peragraſſet & undequaque luſtraviſſet, dietim pererrando & meditando. Sicque negat ſcientiam Adamo infuſam.

Verùm quis Adamum annorum apparenter 33. dicet eſſe perfectum hominem, ſi eo momento fuit prorſus ignarus? Talis enim pro ſtulto vel idiota haberetur. Si autem fuit ignarus, quomodo potuit cunctis animantibus Terræ & volatilibus Cœli propria nomina imponere? Igitur factus eſt perfectus non ſolum corpore, ſed etiam ingenio, in quo præcipua ejus conſiſtebat perfectio; ingenii autem perfectio in ſcientia & ſapientia conſiſtit: ideoque momento ſuæ creationis infuſa vel data fuit illi ſcientia & ſapientia ſuæ naturæ congrua Neque hoc magis excedit hominis perfectionem, quàm ſcientia & ſapientia Salomoni infuſa ſupra omnes ſui temporis homines ſuoſque ſucceſſores. Multoque difficilius credetur, quod, ait hic Author cap. 3. lib. 3. Adamum ephebum hoc eſt annorum 14. apprimè edoctum fuiſſe naturalem omnem hiſtoriam animantium & volatilium: quæ quàm multa & diverſa complectatur, videatur in Ariſtotelis hiſtoria de animalibus adhuc imperfecta & in multis erronea. Quis hæc de ephebo etiam præceptore deſtituto, ſed per ſolas experientias, naturaliter fieri poſſe, & ephebum non excedere crediderit? Si autem dixerit edoctum fuiſſe à Præadamitis, ergo priùs probandi erunt Præadamitæ, quod nondum ab eo factum eſt. Quod verò ait, Terrarum peragrationes neceſſarias eſſe ad regiones Cœli deſcribendas, mera eſt inſcitia.

Capite 2. lib. 3. Negat caput ſecundum Geneſ. ſpecialiorem eſſe explanationem creationis illius hominis in ſpecie (ait) de quo agitur capite primo, juxta communem ſententiam: & negat die 6. Adamum fuiſſe formatum. Ejuſque ratio eſt, quia de beſtiis & Adamo quæ dicuntur capite 2. non potuerunt fieri unico die. Scilicet, hominis formatio de limo Terræ; inſpiratio in faciem ejus; ipſius poſitio in Paradiſo; pomi prohibitio; adductio ad Adamum omnium animalium Terræ & volatilium Cœli, quæ (ait hic inſanus) convenire debuerunt ex remotiſſimis Terræ locis India, Africa &c. præſertim Elephantes qui ſunt lenti & gravis inceſſus; appoſita vocatio brutorum, quæ indiget exercitio mentis, diſcurſu & tempore longo; ſopor longus & profundus immiſſus Adamo; ablatio coſtæ & ædificatio mulieris, ejuſque adductio ad Adam. Quibus omnibus abſolvendis (ait) nequidem pro horum dimidio, unus menſis non ſufficeret Deo & Adamo, ut intelligendum eſſe innuit.

Sed præter hujus ſeductoris mendacia vel deliria de brutis ex remotiſſimis Terræ locis venientibus, præſertim Elephantibus (quibus non menſi ſed anno opus eſſet juxta ſuam hypotheſin) de longo tempore & diſcurſu circa eorum appellationem, de longo & profundo ſopore Adami, & aliis quæ nulla ratione vel authoritate probare poteſt; Deum circa illius capitis 2. Geneſ. contenta, tractat quaſi ex ſe impotentem ſupra naturæ leges, hiſque ſubditum: Cuique ad formatum Adamum ex luto, & Evam ex coſta fabricandum, non minori tempore fuerit opus, quàm figulo vel ſtatuario, ex terra vel ligno ſtatuam artificialiter fabricanti, cum tamen Adamus per ſcientiam ſibi infuſam potuerit brutis illis omnibus nomina propria imponere in horæ ſpatio: Reliqua autem à Deo fieri potuerint etiam dicto citius. Ex ſupradictis igitur non probatur ab ipſo, quod caput 2. Geneſ. complectatur novam creationem Adami, præter Præadamitas primæ creationis ut ipſe vult; etiamſi concederetur omnia ſupradicta unico die non fuiſſe facta. Cur non ſimiliter diceretur caput 5. Geneſ. non eſſe recapitulationem creationis hominis de quo agitur capite 1. ſed adhuc alterius Adami creationem? Par enim eſt ratio.

Capite 4. Libri tertii quoniam ex Scriptura ſacra, Cain fuit agricola & Abel paſtor ovium: concludit inde omnes artes lignarias, ferrarias, & cæteras ad agriculturam & paſtoralem curam neceſſarias in uſu fuiſſe ante fratres ipſos; nec ab illis inveniri potuiſſe.

Sed neque id probat, neque probare poteſt. Quanta enim & qualis agricultura fuit Caino neceſſaria pro ſuo victu, ut illis omnibus artibus indiguerit? Nonne artium magiſtra neceſſitas illum ſuumque Patrem ante fratris cædem, docere potuit pauca & rudia inſtrumenta quibus indigebant, quandoquidem ſylveſtres Americani ferro carebant, & nihilominus Terram pro ſua neceſſitate colebant? Abelo autem Paſtori ovium quid alio opus erat, quàm ſuas oves ad paſcua gregatim ducere, illas per canes à lupis defende-

re, & agniculorum curam habere, in quibus nec lignariis nec ferrariis, nec aliis artibus ſuo tempore indiguit? Quantum igitur abeſt hic Author, ut inde concludere valeat, artes illas ante fratres ipſos in uſu fuiſſe apud Præadamitas; præſertim quod Adamus eorum pater, quâ pollebat infusâ ſcientiâ, illos ſibi neceſſaria docere potuerit; & Author hic inter filios Adæ electum Dei populum, & Gentes Dei hoſtes, & beſtias ut ipſe fatetur, nullum tunc fuiſſe commercium, ſed ſeparationem quoque Terræ aſſerat, & ſibi contradicat.

Æquè ſtultè, ait, quod Cain dum dixit Abelo, egrediamur foras, intelligendum ſit extra pagum vel civitatem jamdiu à Præadamitis ædificatam (nunc enim Adamum & ſuam prolem inter præ-Adamitas degere, aliâs verò etiam Terrâ vel regione ſeparatos vivere ſupponit) & non potiùs caſam Americanorum inſtar craſſo ſimplicique modo exſtructam, in qua Adamus cum uxore & liberis in illo rerum humanarum initio degebant, ſeque ab Aeris injuria protegebant, ut adhuc faciunt ſylveſtres Americani. Quodque Cain Abelem enſe occiderit à Præadamitis fabricato aſſerit. Unde enim ſcit quod enſe potiùs quam lapide vel baculo, vel aſini maxillâ occiderit? Nihil ergo valent hæc ad probandos Præadamitas.

Eodem capite, ait, quod Cain condemnatus à Deo dixit ei. Ejicis me hodie à facie Terræ (intelligit Paleſtinam Adamo ejuſque ſucceſſoribus datam) & ero profugus in Terra (intelligit Gentilium Terram) omnis igitur qui invenerit me, occidet me. Tuncque fugit à facie Judicum (ait Author) more reorum ad orientalem Edeni plagam. Ergo timebat ſuos Judices, & mortem à quovis ſibi occurrenti homine. Ergo erant Judices in Terra & alii homines.

Verùm hîc rurſus ſibi contradicit. Nam inde ſequeretur Adamum ejuſque Liberos vivere inter Judices illos gentiles; à quibus Adam genere, ſpecie & terra ſeparatus erat, ut hic Author alibi vult. Ergo Cain fugit non alios timens Judices quàm Adamum & Evam ſuos parentes, ob fratrem Abelem trucidatum, quod erat ſcelus maximum. Videnſque futuram hominum generationem, non ſine cauſa timuit, ne ab aliquo ex futuris Adæ filiis ſuoque fratre pariter occideretur: ideoque aufugit domo ſuorum parentum; quorum nequiviſſet ferre aſpectum.

Poſt hæc, ait, eodem capite, quod Cain profugus in Terram alienam, ibi duxerit uxorem, quæ non fuit ex proſapia Adami: quia nullæ antea dicuntur natæ Adamo filiæ: & ædificaverit civitatem quam vocavit Enoch. Sed quibus Architectis & fabris (ait) ſi non accerſiti operari? Et quibus civibus illam compoſuit, ſi non accerſiti coloni ex alia quàm patris ſui familia? Ergo inde maximè Præadamitas probari putat.

Verùm dicitur quidem cap. 5. Geneſ. quod Adamus generit filios & filias durante ſua vitâ annorum 930. Sed quot, quo tempore, & quo nomine non dicitur, præterquam de Cain, Abel & Seth, filiabus omnibus omiſſis. Itaque omnino probabile eſt, quod inter Cain & Abel Adamus genuerit filiam, ne ſoli maſculi viderentur gigni; quam ipſi Caino jure primo geniture dedit in uxorem: quæque fugit cum ipſo Caino viro ſuo; amboque cum ſuis liberis cœperint ædificare civitatem vel pagum. Quod longe minùs eſt mirabile, quàm taxos, hirundines & apes, ſuas habitationes doctè & commodè exſtruere non aliunde accerſitis operariis & colonis. Ergo ad hæc vana eſt adhuc Præadamitarum hypotheſis.

Cæterum ad illam confirmandam citat eodem cap. 4. libri 3. Nobilem Michaelem Marolium Abbatem à Villeloin, & Iſmaelem Bullialdum alterum ſacerdotem, viros celebres ſuæ hypotheſi faventes: qui ipſi communicarunt libros quoſdam veteres, ſed anonymos, aſſerentes quod Cainus profugus venerit ad locum Cainam dictum: ubi cum ſociis aliis vacavit latrociniis & cædibus: ideoque locus ipſe à Præadamitis jam erat occupatus.

At de nobili illo Abbate perdifficile fuiſſet hoc mihi perſuadere, niſi in ſuæ vitæ hiſtoria, quam adhuc vivens ſcripſit ipſemet, ac in lucem edidit, vidiſſem quod ait, pag. 243. Nempe ſibi relatum fuiſſe, hominem excellentis ingenii Librum compoſuiſſe circa quæſtionem an ante Adami creationem alii extiterint homines; cujus doctrinam & rationes exponit iterum paginis 243. 244. 245. 246. 247. tantùmque obiter, ait, *Eccleſiam in diſputatione de tali quæſtione affirmativam non probare; quamvis non rejiciat inquiſitionem veritatis, circa difficultates & dubia, quæ ea de re oriri poſſent.* Tandemque concludit, Moyſen *nullum alium hominem ante Adamum ſupponere, ſorſanque intentionem Authoris ſupradicti Libri, fuiſſe duntaxat dignitatem ac reverentiam ſacrarum Scripturarum tueri, adverſus rationes Philoſophorum & ſuſpecta teſtimonia quorumdam populorum.*

Quibus verbis primò patet, viſum fuiſſe Librum de Præadamitis à Nobili Abbate, ab eoque laudari Authoris ſibi non ignoti ingenium: quaſi hoc ſeculo ſufficiat temerè vel impiè loqui vel ſcribere, ut quis excellentis ingenii nomen mereatur; & pudorem non concitet tanti ſeductoris ingenium à tali Abbate commendari.

Secundò. Videri ſatius fuiſſe viro Eccleſiaſtico, doctrinam illam temerariam, erroneam, & periculoſiſſimam ingeniis novitatum avidis, ſilentio involvere, quàm ipſam adhuc omnibus exponere, nec ut par eſt refellere.

Tertiò: Circa hunc Librum recentiſſimum Eccleſiam nihil adhuc dixiſſe; quòd Liber etſi in Lucem editus, coram ſuis Judicibus comparere nondum ſit auſus, ſed lateat cum ſuo Authore & bibliopola punitionis metu. Ideoque nec verum eſt Eccleſiam non rejicere inquiſitionem veritatis, circa difficultates, &c. Quæ verba Eccleſiam dubitare ſignificant, utra hypotheſis ſit admittenda; an Adami omnium hominum primi Parentis, an verò Præadamitarum.

Quartò. Quamvis Moyſes nullum alium hominem ſupponat ante Adamum: tamen hoc non evertit falſam de Præadamitis hypotheſin. Moyſes enim ex mente hujus ſeductoris, deſcribit ſolam genealogiam Judæorum quorum caput fuit Adam; de anteceſſoribus verò nihil dicit.

Quin-

Quintò. Quomodo ſeductoris illius intentio fuiſſet, dignitatem & reverentiam ſacrarum Scripturarum tueri, adverſus rationes Philoſophorum & teſtimonia quorumdam Populorum; quandoquidem è contrà ipſis rationibus & teſtimoniis impudenter utitur ad ſacræ Scripturæ ſenſum evertendum & falſificandum, reſpuens omnes explicationes Theologorum ſuæ doctrinæ adverſantium? Nonne hoc eſt evidentiſſimum ſignum obſtinatæ & confirmatæ mentis in ſua opinione?

Itaque nobiliſſimus Abbas hæc omnia & ſingula non videtur legendo animadvertiſſe: quod hic ad ingeniorum cautelam monendum eſſe cenſui, ne omni credatur ſpiritui, utcunque apparenter ſublimi; horum ſiquidem numerus ingens à naturæ ſublimioris ſpiritu frequenter decipitur.

Capite 7. Libri 4. Aliam exponit Præadamitarum probationem à diluvio Noacico deſumptam. Aitque quod filii DEI, hoc eſt Judæi in Adamo formati, fuerant ſeparati ab aliis gentibus, quas DEUS in principio creaverat; illoſque collocaverat in Terra ſua ſancta (quam putat eſſe Paleſtinam) tanquam in horto concluſo; & illos vetuerat commiſceri gentibus; præſertimque matrimonio contaminari cum filiabus hominum. At (inquit) Judæi contra DEI mandatum admiſerant in Terram ſuam Gentiles, qui cùm filias procreaſſent, vidiſſentque filii DEI, quod filiæ hominum eſſent pulchræ, acceperunt eas in uxores. Ex quo concubitu prognati ſunt Gigantes, ob fortes (ait) & vegetos Judæos à recenti formatione: indeque DEUM iratum dixiſſe. Delebo hominem quem creavi à facie Terræ, ab homine uſque ad animantia, à reptili uſque ad volucres Cœli. Ubi Author hic ſuo more corrigens textum Moyſis: per creari vult intelligi formari, & per animantia reptilia & volucres, vult intelligi gentiles.

Verùm ſeductor hic Scripturam ſacram paſſim falſificat, nihilque probat eorum quæ ipſe aſſerit, nec probare poteſt, ſibique contradicit. Nam ſi ex Judæis & filiabus gentilibus prognati eſſent gigantes, ob fortes & vegetos Judæos à recenti formatione: nonne ex maſculis & femellis Judæis majores adhuc gigantes gigni debuiſſent eadem ratione; idque ſtatim ab Adami & Evæ conjugio? Quod verò ſpectat ad filios DEI & filios hominum, patet ex ſacro Codice, quod Filii DEI fuerint Filii Seth, quorum primus fuit Enos, qui ex cap. 4. Geneſ. cœpit invocare nomen Domini, peculiari cultu, præter eum quem cum Abel & Cain à Patre didicerant, cujuſque poſteri eundem cultum obſervātes recenſentur cap. 5. Geneſ. uſque ad Noe. Ex quibus duxit originem CHRISTUS ſecundum carnem ex Lucæ cap. 3. filii autem hominum fuerunt filii Cain, & aliorum Adami filiorum, qui DEI cultum negligentes, in varias coram DEO iniquitates, ac præſertim carnis abominationes devoluti ſunt, ad eaſque ipſos quoque filios DEI, hoc eſt de progenie Seth provocarunt, quod DEO maximè diſplicuit, eoſque exemplariter punivit.

Eodem cap. 7. tum. 8. & 9. negat diluvium Noacicum fuiſſe univerſale, ſed, ait, fuiſſe duntaxat particulare. Pluraque alia ex prophanis hiſtoriis Euſebii, Strabonis & Solini fuiſſe diluvia particularia.

Verùm opinionis hujus falſitas patet primò ex verbis DEI ad Noe cap. 6. Gen. *finis univerſæ carnis venit coram me*, & ſuprà, *Delebo* (inquit) *hominem quem creavi à facie Terræ*. Quod in mente hujus Authoris & verbo *creavi* intelligendum eſſet de ſolis Præadamitis, quos vult fuiſſe creatos ſuper univerſam Terram: non autem de Adamitis, quos in Adam vult fuiſſe formatos non autem creatos, tam benè doctrina ejus ſibi cohæret. Secundò: Diluvia illa particularia fueruntne à DEO prædicta? fuitne arcæ vel navis conſtructio imperata, ad ſalvandas hominum reliquias? Fuitne juſſum à DEO ſingularum ſpecierum animalium bina, marem, ſcilicet, & femellam arcæ includere, cum cibis neceſſariis ad ſpecierum illarum conſervationem? Quid hiſce opus erat, ſi diluvium Paleſtinam duntaxat operuiſſet; cùm in tota reliqua Aſia, Europa, Africa, &c. tales ſpecies abondè ſuperaſſent? Referuntne Authores ſupradicti diluvia, quibus *aqua altior eſſet 15. cubitis quàm altiſſimi Montes qui ſub Cælo ſunt, quibuſque conſumpta eſt omnis caro quæ movebatur ſuper Terram*, ut de diluvio Noe dicitur cap 7. Gen.? Quam futilis igitur ſit hæc Præadamitarum probatio, ſeipſam deſtruens; ſatis ſuperque patet, quodque tale diluvium naturaliter fieri non potuerit. Ut diximus cap. 31. & 32. hujus Libri; nec non alibi in hac Aſtrologia, contra Albumazarem & alios Aſtrologos opinantes diluvium ipſum cauſatum fuiſſe à conjunctione ♄ & ♃ in Cancro.

Inſanit verò dum per ruptos fontes abyſſi magnæ, vult intelligi mare Paleſtinæ, quaſi ad altitudinem ſupradictam intumeſcere potuerit, & non potiùs pluvia per dies 40. ex Cœlo deſcenderit, ut dicitur cap. 7. Geneſ. Dumque cataractas Cœli apertas, putat eſſe maximas gerras, evidenter oſtendit quanta ſit ejus reverentia erga ſacram Scripturam, forſanque ſimiliter ridebit, quod de Cœlo pluerit olim ſulphur & ignis ſupra Sodomam, ex cap. 19. Geneſ. Inſanit etiam dum per opertos montes omnes excelſos ſub univerſo Cœlo, vult intelligi duntaxat montes Paleſtinæ, quod nec authoritate nec ratione probat. Tum denique dum ait, ramum virentis olivæ, allatum à columba, non fuiſſe ex oleis quas diluvium operuerat in Paleſtina, quæ erant cœno obductæ: ſed columbam è montibus Armenicæ emiſſam, aquas omnes diluvii tranſvolaſſe, & in campo ſuperioris Aſiæ elatioris, legiſſe ramum illum ex quadam olea diſtante ab Arca 100. milliaribus. Sed præterquam horum nihil probat, nec probare poteſt niſi ſuam in falſà doctrina pertinaciam. Ramus ille quid aliud ſignificaſſet, quàm Aſiam non fuiſſe diluvio obrutam? Ut ergo Noe intelligeret aquas ceſſaſſe ſuper Terram Paleſtinæ, oportebat è contra ut columba ramum afferret olivæ cœno abductæ, ſi aquæ diluvii oleas omnes Paleſtinæ cœno obduxiſſent ut vult hic cæcus, qui ſuas non videt contradictiones. Un-

de patet quàm miſerè Author hic ſeipſum primò ſeducat: Nec quidquam hactenus afferre potuerit, ex quo Præadamitas extitiſſe ſuſpicari liceat.

Tandem neſciens quâ portâ ſuos Præadamitas introducere queat, poſtquam cap. 6. Libri 3. fabulas de antiquitate Mundi expoſuit ex Chaldæis, quas 7. capite longiùs perſequitur ex Regibus Ægyptiis, Sinenſibus & Platone, & jam antea refutavimus, rurſus eandem antiquiſſimam creationem cap. 8. 9. 10. & 11. probare contendit ex Aſtronomia, Aſtrologia & Magia Gentilium, quæ non niſi longiſſimis temporibus inveniri & obſervari potuerunt: & circa hæc nugatur ampliſſimè, cùm Gentiles vel idolatræ fuerint in illis hactenus valde ignari, præſertim Arabes & Indi qui de illis ſcripſerunt, ut conſtat ex Aſtronomia reſtituta, & Aſtrologia noſtra Gallica.

At capite 5. lib. 5. audacter ait. Nunquam fuiſſe mentem Pauli ſtatuere, omnium hominum originem eſſe ab Adamo. Quibus verbis mentitur impudentiſſimè. Nam D. Paulus Actor. cap. 17. de Deo loquens, ait: *Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare ſuper univerſam faciem Terræ.* Quæ verba Adamum fuiſſe omnium hominum Parentem primum, ideoque nullos fuiſſe Præadamitas evidentiſſimè teſtantur: quippe dicta Gentilibus Areopagis Athenarum.

Nec minor eſt ejus impietas ac temeritas, dum cap. 1. lib. 4. ait, ſe neſcire, quo Authore ſatis idoneo compertum ſit, Pentateuchum Moyſis eſſe hujus autographum. Quandoquidem ipſe Christus in Euangeliis, paſſim libros Moyſis approbat. Et præſertim apud Joan. cap. 5. verſ. 46. alloquens Judæos, ait. *Si crederetis Moyſi, crederetis forſitan & Mihi: De Me enim ille ſcripſit.* Sed impius hic Christum pro Authore ſatis idoneo non agnoſcit. Ex quo patet illius obſtinatio in deteſtanda doctrina ab eo expoſita.

Omitto ejus frequentes falſificationes ſenſus ſacræ Scripturæ, ut dum verbi gratiâ pro formari, vult intelligi creari; & pro creari, intelligi formari, tam de homine quàm beſtiis; ut calculum abſolvat ſuarum conjecturarum & conceptionum; à quibus ſacræ Scripturæ ſenſum, ideoque totius Chriſtianæ Religionis veritatem pendêre vult. Et concludo quod ſi impius hic Author, nomine & facie pluribus notus, publicè ac ſolemniter ſuos errores citò abjurare noluerit (quod ex ejus Libro per annos 30. elaborato & ſcribendi modo futurum non conjicio, utcunque hypocriticè fingat ſe ſuaque ſubmittere judicio Doctorum orthodoxorum) omnino meretur, ut in medio omnium exemplarium ſuæ editionis vivus comburatur, & in favillam redigatur. Cæteris autem omnibus doctrinam adeo impiam tueri, ſub pœna mortis prohibeatur. Hæc enim ſeveritas neceſſaria eſt, & maxima charitas in eos, quibus Hereſiarcha mortem ſpiritualem & æternam agminatim inferre conatur: Hiſque Author reſipiſcentiæ (ut videtur) deſperatæ, non blandis verbis aut linimentis; ſed cauſticis tractandus fuiſſe mihi videtur, cùm jam ejus venenum ſerpat, nec malo jam facto mederi queat: Jubeaturque Proverb. cap. 26. verſ. 5. *Reſponde ſtulto juxta ſtultitiam ſuam; ne ſibi ſapiens eſſe videatur.*

FINIS LIBRI SECUNDI.

ASTRO-

ASTROLOGIÆ GALLICÆ

LIBER TERTIUS.

De Mundi diviſione in tres regiones primarias, Elementarem, Ætheream, & Cœleſtem.

PRÆFATIO.

Poſtquam Libro Secundo de Mundi creatione & rebus in eo contentis ſufficienter ad noſtrum inſtitutum egimus: Jam ſequitur ut de ipſius Mundi in ſuas regiones præcipuas diviſione tractemus. Dividitur autem totus Mundus in tres præcipuas ſive primarias regiones, ſcilicet, in Elementarem, Ætheream & Cœleſtem: De quibus ſequentia à Nobis traduntur: initio facto ab Elementari.

SECTIO I.

De Mundo Elementari ſive ſublunari.

CAPUT I.

Sunt quatuor Elementa ſive Mundi Elementaris partes integrantes.

AN unicum vel plura & quot numero ſint Elementa minimè determinandum ſolâ ratione Chymicâ, ut fit à pluribus; ſed præſertim ſenſu, & mixtorum corporum chymica reſolutione. Quippe quòd omne mixtum in ſui artificioſæ reſolutione oſtendat ex quot & ex quibus ipſum miſceatur.

Porrò Elementa non eſſe numero infinita ut dicebat Anaxagoras inde probatur; quia cùm Elementum de communi conſenſu omnium conſtet materiâ & formâ, ergo erit corpus naturale; ideóque quantum continuè trina dimenſione: ſi ergo Elementa eſſent numero infinita, ſpatium ſive locum infinitum occuparent; proindeque vel nullum daretur corpus mixtum, quia nullum daretur ſpatium in quo contineri poſſet, vel daretur penetratio corporum, quorum utrumque falſum eſt & ſenſui repugnans.

Non etiam eſſe unicum Elementum, ut alii voluere, convincitur tum ipſo ſenſu, quippe videntur Terra & Aqua; tum quia alioquin nullum daretur corpus mixtum ſive eterogeneum: ſi quidem mixtio non fit ex unico, ſed pluribus, at nulla dari corpora mixta ſive eterogenea Chymicorum experientiæ quotidianæ refragatur: Ergo horum plura ſunt Elementa: tum denique quoniam plures ſunt ſpecies ſimplicis motus recti nempe ſurſum & deorſum ex eodem termino à quo; quæ eidem ſpecie corpori ſimplici convenire nequeunt.

Volunt autem nonnulli ex Neotericis duo tantum eſſe Elementa, Terram & Aquam; Ignis enim Elementum nuſquam eſſe profitentur cum Cardano de quo infra: Aerem verò ab Aquâ differre formaliter nolunt, ſed ambo unicum eſſe ſpecie Elementum cenſent, tantúmque inter ſe differre raritate & denſitate; quippe Aerem eſſe Aquam in vaporem rarefactam, & per ambiens effuſam; Aquam verò eſſe Aerem denſatum, idque experientiâ probari in Aquæ evaporatione & diſtillatione, tum ex vaporibus aſcendentibus & pluviis deſcendentibus per Aërem

Cæterùm quamvis Aer & Aqua invicem ut dictum eſt converterentur, non tamen propterea ſequeretur; id quod Aerem appellant idem eſſe ſpecie cum Aquâ, unde vapor elevatur in ipſum Aerem: non enim ſolus vapor aqueus elevatur in Aerem ex globo terreſtri, ſed etiam exhalatio ſulphurea, & naturæ ab Aquâ prorſus alienæ: quæ ſimiliter in Aerem verteretur. Ergo non eſſet Aer potiùs vapor vel Aqua, quam Exhalatio vel Terra; ideóque neutrum horum, & per conſequens tertium erit Elementum; vel denique erit quidpiam mixtum Terrâ & Aquâ, ex quibus vapor & exhalatio ſimul aſcendunt: ſicque non Elementum.

Ad hæc ſi quoniam ex Aere deſcendit pluvia ipſe ſit Aqua, ergo cùm ex eodem deſcendunt lapides, ipſe à ſimili erit lapis aut Terra quæ omnia abſurda ſunt.

Denique ſi Aer nihil aliud eſſet quam Aqua rarefacta; quoniam ſummum frigus perpetuò viget in mediâ Aeris regione, nec non in infima per Hyemem gelidam in locis præſertim Polo Mundi vicinioribus; ſequeretur quod ab illo frigore Aer in pluviam, nivem aut grandinẽ perpetuò denſaretur in Aere medio; nec non in infimo hyemis durante gelu rigido: ſicq; aut daretur vacuum aut maxima confuſio motus in Elementis: nullæque darentur unquam ſerenitates, quæ è diverſo ſunt eò lympidiores quò frigus acerbius eſt. Ideò autem frigus etiam acerrimum Aeris humiditatem non congelat, quia hæc non eſt Aquea.

Itaque Aer eſt aliud ab Aqua Elementum: neque eſt quidquam eorum, quæ vel in ipſum è Terreſtri globo aſcendunt, vel ex ipſo deſcendunt.

Cæteri

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Cæteri à veritate minùs aberrantes ut Cardanus & Kleplerus lib. 1. Aſtron. Copern. parte tertia. tria faciunt Elementa, Terram, Aquam & Aerem: Ignem verò hiſce rationibus è naturâ tollunt. Quòd, ſcilicet, Aeri circumfuſus videretur, noctu præſertim; quandoquidem lux eſt ipſius ignis formalis proprietas: quòd omnia inferiora combureret; quódque denſior Aethere, Aſtris perpetuas cauſaret refractiones radiorum, unde vera Aſtrorum loca accuratè obſervari non poſſent; ut patet ex baculo recto partim in Aere & partim in Aqua inclinato, qui in Aquæ & Aeris contractu frangi videtur, & angulum efficere; unde ipſius baculi extremum in Aquâ poſitum non cernitur in proprio loco; quæ viſus hallucinatio oritur ex diverſis conſiſtentiâ mediis, Aere, ſcilicet, & Aquâ per quæ baculi ſpecies ad oculum defertur, ut fuſiùs à nobis explicatur parte 9. ſcientiæ longitudinum: atqui neutrum horum fieri experientia teſtatur, ergo nullus eſt ignis Elementaris.

Quamvis autem Authores hi fuerint magni nominis Mathematici, atque Philoſophi, tamen ad ſuam ſententiam vanis utuntur rationibus. Non enim lucet ignis Elementum ob ſuam ſummam raritatem, nec ipſe Sol etiam luceret niſi denſitatem ſortitus eſſet. Unde Aſtra à veteribus credita ſunt, non differe formaliter à ſuo Cœlo, ſed tantùm eſſe partes ejus denſiores, ideoque lucere. Eademque ratio eſt de candelæ flamma, quæ ſi ignita remanens ita attenuaretur aut rarefieret ut totum cubiculum occuparet, nulla in cubiculo lux cerneretur, lux enim in ſolo denſo conſpicua eſt: quin etiam ſtupa vel linteum flammæ propinqua accenduntur, etſi à viſibili flammâ non attingantur, ideóque ab igne ob raritatem inviſibili accenduntur in flammæ confinio.

Secunda ratio adhuc abſurdior eſt. Duabus enim de cauſis Aeri circumfuſus ignis hæc inferiora nequit comburere. Primò ob ejus raritatem. Hæc enim impedit ne luceat, vel urat. Sique flamma candelæ eſſet ut ſuperiùs rarefacta, nequidem ejus calor ſentiretur; virtus enim diſperſa debilior eſt quàm collecta, & quò ampliùs diſpergitur, eò magis debilitatur, indeque fit ut non comburamur expoſiti radiis ſolis, quamvis hi vera ſint flamma, ut ſpeculo probatur comburſtorio; imo flãma ardentis aquæ linteum non adurit. Secundò ob mediam Aeris regionem perpetuò frigidiſſimam, ignis Elemento & nobis interpoſitam, quæ ipſius ignis calorem ſurſum cohibet, & hæc inferiora temperat ut dicitur inferiùs.

Tertiò ſi ignis viſibiliter accenſus vel in Aere per coruſcationes ardentiſſimas, vel in Terræ viſceribus ut in Æthna monte, vel in domibus aut plateis civitatum, aut in mediis ſegetibus & ſylvis Aerem proximè circumfuſum, indeque totum univerſum non comburit, (quod tamen efficeret exigua flamma, ſi Mundus ut palea vel lignum eſſet combuſtibilis) quid timendum à rariſſimò & inviſibili ignis Elemento ſuper Aerem ſuapte natura humidiſſimum, etiamque raritatis inæſtimabilis, cum ne quidem Sol (qui globus eſt ignis denſi ſtupendæ vaſtitatis, ut ſuo loco probabimus) circumſtantia vel propinqua ſibi Elementa, indeque totum Mundum conflagrare queat? Et nos dum ſolaribus radiis expoſimur ſimus in flammà ignis: quod ejus radii ſint flamma, ut probatur ſpeculo concavo radios ipſos colligente, nec tamen comburamur, etſi Sol longè intenſiùs calefaciat quam ignis ille Elementalis? Ex quibus facile eſt concludere ad combuſtionem præcipuè requiri comburentis denſitatem, tum etiam combuſtibilis: proindeq; ex igne ſupra Aerem, non eſſe timendam Mundi confragrationẽ.

Keplerus ergo duarum ſuperiorum rationum ac aliarum etiam à Cardano inventarum atque à ſcaligero exerc. 9. doctè ſubiliterque refutatarum unitatem deprehendens, nequidem earum meminiſſe voluit, ſed alteram de refractionibus excogitavit: vult enim loco ſupra citato Aerem eſſe mediocris denſitatis, utpote cui heterogenei vapores atque fumi admixti ſint, Aerem verò immediate ambit Æther cui denſitas eſt planè nulla, ſed tenuitas inæſtimabilis atque mera: proindeque ſunt Aer & Æther duo orbes continui tenuitate vel denſitate maximè differentes, unde radiorum Cœleſtium refractio. Nilhominus tamen Tycho Brahæus ultimus Aſtronomiæ reparator cui Keplerus ipſe aſſentitur Uraniburgi ubi Polus Boreus 56. gradibus elevatur, & Aer multò denſior quàm in Galliâ cæteriſque regionibus calidioribus; nullam in Sole aut Lunâ refractionem obſervavit ultrà 45. gradum, altitudinis ipſorum luminum, in ſtellis verò nullam ultrà vigeſimum gradum, quamvis ſuperior Aeris denſitas ſit per totum expanſa hæmiſphærium. Quid igitur timet Keplerus à refractionibus poſito igne Elementorum tenuiſſimo ſuper Aerem, ſi nequidem Aer, (ut ipſe vult) mediocriter denſus & Ætheri tenuiſſimo ſuppoſitus, eas cauſat ſenſibiles à vigeſimo gradu altitudinis ad Zenith uſque, & ignis Aetheri tenuitate ſaltem quo ad ſenſum minimè cedit? Dicendum igitur refractiones ſenſibiles non cauſari à quacumque diverſitate denſitatis aut raritatis in medio diaphano per quod fit viſio, ſed tantùm à ſufficienti ad talem effectum, hæcque ſufficientia Aetheri, igni, vel aeri accidit duntaxat ab heterogeneis, ut plurimum verò accidit Aeri à vaporibus & exhalationibus è terreſtri globo elevatis; ac proinde Cardani & Kepleri rationibus ſic everſis quaternarius Elementorum numerus ſic probatur.

Primò refutatione valida opinionis contrariæ quæ vaniſſimis duntaxat nulliuſque momenti rationibus innititur, ut ſuprà patuit, ſed præſertim ex variis ſacræ Scripturæ locis, ubi de ignis ex Cœlo deſcenſu agitur. Secundò ex flammâ noſtrate in qua obſervatur quidam ſpiritus quem vocamus ignem, in Aere non quieſcens ſed pernicitate ſummâ ex ſe tendens ſupra Aerem, unde conjicitur non modò ſpiritum ipſum alterius & ſublimioris eſſe naturæ quam Aerem: ſed inſuper ejus proprium locum eſſe ſupra Aerem. Nam ut recte circa hoc Ariſtoteles. Omne ſpatium ad quod per ſe & naturaliter movetur corpus aliquod, eſt proprium & naturale ipſius corporis ſpatium. Id verò longè evidentius deprehenditur in ignibus Artificialibus qui celeritate maxima feruntur ſupra Aerem, hic enim motus nequit eſſe à Terrâ, vel Aquâ vel Aere, ſiquidem neutrum horum movetur ſupra Aerem, ergo neceſſe eſt ut ſit ab altero, & ſuperiore Elemento quod eſt ipſum ignis Elementũ in illis artefactis

ignibus

ignibus prædominans. Denique in ſummâ gelidæ hyemis ſerenitate nocturnâ, plura videntur accendi meteora in ſublimi; nec accenduntur in infima, vel media Aeris regione ubi tunc frigus abſolute regnat. Ergo accenduntur in ſupremâ; cúmque Aer ex naturâ ſuâ nequeat accendere, atque hoc ſit ignis proprium, videtur neceſſariò fatendum meteora illa accendi vel in ſupremâ regione Aeris, vicino igne adjuvante, vel in ipſa ignis ſphœra, cui nullius meteori præſertim igniti generationem, ſed meram Aerilitatem concedere, videtur à naturæ fœcunditate in cæteris omnibus Elementis maximè conſpicua alienum.

Nec eſt quód dicat aliquis vaporem etiam per aërem ſurſum aſcendere, cùm tamen vapor ſit naturæ aqueæ, ac proinde ex aſcenſu flammæ & ignium non rectè concludi Elementum ignis ejuſque locum ſupra Aerem. Nam vapor tardiſſimè aſcendit, & frigoris prævalentis occurſu iterum denſatur in aquam, atque deſcendit: at ignis omnium celerrimè trajicit Aerem, & hujus etiam penetrat regionem mediam frigidiſſimam: itaque ut celeritate motus, ſic naturâ maximè differunt.

Denique probatur idem numerus quaternarius Elementorum ex motus recti quo feruntur Elementa & mixta, principiis activis; gravitate, ſcilicet, & levitate, quas motivas qualitates appellant. Quæ cùm ſint qualitatis ſimplicis, etiam convenient corpori ſimplici, primò & per ſe; cúmque in naturâ detur mixtum leve atque levius, ergo dabitur ſimplex leviſſimum; ſunt enim mixta talia à ſimplicibus; quibus idcircò qualitates ſimplices debent ineſſe in ſummo gradu: & ſimiliter dabitur graviſſimum. Nequit autem idem corpus ſimul eſſe leviſſimum atque graviſſimum: alioquin tale corpus extra proprium locum poſitum, ad ipſum repetendum nullo motu recto moveri poſſet naturaliter, neque deorſum obſtante ſumma levitate, neque ſurſum obſtante ſumma gravitate, imò nec ei locus ullus eſſet naturalis, vel ſurſum vel deorſum; ſed uterque violentus: ſi autem conſiſteret in medio, ergo darentur extrema ſurſum atque deorſum, & huic competeret ex naturâ merè graviſſimum: Illi autem merè leviſſimum: ergo erunt duo ſaltem corpora ſimplicia, alterum leviſſimum, alterum verò graviſſimum; ſed quia graviſſimum & leviſſimum ſuapte natura feruntur ex eodem termino à quo ad partes maxime contrarias atque diſtantes; quippe leviſſimum ad ſummum locum, & graviſſimum ad infimum, ſuntque per ſe inſociabilia, ut patet ex lapide & flamma ignis in eodem Aeris termino vel puncto motui ſuo derelicta; vel ergo dabitur in eorum medio vacuum, quod fieri nequit, vel dabuntur corpora interpoſita mediæ levitatis & gravitatis quæ inter ſe & cum extremis ſint compatibilia; quippe leve mediocriter cum leviſſimo, & mediocriter grave cum graviſſimo, proindeque tales erunt motivæ qualitates, gravitas ſimpliciter, gravitas ſecundum quid, levitas ſimpliciter, & levitas ſecundum quid; nec non quatuor corpora ſimplicia quibus illæ per ſe conveniant; ſcilicet quatuor Elementa; quorum ignis eſt leviſſimus, atque in ſummo loco, Terra graviſſima & in infimo, Aer mediocriter levis, ignis contiguus; aqua autem mediocriter gravis, Terræ atque Aeri contigua.

Contra hunc autem quaternarium Elementorum numerum ſpretis aliis objectionibus, hæc omnium fortiſſima non videtur negligenda; tot ſunt Elementa, quot corpora ſimplicia in quæ mixtum quodvis dividitur ſive reſolvitur; at in tria tantùm dividitur experientiâ & teſtimonio omnium Chymicorum, qui præ cæteris incumbunt mixtorum reſolutionibus, & in quolibet reperiunt ſubtilem acidumque liquorem aqueum, quem Mercurium vocant; tum alium liquorem craſſiorem & oleagineum, quem ſulphur; & denique duram ſiccamque ſubſtantiam, quam ſal appellant; nihil autem aliud quod ſaltem non ſit mixto alienum & excrementitium, qualia ſunt plegma & caput mortuum: quorum hoc Terra & illud Aqua, ideóque etiam Elementa vocantur à Stephano de Claves. Ergo ſunt tantùm tria Elementa, Sal, Sulphur & Mercurius.

Dicimus autem duplicem eſſe in genere corporum reſolutionem. Unam eſſentialem, alteram accidentalem; prima eſt ipſius corporis in materiam & formam, quæ nullo hominis artificio poſſibilis eſt, utroque principio ſeorſim poſito & aſſervato; ab Authore autem naturæ poſſibilis extat, omnique competit corpori: altera eſt materiæ corporis in partes heterogeneas; & hæc ſolis corporibus mixtis convenit, quorum, ſcilicet, materia mixtis conſtat Elementis; atque hæc hominis ſubjacet artificio: Chymicus enim cujuſque mixti materiam reſolvit in tres aut quinque partes ſuperius dictas. Non tamen propterea ſequitur non eſſe quatuor Elementa; quia ex Chymicis ipſis hæ tres vel quinque ſubſtantiæ æquivalent quatuor Elementis, nihilque ſunt aliud quàm ipſa quatuor Elementa: nam Mercurius ab illis dicitur eſſe aqua; ſulphur aer & ignis, ſal autem terra & ignis: unde etiam fateri coguntur tria illa principia non eſſe planè homogenea, ſed quodlibet quid heterogenei continere ex toto inſeparabile: dividiturque materia in tria illa principia, quia in quatuor Elementa pura nullo hominis artificio, ſed à ſolo Deo dividi poteſt, ut aſſeverat Chymicorum facilè princeps Iſaacus Hollandus cap. 8. tractat. de lapide vegetabili cum aliis ejuſdem ſectæ Philoſophiæ primoribus; eoſque ridet qui mixtum in quatuor Elementa pura ſeorſim reſolvere ſe poſſe falsò prædicant; ergo ex Chymicis mixtorum reſolutionibus dantur etiam in natura quatuor Elementa, Terra, Aqua, Aer & Ignis.

Nec ſequitur quod poſito igne ſummè calido debeat ſummè calefacere, ideóque Aerem contiguum accendere, vel ſaltem ſentiri in his inferioribus: nam flamma aquæ ardentis etſi ſummè calida minùs tamen calefacit quam ferrum ignitum, ob hujus denſitatem illiuſque raritatem, nihilque inflammari poteſt quod non ſit oleaginoſum atque denſum. Præterea calor ignis ad nos uſque non pervenit quia ſurſum cohibetur à frigore globi Terræ & Aquæ ut infra fuſiùs explicabitur; vel ſaltem illius minima portio ad nos uſque pervenit.

CAPUT

Caput II.

Dantur in ſublunaribus quatuor primæ qualitates ſimplices, tactuque perceptibiles; calor, frigus, humiditas & ſiccitas: ſuntque entia realia & poſitiva.

PRima pars aſſertionis probatur ipſo ſenſu. Nam ſi quis calorem tactu ſenſibilem dari neget, carbonem ardentem nuda manu apprehendat, vel flammam è nubibus erumpentem excipiat; ſi frigus, glaciem nudo pectori admoveat; ſi humiditatem, ſeſe aut nymbo exponat, aut in fluvium projiciat: ſi denique ſiccitatem, cineres, aut coctum laterem è calidâ fornace extractos contrectet, aut febris ardentis ſitim experiatur, ex iiſque dari illas qualitates confeſtim fatebitur. Ubi verò Magiſter eſt ſenſus nulla opus eſt ratione; vocantur autem primæ & ſimplices, quia neque ex ſe neque ex aliis ſunt, & ſeipſis inter ſe differunt.

Secunda autem aſſertionis pars eſt contra Cardanum, qui in commento in cap. 4. Libri primi quadripartiti, ait. *Non eſſe niſi duas qualitates, unam quidem agentem, cœleſtemque, & vocatur calor, cui opponitur privatio, quæ eſt frigiditas: alteram quæ eſt humidum Elementale, cui ſiccitas tamquam privatio oppoſita eſt.*

Imprimis notandum eſt, Cardanum hîc intelligere privationem propriè dictam, quæ ſit nimirum pura carentia ejus habitus, cui illa opponitur, & ex ſe non ens; ut tenebræ quæ ſunt ex ſe non ens, & nihil lucis habent: nam impropriè albedo eſt privatio nigredinis, & calor etiam frigoris, & humidias ſiccitatis; quod Cardanus æque dicere potuiſſet atque contraria dixit.

Jam verò ſi frigus ſit duntaxat caloris Cœleſtis privatio: accidet Aeri, imò glaciei, Aquæ, cæteriſque diaphanis; ut ſicut eorum tenebræ quæ ſunt lucis privatio, temporis momento à ſole lucis fonte expelluntur; ita eorum frigus, quod eſt caloris duntaxat privatio noctu contracta, evaneſcat ab eodem ſole caloris fonte, quo momento emergit ſupra horizontem, eaque ſuis penetrat radiis, fiantque non minùs ad ſenſum calida quàm actu perſpicua: ut enim radius lucis corpora illa in inſtanti penetrat, ſic & caloris radius; at experientiæ contrariatur corpora illa in inſtanti calefieri: nec mirum, quia cùm tenebræ ſint pura privatio lucis, vel pura habitus carentia in ſubjecto apto, talis autem privatio ex ſe non ſit ens actuale, cui propterea neque agendi, neque reſiſtendi vis ineſſe poteſt; idcircò lucis radius in inſtanti illuminat; ſi quidem ejus luci nulla in ſubjecto occurrit reſiſtentia. Itaque ſi glaciei frigus, eſſet pura caloris privatio (quæ nullibi datur ſi in glacie non eſt) quo momento Solis radio calido penetratur, deberet etiam ipſa omninò evaneſcere: quod cum ne quidem fiat à Solis meridiani radiis, ut Hyeme patet, certum eſt pertinacem ineſſe in glacie reſiſtentiam adverſus calorem; quæ cùm nequeat eſſe à privatione pura vel non actuali ente, abſurdum eſt arbitrari frigus glaciei eſſe duntaxat meram caloris privationem, & non ens actu.

Ad hæc ſi quis æſtate deſcendat in locum ſubterraneum vel in profundum puteum, ipſe frigus intenſum ſentiet: ac per conſequens frigus in ipſo introducetur ab aliquo agente: non enim dici poteſt quod ille homo ibi reducetur ſeipſo ad ſuum naturale frigus; tum quia frigus non eſt homini naturale, tum quia calor præcedens ſponte ſuum ſubjectum non deſerit; nec corpus ſponte tranſit ab habitu ad privationem: at privatio non eſt activa: Ergo agens debet eſſe frigus actuale Terræ, Aquæ, rupis, &c.

Prætereà ex Cardani mente ſequetur nullum calidum Elementale refrigerari poſſe: hæc enim tantùm fieri poteſt per expulſionem caloris è ſubjecto, vel evocationem ex ſubjecto, vel fugam ſpontaneam à ſubjecto, vel denique contemperationem ab oppoſito frigore: atqui calor ſeſe à ſubjecto non expellet, neque ſeipſum in ſubjecto corrumpet, quod par in parem, nec idem in ſeipſum poſſit naturaliter: nec ſponte fugiet à ſubjecto, tum quòd careat libertate, vel ſpontaneo inſtinctu, tum quòd ſine ſubjecto eſſe nequeat, atque ad ſuum eſſe appetet naturaliter aliquod ſubjectum; nec tandem calor ferri candentis rigido aëri expoſiti ex ferro ipſo evocabitur ab aëre ambiente; cùm enim ab hoc tantùm refrigeretur, quatenus frigidus eſt, ſequeretur actualem caloris evocationem fieri ab eo quod non eſt actu; ſcilicet, à merâ caloris privatione, quòd abſurdum eſt, eſſetque rationi congruentius, calorem à ſibi ſimili calore evocari. Nec minùs etiam abſurdum aſſerere quod ferrum illud ad temperiem redactum fuerit ab eo quod nihil eſt actu. Supereſt igitur ut ipſe calor ab alio, ſibique contrario expellatur à ſubjecto, aut in eo temperetur. Itaque cùm experientiâ conſtet nullum calidum applicato, vel ambiente æquè aut magis calido frigefieri, ſed duntaxat applicato aut ambiente frigido; certum eſt frigus expellere calorem è ſubjecto, vel ipſum contemperare; ideóque frigus non eſſe privationem, cui nulla actio nec poteſtas adverſùs calorem convenire poteſt.

Denique privatio non eſt per ſe ſenſibilis, nec impreſſionis capax: at frigus glaciei pectori admotæ, adeò eſt ſenſibile ut ſit etiam intolerabile, citóque calorem nativum ſua impreſſione extingueret, & plerumque peregrini Hyeme rigida ſolo frigore enecantur, licet hoſpitio calidi exierint; tanta eſt frigoris Elementalis activitas! Igitur rationi ſenſuique repugnat opinari frigus nihil aliud eſſe quàm caloris privationem: ſuntque calor & frigus duæ qualitates Elementales poſitivæ, ſibique primò & per ſe contrariæ.

De humiditate & ſiccitate res prima fronte apparet paulò obſcurior. Quoniam enim corpora per evaporationem humidi deprehenduntur exſiccari, videtur ſiccitatem eſſe duntaxat humidi privationem, non autem realem & propriam alicujus corporis qualitatem: Verùm ſi res ſpectetur attentiùs, patebit hîc tantùm intervenire privationem impropriè dictam, & penes quam humidum æquè dicetur privatio ſicci, atque ſiccum humidi: nam mixti partibus heteragoneis aqueâ, oleosâ & terreâ ab invicem chymicè ſeparatis, erit unaquæque in ſuo ſtatu ſimplici, puro, atque perfecto, & hinc apparebit aqua per ſe humida, illhinc verò terra per ſe ſicca; cui ſi talis deeſſet

ſicci-

ſiccitas, ei deeſſet Terræ perfectio naturalis, ut Aquæ ſua deeſſet perfectio naturalis, ſi deeſſet humiditas. Si quis itaque dixerit Terræ ſiccitatem eſſe duntaxat privationem & non ens actuale; patet quàm abſurdè velit corporum perfectionem naturalem eſſe à privatione & non ente; cum è contra privatio ipſa ſit imperfectio meraque perficiendi impotentia, ſuumque ſubjectum perpetuò imperfectione notet. Non igitur ſiccitas eſt privatio humiditatis, ſed ambæ ſunt qualitates poſitivæ.

CAPUT III.

Ipſarum qualitatum ſingulæ in gradu ſupremo propriæ ſunt alicui Elemento: daturque ipſarum in Elementis ſagaciſsima cõbinatio.

QUoniam enim ipſo judice ſenſu dantur in ſublunaribus mixta calida, frigida, humida, ſicca; hæc verò ex ſimplicibus conſtant Elementis, per quæ mixta ipſa talia ſunt: neceſſe eſt earum qualitatem unamquamque primò & per ſe convenire in gradu ſupremo alicui Elemento quod per ſe tale ſit & per ipſum cœtera. Alioquin niſi in natura daretur ſummè calidum, daretur proceſſus in infinitum. Eademque eſt ratio de frigido, humido atque ſicco. Cùm itaque ſuperius oſtenſum fuerit dari quatuor Elementa; quorum de communi conſenſu & experientia ignis eſt calidiſſimus, Aquà frigidiſſima, Aer humidiſſimus, & Terra ſicciſſima (his nempe Elementis in ſuo ſimplici naturalique ſtatu ſpectatis) patet ſingulas ipſas qualitates in gradu ſupremo ſingulorum jam dictorum Elementorum eſſe maximè proprias.

De Aeris autem Elemento controvertitur à nonnullis, qui volunt Aquâ nihil eſſe humidius; quod & ſi plebeiorum ſenſui appareat qui ob Aeris raritatem ejus humectationem non animadvertunt: attamen certum eſt duplicem deprehendi in mixtis humiditatem Elementalem; nempe aqueam & oleoſam: illa eſt Aquæ propria, hæc verò neque ad Terram, neque ad Aquam, neque ad Ignem pertinent, ſed ad Aerem: dicuntur enim Olea eſſe naturæ Aereæ, at gutta Olei longè efficacius humectat, quàm aquæ gutta: hæc enim ſicco ligno aut panno incumbens conglobatur, & proprio termino facilè coercetur, nec pannum aut lignum penetrat: ſed gutta Olei proprio termino coerceri nequit, latiſſimè enim diffunditur & profundiſſimè penetrat: quamobrem cùm illud ſit humidius, quod magis humectat, erit aer humidior aqua.

Sunt etiam qui Terram Aqua velint eſſe frigidiorem, quod hæc ſit diaphana & lumini pervia, illa verò opaca & denſiſſimarum tenebrarum latibulum, quod à lumine nequaquam penetratur: ut verò à luce calorem, ſic à tenebris frigus oriri putant. Cæterùm iſti errant multipliciter primò quia neque calor eſt à luce per ſe, ut ſuo loco oſtendemus, neque frigus à tenebris, quæ nihil reale ſunt. Deinde experientia conſtat Terræ viſcera perpetuo calore turgere, à quo vapores & exhâlationes, Terræmotus, thermæ calidæ, flammarum vomitio, &c. cauſantur. In aqua verò nihil ſimile reperiri: imò aqua ipſius etiam Maris niſi vel à radiis ſolaribus vel à calidis exhalationibus è locis ſubterraneis aſcendentibus vel à motu temperaretur; eſſet perpetuò congelata ſummo ipſius Aquæ frigore cum ſumma ſiccitate terræ concurrentibus; nullumque datur in naturâ frigus, quod glaciei frigus adæquet. At Terra ſolius Aquæ interventu congelatur, nullumque eſt gelu vel glacies ſine humore aqueo. Denique ſi æſtate media in profundiores fodinas deſcendatur, fiatque tranſitus per terram Aqua madidam, longè acerbius ſentitur frigus, quam ſi per ſiccam: ideóque Aqua frigus intendit. Ex his igitur conſtat Aquam eſſe Terra frigidiorem. Ac proinde in ſublunaribus ignis eſt per ſe calidiſſimus, Aqua frigidiſſima, Aer humidiſſimus, & Terra ſicciſſima.

Quidam non Aquam ſed Aerem eſſe frigidiſſimum ex ſua Natura ſic probare conantur. Si Aqua eſſet ſummè frigida; ergo eſſet per ſe ſemper congelata, ſaltem in ea parte, quæ à Terrâ & Aere maximè diſtat, at non eſt per ſe congelata, ejuſque congelatio incipit à ſuperficie Aeri contiguâ; nec congelatur ab igne calido, nec à Terra, quod hæc ſupponatur minùs frigida quàm Aqua: ergo tantùm congelatur à contiguo Aere qui idcirco eſt Aquâ frigidior.

Sed reſpondeo congelationem non fieri à frigore humido quale eſt in Aqua, ſed tantum à frigore ſicco, quale eſt in Terra; ac Aerem facillimè infici externis qualitatibus. Itaque Terra ſuo frigore ſicco inficiens Aerem, & hic Aquam, hæc congelatur, ſiquidem Aqua jam per ſe eſt ſummè frigida, Terræ autem ſiccitas prævalet humiditati Aquæ, quia Terra major eſt Aquâ & ſiccitas activior humiditate.

Cæterùm quoniam ex ſupradictis conſtat Aquam eſſe frigidiſſimam ac inſuper humidam, non tamen humidiſſimam: ſimiliterque Terram eſſe ſicciſſimam ac inſuper frigidam, non tamen frigidiſſimam: inde patet in his Elementis dari combinationem qualitatum. Ideóque contrariam in contrariis Elementis igne & aere, ac proinde ignis aquæ contrarius erit ſummè calidus & remiſsè ſiccus, aer autem ſummè humidus, & remiſsè calidus. Atque ſunt hæ naturæ nobis cognitæ Elementorum. Unde conſtat calorem ſiccum eſſe igneum, humidum verò aereum: & ſimiliter frigus humidum eſſe aqueum; ſiccum verò terreum: aut contra, ſiccitatem calidam eſſe igneam, frigidam verò terream, & ſimiliter humiditatem frigidam eſſe aqueam, calidam verò aeream: cæteræ autem combinationes, calida frigiditas & humida ſiccitas, aut contra non dantur in Naturâ.

Ratio autem cur cuilibet Elemento duplicem dederit qualitatem naturæ author ſagaciſſimus eſt, quia ſi ſingulis unicam dediſſet, eamque in ſupremo gradu, nullam Elementa affinitatem inter ſe habuiſſent, proindeque fuiſſet unius cum altero difficilior unio atque mixtio; & conſequenter mixtorum generatio: quam cùm facillimam eſſe deceret, ideò ſymbola facta ſunt Elementa, ſeu inter ſe aliquâ qualitate convenientia. Quod verò cuilibet Elemento data ſit una qualitas in ſummo, altera in remiſſo; cauſa eſt, quia ſi utraque fuiſſet in ſummo, ſemper qualitates in ſupremo gradu contrariæ, nullo intermedio fuiſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ſent contiguæ, & per conſequens cuilibet Elemento vicini contrarietas intolerabilis, eorumque pugna quàm par eſſet acrior: ſapienter ergo factum eſt ut uni qualitati in ſummo contigua fieret deſcendendo ſimilis in remiſſo; in ſummo autem contrariæ aliquo intermedio Elemento contiguorum utrique ſymbolo disjungerentur: & eo pacto ignis calidiſſimo proximè deſcendendo ſuccedit Aer remiſsè calidus: & Aeri humidiſſimo Aqua remiſsè humida, tandemque Aquæ frigidiſſimæ Terra remiſsè frigida. Viciſſim igitur cuilibet qualitati in remiſſo contigua eſt aſcendendo ſimilis in ſummo; ut inde conjiciamus naturas inferiores ordinatas eſſe atque tendere ad perfectionem ſuperiorum, inter ignem verò & Aquam ſummè contraria intercedit Aer, Aquæ humiditate, ignis verò caliditate ſymbolus.

Caput IV.

De quatuor primarum qualitatum Elementalium proprietatibus & effectibus.

QUatuor primæ qualitates calor & frigus, humiditas & ſiccitas vulgò dicuntur contrariæ, quod ſub eodem genere maximè opponuntur, ſeque viciſſim ex eodem ſubjecto efficienter expellant. Cæterum dupliciter conſiderandæ ſunt, nempè ſecundùm naturam vel entitatem, & ſecundùm effectum. Priore modo calor eſt contrarius frigori, & humiditas ſiccitati, tum in gradu ſummo, tum in remiſſo: At poſteriore modo illæ dicuntur contrariæ, quæ ſunt invicem incompatibiles: ſicque ſpectantur iterum, dupliciter: Primò ut concurrunt ad mixtionem, quo pacto calor & frigus nec in ſummo, nec in remiſſo gradu ſunt incompatibiles, poſſunt enim ſimul calor & frigus in ſummo concurrere, ſeque mutuò temperare, ideóque multò magis ambæ qualitates remiſſæ, vel una intenſa & altera remiſſa. Secundò ut ſunt in mixto, ſicque qualitas quævis intenſa eſt cum ſibi oppoſita intenſa, vel remiſſa naturaliter incompatibilis in eodem ſubjecto; tum quia ſubjectum eſt tantum capax 8. graduum contrarietatis, tum quia qualitates in gradu ſupremo ſunt tantùm propriæ corporibus ſimplicibus; atque dum in mixtis introducuntur, ipſa diſſolvunt aut corrumpunt; ſaltem ſi mixta ipſa fuerint diſſolubilia aut corruptibilia, qualia ſunt cuncta vegetabilia, & animalia, tum mineralia auro excepto, etiamque vitro, in quibus calor etiam ſummus violenter introducitur, ſive metu corruptionis aut diſſipationis, ob eorum naturam fixiſſimam & partium unionem indiſſolubilem.

Porrò qualitates hæ ex **Chymiatris** omnibus vitali poteſtate agendi deſtituuntur, nec alii effectus ipſis competunt quam ſimplices calefactiones, refrigerationes, ſolutiones, coagulationes, rarefactiones, denſationes, &c. ideóque turpiter errant Galenus ejuſque ſectatores qui qualitatibus ipſis omnes animalis vitales actiones, tum omnium morborum cauſas & curationes adſcribere non erubeſcunt: quandoquidem hoc poſito ſequeretur ex duabus tantùm herbis alterâ in gradu 4. calidâ, & alterâ in 4. frigida omnes morbos calidos & frigidos curari poſſe, ſi ſecundùm morbi gradum herbæ ipſæ miſcerentur, quod abſurdum eſt; ipſique in dies magno ægrorum damno experiuntur, qualitates ipſas utcumque mixtas, ſuis intentis, & ægrorum curationibus minimè ſatisfacere, niſi forſan in quibuſdam ſimplicibus ægrorum alterationibus.

Itaque ſunt ipſæ qualitates duntaxat prima & univerſalia Naturæ inſtrumenta, quibus illa in toto ſuo regno utitur ad alteranda corpora, vel corporum principia initio generationum; ſuntque calor & frigus longè majoris activitatis, quàm humiditas & ſiccitas, unde comparativè dicuntur hæ paſſivæ, illæ autem activæ.

Caloris igitur Elementalis proprietates ſunt calefacere, rarefacere, attenuare, reſolvere, liquare, urere, coquere, homogenea congregare, & per accidens heterogenea diſgregare. Calor autem calefacit per ſe, non quidem producens in ſubjecto, vel educens de ejus potentia calorem ſibi ſimilem, ſed ſe effundens in ipſum ſubjectum: præterea rarefacit & reſolvit quidquid humido aqueo aut viſcido conſtat, Terræ non perfectè commixto: ſolaque auri vel vitri humiditas illi reſiſtit ob perfectam cum terrea portione mixtionem.

At frigus per ſe frigefacit omne corpus, ac præterea denſat vel congelat humidum calore rarefactum, reſolutum, aut liquatum: ideóque quod calor reſolvit, aut liquat, hoc frigus congelat aut condenſat, juxta illud Paracelſi, *quæ calore ſolvuntur, frigore concreſcunt, & contra*: congelat autem præcipuè humidum aqueum; at ſpirituoſum, aereum vel igneum non ita congelat: ſed tantummodo denſat, & ad congretionem cogit: ideoque expoſito vaſe vini pleno, frigori Hyemali, ſola humiditas aquea congelatur; ſpiritus autem vini præſertim generoſi aquæ debiliter commixtus, & frigus inimicum fugiens, ſe congregat in centro vaſis, nec congelatur, quod ex ſe congelari nequeat, ſicque frigus etiam homogenea congregat, & heterogenea diſgregat, ut calor, contra Ariſtotelis ſenſum. Attamen ſi ſpiritus ille pauciſſima quantitate fuerit Aquæ permixtus, citóque intercipiatur à frigore, congelabitur per accidens, ut in ipſa etiam aqua communi accidit, quæ non caret ſpiritu, ſed habet exigua ſaltem quantitate, qui ſubitò interceptus à frigore congelatur cum aqua, priuſquam ſe cōcentrare & ſegregare queat: eſt tamen certum quod ſi aqua congelata, deindeque liquata & optimè clauſa ſervetur in annum ſequentem, rurſuſque congeletur poſt annuam fermentationem, hac ſecunda congelatione, ſpiritus aquæ (qui per æſtatem multus evaporat in aerem infimum, ſegregabitur & concentrabitur abſque congelatione; annis autem ſequentibus, ſi idem proceſſus repetatur, creſcet ipſe ſpiritus quantitate & virtute, quæ aurum etiam ſolvat, quod eſt arcanum eximium. Patet autem etiam ex oleis diſtillatis, & aquis fortibus, frigus non poſſe congelare humidum aereum vel igneum, præſertim diſtillatione defecatum & rectificatum.

Jam verò humiditas per ſe humectat atque emollit, nec non ſolvit omnia ſalia, nullaque fit ſalis ſolutio ſine humiditate, atque idcirco humidum Elementum vocatur Naturæ menſtruum. Ratio autem quod ſal ab humido diſſolvatur, eſt quia ſal ipſum conſtat duplici materia, ſcilicet volatili, quæ ſal Armoniacum appellatur, quod ex humido ſumpſit originem, ideóque in illud facilè abit ob Naturæ ſimilitudinem: tum ſale fixo nullius ſaporis, qui abit in vitrum, nec in aqua diſſolvitur, quod ſit Naturæ terreæ, & penitùs ſiccæ, nulliuſque ſaporis.

Ex

Ex his verò conſtat in quovis mixto eſſe duplex humidum, nempe Elementale, quod eſt vel aqueum vel aereum, quæ ambo igni cedunt, & in vaporem abeunt: eoque reſolûto corpus in cineres abit, ſiquidem illo ut glutine Elementa in mixtione devinciebantur: tum radicale quod ignis tyrannidem ſpernit, & in cineribus ſuperſtes remanet immortalis: quod ex eo probatur, quia ex cineribus diſcontinuis fit vitrum continuum, ergo cineres ad hoc fluere neceſſe eſt: at nulla fluxio ſine humore.

Porrò humor eſt commune caloris & frigoris ſubjectum, circa quod præcipuè occupantur in generatione & corruptione corporum, quodque à calore coquitur vel reſolvitur, ſi fuerit reſolubile, à frigore autem denſatur & congelatur ſi congelabile ſit. Soletque frigus vitales rerum humores principaliter invadere hoſtiliter, unde viventium ſenectus tandemque mors: ex quo fit, ut frigus pro viventium omnium maximo inimico habeatur.

Denique ſiccitas exſiccat, coagulat, induratque ſoluta & humida, idque vel cum calore coquendo, aut evaporando; vel cum frigore congelando. Unde infertur quod cum humidum aqueum in mediâ Aeris regione congeletur, indeque fiant nix atque grando, neceſſe eſt frigus Terræ ſiccum, ibidem à Terrâ effuſum maximè vigere, ut ſuo loco fuſius exponetur.

Cæterùm hic notandum eſt, quod liquida abeunt in vaporem à ſolo calore, ut vaporoſa in liquorem à ſolo frigore. Dura autem vertuntur in naturam liquidam, vel à calore liquante, vel ab humido diſſolvente, ut patet utrumque in Metallis. At liquida & mollia exſiccantur & indureſcunt vel à frigore congelante, vel à calore humidum coquente aut reſolvente: ac in ſummâ ſi attentè ſpectetur quatuor primarum qualitatum operatio, deprehendetur illam verſari duntaxat circà corporum ſolutionem & ſpirituum coagulationem: etenim liquatio eſt etiam quædam corporis ſolutio. Atque de ipſarum qualitatum effectibus hæc pauca hîc in genere ſufficiant; maximo enim phyſicæ damno iſta qualitatum doctrina, quibus opus eſſet experientiis & obſervationibus in universâ naturâ, huc uſque plurimùm remanſit inculta apud Galenicos, qui nilhominùs vix ullas alias in naturâ vires agnovêre præter calorem, frigus, humiditatem & ſiccitatem, atque diverſos mixtionis modos ſive combinationis gradus earumdem.

CAPUT V.

Terra & Aqua unicum globum conſtituunt.

TErræ ſuperficiem extimam eſſe planam, tum Aquæ ſimiliter, non modò credit ignarum vulgus, ob vaſtam planitiem viſui apparentem in terrâ atque mari; ſed Philoſophi etiam aliqui arbitrati ſunt, ut Anaxagoras & Democritus. Alii Terram ex parte nobis oppoſitâ infinitè protendi, & quaſi columnâ ſuſtineri, nec in Aere ſuſpendi putaverunt. Alii utriuſque Elementi ſuperficiem rotundam quidem, & in Aeris medio pendulam fecerunt, ſed unum Elementum altero altius; Alii ambo Elementa conſtituêre geminos globos ſibi cohærentes, ut gemella ceraſa ex eodem pediculo pendentia. Exploſis his aliiſque ſimilibus deliramentis & erroribus (in quos etiam ex ſanctis Patribus nonnulli inciderunt defectu doctrinæ Mathematicæ) ex utroque Elemento unicum fieri globum ſic probamus. Quæ unicâ ſuperficie ſphæricâ continentur unicum globum conſtituunt, at Terra & Aqua ſunt ejuſmodi: nam conſtat experientia vel obſervatione quod progredienti à Septentrione recta in Auſtrum, nullatenus deviando ad ortum aut occaſum ſive Terra ſive Mari, ſive utroq; Elemento iter inſtituatur; ſemper æqualibus ſpatiis itineris, æqualiter decreſcit altitudo Poli Septentrionalis, quippe ſingulis quindecim milliaribus Germanicis decreſcit uno gradu: continuóq; ſub Terram vel Aquam occultantur quædam Cœli partes prius viſæ ex parte Boreæ, aliæ verò prius non viſæ ex parte Auſtri, videntur quaſi è Terra vel Aqua emergere: idque proportionaliter ad ſpatia itineris; progrediens autem ab occaſu recta ad ortum ſine ulla deviatione ad Boream vel Auſtrum ſingulis æqualibus ſpatiis itineris, videbit ſtellas fixas ortum ſuum anticipare æqualibus temporibus, quippè ſingulis milliaribus quindecim Germanicis ſub Æquatore ſtellæ fixæ ortum ſuum anticipant 4. minutis horæ, & in aliis locis proportionaliter ad latitudinem loci; quæ nulla ratione fieri poſſent niſi Terra & Aqua unicum globum conſtituerent à Borea ad Auſtrum & ab occaſu ad ortum, aut contra; idq; undequaque quandoquidem eadẽ obſervantur ubiq; locorum Terræ vel Aquæ.

Eadem Terræ & Aquæ rotunditas probatur evidentiſſimè in Eccliplibus Lunæ duplici ratione. Primò, quia Lunæ facies perpetuò ſecatur circulariter ab umbra globi inferioris Terræ & Aquæ, dum Luna ipſam umbram ingreditur: Ergo globus ipſe cujus eſt illa umbra rotundus eſt; qualis enim eſt figura corporis, talis eſt figura umbræ quam projicit, ut docetur in Opticâ. Secundò, quia Eclipſis Lunaris initium, videtur eodem momento temporis à quibuſcumque nationibus ipſa Luna videri poteſt; at eo momento Orientales populi plures numerant horas quàm Occidentales ſub eodem parallelo circulo degentes, idq; proportionaliter ad ipſorum populorum diſtantiam, quod fieri non poſſet, niſi Terræ & Aquæ eſſet idem globus, ut ſupra oſtenſum eſt de Solis & Stellarum ortu.

Denique Navis ex Oceano redeuntis ad portum primò conſpicitur mali ſumma pars, deinde media, tandemque poſt tempus navis ipſa, quæ primò viſa fuiſſet, niſi tunc inter ipſam & oculum tumor Aquæ rotundus fuiſſet interjectus: homines autem ex alto redeuntes Oceano, ubi nihil videtur niſi Pontus & Aether, Terramque appropinquantes primò vident montium cacumina, tum urbium campanilia, tum ſucceſſu temporis urbes ipſas quaſi ſucceſſivè ex Aquâ emergentes; eademque experiuntur per Terram ipſam itinerantes: quod tam ordinatè non fieret, niſi Terra & Aqua unicum globum efficerent, & earum ſuperficies continuaretur. Adde quod Archimedes lib. 1. de his quæ vehuntur in Aquâ demonſtravit non ſolùm Oceanum & alia maria, verùm etiam quemlibet humorem quieſcentem habere figuram ſphæricam cujus ſit idem centrum cum Mundi centro.

Dicet autem aliquis abſurdum videri Terram aſſerere ſphæricam cùm viſui pateat illam pluribus in locis, montibus altiſſimis tumere, & vallibus profundiſſimis deprimi. Cui reſpondemus montes illos atque valles certò convincere ſaltem ſuperficiem


Terræ non eſſe exactè ſive Mathematicè ſphæricam, at totius globi reſpectu ita ſunt inſenſibiles, ut ei aliam figuram, quàm ſphæricam conferre nequeant: eſt igitur Terra ſaltem phyſicè ſphærica, & veluti quidam globus ligneus pluribus in locis excavatus, cujus cavitates replentur mari, lacubus, ſtagnis, fluviis, & aliis aquis, ita ut ex Terra & Aquis una conſurgat ſphærica ſuperficies eo modo quo ſupradictum eſt, proindeque unicus globus quem à Terræ prædominio terreſtrem impoſterum appellabimus. Sic enim Luna dicitur ſphærica etſi plures eminentiæ & cavitates in illa tubu optico deprehendantur.

Caput VI.

Globi terreſtris unicum eſt centrum tam magnitudinis, quàm gravitatis.

IN omni corpore gravi duo centra quæri poſſunt; alterum magnitudinis, alterum gravitatis: centrum autem magnitudinis cujuſq; corporis eſt punctum intra ipſum corpus ab omnibus ejus extremitatibus æqualiter diſtans; quale eſt centrum ſolius ſphæræ. Centrum verò gravitatis eſt punctum à quo ſi corpus quomodocumque ſuſpendatur, quieſcit: quoniam autem globus Terreſtris componitur ex duobus Elementis gravitate differentibus, Terra enim eſt gravis ſimpliciter, Aqua tantùm ſecundum quid ex cap. 2. arbitrantur nonnulli quod in ipſo globo non ſit idem centrum magnitudinis & gravitatis: ſed magnitudinis centrum eſſe in medio globi, à quo omnes lineæ ad ſuperficiem ductæ ſint æquales, centrum verò gravitatis eſſe extrà medium globi, & in eâ ipſius parte, ubi plus Terræ, ideóque gravitatis reperitur. Hic autem demonſtramus eſſe idem centrum magnitudinis & gravitatis.

Omnia gravia, ſive ſint Terra, Aqua vel aliud ex alto in globi Terreſtris ſuperficiem liberè demiſſa ſive filo pendentia incidunt in ipſum globum ad angulos æquales ſive rectos, ut ſenſu patet perpendiculis, quibus utuntur Architecti in ædificiis perpendiculariter extruendis: hoc eſt ſi ducatur linea tangens globum in puncto, in quod incidit ipſum grave, filum perpendiculi incidet in ipſam lineam ad angulos æquales, ſive rectos: ergo omnia gravia directè tendunt in ipſius globi centrum magnitudinis, in ipſoque filo continuato eſt diameter globi. Alioquin à puncto A in ſublimi Aere ſumpto pendeat perpendiculum A G incidens in globum Terræ BCD, non tamen tendat in ejus centrum magnitudinis E, & ducatur linea H I tangens globum in B puncto, in quod perpenduculum incidit; eruntque anguli ABI & ABH æquales inter ſe ſive recti ex hypotheſi; quare Angulus HBG erit etiam rectus prop. 15. Element: à centro autem E ducatur ad punctum contactus B, recta EB, fietque angulus EBH rectus etiam, prop. 16. 3. Elem. ideóque æqualis angulo HBG, totum, ſcilicet, parti, quod eſt abſurdum. Non ergo perpendiculum in globum Terreſtrem incidens tendit extrà centrum magnitudinis globi, ſed in ipſum, ut perpendiculum AF, in quo continuato eſt globi diameter.



Quoniam igitur omnia gravia undecumque demittantur in globi terreſtris ſuperficiem, ſimili prorſus ratione tendunt in ejus centrum magnitudinis, non erit certè centrum gravitatis ipſius globi terreſtris (in quod per ſe tendunt omnia gravia) aliud à centro magnitudinis ejuſdē: alioquin quoniam omnia gravia quatenus talia ſunt, tendunt in centrum gravitatis, ſi centrum gravitatis non eſſet idē cum centro magnitudinis, poſſet grave ſive perpendiculum tendere in centrum gravitatis, non tendendo in centrum magnitudinis, quod fieri non poſſe ſuprà demonſtravimus: ergo globi terreſtris idem eſt centrum gravitatis & magnitudinis, quod erat demonſtrandum.

Hinc veró mira elucet Dei omnipotentia atque ſapientia in librando ipſo globo ex duobus Elementis gravitate differentibus compoſito: quodque ſi Terra in orbem aliquo impulſu agitaretur, non rediret ad priſtinum ſitum (quod volunt adverſarii) ſed peracto motu proportionato impulſui, illicò quieſceret, ut patet in globo artificiali ſuper ſuo axe ſimiliter in æquilibrio conſtituto, atque in gyrum agitato.

Caput VII.

Terræ craſſities tres in regiones dividitur, & quæ ſit diviſionis cauſa, exponitur.

COmmuniter recepta eſt apud Peripateticos Aeris diviſio ſecundum craſſitidinem in tres regiones; ſupremam, ſcilicet, perpetuò calidam, mediam in qua generantur nubes & pluviæ, perpetuò frigidam, & infimam ſeu telluri proximam, æſtate calidam, hyeme frigidam, vere & autumno temperatam: at craſſitudinis Terræ diviſio à nullo ante me fuit deprehenſa, eamque primus obſervavi in profundiſſimis Hungariæ fodinis anno Domini 1615. ut videre eſt in novâ noſtrâ Mundi ſublunaris anatomiâ. Quoniam verò diviſio hæc non modò certiſſima eſt, ſed etiam à viris doctiſſimis approbatur, & verſamur in Anatomiâ ſive ſectione Mundanæ machinæ in ſuas partes: idcircò eam ſummatim hîc exponere, non erit ab inſtituto alienum nec inutile; cum præſertim diviſio hæc egregium lumen afferat univerſæ regioni Elementari, ut fuſiùs dicetur infrà cùm de Aere.

Ut ergò Aer naturaliter dividitur tres in regiones ſupradictas; ſic Terræ craſſities tres in regiones etiam temperie differentes dividitur, ſcilicet in ſupremam, quæ Aeri contigua eſt, in mediam atque infimam, prædictis regionibus Aeris correſpondentes; ſed ordine penitùs contrario;

ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ut ſunt ambo hæc Elementa contraria. Suprema enim Terræ regio correſpondet infimæ Aeris, & in eo conveniunt, quod utraque ſit modò frigida, modò calida, modò temperata; in eo autem differunt, quod dum Aerea regio calet ut æſtate, terrea friget; dumque Aerea, ut Hyeme friget, terrea calet; Vere autem & Autumno ambæ contemperantur; neque hæc alia probatione indigent, quàm experientiâ ſolâ quæ de Aere omnibus nota eſt; de Terrâ verò ſi quis æſtate deſcenderit verſus Terræ centrum, ſupremam Terræ regionem primò occurrentem ſentiet frigidiſſimam; ſique Hyeme eò redeat, eandem regionem tunc non ampliùs frigidam ſed calidam ſeu tepidam inveniet; Autumno autem & Vere temperatam, idemque teſtantur Aquæ omnes puteales, maximè verò profundiores.

Hujus verò regionis craſſities exiſtit admodum parva, totius globi reſpectu; vix enim quibuſdam in locis ad 80. hexapodes profunditatis pertingit, in multis circiter ad centum ſe ſe extendit, in pauciſſimis ad 150. hexapodes, ſive 380. paſſus geometricos, idque pro locorum diverſitate: in locis enim montuoſis minor eſt craſſities, in planis verò major, præſertim ſi Terra ſit pinguis & argilloſa.

Ab ipſà verò regione profundiùs deſcendendo versùs Terræ centrum, fit ingreſſus in mediam, correſpondentem mediæ Aeris regioni: in eo ambæ convenientes, quod utraque eandem perpetuò ſervet temperaturam; in hoc autem differentes, quod Aeris media regio ſemper frigeat, ut patet ex nubium, aquæ & grandinis eò loci generatione, quovis anni tempore, quæ à ſolo frigore eſſe poteſt; media verò Terræ perpetuò caleat, inſtar hypocauſti, unde fit ut operarii metallici ferè omnes nudi in ipsâ laborent.

Hujus autem regionis craſſities ignoratur adhuc, eam enim nemo vivus adhuc pertranſiit niſi Core, Datan & Abiron, de quibus dicitur in Scripturâ quod deſcenderint in infernum viventes: quantumvis enim profundè à Metallicis Terra huc uſque effoſa fuerit, & quidem Cottebergi in Bohemiâ ad 500. orgyas ſive hexapodes; ut refert Georgius Agricola in ſuo Bermanno, tamen in loco ſemper calido extiterunt, nec ultrà frigus reperierunt, ut à pluribus artis illius peritis ſenibus in ipſis didici cavernis. Cùm autem in profundioribus fodinis in hàc regione ſitis non tantùm metalla, ſed rupes duriſſimæ, denſiſſimæque conſpiciantur, certum eſt regionem hanc admodùm profundè ſe extendere. Ac proinde probantur quidem ſenſu, & experientiâ duæ jam dictæ regiones, quia cuivis homini licet ad illas deſcendere: non autem tertia.

Hanc tamen dari aſſerimus correſpondentem ſupremæ Aeris regioni; ac in eo ambæ conveniunt; quod utraque eandem perpetuò ſervet temperaturam; in eo autem differunt, quod Aeris ſuprema regio ſemper caleat; ibique Elementum Aeris vigeat in ſuâ puritate, infima verò Terræ perpetuò frigeat, ibique etiam regnet Elementum Terræ in ſuâ puritate: dari autem probatur triplici præſertim ratione. Prima eſt accurata Terræ & Aeris correſpondentia contrarietatis in duabus regionibus, utriuſque Elementi, ut ſuprà patuit. quam idcircò perfici & compleri in tertia utriuſque Elementi regione maximè conſentaneum eſt. Secundò quia alioquin nulla daretur pura Terræ natura, quod ideò falſum eſt, quoniam aut nullibi datur purum Elementum aliquod, aut datur Terra pura circa ejus centrum; reliqua enim Elementa quia ſunt tenuiora, rarioraque quam ſit ipſa tellus, minùs etiam reſiſtunt peregrinis agentium externorum qualitatibus, eaſque faciliùs admittunt: At Terra propter ſuam denſitatem & profunditatem maximè reſiſtit etiam radiis ſolaribus, quos patet in ejus ſuperficie fortiter repercuti ſurſum ad Aerem: non ergò veriſimile eſt Solis vel alterius agentis ullam qualitatem ſenſibilem pertingere uſque ad Terræ centrum: & proinde datur Terra pura, hoc eſt, perpetuò frigida & ſicca circa centrum; quæ fuit etiam Ariſtotelis ſententia lib. 2. de gener. textu 22. & per conſequens datur hæc tertia regio. Tertia denique ratio eſt, quia niſi daretur hæc infima regio, neque etiam daretur ſecunda, ut probabimus ex cauſis diviſionis Terræ; at datur ſecunda, experientiâ teſte: ergo etiam tertia.

Cauſæ igitur illius diviſionis à nobis etiam detectæ ſunt iſtæ. Aer & Ignis duo Elementa calida, ambiunt Terræ & Aquæ globum frigidum: ſunt autem calor & frigus qualitates in diſtans activæ, ideóque Elementa hæc contraria initio creationis juri ſuo relicta, agere cœperunt in ſe mutuo. At cùm ignis & Aer ob ſuam raritatem debiliores ad agendum & reſiſtendum eſſent, globus autem terreus ob ſuam denſitatem tam ad agendum quàm reſiſtendum multò fortior: hic ſanè ſuo frigore ſuperiorum Elementorum invaſit regionem, eorumque calorem longè fugavit ſurſùm, ut dicemus infrà cùm de Aere: Sol verò cujus validum calorem cœleſtem ita fugare nequit, cùm æſtatis initio, Terræ ſuperficiem radiis rectioribus ferire incipit, tunc ipſius Terræ frigus foras erupturum à fortiori calore Solis initio repercutitur; & quo Sol ardentiùs extrà calefacit, eò fortiùs Terræ frigus repercutitur, ſenſimque retrocedit versùs Terræ profundum: qualitates enim activæ in diſtans perpetuò tendunt à centro in circumferentiam, ſive ambitum, ex Optica; niſi in viâ repercuſſionem patiantur: Tunc enim versùs Centrum reflectuntur; inde verò frigus copioſum cumulatur in ipsâ ſupremâ regione, quæ idcircò æſtate hac de causâ ſentitur frigidiſſima.

Dum verò Sol deſcendit ad partem Mundi Auſtralem, & radiis tantùm obliquis calefaciens, vis ejus langueſcere incipit, ut Autumno; tunc Terræ frigus denuò erumpit in Aerem, & in ipſum expanditur, eo liberiùs, quò vis Solis deſcendentis minor efficitur: ipſum verò frigus exiens ſequuntur vapor & exhalatio per æſtatem retentæ ſub prima regione Terræ, & in Aerem ſimiliter aſcendunt; ſuo autem tranſitu per ſupremam Terræ regionem eandem ſuo calore temperant, ſicque ſit ipſa Auctumno temperata.

At quando Sole à noſtro hæmiſphærio plurimùm remoto, globus terreſtris & Aqua frigida infimam Aeris regionem impenſiùs refrigerarunt, ut Hyeme; tunc tanto frigore Terræ cute conſtricta conſtipataque, vapor & exhalatio denuò incarcerantur, iiſque in Aërem liber denegatur egreſſus: copiore itaque in Terræ ſupremâ regione aſſervantur, quam propterea Hyeme calefaciunt, & plantas præſertim verò arbores fœcundant.

Sole autem ad verticem noſtrum redeunte, & Aeris infimi frigus paulatim expellente Veris tempore, cruſtæ Terræ denuò reſerantur pori: tuncque vapor & exhalatio liberè exeunt, ac Terræ ſuprema regio calida, frigiduſque Aer infimus, verè ut ſuprà Autumno temperatur.

Hiſce igitur de cauſis ſuprema Terræ regio modo calida eſt, modò frigida, modóque temperata; indeque conſtat quod quæcumque cauſa Aerem infimum per ſe refrigerat, eadem Terræ ſupremam regionem per accidens calefacit: tanta fuit in Mundo condendo primæ Naturæ, ſive Dei Omnipotentis ſagacitas.

Cauſa verò perpetui caloris mediæ regionis longè difficilioris altioriſque fuit contemplationis, quæ tamen in rei veritate talis eſt. Terræ ſupremæ mediaque regio poroſæ ſunt: Alioquin vapor & exhalatio nunquam deorſum tranſcolarentur, quæ tamen fieri conſpicimus: Ergò duæ ipſæ regiones ab Aſtrorum, ſed præſertim Solis radiis calidis penetrantur: radiis enim Solaribus æquè naturale eſt verſus Terræ centrum deſcendere, atque exhalationi in Aerem aſcendere. Ut enim Terra eſt centrum ſuarum exhalationum, quas undequaque in Aerem mittit: ita Sol eſt centrum ſuorum radiorum, quos etiam undequaque projicit, & per conſequens verſus Terræ noſtræ centrum: ſi igitur exhalatio & vapor cum ſuâ craſsâ corporeitate, imò quæ tranſcolantur aquæ pluviales longè craſſiores, ſupremam mediamque regionem Terræ poroſam permeant, quidni radii Solares longè ſubtiliores majoriſque activitatis eaſdem penetrabunt, cum tam ipſos radios quam noſtri etiam Ignis vulgaris calorem muros penetrare ſentiamus: Ergò Solares radii corpus Telluris penetrant. At minimè id faciunt ſecundùm totam ſuam entitatem, manifeſtum ſiquidem eſt eos non exiguâ ex parte repercuti à Telluris ſuperficie ſurſum in infimam Aeris regionem, quæ inde fervet æſtate, idque propter ipſius telluris frigiditatem atque denſitatem. Ut ergò vis ineſt Soli ad agendum in Terram, ita vis ineſt terræ reſiſtendi Soli; alioqui Sol totam in inſtanti Terram calefaceret contrà experientiam: Eſt igitur mutua inter utrumque pugna; non tamen viribus paribus certant in ſuperficie Terræ; alioquin Solares radii calorifici terram nullatenùs penetrarent; ſed ex toto cohiberentur in ipsâ ſuperficie, at non totaliter eos repercuti inde patet, quia alioquin ardor Solis Æſtivi eſſet intolerabilis in infimâ aëris regione. Pergunt ergo Solis radii versùs Terræ centrum, continuóque à Telluris frigore atque denſitate debilitantur, donec tandem ſuæ vi activæ æqualem reſiſtentiam reperiant, cum quâ viribus paribus certent, & à quâ ne ulteriùs ſe diffundant, cohibeantur, ſed ex toto repercutiantur. Datur ergo neceſſariò Terræ regio nullum calorem admittens, perpetuóque frigida, quam ſupra diximus eſſe infimam: & locus in quo radii Solis ultimò atque ex toto repercuſſi ſparguntur, eſt ſecunda ſive media Telluris regio quam ipſi radii conſtituunt atque diſtinguunt, & in quâ nihil mirum eſt, ſi calor continuò vigeat, cùm ea radiorum Cœleſtium non tantum Solis ſed etiam aliorum majorum aſtrorum calidorum, præſertim verò Planetarum repercuſſio continua ſit, & radii ipſi calidi ſuam agendi vim ultimam in hac regione ad actum reducant, in ipsâ generando vaporem & exhalationem, atque ex his duobus principiis proximis, omnis deinde generis metalla & mineralia, quæ ſolo calore eoque Cæleſti coquuntur.

Hæc tandem evidentiſſimè probantur hac alterâ ratione: niſi Solares radii intra Tellurem repercuterentur, fieret ut vel à Terræ ſuperficie ad centrum uſque calor æqualis ſentiretur, vel intenſior propè ſuperficiem: tum procedendo centrum versùs debilior, vel denique minor prope ſuperficiem, procedendo verò deorſum intenſior; ſed horum trium quodlibet falſum eſſe experientiâ probatur. Primum quidem quia deſcendenti versùs Terræ centrum, primò fit ingreſſus in regionem æſtate frigidiſſimam, indeq; in valde ſenſibiliter calidam. Secundum quia ſecunda regio eſt perpetuo calidior, quam prima, quæ æſtate etiam maximè friget. Tertium quia æſtate quò profundiùs deſcendetur in primam regionem, eò magis ſentitur frigus donec ad ſecundam regionem perveniatur, ut in pluribus fodinis obſervavi: quò autem profundiùs deſcenditur in ſecundam regionem, non eò major calor percipitur, ut didici à peritis metallicis, quos hac de re percunctatus ſum; quorum certè effectuum nulla ratio Phyſica reddi poteſt, ſaltem valida, niſi quia Solis radii intra Terram alicubi repercutiuntur, horumque reflexio ad concavum ſupremæ regionis, & non ultra pertingit, ut de radiis Solis reflexis in infimam Aeris regionem dicemus, cùm diviſionis Aeris non minùs novam ſed tamen veriſſimam quoque cauſam infra aperiemus.

Quæ autem hîc dicta ſunt de Terra, iiſdem rationibus dici queunt de Aquâ; in cujus extimâ ſuperficie ſolis radii calorifici ſimiliter repercutiuntur; unde maximus etiam ſuper Aquis ſentitur calor æſtate: ideóque diviſionem illam per totum globum Terræ extendi aſſerimus.

Contra hanc verò doctrinam celeberrimus D. Libertus Fromondus in collegio Dalconis Lovanii olìm Philoſophiæ Profeſſoris primarii ſcripſit, dicens incredibile apparere, quod radius Solis penetret ad 300. aut 400. orgias Terræ, cum penetrare nequeat in cellas & penuaria noſtra, què uno aut altero palmo Terræ ab Aere ſubdiali ſeparantur, ut probant cellarum benè clauſarum tenebræ.

Sed multùm hallucinatur, neſciens quod à Sole prodit radius compoſitus ex tribus radiis ſimplicibus, quippe lucis, caloris & influentiæ, quæ ſunt tres qualitates realiter diſtinctæ, quas tamen confundit, & quæ hîc dixi de radio calorifico Solis, fingit me dixiſſe de radio lucis.

Paginâ autem 50. ſui libri de meteoris ex Agricolis fateri coactus eſt, vim Soli calorificam penetrare ad decem pedes intra terram, idque concedit fieri non poſſe à radio lucis: ſed ſubſequenter ait, quod ſi Soli virtus alia calorifica præter lumen affingatur, quæ in viſcera Terræ penetret; profectò talis influentia cœleſtis (debuit dicere calor Solis) non reflectetur ſurſum ſed rectà perget uſq; ad ultimum terminum ſphœræ ſuæ activitatis: ſi autem non reflectatur, non fiet media Terræ regio ſemper calida à reflexione caloris Solis.

Sed

Sed poſtquam ab Agricolis coactus eſt diſtinguere radium lucis à radio caloris, jam ipſo ſenſu & ſuprapoſitis rationibus ſcire debebat quod radius lucis equidē totaliter cohibetur in ſuperficie Terræ ab hujus opacitate; at radius caloris quamvis aliquantùm reflectatur in Aeris infimam regionem à denſo frigidoque Terræ corpore: non tamen ex toto reflectitur, ſed Terram eò uſque penetrat quouſque Terræ frigus cum illo viribus paribus certare valeat; tunc enim ipſe calor Solis ex toto reflectitur, reflexuſq; mediam Terræ regionem efficit perpetuò calidam, ut à ſimili dicemus infrà cap. 10. globi terreſtris frigus repercuſſum efficere mediam Aeris regionem perpetuò frigidam; Influentia autem totum Terræ corpus penetrat ut oſtendetur lib. 12. Aſtrol. Gaſſ.

Aliæ caloris ſubterranei perpetui cauſæ afferuntur ab Hippocrate lib. de naturâ pueri à textu 26. ad 32. & ab aliis quas in anatomia noſtra retellimus, & graviores in hanc noſtram ſententiam objectiones dilucidè ſolvimus, quas hic brevitatis causá omittimus.

Caput VIII.

Quanta ſit globi terreſtris peripheria, diameter, ſuperficies, atque ſoliditas.

Globi terreſtris peripheria diverſimodè inquiritur, ut à nobis oſtenſum eſt in doctrinâ ſphæricâ. At ſequens methodus mihi videtur omnium accuratiſſima; expenſis generoſi cujuſdam Principis ad praxim reducenda.

Sint in ſuperficie Terræ ſub eodem exactè Meridiano duo loca A & B. ab invicem diſtantia 8. vel 10. milliaribus Germanicis ex conjecturâ. Atque inter ipſa loca nullus ſit mons, vallis, ſylva, aliudve, quod impedire queat, dimenſionem lineæ A B. (quæ eſt pars circonferentiæ Terræ) operâ perticæ, funis, vel cathenæ ferreæ. Sumatur in A poli altitudo accuratiſſima; indeq; proficiſcendo verſùs Meridiem B. menſuretur juſtiſſimè lineâ A B. atque ſumatur etiam in B. exactiſſima Poli altitudo, ope quadrantis 3. aut 4. pedum, inſtructi artificio ad ſecunda quoque minuta menſuranda, ſitque reperta diſtantia A B 9. milliariorum Germanicorum, ſive 36000. paſſuum geometricorum; & differentia altitudinum poli inventa ſit 36. minutorum. Dicaturque per regulam auream, ſi 36. minuta circumferentiæ Cœli vel Terræ valent 9. milliaria: quot valebunt 360. gradus, quos tota complectitur peripheria? Invenientur 5400. milliaria Germanica pro totius Terræ ambitu.

Quæ ſi ex Archimede lib. de dimenſione circuli, dividantur per $3\frac{1}{7}$ prodibunt $1718\frac{2}{11}$ milliaria Germanica pro ipſius Terræ diametro, quorum dimidium $859\frac{1}{11}$ milliaria, erit ſemidiameter. Conſequenter multiplicetur hæc ſemidiameter per dimidium peripheriæ 2700. fientque $2319545\frac{5}{11}$ milliaria quadrata, pro area circuli æqualis ipſi peripheriæ ex Archimede ſuprà citato. Deinde ſuperficies hæc multiplicetur per 4. & prodibunt $9277181\frac{9}{11}$ milliaria quadrata pro totius globi terreſtris ſuperficie ſphœrica: ex eodem Archimede lib. de ſphœrá & cylindro prop. 31.

Denique tertia pars hujus ſuperficiei multiplicetur per ſuperiorem ſemidiametrum, & conſurget totius terreſtris globi ſoliditas, quæ invenietur eſſe $139157727\frac{88}{121}$ milliariorum cubicorum, ſimilique ratione menſuratur quivis alius globus.

Notandum verò quod P. Gaſſendus lib. 2. inſtitutionis Aſtronomicæ cap. 13. cenſet, uni gradui in maximo Terræ circulo correſpondere proximè 73. milliaria Italica, quorum quodlibet eſt 1000. paſſuum, & paſſus 5. pedum geometricorum, pedem verò eſſe minorem Pariſino ſive Regio decimâ fere parte, & ait ſibi conſtare quod Terræ ſemidiameter ſit 4177. milliariorum Italicorum: quo pacto milliare Germanicum ferè valeret $4\frac{1}{2}$ milliaria Italica.

Caput IX.

Globus terreſtris eſt immobilis in medio, ſive centro Mundi.

Celeberrima ſi qua ſit hoc ſæculo inter primæ notæ Philoſophos, Aſtronomos, atque Theologos controverſia de Tellure proponitur diſcutienda, eaque biceps. An ſcilicet Tellus ſit in Mundi centro, vel extra: tum an ipſa motu aliquo moveatur: hoc enim eſt primum Aſtronomiæ principum, juxtà cujus ſuppoſitionem univerſus, Aſtronomiæ apparatus extruendus eſt. Ariſtoteles enim lib. 2. de cœl. cap. 14. Ptolomæus Aſtronomorum princeps in Almageſto, atq; Theologi ferè omnes Terram in medio Mundi collocant: Copernicus verò vir præterito ſæculo celeberrimus, cum Pytagoræos nonnullos ac præ cæteris Ariſtarchum Samium Terram unum eſſe ex Planetis, apud Ciceronem verò Nicetam, & apud Plutarchum hoſce Philoſophos Philolaum, Ecpantum ac Eraclidem Terram moveri jam olim aſſeruiſſe deprehendiſſet; inde occaſione ſumptâ, atque Sole Terráque tranſpoſitis, quippe Sole immobili in Mundi centro, Terra mobili inter ſphœras Veneris & Martis univerſas motuum Cæleſtium apparentias tantâ facilitate & mundanæ machinæ concinnitate demonſtravit, ut non modo cunctos Aſtronomos, atque Philoſophos in ingenii ſui admirationem rapuerit, ab ciſque magni cognomen acceperit, ſed plurimos etiam ad ſuam ſententiam pertraxerit; Origanum, Longomontanum, Keplerum, Galilæum, Lansbergium, & alios hujus tempeſtatis præſtantiores Mathematicos, qui etiam aliter ſentientes, ſuperſtitioſos, timidos, & ignorantiâ cæcos non verentur appellare, ut videre eſt apud Keplerum ipſum in fine lib. 1. Epitomes Aſtron. Copern.

At Copernici, Kepleri & quotque aliorum hujus ſectæ Philoſophorum rationibus funditus everſis in ſolutione famoſi problematis de Telluris motu vel quiete jamdiu in lucem edita; cum reſponſione ad Apologiam Jacobi Lansbergii, & noſtro Tychone Brahæo; quibus acceſſit libellus contrà Gaſſendum, cui titulum facimus, Alæ telluris fractæ; evidenter probavimus Cœlum moveri, Terram autem quieſcere in medio Mun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Mundi; tum alia plurima de ipſius Mundi ſtructura ſcitu digniſſima, ad quos idcircò libros, Philoſophos cæteroſque hujus lectionis cupidos amandamus. Quia tamen Terræ ſitus & quies in Mundi centro ad Aſtrologiæ veritatem pertinet: Idcircò nonnullas ex præcipuis rationibus noſtris hîc attingemus, quas pro illo ſitu & quiete ſtabiliendis adversùs Copernicanos excogitavimus, & quarum fuſiorem explicationem, atq; demonſtrationem curioſus lector in ſupradictis libris reperiet. Hicq; obiter duntaxat notandum, quod Copernicus negat Tellurem eſſe in Mundi vel univerſi centro; Quoniam ſi univerſum ſit infinitum, ergò nullum habet centrum: ſi ſit finitum, quælibet partium ex quibus conſtat ut ☉ ☽ ♄ &c. habet proprium ſui corporis centrum: ergò nullum eſt partibus ipſis commune centrum.

Sed hoc argumentum eſt fallacia à ſenſu compoſito ad diviſum. Non enim quæſtio eſt de centro partium, ſed totius univerſi in quo dicitur eſſe Terra: quodque nihil vetat commune eſſe Terræ atque Cœlo, quod eſt pars univerſi, quodque non ſit commune aliis globis Planetarum.

Jam verò quod Mundus univerſus centrum aliquid ſibi proprium habeat, probatur à priori, quia eſt corporeus & finitus ex Theor. 22. lib. 1. & cap. 29. lib. 2. circa quod valdè notanda ſunt verba CHRISI apud Mathæum cap. 5. *Ego autem dico vobis, non jurate omninò neque per Cœlum quia Thronus DEI eſt, neque per Terram quia ſcabellum eſt pedum ejus.* Ex quibus convincitur, Cœlum eſſe ſublimiorem Mundi partem, ut Thronus; Terram verò eſſe infimam, ut ſcabellum; proindeque Mundi centrum. Scriptura enim de Cœlo & Terrâ loquitur, ut de duobus oppoſitis, qualia ſunt circumferentia atque centrum, idque pluribus locis confirmatur. Nam Iſaiæ cap. 66. ait DEUS, *Cœlum mihi ſedes eſt, Terra autem ſcabellum pedum meorum*, & Geneſis cap. 1. *In principio creavit DEUS Cœlum & Terram*, nec dicitur Cœlum & Solem. cap. 2. *Igitur perfecti ſunt Cœli & Terra*, Mathæi cap. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo & Terrâ.* Exod. cap. 20. *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem quæ eſt in Cœlo deſuper, & quæ in Terrâ deorſum.* Apocal. cap. 21. *Et vidi Cœlum novum & Terram novam; primum enim Cœlum & prima Terra abiit;* quibus omnibus in locis Cœlum & Terra ſibi ſemper opponuntur, ut circumferentia, atque centrum, vel præcipuæ partes univerſi. Sed quid clariùs in Scripturâ quàm verba CHRISTI apud Joannem cap. 6. ubi pluries ait ſe deſcendiſſe de Cœlo: & viceversâ in Symbolo Apoſtolorum dicitur aſcendiſſe ad Cœlos? non enim à Cœlo in Terram deſcenſus, & à Terrâ ad Cœlum aſcenſus concipi poteſt, quin Terra ſit Mundi centrum, ſaltem undequaque.

Itaque quod Terra ſit in Mundi centro probavimus etiam rationibus Phyſicis & Aſtrologicis. Ac Phyſicarum ea eſt optima, quâ evidentiſſimè oſtendimus pag. 115. & 116. & ſequentibus noſtræ ſolutionis, nec non pag. 41. & 42. noſtræ reſponſionis ad Jacobum Lansbergium, tum in Libello Alæ Telluris fractæ, quod gravia feruntur ad Terræ centrum, non quòd trahantur à Terrâ, quam vi tractrice gravium carere experientiâ demonſtravimus: nec non quòd ipſa gravia quærant uniri ſuo toti: pluvia enim æquè ad Terram atque ad Mare deſcendit, quamvis Terra & Mare ſint duo Elementa diverſæ naturæ, nec quòd ipſum centrum ſit Terræ, Aquæ, vel alterius Elementi centrum: quandoquidem his etiam omnibus Divina virtute annihilatis, & in eorum loco ſolo Aethere ſubſtituto, gravia tamen in idem centrum moverentur, ut in eo quieſcerent quatenùs gravia & quatenus tale centrum & Cœli centrum & gravium proprius locus; nec trahuntur ab ipſo centro, ſive puncto Mathematico, cui quatenus tali nulla vis ineſt, ſed moventur à propriâ gravitate cui innatum eſt ſuum corpus ad Cœli centrum dirigere, ut ad proprium locum gravium: ſique virtute Divina primum Cœlum annihilaretur cum cæteris, ſola Terra ſuperſtite, hæc quidem in loco, quem jam occupat, remaneret: non enim eſſet ratio, cur potiùs in unam quàm in aliam partem moveretur; at lapis de novo creatus in altero ad ipſam non ferretur; alioquin illum à Terrâ magneticè trahi oporteret, cùm tamen Terra vi magnetica careat; ut evidenter probatur in ſupradictis Libris, ac præſertim in eo qui inſcribitur, Alæ Telluris fractæ: indeque deducitur Cœlum eſſe cauſam motus gravium, ſi non efficientem, ſaltem ſine qua non; quo pacto eſt etiam cauſa motus circularis Planetarum circa centrum. Indeque perbellè detegitur corpora Planetarum non eſſe gravia; ferrentur enim etiam ad ipſum Mundi, ſive Cœli centrum, quod minimè fit. Itaque cùm videamus Terram eſſe corporum Mundanorum graviſſimum, jure in ipſum mundi centrum fuit ablegata, vel illud innata gravitate petiit, ubi ex proprio Naturæ voto quieſcens, undique à corporibus Cœleſtibus æqualiter afficeretur ad generationes rerum. Eſt enim Terra vas Phyſicum, in quo rerum ſemina continentur ad generationes naturales: debuit igitur eſſe fixa, & Sol illam ſuſpenſam & quieſcentem circumire, ut ſuo calore generationes ejus congruis temporibus promoveret.

Porrò Keplerus cum Copernico, Galilæo & Gaſſendo cernens eam Terræ gravitatem ſuæ ſententiæ omninò repugnare, negat ullum eſſe in Natura grave, aut leve abſolutè, hoc eſt, ex ſe; ſed hæc tantùm dici reſpectivè: At nonne ſimiliter dici poſſet nullum eſſe in Naturà calidum & frigidum ex ſe; ſed hæc tantùm dici reſpectivè, idemque cenſendum de albo & nigro, amaro ac dulci, &c? Prætereà ſi grave & leve tantùm dicerentur reſpectivè: Ergò eſſent relativa ſecundùm eſſe, totumque eſſe unius eſſet ad alterum, & dato uno daretur alterum; eſſentque ſimul natura ut Pater & Filius, Dominus & Servus, ſimile & cui ſimile: Atqui hæc gravi & levi non conveniunt: Ergo poſſunt duntaxat eſſe relativa ſecundùm dici: quæ relatio non impedit, quin alterius ſaltem relatorum natura propria ſit abſoluta, totaque per ſe non ſit ad aliud. Ergo ut calor & frigus, ſic gravitas & levitas ſunt qualitates ex ſe abſolutæ, quarum una data non neceſſariò datur oppoſita. Vide Alas Telluris fractas cap. 4. ubi prædicta opinio ſubtiliter, evidenterque refellitur, Vide quoque Epiſtolam Panurgi de Tribus impoſtoribus, contra Gaſſendum de deſcenſu gravium.


Præterea non eſt quæſtio an gravia vel levia talia ſint abſolutè, vel comparatè: ſed tantùm an Terreſtria, vel Terræ partes ferantur per ſe ad

Mund

Mundi centrum, quod ſupra oſtenſum eſt: Itaque graviùs ac miſeriùs ſeſe implicant Copernicus atque Keplerus cum ſociis ſuis.

Aſtrologiæ autem rationes ſunt plures æque eximiæ. Prima, quod cùm primi Cœli, hoc eſt primæ cauſæ Phyſicæ concavitas ſuum eſſe habeat per eſſentialem à centro dependentiam; ideóque centrum ipſum primariò reſpiciat: Et quælibet Cœleſtis virtus manet ab aliquâ parte Cœli concavâ, non autem à Cœli puncto indiviſibili, quod nullius virtutis poteſt eſſe ſubjectum: ſequitur Cœli modum agendi proprium atque naturalem eſſe verſus ſuum centrum, in quod ab ipſius Cœli partis concavitate, actio ipſa primò & per ſe dirigitur. Imò Cœli pars quævis etiam lumine vel calore prædita per Hypotheſin (quæ quaquaverſum diffunduntur) efficaciùs agit in ſuum centrum quàm in quodvis aliud punctum cum centro æquidiſtans. Quod ſic probatur.

Sit ſphæra fixarum A B, cujus centrum D, & punctum aliud C æquè diſtans à B parte ipſius Cœli formaliter per hypotheſin luminosâ, vel calidâ, atque D. Dico partem ipſam concavam efficaciùs agere in D per lucem & calorem, quàm in



C. Nam ſi in C & D ponerentur duo agentia æqualis virtutis, quæ partem ipſam illuminare vel alterare poſſent; certum eſt quod D radio perpendiculari D B validiùs afficiet B quàm poſſit C radio obliquo C B; ideóque B magis patietur à D quàm à C: quoniam igitur D B & C B ſunt radii actionis ſimulque paſſionis, eſtque validior actio & paſſio per D B quàm per C B; ſequitur quod ſi B fuerit agens, C autem & D patientia corpora, etiam B efficaciùs aget in D per radium B D quàm in C per radium B C: idemque fiet ſi B ſupponatur eſſe fixa intra craſſitudinem firmamenti ſita: nam radius D B perpendicularis erit & irrefractus, proindeque fortior, radius autem ex C ad B refractionem patietur in concavo firmamenti, proindeque debilitabitur. Ac proinde ſi Terra ponatur in centro Cœli, æqualiter ſemper efficietur à ſingulis ejus partibus, & efficaciùs à qualibet quàm extra centrum in æquali diſtantiâ: Igitur ſitus in centro Mundi non modò Terræ ad generationes convenientior eſt, ſed etiam neceſſarius. Et confirmatur, quia quò Terra fuerit à Mundi centro remotior, eò majori cum inæqualitate afficietur à toto Cœlò: quo autem fuerit propinquior, eò cum majori æqualitate afficietur; ideóque ſi in ipſo fuerit centro, æquabiliſſimè Cœli vires undique excipiet. Id autem evidentiùs patet ex eo, quòd primum Cœlum agit duntaxat propriâ ſibi virtute quæ eſt ejus influentia, cujus actio tantùm dirigitur verſus Terram ſive Mundi centrum, ut dicetur lib. 12. Sect. 3. cap. 5. Et ratio eſt quia pars quælibet Cœli per ſuam influentiam agit duntaxat juxta naturam domus figuræ Cœleſtis in qua pars ipſa reperitur, ut fusè oſtendetur lib. 21. ubi agitur de determinatione corporũ Cœleſtium circa Sublunaria; omnes autem domus ipſæ ſeſe interſecant, & dividuntur ab invicem in ipſo Mundi centro: Ergo actiones Cœli per influentias tantùm diriguntur verſus ipſius Cœli centrum.

Secunda eſt quia Terræ ſitus extra Mundi centrum omnino pervertet virtutes Planetarias Dodecatemoriorum: poſito enim Sole in Mundi centro & Tellure in orbe magno, ſub Cancro, quoniam Sol in centro quieſcens, eſt per ſe Telluris reſpectu ſemper ejuſdem virtutis; neceſſe eſt ut diverſa virtus quam Terra ſuo ſub Dodecatemoriis motu reali excipere videtur à Sole apparentur mobili ſub oppoſitis Dodecatemoriis, manet vel à Cancro ſub quo illa fertur, vel à Capro ſub quo Sol tunc conſpicitur: non primum, quia Tellus ſub Cancro præter vim Solis excipit vim Saturninum à Capro, cui vis Saturnina competit; vel patitur influxum ex radio Solari & Saturnino mixtum: non autem influxum ex radio Solari & Lunari mixtum propter Cancrum, ut probat experientia. Non ſecundum, quia Tellus ex hypotheſi cum ſit vicinior Cancro quàm Capricorno, & utriuſque ſigni virtus ex ſe æqualis; potius à Sole & Cancro quàm à Sole & Capro affici deberet lege in diſtans agentium: hoc autem repugnat experientiæ ſupradictæ: Terræ igitur extra centrum poſitus rationi & experientiæ reluctatur, atque pervertit virtutes Dodecatemoriorum.

Dicet quiſpiam argutiolus minorem diſtantiam Telluris à Cancro quàm à Capricorno primi mobilis eſſe ſenſu imperceptibilem, ideóque non inde ſequi quod Terra potius à Sole & Cancto, quàm à Sole & Capricorno affici debeat, lege in diſtans agentium.

Sed reſpondeo primò: Imperceptibilitatem illam non avertere talem legem, cùm ſemper adſit differentia diſtantiæ: Secundò non eſſe imperceptibile quod Tellus excipiat à Sole & Capricorno vim Solarem & Saturninam, ſed id evidenti experientiâ fieri manifeſtum. His adde quòd ſuppoſitâ imperceptibilitate ſupradictâ, Tellus ſaltem æquè validè affici deberet à Cancro, atque à Capricorno, cùm tamen non afficiatur radio ex virtute Solari & Lunari mixto, ut ſupra dictum eſt: Non ergo Sol eſt in Mundi centro & Tellus in orbe magno.

Inſtabit Solem ex Terra viſum ſub ♑ agere in Terram ſua conjugatione cum ♑ & ſua oppoſitione cum ♋, ſicque non excludi actionem Solis & Cancri in Terram.

Sed reſpondeo primò, Solem & Cancrum non eſſe tunc oppoſitos virtute Cœleſti reſpectu Terræ ut infra patebit in ratione tertia, ideóque Solem non agere in Terram per ſuam oppoſitionem reſpectu Terræ cum Cancro. Secundò ſemper Terram validiùs affici debere à viciniore Cancro per oppoſitionem, quàm à remotiore Capro per conjunctionem contra experientiam & rationes aſpectuum, quorum validiſſimus eſt ipſa conjunctio. His adde quod Terra potiùs dicenda eſt conjuncta viciniori Cancro, quàm remotiori Capricorno, inter quem & Terram datur Mundi ſive primi Cœli centrum. Non ergo Tellus eſt in orbe magno.


Nec

Nec dici poteſt Solẽ,ut videtur ſub Capro huic conferre vimSaturninam Solari contrariam. Nam ſi vis illa non inſit Capro ſed conferatur àSole,cur Sol ſeſe æqualiter habens ex Mundi centro ad ſingula ſigna, conferret Capro vim Saturninam & Sagittario vimJovialem,non contra? Nec etiam dici poteſt Solem ut videtur ſub Capro fieri Saturninum, ſub Sagittario Jovialem,&c. Atque ſic Solem ipſum & non ſigna agere in Terram: nam præterquam quod inde ſequeretur Solem ex ſe nullius eſſe particularis naturæ, ſed diverſas ſubinde naturas induere formaliter & exuere, quæ ſunt à rerum naturâ penitus aliena: cùm Sol in centro ſeſe æqualiter habeat ad ſigna atque Terrã,cur viſus ſub Capro fiet Saturninus & ſub Sagittario Jovialis, non contra; ſi ipſis ſignis non inſit virtus, quæ hujus differentiæ cauſa exiſtat? Non ergo Terra eſt extra Mundi centrum;eſtque hæc ſecunda ratio omnium validiſſima, quia dici nequit quod Tellus tantum afficiatur à ſignis ſub quibus Sol & Terra videntur, cùm etiam afficiatur à ſingulis ſub quibus ſinguli aliorum Planetarum ex Terrâ quoque conſpiciuntur. Imò à ſignis ſolitariis, vel Planetâ carentibus. Ergo validiùs affici debet à ſibi viciniore quàm à remotiore.

Tertia ratio petitur ab aſpectibus Planetarum, quorum vis in Tellurem efficaciſſima deprehenditur etiam ex Keplero & Jo. Franco Offuſio Aſtrologiæ oſoribus. Nam poſitâ Tellure C. mobili in orbe magno I N C, ac Venere B, & Marte D in eadem primi Cœli ſemidiametro; quæ ducetur à Sole ſive ipſius Cœli centro A ad primum gradum Aquarii in ſphærâ fixarum; erunt ex Copernicanis Venus & Mars reſpectu Terræ oppoſiti virtute Cœleſti,quamvis ſint in eodem Cœli radio à peripheriâ ad centrum; & Venus dicetur agere in Terram virtute primi gradus Leonis G: Mars autem vitute primi gradus Aquarii E. Quod autem illud ſit falſum probatur. Virtutes



enim Cœli Dodocatemoriales ſpecie quidem diverſæ ſunt; at non omnes oppoſitæ. Ratio autem cur virtutes Arietis & Geminorum non ſint oppoſitæ, eſt quia inter ipſas non datur Cœli centrum, ſicut nec inter virtutes Cancri & Piſcium. At virtutes Leonis & Aquarii dicuntur oppoſitæ; quòd inter has detur Mundi centrum. Igitur ſolum Mundi centrum inter virtutes Cœleſtes medium, etiam omni corpore vacuum, eſt ſola ratio formalis oppoſitionis ipſarum ſive partium Cœli: idque inde confirmatur, quia quamvis totus Leo toti Aquario dicatur oppoſitus, nullus tamen Aſtrologus dicet primum gradum Leonis ſaltem partiliter opponi virtute ſecundo gradui Aquarii,& multò minus tertio aut quarto, ſed tantùm primo, ut conſtat directionibus Aſtrologicis; nec primum minutum primi gradus Leonis opponi ſecundo minuto primi gradus Aquarii, ſed primo minuto, & ſic in infinitum ob ipſam ſcilicet oppoſitionis rationem ab ipſiſſimo centro Cœli intermedio formaliter petitam. Quod ſi hujus quæratur demonſtratio; ecce illam, quæ tamen fuſiùs lib. 6. c. 8. exponetur. In circulo D B C ducantur duæ diametri D C & B E ſe rectè ſecantes in centro A. nullus Aſtrologus dicet puncta D & B oppoſita ſed quadrata. Puncto verò B & E dicet eſſe oppoſita.



Ducta autem utcumq; recta B F, non erit in ipſa B F ratio cur B & E ſint oppoſita; ſed erit in recta vel diametro B E, & ſimiliter in diametro D C erit ratio cur D & C ſint oppoſita: Cùm ergo ratio oppoſitionis ſit in utraque diametro, illa non poterit non eſſe centrum A, quod ſolum utrique diametro commune eſt. Ergo ſi Tellus ponatur in centro A, B & E,tum D & C dicentur reſpectu Terræ oppoſitæ, non autem ſi Tellus ponatur extra centrum A. quod intellige de oppoſitione virtutis.

Jam verò etſi verum ſit Planetas B & D eſſe oppoſitos reſpectu Terræ C, ratione ſitus, eſt tamen falſum eſſe oppoſitos ſimpliciter ſeu formaliter ratione virtutis Cœleſtis;quia ut ſupra oſtenſum eſt,formalis ratio oppoſitionis virtutis petitur à Solo centro Cœli intermedio:atque idcirco ſi B eſſet in K,tunc K & D dicerentur reſpectu Terræ C oppoſiti virtute Cœleſti, ob centrum A intermedium. At ſi per Tellurem C duceretur recta ad G E perpendicularis, & utrinque ad Cœlum terminata in L M, terminaretur quidẽ ad partes accidentaliter oppoſitas ratione ſitus ad Tellurem intermediam;at non formaliter oppoſitas ratione virtutis: quòd nempe ratio formalis oppoſitionis virtutum Cœli, tantùm petatur à Cœli centro intermedio, & non ab intermedia Terra,Marte,Jove vel alio Globo;de quibus idem dici poteſt quod de Tellure. Forſanque L & M ſimpliciter ſeu formaliter ſunt inter ſe in trino vel quadrato aſpectu. Imò inde ſequitur Martem D & Solem A reſpectu Terræ C non eſſe oppoſitos virtute; quippe quòd inter Solem & ♂ Mundi ſive primi Cœli centrum non reperiatur. Denique negari nequit quod B ſit reſpectu Solis A, ſub virtute E: ſi ergo reſpectu C fuerit ſub virtute G, ergo B ex ſe & abſolutè,neque erit ſub virtute E,neque ſub virtute G, ideóque nec ſub ulla virtute Cœli: ſub qua enim eſſe dicetur? At Cœlum eſſe diviſum in 12. virtutes Dodecatemoriales ſpecie diverſas, & Planetam extra Cœli centrum earum nulli peculiariter ſubeſſe, non minùs abſurdum eſt & rationi contrarium; quàm Solem vel Tellurem in Cœli centro ipſis virtutibus ex æquo non ſubeſſe. Non ergo B & D ſunt virtute oppoſiti, ſed conjuncti ſub virtute E; proindeque Venus B non ſubeſt virtuti G, nec per virtutem G agit in Tellurem C.

Pro

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Pro aliis autem aſpectibus certum eſt quadratum non modò terminari ad Terræ centrum, vel ex Terrâ menſurari angulo recto, ſed in ipſo etiam Cœlo menſurari 90. gradibus; alioquin ex quocunq; Terræ loco duplum quadrati non efficeret diametralem oppoſitionē: jam verò illud fieri non poteſt quin Tellus ſit in centro: eademque eſt ratio de trino, ſextili, &c. quorum angulus ad Terram, & menſura in Cœlo ſunt ubiq; Terrarum æqualia: ergo Tellus eſt in Mundi centro.

Hoc autem adhuc evidentiùs ſic probari poteſt. Sol in centro Mundi dici nequit conjunctus uni parti Cœli potiùs quàm alteri: cum ad omnes ſe habeat æqualiter: at ſi ponatur extra centrum, dicetur conjunctus ei Cœli parti cui vicinior fuerit, hoc eſt ad quam ex Mundi centro per Solis centrum ducetur linea recta, per quam pars illa Cœli & Sol influunt unico radio ad Cœli centrum terminato, ideóque ratio formalis conjunctionis pendet ab ipſo centro: tum quòd Sol vel Planeta cōjunctus debeat eſſe extra Mundi centrum, tum quod radius conjunctionis terminetur ad centrum ob concavitatem partis Cœli, ut dictum eſt in ratione primâ, neque protenditur ultra centrum, alioquin circa ipſum maxima oriretur influentiarum confuſio. At ratio formalis oppoſitionis pendet etiam à centro, ut ſupra oſtenſum eſt; nec non ratio aliorum aſpectuum; unde conjunctio definiri debet, duorum radiorum in unum coeuntium confluxus ad Mundi centrum. Oppoſitio verò, confluxus duorum radiorum ad Mundi centrum ſibi diametraliter occurentium. Quadratus aſpectus, confluxus duorum radiorum ad Mundi centrum ſibi angulariter occurentium ac efficientium angulum rectum ſive ſubtenſum quartâ parte circumferentiæ Cœli. Atque ſic de reliquis aſpectibus. Ex quibus patet Terram quæ corporū Cœleſtium viribus & aſpectibus afficitur, neceſſariò debere eſſe in Mundi centro, & in ſuperiore figurâ Venerem & Solem non eſſe conjunctos, nec Venerem & Martē oppoſitos.

Quarta ratio hæc eſt. Domus Aſtrologicæ ſive figuræ Cœleſtis dividuntur circulis maximis ab invicem diſtantibus 30. gradibus æquatoris, quod nempe diviſio illa fiat exactè per triplicitates punctorum vel angulorum figuræ Cardinalium, ut in cabala noſtra ipſarum domorum oſtendetur lib. 18. ergo illi omnes circuli tranſeunt per Mundi centrum, atqui omnes quoque tranſeunt per Terræ centrum, cujus reſpectu dicuntur maximi, atque ab invicem diſtant 30. gradibus æquatoris: ergo Terræ & Mundi centra idem ſunt, ideóque Terra eſt in Mundi centro. Nec proderit objicere quod Tellure poſita in orbe magno, ejus & centri Mundi diſtantia ſit inſenſibilis reſpectu primæ ſphæræ: nam etſi orbis magnus ferè ad Cœlum uſque pertingeret Tellurem deferens; non tamen propter majorem orbitæ Telluris amplitudinem, modus agendi Cœli in ipſam Tellurem variaretur, ut ex Aſtrologiæ principiis, hoc eſt domorum diviſione conſtat; ideóque figura Cœleſtis ſemper eſſet per triplicitates dividēda, circulis reſpectu Terræ maximis: quod nulla ratione fieri poſſet, dum Tellus à Mundi centro diſtaret intervallo maximè ſenſibili, feréque æquali ipſius Cœli diametro. Quamobrem rationes omnes tum Phyſicæ, tum Aſtrologicæ, Telluris extra Mundi centrū hypotheſi contrariantur.

Similiter quod ipſa Terra ſit immobilis probavimus rationibus Theologicis, Phyſicis & Aſtrologicis; Theologicæ ſunt hæc tria præſertim Scripturæ loca, in quibus prævidens Spiritus ſanctus erroneas quorundam hominum opiniones, ſuam reduplicavit aſſertionem: nam Pſal. 92. dicitur. *Etenim firmavit Orbem Terræ*: quod ſufficiebat; ſed inſuper adjecit, *qui non commovebitur*. Pſal. 103. *Qui fundaſti Terram ſuper ſtabilitatem ſuam*: & adjecit, *non inclinabitur in ſæculum ſæculi*. Eccleſ. cap. 1. *Terra in æternum ſtat*: & adjecit: *Oritur Sol & occidit, & ad locum ſuum revertitur; ibique renaſcens gyrat per meridiem & flectitur ad Aquilonem*. At Copernicani inſtar Judæorum ac Hæreticorum adeò ſunt obcœcati fictitia concinnitate ſui Syſtematis, ut hanc adeò claris Scripturæ locis obſtinatè præferant, nugacibus reſponſis ſeſe defendant, petantque ſententiæ Tychonis demonſtrationem geometricam, quamvis ipſorū nullus ſyſtematis Copernici geometricam demonſtrationem proferre umquam potuerit.

Eſt autem valdè notandum, quod Copernicus ejuſque Sectatores ut ſuum Telluris motum tueantur, auſu nimis temerario illudunt ſacris Scripturis. Dicunt enim ſacram Scripturam, hoc eſt Spiritum ſanctū in locis ſuprapoſitis ſeſe accomodaſſe ſenſui vel captui plebejorum, ut dum Gen. c. 1. de Sole & Luna dicit, *fecitque DEUS duo luminaria magna*.

Ad hæc autem reſpondeo primò. Quod licet Sol & Luna dicantur hîc luminaria magna, tamen illicò ſubſequitur in Textu: *Luminare majus ut præeſſet diei, luminare minus ut præeſſet nocti*: Nullus autem plebejus poteſt ſenſu diſcernere luminare majus à minori, quia Sol & Luna ad ſenſum videntur æquales: itaque hæc verba confundent plebejum hominem, tantúmq; ad doctum pertinent. Secundò quāvis Sol & Luna ad ſenſum ſint æquales & juxta literā magna luminaria, tamen Vir doctus per parallaxes demonſtrabit Solem eſſe Planetarum maximum: Lunam verò omnium minimam. Jam verò Scripturæ loca pro Terræ quiete ſuprapoſita, ſunt vera juxtà litteralem ſenſum, vel ſunt falſa: ſi primum, corruit opinio Copernicana: ſi ſecundum, demonſtrent ex Copernicanis doctores falſitatem, ut ſupra factum eſt pro Sole atq; Lunâ; nec ludant ampliùs de ſacrâ Scripturâ pro ſuæ opinionis defenſione; quaſi Spiritus ſanctus doctis illudere voluerit.

Phyſicarum autem rationum prima & optima hæc eſt. Poſito enim Terræ motu vel in Mundi centro vel in orbe magno; certum eſt, imò à Copernicanis receptum, aquam & aerem ob ſuam fluxibilitatem non ex æquo obedire motui Terræ, ſed reſtare ad hujus occaſum: magis autem aërem ob majorem ejus fluxibilitatem à majori raritate: Alioquin ſub Æquatore non vigeret ventus Orientalis indeficiens, & naves etiam ad occaſum impellens ſupra Mare, quem volunt eſſe aerem reſtantem ad occaſum aquæ, ut hæc reſtat ad occaſum Terræ. Si ergo quâ proportione aqua reſtat ad occaſum Telluris ratione fluiditatis, eadem aër reſtet ad occaſum aquæ (cujus contrarium nullâ efficaci ratione probatur, cùm de hoc conſtet, quippe motu navium in occaſum ab illo vento) quoniam ex Keplero lib. 1. Epiſt. Aſtronom. Copern. pag. 108. *Globi bombardici motus in egreſſu fiſtulæ vix tardior eſt motu Terræ ſub æquatore*, & pag. 128. *fluxus perhibetur eſſe ex Occeano Eoo in Indicum quavis ſagittâ celerior*: ponamus motum illum globi, hoc

eſt

eſt Terræ eſſe ad motum Aquæ vel ſagittæ ut 10. ad 9, ne falſæ menſuræ accuſemur: atque ſic cùm Tellus decem milliaria trajicit in ortum, Aqua reſtabit uno milliari ad occaſum; 9. autem milliaribus ad ortum cum Tellure promovebitur; ideóque in tota Terræ revolutione, ad occaſum reſtabit Aqua, 540. milliaribus Germanicis, poſito maximo Telluris circulo 5400. milliariorum Germanicorum; ideóque ab illo Aquæ retroceſſu deberet navis ſub Æquatore ſingulis diebus moveri ad occaſum ſaltem 540. leucis Germanicis, quòd eſt prorsùs abſurdum, & rationi contrarium & experientiæ. Eſt autem vapor ſive fumus ex gutta Aquæ ſaltem centiès rarior ipsâ Aquâ: olla enim Aquæ plena bulliens ad ultimam uſque guttam, fumum centies majorem evaporat, quàm ſit Aqua contenta; & creſcente raritate creſcit fluxibilitas; Aer verò ſaltem decies adhuc rarior eſt ipſo fumo, proindeque millies quàm Aqua rarior eſt fluidiorque. Imò Keplerus pag. 441. Epitom. Aſtron. ait *Aerem Aquâ, & Aetherem Aere tenuiorem eſſe decies centies millies.* Ponatur autem tantùm centies vitandæ in ſupradictis controverſiæ causâ: cùm ergo Aqua reſtabit uno milliari ad occaſum Terræ, reſtabit Aer 100. milliaribus; quare tantùm abeſt ut Terræ motui ullo modo obſequatur; quin è contra decies velociùs feretur ad occaſum quàm Terra ad ortum: Atq; hanc diei unius ſpatio decies circuibit, quod decies majus abſurdum eſſet apud Copernicanos, quàm Terram moveri & Aerem manere immobilem: hic enim ſic tantùm ſemel in die Terram circuiret. Quocirca cùm Aer infimus nequidem ſpatio diei gyrum circa Terram abſolvat ut infra patebit: non modò navis velociùs moveretur ad occaſum, quàm reverà moveatur; ſed inſuper quænam vela navium, ad Orientem pergentium, ferre valerent tantam Aeris rapiditatem; quippe in ſingulas horas trajicientis ferè 2250. milliara Germanica ſub æquatore, dum præſertim Aqua cui navis adhæret, movetur ad ortum? cumque ob Aerem & Aquam reſtantes ad occaſum, navium motus ad ortum ſit difficilis (ut volunt) quomodò volarent aves ad Telluris partes orientales? & quomodo ex Aere cadentia, ſuum ad Terram ſervarent perpendiculum? denique cur tanta Aeris ad occaſum rapiditas, tropicos ultra non vigeret? ac ædificia ſylvaſque præſertim ad ortum motu quoque rapidiſſimo pergentes non everteret, homines autem ad ortum converſos non ſuffocaret?

Cùm igitur hæc omnia ab apparentibus circa Terræ globum maximè ſint aliena; ergo ipſa phænomena à Telluris motu etiam eſſe maximè aliena ſit manifeſtiſſimum: neque adversùs hanc rationem quidquam objicere proderit; quia conceſſo quod Aqua reſtet ad occaſum Terræ propter fluiditatem; ſemper concedendum eſt, quâ ratione reſtat Aqua, eadem reſtare Aerem ob cauſam eandem: ſi enim dicitur talia in Oceano non contingere, quod Aer ut Aquæ ſymbolus ei magis adhæreat, ejuſque motui magis obſequatur quàm Terræ: fruſtra certè dicetur, cùm Aqua ipſi Terræ ſymbola ei nec adhæreat etiam firmiter, nec ejùs motui obſequatur ex æquo.

Quod ſi rursùs dicatur (ut fit à quibuſdam) Aerem minùs quàm Aquam reſiſtere motui globi terreſtris ob ipſius Aeris majorem raritatem atque tenuitatem: ergo inde ſequetur Aerem magis quàm Aquam obſequi ipſi motui Terræ: at experentia probat contrarium, nempe Aerem minùs quam Aquam obſequi & velociùs ferri ad occaſum, cum naves impellat, quas alioquin non impelleret ad occaſum. Non ergo Aeris motus ſub æquatore ſequitur ex Telluris motu; ſed poſito motu primo in Cœlo, quo tota Mundi Machina circumvolvatur, in ſuperficie quidem motu perniciſſimo; ſenſim verò remittente uſque ad centrum, ubi omnino deſinit: evidens eſt, quod ut Æther & Planetæ quos continet, motu illo circumferuntur: ita etiam ignis & aer Elementa ætheri propinquiora, eidemque tenuitate, raritate, mobilitateque ſimiliora gyrent; ac per conſequens motus ille rapidus ſub maximâ ſaltem Cœli vertigine, hoc eſt ſub æquinoctiali circulo etiam ad globum uſque Telluris ſit manifeſtus, circumferens ab ortu in occaſum Aerem infimum: quò navis propriâ non obſtante gravitate & maris ad ortum refluxu versùs occaſum velis expanſis moderato placidoque curſu promoventur, quippe ſingulis diebus 35. milliaribus Germanicis juxtà relationem Acoſtæ de navi quæ Lima diſcedens, ad Inſulas Philippinas diſtantes 140. gradibus verſus occaſum pervenit in diebus 60. ferè ſemper ſub æquatore delata.

Unde non temerè conjicio, Aerem illum quo ſub æquatore naves circumferuntur, non integrè circumvolvi ſpatio 24. horarum: Alioquin quoniam ſingulis Terræ gradibus ſub æquatore competunt 15. milliaria Germanica, ideóque toti ambitui 5400. milliaria, inde ſequeretur motum aeris & navis eſſe ut $154\frac{2}{7}$ ad 1. vel quia Tycho & Langravius obſervarunt globum magnum bombardicum exploſum, ſpatio unius minuti tranſvolare dimidium milliare germanicum: interim verò Aer juxtà ſuperiorem calculum percurrit $3\frac{3}{4}$ milliaria, ſequeretur Aerem Aquæ contiguum velocius moveri quàm globum ipſum ſeptuplo cum ſemiſſe, quod nullus ſanæ mentis admiſerit. Tanta ſiquidem Aeris rapiditas, non modò naves ad occaſũ velocius appelleret quàm appareat ſtupendo & intolerabili exceſſu: ſed etiam vapores omnes elevatos ſuper aqua aut terra indubiè abriperet, nullique alteri vento in terra cederet, quod tamen falſum eſſe, refert Acoſta lib. 3. cap. 8. ubi ait ventum orientalem in alto tantum regnare Occeano pacificè: in Terrà autem plerumque interrumpi variis ventis, ex ipſius Terræ exhalationibus ortis, ut magis vitroſis atque ſpirituoſis, quàm quæ ex Aqua elevantur, quas idcirco Aer ille motus ſuperat facilè. Dicendum igitur Aetherem quidem, tum Aeris ſuperioremślurioremque partem ex æquo diurnè circumferri: non autem inferiorem quæ Aſtmoſphæra & vaporum regio nuncupatur: quod hæc impurior craſſiorque & immobili globo non nihil adhærens, motui reſiſtat: proindeque verſus occaſum multò tardius deferatur. Nec tamen ipſa Aſtmoſphæra Telluri adhæret ut malo Cotoneo ſua lanugo, veluti garriunt Copernicani, nam hæc lanugo firmiter adhæret ſuperficiei mali Cotonei, nec ſuper illam movetur ab una parte in aliam, quod de Aere & globi terreſtris ſuperficie dici nequit.

De-

Deſertur autem Aer conſtanti ſitu ſub Æquatore & intra Tropicos uniformiter: quæ ſitus conſtantia & motus uniformitas nec à Sole aliiſve Planetis, nec ab exhalationibus, ſed à ſolo conſtanti, perenni & uniformi motu diurno Cœli Aerem etiam infimum circumferentis eſſe poſſunt. Ex hoc autem primi Cœli motu diurno excellens redditur ratio cur Planetæ ſuperiores ♄ ♃ & ♂ tardiùs proprio motu revolvantur quàm ipſis inferiores: imò cur ſinguli Planetæ quò ſunt remotiores à Terra, ſive ratione propriæ orbitæ, ſive ratione apogeitatis, eo tardiùs proprio motu circumferantur. Ipſa autem ratio eſt, quia ex eo quòd primum mobile rapit Ætherem, Ignem & Aerem; ſequitur inde motum partibus ſubjectis impreſſum rapidiorem eſſe in ſublimioribus quam in depreſſioribus, atque idcirco Planetæ quò ſunt altiores eò majorem proprio motui oppoſitionem nanciſcuntur ideóque tardiùs proprio motu feruntur; quæ ratio longè probabilior ac verior quàm ea quæ à Keplero fuit excogitata de ſpecie Solis immateriata circumvolvente Planetas. Igitur retardatio motus proprii Planetarum in Æthere ſublimiori, & motus navium ad Occaſum à ſolo Aeris impulſu ſub Æquatore, altè clamant totum Ætherem, Aerem & Ignem moveri ad occaſum à primo mobili, ideóque Terram quieſcere: eſſeque primum mobile magnum naturæ flabellum, ad Zonam torridam illo Aeris motu temperandam.

Secunda ratio hæc erit: Si Terra moveretur, gravia cadentia vel tractione circumferrentur à Terra ipſa, vel motu ſpirali per ſe moverentur circa Terræ centrum, ſimulque ad ipſum ut ſuo toti quippe Terræ ipſi unirentur: vel eodem tantùm quo Terra motu circumagerentur circa centrum, aut ſolius Terræ, aut Solis & Terræ: vel denique non caderent eidem Terræ puncto perpendicularia, quintus enim modus excogitari nequit: ſed horum 4. neuter dici poteſt: non primus, quia Tellus vi tactrice caret, ut à nobis probatum eſt in ſolutione famoſi problematis, ac præſertim cap. 13. libelli contra Gaſſendum cujus titulus eſt, Alæ Telluris fractæ. Non ſecundus, quia nec tota Tellus eo motu fertur, nec gravia per ſe petunt Terræ corpus, ut ei uniantur, ut hæc omnia exactè demonſtravimus cap. 11. ſolut. noſtræ ipſius problematis: Non tertius, quia grave numquam ad Terram deſcenderet contra experientiam: Nec denique quartus, quia experientiæ quoque repugnat: non ergo Terra movetur neque in Mundi centro, neque in Orbe magno.

Peculiariter verò quod non moveatur in orbe magno vel Ecliptica, ut voluit Copernicus, ita fiet manifeſtum: Ponatur lapis vel aliud grave procul à Terra in quovis puncto Eclipticæ, vel in hujus centro. Quæro an ſit deſcenſurus in Terram? Fatebuntur omnes Copernicani. At ego dico ſi Terra ſit in Eclipticæ gradu primo Arietis, deſcendet lapis ad primum gradum Arietis; ſi Terra fuerit in ſecundo gradu Arietis, deſcendet lapis ad ſecundum gradum: ſi in tertio, ad tertium, & ſic deinceps. Ergo grave in illo puncto ſive loco, etſi habeat ex ſua natura principium motus & terminum determinatum à quo ſui motus, nempe illud punctum in quo eſſe ponitur; nullum tamen habet terminum determinatum ad quem ſed indiget determinari à globo terreſtri; hoc autem fieri aliter nequit quam per tractionem magneticam Terræ, vel quod grave quærat uniri ſuo toti: Quæ ambo adeò validè refutata ſunt à nobis, ut nullus Copernicanus poſſit utrumvis defendere. Non ergo Tellus movetur in Ecliptica. Confirmatur. Quia ſublato Telluris globo & ambiente Aere, vel lapis movebitur à loco in quo ponitur, vel non: ſi hoc, ergo à Tellure priùs trahebatur, vel ad eam movebatur ut ſuo toti uniretur; cur enim ad illam moveretur, & ea ſublata quieſceret? Et ſi naturaliter ſive ex ſe quieſcit in Eclipticæ centro, cur tota Tellus in illo ex ſua natura nequit quieſcere? At ſi à Mundi centro movetur ſublato Telluris globo, dicant Copernicani ad quodnam Eclipticæ punctum movebitur. Omitto hîc quod dictum eſt à Keplero in lib. ſuo de Cometis, ubi ex Cometarum motu rectilineo (quem demonſtrandum ſuſcepit) Terræ motum concludit. Videatur de hac re caput 11. Sect. 2. lib. 9. Aſtrol. Gallicæ, tum demonſtrationem Geometricam ab Iſmaele Buillaldo datam in ſuo Philolao redivivo, qua putavit ſe Telluris motum Geometricè demonſtraſſe: nam in noſtro Tychone Brahæo adverſus Philolaum evidentiſſimè probatur Buillaldi demonſtrationem eſſe ridiculam, nec ipſe quidquam reſpondere potuit.

Rationes autem Aſtrologicæ ſunt hæ: Primi ſiquidem Aſtronomiæ inventores nondum animadverſo fixarum motu lentiſſimo, quo recedunt à punctis Æquinoctialibus verſus ortum: ſphæram fixarum arbitrati ſunt eſſe primum mobile; cui nempe diurnus tantùm motus competeret. Tunc autem viâ Planetarum ſive Zodiaco ab illis diviſo in ſigna Stellata 12, Arietem, Taurum, Geminos, &c. Erat prima Arietis Stella in Æquinoctio Verno. Poſtea verò Tymocharis anno ante CHRISTUM 330. cœpit motum illum tardiſſimum obſervare, notavitque loca quarundam fixarum. Hunc ſequutus Hypparchus anno circiter 130. ante CHRISTUM, obſervavit eaſdem fixas pluſquam duobus gradibus diſtare à locis quæ Timocharis obſervaverat. Denique Ptolomæus circa annum Domini 130. multò clariùs motum illum animadvertit; quod eædem fixæ à ſuis locis primò obſervatis diſtarent adhuc longiùs in conſequentia. Quocirca concluſum eſt, ſupra fixas eſſe alterum Cœlum cui diurnus motus per ſe conveniret, & primum mobile diceretur: Lentus autem ille fixarum motus earum ſphæræ adſcriptus eſt.

Porrò in ipſo primo mobili concepti ſunt Æquator (circulus hujus Cœli proprius) & Ecliptica: Quam ſimiliter diviſerunt in 12. ſigna ejuſdem nominis cum ſuperioribus, ſed hæc vocarunt Dodecametoria, quorum ſive Arietis principium poſuere ad imitationem antiquorum in Sectione Vernali Æquatoris & Eccliptícæ, ſicque Dodecatemoria fecere conſtantia, ſub quibus ſigna Stellata ſeu fixæ moventur ſecundum ipſorum Dodecatemoriorum ſucceſſionem; ita ut nunc ſignum Stellatum Arietis ſit ab eo tempore fere totum in Dodecatemorio Tauri: ſignum ſtellatũ ſive conſtellati Tauri, in Dodecatemorio Geminorum, & ita deinceps. Jam verò Copernicani Cœ-

lum nullum admittunt ſupra ſphæram fixarum quam immobilem faciunt; & nihilominùs fixas à punctis æquinoctialibus continuò recedere verſus ortum obſervant: idcirco ab eis abrogati primi mobilis Dodecatemoria realia, in ſphæram fixarum, imaginatione tranſtulerunt: Quorum ſimiliter principium eſſet in Eclipticæ vernali ſectione, fixarum motum in ſuccedentia reddentes apparentem, per verum Æquinoctii motum in antecedentia, cauſatum à Telluris motu ab eis confictо, quem vocant motum inclinationis axis Terræ: quo nempe Dodecatemorion Arietis fertur in conſtellationem piſcium, indéque in conſtellationem Aquarii; ſic autem Aries Stellatus videtur ferri in Dodecatemorion Tauri, indeque in Dodecatemorion Geminorum, atque ita deinceps.

Cæterùm tria indè præ cæteris fiunt manifeſta. Primum Dodecatemoria habere tantùm eſſe imaginarium in Cœlo; quia fixæ nec ſub aliquo reali moventur, cum ponantur immobiles: nec aliquid reale ſupra ipſas movetur, cùm ſuper ipſas nihil detur ex Copernicanis. Idque fatetur Keplerus lib. 7. Aſtron. Copern. pag. 909. ubi *fixarum tranſpoſitionem vocat imaginariam & ſpatiorum Cœli diverſarum tantummodò numerationem*. Secundò, diviſionem Zodaici in partes duodecim primarias pro Dodecatemoriis ipſis, cùm ſolius ſit rationis opus ſine reali fundamento ex Copernicanis, fieri potuiſſe in plures vel pauciores partes: Si quidem in quotcumque partes facta fuiſſet, æquè commoda foret ad fixarum & Planetarum motum in conſequentia repreſentandum numerandumque; qui in illorum ſententia eſt unicus effectus atque uſus Dodecatemoriorum.

Imò Keplerus lib. 7. pag. 923. fatetur, & verè *doctrinam Theoricam conjunctioneſque ſyderum inter ſe doceri & computari poſſe, ſine omni etiam cognitione Dodecatemoriorum, eorumque principii: numeratis ſcilicet Planetarum locis ab aliquâ fixâ ut fecit Copernicus*. Quod eſt evidenter aſſerere Dodecatemoria eſſe tantùm in natura figmentum ſuperfluum. Tertiò: Nullam ullius Cœli partem alicui Dodecatemorio eſſe conſtanter affectam, ſed quæ initio Mundi vocata fuiſſet Dodecatemorion Arietis, poſt tranſactos 2118. annos juxta tabulas Rudolphinas dictam fuiſſe Dodecatemorion Tauri: & rurſus totidem annis elapſis, eandem fuiſſe Dodecatemorion Geminorum: ſingulis autem annis 71. primum gradum Dadecatemorii ſequentis, fieri ultimum antecedentis; imò ſingulis horis priores particulas Dodecatemorii ſequentis, fieri poſteriores antecedentis, ob retroceſſionem Æquinoctii poſt ſe continuò trahentis Dodecatemoria.

Atqui his tribus univerſa refragatur Aſtrologia, quam propterea nihil mirum à Keplero exploſam fuiſſe aliiſque Gyrovagis Copernicanis, qui malunt ſcientiam totius Phyſicæ nobiliſſimam atque diviniſſimam negare hujus ignari; quàm phantaſtico Terræ motui, in quo ſibi complacent, renunciare. Primò quidem, quia ſi Dodecatemoria fuerint tantùm imaginaria; ergo & Planetarum in iiſdem dominium erit tantùm imaginarium: hoc ſi quidem ad illa tantùm refertur, non ad ſigna Stellata: Ab imaginario autem dominio effectum prodire realem in ſublunaribus, nullus ſanæ mentis aſſeret: cùm tamen Planetas ipſius tantùm dominii ratione maximè conſpicuos effectus reales producere conſtet innumeris Aſtrologiæ aphoriſmis atque experimentis, ut norunt Artis Magiſtri; quos ideò ſolos hujus cauſæ Judices acceptamus, quòd in judicando nihil ſit ignaro injuſtius; nihilque in negando ſtolidius: Etenim certum eſt quod ſi Saturnus dominans Horoſcopo vitæ primario ſignificatori, fuerit malè affectus ſigno, & domo, & inſuper aſpectu Martis vel Domini octavæ domus aut duodecimæ, nullis juvantibus; nati vitæ vel valetudini detrimentum inde ſignificatur; non aliâ de causâ quàm quia Dominus horoſcopi malè afficitur. Imò falſum erit Planetam meliùs aut deteriùs eſſe affectum in uno Cœli loco quàm in alio, Dodecatemorii ratione. Verùm autem ſingulos Planetas eidem horoſcopo æquè dominari: quæ enim realis affectionis differentia concipi poteſt in re imaginariâ? & quæ realis differentia dominii in eadem? hæc autem eſſe abſurda cum omnibus Aſtrologis etiam Origanus in ſuâ Ephemeridum Introductione, & Longomontanus in ſuo Tractatu de novis Cœli phœnomenis fatebuntur, utcumque Terræ motus fautores exiſtant: ſi quidem reales concedunt effectus à dominiis Planetarum, ergo & dominia realia.

Secundò autem, quia cùm Zodaicus totumque Cœlum fixarum dividi potuerint in plures aut pauciores imagines, ſintque conſtellationes ratione formæ ipſis tributæ, mera hominum figmenta, ut videre eſt apud Stoflerum comment. in ſphæram Procli, & inſinuat Keplerus cap. 5. lib. de trigono igneo; tamen oſtendetur ſuo loco, primariam Zodiaci diviſionem in 12. partes æquales, quæ Dodecametoria dicuntur, non modò naturalem eſſe, & ab ipſo Mundi exordio realem, ſed nec potuiſſe in plures aut pauciores partes fieri: utcumque ſingulæ deinde hominum arbitrio ſubdividantur in gradus minuta & ſecunda pro accuratiore calculo. Inſuper autem Dodecatemoriis ipſis realiter ineſſe vires maximas, quibus ſingula inter ſe differunt, hiſque Planetas naturaliter dominari: & ex varia Planetarum & Dodecatemoriorum combinatione, cauſari varietatem effectuum in globo terreſtri.

Tertiò tandem, quoniam Cœli partes ſingulæ naturas reales novas continuò induerent, quibus realiter agerent: Quippe pars Cœli ſub Arietis Dodecatemorio hujus virtutem deponeret ad annos 25000, & ſequentis Tauri vim aſſumeret pro 2118. annis: proindeque Cœlum in ratione cauſæ ſubſtantialis Phyſicæ omnium primæ & univerſaliſſimæ, continuò mutaretur realiter virtutibus diverſis per ipſum ambulatoriis. Tantæ autem in Cœlo mutatio cauſaretur à Solo motu in antecedentia duorum punctorum, hoc eſt Sectionum Æquatoris cum Ecliptica; nullis etiam Planetis aut Stellis ſectionum puncta occupantibus; ſed huic motui eam vim ineſſe ideò abſurdum eſt; quia ne quidem Planetarum motui eſſe vim ullam agendi per ſe, ſed tantùm per accidens ſuo loco demonſtrabitur.

Præterea ſi Dodecatemoria nihil aliud ſunt quàm oberrans illa diviſio duodenaria firmamenti, quis non videt in ferendis judiciis Aſtrologicis: potiùs habendam eſſe rationem realis ſubſtantiæ,

ſtantiæ, virtutiſque ipſius Cœli & fixarum; quàm imaginariæ illius diviſionis ſucceſſivæ? Atqui omnino contrarium eſſe faciendum probant experimenta Aſtrologica: ſcilicet ex Dodecatemoriis principaliter eſſe judicandum: & ob ignotas fixarum vires (paucis exceptis) multóque magis ignotam virtutem propriam Cœli Stellati, ferè tantùm ex Dodecatemoriis & Planetis, ut cauſis efficientibus, ſuas Aſtrologos ferre ſententias: quod certè nullâ ratione fieri poteſt, niſi Dodecatemoriis ipſis virtus realis ineſſet, alia à virtute Cœli Stellati, illique ſuperior, eaque quàm fixarum virtus notior: cum quâ Planetæ agunt in Tellurem ut oſtenſum eſt in figuris cap. 9. Adde quod virtus Dodecatemorii Arietis vel ſigni incipientis à Sectione verna, eſt ipſi Dodecatemorio perpetua, quæcumque fixæ aut conſtellationes ſæculorum ſucceſſu ipſum occupent Dodecatemorion; eademque eſt ratio de cæteris. Ergo Dodecatemoria ipſa quid reale ſunt aliud ab ipſis partibus Cœli Stellati, hiſque ſuperius. Nec enim res tantùm imaginaria poteſt eſſe ſubjectum tantæ virtutis realis, & toti Terræ ſeu Phyſicis omnibus effectibus Sublunaribus communis: & per conſequens ſupra ſphæram fixarum datur Cœlum aliud ſub quo ſphæra ipſa movetur, cui pro Terræ motu ſtabiliendo Copernicani motum denegarunt. Unde nihil mirum ſi Philippus Lansbergius Telluris motus defenſor acerrimus, viſâ ſolutione noſtrâ famoſi problematis quibuſdam ex rationibus ſuprapoſitis convictus, poſteà in ſuis Fabulis motuum Cœleſtium palinodiam ſolemniter cecinerit: & ſphæram fixarum moveri in conſequentia; Sectiones autem Æquatoris & Eclipticæ non retrocedere, contra Copernicanos omnes aſſeruerit. Dum autem aſſerit ſphæram fixarum moveri in conſequentia circa Zodiaci polos, & ſic mutari fixarum longitudines, profectò ſupra ſphæram fixarum aliud Cœlum admittit, in quo ipſæ longitudines definiantur.

Neque dicendum reales illas virtutes Dodecatemoriorum accidere Cœli Stellati partibus, à ſuo ſitu reali ad æquinoctium, qui continuò variatur per ipſius Æquinoctii motum in antecedentia: non ſecùs ac iiſdem Cœli partibus à ſuo ſitu ad horizontem diverſæ virtutes accidunt, v. g. parti Cœli in primâ domo exiſtenti accidit virtus ſupra vitam; in 12. ſuper morbos, &c. nam Cœli partes per ſuum in figuræ domos ingreſſum, virtutem novam non acquirunt, ſed tantùm vis eorum univerſalis circa particularem effectum determinatur juxta naturam domus: at Cœli Stellati partes per ingreſſum in Dodecatemoria ſequentia ſive mutationem ſitus reſpectu punctorum Æquinoctialium vim novam eamque toti Telluris Orbi univerſalem acquirerent, quæ eſſet maxima realiſque in Cœlo mutatio ſuperiùs rejecta. Neque inde reddi poſſet ratio cur Aries eſſet naturæ Martiæ & non Saturninæ, nec cur nec plura nec pauciora ſunt quàm duodecim Dodecatemoria.

Nec etiam confugiendum ad Planetas dicendo nulla eſſe Dodecatemoria, ſed ipſos Planetas pro ſuo ſitu diverſo ad Æquinoctialia puncta vires novas induere: quippe Jovem in Ariete agere Jovialiter ſimulque Martialiter, in Tauro Jovialiter ſimulque Venereiter, atque ſic de aliis. Quoniam experientiis conſtat Dodecatemoria eſſe per ſe activa & influere juxta naturas Planetarum, quorum dominio ſubeſſe dicuntur, quamvis Planetæ corpore vel aſpectu ſint abſentes. Quilibet enim gradus Arietis in Horoſcopo temperamentum efficit cholericum & mores Martiales, etſi nec ulla fixa ſit in ipſo gradu, nec ullus Planeta ibidem reperiatur corpore vel aſpectu: quod eſt indicium manifeſtum virtutem illam ipſi ineſſe Dodecatemorio, independentem à Cœlo Stellato & præſentia Planetarum. Itaque dantur Dodecametoria ſupra fixas conſtanter alicui Cœlo inhærentia, ſub quo movetur ſphæra fixarum in conſequenria.

Dicetur dari quidem primum Cœlum ſuprà ſphæram fixarum, & hanc ſub illo moveri, ut ſupra demonſtratum eſt rationibus Aſtrologicis veriſſimis. At Cœlum illud primùm eſſe immobile, ideóque Terram mobilem motu diurno circa proprium axem.

Reſpondeo, nobis hîc ſufficere quod doctrinam Copernicanorum de ſphæræ fixarum quiete & annuâ Telluris revolutione oſtenderimus eſſe falſam, & pro falſitate motus Terræ eos remittimus ad rationes Phyſicas contra illum motum ſuperiùs à nobis expoſitas, pro quibus videantur libri ſupradicti, ſed præſertim Alæ Telluris fractæ contra Gaſſendum, quas rationes expugnare Copernicanis eſt impoſſibile: ſed hîc moneo quod hallucinatio circa titubationem Terræ quæ Merſennum, Gaſſendum, Valeſium & me cum pluribus aliis decepit, de quâ agitur cap. 9. Libelli Alæ Telluris fractæ, à me primò detecta eſt & rejectâ.

Caput X.

Aeris craſſities tres in Regiones temperie differentes dividitur; hujuſque diviſionis cauſæ genuinæ exponuntur.

QUod Aeris craſſities in tres regiones dividatur, ſupremam perpetuò calidam, mediam perpetuò frigidam, & infimam Æſtate calidam, Hyeme frigidam, & vere Autumnoque temperatam, dictum eſt cap. 5. hæcque diviſio ipſi patet ſenſui; ſiquidem infimæ regionis in quâ vivimus inconſtantiam ſingulis annis, imò diei partibus ſentimus; ex mediâ verò pluvias & grandines quovis anni tempore videmus deſcendere, quæ ſolo frigore gigni queunt: in ſuprema denique videmus exhalationes accendi in varii generis meteora, etiam nulla antiperiſtaſi coactas vel denſatas, cùm noctu Aere ſereno accendi conſpiciantur. Hoc autem non fieret, ſi regio in quâ accenduntur, frigida eſſet; frigus enim exhalationem & vaporem denſat; Quoniam verò in aſſignandis cauſis hujus diviſionis Philoſophi omnes inter ſe diſſentiunt; nec tamen ullus veram cauſam hactenus animadvertit: Idcircò eam ex ſpeculatione diviſionis Terræ à nobis ſuprapoſitæ deprehenſam aſſignamus, ut ſequitur.

In Elementis ſuperioribus Aere & Igne vis ineſt agendi per calorem, ipſa enim calida ſunt; in Terræ autem & Aquæ globo vis ineſt agendi per frigus. Eſt enim globus ipſe omnium naturæ corporum frigidiſſimus: Atqui calor & frigus ſunt qualitates activæ in diſtans; & de calore id

nemo negat; manus enim calefit etſi diſtet ab igne: de frigore verò probant optici quod ſpeculum ſphæricè concavum aquam calidam in foco ſpeculi poſitam congelet, ſi glacies, aut aliud vim gelativam habens conſtituatur in axe vel diametro ſpeculi longè à foco: quod fieri nullâ ratione poſſet, niſi glacies ageret ſuo frigore ad aliquam diſtantiam: hoc igitur pacto Terreſtris globus ad aliquam à ſe diſtantiam refrigerat; quod etiam ex eo patet evidenter, quia Terra etſi interdùm à Sole calefiat, eo tamen occidente & ſub Horizonte demerſo illicò redit ad ſuum frigus, Aeremque naturâ ſua calidum noctu plurimùm refrigerat: tùm quia idem globus hyeme, etiam in hoc climate producit in Aere frigus plerumque intolerabile: Terræ autem polo arctico ſuppoſita, dum Sol percurrit ſigna auſtralia, illique per ſex menſes occultatur, tam aſperum, rigidumque frigus projicit in Aerem (unde radiatim ad longinquas regiones expanditur) ut non ſolùm illius Terræ homines & beſtiæ, ſed nationes tùm vicinæ tùm longiſſimè diſſitæ tam horrendo frigore plurimùm terreantur: Ipſaque bruta & præcipuè lupi oculis plerumque priventur, ut teſtatur Olaus magnus lib. 1. cap. 19. ſuæ hiſtoriæ Septentrionalis; ex quibus quanta ſit globi terreni virtus frigefaciendi evidentiſſimè patet.

His autem præmiſſis jam dicimus: quod Aeris regio infima nullo ſibi tempore ſtat, ſed modò calet, modò friget, modóque temperatur; quia perpetuò ſubjicitur impreſſionibus tum Cœli vel aſtrorum, tum globi Terreſtris, tum meteororum, quibus ob ſuam raritatem reſiſtere nequit.

Cauſæ ergo frigoris ipſius infimæ regionis ſunt Stellæ frigidæ, præſertim verò Saturnus ſi in magnis Planetarum conjunctionibus, vel anni quartis, vel Lunationibus aeris dominium ſibi vendicarit, ut loquuntur Aſtrologi; tum enim frigus in aere cœlitùs producitur, & in Terram, aquaſque demiſſum partim in aerem infimum, ut Solis calor repercutitur: Item meteora frigida, ut pluviæ, nives, venti Septentrionales: at præſertim globus ipſe Terreſtris, qui naturâ ſuâ frigidus aerem infimum ſi nihil obſit vi propriâ impensè refrigerat, ut ſupra dictum eſt.

Cauſæ verò caloris ſunt Aſtra calida, veluti Mars, ſi aeris dominium occuparit, ut de Saturno dictum eſt ſuprà: venti Auſtrales aliáque meteora calida, ſed præſertim Sol Terram radiis perpendicularibus feriens, à quibus calor non ſolùm in hac regione generatur; ſed à Terreſtri globo ex parte repercuſſus in ipſam regionem infimam, in hac plurimùm intenditur.

Cauſæ denique temperiei ſunt Stellæ temperatæ, Jupiter & Venus, ſi aeri præfuerint ut jam dictum eſt: Tum Solis radii inter valdè rectos, valdéque obliquos medii: nec non vapor & exhalatio Vere & Autumno è Terreſtri globo liberè aſcendentes, ut c. 3. diximus; atque hæ ſunt cauſæ diverſarum temperaturarum infimæ regionis aeris.

At perpetui frigoris mediæ regionis ejuſdem Elementi cauſas omnes hactenùs allatas refutavimus in Aſtronomia noſtra, ſequentem verò reddimus, ab ipſa Elementorum pugna manifeſtè deſumptam: Creationis initio Elementa calida Aer & Ignis, tum frigida Terra & Aqua juri ſuo relicta in ſe mutuò pugnare cœperunt; cùm autem Aer & Ignis eſſent ad agendum, reſiſtendumque debiliores, ob ſuam nimiam raritatem: Globus verò Terreſtris è contra tam ad agendum in diſtans, quàm reſiſtendum fortiſſimus, hic ſuo frigore ſuperiorum Elementorum invaſit regionem, eorumque calorem ſursùm fugans, ut dictum eſt cap. 3, vim ſui frigoris eò uſque effudit, quouſque reperit æqualem calidam, quæ reſiſteret: Virtus enim activa in diſtans, quò longiùs recedit à ſuo principio, eò magis debilitatur; alioquin eſſet activa ad infinitam diſtantiam, quod abſurdum eſt; ac per conſequens Terræ frigus quò longiùs recedit à Terra eò magis enervatur: Calor autem ſuperiorum Elementorum quò altiùs fugatur, ſive repercutitur, eò ſursùm fortior evadit: Virtus enim repercuſſione ſibi magis unita, fortior evadit; harum igitur qualitatum quarum fortior, quippe Terræ frigus, continuò debilitatur: debilior verò quippe aeris calor continuò roboratur, æqualitas tandem contingit alicubi; quippe in convexo mediæ regionis aeris, ubi (non autem in ipſa Telluris ſuperficie) calor ſuperiorum & frigus inferiorum Elementorum paribus certantes viribus, ſeſe mutuò repercutiunt atque ſiſtunt, ne eorum alterum ulteriùs diffundatur. Quod autem eò loci frigus globi Terreni cohibeatur ex hoc evidentiſſimè demonſtratur, quia niſi id fieret, ſed frigus ſeipſum extenderet ad quantam poſſet diſtantiam ſublatis impedimentis; nullibi certè ſufficiens eſſet ad pluvias grandineſque generandas. Cùm enim hæc non gignantur in infima aeris regione defectu frigoris ſufficientis, multò minùs gignerentur longiùs à Terra, quandoquidem, ut dictum eſt ſuprà, vis agendi in diſtans eò debilior evadit, quò longiùs à ſuo recedit fonte, niſi repercuſſionem in via patiatur, à qua in ipſo repercuſſionis loco roboretur. Cùm ergo Terræ frigus longè ſit intenſius in aeris media regione quàm in infima; oportet ut in media repercutiatur. Denique quod eò loci calor ſuperiorum & frigus inferiorum Elementorũ paribus viribus certent; ex hoc etiam manifeſtiſſimè probatur. Quia ſi calor ſuperaret, hic certè frigus detruderet inferius, ſicque media aeris regio depreſſior eſſet: ſi frigus ſuperaret, hoc calorem adhuc altiùs fugaret, ſicque media aeris regio adhuc altior eſſet: Ergo ibi viribus paribus certant, unde ibi utrumque ſiſtit, neutrumque ulterius diffunditur. Ex quo facilis occurrit reſponſio ad hanc ſubtilem quæſtionem, cur Aeris media regio cùm ſit adeò frigida, ſupremam ſibi vicinam frigefacere nequit? quia ſcilicet frigus mediæ & calor ſupremæ viribus paribus pugnant; actio autem tantum eſt à proportione majoris inæqualitatis.

Nota verò quod dici nequit quod frigus globi Terreſtris emiſſum in aerem repercutiatur à denſitate aeris in media ejus regione. Nam à ſuperficie Terræ quò magis aſcenditur, eò eſt major raritas: Ergo repercutitur à contraria qualitatate, nempè calore: Ergo ſuper Terræ & Aquæ globum dantur Elementa ex ſe calida, quorum etiam calor à frigore repercutitur.

Ex dictis igitur conſtat totum illud aeris ſpatium in quod ſparguntur radii frigoris globi Terreni à calore ſupremo repercuſſi, conſtituere mediam aeris regionem perpetuò frigidam; quia globus Terreſtris ſuum frigus in altum perpetuo projicit, ut à ſimili dictum eſt de radiis ſolis in Terra repercuſſis, & conſtituentibus mediam Terræ regionem.

Cauſa

Cauſa denique caloris perpetui ſupremæ Aeris regionis quadruplex aſſignari poteſt, ſcilicet, Aeris forma, ſive natura, quæ talem ex ſe requirit temperaturam: Ignis vicinitas, à frigore inferno libertas, & caloris ipſius Aeris ab infimâ ejus regione ſurſum repercuſſio: unde ſupremam Aeris regionem circa ſui concavum, quàm in aliâ parte calidiorem eſſe putandum eſt, ob antiperiſtaſin à contrario frigore.

Sic igitur Aeris regionibus earumque cauſis expoſitis, hoc inauditum paradoxum jam in medium proferre tuerique non erubeſcam, ſcilicet, neque totum globum Terreſtrem, neque animalia à ſuperioribus Elementis Aere & Igne exteriùs calefieri, ſed tantùm ab aſtris & potiſſimùm Sole. Idque probatur primò. Quia nullus etiam ſemeſtri garritu poſſet contrarium validis rationibus demonſtrare. Secundò, quia Aeris media regio friget perpetuò de communi conſenſu, adeò ut grandò magnitudinis ovi ibi celerrimè generetur, & animalia ex talis Aeris inſpiratione ſubitò extinguantur, atque obrigeant ſtatuarum inſtar, ut de Hiſpanis ex Nicaraga in Perüanam per altiſſimos montes tranſeuntibus teſtatur Acoſta: & refert Ariſtoteles de monte Olympo in Aſia, ſuper quo homines tantùm per ſpongias Aerem frigidiorem inſpirare coguntur. Hoc autem non eſſet ſi ſuperior pars Elementorum hanc mediam Aeris regionem ſuo calore Elementali penetraret, eandem enim ſine dubio temperaret; ſicque nullibi fieret pluvia, nix aut grando defectu frigoris ſufficientis, quod experientiæ reluctatur. Non ergo hanc regionem calor ſuperiorum Elementorũ penetrat: ſed quemadmodum frigus inferioris globi eò cohibetur à calore ſuperno, nec ultra aſcendit; ita calor ſuperior eò quoque ſiſtit, nec ultrà deſcendit. Quod ex jam dicendis fiet adhuc manifeſtius. Solis calor infimam Aeris regionem calefacit & conſtituit, quia in eâ repercuſſionem patitur: non autem mediam. Etſi hanc penetret quia in ea non reperiuntur: & ſimiliter mediam Terræ regionem calefacit & conſtituit, quia in eâ repercutitur: non autem ſupremam, etſi hanc penetret, quia in ea non repercutitur. Pari ratione Terræ frigus ab illius centro in ambitum ſeſe diffundens, ut agat in diſtans, refrigerat ſupremam Terræ regionem æſtate, quia in illa repercutitur à calore Solis extrinſeco, non autem mediam, etſi hanc penetret; quia in hac non repercutitur, in ipſáque viget calor Solis repercuſſus: at refrigerat conſtituitque mediam Aeris regionem, quia in hac repercutitur, non autem infimam Æſtate, etſi hanc penetret, quia in hac non repercutitur, vigetque Solis calor repercuſſus. Unde palam eſt temperaturæ varietates in Terra & Aere tantùm contingere à repercuſſione vel caloris Solaris, vel frigoris Terreni. Superiorum verò Elementorum calor nullam patitur repercuſſionem, præterquàm ad convexum mediæ regionis Aeris. Alioquin ſi aliquam pateretur ad ſuperficiem Terræ, ea eſſet perpetua, ideóque aer infimus in ſuperficie Terræ perpetuo calidus; unde nulla nix, pluvia vel glacies in ſuperficie Terræ moraretur contra experientiam: Ergo totus ille calor cohibetur in ſuprema aeris regione. Alioquin ſi ejus pars mediam regionem penetraret, hanc temperaret, rurſúſque in Terræ ſuperficie repercuteretur, quod falſum eſt ut ſupra oſtenditur, ac per conſequens non à ſuperioribus Elementis, ſed tantùm ab aſtris & præſertim Sole calefimus in his inferioribus.

Verùm dicet aliquis: Ergo ignis Elementum erit in Natura prorſus inutile atque ſuperfluum, proindeque nullum; ut voluere Cardanus, Keplerus & alii. Ad quid enim prodeſſet niſi Globum Terreſtrem calefacere & ad mixtorum generationes concurrere poſſet? Dico autem ſequelam eſſe falſam, ignis enim tam calorem ſupremi aeris conſervando, quàm cum ipſo frigus inferioris globi, ne in Abyſſum evaneſcat, cohibendo nobis maximum, neceſſariumque præſtat uſum; quippe nubium, pluviarum, cæterorumque frigidorum & humidorum meteororum generationẽ ſaltem cauſat per accidens: hæc enim per ſe cauſantur ab illo frigore repercuſſo, ſine quibus omnia inferiora areſcerent, & animalia tabeſcerent. Præterea (quam mirabilis ſit DEUS, unuſquiſque advertat) ignis ipſe frigus infernum ſiſtendo quaſi murum fabricat contra ſui ipſius impreſſiones, ſine quo etiam calore proculdubio diſſiparemur: Quis ergo ignem nobis inutilem aſſereret? Neque hoc impedit quominùs ignis ſubſtantia concurrat ad mixtorum generationem, cùm ignis ſubſtantia & calor non ſint idem, nec minùs poſſit Elementaris ignis ſubſtantia dari actu frigida, quàm ſubſtantia aquæ calidiſſima, quod videmus quotidiè, cùm præſertim in quovis Elemento ſit radicata virtus ſeſe ad propriam temperiem reducendi priùs amoto prævalente contrario, ut patet de aqua calidiſſima quæ ad proprium frigus revertitur.

Multò gravior videtur hæc difficultas. Cur frigus globi Terreſtris non cohibet etiam ſurſum calorem Solis, aut ſi hîc ſit fortior, cur non detrudit frigus globi Terreſtris ab aeris media regione.

Reſpondeo calorem Solis & Elementarem etſi eſſentialiter non differant, differre tamen cauſis principalibus genere diverſis, quibus in agendo ſubordinantur, formæ namque Elementari ſubeſt in agendo calor Elementaris & formæ Cœleſti vel ſuper Elementari, calor Solis. Ideóque frigus globi Terreſtris poſſe in ſibi contrarium calorem ſuperiorum Elementorum, quod non poteſt in calorem Solis: & viciſſim poſſe calorem Solis in frigus globi Terreſtris, quod non poteſt calor Elementaris. Adde quod etſi actualis ſive ſenſibilis calor Solis ſit naturâ igneus, tamen duplex calor illi adjunctus eſt, nempe Æthereus atque Cœleſtis, de quibus ſuo loco dicetur. Inde verò tanta accidit ipſi calori Solis igneo ſubtilitas atque virtus, ut à frigore Elementali niſi adjunctâ ſibi denſitate ſubjecti cohiberi nequeat, ut fit in Terræ ſuperficie, nec frigus ipſum fugare vel diſſipare, niſi à ſubjecto denſo repercuſſus, ut fit in infimâ Aeris regione & mediâ Terræ. Quo pacto videmus etiam fulmen ſuo calore liquare enſem illæsâ vaginâ, ob ipſius fulminis vim ſubtiliſſimam, quæ vaginam penetrat ſine læſione, ſuam tantùm exercens actionem in denſiore ſubjecto validiúſque reſiſtente. At Solis radius fulminis vi longè adhuc ſubtilior extat; eſt tamen notatu dignum, & in natura mirabile, quod frigus mediæ regionis aeris ſubſiſtat perpetuò intra Solis radios qui ſunt ipſius Solis flamma: ideóque in medio flammæ Solis vel ignis Cœleſtis viget ac agit frigus Elementale aſperrimum.

Aliæ fieri queunt Objectiones quas hîc brevitatis cauſa omittimus, quod in Anatomia noſtra eaſdem ſolverimus: atque hæc noſtra de Aeris & Terræ diviſionibus ſententia, non artificialis eſt vel ſophyſtica; ſed adeò naturalis, ut ipſi quoque ſenſui pateat, inſigneque lumen in univerſam Phyſicam effundat.

Caput XI.

De Aeris altitudine.

Quamvis hac de re nihil certi queat definiri, invicemque maximè diſſentiant prinræ notæ Aſtronomi atque Philoſophi, Nobis tamen ex ſupradictis non erit difficile oſtendere, Keplerum inter alios de Aere ejuſque altitudine malè admodùm Philoſophari lib. 1. Epiſt. Aſtron. Copern. cap. 59. his verbis, *pleraque montium juga quæ perpetuis teguntur nivibus aut glacie, potiori anni parte ſuper Aeris ſuperficiem evincere conſentaneum eſt. Aer enim eſt vapor exhalatus: in omni verò exhalatione, calor eſt ſaltem aliqualis: At ubi nives & glacies, ibi frigus, & radii Solis illas liquare non poſſint: ubi verò frigus, ibi nulla aut non conſtans exhalatio vel Aer: cogitur enim frigore in pluviam, & nives, deciditq; pondere tractus, & nudat juga montium.* Quo in Textu quot verba, tot ferè ſunt abſurditates, quas ſingulas enucleandi neque tempus, neque locus eſt. Verùm ut aliquæ reddantur etiam palpabiles: ſi nix & glacies tantùm generantur ex Aere vel exhalatione coactis frigore, ex quo igitur generabuntur in cacuminibus montium ſuper Aeris ſuperficiem eminentibus? ſanè vel ex nihilo, vel ex Æthere, in quo, ut vult Keplerus, ſunt ipſa juga. Atqui hoc ipſi etiam Keplero non advertenti quid diceret, ridiculum foret. Non ergo juga illa ſunt extra Aerem vel ſupra ejus ſuperficiem: Cùm nequidem ſint ſupra mediam Aeris regionem, in qua ob ejus perpetuum frigus nix & grando generantur ut ſupra diximus. Quod verò ait Aerem frigore cogi in pluviam atque nivem, contrariatur experientiæ. Nam Hyeme rigidiſſima qua ſtellæ noctu maximè micant, totus aer infimus in nives & pluviam verteretur, tùm in hoc Climate, tum maximè in regionibus ſuppolaribus; defectuque Aeris animalia ſuffocarentur, cum tamen contrarium apparet, ſitque aer illo tempore puriſſimus ob incarceratam exhalationem in Terræ viſceribus eo durante frigore, ut diximus cap. 3. à qua ſola aer inquinatur & incraſſatur: Aeris autem media regio ſemper frigidiſſima eſt; nec tamen à frigore cogitur in pruinam atque nivem, aliàs pruina atque nix perpetuò inde deſcenderent, nullaque umquam eſſet aeris ſerenitas, quæ omnia patet eſſe falſa: Denique ſi ſciviſſet genuinam cauſam frigoris mediæ regionis aeris, non dixiſſet qnod ubi frigus ibi nullus aer.

Conſequenter verò ait Keplerus nubes nullas ultra quadrantem unius milliaris elevari ſupra Terram. Unde ſupputat Aeris altitudinem paſſuum 1666. aut circiter dimidii milliaris Germanici: pag. vero 75, ex cauſa materiali crepuſculorum reperit illam altitudinem eſſe 8 vel 10. vel 11. milliariorum ſicque ex Keplero hac de re nihil certi habebitur: neque ex aliis qui circa eandem variis diſtrahuntur opinionibus.

Dico igitur erroneum eſſe quod ait Keplerus, nullam nubem elevari ultrà quadrantem unius milliaris: quia hoc pacto nubes quæ moventur in Aere impingerent in montes eo ſpatio longè altiores quales ſunt Pyrænei & alii multi, nec ultrà pergerent: hoc autem repugnat experientiæ: multæ enim nubes tranſeunt ſuper illos montes ventis impulſæ. Imò certum eſt quod ſi quis tempore nubiloſo ex planicie vel radice montis præalti hujus cacumen cernens, & nubes tangere ratus, aſcenderit in ipſum cacumen; interdum ex eo nubes ſuprà ſe vix deprehendet humiliores quàm dum ex montis radice eaſdem intueretur: quod certum eſt judicium illas ſupra altitudinem montis moveri in magnâ adhuc à vertice montis diſtantiâ.

Dico ſecundò, non generari nubes in eadem à Terrâ diſtantiâ per totum Telluris globum, nec in eodem Terræ tractu per omnes anni partes, nam in Zonâ torridâ, ubi Solis radii altius repercutiuntur, etiam altiùs generantur, quia ſcilicet nubes tantùm denſantur à frigore, extra repercuſſionis locum, niſi copia elevati vaporis efficeret, ut nubes denſæ & pituitoſæ fiant etiam in Aeris infima regione, vel exiguâ à Tellure diſtantiâ; ut accidit in inſulâ Goâ, dum Sol fit illis verticalis menſibus Aprili, Majo, Junio, Julio, Auguſto, idemque dicendum de quovis particulari tractu æſtatis tempore. In Zonâ frigidâ, & Hyemis tempore in quovis particulari loco, depreſſiùs gignuntur ob cauſam contrariam. In Zonâ denique temperatâ & Vere vel Autumno in quovis particulari loco in media generantur altitudine.

Dico tertiò, plures montes pertingere uſque ad mediam Aeris regionem; Talis eſt mons Olympus in Aſia, cujus vertex Ariſtotele teſte lib. de Mundo, liber extat à ventis, ſubaudi violentis. Qui quidem multò altiùs moventur quàm ſit prima Aeris regio, non tamen multò altius aſcendunt in ſecundâ, quam ſit lacus nubium pluviarum & grandinum: quòd nempe ventus ſit exhalatio calida, ſicca, naturæ ſubtilis & ſpirituoſæ, ideóque maximè mobilis velociſſiméque tendens ſupra Aerem: cujus tamen major pars occurſu frigoris ſuperni repercuſſa, ſub illo moveri cogitur in gyrum, ſicque Aerem & in eo pendulas nubes in quancumque partem rapit, atque agitat. Quod autem de exhalatione regionem Aeris frigidam ſuâ ſubtilitate penetrat, id ſenſim rarefactione diſſipatur, & ſupremam Atmoſphæræ ſuperficiem conſtituit, nullius violentæ agitationis capax, aut motus contra primum motum, Aeriâ primo mobili impreſſum. Tales etiam ſunt illi Americæ montes ſuper quibus Hiſpanos Aatuarum inſtar obriguiſſe dictum eſt ſupra. Ac talis mons inſulæ Tenariffæ, dictus *Elpico*, qui ex 80. milliariorum diſtantiâ cacumen ſuum viſibile efficit.

Dieo quartò quod etſi ex ſupradictis montibus conſtet, non eſſe magnam admodum diſtantiam inter ſuperficiem globi Terreſtris & mediam Aeris regionem, ad quam uſque patet nobis aditus veluti ad mediam Terræ, tamen ut definiri nequit quanta ſit profunditas mediæ regionis Terræ (quam valde ſe extendere probant metalla & rupes in profuudiſſimarum fodinarum fun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

do conſpicuæ) ſic definiri nequit quanto ſit altitudo mediæ regionis Aeris; quam ſupra opinionem Kepleri altè extendi probant exhalationes ab Alhaſem & Vitellione deprehenſæ in altitudine à Terra 25. milliariorum. Quod ſi mediæ regionis Aeris ignoretur altitudo, multò magis ignorata erit ſupremæ regionis, ideóque totius Aeris altitudo, quidquid ſtolidè & ſine fundamento plærique in contrarium aſſerant.

Dico quinto, Atmoſphæram ſive vaporum ſphæram, quæ totam infimam Aeris regionem & mediæ non exiguam partem occupat, & ſupra quam nullus vapor è Terreſtri globo aſcendit, denſiorem eſſe reliquo Aere duplici de cauſa. Primò à vaporibus & exhalationibus è Terreſtri globo perpetim aſſurgentibus, ut ſenſui etiam patet. Secundò à quodam ſpiritu per ſphæram ipſam effuſo, quia eſt vel fex ipſus Aeris, tum corporum ſuperiorum (quorum neceſſe eſt partem denſiorem ſubſidere) vel ſpiritus ille univerſalis à Chymicis tot elogiis celebratus generationem omnium & rerum mirabilium parens, quem illi ex ipſo aere elicere,& de inviſibili inviſibilem efficere norunt. Porrò in ſuprema & rariore Atmoſphæræ regione fiunt crepuſcula,& in inferiore denſioreque fiunt refractiones radiorum Solis cæterorumque Aſtrorum, dum circumducti eas regiones attingunt vel ingrediuntur. Sed de his vide 9. partem Aſtronomiæ noſtræ reſtitutæ quæ eſt de refractionibus.

Caput XII.

Elementaris regionis ordo atque figura.

IN eorum quæ huc uſque diximus majorem confirmationem deſumpſimus à Clavio figuram regionis Elementaris quam appoſuit comment. in primum caput ſphæræ, in cujus centro ponit globum Terreſtrem, & ſupra hunc Aerem diviſum in tres regiones, ſupremam vaporibus expertem, mediam & infimam, tum ſupra Aerem ipſum Ignem. De Aeris autem regionibus ſic loquitur.

Cæterum poſito toto Aere uniformi, ita ut tam ſecundùm concavum quam ſecundùm convexum idem cum Mundo centrum habeat, probabile ſatis videtur, mediam Aeris regionem latiorem & denſiorem eſſe juxtà polos Mundi ob caloris debilitatem quam maxima Solis abſentia ibi efficit, & ob nimium frigus quod ibi perpetuò exiſtit: partes verò ejuſdem mediæ regionis medias inter utrumque Mundi polum, ut ſub Æquinoctiali, ob caloris abundantiam quam perpetua Solis præſentia ibidem efficit, conſtringi, & vice verſâ partes ſupremæ & infimæ regionis circa Mundi polos reſtringi, partes verò earumdum medias inter utrumque polum dilatari. Quod quidem clarè ex figurâ appoſitâ elicere potes; in quâ etiam ſitum & ordinem Elementorum contuebe ris. Imò fortaſſis neque ignis uniformis eſt denſitate, cum propter velocitatem motus quo ab ortu in occaſum rapitur, facile Aerem ſibi ſubjectum in ſe poſſit tranſmutare.

Hoc autem ſic paucis explico. Sub æquatore atque in tota Zona torrida, infima aeris regio atque ſuprema, calidiores ſunt quàm in alia Mundi parte: infima quidem ob validiſſimam repercuſſionem radiorum Solis à globo Terreſtri in infimum Aerem: ſuprema verò ob citatiorem ipſius Aeris motum, qui etiam calorem adauget: ergo mediam regionem utrinque à calore comprimi neceſſe eſt: ſub polis verò infima Aeris regio atque ſuprema minùs calent quàm in alia Mundi parte contrariis de cauſis, ergo mediam utrinqne dilatari oportet.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Quæ certè ſunt veriſſima perfectèque quadrant cauſis diviſionis Aeris à nobis ſupra aſſignatis: eſtque valdè probabile quid etiam contrarium in regionibus Terræ contingere ſub polis & æquatore: quod nempè media Terræ regio ſit amplior ſub Æquatore ab majorem vim Solis: ſub polis verò arctior ob cauſam contrariam. Et è diverſo ſuprema Telluris regio ſtricta ſub Æquatore; amplior verò profundiorque ſub polis ob paucitatem caloris Solaris, Tellurem ipſam penetrantem illis in locis.

Sic igitur tota Elementari regione fœliciter perluſtrata; jam inde læti diſcedentes, atque Geometriæ & Arithmeticæ alis, cauda verò vel temone rationis inſtructi alacres in Ætherem evolemus.

SECTIO II.

De Mundo Æthereo.

CAPUT I.

Præter quatuor Elementa contraria, datur etiam in Naturâ corpus quoddam nobilius, quod Æther appellatur.

Æther dictus eſt à currendo, quippè quòd natura ſive corpus ab antiquis ſic appellatum, perpetuo curſu rapi creditum fuerit. Ariſtoteles autem libro primo de Cœlo ait Anaxagoram Ætheris nomine pro ignis Elemento abuſum fuiſſe, cùm tamen ſit corpus diverſum à Terra, Aqua, Aere, Igneque; imò res planè divina, quippè natura Cœli & ſiderum ut ait lib. de Mundo. Cardanus verò qui ullum eſſe Ignis Elementum negavit, Ætheris nomine Aerem intelligit ad Lunam uſque expanſum. Denique Keplerus lib. primo Epiſt. Aſtron. pag. 52. Ætherem appellat ſubſtantiam fluidam, quæ ab Aeris regione, in qua fiunt crepuſcula & refractiones extenditur uſque ad convexitatem ſphœræ fixarum ſive totius Mundi extremam ſuperficiem. Ita ut ex Keplero circa globum terreſtrem ſint tantùm Aer & Aether: in ipſoque Æthere ſint Planetæ omnes, tum etiam Stellæ fixæ pendulæ & immobiles. Ergo dari ætherem in confeſſo eſt apud omnes.

Verùm quoniam cap. 2. à nobis oſtenſum eſt dari 4. Elementa vulgaria, jam autem de Æthere Ariſtotelis ſententiæ adhærendum cenſeo; ne ipſum credatur dari ſolis authoritatibus ſuprapoſitis, & dari ſuper Elementa ſoli credatur Ariſtoteli, placet hîc in Medicorum gratiam utrumque probare ex ſublunaribus mixtis hoc ratiocinio.

Nam etſi ſemini qua ſemen eſt virtus inſit architectonica, per quam habet ſemen omne quod conformet; attamen non habet ſemen omne quod hoc vel illo modo conformet; ſed ob unionem animæ cum corpore excipit ſpeciei cujuſque ſemen ab ipſa anima in ſingulis partibus viventis, ſpecialem conformationis idæam: quippè ab anima lilii, quod lilium, & ab equi anima, quod equum conformet. Siquidem ſemen in planta manat ab omnibus partibus, & in Animali decidit ab omnibus Hypocratis effato: non ſecùs ac vis ineſt renibus ſerum per venas à toto corpore attrahendi. Porrò ut anima quamvis in toto ſit Animali, tamen habet in ipſo propria atque diſtincta ſuarum facultatum ſubjecta, quibus illæ veluti Soli inſideant, indeque corpus regant ſuis fungendo muneribus, quippè naturalis in hepate, vitalis in corde, & animalis in cerebro: ita in ſemine habet ipſius ſeminis forma proprium idoneumque ſubjectum facultatis ſuæ formatricis, in quo hæc reſidet, & à viventis animâ excipit impreſſionem ſimilitudinis ſpeciei, & per quod facultas ipſa conformationem efficit. Qui enim dixit in principio, producat unum quodque ſibi ſimile, ad hoc etiam vires dedit, & inſtrumenta congrua, alioquin nulla talis productio eſſet naturalis. Quod autem ſubjectum illud nequeat eſſe ullum ex 4. Elementis, vel ipſum ſeminis temperamentũ, inde patet, quia ſingula Elementa ſubſunt ipſi facultati ejuſque inſtrumento ſive ſubjecto, ab hiſque patiuntur ſe ab invicem ſeparari, & ad diverſis generis partes deſtinari, quippe Terram ad oſſa, Aquam ad cerebrum & membranas, Aerem ad pulmonem jecurque, & Ignem ad cor & arterias, tum diverſimodè miſceri & conformari, pro diverſitate partium ſimiliarium diſſimiliarumque: nullum ergo ex Elementis poteſt eſſe tale Elementum; Alioquin ſe ipſum conformaret, eſſetque ſibi ipſi cauſa quod fieri nequit. Seminis verò temperamentum ideò etiam excluditur, tum quia frigidum eſt, proindeque repugnat prædictæ heterogeneorum ſeparationi: tum quia ex equi ſemine debet equus generari; ergo priùs ſemen ipſum corrumpi: unius enim generatio eſt alterius corruptio; in ſeminis autem corruptione ejus temperamentum deſtrui neceſſe eſt; non ergo ſequentem à corruptione conformationem efficit. Eſt igitur aliud ſubjectum perdoctæ illius facultatis Architectonicæ, ac Elementis ipſis aut ſeminis temperamento divinius ſuâque naturâ incorruptibile, quod alii calidum innatum vocant, per quod mediâ etiam hyeme plantæ ſub nivibus & piſces ſub Aquis frigidioribus obeunt ſua vitæ munia, quodque quia poni debet ſuper Elementare, non erit aliud corpus quàm qui ab antiquis poſitus eſt Æther proprium ſtellarum errantium Elementum, ipſis quatuor Elementis ut perfectione ſic ordine proximè ſuperior. Hoc perſpicuè admodùm agnovit Ariſtoteles c. 3. lib. 2. de generatione animalium his verbis. *Sed enim omnis animæ ſive virtus, ſive potentia, corpus aliud participare videtur, idque magis divinum quàm ea quæ Elementa appellantur.* Et paulò poſt *Ineſt enim in ſemine omnium, quod facit ut fœcunda ſint ſemina, videlicet quod calor vocatur; idque non ignis, non talis facultas aliqua eſt. Sed ſpiritus qui in ſemine, ſpumoſoque corpore continetur, & natura quæ in eo ſpiritu eſt, proportione reſpondens Elemento ſtellarum.* Et confirmatur maximè omnium medicorum authoritate, qui ſpiritum animalem facultatum animalium ſubjectum inſtrumentale, ipſis actionibus admirandum, aſſerunt eſſe Æthereum: tum maximè Platonis, qui etiam ſpiritum admiſit æthereum animæ & corporis Elementaris vinculum: tandemque omnium Chymiæ principum, qui in mixtorum reſolutione præter con-

traria

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

traria quatuor Elementa quintam quandam deprehendunt eſſentiam, quam dicunt Æthercam; quæ neque ullum eſt ex Elementis, neque eorum ulli contraria, ſed omnibus ſuper excellens & amica, maximéque divina. Adde quod niſi ſuper Elementa daretur hæc regio Ætherea, Planetæ omnes verſarentur in Elementari regione, quæ ſeſe ſaltem uſque ad Stellas fixas extenderet: res tamen inaudita & ab omnium hactenùs Philoſophorum mente penitùs aliena. Ergo præter quatuor vulgaria Elementa dari ſupra ipſa Ætherem ſit manifeſtum, vocaturque regio hæc Mundus Æthereus; ut huic inferior Mundus Elementaris.

Objiciet aliquis, ſi datur Æther etiam in mixtis, ergo erit Elementum, proindeque plura erunt 4. Elementis contra Ariſtotelem omneſque Philoſophos.

Atqui reſpondetur patere ex ſupradictis quod apud Ariſtotelem, Platonem, Medicos & Chymicos ſit in confeſſo, Ætherem eſſe Elementum, ſi per Elementi nomen intelligatur pars quæcumque heterogenea materiæ mixti;idque etiam cum illis concedimus. At quia cap. 1. nomine Elementi propriè tantum intelligimus corpus ſimplex ſibi contrario corpori miſcibile; ætheri autem nullum eſt corpus contrarium, ut dictum eſt ſupra: non erit ex nobis Æther ipſe Elementum, ſed quintum aliud eſſe, ſive corpus miſcibile.

Dicet alius ſaltem, Aether in mixtis conformationi ſubjicitur, & ſibi erit conformationis cauſa, quod tamen ſupra negavimus de proprio ſubjecto facultatis formatricis in ſemine: ergo vel in mixtis non datut Æther, vel non eſt proprium ipſius facultatis ſubjectum. Antecedens verò probatur, quia cùm Æther ſit per omnes corporis partes diffuſus quatenùs proprium ſubjectum ipſarum animæ facultatum, ut ſupra voluit Ariſtoteles, omninò ſequetur quod in nervo ſuſcipiet conformationem nervi, in oſſe oſſis, in oculo oculi, & ſic de aliis.

Reſpondetur autem aliquid dici poſſe conformationi ſubjici dupliciter, quippè per ſe & per accidens: Æther ergo per ſe conformationi non ſubjicitur, ſed tantùm per accidens; quatenùs præſens eſt atque diffuſus per ſingulas partes quas ipſe conformat, ut facultatis inſtrumentum: ſic enim Anima dicitur per accidens figurata, quatenùs per totum corpus diffuſa eſt.

Caput II.

De Natura Ætheris, & quomodo Planetæ in illo moveantur.

QUod Æther ſit corpus ſimplex ita oſtenditur, nam alioquin erit mixtum corpus, idque ex Elementis ipſo Æthere vel inferioribus vel ſuperioribus; at non ex inferioribus, quia locus ætheri deberetur ſub Igne ſimplici, qui cæteris Elementis, & ex iis duntaxat mixtis corporibus omnibus ſupereminet, ob majorem raritatem atque levitatem. Sed neque ex ſuperioribus: quia in corporum fluidorum ſerie, rariora levioraque ſunt à Mundi centro remotiora; proindeque ſi Æther ex fluidis ſuper ſe mixtus eſſet, ſub illis naturaliter conſiſtere minimè poſſet: ſed ab admixtis rarioribus levioribuſque ſuper minùs rara leviaque elevaretur, ſicque hæc non eſſent ſupra illum contra hypotheſin: non igitur Æther eſt corpus mixtum, ſed ſimplex eſt.

Cúmque contrario careat tum intrinſecè tum extrinſecè (quod nempe ſit Elementis, horumque contrariis qualitatibus, ut loco ſic natura ſuperior) fit inde ut ſit in ſe incorruptibilis, ac temperatiſſimus totius naturæ ſpiritus, imò idoneum propriumque ſubjectum influentiarum Cœleſtium, quæ in illo duntaxat recipiuntur ſpiritu inhæſivè, & per quem illæ mixtis omnibus inferioribus communicantur, ut proinde ſit æther vinculum ſuperiorum atque inferiorum: ſive Cœleſtium ac Elementalium. Ineſt enim mixtis omnibus æther quem Chymici quintam vocant eſſentiam, ſed præſertim viventibus, quæ omnia conſtant Elementis æthere & anima, magis autem animalibus & omnium maximè homini. Et quia eſt vinculum formæ (quam origine Cœleſtem Hermetici & Platonici faciunt) cum corpore ſive materiâ eſſentiali; inde fit, ut in viventibus præſertim ſpiritus ille ſit ſuſceptivus omnis virtutis ſeu facultatis corporeæ ab animâ manabilis; quales ſunt præ cæteris vegetativa, ſenſitiva, generatrix & formatrix ad ſimilitudinem ſpeciei, quarum impreſſionum Elementa cóntraria minimè ſunt ſuſceptiva, ut rectè cenſuit Ariſt. ſupra citatus, ac præterea per ipſum ſolum fiat homo Cœleſtium influxuum maximè ſuſceptivus, ut proprio loco fuſiùs explicabitur: atque hæc de Ætheris naturâ ſubſtantiali.

Quod verò ſpectat ad ejus naturam accidentalem, ille eſt rariſſimæ, tenuiſſimæ, fluidiſſimæque naturæ. Prabatur enim rariſſima non tantùm ex Planetarum ſed etiam Stellarum fixarum longiſſimè diſtantium nitore puriſſimo, ac præſertim hyeme rigidâ, quâ exhalationibus in Terra incarceratis Aer non incraſſatur; tunc enim per immenſum illud intervallum tanta luminis puritate micant ſydera, ut nullum planè corpus inter illa & nos interjectum eſſe, vel eadem à nobis perparùm diſtare credantur. Ea verò apparentia in præaltis montibus quàm in planitie aut vallibus fiat adhuc illuſtrior; quod Aer ſuperior ſit inferiore ſemper defæcatior. Arguit igitur illa apparentia Ætheris ſummam raritatem atque tenuitatem, à quâ omnis alia in naturâ quaſi infinitè diſtat. Et Keplerus lib. 4. Aſtron. Cop. pag. 443. Aerem Aquâ, Ætherem autem Aere decies centies millies tenuiorem putat. Fluidiſſima verò convincitur primò ex Cometarum motu in ipſo Æthere, his tandem temporibus demonſtrato; & præſertim illius illuſtris Cometæ anni 1618. quem Aſtronomi omnes accurratiſſimè obſervatum etiam ſupra Sphæram Solis motum fuiſſe aſſerunt, quod fieri nullâ ratione poſſet Cœlo exiſtente ſolide ſine dimenſionum penetratione, quam univerſa natura manifeſtè repudiat. 2. ex motu Planetæ Martis, ſi enim Planetæ conſiſterent atque moverentur in orbibus ſolidis, ut ad noſtra uſque tempora creditum eſt, daretur ſimiliter in orbibus Solis & Martis penetratio corporum, quoniam via ſive orbita Martis interſecat orbitam ſive Circulum Solis: ſit enim Mars in ejus cum Sole oppoſitione Terris propinquior

ipſo

ipſo Sole, ut in Martis theoriâ demonſtratur. Quæ duo ſunt argumenta irrefragabilia regionem Planetarum non eſſe ſolidam, ſed in ea dari Ætherem tenuiſſimum atque fluidiſſimum.

Inde verò ſequitur Planetas in Æthere pendulos eſſe, ut Terra in Aere; cùm hac tamen differentia, quod hæc quieſcat, illi verò moveantur: qua autem virtute an interna vel externa, & quæ ſit ipſa, dicemus ſuo loco, hic enim ſcire ſufficit certum eſſe Planetas in æthere moveri, ut ſi pila circa Terram in Aere moveretur ipſum Aerem fluidum atque cedentem ſuo corpore tenebrando.

CAPUT III.

De Ætheris altitudine.

IN hoc conveniunt Tycho Brahæus atque Keplerus, quod Lunæ Perigeæ, id eſt Telluri quantum fieri poteſt propinquæ in quadraturis, diſtantia ab ipſa Tellure ſit 54. ſemidiametrorum ipſius Terræ: Lunæ autem apogeæ, id eſt à Tellure quantùm fieri poteſt diſtantis in quadraturis diſtantia ab ipſa Tellure ſit ferè 59. ſemidiametrorum Terræ. Cùm autem Lunam non eſſe contiguam Elemento ignis, ſed verſari in ætherea regione conſtet ex ſupradictis: Ætherem à nobis minùs diſtare quam 54. ſemidiametris Terræ ſit evidentiſſimum: quamvis præciſa ejus diſtantia, & quouſque ſe extollat regio Elementaris certò definiri nequeat. At de diſtantia Terræ ad Cœlum fixarum, ad quod (uſque ſaltem ſe extendit regio ætherea) Tycho & Keplerus cum Copernico maximè diſſentiunt: ea enim eſt ex Tychone 14000. ſemidiametrorum Terræ, ex Keplero autem lib. 4. Epitomes Aſtron. pag. 492. 600000000. ſemidiametrorum Terræ. Tanta vaſtitate fuit amplianda Mundi machina in hypotheſi Copernicana de Telluris motu à nobis rejecta: quamobrem hanc etiam ætheris altitudinem non admittimus. Sed neque Tychonicam certam eſſe aſſerimus. Quippe quod in infinito ſpatio imaginario quivis Aſtronomus eam Mundi ſupponat magnitudinem, ejuſque partium diſtantias, quæ ſuis hypotheſibus ſalvandis atque demonſtrandis ſufficere putat, ideóque pro diverſitate hypotheſium diverſæ quoque ſumantur diſtantiæ ab illarum diverſis authoribus, nec duo tantùm inter ſe concordes reperiuntur. Unde fit manifeſtum Terræ diſtantiam ab Æthere non eſſe quidem 54. ſemidiametrorum Telluris: at ipſius Aetheris altitudinem penitùs incertam & incognitam eſſe: utcunque ſtatuatur à nobis totum illud ſpatium occupare quod inter regionem Elementarem & Cœleſtem ſitum eſt: & in quo Planetæ omnes moventur: attamen certum eſt quod ſi ex ſuperficie Terræ fixis tribuatur paralaxis 2″. (quam obſervare forſan non eſt impoſſibile) ſemidiameter ſphæræ fixarum erit 103092 $\frac{76}{97}$ ſemidiametrorum Terræ. Nam ut 97. ſinus rectus 2″. ad primum Terræ ſemidiametrum, ita 10000000. ſinus totus ad 103092 $\frac{76}{97}$ diſtantiam Terræ à fixis. Si tribuatur parallaxis, quæ eſt inobſervabilis, ſemidiameter ipſius ſphæræ erit 208333 $\frac{1}{4}$ ſemidiametrorum Terræ; ac plurium, ſi fixarum paralaxis adhuc minor fuerit.

SECTIO III.

De Mundo Cœleſti.

CAPUT I.

Dantur ſuper Aetherem duo Cœli ſolidiſſimi, quippe ſphæræ fixarum & primum mobile.

QUoniam Terra quieſcit in Mundi centro ex cap. 9. ſectione 1. neceſſariò ſequitur ſtellas fixas motu diurno circumvolvi ab ortu in occaſum; at quia non habent à principio interno quod moveantur in occaſum potius quàm in ortum, aut contra, ſed à principio externo, ut fuſius ſuo loco exponetur: ergo ſi in fluido Aethere vel Cœlo vel quomodocumque dixeris corpore expanſo ſive Rachia pendulæ conſiſtant, ut opinati ſunt Tycho Brahæus, Longomontanus, Keplerus & alii, videtur naturaliter impoſſibile illas tantæ pernicitatis motù circumferri, ſervatâ diſtantiarum inter ſe invariabilitate, niſi ſingulis ad motum præficiantur vigilantiſſimæ intelligentiæ. Quod etſi DEO facilè ſit breviùs tamen & congruentius eſt Stellas ipſas ſolido alicui ſupra ætherem orbi tamquam proprio Elemento eſſe infixas: non ſecus ac lapides & metalla Terræ: idque evidenter galaxia probat, quam à regione fixarum differe materiâ putavit Longomontanus in ſuâ ad me Epiſtolâ; nam ſi fuerit liquida, ſanè per intelligentias non paucas ingenti ſolertiâ cum ſtellis erit circumferenda, ne tam rapido motu in ſui parte aliqua diſcontinuetur, dilatetur, reſtringatur, aut rarior, denſiorque efficiatur: quod tamen opinari non minus abſurdum videtur, quàm velle illam aliter invariabilem conſervari in tam ſtupenda rotatione, quandoquidem fluidiſſima Cœli ſubſtantia, & ſolida Stellarum, ad tam rapidam velocitatem non ſunt ex æquo diſpoſita: ſi autem fuerit ſolída, quandoquidem ſtellis referta eſt, etiam fixarum reliquam regionem ſolidam eſſe fatendum erit. His igitur de cauſis Cœlum fixarum ſolidum eſſe cenſemus: imo Keplerus ipſe fateri coactus eſt, Mundum univerſum contineri aliquo corpore ſolido, non ſecús ac ovum (Mundi præ cæteris imago genuina) cortice ſive teſta propria continetur, putavitque illud corpus eſſe ſphæram fixarum. Cúmque ſit etiam maximè diaphanum, ut patet ex ſummo nitore fixarum, non alia erit ejus ſoliditas quàm adamantinæ ſimilis juxta illud Job. *Cœli tamquàm ære ſolidiſſimo fuſi.* Itaque dum D. Deſcartes parte 3. principiorum ſuorum Philoſophiæ articulo 24. ait. *Non tantùm Solis & fixarum, ſed totius etiam Cœli materiam fluidam eſſe ſive liquidam, quod jam omnes Aſtronomi concedunt, quia vident phænomena Planetarum vix poſſe aliter explicari*; aſſerit quod nimінè probat, nec probare poteſt. Et contrariatur Keplero inſigni Aſtronomo: nec phœnomena Planetarum arguunt Stellati Cœli fluiditatem, ſed tantum Ætheris in quo moventur.

Porro quod ſupra Cœlum fixarum detur adhuc aliud probatur ratione Phyſica & Aſtrologicâ.

câ: Phyſica quidem, nam ſublato Telluris motu certum eſt fixas ſingulis diebus revolvi ſuper æquatoris polos ab ortu in occaſum; & in annis ex Longomontano 25940. ſuper Eclipticæ polos ab occaſu in ortum; fertur ergo Sphæra fixarum duobus ſimul tempore motibus, & ad terminos oppoſitos.

Igitur unico per ſe, & altero per accidens, nec enim utroque per ſe poſſibile eſt, motus enim per ſe fit vel à principio interno, qui in circulari motu à nobis rejicitur, vel à causâ externâ corpori mobili per ſe applicatâ, utramvis autem cauſam ſimul tempore idem corpus movere ad ortum & occaſum, non eſt magis poſſibile, quàm idem corpus ſimul tempore movere ad centrum & ſuperficiem univerſi; cùm autem motus per ſe fiat à causâ per ſe corpori mobili applicatâ; ergo realis motus per accidens, fiet à causâ non per ſe ſed per intermedium corpus applicatâ: ex cujus motu per ſe alterius corporis motus per accidens conſequatur. Idque aliter concipi nequit, quàm ſupra ſphæra fixarum poſito altero Cœlo mobili ab ortu in occaſum; cujus motus per accidens communicetur ipſi ſphæræ fixarum, quatenùs in illo contentæ: datur ergo aliud Cœlum ſuper ſphæra fixarum.

Ratio autem Aſtrologi a eaque validiſſima hæc eſt. Dum Sol verſatur ſub Aquario, exempli gratia, manat à Cœleſti loco ſolis in Terram virtus mixta ex influentiis Solis & Saturni, nec eâ de re dubitatur apud Aſtrologos: at Sol tantùm ex ſe pollet virtute Solari & non Saturninâ cui potiùs contrariatur; neque in Aquario exuit Solarē ut induat Saturninam, cùm influxus utramque contineat. Quod autem Aquarius virtutem Saturninam transfundat in Solem, ut hic quoque per illam agat, patet ex eo eſſe falſum; quoniam ſolus Aquarius in Horoſcopo quovis abſente Planeta mores Saturninos realiter influit per ſuum ſitum in illo loco; ut Mars in horoſcopo mores Martiales, proindeque nullius Planetæ præſentiâ indiget Aquarius, ut per illum agat: agunt igitur Sol & Aquarius ſimul commixtis viribus & indepedenter ab invicem, non ſecùs ac ſi eſſent duo Planetæ cōjuncti. Cùm autē influxus Aquarii ſit realis, ergo Aquarius erit quid reale.

Dices Aquarium eſſe partem ſphæræ fixarum. At quod non ita ſit patet, quia ut Sol & reliqui Planetæ, ita quoq; fixæ & partes ſphæræ fixarum moventur ſub Dodecatemoriis, atque agunt cum ipſis ut dictum eſt de Sole & Aquario. Quod ſi dixeris Aquarium eſſe tantummodò ſpatium aliquod mundanum cui ea virtus competit: rurſus negatur, nam neque eſt ſpatium fixum, quando quidem ſublato Telluris motu, quodlibet Dodecatemoriorum movetur per totum Mundi ſpatium in 24 horis; neque eſt ſpatium mobile, nam motus non convenit ſpatio, eſtque omne ſpatium mundanum immobile. Quod ſi tandem dixeris Aquarium eſſe quandam in Cœlo diſtantiam ſive ſitum reſpectu punctorum æquinoctii, in quo quidquid intrat ſive ſit Planeta, ſive pars ſphæræ fixarum, Saturnaliter influit, ſicut quidquid reſpectu nati ingreditur ſitum primæ domus, agit in ipſum vitaliter: hoc etiam refellitur, tum quia ſitus domuales ſunt quædam ſpatia Mundi fixa in quovis horizonte, quæ non influunt in natum, ſed tantùm determinant Planetas, & Cœli partes illas ingredientes ad agendum hoc vel illo modo juxta naturam ſitus: non enim domus prima influit mores vel circa hos: ſed ſigna & planetæ in primâ horumque domini: at Dodecatemoria per ſe ſola influunt, ut dictum eſt ſuprà, ergo pro Dodecatemoriis aſſignandum eſt aliquid reale, quod neque ſit ſphæra fixarum, nec Mundanum ſpatium, nec diſtantia ab æquinoctiorum punctis. Tum quia ut quæritur & datur ratio non fictitia ſed vera ex noſtrâ Cabala domorum, cur prima Domus ſit vitæ, &c. ſic quæretur ratio cur diſtantia, ſpatium, vel pars ſphæræ fixarum quæ vocatur Aries, ſit naturæ Martiæ & igneæ: nec ſufficiet pro causa afferre motum Planetarum ob occaſu in ortum, aut motum rapidiſſimum ſub Æquatore, hæc enim differre non faciunt naturam Arietis à natura Libræ: nec tandem proderit, poſito Apogæo Solis, in principio Arietis initio Mundi, ejuſque motus ad Borealem Cœli plagam; nam hic etiam motus eſt ab occaſu in ortum, & ſucceſſu temporis tranſiret Apogæum ſolis in partem Mundi Auſtralem, nec idcirco mutarentur naturæ Dodecatemoriorum. Ab alio igitur ipſa ratio petenda eſt: quod eſſe primum mobile ſeu cauſam primam phyſicam hactenus non benè cognitam, natura ſua ſimpliciſſimam, ſed initio Mundi ſecundum partes ad diverſas naturas mirabiliter determinatam, ſuo loco oſtendemus. Ergo ſuper ætherem duo ſaltem dantur corpora, quæ propriè Cœli & Mundus Cœleſtis nuncupantur. Supremum verò Cœlum etiam ſolidum eſſe probatur, tum quia ſi fluidum dicatur, erit incapax ſui motus ſtupendæ pernicitatis, multóque magis impulſivæ virtutis ad circumvolvendam fixarum Sphæram, totumque Mundum Aethereum, non ſecus ac Aer eſt incapax circumvolvendi Terram, etſi ad hanc uſque ſub Æquatore moveatur: tum quia univerſum Mundum corporeum conſtantem fluidis & ſolidis corporibus, terminari vel contineri decuit ſolidiſſimo corpore non ſecus ac ovum ſuâ teſtâ, ipſe etiam Keplerus fatetur.

CAPUT II.

Ambo Cœli ad motum librationis Mundanæ machinæ excogitati, ſunt merè fictitii.

PRimi Aſtronomiæ inventores nondum animadverſo fixarum motu lentiſſimo, quo recedunt ad ortum à punctis Æquinoctialibus; ſphæram fixarum arbitrati ſunt eſſe primum mobile, cui nempe diurnus tantum motus competeret; atq; in ipſo conceperunt Æquatorem & Eclipticam cum ſuis polis prorſus invariabiles. Tandem verò Tymocharis primus omnium anno circiter 330. ante CHRISTUM cœpit motum illum tardiſſimum ſuſpicari, & aliquantulum obſervare, notatis quarumdam fixarum locis accuratiſſimis. Poſtea verò ab Hipparcho, deinde Ptolomæo motus ille evidentiſſimè innotuit, quòd fixæ ipſæ deſeruiſſent priſtina ſua loca tempore Tymocharidis obſervata, ab iiſque ad ortum receſſiſſent, etiam longius tempore Ptolomæi quàm Hipparchi, quapropter cum eidem corpori ſimplici duo motus ſimul tempore nequeant

per

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

per ſe convenire, ſtatutum eſt motum illum fixarum ab occaſu in ortum, ſive in conſequentia, eſſe proprium ſphæræ fixarum: motum autem diurnum ab ortu in occaſum eſſe proprium Cœli ſuperioris, quod primum mobile dixerunt: in quo Æquatorem & Eclipticam, ut ſupra fecerunt immobiles: duravitque hæc ſententia ab an. 140. poſt CHRISTUM, ſcilicet tempore Ptolemæi uſque ad annum 1250. tempus Alphonſi Caſtiliæ Regis & Aſtronomiæ reſtitutoris. Is quippe cum Aſtronomis ſui temporis & Thebitio Arabe obſervavit præter ſuperius dicta, maximam Solis declinationem, hoc eſt maximam Eclipticæ obliquitatem non eſſe ſemper eandem, ſed à Ptolemæo ad ſua uſque tempora decreviſſe.

Inſuper autem obſervaverunt Alphonſini magnitudinem anni fieri inæqualem, nec ſemper eandem: his igitur de cauſis ad hæc ſalvanda phænomena tertium hunc motum voluerunt eſſe proprium ſphæræ fixarum, eumque trepidationis appellarunt; Duos verò priores duobus aliis ſuperioribus Cœlis tribuerunt, ſicque tribus his Cœlis addendo ſeptem Cœlos Planetarum, fiet Cœlorum numerus denarius.

Cum autum motum illum trepidationis ut erat excogitatus, adverſari phœnomenis Copernicus deprehendiſſet, alio uſus eſt artificio ad ſalvandas apparentias illas de variatione obliquitatis Elcipticæ & magnitudinis anni: nam quatuor motus in ſtellis fixis apparentes introduxit qui à Reinholdo Calvio, Magino, cæteriſque hujus ſectæ Aſtronomis admiſſi totidem Cœlis tributi ſunt.

Primus eſt ab ortu in occaſum ſpatio 24. horarum, qui primo mobili tributus eſt, quod fecerunt Cœlum undecimum; in quo Æquator & Ecliptica præcipui circuli Cœleſtes facti ſunt ut ſuperiùs immobiles, cum ejus Eclipticæ (quam mediam vel regiam nuncuparunt) obliquitate media 23. graduum, 40′. prorſus invariabili, iſque motus diurnus appellatur.

Secùndus à Septentrione in Auſtrum & ab Auſtro in Septentrionem, tributus decimæ ſphæræ: quo poli Eclipticæ in hac etiam ſphæra conceptæ (quam fecere mutabilem ſive temporariam) à polis Eclipticæ primi mobilis ſive regiæ, ultrò citróque remeant ſub coluro Solſtitiorum, per arcum tantùm 12. minutorum ex Copernico, ut proinde totalis arcus hujus motus ſit tantùm 24′: Atque incepit motus hic initio Mundi ab extremo termino Auſtrali ipſius Arcus, tendens ad alterum extremum boreale reciprocè. Eſt autem motus hic in illis extremis tardiſſimus, ſed in medio, hoc eſt circa polũ regium Eclipticæ regiæ velociſſimus: ut proindè ab aliis dicatur polum Eclipticæ temporariæ non moveri in illo arcu coluri Solſtitiorum, ſed in circulo ex polo regio deſcripto, cujus diameter ſit ſubtenſa ipſorum 24′. eſt autem tota periodus hujus motus ex Copernico annorum Julianorum 3431., dierum 239. & vocatur hic motus librationis, quòd decima ſphæra cui tribuitur, non eò circumferatur, ſed tantùm per 12′. hinc inde à polo regio ad Auſtrum & Boream libretur, ſub Coluro ſolſtitiorum; ſicque obliquitas Eclipticæ temporariæ, quam continent, varietur, ipſa verò periodus dicitur anomalia obliquitatis Zodiaci ſive Eclipticæ temporariæ.

Tertius eſt ab ortu in occaſum, & ab occaſu in ortum tributus nonæ ſphæræ, quo ejus etiam Ecliptica prorſus coincidens cum decimæ ſphæræ Ecliptica, ſub hac in ortum & occaſum reciprocè movetur per arcum integrum 2. gr. 20′. ex Copernico, incipitque hæc altera libratio ab interſectione Æquatoris & Eclipticæ decimæ ſphæræ tendens ad occaſum per arcum 1. gr. 10′. indeque remeans ad ipſam interſectionem, atque pergens ad ortum per æqualem arcum 1. gr. 10′. reciprocè. At motu etiam inæquali; quippe velociſſimo in ipsa interſectione, vel medio arcus integri, tardiſſimo autem in ejus extremis, ut dictum eſt ſupra de prima libratione ad Auſtrum & Boream. Per hanc autem librationem (cujus tota periodus ex Copernico eſt annorum Julianorum 1715. dierum 302. accidit inæqualitas præceſſionis Æquinoctiorum, & per conſequens magnitudinis anni, ideóque tempus illud dicitur periodus anomaliæ præceſſionis æqninoctiorum; quæ ſubdupla eſt periodi anomaliæ obliquitalis Eclipticæ: motus enim anomaliæ obliquitatis Eclipticæ eſt duplò tardior motu anomaliæ præceſſionis æquinoctiorum, unde dato unius motu vel tempore, datur & alterius motus & Tempus ex Copernico.

Quartus denique proprius eſt ipſius ſphæræ fixarum, quo ſub Ecliptica noni ſive decimi Cœli (quam ſupra temporariam diximus) movetur ab occaſu in ortum, totam gyrationem abſolvendo in annis Julianis ex Copernico fere 25798. idque irregulariter, habitâ ratione initii Arietis Primi mobilis, at regulariter vel æquali motu habitâ ratione principii Arietis nonæ ſphæræ. Vocatur autem hic motus à Copernico ex Tabulis Prutenicis præceſſio æquinoctiorum, quòd Copernicus fixas non ſupponat moveri in conſequentia punctorum Æquinoctialium, ſed è converſo hæc puncta moveri in antecedentia fixarum.

Atque hi ſunt quatuor motus qui in ſtellis fixis fuere à Copernico ex ſuis & veterum obſervationibus animadverſi. Unde ſequitur quod propter librationem decimæ ſphæræ à Boreâ ad Auſtrum mutatur Planetarum latitudo non reſpectu Eclipticæ primi mobilis, ſive regiæ, quæ eſt invariabilis, omnique motu proprio carens, ut ipſæ Stellæ fixæ; ſed reſpectu Eclipticæ decimi, noni & octavi Cœli, ſub quâ unicâ Sol perpetuò apparenter movetur, & à quâ ſolâ vulgò ſumuntur fixarum latitudines: non eſt autem timendum ob librationem nonæ ſphæræ ab ortu in occaſum, fixas fieri retrogradas: quia motus octavæ ſphæræ, quo ſemper feruntur ad ortum, multò velocior eſt motu nonæ, proindeque à motu octavæ continuò promovebuntur ad ortum ſive in conſeqentia.

Keplerus verò repudiatis cum Copernico tribus Cœlis ſphæræ fixarum ſuperſtructis, ſuam de doctrinâ hac talem cenſuram in medium profert. Ait enim primò in Tabulis Rudolphinis *cap. 34. rem dubiam eſſe an ſæculorum ſucceſſu obliquitas Eclipticæ certò varietur*, habetque ſuſpectas obſervationes ſupra poſitas, quod non ſint temporibus ſuis proportionatæ, neque conſentaneæ hypotheſi motus varietatis ipſius obliquitatis, qui ſive fiat in arcu coluri ſolſtitiorum, ſive in circello ex Polo regio deſcripto, ponitur tardiſſimus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

mus in extremitatibus, cùm ſcilicet obliquitas eſt maxima, vel minima: Velociſſimus autem in medio, cùm eſt media: nam in annis 252. qui numerantur inter obſervationes Prophatii & Regiomontani decrevit obliquitas Eclipticæ duobus minutis, quod eſt contra hypotheſin; cùm tempore Copernici obliquitas fuerit minima, proin léque tardiùs multò decreſcere debuerit, quàm inter tempora Prophatii & Regiomontani. Clariùs autem multò loquitur cap. 12. his verbis. *Sed caput rei nondum attigi: ipſam ſcilicet obliquitatem Eclipticæ olim fuiſſe majorem, res non tantùm eſt dubia, ſed validis argumentis ex ipſis veterum obſervationibus à me convulſa & proculdubio planè falſa.* Idcirco ſuadet Keplerus ſpretâ hac dubiâ variatione obliquitatis Eclipticæ, perpetuò uti illâ quæ hodiè à peritiſſimis artificibus obſervatur, quam cenſet eſſe 23. 30′. 30″.

Deinde verò ait ſupra citato cap. 34. *Quod etſi daretur illa variatio, tamen quomodo fiat hactenus determinari non potuit: ſi enim polus Eclipticæ temporaneæ libratur in coluro ſolſtitiorum; nulla inde ſequetur anomalia præceſſionis Æquinoctiorum: ſed horum præceſſio perget motu uniformi ad antecedentia. At ſi libretur in circello circà polum Regium, inde pro certo orietur anomalia præceſſionis Æquinoctiorum; ut autem variatio obliquitatis turbat in Aſtronomiâ fixarum latitudinem præſertim earum quæ punctis Solſtitialibus vicinæ ſunt: ita anomalia præceſſionis Æquinoctiorum variatæ obliquitatis per arcellum filia turbat fixarum omnium longitudinem*, ut proinde Keplerus non obſcurè ſubindicet hos duos motus nempe variationem obliquitatis Eclipticæ & anomaliam præceſſionis Æquinoctiorum eſſe potiùs de medio tollendos quàm retinendos, admiſſis tantùm aliis duobus motibus in fixis apparentibus, nempe diurnum & præceſſionem Æquinoctiorum, ſive proprium earum motum ſub Dodecatemoriis.

Imò Kepleri opinioni maximè favet Scheneirus Libro de refractionibus Cœleſtibus, dum cauſam apparentis variationis obliquitatis Eclipticæ refert ad Solis refractiones ante Tychonis tempus neglectas, nec immeritò; quod Antiqui Solem ferè ſemper obſervaverint in Horizonte in quo maxima contingit refractio.

At certè priuſquam Keplerum aut Scheinerum legiſſem, mea jamdudum fuit ſententia ex Aſtrologiæ principiis deducta, illos duos librationis motus eſſe merè fictitios, quam poſtea non parum gaviſus ſum deprehendere rationibus Aſtronomicis atque Opticis ab illis duobus viris confirmari, quibus jam addendum eſt quod cùm ab antiquis ignota fuerint vera Aſtronomiæ principia à me inventa atque expoſita libro noſtro de longitudinum ſcientia, non mirum ſi in hiſce & aliis erraverint, & pleraque falſa introduxerint, ut ſuis erroribus animadverſis quoquo modo mederentur.

Quod autem Aſtrologia motus illos omninò reſpuat, ſic oſtenditur, Cœli enim & Planetæ eorumque motus ſunt propter aliquem neceſſarium finem: Quod nimirum Deus & Natura nihil faciant fruſtra; at talium motuum nullus finis aſſignari poteſt. Si quidem corporibus Cœleſtibus motus ad hoc tantum datus eſt, ut illorum virtutibus circulariter delatis atque diſperſis, hæ ſingulis Terræ partibus, ſinguliſque alterabilibus & generalibus applicarentur, diverſimodéque eidem alterabili ſeu generabili; quòd nempe Planetæ fixæ & Dodecatemoria quæ per ſe & penes naturam propriam agunt in hæc inferiora, pro diverſis invicem combinationibus diverſoque ſitu ad quamlibet Terræ partem, vel quodvis alterabile, diverſos ſpecie producant effectus, ex Aſtrologiæ principiis evidentiſſimis alibi expoſitis: Quorum effectuum motus ipſi corporum Cœleſtium non ſunt cauſa per ſe, ut malè opinatur Alkindus cap. 1. de mutatione temporis, ſed duntaxat per accidens: Quatenus, ſcilicet, hiſce motibus vires ipſorum corporum diverſimodè combinantur, ac deferuntur, applicanturque ſingulis Terræ partibus alterabilibus.

Jam verò ex librationis motu luxante Eclipticam totumque Cœlum à Borea in Auſtrum reciprocè non ſequeretur in corporibus Cœleſtibus, ſcilicet Planetis, Stellis & Signis diverſitas combinationis vel applicationis, ullius planè momenti pro diverſo ſpecie effectu producendo, vel ejuſdem ſpeciei effectu ſenſibiliter intendendo aut remittendo. Nam Aſtrorum conjunctiones partiles & platicæ producunt per ſe tantum eoſdem ſpecie effectus: attamen eò intenſiores ſive majores quò ipſæ conjunctiones fuerint partiliores: à conjunctionibus autem partilibus ♄ & ♂ in eodem Signo, nulla cæteris paribus oritur effectus diverſitas in ſpecie vel intenſione, ut conſtat experientiis Aſtrologicis: Atqui motus ille librationis, ſitum Planetarum vel in Signis vel inter ſe varians duntaxat 12′. hinc inde ſpatio 3431. annorum; etiam à principio ad finem hujus periodi, vix partiles conjunctiones vel aſpectus alteraret, indeque vix ſenſibilem cauſaret ejuſdem ſpecie effectus intenſionem aut remiſſionem, toto autem intermedio tempore, tam aſpectuum partilitas, quàm ſitus Aſtrorum in Signis, multò minorem variationem admitterent; indeque multò minùs ſenſibilis accideret effectuum non ſpecie, ſed duntaxat intenſione differentia. Cùm ergo iidem ſpecie & intenſione producantur effectus ſine librationis motu atque cum illo, patet ipſum in naturâ ſuperfluum eſſe, ideóque merè fictitium.

Idem dicendum de altero librationis motu reciproco ab ortu in occaſum, dum præſertim (ut ait Keplerus) hæc anomalia, alterius ſuprapoſitæ filia eſt: ſunt igitur illi motus planè fictitii.

Caput III.

Cœli ſunt corpora ſimplicia, nobis immenſæ vaſtitatis.

De primo Cœlo hoc inde probatur. Nam cùm detur ſimplex natura Elementalis & ſimplex Ætherea ex ſupradictis, multò magis rationi & naturæ ordini congruit, ut detur ſimplex natura Cœleſtis; quæ ut puritate atque virtute, ita ſimplicitate cæteris excellat. Alioquin ſi nulla daretur ſimplex Natura Cœleſtis, hoc eſt quæ nullam principiorum materialium admittat compoſitionem: ergo primum Cœlum erit mixtum ex ſibi inferioribus Elementis, nulla enim miſcibilia dantur ſupra Cœlum ipſum: Quæcumque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

verò ſint illa inferiora, primi Cœli locus non erit ei naturalis, ſed ſaltem locandus erit ſub Elementorum ſuorum ſupremo, cui ex naturâ debetur locus ſuper reliqua inferiora, imò ſuper quæcumque mixta ex illis inferioribus, quod erit abſurdum.

Præterea quoniam in mixtione remanent actu qualitates Elementorum miſcibilium: Nec alia de causâ fit mixtio ad formam ſubſtantialem, quàm quia miſcibilium qualitates ſunt congrua ad ipſam formam diſpoſitio, ergo primum Cœlum eſſet actu ſive formaliter calidum, frigidum, humidum atque ſiccum: hoc autem eſt abſurdum: eſt enim duntaxat eminenter calidum aut frigidum, &c. atque ex ſe indifferens ad utrumlibet, & ad quodlibet determinabile ſecundùm quamlibet ſui partem, ut oſtendetur lib. 14. nec calor actualis aut temperies ex actualis caloris & frigoris mixtione orta poteſt ad frigus reſpectu cujuſcumque patientis determinari, ut Cœlo accidit: non igitur primum Cœlum eſt corpus mixtum ſed ſimpliciſſimum, imò aliud à quolibet Elementorum inferiorum.

In præcipuis ergo Mundi corporibus, Terrâ ſcilicet & hanc ambientibus probatâ ſimplicitate ad ætherem uſque, ac in primo Cœlo: abſurdum eſſet ordine naturæ interrupto mixtionem in ſphæra fixarum introducere: cum præſertim nullam Eterogeneitatis aut rationem ſuppeditet aut notam objiciat; fixæ enim ſunt veluti lapides pretioſi, vel metalla in viſceribus Terræ, quæ eſt tantùm matrix ſive locus in quo diverſæ ſpeciei piſces generantur: & nihilominùs Terra & Aqua cenſentur eſſe corpora ſimplicia, hoc eſt quorum natura non conſtet per ſe ex diverſorum corporum mixtione: viam autem lacteam & nubem propè polum antarcticum, à reliquo Cœlo ſola denſitate differre apud omnes receptum eſt. vide cap. 9. ſect. 3. libri 9.

Quod autem Cœli ipſi nobis ſint immenſæ vaſtitatis patet, quia ſi nequidem metiri poſſumus diſtantiam Terræ à fixis, vel concavum ſphæræ fixarum: multò minùs ejus & inviſibilis primi Cœli vaſtitatem metiemur.

Caput IV.

Dantur in rerum natura tria genera corporum ſimplicium, & qualis ſit ſingulorum natura.

TRia enim genera corporum ſimplicium ſunt, Elementa, Cœli & Æther, de quibus ſupra. Porrò corruptibilia eſſe Elementa nemo ambigit. Iis enim formaliter inſunt primariæ Cauſæ generationis & corruptionis naturalis, quippe qualitates contrariæ, calor, frigus, humiditas & ſiccitas: ſuntque commune ſubjectum generationis omnis naturalis. Cœlis verò quia non inſunt formaliter ullæ ex ipſis qualitatibus contrariis, ſed tantùm primo Cœlo inſunt eminenter ex cap. 3. jure à Philoſophis omnibus habiti; fuerunt ipſi naturaliter incorruptibiles; qualem etiam decet eſſe primam cauſam phyſicam, quippe Cœlum primum; ne in cauſarum phyſicarum ſerie, vel fiat progreſſus in infinitum, vel circulatio perpetua, quorum utrumque abſurdum; primum quia præter DEUM non datur infinitum: ſecundum verò quia idem non eſt ſibi ipſi cauſa in eodem genere cauſæ. At æther vinculum materiæ cum formâ in mixtis omnibus naturalibus, ut ſitu medius eſt inter Cœlum & Elementa; ita & natura; neutrius enim naturæ formaliter particeps ad utramque nihilominus propendet, cum incorruptibilibus incorruptibilitati, & cum corruptibilibus corruptibilitati ſeſe accommodans, ſicut patet in mixtis ſublunaribus, in quibus Ariſtoteles & Medici cap. 1. ſect. 2. tum rationes ibidem ætherem admiſerunt, etſi ex ſuâ naturâ contrariis formaliter vacuum: ideóque ex ſe incorruptibile: quodque idcirco non excluditur ab incorruptibilium mixtione poſito quod hæc detur in rerum naturâ.

Caput V.

Supra primum mobile datur Cœlum Empyreum regio Beatorum.

HOc Cœlum nullo lumine naturali, ſed ſolâ fide nobis innoteſcit. Datur autem ex pluribus ſacræ Scripturæ locis. Imò Dominus ac DEUS noſter JESUS CHRISTUS Mathæi cap. 6. ſuos orare docens diſcipulos ait illis. Sic ergo vos orabitis. *Pater noſter qui eſt in Cœlis.* & cap. 16. reſpondens Dominus JESUS Petro, dixit ei *Beatus es Simon Bariona; quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui in Cœlis eſt.* Et ut evidentiùs oſtenderet Patrem ſecundùm gloriæ ſuæ manifeſtationem eſſe in Cœlo. Tandemque Actuum cap. 1. *Dominus JESUS videntibus diſcipulis elevatus eſt: cùmque intuerentur in Cœlum euntem illum, ecce duo viri aſtiterunt juxta illos in veſtibus albis qui & dixerunt, viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in Cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in Cœlum.* Idemque adeò evidens eſt pluribus aliis Scripturæ locis ut nefas ſit de hoc dubitare Cœlo, propria DEI baſilica, in quâ ſui viſione intuitivâ, amore, unione &, fruitione, rationales creaturas beat in ſempiternum.

Quod autem Cœlum hoc ſit ſupra primum mobile, inde conſtat, quia Mundus corruptibilis extenditur à Terrâ ad primum mobile, iſque totus in fine ſæculorum mutabitur, fietque Cœlum novum & Terra nova ex cap. 21. Apocalip. tum Pſal. 101. *Initio tu Domine Terram fundaſti & opera manuum tuarum ſunt Cœli: ipſi peribunt, tu autem permanes & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent: & ſicut opertorium mutabis eos & mutabuntur.* Tum Marci cap. 13. ubi Dominus JESUS ſic ait. *Cœlum & Terra tranſibunt*: at Cœlum Empyreum propria beatorum regio eſt Mundus incorruptibilis; ergo ut toto genere differunt, ita & loco & ſitu differre decet: tandem ſi Lapidibus, Plantis, Animalibus, Planetis & Stellis proprias ſphæras atque regiones omnipotens, infinitéque ſapiens rerum Conditor aſſignavit, quis ſtolidus opinabitur eundem ſuis Angelis & beatis proprium non aſſignaſſe locum, imò ab omni corruptibilitate liberum: proindeque corruptibili Mundo ſuperiorem: Eſt igitur Cœlum Empyreum ſupra primum mobile.

Hinc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Hinc verò jure dictum videmus à Divo Paulo ſe raptum fuiſſe uſque ad tertium Cœlum, quòd in noſtrâ ſententiâ tres tantùm dentur Cœli, quippè ſphæra fixarum, primum mobile, & Empyreum; de cujus materiâ, formâ & pulchritudine ſolus ipſe D. Paulus in hoc tertium Cœlum raptus eloqui potuiſſet; cùm autem ipſi non licuerit, hoc non videtur inquirendum, ſed duntaxat credendum regionem illam dotibus, pulchritudine & amplitudine humanum omnem excedere captum, eſſeque ineffabili luce perfuſam. Si enim Mundus hic ſenſibilis ſolius hominis gratiâ conditus, ut conſtat ex ſcripturis & obſervationibus Aſtrologicis, adeò vaſtæ eſt amplitudinis, ut à Terrâ proprio hominis loco ad ſphæram fixarum ſint ſaltem $20833\frac{1}{4}$ ſemidiametrorum Terræ ex cap. 3. ſect. 2. nondum computatâ ipſius ſphæræ & primi mobilis profunditate inæſtimabili: quas metas Cœlo aſſignabimus Empyreo in quo Deus 9 ordines atque regiones ſpirituum Cœleſtium diſtinxit, & ſuam ipſemet explicat immenſitatem? Itaque his omiſſis quæramus duntaxat, quâ viâ ad illam infinitæ atque æternæ fœlicitatis regionem perveniatur, & hac rectâ incedamus: quod nobis omnibus concedat ipſe qui eſt via, veritas & vita æterna. Amen.

Cæterùm coronidis loco videntur hic apponenda quæ de ipſis tribus Cœlis, ac præſertim Empyreo ſcripſit D. Joannes Rusbrochius ſanctiſſimus diviniſſimuſque contemplator in ſuo divino opere de verâ contemplatione: quæ enim lumine naturali mihi innotuerunt de corporibus Cœleſtibus eorumque viribus antequam ejus opera in manus meas incidiſſent, adeò quadrant iis quæ de ipſis corporibus inſtinctu Spiritus ſancti ſcripſit, ut non ſine ingenti gaudio concurſum illum ſæpe miratus ſim; ingenuéque faſſus, nullum ex veteribus Aſtrologis extitiſſe qui Divo Rusbrochio in verâ Aſtrologiæ cognitione non fuerit inferior: quod hic obiter dictum ſit in confuſionem Theologorum, Aſtrologiæ non modò ignarorum, ſed etiam perſecutorum: legatur ſupradictum opus.

Itaque cap. 13. hæc habet. *Porrò Cælorum Natura ex tribus præcipuis ſive principalibus conſiſtit Cælis, quorum primum dicitur firmamentum, alterum Cælum Chryſtallinum, tertium Empyreum, quæ omnia perlucida ſunt atque perſpicua: Et in tertio Empyreo Cælo DEUS habitat, vivit, & regnat cum omnibus Sanctis ſuis.*

Et cap. 13. *DEUS*, inquit, *ſecundum figuram ſuam ſupremum Cælum ſimplicem & igneam fecit claritatem ex Naturâ & eſſentiâ perpetuò tranquillam & immobilem; in ſimplici eſſentiâ perpetuò immotam, perſpicuam, lucidam & claram, cuncta magnitudine, ſublimitate & amplitudine excedentem, incorruptibilem, ſphæram ſempiternam, ambientem omnia quæ in materia condita ſunt à DEO. Et hoc ſupremum Cælum Empyreum eſt, quod Divinæ Majeſtatis habitatio, Palatium & Thronus eſt, in quo DEUS cum omni ſua familia vivit & regnat*, &c.

Et libro ſecundo de ornatu ſpiritualium nuptiarum cap. 52. ſic loquitur. *DEVS quidem optimus maximus ſupremum ita condidit Cælum, puta Empyreum, ut ſit pura quædam & ſimplex claritudo, Cælos omnes & quidquid eſt in creatis rebus corporeum ac materiale ſuo ambitu circumplectens. Si quidem externa eſt habitatio ac regnum DEI & ſanctorum ejus, gloriâ, perennique gaudio affluentiſſimum. Quod cùm ſit æterna, ſimplex ac impermixta claritas, nullum neque tempus, neque locum, neque motum, neque ullam unquam mutabilitatem admittit: quandoquidem fixum ac firmum & ultra materialia cuncta incommutabile perſeverat. Huic proximè ſuccedit illud Cælum, quod primum mobile dicitur, ubi motus omnis initium accipit ex ſupremo Cælo DEI virtute derivatum: quo deinde motu Firmamentum & Planetæ omnes circumaguntur, & corporeæ creaturæ omnes ſuo quæque modo vegetantur.* & cap. 4. libri, qui inſcribitur Regnum Deum Amantium. De his Cœlis iterùm loquens hæc peculiariter habet de primo mobili. *Atque huic primo mobili Planetæ curſuſque Cæli & cuncta ſubjacent Elementa, omniſque adeò natura corporea pro ipſius influentiâ operatur.*

De Planetarum autem viribus & influentiis in hæc inferiora, ipſumque hominem quàm doctè, verè & piè ſcripſerit, legatur in ſupra dicto opere de contemplatione, ac præſertim cap. 67. in fine, ubi concludit, *& omnes quidem ſecundum mortale corpus ſive mortalem naturam filii Planetarum ſumus: ſed ſecundum naturam ſpiritualem quæ nunquam interire poterit, DEI filii omnes ſumus.* Quæ verba aurea de Cœlis & Planetis verè divinum lumen divinamque veritatem ſapiunt.

Caput VI.


Quis ſit in Aethere ordo Planetarum, & quale Syſtema totius Mundi.

Variæ fuerunt hac de re apud veteres Philoſophos atque Aſtronomos ſententiæ, quibus omiſſis tres tantùm præcipuas recenſemus.

Prima eſt Ptolemæi, quæ etſi in ejus Almageſto non ſit typicè expreſſa; ex ipſo tamen opere colligitur, aſſeritque Ptolomæus eandem fuiſſe ſententiam antiquiorum, nempe Tymocharidis, Hipparchi & Archimedis. Ponit autem hæc ſententia Terram in mundi centro cum regione Elementari, & circa hanc orbem Lunæ, circa quem orbis Mercurii, tum orbes Veneris, Solis, Martis, Jovis, Saturni & Stellarum fixarum: quos omnes complectitur primum mobile, ut patet in figurâ ſequenti, cui Clavius & Maginus ex Copernici doctrinâ duos alios orbes inter primum mobile & Sphæram Fixarum adjecerunt ob duos motus librationis ſupra à nobis rejectos, ſicque ii orbes ſolidos atque mobiles poſuerunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4


Syſtema Mundi ex Ptolomæo.



Cùm autem hæc vetuſtiſſima ſententia apud Ptolemæi ſucceſſores in Aſtronomiâ viguiſſet ad noſtra uſque tempora ; tandem Copernicus vir admirandi ingenii occaſione ſumpta ex Pytagoræis Philoſophis, ac præſertim Ariſtarcho, Solem Terramque tranſpoſuit : & aliud ſyſtema exhibuit, in quo, ſcilicet, Sol quieſcit, in Mundi centro; circa quem proximè convertitur Mercurius, tum deinde Venus, poſtea verò Tellus in propria ſimiliter orbita circa Solem mobilis annuâ periodo, inſuper autem mobilis circa proprium axem diurna periodo, ſive ſpatio 24. horarum, eâ tamen lege, ut Tellus circumferat Lunam in Epicyclo mobilem circa Terram ipſam ſpatio temporis menſtruo. Deinde Telluris orbitam proximè ſequitur orbita Martis, tum Jovis, tum Saturni, ac denique ſphæræ fixarum immobilis, ſupra quam nullum aliud Cœlum collocat, ut videre eſt in ejus hîc appoſito ſchemate.

Syſtema

Syſtema Mundi ex Copernico.



Tandem Tycho Brahæus Tellure in Mundi centro ex reſtitutâ mente Ptolomæi celebriorumque Philoſophorum, circa illam deſcripſit orbitam Lunæ, & circa hanc circulum Solis, ex quo tamquam centro deſcripſit ex mente Corpernici orbitas reliquorum Planetarum, & quidem orbitam Mercurii fecit proximam Soli, tum Veneris, Martis, Jovis & Saturni: ſic tamen ut orbitæ Mercurii & Veneris Terram non ambirent, ſed tantùm reliquorum Planetarum orbitæ, nihilominùs Martis circulus Solis circulum interſecaret, Solem & Terram induens. Tandemque ſupra Saturnum collocavit Cœlum fixarum ex Terræ centro deſcriptum, ut proinde ejus inventio media ſit inter Ptolemæi & Copernici ſyſtemata, & ex utroque participans. Unde ut Copernici ſyſtema ob Terræ motum à nobis rejicitur, ita Tychonicum approbatur cum Longomontano aliiſque viris graviſſimis, cujus hic figura apponitur, primo tamen Mobili à nobis ſuper aucta, circa quod Empyreum expanditur.

Unde profectò non valdè mirari nequeo quod Galilæus Galilæi in ſuâ Epiſt. dedicatoriâ ad Ferdinandum II. Hetruriæ Ducem, quæ præmittitur ejus quatuor dialogis de ſyſtemate coſmico, tam parvi fecerit nobiliſſimum & toto Terrarum orbe in Aſtronomia celebratiſſimum Tychonē Brahæum; ut nec ejus nominis nec ejus ſyſtematis inter extrema Copernici & Ptolemæi ſyſtemata ſapientiſſimè excogitati meminiſſe voluerit, ſumméque laudatis Ptolemæo & Copernico ſuorum Dialogorum doctrinam fundet duntaxat in illis duobus ingeniis, quæ *ego*, inquit, *pro maximis habeo omnium, quorum ad nos in hoc ſpeculationum genere ſcripta pervenerunt*: quamvis utrique Tycho Brahæus in obſervationibus Aſtronomicis longè palmam præripuerit: an verò Galilæus id ignorantiâ dixerit, quod Tychonis opera non viderit, an merâ invidiâ, quòd ſyſtema Tychonis evertat ſyſtema Copernici pro Telluris motu, quo Galilæus unicè delectabatur, penes ſagaciores lynceos judicium eſto.

Syſtema Mundi ex Tychone Brahæo.



Caput VII.

An primum ſive Empyreum Cœlum influat in hæc inferiora, & quid influat.

HOc opinati ſunt aliqui ac inter ipſos D. Thomas quodlibeto 6. art. 19. quorum opiniones & rationes exponit Juſtinus commentario in ſphæram Joan. de Sacroboſco.

Prima ratio eſt D. Thomæ ſic arguentis. Totum univerſum eſt unum unitate ordinis, qui in eo conſiſtit ut corporalia regantur à ſpiritualibus, & inferiora corpora à ſuperioribus. Ergo ſi Cœlum Empyreum nec regitur ab aliis corporibus, nec alia corpora regit, influendo in ea non continetur ſub unitate univerſi.

Secunda ratio eſt ejuſdem D. Thomæ. In rerum ordine uniformitas præcedit difformitatem: ſed in Cœlis mobilibus reperitur difformitas, ſiquidem primum mobile movetur ad occaſum, & Firmamentum è contrario ad ortum, ſicut & Planetæ omnes. Ergo ſupra hos Cœlos dari debet Cœlum quieſcens, quod per quietem influat, ut illi per motum: nam in omni motu reperitur diverſitas, in quiete autem idemtitas.

Tertia. Quantò corpus ſimplex ſublimius eſt, tantò nobilius eſt, majoriſque virtutis: at Cœlum Empyreum eſt corpus ſimplex omnium ſupremum, ergo præ omnibus maximæ virtutis, quam per conſequens ad hæc uſque inferiora pertingere, in eaque influere non eſt denegandum.

Quarta: Sub eodem Parallelo naſcuntur res diverſæ, & diverſi ſunt gentium ritus atque mores. Hoc autem non poteſt referri ad influentiam Cœli mobilis vel alicujus aſtri: nam Cœlum & Planeta quilibet ſe habet eodem modo ad totum ipſum Parallelum diebus ſingulis (Lunâ aliquantùm exceptâ) etſi non diebus omnibus. Ergo referri debet ad Cœlum immobile, cujus ſingulis partibus aliqua Terræ pars immobiliter ſubjacet, & ſingulæ Cœli ipſius partes ſingulis Terræ partibus ſibi ſuppoſitis diverſè influunt.

Omitto alias rationes quod hæ ſint præcipuæ; atque dico quod ſi primum Cœlum influit in hæc inferiora, ſaltem non influit diverſa & per ſuas partes, ut primum mobile diviſum in ſigna Dodecatemoria 12. Alioquin partes ipſæ eſſent diverſæ inter ſe Naturæ, ut vult ratio 4. nec eſſent diverſæ per determinationem ut dicitur de Dodecatemoriis lib. 14. Sed eſſent inter ſe formaliter diverſæ: ſicque Cœlum Empyreum non eſſet corpus ſimplex (quod tamen ab omnibus conceditur) ſed eterogeneum. Ac præterea gentium fœdi ac belluini mores Cœlo ipſi eſſent per ſe primò adſcribendi, quod nefas eſt aſſerere, ſicque rationis 4. falſitas oſtenditur in quantum Terrarum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

rum & Gentium ſub eodem parellelo diverſitatem, vult referri ad diverſas partes Empyrei Cœli: ſi ergo Cœlum hoc influit in hæc inferiora, influit tantùm idem & per ſe totum, non autem diverſa qualia ſunt ſignificata eſſentialia 12. domorum figuræ Cœleſtis. Eſt autem Cœlum quietis & beatitudinis ex ſua Natura, hoc eſt factum ad beatitudinem, & quidem quam appetunt omnes animæ rationales. Ergo ſi influit tantum in homines, influit naturalem appetitum quietis & beatitudinis: unde fit ut ad quietem & beatitudinem ſuſpirantes ad Cœlum ipſum oculos & corporis & mentis attollant, quaſi magneticè facti atque tracti. Et cum hac ſententiâ noſtrâ optimè conciliari queunt. 3. priores rationes ſuperius appoſitæ, quæ non neceſſariò concludunt. Quid autem aliud influere queat communibus, non video aſſignari poſſe, ſiquidem certum eſt quod nihil influat eorum quæ pertinent ad ſignificata eſſentialia 12. ſpatiorum figuræ, quæ tamen complectantur quidquid mutabile poteſt homini accidere, & quorum cauſæ influentiales patent evidentèr in Signis, Planetis & fixis, prout ſunt in Cœleſti figura, ut proinde abſurdum ſit illas quærere in Cœlo Empyreo, quod duntaxat nomine tenus & ſola fide nobis innoteſcit. Unde nihil mirum ſi plærique nullam influentiam in hæc inferiora à tali Cœlo ſupernaturali potius quàm naturali admittant. Quippe quod nulla ab ipſo prodire obſervetur, imò nec ſit obſervabile; excepto forſan ſupradicto Beatitudinis appetitu in his qui DEUM aliquem & animæ immortalitatem credunt.

Divus quidem Rusbrochius, de quo ſupra cap. 5'. in ſuo lib. 2. de ornatu ſpiritualium nuptiarum cap. 52. ait, primum mobile accipere ex Cœlo Empyreo motus omnis initium DEI virtute derivatum. Sed quod hic motus ſit ad occaſum potiùs quàm ad ortum à ſola DEI voluntate pendere mihi videtur; quamvis dici queat Empyreum licet immobile poſſe ex ſe motum illum continuare quandiu DEUS voluerit. At dicetur, ſolam ergo DEI voluntatem ſufficere, cùm & initium ac finis ipſius motus ei neceſſariò ſit tribuendus, ipſaque ſit omnipotens & nihilo indigeat.

FINIS LIBRI TERTII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ASTROLOGIÆ GALLICÆ LIBER QVARTVS.

De Entium creatorum extenſione & quantitate continua.

PRÆFATIO.

PLeriſque forſan videbitur alienum ab ASTROLOGIA GALLICA de Entium extenſione & quantitate continua diſſerere. At quia corporum Cæleſtium radii extenſionem, mixtionem, penetrationem & reflexionem admittunt; ut perfectiùs eorum agendi modi cognoſcantur, neceſſe Nobis viſum eſt de his hoc in libro agere: cùm præſertim iſta doctrina totius Phyſicæ ſubtiliſſima, & hactenus obſcuriſſima, etiam neceſſaria ſit ad doctrinam de Loco atque Motu, de quibus ſubſequenter acturi ſumus. Et quamvis Liber hic mole ſit exiguus, tamen non exigui apud Philoſophos & Theologos momenti doctrinam continebit.

CAPUT I.

De propria Extenſionis Natura.

ENtis realis extenſio duplex eſt: nempe finita & infinita. Extenſio finita, eſt modus entis creati, quo ipſum ens aliquam partem ſpatii occupat, actu vel poteſtate. Quæ definitio ut perfectiùs innoteſcat: notandum eſt, nullum ens creatum eſſe infinitum extenſione; ideoque nec ubique eſſe, ſed alicubi. Eſt autem duplex ubi, nempe indiviſibile, quod eſt punctum Mathematicum ſpatii; & diviſibile, quale eſt pars ſpatii. Poteſt autem utrumque ubi convenire tum ſpiritualibus, tum corporeis entibus: Atque de diviſibili id certum eſt; quoniam omne ens creatum eſt alicujus extenſionis particeps ſive capax: ut patet ſenſui in corporibus, tum intellectui in anima rationali; quæ ſuo coextenditur corpori; & Angelo qui corpori aereo quod aſſumit ad ſe manifeſtandum, coextenditur. De indiviſibili verò id infra probabitur. Ipſa autem extenſio finita dicitur eſſe modus entis creati; quia ens increatum ſive DEUS caret modis: Ideoque à D. Joan. Rusbrochio rectè vocatur modi neſcius, hoc eſt modis carens. Reliquum definitionis eſt formalis ratio definiti. Nam quia omne ens creatum eſt alicujus extenſionis particeps ſive capax, non tamen infinitè extenſum; ſequitur quod per ſuam extenſionem occupet duntaxat aliquam ſpatii partem, actu vel poteſtate.

At extenſio infinita, cùm ſit ipſa immenſitas, Soli DEO convenit qui dicitur immenſus & Cœlorum ambitu non incluſus. A Mercurio autem Triſmegiſto dicitur eſſe ſphæra, cujus centrum eſt ubique, circumferentia nuſquam: proindeque ſphæra hæc modi neſcia eſt, vel modi vacua; cùm ſphæræ creato intellectui comprehenſibilis, omnem modum excedat.

Porrò duplex eſt extenſio finita. Una ſpiritualis, quæ entibus duntaxat ſpiritualibus convenit; & per quam ipſa quidem coextenduntur toti ſpatio vel ſubjecto quod occupant; non tamen dividuntur ad diviſionem ipſius ſubjecti vel ſpatii, quòd nempe non conſtent partibus entitativis in quas dividi queant: ideoque ſint ex ſe indiviſibilia, totaque in toto, & tota in qualibet parte ſpatii, ſive ſubjecti. Atque ſic ſe habet anima rationalis in humano corpore, & Angelus in ſuo loco. Altera autem extenſio eſt corporea; & convenit materiæ, omnique formæ materiali, ſive ſit ſubſtantialis ut forma plantæ, ſivè accidentalis ut color, calor. &c. Ac in ſumma convenit omni corpori naturali, vel enti quod conſtat partibus entitativis, quæ per extenſionem hanc ponuntur extra ſe mutuò, ſui totiuſque reſpectu, unde ipſum ens diviſibile eſt in partes entitativas.

Denique extenſio tam ſpiritualis quàm corporea eſt iterum duplex: Nempe intrinſeca quæ eſſentialis dici poteſt; & extrinſeca quæ eſt accidentalis. Intrinſeca eſt in qualibet re extenſa invariabilis, magnitudine & figura: Extrinſeca verò eſt variabilis. Idque patet tam in ſpiritibus quàm in corporibus: Nam Angelus extenſionem ſuam extrinſecam variat pro arbitrio in magnitudine & figura, apparens ſub diverſis formis; & nihilominus manet extenſione intrinſeca ſemper idem: & in ſacra Synaxi corpus CHRISTI manens idem extenſione intrinſeca, & quantum eſt in Cœlo, variatur extrinſeca extenſione tam in magnitudine quàm in figura, dum exiſtit ſub qualibet particula ſpecierum ſacramentalium.

CAPUT II.

De quantitatis continuæ Natura propria: Et primò an idem ſit cum re quanta.

QUantitas continua non idem eſt quod extenſio, de qua ſuperiori capite actum eſt; nam etſi omne continuè quantum ſit formaliter extenſum; non tamen viciſſim omne extenſum eſt formaliter continuè quantum. Hominis enim anima

verè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

verè per totum corpus quod informat extenſa eſt, nec extenditur à corpore, ſed ſe ipſam extendit in totum corpus prout ipſum informat, & corpus augeſcit: attamen ipſa non eſt continuè quanta, alioquin eſſet diviſibilis; quod omne continuè quantum habeat partes, ut infra patebit. Quantitas ergo continua ſe habet ad extenſionem ut ſpecies ad ſuum genus: eſt enim quædam ſpecies extenſionis.

Cæterùm hîc imprimis examinanda videtur opinio Clariſſimi viri Renati Carteſii, qui part. 2. princip. Philoſ. art. 8. cenſet quantitatem continuam, idem eſſe realiter cum re quanta; hæcque duo ſola mentis operatione diſtingui: Rem verò quantam vocat materiam ſive corpus.

Ejus autem rationes ſunt, Prima. *Quòd natura materiæ ſive corporis univerſim ſpectati tantùm conſiſtat in eo, quod ſit res extenſa in longum, latum & profundum*, ut ait art. 4. vel ut ait prima parte art. 53. *extenſio in longum, latum & profundum, conſtituat naturam corpoream. Secunda. Quod ſi ab idea alicujus corporis, verbi gratia Lapidis, rejiciamus id omne quòd ad corporis naturam non requiri cognoſcimus, ut duritiem, colorem, calorem, frigus, cæteraſque qualitates; advertemus in ipſa idea nihil planè remanere, præterquam quòd ſit quid extenſum in longum, latum & profundum*, ut ait art. 11. *Tertia. quòd à ſimili numerus ſolo mentis conceptu differat à rebus numeratis.*

At vir iſte circa lineas, ſuperficies & corpora Mathematica, tum circa numeros peritiſſimus, noſtrique ſeculi decus; hîc circa phyſicum corpus de quo tractat, haud parum hallucinatur; nec ſua dogmata probat: in prima enim ratione confundit naturam materiæ cum natura corporis phyſici, quæ tamen duo non ſunt idem, materia enim eſt tantùm ſubſtantia incompleta, & primum principium corporis phyſici univerſim ſpectati: ipſum verò corpus eſt ſubſtantia completa, conſtans ex materia & forma ſubſtantiali, quæ neque eſt materia neque corpus; quamque ipſe Carteſius admittit cum aliis Philoſophis in ſuo Tractatu de Meteoris, pag. 164. Quænam autem erit ſubſtantia? Nam poſtquam prim. part. princip. art. 51. aſſeruit, *per ſubſtantiam nihil aliud intelligi poſſe, quàm rem quæ ita exiſtit, ut ſolo D E I concurſu indigeat ad exiſtendum*; dividit deinde ſubſtantiam incorpoream, quam vocat materiam ſive corpus, & cogitantem quam appellat mentem. At forma ſubſtantialis lapidis, ut ſaphyri, vel forma auri, neque eſt materia vel corpus, neque mens. Quod ſi dixerit ſubſtantialem formam non eſſe ſubſtantiam, quia indiget materiâ ad exiſtendum: Ergo nec materia erit etiam ſubſtantia, nam ſine forma ſubſtantiali exiſtere nequit, ſaltem naturaliter. Præterea ſi mens, forma ſubſtantialis hominis eſt ſubſtantia, cur alia quævis ſubſtantialis forma non erit ſubſtantia? Scio illum in eo convenire cum Epicureis, quod velit formas ſaphyri, auri, bovis, equi, &c. non eſſe ſubſtantias, ſed duntaxat modos ſubſtantiæ: ſed ut probavi contra Gaſſendum Epicureum, præſertim in Epiſtola Panurgi, ubi agitur de corporum principiis, bos & equus non different ſubſtantialiter, multaque alia ſequentur abſurda. Patet igitur confuſio ſupradicta. Omitto quod dum ait D. Carteſius naturam corporis univerſim ſpectati tantùm conſiſtere in eo, quod ſit res extenſa in longum, latum atque profundum; paralogiſmo peccat, non probans id quod aſſeverat. Adde quod inde ſequetur Angelum eſſe corpus formaliter, cùm propriam habeat extenſionem ſpiritualem, etiam in longum, latum & profundum, ſine quibus dimenſionibus nulla extenſio finita vel infinita concipi poteſt.

In Secunda autem ſua ratione rurſus paralogiſmo peccat; non probans quod à lapide rejectis iis omnibus quæ ad naturam corporis non requiri cognoſcimus, ut duritiem, colorem, calorem, &c. nihil in idea lapidis illius remaneat præter quid extenſum in longum, latum & profundum, quod idem eſt realiter cum ipſa extenſione, neque id probari poteſt, cùm remaneant materia & forma ſubſtantialis lapidis, quæ non fuerunt rejectæ à lapide, quæque conſtituunt naturam corpoream phyſicam ipſius lapidis; non autem quantitas adhuc reſtans, quæ eſt tantùm accidens ipſius corporis phyſici extrinſecum, ideóque ab ipſo ſaltem vi divina ſeparabile. Sed inſuper patet quàm malè aſſerat art. 53. extenſionem in longum, latum & profundum conſtituere naturam corporis, cùm hominis anima ſive mens ſit extenſa, ſicut & Angelus, & tamen nec ipſa anima nec Angelus ſunt corpora prout corpus ſumitur à Carteſio, ipſumque opponit naturæ cogitanti: ergo extenſio in longum, latum & profundum non conſtituit naturam corporis phyſici, ſed ſola compoſitio materiæ atque formæ ſubſtantialis.

In Tertia denique ratione fallitur. Nam cujuſque entis unitas eſt ipſi eſſentialis; proindeque inſeparabilis; non autem quantitas: ideoque tres lapides ſublatis eorum tribus unitatibus non erunt ampliùs tres lapides: at ſublatis eorum tribus quantitatibus continuis, erunt nihilominus tres lapides, quia quantitas continua non eſt de eſſentiâ lapidis. Vanæ ſunt igitur rationes quibus probare nititur D. Carteſius, quantitatem à ſubſtantia quanta non realiter, ſed ratione ſola diſtingui, ſibique hac in parte contrariatur, dum prim. part. princip. art. 60. diſtinctionem realem conſtituit inter ea quorum unum abſque altero clarè ac diſtinctè intelligere poſſumus. Nam corpus phyſicum & quantitas ejus continua, ſeorſim clarè & diſtinctè intelligi queunt.

Accedit quod in meditationibus ſuis metaphyſicis, objectum ſit à Theologo, tale dogma contrariari doctrinæ Catholicæ de ſacro ſancto Altaris myſterio: & fide credamus quòd ſublatâ ab Euchariſtico pane, panis ſubſtantiâ per tranſſubſtantiationem, ſola remaneant accidentia realia, nempe quantitas, figura, calor, odor, ſapor, & quæ per conſequens realiter differunt à ſubſtantia panis.

Quam objectionem ut diluat Carteſius, Primò ſupponit in pane & vino ante conſecrationem, multa eſſe ſpatia ſive poros plenos Aere vel alterâ materiâ à ſubſtantia panis aut vini alienâ. Secundò negat ſuperficiem panis eam eſſe, quæ breviſſimo ambitu cingit panem integrum, ſed eam quæ ſingulis particulis propriæ ſubſtantiæ panis immediatè circumponitur: quæque ſuperficies non eſt pars ſubſtantiæ aut quantitatis ipſius panis; ſed tantummodo terminus, qui medius eſſe concipitur inter ſingulas particulas ſub-

ſtan-

ſtantiæ panis, & corpora ipſas ambientia. Qui terminus (ait) nullam planè habet entitatem niſi modalem, cùm ſit tantùm modus afficiens vel varians particulas ſubſtantiæ panis, juxta art. 55. prim. part. princip. Tertiò ait omnem ſenſationem fieri per contactum mediatum vel immediatum talis ſuperficiei vel termini. Tandem verò concludit, quod ſi panis & vinum in aliam ſubſtantiam mutentur, hæc eodem planè modo ſenſus noſtros afficere debet, quo panis & vinum afficiebant; quia, ſcilicet, per eundem terminum, vel eandem ſuperficiem ſenſus noſtros afficiet. Atque ſe non videre quidnam poſſit intelligi per ſpeciem panis, præter illam ſuperficiem ſive terminum ſupradictum, nec Eccleſiam docuiſſe unquam, quod ſpecies panis & vini remanentes in Sacramento Euchariſtiæ, ſint accidentia quædam realia; quæ ſublata ſubſtantia cui inhærebant, miraculosè ſola ſubſiſtant. Fatetur autem quod etſi dixerit modos abſque ſubſtantia cui inſint non poſſe intelligi, tamen Deus poteſt multa efficere, quæ nos intelligere non poſſumus. Ideoque inferri nequit quod negarit modos ipſos poni poſſe abſque ſubſtantia per divinam potentiam.

Sed hæc Carteſii reſponſio ſubtilitate ſua nimiùm credulis periculoſa, mihi non ſatisfacit. Nam primò fides Catholica tenet, non ſolùm ſuperficiem propriæ ſubſtantiæ panis relinqui poſt conſecrationem: ſed totam ejus quantitatem vel extenſionem continuam in longum, latum & profundum; quæ eſt hoc in caſu ſupernaturale ſubjectum inhæſionis qualitatum propriarum panis; nempe caloris, odoris, ſaporis. Et hæc accidentia dicuntur propriæ ſpecies panis, per ſe afficientes organa ſenſus; ac eodem modo guſtum & odoratum, qualitercunque terminus ſupradictus varietur. Noluit autem Carteſius aſſerere, extenſionem in longum, latum & profundum relinqui poſt conſecrationem, ne ſuum dogma falſum everteret, quod talis extenſio ſit idem realiter cum ſubſtantia panis. Secundò ſi ſuperficies totum panem cingens, non eſt ſuperficies panis ipſius, ſed corpuſculorum externorum; ubi nam eſt ſuperficies ipſius panis? Vel cur potius dicetur eſſe ſuperficies corpuſculorum ipſorum, quam ſuperficies ſubſtantiæ panis? Tertiò ſi ex eo ſolo quod in locum panis ſuccedit corpus Christi, hoc eodem modo afficere debet ſenſum, quo panis ipſum afficiebat, quia panis & corpus Christi per eandem ſuperficiem ſive terminum afficiunt; duo inde ſequentur. Primum, quod ut ipſa ſuperficies dicebatur eſſe ſubſtantia panis, quia ſubſtantia hæc per illàm ſuperficiem afficiebat, ſic poſtea dicetur eſſe corporis Christi, quia hoc per eandem ſuperficiem afficit ſenſum; quod tamen fidei repugnat. Secundum, quod ſi vinum tranſmutaretur in panem ſimili virtute divina, hic eodem modo afficeret ſenſum, atque vinum ipſum; quia tam panis quàm vinum afficerent etiam per eandem ſuperficiem, ſive terminum: hoc eſt panis factus, ſentiretur eſſe ejuſdem coloris, odoris & ſaporis cum vino, quod eſt planè abſurdum: igitur dum ſit tranſmutatio ſolius ſubſtantiæ panis in corpus Christi, ipſa panis ſubſtantia tranſmutatione ſeparatur realiter à ſuis accidentibus; nec per ipſa corpus Christi afficit ſenſus: ſed ipſa miraculosè ſubſiſtunt, & per ſe ſenſum afficiunt, ut docet Eccleſia Catholica, contra quam doctrinam temeraria eſt opinio D. Carteſii, pro qua etiam vult ſibi gratias haberi à Theologis, nullo quippe phyſico nec metaphyſico innixa Fundamento: ſed tantùm quod ſibi perſuadeat, quòd judicet, quòd non videat, & ſimilibus terminis, quæ nihil aliud quàm opinionis incertitudinem in re tanti momenti ſonant: cùm tamen D. Carteſius præcepto 1. ſuæ methodi, jubeat nihil pro verò admitti quod clarè & evidenter non cognoſcatur eſſe tale.

Sequamur igitur Theologorum & Philoſophorum ſagaciorum ſententiam, qui inter quantitatem continuam, & rem ipſa quantitate affectam, realem ponunt diſtinctionem: quæ enim realiter non diſtinguuntur, ne quidem virtute divina ſeorſim ſeparata exiſtere queunt. Scio objectiones longè difficiliores adverſus tranſſubſtantiationem illam, quas exponere nolo; quippe malo captivare intellectum in obſequium fidei verborum Christi qui verax eſt ac omnipotens: nos verò quinam ſumus ut ejus ſcientiam & potentiam comprehendere valeamus? Nunquid hominis ſcientia eſt infinita?

Caput III.

In quo conſiſtat eſſentia quantitatis continuæ.

Quoniam ex cap. 2. conſtat, quantitatem continuam realiter diſtingui à ſubſtantia quanta. Jam inquirendum eſt, in quo conſiſtat eſſentia ipſius quantitatis: qua de re multa eſt contentio inter Philoſophos: volunt enim plurimi illam conſiſtere indiviſibilitate, proindeque omne diviſibile eſſe continuè quantum. Sed hæc opinio falſa eſt. Primò quia habere partes, priùs eſt quàm eſſe diviſibile at nihil priùs eſt eſſentiâ. Secundò quia diviſibilitas communis eſt toti ſphæræ entis corporei, ſive ſit materia, ſive color, ſive calor, &c. Horum enim quodlibet diviſibile eſt in ſuas partes entitativas, ſique ab una libra auri ſepararetur quantitas virtute divina, aurũ tamen reſtans eſſet diviſibile in partes entitativas; imò in partes proportionales; ſolum quippe ens ſpirituale diviſibilitati non ſubjicitur, ut dictum eſt cap. 1. Non igitur diviſibilitas eſt eſſentia vel eſſentialis proprietas quantitatis continuæ.

Alii volunt illam conſiſtere in poſitione partium extra partes: proindeque id omne quod habet partes extra partes, eſſe continuè quantum. Ideoque ſubtilem hanc quantitatis definitionem tradunt; quod nempe ſit ens per ſe extenſum intrinſecus, ſeu habens partes extra partes in ſeipſis intrinſecùs extenſas. Sed hæc opinio eſt etiam falſa; quoniam poſitio partium extra partes etiam communis eſt toti ſphæræ entis corporei, vel habentis partes: ſive ſit materia, ſive color, ſive calor, &c. Idque de materia ſic probatur. Quia enim materia ſeparata à quantitate eſt adhuc diviſibilis in partes entitativas, ergo vel partes illæ ſunt extra ſe mutuò poſitæ; ſicque datur poſitio partium extra partes ſine quantitate continua: vel una pars erit in altera; vel ſingulæ erunt in

toto,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

toto, neque intra ſe, neque extra ſe mutuò poſitæ. Secundum verò dici nequit, nam poſitis ſingulis partibus entitativis æqualibus, nulla eſt ratio cur potiùs pars B ſit in parte A quàm A in B: ideoque nulla erit in altera: ſed neque tertium aſſeri poteſt. Cùm enim totum non ſit ſua pars B vel A, (tum quia totum majus eſt ſua parte, tum quia diviſo toto in duas partes æquales A & B, non eſt ratio cur totum ipſum ſit potiùs B quam A) Ergo A & B extra ſe mutuò erunt. Alioquin ſi totius diviſi in ipſas duas partes æquales A & B, earum una eſſet in altera, hæc eſſet ipſum totum, non autem pars totius ut ſupponitur. Atque hoc ratiocinium ſimiliter applicari poteſt colori, calori, &c. quorum partes entitativæ ſunt etiam extra ſe mutuò poſitæ independenter à quantitate continua, cujus materiale conſtat etiam partibus entitativis extra ſe mutuò poſitis.

Rejectis igitur duabus ſententiis celebrioribus ſupra poſitis: Dico eſſentiam quantitatis continuæ conſiſtere in formali continuatione partium ſuarum entitativarum: qua poſita ponitur quantitas continua; quæ proinde eſt accidens corporeum, ſive conſtans partibus entitativis eſſentialiter continuis. Hoc enim ſoli convenit quantitati continuæ, atque ſemper, ideoque per ſe, & per eam cæteris entibus corporeis, quorum partes entitativæ continuantur per ipſam, & quæ idcircò per accidens quanta ſunt continuè.

Porrò quoniam quantitas continua eſt extenſionis univerſim ſpectatæ ſpecies, notandum eſt quod ipſa duplicem admittit extenſionem continuam, nempe unam ſibi eſſentialem & intrinſecam, per quam ejus partes ſingulæ ponuntur extra ſe mutuo, ut fit in reliquis entibus corporeis, & hæc eſt propriè permanens & invariabilis: Alteram verò accidentalem & extrinſecam in ordine ad locum ſive ſpatium, quæ multipliciter variari poteſt, eadem enim ceræ quantitas poteſt fieri rotunda, cubica, pyramidalis, &c.

Inde verò oriuntur duo præcipui effectus quantitatis continuæ circa res corporeas. Primarius eſt, quod res corporeas continuè quantas efficiat, hoc eſt ſingulas earum partes entitativas inter ſe diſcretas ſua ratione formali continuet, ipſarumque extenſionem vagam fixis limitibus ſive terminis includat intrinſecè, ita ut corpus continua quantitate bipedale cubicè, tale ſit in ſe vel intrinſecè. Secundarius eſt, quòd rebus corporeis quas afficit hoc per ſe tribuat, ut locum ſive ſpatium ipſi quantitati æquale ſic occupent; ut ab eodem aliud corpus naturale excludant, indeque dicantur eſſe in loco vel ſpatio circumſcriptivè juxta vulgarem loquendi conſuetudinem; proindeque dividi poſſint ad diviſionem ipſius loci vel ſpatii.

Cæterùm ſecundarius hic quantitatis effectus, eſt quidam materialium entium carcer, hoc naturæ ſtatu durante; à quo corpora ſpiritualem naturam adepta ſive glorificata liberantur; poteſtque primariò non adeſſe; ut patet ex corpore CHRISTI in ſacra ſynaxi, in quo ſolus remanet primarius quantitatis effectus, nec ipſum eſt in loco vel ſpatio circumſcriptivè aut diviſibiliter ad diviſionem ipſius ſpatii: ſed duntaxat definitivè, ſcilicet, totum in toto, & totum in qualibet parte ſpecierum Sacramentalium: qui modus eſſendi corporis quanti, mirabilior eſt modo eſſendi ſpirituum, cùm ſit corpori ſupernaturalis: interim vero ſpecies ipſæ loco circumſcribuntur, ab eoque excludunt corpus naturale ob ſpecierum ipſarum quantitatem, in qua remanet ipſius quantitatis effectus ſecundarius, non enim illum tribueret rebus corporeis niſi ipſum in ſe haberet.

CAPUT IV.

De ſimpliciter extenſorum & continuè quantorum proprietatibus; nec nou convenientiis & differentiis inter ſe.

CReata ſimpliciter extenſa, & continuè quanta in hoc primò conveniunt, quod neque hæc neque illa ſint ubique, ſed alicubi. Ac proinde quamvis Angeli extrinſeca extenſio ſubjiciatur ejus voluntati, ita ut non ſit ipſi eſſentiale vel maximè proprium, quod hanc & ſemper eandem habeat extenſionem extrinſecam: nihilominus habet naturales utriuſque extenſionis ſuæ limites in ſpatio, quos viribus propriis prætergredi nequit, nec ſeſe in immenſum extendere: idemque dicendum eſt de anima hominis ſeparata. At hominis anima ſuo unita corpori corruptibili, non eſt circa ſuam extenſionem extrinſecam in ſpatio libera: ſed neceſſitate naturæ ſui corporis quantitati continuæ ſubjicitur. Idemque cenſendum de ſubſtantiali forma cujuſvis alterius corporis Phyſici: ſed poſt reſurrectionem, quamvis anima in ſuo corpore glorificato, quod ſpirituale reſurget ex D. Paulo, alligata ſit extenſioni intrinſecæ quantitatis continuæ ſui corporis, extra quod ſubſtantialiter nunquam prodibit; tamen libera erit circa ſuam & ſui corporis extenſionem extrinſecam à quantitate continua: ut patet in Euchariſtico ſacramento de anima & corpore CHRISTI; quod totam ſuam extenſionem intrinſecam ſervat, ſub qualibet particula ſpecierum ſacramentalium; in qua per conſequens ipſius corporis ſola extenſio extrinſeca à continua quantitate, variatur in magnitudine & figura.

At materia quamvis ex ſe determinatos habeat ſuæ extenſionis intrinſecæ limites, tamen extrinſecam, tam in magnitudine quàm in figura variat pro ratione formarum quas recipit, ideoque ſub forma terræ vel auri, minorem habet extenſionem extrinſecam, ſub forma aeris vel flammæ majorem. Inſuper autem ſubjicitur duplici extenſioni ſupra-poſitæ quantitatis continuæ; ſcilicet intrinſecæ & extrinſecæ. Si quidem omnia continuè quanta duplicem admittunt extenſionem tam intrinſecam quàm extrinſecam; quippe à ſeipſis, & à quantitate continua ut ſuperiùs fuit expoſitum.

Quod vero ad formas accidentales attinet, quæ qualitates appellantur, hæ duplicis ſunt generis. Aliæ enim ſunt in diſtans activæ, ut lux, calor, influentia, vis magnetica, odor & ſimiles; aliæ verò in diſtans non ſunt activæ, ut color, gravitas & ſimiles. Omnes autem propriam habent extenſionem intrinſecam: & pro extrinſeca, illæ quæ non ſunt in diſtans activæ, ſubjiciuntur quantitati continuæ ſubjectorum quibus inhærent: at quæ ſunt in diſtans activæ ipſius quantitatis carceres tranſiliunt atque agunt per ſui effluxum à proprio fonte, qui quidem non eſt de eſſentia vel ſubſtantia corporis cui fontaliter inhærent: Nam in ſacra Synaxi (quæ per multa ſupernaturalia nos edocuit

prorſus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

prorſus ignota Ariſtoteli cæteriſque Philoſophis, qui ſolum naturæ ſtatum ſpeculantur) poſt vini tranſmutationem, ſupereſt ejus odor in diſtans activus, ideoque per effluxum à fonte qui nec eſt corpus CHRISTI nec vinum tranſmutatum: ſed ipſius vini accidens per tranſmutationem ſeparabile, veréque ſeparatum.

Itaque harum qualitatum extrinſeca extenſio, terminatur duntaxat vel à circumobſiſtentia contrarii, ut accidit in media Aeris regione inter calorem ſuperiorum & frigus inferiorum Elementorum, ut Libro 3. dictum eſt; vel ab occurſu denſorum corporum, ut accidit luci effluenti in parietem. Quibus duabus cauſis abſentibus ipſæ qualitates effluunt neceſſario ad diſtantiam ſuæ proportionatam virtuti, niſi vi Divina coerceantur; ut accidit luci Solis in paſſione CHRISTI; influxibus fertilitatis, per 7. annos famis in Ægypto: Et influxibus pluviæ, per 3. annos in Regno Iſraël tempore Heliæ. DEUS enim ob hominum pecata quandocunque vult, claudit Cœlum, aut dat Cœlum ferreum ut dicitur in Scriptura, hoc eſt unde non ſinit effluere fœcūdos ac ſalutares influxus: Ac bonos & malos cohibet circa particularia loca & particulares homines prout ipſi placet, quāvis id ſæpius ab hominibus non obſervetur.

Omne continuè quantum eſt diviſibile. Ideoque Angelus ſimpliciter extenſus, eſt quidem ſibi unitus ac indiviſus; ſed non diviſibilis; quia partibus caret; materia verò ſimpliciter extenſa, eſt etiam ſibi unita & indiviſa; ſed diviſibilis in partes entitativas, non autem continuè quantas, priuſquam contiuua quantitate afficiatur.

Æquale, inæquale, majus, minus, duplum, triplum, &c. conveniunt omni extenſioni creatæ.

Angeli & animæ hominum dici queunt majores aut minores extenſione, ſed non ſubſtantiâ; quia ſubſtantiâ ſunt indiviſibiles. Ideoque anima viri extenſione extrinſeca vel accidentali, major eſt anima pueri, ſed non ſubſtantiâ. At materia ſimpliciter extenſa dici poteſt major, minor, æqualis, dupla, &c: alterius materiæ tam extenſione quàm ſubſtantiâ, quia ſcilicet materia eſt in ſe, vel ſubſtantialiter diviſibilis in partes entitativas, idemque dicendum de colore, calore, &c.

Angelus extenſus eſt in longum, latum & profundum, ſed ſpiritualiter; hoc eſt ſibi unitus atque indiviſibilis. Materia verò ex ſe extenſa eſt in longum, latum, & profundum corporaliter, hoc eſt diviſibilis in partes entitativas.


Materia, forma ſubſtantialis, calor, frigus, lux, influentia, &c: ſuam habent peculiarem extenſionem ſimplicem, quæ nihil excludit à loco vel ſpatio. Quia extenſio ſimplex nihil ex ſe habet corporeum, alioquin ſpiritus illam in ſe non admitterent. At longitudo, latitudo & profunditas ſimplices conveniunt ſpiritibus & corporibus, ut quid commune & ſuperius ipſis, danturque etiam in vacuo, ubi neque eſt corpus neque ſpiritus, & idcirco materia ſine quantitate continua, non excludit à loco etiam materiam ſive corpus: multæq; ſimplices extenſiones, materię, formę, caloris, frigoris, lucis, &c: ſunt in eodem loco compatibiles. At hæc omnia in eodem corpore reperta, ſub unica ipſius corporis quantitate continua conſtringuntur; quæ corporea eſt. Tum quia corporibus propria, tum quia excludit ab eodem loco aliud corpus. Unde patet quod lux, calor, vis magnetica, odor, influentia, &c. effluunt à ſuis fontibus cum ſua ſimplici extenſione: Quam qui dicere voluerit eſſe continuam, neceſſe eſt ut duplicem admittat continuitatem, nempe ſpiritualem quæ non excludit à loco quidquam, & corpoream quæ excludit à loco aliud corporeum, vel eadem continuitate affectum.

CAPUT V.

Quo extenſionis ſive quantitatis inſigne miraculum naturale demonſtratur.

NAturâ extenſionis tam ſimplicis quàm continuæ ut ſuperiùs expoſitâ: nobis ſolvenda eſt quæſtio illa nova & inſignis, propoſita Lutetiæ Philoſophis ac Mathematicis omnibus ab eruditiſſimo viro D. Baptiſta Poiſſon, Regio apud Andes Advocato. *Utrum ſit aliqua demonſtratio perfectè Mathematica & ſenſibilis, quâ probetur dari magnitudinem latitudinis non expertem; quæ aliquando & alicubi ſit in puncto verè Mathematico, cujus nullæ ſint partes; & tamen in eodem illa habeat partes extra partes*, quæ quæſtio Philoſophos & Mathematicos ipſos Pariſienſes maximè torſit atque fruſtra. Pars enim maxima cenſuit quæſtionem eſſe inſanam, utpote Geometricis principiis contrariam, alii ſcripto etiam publico ipſam reſolvere conati ſunt; ſed perperam, neque ad votum Authoris; qui cùm mihi amicus eſſet, rogavit ut ſuper ea re nonnihil cogitarem, quod ego eidem pollicitus ſum, & ſpectatâ quæſtionis naturâ, mihi venit in mentem demonſtratio ſequens, qua ipſe Author mihi confeſſus eſt, quæſtionem ſuam fuiſſe à me veriſſimè reſolutam, alios autem omnes à ſcopo maximè aberaſſe.

Sit parabola A B C D E F G H, lucidum verò corpus T, radios quotcunque projiciens in totam lineam parabolicam, quales ſunt verbi gratia KB, LC, MD, NE, &c. Ex natura parabolæ ma-



niſeſtum eſt, radios lucis reflecti & convergere ad punctum I, indeque pergere divergendo ad R, S, V, N, X, Y, Z. Ac proinde totam luminoſam ſuperficiem B E H I, transferri vero realique motu per punctum I, ad partem oppoſitam Z Y X N V S R. Cum ergo fiat ejus tranſitus per ipſum focum I, ut ſenſui patet & ratio convincit, manifeſtum eſt etiam, totam illam ſuperficiem eſſe in individiſibili puncto I. at illa ſuperficies habet partes extra partes cùm ſit ſuperficies entis corporei, nempe lucis: ergo datur magnitudo latitudinis non expers, quæ verè ſit in puncto Mathematico cujus nullæ ſunt partes; & tamen in eodem habet illa partes extra partes. Quod erat demonſtrandum.

Quod

Quod ſi loco lineæ parabolicæ, ſupponeretur ſuperficies parabolica, à corpore luminoſo T. ſimiliter illuſtrata: eodem modo oſtenderetur in foco I eſſe conum lucis, hoc eſt accidens corporeum verè longum, latum atque profundum, quod cum his omnibus ſuis dimenſionibus contineretur in puncto I. cujus pars nulla, in quo tamen ipſe conus lucis haberet partes extra partes. Nec tantùm lux; ſed calor, ſonus, odor, & quævis alia qualitas in diſtans activa & reflexibilis converget ſuis radiis ad focum I.

Duo autem etiam hîc notanda ſunt admiratione digna. Primum quod lucis ſive caloris conus, ſit in puncto I diviſibilis & indiviſibilis: indiviſibilis quidem partibus continuis, quia I non admittit partes continuas: diviſibilis autem partibus entitativis; quia totus conus non poteſt tranſire per I, quin ſit in I totus. Ergo in I habet partes ſuas entitativas, in quas idcirco eſt diviſibilis. Secundum quod lucis vel caloris conus in I caret ſubjecto inhæſionis naturaliter; Materia enim quæ dicitur eſſe ſubjectum inhæſionis caloris, eſt continuè quanta naturaliter: Ergo non eſt in puncto indiviſibili.

Ex ſuprapoſita autem demonſtratione facilè ſolvitur altera ejuſdem Baptiſtæ Poiſſon quæſtio, numero 7. earum quas vidi (dicitur 100. tales propoſitiones excogitaſſe) quæ talis eſt. *Utrum dari poſſint plures magnitudines latitudinis non expertes, quæ ſimul & ſemel ſint in unico puncto verè Mathematico, cujus nullæ ſunt partes: Et tamen in ipſo puncto omnes illæ magnitudines ſigillatim habeant partes extra partes*, quæ propoſitio multò difficilior & ſupernaturalior eſſe videtur.

Nam poſitis pluribus parabolicis ſuperficiebus quarum ſit idem focus, quæque ſimul à diverſis lucidis illuminentur: Erunt in ipſo foco ſimul tempore tot coni lucis quot parabolicæ ſuperficies illuſtratæ. Et quamvis in ipſo foco omnes illi coni diverſarum colore lucũ ſeſe penetrent, tamen in ipſo foco intemeratus remanebit cujuſq; coni ſive lucis color. Præterea quamvis ipſorum conorum alter ſit major, alter verò minor intrinſeca extenſione: tamen in ipſo foco neuter altero major eſt, extrinſeca extenſione, quòd in ipſo foco ſpolientur ipſa extrinſeca extenſione: habent autem in ipſo foco partes entitativas extra partes, in quas ſunt diviſibiles, indiviſibiles autem in partes continuas ut ſuperius dictum eſt.

Multa alia eximia circa ſpeculationem hanc deprehendi queunt, modum ſacramentalem corporis CHRISTI contra Sciſmaticorum vanas objectiones defendentia & elucidantia, quæ hîc omittimus, dixitque mihi ipſe Poiſſon per demonſtrationes ſuperiores & ſpeculationes meas de quantitate & extenſione: omnes ejus 100. quæſtiones quas non vidi, poſſe reſolvi, quod ſanè poſt ejus aſſertionem Ego libenter crediderim, cùm has ſpeculationes ipſi amicè communicaverim, ut mihi ſuarum quæſtionum demõſtrationes proprias communicaret, quod tamen nunquam ab eo conſequi potui. Didici tamen quod poſt ejus obitũ devenerint ad D. Colletetum, illuſtrem Poëtam Gallum, qui illas mihi oſtendit, ſcriptas propria manu ipſius D. Poiſſon, qui poſt primam quęſtionem ſuperius à me demonſtratam enumeratis Philoſophis & Mathematicis Pariſienſibus, qui illam ſolvere fruſtra tentarunt, aut impoſſibilem crediderunt, hæc verba ſubjungit. Sed denique Joan. Baptiſta Morinus Regius Mathematicus, vir acutiſſimus doctiſſimuſque neceſſaria Geometrarum ratione, lineamentis, formis, intervallis & magnitudinibus obſervatis, aſſeveranter concluſit noſtram propoſitionem. Quod hic notandum cenſui.

CAPUT VI.

De Entium penetratione.

ENs unum aliud penetrare dicitur, quando illud tota ſua entitate permeat, ſpatio quod occupat invariato. Ideoque dum aqua permeat vinum, non dicitur hoc penetrare, quia ſpatium à vino occupatum acceſſu aquæ variatur; ſed hæc duo tantùm miſceri dicuntur.

Cæterùm penetratio duplex eſt, nempe mutua & non mutua: penetratio mutua eſt plurium entium in eodem ſpatio ſimul extenſorum mutuus entitatis ingreſſus, proprio cujuſque ſpatio invariato. Dico autem ingreſſum entitatis: quoniam Angelus & rationalis anima non ſunt extenſi in ſpatio per propriam virtutem, alioquin tanta eſſet eorum extenſio, quanta virtutis ſphæra. Sicque quoniam hominis anima agit virtutis effluxu, ut dum projicit lapidem, aut clamat, aut intuitu aliquam in diſtante perſona excitat amoris vel odii paſſionem, ſequeretur animam ad eam uſque diſtantiam eſſe extenſam; quod eſt abſurdum; cùm non ſit extra ſuum corpus: Eſt igitur extenſa per ſuam entitatem ſpiritualem in ſuo duntaxat corpore, ex quo per virtutis effluxum agere poteſt. At ens materiale extenditur in ſpatio per ſuam entitatem materialem. Huic autem etiam convenit agere virtutis effluxu, ut Soli; ideoque ſi anima rationalis, & Sol aut Magnes agunt virtutis effluxu; id Angelo videtur multò magis concedendum, qui tamen ut de anima dictum eſt non extenditur in ſpatio per ſuam virtutem; ſed per ſuam ſpiritualem entitatem.

Jam verò longitudo, latitudo & profunditas, ſunt dimenſiones omni extenſioni vel rei extenſæ convenientes; quæque etiam in vacuo concipi queunt. Ac perperam aſſertum eſt à Philoſophis nullam dari in Natura dimenſionum harum penetrationẽ. Nam primò multis Angelis eidem ſpatio etiam Aere vel alio corpore pleno coextenſis, eorum entitates ſeſe mutuò penetrant abſque ulla variatione ſpatii. Corporea verò immateriata, quales ſunt radii lucis, caloris, virtutis magneticæ, influentiarum, odores, ſoni & ſimiles, etiam ſeſe mutuò penetrant, quippè his omnibus ſua eſt peculiaris interna extenſio; ideoque in eodem corpore concurrentibus pluribus ex illis accidentibus, etiam plures adſunt eorum internæ extenſiones ſine variatione loci adæquati ipſius corporis; ac proinde ſeſè viciſſim penetrãt cum ſub una communi materiæ continua quantitate extrinſecè terminentur & coerceantur ipſorum accidentium ſingulæ extenſiones intrinſecæ, ſaltem penes entitatem, non autem penes virtutem in diſtans activam, quæ ſpretis carceribus continuæ quantitatis effluit à ſuo fonte.

Penetratio autem non mutua eſt inter animam rationalem & ſuum corpus, ipſa enim anima ſua entitate ſpirituali corpus ſuum penetrat ſine variatione loci quem propria quantitate continua occupat: nec tamen ab eo penetratur. Idemque faciunt cæteræ formæ ſubſtantiales & accidentales corporum, ut color, odor, ſapor, &c. Imò corporeum, materiatum, ſummè ſpiritualiſatum penetrat quodvis aliud corpus materiatum: Idque

de pluribus aquis fatentur Chymici, quæ ſi ſæpius rectificentur, nullo ampliùs vitro contineri queunt, etſi vitrum poris carere dicatur. Maximè verò id prædicant de lapide Philoſophorum pluries ſublimato; circa quod tamen dici poſſet, vitri poros eſſe omnium minimos, qui quidem à rebus duntaxat ſubtiliſſimis ſumméque ſpiritualiſatis permeari queunt. At corpora glorioſa quæ Naturam ſpiritualem etiam multò perfectiùs adepta ſunt quàm lapis ille optatiſſimus, aliud quodcunque corpus penetrant, inſtar ſpirituum: ſuntque omnes ſupradictæ penetrationes non mutuæ.

De ipſius verò corporibus glorioſis hoc notandum venit; quod aliquando ſint palpabilia, aliquando verò non. Palpatio autem non admittit penetrationem; cùm ad palpandum requiratur mutua utriuſque corporis palpantis & palpabilis renitentia. Hoc autem diſcimus ex corpore CHRISTI, quod in ſacra Synaxi eſt impalpabile: Sed coram Apoſtolis poſt ejus reſurrectionem erat palpabile. Dixit enim illis CHRISTUS Luc. 24. cap. *Palpate & videte quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* Unde infertur quod corpora glorioſa ſunt palpabilia vel non, aut viſibilia vel non, ex arbitrio ſpiritus cui corpora ipſa ſpiritualem naturam adepta, omninò ſubdita ſunt. Spiritus enim plenarium tunc ſui corporis dominium aſſecutus, cum ipſius corporis glorificatione, nullo ampliùs corporeo vinculo coercetur, ſed utitur ſuo corpore pro arbitrio: Ita ut aliâs ſit viſibile & palpabile, aliâs verò non, & quælibet alia corpora penetret, ad libitum ſpiritus, etiam poris omninò carentia.

At duo corpora Phyſica ut lapis & ferrum, aut Cœlum & Æther, ſeſe non penetrant, nec ſimul eſſe queunt in unius ſpatio ſive loco invariato. Poſſunt igitur talia corpora equidem miſceri; ſed non ſe penetrare, neque ratio petenda eſt à quantitate, cui eſſentiale ſit vel maximè proprium excludere aliud corpus à loco corporis cui inhæret: Nam corpus CHRISTI glorioſum, erat continuè quantum, & tamen penetravit januam cubiculi in quo erant Apoſtoli, & penetravit Cœlos ſolidos in ſua aſcenſione. Non enim ingreſſus eſt ad ſuos diſcipulos per poros januæ, alioquin corpus ejus diviſum fuiſſet: neque diviſit januam, ut homo ambulans dividit aerem, vel natans dividit aquam: Ergo penetravit januam non per modum corporis naturalis, ſed per modum ſpiritus cui naturale corpus obſiſtere nequit, ſi quidem quidquid eſt in corpore glorificato, ſive ſit materia, ſive quantitas continua, ſive color, &c. non ampliùs naturæ legibus ſubjicitur; ſed ſupernaturalem ſtatum eſt adeptum; quod tamen de quantitate panis in ſacra Synaxi dici nequit, quæ remanet in ſuo ſtatu naturali ſupernaturaliter.

Ex ſupradictis igitur conſtat, Entium extenſorum alia penetrare & penetrari, ut fit in pluribus Angelis, tum radiis lucis & caloris in eodem ſpatio, quæ ſeſe viciſſim entitativè penetrant. Alia verò penetrare nec penetrari, ut Angelus vel corpus glorioſum penetrans murum, à quo non penetrantur: Tum formæ omnes ſubſtantiales, nec non lux, calor, color, odor, ſapor, ſonus, &c: quæ ſua corpora vel materiam penetrant, nec tamen ab his penetrantur. Alia denique quorum neutrum ab altero penetratur, ut lapis & ferrum, vel homo & lignum in ſuo ſtatu naturali exiſtentes.

CAPUT VII.

De Entium Corporeorum reflexione.

Pila in murum vel pavimentum projecta, reſilit per virtutem ſibi à projiciente impreſſam, ut reflexivè peragat quod directè non potuit, attamen non tantùm movetur per reflexionem, quantùm moveretur directè: quia in contactu parietis amittit de virtute ſibi impreſſa, quæ in ipſo pariete recipitur. Quod ex eo probatur, quia ſi corpus occurrens eſſet aut lapis, aut lignum minoris quàm pila ponderis, illud impulſu à pila ſuſcepto etiam moveretur; quod ſine virtute lapidi aut ligno impreſſa ac depoſita fieri nequit. Adde quod linea motus pilæ reflexi, longè minor eſt linea motus ejus directi impediti per occurſum corporis reflectentis. Idem dicendum de pila ex alto propria gravitate deſcendente ac reſiliente, cujus vis motiva per altiorum caſum ex alto intenditur, cùm projectorum vis motiva per longiorem motum à propria gravitate remittatur. Circa quod notandum eſt, quod ſi gravia ex alto cadentia traherentur à Terra, non reſilirent, ſed ab ipſa Terra arctè retinerentur, ut conſtat ex magnete & ferro; ac notandum etiam quod corporis gravis ſurſum projecti gravitas, pugnat contra vim projecto impreſſam donec eam ſuperet: quod niſi fieret, duæ pilæ ejuſdem magnitudinis, altera ponderis 4. librarum, altera unius libræ, æque altè projicerentur ab eadem hominis virtute: Atque prædicta ſic ſe habent in agentibus in diſtans, per projectionem corporis à projiciente ſeparabilis.

At in agentibus in diſtans per radios agenti adhærentes, non ita ſe res habet. Nam etſi radii ſint veluti quædam continuò projecta à corpore cujus ſunt radii & cujus vim longè tranſmittunt: tamen radii influentiarum & virtutis magneticæ non reflectuntur, ſaltem ſenſibiliter: ſed ſolida, denſa, & opaca corpora in inſtanti penetrant, præſertim verò radii influentiales planetarum, qui totam Tellurem penetrant: Lux verò, calor, ſonus & ſimiles qualitates ſenſibiles in diſtans activæ, reflectuntur ſenſibiliter: Atque lux omnium maximè repercutitur; nam denſa & opaca corpora nullatenus penetrat, quæ tamen calore & ſono penetrantur. Ad has verò differentias non advertiſſe D. Carteſium in ſua Dioptrica, ex eo patet; quia vult pilam in pavimentum vibratam, eodem angulo & æquè velociter reflecti à pavimento, qualiter in ipſum incidit. Hoc enim convenit quidem lucis radio de cujus reflexione tractat ibidem: nam radius lucis neq; materiatus eſt, neque ulla gravitate affectus, ac præterea continuò projicitur ea denique virtute: quippe Sol lucis ſuæ radium eadem virtute continuò vibrat; at horum omnium cõtraria reperiuntur in pila in pavimentũ projecta.

Circa hoc autem maxima ſeſe offert difficultas. Nam certum eſt, patetque in cicendula aut ſcintilla, præſertim in venti flantis oppoſito noctu viſa, lucem non eſſe materiatam; ejus enim materiam ventus ſecum abriperet. Ideoque multò minùs materiati ſunt radii caloris & ſoni; minimè verò radii influentiarum. Quomodo igitur concipi poteſt reflexio ſine materia? An illa erit à ſola extenſione? An à ſola virtute motrice radio inexiſtente? Quod reflexio non fit per ſe à

ſola

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ſola extenſione, patet ex eo quia radius influentiæ aut virtutis magneticæ ſuam habet extenſionem: & tamen trajicit ſolida & opaca ſine reflexione: idemque præſtant corpora glorioſa etſi continuè quanta. Quod etiam nõ ſit à ſola virtute ſupradicta, probatur iiſdem exemplis, tũ ex materialibus projectis, in quibus virtus proijcientis non reflectitur niſi ratione materiæ continuè quantæ projecti.

Itaque dicendum videtur, in radiis hujuſmodi tria eſſe: nempe entitatem radii, ejus extenſionem, & virtutem motivam radio impreſſam. Reflexio autem eſt præcipuè ab entitate radii; quæ licet non ſit materialis, in eo tamen materiæ ſimilis eſt, quod alia qualitatis entitas ſit craſſior, alia tenuior. Si quidem raritas, denſitas, craſſities & tenuitas, ſint accidentia non ſoli materiæ, ſed cuivis enti corporeo à materia ſuſceptibili convenientia: jam verò entitas craſſior, reflexioni magis eſt obnoxia quàm tenuior. Sic autem probatur illa entitas; quia extenſio radii, non poteſt non eſſe in entitate radii, quandoquidem hic ſine propria entitate concipi nequit. Ex his igitur conſtat reflexionem eſſe efficienter à virtute motiva projecto vel radio impreſſa, materialiter verò à craſſa entitate projecti vel radii.

Porro extenſio radii, comproducitur à corpore radium ipſum effundente, & extra ſe ad quantam poteſt diſtantiam projiciente. Quoniam enim lucis radius ſive lux effluens eſt immateriata; ideoque accidens quod naturaliter nequit exiſtere independenter ab omni ſubjecto; neceſſe eſt ut ſaltem adhæreat ſuo fonti naturali, hoc eſt corpori lucido; ac ideo ejus extenſio à ſuo eſſentiali fonte comproducatur, ut à lucido ipſo longiùs excurrat: Atque ſic de cæteris.

Verùm id à quo lucis radius repercutitur, eſt corpus denſum; ſive fuerit ſolidum, ut vitrum, marmor; ſive fluidum, ut aqua. Et ſi fuerit diaphanum, ut vitrum, aqua; tantùm ex parte radium ſiſtet: Ex toto autem ſiſtet, ſi etiam fuerit opacum, ut marmor, aurum, atramentum. Itaque reflexio ex parte corporis occurrentis, eſt præcipuè ab ejus denſitate, eritque reflexio validior, quò corpus ipſum fuerit denſius, ſolidiuſque. Quamobrem cùm reflexio fiat per contactum reflectentis & reflexi, neceſſe eſt radium reflexum eſſe corporeum. Eſt autem duplex corporeum, nempe materiatum, ut pila reſiliens à pariete, in quem projicitur; & immateriatum, ut radius lucis in eundem vibratus parietem. Atque utrumque corporeum, eſt reflexionis capax: Experientia teſte; quandoquidem radius eſt immateriatus etſi corporeus, hoc eſt trina dimenſione affectus, ut ſuperiùs dictum eſt. Atque hæc de ſupradictis ſufficiant.

FINIS LIBRI QVARTI.

ASTROLOGIÆ GALLICÆ
LIBER QVINTVS.
De Spatio, Loco, & Vacuo : Tum de Ubi, Alicubi, Ubique & Nullibi.

PRÆFATIO.

QUoniam apud Aſtrologos frequentiſſima ſit mentio locorum Planetarum, quomodo autem intelligenda ſint, à plurimis ignoratur. Idcirco ne quid hac in parte deſideretur, res hæc nobis hîc explananda videtur : ſubtiliſſimis etiam quæſtionibus de Spatio, Loco, & Vacuo : Tum de Ubi, Alicubi, Ubique & Nullibi in medium adductis, atque diſcuſſis ; ad accuratiorem hujus doctrinæ cognitionem, ad alia quoque multa neceſſariam.

CAPUT I.
Quid ſit Spatium.

ARiſtoteles in Phyſica poſtquam de Loco diu Philoſophatus eſt, tandem magnis obrutus difficultatibus fateri coactus fuit lib. 5. Phyſ. Text. 40. *Locum eſſe aliquid magnum & difficile captu : utpote qui aliis omnibus rebus prior eſſe videatur.* Quidquid enim fit, neceſſe eſt fieri in aliquo loco qui præſupponitur : unde ipſum non eſſe ens Zeno conſtanter aſſeverabat ; quòd, ſcilicet, omne ens ſit in loco, non autem locus ; alioquin daretur loci locus in infinitum : ut autem confuſio & difficultatum ſcopuli à nobis evitentur, circa ſpatium, locum, vacuum, ubi, & ubique, ab Ariſtotele non benè diſtincta, prius nobis videtur definiendum eſſe, quid ſit ſpatium : quæſtio enim de ſpatio cæteras omnes antecedit, quippe quòd ſine ſpatio, neque ſit locus, neque vacuum, nec ubi, nec ubique.

Itaque ſpatium eſt quid inane extenſum in longum, latum & profundum, ex ſe capax recipiendi quodlibet ens actuale ſimiliter extenſum. Dicitur quid inane ; quia ſpatium in ſe ſpectatum caret omni creatura extenſa. Dicitur ex ſe capax ; quia ſpatium aliquo vaſe incluſum, non habet à vaſe quod poſſit aquam recipere, ſed à ſeipſo ; quamvis aqua ipſa à vaſe contineatur. Dicitur capax recipiendi ens actuale extenſum in longum, latum & profundum ; quia cùm ſpatium ſit ex ſe quid extenſum in longum, latum & profundum, & tamen creaturis vacuum, nihil excogitari poteſt capacius recipiendi ens actuale ſimiliter extenſum.

CAPUT II.
Utrum ante hujus Mundi creationem fuerit, & jam extra ipſum Mundum ſit aliquod inane ſpatium.

HOc negatur à pluribus Philoſophis atque Theologis, quorum rationes ſunt imprimis expendendæ.

Dicunt igitur primò, quod ſpatium à nobis definitum eſt ens, vel non ens : ſi non ens, ergo nihil eſt & non datur ; quidquid enim datur eſt ens. Si verò eſt ens, ergo erit ſubſtantia vel accidens. Non eſt autem ſubſtantia corporea, quia dum ponitur inane, caret materia formaque ſubſtantiali. Nec eſt ſubſtantia incorporea ſive ſpiritualis, quia eſt diviſibile ad diviſionem ſuæ extenſionis, ſubſtantia verò ſpiritualis eſt indiviſibilis. Nec tandem eſt accidens ; nam accidens non eſt ante ſubjectum cui accidit, ſed illud præſupponit, neque eſt ſine ſubjecto : atqui ante Mundi creationem nullum erat illius accidentis ſubjectum, ergo ſpatium à nobis definitum non eſt ens.

Sed reſpondeo : ſpatium ex ſe non eſſe ens, ut Zeno dicebat de loco : nec tamen eſſe nihil. Nec quidquid datur eſt ens, prout ens dividitur duntaxat in ſubſtantiam & accidens, ut patet ex modis entis, qualis eſt exiſtentia rei cujuſque, quæ neque eſt ens eo modo, neque nihil. Sic igitur ſpatium neque eſt ens, neque nihil : nihil enim non poteſt recipere quid extenſum, ſpatium verò id poteſt : nec corpus dici poteſt occupare nihil, ut dicitur occupare ſpatium : nec à nihilo ad nihilum poteſt eſſe motus, benè autem à ſpatio ad ſpatium aliud. At ſi nomen entis ſumatur pro eo omni quod habet aliquod eſſe, qualecumque ſit illud ; tam modi entis quàm ſpatium dici queunt entia : nam ipſi modi & ſpatium ſupra definitum, verè ſunt.

Dicunt ſecundò, quod realis capacitas recipiendi corpora, non poteſt eſſe in eo cujus nulla eſt realis entitas ; ſed duntaxat fictitia vel imaginaria ; quale eſt illud ſpatium, quod communiter vocatur imaginarium : ergo ſpatium illud non datur à parte rei.

Reſpondeo primò : idem dici poſſe de modis entis, quorum ſunt aliquæ proprietates reales, quamvis ipſi modi nullam ex ſe habeant realem entitatem, cùm non ſint entia realia, niſi extenſo nomine entis, ut ſuperiùs dictum eſt.

Reſpondeo ſecundò : quod etſi nulla ſit realis entitas ſpatii, reſtricta ſignificatione entis, eſt tamen

tamen hac dilatata. Spatium enim verè eſt aliquid à parte rei, cùm recipere queat corpora, & ab his occupari, vel ſit receptivum corporis phyſici, quod de nihilo dici nequit. Eorum verò omnium quæ ſunt à parte rei, aliquid eſt purus actus, nempe ſolus Deus, aliquid actus cum potentia, quales ſunt omnes creaturæ, & aliquid pura potentia: quod quidem non eſt materia prima ut volunt plerique, non advertentes quod habeat actum realis entis, cùm ſit ſpecies entis actualis, ut dividitur in ſubſtantiam & accidens: ſed eſt ſpatium, quod eſt mera potentia ſive capacitas recipiendi res extenſas in longum, latum & profundum.

Dicunt tertiò: aut ſpatium illud fuit creatum, aut non: ſi hoc, ergo nihil eſt, nec datur à parte rei: ſi illud, ergo eſt ens actu, & non pura potentia; nam creatio terminatur ad ens actu.

Sed reſpondeo, ſpatium non fuiſſe creatum, nec tamen eſſe nihil. Alioquin Mundus hic in ſuo eſſe poſſibili, fuiſſet etiam nihil, quod tamen repugnat receptæ diviſioni entis in actuale & poſſibile. At ſi non fuit creatum, ergo fuit ab æterno: neque id abſurdum eſt de ſpatio, quod ex ſe nullam habet actualitatem, ſed eſt pura potentia, vel uti non eſt abſurdum hunc Mundum ſecundum ſuum eſſe poſſibile fuiſſe ab æterno. Atque ex ſuprapoſitis ſolutionibus facile eſt reſpondere ad quasvis alias objectiones, concludentes ſpatium eſſe nihil.

Jam igitur dico: ante hujus Mundi creationem fuiſſe, & jam extra ipſum Mundum eſſe aliquod inane ſpatium: probatur prima pars: illud enim fuit ante Mundi creationem, in quo Mundus ipſe receptus fuit, nec cum Mundo creatum eſt. At tale eſt inane ſpatium; ergo fuit ante Mundi creationem, major eſt certa, minor probatur. Nam iſte Mundus occupat ſpatium, ergo fuit in ipſo receptus, nec fuit cum Mundo creatum, nam creatio terminatur ad ens actu, ſpatium autem eſt pura potentia, ergo ſpatium erat ante Mundi creationem, ac proinde verum eſt de ſpatio, quod Ariſtoteles dicebat de loco, nempe ſpatium eſſe prius omnibus aliis rebus; quidquid enim fit neceſſe eſt fieri in aliquo ſpatio quod præſupponi debet. Probatur ſecunda pars ad prioris confirmationem hoc modo. Poteſt Deus Mundum hunc movere motu recto, ſed id fieri eſt impoſſibile ſine ſpatio per quod Mundus ipſe moveatur: nec dici poteſt quod Deus creavit ſpatium quod priùs non erat; nam ut jam ſupradictum eſt, creatio tantùm poteſt terminari ad ens actuale. Ergo datur tale ſpatium. Præterea poteſt Deus creare plures Mundos ſibi non contiguos; imò diſtantes inter ſe multis ſphæræ fixarum diametris: ſed quilibet recipietur in ſpatio non creato; & inter ſingulos erit adhuc ſpatium inane ſuſceptivum, aliorum Mundorum ſive corporum, ergo extra quemlibet Mundum datur adhuc inane ſpatium, ideoque extra iſtum. Ad hæc ſi Cœlum Empyreum vel beatorum ſedes non eſſet ſupra primum mobile, & hoc à Deo fieret lucidum Solis inſtar, effunderet ſuam lucem extra ſe ad ineſtimabilem diſtantiam undequaque: lux enim per ſe effluit à ſuo fonte, nec ejus effluxus cohiberi nec ſiſti poteſt ab eo quod nihil eſt actu, aut quod eſt merum nihil, ut arbitrantur qui negant ultra hunc Mundum eſſe inane ſpatium; ergo efflueret, ideoque daretur ſpatium in quod effunderetur & reciperetur. Quod autem Cœlum Empyreum non extendatur in infinitum, diximus c. 5. ſect. 3. libri 3. ergo ſupra ipſum datur adhuc inane ſpatium, in quod forſan lux Empyrei effunditur.

Cæterum doctrinæ huic adverſatur D. Carteſius in ſua nova Phyſica. Nã quia ſpatium eſt quid extenſum in longum, latum & profundum, quæ extenſio conſtituat eſſentiam materiæ vel corporis ut ipſe vult: Inde concludit art. 11. part. 2. princip. eandem eſſe extenſionem quæ naturam corporis & natum ſpatii conſtituit. Ideoque art. 13. ait, *nomen ſpatii non ſignificare quidquam diverſum à corpore quod dicitur eſſe in ſpatio*: art. autem 16. deducit ex ſuprapoſitis, *repugnare ut detur ſpatium inane in quo nulla plane ſit ſubſtantia; eo quòd extenſio ſpatii non differt ab extenſione corporis: & cùm in ſpatio ſit extenſio, neceſſariò etiam in ipſo erit ſubſtantia corporea.* Tandem verò concludit ex omnibus prædictis hunc Mundum nullos extenſionis ſuæ fines habere. *Nam* (ait) *ubicumque fines illos eſſe fingamus, ſemper ultra ipſos aliqua ſpatia verè imaginabilia, hoc eſt realia eſſe percipimus; ac proinde etiam ſubſtantiam corpoream in iis contineri.*

At reſpondeamus, evidenter à nobis oſtenſum fuiſſe c. 2. lib. 4. quantùm aberret à veritate Carteſius, dum opinatur extenſionem in longum, latum & profundum conſtituere eſſentiam materiæ vel corporis phyſici. Ac proinde ſi eadem eſt extenſio quæ naturam, corporis phyſici, & naturam ſpatii conſtituit (ut ait ſuperius) ergo ſicut extenſio in longum, latum & profudum non conſtituit naturam corporis phyſici, ut à nobis oſtenſum eſt, ita non conſtituet naturam ſpatii: aut ſi hanc conſtituit, illam non conſtituet; ſicque falſum erit nomen ſpatii non ſignificare quidquam diverſum à corpore, quod dicitur eſſe in ſpatio. Et quod ubicunque ſpatium imaginamur: ibi ſit corpus. Quamobrem falſa erit ejus conſequentia, quod repugnet dari vacuum vel ſpatium inane in quo nulla planè ſit ſubſtantia corporea; & falſa erit ejus ratio, quod cùm in ſpatio ſit extenſio, neceſſario etiam ex ipſo ſit corporea ſubſtantia; *quia* (inquit) *nihili nulla eſt extenſio.* Ad id verò quod ultimò deducit Mundum hunc nullos extenſionis ſuæ fines habere: Dico à nobis ſufficienter oſtenſum fuiſſe lib. 1. & 2. Mundum hunc eſſe finitum, & habere determinatos extenſionis ſuæ limites. Ac proinde quoniam ex Carteſio ultra ipſos limites aliqua ſpatia verè imaginabilia, hoc eſt realia eſſe percipimus; ergo ſpatia illa erunt inania vel corpore vacua, prout à nobis aſſeritur. Idque de Terra quam finitam eſſe conſtat, confirmari poteſt. Nam ſi Deus univerſum Mundum annihilaret, Terra ſola excepta, ſanè ex Carteſii verbis ſupra poſitis, ultra fines Terræ, ſpatium imaginabile, hoc eſt reale eſſe percipiemus, in quo tamen nulla ſubſtantia corporea continebitur. Itaque dum ait nihili nullam eſſe extenſionem, dicit quidem verum: ſed fallitur dum putat inane ſpatium eſſe nihil, cùm ſit capax recipiendi corpus, quod de nihilo dici nequit.

Caput III.

De ubi, alicubi, ubique & nullibi, ac utrum DEUS ſit in ſpatiis extra Mundum inanibus.

Ubi eſt actus præſentiæ in ſpatio; dividiturque in alicubi & ubique. Alicubi eſt actus finitæ præſentiæ rei, in aliquo ubi vel ſpatio finito: & convenit creaturis omnibus: nulla enim eſt creatura quæ non ſit alicubi. Ubique verò eſt actus infinitæ præſentiæ rei in ſpatio infinito; qui per conſequens ſoli Deo competere poteſt. Cum enim ſit infinitus ac immenſus, certum eſt quod nullo ubi vel ſpatio finito includi vel terminari queat; ſed omnes terminos ſua immenſitate tranſcendat. Tandem nullibi eſt defectus præſentiæ in ſpatio. Qui ſi intelligatur de omni ſpatio, nulli creaturæ convenit: omnis enim creatura eſt in aliquo ſpatio finito, multóque minus Deo qui eſt in ſpatio infinito. Dum autem quæritur utrum Deus ſit in ſpatiis extra hunc Mundum inanibus; ſciendum eſt illa ſpatia dici à nobis inania, eo duntaxat quod in ipſis nulla ſit creatura, ſi nullus alius præter hunc Mundus exiſtat; ut ſublimi ratione id aſſerui, lib. 2. cap. 2. Quibus intellectis,

Dico Deum eſſe in illis ſpatiis. Probatur primò Scripturæ ſacræ Teſtimonio. Nam lib. 2. Reg. cap. 8. dicitur de Deo. *Cœli Cœlorum te capere non poſſunt*. Et Job. cap. 7. *Excelſior Cœlo eſt*. Probatur 2. ex Patribus. Quippe Nazianzenus lib. 2. de Theol. inquit. *DEUS nec in Mundo tantùm, nec extra Mundum tantùm, ſed utrobique præſens eſt*. D. Auguſtinus lib. 11. de civitate. Indignum putat Philoſopho id negare. Et D. Baſilius, *quodcunque noveris & quocunque ſpiritu tuo penetraveris, DEO plenum eſt*. Probatur 30. rationibus.

Prima eſt, Deus dicitur ab omnibus eſſe ubique, ac ubiq; ſoli Deo convenire ob ejus immenſitatē. Sed ſi fuerit duntaxat in ſpatio quod Mundus occupat, non erit ubique. Tum quia habebit actum præſentiæ duntaxat finitæ in ſpatio, ſicut Mundus ipſe: tum quia non erit in ſpatio quod datur extra hunc Mundum. Ergo ut ſit ubique, debet eſſe præſens omni ſpatio quod extra hunc Mundum dari probatum eſt cap. 2. quodque ante Mundi creationem plenum erat immenſitate Dei, quæ nullo finito poteſt includi ſpatio.

Contra hanc verò rationem dicitur à nonnullis, Deum eſſe ubique, nihil aliud ſignificare, quàm quod ſit ubicunque ſunt creaturæ in quibus ipſe eſt: & ideo cùm ſit in toto hoc Mundo ubi ſunt omnes creaturæ, dicitur eſſe ubique.

Sed falſa eſt hæc explicatio vocis ubique, nec Deus eſt ubique ſi tantùm ſit in hoc Mundo. Tum quia ſequeretur hunc Mundum etiam eſſe ubique cùm tamen habeat actum finitæ duntaxat præſentiæ in ſpatio. Tum quia Deus non eſſet, ubi alter Mundus ab eo poni poteſt per novam creationem: quis enim niſi ſtultus, negabit Deum poſſe alterum cum iſto Mundum creare, vel hunc eſſe ipſius omnipotentiæ effectum adæquatum? His adde quod Deus ſuum ubique, hoc eſt actum ſuum præſentiæ infinitæ non mutuatur à creaturis, nec ut ſit extra hunc Mundum, neceſſe eſt ut creet alterum Mundum, vel aliquam creaturam extra hunc; alioquin poſſet tantùm eſſe alicubi & nunquam ubique: quia non poſſunt eſſe actu Mundi infiniti, vel infinitæ creaturæ; imò in ſuo eſſe alicubi, adhuc dependeret à creaturis; quæ ſunt abſurda.

Secunda ratio eſt hæc. Quandoquidem extra hunc Mundum datur inane ſpatium ex cap. 2. certum eſt quod Mundus ipſe diſtat ab omnibus partibus ipſius ſpatii in quibus non eſt: ideoque ſi Deus ſit tantùm in hoc Mundo, diſtabit ſimiliter ab iiſdem partibus ſpatii; & quia poteſt hunc Mundum movere ad illas partes ſpatii, ergo tam Mundus quàm Deus erunt in potentia ad actum præſentiæ in illis partibus ſpatii, quod de Deo cogitare abſurdum eſt: ergo Deus ipſe per ſuam immenſitatem eſt omni ſpatio præſens. Objiciunt aliqui ſpatium inane ſupradictum, nihil eſſe: ideoque ponere Deum in ſpatio inani extra hunc Mundum imaginato, eſt illum ponere in nihilo, vel ei tribuere ubi duntaxat imaginarium, quæ duo ſunt abſurda.

Sed Reſpondeo: Nos cap. 2. rectè probaſſe ſpatium illud inane non eſſe nihil, nec habere eſſe duntaxat imaginarium; cum poſſit recipere corpora, quod de nihilo dici nequit, & realiter fuerit ante omnem imaginationem: nec adverſariis poſſibile eſſe probare contrarium.

Objiciunt alii, quod ſi Deus eſſet in toto illo inani ſpatio, non poſſet operari ubi eſſet, nam cùm ſpatium illud non ſit finitum ſed infinitum, ſi Deus poſſet operari in ſingulis partibus illius ſpatii, producere poſſet infinitum actu; quod tamen dari nequit.

Sed reſpondeo idem dici poſſe de hoc Mnndo, imò de quovis corpore continuo ac in partes diviſibili in infinitum ſycathegorematices: in quibus ſingulis partibus Deus eſt indiviſibilis ac indiviſibiliter, poteſtque in ſingulis operari quod volet. Nec tamen ſi hodie formicam in ſingulis produxerit, propterea dabuntur infinitæ actu formicæ: nam ſi cras in iiſdem ſingulis partibus formicas alias produxerit, fiet formicarum numerus duplo major, quam erat hodie, ergo hodiernus formicarum numerus non erat infinitus. Idem igitur dicendum de Deo in omnibus & ſingulis partibus ſupramundani ſpatii. Atque ex hoc patet incomprehenſibilem eſſe humano ſaltem intellectu finito, naturam infiniti, & infinitæ potentiæ Dei qui infinitum extra ſe producere nequit: alioquin Deum extra ſe produceret, cùm nullum ſit infinitum præter Deum ipſum, ut Libro primo probatum eſt.

Objici poteſt inſuper, quod ubique Dei, eſt ejus immenſitas, nulloque ubi externo indiget, per quod infinitè diffundatur, ergo ante Mundum non erat inane ſpatium infinitum quod ipſe immenſitate ſua repleret; nec jam tale eſt ex-

tra

tra hunc Mundum, ideoque Deus non eſt in ipſo. Præterea illud ſpatium vel erat in Deo, vel extra: ſi in Deo, erat ipſe Deus vel ejus immenſitas: ſi extra, ergo Deus non eſt ſeipſo immenſus; nam extra immenſum nihil eſſe poteſt nec actuale nec potentiale.

Reſpondeo: Prioris argumenti antecedens eſſe verum; non autem conſequentiam. Etenim etſi Deus nullo ubi externo indigeat, tamen poſt creationem diffuſus eſt per creaturas in quibus antea non erat; juxta illud, *Cœlum & Terram impleo*, quia creaturæ eſſe non poſſunt, quin Deo immediatè uniantur, utpote in ſuo eſſe dependentes eſſentialiter ab eſſe Dei, qui eſt ipſum eſſe. Neque attribuendum indigentiæ Dei, quod repleat infinitum ſpatium; ſed ejus immenſitati quæ nullo ſpatio finito circumſcribi poteſt, nec etiam infinito; quòd nempe extenſio in longum, latum & profundum ſit de eſſentia ſpatii (quod per conſequens non eſt nihil) Deus autem his careat dimenſionibus, ideoque ſpatio ne quidem infinito circumſcribi poteſt. Ad poſteriùs vero argumentum reſpondeo, ſpatium illud eſſe intra Deum & extra, neque hoc officere ejus immenſitati: Non ſecus ac creaturæ dicuntur eſſe extra Deum, quatenus poſitæ extra primam cauſam ſuam quippe Deum, ſunt aliud à Deo: & tamen ſunt in Deo, ut in abyſſali fonte ipſius eſſe, quod ſua immenſitate aliud omne eſſe circumplectitur & includit. Sic ergo ſpatium illud eſt extra Deum, quia eſt aliud à Deo, & eſt etiam intra Deum; quia cum ſit, eſt per ipſum eſſe, per quod eſt id omne quod habet aliquod eſſe ex Libro primo; ideoque in ipſius eſſe immenſo & abyſſali fonte etiam includitur. Nec ſequitur quod ſi fuerit intra Deum, ſit ipſa immenſitas Dei, hoc eſt ipſe Deus; alioquin idem dicendum eſſet de creaturis quæ ſunt in Deo, juxta illud D. Pauli Act. cap. 17. in ipſo *vivimus, movemur & ſumus.*

Objicietur denique quod ſi Deus ſit in illis ſpatiis, ergo non erunt inania contra hypotheſin; quis enim id inane dixerit, quod Deo plenum eſt?

Reſpondeo: Dici inania, quod in ipſis nulla ſit creatura, & non quòd in ipſis nihil ſit.

Caput IV.

Quid ſit propriè locus, & an differat à ſpatio.

Ariſtoteles Lib. 4. Phyſ. inveſtigans naturam loci, per multas ambages & Antiquorum opiniones, tandem cap. 4. tex. 42. hanc definitionem tradit. *Quod ſit terminus vel ſuperficies prima & immobilis, corporis ambientis.* Verùm hæc definitio non eſt generica, hoc eſt, non eſt definitio loci prout convenit omni ſubſtantiæ, quæ dicitur eſſe in aliquo loco vel alicubi. Nam ſubſtantiis incorporeis quas agnovit Ariſtoteles, dum poſuit intelligentias moventes corpora Cœleſtia, talis locus non attribuitur ab Ariſtotele; ſed duntaxat corporibus; proindeque dici tantùm poſſet ſpecialis pro corporibus ſi omni corpori competeret. At ne quidem competit primo mobili, quod nullum aliud corpus ambit ſua ſuperficie, nec competeret aliis corporibus ſeorſim poſitis in ſpatio inani quod datur ultra primum Cœlum. Quamobrem hæc non eſt propria vel eſſentialis definitio loci, prout omni loco convenit, quandoquidem Deus extra ſe agens per creationem, nihil creare poteſt quod præter ſuum ubi eſſentiale quo ſibi præſens eſt, non habeat ubi accidentale, hoc eſt non ſit in aliquo loco: Et tamen Mundus hic ſecundum ſe totum ſpectatus, vel ſi mavis primum Cœlum, non eſt in loco juxta Ariſtotelis definitionem. Eſt igitur duntaxat definitio loci accidentarii, vel ſecundarii; quatenus locato accidit, externa corporis ambientis ſuperficie circumveſtiri in loco primario quod occupat.

Itaque locus genericè rectius definietur, ſi dicatur eſſe *pars univerſi ſpatii quæ locati præſentiam teminat.* Hæc enim definitio loci, convenit omni creaturæ, ſive ſpirituali, ſive materiali; & juxta ipſam creatura quælibet verè ac propriè dici poteſt eſſe in loco.

At contra definitionem hanc objicietur, quod ſpatium conſtituitur locus, vel ratione ſuæ extremitatis qua terminat locatum, vel ratione capacitatis ipſum recipiendi. Primum dici nequit. Nam cùm ſpatium nihil ſit actuale, ut à Nobis conceditur, ergo nullam habet extremitatem. Nec etiam ſecundum, nam corpore locato nulla ſupereſt loci capacitas; ideoque locus dici non poteſt. Si enim capacitas ſupereſſet, vel intra locatum eſſet, vel extra: non intra, alioquin locus non contineret locatum, nec locatum eſſet in loco; ſed neque extra etiam; cùm extra poſſit tantùm concipi aliud ſpatium in quo non eſt locatum ipſum: Et ſic de cæteris locatis, præſertim de primo Cœlo.

Sed reſpondeo, quod ſpatium conſtituitur locus ratione utriuſque; & ad primum dico, quod etſi ſpatium nihil ſit actuale, tamen eſt aliquid potentiale, quia poteſt recipere locatum, quod de nihilo dici nequit. Et idcirco quoniam pars ſpatii non eſt infinita, ſed finita, neceſſario habet extremitatem ſeu ambitus, qua locati præſentiam terminare poteſt. Ad ſecundum verò dicendum eſt; corpore locato, ſupereſſe in ejus loco capacitatem illud recipiendi; quandoquidem illud continuò recipit, quamdiu locatum manet in ipſo loco; ac præterea poteſt ſimul plura recipere locata; ut plures Angelos vel animas, tum corpus & animam, quæ ſunt duo locata; vel etiam plura corpora per Omnipotentiam Dei, aut ſupernaturalem ſtatum corporis glorioſi penetrantis lapidem vel januam: hæc enim omnia poſſunt eſſe ſimul in eodem loco. Ad id verò quod arguitur illam capacitatem fore intra vel extra locatum: Dico illam eſſe loco eſſentialem, & locato intrinſecam, cùm ipſa ſit ubi intrinſecum, ſed accidentale locati, per quam habet modum intrinſecum, ſed accidentalem præſentia ipſi loco. Nec propterea ſequitur quod non contineat locatum; cùm non ſit de ratione continentis, eſſe extra con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

tentum, alioquin totum quod ſuas partes continet, eſſet extra ipſas, quod nemo dixerit, nec ſimiliter ſequitur quod locus ſit in ſe ipſo quia eſt in locato, quod eſt in loco : quoniam idem etiam diceretur de toto & ſuis partibus, quod tamen rejicitur. Nec etiam ſequitur quod dabitur penetratio, dimenſionum phyſicarum, hoc eſt continua quantitate affectarum: quoniam dimenſiones loci à nobis definiti in longum, latum & profundum, ſunt tantùm Mathematicæ, nec propterea nihil. Nec tandem violatur communis aſſenſus Philoſophorum, locum eſſe quid externum, quia id intelligunt de loco Ariſtotelico, ſcilicet ſuperficie corporis ambientis. At dicat Ariſtoteles cum ipſis, quis ſit locus primi Cœli, quod nullum aliud corpus ambit, nam Virtute Divina poteſt motu recto moveri, quod ſine loci in quo jam eſt derelictione fieri, repugnat Ariſtotelis dogmatibus. Doctrina verò ſuperior omnibus Philoſophis erit accepta, ſi attentè ſpectetur. Omnes enim duplicem cujuſque corporis locum agnoſcunt, nempe intrinſecum, qui eſt ſpatium à corpore occupatum, & extrinſecum, qui eſt ſuperficies illa Ariſtotelica, quo pacto primum Cœlum carebit quidem loco extrinſeco, ſed habebit locum intrinſecum; nempe ſpatium quod occupat, quodque propriè eſt locus ipſius Cœli.

Volunt autem nonnulli locum à ſpatio in hoc differre, quòd locus magis expreſsè deſignat ſitum locati inter externa, quæ tanquam immobilia attenduntur, ſpatium verò magis expreſsè magnitudinem & figuram locati; à quo ſpatium ipſum repletur. At quia ſpatium vel ubi intrinſecum locati, primò & per ſe deſignat ſupradictum ſitum locati; nec ſuperficies illa corporis ambientis id præſtare poteſt niſi per ipſum ſpatium, omne verò locatum cujuſcunque ſit magnitudinis & figuræ replet ſuum locum; non apparet hic ſufficiens cauſa, quod locus propriè dictus, differat à ſpatio, ideoque idem erit cum ſpatio.

Caput V.

De Loci immobilitate.

MAxima eſt inter Philoſophos controverſia de Immobilitate loci. Concedunt quidem omnes illam ſic pertinere ad naturam loci, ut huic ipſam eſſentialem eſſe plerique cenſeant. Si enim locus fuerit mobilis: ergo quia non eſt motus ſine novi loci acquiſitione, dabitur loci locus. Atque ſic progreſſus in infinitum. Et idcirco licet Ariſtoteles ſuprà definierit locum eſſe ſuperficiem corporis ambientis, tamen quia illam agnoſcit debere eſſe immobilem; negavit ſuperficiem vaſis poſſe eſſe locum; quia vas de loco ad locum moveri poteſt, cum eo quod continet. Quamobrem nec fluminis aqua ſuo decurſu Cymbam deferens, ipſius Cymbæ locus vocabitur. At in quo conſiſtat, & unde ſumenda ſit loci immobilitas, in varias diſtrahuntur ſententias, bene advertentes ab hac immobilitate deſignari idenditatem numericam loci, quæ locato cuilibet naturaliter convenit.

Ex hac autem immobilitate patebit adhuc evidentiùs quid ſit locus propriè dictus de quo actum eſt cap. 4, ſi nonnulla exempla hìc appoſuerimus. Eſto igitur Terrâ ſtante Turris, & ipſam ambiens Aer à Vento flante agitatus. Quæritur quis ſit locus ipſius Turris? Nam quia continuò mutatur ſuperficies ambientis, ſequetur in mente Ariſtolis, novum locum acquiri ſine motu locati. Reſpondet Scotus non acquiri novum locum, quia manet eadem numero ſuperficies immobilis per æquivalentiam. Veluti quamvis lumen candelæ novum ſemper producatur; tamen dicitur duntaxat unum numero per æquivalentiam. Et corpus hominis quamvis continuò diſſipationem & novam generationem patiatur; tamen dicitur unum numero à pueritia ad ſenium per æquivalentiam. Sed non valet reſponſio: Nam ſi quæratur cur ſuperficies illa continuò varians dicatur immobilis: non alia dabitur ratio; quàm quia locatum ſive Turris eſt immobilis. Sed abſurdum eſt locum habere duntaxat ab alio à ſe, id quod eſt ſibi eſſentiale vel maximè proprium, ſcilicet immobilitatem, à qua ipſum locatum habet quod dicatur immotum quamdiu manet in eodem numero loco. Non igitur ſuperficies ambientis eſt propriè locus immobilis. Neque hìc comparationes valent de lumine & corpore humano iiſdem per æquivalentiam: quandoquidem non eſt quæſtio de loci unitate numerica eadem pet æquivalentiam, quæ conceditur in Turri immota & Ave volante; ſumpto loco pro ſuperficie ambientis: Sed de immobilitate loci, quæ aliud eſt ab illa unitatis identitate per æquivalentiam.

Aliud Exemplum. Supponatur Cymba ferri ad ortum, & aliquis homo æquali celeritate moveri à prora ad puppim. Quæritur an ipſe homo per ſuum motum acquirat novum locum? Reſpondeo, non magis acquirere novum locum, quàm qui ſuſpenſus ab arbore ſub qua tranſiret Cymba, & Cymbam pedibus contingens, eam à prora ad puppim paſſibus ſuis ita ſuſpenſus metiretur. Si quidem utroque modo ſi ſupponatur quies Aeris & ſolus motus aquæ Cymbam deferentis, talis homo ne quidem mutabit ſuperficiem Aeris ipſum ambientis; ſed remanebit in eadem numero Aeris ſuperficie immobili, & non eadem numero per æquivalentiam Aeris ſuccedentis. Sed ſi homine ſic ſuſpenſo moveatur Aer Terra ſtante; ſe habebunt homo & ſuperficies Aeris ipſum ambientis, ut Turris & Aer in primo exemplo: quamobrem homo dicetur non mutare locum propriè; & Aeris ipſum ambientis ſuperficiem, non eſſe propriè locum.

His intellectis quæ ad alia exempla accomodari queunt, dico primò. Omni loco propriè dicto immobilitatem eſſe eſſentialem. Vel maximè propriam: Ita ut locus non moveatur admodum locati: Nam omnis motus propriè dictus, eſt ab aliquo immobili, ad aliquod immobile. Si enim termini motus, qui ſunt locus à quo movetur mobile, & locus ad quem movetur, etiam moverentur: fieri poſſet ut dum mobile movetur, nunquam deſereret terminum à quo, nec unquam attingeret terminum ad quem. Hoc autem repugnat naturæ motus propriè dicti: qui eſt progreſſio à termino à quo ad terminum ad quem. Ergo loco propriè dicto immobilitas eſt eſſentialis vel maximè propria.

Dico ſecundò, eam immobilitatem non eſſe deſumendam ab aliquibus punctis immobilibus univerſi Mundi, reſpectu quorum locus dicatur

catur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

catur idem numero, quia eſt in eadem ab illis punctis diſtantia. Nam in ipſo Mundo ſunt tantùm tria puncta immobilia; nempe ejus Poli atque centrum, in quo eſt Tellus immobilis. Jam verò poteſt aliquod corpus moveri ſub Æquatore vel aliquo parallelo, in eodem ſemper à Mundi polis atque centro diſtantia; at falſum eſt quod dum ſic movetur, ſit ſemper in eodem loco. Sic enim Stellæ fixæ vel navis delata ſub eodem præcisè parallelo, nullum ſuo motu locum novum acquirerent, quod nemo dixerit. Ad hæc primum Cœlum veré eſt in loco propriè dicto, at non immobili per reſpectum ad illa puncta, quæ ſecum deferet quocunque moveatur à DEO. Denique ſi DEUS Mundum hunc moveret motu recto, ſanè ut totus Mundus mutaret locum, ita omnia in eo contenta mutarent locum, quamvis ſemper eſſent in eadem diſtantia ab illis Mundi punctis, quæ tamen non eſſent immobilia. Ergo immobilitas loci non eſt deſumenda ab aliquibus punctis immobilibus univerſi Mundi, &c.

Dico igitur tertiò: immobilitatem loci ex eo deſumendam eſſe, quod locus ex ejus definitione noſtra cap. 4. ſit pars univerſi ſpatii, hoc eſt Mundani vel ſupra Mundani, quæ locati præſentiam terminat: nam quia totum illud ſpatium eſt immobile (quia præter univerſum ſpatium, non datur aliud, ad quod univerſum moveri queat, alioquin non eſſet univerſum) ergo pars quælibet ipſius univerſi ſpatii eſt etiam immobilis, & in ipſo univerſo ſpatio eundem ſitum ſemper conſervat. Quamobrem quamdiu locatum eſt in eadem parte univerſi ſpatii, dicitur eſſe in eodem loco: quando autem illam deſerit, dicitur moveri ab uno loco ad alterum. Atque inde patet quod immobilitas ſit loco propriè dicto eſſentialis, ac per conſequens quod immobilitas corporis in univerſo ſpatio, deſignat identitatem numericam loci propriè dicti corporis ipſius. Ac tandem quod locus propriè dictus ſit pars univerſi ſpatii.

CAPUT VI.

Quot modis aliquid dici poſſit eſſe in loco generatim.

TRibus tantùm modis res aliqua dici poteſt eſſe in loco; nimirum immensè, definitivè & medio modo.

Eſſe in loco immensè, eſt eſſe ubique, quod DEO ſoli convenit ob ejus immenſitatem, ut jam ſuperiùs dictum eſt: hicque modus ipſi DEO naturalis eſt.

Eſſe in loco definitivè, eſt rem per præſentiam ſic determinari in aliquo ubi, vel ſic eſſe alicubi; ut ſimul non ſit alibi: hicque modus ſolis convenit creaturis, ac ipſis naturalis eſt.

Eſſe in loco nec immensè nec definitivè, ſed medio modo; eſt ſimul tempore eſſe in pluribus locis diſcontinuis. Communiter autem modus hic eſſendi in loco, ſacramentalis vocatur à Theologis, propter corpus CHRISTI, quod ſimul tempore in Euchariſtiæ ſacramento reperitur in pluribus locis diſcontinuis: At rectiùs vocabitur ſupernaturalis; quia tam corpori CHRISTI, quàm creaturæ cuilibet conferri poteſt, ſed tantùm ſupernaturaliter. Nam enim CHRISTI corpori naturale eſt, quod ſimul tempore ſit in pluribus locis diſcontinuis; ſed ſupernaturale, ex ſola DEI voluntate; per quam alia quævis creatura, poteſt etiam ſimul tempore poni in pluribus locis diſcretis; ſive adæquatis, ſive inadæquatis. Hoc enim nullam implicat contradictionem; quandoquidem propria unitas numerica locati; alia eſt ab unitate loci quem occupat: alioquin quoties locum mutat, fieret aliud numero locatum, hoc eſt propriam deperderet unitatem numericam, quod abſurdum eſſe nemo non videt. Neque hìc audiendi ſunt Sectarii, qui negant CHRISTI corpus ſimul tempore eſſe in pluribus locis diſcontinuis quia hoc naturaliter eſt impoſſibile: quaſi verò CHRISTUS nihil poſſit ſupra Naturam quam ipſe fecit, cuique leges præſcripſit ut voluit, quas tamen ſæpe prætergreſſus eſt, ambulando ſupra Mare, mortuos reſuſcitando, &c.

CAPUT VII.

De variis diviſionibus Loci definitivi: Et diverſis modis eſſendi in loco definitivè.

IDeo tantùm loci definitivi diviſiones hìc tradendæ videntur; quia locus immenſus non ſubdividitur: Eſt enim unicus, ſoli DEO competens; locus autem inter illa medius vel ſupernaturalis, facilè intelligetur ex diviſionibus loci definitivi.

Prima itaque diviſio loci definitivi, eſt in intrinſecum, & extrinſecum. Uterque autem poteſt eſſe diviſibilis vel indiviſibilis. Ac indiviſibilis eſt punctum ſpatii univerſi pro intrinſeco, nec non punctum corporis ambientis pro extrinſeco. Intrinſecus autem diviſibilis, eſt pars illa univerſi ſpatii, quæ à quolibet locato occupatur. Extrinſecus verò eſt ſuperficies corporis locatum ipſum ambientis.

Porrò extrinſecus iſte ſubdividitur in proprium ſive immediatum, & communem ſive mediatum. Proprius eſt, verbi gratia, dolium reſpectu vini in dolio contenti. Communis verò eſt cella vinarii reſpectu ipſius vini. Similiter proprius locus globi Terreſtris eſt concava ſuperficies Aeris: communis verò eſt Elementum Ignis, vel Æther, vel Cœlum. Et rurſus animæ locus proprius, eſt ejus corpus, communis verò Aer vel Aqua, &c. Tandemque proprius locus extrinſecus Angeli apparentis, eſt corpus aereum quod aſſumit; vel ſuperficies Aeris ſphæram activitatis illius ambiens: communis verò eſt Ignis, Æther, Cœlum, &c.

Præterea proprius dividitur in naturalem & violentum. Naturalis eſt qui naturæ locati congruit in ordine univerſi: quo pacto naturalis locus globi Terreſtris, eſt Aeris Elementum illum ambiens. Locus naturalis Aeris, eſt Elementum Ignis: locus naturalis Planetarum eſt Æther. At violentus eſt qui naturæ locati repugnat: quo pacto Aqua eſt locus Aeri violentus, Aer igni, &c.

Secunda diviſio loci definitivi, eſt in abſolutum, & reſpectivum. Abſolutus eſt pars mundani vel univerſi ſpatii, quæ occupatur à locato, ut locus Saturni in propria ſua orbita; vel pars mundani ſpatii quod occupat in orbita propria, eſt locus abſolutus. Nam abſolutè loquendo Saturnus eſt in tali loco. Et locus Terræ abſolutus eſt pars mundani ſpatii, quđ ipſa occupat: ſicque de cæteris.

Re-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Reſpectivus verò eſt pars ea ambientis, è cujus directo locatum conſpicitur ab aliquo. Ut ſi Saturnus è ſuperficie vel centro Terræ videatur aut videri ſupponatur è directo ſecundi gradus Arietis in primo mobili; gradus ipſe dicetur eſſe locus Saturni in primo mobili, reſpectu ejus à quo videtur è centro vel ſuperficie Terræ, atque ſic de cæteris viſibilibus in Cœlo & in Terra. Unde patet locum abſolutum eſſe duntaxat unicum: reſpectiva autem loca poſſe eſſe multiplicia, pro multiplicitate videntium è diverſis locis, non in eadem linea cum viſibili conſtitutis. Sique aliquis moveatur à prora ad puppim æquè velociter ac navis ſupra mare: ipſe multiplicem acquiret locum reſpectivum, abſolutus verò erit duntaxat unicus.

Eſt præterea modus alius eſſendi in loco reſpectivo apud Aſtrologos. Si Saturnus proprio motu delatus venerit ad locum reſpectivum quem Sol occupavit in aliqua geneſi; dicetur eſſe reſpectivè in loco radicali Solis.

Jam verò quod attinet ad diverſos modos eſſendi in loco definitivo; quoniam duo ponuntur à nobis loca definitiva, ſcilicet, diviſibilis & indiviſibilis. Dico primò aliquod locatum eſſe in loco diviſibili, diviſibiliter, quo pacto corpus naturale quodlibet eſt in ſuo proprio vel abſoluto loco; & hoc communiter dicitur eſſe in loco circumſcriptivè vel commenſurativè.

Dico ſecundò: aliquod locatum poſſe eſſe in loco diviſibili, indiviſibiliter, quo pacto hominis anima eſt in ſuo corpore; & Angelus in ſpatio diviſibili quod occupat: anima enim & Angelus ſunt indiviſibiles ſubſtantiæ; ideoque diviſo loco vel ſpatio non dividuntur, ſed ſunt totæ in toto, & totæ in qualibet parte ſpatii indiviſi. Et ſimiliter dicendum, quod CHRISTI corpus eſt ſub ſpecie panis in loco diviſibili indiviſibiliter, quia non dividitur ad diviſionem loci vel ſpatii quod per ſpeciem occupat: ſed inſtar animæ vel Angeli eſt totum in tota, & totum in qualibet parte ſpeciei indiviſæ. Differt autem corpus CHRISTI ab anima vel Angelo; in eo quòd dividendo realiter panis ſpeciem ſub qua eſt corpus CHRISTI in plures partes, totum corpus ipſum remanet in ſingulis: at de corpore animæ, vel loco Angeli, id dici non poteſt; alioquin ſimul tempore eſſent in pluribus locis diſcontinuis.

Dico tertiò: aliquod locatum poſſe eſſe in loco indiviſibili diviſibiliter, quo pacto lux, influentia, calor, per reflexionem ad focum ſuperficiei parabolicæ coacta, ſunt quidem in loco indiviſibili, ſed diviſibiliter: Quia ibi ſunt diviſibiles in partes entitativas, quas habent extra ſe mutuò poſitas, ut diximus lib. 4. cap. 5. At non diviſione reali, ſaltem naturaliter: ſed tantùm mentali.

Dico quartò: poſſe locatum eſſe in loco indiviſibili, indiviſibiliter. Quo pacto erit Angelus, ſi locetur in indiviſibili puncto ſpatii, ut de luce & calore id fieri conſtat.

Cætera quæ de loco & locato quæri ſolent à Philoſophis & Theologis, hîc omittimus: aſſerentes ea omnia DEO poſſibilia quæ nullam contradictionem implicant. Ut idem corpus ſimul tempore ponere in pluribus locis abſolutis & diſcontinuis.

CAPUT VIII.

De proprietatibus Loci definitivi.

Locus definitivus dupliciter ſpectari poteſt; nimirum vel quantum eſt duntaxat locus abſolutus locati: vel quatenus inſuper ipſi locato connaturalis eſt. Per connaturalem verò tantùm intelligendus eſt extrinſecus atque proprius ſive immediatus.

Prima loci abſoluti proprietas, eſt continere locatum; ita locatum non ſit extra locum ipſum, ſaltem naturaliter.

Secunda eſt, æqualem eſſe locato, dum eſt in ipſo loco.

Tertia eſt, per motum eſſe à locato ſeparabilem. Quod intellige de loco individuo; ita ut nullus ſit locus individuus, à quo locatum non poſſit ſeparari per motum; quamvis ſemper ſit in aliquo loco.

Quarta, Eſſe terminum à quo vel ad quem, motus locati. Omne ſiquidem locatum moveri poteſt ab uno loco ad alterum: ideoque hæc ambo loca ſunt termini à quo & ad quem ipſius motus locati.

Quod verò ſpectat ad proprietates loci, quatenus locato connaturalis eſt: Sciendum, infinitam DEI ſapientiam, in hoc Mundo ex diverſis naturis condendo, componendo & ordinando, ſingula corpora ſingulaſque naturas, in locis extrinſecis adeò ſibi congruis collocaſſe, ut nullibi quælibet melius eſſe queat, quàm in loco ſibi à Divina Sapientia deſtinato. Et idcirco partes Mundum integrantes ſuum ordinem adeò conſtanter obſervant, ut miſceri renuant: Aut ſi aliqua vi miſceantur; illico propria loca, propriumque ordinem ſuperioritatis vel inferioritatis repetant. Quod perbellè demonſtratur à Chymicis Elementa alicujus mixti ſeparantibus, eadem in eodem vaſe claudentibus, atque agitatione miſcentibus: vulgo autem in aqua pluviali, quæ ex Aere deſcendit, nec in eo morari poteſt. Tum ex lapide qui ſurſum projectus, deſcendit ex Aere, & cadens in Aquam deſcendit infra ipſam: Tum ex veſica Aere plena, quæ ſi Aquæ violenter intrudatur, illicò vi magna ſuper Aquam reſilit. Nam quia pars Elementi eſt ejuſdem Naturæ cum toto, dum pars à toto ſeparatur & in locum à Natura totius alienum tranſire compellitur, lege vel inclinatione naturali, ad locum ſibi ipſique toti connaturalem revertitur. Non quod attrahatur à ſuo toto, vel quod ipſi appetat uniri, ut fingunt Telluris motus aſſertores, nec probare queunt: ſed quod talis locus & nullus alius in Mundo, ſit ejus naturæ congruus. Ideoque ſi DEUS Terreſtrem Globum annihilaret, ejuſque locum repleret Aere novo, poſtea verò lapideum, ferreum, vel aureum globulum crearet; is in Globi Terreſtris locum naturaliter deſcenderet, huncque pro ſuo modulo ſic occuparet, ut non ſecus ac ipſe Globus toti Elemento Aeris medius undequaque ſubeſſet.

Nec divina ſapientia id ſolum obſervavit in corporibus collocandis, ſed etiam in ſpiritibus & hominum animabus. Quod Diva Catharina Genuenſis divinitus edocta, in ſuo ſublimi tractatu de purgatorio mirabiliter exponit, nullo refragante Theologo.

Dicit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Dicit enim quod anima eo momento quo ſeparata eſt à corpore, cognoſcit ſuum ſtatum ſive bonum ſive malum, indeque ſcit quis locus ſuo ſtatui ſit congruus; an Tartarus, an Purgatorium, an verò Cœlum ipſum. Quamobrem illicò ſe ipſam movet ad locum ſibi congruum: bono vel malo Dæmone comite: ſine quo tamen ſola peteret eadem loca; quippè quod illa ſciat, ad eaque non minùs inclinetur per ſuum ſtatum, quam lapis ad tendendum in Terræ centrum. Nec poteſt velle alium locum, quam ſuo ſtatui congruum. Verbi gratiâ anima reprobi, quamvis horreat infernum ejuſque pœnas ſæviſſimas & ſempiternas, nollet tamen adire purgatorium neque Cœlum, quippe quod hæc loca ſint ejus ſtatui maximè contraria. Ideoque ipſi animæ reprobæ immensè deterius eſſet morari in purgatorio, quam in inferno, quo circa ſeſe in infernum volens nolens præcipitat, nullum videns locum ſibi convenientiorem, fugitque Purgatorium vel Cœlum ut loca ſibi inimica. Similiterque anima ad purgatorium condemnata, in ipſum lubentiſſimè deſcendit, quippe ordinatum ad ejus purgationem, quam etiam ardentiſſimè appetit, malletque ſuas pœnas, harumque tempus millecuplo augeri, quam Cœlum petere, & Deo præſentari cum minima macula. Idemque dicito de Diabolis, quorum ſtatui purgatorium atque Cœlum maximè contrariantur.

His notatis duæ traduntur proprietates loci connaturalis. Prima quod locatum ad ſe trahat non quidem per impreſſionē alicujus virtutis ut magneticæ, vel per apprehenſionem & tractionem propriè dictam: ſed per modum finis vel objecti. Trahens autem per modum finis vel objecti, debet præcognoſci à trahendo. Sicque damnati dici quidem poſſunt trahi per modum finis ab inferno; quia vident atque ſciunt nullum locum ſuo ſtatui congruentiorem eſſe quam infernum, ſeque alibicunque deterius fore. At lapis tendens ad Terræ centrum, non cognoſcit ipſum centrum: ergo ab eo non trahitur per modum finis: nec etiam magneticè, aut per prehenſionem; ergo nullo modo trahitur, ſed fertur ad centrum lege naturæ, quâ quæ ſunt graviora, premunt infernè leviora & ſub ipſa deſcendunt, quæ autem ſunt leviora, premunt ſupernè graviora, & ſuper ipſa aſcendunt, atque ſic unumquodque corpus ad ſuum locum naturalem defertur, hoc eſt naturæ ſuæ congruum: ut patet ex Chymico vaſe ſupradicto.

Nihilominus dici poteſt quod inter creaturas quintuplex datur cognitio naturalis. Nempe intuitiva quæ Angelis propria eſt: diſcurſiva quæ hominibus, ſenſitiva quæ brutis, vegetativa quæ viventium omnium ſeminibus, & Elementalis quæ Elementis. Quod enim ſeminibus inſit cognitio & ars naturalis, eaque mirabilis plantarum & animalium corpora organiſandi, ac ſemper eodem modo figurandi, nullus ſanæ mentis inficiabitur: idque paſſim Chymiatri profitentur, eaque cognitio neque eſt ſenſitiva, neque rationalis, ut patet ex plantarum ſeminibus. Quidni ergo in Elementis, lapidibus & cæteris corporibus ſublunaribus admittetur cognitio naturalis, quâ in hoc Mundo ſaltem loco ſibi in ipſo congrua petant. Nam etſi Elementa, lapides, &c. vitam non habeant manifeſtam, habent nihilominus vitam occultam, nihilque eſt in hoc Mundo omni vita deſtitutum ex Chymiatris: ſi autem vivunt, habere debent cognitionem ſuæ vitæ conſentaneam atque neceſſariam: per quam lapis in Aere vel vacuo intra Mundum poſitus, ſe in locum ſibi congruum diriget, atque movebit per gravitatem quam habet ab Elemento prædominante: quod ſi quis talem in lapidibus negaverit cognitionem, negabo in ſeminibus artem organizandi, & figurandi flores, folia, fructus & animalium partes: & quidquid afferet ex parte Dei vel naturæ pro ſeminibus, hoc idem illi obtrudam pro Elementis & lapidibus: Deus enim & natura mirabiles ſunt in omnibus operibus ſuis; & mirabiliores in Accaro quam in Elephante. Ab hac autem naturali cognitione fit ut gravia infernè premant leviora occurrentia, & levia ſupernè premant graviora.

Secunda loci naturalis proprietas, eſt quod locatum retineat atque conſervet. Quod intellige quamdiu locacum manet in ſtatu congruo ipſi loco naturali. Atque ſic Aqua retinetur & conſervatur ab Aere, quamdiu non fit calidior Aere: at ſi fiat calidior, Aer non amplius ipſam retinebit, ſed ſinet in vaporem reſolvi & ſupra ipſum Aerem aſcendere. Similiter anima retinetur à Purgatorio, quamdiu aliquid purgandum habet: at ſtatim atque nihil purgandum ſuper eſt, evolat, nec à Purgatorio retineri poteſt: ſicque naturalium & ſupernaturalium rerum, eadem lex generalis eſſe videtur.

Objicies ſi Aer eſt locus naturalis Aquæ: cur pluvia non retinetur & conſervatur in Aere ſed deſcendit ex Aere? Sanè fatendum videtur quod trahitur ab Elemento Aquæ, aut fertur ad ipſum, ut ſuo toti ſe uniat.

Reſpondeo neutrum eſſe fatendum. Ut patet ex pluvia quæ deſcendit ſupra Terram. Neque corpus Aeris eſſe proprium & connaturalem locum extrinſecum Aquæ, ſed ſuperficiem concavam totius Elementi Aeris, globum Terræ & Aquæ ambientis: ideoque pluvia quæ intra Aerem generatur deſcendit uſque ad hanc ſuperficiem, ut totaliter ſubſit Elemento Aeris: ſicque locum ſuum naturalem recuperat, ex quo reſoluta in vapores evolaverat.

Cæterum quod ad loca reſpectiva planetarum attinet pro Aſtrologia, certum eſt, ut ſuo loco oſtendetur, Signorum Zodiaci alia eſſe. Planetis ſingulis connaturalia, alia contraria, & alia extranea, quæ vocari ſolent Domus dejectio, & peregrinatio Planetarum ipſorum. Planetæ autem ab his locis nec attrahuntur nec retinentur; quippe non facti ad quieſcendum, ſed ad perpetuum motum ſub Zodiaco circa ſuarum orbitarum centra, Telluris & hominum gratiâ, uſque ad finem & interitum hujus Mundi. Nec Planetæ quidquam accipiunt à locis ſive ſignis in quibus eſſe dicuntur reſpectu noſtri: ſed ſignum & Planeta propriis viribus ſimul agunt in Tellurem, ut proprio loco exponetur; idemque accidit ſtellis fixis quæ etiam ſub Dodecatemoria revolvuntur, quamvis proprias non habeant Domos in Zodiaco: niſi forſan dicatur ſigna ♒ & ♑ eſſe domos Stellarum naturæ Saturninæ atque ſic de reliquis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Caput IX.

De Vacuo.

QUandoquidem ab annis duobus facta ſunt multa circa vacuum experimenta ſolemnia; ferè per totam Europam celebrata: indeque non mediocres ortæ ſunt lites inter Philoſophos, alioſque viros ingenioſos, quorum aliqui vacuum naturaliter dari contendebant, alii verò id denegabant; ac ego etiam experimentis illis præſens adfui. Non videtur hic liber de loco finiendus, quin de vacuo nonnihil etiam obiter dicam: quandoquidem de communi conſenſu vacuum dicitur eſſe locus carens locato corpore. Intelligitur autem locus Ariſtoteleus, nimirum ſuperficies concava corporis ambientis, non tamen actu ſed poteſtate; quippe locus nihil eſt quam inane ſpatium intra hunc Mundum.

Ariſtoteles lib. 4. Phyſ. cap. 6. 7. 8. 9. acriter diſputat contra veteres Philoſopos vacuum in natura admittentes; & ipſum dari, negat, ſed rationibus minimè convincentibus.

Juniores autem Philoſophi hanc rationem afferunt. Quod per vacuum tollitur conjunctio & concatenatio corporum, quæ tamen eſt cauſa conſervationis eorum. Et idcirco dum quiſpiam unum extremum fiſtulæ vel tubi immergit aquæ: ac ore per aliud extremum attrahit Aerem in tubo contentum, aſcendit aqua ſequens Aerem, nec ab ipſo ſe divelli patitur, nec Aer ab aqua: ſicque attrahens bibit aquam. Verùm, nunquid Aer attractus & Aqua ſubſidens corrumpentur, vel conſervari deſinent, ſi divellantur per vacuum interjacens? Id ſaltem probari non poteſt.

Alii volunt Aquam in tubo ſequi Aerem, non ad vitandum vacuum, ſed quia trahitur ab Aere. Atqui falſum eſt trahi ab Aere, cùm trahatur à bibente per tubum, qui attrahit omne id quod tubo continetur, nempe hic opus eſt duabus viribus tractricibus, ſed unica quæ evacuato Aere tubi, circa ſolam aquam bibendam occupatur.

Itaque quod natura tantopere vacuum abhorreat, hæc ratio non mihi videtur rejicienda. Quod nempe horror & fuga vacui, eſt à natura univerſali magis quàm à particulari: nam in particulari levia deſcendunt & gravia aſcendunt; & contraria ut Ignis & Aqua uniuntur ad contactum, non obſtante corruptionis ſuæ periculo, potiùs quàm detur in natura vacuum, ut innumeris experimentis probari poteſt; quippe quod naturæ minùs repugnet contraria uniri, & gravia aſcendere, levia autem deſcendere, quam dari vacuum. Hoc autem probatur, nam contraria uniri, eſt naturale in mixtis, in quibus etiam gravia aſcendunt, ut Terra in fulmine quod in nubibus concreſcit, & levia deſcendunt ut Aer & Ignis in generatione mineralium. At dari vacuum omninò eſt contra Naturam. Vacuum enim ſolvit compaginem Mundi, hoc eſt naturæ ipſius, vel eſt in natura ſolutio continuitatis aut contiguitatis, ideoque vulnus. Unde nil mirum ſi natura tantùm abhorreat vacuum, ſibique ad illud vitandum tam ſtudioſè caveat, nullique corpori parcat.

Juniores igitur Philoſophi ſuis rationibus non contenti, confugere ſolent pro negatione vacui ad experientiam quæ multifariam probat naturam nullo modo compati poſſe vacuum. Ut quod ſi vitreum vas orificii anguſti & aqua plenum invertatur orificio aperto inferiùs vergente, non deſcendet aqua, ne detur vacuum in ſuperiori parte vaſis, ad quam Aer ingredi nequit. Quod ſi vas vitreum aqua calida plenum hermeticè ſigilletur & ponatur in loco frigido, frangetur illico; quia eodem momento quo aqua frigeſcere incipiet, eodem denſari incipiet; quamobrem daretur eodem momento vacuum niſi vas frangeretur. Similiterque tonnula lignea, circulis optimè conſtricta & munita, eademque ad dimidium circiter aquâ repleta, ſi in aquam calidam imponatur ut Aer intus contentus rareſiat, deindeque ſtrictiſſimè obturata frigori exponatur: quam primùm Aer incluſus à frigore denſari incipiet; tonnula ne detur vacuum ingenti cum fragore rompetur. Quod ſi Os follium ejuſque foramen in uno aſſerum ita obturentur, ut Aer ingredi nequeat; potiùs frangentur folles quàm dilatentur: quia niſi dilatando ſubintret Aer, dabitur vacuum: poſſentque innumera his ſimilia afferri experimenta, quibus conſtat naturam ſic abhorrere vacuum, ut illud nullo modo compati velit.

Primus autem qui hocce tempore, dari vacuum ſcriptis publicis evulgavit, fuit R. P. Valerianus Magnus, Capuccinus; exhibito Sereniſſimis Regi & Reginæ Poloniæ hoc egregio ſpectaculo coram viris doctioribus anno 1647. Sumpſit fiſtulam vitream ultra duos cubitos longam, cujus canalis commodè excipiat piſum, unumque ejus orificium hermeticè clauſit, ſcilicet, vitro liquenti: deinde verò fiſtulam implevit argento vivo; ejuſque aliud orificium digito fortiter obturavit: poſtea erexit fiſtulam ſuper hoc orificio, quod immerſit argento vivo in ſubjecto vaſe contento: tunc ablato digito Mercurius eodem momento pondere proprio præcipitatus eſt per canalem fiſtulæ, reſiliens tamen vibrationibus aliquot reciprocis, ſeque argento vivo ſubjecto miſcuit: ſic tamen ut pars inferior fiſtulæ ad altitudinem uno cubito majorem reſtaret plena Mercurio ſic quieſcente; pars verò ſuperior ipſi P. Valeriano credita eſt omni corpore vacua. Et hoc conſtantiſſimè aſſeveravit, vocavitque demonſtrationem ocularem loci ſine locato, corporis ſucceſſivè moti in vacuo (quoniam rurſus apponendo digitum inferiori orificio fiſtulæ immerſo argento vivo, ipſoque orificio ſurſum inverſo, argentum vivum petebat partem infernam fiſtulæ ſigillatam quæ priùs erat vacua, relinquens ſupernam vacuam, quæ prius erat plena) tandemq; demonſtrationem luminis nulli corpori inhærentis; quoniam lux partem illam fiſtulæ vacuam viſibiliter penetrabat. Qua demonſtratione in ſua quam pollicetur phyſica Ariſtotelicæ ruinam minabatur, eamque demonſtrationem per totam Europam diſſeminavit.

Quam primum verò Lutetiæ conſpecta eſt, inde ſcriptum fuit in Poloniam à Clariſſimo viro D. de Roberval, Pariſiis Ramæo Mathematum Profeſſore ad nobilem virum D. Deſnoyers Reginæ Poloniæ Secretarium, Epiſtola in lucem edita; ſpectaculum illud argenti vivi ab anno 1643. cognitum ac viſum fuiſſe in Italia. Et celeberrimas inter viros eruditos ea de re viguiſſe

con-

controverſias præſertim inter Clariſſimos Viros Euang. Toricellium Magni Ducis Hetruriæ Mathematicum, & Angelum Ricci Romanum; an eo experimento daretur vacuum, nec ne: Et R. P. Valerianum illis temporibus Romæ & Florentiæ fuiſſe; quod fatetur ipſe P. Valerianus, ſed negat Viros illos ſibi cognitos fuiſſe, ſeque de illo experimento in Italia quidquam audiviſſe. Verum de his non eſt quæſtio, ſed utrum per talem experientiam detur merum vacuum in fiſtulæ vitreæ parte, quam Mercurius deſcendendo deſerit: Quæ ſic à Nobis ſolvenda videtur.

Dico igitur primò partem illam fiſtulæ quæ apparet vacua, non eſſe vacuam, ſed aliquo corpore plenam. Hoc autem evidenti experientia & ratione probatur: Nam ſi Mercurii in fiſtula erecta ſtantis notetur altitudo; ipſi fiſtulæ circumligato filo; ac pars fiſtulæ apparenter vacua calefiat, Mercurius infra filum deſcendere conſpicitur: quod convincit rarefactionem corporis in fiſtulæ parte apparenter vacua contenti, à calore: ſi autem frigefiat admoto linteo aquâ gelidâ madido, Mercurius aſcendit ſupra filum: quod convincit corporis illius condenſationem à frigore; ideoque ne detur vacuum aſcendit ipſe Mercurius, docens impoſſibilitatem vacui in fiſtula: nemo enim Philoſophiæ eſt adeò ignarus, qui aſſerere velit, quod ſi intra ipſam fiſtulæ partem nihil ſit, ipſum nihil rareſcat & denſetur. Hoc autem Phænomenon maximè turbat R. P. Valerianum, nec contra quidpiam habet dicendum quàm quòd fiſtulam minùs cautè tractando aliquid Aeris penetravit ad partem ſupremam fiſtulæ, quod calore rarefit & frigore denſatur; ſed neque hoc dicto ſuam opinionem tueri poteſt. Primò, quia fatetur ne minimam quidem Aeris portiunculam ſurſum agi per cylindrum Mercurii, quæ non ſit conſpicua intuenti. Secundò, quia ſi tantillum Aeris intra fiſtulam admittatur (ut ad libitum fieri poteſt) Aer in modum guttulæ aſcendens ſupra Mercurium, conglobatur ſupra ipſum ſubſidens infra corpus occupans fiſtulæ partem quæ apparet vacua: Atque ſic oſtendens corpus illud eſſe Aere levius, vel in ordine corporum naturæ ſuperius. Tertiò, quod etſi aliquid Aeris ingreſſi rareſceret, ratio dictat, quod potiùs per ſpatium fiſtulæ vacuum dilatari debeat, quàm Mercurium inferiùs detrudere, ut ſibi rarefacto locum faciat. Quocirca omnino fatendum partem fiſtulæ quæ apparet vacua, eſſe plenam aliquo corpore, quod ſit Aere levius, aut ſecundum naturæ ordinem ſuperius; nec ullum dari in fiſtula vacuum.

Dico ſecundò, corpus illud occupans fiſtulæ partem quæ apparet vacua, non eſſe Aerem. Et ratio eſt, quia minima Aeris portio ad libitum admiſſa, in illam quidem partem viſibiliter aſcendit ſupra Mercurium: at ſubſidet conglobata infra corpus ipſum, quod non accideret, ſi corpus illud eſſet Aer, ſed miſceretur.

Dico tertiò, corpus illud non eſſe ſpiritum à Mercurio ad fugam vacui violenter ſeparatam. Tum quia ſeparatio illa vel evaparatio ſpiritus tantum à calore fieri poteſt. At experimentum etiam in ſummo frigore, eodem modo ſuccedet: tum quia facto Rothomagi publicè ſimili experimento cum aqua & vino in fiſtulis æqualibus 40. pedum altitudinis; nemini dubium erat quod propter longè majorem copiam ſpirituum in vino quàm in aqua, fiſtula vino plena multò plus vacuitatis oſtenderet, quàm fiſtula aqua plena; ſed planè contrarium accidit, nam vinum fiſtulæ, in ſitula ſuppoſita vino plena, ore inferiore aperto effuſum, deprehenſum eſt obtinere, à ſuperficie vini in ſitula contenti uſque ad ſummitatem ſuam in fiſtula 31 $\frac{2}{3}$ pedes altitudinis; aqua verò duntaxat 31 $\frac{1}{9}$ pedes, non igitur corpus illud eſt ſpiritus elevatus à liquore in fiſtula contento. Nec tamen dubium eſſe poteſt quod ſi liquor ille calefieret, ſpiritus ex eo aſcenderet, qui liquorem inferiùs detruderet, ut ſibi locum faceret.

Dico quartò, corpus illud per vitri poros extrinſecus introduci, & accurrere ad vitandum vacuum in fiſtula: quod ut intelligatur, ſciendum eſt, nullum eſſe corpus in Natura ſaltem ſolidum, quod poris careat. Omnium verò minimè poroſum eſt vitrum. Atque hoc vulgò ſcitur à Chymicis qui vaſis nec terreis, nec metallicis confidunt in extractionibus ſubtiliorum ſpirituum, quovis etiam luto obductis; ſed duntaxat vaſis vitreis, neque adhuc omnibus: nam alia aliis ſunt poroſiora pro diverſitate materiæ ex qua conflantur: ſed duntaxat vaſis quæ ex quibuſdam lapidibus & arenis conficiuntur, iiſq; valde ſpiſſis ut ſpiſſitudine, pori magis obſtruantur. Atque in talibus vitris aut nulli ſunt pori, aut ſaltem minimi, valdeque rari. Probatur autem jam aſſertio. Nam R.P. Valerianus experimentum faciens cum fiſtula lignea, Mercurius ſtetit in illa, longè infra altitudinem conſuetam in fiſtula vitrea quæ eſt 2 $\frac{7}{24}$ pedum ſupra ſuperficiem Mercurii in ſcutella ſubjecti. Quia, ſcilicet, Aer exterior facile penetrabat per poros ligni, ideoque plus Mercurii effluebat ex fiſtula. Indeque ſuſpicio eſt, quod ſi fiſtula eſſet vulgaribus longè ſpiſſior, minor relinqueretur pars fiſtulæ apparenter vacuæ, ac ſi ab extra nihil ingredi poſſet ob fiſtulæ poros ſpiſſitudine vel aliter obturatos, nihil de Mercurio deſcenderet ne daretur vacuum.

Dico quintò: Hoc experimentum evidenter probare, plura eſſe in Mundo quàm tria Elementa, Terram, Aquam & Aerem, ut etiam contra hujus opinionis Philoſophos à nobis dictum eſt Lib. 3, ubi 4 probavimus Elementa, ſcilicet, Terram, Aquam, Aerem, & Ignem; ac præterea ſuper ipſa Æthercam, qui eſt proprium Planetarum Elementum: nam gutta Aeris in fiſtulam admiſſa, non miſcetur corpori occupanti fiſtulæ partem apparenter vacuam; ſed ſemper ſub illo ſubſidet: Quod teſtatur corpus illud eſſe alterius naturæ, & ordinis ſuperioris quàm Aer.

Dico ſexto: Corpus illud eſſe vel Ignem Elementarem, vel Ætherem. Nam ſuper Aerem dantur tantùm hæc duo corpora fluida: Scitur autem hoc in ſtatu Naturæ Elementa non eſſe pura, & præſertim circa Terræ Globum; ubi 4 Elementa & Æther concurrunt ad generationem mixtorum, præſertim autem viventium; in quibus Æther eſt proprium ſubjectum influentiarum Cœleſtium ipſis viventibus impreſſarum, ut ſuo loco probabitur; ſed ſcitur etiam quod ſervata proportione fluiditatis & tenuitatis inter illa 5 corpora, Ignis erit ſaltem millies tenuior & fluidior Aere, & Æther millies fluidior & tenuior Igne. Ideoque Keplerus in Epiſt. Aſtron. Copern. vult Ætherem eſſe centies millies fluidiorem & tenuiorem Aere. Accidit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

dit igitur in hoc experimento, quod ſi pori fiſtulæ Aerem excipere queant, ut in lignea, Aer occurrat, & ſubintret ad vitandum vacuum. Si pro Aere pori ſint anguſtiores, ut in fiſtula vitrea; accurrat Elementum Ignis, & ſi ſunt anguſtiſſimi ſubintret ſolus Æther. Hæc autem corpora poſſunt ſupra naturalem ſuam raritatem adhuc rarefieri à calore; ideoque denſari à frigore, ut evidens eſt de Aere. Atque idcirco in hiſce continentur rationes omnes illius experimenti famoſi, quibus conſtat nullum in natura dari poſſe vacuum naturaliter. Lucem enim ac Cœleſtes influxus ſufficere ad prohibitionem vacui negamus, tum quia non ſunt corpora etſi ſint extenſa, tum quia ex ſe compati poſſunt vacuum & fluere in vacuum: ſi enim Deus inter Solem & Terram vacuum efficeret ſpatium; Sol Terram illuminaret & calefaceret, aut à nihilo impediretur, quod eſt non impediri.

Supernaturaliter autem vi Divina dari poſſe vacuum in Natura nemo ſanæ mentis negabit. Deus enim Omnipotens qui totum Mundum fecit ex nihilo, poteſt in nihilum reducere Globum Terreſtrem, ac impedire ne ullum aliud corpus in illius locum ſuccedat: vel poteſt vas aliquod ut lebetem ita vacuare, ut nullum corpus in ipſo reſtet, ac impedire ne ullum aliud in locum præcedentis ſuccedat. Sicque dabitur vacuum in lebete. Attamen D. Carteſius 2. part. princip. Phil. art. 18. opinatur id fieri non poſſe, quin lebetis latera fiant contigua. *Cùm enim inter duo corpora* (ait) *nihil interjacet, neceſſe eſt ut ſe mutuò tangant:* Sicque ſi inter Solem & Terram vi Divina daretur vacuum, Sol & Terra ſe tangerent, quæ opinari abſurdum eſt, aitque repugnare ut inter ipſa lebetis latera ſit diſtantia, & tamen illa diſtantia ſit nihil, quaſi verò illa diſtantia non ſit diſtantia illorum laterum, ideoque nonnihil. Ac in ſumma vult, quod ſit impoſſibile Deo relinqui vaſis extenſionem concavam in longum, latum & profundum, & non remanere corpus Phyſicum in lebete: & ratio ex ejus principiis eſt, quia iſtæ extenſiones conſtituunt naturam ſubſtantiæ corporeæ, nec poſſunt eſſe extenſiones nihili, quia nihili nulla eſt extenſio: fallitur autem dupliciter: Primò quod putet dimenſiones purè Mathematicas conſtituere naturam corporis Phyſici: Secundò, quod non advertat extenſiones illas eſſe extenſiones concavitatis ipſius lebetis, & per conſequens nonnihil. Sed de his jam ſupradictum fuit.

Objicietur, quod ſi Ignis vel Æther ſubintrat poros vitri ne detur vacuum, in hoc experimento argenti vivi, cur vaſa vitrea & lignea non etiam penetrant in aliis experimentis ſuprapoſitis in quibus vaſa rumpuntur ne in ipſis detur vacuum?

Reſpondeo motum alterationis à frigore citiorem eſſe motu locali Ætheris. Nam in primo occurſu caloris & frigoris inſigniter prævalens fugat debiliorem ex ſubjecti parte ſibi proxima, & hanc alterat, ideoque frigus primo occurſu condenſans vaporem, cauſa eſt cur vas rumpatur metu vacui priuſquam Æther ſubintrare queat ad vacuum impediendum.

Cæterùm ex eo quod in hoc Mundo dari non poteſt naturaliter vacuum ſive inane ſpatium, Picolomineus Lib. de affectibus corporis Phyſici concludit, extra ipſum Mundum dari quoque non poſſe inane ſpatium. Tum quia ſi datur extra, non videt rationem cur dari nequeat intra. Tum quia ſi ſtupendæ cernuntur fieri fractiones vaſorum potius quam detur vacuum; ſequeretur dato vacuo extra Mundum, hunc odio vel fuga vacui eſſe in minimas particulas & Atomos in infinito inani ſpatio divellendum.

Ad hoc autem Reſpondeo: Falſam eſſe conſequentiam, & ad rationes dico. Vacuum ſeu inane ſpatium extra Mundum, non eſſe ſolutionem continuitatis vel contiguitatis hujus Mundi, cui idcirco vacuum illud nihil nocet nec nocere poteſt, ideoque ad ejus fugam non diſpeſcitur: At vacuum intra Mundum eſt vulnus in ipſo, quod natura totis viribus præcavet.

FINIS LIBRI QUINTI.

ASTRO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ASTROLOGIÆ GALLICÆ

LIBER SEXTVS.

De Motu & Tempore.

PRÆFATIO.

QUandoquidem in Aſtrologia Gallica de corporum Cæleſtium Motibus, nec non de Tempore, frequens occurrit mentio, neceſſarium videtur de hiſce hoc Libro agere; variaſque opiniones diſcutere, & difficultates ſolvere: ne oſores Aſtrologiæ hanc ignorantes, pro ſuo more in Aſtrologos inſurgentes, eos ad merè Phyſicas de Motu & Tempore quæſtiones detrudere & oppugnare conentur.

CAPUT I.

Quid ſit Motus.

QUoniam ſolus DEUS eſt purus actus ex lib. 1. Ideo ipſe ſolus eſt immutabilis: At quælibet creatura ideo mutationi obnoxia eſt; quia ad diutiùs eſſe & ad aliter eſſe, ſemper eſt in potentia. Eorum verò quæ mutantur, alia mutantur ſubſtantialiter, quæ generari aut corrumpi; alia quantitativè, quæ creſcere aut decreſcere; alia qualitativè, quæ alterari; alia denique localiter, quæ propriè moveri dicuntur.

Eſt autem motus propriè dictus (de quo hîc dicendum ſuſcepimus) prior alia quacumque naturali mutatione: quippe quòd ſine aliis eſſe poſſit: ut patet non ſolum in Stellis & Planetis; ſed etiam in Sublunaribus mixtis; quæ citra generationem, alterationem vel incrementum moveri queunt localiter: cæteræ verò mutationes ſine motu locali eſſe poſſunt. Non enim fit generatio, ſine principiorum materialium concurſu, denſatione & rarefactione, quæ ſine locali motu concipi nequeunt. In alteratione verò (quæ omnem præcedit generationem) alterans & alterabile motu ſibi applicari & approximari neceſſe eſt. Denique accretio diminutioque, ſine motu non concipitur. Motus ergo cæteris omnibus mutationibus prior exiſtit. A quo enim alia ineſſe pendent, ipſum verò ineſſe non pendet ab aliis, id ipſum prius exiſtit.

Cæterùm motus ab Ariſtotele definitur: Actus entis in potentia, quatenus in potentia. Sed hæc definitio cenſetur communis cuilibet 4. generum mutationis ſupra poſitorum: cùm tamen mihi non videatur congruere generationi, quæ eſt mutatio ſubſtantialis à non Ente ad Ens, vel à termino negativo ad poſitivum. Nam dum dicitur quod motus ſit actus entis in potentia, quatenus in potentia; idem eſt ac ſi dicatur quod ſit actualis perfectio entis, quatenus eſt in potentia ad ulteriorem perfectionẽ. At cùm generatio hominis ſit progreſſus à privatione ſubſtantialis formæ, ad ipſius formæ habitum, quæ non ſucceſſivè, ſed inſtantaneè introducitur; dici nequit quod hæc generatio ſit actualis perfectio entis, quatenus eſt in potentia ad ulteriorem perfectionem. Quamobrem definitio hæc Ariſtotelea, tantùm alterationi, accretioni & motui locali communis eſt, quæ ſunt mutationes accidentales; in quibus mobile jam habet actu aliquid ejus in quod tendit per motum. Quærimus autem naturam ſive definitionem motus propriè dicti, hoc eſt motus localis.


D. Carteſius part. 2. princip. Phil. art. 24. definit motum localem dupliciter. Primò juxta ſenſum vulgi (ut ait) *Quod ſit actio, qua corpus aliquod ex uno loco in alium migrat*: quam definitionem rejicit, & ſuam tradit, quæ talis eſt art. 25. *Motus eſt tranſlatio unius corporis, ex vicinia eorum corporum, quæ illud immediatè contingunt, & tanquam quieſcentia ſpectantur; in viciniam aliorum.*

Hanc autem definitionem explicans, dixit translationem, & non actionem: *Quia* (inquit) *motus eſt in mobili, non autem in movente. Actio autem eſt in movente.* Non advertens Philoſophos (quos vulgus appellat) non dicere quod actio ſit in agente; ſed ab agente, & recipi in patiente mobili, proindeque eſſe in mobili. Nec advertens, quod quia transferre eſt agere, ergo tranſlatio erit etiam actio; quæ tamen prout in mobili recipitur dicitur paſſio.

Dixit præterea ex vicinia corporum contiguorum, &c. non autem ex uno loco in alium: *Quia* (inquit) *loci acceptio pendet à cogitatione noſtra.* Quaſi verò nemine cogitante nullus ſit locus, & corpora mundana non fuerint in aliquo loco; imo Planetæ mobiles, ante omnem cogitationem & Adami creationem, ex dictis Libro 2.

Præterea dixit art. 24. ex vicinia non quorumlibet corporum; ſed eorum duntaxat quæ tanquam quieſcentia ſpectantur. *Nam* (inquit) *tranſlatio ipſa eſt reciproca. Nec poteſt intelligi in figura ſequenti, Corpus* AB, *transferri ex vicinia corporis contigui* CD; *quin* CD, *ſimul etiam intelligatur transferri ex vicinia corporis contigui* AB. Vultque eandem planè vim & actionem requiri ex una parte atque ex altera; & tantumdem motus eſſe in uno corpore atque in altero.

Hæc autem definitio à natura definitionis eſt maximè aliena. Nam definitio eſt principium quo nihil clarius eſſe debet. Hæc verò quàm ſit obſcura & intricata, imò ſibi contraria ſic patet ex figura ipſa D. Carteſii. In qua A B corpus transferri intelligitur ex vicinia corporis C D. Terra



autem eſt E F H G. Nam quæro imprimis cur duo ſumat corpora, A B & C D, ad explicandum motum, cùm poſſit & debeat explicari per unicum corpus A B, mobile ſuper Terræ ſuperficiem? Quæro ſecundò, cur A B, dicatur transferri ex vicinia corporis contigui C D, cùm C D immediatè non contingat A B, in figura; & corpus immediatè contingens A B ſit ſola Terræ ſuperficies, ipſi A B ſuppoſita? Quæro tertiò, quid intelligat per corpora, quæ tanquam quieſcentia ſeparantur? An ſolam Terram? An ſolum corpus C D? An Terram & Corpus C D? ſi primum, nulla erit traſlatio reciproca, aut erit tranſlatio in Telluris parte ſuppoſita ipſi A B, ſine motu ipſius partis: Cùm tamen tranſlatio ipſius partis, à vicinia corporis contigui A B, ſit motus ex definitione illa; utcumque in ejus explicatione velit Carteſius Terram non moveri. Si ſecundum, nihil in ſua cauſa proficiet: Nam A B & C D, ſupponi queunt moveri, ac ſibi occurrere motibus realiter contrariis; út cùm duo homines, unus ab ortu, alter ab occaſu ſibi occurrunt: ac per conſequens C D non poteſt ſpectari tunc ut quieſcens. Si tertium, ambæ difficultates ſimul concurrent. Quibus certè non video qualiter ſatisfacere poſſit D. Carteſius; qui interim non vult Terram moveri, quamvis eam transferri fateatur. Nempe videns quod ferri poteſt realiter A B, ad occaſum, & ſimul tempore C D, ad ortum: Tellus autem non poſſit ſimul tempore realiter moveri ad occaſum & ortum: quæ tamen contrarietas neceſſario in ipſa Tellure admittenda eſt, ſi à motu corporis A B dicatur transferri ad ortum, à motu corporis C D, ad occaſum: Tranſlatio enim reciproca (ut ipſe vult) eſt ad terminos oppoſitos. Quæro tandem, cur ad definitionem ſive naturam motus pertinere velit, quod aliqua corpora tanquam quieſcentia ſpectentur? Nam inde ſequetur, quod nemine cogitante aut ſpectante corpus aliquod tanquam quieſcens, nullus erit motus in hoc Mundo. Ideoque quod ſi jam homines & Angeli à Deo annihilarentur; aut ſaltem non ſpectarent corpus aliquod ut quieſcens; nullus jam eſſet motus in Mundo: ſicque motus ſit tantùm eatenus, quatenus corpus aliquod ut quieſcens ſpectatur; & nemine ſpectante, ceſſet motus: quæ abſurda eſſe nemo non ſpectat. Imò contrariantur cap. I. Geneſ. ubi dicitur quod Adam factus ſit die ſexto; poſt ipſum autem Angeli, ut diximus lib. 2, ſicque præceſſerint 5. revolutiones Cœli vel Terræ, priuſquam ullum corpus ut quieſcens ſpectari poſſet à creaturis, niſi à brutis poſt quartam revolutionem, quod abſurdum eſt.

Præterea Carteſius definivit duntaxat motum localem corporum: At numquid Angeli & Animæ à corporibus ſeparatæ moventur? Ergo danda erat motus localis definitio, quæ ſpiritibus & corporibus cnmmunis eſſet; hoc eſt motus localis genericè ſpectati: Sed inſuper ſi Terra verè quieſcat & Sol atque Cœlum fixarum moveantur (quod non negat Carteſius ea de re incertus, certum eſt quod Cœlum eſt finitæ vaſtitatis: alioquin in 24. horis revolveretur per ſpatium infinitum, quod fieri nequit. Poſito autem Cœlo finito, motus à Carteſio definitus non conveniet primo mobili: ubi enim erit corpus ipſi immediatè contiguum & tanquam quieſcens ſpectatum; cùm ſupra ipſum non ſit aliud corpus, nobis ſpectabile, infra verò omnia ſint mobilia, Tellure excepta ipſi non contigua? Adde quod ſi poſito Cœlo mobili, Deus etiam Tellurem circulariter agitaret, plures eſſent motus in Mundo, & tamen nullum quieſcens. Sique dixeris quod Cœlum vel Terra ſpectaretur ut quieſcens, redibunt abſurda ſuperiùs oſtenſa ex illa quietis ſpectatione. Patet igitur quam defectuoſa ſit ſuprapoſita motus definitio: utcumque ſit adeò mirabilis, ut ex ea deducat Carteſius, Terram cum motu diurno circa proprium axem; & annuo in Ecliptica veriùs quieſcere, quàm putetur quieſcere in ſyſtemate Tychonis Brahæi. Sed ejus rationes per ea quæ contra hanc motus definitionem dicta ſunt, everti facilè queunt: vel duntaxat negando quæ fingit vel aſſumit, ſed non probat. Ideo autem D. Carteſii opiniones de quantitate, loco atque motu, hîc à Nobis viſæ ſunt examini ſubjiciendæ, quoniam hæc ſunt principia novæ Phyſicæ ab illo traditæ. Luxuriat enim hæc ætas ingeniis, nova Phyſicæ tradendæ principia commiſcentibus, inter ſe verò multum diſcrepantibus.

Dicimus itaque Motum localem eſſe tranſlationem cujuſvis rei, ab uno loco ad alterum. Quæ definitio convenit motibus omnibus localibus tam ſpirituum quàm corporum, & quorumvis mobilium ut palam eſt. Nihil enim movetur localiter, quod non de uno loco ad alium transferatur, aut ſecundum ſe totum, aut ſecundum ſuas partes, ut de motu primi Cœli infra dicetur. Atque de hoc motu nonnulla tantum magis præcipua, & ad Aſtronomiam vel Aſtrologiam magis neceſſaria exponemus, quorum aliqua nondum (quod ſciam) fuere animadverſa. Campum verò de motu vaſtiſſimum à Phyſicis percurrere propoſitum, non eſt hîc noſtri inſtituti perluſtrare.

Caput II.

De Diviſione motus localis in ſuas ſpecies ſubalternas.

Prima diviſio motus localis, eſt in motum per ſe, & per accidens. Motus per ſe, eſt qui fit à cauſa vel principio intrinſeco. Atque ſic avis volans movetur per ſe, ſcilicet ab anima propria. Si autem roſtro deferret paleam, hæc moveretur per accidens; nempe ab ave ipſa, quæ eſt illi cauſa

motus

motus extrinſeca. Similiterque ſi primum Cœlum moveretur à propria forma, dicetur moveri per ſe; Stellæ autem & Planetæ dicentur moveri per accidens ab Ortu in Occaſum. Eademque ratione lapis ſurſum projectus, movetur per accidens. At verſus Terræ centrum deſcendens, movetur per ſe: Nec enim habet ab Aeris impulſu, quod moveatur verſus Terræ Centrum, ſed tantùm quod ipſe motus acceleretur.

Secundò dividitur in naturalem, violentum & medium. Motus naturalis eſt qui fit penes propriam mobilis inclinationem, ut motus lapidis deſcendentis in Terram. Motus violentus, eſt qui fit contra propriam mobilis inclinationem: Atque ſic lapis ſurſum projectus, & homo ſaltans in altum, dicendi ſunt violenter moveri: quia in his motibus, mobile corpus virtuti motrici renititur, tandemque ſuperat ipſam; unde patet dari etiam motum violentum à cauſa intrinſeca: motus autem aquæ violentus dum per fiſtulam aſcendit, cùm aliquis per fiſtulam bibit, eſt à cauſa extrinſeca, ſcilicet à bibente qui ipſam attrahit. Denique medius eſt qui fit nec ſecundum, nec contra propriam mobilis inclinationem. Atque hic duplex eſt. Unus quidem à cauſa intrinſeca, quo pacto avis volans, & homo gradiens circa Terram feruntur motu medio à cauſa intrinſeca; qui ideo ipſis naturalis eſt quatenus ſunt animalia, non autem quatenus corpora mixta. Alter verò à cauſa extrinſeca; quo pacto navi vel equo vectus homo, fertur medio motu à cauſa extrinſeca, non autem violento: quòd ipſe homo neque huic motui renitatur, neque ab eo ullam patiatur violentiam, naturæ ſemper inimicam. Unde patet etiam non omnem motum à cauſa extrinſeca, dici debere violentum.

Quamobrem circa hæc maximè deluſus eſt Buillaldus in ſuo Philolao, arbitratus quod quia in Tychonis ſyſtemate mundano Sol circa Tellurem revolvit minores Planetas, hic motus ſit Planetis ipſis violentus; indeque eorum Mors vel diſſolutio timenda ſit. Nam ut dixi in meo Tychone Brahæo adverſus ipſum Philolaum, quamvis hic Planetarum motus ſit à cauſa extrinſeca, quippe Sole: tamen ex ſupradictis, non omnis motus à cauſa extrinſeca eſt violentus; ſed is duntaxat qui fit contra propriam mobilis inclinationem; cuique mobile ex natura ſua revertitur. Ac proinde cùm motus Jovis à Sole neque ſit contra propriam Jovis inclinationem, nec Jupiter ipſi renitatur, is non erit violentus, ſed motus per accidens atque medius à cauſa extrinſeca. Quod autem Jupiter motui illi non renitatur, proindeque non ſit contra propriam ejus inclinationem, ex eo patet evidenter; quia potiſſimùm reniteretur in ſui excentrici parte inferiore, ubi proprio motu fertur motui à Sole contrario, ideoque ſit retrogradus: ſicque ob motum à Sole contrarium, tardiùs in excentrico moveri deberet: Atqui tunc in ipſo movetur celeriùs, ut conſtat ex obſervationibus, optimèque demonſtravit Keplerus per lineam ellipticam in qua moventur omnes Planetæ: Non ergo Jupiter nec alii minores Planetæ motui à Sole reſiſtunt: proindeque hic non eſt illis violentus: Alioquin Satellitum Jovialium motus à Jove eſſet etiam violentus, quod Copernicani non auderent aſſerere.

Tertiò dividitur in ſimplicem atque mixtum. Simplex eſt, qui fit per lineam ſimplicem: mixtus verò qui per lineam mixtam ſive compoſitam. Quoniam verò linearum mixtarum ſpecies ſunt innumeræ, ſive regularium ſive irregularium: ſimplices autem ſunt tantùm duæ, nempe circularis atque recta; idcirco de motu circulari atque recto hìc tantùm agemus, & circa utrumque ſequentia notabimus.

Caput III.

Quis in Natura ſit prior motus. An Circularis. An rectus.

ARiſtoteles lib. 1. de Cœlo aſſerit motum circularem eſſe recto priorem: quia circularis recto perfectior eſt. Circulus enim caret principio & fine, illique nihil addi poteſt; de recta autem linea finita, contrarium patet: at perfectius, priùs eſt minus perfecto; hoc enim ab illo deficit, ideoque ipſum ſupponit. Dixi autem rectam finitam, quoniam infinita non datur. Præterea cùm hic quæſtio ſit de motu naturali, & Terram quieſcere, Cœlum autem moveri probaverimus: ergo quæcumque motu recto naturaliter moventur, ipſa moventur vel ad Centrum, vel à Centro Mundi in circuli Diametro, quæ tranſit per ipſum Centrum: Atqui Diameter naturâ ſaltem poſterior eſt Circulo, hunc enim illa ſupponit, quæ Circulum bifariam dividere definitur: Ergo Circulus erit ſaltem naturâ prior Diametro; ideoque motus circularis naturâ ſaltem prior diametrali ſive recto. Tandem quidquid movetur in Mundo, movetur vel ad proprium ſive naturalem locum, vel à proprio loco, vel in proprio loco: At motus in proprio loco, cæteros ideo præcedit, quia prius eſt corpus eſſe in proprio loco quàm extra. Eſt autem motus in proprio loco, tantùm circularis, nec alius eſſe poteſt; ad proprium locum, tantùm rectus: & à proprio loco, aut rectus aut mixtus: Erit ergo motus circularis omnium primus.

Caput IV.

Cuinam corpori naturali, primus motus ſit primò & per ſe proprius.

QUoniam in hoc Mundo videmus corporum alia ferri naturaliter ad medium ſive centrum Mundi, ut lapis cadens; qui motus vocatur deorſum: alia ferri à medio, ut ignis; qui motus vocatur ſurſum. Et alia circa medium, ut ſtellæ; qui motus dicitur circularis: ipſa verò corpora differunt inter ſe natura ſive ſpecie; inde patet, quod motus quilibet non eſt cuilibet corpori vel naturæ proprius. Quamobrem non abs re quæritur hìc, cuinam corpori naturali primus motus nempe circularis ſit primò & per ſe proprius? Primum enim ac perfectiſſimum naturæ motum, nulli corpori primò & per ſe proprium eſſe, videtur ab ipſa natura alieniſſimum.

Et quia Tellus in Mundi centro quieſcit; tota verò reliqua Mundi machina in 24. horis circa Tellurem revolvitur ab ortu in occaſum ſimpliciter ac uniformiter; neceſſario ſequitur, ejus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

motum circularem alicui Cœlo per ſe primò proprium eſſe; per cujus revolutionem tota Mundi machina Tellure excepta circumferatur. Jam verò neque Cœlo Planetarum, neque Cœlo fixarum motus is proprius eſſe poteſt; nam Planetæ & Stellæ fixæ duplici motu circumagi deprehenduntur: nempe communi ab ortu in occaſum in 24. horis; & proprio ab occaſu in ortum, qui in Planetis ſingulis & fixis periodos habet maximè diverſas: nullum verò corpus poteſt ſimul tempore moveri per ſe duobus diverſis, imò oppoſitis motibus: quamobrem neceſſe eſt, ut motus Planetis & ſtellis communis tantùm per accidens illis conveniat: ſit autem proprius alicui corpori ſublimiori, quod primum mobile ſolet nuncupari: quodque hoc ſolo motu omnium primo ac ſimpliciſſimo uniformiter revolvitur in 24. horis: ſicque primus motus ad primum vel ſupremum corpus pertineat. Quomodo autem ad ipſum pertineat, utrum, ſcilicet, ſit à ſola ejus forma, aut ab intelligentia, aut ab utraque cauſa, & qualiter, difficile videtur definiri poſſe, quod tamen ſequenti capite fiet, ad mentem Ariſtotelis & Theologorum.

Caput V.

An primi Mobilis Motus, ſit ab ejus forma, an ab intelligentia, an ab utraque cauſa: & quomodo.

Quod non ſit ab ejus forma ſic probari poteſt. Nam unicuique corpori naturale eſt in proprio loco quieſcere: alioquin nullibi quieſceret naturaliter, proindeque careret naturâ, quæ ex ſe in quovis corpore eſt principium motus & quietis, & quidem motus, propter quietem, ideóque magis ipſius quietis. At cùm ſit abſurdum corpus naturale carere naturâ, erit ergo unicuique corpori naturale, in proprio loco quieſcere: ergo in eodem moveri non naturale, motus enim & quies ſibi opponuntur. Si autem primo Cœlo in proprio loco moveri non fuerit naturale, motus ejus non erit à natura, quæ eſt ejus forma. Adde quod ex forma nequit reddi ratio cur motus ſit potiùs ab ortu quàm ab occaſu, certoque tempore abſolvatur, non autem majore aut minore. Hæc enim omnia non corporeæ, ſed intelligentis naturæ eſſe videntur.

Verùm ut hæc evaneſcat difficultas ſciendum eſt; quod etſi motus & quietis principium inſit omni corpori, attamen non omne corpus movetur aut omne quieſcit. Nam aut Cœlum movetur & Terra quieſcit, aut contra. Sed tantùm de quolibet corpore verum eſt aſſerere, ipſum moveri aut non moveri: de quolibet enim vera eſt affirmatio vel negatio, corpus autem quod non movetur, nemo dubitat quieſcere: quodlibet ergo corpus movetur aut quieſcit. Cumque natura ſit principium motus & quietis, omnique corpori natura inſit, negari quoque nequit omni corpori ineſſe principium motus & quietis, à quo habet quod naturaliter quieſcat aut moveatur. At cùm nequeat eſſe corpus, quin ſit alicubi, duplex autem in Mundo ſit Ubi corporum: quippe naturale ſive proprium, & non naturale ſive alienum, nullus inficiabitur unicuique corpori melius eſſe in proprio ſeu naturali loco, quàm in alieno ſeu non naturali: quandoquidem naturalis eſt ſecundum propriam naturam corporis, divinamque corporum ordinationem: non naturalis verò contra: ideoque poteſt corpus in illo tam ſibi tum aliis quieſcere; in hoc verò nec ſibi, nec aliis: quare etiam veriſſimum erit, unicuique corpori eſſe maximè naturale in proprio loco quieſcere.

Ad id verò quod infertur, ergo in eodem moveri non erit naturale; quia motus & quies opponuntur: neganda eſt conſeqentia. Quoniam etſi motus & quietis oppoſitio equidem impediat, quo minùs ſimul ineſſe poſſint eidem ſubjecto: attamen non impediet quo minùs ambo ſucceſſivè eidem ſubjecto ineſſe queant in eodem loco, etiam naturaliter. Et ratio eſt, quia naturalitas motus non petitur à naturalitate loci in quo fit motus; alioquin lapis per Aerem deſcendens ad centrum Telluris non moveretur naturaliter: quia non movetur in loco ſibi naturali: ſed tantùm petitur à natura & non repugnantia mobilis. Ideoque cùm corpus omne quâ corpus ſit mobile, vel in loco proprio, ut de primo Cœlo, vel de Tellure in Mundi centro fatendum eſt. Vel ad locum proprium, ut de lapide deſcendente; vel à loco proprio, ut de Aqua fugâ vacui aſcendente: is tantùm motus erit non naturalis qui fit à loco proprio, quia fit cum repugnantia naturali mobilis, cui proprium locum deſerere, vel ab eo avelli violentum eſt. At ad motum in loco proprio, vel ad locum proprium, nulla in eſt mobili repugnantia naturalis. Motus ergo in loco proprio non erit non naturalis, ergo erit naturalis: hæc enim duo contradictoria ſunt, quorum alterum eſſe verum neceſſe eſt. De naturalitate verò quietis aliter loquendum eſt: hæc enim ita pendet à naturalitate loci, ut ſine hac eſſe non poſſit, proindeque non poſſit lapis in Aere quieſcere naturaliter, etſi in Aere moveri queat naturaliter. Unde cùm corporis quieſcibilitas naturalis, totaliter actuetur in ejus loco naturali, non autem mobilitas naturalis, quæ etiam extra locum naturalem actuatur: omnino ſequitur naturalius eſſe cuilibet corpori in proprio loco quieſcere, quàm moveri: cùm præſertim corpus quodlibet ad quietem in proprio loco determinetur ſe ipſo, non autem ad motum in eodem, quæ eſt altera pars objectionis ſuprapoſitæ.

Quam ut in primo Cœlo enodemus, præſciendum eſt motum & quietem unicuique corpori eſſe naturales, quia ineſt unicuique natura quæ eſt principium motus & quietis. Eſt autem motus naturalis, ſeu corporis ut corporis tantummodò ſimplex, cùm etiam ipſum corpus mixtum quatenus corpus moveatur motu prædominantis Elementi qui ſimplex eſt in quolibet Elemento: neque enim hîc ad animalium motus, quatenus animalia ſunt deſcendimus. Atqui dantur tantùm duo ſimplices motus, nempe rectus & circularis. Quare cum rectus naturaliter ſoli conveniat corpori extra proprium locum exiſtenti, ut de lapide deſcendente ſupra dicebamus, primum verò Cœlum extra proprium locum eſſe nequeat, ſupereſt ut ſolus circularis motus ſit ei naturalis: proindeque ab ejus natura ſive forma,

for-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

formarum in omnium corporearum nobiliſſima, eminentiſſima & maximè activa. Cùm autem Cœlum ipſum ſit reliquorum corporum maximè omogeneum, omni carens gravitate levitateque, ac ejus accidentalis forma ſive figura maximè orbicularis; ejus ad motum ſummam inclinationem fateri, omninò ſuadet ipſius utraque forma, ad illam verò denegandam nulla ratio circumſpicitur. At quia corporis omogeneitas & figuræ orbicularitas ſunt cauſa ut Cœlum ipſum undequaque ſibi ſimile, in nullam potius quàm aliam partem inclinet ſua virtute motiva, fit inde, ut ſumma ejus mobilitas vel ad motum inclinatio, ſit illi ſumma quies, proindeque moveri non poſſit, quin ſumma hæc ad quamcunque plagam indifferentia, tollatur ab aliquo externo, virtutem ipſam determinante.

Hoc autem de Ariſtotelis & Theologorum conſenſu præſtat intelligentia ſupernaturalis, in cujus notitiam corporis circulariter mobilis indeterminatio mentem hominis evexit. At (ni fallor) id aliter efficit, quàm omnes huc uſque cenſuerint. Unicam enim ſufficere putant intelligentiam; quæ ipſius Cœli convexitati adhærens immobilis, Cœlum ipſum ex Æquatore, ſua virtute continuò volvat. Verùm quoniam eo pacto reliqua Mundi corpora inferiora, inſtrumentaliter tantùm à Primo Cœlo moverentur, & principaliter ab intelligentia; ideoque motus ille perperam diceretur naturalis, ad quem natura ſolùm paſſivè concurreret: Rectiùs fortaſſe & ad ſupradicta conformiùs philoſophari videbimur; ſi dixerimus, ad tollendam ſuperiorem indifferentiam ſufficere; ſi imprimis ipſius Cœli duo puncta diametraliter oppoſita firmentur, ut ſuper hæc tanquam Polos Cœlum ipſum volvatur: Sic enim jam eo pacto determinabitur, ut tantùm ſuper illos Polos moveri queat, omneſque indifferentiæ ad unicam Ortus vel Occaſus reducentur, cui tollendæ ſola ſufficiet virtutis motivæ ipſius Cœli propriæ, in unam aut alteram partem determinatio: qua data Cœlum ipſum ſummè mobile, & à quovis corpore ſibi ſuperiore liberum, ex ſe movebitur, etiam celeritate mirabili; ob ſummum ejus mobilitatem & maximè æquali; proindeque nunquam tardiore aut velociore, ob corporis ipſius æqualitatem undique ſummam, & proportionem invariabilem ejus virtutis activæ ſeu motivæ, ad paſſivam.

Dico ergo: Congruentius videri, utrique Polo primi Mobilis firmando, præfectas fuiſſe à Deo creationis initio, duas intelligentias Polis ipſis adhærentes; quæ Polis firmatis Cœli vim motivam ad occaſum determinaverint, unde illico ab ipſa Cœli forma ſecutus eſt ipſius Cœli motus in occaſum adhuc perdurans; qui eo pacto eſt tantùm ab intelligentiis determinativè, ab ipſa verò Cœli forma effectivè. Unde non immeritò Cœlum ipſum motus omnis cæterarumque in Natura mutationum prima ac principalis cauſa à nobis ſtatuitur. In fine verò temporis ceſſaturum motum, ipſis intelligentiis tantùm Polos deſerentibus juſſu Dei; quòd his non firmatis, nequeat eſſe motus circularis ſed quies ſumma. Huic autem meæ ſententiæ de duabus intelligentiis non moventibus, ſed ſolùm firmantibus mirè congruit illud Job. cap. 9. ubi de Deo loquens ait, *ſub quo curvantur* (hoc eſt humiliantur) *qui portant Orbem*. Verè enim totum Orbem duæ illæ ſublimes intelligentiæ, gratiâ motus ſuſtinent. Idem igitur Primo Cœlo accidit quod brucho (Gallicè *haneton*) quem crure alligatum chartæ, puer circa baculum revolvi cogit. Puer enim duo baculi extrema tanquam Polos ſuis digitis firmat: Bruchus autem baculo appenſus, eſt ad volandum pronus, ſed in utram partem indifferens: Determinatur autem à Puero ad volatum antrorſum vel retrorſum, ſicque determinatus, circa baculum ut circa axem propria virtute vel formâ revolvitur etiam ſatis longo tempore, ſine apparentia fatigationis.

Ex ſupradictis igitur patet objectionis ſolutio; ac oſtenditur Motum Cœli eſſe ab ejus forma effectivè, & ab intelligentiis tantùm determinativè contra id quod ab aliis aſſertum eſt, qui effectionem ab intelligentia & determinationem à Cœli forma poſuerunt. Cœloque tum moveri, tum quieſcere in proprio loco eſſe naturale, magis tamen quieſcere. Ac tandem cauſa affertur, cur circulationis ipſius Cœli periodus ſit invariabilis.

Deducitur etiam primi Cœli motum in loco proprio, non eſſe ob bonum proprium ipſius Cœli: talis enim motus poteſt tantùm eſſe circularis: & quo inſtanti rectus aut mixtus evaderet; eſſet motus à proprio loco, & non in proprio loco. At Cœlum nequit ſe ipſo moveri circulariter; indiget enim aliqua cauſâ à qua primo determinetur ad motum, ut ſuperiùs dictum eſt. Si ergo citra motum nequeat proprium bonum adipiſci: ſequitur quod eidem ad motum determinatione negata, bono ipſo fruſtrabitur: quod corporibus phyſicis nihil aliud eſt, quàm amoroſa quædam fruitio connaturalitatis loci. Atqui hoc abſurdum eſt. Nam ipſa determinatione denegata, Cœlum quieſcet in proprio loco. Nihil autem eſt quò meliùs, perfectius, immediatiuſque corpus fruatur connaturalitate proprii loci, quàm quies in proprio loco: nullus eſt ergo motus Cœli in proprio loco gratiâ boni proprii, aut planè ſuperfluus extat, quod naturæ repugnat. Cùm autem primum Cœlum moveatur in proprio loco: ſitque omnis actio naturæ, alicujus boni gratiâ, quod ab efficiente primò intenditur, manifeſtè ſequitur, primi Mobilis motum eſſe ob bonum alterius, quod aliud eſſe nequit quàm ſublunaris Mundus, ac præſertim homines ipſum incolentes, de quibus dicitur Pſalmo 113. *Terram autem dedit filiis hominum*, ſcilicet, Deus.

Objicietur adverſus doctrinam ſupra poſitam: Falſum videri quod mobile corpus moveatur ſurſum, deorſum, vel in gyrum à forma ſua ſubſtantiali. Homo enim qui cadit ab alto, non movetur deorſum à ſua forma, quæ eſt anima rationalis eſſentialiter libera in ſuis actionibus: cadit enim perpendiculariter; nec poteſt anima etſi velit corpus ſuum ab illo perpendiculo abſtrahere, aut motus velocitatem moderari quodcunque ſubſit periculum; ſed cadit ut lapis aliudve corpus inanime. Imò ſi à loco multùm edito cadat, ſuffocatione in Aere, homo ſuâ ſpoliatur animâ priuſquam Terram contingat: Non ergo anima illius motus cauſa per ſe cenſenda eſt. Quod ſi dicatur motum deorſum eſſe à gravitate inſtrumentaliter, motum ſurſum à levitate, & motum in gyrum à gyrativa facultate: cauſam verò principalem motus, eſſe

ſubſtantialem mobilis formam; ideoque hanc eſſe cauſam per ſe; hoc ita refutabitur. Nam in hominis caſu ab alto vel gravitas movet ſine animæ concurſu, vel non: ſi primum, ergo eidem non ſubordinatur in movendo ut inſtrumentum ſuæ cauſæ principali: ſi ſecundum, vel anima concurrit neceſſariò, vel liberè. Non hoc, alioquin poterit non movere; & ideo corpus non cadere; quod eſt abſurdum. Nec etiam illud, alioquin homine extincto in Aere, non continuabitur motus deorſum, quod eſt falſum: aut ſi dixeris continuari à ſubſequente cadaveris forma, ergo conſtat quod motus non erat neceſſariò à priore forma contra hypotheſin: nec per conſequens eſt neceſſariò à ſubſequente. Adde quod per formam ſubſtantialem reddi nequit ratio, cur velocitas motus ſucceſſivè intendatur, cùm hoc commune ſit omni corpori gravi.

Ad hanc igitur ſolvendam objectionem, probabiliter dici poſſet animam conſiderandam eſſe ſecundum omnes ſuos gradus eſſentiales: nimirum quod ſit forma corporea, vegetativa, ſenſitiva, & rationalis. Jam verò non habet dominium in ſuas actiones quatenus eſt corporea, ut patet in motu deorſum: nec quatenus eſt vegativa, cum ſumpto cibo non poſſit illum non coquere & partibus viventibus diſtribuere: nec quatenus ſenſitiva, cùm ignem cuti admotum non poſſit non ſentire, ſed tantùm quatenus eſt rationalis ac libera, atque ſic poteſt deambulare aut quieſcere, ſumere cibum aut non ſumere, & cætera quæ libero arbitrio ſubjiciuntur. Hominis igitur cadentis anima ſuum movet corpus deorſum neceſſariò, quatenus eſt forma corporea, per ſubordinatam ſibi gravitatem.

Verùm quia ſi anima ut forma corporea moveret deorſum: ergo omnis forma ſubſtantialis quatenus corporea moveret deorſum, ſicque nullus eſſet motus ſurſum, contra experientiam: idcirco fatendum eſt in homine plures eſſe ſubſtantiales formas, nempe Elementorum ex quibus homo componitur: & propriam ipſius hominis formam cui reliquæ ſubordinantur: his verò propriæ Elementorum qualitates per ſe primò ſubordinantur, ut per ſe primò ipſis connaturales. Itaque mobile quodvis quatenus eſt corpus ſive ſimplex ſive mixtum, movetur naturaliter; hoc eſt ſurſum, deorſum, vel in gyrum, primò & per ſe à forma ſubſtantiali Elementi prædominantis concurrentibus non ſolùm partibus ſubſtantialibus, ſed etiam qualitatibus propriis ipſius Elementi, quæ ut jam dictum eſt ipſius Elementi formæ ſubſtantiali primò & per ſe ſubordinantur. Ac per conſequens in mixtis corporibus, propria ipſius mixti forma (ut anima rationalis in homine) eſt tantùm cauſa per accidens motus naturalis ipſius mixti, nempe ad medium à medio, vel circa medium. Sed de pluribus formis ſubſtantialibus in eodem mixto ſubordinatis fuſius agemus libro 20.

Caput VI.

Unde petenda ſit unitas, tam ſpecifica quàm numerica motus.

In primis certum eſt unitatem ſpecificam motus peti non poſſe, à ſpecifica motoris unitate: quia motus extrinſecus eſt motui, ut cauſa ſuo effectui, & motor ac motus diverſarum ſunt categoriarum.

Nec etiam peti poteſt ab unitate ſpecifica mobilis, alioquin hominis motus eſſet homo, & lapidis motus lapis, cum tamen motus ſit duntaxat accidens tam hominis quàm lapidis.

Nec tandem ſumi poteſt ab unitate ſpecifica termini à quo incipit motus, & quem mobile deſerit dum moveri incipit. Nam motus non eſt in termino à quò, ſed in mobili: adde quod ab eodem termino à quo, plures motus ſpecie diverſi incipere queunt.

Supereſt ergo ut unitas ſpecifica motus ſumatur, vel à ſolo termino ad quem mobile tendit, vel à ſola unitate ſpecifica lineæ, quâ fit motus, vel ab utroque ſimul. Utrum autem iſtorum ſit, rationibus ſequentibus oſtendetur.

Imprimis ergo ſciendum, quod terminus ad quem motus localis ſpectari poteſt tripliciter. Primò, ut eſt locus: ſecundò ut rationem habet diverſæ poſitionis ſurſum, deorſum, &c. Tertiò ut terminat motum vel hujus lineam.

Non poteſt autem motus ſpecificari à termino ad quem primo modo ſpectatum. Quia cum ſit unica ratio loci, ut locus eſt; unica etiam eſſet ſpecies motus & non plures, quod abſurdum eſt.

Objicies quod motus dicitur naturalis aut violentus, prout mobile tendit in ſuum locum naturalem aut violentum: ergo motus ſpecificatur à termino ad quem prout eſt talis locus.

Sed reſpondeo diviſionem tam loci quàm motus in naturalem & violentum, eſſe duntaxat accidentariam, quia tantùm accidit loco & motui, quod ſit naturalis aut violentus, ratione mobilis: at hîc quæritur ſpecifica vel eſſentialis unitas motus ipſius.

Quod autem motus ſpecificari nequeat etiam à termino ad quem ſecundo modo ſpectatum, ſic oſtenditur. Nam quod motus ex A Terræ centrò, ad B concavum Ætheris, ſit motus ſurſum; id non eſt ipſi motui ex A in B eſſentiale, ſed merum accidens denominativum, poteſtque idem motus eſſe deorſum, ſi nempe Mundo ſecundum lineam rectam moto, Mundi centrum transferatur in B, quod quidem Deus efficere poteſt, non tamen rei eſſentiam tollere, reipſa remanente, ſcilicet, motu ex A in B, qui nihilominus remaneret. Ea denique eſt ratio de cæteris motibus tam rectis quàm circularibus ad alias Mundi poſitiones vel partes diverſas.

Priuſquam verò definiamus de termino ad quem tertio modo ſpectatum, eſt inquirendum an poſſit eſſe motus localis, ſine terminis à quo, & ad quem, id enim de motu circulari videtur aſſerendum. Siquidem aſſignari nequit unde cœperit primi Cœli motus, cùm undique æquè primò motum ſit ipſum Cœlum ſui motus initio: ſique is motus jam defineret, dici non poſſet in quam partem terminaretur, cùm undique æquè poſtremò defineret. Præterea Cœlum ipſum dicitur ſemper fuiſſe & futurum eſſe in eodem loco, caret ergo terminis motus à quo & ad quem, hi enim ſibi contrariantur formaliter: non ratione differentis poſitionis, quæ inverti poteſt ex ſupradictis, ſed ratione diſtantiæ inter ſe. Si ergo Cœli motus haberet terminos à quo & ad quem, hi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

hi diſtarent ab invicem, proindeque Cœlum ipſum moveretur ab uno loco in alterum; ideoque non moveretur motu circulari ſimplici, qui ſit tantùm in eodem loco contra hypotheſim.

Ad hoc autem dici poteſt, quod motus Cœli dupliciter ſpectandus eſt, primò ut eſt partium Cœli, non quidem unitarum, quæ ſunt ipſum totum, ſed diſtinctarum: ſicque motus Cœli habuit terminum à quo, & habiturus eſt terminum ad quem. Nam initio motus Cœleſtis, pars Cœli quælibet moveri cœpit à loco in quo fuit creata, in oppoſitam partem; & jam continuò tranſit de loco ad locum, ita ut ſi nunc ſit in Oriente, intra ſex horas futura ſit in Meridiano, & intra 12. in Occidente: ejus verò motus terminabitur ad locum in quo reperietur cùm ceſſabit Cœli motus.

Secundò ſpectandus eſt ut eſt Cœli totius; ſicque plurimùm urgent rationes ſupradictæ ad convincendum quod careat termino ad quem. Cùm autem ne quidem divinitus poſſit eſſe motus ſine termino ad quem, neceſſariò duplex ponendus eſt terminus ad quem, motus, ſcilicet, unus in ſpatio univerſo, quod eſt materiale loci, atque hic terminus ad quem, eſt formaliter locus, quem mobile ſuo motu de loco ad locum ſibi comparat.

Alter autem in ipſo loco quem ipſum mobile occupat: quippe eſt ſitus ipſius mobilis in ipſo loco, vel partium ejus poſitio. Jam verò motus circularis totius Cœli caret terminis à quo & ad quem in ſpatio univerſo: quia non movetur totum de loco ad locum, non autem caret terminis à quo & ad quem in loco quem occupat, quia totum Cœlum ſuo motu ſitum continuò mutat in proprio loco.

Dices: ergo motus localis non erit ad locum, ſed ad ſitum, quod videtur abſurdum. Verum tamen certum eſt, non omnem motum localem eſſe ad locum: localis enim motus duplex eſt, quippe de loco ad locum & in eodem loco: jam verò motus de loco ad locum eſt formaliter ad locum: motus autem in eodem loco eſt tantum formaliter ad ſitum in ipſo loco, qui per motum variatur. Cùmque in motu circulari in proprio loco detur terminus ad quem, quippe ſitus in ipſo loco; ergo dabitur etiam terminus à quo, ſimiliter ſitus in ipſo loco: eruntque hi termini contrarii & diſtantes inter ſe, non ratione totius Cœli, ſed partium ejus.

His poſitis dico: quod etſi nequidem divinitus dari poſſit motus ſine terminis à quo & ad quem; non tamen localis motus ſpecificatur à termino ad quem, ſpectato prout terminat motum, vel ejus lineam. Tum quia quæcunque concludunt pro termino ad quem; æqué concludunt pro termino à quo: nec motus Lutetiâ Romam, ſpecie differt à motu Româ Lutetiam; de communi autem conſenſu motus non ſpecificatur à termino à quo: ergo nec à termino ad quem: tum quia poteſt idem eſſe terminus ad quem motus recti & circularis, quos nemo dicet ejuſdem eſſe ſpeciei. Accedit quod motus circularis eſt aliqua ſpecies motus, at nullus in ipſo terminus aſſignari poteſt, ad quem potius quam ad alterum ſit terminandus ipſe motus, vel cui potius quam alteri jus ſpeicficandi motum competat. Denique duo motus ejuſdem ſpeciei poſſunt eſſe invicem contrarii: non quidem ratione ſpeciei quæ eadem ſupponitur; ſed ratione terminorum ad quos. Non ergo ipſi ſunt de ratione ſpecifica motus, alioquin ipſa ratio ſpecifica eſſet ſibi ipſi contraria, & proinde non eadem, contra hypotheſin. His adde quod per motum tenditur ad terminum ad quem: ergo motus prior eſt ſuo termino ad quem, ac per conſequens ſpecies vel eſſentia motus, prior eſt ipſo termino ad quem.

Cùm ergo motus non ſpecificetur à ſuo termino ad quem, quocunque modo ſpectatum; ſequitur quod ratio ſpecifica motus petenda ſit duntaxat à ratione ſpecifica lineæ, per quam fit ipſe motus. Et hoc inde patet, quia ratio ſpecifica lineæ per quam fit motus, de ipſo eſſentialiter dicitur. Motus enim per lineam rectam, eſt eſſentialiter rectus; per circularem, eſſentialiter circularis; per Ellipſin, eſſentialiter ellipticus: atque ſic de cæteris.

Tandem unitas numerica motus ſumitur ab uno numero mobili, una numero linea, uno numero termino ad quem, & uno numero tempore: quorum utrovis deficiente, non erit idem numero motus.

Caput VII.

De quibuſdam peculiariter notandis circa Motum.

Primò notandum, id omne quod movetur, neceſſariò moveri vel à principio interno, quippe formâ aut virtute propria; vel ab externo ejus vis imprimitur mobili, pulſu, tractu aut vectione. Secundò nullum corpus eſſe poſſe naturaliter in diverſis ſimul tempore locis, nec idcirco moveri in iiſdem, aut ab iiſdem, aut ab eadem ſimpliciter & abſolutè: ſed quodcunque corpus moveri ſimpliciter & abſolutè, aut in eodem loco, ut primum Cœlum, aut ab uno loco in alium, ut Planeta, lapis, animal. Nec ſolum id intelligendum eſt de corpore quod movetur unico ſimplici motu; ſed de quovis etiam quod ſimul movetur pluribus motibus, vel ex his compoſito. Si enim uno motu moveri poſſit in eodem loco, & ſimul altero motu de loco ad locum; poſſet etiam ſimul eſſe in duobus locis, quod fieri nequit: ergo etiam duplici motu mobile ſive motum, neceſſe eſt moveri, aut tantùm in eodem loco, aut tantùm de uno loco ad alterum locum. Poteſt autem idem corpus ſimul moveri, aut duplici motu recto (ut ſi ſuper planum rectâ motum, aliud planum rectâ moveatur) aut duplici circulari (ut globus impulſus ſuper ſphæricam glaciem etiam mobilem aut quieſcentem) aut recto & circulari ſimul (ut idem globus rectâ impulſus ſuper planum mobile vel quieſcens) nec tantùm duplici, ſed triplici, quatruplici, qintuplici, &c.

Præterea notandum quod non ſit de ratione motus, à mobili novum acquiri locum abſolutum: & hoc patet tum ex primo mobili: tum ex globo, qui Telluris in Mundi centro mobilitate poſita verſus ortum, æquè velociter ſuper glacie moveretur ad occaſum ſub eodem parallelo. Sic enim globus in eodem præſtaret loco abſoluto: tum

tùm denique ex alio quovis mobili ſuper alterum mobile, vel in ipſo; eorum motibus ſecundum eandem lineam oppoſitis & æquè velocibus : at motibus non oppoſitis, aut quidem oppoſitis etiam ſecundum eandem lineam, ſed non æquè velocibus, mobile ſuper alterum mobile, vel in ipſo, vel ſub ipſo, novum acquirit locum abſolutum ab utroque motu.

Inſuper autem in quocunque motu de loco ad locum, novus acquiritur locus reſpectivus à motu ejus corporis quod ſuper aliud, vel in ipſo, vel ſub ipſo movetur. Sol enim præter locum abſolutum quem proprio motu ſimulque primi Cœli motu acquirit; etiam ſolo proprio motu novum ſibi comparat locum reſpectu primi mobilis ſub quo movetur : tranſiens, ſcilicet, de gradu in gradum ſignorum Zodiaci ipſius primi Cœli. Similiter globus motus ſuper Terram mobilem aut fixam, aut etiam animal motum, præter locum abſolutum, ſortitur etiam alium locum reſpectu Telluris, cujus partibus diverſis ſubinde ſit præſens tum verè, tum apparenter, reſpectu cujuſvis intuentis: idemque dicendum de Piſce in mari, de Ave in Aere, & Planeta in Æthere. At in motu in eodem loco, non acquiritur novus locus abſolutus à toto mobili; aliâs motus non eſſet in eodem loco; ſed tantum acquiritur diverſus ſitus in loco ut ſupra diximus. Totius tamen mobilis partes acquirunt novum locum abſolutum, tum etiam reſpectivum ad corpus ſupra & infra mobile ſi detur utrumque; aut tantùm ad alterum, ſi tantùm detur alterum : quare nec ipſius primi Cœli partes in ſuo motu carebunt acquiſitione loci abſoluti & reſpectivi. Atque hoc eſt mirabile quod omnes partes acquirant novum locum abſolutum; non autem ipſum totum.

Quoniam verò unicuique corpori unicus competit motus naturaliter, iſque ſimplex, qui corpori ipſi proprius eſt ac naturalis ut antea diximus : ſequitur ut reliqui motus quibus inſuper continget corpus ipſum moveri, inſint ei ab extrinſeco & per accidens, pulſu, tractu aut vectione. Attamen dicetur mobile moveri ſimpliciter & abſolutè ad partem vel ad terminum ad quem, velocioris motus; ſive is per ſe aut per accidens mobili conveniat: altero verò motu tantùm ſecundum quid. Ideoque Planeta quivis ſimpliciter & abſolutè movetur ad occaſum, idque vectione; & tantùm ſecundum quid ad ortum, proprio motu.

daretur aliud : neque relativè, quia neuter eſt ad alterum per ſe : neque contradictoriè, quia neuter eſt locus & non locus ejuſdem locati ſimul : ergo tantùm contrariè. Imo cùm ea propriè dicantur contraria, quæ inter ſe ſub eodem genere diſtant, locis autem diverſis diſtantia ab invicem primo & per ſe conveniat : omnino ſequitur etiam illis contrarietatem per ſe convenire; non ratione differentium poſitionum ſurſum, deorſum, &c. ſaltem primò & per ſe : quia hæc ſunt tantum denominationes loco extrinſecæ atque mutabiles; quandoquidem ſurſum poteſt fieri deorſum, & contra, ut dictum eſt ſuperius; ſed ratione diſtantiæ, quæ eſt immutabilis, & locum unum ab altero ita ſeparat, ut unus non ſit nec poſſit eſſe alius. Poſita autem inter loca contrarietate, inde ſequitur motuum localium contrarietas. Non enim motus inter ſe contrariantur, quatenus ſunt motus: nam eadem eſt ratio motus, nec differt à ſeipſa: nec etiam quatenus ſunt ejuſdem ſpeciei motus; alioquin eadem ſpecies ut ſic, eſſet ſibi ipſi contraria; ideoque non eadem : ſed ſibi ſunt contrarii ratione ſuorum terminorum à quibus & ad quos; hoc eſt locorum à quibus & ad quos incipiunt & deſinunt motus; quibus locis ut ſupra diximus ineſt contrarietas vel oppoſitio ratione diſtantiæ inter ſe.

Quoniam verò contrarietas eſt tantùm inter duos terminos & non plures, quòd uni unum tantùm ſit contrarium, ſequitur poſſe eſſe motus contrarios inter duos quoſlibet terminos oppoſitos. Cæterum oppoſitio vel contrarietas terminorum hîc non ita eſt coarctanda, ut definiti tantùm termini ſint intelligendi, inter quos fiant motus contrarii : ſed ita amplianda, ut duo quicunque termini intelligantur, inter quos fiant motus, non definitè à terminis oppoſitis ad oppoſitos : ſed indefinitè à partibus oppoſitis ad oppoſitas. Atque ſic in linea A E. quantacunque ſit ejus longitudo, motus omnes qui ſunt à parte A verſus partem E, hi dicuntur eſſe iidem termino ad quem : eo quòd ſint verſus eandem partem : ſuntque contrarii motibus omnibus qui ſunt ab E verſus A; qui inter ſe quoque ſunt ad eandem partem. Verbi gratia motus ab A ad B, & B ad C, vel ad D, vel ad E, quia ſunt ad eandem partem, dicuntur eſſe iidem termino ad quem, omneſque contrarii motibus ab E ad D, vel à D ad C, vel ad B, vel ad A : nec ſoli motus ab A ad B, & à B ad A, ſibi contrariantur, ut pleriſque viſum eſt.




Caput VIII.

De motuum contrarietatibus.


AD exquiſitiorem notitiam de motuum contrarietatibus, dicendum eſt, duplicem eſſe motuum occurſum in genere, ſcilicet, oppoſitum & tranſverſum. Atque notandum, quod duo quælibet loca diverſa ſibi mutuò opponuntur : non quidem privativè, quia neuter eſt formaliter alterius privatio; alioquin dato uno, non

Similiter in motibus circularibus, omnes qui tendunt à parte A verſus S; quippe motus A I D, B L C, D M K, D N E, F G H, & Q R S, ſunt ad eandem partem, ideoque iidem termino ad quem inter ſe, ratione, ſcilicet, ipſius partis ad quam tendit motus. Sicut etiam motus S R Q, H G F, K M D, &c. etiam iidem inter ſe : motui verò A I D, non tantùm contrariatur motus D I A, ſed etiam C L B : & motui D M K, non ſolùm contrarius eſt motus K M D, ſed etiam H G F, &. E N D, tum S R Q. Tandemque motus

cus D I A & D M K ſunt contrarii: tum A I D & K M D; quia tendunt ad partes oppoſitas, ideoque termino ad quem ſunt contrarii.




Sed de circulo infra poſito A B C D, dubitabit forſan aliquis, num motus A B C & C D A ſunt contrarii, cùm fiant à terminis oppoſitis ad oppoſitos. Quod autem non ſint contrarii ſic oſtenditur. Nam ductis diametris A C & B D; erunt motus A B C, A B, & B C, iidem termino ad quem, cùm fiant ad eandem partem C. Similiterque erunt B C D, B C & C D, quod fiant ad eandem partem D. Quare cùm A B C, ſit idem cum B C, & B C D, ſimiliter idem cum B C, erunt A B C, & B C D inter ſe iidem termino ad quem. Sed eodem modo oſtendetur motus B C D, &



C D A, eſſe quoque eoſdem inter ſe: erunt ergo A B C & C D A inter ſe quoque iidem, proindeque non contrarii, quamvis ſint à terminis oppoſitis ad oppoſitos. Eſt ſiquidem totus circularis motus A B C D ſimplex & unicus, quem in contrarios dividi non patitur ſimplicitas: eſtque C D A continuatio motus A B C, ut B C continuatio motus A B.

Atque hinc deducitur quiddam valde mirandum. Quippe motum curvum A B C, & rectum C A non eſſe contrarios, etſi fiant à terminis oppoſitis. Si enim ob hanc cauſam fuerint contrarii, erit etiam motus C A contrarius motui C D A. Nam A B C & C D A ſunt iidem motus, ut patuit ſupra. At motus C A & C D A ſunt ab eodem termino ad eundem terminum: ergo non erunt contrarii, quod eſſet contradictorium. Quare ad contrarietatem motuum patet, minimè ſufficere, quod fiant à terminis oppoſitis ad oppoſitos. Cùmque in motibus A B C & C A nihil deſideretur, quam ſpecifica lineæ identitas, hanc ad conſtituendam contrarietam motus omnio requiri manifeſtum eſt.

Nec tamen hoc adhuc ſufficere ex eo demonſtratur, quia motus A B C & E F C non ſunt con-



trarii, quamvis ſint ſecundum eandem ſpecie lineam, & à partibus oppoſitis ad oppoſitas. Nam perfecto circulorum alterutro, quippe C D E F, erit motus A B C idem cum C D E ex ſupradictis: at motus E F C eſt etiam idem cum motu C D F: ergo motus A B C & E F C erunt quoque iidem. Eſſent autem contrarii motus A B C & C F E, qui eſt idem cum E D C, qui contrariatur motui A B C ex ſupradictis. Patet ergo ad circularium motuum contrarietatem iterum requiri, quod incedant à terminis oppoſitis ad oppoſitos, ſecundum eandē poſitionis differentiam, reſpectu lineæ diametralis utrumque circulum trajicientis: non enim motus A B C & E F C alia re differunt, quàm quod A B C ſit ſupra lineam diametralem A E & E F C infra. Atque hic obiter detegitur error Ariſtotelis: ex quo motus A B C & E D C ſunt iidem, quia ſunt ad eundem terminum ad quem, nempe C, & motus ab A ad B, tum C ad idem B quoque iidem; cùm tamen tam hi quàm illi ſint contrarii, etſi ſint ad eundem terminum ad quem: quod, ſcilicet, ſint ad partes oppoſitas: & non ſicut alterationes à frigidiſſimo & calidiſſimo ad idem tepidum. Adde quod ambo mobilia ſe mutuò repellent in terminis C & B.

Hinc tandem cùm per duos circulos ſeſe in duobus tantùm punctis ſecantes qualibet inclinatione, motus queant incedere: detegitur ultima conditio motuum circularium contrariorum: quippe quod fieri debeant in eodem plano aut parallelis, non autem ad invicem inclinatis ſeu obliquis: alioquin eſſe non poterunt ſecundum eandem poſitionis differentiam reſpectu lineæ diametralis circulum utrumque trajicientis. Sic ſi in ſphæra recta aliquid moveretur per circulum Horiſontis; motus hic non eſſet contrarius motui qui fieret per Æquatorem: tum quia non eſſent ſecundum eandum poſitionis differentiam reſpectu axis Mundi: tum quia non magis eſſent à terminis oppoſitis ad oppoſitos, quàm ab iiſdem ad eoſdem; ſive motus in Horiſonte fieret per meridiem, ſive per ſeptentrionem. De cæteris verò motibus obliquè tranſverſis idem dicendum eſt: quippe quòd etſi fiant à partibus oppoſitis ad oppoſitas; non propterea dicentur contrarii: veluti non dicuntur iidem, quamvis fiant ab iiſdem terminis etiam definitis, ad eoſdem terminos etiam definitos. Sed ad hoc ut motus ſint iidem vel contrarii, omnino requiritur quod ſint in eodem plano vel parallelis.

Quapropter ex ſupradictis colligitur tandem motuum contrariorum definitio. Non qualem ponit Ariſtoteles 4 Phyſ. cap. 5 t. 49. quod ij ſint propriè contrarii qui fiunt à terminis oppoſitis ad oppoſitos, ſed hæc motus contrarii ſunt, qui in eodem plano vel parallelis, fiunt à partibus oppoſitis ad oppoſitas, ſecundum eandem ſpecie lineam. In circularibus verò inſuper requiritur, quod incedant ſecundum eandem poſitionis differentiam reſpectu diametralis lineæ cir-


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

circulum utrumque trajicientis, ſecundum motus inceſſum. Quid igitur ſit motuum occurſus oppoſitus ſive contrarius, hactenus dictum eſt ſufficienter.

Occurſus verò tranſverſus duplex eſt, nempe rectus & obliquus. Rectus eſt duorum motuum ſibi ad angulos rectos occurrentium in eodem plano aut parellelis. Ut ſi uno motu incedente ſub Æquatore, alter ſub Meridiano incederet.

Obliquus verò eſt duorum motuum ſibi ad angulos obliquos occurrentium, ut motus primi mobilis qui fit ab ortu æquinoctiali, ad occaſum æquinoctialem, cum motu ſphæræ fixarum atque Solis, qui fit ab occaſu brumalis Tropici, ad ortum æſtivi Tropici.

Unicum nobis ſupereſſe videtur explorandum; nempe quod appoſitionis ſpecies in circulo contineantur. Hoc autem demonſtratione ſequenti patebit. In circulo DBC cujus centrum A, ducantur diametri BE, DC, & ſubtenſa DB. ſupponaturque (ut vulgo creditur) punctum D non opponi puncto B; at B & E, item D & C eſſe oppoſita. Quoniam igitur puncto B non opponitur punctum D, ſed punctum E, erit in linea BE & non in linea BD, ratio oppoſitionis: & ſi-



militer quoniam D & C opponuntur, erit etiam in DC ratio oppoſitionis: cùm ergo ipſa ratio ſit in utraque linearum BE & DC; illa non poterit non eſſe centrum A, utrique lineæ commune. At propter quod unumquodque tale, & illud magis tale eſt; ideoque quia centrum A eſt cauſa cur B & E opponantur, ergo ipſum utrique magis opponetur: & ſimiliter idem A punctis D & C opponetur. Et per conſequens datur in circulo multiplex oppoſitio: eaque duplex, nempe diametralis & centralis, quæ eſt omnium prima & cæterarum cauſa. Centrum enim A opponitur omnibus circumferentiæ punctis centraliter, & ſingula circumferentiæ puncta, ut B & C eidem centro opponuntur circumferentialiter: B, E, verò præterquàm quod opponuntur centro circumferentialiter, etiam inter ſe opponuntur diametraliter, quæ eſt oppoſitionum circumferentialium maxima, cui idcirco oppoſitionis nomen & virtus præcipuè tribuitur.

Jam verò ſuperioribus de motu determinatis, facilis erit ſolutio objectionis hujus. Primum Cœlum tantùm movetur ab ortu ad occaſum ſuper polos Æquatoris: ergo non movet ſphæram fixarum & Planetas, qui motu contrario feruntur ab occaſu in ortum ſuper Eclipticæ polos.

Atque hic motus cùm primò conveniat ſphæræ fixarum; ſaltem Planetæ qui eodem quoque motu per ſe moventur, majorem in ratione motus dicent dependentiam à ſphæra fixarum, quàm à primo mobili.

Reſpondeo primò falſam eſſe conſequentiam antecedentis. Etſi enim ſphæra fixarum & Planetæ moveantur per ſe ab occaſu in ortum, nihil tamen prohibet, quominus per accidens moveri queant ab ortu in occaſum: velut is qui in navi per ſe movetur ſecundum navis longitudinem ab occaſu in ortum, interim motu ipſius navis defertur ab ortu in occaſum. Dicuntur autem ſphæræ fixarum & Planetæ ſimpliciter moveri ad occaſum, qui eſt terminus ſive plaga velocioris motus, & tantùm ſecundum quid ad ortum: motuque duplicem locum acquirunt; quippe abſolutum principaliter à velociori motu; & reſpectivum ad primum mobile ex intuitu à Terra, motu tantùm proprio.

Reſpondeo ſecundò, motum primi mobilis & motum ſphæræ fixarum ac Planetarum, non eſſe contrarios ſimpliciter; quia non fiunt in eodem plano aut paralellis circulis; ſed eſſe tantùm obliquè contrarios; qui multò minùs repugnant primi mobilis motui, quàm huic contrarii ſimpliciter, qui tamen à Deo dari poſſent.

Reſpondeo tertiò: quamvis motus ad ortum ſuper Eclipticæ polos, primò competat ſphæræ fixarum, eoque per ſe ferantur Planetæ: hos tamen non magis dependere in ratione motus à ſphæra fixarum, quàm à primo mobili: tum quia motus Planetarum & ſphæræ fixarum ſunt motus numero diſtincti, ita ut motu ſphæræ fixarum ceſſante, perſeveraret nihilominus Planetarum motus ad ortum. Quod ex eo patet, quia ſingulorum Planetarum motus, motu ſphæræ fixarum longè ſit velocior, & Planetæ ſinguli Sole excepto, ſubinde latitudines ſuas ab Ecliptica varient, quod fixis non accidit: tum quia ſphæræ fixarum motus eſt tantum propter ipſas fixas, quas tardiſſimè defert ad ortum ſecundum ſignorum ſpeciem: at motus primi mobilis eſt propter fixas & Planetas; ſed principalius propter Planetas, quos in 24. horis circumducit toti Terræ: quod Sublunaribus rebus longè magis neceſſarium eſt, quàm menſtruus Lunæ motus, vel annuus Solis, vel multorum ſeculorum motus fixarum ab ipſa ſphæra fixarum. Quapropter cùm rerum ſublunarium bonum ſit finis ſtellarum & Planetarum, illumque finem meliùs aſſequantur motu diurno primi mobilis, quàm motu tardiſſimo ſphæræ fixarum; omninò in ratione motus majorem dicent dependentiam à primò mobili, quàm à ſphæra fixarum; quæ ipſamet etiam ſubeſt motui primi mobilis.

Ex his verò quæ ſupradiximus de motu locali, difficile non eſt conjicere Ariſtotelem, ideo in illis erraſſe, quod de motu in genere tractans, nimium attendiſſet ad motum alterationis, & non ſufficienter ad motum localem: ſiquidem maximè differunt inter ſe hæc duo genera motus. Nam omne mobile ſecundùm qualitatem, movetur à principio externo, non autem omne mobile ſecundùm locum. Hoc præterea totum movetur eodem inſtanti, illud ſucceſſivè; deinde motus ad qualitatem ſpecificatur à termino ad quem, non autem motus ad locum ut ſupra patuit. Denique alterationes contrariæ, ſunt diverſæ ſpeciei, non autem contrarii motus locales: patet ergo quod maximè differant.

CAPUT IX.

An motus dari poſſit in vacuo, & qualis.

IN ſpatiis imaginariis, vel vacuo extra Mundum, Angelus ſe movere poſſet; quia ejus motus ſpiritualis eſt ac independens à corporibus. Imò ſi poneretur homo in ſpatiis imaginariis, quia ipſe habet in ſeipſo principium vel cauſam intrinſecam motus, ſeipſum moveret & ſiſteret ad libitum in illis ſpatiis, ubi corporis motus eſſet independens quoad motum ab hoc Mundo, extra quem ſupponitur ipſe homo. Lapis autem poſitus in ſpatiis imaginariis extra hunc Mundum, maneret immobilis ubi poneretur: moveri tamen poſſet à cauſa extrinſeca ut Angelo, & ſuſcepto impulſu à motore, pro ratione impulſus citò aut lentè moveretur perpetuo motu; quia nihil obſiſteret vel occcurreret potens remittere motum. Ac probabile eſt valde, quod primum mobile ſic moveatur, quippe ſuſcepto impulſu cum determinatione ad occaſum, polis immotis, ut dictum eſt cap. 5.

Sed in vacuo intra Mundum hunc Divina virtute facto, Angelus ut in vacuo extra Mundum ſeſe undequaque ad libitum moveret. Non tamen homo neque lapis: Homo enim & lapis ſunt iſtius Mundi particulæ, quæ ut ſic à ſuo toto dependent ratione ſuorum Elementorum. In motu autem naturali homo & lapis neceſſario obſequuntur inclinationi prædominantis Elementi quod naturali cognitione novit proprium ſibi locum in Mundo, ut dictum eſt Lib. 5. cap. 8. Itaque poſiti vel in vacuo, vel in aere deſcendent verſus Mundi centrum, ut proprium ſibi locum; nec obſtabit vacuum. Imò longè citiùs deſcendent per vacuum, quàm per aerem; quod ſic probatur. Nam deſcenſus lapidis per Aquam tardior eſt quàm per Aerem; ut ſenſui patet. Et ratio eſt quia Aqua magis reſiſtit motui lapidis quàm Aer; quòd hic ſit tenuior; illa verò denſior. Indeque ſequitur quod deſcenſus lapidis per Aerem, erit tardior quam per Ætherem, quòd hic Aere longè ſit adhuc tenuior. Quamobrem ſi lapis deſcenderet per vacuum, tunc nihilo obſtante deſcenderet citiſſimè. Indeque patet vanam eſſe opinionem Gaſſendi, qui voluit, quod lapis propria ſolùm gravitate deſcendens, & ſecluſa acceleratione à cauſis intrinſecis, duas tantùm deſcenſus orgias conficeret in annis 5322381; cum pateat ex jam dictis quod in vacuo ſit citiſſimè deſcenſurus, licet à nulla cauſa extrinſeca acceleratus. Vide eruditam ac ſubtilem Vincentii Panurgi Epiſtolam de tribus Impoſtoribus; ubi ipſius Gaſſendi inſcitiam circa rem hanc apertè demonſtravi.

Patet ſecundò, quod lapis deſcendens per Aerem, minùs impeditur ab occurſu Aeris inferni, quàm juvetur ab impulſu ſuperni. Alioquin motus non acceleraretur, ſed vel remitteretur, vel maneret æqualis.

Deducitur tertiò, quod ſi lapide per Aerem deſcendente, fieret vacuum circa ipſum vi Divina; & Mundus totus ſic inverteretur, ut ejus Centrum quod eſt ſub lapide cadente poneretur in oppoſita parte, cum vel ſine Terra; lapis per lineam qua deſcendebat, regrederetur ad centrum Mundi tranſpoſitum, non tractus à terra vi magnetica, quam nullam eſſe probavimus multis rationibus, quas Copernicani nondum ſolvere potuerunt, ſed naturali cognitione ipſius centri. Falſum enim eſt quod aſſumitur ab opinionis contrariæ fautoribus, nec probatur. Nempe quod poſito lapide in vacuo intra Mundum, idem ſit lapidi; quod ipſum eſſe in vacuo extra Mundum; ut Gaſſendus malè opinatus eſt.

CAPUT X.

Quot in Mundo dentur motus regulares.

DAntur in Mundo 4 motus regulares. Nempe Circularis, Rectus, Ellipticus, & Spiralis.

Motu perfectè circulari ac uniformi, moventur duntaxat primum mobile ſuper Axem Æquatoris, & firmamentum ſuper Axem Ellipticæ.

Motu recto moventur per ſe gravia & levia: Ac tantùm motu recto moverentur levia ſurſum & gravia deorſum; ſi in via motus ipſorum perpetua vigeret tranquillitas; ſcilicet in Aere & Aqua: ſed quia in his eſt ferè perpetua agitatio, inde fit per accidens, ut levia ſicut vapores rariſſimè per lineam exactè rectam conſpiciantur aſcendere, ſed per obliquam, ob vim levium nimis debilem pro cohibendo motu corporum occurrentium. At gravia ſuo pondere, ſuaque gravitate & denſitate lineam rectam in ſuo deſcenſu efficaciùs obſervant, maximè per Aerem, niſi rapidus flaverit ventus: ſed per aquam agitatam deflectunt à linea recta.

Motu elliptico moventur omnes Planetæ in propriis Orbitis, ut Keplerus omnium primus doctiſſimè deprehendit. Et quæcunque fingantur aliæ hypotheſes pro Planetarum motu proprio, ſemper accidit ut centrum Planetæ deſcribat perfectam Ellipſin.

Tandem verò motu ſpeciali revolvuntur circa Terram omnes Stellæ fixæ, & Planetæ omnes inter ambos Tropicos: qui motus ſpiralis componitur ex proprio Planetarum & fixarum motu ſuper Axem firmamenti; & eorum motu raptus à primo mobili ſuper hujus Axem.

CAPUT XI.

De Tempore.

QUoniam Motus & Tempus ſeſe mutuò menſurant præſertim in Aſtronomia & Aſtrologia: eſt autem ipſum tempus ſpecies durationis:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Idcirco hoc capite de duratione ac tempore pauca obiter tantùm attingemus, ac dicemus.

Primò, durationem eſſe ens reale intrinſecum rei cujus eſt duratio: Et eſſe formaliter moram vel permanentiam exiſtentiæ ejus.

Secundò, durationem eſſe triplicem; nempe Æternitatem, Ævum, atque Tempus: tot enim modis res durare queunt: & qui præter hos concipiuntur, ad tempus reducuntur.

Tertiò, Æternitas eſt duratio carens principio atque fine, omnique ſucceſſione, ſed tota ſimul exiſtens: ſolique DEO competit, qui eſt ſua duratio vel æternitas. Et quia eſt tota ſimul; ergo in ipſa nullum eſt prius vel poſterius duratione: ſed poteſt concipi prioritas rationis, ut cùm dicitur quod DEUS priùs cognoſcit bona vel mala opera hominum, quàm illos prædeſtinet vel reprobet. Complicat autem æternitas ac eminenter continet omnes alias durationes; quæ incipiunt in aliquo inſtanti rationis ipſius æternitatis, cùm non ſint ab æterno; & poſſunt deſinere in alio inſtanti rationis. Vide quæ à Nobis dicta ſunt in noſtra diſſertatione, ejuſque defenſione, nec non Epiſtola Panurgi, adverſus Petrum Gaſſendum, qui in ſua Philoſophia Epicurea volebat Æternitatem DEI dividi in partes ſibi ſuccedentes. Et creaturas ſingulas durare aliqua parte durationis DEI.

Ævum ſeu æternitas eſt duratio carens fine, non tamen principio, & hæc duratio convenit rebus creatis incorruptibilibus; quales ſunt Angeli, animæ rationales Cœli, & Corpora in ſtatum iucorruptibilem reducta; qualia erunt Planetæ Elementa & hominum corpora poſt diem Judicii.

Tempus denique eſt duratio habens principium & finem. Et convenit corruptibilibus creaturis, quæ propriè ſubjici dicuntur tempori. Eſt autem duplex tempus, internum & externum. Internum eſt propria duratio rei, quæ principium habet & finem. Atque ſic propria hominis duratio eſt ejus tempus internum: & duratio motus primi mobilis eſt ejus tempus internum. Externum verò eſt duratio extrinſeca aſſumpta ad menſurandum cujuſque rei tempus internum, definiturque ab Ariſtotele, numerus motus primi mobilis ſecundum prius & poſterius, quia omnibus gentibus commune eſt aſſumere durationem motus primi mobilis pro tempore externo, menſurante tempus internum cujuſvis alterius rei corruptibilis; quia, ſcilicet, motus ille eſt notiſſimus, ſimpliciſſimus, univerſaliſſimus, & maximè uniformis, quod menſuram maximè decet. Et de hoc tempore loquitur Angelus in Apocalypſi; dum juravit per viventem in ſecula, *quia tempus non erit ampliùs*, cap. 10. Hoc verò tempus externum, quatenus aſſumitur in menſuram, & dividitur in horas, dies & annos, eſt duntaxat ens rationis ex hominum beneplacito; qui ſi voluiſſent, aliam menſuram aſſumpſiſſent; verbi gratiâ, propriam Solis aut Lunæ revolutionem in ſua orbita: Sed revolutio primi mobilis fuit longè facilior atque commodior ob cauſam ſuperius dictam. Sed de Motu & Tempore hactenus dicta ſufficiant, & qui plura volet, conſulat celebriores Philoſophos.

FINIS LIBRI SEXTI.

ASTRO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ASTROLOGIÆ GALLICÆ

LIBER SEPTIMVS.

De Causâ Efficiente.

PRÆFATIO.

INter Libros Phyſicos, doctrinæ Aſtrologicæ à nobis præmittendos, Liber hic de Cauſâ Efficiente præ cæteris videtur neceſſarius. Etenim cùm Ariſtoteles pauca admodum de rebus Cœleſtibus ſciverit, & in permultis erraverit; Corpora verò Cœleſtia dicantur eſſe cauſæ univerſales eorum quæ in Sublunaribus generantur: Nil mirum ſi circa cauſarum iſtarum cognitionem in ſua Phyſica hallucinatus fuerit, & admodum inops extiterit; proindeque in Scholis, præcipuæ veræque diviſiones cauſæ efficientis hactenus ignotæ remanſerint. Hæc autem omnia hoc in Libro tradere & explanare nobis ſtatutum eſt, quòd inde veri aſtrorum ipſiuſque Cœli agendi modi maximè innoteſcant, ut in tota obſervabitur Aſtrologica doctrina.

CAPUT I.

Quid ſit Efficiens, & in quo conſiſtat ejus cauſalitas.

CAuſa in univerſum, eſt id à quo aliquid in eſſe dependet. Subdiviturque in 4 tantùm genera; ſcilicet efficientem, finalem, materialem & formalem; ad quam exemplaris reducitur. Nobis autem de ſola Efficiente hîc futurus eſt ſermo, quod in Aſtrologia hæc præcipuè ſit attendenda.

Eſt igitur Cauſa Efficiens juxta Ariſtotelem Lib. 2. Phyſic. T. 29. Id unde vel à quo eſt principium motus, quo aliquid producitur vel acquiritur: Cùm autem in omni efficiente duo ſpectanda ſeſe offerant, quippe virtus activa & concurſus actualis in effectum; quæri poteſt in quo formaliter conſiſtat ipſius efficientis cauſalitas, ſeu id à quo formaliter habet, quod ſit efficiens. Certùm eſt autem in eo debere formaliter conſiſtere, quo poſito neceſſariò ſequitur actio, ſine qua non datur formaliter efficiens, ſaltem actu; illa verò data, neceſſariò datur efficiens. Itaque non conſiſtet in agentis virtute præcisè ſpectata, prout eſt in ipſo agente: illa enim poſita, non neceſſario ponitur actio; ut patet de hominis virtute generativa, quæ ipſi ineſt longè priuſquam generet: Conſiſtet igitur in ipſo actuali concurſu cauſæ ad effectum; quo poſito, actio ſequitur neceſſario. Proindeque erit Efficientis cauſalitas, modus quidam rei quæ dicitur cauſa, quatenus actu ſeſe applicat effectui. Applicatio autem intelligenda eſt præſens aut præterita: ne pater poſt genitum infantem hujus Efficiens cauſa negetur eſſe formaliter: futura enim cauſam non conſtituit formaliter efficientem, ſed tantùm potentialiter.

Porrò Efficientis cauſalitas eſt fundamentum relationis cauſæ ad effectum; quod quidem eſt aliquid reale in creaturis, quia Efficientis creati cauſalitas, conſiſtit in applicatione cauſæ ad effectum cum effluxu virtutis ipſius cauſæ; quæ ambo ſunt realia, & creatum agens à non agente realiter differre faciunt. Ac proinde cùm relatio tantum ex natura rei differat à ſuo fundamento, non autem realiter, erit efficientis creati ad ſuos effectus realis relatio. In DEO autem eſt tantùm aliquid rationis, quia nec à DEO virtus aliqua effluit qua producat effectum, nec applicatione ad patiens ipſe indiget, ut patet in creatione, ſed immutabiliter agit, ubique præſens & omnibus intimus: Ideoque modus ille nihil ex ſe realis dicit in DEO; quare nec DEI relatio ad creaturas quæ in illo modo fundatur, realis erit, etſi relatio creaturarum ad DEUM ipſum, realis ſit; quòd nimirum eſſe creaturarum à DEO receptum, ſit fundamentum relationis earum ad DEUM, quod quidem fundamentum nemo dixerit non eſſe reale.

CAPUT II.

De Cauſæ Efficientis diviſionibus præcipuis: Ac primo de potentiali & actuali.

VArias Cauſæ Efficientis differentias explicant Philoſophi, quarum duntaxat præcipuas & ad Aſtrologiam magis neceſſarias placet hîc attingere.

Primùm ergo, Efficiens Cauſa dividitur univerſim in potentialem & actualem: illa eſt, à qua poteſt aliquid in eſſe dependere, ut infans eſt cauſa potentialis hominis ab eo generandi; & Sol cauſa potentialis hyeme, florum verno tempore futurorum.

Actualis verò eſt à qua aliquid actu dependet in eſſe. Et hæc eſt iterùm duplex, ſcilicet in fieri & facto eſſe, non quidem ipſius cauſa, ſed effectus. Efficiens in fieri, eſt quæ actu influit in effectum; quæque rurſus triplex eſt, quippè ad eſſe tantùm, ad conſervari tantùm, & ad eſſe & conſervari ſimul.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Prima eſt quæ actu influit in effectum, huic autem producto non eſt ad conſervationem neceſſaria. Ut Pater reſpectu Filii, ſtatuarius reſpectu ſtatus. Secunda eſt quæ non producit, ſed tantùm conſervat, ut condita conſervantur à ſaccharo, & caro à ſale vel aromatis ne putreſcat. Ultima verò eſt quæ actu influit in eſſe & conſervationem effectus. Ut Deus, Cœlum & Aer reſpectu hominis, & cauſa mortifica reſpectu morbi: Atque de hoc tertio genere cauſarum in fieri, verum eſt illud vulgatum axioma. *Sublata cauſa tollitur effectus.* Efficiens autem in facto eſſe dicitur, quæ in effectum influxit, ampliùs autem non influit. Ut Pater reſpectu Filii nati: qui quidem habet eſſe à Patre, illud autem ampliùs non recipit ab eodem. Quæ eſt ratio cur cauſam non definiverim generaliter, id à quo aliquid recipit ſuum eſſe: ſed id à quo aliquid in eſſe dependet. Et de hoc genere cauſæ falſum eſt axioma ſuperius; mortuo ſi quidem Patre remanet Filius, & Statuario ſtatus.

Porrò prima hæc efficientis diviſio in potentialem & actualem, tranſcendentalis eſt, vagaturque per omnes alias diviſiones infra poſitas.

Caput III.

De Efficiente per ſe & per accidens.

HÆc diviſio non ſecus ac ſuperior eſt etiam adæquata; omnis quippe cauſa efficiens talis eſt per ſe, vel per accidens.

Efficiens per ſe, eſt quæ ex ſe producit effectum: Idque aut virtute propria aut aliena. Producens ex ſe virtute propria, eſt iterum duplex, ſcilicet immediata, quæ immediatione virtutis attingit effectum, nullo alio mediante neceſſario, ut Deus & Cœlum reſpectu productionis hominis, Mars in prima domo, vel Dominus primæ, reſpectu propenſionum nati: & mediata, quæ aliquo mediante utitur ad agendum; ut anima coquens mediante calore nativo qui eſt qualitas animæ extrinſeca, homo ſcribens mediante calamo, Sol noctu illuminans mediante Luna. Producens effectum virtute aliena, eſt ut calamus reſpectu ſcripturæ, quam quidem per ſe efficit, ſed non virtute propria: Planetæ aſpectus, qui quidem per ſe agit, ſed virtute Planetæ aſpicientis.

Efficiens verò per accidens, eſt quæ non ex ſe ſive formaliter producit effectum, ad hunc tamen requiritur; ideoque dicitur cauſa ſine qua non. Et duplex eſt, nempe removens prohibens, veluti aperiens feneſtram eſt cauſa illuminationis cubiculi; movens corpus Lunæ eſt cauſa reſtitutionis luminis reſpectu Telluris in Eclipſi Solis. Terram fodiens cauſa inventionis Theſauri: & applicans agens ad patiens, aut contra: quo pacto admovens ferro magnetem, dicitur cauſa tractionis ferri, longiùs quàm par ſit à magnete diſtantis: & cauſæ motrices aſtrorum nec non horum motus, dicuntur cauſæ differentium effectuum in Globi terreſtris ſuperficie contingentium.

Aliæ verò cauſæ quæ nihil effectui conferunt, ut albedo ſtatuarii reſpectu ſtatuæ, lux candelæ vel Solis reſpectu caloris ab illis producti; nullo modo cauſæ dicendæ ſunt, nec per accidens. Et ratio eſt quia effectus nullo modo habet eſſe & à talibus, neque hæc ad effectum requiruntur; quod eſt de ratione cauſæ, ut genus eſt ad cauſam per ſe & per accidens, ſcilicet conferens ad effectum, & nihil conferens, lux enim nihil confert ad productionem caloris, ut proprio loco patebit.

Caput IV.

De Cauſa Efficiente Prima & Secunda.

DIviſio hæc eſt præcipui inter cæteras momenti. Itaque prima cauſa talis eſt, aut ſimpliciter, aut tantùm in Natura. Prima ſimpliciter eſt quæ cum nulla ſibi ſuperiore concurrit ad effectum; concurrit tamen cum omnibus aliis cauſis effectricibus ſibi inferioribus. Et hæc eſt ipſe Deus, ſine quo nulla cauſa creata quidquam efficere poteſt. Agit autem per ſuum velle quod idem eſt ac ſuum eſſe; & in effectu quovis efficaciùs agit quàm reliquæ cauſæ; quia quod ab ea imprimitur, ſcilicet eſſe, & priùs & profundiùs imprimitur, poſteriúſque deletur, quàm reliquarum cauſarum veſtigia. Porrò conſideratione dignum eſt, quod ex Ariſtotele notat Cardinalis de Cuſa Exercitat. Lib. 7. ex Sermone *Trinitatem in unitate veneremur.* Nempe primam Cauſam eſſe Trinam, quia ſcilicet eſt efficiens formalis & finalis. Eſt enim primum efficiens, forma formarum, & finis ultimus omnium rerum: Atque hæc tria propriis ſuis hypoſtaſibus ſic diſtinguntur invicem ut neutrum ſit alterum; & tamen ſint unica prima cauſa, quod aliter etiam exponitur dum dicitur & verè, Deum eſſe primum principium medium atque finem ultimum omnium rerum; quia ab ipſo facta ſunt omnia, & per ipſum tendunt atque diriguntur in ſuum finem ultimum qui eſt Deus ipſe, cuncta à ſe orta ad ſe reducens quaſi per modum circuli, qui in idem punctum deſinit à quo incepit.

Prima verò cauſa tantùm in Natura, eſt quæ ad aliarum omnium cauſarum naturalium concurrit effectus, non autem cum ulla ſibi ſuperiore naturali vel creata. Et hæc eſt primum Cœlum, ut ſuo loco patebit.

Cauſa ſecunda talis dicitur aut reſpectu primæ ſimpliciter; aut reſpectu primæ tantùm in Natura, aut reſpectu utriuſque. Et ea eſt quæ in ſuum effectum ſimul influit, aut cum ſola prima cauſa ſimpliciter, ut primum Cœlum vim ſuam in totum Mundum inferiorem univerſaliter effundens, aut etiam cum prima tantùm cauſa in Natura, ut Stellæ & Planetæ agentes in hæc inferiora cum Deo & primo Cœlo: Aut denique cum prima cauſa & ſecundis, ut homo generans; ad cujus effectum concurrunt Deus, primum Cœlum & Planetæ. Omnis autem cauſa ſecunda, etſi propria ſibi agendi virtute dotata, nequit ſola & ſine concurſu primæ ſimpliciter quidpiam operari: poſſet autem ſine prima in Natura; nam poſito Sole in ſpatiis imaginariis, ipſe lucem ſuam effunderet extra ſe ſine concurſu primi Cœli, ut alibi oſtendemus.

CA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Caput V.

De Cauſa ſubordinante & ſubordinata.

Efficiens cauſa ſubordinans, eſt quæ in ordine cauſarum ſuperior eſt, & univerſalior: Subordinata verò, quæ inferior aut particularis. Ut Deus, primum Cœlum, atque Sol, ſunt cauſæ ſubordinantes reſpectu hominis generantis; hic autem reſpectu illorum ſubordinata. Poteſt tamen eadem cauſa, ſimul eſſe ſubordinans, & ſubordinata; ut Sol qui reſpectu generantis hominis eſt ſubordinans, reſpectu primi Cæli & Dei erit ſubordinata. Omnis autem ſecunda cauſa primæ ſubordinatur eſſentialiter, omnis enim effectus ratione ſui eſſe, pendet eſſentialiter à prima cauſa, quæ ſola dat ipſum eſſe; quamobrem ejuſdem effectus cauſa ſecunda, eidem primæ ſubordinabitur eſſentialiter, quòd hæc non ipſum eſſe, ſed tale tantùm eſſe largiatur effectui; nec poſſit agere ut cauſa ſecunda, niſi quatenus ſubeſt primæ.

Caput VI.

De cauſa univoca, æquivoca, & analoga.

Efficiens univocum eſt quod producit effectum, ejuſdem ſecum ſpeciei, vel ſibi ſimilem. Ut Homo generans Hominem, Bos Bovem, Ignis Ignem. Æquivocum eſt quod producit effectum ſibi diſſimilem in Natura, ut Sol producens ranam, Planeta mores influens, pictor pingens hominem. Analogum denique eſt, quod neque ejuſdem, neque diverſæ ſecum ſpeciei producit effectum: qualis eſt propriè ſolus Deus reſpectu creaturarum. Ipſe enim cùm nullius ſit ſpeciei, ſed ſupra omnes ſpecies & genera, nihil poteſt facere ejuſdem ſecum aut diverſæ ſpeciei: & nihilominus in ente & ſubſtantia convenit cum creaturis; non quidem univocè, alioquin conſtitueretur ſub genere formaliter, nec etiam æquivocè, quia Deus non eſt ens vel ſubſtantia æquivocè: Ergo tantùm analogicè.

Caput VII.

De Cauſa totali & partiali.

Nulla efficientis cauſæ diviſio, duriùs mihi torſit ingenium, quàm iſta, quæ à Philoſophis citra ſufficientem naturæ ſpeculationem obiter tantùm fuit tradita, quaſi exigui inter cæteras momenti, cùm tamen ſit maximi. Cauſa ergo totalis dicta eſt ab illis ea eſſe, quæ totum producit effectum; videturque ſimplici terminorum apprehenſione id eſſe concedendum. Quoniam verò definitionis proprietas eſſentialis eſt, converti cum definitio; eam definitionem ſpuriam eſſe patebit ſi tria breviter hîc præmiſerimus.

Primùm. Quod cauſæ Phyſicæ ſpecie diverſæ, differunt inter ſe formali agendi virtute: quia ſcilicet cauſis ſpecie diverſis inſunt diverſæ ſpecie formæ; & diverſis ſpecie formis, diverſæ virtutes formales, ſingulæ ſingulis; eæque activæ, quòd forma ſit principium motus ſive actionis, ejus in quo eſt per ſe. Unde ſequitur quod dum plures cauſæ ſpecie diverſæ in eundem concurrunt effectum, non idem formaliter fiat ab una, quod ab altera: Alioquin cauſarum ipſarum naturæ atque virtutes, per ſuos formales effectus diſtingui cognoſcique minimè poſſent, quod nullus dixerit Philoſophus.

Secundùm. Quod duæ cauſæ particulares nequeunt eſſe ejuſdem effectus cauſæ totales. Nam vel erunt diverſæ ſpecifica agendi virtute, ut Sol & Luna in hominis generatione; ſicque ex jam dictis non idem efficient, ſed à qualibet virtute diverſus formaliter prodibit effectus; ideoque neutra cauſa erit totalis: vel erunt ejuſdem virtutis ſpecificæ, ut mas atque femella in Hominis vel Bovis productione; ſicque ſi una poteſt totum effectum producere, altera erit ſuperflua, quod dici non poteſt. Alioquin erit neceſſaria, proindéque ab ipſa fiet aliquid, quod fieri nequit ab altera: Non ergo hæc totum effectum producere poterit contra hypotheſim.

Tertiùm denique. Duplicem eſſe effectus totalitatem, unam completam ſive integralem, quæ id omne complectitur quod eſt in effectu, ſive eſſentialiter, ſive accidentaliter. Alteram incompletam; & hæc dividitur in eſſentialem & accidentalem; Eſſentialis eſt, quæ totam effectus eſſentiam ſive formalem naturam continet. Accidentalis verò, quæ illius accidentia.

His poſitis, cauſa totalis definiri non debet, quæ totum producit effectum totalitate completa. Sic enim ſolus Deus eſſet cauſa totalis omnium effectuum naturalium, quia ſcilicet eandem habens virtutem quam omnes aliæ cauſæ, & cum eis agens quidquid agunt, idem efficit, quod omnes ſimul: Ideoquè dicendus eſt cauſa totalis completi effectus.

Sed neque dici debet quæ totam effectus producit eſſentiam ſive naturam, quia cùm producere totam effectus phyſici naturam, ſit ejus materiam, formam & unionem efficere; nulla eſt cauſa creata, cui talis definitio competere queat; Mixtorum enim materia proxima, hoc eſt materiæ diſpoſitio, fit à diverſis ſpecie cauſis particularibus: formæ verò corporeæ, ut lapidum, metallorum, plantarum, brutorum, vel à corporibus Cœleſtibus producuntur, vel (quod verius cenſeo) per ſemen traducuntur, ſuntque ipſius ſeminis ſpiritus, qui in matrice congrua, à corporibus Cœleſtibus excitatus, ſibi proprium corpus fabricat, ut in ſcenam mundanam emergat, ut fusè diximus in Epiſtola panurgi de tribus impoſtoribus. Hominis autem forma creatur à Deo; proindeque nulla phyſicorum effectuum ſupradictorum, eſſet cauſa totalis in creatis; quod nulla inſuper ipſum eſſe effectui per ſe largiri queat.

Nec etiam quæ attingit unionem materiæ cum forma: alioquin 10 Homines turrim eandem ædificantes, vel eandem navem trahentes, dicerentur ſinguli cauſa totalis ipſius turris, vel motus navis; quod nemo ſanæ mentis aſſeruerit: ac ſimiliter femella quævis eſſet ſuæ prolis cauſa totalis; quod opinari abſurdum eſt, cùm ad hominis vel equi generationem mas & femella ſic concurrant, ut quod fit à mare, id ipſum à femella fieri nequeat, ideoque hæc ſine illo nihil poſſit ad generationem prolis, & viceverſa.

Multò minùs quæ tantùm producit ipſius effectus accidentia; quæ ut ſic differunt ab ipſo effectu, de quo eſt præcipua quæſtio.

Nec tandem quæ ſibi ſimilem ſpecie producit effectum. Alioquin nec ulla cauſa æquivoca, nec Deus ipſe eſſet cauſa totalis, quod abſurdum eſt. Quo circa forſan rectiùs philoſophari videbimur, ſi dixerimus cauſam totalem eam eſſe, quæ ſola in ſuo genere effectum perficit, quatenus ab ipſo genere dependet. Ut Deus & Cœlum primum reſpectu hominis geniti: hunc enim ſolus Deus perficit in genere cauſæ primæ ſimpliciter; dando illi quidquid ejus perfectioni neceſſarium eſt à tali cauſa; Cœlum verò primum in genere cauſæ primæ creatæ, ob eandem rationem. Quod autem definitio hæc ſit legitima convincitur; tum quia evidentiſſimè convertitur cum definito, convenitque totali cauſæ cuilibet, tum quia per ipſam omne dubium omniſque difficultas de cauſa totali & partiali illicò evaneſcit.

Ex ea autem conſequitur, quod Sol ignem generans, aut etiam ignis ipſe, eſt ignis producti cauſa totalis, quippe quod Sol vel ignis generans, ſolus in ſuo genere perficiat effectum, nec ad hunc altero indigeat efficiente, ſi tamen combuſtibile Soli & igni ſimul exponeretur, & ab utroque accenderetur, uterque partialis cauſa dicendus eſſet: unum enim juvaret alterum. At verò Sol & pater hominis geniti, cauſæ totales dici nequeunt; ſcilicet, ad eam generationem neque Sol concurrit ſolus in genere cauſæ Planetariæ, ſed Luna etiam cum reliquis Planetis; quorum impreſſiones non minus quàm Solis in nato deprehenduntur; nec pater etiam concurrit ſolus in genere cauſæ particularis proximæ, ſed cum matre, unde pro fœcundiſſima Virgine Maria unum deducitur, ejus ineffabili maternitate mehercle digniſſimum, quod nempe ſola inter homines, hominis cauſa totalis extiterit; quippe Christi, quem ſola effectivè perficit in ſuo genere, natura mirante, ut in ejus honorem canit Eccleſia: ideoque jure Christus ipſe frequenter ſe filium hominis appellaverit ad aliorum differentiam ſupernaturalem, qui filii hominum in Scriptura vocantur. Circa quod notari velim, quod quoties Christus ſe filium hominis vocavit, totius ſanctiſſimæ ſuæ matris virginitatem inſinuavit.

Porrò ex definitione cauſæ totalis, erumpit definitio cauſæ partialis: quæ idcircò ea erit, quæ non ſola in ſuo genere perficit effectum: ſed alteri ſociata: ut mas & femella in generatione animalis: 10 homines eandem navim trahentes aut turrim ædificantes; ſeptem Planetæ ad hominis generationem concurrentes in effectum, ſive eâdem, ſive diversâ ſpecie virtute, ſunt tantùm illius cauſæ partiales ex definitione.

Quamvis autem Sol & homo in hominis generatione ſint cauſæ partiales: non tamen propterea ſunt ejuſdem ordinis, ſed Sol eſt cauſa univerſalis, & homo particularis, de quibus infra dicetur, atque hic illi in agendo ſubordinatur: formalis enim ratio cauſæ totalis vel partialis, tam univerſali quàm particulari cauſæ communis eſt, ut fuſiùs infrà patebit.

Igitur ex prædictis colligitur quod pluribus cauſis in eundem effectum concurrentibus, ſive ſubordinatis ſive non; ſingulæ totum effectum duntaxat incompletè producunt, ſolo Deo excepto, qui totum illum completè producit, quandoquidem quidquid fit ab aliis cauſis, id etiam fit à Deo concurrente, ſine quo factum eſt nihil. Ac præterea quod ſingulæ propriis efficientiis ita diſtinguantur inter ſe, ut quod ab una confertur ad effectum, non conferatur ab altera: unde fit ut quamvis puer totus dependeat à patre & matre ſigillatim: tamen à neutro pendeat totaliter, à Deo autem pendet totaliter.

Caput VIII.

De Cauſa univerſali & particulari.

Cauſa univerſalis ea eſſe vulgò dicitur quæ virtute propria multos ſimul tempore differentes ſpecie producit effectus. Idque vel unica eademque virtute, ut Deus, primum Cœlum, Rex in ſuo Regno; vel pluribus inter ſe diverſis, ut Sol agens in hæc inferiora lumine, calore & influentiâ inter ſe diverſis; anima agens in corpore diverſis facultatibus. Particularis verò ea vocatur quæ unicum ſpecie producit effectum, ut lux illuminans, magnes trahens ferrum, & ſimiles.

Verùm quod in his non conſiſtat efficientis univerſalis aut particularis eſſentia inde probatur. Quia Deo & Sole tantùm poſitis in eſſe cum aliquo calefactibili, vel ſupponendo Deum ſuum ſuſpendere concurſum ad agendum cum creaturis omnibus exceptis Sole ipſo & calefactibili, huic erit Sol calore ſibi proprio particularis cauſa calefactionis: non ergo Deus erit ejuſdem effectus cauſa particularis. Cùm enim Deus & Sol ſunt cauſæ totales ipſius effectus ex cap. 7. ſequeretur eundum effectum produci à duabus cauſis particularibus totalibus ejuſdem generis, ſcilicet efficientibus, quod ideò negatur à Philoſophis, quia ſuperflua eſſet altera, & effectus à neutra per ſe penderet: aut ſaltem poſito Deo causâ particulari, Sol ſuperfluus eſſet, quem tamen etiam ſupponimus cum Deo concurrere; proindeque minimè ſuperfluum. Erit igitur Deus cauſa univerſalis, ergo non habet cauſa quod ſit univerſalis formaliter, à multitudine effectuum ſimul productorum. Quod ex eo etiam confirmatur, quoniam alioquin Deus non eſſet particularis cauſa creationis Mundi, qui diverſis ſpecie conſtat effectibus, contra communem ſententiam, quæ particulari cuilibet effectui, particularem vult deberi cauſam. Cùm igitur cauſa conſtituatur ineſſe cauſæ actualis per actualem concurſum in effectum (quod quidem in ſuperiore hypotheſi commune eſt Deo atque Soli) in hoc autem inter ſe differant, quod Deus concurrat cum ſibi inferiore principali, hoc eſt inferioris ordinis, Sol verò cum ſibi ſuperiore, & non cum inferiore, per hoc etiam Sol erit cauſa particularis, & per illud Deus cauſa univerſalis calefactionis ſuperioris.

Quod autem hæc ſit ratio primaria & per ſe cauſa univerſalis, inde probatur: quia ſi calor à diverſorum ſpecie effectuum ſimul tempore productione, ut calefactionis, indurationis, liquefactionis, rarefactionis, coctionis, &c. dicatur cauſa univerſalis; ſtatim quæretur, quænam ſit igitur ſingulorum cauſa particularis; non enim datur effectus particularis ſine cauſa particulari. Hæc verò

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

rò non alia afferri poteſt, quàm calor ipſe, à quo ſolo quilibet effectus productus eſt. Sique rurſus quæratur ratio, cur ſit cujuſlibet effectus cauſa particularis; non etiam afferetur alia, quàm quia calor ad ipſum effectum concurrit citra alterius principalis agentis ſibi inferioris concurſum; ad illum enim ipſe ſufficit, illeque ipſi per ſe convenit. Quod autem omnes illos effectus producat ſimul tempore (unde etiam dici ſolet cauſa univerſalis) id illi per ſe non convenit, ſed tantùm per accidens, quippe ratione multitudinis ſubjectorum ejus efficientiæ expoſitorum, vel diverſæ diſpoſitionis eorum.

Ex his igitur conſtat univerſalem cauſam efficientem eam eſſe formaliter, quæ cum ſibi inferiore principali agente producit effectum; ut DEUS Cœlum, & Sol in Mundo reſpectu hominis generantis: Particularem verò quæ ſine concurſu principalis agentis inferioris producit effectum. Et hæc duplex eſt, ſcilicet immediata, ut Sol interdiu illuminans: ac mediata, ut idem Sol noctu per Lunam illuminans. Poteſt autem eadem numero cauſa ſimul eſſe univerſalis & particularis. Idque tum reſpectu diverſorum ſubjectorum, ut Sol tanquam cauſa univerſalis hominem generans cum homine, & idem Sol vermem ſolus producens ut cauſa particularis: aut reſpectu ejuſdem ſubjecti, ut idem Sol cum homine generans hominem: & in hoc Solarem influentiam ſolus imprimens, quippe in hunc effectum nulla cauſa inferior cum Sole concurrit efficienter.

Dictum eſt autem ſuperiùs cum ſibi inferiore principali agente; quia cauſa concurrens in effectum cum ſibi inferiore inſtrumentali, non eſt effectus cauſa univerſalis, ſed particularis: Sic DEUS eſt cauſa particularis Sacramentorum & Gratiæ, quæ ab eo per Sacerdotes ut per inſtrumenta producuntur. Sic Rex agens per Miniſtros in condemnando, ſuppliciis afficiendo, &c. ſicque Dominus per ſervos. Indeque fit ut Rex atque Dominus de actionibus miniſtrorum ac ſervorum ut ſic, coram DEO reſponſuri ſunt: Servus tamen & miniſter in eo quod ſibi mandatur vel committitur, voluntariè faciens contra ſui Domini præceptum atque intentionem, agit ut cauſa principalis, eique quò ad hoc actio per ſe tribuitur, idemque de CHRISTO ejuſque miniſtris ſentiendum eſt.

Itaque ex hactenus dictis duplex erit cauſa univerſalis, nempe talis eſſentialiter & per ſe, quæ à Nobis fuit ſuperius expoſita: Et talis per accidens, idque dupliciter, ſcilicet extenſione à multitudine effectuum ſpecie vel numero tantùm differentium, ſimul tempore productorum ab eadem cauſa, cui paſſorum multitudo accidit; quæque ſola hucuſque nota fuit, & per ſe credita. Et duratione, quod ſcilicet ejus duratio complectatur tempora plurium aliarum cauſarum inferiorum, ut conjunctio magna ♄ atque ♃, vel annua revolutio Solis, quæ plurium Lunationum tempora complectuntur.

Porro ex duabus cauſis ejuſdem effectus, altera univerſali, altera particulari ſive propria; effectus magis dependet ab univerſali quàm à particulari: Ab hac enim dependet tantùm quoad eſſe hoc, ſeu quoad ſpecificationem; ab illa verò quoad eſſe ſimpliciter, proindéque etiam quoad conſervari: Nam ſine primo Cœlo & Sole homo non exiſteret.

At omnium maxima præcipuaque effectus dependentia, eſt à prima cauſa ſimpliciter, quæ omnium eſt univerſaliſſima: & à qua non ſolum effectus ipſe, ſed omnes ejus cauſæ ſecundæ dependent eſſentialiter in ipſo eſſe.

CAPUT IX.

De Cauſa principali & inſtrumentali.

Efficiens cauſa principalis eſt, quæ ex ſe & propria vi producit effectum. Ut DEUS, primum Cœlum, Sol, & Homo reſpectu hominis qui ab illis producitur. Non enim ad hunc effectum Homo, Sol, aut Cœlum aliena vi concurrit, ſed ſibi propria. Sic Dominus horoſcopi in hominis geneſi eſt cauſa principalis morum; hos enim ex ſe & vi propria influit; atque ſic ſtatuarius eſt cauſa principalis ſtatus.

Inſtrumentalis verò eſt quæ non ex ſe, ſed aliena vi actu influente producit effectum. Atque hæc quadruplex eſt, quippe naturalis, ut Solis calor ſemina ad generationem excitando. Artificialis, ut ſecuris ſcindendo: ſupernaturalis, ut Sacerdos animam à peccatis abſolvendo: & Moralis, ut Præſes authoritate Regis Juſtitiam exercendo. Harum enim cauſarum neutra producit effectum vi propria, ſed cauſæ principalis cui ſubſervit; quippe Solis calor, formæ ſubſtantiali Solis; ſecuris homini ipſam impellenti: Sacerdos DEO, & Præſes Regi.

Ex his verò deducitur primò, Hominem generantem neque Solis, neque primi Cœli, nec ipſius DEI eſſe inſtrumentum, ſaltem propriè dictum; quòd nempe homo vi ſibi propria generat, quamvis, Sole, Cœlo atque DEO concurrentibus; ſimiliterque duorum hominum eandem navim trahentium, neutrum eſſe alterius inſtrumentum. Secundò, cauſam omnem inſtrumentalem indigere ut præmoveatur à cauſa principali. Nam ex ſe carens vi propria ad effectum, nequit agere ſine applicatione, præmotione & directione à cauſa principali.

Eſt autem duplex cauſa principalis. Ut quod, & ut quo. Illa eſt individuum, ſive ſuppoſitum, ut Sol, Ignis, Homo: de quo intelligendus eſt Ariſtoteles, dum ait actiones eſſe ſuppoſitorum. Ut quo verò eſt iterùm duplex; nimirum forma ſubſtantialis, ut Solis, Ignis, Hominis. Et qualitas activa, ut influentia Solis, calor Ignis, & intellectus Hominis: horum enim trium quodlibet, eſt proprii ſui effectus cauſa principalis ut quo: Calor ſiquidem Ignis, vi propria & per ſe calefacit ut cauſa principalis, non autem ut inſtrumentalis. Idemque cenſendum de reliquis.

Porrò præter cauſam principalem & inſtrumentalem ſuperius expoſitas datur adhuc altera quædam media nondum animadverſa: quæ nimirum producit quidem effectum vi propria, non autem aliena; ſed non ex ſe, indiget enim applicari, dirigi ac moderari ab aliquo principali rectore. Sic equus currum trahens vel hominem vehens, hoc quidem efficit vi propria, ſed indiget applicari & dirigi, imò plerumque calcaribus aut flagello ad motum excitari. Sic ignis eſt cauſa media Alchymiſtis ad horum operationes quas ille quidem non aliena, ſed propria vi perficit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

At non ſine applicatione & moderatione Chymiſtæ. Sicque Solis vel alterius Planetæ influxus, ad aliquod opus electus & applicatus, cauſa media dicendus eſt.

Caput X.

De Cauſa determinabili, determinante & determinata.

PRo hac diviſione intelligenda notandum, triplicem inter agentia & patientia reperiri virtutem ſive potentiam: quippe activam quæ ad agens, paſſivam quæ ad patiens, & determinativam, quæ ad utrumque pertinet. Atque hæc hactenus ignota, duplex eſt, ſcilicet, activè & paſſivè determinativa. Poſterior pertinet ad agens, quod patientis paſſivam potentiam, indifferentem ad particulares paſſionis ſpecies, ad aliquam determinat. Ut patet in reo ad genus ſupplicii indifferente, qui ad ſuſpendium determinatur à Judice: tum in homine naſcente, quem ad mores ex ſe indifferentem, Mars in prima figura domo ad mores Martialis determinat. Prior verò pertinet ad patiens, quod activam agentis potentiam ex ſe indifferentem ad particularem actionis ſpeciem determinat. Ut hominis ſemen determinat Solem ad hominem generandum, ſemen equi ad equum, & tritici ad triticum: nec tantùm agentis activa potentia, determinatur à patiente, ut patuit: ſed etiam ab alio agente: eoque aut ſuperiore ut, ſi Deus Angelum determinet ad Lunam Terræ circunferendam, vel princeps ducem ad præliandum: aut inferiore, ut cùm homo determinat Solem ad hominis generationem.

His præmiſſis dico: quod cauſa determinabilis ea eſt, quæ ex ſe ad diverſas ſpecies effectuum indifferens, ad aliquam activè aut paſſivè determinari poteſt: idque vel à ſuperioribus cauſis, vel ab inferioribus, ut jam explicatum eſt. Determinans verò ea eſt quæ determinabilem determinat. Denique determinata eſt, quæ ad aliquem effectum vel aliquos determinata eſt, vel ex ſe ut homo ad hominem generandum atque diſcurrendum: Sol ad ſolariter agendum: ignis ad comburendum, vel ab aliis ſuperiore, aut inferiore prout dictum eſt ſupra, vel etiam à focis, ut in duobus hominibus navim eandem trahentibus, qui ſeſe mutuo determinant ad eam tractionem.

Poteſt autem eadem numero cauſa naturalis ſimul eſſe determinabilis, determinans & determinata diverſo reſpectu. Ut patet in Sole, qui ſimul tempore determinabilis eſt ad efficiendum hominem, equum aut ranam. Et primas cauſas, quippe Deum atque Cœlum ad ſolares effectus, mixta verò diverſa, ad agenda patiendaque diverſa ſolariter determinat. Ipſe verò determinatus eſt, ex ſe quidem ad proprium agendi modum quippe ſolarem, vel ad effectus naturæ virtutique ſuæ per ſe congruentes; ab alio autem ut homine, bruto, planta, ſitu ad horizontem, dominio in alios Planetas & domos figuræ, tam ſuis aſpectibus, determinatur ad effectus alteros, illi non per ſe, ſed hujus tantum determinationis ratione competentes.

Nam præter activam & paſſivam determinationem cauſarum agentium & patentium, de quibus antea, datur inſuper mirabilis quædam ipſiſque Aſtrologis nuſquam animadverſa, corporum Cœleſtium determinatio. Nempe partium Cœli à Planetis per corpus vel aſpectum: Planetarum ipſorum, ab eorum dominio & aſpectibus, & tam Planetarum quàm Cœli, ab horum ſitu ad horizontem: qua quidem varia determinatione, ſublunares effectus producti à Cœlo & ſublunaribus cauſis, momento ſui ortus vel productionis in Mundo, determinantur activè & paſſivè ad accidentia diverſa, ut proprio loco fuſius ex profeſſo demonſtrabitur.

Caput XI.

De cauſa neceſſaria & ſpontanea.

CAuſa neceſſaria eſt, quæ poſito ſubjecto apto & debite applicato, non poteſt ex ſe non agere. Ut Sol, Ignis, Magnes, reſpectu naſcentis, hominis, ligni, ferri, ſpontanea eſt, quæ ſubjecto ut ſupra poſito, poteſt ex ſe non agere: idque vel ſolo inſtinctu, ut bruta, vel voluntate, ut Angelus & homo: quidquid ergo in cauſis per ſe agentibus non agit ſponte, agit neceſſario. Et quidquid non fit ſponte, fit neceſſariò ab iiſdem cauſis.

Caput XII.

De pluribus aliis minùs præcipuis cauſarum diviſionibus.

PRimò igitur alia eſt cauſa propinqua, inter quam & effectum nullum datur medium: unde dici quoque ſolet immediata: qualis eſt Sol reſpectu ſublunarium effectuum; quos attingit immediatione virtutis: tum remota ſive media, inter quam & effectum datur medium, ut Avus reſpectu filii.

Secundò: Alia eſt propria à qua ſola precedit effectus, ut tractio ferri à magnete; mores Martiales à Marte: tum communis à qua plures ſimul oriuntur effectus, ut induratio & liquefactio ab eodem calore ignis.

Tertiò: Alia eſt ſimplex quæ unica virtute operatur. Ut primum Cœlum, cui unica eſt & ſimpliciſſima virtus. Tum compoſita quæ pluribus ſimul virtutibus operatur. Ut Sol lumine, calore & influentiâ.

Quartò: Eſt cauſa excitans ad agendum, ut divina gratia & Cœleſtes influxus reſpectu liberorum effectuum: Deus enim ſuâ præveniente gratiâ voluntatem hominis ad bonum ſupernaturaliter excitat: influentiæ verò Cœleſtes ipſius hominis appetitum ſenſitivum per ſe movendo naturaliter, ejus voluntatem per accidens excitant ad agendum juxta motionem appetitus.

Quintò: Eſt cauſa præparans vel diſponens. Ut Sol diſponens corpus animalis ad animæ actiones diverſas.

Sextò: Eſt cauſa adjuvans, quæ operatur ad finem alterius. Ut idem Sol in humano fœtu, reſpectu animæ rationalis à Deo infundendæ.

Septimò: Eſt cauſa perficiens, quæ complet effe-

effectum, ut Sol coquens aurum in viſceribus Terræ ad gradus 24.

Atque de cauſarum diviſionibus, ſpeciebus & proprietatibus, quatenus ad Aſtrologiam deſervire queunt, hæc ſufficiant. Quoniam verò dictum eſt ab initio, cauſam omnem efficientem eſſe actualem vel potentialem, poſt expoſitas cauſæ efficientis varias ſpecies, non erit incongruum hîc ſubjungere proprietates cauſæ efficientis actualis.

Caput XIII.

De proprietatibus cauſæ efficientis actualis.

PRima eſt quod ſit actu. Ut enim res ſe habet ad eſſe, ſic ad agere, quod præſupponit eſſe: proindeque fieri nequit, ut quod eſt tantùm potentiâ, actualiter agat; ageret enim & non eſſet contra hypotheſim. Secunda, quod ſit ſingularis, omne enim quod eſt actu, ſingulare eſt. Quarta, quod ſit prior effectu; ſi enim poſterior eſſet, effectus ab eo quod ejus cauſa diceretur, non dependeret in eſſe; ideoque ejus cauſa non eſſet Quarta quod ab effectu ſaltem formaliter diff rat: nam quidquid movetur, ab alio movetur. Quinta, quod moveat per contractum ſuppoſiti aut virtutis: ſi enim effectum immediatione ſuppoſiti, aut virtutis non attigerit; non erit illius per ſe cauſa. Sexta, quod ſit ſubſtantia, quo pacto intelligendus eſt Ariſtoteles, dum dixit actiones eſſe ſuppoſitorum, quippe ſuppoſitum eſt ſubſtantia prima ſive ſingularis. Sed hæc proprietas convenit tantùm cauſæ vel agenti principali, ut quod, non ut quo, ſubſtantiali vel accidentali; quæ non ſunt ſuppoſita, ſed ejus partes.

Caput XIV.

An cauſæ efficientes poſsint ſibi mutuò eſſe cauſæ.

CAuſæ efficientes non poſſum ſibi mutuò eſſe cauſæ reſpectu ejuſdem numero vel ſpecie. Nam ſi A calefecerit B, & ipſum B eodem calore calefecerit A, erit A ſui ipſius cauſa, ſiquidem quod eſt cauſa cauſæ, eſt ipſius cauſati cauſa; ideoque erit A priuſquàm ſit, hoc eſt ſimul erit & non erit, quod implicat.

Poſſunt autem ſimul tempore ſibi mutuò eſſe cauſæ reſpectu diverſorum ſpecie. Ut ſtomachus ſuo actuali calore piper calefacit; piper verò ſuo virtuali calore ſtomachum, ſic Sol eſt cauſa determinativa fœtus humani ad temperamentum calidum & mores ſolares; fœtus autem ipſe cauſa determinativa Solis ad generationem hominis, imò poſſunt reſpectu ejuſdem ſpecie & numero, ſed per accidens. Ut aqua calida ſi frigidæ miſceatur, utraque eſt ſibi mutuò cauſa ejuſdem temperiei, ſed per accidens: nam calida tantùm per ſe calefacit frigidam, & hæc per ſe refrigerat calidam, unde per accidens conſurgit in utraque eadem numero temperies, gradu diverſa ab utraque cauſa.

Nec eſt quod objiciatur manus frigidas ſeſe mutua frictione calefacere. Tum quia ſi ſupponantur frigidæ, ergo per ſe non calefacient, ſed per accidens; quod ſupra conceſſimus: tum quia calor qui in alterutra manu producitur, eſt per ſe à motu frictionis, qui cùm ut ſit concipi nequeat ſine duobus corporibus; erit etiam ipſe calor ab utraque manu, & non ab unica. Idemque dicendum de quovis alio calore, qui motu producitur; ſit enim ſemper duorum corporum colliſio.

Caput XV.

An idem poſsit eſſe contrariorum cauſa.

DE cauſa efficiente hoc præſertim inquirimus propter Ariſtotelem, qui lib. 2 phyſic. t. 30. docet eandem eſſe poſſe contrariorum cauſam: & tamen 4. meteor. ſumma 2. cap. 3. ait. contrariorum effectuum, cauſas eſſe contrarias; lib. autem 2. de gener. text. 56. inquit. Idem in quantùm idem, ſemper facit idem.

Primò autem certum eſt cauſam omnem efficientẽ poſſe per accidens facere contraria. Sic enim idem nauta per ſuam prudentiam navim conſervat, quam ſua ſubmergit imprudentiâ. Sic frigus hyemale partes corporis externas frigefacit, & internas calidiores efficit; externa pororum conſtrictione cohibendo calorem nativum & fuligines calidas ne evaporent: ſic idem quod eſt cauſa corruptionis, eſt etiam cauſa generationis: atque ſic Planeta qui ordine fati naturalis, erit cauſa mortis patri, erit etiam cauſa ſucceſſionis filio.

Cauſarum verò per ſe tantùm agentium alia eſt libera, quæ liberè agit: & alia neceſſaria, quæ neceſſariò. Libera poteſt per ſe contraria, voluntas enim per ſe poteſt amare & odiſſe; DEUM colere & ſpernere. Neceſſaria eſt iterum duplex, nempe univerſalis & particularis. Univerſalis quia multos ſpecie differentes effectus ſimul tempore producere poteſt, contraria etiam per ſe præſtabit. Ut præ cæteris primum Cœlum quod formas omnes phyſicas corruptioni ſubditas, & omnia contraria continet eminenter. At particularis, quia ad unum tantum ſpecie effectum per ſe determinata eſt, contraria efficere non poterit. Sic ignis per ſe tantùm calefaciet, ignemque generabit: Sol per ſe tantùum ſolariter aget, & Mars Martialiter. Per accidens verò etiam contraria efficies ut dictum eſt ſupra. Idque vel propter patientis diverſitatem; quo pacto idem ignis liquefaciet ceram & lutum indurabit: Sol generabit ignem ex ligno, & etiam aquam. Idemque medicamentum ſanabit unum & interficiet alterum. Vel propter diverſitatem applicationis agentis & patientis: quo pacto idem magnes una ſui parte ferrum attrahet, quod alterâ expellet. Sol vitam cauſabit in horoſcopo, & mortem in octava domo. Vel propter diverſum agentis ſtatum; quo pacto idem pharmacum rectè præparatum ſanabit, malè verò occidet: & Saturnus exaltatus in decima figuræ domo largitur honores, quos auferet vel negabit dejectus ibidem.

Quod autem contrariorum effectuum cauſæ ſint contrariæ; etiam perpetuò verum eſt in cauſis per ſe neceſſariis & particularibus. Calefactio enim per ſe eſt à calore, frigefactio à frigore, & illuminatio à lumine: non autem verum eſt in cauſis per accidens liberis & univerſalibus.

Ulti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Ultimum denique Axioma. Idem in quantum idem, ſemper facit idem, pepetuæ quoque veritatis erit, ſi ei addatur in eodem; nam idem quantumvis idem, diverſa tamen in diverſis efficiet; ut patet ex eodem igne, qui lutum indurat & ceram liquefacit. Porrò de agente non ſufficit, quid ſit idem omninò ſpecie, quantitate & virtute: ſed etiam neceſſe eſt, ut ſit idem ſtatu ſeu affectione, diſtantia à paſſo, loco, & ſitu ſeu applicatione ad paſſum. Affectione quidem, quia idem Planeta affectus Trino Jovis aliud efficit quàm affectus quadrato Saturni. Diſtantiâ, quia magnes ferrum attrahet ex minore diſtantia, quod idem non attrahet ex majore. Loco, quia idem magnes in Aere validius attrahit, quàm in aqua ex eadem diſtantia. Situ denique, quia Mars aliud efficit in prima domo, & aliud in octava. Et aliud in ſigno igneo, aliud autem in aqueo. At quotieſcunque idem agens in prædictis omnibus ſe habebit æqualiter: idem ſemper prodibit effectus in idem paſſum: Quod etiam idem eſſe debet non modo ſpecie; ſed etiam quantitate & diſpoſitione intrinſeca, vel extrinſeca. Qantitate quidem, quia quod movet ac alterat minùs, non movebit vel alterabit majus, aut non æque. Diſpoſitione autem intrinſeca, quia Sol qui juveni ſuo calore nocet, eidem ſeni proderit. Extrinſeca verò, quia magnes non attrahit ferrum ſevo vel alio pingui illitum, ut non illitum; & Solis beneficus influxus non idem largitur nato ruſtico, quod Nobili vel Principi.

Caput XVI.

Dantur cauſæ ſecundæ ex ſe activæ; non tamen ſine concurſu primæ.

PRima pars probatur experientiâ: Sol enim illuminat, homo projicit lapidem, ignis calefacit, & bos generat bovem.

Quod ſi dixerit quiſpiam hæc non fieri à cauſis creatis per ſe, ſed à Deo illis præſentibus; ergo quoniam Deus igne præſente frigefacere poteſt, & præſente bove hominem producere: non erit ignis ex ſe magis cauſa caloris quam frigoris; nec bos potiùs cauſa bovis quàm hominis: ideoque nulla erit nobis cognitio naturæ rerum, quæ per earum tantùm proprios vel formales effectus haberi poteſt: hæc autem ſunt cujuſvis ſcientiæ naturalis deſtructiva, ideoque abſurda.

Præterea ſi cauſæ ſecundum nihil ex ſe agerent, ſed ſolus Deus illis præſentibus; nulla eſſet actio vitalis, nullaque libertas; & idcircò nec virtus nec vitium; vel ſaltem Deus eſſet æquè peccati atque virtutis per ſe cauſa, quod nefas eſt aſſerere. Denique Geneſ. cap. 1. dixit Deus *germinet Terra herbam virentem & facientem ſemen & lignum pomiferum faciens fructum*: quod Christus ipſe confirmat apud D. Math. cap. 4. inquiens *ultrò* (quod notandum) *Terra fructificat, primùm herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpicâ*; ergo cauſæ ſecundæ ex ſe ſunt activæ, divinamque maximè decebat bonitatem, ut ſicut creaturis dederat ſui ſimilitudinem quo ad eſſe: ſic etiam daret quo ad operari, ne ipſorum eſſe virtute activa deſtitutum, reſtaret otioſum; & potiùs inane phantaſma divinæ bonitatis videretur, quàm ejus vera ſimilitudo, prout illius eſt capax quælibet creatura.

Secunda pars autem probatur, imprimis Scripturæ ſacræ authoritate, apud D. Joan. cap. 1. *omnia per ipſum facta ſunt & ſine ipſo factum eſt nihil.* Quod Christus ipſemet ore proprio confirmat apud D. Joann. cap. 15. *ſine me nihil poteſtis facere.* Deinde probatur rationibus. Deus enim eſt infinitus, non ſolùm ut ens, ſed etiam ut cauſa: non quod infinitus effectus ab eo produci queat, vel quòd cum infinitis cauſis ſecundis concurrat ad agendum; quippe extra Deum non datur infinitum actu: ergo tantùm ex eo quod nulla ſit vel eſſe queat cauſa ſecunda ad cujus actionem & effectum ipſe non concurrat: vel nullus ſit effectus qui efficientiam ejus ſubterfugiat. Præterea ſi cauſæ ſecundæ eſſent activæ ſine concurſu Dei, illarum effectus à Deo in eſſe minimè dependerent. Non enim eorum eſſet cauſa efficiens, ex definitione cauſæ efficientis, quæ eſt id à quo eſt principium motus à non eſſe ad eſſe, vel quo quidpiam producitur in eſſe. Illud autem abſurdum eſt: Deus enim cùm ſit ipſum eſſe, ipſe eſt principium atque cauſa eſſentialis & immediata cujuſvis alterius eſſe, quod non eſt ipſum eſſe: ergo cauſæ ſecundæ ſine Deo non ſunt activæ, quod rurſus inde confirmatur; quia ut in eſſe dependent à Deo ex ſupradictis; ita & in agere: nam ut res ſe habet ad eſſe, ſic ad agere. His adde quod alioquin Deus cauſarum ſecundarum actiones in ſubjecta rectè diſpoſita nequiret impedire, niſi aut illarum vim activam tollendo, aut eandem ligando vel cohibendo, aut eidem contraria objiciendo, vel ea in ipſo ſubjecto patiente producendo. Quamvis autem Deus ſingula poſſit, eſt tamen in eo majoris potentiæ argumentum, cauſis ſecundis vim ſuam activam illæſam, & quoad ſe non impeditam relinquere: & tamen illas non agere, etiam nullis objectis contrariis. Major ergo hæc potentia Deo infinitè potenti denegari nequit. At ſi conceſſa fuerit, & ex parte cauſæ ſecundæ agentis, ipſiuſque patientis nihil ad actionem requiri poſſit, quæ tamen non ſuccedat, ut in igne fornacis Babilonicæ & Solis Eclipſi tempore paſſionis Christi, omninò ſequetur cauſam ſecundam ſe ſola ad producendum effectum minimè ſufficere. Non igitur cauſæ ſecundæ ſine concurſu Dei ſunt activæ: proindeque res quælibet à Deo dependet in eſſe conſervari & agere. Nec ſufficit quod cauſa ſecunda in ſuo eſſe conſervetur, ut patet ex illo igne fornacis Babilonicæ, qui etiam in ſuo eſſe conſervatus, minimè tamen agebat in pueros Hæbreos; quod, ſcilicet, Deus cum ignis virtute non concurreret, unde illa ſola reſtabat inefficax: ſed hoc etiam admiratione dignum eſt, quod nempe Deus ſuum prout vult cum eadem cauſa ſecunda moderetur concurſum, tanquam hujus dominus liberrimus. Ut iterùm patet in ſupradicto igne qui Hæbreos intra fornacem non urebat, & tamen Chaldæos fornaci aſtantes devorabat. Ex his verò conſtat quanta attentione ſit cuilibet homini in ſuis actibus continuò præcavendum, ne tam venerando concurſu ad ſcelera & peccata perpetranda abutatur, qua de re Deus per Prophetam Eſaiam c. 45. conqueritur his verbis; *ſervire me feciſti in peccatis tuis.*

Deus

Deus enim quia jure naturæ tenetur concurrere ad actionem cujuſvis cauſæ ſecundæ non modò neceſſariæ, ſed etiam liberæ (alioquin hæc libera non eſſet, ſi quoties agere vult, Dei concurſus ſibi præſto non adeſſet) verè quodammodo dici poteſt, Deum in bonis & malis operibus nobis inſervire. Nec tamen idcircò cauſa peccati exiſtit: in peccato enim duo ſunt, nempe actus poſitivus & realis, à quo habet actio ſuum eſſe phyſicum, ut quod ſit oratio, eleemoſina, occiſio hominis; & moralis rectitudinis privatio, à qua habet actio ſuum eſſe morale: peccati autem ratio non conſiſtit in eſſe phyſico actionis, quæ peccatum appellatur, carnifex enim hominem occidens mandato Judicis & Principis non peccat; ſed in ejus eſſe morali. Hoc autem tantùm eſſe poteſt à causâ deficiente, qualis eſt creaturæ. Ergo non à Deo, alioquin poſſet agere defectivè, quod repugnat ejus infinitæ perfectioni. Ergo Deus ad rationem peccati minimè concurrit ſaltem effectivè, ſed tantùm permiſſivè, ob jus liberi arbitrii: concurrit autem ad ejus eſſe phyſicum vel matriale effectivè, ſed innocenter, quòd ipſum careat ratione formali peccati, ſicut jam dictum eſt.

Porrò non ideò cauſa ſecunda indiget concurſu primæ, quod illa ſit aliquid ſe nobilius productura: bos enim bovem generans, & ignis ignem, ſe nobilius non producunt: ſed quia agere ſola virtute propria, ſoli Deo convenit & non creaturæ: hæc enim ut non eſt ſola virtute propria, ſed adeo eſſentialiter dependet in eſſe: ſic etiam dependet in agere, tàm ratione conſervationis quàm ratione concurſus. Agit autem utraque eâdem numero actione completâ, quia unicus eſt numero terminus actionis completæ, qui cum ipſa actione identificatur, at non eâdem numero actione incompletâ. Nam alius eſt concurſus Dei, & alius creaturæ, verbi gratia Petri generantis Paulum: quodque confertur à Deo, conferri nequit à creaturâ, nempe ipſum eſſe: creatura enim duntaxat tale eſſe confert, non autem ipſum eſſe, cujus per conſequens Deus eſt cauſa particularis: at talis eſſe, Deus eſt cauſa univerſalis, & creatura particularis. Quo circa in dando tali eſſe creatura ſubordinatur Deo, ſine quo ipſa nequit agere: at in dando ipſo eſſe, non ſubordinatur, alioquin Deus non eſſet cauſa particularis ipſius eſſe, ſed univerſalis, contra prædicta. Eſt autem tàm prima quàm ſecunda cauſa, totalis; quia quælibet in ſuo genere totum producit effectum.

Caput XVII.

Prima Cauſa attingit effectus cauſæ ſecundæ immediatione ſuppoſiti atque virtutis.

Cauſa illa dicitur agere immediatione ſuppoſiti, inter quam & patiens nullum datur intermedium ſuppoſitum. At talis eſt Aer reſpectu Maris, ſapidum reſpectu linguæ, & ſimilia: ſiquidem inter ſapidum & linguam guſtantem, nullum eſt intermedium ſuppoſitum. At immediatione virtutis cauſa illa dicitur agere, quæ virtute ſibi propria, nec aliunde accepta attingit effectum. ut magnes reſpectu ferri à ſe diſſiti, Sol & aſtra reliqua reſpectu ſublunarium effectuum, veluti ſuo loco patebit.

Quod autem prima cauſa ſive Deus attingat effectum cauſæ ſecundæ immediatione ſuppoſiti; inde manifeſtum eſt; quia cùm Deus ſit infinitus & incircumſcriptibilis, dicatque de ſe ipſo, *ergo Cælum & Terram impleo*; ergo eſt ubique, proindeque nullum inter ipſum & paſſum dabitur ſuppoſitum intermedium; ac per conſequens aget immediatione ſuppoſiti ex antedictis, virtutis autem immediatione ipſum etiam agere probatur inde, quod alioquin ſequeretur ipſum non propriâ, ſed aliunde acceptâ virtute agere, quod nefas eſt aſſerere. Adde quod Dei virtus eſt idem re cum ejus ſuppoſito: Deus enim eſt ſumma ſimplicitas: agit autem immediatione ſuppoſiti, ut probatum eſt: ergo etiam virtutis.

Caput XVIII.

An omnis Cauſa efficiens agat extra ſe virtutis effluxu.

Nova quidem quæſtio eſt, ſed magni momenti, & Phyloſopho Theologoque digniſſima. Primum ergo de Deo prima cauſarum omnium illud inquirere par eſt.

Itaque qui de ejus concurſu cum cauſis ſecundis accuratiùs Philoſophati mihi videntur, inquiunt: concurſum ipſum ut ſe tenet ex parte Dei eſſe Deum ipſum, ut verò ſe tenet ex parte effectus, non eſſe Deum, ſed actum procedentem ex ejus voluntate, prout in effectu recipitur; differentem realiter à concurſu cauſæ ſecundæ in ratione principii, non autem termini actionis qui unicus eſt. Quoniam verò non parum obſcuritatis atque difficultatis involvit illa divini concurſus difinitio; ipſo Dei concurſu ad quæſtionis reſolutionem priùs invocato, dicendum videtur: Quod Deus de communi Theologorum conſenſu, tantùm agit intellectu atque voluntate, quæ duo ſunt in Deo idem re ſimpliciſſimum; ſed in noſtro concipiendi modo ſaltem ratione vel formaliter diſtinguntur. Deus autem intellectu, agit tantùm ad intra; qua actione pater producit filium: etenim in divinis actio pertinet ad perſonas, divina autem eſſentia eſt otium, & quies ineffabilis atque ſempiterna: ſed voluntate Deus agit tum ad intra tum ad extra. Per actum autem voluntatis ad extra, non eſt intelligendum quod actus ipſe formaliter ſit vel recipiatur extra Dei voluntatem, ſunt enim voluntatis actus formaliter immanentes etiam in homine, quantò igitur magis in Deo? Hinc verò detegitur, duplicem eſſe in Deo actum voluntatis immanentem, unum circa actionem immanentem, qua à Patre & filio ut unico principio ob voluntatis identitatem, producitur Spiritus Sanctus, & dicitur actio ad intra: alterum circa actionem tranſeuntem, qua, ſcilicet, tota trinitas ut unicum principium vult aliquid extra ſe fieri, & dicitur actio ad extra.

Ex eo enim quod Deus vult intra ſe quod creatura agat, vel quid novi producatur ſine concurſu creaturæ, id fit eodem inſtanti juxta actum divinæ voluntatis, quæ non poteſt eſſe activa,

quòd

quòd ſit Omnipotens. Cùm autem actus ille formaliter ſit in ipſo Deo, ille erit Deus ipſe, in quo nulla datur realis diſtinctio, niſi ratione perſonarum; ſed ſumma ſimplicitas: proindeque erit æternus, immutabilis & unus, atque idem pro ſingulis creatis effectibus; qui idcircò per ſui productionem nihil ipſi Deo addunt vel adimunt. Non ergo actus ille formaliter ſpectatus, erit formaliter divinus concurſus, hic enim quatenus concurſus in effectu recipitur. Atqui Deus non aliter agit ad extra, quàm actu illo ſuæ voluntatis ad extra, proindeque illo ſolo actu vel creat, vel ad cauſarum ſecundarum actiones concurrit: ergo Dei concurſus formaliter, erit actus ille divinæ voluntatis ad extra, quatenus in effectu non formaliter, ſed effectivè recipitur. Divinum autem concurſum in effectu effectivè recipi, nil aliud eſt, quàm hunc ab illo fieri. Et concurſus divinus ſpectatus formaliter & effectivè, non eſt Deus. Proindeque nec æternus, nec infinitus, nec idem; ſed diverſus pro ſingulis effectibus. Nec eſt quid creatum, inter Deum & cauſam ſecundam medium, quo ipſa agat; egeret enim altero Dei concurſu. Atque ſic in infinitum. Sed eſt Dei modus quidam agendi ad extra verè ineffabilis. Attamen tantùm quid rationis in Deo eſt, ejuſque cauſalitas in quâ ipſius ad creaturas fundatur relatio, quæ idcircò tantum eſt rationis, ut jam dictum eſt cap. 1. In effectu verò quid reale eſt, quo, ſcilicet, effectus realiter producitur, & ad Deum ut ſuam cauſam refertur realiter.

Ex his igitur manifeſtum eſt, nihil realis à Deo extra ipſum effluere, quo rerum attingat effectus, ut jam demonſtravimus lib. 1. unde jure dicitur omnes attingere immediatione ſuppoſiti: quandoquidem etiam omnibus quæ ſunt intimus eſt. Adde quod agens virtutis effluxu, indiget tali medio ad agendum, virtute, ſcilicet, effluente; quæ indigentia cùm ſit imperfectio, nequit in Deo reperiri: agit ergo Deus ſolo atque ſimplici voluntatis actu, ut dictum eſt, qui omnium agendi modorum eſt perfectiſſimus, ſolique Deo proprius.

Non tamen hic caret ſuâ in Mundo qualicunque ſimilitudine. Sic enim Rex imago Dei conſpicua, quodammodò operatur cum ſuis Miniſtris in arce extruendâ, aut civitate expugnandâ, aut debellandis hoſtibus, aut jure dando, aut aliis. Civitatem enim expugnaturi ita dependent à Regis voluntate, ut ſine hac eorum propria virtus nulla ſit pro tali effectu. Ad hunc ergo Regis concurſus requiritur, qui ex ſe concurrit ſolo actu voluntatis; & tamen effectus Regi ut ſuæ primæ cauſæ tribuitur: dicitur enim Rex civitatem expugnaſſe, hoſtes profligaſſe, &c. Ut igitur quædam in Regno pendent in fieri atque eſſe à voluntate Regis, ita in Mundo cuncta in fieri & eſſe dependent à voluntate Dei: qui tamen à Rege in his maximè differt. Primò quòd cuncta in eſſe & fieri dependeant à Deo ſimpliciter & abſolutè, non autem ſuperius dicta à Rege. 2. Quod Deus attingat effectum quemlibet immediatione ſuppoſiti, Rex verò non item, ſed per Miniſtros. 3. Quod Regis voluntas impediri queat ne excutioni mandetur, Deus autem omnia quæcunque voluit, fecit. 4. Quod Rex Miniſtris ſuis teneatur voluntatem ſuam ſignificare, eoſque authoritate ſuâ præmunitos, peculiari mandato præmovere & executioni applicare; unde cauſæ ſunt duntaxat inſtrumentales effectus, qui Regi ut ſoli cauſæ principali tribuitur, cujus virtute & non propria Miniſtrorum, effectus ipſi peraguntur. At Deus cauſas ſecundas virtute propriâ ut cauſas principales agere ſinit. 5. Quod Rex ſuâ voluntate ſine Miniſtris nihil extra ſe poſſit efficere: Deus autem ſine causâ ſecunda poſſit quidquid voluerit, nulloque indigeat. Idcircò modus agendi Regis per voluntatem, eſt craſſa tantùm umbra modi agendi ipſius Dei.

Nec certè mirum, cùm Dei virtus ſit infinitè elevata ſupra vires non ſolùm cujuſlibet cauſæ creatæ; ſed totius quoque naturæ. Siquidem ex nihilo natura nihil efficere poteſt; Deus autem quidquid voluerit, ex nihilo faciet. Vi naturæ virgo concipere nequit; at vi divinâ concipiet. Idem corpus vi naturæ nequit eſſe in pluribus locis: at vi divinâ erit ubicunque Deus voluerit. Creatura rationalis vi naturæ Deum intueri nequit in ſua eſſentia, at vi divina poterit. Creatus intellectus nequit unico actu intelligentiæ plura diverſa diſtinctè cognoſcere, nec unico actu voluntatis plura diſtinctè velle; nec unico actu memoriæ, plurium diſtinctè recordari. Sed Deus unico actu ſimplicis intelligentiæ diſtinctiſſimè novit omnia actualia, poſſibilia & impoſſibilia; unico actu voluntatis vult, imò efficit quæcunque participant eſſe actuale: & unico actu memoriæ recordatur omnium. Atque hi tres actus in Deo non ſunt niſi unus actus ſimpliciſſimus: omnibus ſupradictis & eorum ſingulis ſufficientiſſimus: quia ſunt ipſe Deus omnipotens. Unde patet evidenter quàm ſtulta ſit mens ſchiſmaticorum Calviniſtarum, qui divinam virtutem atque potentiam in ſacrâ Synaxi naturæ cancellis includi volunt, cum nonnullis Philoſophis eo nomine indignis & æquè ſtultis, qui Deum quidquam ſupra naturam poſſe negant. Ignorantes quod ipſa etiam hominis ars poſſit ſupra naturam, quantò igitur magis ars ſive virtus Dei, cujus proprius agendi modus incipit, ubi deſinit proprius agendi modus naturæ, quam ipſe condidit, & quibus voluit terminis limitavit, ipſe eſſendi & agendi limitibus carens.

Cæterùm Dei modus agendi ſupradictus per voluntatis actum, creaturarum ab illo dependentiam in agendo reddit eo inſignorem, quòd cauſis creatis inſit plenaria agendi virtus, ſintque ex ſe ad agendum paratæ, & tamen præſente ſubjecto ad patiendum apto, & congruenter applicato, nequeant agere niſi dependenter ab illo actu divinæ voluntatis efficienter concurrente. Hæc enim dependentia longè major eſt, quàm ex ſe carere agendi virtute propria, & nihilominus deſervire actioni divinæ voluntatis: hîc enim creatura non agit, ſed Deus per ipſam. Ideoque actio non creaturæ, ſed Deo tribuitur: quod ſi non agat, nec in agendo dependebit, vel duntaxat ut inſtrumentum dependebit, quod magis patitur quàm agat. Ibi verò agit creatura vi propria cum Deo, à quo tamen dependet in agendo etiam ut cauſa principalis.

Ex ſupradictis autem eorum opinio refellitur qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

qui Deum cauſas ſecundas neceſſarias, non autem liberas ad agendum præmovere volunt, quandoquidem ex modo ſupradicto cum omnibus uniformiter agit: An autem præmoveat necne, & quomodo, diximus amplè Libro de concurſu primæ Cauſæ cum ſecundis, adverſus Jenſeniſtas.

At Cauſæ ſecundæ ſaltem corporeæ agunt extra ſe virtutis effluxu, ſive movendo localiter, ut homo lapidem projiciens, Magnes ferrum attrahens, ſive alterando, ut Sol calefaciens vel influens, ſive generando, ut homo hominem generans. Non enim lapis ſurſum projectus movetur virtute propria: ergo aliena, quippè recepta à projiciente, à quo per conſequens ipſa effluxit, perduratque in lapide quamdiu hîc ab illa movetur. Et ratio eſt quia nulla ſubſtantia creata agit per ſuam eſſentiam, rerum enim eſſentia etiam otioſa eſt, ut de Dei eſſentiâ dictum fuit ſuperiùs, ſed agit per virtutem ſibi eſſentiæ ratione propriam, eique vel ſuperadditam, vel ab illâ fluentem, quæ cùm ſit accidens, ideoque realiter differat à ſubſtantiâ, poteſt in actionibus ad extra effluere: & de facto effluit, ac in paſſo recipitur, ut dictum eſt de lapide projecto; & patet etiam in Magnete, qui alioquin non eſſet immediata cauſa tractionis ferri diſtantis, neque Sol generationis hominis.

An autem ab Angelo qui naturæ ſpiritualis eſt, virtus effluat, dum per hypotheſim Solem movet, aut procul à ſe lapidem ſurſum impellit; quæ virtus etiam in paſſo recipiatur, ſubtilioris eſt inquiſitionis alibi pertractandæ. Attamen hîc certum eſt etiam lapidem illum non ferri ſurſum virtute propriâ, ſed alienâ: ac præterea moveri ab Angelo, vel immediatione ſuppoſiti, vel immediatione virtutis: non immediatione ſuppoſiti, quia procul ab Angeli ſuppoſito impellitur per hypotheſim, ergo immediatione virtutis, quæ lapidem comitatur atque movet: aliunde certum, quod movens & mobile ſimul eſſe debeant, quibus conceſſis neceſſariò ſequitur etiam ab Angelo virtutem motricem effluere.

Sed quod ad Phyſica agentia pertinet, notandum, duplex eſſe agens naturale: ſcilicet, neceſſarium & ſpontaneum. A ſpontaneo & homine bruto, ut ſic virtus tantum effluit in ipſa actione ſpontaneâ, ut à movente, & generante. Agens verò neceſſarium duplex eſt, ſcilicet, in remotum, ſive diſtans, & tantum contiguum. Ab hoc etiam virtus tantum effluit in ipsâ actione, ut pipere dum linguam calefacit, aqua forti dum aurum diſſolvit, cauſtico dum erodit, & ſimilibus. At ab agentibus in diſtans, ut Magnete, Igne, Sole, &c: virtus perpetuo effluit, etiam citra ullam penitus actionem in aliud. Quod etſi paradoxum pleriſque videri queat, ut hactenus inauditum, tamen infra validis rationibus verum eſſe probabimus, dum de alteratione tractabimus. Sed de cauſâ efficiente quatenus ad Aſtrologiam neceſſe eſt, hactenus dicta ſufficiant: qui plura & altiora cupiet, ipſa inveniet in Libro noſtro de concurſu primæ cauſæ cum ſecundis, tam in actionibus naturalibus quàm ſupernaturalibus.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ASTROLOGIÆ GALLICÆ

LIBER OCTAVUS.

De Corporum Phyſicorum Alteratione.

PRÆFATIO.

QUoniam corpora Cœleſtia perpetuo alterant hæc Sublunaria, luce, calore, frigore, & influentiis ſuis; nec quomodo id efficiant cognitum fuit Ariſtoteli ejuſque Sectatoribus Peripateticis, qui vulgarem ejus Phyſicam in Scholis tuentur: Idcirco nobis hoc Libro ſtatutum eſt de corporum Phyſicorum alteratione differere: equidem contra vulgo receptas hactenus opiniones; ſed ſecundam naturam ipſamque rerum veritatem antea ignotam. Etenim citra veram Alterationis doctrinam Aſtrologia perfectè ſciri vel doceri nequit.

CAPUT I.

Quid ſit Alteratio.

QUamvis de alteratione ſolo Chymicorum more poſſemus philoſophari: Quia tamen noſtri eſt inſtituti Peripateticos à vulgaribus ſcholarum opinionibus blandè abducere: Idcirco doctrinam iſtam terminis & methodo Peripateticis diſcutiemus hîc; Chymicis tamen nonnullis intermixtis, ut evidentiùs pateat quàm abſurda de alteratione & qualitatibus traduntur in ſcholis Ariſtoteli mancipatis.

Itaque Alterationis nomen eſt Omonymum apud Philoſophos. Primò enim ſumitur pro quacunque accidentali mutatione: quo ſenſu Porphyrius ait cap. de differentia, omne accidens facere alterum, non vero aliud. Secundò, pro mutatione ad quamlibet qualitatem. Tertiò pro mutatione ad ſolas qualitates contrarias & corruptrices, calorem ſcilicet, frigus, humiditatem, & ſiccitatem. Quartò, pro mutatione ad quamlibet qualitatem ſenſibilem; cujus duæ ſunt ſpecies: Alia enim eſt per ſe ſenſibilis, ut lux & calor viſu, ſapor guſtu, ſonus auditu, odor odoratu, calor, frigus, humiditas, ſiccitas, mollities, durities, ſcabrities, levitas, gravitas tactu: Alia tantùm per accidens; ut vis magnetis, quæ viſu & tactu ſentitur, ſed per accidens, motu quippe ferri tracti: Tum Cœleſtis influxus qui per ſuos duntaxat effectus ſenſibus deprehenſos in hominis forma corporea & colore innoteſcit. Atque hoc quarto modo ſumitur à nobis alteratio; quamvis magnetica virtus & Cœleſtis influxus prout ſunt in propriis ſubjectis magnete, ſcilicet & corpore Cœleſti, referantur ad ſecundam qualitatis ſpeciem Ariſtotelicam, quæ eſt naturalis potentia; non ad tertiam, quæ eſt patibilis aut ſenſibilis qualitas propriè dicta. Etenim ferrum vi magnetica inficitur ac alteratur, & homo naſcens influxu Cœleſti.

His vero præmiſſis, dico Alterationem eſſe ſubjecti permanentis mutationem ad qualitates ſenſibiles. Dicitur mutatio; quia quod ex frigido fit calidum aliquam in ſe mutationem pati, nemo ſanæ mentis inficiabitur. Dicitur ſubjecti permanentis: quia dum calefit aqua, hæc non in aliam mutatur naturam, ſed remanet ſemper aqua; etſi fiat altera, vel mutetur in qualitate: denique dicitur ad qualitates ſenſibiles; ob modum quo à nobis ſumitur alteratio.

CAPUT II.

An Alteratio ſit motus realis.

HOc nemo hactenus in dubium revocavit. At quia D. Renatus Des Cartes nullum admitmittit reale accidens, Alteratio autem eſt motus ad qualitatem, quam non eſſe ſubſtantiam, ſed ſaltem accidens communiter receptum eſt; ſequitur quod ſi qualitas ipſa non ſit quid reale, nec alteratio erit motus realis. Motus enim identificatur formaliter cum eo ad quod ipſe fit motus. Videndum ergo quas ille rationes ſuæ opinionis habeat.

Igitur in reſponſione ad ſextas Objectiones adverſus Meditationes ſuas de prima Philoſophia, duas habet rationes, præter quas ait nullas alias à ſe exſpectandas eſſe. Prima eſt pag. 584. *Quod cùm omnis ſenſus tactu fiat, hujus ſequatur nihil præter ſuperficiem corporum ſentiri poſſe, quòd in ſola ſuperficie fiat contactus. Ac proinde ſi quæ ſint accidentia realia, debent eſſe quid diverſum ab iſta ſuperficie, quæ nihil eſt quàm modus.* Ergo (inquit) *ſi quæ ſint, non poſſunt ſentiri: quis autem exiſtimavit illa eſſe? niſi quia putavit ſentiri?* Quæ ſanè ratio non probat intentum. Primò enim etſi concedatur omnem ſenſationem aliquo fieri tactu, non tamen ſequitur ſolam ſuperficiem corporum ſumptam quovis modorum pag. 584. ſentiri quolibet ſenſu vel organo ſenſus; alioquin ſinguli ſenſus circa ipſam idem tantùm ſentirent, nec diverſi-

verſimodè afficerentur; quòd ſcilicet illa in ſe ſit tantum eadem & minimè diverſa. Conſtat autem experientiâ contrarium: Nam ſit ferrum aut cuprum intenſè calefactum, quod in tenebris occurrat alicujus manui; illicò manum retrahet; non ſenſatione ſuperficiei, quòd omnis ſuperficies non ſic ſenſum afficiat, ſed acrioris caloris: Nec tamen ſciet quodnam ſit illud corpus ſpecie, quamvis de corpore in genere ejuſque ſuperficie non dubitet: At ſi aliqua aperiatur feneſtra, illico ex colore ferri aut cupri viſo, cognoſcet eſſe cuprum aut ferrum, & non aliud corpus, etſi quodlibet aliud ſuperficiem quoque habeat: nec tamen ſciet eſſe calidum, niſi priùs organo tactus id exploraverit. Cùm ergo diverſæ ſenſationis ratio, peti nequeat ab ipſa ſuperficie, quæ in ſe eſt eadem, nec per ſenſus diverſos aut eorum organa quid ei conferatur, ex quo illis fiat diverſa: neceſſe eſt in ipſa ſuperficie diverſas eſſe rationes ſive cauſas, quarum unaquæque unum, non autem alterum ſenſum propria vi afficiat: Ergo non ſola ſuperficies, ſed præter hanc quid aliud quoque propriè ſentitur utrovis ſenſu. Unde non abs re Philoſophi ſenſibile diſtinxerunt in ſenſibile proprium & commune: hoc quippe eſt ſuperficies, communis utrique ſenſui; illud verò eſt calor tactui & color viſui. Verum eſt ergo quod ſuperius ait D. Des Cartes, ſi quæ ſint accidentia realia debent eſſe quid diverſum ab iſta ſuperficie, falſum autem quod ipſa realiter etiam ſentiri non poſſint.

Secunda autem ejus ratio: *Quod quidquid reale eſt, poteſt ſeparatim ab omni alio ſubjecto exiſtere*; atque hoc etiam naturaliter intelligit; *quidquid autem ita ſeparatim poteſt Divina etiam virtute exiſtere, eſt ſubſtantia, non accidens: Ergo, &c.* Sed probet majorem & minorem Syllogiſmi, & dabimus ei palmas. Nam odor quid reale eſt, nec tamen poteſt ab omni ſubjecto ſaltem naturaliter ſeparari: ſed non eſt ſubſtantia nec completa nec incompleta; nec corporea, nec ſpiritalis. Cùm igitur hîc non probet ſuam opinionem, quæ etiam ſuperiùs à vero aliena convincitur, hîc concludendum cum Veteribus Philoſophis, alterationem eſſe motum realem, quòd ſcilicet forma quæ per talem motum acquiritur, habeat eſſe reale & non rationis; in quæ duo genera ſubalterna, ſupremum genus entis adæquatè dividitur.

Evidentiùs autem convincitur qualitates ſenſibiles non eſſe modos, ſed entia realia, ex eo quòd nullus modus per ſe ſit activus, nullumque proprium habeat effectum: ut patet de ſuperficie, quam ait nihil aliud eſſe quàm modum: At lux, calor, vis magnetica, influxus Cœleſtis, & ſimiles qualitates ſunt per ſe activæ & proprios habent effectus, ut cunctis experientiâ notum eſt. Non ergo ſunt modi, ſed accidentia realia; quibus corpora Phyſica in ſe mutuò agunt.

CAPUT III.

De Terminis alterationis à quo & ad quem.

QUoniam alteratio eſt motus: In omni autem motu hæc reperiuntur; mobile, movens terminus à quo incipit motus terminus ad quem deſinit, & via ab uno ad alterum quæ eſt ipſe motus: Idcirco poſtquam cap. 2. oſtenſum eſt, ideo alterationem eſſe motum realem, quòd fiat ad terminum vel formam realem, jam hîc de alterationis terminis à quo & ad quem dicendum eſt.

Itaque ſenſibilium qualitatum aliæ aliis ſunt contrariæ; ut calor frigori, albor nigrori, fœtor ſuaveolentiæ, amaror dulcedini, &c. Aliæ verò carent contrariis; ut lux, vis magnetica, influxus Cœleſtis: Ad has autem alterationes terminus à quo, eſt duntaxat privatio formæ, per alterationem introducendæ. Dum enim ex non lucido ſit lucidum; non datur aliquid poſitivum, quo non lucidum ſit non lucidum: ſed tantùm mera lucis privatio. Sic in ferro priuſquam magnetica virtute imbuatur, datur hujus tantum privatio; nec non in fœtu priuſquam Cœleſti influxu inficiatur: ſique hujus alterationis terminus à quo eſſet poſitivus, is qualitati introducendæ contrarius eſſet contra hypotheſin. Sed alterationis ad priores qualitates, calorem, frigus, &c: terminus à quo, poſitivus eſt atque introducendæ qualitati contrarius. Non enim fit calidum, quod priùs non ſit frigidum: frigus autem eſt realis & poſitiva qualitas, ut à nobis alibi oſtenditur, ſic de aliis. Cujuſcunque verò alterationis terminus ad quem eſt realis & poſitivus, ut cap. 2. dictum eſt.

Porrò ad quamlibet qualitatem ſenſibilem ab aliis realiter diſtinctam poteſt eſſe per ſe alteratio, quia alteratio ut eſt motus, eſt idem re cum ſuo termino ad quem: Non ergo duæ qualitates realiter diſtinctæ unica alteratione acquiruntur: alioquin non eſſent duæ, ſed unica. Præterea quælibet ipſarum qualitatum acquiri poteſt accidentali mutatione: At non alia quàm alteratione. Nec refert quod plures qualitates ſimul introducantur, aut unius productio ex alterius productione ſequatur: ut dum Hermetici ajunt: Calor agens in humidum gignit nigredinem; in ſiccum verò albedinem: quibus alterationibus calor & nigredo, tum calor & albedo, juxta communem opinionem ſimul producuntur in ſubjecto quod alteratur; non enim calor ſed ſola nigredo aut albedo propriè producitur in ſubjecto quod alteratur, ut infra oſtendetur; quamvis calor etiam cum nigrore vel albedine introducatur: quod autem idem calor in eodem ſubjecto gignat contrarias qualitates, nigrorem & albedinem, cauſa eſt ſucceſſive contraria ipſius ſubjecti diſpoſitio, in humiditate & ſiccitate: omnis enim cauſa juxta ſubjecti diſpoſitionem agit.

CAPUT IV.

De Alterationis ſubjecto.

DUplex tantùm à Philoſophis admittitur ſubjectum alterationis, nempe ſubjectum inhæſionis & ſubjectum denominationis. At ego ſaltem pro alterantibus in diſtans illis addo ſubjectum effuſionis.

Subjectum effuſionis eſt corpus vel ſpatium, in quod ſit effluxus qualitatis activæ in diſtans, ſine hujus inhæſione ipſi ſubjecto. Ut lux Solis effluens in Aerem, vel ſpatium corpore ex hypotheſi vacuum, dicitur in illo Aere vel ſpatio, eſſe in ſubjecto effuſionis; ſicque vis magnetica & influentia ſunt in Aere ut in ſubjecto effuſionis, quippe quòd Aeri non inhæreant, ut infra patebit.

Subjectum inhæſionis eſt illud quod qualitatem non modo recipit, ſed etiam inhæſivè retinet virtute ſeu diſpoſitione propria: Et tale ſubjectum in genere eſt ſola materia, nulla quippe qualitas ſenſibilis recipitur inhæſivè extra materiam, ſaltem naturaliter: At in ſpecie pro quibuſdam qualitatibus, eſt materia congruè diſpoſita: Sicque cicendulæ corpus aut lapis bononienſis calcinatus, eſt ſubjectum inhæſionis luminis, materia ferri eſt ſubjectum inhæſionis virtutis magneticæ, & materia naſcentis infantis eſt ſubjectum inhæſionis influentiæ Cœleſtis.

Denique ſubjectum denominationis eſt corpus naturale, quod à calore denominatur calidum, à frigore frigidum, ab albedine album, &c.

Cæterùm hîc non exigua poteſt occurrere difficultas, nam panis à Sacerdote in Corpus CHRISTI conſecratus poteſt calefieri, frigefieri, &c: ſine novo miraculo, quid ergo hic alteratur? Certè non CHRISTI Corpus impaſſibile. Si dixeris quantitatem, albedinem, &c. Ergo vel ante conſecrationem materia panis non alterabatur, ſed tantum in ejus accidentia, contra communem Philoſophorum ſententiam, quæ vult materiam ipſam alterari, vel materia & ipſa accidentia ſimul alterabantur, ſicque eadem numero accidentalis forma per alterationem producta, erit ſimul tempore in pluribus ſubjectis inhæſionis genere diverſis; vel denique novo erit opus miraculo quod accidentia ſubjiciat alterationi; quodque à Theologis non aſſumitur. Itaque cum Panis iſte undequaque ſit poroſus, ejuſque pori non ſint vacui ſed pleni Aere vel corpuſculis quæ non ſunt de ſubſtantia Panis, ideoque non tranſmutantur; eaque poſſunt eſſe ſubjectum talis alterationis: Imò cùm Corpus omne corruptibile feces habeat, quæ non ſunt de Corporis ipſius ſubſtantia, ut ex vini tartaro & aliis in Chymia conſtat, ſed altera ſunt ſubſtantia: jure quæri poteſt, an feces conſecrandi Panis etiam tranſmutentur, an verò pura tantum Panis ſubſtantia: Hoc enim poſito, certum eſt, quod corpuſcula poris contenta, tum ipſæ feces Panis, calefieri, putrefieri, corrumpi & nutrire queunt, ſicque fierent iſta naturaliter. Sed hæc Theologis Catholicis examinanda & definienda relinquamus, ſufficiatque nos credere Panis ſubſtantiam in CHRISTI Corpus converti & non aliam: quæ fides cum ſupradictis ſtare poteſt.

CAPUT V.

An indiviſibile ſecundum quantitatem alterari queat.

QUoniam ex cap. 4. ſola materia poteſt eſſe ſubjectum inhæſionis qualitatis ſenſibilis; inde ſequitur nullum indiviſile poſſe eſſe ſubjectum per ſe alterationis Phyſicæ: quia non datur Phyſicè materia vel corpus qui ſecundum quantitatem ſunt indiviſibilia; tum quaſi materia aut corpus ſub puncto Mathematico poſſet verbi gratia illuminari, ergo & illuminare; ideoque videri: At omnis viſio fit per conum cujus baſis eſt ipſum viſibile, ſicque daretur conus cujus baſis eſſet punctum Mathematicum, quod fieri divinitus eſt etiam impoſſibile, quippe contra eſſentiam coni. Non ergo indiviſibile ſecundum quantitatem alterari poteſt.

Objicies primò, calefiat corpus aliquod: vel calefiunt partes internæ non calefacta ſuperficie, ſicque datur agens in diſtans non agendo in medium, vel calefacta ſuperficie, ſicque alteratur indiviſibile.

Reſpondeo primò, ſuperficiem non eſſe indiviſibilem, cùm ſit longa & lata. Reſpondeo ſecundò, indiviſibile dupliciter ſpectari, aut ut abſtractum à materia, aut ut eidem inhærens: priori modo alterari nequit, poſteriori poteſt ſaltem per accidens ad totius alterationem, ut movetur ad motum totius: atque ſic oſſium ſuperficies dealbatur à Sole ad totius oſſis dealbationem.

Objicies ſecundò, totum parabolicæ ſuperficiei à Sole illuminatæ lumen & calorem reflecti ad unicum punctum Mathematicum, in eoque recipi: Ergo punctum illud eſt ſubjectum luminis & caloris illius, ac per conſequens alterari poteſt.


Reſpondeo, conceſſo antecedente negandam eſſe conſequentiam. Lumen enim & calor recipiuntur in illo puncto duntaxat ubicativè, vel ſicut in ubi; non autem ſubjectivè, vel ſicut in ſubjecto.

Inſtabis, lumen & calor in illo puncto non ſunt extra ſubjectum; ſi quidem nullum accidens ſaltem naturaliter poteſt eſſe extra ſubjectum: ergo eſt in illo puncto ſubjectivè.

Sed nego antecedens, & ad ejus probationem dico: Quod ſi circa candelam accenſam daretur vacuum, ipſa naturaliter lucem & calorem ſuum effunderet in ſpatium vacuum, quid enim ipſam impedire poſſet præter ipſum nihil quod eſt in vacuo, cui nihil eſt potentiæ, ut infra oſtendetur? Ergo lux & calor effuſa in illud ſpatium non eſſent in ipſo, ut in ſubjecto, ſed tantum ut in ubi; nec tamen eſſent independenter à ſubjecto fontali, ſed ei adhærent ut radius radianti corpori; nihilominus pars entitativa luminis aut caloris in illud vacuum effuſa, eſſet naturaliter extra ſubjectum.

Porrò circa mirabilem illum effectum reflexi luminis & caloris Solaris à ſuperficie parabolica, præter à nobis jam dicta lib. 4. cap. 5. hîc notandum eſt aliud mirabile. Sit parabolica ſuper-

perficies A B C, cujus focus punctum Mathematicum D, ad quod & per quod in ſuperficiem oppoſitam E F reflectitur totum lumen & calor à Sole in ipſam vibratus A B C. Cer-



tum eſt quod lumen & calor ſunt in illo indiviſibili puncto intenſiſſima: ſiquidem non tranſeunt ad ſuperficiem oppoſitam, niſi per ipſum D punctum: ergo dici nequit in ipſo nullum eſſe lumen aut calorem; cùm ergo tota lux effuſa in ſuperficiem A B C, tranſeat per D, ac magis magiſque denſetur & intendatur prout ipſi D magis appropinquat; ſequitur quod in ipſo D ſit intenſiſſima: idemque de calore dici debet. Attamen calor & lux prout ſunt in ſpatio D A B C, Aere pleno, ſunt in ſubjecto: At in D, nullum habent ſubjectum neque effuſionis, neque inhæſionis; quamvis etiam in D adhæreant ſuo fonti, quippe Soli, ſicque ab ipſo ineſſe dependeant: quodnam enim ſubjectum materiatum dari poteſt in puncto; quandoquidem nec Corpus CHRISTI in ſacra Synaxi ſub vel in puncto exiſtit, quamvis ſit totum in toto, & totum in qualibet parte Panis conſecrati? Atque illud ſanè de calore & lumine in puncto Mathematico eſt ipſa in natura mirabile. Sique id convenit accidentibus corporeis, ſaltem non minùs videtur convenire poſſe formis vel naturis ſpiritualibus.

CAPUT VI.

An formæ Subſtantiales per ſe alterari queant: vel ipſæ qualitates ſenſibiles.

QUod ſubſtantiales formæ naturaliter per ſe non alterentur, ſic probari poteſt. Nulla enim ſubſtantialis forma generatur aut producitur in materia ſine præviis ipſius materiæ diſpoſitionibus per alterationes varias, quibus qualitates ſenſibiles formæ ſubſtantiali futuræ congruentes producuntur; ut patet experientia in cunctis generationibus: ergo ſola materia, per ſe eſt talis alterationis ſubjectum; nec enim ab ipſa materia tranſeunt in formam ſubſtantialem productam. Tum quia vel materia deſineret eſſe ſubjectum, vel ipſæ qualitates eſſent formæ accidentales communes tum materiæ tum formæ ſubſtantiali, haberentque ſingulæ duplex ſubjectum inhæſionis etiam realiter inter ſe diſtinctum; quæ omnia cenſentur abſurda apud Philoſophos: Tum quia forma ſubſtantialis haberet ex ſe potentiam ad illa & qualitates ſenſibiles, ideoque potentia ipſa communis eſſet materiæ & formæ ſubſtantiali; ſicque non eſſent primò diverſæ ac oppoſitæ contra communem ſententiam. Non ergo formæ ſubſtantiales ullam per ſe patiuntur alterationem.

Hoc autem patebit evidentiùs ex formis brutorum & hominis: ſi enim viſiva potentia colore aliquo infici ac alterari poſſet, illa nullum alium colorem perciperet, ſaltem in natura propria; ſed cuncta apparerent ejuſdem coloris, quo potentia eſſet infecta; vel ſaltem alterius depravati. Neque hoc ſolum eſt verum de viſiva potentia, ſed etiam ejus organo, quippe oculo: conſtat enim experientiâ, quod iis quibus oculus icteritiâ laborat, omnia apparent flava ob oculi flavedinem; itaque ut viſiva potentia colores rectè percipiat, debuit ex natura ſua coloris eſſe expers, & ſupra omnes colores: idemque dicendum de potentia auditiva circa ſonos, & de aliis ſimiliter. Imò cùm unica ſit in animali potentia ſenſitiva diverſimodè objecta externa percipiens per diverſa organa, ut Libro I. capite 19. oſtendimus; debuit ipſa eſſe ſupra omnes qualitates ſenſibiles, ab iiſque ex ſe planè libera: Quare & ipſa mens ſive intellectus ab iiſdem erit multò magis vacuus: omnium verò maximè ſimplex animæ eſſentia, quæ ſupra ſenſum & rationem ipſam adeò elevatur, ut vix intellectui ad illam pateat aditus, quamvis ipſa ſit radix vel origo ipſarum potentiarum.

Idem verò ſic aliter oſtenditur. Etſi eadem numero anima ſit per totum corpus diffuſa; tamen ſi quis oleo quodam amaro ungatur in pede, quod ſua tenuitate valde penetret, anima non ſentiet amarorem: & quamvis lux penetret cutem poroſam & carnem quæ aliquam diaphaneitatem participant, tamen oculis carens, animâ non videbit lucem: ſicque nec ullus oculo, vel digito ſonos, odores, vel ſapores percipit, veluti nec auribus colores. Et ratio eſt quia quodlibet membrum non eſt idoneum animæ organum ad omnes qualitates ſenſibiles percipiendas: ſed pro diverſis genere ſenſibilibus, anima diverſis indiget ſenſoriis congruenter diſpoſitis ad ipſa ſenſibilia excipienda ſenſibiliter; unumquodque juxta naturam ſuæ ſenſibilitatis. Cùm ergo in iis recipiantur realiter, ergo ſunt horum ſubjecta & non anima, etſi hæc illa percipiat, dum per ſuam potentiam ſenſitivam attendit ſenſorio. Veluti aranea ſuis retibus tactum à muſca percipit, etſi ipſa non tangatur à muſca; non ergo ipſa anima per ſe alteratur.

Objicies, triſtitiam & gaudium eſſe paſſiones animæ: ac triſtitiam plerumque oriri ex ſenſu doloris qui alteratione moleſta cauſatur, ut nimia calefactione, frigefactione & ſimilibus: ergo anima ipſa his qualitatibus alteratur; & calefacit, frigeſcit, &c.

Reſpondeo, conceſſo antecedente negandam eſſe conſequentiam, quæ ex illo inferri nequit. Dolor enim eſt affectus præter naturam affatim & violenter incidens cum moleſtia, organo tactus; ob diſſolutionem continuitatis partium diſſimilarium, ab erodentibus, diſſecantibus, diſtendentibus, contundentibus, calefacientibus, refrigerantibus, &c. ut ait Galenus Lib. 2. de Comp. Med. ſec. Loca. Unde conſtat in dolore

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ſolum organum realiter & phyſicè alterari, non autem potentiam ſenſitivam qua ſentitur ipſe dolor, vel percipitur moleſtus ille tactus. Idque patet evidentiùs eo quòd ſi pes uratur, id non ſentitur in manu, ubi eſt eadem numero quæ in pede anima & potentia ſenſitiva: quod ſignum eſt evidens, non animam vel potentiam, ſed ſolum organum alterari; quodque ſi pes uratur dum manus glacie refrigerabitur, eadem numero potentia vel anima ſenſitiva non ſimul tempore refrigeratur & calefit; ſed tantum per duo organa differentia ſimul tempore percipit qualitates contrarias: & quia talis ſenſatio moleſta eſt, equidem in anima cauſat triſtitiam, ſed non inde ſequitur animam ipſam realiter alterari & fieri calidam, frigidam, albam, nigram, fœtidam, ſonoram, aſperam, duram & ſimilia.

Denique quod ipſæ qualitates ſenſibiles per ſe non alterentur; probatur tum rationibus poſitis initio capitis, tum quia ſi calor frigefieret, non permaneret alterationis ſubjectum, quippe calor ipſe, contra definitionem alterationis: aut ſi per impoſſibile remaneret, ergo calor eſſet diceretur-que frigidus, utque talis refrigeraret, quæ ſunt prorſus abſurda: idemque dicendum de Albo, quod ſcilicet denigraretur, &c.

Caput VII.

De Cauſa efficiente alterationis.

TRiplex aſſignari poteſt alterationis cauſa efficiens, nempe ſuppoſitum phyſicum, ejus forma ſubſtantialis, & qualitas ſenſibilis alterandi capax: ſuppoſitum vocatur efficiens quod, (ſupple agit) nam actiones ſunt ſuppoſitorum: forma ſubſtantialis nec non qualitas dicitur efficiens quo (ſupple ſuppoſitum agit) de his vero cauſis quæritur an in alteratione unaquæque agat, &c: ſit cauſa principalis; an verò aliqua ſit inſtrumentalis. Primò igitut certum eſt, quod ſuppoſitum ſive corpus Phyſicum duplex eſt, nimirum ſimplex ut Cœlum & Elementa, nec non mixtum ut ſilex, aurum, plantago, vultur, &c. Chymica verò corporum principia, ſal, ſulphur, & mercurius doctè vocata mihi videntur quid medium inter corpus ſimplex atque mixtum, nam habent rationem corporis ſimplicis, quatenus ſunt proxima & immediata mixtorum principia, at rationem corporis mixti quatenus Elementorum, aut Cœleſtis vel æthereæ materiæ mixturam admittunt: Etſi enim ipſorum pricipiorum ſpiritus, ſint eſſentiæ quædam ſimplices ac puriſſimæ, tamen in ſua ſimplicitate nuſquam apparent, ſed ſemper Elementis veſtiti, quibus ſi quis eos denudare contendat evaneſcunt. Jam verò Cœlum, Elementa & principia Chymica quatenus ſunt corpora, conſtant ſubſtantiali formâ & materiâ, congruè ad talem formam diſpoſita. Ideoque ipſorum corporum materia non eſt materia prima, omni carens diſpoſitione, nulla quippe forma ſubſtantialis ingreditur materiam ſine congrua ſibi diſpoſitione. Quamobrem cùm hæc materiæ corporum ipſorum diſpoſitio, neque ſit ab ipſa materia prima, neque à forma ut diximus, fatendum eſt ipſam eſſe à ſolo Authore naturæ; qui dum fecit Elementum aquæ, dedit ipſius materiæ congruas ad formam diſpoſitiones, & ſic de aliis. Unde diſpoſitiones ipſæ vel qualitates, corpori ſimplici vel mixto cujus ſunt, propriæ ſeu naturales appellantur.

Præterea certum eſt quod ſuppoſitum Phyſicum agat, nam actio eſt ſuppoſiti, imò agit ut cauſa principalis ex cap. 9. Lib. 7. nam ſive agat per formam ſubſtantialem, ſive per qualitatem ſibi propriam dicetur agere ex ſe & vi propria, non autem aliena; ideoque erit cauſa principalis ex ſupradicto cap. 9. quo pacto Sol eſt cauſa principalis illuminationis & calefactionis: Tum Solaris influentiæ in Natum introductæ. At ſi qualitas non ſit ſuppoſito ipſi propria vel naturalis, ſed aliunde accepta: quoniam tunc ſuppoſitum non ex ſe aut virtute propria, ſed aliena producit effectum; erit cauſa inſtrumentalis ex ſupradicto cap. 9. Atque ſic aqua calefacta non eſt principalis cauſa calefactionis manus in aqua ipſa poſitæ; ſed duntaxat inſtrumentalis ejus ſuppoſiti; quod aquam ipſam calefecit: Hoc enim ſuppoſitum eſt agens principale quod, & calor aquæ agens principale quo illius alterationis. Veluti lapis qui percuſſit Goliath, non fuit cauſa principalis illius percuſſionis, ſed duntaxat inſtrumentalis, & David fuit agens principale quod; virtus autem ejus lapidi projecto impreſſa, agens principale quo, ſimiliterque Luna eſt cauſa duntaxat inſtrumentalis nocturnæ illuminationis, Sol autem agens principale, quod per proprium lumen Lunæ tranſmiſſum & ab ea reflexum illuminat: Nec enim neceſſe eſt ut cauſa inſtrumentalis ſemper adhæreat, vel contigua ſit principali, ſed tantum ut ab hac illa vim agendi rec piat, ut fit in his tribus exemplis, tum ferro magneti affricto quod eſt ipſius magnetis etiam abſentis inſtrumentum ad aliud ferrum attrahendum. Atque hæc de ſuppoſito in ſe ſpectato.

Quod verò attinet ad ſubſtantialem formam, hæc per ſe primò nullum producit accidens; ſive ſit proprium quarto modo (ut vocant) ſive aliud non primum; nam eſſet cauſa ſui proprii, ideoque ipſo prior, quare tunc eſſet ſine tali proprio, quod per conſequens non eſſet proprium quarto modo: hoc enim convenit ſemper. Igitur proprium quarto modo vel ſpecificum producitur ab Authore naturæ formam producente: Nec etiam ſecundum; nam produceret extra ſe, quidquid verò creatum extra ſe producit qualitatem aliquam, id efficit vel per effluxum aliquem à ſe, vel per miſcellam: At nec ulla accidentalis qualitas poteſt à ſubſtantiali forma effluere, nec ipſa eſt miſcibilis. Atque experientiâ certum eſt, nullum corpus calefacere quin ſit actu aut virtute calidum: Ergo per calorem actualem aut virtualem calefacit, & non per formam ſubſtantialem. Nam calor ille actualis aut virtualis reſidet in Elementis vel principiis ut in proprio ſubjecto, & non in forma ſubſtantiali totius ſuppoſiti.

Inde autem confirmatur doctrina hæc quia conceditur ab omnibus quod actiones ſunt ſuppoſitorum, hoc eſt ſubſtantiarum completarum ſingularium; jam verò hoc ſuppoſitum Phyſicum non calefacit per ſe quatenus eſt ſuppoſi-

tum

tum Phyſicum, ſed quatenus eſt tale ſuppoſitum Phyſicum; hoc eſt, virtute calefactiva præditum. Nam qualiſcunque ſit forma ſubſtantialis, niſi adſit virtus calefactiva non calefaciet; ſi autem adſit, calefaciet quæcunque ſit forma ſubſtantialis, unde piper, vinum, arſenicum, calefaciunt: Non ergo ſuppoſitum calefacit per ſubſtantialem formam, & hæc ex ſe in illa calefactione nihil efficit: non ſecus ac aqua calefacta non calefacit per formam ſuam ſubſtantialem.

Objicies primò, calefactio non poteſt tribui ſuppoſito ratione caloris agentis, cùm hujus ratione non ſit ſuppoſitum, ſed ratione formæ ſubſtantialis: Ergo ſi actio eſt ſuppoſiti, erit etiam formæ ſubſtantialis per quam eſt ſuppoſitum.

Reſpondeo primò, idem dici poſſe de materia quæ eſt etiam pars ſuppoſiti Phyſici: & tamen non activa.

Reſpondeo ſecundò, calefactionem attribui ſuppoſito, non quatenus eſt ſuppoſitum, alioquin omne ſuppoſitum calefaceret contra experientiam: ſed quatenus eſt tale ſuppoſitum; hoc eſt vi calefactiva inſtructum: Ergo calefactio tribuitur ſuppoſito conſtanti materiâ & formâ ut agenti quod; illi autem virtuti ut agenti quo. Siquidem non ſecus ac in generatione forma ſubſtantialis eſt agens quo: Ita in alteratione forma accidentalis: & in utroque motu ſuppoſitum eſt agens quod, in generationem verò forma ſubſtantialis eſt agens quo principale, forma verò accidentalis tum principale, tum inſtrumentale.

Objicietur ſecundò, negari non poſſe, fontem nativi caloris ineſſe animali, fontem caloris & lucis eſſe in Sole, fontem frigoris in Globo Terreſtri, fontem virtutis magneticæ in magnete, fontem venenatæ qualitatis in bufone, quâ ipſe muſtellam inficit ac faſcinat, ſuamque in gulam attrahit devorandam, ſtupendo ſpectaculo: Atque has qualitates perpetim effluere ad extra ex talibus corporibus: ergo effunduntur ab anima, vel forma ſubſtantiali quæ illas eminenter continet, quod ex eo confirmatur, quia ipſi formæ ſunt ſpecificè propriæ.

Reſpondeo: Conceſſo antecedente, negandam eſſe conſequentiam; & ad probationem dico. Calorem vitalem in animali eſſe quemdam ſpiritum igneum Cœleſtem vel Æthereum, qui eſt animæ & corporis vinculum, ſive medium inter animam & corpus, quo anima & corpus inter ſe communicant in actionibus & paſſionibus: Ac eo utitur anima ut inſtrumento ad cibos alterandos, nutritionem, vegetationem & ſenſum. Et quia eſt naturæ Cœleſtis vel Ethereæ, ideo eſt proprium influentiarum ſubjectum, per quod anima varias ſuarum potentiarum propenſiones ſortitur à corporibus Cœleſtibus. Indiget autem pabulo ſibi analogo ut conſervetur; alioquin deficiente pabulo, quod continuo devorat ſeu reſolvit, igneus ille ſpiritus abit in auras, fitque animæ & corporis diſſolutio: tale verò pabulum cibi ſuppeditant, quibus ineſt etiam calor & humidum ætherea, ſed multis fecibus infarcta, ideoque primogenio calore vitali deteriora. Ad hæc contra naturam accenditur, à calore extraneo, motu nimio, putredine, & aliis modis: atque accenſus febres efficit, imò urit, ut patet ex gangrena & humoribus aduſtis poſt febres ardentes. Non tamen continetur in ipſa anima eminenter: ſicut nec humidum quod radicale vocant, naturæ ſimiliter ætheræ; alioquin animal ex ſua natura eſſet immortale, quia anima ex ſe perpetuo poſſet calorem illum effundere; nec opus eſſet pabulo ad illius conſervationem. Cùm ergo indigeat pabulo, tandemque animal moriatur, ſignum eſt evidens calorem illum non effundi vel effluere ab anima: ſed ipſum ineſſe Elementis atque principiis ex quibus animalis materia componitur, præſertim verò igni, aeri, vel ſulphuri. Porrò quamvis ſit animæ inſtrumentum ad concoctionem, nutritionem, ſenſationem, &c. tamen ex ſe poteſt ſeſe à dextra effundere, & calefacere, ut cauſa principalis: ad hoc enim rectore non indiget: & quamvis ſuppoſitum Phyſicum, agat per quodlibet Elementum aut principium; ſed tamen non obſtat quin horum quodlibet etiam per ſe agere poſſit.

Similiter in Globo Terræ & Aquæ eſt fons frigoris perpetuo effluentis uſque ad mediam aeris regionem, ut alibi diximus: Fons autem frigoris aquæ, eſt vel in hujus materia, vel in forma ſubſtantiali: non hoc, quia cùm nulla forma recipiatur in materia, quin hæc ſit debitè diſpoſita; frigus autem cum humiditate ſit diſpoſitio materiæ neceſſaria ad formam aquæ recipiendam: patet frigus ipſum non eſſe à forma, nec in forma, ſed ipsam quoque præcedere formam, ut ſummus calor in ligno præcedit formam ignis: ſic de cæteris corporibus omnibus ſive ſimplicibus, ſi ve mixtis, ſive Elementaribus, ſive Cœleſtibus.

Sed in in ſolutionem hanc inſurgere poterit alius, dicens, non modo calorem vitalem, ſed lucem etiam & colores ſponte effundi in corpus animalis, ab eoque retrahi, ut patet in cicendula ſeu noctiluca, quæ ſui corporis lucem, pro libitu abſcondit & propalat: tum in hominis ira, qua in paſſione color & calor corporis effunduntur in ſuperficiem, ut in timore ſubitaneo retrahuntur ad centrum: cùm igitur ſic animæ vel ejus potentiis appetitivis pareant; non aliunde quàm ab ipſa anima profluere videntur.

Sed reſpondeo, proprias animæ facultates, ut intellectum & voluntatem in homine, tum imaginationem & appetitum in quovis animali duplicem habere motum, ſcilicet unum ad intra verſus ſuum principium, quippè animæ eſſentiam; quo ad ipſum principium] confluunt, etiam interdum citiſſimè in motibus ſubitaneis ac inopinatis, ut ipſi ſuo principio ſeſe arctiùs uniant: Atque hoc motu ipſius animæ potentiæ in timore, vel extaſi trahunt ſecum intro ſpiritus animales, vitales, & quidquid ſua ſubtilitate mobilius extat, vel arctiùs adhæret potentiis. Sicque cicendula ſolo timore ſuam retrahit lucem ejuſque ſubjectum inhæſionis quod eſt ſpiritus Æthereus ſubtiliſſimus, ut pluries expertus ſum irritans beſtiolam, & fuſiùs expoſui Lib. 11. cap. 6. Extatici verò reſtant pallidi, frigidi ac velut mortui à retractis calore & ſpiritibus. Alter motus eſt ad extra, quo facultates ſeſe cum calore & ſpiritibus expandunt, vel in totum corpus, vel in ejus partem aliquam, & lucem aut calorem vel colores effundunt per ſpiritum effluxum, vel alios

producunt effectus. Sic igitur cicendula abſente metu ſuam rurſus lucem ſponte expandit: ſic iratus homo vel Gallus indicus toto corpore rubet ac incandeſcit, lætus in facie ſigna lætitiæ prodit: In imaginatione rei Venereæ percito, penis motus & tentigo excitatur: & in prægnantis fœtu formæ variæ forti imaginatione percupitæ rei producuntur. Si quidem illæ potentiæ ſunt mediæ inter eſſentiam animæ & viventis corpus, ſpiritus verò animales & vitales quibus ſupradictæ qualitates inhærent arctiſſimè uniuntur potentiis: itaque pro vario fluxu atque refluxu potentiarum verſus animæ eſſentiam & corpus; ſpiritus ipſi potentiis obſequuntur, ab hiſque reguntur in actibus præſertim animalibus & ſpontaneis. At in neceſſario agentibus quales ſunt ignis, Sol, magnes, &c: qualitates formæ ſubſtantiali propriæ, aut ſpiritus quibus inhærent intro non refluunt, ſed tantum ad extra effluunt, & ex ſe neceſſario agunt. Ergo multò minùs reguntur à forma ſi huic fuerint extraneæ, ut calor in aqua vel in terra.

Ex ſupradictis igitur patet, quod forma ſubſtantialis neque in viventibus, neque in non viventibus ſit per ſe primò cujuſquam accidentis productiva, proindeque nec alterationis cauſa immediata & per ſe, quamvis in ſpontaneis actionibus dici poſſit cauſa per accidens alterationis, quatenus ſuas movet vitales potentias quibus obſequuntur ſpiritus alterantium qualitatum ſubjecta, & in naturalibus actionibus, ut alimentorum coctione, nutritione, & generatione rationem cauſæ principalis ſortiatur, ut ſuperius dictum eſt.

Quamobrem ſupereſt ut ſolæ qualitates ſenſibiles quibus inſtructum eſt compoſitum; ſint per ſe alterationis cauſæ principales, ut lux lucis, calor caloris, frigus frigoris, &c: ſed eo modo qui cap. 9. aperietur, poſtquam octavo capite qualitatum effluxum à ſuo corpore probaverimus.

Caput VIII.

A corporibus activis in diſtans virtus perpetuo effluit in Sphæram activitatis ipſorum.

HOc probatur experientiâ manifeſtiſſimâ in magnete, quia ſua virtute ferrum diſtans inficit: Ex eo evidens quia hoc ferrum aliud ferrum attrahit. Jam verò ferrum non inficitur ab intermedio Aere cui virtus illa inhæreat, educta à magnete, ut eſt vulgaris ſcholarum opinio: quia cùm ne quidem ex plumbo, ſtanno, vel cupro, metallis ferro cognatis educi queat, ipſo magnetis contactu, multò minùs illa nobilis virtus educetur ex Aere, Igne vel Aqua contiguis corporibus inter ſe, & cum magnete natura diverſiſſimis: In quibus tamen præſente magnete virtus ipſa reperitur; non ſecus ac in ligno, ebore & ſimilibus inter magnetem & ferrum mediis; quippe quòd vis magnetica agat trans illa objecta, alioquin pertinget ad extremum non tranſeundo per medium; quod nulli corporeo ſaltem enti conceſſum eſt. Quocirca fatendum eſt virtutem illam ipſi medio ineſſe; non ut eductam, ſed ut effuſam à magnete (cui ineſt fontaliter) in ejus ſphæram activitatis: Intra quam dum ferrum admittitur, illico inficitur; non per eductionem ſimilis virtutis, ſed per effluxum ejuſdem à magnete in ſubjectum idoneum; tum ad ejus receptionem, qualia ſunt aer, aqua, lignum; tum ad ejus retentionem & inhærentiam, quale eſt ſolum ferrum, propter ſimilitudinem ſpirituum ferri & magnetis, ſibi in mutuos amplexus, mutuamque unionem occurrentium. Ex eo autem ſupradicta confirmantur, quia virtus magnetica ineſt aeri tantùm præſente magnete, & ineſſe deſinit ipſo momento illius abſentiæ, alioquin Aer illa vi infectus, abſente magnete ſaltem ferri portionem tenuiſſimam ad tempus aliquod ſuſpenderet contra experientiam; ac proinde ineſt Aeri non ut ab eo educta, ſed ut in ipſum effuſa, etiam citra ullam inhæſionem.

Quamobrem admodum fallitur Gilbertus Anglus magneticæ Philoſophiæ parens, qui multos alios fefellit; dum ait lib. 2. cap. 4. nihil à magnete effluere, ſed illum trahere per formam propriam, hoc eſt (ut explicat) per propriam entitatem partium omogenearum, quam ait eſſe totam in toto & totam in qualibet parte; quod eſt aliud Gilberti abſurdum.

Primum autem ſic refellitur; quia ſi à magnete nihil effueret, ergo vis ejus ageret in diſtans non tranſeundo per medium, quia tranſitus per medium non fit ſine effluxu: Si verò tranſitus per medium non ſit neceſſarius, poterit fieri tractio ferri ad quamvis diſtantiam, contra experientiam: non enim alia limitatæ diſtantiæ ratio afferri poteſt, quàm quia vis magnetica habet ſuam activitatis ſphæram determinatam, ultra quam non extenditur. Sique magnes ſit A ferrum autem trahatur ex B, C, non autem ex remotiore D; ratio erit quia vis magnetis non pertingit uſque D; pertingit autem ad B & C, ideoque eſt effuſa ab A ad B, C, & inter media puncta omnia.

Secundum verò abſurdum refutatur, quia nulla entitas conſtans partibus ejuſdem rationis vel omogeneis, per quantitatem circumſcriptivè coextenſis materiæ, eſt tota in toto, & tota in qualibet parte totius, id enim repugnat circumſcriptioni, quâ diverſæ partes entitativæ, diverſo ubi extrinſeco alligantur. Idque à nobis evidenter oſtenditur lib. 4. cap. 3. ubi agimus de formali ratione quantitatis.

Porrò ſuperiùs dicta de magnete confirmantur, primò ex luce quæ ineſt tantùm Aeri præſente corpore luminoſo & ineſſe deſinit momento ejus abſentiæ; moveturque ab una parte Aeris ad alteram, motu corporis luminoſi, non ſecus ac virtus magnetica motò magnete: Ergo etiam lux ineſt Aeri, non quòd ab hoc ſit educta, ſed quod in hoc à corpore lucido ſit effuſa.

Secun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4


Secundò, ex reflexione radiorum luminis & caloris Solis à ſpeculo; quæ reflexio ab omnibus conceditur: At radii illi non reflecterentur à ſpeculo, niſi aliunde à Sole in ſpeculi locum effluerent ac circularentur, cumque reflecti poſſint imò reflectantur etiam à Terreſtri Globo & Planetis reliquis; imò ab ipſa glacie in Parheliis. Ergo per totum ſpatium lux & calor Solis effunduntur.

Tertiò, quia cum lucem, calorem & influentiam Tellus à Sole excipiat, hoc erit vel per effluxum ab ipſo corpore ad Tellurem uſque, vel per tranſmiſſionem virtutis in diſtans, medio non pertranſito, vel per eductionem ex interjecto medio. Secundus modus non datur in entibus corporeis ut dictum eſt ſupra. Ex tertio autem nullus effectus Sublunaris immediatè pendebit à cauſis univerſalibus, contra communem Philoſophorum ſententiam; quæ eſt corpora Cœleſtia attingere Sublunares effectus immediatione virtutis, quod tamen eſſe nequit quin virtus ipſa uſque ad ipſos effectus effluat à Cœleſti corpore. Ergo etiam ex communi Philoſophorum ſententia effluit. Ergo non educitur ex interjecto medio, quia illam ſimul effluere & educi ſuperfluum eſſet in Natura.

Denique lucem, calorem & ſimiles qualitates denſari per collectionem in anguſtius ſpatium, Phyſicè & Mathematicè demonſtratur ab Opticis: Ergo eaſdem attenuari per liberam effuſionem in amplius ſpatium neceſſe eſt; idque etiam docent Optici. Igitur lux, calor, vis magnetica, influentiæ & ſimiles qualitates effunduntur in ſphæram activitatis ſuorum corporum, & non educuntur.

Quoniam verò hujus rei certa cognitio eſt in ſcientia Phyſica momenti maximi, ut infra patebit: danturque ingenia quæ aut defectu luminis naturalis, aut exceſſu pernicaciæ nulli aſſentiuntur veritati, niſi quantum rei natura patitur Mathematicè demonſtratæ, idcirco hanc in omnium gratiam ſic demonſtramus.

Sit A Globus ferreus ignitus. Poſitâ autem ejus activitatis ſphærâ libera C D, in qua (ut volunt) producit calorem eductione; ſupponatur, ergo eductum eſſe ex ſphæra B E, quidquid caloris ab ipſo Globo educi poteſt. Jamque detur corpus ſolidum ac denſum circumobſiſtens, contiguum ſphæræ B E, ex ſe frigidum, ut marmor, aut ipſa glacies: Ergo in hac ſphæra per antiperiſtaſim calor fiet intenſior: At non per eductionem, quia ſupponitur eductum fuiſſe quidquid caloris educi poterat: Ergo per collectionem in ſphæra B E, caloris effuſi in totam ſphæram C D: Ergo etiam erit in B E per effuſionem; non enim eſt aliter in C D, & aliter in B E. At ſuperiùs ponebatur eſſe in B E per eductionem; ergo hypotheſis falſa eſt quod ſi dicatur poſito circumobſiſtente, plus caloris educi poſſe ex B E, quàm non poſito: hoc erit vel quòd à circumobſiſtente ſphæra B E fiat Globo A propinquior (quandoquidem à cauſis activis in diſtans propinquum intenſiùs afficitur quàm remotum) vel quòd eductione caloris ex B E calor ipſe intendatur in globo A, vel tantum in ſphæra ipſa B E: Atqui hæc omnia ſunt abſurda. Primum quidem ut ex ſe patet, duo reliqua verò, quia nec ſphæræ B E, nec globi calor poteſt intendi, niſi ab alio calidiori, quod hîc non reperitur. Ergo calor non eſt in ſphæra B E per eductionem, ſed per effuſionem. Idemque de lumine demonſtrabitur poſito circumobſiſtente opaco corpore, & de aliis.



Cæterùm doctrina hæc Ariſtoteleos crabrones non parum irritabit: ex ea ſiquidem multa manifeſtè deducuntur ab illorum opinionibus plurimum aliena & hactenus ignota, ſcitu tamen digniſſima, quæ jam explicare aggredior.

CAPUT IX.

Qualitates ſenſibiles non ſunt ſibi ſimilium productivæ.

Qualitatum ſenſibilium aliæ agunt in diſtans, ut calor, frigus, ſonus, lux, vis magnetica, influentiæ Cœleſtes, & ſi quæ ſunt aliæ illis agendi modo ſimiles. Aliæ verò non agunt in diſtans, ut colores, ſapores. Sic autem probatur Aſſertio noſtra, & primò de agentibus in diſtans.

Nam hæ qualitates ſuam à Natura ſortiuntur activitatis ſphæram, in quam perpetuò ſeſe effundunt agendi neceſſitate, ut ſuperiùs dictum eſt. Atqui ſubjectum intra ſphæram ipſam contentum & effuſo calore actuatum, quantum actuari poteſt ab ipſo calefaciente Phyſico ſuppoſito, non eſt amplius in potentia ad ſimilem calorem, multóque minus ad remiſſiorem: Ergo neque ſimilis, neque remiſſior ampliùs eſt in ipſo ſubjecto à quacunque cauſa producibilis. Sed nec etiam intenſior, producibilis eſt ab ipſo calore effuſo; nam ageret ſupra ſuas vires; nec ab ipſo calefaciente corpore Phyſico; quippe quòd ſupponitur egiſſe quantum poteſt. Ergo calor non eſt caloris productivus, ſed tantùm ſui effuſivus extra ſubjectum proprium cui fontaliter inhæret.

Præterea cùm à globo ferri ignito calor neceſſariò effluat ex cap. 8. ſi in ſphæram effuſus calor alium produceret, certè hic eſſet vel alius ſpecie, vel tantum alius numero: Primum nullus dicet Philoſophus: Si verò quiſquam ſecundum aſſeruerit, ergo effuſus & productus calor erunt duæ caloris partes entitativæ, quas gradus appellant; qui non poterunt non coire in unum numero per ſe, ut fit in qualitatum intenſione: Sicque tria ſequentur abſurda; nempe quòd erunt duo, & non erunt duo; quodque effuſus ſeipſum intendet, & ex cauſa & effectu fiet quid unum per ſe. Denique

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

nique globus ignitus non aliter calefacit quàm ſuum effundendo calorem in calefactibile : ergo non alium producendo, vel educendo , ut ſuperius oſtenſum eſt. Atque eadem eſt ratio de frigore , luce , vi magnetica, & cæteris in diſtans agentibus. Nihilominus tamen qualitates hæ verè alterant ſubjecta in quæ effunduntur : quòd nempe hæc immutent in qualitatibus ſenſibilibus ipſo remanente ſubjecto; lapis enim in quem Sol ſuum calorem effundit, verè calefit ac mutatur ad calorem , atque ſic de reliquis.

Neque hæc obſtant quin qualitates hæ aliter etiam gignantur in ſubjectis : Calor enim motu ſolo propriè gignitur, imò ignis ; ut patet in curruum rotis dum accenduntur, & diſſolutionibus Chymicis per aquas fortes, quæ eroſionis motu ſeipſas & metallum ſolubile vehementer calefaciunt : præterea in cicendula , piſcium ſquammis, & oculis, lux propriè gignitur, & in magnetica, ſed neque in his etiam dici poteſt quod calor gignat calorem, aut lux lucem, &c.

Quæ verò qualitates non agunt in diſtans, ut ſapores & colores ; etiam ſibi ſimiles qualitates non generant, ſaltem propriè. Nam hæc generatio ſupponit privationem formæ introducendæ ; ſed dum ex duobus diverſis ſaporibus aut coloribus fit tertius, hic jam partialiter ineſt in utroque miſcibilium ſubjectorum ex quorum mixtione tertius ipſe reſultat : Non ergo ſapor generat ſaporem, nec color colorem.

Quippe multiplex eſt alteratio, una ſine materialium principiorum mixtione , ut cùm Sol lapidem calefacit, aut vitrum illuminat: Et hæc pertinet ad ſola agentia in diſtans de quibus ſupra : Alia verò fit cum principiorum materialium mixtione; ſicque alterant immediato tantùm contactu agentia, per eam qualitatem qua alterare dicuntur, qualia ſunt piper, arſenicum , ſpiritus vitrioli , crocus, dum ſuo calore, aut ſapore, aut colore alterant. Eſt & alia alteratio à fermentatione, alia à digeſtione, alia à putrefactione : ut dum fœnum putrefactione incenditur, alia à motu qui calorem, ignemque generat, ut patet in curruum rotis, quæ abſumpto adipe quo illinuntur, accendi ſolent ipſo motu, & alia ab imaginatione ut in prægnantibus, timidis, triſtibus, & aliis de quibus etiam ſupra.

Quamvis autem nulla qualitas ſibi ſimilem ſpecie gignat, poteſt tamen gignere diſſimilem tum naturaliter, tum artificialiter. Nam Sol ſuo calore varios producit colores in mixtis prout agit in humidum vel ſiccum : ſuſpenſorum enim humida capita primò denigrat, & calvariam ſiccam dealbat, & arborum fructus rubedine tingit: Similiterque ignis vulgaris ex plumbo efficit ceruſam albam, & ex ceruſa minium rubrum : hæc autem fiunt ſine miſcella, ideoque colores hi propriè gigni dicuntur. Sed præterea calor tum naturalis , tum artificialis gignit odores & ſapores ; niſi malis dicere cum Chymicis quod eos priùs occultos manifeſtet, ac quod eſt interiùs extrovertat. Quippe dicunt ii ſub nigredine latere albedinem , & ſub albedine ruborem, ſed de his non eſt hìc dicendi locus.

Objicies : Inde ſequi quod nullum agens in diſtans , futurum ſit cauſa efficiens ſive agens; quæ eſt mera contradictio. Et ratio eſt quia ſi calidum A ponatur calefacere B , id efficiet effuſo in B calore : hic autem eſt forma calidi B, non ergo erit ejus efficiens : nihil enim poteſt ſimul eſſe ejuſdem cauſa efficiens & formalis.

Sed reſpondeo rationem illam univerſaliter falſam eſſe. Ut palam eſt in hominis nutritione quæ fit ab anima ut agente principali quo, quamvis ipſa ſit forma alimenti in hominis ſubſtantiam mutati. Quod etiam dicendum eſt de aliis viventium formis , quas plerique putant educi ex potentia materiæ alimenti dum in viventis mutatur ſubſtantiam : quod autem anima in nutritione ſortiatur utriuſque cauſæ rationem, patet ; quia eſt id unde eſt principium mutationis, proindeque efficiens ; tum id quod alimento dat eſſe hominis, proindeque forma ; quippe ſeſe effundens in alimentum debitè diſpoſitum. Idemque de calore A reſpectu calidi B dicendum eſt , vel etiam dici poteſt, quod calidum A calefacit efficienter ſuo calore fontali , impellente atque introducente in ſubjectum B caloris partes entitativas continuò fluentes ab A in ejus ſphæram ; non ſecus ac aqua fontis propellit jam egreſſam ; formaliter autem calefacit effuſo in B calore.

Caput X.

De qualitatum intenſione atque remiſsione.

MUlta de his controvertuntur in Scholis quæ hic non eſt opus enucleare : pauca igitur hic attingemus propoſito noſtro magis conducentia.

Itaque primò certum eſt dari qualitatum intenſionem & remiſſionem , hoc eſt , motum quo in eadem ſubjecti parte qualitas eadem augetur vel minuitur, idque patet ſolo ſenſu ſi manus igni ex propinquo exponatur. Nam primo occurſu calor ſentitur exiguus; at ſi manus perduret in eadem ab igne diſtantia, augetur in ipſa calor; ita ut ſit intolerabilis.

Secundò cauſam intenſionis & remiſſionis eſſe duplicem. Prima eſt quòd qualitates ipſæ non ſint indiviſibiles , ſed conſtent partibus entitativis omogeneis, ut diximus Lib.4. cap.4. dum de quantitate actum eſt ; ideoque per partes acquiri poſſunt pro alterantis cauſæ efficaciori virtute , & applicatione ; atque ſic Sol meridianus illuminat calefacitque intenſiùs quàm oriens, vel occidens, vel quodvis aliud aſtrum. Secunda eſt contraria in ſubjecto alterando qualitas, quæ ſibi contrariæ reſiſtens, nonniſi ſenſim expellitur ; ut etiam ſentitur dum Hyeme frigidas manus igni admovemus : vel frigida capitis intemperies calidis curatur topicis. Itaque introducenda qualitas ob illam contrarietatem non niſi ſenſim etiam & per partes introducitur.

Tertiò: Intenſionem fieri per additionem gradus ad gradum, ſive partis ad partem: Remiſſionem verò per detractionem partis à toto. Nam dum manus frigida igni admovetur, ipſe ignis

ex

ex ſuo caloris fonte quidquid poteſt caloris effundit, at manum quantùm poteſt non calefacit in inſtanti ob ejus denſitatem & frigoris reſiſtentis præſentiam. Senſim ergo calefacit, ut ſenſu ipſo deprehenditur, exigua primùm ſui caloris parte introducta, & poſt hanc aliis ſucceſſivè; cum hac tamen differentia, quod in æqualibus temporis ſpatiis eò plus caloris in manu recipitur quò minus in ipſa frigoris relinquitur: nam calor quò minus reperit reſiſtentiæ, vel ex parte denſitatis ſubjecti, vel ex parte contrarii frigoris, eò citiùs totum quem poteſt producit effectum. Dum verò calor per partes introducitur, etiam frigus per partes expellitur, fugiens fortius contrarium, quippe ex duobus his contrariis fortius ſemper expellit alterum quantùm poteſt; fit igitur remiſſio per detractionem partis à toto.

Quartò gradus ſive partes entitativas qualitatis quæ per intenſionem in eodem ſubjecto acquiruntur, coire in ipſo in unam numero qualitatis entitatem; quandoquidem naturâ vel ſpecie inter ſe non differunt: non ſecus ac una gutta aquæ addita alteri, efficit unam numero entitatem aquæ. Id autem patebit clariùs ſi dixerimus ac probaverimus, quod calor globi ferrei igniti, calor ab eo effuſus in Aerem, & calor ab ipſo in lapidem diſtantem introductus, ſunt unus duntaxat numero calor.

Illud verò probatur ex aqua fontis, alvei in quem illa effunditur, & adjacentis prati in quo illa recipitur; quæ ſunt una tantùm numero aqua: tum ex aqua ejuſdem dolii, in quo plures ſpongiæ madeſcunt; quæ non fit multiplex numero aqua per multitudinem ſpongiarum. Sic igitur calor ſupradictus equidem conſtat partibus entitativis ab invicem diviſibilibus, ſed tamen quæ remanent, unus numero calor donec actualis interveniat partium à partibus ſeparatio, quia ſunt omogeneæ & ejuſdem naturæ, ut patet etiam in baculo per ſe uno dum indiviſus remanet, qui tamen diviſus non eſt amplius numero unus, tum duabus candelis quæ conjunctæ accenduntur unico numero igne: ſi autem ab invicem ſeparenter, duo ignes & duo calores reſultant. A ſimili igitur lapis igni propinquus calet eodem numero calore quo ignis & Aer medius, quippe quod nulla ſit hìc naturæ diverſitas, nec ipſius caloris diſcontinuatio. At ſi lapis calefactus removeatur ab igne extra ſphæram ejus activitatis, non ampliùs erit calidus eodem numero calore, ob ipſius caloris diviſionem. Sèque calor effuſus à globo ignito non eſſet idem numero cum calore globi effundentis. Ergo eſſet alius, proindeque non eſſet calor effuſus à globo contra hypotheſin; vel illius individuatio effuſione deſtrueretur, ſicque ipſe non effunderetur, quod etiam contrariatur hypotheſi. Præterea ſi eſſet alius numero à calore globi, ergo eſſet ab hoc de novo productus vel eductus in Aere vel lapide: at calorem à calore nec produci nec educi ſuperius oſtenſum eſt: igitur eſt idem numero calor, etſi partes entitativæ ſint diverſæ.

Nec refert quod globus, Aer medius & lapis ſint ſubjecta numero diſtincta: tum quia ſubjectum non eſt individuationis principium, ut docetur in metaphyſicis: tum quia ut ſubjecta dicuntur numero diſtincta, quia ſunt diſcontinua: ſic calor globi, Aeris, & lapidis, debent eſſe diſcontinui, ut dicantur numero multi. Inde verò ſequitur quod quæcunque corpora ſive lapides ſive plantæ ſive animalia ſunt eidem ſoli ſimul tempore expoſita, eodem tantùm numero calore ſunt calida: nam cujuſque calor eſt idem numero cum calore Solis à quo effluit, ut ſupra oſtenſum eſt: ergo omnium eſt idem numero calor. Non ſecus ac piſces in aqua frigida non diſcontinua eidem numero frigore ipſius aquæ frigent, & eadem numero humiditate madent.

Cæterùm hæc quidem ſatisfaciunt pro qualitatibus effuſis ab agentibus in diſtans: At pro qualitatibus non effuſis, ſed productis in ſubjecto per eductionem, vel extroverſionem, ut dum calor per motum à ſubjecto educitur, vel color internus & latitans extrovertitur, forſan à pleriſque alia ratio deſiderabitur, cùm tamen eadem ſufficiat. Nam cùm nulla ſit ſpecifica differentia, nec diſcontinuatio inter gradum caloris aut coloris jam productum, & eum qui per intenſionem producitur; nec ulla etiam inter ipſos erit numerica diſtinctio.

Denique reflexio & collectio radiorum caloris Solis ad aliquod Aeris punctum, vel ad aliquod combuſtibile, per ſpeculum concavum, etiam intenſio vocari poteſt; quatenus per reflexionem illam plures caloris radii ſive partes entitativæ ad ipſum punctum colliguntur, unde calor ibidem tantùm augetur ut accendat etiam.

Caput XI.

De Alterationis duratione.

Lux, influentiæ Cœleſtes, atque vis magnetica non ſolum effluunt in inſtanti à ſuis corporibus ad quantam poſſunt diſtantiam, ſed etiam in inſtanti quantum poſſunt alterant ſubjecta ſuæ alterationis ſuſceptibilia, & quidem lux effluit per media duntaxat diaphana; at vis magnetica & effluentiæ etiam per opaca; vis enim magnetica ligneam tabulam trajicit, & influentiæ totum Telluris globum ut alibi ex profeſſo oſtendimus. Effuſionis autem inſtantaneæ ratio eſt, quòd qualitates hæ naturâ æthereæ atque Cœleſtes, contrario per ſe careant in Natura, ſolaque ſit earum privatio, in ſubjectis idoneis quæ ipſarum effluxui ac impreſſioni actuali reſiſtere nequit, cùm illa non ſit actu; nihilominus tamen earum fluxus cohibetur denſitate & ſoliditate corporum: lux enim etſi tenue vitrum facile trajiciat, tamen 4 aut 5 pedibus ſpiſſum vix trajiciet utcunque ſit diaphanum, quid ergo ſi 100 pedibus ſpiſſum eſſet? aut quid de profundioribus Oceani aquis cenſendum eſt? ad has certè exigua lux Solis deſcendit, indeque fit ut profundiores aquæ atriores appareant; quandoquidem ipſæ nubes præſertim denſiores, lucem Solis ad nos uſque maximè cohibent, etſi aquâ maris longè rariores. Similiter vis magnetica ſi penetrat poroſam ligneam tabulam duorum digitorum ſpiſſitudinis, non penetrabit trabem aut marmor quatuor digitis ſpiſſum, & ipſæ influentiæ Cœleſtes quibus nihil

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

nihil datur in Mundo ſubtilius, interpoſitione Terræ nonnihil debilitantur, ut alibi oſtendetur; nulla quippe talium qualitatum eſt virtutis infinitæ.

At calor & frigus duplici de cauſa ſucceſſivè effunduntur in ſphæram ſuæ activitatis. Prima eſt medii occurrentis denſitas: quippe Solis calor non penetrat in inſtanti ligneam feneſtram aut parietem, ſed ſucceſſivè; ut experientiâ conſtat, etſi aerem nubibus ſaltem vacuum in inſtanti penetrat ut ipſa lux; ex eo evidens, quòd eo momento quo Sol ſine nubibus apparet, ſupra Horiſontem, ſpeculum concavum, non modò ejus lucem ſed etiam calorem à luce realiter diſtinctum ſimul tempore denſet ſuo foco, & eo calefacere incipiat; non tamen comburat priuſquam 4 aut. 5 gradus aſcenderit, ob vaporum copiam circa Horiſontem, qui caloris ipſius vim retundunt. At ſi in totali Solis Eclipſi facta in meridiano, Luna in inſtanti totum Solis diſcum defereret, eodem inſtanti per ſpeculum ſoli oppoſitum combureret. Altera eſt, quia dantur in natura hæc duo contraria, calor & frigus; quorum in eandem ſphæram eſt effluxus perpetuus à ſuis fontibus in Mundo præcipuis vel efficacioribus, ſaltem noſtri reſpectu; quippe Sole & globo Terreſtri, tum aliis minùs præcipuis, ut igne noſtrate glacie & ſimilibus. Ideoque in eodem ſubjecto contemperantur pro ratione virtutis cauſæ agentis utriuſque, vel harum ad ipſum ſubjectum applicatione. Et conſervatur utraque qualitas in ſubjectis utrique recipiendæ idoneis à cauſarum agentium præſentia; non ſecus ac lumen in Aere à præſentia Solis, unde altero agentium recedente ſubjectum ab altero afficitur intenſius: ut patet ex Aeris infimi calefactione à Sole interdiu & frigefactione à Telluris globo noctu; tum ſi neutro agentium recedente, alterum aut virtute augeatur, aut ipſi ſubjecto morâ vel efficaciore ſitu applicetur: quoniam verò ſubjectum alterabile perpetuò actuatur aliqua latitudine contrarietatis, quam octo graduum eſſe Philoſophi dixere, proindeque unum contrarium intendi nequit niſi altero reſiſtente expulſo, ab hac etiam reſiſtentia fit, quod caloris & frigoris effuſio in ipſum ſubjectum virtuti agenti proportionata, ſit ſucceſſiva. Et idcirco horis matutinis frigus Terræ noctu expanſum in Aerem, fugit ante Solis ortum, ab hujuſque calore repercutitur: indeque tempus Auroræ, ipſa etiam nocte media ſentitur frigidius per talem antiperiſtaſin.

Poſſet autem objici media Aeris Regio ſemper frigidiſſima, etſi Solis calor illam permeet. At vide hujus difficultatis ſolutionem lib. 3. ſect. 1. cap. 10. ex qua dices Solis & Terræ globos calore & frigore in eandem mediam Aeris regionem perpetuò agere, ſed Terræ globum ſuo frigore in illa regione prævalere.

At ſonus quamvis in ſuæ activitatis ſphæra contrario careat, tamen non niſi ſucceſſivè infunditur intra ipſam: ipſe enim eſt eſſentialiter Aeris vel corporis Aeri ſimilis percuſſio, ideoque in vacuo excitari non poſſet. Ut igitur aqua percuſſa, ſuæ percuſſionis motum præſertim à lapidis caſu in ipſam, orbiculatim expandit ad aliquam uſque diſtantiam: ita ſonus idem efficit in Aere; motus autem vel Aquæ vel Aeris fit tantùm in tempore, ideoque ſonus quo ex majori diſtantia auditur, eò tardiùs percipitur: penetrat nihilominus muros & quæcunque poroſa ſunt, quia pori ſunt Aere pleni, ſed totus non penetrat, pars enim maxima repercutitur à ſoliditate corporum, indeque fit echo, quæ nihil aliud eſt quàm ſonus repercuſſus ſive reflexus in Aerem clauſum.

Caput XII.

An agentia in diſtans diſsipentur per ſuæ virtutis effluxum.

Hæc diſſipatio ſive diminutio intelligenda eſt, tam de corpore quàm de virtute ipſius agentis.

Primò autem videtur aſſerendum, has virtutes per ſe effluere ſine diſſipatione materiæ vel ſubjecti cui fontaliter inſunt. Idque patet ex igne, qui accenſus in medio campi, violento flante vento, à quo ignis flamma, & quidquid materiæ poſſet ab igne circufundi, fugatur cum ipſo Aere in partem oppoſitam, nihilominus ex parte venti calefacit. Præterea lux Solis etiam reflexa & ſummè denſata à ſpeculo parabolico remanet inviſibilis in ſpeculi foco, qualis ipſa eſt in ſe; quamvis ſit per ſe viſibilis, primumque viſibile; quippe quæ non niſi in ſubjecto utcunque denſo videri poteſt; quales fortè occurrent nonnulli ex Aere atomi in ipſo foco vel circa: ergo nec ipſa lux nec calor eam comitans effluunt à Sole cum materia ſaltem ad os uſque.

Dicet forſan aliquis in illo foco eſſe Aeris materiam, quæ tamen ob ſuam tenuitatem non efficit ut lux videatur, quamvis materia lucis & caloris comes, ſit longè tenuior & ſubtilior Aere; proindeque etſi lux non videatur in foco, non inde ſequi illam carere materia ſibi propria.

Sed Reſpondeo, materiam Aeris in illo puncto non denſari, ſed potiùs maximè rarefieri. At ſi ibidem eſſet materia, lucis & caloris propria, ibidem procul dubio denſaretur ſicut lux & calor ipſi inhærentes: ſicque lux videretur, alioquin ſibi quoque rareſceret, ergo etiam lux & calor, proindeque ſegniùs agerent, nec in momento comburerent, & metallum quoq; liquarent: ergo ibi propria carent materiâ: confirmatur autem hoc evidentiùs ex eo quòd tota lux à ſuperficie parabolica, reflectitur ad punctum Mathematicum, per illudque tranſit in partem oppoſitam; at in illo puncto caret ſubjecto inhæſionis, vel materia propria, ut cap. 5. oſtenſum eſt; ergo etiam per illud tranſit in partem oppoſitam ſine propria materia; ergo effluit ſine materia.

Probatur etiam ex puri auri maſſa ignita, aut vitro fuſo quæ potenter calefaciunt nihil evaporantia, de communi conſenſu Alchymiſtarum: ſique effuſio caloris ſine evaporatione materiæ non fieret, ergo quo major eſſet caloris effuſio, eo major eſſet evaporatio; ſicque aurum præ cæteris maximè diſſiparetur: quia ut corporum omnium denſiſſimum, caloris copiam effundit maximam dum igne liqueſcit, cùm tamen ab igne non minuatur ejus materia. Et quamvis aurum vel vitrum ignitum diſtantem paleam imò lignum accendant; id tamen non efficiunt per emanantem flammam quæ eſt volatile ſulphur accen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

accenſum, quod in ipſis nullum eſt: ergo per ſimplicem calorem emanantem; nec fit etiam per circumſtantem Aerem accenſum. Nam ſi Aer vel Æther accendi poſſent eſſentque congruum igni pabulum, jamdiu à Sole tota Ætheris & Aeris regio conflagraſſent; tum etiam ab igne noſtrate, dum vel urbes integræ comburuntur, vel montes plurimi flammas evomunt ardentiſſimas, cùm tamen nihil tale conſpiciatur in natura.

Objiciet Ariſtotelis Schola: Ergo accidens per ſe producet ſubſtantiam; quippe calor ignem, quod nefas eſt opinari.

Quidam videntes formam vitri non eſſe cauſam principalem illius ignis, quæ calore utatur ut inſtrumento, confugiunt ad Authorem naturæ, quem ſupplere dicunt cauſæ efficientis vicem, ſed à veritate mihi videntur aberrare. Nam ſi motus non modo calefacit, ſed etiam accendit rotas curruum, quidni multò magis id poterit calor ipſe? Itaque ſulphur ligni ſummè calefactum vel motu vel extraneo calore, ipſo tantùm calore accenditur, remanetque accenſum in materia ſulphuris: ſi enim flamma illa vel ſulphuris fumus iterum denſaretur per diſtilationem, nil aliud quàm ſulphur eſſe deprehenderetur; quocirca nulla in eo fit nova ſubſtantiæ generatio. Veluti fumus vel vapor aquæ qui non eſt inflammabilis, nihilque aliud eſt quàm aqua calefactione rarefacta, quæ denſatione redit in aquam.

Denique id probatur ex frigore quod effluit ex glacie ſine diſſipatione ſubjecti: frigus enim non diſſipat, ſed potiùs cogit. Frigus autem ex glacie & nive effluere proculdubio ſentiret, tum fateretur, qui inter glaciei aut nivis parietes nudus includeretur.

Attamen quamvis qualitatum effluentium ſupradicta ſubjecta non diſſipentur ſeu reſolvantur, nihilominus multa ſunt alia quæ diſſipantur. Hujus autem diverſitatis duplex ratio eſt. Primò enim non diſſipantur, quæ ex natura ſua non ſunt reſolubilia. Ut primum Cœlum ſimpliciſſimæ & ſuperadamantinæ naturæ, quod ſuas influentias effundit in hæc inferiora. Tum in his Sublunaribus aurum, vitrum, & quodvis aliud corpus fixum. Diſſipantur autem quæ ſunt ex natura ſua reſolubilia; ut quæcunque habent ſulphur inflammabile, aut aliud principium vel Elementum adhuc volatile, cujus generis ſunt mixta omnia, auro & forſan pretioſis lapidibus quibuſdam, ut adamante, exceptis.

Secundò alia diſſipantur, quòd qualitas ipſa effluens ex ſe diſſipet, qualis eſt ſolus calor actualis, quippe calor quodcunque ſubjectum ingreditur, in eoque ſummè intendi poteſt: ac ſi ſubjectum ipſum fuerit reſolubile & volatile ipſum reſolvit; ut aquam, ſi autem fuerit inſuper inflammabile, ipſum accendit & depaſcitur; in eoque ſubjecto perſtat quovis non obſtante frigore, donec illud in cineres redegerit, niſi extinguatur, aut ſuffocetur, aut aliter impediatur. Si verò ſubjectum non fuerit diſſipabile, ut aurum & vitrum, tunc calor ipſe vel extra effluens vel expulſus à frigore ſubjectum illud deſerit ac evaneſcit. At non diſſipantur, quorum qualitas effluens non eſt ex ſe diſſipativa, ut frigus in glacie, vel influentia primi Cœli.

Sed qualitates ipſæ effluentes omnino videntur minui ac diſſipari, quantumvis inſenſibiliter. Siquidem virtus in magnete non eſt partibus entitativis infinita; & proinde cùm ipſa vis continuò effluat à magnete, ejuſque pars aliqua non ſolùm recipiatur, ſed inhæſivè quoque retineatur à ferro extra magnetis ſphæram tranſlato, idque innumeris ferri fruſtis accidere queat; negari nequit, per effluxum virtutis ipſius & ſingulas ejus partes in ſingulis fruſtis receptas, vim magnetis fontalem diminui, alioquin eſſet infinita; idque patet ex ipſo magnete, cujus vis ſucceſſu temporis debilitatur. Eademque eſt ratio de calore & frigore, imò luce Solis, quæ à calcinato lapide bononienſi inhæſivè recipitur & per aliquod tempus conſervatur. Similiter negari nequit, quòd à primo Mobili qualitas influentialis omnium efficaciſſima & diviniſſima continuò effluat in hæc inferiora. Id enim patet in ſingulis hominibus momento præſertim nativitatis ejus influxum excipientibus, etiam pro ratione ſitus partis Cœli quæ influit, ut ſuo loco oſtendetur. Nec etiam idem negari poteſt de Solis luce, calore, & influentiis.

Sed neque dici poteſt, id quod effluit ab illis corporibus, tum reliquis primarum Naturæ qualitatum fontibus præcipuis, continua partium entitativarum acervatione intra ſuam activitatis ſphæram intendi; jam enim ſphæra Solis calore, & ſphæra Globi Terreſtris frigore eſſent intolerabiles. Ergo fatendum eſt aut qualitates ipſas continuò minui & corrumpi, aut continuò ad ſuos fontes refluere. At primi Mobilis & Aſtrorum influxus corrumpi probabile non eſt, cùm ne quidem frigus & calor ſeſe corrumpant, ſed duntaxat expellant, vel effluendo tranſeant de ſubjecto in ſubjectum, ut à lapide in Aerem contiguum, vel manum tangentis hominis. Ergo qualitates à primis ſaltem naturæ fontibus effluentes, illuc tandem remeare probabilius eſt: ſicque Mundum hunc in eodem cauſarum univerſalium ſtatu permanere, abſque ulla cauſarum ipſarum debilitatione. Adde quòd qualitatum ipſarum aliquæ, congruo pabulo conſerventur eædem per æquivalentiam; ut calor in Sole, quem continuò reſolvi teſtantur Solares maculæ, proindeque etiam reparari, ut noſter Globus Terreſtris, à quo nubes & exhalationes elevantur, in ipſumque recidunt; mixtorum enim qualitates effluentes ut magnetis vim, & cicendulæ lucem probabile eſt etiam ſuos in Naturæ Elementis vel principiis habere fontes, ad quos abſoluti à mixtione revertantur.

Caput XIII.

Quo oſtenditur poſſe eſſe virtutis effluxum ab agente, citra actionem externam.

SI enim præter Solem corpus nullum eſſet, vel corpus aliud lucidum aut ignitum, vel etiam magnes in vacuo ſeu in ſpatiis inanibus ponerentur, nullo admiſſo patiente intra ſphæram activitatis ipſorum; virtus nihilominus efflueret neceſſario ab illis corporibus, alioquin cohiberetur & non cohiberetur; illud ex Hypotheſi, hoc verò, quia in vacuo vel ſpatiis inanibus nihil eſt quod cohibere poſſet: Ergo in illis virtus ipſa non

non cohiberetur, aut à nihilo, cohiberetur; quod abſurdum eſt: Ergo cohiberetur & non cohiberetur, quod implicat: Ergo etiam citra actionem efflueret. Adde quòd corpora quo ſolidiora ſunt, atque denſiora, eo magis effluxum qualitatum ſiſtunt: quo fluidiora & rariora, eo minùs; quo autem ſunt fluidiora & rariora, eo magis ipſi ſenſui videntur accedere ad inane ſeu vacuum, quod cùm nihil ſit actualis, nihil etiam erit quod qualitatum effluxui minus impedimentum queat objicere. Ac certè ſi Aer, Aqua, Terra, neque ſunt cauſa cur Sol calorem ſuum effundat, neque hujus effuſionem cohibere vel ſiſtere queunt, multò minùs nihilum id efficiet.

Inde verò deducitur quod in ſpatiis inanibus ſphæra cujuſvis corporis in diſtans activi, major erit quàm extra inane: quia ſcilicet corpus omne virtutem effluentem ſiſtit, quantumvis Aer ipſe id præſtet inſenſibiliter: non tamen propterea erit infinita, quia alioquin virtutis activitas eſſet infinita, ut alibi demonſtravimus, quod abſurdum eſt.

Caput XIV.

Quo probatur dari poſſe actionem in diſtans & non in medio.

NAm ſi ex corporibus tantùm darentur Sol & Terra à ſe diſtantia, nihil eſſet quod luminis & caloris effluxum à Sole in Tellurem impedire poſſet, ergo efflueret ad Terram eamque illuminaret & calefaceret ex ſupradictis; proindeque ageret in diſtans & non in medium. Hoc autem eſſet per accidens, tantúmque defectu ſubjecti in medio inani, à quo virtus in totam ſphæram effuſa recipi poſſet. Agens enim ſuam per ſe effundit virtutem; quod autem recipiatur vel non, ab aliquo ſubjecto intra ſphæram, eſt illi per accidens. Nec verò Sol eo modo ſolùm calefaceret, ſed etiam ureret, ſi quippe calor à Sole effluens vel vicinitate, vel ſtatione Solis ſufficienter in ſubjecto intenderetur. Ergo eſſet actio in diſtanti & non in medio, ob ſubjectum in diſtanti & non in medio. Omni autem naturali agenti in diſtans neceſſarium eſt quod ejus virtus effluat per medium, proindeque verum non eſt dari virtutem in diſtanti, & non in medio, ſed verum eſt dari actionem in diſtanti & non in medio. Ex hoc autem fit manifeſtum, illos egregiè falli, qui volunt, quod ſi inter Solem & Terram daretur vacuum ſpiſſitudinis unius tantum folii chartacei, Sol in Tellurem non ageret; ſed ejus lux, calor, & influentia ab illo vacuo cohiberentur; ideoque naturam à vacuo abhorrere. Certum ſiquidem eſt corpora non ob eam cauſam à vacuo abhorrere; ſed odio diviſionis & amore unionis; propter quæ potiùs, vel contra propriam naturam moveri patiuntur, quàm vacuum admittunt: quod certè homines maximè deberet confundere, dum per peccatum ſoluto charitatis vinculo inter ſe & à Deo dividuntur.

Ex ſupradictis verò patet quod in his corporibus activis in diſtans, præſertim verò Cœleſtibus, ſumma Dei liberalitas & bonitas ſe luceant. Liberalitas quidem quòd ipſa corpora virtute eo uſque ad ſummum repleverit, ut etiam longè extra effundatur. Bonitas vero quòd ut ipſa Dei bonitas eſt ad extra ſui ipſius diffuſiva, unde gratiæ & creaturarum productio, ita ipſa corpora (Dei ſuo modo imagines) imitatione ſibi poſſibili ſuam extra ſe virtutem ſeu bonitatem effundunt, eaque perfundunt quidquid in ipſorum activitatis ſphæra continetur, niſi repugnet contrarietas vel obſtaculum; ut in hominis anima peccatum reſpectu gratiæ.

Caput XV.

Quomodo invenienda ſit temperies duorum miſcibilium ejuſdem conſiſtentiæ, ſed diverſæ temperiei, ſi invicem miſceantur & alterentur.

HAc de re (quod ſciam) nemo hactenus quidquam determinavit: Hoc autem ſcire nec injucundum, nec forſan inutile fuerit, præſertim Medicis: itaque quandoquidem Philoſophorum communis eſt ſententia mixtum admittere duntaxat 8 gradus contrariarum qualitatum, hoc ſuppoſito. Si aqua calida ut duo, frigida autem ut ſex, miſceatur cum calida ut quatuor, frigida autem ut quatuor; neque fiet mixtum calidum ut duo, neque mixtum calidum ut quatuor; non primum, quia ſequeretur à frigido, ut ſex quod dicitur calidum ut duo, corrumpi duos gradus caloris in calido ut quatuor, non reagente calido ut quatuor in frigidum ut ſex, quod eſt abſurdum; cùm in frigido ut ſex, ſit potentia recipiendi caloris, & in calido ut quatuor potentia producendi caloris; nec non in mixtione debitè applicentur agens & patiens in qualitatibus diſſimiles. Non ſecundum, aliâs calidum ut quatuor producet in frigido ut ſex duos gradus caloris non reagente frigido, quod eſt idem abſurdum. Ergo neque fiet mixtum calidum ut duo, neque calidum ut quatuor; fiet tamen mixtum plures habens quàm duos gradus caloris, quia calidum ut quatuor reaget in frigidum ut ſex; attamen pauciores quam quatuor gradus caloris, quia frigidum ſex reaget in calidum ut quatuor: Neque fiet mixtum calidum ut tria, alioquin ſequeretur frigidum ut ſex & calidum ut quatuor, in eodem temporis ſpatio producere effectus æquales ſeu ejuſdem intenſionis; quod ideo abſurdum eſt, quia ſex gradus frigoris fortiores ſunt quatuor gradibus caloris, & frigidum ut ſex eſt ſimilius frigido ut quatuor, quàm calidum ut quatuor calido ut duo, & illud majorem habet reſiſtentiam quàm hoc; ergo eodem tempore non producent effectum æqualis intenſionis. Ut verò gradus ex mixtione reſultans determinetur,

Nota primò, quod in mixtione nulla fit qualitatum miſcibilium deſtructio aut corruptio; ſed tantum miſcella; calido & frigido ſuas qualitates in ſe mutuo effundentibus. Si autem unum ſic intendatur, ut cum altero ſit incompatibile, tunc expellitur ipſum alterum.

Nota ſecundò, quod duo gradus caloris exiſtentes in frigido ut ſex; & quatuor gradus frigoris exiſtentes in calido ut quatuor, nihil agunt vel reagunt in hac mixtione. Non enim calidum ut duo, agit in frigidum ut ſex, cum quo eſt; alioquin ſe etiam intenderet, ſex gradus frigoris remitten-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

tendo: ſed neque etiam dum ſit mixtio poteſt agere in frigidum, ut quatuor ſociatum calido ut quatuor; alioquin frigidum ut quatuor remittendo, intenderet calidum ut quatuor, quod eſt ſupra vires ejus, ideoque abſurdum. Idem dicito de frigido ut quatuor. Ergo in mixtione nihil agunt, ſed tantùm à ſibi ſimilibus intenduntur. Nec dicas ſi intenduntur pati, ideoque re agere: quia cùm intendantur à ſuis ſimilibus, ſed intenſioribus, neque poſſunt, neque debent in ea re agere. Hincque liquidò conſtat, actionem & reactionem in mixtione reperiri tantum inter intenſiora contraria, intenſionem verò inter remiſſiora, quod eſt benè notandum.

Nota tertiò. Totalem virtutem ſex graduum frigoris, ſcilicet tam agendi quàm reſiſtendi, æqualem eſſe totali virtuti ſex graduum caloris; licèt enim activitas ſex graduum caloris ſit major quàm activitas ſex graduum frigoris, ex eo tamen conſurgit ſemper æqualiter inter totales ipſas virtutes, quòd tantum reſiſtentia caloris ſuperatur à reſiſtentia frigoris, quantum activitas frigoris ab activitate caloris: quæ enim qualitates ſunt magis activæ, eæ ſunt minus reſiſtitivæ: Totalis ergo virtus ſex graduum frigoris dupla erit totalis virtutis trium graduum caloris: & totalis virtus ſex graduum frigoris ſeſqui altera totalis virtutis quatuor graduum caloris.

His poſitis ad propoſitum dico. Quod ſi frigidum ut ſex miſceatur cum calido ut quatuor, frigus productum in calido, eam habebit rationem ad calorem productum in frigido, quàm frigidum habet ad calidum: ac proinde cùm eorum virtutes totales ſint ſeſqui alteræ, effectus inde naſcentes erunt ſeſqui alteri.

Proinde ut ſciatur quantum frigoris producat in calido frigidum, & quantum caloris in frigido calidum, nec non gradus temperiei mixtionis, ſic per Algebram operare.

Quæruntur duo numeri in proportione ſeſqui altera, quorum major repreſentans frigus productum, additus quatuor gradibus frigoris qui cum calido ut quatuor reperiuntur; minus autem exprimens gradus caloris producti, ſublatus à ſex gradibus frigoris: ſumma & reſiduum ſint æqualia.

Sit major 3 A, minor 2 A, majori adde 4, & minorem aufer à 6, habebit 3 A + 4 æquales 6 — 2 A: Da utrique 2 A: habebis 5 A + 4 æquales 6. aufer ab utroque 4, habebis 5 A, æquales 2. Deinde 2 per 5, habebis $\frac{2}{5}$ pro valore 1 A, quare 3 A valebunt $\frac{6}{5}$, & 2 A valebunt $\frac{4}{5}$, qui ſunt numeri quæſiti. Ergo frigidum in calido producet $\frac{6}{5}$ frigoris: Et calidum in frigido $\frac{4}{5}$ caloris. Ut verò gradus temperiei mixtionis ſciatur, adde $\frac{6}{5}$ frigoris cum quatuor gradibus frigoris, habebit in mixtione $5\frac{1}{5}$ gradus frigoris; quibus ſublatis ab 8 gradibus contrarietatis, quanta eſt materiæ latitudo, ſeu capacitas; ſuperſunt gradus $2\frac{4}{5}$ caloris: Mixtum ergo habebit $5\frac{1}{5}$ gradus frigoris, & $2\frac{4}{5}$ gradus caloris, ſic de cæteris.

Porrò ſuperiora ſunt intelligenda cùm miſcibilia ſunt æqualia in materiæ quantitate. Nam ſi V.C. materia frigidi ut ſex dupla ſit calidi ut quatuor, duplanda erit frigidi virtus totalis: quia in duplo materiæ, duplum eſt virtutis: ſi tripla triplanda: Tum cum proportione virtutum totalium calidi & frigidi reliqua ut ſupra peragenda: ſic de reliquis materiæ proportionibus. Atq; ideo ſi calidum ut ſex miſcendum ſit cum frigido ut ſeptem. Si autem calidi materia ſeſqui altera ad frigidi materiam, naſcetur mixtum calidum in $3\frac{13}{16}$ grad. & frigid. in $4\frac{3}{16}$ grad.

Omnia tamen ſuperiora intelligantur de qualitatibus Elementaribus, nec non materiis ejuſdem conſiſtentiæ; ut cùm aqua frigida miſcetur cum calida. Nam qualitates ſpiritales in ſuo potiſſimum ſubjecto (nempe ſpiritibus ſeparatis) has proportiones reſpuunt, longéque tranſcendunt, cùm probet experientia guttam V.C. olei thymi Chymicè extracti, aut ſpiritus ſalis, plus 10000 guttas aquæ ſic alterare, ut ab ea corpus calefiat inſigniter; ex quo vis inſignis talium ſpirituum detegitur.

FINIS LIBRI OCTAVI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ASTROLOGIÆ GALLICÆ

LIBER NONUS.

De mixtis Corporibus.

SECTIO I.

De mixtorum Corporum Elementis, Principiis, & mixtione in Genere.

PRÆFATIO.

QUoniam Cœli, Stellæ fixæ, & Planetæ, de quorum viribus acturi ſumus in univerſa ASTROLOGIÆ GALLICÆ ſcientia, ſunt corpora: priuſquam eorum naturas, vires, agendique modos exponamus; omnino videtur eſſe neceſſarium inquirere ac definire, cujus generis corpora ſint; An ſimplicia ut hactenus Peripatetici & Scholares Philoſophi crediderunt, an verò mixta: Et ſi mixta ſint, ex quibuſnam mixta ſint. Quamobrem hac in Sectione prima, agendum erit de corporum principiis ac Elementis, nec non mixtione in genere; ut deinde intelligantur perfectiùs Sectio ſecunda, quæ de mixtis Æthereis, & tertia, quæ de mixtis Cœleſtibus Aſtrologiæ neceſſaria tractabit.

CAPUT I.

Quomodo inter ſe differant Principium ac Elementum, & quid ſit utrumque.

PRincipium latiùs patet quàm Elementum; ac inter ſe differunt, ut animal & homo. Quippe omne Elementum eſt principium; at non viceverſa: Datur enim in Divinis principium, quia Pater dicitur ac eſt principium Filii ex Theologis; at non dicitur Elementum Filii, ſicut nec cauſa; quippe quod Filius habeat ſuum eſſe à Patre ſine dependentia; cauſa verò ſit id à quo aliquid ineſſe dependet, ex cap. 1. Libri 7.

Non eſt autem hîc noſtri inſtituti diſcutere opiniones omnes Veterum Philoſophorum circa Principia & Elementa; de quibus uberrimè tractat Franciſcus Picolomineus, in ſua Naturæ totius univerſi ſcientia perfecta: ſed duntaxat ea breviter tradere, quæ inſtituto noſtro neceſſaria videbuntur. Ideoque tam de ſupremo & increato rerum omnium Principio, qui DEUS eſt, à quo omne aliud Ens habet quod ſit, quàm de cognitionum vel ſcientiarum principiis agere hîc abſtinebimus: Tantúmque Principia & Elementa corporum Phyſicorum ſpectabimus; & de his celebriores hoc ſeculo ſententias exponemus.

Itaque principium Phyſici corporis eſt id quod primò & per ſe conſtituit corpus Phyſicum in eſſe corporis. Elementum verò eſt corpus ſimplex, cum alio ſimplici corpore per ſe miſcibile, ad corporis mixti ſubſtantialem productionem. Atque inde patet quomodo propriè loquendo principium corporis differat ab Elemento. Principium enim ordinatur primò, & per ſe ad corporis ſimplicis compoſitionem, Elementum verò ad compoſitionem mixti. Unde ſequitur omne Elementum eſſe corpus ſimplex, alioquin daretur Elementum Elementi in infinitum.

CAPUT II.

Quot ſint & quæ ſint Corporis Phyſici Principia: & primùm ex Epicuro qui refellitur.

QUot autem ſint corporis Phyſici principia controvertitur à Veteribus, Neotericiſque Philoſophis; quorum ſententias hîc referre examinique ſubjicere non placet: ſed duntaxat aſſerere primò, corporis Phyſica non unicum, ſed plura eſſe principia. Alioquin omnia corpora Phyſica tam mixta quàm ſimplicia eſſent inter ſe ejuſdem ſpeciei vel naturæ: At in natura partim conveniunt & partim differunt ſubſtantialiter: Aqua enim & Terra conveniunt in ratione corporis, utraque enim eſt Corpus; ſed alia eſt natura Aquæ, & alia Terræ: Hæc igitur Elementa diverſis conſtant principiis, idemque dicendum de corporibus mixtis. Secundò principia non eſſe infinita: tum quia non datur infinitum extra DEUM ex Libro primo; tum quia nullius corporis ſcientia haberi poſſet, quin ſcirentur principia infinita ex quibus componitur, quod nulli creato intellectui poſſibile foret: ſunt igitur plura principia, ſed numero finita.

Democritus, Epicurus, Lucretius & eorum ſequaces, duo poſuere corporum principia: ſcilicet Atomos ejuſdem inter ſe naturæ, & inane. Quam opinionem Petrus Gaſſendus Eccleſiæ Dienſis

viienſis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

vienſis Præpoſitus, ac meus in Mathematicis Collega Pariſiis, à pluribus ſeculis mortuam reſuſcitare tentavit tribus Tomis in folio inſignitis hoc titulo: PETRI GASSENDI PHILOSOPHIA EPICURI, fuitque hac in re Gaſſendi nomen tanti ponderis (quem ejus diſcipuli & cultores Maximum appellabant) ut parum abfuerit quin ejus Philoſophia Epicurea litteratos plurimos prima fronte corruperit, & in aſſenſum pertraxerit, fueritque etiam à quodam hujus farinæ Philoſopho publicis lectionibus expoſita in Univerſitate Pariſienſi.

Quo ſcandalo & in veritatem inſultu nimis temerario permotus: imò velut impotens talem doctrinam refellendi, ab Epicureis ipſis laceſſitus; illam Epicureæ Philoſophiæ ſtatuam giganteam audacter aggreſſus ſum, Opuſculo 4 duntaxat foliorum, vel 32 paginarum in lucem edito, quem ſic inſcripſi: *Diſſertatio Joannis Bapt. Morini Doctoris Medici, & Pariſiis Regii Mathematum Profeſſoris, De Atomis & Inani: Contra Petri Gaſſendi Philoſophiam Epicuream*. Fuitque illa Diſſertatio ſtylo Chriſtiano, & convitiis vacuo dicata Sereniſſimo Principi HENRICO BORBONIO, Metenſium Epiſcopo doctiſſimo.

Vix autem dici poteſt quàm graviter ipſa crabrones irritaverit, ſolúmque id conjici poteſt ex eorum lectura quæ adverſus Me fuerunt ab illis conſcripta. Gaſſendus enim ſub nomine Franciſci Bernerii Andegavenſis, ejus hac in ſecta erronea diſcipuli, mihi antea nec facie, nec nomine cogniti, Lucifero, Satanâ, cunctisque Dæmonibus, furiis, cerberoque evocatis ex Tartaris, pluſquam 200 paginarum Reſponſionem meæ Diſſertationi meditatus eſt, cui hunc titulum præfecit: *Anatomia ridiculi muris, hoc eſt Diſſertatiunculæ J. B. Morini Aſtrologi, adverſus expoſitum à Petro Gaſſendo Philoſophiam Epicuream: Per Franciſcum Bernarium Andegavum.* Cujus nulla pagina, vixque ulla periodus, imò linea caret mendaciis, impoſturis, convitiis atrociſſimis, execrandiſque maledictis; quorum ut aliquod nuſquam antea viſum vel auditum ſpecimen referam, ſic me affatur Bernerius pagina 112, hoc eſt ipſemet Gaſſendus Presbiter.

O tu Morine, non jam Dæmon, ſed Dæmoniſſime; non Diabole, ſed Diaboliſſime, non Satana, ſed Sataniſſime: O ſi quid omnino pejus dici poteſt (notetur ejus rabies, quod pejus dicere nequeat) *ſed ut eo tamen nomine te vocem, quod ipſe Tibi indidiſti* (hic mentitur) *Dic ô Dæmon, quis Lucifer te emiſit ex inferis, ut tantis agitatus furiis, in virum tam pium, tam bonum* (intelligit Gaſſendum, quem tribus convici inſignibus falſitatibus, contra DEUM, contra Eccleſiam & contra Naturam) *adeò impiè, adeo ſceleſtè, maligniterque debacchareris? Quis tibi Cerbere immanis truculenteque catenam ſolvit, ut ore trifauci triplicem hanc rabiei ſpumam, & virum innoxium uno impulſu convomeres? Quis implantavit capiti tuo trium furiarum colubros, quorum venenatiſſimas linguas in virum longè optimum ſceleſtiſſimus intentares. Primam contra DEUM: Secundam contra Eccleſiam. Et putaſti infandiſſime, execrandiſſimeque mortalium, &c*: ſimilibuſque atomis planè diabolicis tota ejus Anatomia componitur. Quod ſanè ſcribendi genus viſum eſt omnibus execrandum, ſolaque deſperatione & rabie ſuſceptum, ut ſaltem nomen meum infame redderet, quod rationibus ad Diſſertationem meam evertendam validis omnino careret; utcunque 4 ſuæ Anatomiæ partibus Muris mei Caput, Ventrem, Artus & Caudam totis maligni animi viribus diſſecanda ſuſceperit novus hic Anatomiſta murium, cum ſociis ſuis; ſed infœliciſſimè. Ego enim in ipſius Diſſertationis defenſione mea 136 paginarum illico in lucem edita, Murem meum armavi à ſummo capite ad extremum caudæ, adeò validis rationibus contra Gaſſendi nugas atque figmenta, ut ridiculam de ipſo in omnibus victoriam reportaverit; & Bernerius pro Gaſſendo loquens cunctis Philoſophis hujus certaminis ſpectatoribus factus ſit ridiculus, non ſecus ac illa Philoſophia Gaſſendi de Atomis & vacuo prorſus indigna homine Chriſtiano.

Viſa defenſione mea Epicurei quamvis attoniti, minati ſunt ſe rurſus illico reſponſuros: In eumque finem Bernerius tunc Lutetiæ degens, huic impar oneri, 200 Leucarum iter aggreſſus eſt, ut ſuum Magiſtrum Gaſſendum in Provincia degentem conſuleret, tandemque trium annorum ſpatio Gaſſendus ſuam ridiculi Muris favillam compoſuit, ejuſdem cum Anatomia ſtyli, eamque rurſus ſub nomine Bernerii, ſui proſtitutæ famæ diſcipuli, in lucem edi curavit: In eo tamen deceptus, quod tam infame opus Doctorum vel proborum nullus legere voluerit. At favillam illam totamque Philoſophiam Epicuream Gaſſendi, noſter Vincentius Panurgus in ſua ad me Epiſtola de tribus impoſtoribus adeo doctè dilucidéque refutavit, ut tandem Gaſſendus ejuſque duo ſocii, in hoc diuturno certamine ſuccubuerint. Quoniam verò evidentiſſimè probo, non dari Atomos Epicuri, multóque minùs inane in rerum natura: & quidquid ab illis Epicureis excogitari potuit pro Atomis & Inani, à nobis ſufficientiſſimè refellitur; Jam noſtri non eſt inſtituti, eadem hîc rurſum exponere: hoc quippe nimis laborioſum eſſet, & ab Aſtrologia noſtra nimis alienum; præſertim quòd Adverſarii tot objectiones, quæſtiones & authoritates accumulaverint; ut controverſiæ ſtatus compendioſè explicari nequeat. Itaque veritatis hac in parte curioſus, Diſſertationem meam ejuſque defenſionem, & Panurgi Epiſtolam de tribus Impoſtoribus ſibi comparet ſi voluerit, ut de hac materia certiùs & cum animi voluptate judicare valeat: videbitque multa ſcitu digna, non minùs verè quàm ſubtiliter à Nobis reſoluta in ridiculo certamine Muris noſtri cum Gaſſendo & Bernerio Anatomiſtis Murium, illaque Panurgi Epiſtolâ.

Caput III.

Quot ſint & quæ ſint corporis phyſici principia ex Carteſio, qui refellitur.

PAulo antequam Gaſſendus Philoſophiam ſuam Epicuream in lucem edidiſſet, Nobilis Renatus Carteſius, vir olim in Arthmeticis & Geometricis eminentiſſimus, Phyſicam ſuam juris publici fecerat: In qua videri voluit nova corporum principia exponere, ex quibus omnia naturæ phœnomena deducantur; quamvis ejus principia cum Epicuri Atomis & Inani conveniant, etiam contra propriam Carteſii mentem, qui Epicuri Atomos reſpuit; inane verò vel vacuum in natura prorſus negat: Ideoque miror, quod Gaſſendus qui Carteſii Librum vidit, ſuum Epicurum pro Inanis aſſertione non auſus ſit defendere.

Ego verò ab annis pluſquam 15. hanc hujuſce libri ſectionem primam componendam intermiſi, quo uſque mihi videre liceret, quid Gaſſendus & Carteſius, viri famoſi, miraque in Phyſicis pollicentes, de corporum & mixtorum principiis, nec non generatione mixtorum in lucem ederent, ut vel eorum doctrinam amplecterer, ſi amplectendam judicarem, vel eandem refellerem, ſi refellendam, ne eorum promiſſis atque fama vulgus ingeniorum deciperetur. Et Gaſſendi vel Epicuri Philoſophiâ priùs refutatâ in Diſſertatione mea, obiter duntaxat in ejus ultima paginâ, de Carteſii Phyſica locutus ſum, illius vanitatem inſinuans hîc à Me fuſiùs exponendam. Inde verò Gaſſendus ſub nomine Bernerii ſui diſcipuli pag. 202. ſuæ Anatomiæ occaſionem ſumpſit extremum ſuæ malignitatis virus in Me evomendi, ne talibus ſui morbi reliquiis ſuffocaretur, quod, ſcilicet, Carteſium magni nominis virum redarguere auſus ſim, & aſſerere illius opinionem atomis & inani inniti, cùm tamen expreſſe Carteſius & particulas ſuas materiæ, eſſe atomos negaverit, & inane ſeu vacuum planè ſuſtulerit. Verum miſer hic Anatomiſta murium, nec Carteſii hypotheſin; nec quid contra illam dixerim intellexit. Ut verò id jam pateat,

Notandum primò, quod Carteſius Parte 2. ſuæ Philoſophiæ, quæ eſt de principiis rerum materialium pag. 35. aſſerit. *Naturam materiæ ſive corporis in univerſum ſpectati* (hæc enim duo ſunt idem Carteſio) *in eo conſiſtere, quod ſit res extenſa in longum, latum & profundum.* Et pag. 37. ait, *quod talis extenſio differt tantùm per opus mentis à re extenſa, non autem realiter*; ſed hæc minimè probat. Etſi enim verum ſit quod naturaliter de ſubſtantia corporea nihil detrahi poteſt, quin tantundem de quantitate vel extenſione detrahatur, & viceverſa: inde tamen non ſequitur idem verum eſſe ſupernaturaliter, vel reſpectu omnipotentiæ Dei, qui naturam ſpiritualem condidit materiâ carentem, non tamen extenſione ut diximus libro 4. cùm Angeli vel animæ rationalis ſubſtantia non conſiſtat in indiviſibili puncto, ſed aliquam habeat ſphæram activitatis; ipſeque Deus Cœlum & Terram impleat, ſitque ubique expers materiæ.

Secundò, ex tali doctrina falſa nec ab eo probata, falſo quoque deducit pag. 42. impoſſibile eſſe dari vacuum ſive ſpatium, in quo nulla ſit planè ſubſtantia. *Nam* (ait) *vacuum illud ut vulgò vocatur, erit extenſum in longum, latum & profundum; repugnat autem ut nihili ſit aliqua extenſio; ergo in illo vacuo erit ſubſtantia corporea.* At ratiocinium hoc peccat paralogiſmo, nec valet niſi priùs probetur, quòd extenſio & ſubſtantia corporea ſunt idem realiter. Dumque ait *quod nihil non eſt extenſio*, id quidem verum eſt; ſpatium enim extenſum eſt; at ſpatium non eſt nihil; nec ſequitur quod ubicunque datur extenſio, ibi detur materia ſive corpus. Ad hanc autem doctrinam validiùs confirmandam, quærit per modum objectionis pag. 43. quid fiet ſi Deus auferat omne corpus, quod in aliquo vaſe continetur, & nullum aliud in ablati locum venire permittat? Et reſpondet *vaſis latera ſibi invicem hoc ipſo fore contigua. Cùm enim* (ait) *inter duo corpora nihil interjacet, neceſſe eſt ut ſe mutuò tangant.* Quæ ſanè reſponſio viri Geometriæ peritiſſimi ridicula eſt, & non ſolùm rationibus geometricis contraria, ſed ipſi quoque ſenſui vel oculo; qui videbit latera vaſis adhuc inter ſe diſtantia, & vaſis profundum, quæcunque illius figura ſupponatur trigona, quadrata, pentagona, &c. quæ inde non mutabitur, cùm ſupponat duntaxat, corpus contentum auferri vel annihilari à Deo, nullo ſuccedente altero, ſine motu laterum vaſis. Fingit autem frequenter ad ſuas hypotheſes ſtabiliendas, nos deceptos fuiſſe à prima ætate, atque hîc potiſſimum; putantes nihil obſtare, quò minùs ſaltem Deus efficiat, ut corpus quod vas aliquod replet, inde auferatur; & nullum aliud in ejus locum ſuccedat; quem errorem vult emendare: ſed ſine ulla fictione ipſemet in ſuis imaginationibus turpiter decipitur, & ex una abyſſo in alteram detruditur.

Tertiò denique, pagina 44. vult *hunc Mundum ſive ſubſtantiæ corporeæ univerſitatem, nullos extenſionis ſuæ fines habere. Ubicunque enim* (ait) *fines illos eſſe fingamus, ſemper ultra ipſos aliqua ſpatia indefinitè extenſa, non modò imaginamur, ſed etiam verè imaginabilia, hoc eſt realia eſſe percipimus. Ac proinde etiam ſubſtantiam corpoream indefinitè extenſam in iis contineri.* Prima verò parte pag. 10. diſtinguit infinitum ab indefinitivè extenſo: *Quod* (ait) *infinitum ſoli DEO competat, in quo ſolo omni ex parte nullos limites agnoſcimus aut poſitivè eſſe intelligimus: Ac indefinitum extenſivè, eſt id in quo non poſſumus imaginari extenſionem tam magnam, quin intelligimus adhuc majorem eſſe poſſe.* Quæ ſanè diſtinctio atque doctrina vana eſt atque falſa. Quamvis enim Mundus univerſus eſſet indefinitè extenſus reſpectu ingenii Carteſii, qui ejus extenſionem definire nequit; ſed quantumvis eam concipiat magnam definitè, poteſt nihilominus ipſam adhuc concipere majorem: Hoc tamen non obſtat, quin ipſe Mundus ſit in ſe finitus, vel infinitus extenſione: Nam inter hæc duo non datur medium in Mundo in ſe ſpectato: Et Angelus vel ſaltem Deus videt utrum ſit ipſorum. Carteſius autem qui non vult Mundum

eſſe

eſſe finitum, vel aliquos habere ſuæ extenſionis limites, ergo vult ipſum eſſe infinitum, & per conſequens eſſe DEUM, cui ſoli infinitum competere ſuperius dixit. Sicque ipſi contrariatur. His adde quod doctrina hæc non ſolum Naturæ repugnat, quæ alioquin eſſet infinita; ſed etiam fidei orthodoxæ, quæ DEUM plures Mundos ſimul creare poſſe fatetur, cùm ipſe ſit Omnipotens, nihilque implicet. Porrò ne quiſquam dubitet, quid nomine materiæ intelligat; planè profitetur pagina 69 ſuæ Phyſicæ, *ſe nullam aliam rerum corporearum materiam agnoſcere, quàm illam omnimodè diviſibilem, figurabilem & mobilem, quam Geometræ quantitatem vocant, & pro objecto ſuarum demonſtrationum aſſumunt*; quod eſt valde notandum.

His autem præmiſſis à Me expoſitis & rejectis paginâ ultimâ Diſſertationis meæ; jam Carteſius parte 3. pagina 89 quamvis Mundum à DEO creatum fuiſſe credat, nihilominus pagina 90 ad ſuam de rebus Phyſicis tradendam ſcientiam ſupponit omnem illam materiam, ex qua hic Mundus aſpectabilis eſt compoſitus, hoc eſt ſimplicem quantitatem Geometricam (riſum teneatis amici) fuiſſe initio à DEO diviſam in particulas proximè inter ſe æquales, & magnitudine mediocres ſive medias inter illas omnes, ex quibus jam Cœli atque Aſtra componuntur: eaſque omnes tantundem motus habuiſſe in ſe, quantùm jam in Mundo reperitur, & æqualiter fuiſſe motas, &c: ſed horum nihil probat, nec probabare poteſt. Paginâ autem 93. ait, particulas illas non potuiſſe quidem initio eſſe ſphæricas (quod tamen non probat, nec probare poteſt, cum DEUS potuerit initio materiam dividere in partes omnino ſphæricas) ſed cujuſcunque tunc fuerint figuræ, eas non potuiſſe ſucceſſu temporis non fieri rotundas; quandoquidem varios habuerunt motus circulares (quos etiam non probat) per quos motus ipſæ particulæ quantitatis Geometricæ ſimplicis (riſum tenete) ſibi occurrentes ſic attererentur, ut tandem earum anguli evaneſcerent, ſicque rotundæ fierent. *Cùm autem* (ait pag. 93.) *Nullibi ſpatia omni corpore vacua eſſe poſſint*; & rotundæ illæ particulæ ſimul junctæ per exigua quædam intervalla circa ſe relinquant, vult id quod eraditur ex ipſis particulis, dum per motum earum anguli atteruntur, tantam celeritatem acquirere, ut ſola vi ſui motus in ramenta innumerabilia dividatur, & prædicta repleat intervalla; ſed horum nihil probat. Præterea Carteſius ideo noluit DEUM diviſiſſe materiam in particulas ſphæricas, quia nulla habuiſſet attritionis ramenta, quibus ad ſuum Elementorum numerum indigebat.

Ex his verò pagina 94. deduxit imprimis duo genera materiæ, quæ duo prima Elementa hujus Mundi aſpectabilis dici poſſunt. Primum eſt illius, quæ eraſa eſt per attritionem ſupradictam. Alterum eſt ejus quæ per attritionem illam figuratur in particulas ſphæricas. Tertium verò eſt quod conſtat partibus craſſioribus, vel figuras ad motum minùs aptas habentibus. Et ex his tribus Elementis duntaxat imaginariis, omnia hujus Mundi aſpectabilis corpora componi ſe oſtenſurum pollicetur. Nempe Solem & Stellas fixas ex primo; Cœlos ex ſecundo, & Terram cum Planetis & Cometis ex tertio: hæc igitur ſunt principia vel Elementa Carteſii, quibus ſuam Phyſicam, mirè phantaſticam explicat, ſed falſa & ridicula.

Dixi autem pagina 31 Diſſertationis meæ, illam inniti Atomis & Inani, quamvis Carteſius utrumque reſpuat: & propter hoc Gaſſendus Anatomiſta murium Me nebulonem appellat immensè vanum ac impudentem; tum Blateonem, Bardum, &c. ut verò pateat cui noſtrûm hæ qualitates ad amuſſim quadrent; & utra ſit abſurdior opinio, an Gaſſendi vel Epicuri, an Carteſii, à Me dicta ſic jam probantur.

Primò, Gaſſendus cum Epicuro pagina 182 vult Naturam in concretarum reſolutione in particulas impensè exiguas, aliquo uſque duntaxat procedere, neque in infinitum infinitivè comminuere, ideoq; extrema reſolutione facta ſupereſſe particulas minutiſſimas, quæ ſunt Atomi Epicuri, quas nec Epicurus, nec Gaſſendus cenſuerunt eſſe ſimpliciter & abſolutè indiviſibiles (ut opinatus eſt Carteſius Atomos rejiciens) cum affectæ ſint quantitate: ſed eſſe duntaxat Naturæ indiviſibiles. Particulæ autem Carteſii quandoquidem continua perpetuaque per motum attritione minuuntur, tandem neceſſe eſt devenire in illas minutiſſimas particulas, quæ ſunt Atomi Epicuri.

Secundò, Epicurus dat ſuis Atomis motus diverſos & continuos, & Carteſius diverſos etiam continuos ſuis particulis.

Tertiò, Epicurus vult concreta omnia totumque hunc Mundum conſtare ex Atomis & Inani. Et Carteſius idem fateri debet, quamvis inane omnino rejiciat; quod ſic probo. Nam imprimis concedit, quod inter particulas ſphæricas ſecundi Elementi vacua relinquerentur ſpatia, niſi hæc replerentur particulis minutiſſimis primi Elementi: At pagina 94 ait: *Has multò celeriùs agitari, quàm alias materiæ particulas*. Aut igitur ipſæ ſunt angulares, aut ſphæricæ; ſi angulares, ergo per celerrimam agitationem aliis particulis primi, ſecundi, vel tertii Elementi occurrentes, tandem earum anguli atterentur, fientque ſphæricæ non ſecus ac particulæ ſecundi Elementi: Idemque dicendum de particulis Elementi tertii, quibus motum non denegat: Sicque omnes particulæ primi, ſecundi & tertii Elementi fient tandem ſphæricæ, proindeque ſemper inter ipſas ſpatia relinquentur vacua, ut apud Epicurum. Sique hoc animadvertiſſent Carteſius & Gaſſendus, hic illi non peperciſſet, ſuum defendendo Epicurum; Carteſius verò ſua Elementa cautiùs inſtituiſſet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Tandem ut contra Epicureos probavi, non duo, ſed unicum illis ſupereſſe principium (Inani à nobis everſo) ſcilicet Atomos, quos rerum primam volunt eſſe materiam: ita Carteſio non tria ſed unicum erit Elementum; ſcilicet illud quod primum appellat, inter cætera quantitate vel mole minimum. Nam particulæ ſecundi Elementi, non ſolùm atterentur ſibi occurrentes quouſque fiant ſpæricæ, ſed hanc figuram adeptæ, per continuum perpetuumque motum aliis particulis occurrentes, ulterius atterentur minuenturque: ſicque tria Elementa ad unicum devenient, ſcilicet quouſque Natura nequeat ulterius comminuere, ut de ſuis Atomis locutus eſt Epicurus. In his igitur omnibus conveniunt Epicurus & Carteſius; ſed hujus doctrina mihi videtur abſurdior, quod nullam ponens differentiam inter materiam & extenſionem in longum, latum & profundum (quæ extenſio competit vacuo ſeu inani increato) ſequitur quod ejus Principia vel Elementa, nihil ſunt aliud quàm merum inane increatum, ut dixi pag. 31 Diſſertationis meæ. Quis ergo ex Bernerio, hoc eſt, Gaſſendo & Me eſt nebulo immensè vanus ac impudens; tum blatero, bardus, &c? inſuper autem erravit Carteſius, quòd ſua principia fecerit ex eadem omnino materia; nec aliter inter ſe differentia, quam ſecundum majus & minus in quantitate: At prima principia debent eſſe genere diverſa, & primò ac per ſe oppoſita.

Quæcunque igitur contra Epicuri & Gaſſendi atomos & inane dicta ſunt à Me; etiam contra Carteſii principia intelligantur eſſe dicta, nec plus teramus temporis in ejus Phyſica refellenda: Fundamentis enim everſis, corruat ſuperſtructum ædificium neceſſe eſt. Nec refert quod Vir ingenioſiſſimus cuncta hujus Mundi Phœnomena ſe per ſua principia probaturum glorietur; ideoque putet pag. 91. alia probabiliora excogitari non poſſe: Nam præterquam quod paſſim multa inſuper ſupponit & notanda proponit quæ minimè probat, ex quibus tamen ſuas deducit concluſiones; certum eſt quod omnes apparentiæ Cœleſtes æquè per Telluris motum, atque per ejus quietem demonſtrantur: & tamen alteram harum hypotheſium falſam eſſe neceſſe eſt: Sola enim veritas ingenii appetitum ſatiat.

Caput IV.

Quot ſint & quæ ſint principia corporis Phyſici ex Ariſtotele, cujus ſententia approbatur.

VEniamus igitur ad Ariſtotelis Peripateticorum Principis ſententiam, qui Platonis aliorumq; Philoſophorum placitis attenta mente ſpectatis, tandem ſagaciſſimè effatus eſt, corpus Phyſicum ex duobus duntaxat principiis componi; materia, ſcilicet, atque formâ. Quæ ſententia à Philoſophis omnibus ſanæ mentis, imò ab ipſis Theologis fuit hactenus approbata; cuique hærendum cenſeo.

Notandum tamen eſt quod Ariſtoteles hîc non conſiderat corpus ut mixtum ex 4 Elementis, Igne, Aere, Aqua, Terra; vel ex tribus principiis Chymicis, Sale, Sulphure & Mercurio ipſi ignotis; vel ex 4 humoribus, ſanguine, bile, pituitâ & melancholia, ſed corpus tantum ſpectat in ſuo ſupremo genere corporis, vel prout eſt corpus: ſic enim certum eſt, quod prima & ſimpliciſſima ejus principia ſunt materia atque forma. Neque id officit Chymicis vel Medicis, qui corpus ſpectarunt duntaxat prout eſt mixtum, vel ex principiis Chymicis aut Elementis, vel ex humoribus, dum dixerunt corpus ex talibus componi. Nam ut ait, Severinus Danus initio capitis 7. ſinguli diverſas creaturarum, ſive corporum Oeconomias ſcrutati ſunt: Et de horum quolibet, verbi gratia, Sulphure, Aere, Sanguine, nemo negabit, quod ſit corpus, quantumvis ſimplex eſſe dicatur, quodque ut corpus componatur adhuc ex materia atque forma, quæ ſunt prima principia cujuſcunque corporis. Siquidem Terra & Aqua conveniunt ſubſtantialiter in materia, cùm corpus utrumque ſit materiale, nec plures ſint ſpecies materiæ primæ, quod unica ſpecie corporibus omnibus componendis ſufficiat: At differunt naturâ propriâ ſive formâ ſubſtantiali, quòd alia ſit forma ſive natura ſubſtantialis Aquæ, & alia Terræ. Idemque cenſeto de Sale & Sulphure, &c.

Caput V.

Quid ſint Materia atque forma, & quomodo inter ſe differant.

CIrca hæc tanta fuit olim, & adhuc eſt opinionum diverſitas inter Philoſophos, ut nullum majus Chaos excogitari poſſe videatur. Illas autem diſcutere non eſt noſtri inſtituti: ſed de materia & forma obiter tantùm dicere, quod neutra ipſarum eſt corpus; ſed earum quælibet eſt dumtaxat corporis principium. Materia verò eſt principium ſubjectivum ſive paſſivum conſtituendi corporis; quia cuilibet formæ tam ſubſtantiali quàm accidentali ſubjicitur, ab iiſque patitur. At forma activum eſt principium, quia eſt actus corporis & cauſa omnium ejus actionum. Differunt autem inter ſe, non per aliquid aliud, ſed ſeipſis; alioquin non eſſent prima principia, ſed daretur progreſſus in infinitum. Unde ſequitur materiam ex ſe nihil habere formæ; nec formam quidquam materiæ.

Porrò Carteſius non dixit quid ſit forma Phyſica, ſed tantùm dixit pagina 45. *Omnium formarum diverſitatem pendere à motu locali particularis materiæ*, ut Epicurus à motu locali ſuorum Atomorum: ſubjungit autem veteres Philoſophos dixiſſe Naturam eſſe principium motus & quietis: per Naturam intelligentes id, per quod res corporeæ evadunt tales, quales ipſas experimur: ſed pag. 47. ait motum & quietē eſſe tantùm diverſos modos corporis moti. Qua in re omnino

con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

convenit cum Epicuro, qui nullas admittit formas ſubſtantiales corporum Phyſicorum, ſed tantum diverſos modos materiæ, à diverſis motibus Atomorum: ſicque bos & equus non different ſubſtantialiter, ſed tantùm modaliter. Sed quidquid à Nobis dictum eſt contra Philoſophiam Epicuri, etiam dictum ſit contra Philoſophiam Carteſii: ſunt enim una eademque Philoſophia, à Carteſio duntaxat ſubtiliùs elaborata. Atque de corporum principiis hæc in genere dicta ſufficiant.

Caput VI.

Quot ſunt in univerſo Mundo Elementa ex mea ſententia.

QUoniam omne Elementum ordinatur ad compoſitionem corporis mixti, eſtque omne Elementum corpus ſimplex ex capite 1. Ergo hinc ſequitur tot eſſe in univerſo Mundo Elementa, quot ſunt corpora ſimplicia. Sunt autem in univerſo Mundo ſex corpora ſimplicia omnium prima. Nempe 4 Elementa Sublunaria, Terra, Aqua, Aer, Ignis, de quibus egimus Lib. 3; tum ſuper ipſa Æther & Cœlum, de quibus etiam egimus eodem Libro: Ergo tot erunt in univerſo Mundo Elementa.

Cæterùm contra hanc ſententiam valida fieri poteſt Objectio, quæ talis eſt. Sal, Sulphur & Mercurius ſunt corporum mixtorum principia ex Chymicis: ergo ipſa ſunt corpora ſimplicia: Alioquin conſtarent ex aliis corporum principiis. Attamen ipſa non ſunt Elementa ex Chymicis, qui diſtingunt Elementa à corporum principiis, ut dicetur ſequenti capite: Non ergo tot ſunt Elementa quot ſunt corpora ſimplicia.

Sed reſpondeo. Duplicia eſſe in mixto corporum principia, quæ ad ipſius corporis conſtitutionem concurrunt; ſcilicet materialia & formalia. Materialia ſe tenent ex parte materiæ, & hæc ſunt Elementa, quæ idcirco Severinus Danus ait cap. 7. materiæ rationem obtinere; formalia verò ſe tenent ex parte formæ vel ſeminis, ſuntque Sal, Sulphur & Mercurius, quæ (ut ibidem ait Severinus) mirabili poteſtate vigent ut ſeminis, vel formæ actionibus & officiis inſerviant. Mixtum autem conſtat utriſque principiis, ſed Elementa ſunt omnium ſimpliciſſima & naturæ impermixtæ, ideoque omnium prima. At Sulphur, Sal & Mercurius, quamvis non ſint corpora mixta ex aliis Sale, Sulphure & Mercurio; ut ait Severinus c. 8. pag. 118, tamen Elementis tam arctè cohærent, ut ſint inſeparabilia. Et in omne Sale ſit aliquid Terræ & Ignis, in omni Sulphure aliquid Ignis & Aeris; & in omni Mercurio aliquid Aeris & Aquæ. Ideoque dici nequit ipſa eſſe prima corpora ſimplicia qualia ſunt Elementa.

Caput VII.

Quid Hipocrates, Orpheus, Paracelſus, Severinus Danus, aliique Chymiæ Principes ſentiant de Corporum principiis ac Elementis.

TAm Illuſtri Sectæ inſignis injuria à Me fieri videretur, ſi ejus ſententiam quaſi ſpernendam hîc omitterem: Cùm hi Philoſophi longè profundiùs Naturæ arcana & penetralia ſcrutati ſint propriis experientiis, quàm omnes Philoſophi ac Medici, qui vulgarem in Scholis Philoſophiam venditant. Et quamvis ab illis nonnihil differam in Elementorum numero, tamen diſſenſus facilè conciliari poteſt, ſine ulla ipſorum ſententiæ læſione; conabimurque difficultates occurrentes pro viribus explanare. Quantùm autem fieri poterit brevitati ſtudebo in hac ardua Philoſophia; Lectoremque pro ampliori cognitione, ad Petri Severini Ideam Medicinæ Philoſophicæ, vel ad Paracelſi Libros relegabo.

Volunt igitur Paracelſus & Severinus Danus cap. 5. eſſe in Mundo 4 Elementa in duos globos diviſa; ſuperiorem ſcilicet & inferiorem. Et hunc continere duo Elementa, Terram & Aquam; illum verò quoque duo, ſcilicet Aerem & Ignem, quem etiam Cœlum & Firmamentum appellant. Quintum autem Elementum ab Ariſtotele celebratum, ſcilicet Ætherem, Severinus ait ipſum æquè in Terra, Aqua, & Aere reperiri, quod non procul abeſt à Doctrina à Nobis expoſita Libro 3. Sect. 2. ubi naturam Æthercam in omnibus viventibus Sublunaribus reperiri diximus.

Hæc igitur ſunt Elementa vulgaria, Scholarum duntaxat Philoſophis cognita; quorum naturas conſiſtere volunt in calido, frigido, humido & ſicco; nihilque præterea ipſis ineſſe. Et in his Elementis Severinus Danus eodem cap. 5. ait. *DEUM initio Mundi impoſuiſſe ſeminales rerum omnium rationes: Ideoque eſſe loca, motrices & domicilia, vitali validaque poteſtate munita, quæ ſemina generationi conſecrata foveant, digeſtis temporibus ſuſcitent, ad maturitatem promoveant, & emeritis receptacula concedant. Et quia loca ſunt, neceſſe eſſe, ut ſint incorporea, & miſceri nequeant neque corrumpi.* Ut ibidem aſſerit Severinus.

Capite autem 6 repetit Elementorum abſtruſam & vacuam naturam diverſis ſeminibus ornatam fuiſſe creationis initio, virtute verbi Divini, ut quodlibet Elementum fructus ſuos produceret, quemlibet ſuo ſemini conformem. Quid ſit verò ſemen, definit in fine capitis, tum capite 8. Ex quibus duabus definitionibus colligitur; ſemen eſſe vitale principium, in ſe continens ſpiritus mechanicos, ſeu vitales potencias incomprehenſibili ſapientiâ decoratas, quibus ſemen ipſum in ſcenam mundanam proditurum, ſibi ſuum fabricat corpus: quodque ex ipſo ſemine ſapores, odores, colores, & qualitates vitales omnes, magnitudines, figuræ, & reliquæ ſignaturæ, officiis & prædeſtinationibus ipſorum ſpirituum & rei producendæ in Mechanico progreſſu generationis procedunt.

Cæterùm de ſemine tria hîc notanda ſunt priuſquam ulterius progrediamur. Primum à Philoſophis Hermeticis ſemen multipliciter appellari. Nempe ſemen, ſpeciem, aſtrum, radicem, primam materiam, balſamum, Elementum, vitaleque principium rei generandæ: & cujuſque appellationis rationem in aliqua ſeminis eſſentiali proprietate fundari, ut videre eſt apud Chymicos.

Secundum ſemen ipſum vel potius ſpiritum ſeminis idem eſſe in rei veritate, quod eſt forma cujuſque rei apud Peripateticos; quæ rei ipſi ſpeciem confert, ejus proprietates omnes in ſe continet, eſtque cauſa omnium motuum & actionum ejuſdem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

dem. Idque fatetur Severinus cap. 8. dum ait, *formam cujuſque rei in ſemine deliteſcere, neque extrinſecus accedere, vel ab aliquo datore formarum, vel ab Aſtris, vel à fortuito atomorum congreſſu:* At non omnis forma Phyſica eſt ſemen ſuperiùs definitum, ut infra patebit evidentiùs. Vide quæ de his dixi in Epiſtola Vincentii Panurgi, contra Gaſſendum.

Tertium. Nihil in Mundo generari ſine proprio ſemine: ideoque non ſolum in his Sublunaribus vegetabilia & animalia, ſed etiam mineralia proprium habere ſemen ex quo generantur. Tum etiam Ætherea ut Cometæ, & Cœleſtia ut Stellæ novæ; quorum omnium ut generatio diverſa eſt, ita ſemina ſunt diverſa.

His notatis, jam Severinus cum Paracelſo favente Hipocrate ajunt: Quod ſemen ex congrua matrice in hanc ſcenam Mundanam proditurum mirabili poteſtate novum corpus ſibi fabricat, propriis officiis accomodatum: adſciſcens ſibi congrua Elementa & corporum principia. Per Elementa verò jam non intelliguntur communia illa totius Naturæ corpora, Terra, Aqua, Aer, Ignis: Sed proxima receptacula ſeminalis materiæ ex cap. 8. Non enim ex calido, frigido, humido & ſicco abſoluto, vel ex Igne, Aqua, Aëre & Terra abſolutis communibus vel ſimplicibus, fiunt corpora vegetabilium, mineralium vel animalium: ſed ex tali calido, frigido, &c. vel ex tali Igne, Aqua, &c: vel ex tali ſanguine, pituita, &c. qualia ſunt ſemina quæ Elementa vel materiam rei talem effecerunt. Similiterque corporum principia Sal, Sulphur & Mercurius, talia eſſe debent, qualia ſunt ſemina, ſiquidem loca ſive matrices, Elementa & corporum principia, ſeminibus debent eſſe conſentanea; alioquin non fiet generatio.

Ex his verò deducitur, quod 4 Elementa & 3 Principia conſtituunt omnia corpora in ratione materialis principii, ſive cauſæ. Quod verò dici ſolet, 4 Elementa magis rationem materiæ obtinere, & tantum communes ſuppeditare qualitates, calorem, frigus, &c. non autem mixti proprias, quæ duntaxat à tribus principiis ſuppeditantur, ideoque Elementa à Principiis differre; ſciendum eſt, quod non ſecus ac ſunt Elementa univerſalia mixtis omnibus communia in tribus Mundi regionibus; & inſuper 4 Elementa ſingulorum mixtorum peculiaria in ſingulis regionibus: Ita de tribus principiis cenſendum eſt. Ac per conſequens neque Elementa, neque Principia quæ ſunt materia mixtorum ſingulorum, mixti qualitates proprias continent, niſi quatenus ipſius mixti ſpiritu ſeminis informantur, qui ſibi ex Severino Dano adaptat Principia & Elementa conſentanea, hæc propriis qualitatibus vel ſignaturis inficiendo, quamdiu ipſi ſemini vel formæ mixti ſubſerviunt. Nam ſi deſtructo mixto ex hoc aliud fiat; Principia & Elementa novi ſeminis admittunt proprietates vel ſignaturas, prioribus depoſitis per alterationem quæ novam præcedit generationem.

Quærit autem Severinus cap. 8. Quid eſt quod Elementa & corporum principia reddat talia & ſeminibus conſentanea? Atque reſpondet in ſeminibus illam eſſe poteſtatem: quodque hæc adſciſcunt ſibi conſentanea & repellunt diſſentanea. Sed hic aderit Paralogiſmus, niſi dicatur quod ſemen ad generationem excitatum, vitali ſua poteſtate, proxima ſua receptacula ſive Elementa, tum principia ſui corporis efficit ſibi conſentanea; hæc propriis qualitatibus inficiendo.

Cæterum hæc Elementa & corporum principia inter ſe differunt, ut jam dictum eſt cap. 6; aitque Severinus, Elementorum officium eſſe, nutritionem & incrementum conferre, ideoque materiæ rationem obtinere. Principiorum verò corporis officium eſſe, mirabili proprietatum poteſtate vigere, quòd ſeminis actionibus ac officiis deſtinentur. Atque talia Elementa & corporum principia, non ſolum reperiuntur in Sublunari Mundo, ſed etiam in Cœleſti, ſcilicet in Planetis & fixis, ex eodem capite 8.

Tandem verò Severinus cap. 9. cum Orpheo, Hipocrate, Paracelſo ait, quod ſemina vitali poteſtate, ſcientia, donis, & ſpiritibus mechanicis dotata, inque Mundanam ſcenam, ſive lucem ex Iliado vel orco preditura, adſcitis ſibi conſentaneis Elementis & corporum principiis, hæc miſceantur ponderibus & menſuris ſoli ſeminum ſcientiæ notis: Ex hiſque fiat novum corpus, quod quia ſoliditatem aliquam requirebat, opus fuit principio quod ſoliditatem conferret, & hoc fuit Salis officium. Adjunxit autem Natura alterum principium; quod copioſa, pingui, viſcoſaque ſubſtantiâ Salis congelationem benigna mixtione temperaret, idque fuit Sulphuris officium. Sed adhuc deſiderabatur tertium, quod aſſidua irrigatione duo priora, actionum frequentiâ ad ſiccitatem & ſenium feſtinantia foveret, fluidâque & labili ſubſtantiâ mixtionem omnium facilem redderet, quod fuit Mercurii officium. Hæc igitur tria, Sal, Sulphur & Mercurius, corpora omnia conficiunt. Non tamen putandum eſt hic intelligi Sal, Sulphur & Mercurium vulgi: horum enim quodlibet eſt in ſuo genere corpus abſolutum, & non principium corporis: quippe quod unumquodque illorum conſtet ex Sale, Sulphure & Mercurio Chymicis: ſed quia differentiæ proprietates & conditiones trium ſubſtantiarum, ſive principiorum Chymicorum, nullis totius Naturæ ſpeciebus meliùs explicatas adverterunt Chymici, quàm à Sale, Sulphure & Mercurio vulgi, idcirco illis placuit ſua corporum principia talibus nominibus appellare, Philoſophica authoritate.

Porrò hæc tria omnium corporum principia, officiis & proprietatibus plurimùm deſtincta, ut jam dictum eſt; unam ſimilaremque corporum ſubſtantiam ſenſibus exhibent, mixtionis virtute; quâ non ſolum hæc principia, ſed Elementa quoque ſemini conſentanea miſcentur. Fitque mixtio Elementorum inter ſe, Elementorum cum principiis, & principiorum inter ſe, & omnium ſimul. At ſemina non miſcentur quia ſunt incorporea. Et hoc eſt quod dicunt Philoſophi, ſpecies non miſceri, ſemen enim rei eſt ejus ſpecies ſive forma.

Tres autem ſunt mixtionum ordines. Aut enim purum vel incorruptibile miſcetur puro;

aut

aut impurum vel corruptibile puro; aut impurum impuro. Pura puris mixta, longa requirunt digeſtionum tempora, priuſquam ad diſſolutionem perveniant; breviſſima impuris permixta impura; & media impuris pura permixta. Ideoque qui aurum fortibus aquis citò diſſolvere putant, falluntur, nec ipſum diſſolvunt. Et quia Elementa & corporum principia à ſpiritibus vitalibus, mechaniciſque ſeminum, in horas conſumuntur; in quibuſdam mixtis citiùs, & in aliis tardiùs: Idcirco aſſidua opus eſt reſtitutione ſeu reparatione & mixtione ex ſimilibus, vel conſentaneis Elementis & corporum principiis, ſed hæc fiunt conſentanea à ſeminibus, ut ſuperiùs dictum eſt: idemque panis fit nutrimentum congruum homini, cani, gallinæ & piſci, &c. quamobrem rectè dictum fuit nos nutriri ex iiſdem ex quibus conſtamus.

Ex his verò cum Severino Dano rectè concluditur, generationem nihil aliud eſſe, quàm fluxum ſeminum ex orco in lucem vel ſcenam mundanam: Corruptionem verò nihil aliud, quàm refluxum ex luce in orcum, vel tenebras, vel abyſſum, vel marrices congruorum Elementorum: ubi ſemina ſuis in luce expletis officiis, ſua habent receptacula, ibique beatè quieſcunt. Ideoque nullum ſemen perire, nec ullum de novo generari.

Cæterùm non abs re ait Severinus cap. 8. Multas circa doctrinam iſtam occurrere dubitationes & apparentes contradictiones, quas ipſe non ſolvit, ut lege Philoſophica Diſcipulis quædam relinquantur tædia, & probentur ingenia. Attamen certum eſt, quod quæ à Nobis fuere hîc explicata, eximium lumen erunt tyronibus ad hujus ſublimis Philoſophiæ intelligentiam & lecturam Severini. Ad quem pro reliquis à Me ſuppreſſis eos cenſeo eſſe remittendos; ſi priùs hic nonnullas difficultates enodavero, quæ forſan mentes ipſorum confundere poſſent.

Itaque ſciendum primò: Quod hi Philoſophi nomine corporis, duntaxat intelligunt corpus mixtum ex Elementis & principiis, ut ſatis patet ex ſupradictis. Ideoque Principia & Elementa non ſunt apud illos corpora, ſupple mixta; ſunt autem in ſe corpora ſimplicia. Et quidem ſimplicia ſunt, quia ex aliis non miſcentur, alioquin daretur progreſſus in infinitum: & corpora ſunt; tum quia ſi datur corpus mixtum, ergo dari ſimplex neceſſe eſt. Nam mixtum & ſimplex ſunt primæ & inter ſe oppoſitæ differentiæ corporis, eſtque ſimplex mixto priùs: tum quia quodlibet Elementum vel principium componitur ex materia & forma ſibi propria; & conveniunt principia inter ſe materialiter; differunt autem formaliter; alioquin unicum eſſet principium & non tria inter ſe naturis & proprietatibus valde diverſa. Atque ſic de 4 Elementis inter ſe & cum tribus principiis.

Secundò quamvis ſemen quodlibet dicatur forma vel ſpecies rei; non tamen viceverſa quælibet forma eſt ſemen ſive radix à Paracelſo & Severino ſpectata. Nam quodlibet Elementum vel Principium habet propriam formam vel Naturam, qua differt ab alio principio vel Elemento: ideoque ſi forma Salis eſſet ſemen Salis, quandoquidem ipſi volunt quod cuilibet ſemini cujuſque rei, adſunt propria & conſentanea principia, Sulphur & Mercurius: Ergo inde ſequeretur, quod in Sale eſſent Sal, Sulphur & Mercurius Salis; ſicque fieret progreſſus in infinitum.

Tertiò Severinum cap. 8. quatuor tantùm illuſtres generationum differentias in univerſo Mundo recenſere ratione Elementorum & ſeminum: quippe Terreſtres, Aqueas, Aereas & Cœleſtes. Siquidem Cœlum firmamentum & Ignem non diſtinguit ab invicem, dum ait cap. 8. *Semina in Elemento Cœleſti vel igneo, individua produxiſſe perfectiſſima & in ſeculum duratura, Solem, Lunam, & Aſtra omnia:* Cùm tamen Ignis Elementum differat à Cœlo & Æthere, qui Ariſtoteli eſt Elementum Stellarum. Ariſtoteles enim agnovit quatuor Elementa Sublunaria, Ignem, Aerem, Aquam & Terram, quæ Libro 3. probavimus dari contra Cardanum & alios: At de ſemine loquens, ait, *ipſum alterius cujuſdam corporis particeps eſſe, & divinioris quàm quæ Elementa vocantur, propriamque rei cujuſque eſſentiam nequaquam ex Elementis emergere, ſed eſſe ſpiritum; & naturam quæ in eo eſt ſpiritu, proportione reſpondere Elemento Stellarum.* Quibus ſanè verbis Ariſtoteles innuit in Stellis & Planetis alia reperiri Elementa, quàm Sublunaria, Ignis, Aer, Aqua, Terra. Itaque præter generationes Terreſtres, Aqueas, Aereas & Igneas Sublunarium, etiam Æthereas & Cœleſtes adjungemus.

Caput VIII.

De quibus mixtis hoc Libro ſit nobis agendum.

Superioribus circa corporum principia & Elementa ipſorumque mixtionem in genere præmiſſis; ſequi videretur ut de Sublunaribus mixtionibus vel generationibus primò diceremus, quippe Mineralium, Vegetabilium & Animalium, nec non Meteororum Sublunarium: ſed quia Tractatus hic ab Aſtrologia nimis alienus eſt; idcirco illis omiſſis, tantùm de Æthereis & Cœleſtibus mixtionibus, ſcilicet Planetarum, Comætarum & Stellarum fixarum agamus, cumque in omnibus mixtis concurrant ſemina, corporum principia & Elementa ſeminibus conſentanea: ſoleantque Chymici corporum mixtionem quandoque per ſola principia Chymica; aliàs per ſola Elementa, & interdum per utraque explicare: quòd ut dictum eſt cap. 5. corporum principia ſint Elementis indiſſolubili nexu ſociata; idcirco placet Æthereorum & Cœleſtium corporum mixtiones per Elementa ſola ſectione ſequenti explicare; ne alioquin Peripateticis Philoſophis hac in parte auſteriores videamur.

SECTIO

SECTIO II.

De mixtis Æthereis.

Caput I.

De numero Planetarum.

CRedidit Antiquitas, dari tantùm mixtionem in Sublunaribus, corpora verò ſuperiora nullam ſubire vel admittere mixtionem: ne ſcilicet ex miſcibilium contrarietatibus generatio & corruptio in Cœleſtibus introducerentur: At Comœtæ attentiori animo inſpecti, tum maculæ Solares & Stellæ novæ in Cœlo genitæ, Nobis tandem hoc ſeculo veriùs philoſophandi anſam præbuerunt; aſſerendique Mundi regionem Ætheream mixtis noviſque generationibus non eſſe deſtitutam. Dantur itaque mixta Ætherea in ipſo Æthere, propria eorum regione; in qua ab Ætheris vel Ættereæ naturæ prædominio, mixta ipſa librantur ſuſtinenturque, ut nubes in Aere, ab Aeris, vel Aereæ naturæ prædominio. Mixta autem ipſa ſunt in triplici differentia; ſcilicet Planetæ, maculæ Solares, & Comœtæ. De quibus jam ſigillatim agendum eſt, à Planetis incipiendo.

A Mundi autem exordio ad hæc uſque tempora, ſeptem duntaxat Planetæ numerati fuerunt, quia 7 tantum cogniti: ☉ ☽ ♄ ♃ ♂ ♀ & ☿; At hoc ſeculo ingeniis præſertim Mathematicis fœliciſſimo, ope mirabilis Teleſcopii à Jacobo Metio Batavo, ab annis circiter 40 primùm invento, 4 alii fuere deprehenſi à Clariſſimo Galilæo, circa ♃ regulariter mobiles; ut ♄ ♃ ♂ ♀ & ☿ circa Solem; quos Galilæus ipſe aſtra Medicæa nuncupavit; ac proinde jam certtus eſt 11 Planetarum numerus. Quorum Sol & Luna dicuntur à Nobis Planetæ primarii, quod primario circa Terrenum Globum noſtrum ſive Mundi centrum convertantur: ♄ autem ♃ ♂ ♀ & ☿ vocantur ſecundarii, quod ſecundario circa Tellurem, primario autem circa Solem gyrent: Ac tandem aſtra medicæa, Planetæ tertiarii, quod primario circa ♃, ſecundario circa Solem, & ultimo circa Terram moveantur. De ♄ autem mirum eſt quantum ingenia ludificet: Aliquando videtur tricorporeus, vel aggregatum ex tribus Stellis, ſive corporibus ſaltem contiguis in eadem linea, quarum media eſt maxima, & extremæ ad ortum & occaſum minimæ, & talem ipſum ferè ſemper vidi in longitudinem porrectum ab Ortu ad Occaſum, etiam dum Soli opponitur, quo ſaltem tempore deberet inſtar Lunæ videri rotundus & lumine plenus: aliquando verò ſola apparet media, quæ eſt ipſum ♄ corpus; ſicque apparuit Galilæo menſe Novembri 1612. ut ipſe refert in ſuis ad Velſerum Epiſtolis: quod ego etiam poſt obſervatum pluribus annis Saturnum tricorporeum, tandem anno 1642. deprehendi menſibus Septembri, Octobri, Novembri. Qui verò maculas carbonis inſtar atras in diſco Solis mobiles, eodem tubo deprehenderunt, illaſque numeroſum Planetarum ſatellitium Soli ſemper aſſiſtens arbitrati, ipſas Borbonia tum Auſtriaca ſydera nuncuparunt, ii fumos duntaxat vaneſcentes non autem Planetas perpetuos, Borboniorum & Auſtriacorum principium nominibus conſecrarunt: quòd maculæ illæ fumi ſint & non Planetæ, ut fuſiùs infra exponetur.

Caput II.

Planetæ omnes inter ſe differunt ſpecie.

AD hoc oſtendendum nobis primò ſupponenda eſt definitio formalis virtutis, quæ ſic à Nobis traditur: prout virtus hîc ſumitur pro facultate vel potentia naturali. *Virtus formalis ea eſt, quæ formæ ſpecificæ propriam determinat efficientiam: vel à quo habet forma ſpecifica quod agat modo ſibi proprio:* Si quidem forma ſpecifica à qua ens unumquodque Phyſicum habet quod ſit tale ens, ipſa eſt principale principium activum motus, vel actionis. Porrò virtutis formalis tres ſunt proprietates. Prima, quòd per ſe primò fluat à forma ſpecifica. Secunda, quod omni ſoli & ſemper conveniat. Tertia, quod cum ſpecie convertatur.

His præmiſſis dico 7 Planetas ☉ ☽ ♄ ♃ ♂ ♀ & ☿ inter ſe differre ſpecie. Nam eorum quilibet differt ab altero formali virtute; quod nempè diverſa ſit naturalis efficientia ſingulorum; alii enim ſunt effectus Solis, ſpecie & qualitate, alii autem Lunæ & cæterorum Planetarum, ut experientia conſtat Aſtrologis hujuſce rei judicibus idoneis, & ſuo loco fuſiùs oſtendetur. Ergo Planetæ ipſi differunt ſpecie; alioquin ſi fuerint ejuſdem ſpeciei, quoniam quælibet virtus formalis convertitur cum ſpecie cujus dicitur eſſe virtus ex definitione; ſunt autem Planetarum ipſorum virtutes formales inter ſe diverſæ ut ſupra dictum eſt; ergo ipſæ etiam inter ſe convertentur, hoc eſt una erit altera quævis: Nam quæ ſunt eadem uni tertio, eadem ſunt inter ſe: Jam verò id abſurdum eſt, cùm eas eſſe diverſas aſſertum ſit experientiâ: ergo Planetæ ipſi inter ſe differunt ſpecie. Unde cùm ejuſdem ſpeciei unicus numero toti Mundo ſufficiat; mirabilem profectò planéque ſtupendam eſſe ſingulorum virtutem fatendum eſt: præſertim verò Solis & Lunæ, cùm eorum quilibet poſſit quodlibet in quolibet, juxta ipſius Planetæ agentis & ſubjecti patientis naturam atque ſtatum; ut proprio loco fuſiùs exponetur.

Quod verò attinet ad 4 Jovis ſatellites, nobis non conſtat de eorum formali virtute, vixque unquam ulli conſtabit certâ experientiâ. At quia omnes Solis ſatellites ♄ ♃ ♂ ♀ & ☿ inter ſe differre ſpecie probatum eſt; hinc Jovialis etiam inter ſe differre ſpecie maximè eſt probabile; cùm præſertim & magnitudine & colore & motuum periodis inter ſe differant ut Solis ſatellites. Ad eorum autem vires inveſtigandas, notentur eorum varii ſitus circa Jovem.

Caput III.

Nullus Planeta eſt aliquod ex 4 Elementis inferioribus, aut Æther, aut idem ſpecie corpus cum Cœlorum aliquo.

QUantùm huc uſque inſudarint, parúmque profecerint Philoſophi in Aſtrorum ſubſtantia indaganda, teſtantur variæ eorum ſententiæ.

Alii

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Alii enim cum Ariſtotele cenſuerunt Aſtra eſſe corpora ſimplicia; vigetque adhuc in Academiis celebrior hæc opinio: horum verò nonnulli dixerunt Aſtra eſſe denſum & craſſum ignem. Anaximander autem putavit eſſe globos igniti Aeris: ſed alii Aſtra fecere mixta, ac inter hos Anaxagoras opinatus eſt ea eſſe ignitos lapides, qui ab univerſa Mundi rotatione rapti ſunt in ſublime, ibique inflammata: Diogenes Phyſicus accenſos pumices: Archelaus candentes laminas ferreas: Xenophanes ardentes nubes quæ noctu accendantur & interdiu extinguantur: denique Neotericorum plurimi, ab invento præſertim optico tubo, Lunam arbitrantur eſſe Tellurem alteram, quæ montibus, ſylvis & aquis ut iſta referta ſit, imò & incolis, contra quas ſcripſimus in famoſi problematis de Telluris motu noſtra ſolutione.

At nos hîc primò dicimus: Nullum Planetam eſſe aliquod ex 4. inferioribus Elementis, Terra, Aqua, Aere, vel Igne. Et probatur tum quia Planeta quilibet experimentis Aſtrologicis formali virtute differt à quovis ipſorum Elementorum; quorum vires formales ſunt tantùm calor, frigus, humiditas & ſiccitas, ut apud Phyſicos omnes etiam Chymiſtas in confeſſo eſt; tum quia ipſe Planeta eſſet aliquod ex denſis Eleme͂tis, Terra vel Aqua, aut aliquod ex raris, Aere vel Igne. Non primum quia Terra vel Aqua noſtra non tractione vel ob unionem cum ſuo toto, ſed ſponte & gravitate propria deſcendit ſub Aerem, ut libro 3. oſtenſum eſt; ibique quieſcit: proindeque locus ſuperior à quo fugit utraque, non eſt earum alteri naturalis; ſed inferior ſub Aere. At Planeta quilibet eſt in ſuo loco naturali: nullus ergo Planeta eſt Terra vel Aqua, quales hîc conſpiciuntur. Quoniam verò Terræ vel Aquæ in exhalationem vaporemve ſine formæ ſubſtantialis deperditione rarefieri, & ſupera loca petere, ibique ſub forma nubis conſiſtere aut circumferri naturaliter accidit; ſi quis dixerit Planetam eſſe Terram vel Aquam eo pacto rarefactam; is non erit alius quàm nubes, ut etiam opinatur Xenophanes, hoc autem eſt perabſurdum. Iidem enim nobis prodirent effectus à nubibus pro harum diverſo ſitu in Cœlo & ad Horiſontem qui à tali Planeta. Id verò minimè fit, quippe quòd abſit à Terra vel Aqua virtus formalis Planetæ cujuſcunque. Nullus ergo Planeta eſt Terra vel Aqua.

Sed nullus etiam eſt aliquod ex raris Elementis, quia cùm Planetas in locis ſibi naturalibus conſiſtere & ipſo Aere denſiores eſſe nullus inficietur, haud dubiè Aeri vel Igni per denſationem naturale eſſet ad illa loca aſcendere; quod non minùs abſurdum eſt arbitrari, quàm denſa Terram vel Aquam rarefactione deſcendere: quia ut denſa in vaporem reſoluta videmus aſcendere, ſic rara denſatione coacta deſcendere par eſt: idque probat tum mixtorum compoſitio ad quam rara Elementa non concurrerent niſi denſarentur atque deſcenderent. Tum etiam reſolutio, in qua ſingulorum Elementorum ſubſtantias, ſurſum deorſumve ſua loca petere cernimus. Nullus ergo Planeta eſt aliquod ex 4. inferioribus Elementis.

Similiter cùm ſeptem Planetarum ſpecie differentium nequidem duo poſſint eſſe Æther, ſi eorum aliquis fuerit Æther, planè ſuperfluus erit Elementali Mundo ipſius Ætheris denſati globulus, exilis totius Ætheris vaſtiſſimi profundiſſimique reſpectu; tum motus quo ſuas in regionem Elementalem vires diſſeminat; cùm aliæ non ſint quàm ipſius Ætheris, ipſi regioni undique circumfuſi atque contigui; taliſque globulus per acquiſitam denſitatem non aliud ſpecie efficiet pro ſuo ad Cœlum & Horiſontem ſitu diverſo, ſed duntaxat intenſiùs idem ſpecie. At Planeta quilibet pro ſuo ſitu diverſo in dodecatemoriis & figuræ domibus, mutationes ingentes ſpecieque diverſas facere deprehenditur in Mundo Elementali, ac præſertim in Telluris globo: eſt igitur alia Ætheris circumfuſi, & cujuſque Planetæ virtus formalis, proindeque ſpecies. Atque hæc ratio etiam ad Ignem & Aerem nos ambientes undique accomodari poteſt.

Quod denique nullus Planeta eſſe poſſit corpus idem ſpecie cum Cœlorum aliquo, probatur: tum quia ob Cœlum cujus naturæ fuerit, Elementali Mundo circumfuſum, erit quoque ſupradicta ratione ſuperfluum: tum quia cùm Planeta quilibet etiam à Cœlo fixarum maximè diſtet verſus Mundi centrum; aut ipſe non erit in loco ſibi naturali ſed violento, quod dici non poteſt: aut ſui Cœli ſimiliter denſatæ portioni atque per hypotheſim à ſuo Cœlo ſeparatæ, motus rectus naturaliter conveniet, quo illa ad eundem locum deſcendat: eidem enim corpori duæ regiones adeò differentes ſitu atque naturâ ſicut Cœleſtis & Ætherea, propeque Elementalis, nequeunt eſſe locus naturalis: at motus rectus per ſe alienus eſt à natura Cœleſti, ut circularis per ſe ab Elementali, ut libro 3. ſect. 1. cap. 9. oſtenſum eſt. Nullus ergo Planeta eſt ejuſdem naturæ cum Cœlorum aliquo, videturque à ſapientia & omnipotentia Creatoris exorbitans, Mundi partem integrantem aliquam, puta Elementorum aut Cœlorum aliquod, aut Ætherem, alterius horum naturarum denſatione duplicaſſe; quaſi per hanc duplicationem, defectus ſive error in prima ipſorum corporum conſtitutione admiſſus, foret ſupplendus.

CAPUT IV.

Planetæ non ſunt corpora ſimplicia.

CORpus ſimplex id à nobis appellatur, quod materia conſtat omogenea ſive in partes diverſæ rationis indiviſibili. Porrò quamvis à vulgari doctrina in Academiis jam dudum recepta hîc recedamus: attamen certum eſt Planetas non eſſe corpora ſimplicia. Alioquin cùm inter ſe differant ſpecie ex cap. 2. idem ſpecie locus ſive ambiens non erit omnibus naturalis, quippe quòd natura ſimplex quælibet non in quolibet quieſcere aut conſervari queat, ſed proprium exigat ab univerſali natura ſuæ quietis & conſervationis locum, ut patet in ſerie corporum ſimplicium Mundum conſtituentium, quippe Elementorum Ætheris atque Cœlorum. At idem Æther eſt Planetis omnibus communis locus naturalis: non ergo ſunt corpora ſimplicia: quandoquidem ratione loci, mixtorum ſublunarium conditionem ſortiuntur; quorum diverſæ ſpecies in eodem communi loco quippe Terra, Aqua vel Aere generantur & conſervantur, ut patet de piſcibus in Mari, & mineralibus in Terra.

Præterea in Planetis ipſis magna jam deprehenditur eterogeneitas antiquis ignota, quæ majori

P nequit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

nequit imputari denſitati vel raritati partium Planetarum, ac præſertim eorum qui ſua opacitate lumen ſolis ad nos reflectunt, in quorum ſuperficie ipſæ apparentererogeneitates; ſi quidem in Lunæ diſco cernuntur partes aliis multò albiores; aliæ verò obſcuræ, cinereæ, nigræ, idemque in ipſius Lunæ cavitatibus deprehenditur, imò circa limbum infimum apparet velut umbilicus quidam rotundus, ingens, ſcilicet, cavitas alba, à qua ut centro vel polo plures radii vel quaſi peponum coſtæ prodeunt colore diſtinctæ, quæ omnia Lunæ eterogeneitatem certò teſtantur: adde quòd ejus magna opacitas colorque nigerrimus in ſolis præſertim Eclipſibus conſpicua, Terræ portionẽ corpori Lunæ adjunctam neceſſariò arguit, cùm ſola Terra ſit corpus opacum & Lumini Solis nequaquam pervium: nec inde ſequitur, quod in Æthere violenter ſuſpenderetur. Nam ipſius Lunæ materia ſic contemperata eſt à cæteris Elementis, Æthere atque Cœlo, ut infra dicetur; taliſque naturæ formam nacta eſt ſubſtantialem: ut naturaliter in Æthere librari queat, ſicut noſtri vapores & exhalationes in Aere, qui non exigua Terræ portione plerumque referti ſunt, ut lapides crebro in Aere geniti, & eorum major opacitas quàm ipſius Aquæ teſtantur. Eadem eſt ratio de ☿ quem ſubnigrum in diſco Solis obſervavit Pariſiis Gaſſendus anno 1631. die 7. Novembris ab hora 9. ad 10. 28′. quo momento exceſſit è limbo Solis. Tum de ♀ quam opacam eſſe, & à Sole illuminatam Lunæ phaſes æmulari docuit Teleſcopium: tum de ♂ cujus opacitas & eterogeneitas eodem quoque patuit inſtrumento; unde & ♃ ſuoſque Satellites, & ♄ eſſe etiam eterogenea corpora facile eſt conjicere. Quidni enim ſi Sol ipſe Rex Planetarum & Mundi lux quo nihil in natura purius cenſebatur impuris eterogeneitatibus ſcateat; ut evidenter arguunt maculæ nigræ in ejus diſco per intervalla apparentes, de quibus infra dicendum erit.

Adhæc in Æthere Planetarum regione, denſa ignitaque corpora quandoque generantur: non ex ſola Ætheris ſubſtantia quæ omnium corporum eſt rariſſima, tenuiſſimaque, ſed ex viſcidis & ſulphureis exhalationibus, quas è Planetarum globis potiùs quàm è Terræ globo educi, potenter ſuadet Planetarum poſitus in Æthere, à quo Tellus maximè diſtat, intermediis Aere & Igne, qui ex ſe etiam denſam illam materiam non ſubminiſtrant; tum Comœtarum ipſorum ſtupenda moles, qualis fuit Comœtæ anni 1618. nec non etiam macularum vel exhalatationum Solis magnitudo, numerus & frequentia, quibus gignendis exhalationes è Terræ globulo eductæ, ſine ejus maxima, evidentiſſima, continuaque diſſipatione nunquam, ſufficerent, ſufficientes verò educi queunt ex aliis globis Terra longè majoribus. Id ergo Planetarum eterogeneitatis & per conſequens mixtionis validum eſt argumentum.

Denique ſi Planetæ fuerint corpora ſimplicia ab Elementis, Æthere atque Cœlis differentia; quandoquidem ipſi inter ſe differunt ſpecie ex cap. 2. Tum à fixis & hæ quoque inter ſe ut ſuo loco oſtendetur. Certum eſt quod ingens corporum ſimplicium multitudo ſpecifica, erit in natura citra neceſſitatem introducenda. Nam quæcunque ſit Planetarum eſſentialis nobilitas agendique univerſalitas, eorum tamen formæ ſubſtantiales non aliud in materia requirunt: quàm ſibi proprias congruaſque diſpoſitiones vel accidentia. Jam verò quæcunque in Planetis ſenſu percipiuntur accidentia, lux, calor, color, opacitas, quantitas & figura, eadem in mixtis Sublunaribus deprehenduntur, tum alia per ſolos effectus ſenſibilia, quales ſunt virtutes magneticæ, & quas ſpecificas appellant, etiam cum ipſis Planetis ſympathicæ & antipathicæ, ut occultioris Philoſophiæ alumnis innoteſcit: quamobrem nulla ratione convinci poterit, eandem Planetis & ſublunaribus mixtis non poſſe communem eſſe materiam, ſi non totalem ſaltem partialem; cum præſertim gemmas hìc habeamus quæ materiæ puritate nobilitateque Planetis minimè cedunt; quin imò glorioſum CHRISTI corpus ex noſtris etiam conſtet Elementis, ne forſan Planetis fieri injuria videatur. Ex ſupradictis igitur conſtat Planetas non eſſe corpora ſimplicia; ideoque ſunt mixta.

CAPUT V.

De Planetarum mixtione in genere.

QUoniam ex cap. 4. ſect. 3. lib 3. dantur in rerum natura tria genera corporum ſimplicium, quippe Elementa Æther atque Cœli; ſimplicia autem ordinantur in compoſitionem mixtorum: & Planetas probavimus eſſe corpora mixta: Ergo vel miſcentur ex ſolis Cœlis, vel ex ſolis Elementis, vel ex utriſque. At non ex ſolis Cœlis: nam in Luna & minoribus Planetis magna deprehenditur opacitas ut jam ſuperiùs dictum eſt, atque conſtat illos de ſuo non lucere. Cœli autem ex natura ſua ſunt maximè diaphani, ut patet ex fulgore ſtellarum profundo firmamenti immenſarum. Adhæc cùm Luna fixarum & Solis lucem occultet, ideòque ſit multò denſior quàm via lactea in cujus profundo ſtellæ micant, ipſa etiam multò magis quam via lactea ex ſe luceret, in umbra Terræ à Sole deliteſcens; quod tamen non facit, cùm tantùm luceat per lumen à Tellure reflexum ut diximus in Theoriis Planetarum; imò inter ambas Lunæ quadraturas, pars ejus à Sole averſa nullo modo videtur, quod non accideret ſi ex Cœlis diaphanis conſtaret Lunę corpus. Deniq; nihil ex Planetis ipſis exhalare poſſet, pro Comœtarum & Solis macularum generatione, quod tamen fieri infra oſtendetur: quandoquidem ſolidiſſima Cœlorum materia ad exhalandum inepta eſt. Non ergo ex ſola Cœlorum materia miſcentur Planetæ, cùm præſertim ex cap. 4. nulla ratione convinci queat, eandem Planetis & Sublunaribus mixtis non poſſe eſſe comunem materiam aliquam.

Sed neque mixti ſunt ex ſolis ſublunaribus Elementis. Nam Planetæ cauſæ ſunt univerſales mixtorum omnium duntaxat Elementalium, ipſiuſque hominis de communi Philoſophorum conſenſu, unde illud Ariſtotelis, Sol & homo generant hominem, proindeque non ſunt de genere mixtorum ipſorum; alioquin eſſent etiam ſui cauſa, quod abſurdum eſt. Præterea mixtum omne ſublunare, naturæ eſt particularis virtutiſque determinatæ, nullum jus habens efficientiæ tranſmutativæ in alia mixta ejuſdem generis, nec in ipſa quibus conſtat Elementa. At omnia his contraria conveniunt ſingulis Planetarum; horum ergo nullus mixti duntaxat Elementalis genere coercetur. Adhæc mix-

mixtum quodlibet ſublunare cui convenit generatio, tantùm ex ſe producit ſibi ſimile in ſubſtantia, at nullus Planeta producit ſibi ſimilem, ſed eorum quilibet agit per ſe tantùm æquivocè ſecundum ſubſtantiam. Inſuper ſi ex ſolis conſtarent Elementis Sublunaribus, locus extra regionem Elementalem non eſſet eis naturalis: cumque negari non poſſet denſa Elementa in Planetis ipſis prædominari ob eorum denſitatem & opacitatem; neceſſariò verſus Mundi centrum deſcenderent à propria gravitate. Tandem non eſſet inter Planetas ipſos & primi Cœli partes tanta naturæ virtutumque formalium affinitas & convenientia quanta deprehenditur per influentias, & in ſequētibus oſtendetur: nec ut Cœlum ipſum virtutibus pollerēt univerſalibus, & potentiſſimis ſuper omnia ſublunaria, actione ſubſtantiali tantùm æquivoca, ſi ex ſolis conſtarent Elementis inferioribus, nihilque de principiis conſtitutivis commune haberent cum Cœleſtibus corporibus: cùm ergo formam communem non habeant ex cap. 3. materiam habeant neceſſe eſt. Quamobrem cùm neque ex ſolis Cœlis neque ex ſolis Elementis ſublunaribus miſceantur, ipſis tamen inſint materiæ tum Cœleſtis tum Elementalis judicia manifeſtiſſima; eos ex utraque mixtos eſſe oportet: Æthere tamen proprio Planetarum Elemento principaliter concurrente, ut enim in mixtis ſublunaribus materia Elementalis concurrenti æthereæ prædominatur, & in terreis terrea, in aquis aquea: ita quamvis unum Elementorum in uno Planeta, & alterum in altero prædominetur, pro diverſa cujuſque Planetæ natura: tamen in ſingulis Ætherem reliquis miſcibilibus præpollere non modò conſentaneum eſt, ſed etiam neceſſarium, ſi quidem ab Ætheris ſpirituoſe ſubſtantia, Planetæ mixti ex Elementis, ſuper hæc elevantur ſuſtinenturque veluti nubes, ipſiuſque fulminis Terream materiam virtute aerea vel ignea in Aerem efferri, ibique conſiſtere & circulariter moveri (quamvis Aerem denſitate longè ſuperent) tum eneoremata & nebulas in urinis pendulas conſpicimus. Ut enim nubium, cæterorumque meteororum alia aliis ſublimiùs attolluntur, pro majori aut minori virtutis aereæ vel igneæ elevantis participatione, & Terræ vel Aquæ puritate vel tenuitate: ita fit in Planetis; ut qui Ætheris puriori virtute & majori quantitate cæteris excellunt, eoſdem altitudine ſuperent: concurrente nihilominus materia Cœleſti qua Planetæ conſtant; quæ ſuæ originis gnàra, etiam cum æetherea Elementalem ſurſum elevat atque librat in diſtantia à Mundi centro, omnibus ipſis miſcibilibus proportionata, pro univerſo motu periodico Planetæ, qui non virtute propria, ſed aliena circumfertur, quippe ab intelligentia ut alibi fuſiùs à nobis explicatum eſt.

Porrò etſi Planetæ ſint corpora mixta, etiam ex corruptibilibus Elementis, non ſunt tamen naturaliter generabiles, quippè quòd Cœleſtem & incorruptibilem materiam commixtam habeant: cujus cum corruptibili unio mixtioque eſſe nequit à cauſa naturali; natura enim nequidem vitrum miſcere poteſt ad generationem naturalem, utcunque ſit corpus ſimplex. Eſt igitur talis mixtio ſoli DEO poſſibilis unde ſequitur à Mundo condito huc uſque nullum Planetam novum fuiſſe genitum; quamquis plures Comœtæ, Stellæque novæ Planetis etiam majores naturaliter genitæ ſint, de quibus infra dicetur. Non tamen propterea ſequitur Planetarum diſſolutionem eſſe non poſſe à cauſa naturali; quia unio ſupernaturalis animæ ſpiritualis cum corpore, ſolvitur à cauſa naturali: ſed quia in natura deeſt virtus efficax ad totalem ipſorum principiorum in Planetis diſſolutionem; idcirco hi ſimpliciter ſunt incorruptibiles: attamen quoniam iiſdem inſunt generationis & corruptionis cauſæ naturales quippe Elementorum qualitates contrariæ, & materia corruptibilis, etiam ſecundum quid ſunt generationi & corruptioni obnoxii; quæ eſt cauſa exhalationum ex ipſis prodeuntium, unde meteora gignuntur ætherea de quibus infra, neque id cuiquam mirum videri debet, cùm ipſe globus Terreſtris ſit eo quoque modo corruptibilis & incorruptibilis.

CAPUT VI.

De Planetarum mixtione in ſpecie: & primò Solis.

QUemadmodum Planetas eſſe corpora mixta, facillimum eſt generaliter ex ſuperiori capite concludere. Ita quæ ſit cujuslibet mixtio ſpecialis dèfinire non exiguam humano ingenio objicit difficultatem, cùm nequidem de noſtris ſublunaribus mixtis quidquam certi hac in re habeamus, niſi ex ſola reſolutione chymica, quæ in Planetis ipſis nòn videtur impoſſibilis ſi eorum aliquà daretur partiuncula, cum fumos emittant unde Cometæ generantur. Eſt enim ignis noſter terribilis artifex reſolutionum, vix vitro & ſi proprio fœtui parcens. At quia hæc via nobis eſt impoſſibilis nulla alia ſupereſt, quàm & apparentibus ſive ſenſibilibus Planetarum accidentibus, tum eorumdem in hæc inferiora effectibus, mixtionem illam conjicere. Liceat igitur cuilibet ad ſcopum collineare & ſuam hac in parte ferre ſententiam; ego hic cæteros præveniens meam expono ſapientiorum judicio.

Itaque præter materiam Cœleſtem & æthereAm quibus ſinguli Planetæ principaliter componuntur. Sol quem Ægyptii partum Minervæ, Plato filium DEI viſibilem: Propheta regius DEI Tabernaculum, & plerique cor Mundi appellarunt: cui orienti mos erat Pythagoricis, Hymnos Lyrâ canere, quemque Orientem ſalutans Socrates, extaſin ſæpe patiebatur: qui ſuo adventu atque præſentiâ corpora illuminat, calefacit, vivificat, & exhilarat ut DEUS ipſe mentes; Sol inquam divinæ bonitatis imago nobiliſſima ac veneranda, nonnihil Terræ, plus Aeris, & plurimum ignis continet: ita ut verè ſit globus ignitus & accenſus contra ſcholaſticorum opinionem, qui illum non actu, ſed duntaxat virtualiter calidum atque ſiccum efficiunt. Quod autem ſit verè globus ignitus non modò cenſuerunt Pythagoras, Plato, Anaxagoras, Philolaus, Anaximander, pulreſque alii veteres Philoſophi: ſed inde quoque probatur, quia ut ignis noſtras lucet, calefacit & comburit, radiis tum directis tum etiam reflexis per concavum ſpeculum; ita & Sol, qui radiis reflexis comburit omne lignum, metallumque liquat & calcinat; quæ præſtaret etiam directis radiis, ſi eadem ſubjecta ad congruam illi diſtantiam applicarentur, multoque magis ſi ad contactum, falluntурque maximè qui illa omnia à ſimplici luce Solis fieri putant, nullo ejus actuali

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

concurrente calore ut probabimus libro 11. cap. 13. dum de luce agemus, quandoquidem magni denſique fumi ex ejus corpore exhalant, qui non niſi ab actuali calore elevari queunt, at quamvis ſupradictos effectus communes habeat cum igne noſtrate, ambo tamen aliis effectibus maximè differunt.

Quod ut plenius intelligatur ſciendum primò, formam Solis ſubſtantialem & propriam non eſſe formam ſimplicis ignis Elementalis, alioquin Sol virtute formali non differret ab ipſo igne contra cap. 3. ſed eſt ordinis cuilibet Elemento ſuperioris. Secundò propriam ignis formam in hoc ab aliis maximè differre, quod ad ſui introductionem & exiſtentiam, non poſtulet certam atque determinatam materiæ diſpoſitionem, ſed in quavis, & quovis modo diſpoſita materia recipi queat ſi aquam exceperis. Nam & Aer & Terra, tum olea, adipes, ſtramen, lignum, lapides, metalla & vitrum accendi queunt, ita ut alia etiam accendant corpora: neque ipſa ignis forma eſt cum aliis formis omnibus in eodem ſubjecto incompatibilis, ut patet in ferro vel auro liquatis, quæ nemo ſanæ mentis dixerit, tunc non eſſe ferrum vel aurum formaliter. Attamen nulli horum corporum talis forma connaturalis eſt, ſed potiùs inimica: quòd nempe Tyranni inſtar illa deprædetur, diſſolvat, deſtruat atque corrumpat; vix proprio fœtui quippe vitro parcens, & auro, quod propter mixtionis & coctionis excellentiam reſolvere vel deſtruere non poteſt. Viciſſim verò quamvis forma ignea in illa corpora poſſit introduci, conſervari tamen nequit; quòd ipſa non ſint illius connaturale ſubjectum, atque in iis duntaxat tanquam exitioſus hoſpes peregrinetur, continuo in ipſis indigens pabulo, quo deficiente, illa deſinit.

Oportet igitur in natura dari aliud & connaturale ſubjectum formæ ignis, ſine quo nullus eſſet ignis naturalis. Ac tale ſubjectum eſt materia ipſius Elementi ignis: quod non ſolum datur ſupra Aerem in Sublunaribus, ſed in ipſo quoque corpore Solis, ubi forma ipſa tanquam in proprio ſubjecto conſervatur. Itaque in Sole præter ejus propriam & ſubſtantialem formam quâ Sol eſt, plures alias agnoſcimus, totque quot mixtionis ejus ſunt principia. Non enim ſe deſtruunt miſcibilium formæ quæ ad mixti conſtitutionem amicè confluunt (ut plerique arbitrantur) ſed actu remanent; ut propriæ mixti formæ ad quam ordinantur & à qua perficiuntur ſubſerviant. Nec minùs 4 Elementa aut tria principia Sal, Sulphur & Mercurius ſunt actu in quolibet mixto, quàm in ſanguinis maſſa 4 humores & in lacte, caſeum, ſerum & butyrum, ut Chymiatris notum eſt, quibus præſertim de mixtorum analyſi credendum. Alioquin (ſi relicta experientiâ verbis duntaxat & ratiocinio agendum eſt) erroneum foret illud axioma veriſſimum; *quodlibet ex iis componitur, in quæ reſolvitur*; quis enim niſi mentis inops aſſeret ab eodem agente igne, Planetam vel animal in ſua principia reſolvente produci formas diverſiſſimas Solis, Sulphuris & Mercurii, ſive Terræ Aeris Ignis & Aquæ, inter ſe primò contrarias: & non potiùs has eterogeneas ſubſtantias commixtas ſeparari, quod eſt ipſius Ignis proprium? Quod ſi hæc vera ſint in mixtis omnibus ſublunaribus; quis de æthereis vel Cœleſtibus ambiget, ipſa eodem modo eſſe mixta?

Nec propterea ſequitur Solem non eſſe ens unum & per ſe ſed per accidens & aggregationem ob formarum ſubſtantialium in eodem ſubjecto pluralitatem: quia hoc tantùm convenit mixtis ex partibus vel Elementis, quorum formæ non ſubordinantur propriæ & naturali formæ mixti alicujus. Ut acervo ex tritico & fabis mixto; vel metalli maſſæ ex auro & argento ſimul fuſis, vel liquori ex vino & Aqua commixtis, vel aliis ex quorum mixtione non ſequitur generatio naturalis, alicujus novæ formæ Phyſicæ. In ſimilibus enim remanent quidem miſcibilium formæ in mixto nequaquam tranſmutatæ, ſed non ſubordinatæ alicui formæ naturali cui ad agendum uniantur atque ſubſerviant. Itaque & ſi accidentaliter ſunt unum ens ratione continuitatis, ſubſtantialiter tamen multa ſunt entia, ſibi nullatenus ſubordinata.

Porrò inter Elementa ſublunaria Ignem formaliter in Sole prædominari, & hunc eſſe corpus accenſum teſtantur lux calor & effectus ſupradicti. Tum quòd ſolus Sol etiam ex ♃ copioſiùs calefaciat quàm reliqui omnes Planetæ ſimul ex ♌, ac Solus globi terrei frigiditatem domet, quod eo abſente reliqui ſimul nequeunt. At quamvis ignis in ligno vel ellychnio accenſus à radiis ſolaribus (qui concavo ſpeculo collecti nihil aliud eſſe deprehenduntur quàm ipſius Solis flamma immateriata vel forma ignea per univerſum expanſa) verè dicendus ſit Cœleſtis aut ſolaris qualis olim apud Hebræos religioſè ſervabatur, non ſecus ac ignis in ligno ab igne communi excitatus, eſt verè ignis communis: & omnes ignes accenſi ut omnes luces ſint ex ſe ejuſdem ſpeciei: tamen quia forma ignis agit pro ratione ſubjecti in quo eſt & formæ principalis mixti cui ſubſervit: idcirco multa fieri queunt ab ipſius Solis igne vel calore, quæ à communi igne vel quovis artificiali fieri nequeunt; ut ipſis etiam ruſticis innoteſcit; qui calorem Solis experiuntur generativum atque vivificum: ignem verò communem potiùs operum naturæ deſtructivum, & formis duntaxat artificialibus producendis idoneum, ut calor ſolis naturalibus, videatur caput 10. lib 3. circa finem.

Cæterum tria in calore vel forma ignea Solis miranda occurrunt. Primum quod ipſius Solis materiam non abſumat. Secundum quod tanta ſit ejus virtus, quantam ex tanto intervallo experimur. Tertium quod Planetas Soli quàm nos propinquiores, præſertim verò ☿ non exurat.

Primum impedit ſubjecti connaturalitas ipſi formæ, tum concurſus materiæ Cœleſtis in compotione Solis. Neque hoc adèo mirum, quandoquidem nonnulla hîc videmus etiam accenſa, quæ conſumtioni ab igne reſiſtunt maximè, ut talcum ex quo fit ellychnium quaſi perpetuum, ſique auri materia eſſet ipſius formæ ignis connaturale ſubjectum, in hoc etiam ſine conſumptione perduraret. DEO autem non modò fuit facile ſed etiam naturæ conſentaneum, ipſi formæ ignis congruum dare ſubjectum, quod ob illa primo occurſu non devoraretur, ſed in hoc ipſa conſervaretur. Attamen aliquam fieri corporis ſolaris reſolutionem probant ejus maculæ de quibus infra. Secundum mehercle ſtupendum eſt. Nam etſi in Aere ad diſtantiam unius circiter milliaris à Terra, circumferretur globus Auri candentis cujus apparens diameter decuplo excederet Solis apparentem diametrum;

trum; neque directè neque reflexè poſſet ut ipſe Sol calefacere: quod evidenter teſtatur miram caloris ipſius efficaciam; vel propter Solis formam propriam cui in agendo ſubſervit forma ignea; vel propter admixtam materiam Cœleſtem Elementari multò activiorem; vel propter incomparabilem Solaris corporis denſitatem; vel propter hæc omnia ſimul. Tertium denique probabile eſt impediri, non tam ab Elementari, quàm à Cœleſti materia, ex qua ipſi Planetæ etiam componuntur. Negari tamen nequit eos à Sole calefieri; cùm denſa ſint corpora; maximè verò Mercurium & ♀, deindeque Lunam in copula. Atque hæc de Elemento Ignis in corpore Solis.

Portio terrea probatur tum ex nigrore exhalationum è corpore Solis prodeuntium, qui ad aliud Elementum referri nequit. Tum ex ſumma ipſius Solis denſitate, ſine qua tantopere non calefaceret: unde non immeritò Keplerus lib. 4. Epiſt. Aſtron. illum comparat propter materiæ denſitatem candenti maſſæ auri; aut ſi quid ſit denſius: denſitas verò eſt qualitas maximè terrea.

Pars autem aerea tum etiam ætherea probantur; quoniam calor qui à Sole copioſiſſimus effunditur, non eſt impensè ſed duntaxat moderatè ſiccus, blandus, ſuavis, generativus, coquendo digerendoque idoneus; ac propterea omni viventi horumque innato calido & humido radicali (quæ ſunt naturæ aereæ atque æthereæ) amiciſſimus: unde Solis ſiccitatem multa humiditate temperari conſtat; non aquea quæ ignem extinguit, ſed ætherea & aerea, quibus ignem ipſum vivere fertur. Adde quòd Solis portio ætherea, illum in ipſo æthere ſuſpenſum retinet.

Denique pars Cœleſtis ex eo innoteſcit Aſtrologo, quòd Sol ſupra omnem modum Elementalem agat; dum ſimul tempore in iiſdem ſpecie ſubjectis ut hominibus, diverſos ſpecie producit effectus, pro ratione ſui ſitus in domibus aſtrologicis, ut proprio loco fuſius explicabitur. Itaque non ſecus ac ad effectus Elementales, indiguit diſpoſitionibus Elementalibus: ita ad ſuperelementales ſive Cœleſtes, Cœleſtibus carere non poteſt:

Caput VII.

De mixtione Lunæ.

QUamvis Luna ex Planetis omnibus, ſit Telluri maximè affinis & viciniſſima, veteres tamen & neoterici Philoſophi de ejus natura in tam varias diſtrahuntur ſententias, ut de illa quid certi ſtatuere ſit difficillimum. Anaximenes enim & Parmenides illam ex Solo Igne conſtare dixerunt: Pythagoras, corpus eſſe petroſum: Heraclitus, Terram caligine obductam; Plato, Terram æthéream: Democritus & Xenophanes in ea campos, montes & valles dari dixerunt; eamque habitari & eſſe Terram multarum urbium: Pythagorei nonnulli Terram eſſe inſtar ejus quam calcamus, ſed animalibus & arboribus refertam quinquagies majoribus.

Ad de hac re omnium fuſiſſimè & ſubtiliſſimè differunt Plutarchus in ſuo libello de facie in orbe Lunæ: ex quo Copernicus ejuſque omnes aſſeclæ deprompſiſſe videntur quæcunque pro Telluris motu & habitatione Lunæ defendendis, propugnacula extruerunt, ait enim Plutarchus. *Quod etſi Luna ſit altera Tellus, tamen ne ſua gravitate ruat ad Mundi centrum, impedit motus ejus circularis, ut lapis in funda circumactus. Sique omne corpus ponderoſum in ſeipſum colligitur, & verſus ſui ipſius medium omnibus ſuis partibus ſeipſum contra fulcit: hoc equidem pacto Terra, non in quantum eſt totius univerſi media, ſed in quantum eſt ipſa totum aliquid, conciliabit ſibi & alliciet pondera & partes ſui ipſius. Quemadmodum enim Sol in ſe convertit particulas ex quibus ipſe conſtat; ſic etiam Terra lapidem tanquam ſinui ſuo convenientem exceptat. Si verò corpus aliquod exiſtat, quod Terræ non fuerit attributum à principio, nec ab eo revulſum, ſed quod fortè ſe ipſo propriam ſortitum ſit naturam & conſiſtentiam (qualem utique dicent eſſe Lunam) quis impediverit illud ſeorſim permanere circa ſe ipſum, propriis ſuis fultum & revinctum partibus?* Deinde verò in Luna agnoſcit montes, valles & aquas, nec non incolas parvæ ſtatuæ, & pauci cibi, quique maxima ex parte veſcantur odoribus atque fumis, iis ſimiles qui continuo Tabaci fumo ſeſe reficiunt vel oblectantur. Sed & plura alia de illo Mundo Lunari exponit ad quæ Lectorem relego. Hoc autem miror quod veteres illi tubo optico deſtituti (cujus alioquin nonnullam poſteris memoriam reliquiſſent) ſolo acumine viſus vel ratiocinii fortunio montes & valles in Lunæ facie detexerint; nam Tubus opticus hoc ſeculo inventus præter alia ſtupenda in Cœleſtibus obſervata, confirmavit in Lunari corpore eſſe montes & valles ingentes, foſſaſque vaſtiſſimas, & numeroſas, ita ut Galilæus Lunam crebritate ſpecuum caudæ pavonis aſſimilet. Inde verò & ex Lunaribus maculis occaſione ſumpta Galilæus, Keplerus, Campanella, cæterique Copernicani leviſſimis conjecturis delapſi in errorem veterum, horum opinionem confirmandam ſuſceperunt, quod Luna ſit altera Tellus; maribus, lacubus, ſylvis, civitatibus, oppidis & incolis referta, pluraque alia circa idem protulerunt ſomnio ſimillima, quæ nullibi diſtinctiùs quàm in ipſius Kepleri ſomnio Aſtronomico repreſentantur: Cujus & appendices in Selenographiam, partes præcipuas hîc animi recreandi gratiâ inſerere fuerit oportunum, ſi nonnulla notatu digna præmiſerimus.

Primum: Tellurem ab eo dici volvam, quòd (in ejus mente) motu diurno circa proprium axem volvatur. Secundum: Levaniam ſeu Lunæ regionem, in duo dividi Hemiſphæria; quorum alterum dicitur ſubvolvanum, quod converſa ad volvam facie, hanc perpetuò volubilem cernat: alterum verò dicitur privolvanum, quòd Terræ ſive volvæ viſu perpetuò privetur: hoc eſt Lunæ facies nobis perpetuò latens; illud, Lunæ facies nobis ſemper apparens. Tertium: Lunæ faciem dividi in partes claras & obſcuras quas Lunæ maculas vocant: Hæ ſunt tantùm in locis depreſſis, illæ duntaxat in editis & aſperis. Quartum: ex foſſis ſive cavitatibus alias ſtatim ab ipſa Planitie eſſe depreſſas, alias vallo in altum elato. Cùm autem ex Terræ à Luna diſtantia videatur diſtinctè foſſarum profunditas, hæc erit ad minimum 8 milliariorum Germanicorum: At latitudo ſive diameter ex Keplero eſt

circiter 10 milliariorum. Quintum tam ſubvolvanos quàm privolvanos habere diem 15 dies noſtros longam, qua durante à Sole præſertim Meridiano maximè torrentur: cuique ſuccedit nox totidem dierum frigidiſſima. His poſitis jam ſequitur Kepleri textus.

Ex Joan. Kepleri ſomnio ſive Aſtronomia lunari. Cumque tota Levania, non ultra mille & quadraginta millaria germanica pateat in circuitum, quod eſt quarta demùm Telluris noſtræ pars: montes tamen habet altiſſimos, valles profundiſſimas, & prolixas, adeóque multùm Telluri noſtræ in perfectione rotunditatis concedit, poroſa interim tota eſt & cavernis ſpeluncíſque perpetuis quaſi perfoſſa, maximè per Privolvanos tractus: quod præcipuum incolis remedium eſt contra æſtum & frigora.

Quidquid vel Terrâ naſcitur, vel ſuper Terram ingreditur monſtroſæ magnitudinis eſt. Incrementa fiunt celerrima, ob humidam loci naturam, brevis vitæ ſunt omnia, ob crebraſque maximaſque viciſſitudines, cùm ad tam immanem corporum molem adoleſcant. Nullus privolius certus nidus, nulla habitatio ſtata; totum globum unius ſuæ diei ſpatio agminatim pervagantur, pars pedibus quibus longiſſimè camelos noſtros prævertunt, pars pennis, pars navibus, fugientes aquas conſectantur; aut ſi mora pluſculorum dierum eſt neceſſaria; tunc ſpeluncas perreptant, prout cuique natura eſt. Urinatores ſunt plurimi; omnia naturaliter animantia ſpiritum trahunt lentiſſime: ſub aquis igitur degunt in profundo, naturam arte adjuvantes. Ajunt enim in illis altiſſimis aquarum ſinubus frigidam perdurare, ferventibus à Sole ſuperioribus undis: in ſuperficie quidquid hæret, id elixatur à Sole in meridie, fitque pabulum adventantibus peregrinantium colonorum exercitibus. Nam in univerſum, ſubvolvanum Hemiſphærium noſtris pagis & oppidis, & hortis æquiparantur; privolvanum noſtris agris & ſylviis & deſertis.

Quibus reſpiratio magis eſt neceſſaria, ii ferventes aquas anguſto Canali in ſpeluncas admittunt, ut longo meatu in intima receptæ paulatim refrigeſcant. Ibi ſe potiori diei parte continent, eoque potu utuntur, veſperâ adveniente prodeunt pabulatum.

In ſtirpibus cortices, in animalibus cutis, aut ſi quid ejus vicem obtinet, majorem corporeæ molis partem abſolvit, fungoſumque & poroſum eſt; ac ſi quid deprehenſum in die fuerit in ſummitate induratur, & aduritur; veſperâ ſuccedente deglubitur.

Terrâ naſcentia, licet in montium jugis pauca ſint, plerumque eodem die & creantur & enecantur, novis quotidie ſuccreſcentibus.

Natura viperina in univerſum prævalet. Miraculo enim ſunt ſoli ſeſe in Meridie exponentes, quaſi voluptatis cauſa Lacertarum inſtar, non tamen alibi niſi ponè orificia ſpeluncarum, ut tutus & pomptus ſit receptus.

Quibuſdam per diei æſtum ſpiritus exhauſtus, vitaque extincta, per noctem redeunt, contraria ratione quàm apud nos Muſcis.

Paſſim per ſolum diſperſæ moles figurâ nucum pinearum, per diem aduſtis corticibus, veſperi quaſi recluſis latebris, animantia edunt: ut arbor illa ſcotiæ ex cujus exſudante gummi naſcuntur anates.

Præcipuum æſtus Lenimentum in ſubvolvano hemiſphærio, ſunt continua, nubila & pluviæ, quæ aliquando per dimidiam regionem aut eò plus obtinent.

In appendice autem Selenographica hæc habet de oppidis lunaribus. Cavitates illæ lunares à Galilæo primùm animadverſæ maculas potiſſimùm inſigniunt, hoc eſt ut ego demonſtro, partes depreſſas in quandam æquoris planitiem, uti ſunt penes nos maria. Sed ex ipſa cavitatum figuratione colligo, loca, potius eſſe paluſtria. Atque in iis Endymionidæ ſolent metari ſpatia ſuorum oppidorum, ſui muniendi cauſa tam contra humorem muſcoſum, quàm contra ſolis ardores, fortè etiam contra hoſtes. Ratio munitionis eſt hæc, palum defigunt in centro ſpatii muniendi ab hoc palo nectunt funiculos pro capacitate futuri oppidi, longos an breves; longiſſimum deprehendi quinque miliarium germanicorum. Cùm hoc ſic defixo funiculo, ad circumferentiam excurrunt futuri valli, quam fines deſignant funiculorum. Tunc πανδημεὶ ad vallum egerendum coeunt. Foſſæ latitudo non minor uno milliari germanico; materiam egeſtam, in aliis oppidis omnem introrſum recipiunt: in aliis partim extrorſum egerunt, partim introrſum: ut ita duplex fiat vallum, intermedia foſſa profundiſſima, valla ſingula in ſe redeunt, velut ad circinum exactâ rotunditate, quod finiculorum æqualitate à centrali palo extenſorum conſequuntur, hoc pacto fit ut non foſſa tantùm profundè admodum ſit depreſſa; ſed etiam centrum oppidi, veluti umbilicus ventris extumeſcentis, in ſpeciem lacunæ dehiſcens ſpectetur, toto circùm ambitu per acervationem materiæ ex foſſa egeſtæ, elato in altum. Nam à foſſa ad centrum uſque nimia eſſet intervalli prolixitas ad materiam egerendam. In hanc igitur foſſam, colligitur uliginoſi campi humor, ſiccaturque quidquid eſt ſpatii introrſum à foſſa; fitque foſſa cùm aquis exundat navigabilis; cùm exaruit Terreſtri intinere permeabilis. Quacunq; igitur ingruit illis violentia Solis: verſus illã circularis foſſæ partem ſeſe recipiunt ſub umbram valli exterioris. Qui in centro ſpatii ſunt, & qui ultra centrum in parte foſſæ à Sole averſæ, ſub umbram interioris. Atque ſic per dies 15. quibus continuis à Sole torretur locus, umbram ſecuti, proprio vocabulo περιπατεῖν æſtum tolerantes. Atque hoc ridiculum commentum videtur adhuc veriſimilius, quàm Henelii opinio in ſua Selenographia; dum vult foſſas per diſcum Lunæ conſpicuas, nihil aliud eſſe quàm valles montibus circumſeptas: cùm enim foſſæ illæ ſint valde rotundæ, iiſque magnis, mediocribus & parvulis totus Lunæ diſcus ſit refertus; ſequeretur totum Lunæ diſcum montibus in orbes magnos & parvulos exactè rotundos diſſiminatis eſſe opertum; quod nec apparet in Tetra cui lunam omninò ſimilem faciunt, nec ipſius Lunæ apparentiis omnibus ſatisfacere poteſt.

Quoniam verò meus hoc in opere ſcopus præcipuus eſt errores & figmenta in Philoſophiam ab Ethnicis introducta, veræque religioni contraria expurgare, ne his Catholica ingenia novitatum nimis avida depraventur, quòd figmenta illa videant etiam ab hominibus Chriſtianis approbari & confirmari: idcircò hîc oportunum fuerit hanc de lunaribus civitatibus & populis, opinionem examini ſubjicere, quippè quæ ſine validis rationibus inter

Chriſtia-

Chriſtianos præſertim Philoſophos non ſit admittenda.

Initio autem notandum, quod hujus ſomnii editio, fuit ultimus Kepleri labor in Terra, priuſque tenebris perpetuis involutus eſt, quàm opus in lucem prodire potuerit. Quo defuncto gener ejus Jacobus Bartſchius Medicus & Mathematicus, Soceri opinionibus & famæ maximè addictus, ejuſdem Operis editionem ſuſcepit continuandam, ſed illicò etiam mortuus eſt, priuſquam eſſet abſoluta. Horum autem caſuum ſubitorum ignarus Ludovicus Keplerus ipſius Joannis Kepleri filius & Medicus, dum Francofurti literas à Patre exſpectaret, ejus noverca Vidua cum quatuor pupillis ære deſtituta ad ipſum longinquo itinere advenit ſecum adducens ipſius infauſti ſomnii exemplaria imperfecta, ejuſque opem implorans ut opus abſolveretur. Hic verò territus morte patris & affinis durante Libelli editione pertimuit ne ſi id præſtaret, eadem pœna plecteretur, & in Levaniam relegaretur: Nihilominus etſi ipſemet in ſtatu belli turbulentiſſimo & annonæ caritate, alieno indigeret auxilio, Novercæ precibus & Patris nomine victus, Libelli editionem abſolvi curavit. Ut hæc omnia teſtatur ipſemet in ſua Epiſtola Dedicatoria, quid autem illi deinde vel novercæ acciderit ignoro: ſed ex ſupradictis nemo eſt, ne quidem ipſe Ludovicus, qui de illo ſomnio bene ſit ominatus. Jam ad rem ipſam veniamus.

Primùm itaque ex Kepleri calculo, ſunt in Luna foſſæ quarum diameter eſt 10 milliariorum Germanicorum: hoc eſt vix minoris extenſionis quàm ſit Provincia Campaniæ, vel Normaniæ in Gallia, vel 3 Provinciæ Lugdunenſis Bellejocenſis & Matiſconenſis. Profunditas verò foſſarum eſt planè ſtupenda, nec ex Terra noſtra deprehendi poſſet niſi ad minimum eſſet 8 milliariorum Germanicorum; ut vult idem Keplerus; ideoque ſunt foſſæ ad huc multò profundiores. Has autem à mente architectrice, vel rationali creatura vult eſſe factas habitandi causâ, quòd exactè ſint rotundæ, quaſi verò caſtorum domunculæ, nidi hyrundinum, telæ aranearum, & alveoli ſex anguli apum in ſuis alvearibus ordinatiſſimi, aut etiam vix ſexangula, non ſint res admiratione digniores, mentemque perfectiùs ſapiant quàm ſimplex foſſæ rotunditas. Imò ex lucis & umbræ variatione ſucceſſiva in eodem Lunæ loco obſervata à Keplero (quæ per ☽ motum in longum & latum atque ſitum Solis potuit accidere) conjicit ſe tunc vidiſſe laborantes operarios, & aliquem Neronem aut Cleombrotum Iſthmum perfodientem vel peninſulam munientem: locumque deſcribit Keplerus, forſan ut poſteris inſerviat; tacitè inſinuans quàm dolendum ſit, quòd Veteres noſtri Philoſophi, cavitates ſuo ſeculo in Luna effoſſas non obſervaverint; ut de Lunarium civitatum fundationis tempore jam nobis conſtaret, ut de urbium conſtructione in Terra.

Verùm quas tam ſtupendis laboribus creaturas apdlicat noſter Keplerus? ſanè giganteæ & monſtroſæ magnitudinis: vult enim quod ut ſe habent montes Lunæ ad Telluris montes, ita viventia Lunaria ad Terreſtria; quaſi viventia montibus proportionata fuerint, & proceroſiores ſint homines in Terræ locis quæ altioribus montibus inſigniuntur. Plutarchus verò è contra Lunæ incolas ait eſſe parvæ ſtaturæ, paucique cibi, quippè qui odoribus aut fumis veſcantur, ut qui apud nos Tabaci fumum ore & naribus continuò efflant.

Itaque Keplerus ait, plantas & animalia Lunaria eſſe quindecies majora noſtris; ſed quàm malè ſibi cohæreant figmenta hæc, inde conſtat.

Primò, quia creaturæ rationales illæ Balenis æquales, citiſſimè creſcunt, ob naturæ & loci humiditatem, ut habet Keplerus in Notis in ſomnium, ſuntque vitæ brevis ob maximas crebraſque ejuſdem loci viciſſitudines, & major pars immanis illius corporum molis conſiſtit in cute fungoſa & poroſa. Jam verò quænam corpora ſtupidiora, debiliora, & ad motum ingenteſque labores ineptiora effingi queunt, quàm quæ ex tali materia conſtant ſub tanta proceritate, cum animalis robur in oſſium magnitudine, carnis paucitate, ac hujus tum nervorum tendinum & cartilaginũ firmitate & ſiccitate conſiſtat, ut paſſim videre eſt in hominibus & noſtris animalibus? Secundò, cum tales creaturæ ob intolerabiles frequenteſq; frigoris & caloris pluviarum & ſiccitatis viciſſitudines ſint vitæ brevis; ideoque frequentibus maximiſque morbis obnoxiæ: quis mentis compos arbitrabitur illas tam vaſta opera aggreſſuras, quorum utilitate nulli operario morte perveniente perfrui licet. Tertiò, cùm in Tellure noſtra videamus ipſa cella vinaria 6 tantum hexapodibus profunda, æſtate media eſſe frigidiſſima, quænam eſſet incolarum illorum ſtultitia, refrigerium quærere in foſſa 8 milliaribus profunda, ibique adhuc antra & ſpeluncas extruere contra ardorem Solis foſſam occupantes, cùm talis foſſa meridiano tempore, quo eſt profundior, eò ſit fornax ardentior, ob radiorum Solis collectionem, poſſintque in foſſa 100 ſaltem ſexapodum profunda tales ſpeluncas extruere cum longè minori incommodo Solis; vel in montium radicibus, vel juxta aquarum ripas? Quartò, quandoquidem cavitates illæ apparent in locis Lunæ paluſtribus, ut vult Keplerus in Appendice Selenographica: & in ipſa Luna ſunt maria, ingentes lacus, & aliarum Aquarum multitudo; quomodo Terram Lunarem, ad 8 milliaria Germanica profunditatis & 10 latitudinis, ſine Aquarum obſtaculo excavare queunt, cum fodinarum præfectis vix ad dimidium milliare Tellurem noſtrum perfodere liceat propter Aquarum irruptionem inſuperabilem? Quintò, cùm altiſſimi Lunæ montes, ſemper aliquam efficiant umbram ad Occaſum, Ortum, Meridiem aut Septentrionem, niſi dum Sol fuerit illis perpendicularis, ut accidit noſtris Zonæ torridæ incolis horá duntaxat meridiana, dum Sol illorum verticibus inſiſtit, poſſuntque Privolvani totum Lunę Globum unius ſuæ diei ſpatio pervagare ex Keplero: Cur Lunæ univerſi incolæ umbras montium vaſtiſſimas non ſequuntur, in iiſque vivunt, ex fructibus & animantibus in Lunæ ſuderficie creſcentibus: cum intra foſſam nihil produci queat, vel ob nimium Solis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

illam occupantis ardorem, vel ob nimias aquas? Dixiſſetne Keplerus nullos in ſuperficie Lunæ cibos produci? Undenam igitur alimenta tam vaſtis corporibus ab ſubitum incrementum neceſſaria? Ex Aere torrido foſſæ? An ex Solis Aquis, univerſa Lunæ Terrâ ſterili exiſtente? minimè profectò. Nam Keplerus vult ſubvolvanum hemiſphærium noſtris pagis, oppidis & hortis æquiparari: Privolvanum verò noſtris agris atque ſylvis, ideoque ſuperficiem Lunæ pabulis abundare: fuiſſetque à Dei Sapientia & Providentia maximè alienum; tam proceres incolas ſine cibo in Luna collocare, cum ne quidem formica cibo carere queat, eique Deus providerit. Jam verò ſi Lunæ ſuperficies Plantis & fructibus abundat, quibus ad productionem & incrementum, Cœli conſtitutio commoda ſit neceſſe eſt: Cur creaturis illis rationalibus erit intolerabilis? Et quænam rurſus erit Dei Sapientia & Providentia, illis incolis regionem dediſſe inhabitabilem, qui ipſis quoque ſerpentibus aptiſſimè providet? ſed hoc addo, hemiſphærium ſubvolvanum minus quam Terram noſtram à Sole calefieri, cùm in Plenilunio & circa, Sol à Tellure quàm à Luna multò minùs abſit, ac præterea datis aquis & nubibus maximis atque frequentibus in Luna; dari ventos, auraſque refrigerantes in ejus ſuperficie convincitur ex torrida Zona noſtra, quæ hac de cauſa maximè temperatur, & incolis ubique luxuriat.

At vult Keplerus in Appendice Selenographica cavitates illas, ſive civitates vel oppida, ab Endymionidis extructa eſſe, ſui muniendi causâ tam contra humorem mucoſum, quàm contra Solis ardores, fortè etiam contra hoſtes: quaſi verò tutiùs non ſit contra hæc omnia ſe conferre ad montes & loca edita, quàm in foveam 8 milliaribus profundam; in qùa etiam excavanda aquis obruerentur, ut patet ex puteis noſtris, nullius ferè profunditatis, ſi cùm illis cavitatibus conferantur; certò autem velut in fornace torrerentur Meridiano tempore: & ab hoſtibus privolvanis proculdubio fame opprimerentur, viis foſſæ exteriùs occupantibus, & quod eſt ciborum in Lunæ ſuperficie, liberè comedentibus aut devaſtantibus; in quo & alia occurrit abſurditas. Nam ſi non modò arbores & animalia, ſed ipſi etiam privolvani populi, Æſtum ſubvolvæ ſuſtinent in ipſa nuda ſuperficie Lunæ, cur eundem ferre nequeunt ſubvolvani? Adhæc nonne ſtultus cenſeretur in Terra noſtra qui munitionem contra hoſtes in fovea aggrederetur, cùm ars muniendi, loca plana vel edita jubeat eligenda? Præterea quandoquidem minimæ etiam & tenuiſſimæ noſtræ nubeculæ aquâ deſtitutæ Lunæ faciem nobis offuſcant, quid efficient denſæ nubes Lunares pluviâ turgidæ per dimidium Lunæ diſcum extenſæ ex Keplero? Nequaquam certè dubitandum eſt, quin diſcum illum dimidium nobis obnubilent atque tegant, ut Solares exhalationes ſive maculæ Solem quantumvis per ſe lucidum. Attamen noſtris omnino diſcuſſis nubibus, nunquam in diſco Lunæ talia deprehenduntur nubila, ſive maculæ; etſi Luna ſit nobis quàm Sol longè propinquior; quod judicium eſt certiſſimum nullas in Luna eſſe aquas, vel humores evaporabiles; alioquin Lunam nubibus maculatam frequentiſſimè cerneremus, quæ nubes ſupra diſcum Lunæ moveri viderentur, ut noſtræ nubes ſupra Terram, & maculæ Solis ſupra diſcum Solis, quod nullus unquam obſervavit. Quamobrem quod in ſuæ cauſæ gratiam Keplerus ait anno 1605. veſperâ palmarum in deficientis Lunæ corpore candentis ferri colorem repræſentante verſus Boream apparuiſſe nigrantem maculam reliquo corpore obſcuriorem velut nubila quæ dimidiam ferè Lunam occupabant, incertum eſt: nec Keplerus ipſe ſedulus Eclipſium obſervator, quid ſimile vidit unquam. Et quamvis certum eſſet, potuit aliis ex cauſis proficiſci, ut ex vapore aliquo in umbra Terræ intermedio atque impediente refractionem radiorum Solis, nec unicum experimentum, experientiam conſtituit.

Itaque ex ſupradictis ſatis ſuperque (ni fallor) fit evidens, Kepleri ſomnium eſſe figmentum ridiculum ſibique in omnibus contrarium, ſed inſuper Religioni Chriſtianæ pernicioſum, utcunque Nicolaus Cardinalis de Cuſa, vir inter Catholicos eminentiſſimæ doctrinæ atque pietatis Libro 2 de docta ignorantia cap. 12. in hunc etiam errorem inciderit, quod aſſeruerit omnes Planetas imò Stellas fixas incolis eſſe refertas, falſa hac opinione ex eo deducta, quod ſibi viſus ſit demonſtraſſe cap. 11. Terram non eſſe in Mundi centro, nec immobilem; quod Mundus centro & circumferentiâ careat; in qua demonſtratione, toto (quod ajunt) Cœlo aberravit.

Jam verò quod figmentum illud, ortum ex Telluris motu extra Mundi centrum, ſit Religioni Chriſtianæ pernicioſum, probavimus in ſolutione noſtra Problematis de Terræ motu vel quiete, hac ferè ratione. Quia ſi Angelus & homo creaturæ libertati ſuæ relictæ peccaverunt ab initio: Homo quidem in hac Terra ubi creatus eſt, & Angelus in Cœlo, omniſque creatura quatenus deficiens ab infinita perfectione, ex ſe tendit in nihilum & peccatum juxta genus ſuum, niſi continuò conſervetur, regatur & elevetur ab ipſo Creatore; quis audebit aſſerere rationales ſed corporeas Lunæ & aliorum globorum creaturas à Divina voluntate nunquam deviaſſe, neque peccaſſe? Id Keplerus non aſſeret, qui prædones, exercitus, bellaque atrocia inter Lunæ incolas admittit. Quod ſi peccaverint; aut Filius Dei per quem omnia facta ſunt, & natura noſtra à ſuò caſu reſtituta: etiam pro illis in Terra mortuus eſt, quamvis de Adami progenie non ſint: aut in ſingulis globis eorum naturas aſſumpſit à noſtra diverſas; & pro iis Divinæ Juſtitiæ ſatisfecit, ut pro Nobis de rigore Juſtitiæ feciſſe credimus: At illa omnia ſunt à fide, partimque à Divinæ Juſtitiæ ordine plurimùm aliena: Verboque Divino inter Divinas perſonas medio, ſeque creaturis perſonaliter uniri volenti, ſufficiebat natura humana inter creaturas media, ut per eam inter omnia mediaret, quippe inter perſonas Divinas, inter

crea-

creaturas atque inter DEUM ipſum & creaturas; in eaque Natura ſuo principio, Patri ſcilicet æterno, poſſibiles omnes honores impenderet, ut diximus cap. 1. Libri 2, & explicaret omnes ſuas divitias. Omnipotentiæ, Bonitatis, Sapientiæ, Juſtitiæ, Miſericordiæ, Patientiæ, Providentiæ, Obedientiæ, Amoris & alias quas extra ſeipſum exercere ab æterno decreverat, propereaque dixerit. *Delitiæ meæ eſſe cum filiis hominum*. Ergo etiam à ratione & veritate alienum eſt, alios Mundi globos creaturis rationalibus, & multò minùs ſolis irrationalibus eſſe habitatos. Sed corpora omnia Cœleſtia eo tantum fine facta ſunt, ut præter DEI gloriam quam enarrant, ſuo lumine, calore, frigore, influxu, atque motu homini deſerviant, cujus ſolius gratiâ, conditus eſt totus Mundus corporeus ante hominem ipſum; & poſt omnia homo ipſe, hujus Mundi finis; utcunque non pauci ingratiſſimi tantum erga ſe DEI beneficium negent. Quod tamen evidentiſſimè convincitur. Tum ex cap. 4. Deuter. ubi Moyſes alloquens Populum, ait. *Non vidiſtis aliquam ſimilitudinem in die qua loquutus eſt, vobis Dominus in Oreb de medio ignis. Ne fortè elevatis oculis ad Cœlum videas Solem & Lunam & omnia Aſtra Cœli; & errore deceptus adores ea & colas, quæ creavit Dominus DEUS tuus in miniſterium cunctis gentibus quæ ſub Cœlo ſunt*. Tum quia quandiu durabunt homines in Terra, durabunt & alii Globi, Cœlumque ipſum: At completo Electorum numero, finis hominum generationi à DEO imponetur, ac Terra totuſque Mundus conflagrabuntur ex Apocalypſis capite 20. ubi dicitur quod *Cœlum & Terra fugient à conſpectu ſedentis ſuper Thronum*. Deinde reſurgent homines & judicabuntur ex eodem capite. Tandemque fiet Cœlum novum & Terra nova ex cap.21. Quænam eſt igitur hominis Chriſtiani temeritas atque dementia, fabulis & figmentis paganorum vel propriis paſcere atque pervertere ingenia novitatum avida nimis; non ſolum abſque ulla rei certitudine, ſed contra infallibilem Scripturæ veritatem, quæ ſola de multis Naturæ rebus nos edocere poteſt? Ut quando & quomodo Mundus inceperit; tum quando & quomodo finiendus ſit: Ex quibus propter quid factus ſit, innoteſcit. Jam verò ad Lunæ mixtionem indagandam redeamus.

Itaque Luna ex principiis Elementalibus participat Terram, magis autem Aquam; ac Terrea portio probatur ex ejus ſoliditate & opacitate ſenſibilibus. Luna enim ex ſe omni luce caret, tantúmque illuminatur, vel à Sole, vel à Terra Solaribus radiis illuſtrata. Ut enim Luna lumen à Sole exceptum reflectit in Terram, eamque obtusè illuminat: ſic Terra lumen à Sole exceptum reflectit ad Lunam; hujuſque præſertim falcatæ, partem à Sole averſam obtusè quoque illuminat & viſibilem efficit; indeque non vana ſumuntur Aeris prognoſtica. Nam ſi Lunæ falcatæ pars Soli oppoſita lumen album purumque habeat, Terra in qua Sol diem tunc efficit purum habet Aerem ac liberum à nubibus reflexionem lucis Solaris à Terra ad ☽ prohibentibus ideoque nec pluviæ, nec venti ſunt ab ea Mundi parte exſpectandi. At ſi illa Lunæ pars videatur atra, nubes vel craſſi vapores in illa Terræ parte ſunt in cauſa, nobiſque pluviæ ex illa parte aderunt, ſi Luna videatur rubra, exhalationes ſunt in cauſa & venti exſpectandi: Poſſunt autem nubes vapores & exhalationes noſtri Horiſontis illas cauſare apparentias; ideoque ut illuminata Lunæ portio cornicularis, clarior & purior videatur; oportet & in noſtro Horiſonte, & in Orientali vel Occidentali Terræ parte ubi dies eſt, aerem eſſe purum: At in Plenilunio variæ apparentiæ luminis Lunaris, ſunt tantùm à vaporibus & exhalationibus noſtri Horiſontis, & hæc ſunt valdè notanda; dum verò Luna patitur Eclipſin (quo tempore à Terra illuſtrari nequit) color ſive lumen in ipſa conſpicuum, eſt à radiis Solaribus Aerem Terreſtrem illuſtrantibus, & introrſum in umbram refractis uſque ad Lunam. Sic enim Sol adhuc ſub Terra latens atque illuminans ſuperiorem Atmoſphæræ partem in qua fiunt crepuſcula, iiſdem radiis refractis Tellurem ſibi nondum conſpicuam illuminat. Sique Luna Veſperi deficiat, apparebit valdè nigra, hoc eſt minimum illuminata, ob nimiam vaporum in ſuperficie Terræ noſtro viſui & Lunæ interpoſitorum copiam: ſi in media nocte, tunc ſubpurpureum, vel igneum inſtar Pyropi colorem ſive lumen Nobis exhibebit; quòd Luna in Meridiano verſante oculus noſter à vaporibus non impediatur: Si denique in Aurora, tunc cæruleum & fuſcum ſuppallidum colorem induet: iterum ob vapores interjectos. Probatur etiam Terræ mixtio in Luna ex ejus craſſitie, aſperitate & nigredine, undique enim ſcatet montibus vallibus, cavitatibus & ſubnigris maculis, quæ omnia Terreæ naturæ ſunt indicia. Nec propterea ſequitur Lunam eſſe Terram alteram, vel Terram in ipſa prædominari, ſed facta comparatione ad hæc inferiora, videtur Naturas participare extrinſecas vel accidentales fungi, ſpongiæ, & pumicis: Et enim quoad apparentiam planities Lunæ, fungi ſubſtantiam referunt: at cavitates & montes, vel tubera ſpongiæ, vel pumicis naturam.

Porrò cùm abſurdum ſit opinari cavitates illas à creaturis rationalibus fuiſſe factas, ut ſupra oſtenſum eſt, dubitari poteſt an vetuſtate temporis exortæ ſint, ob continuam corporis Lunæ à radiis Solaribus calefactionem & eroſionem accedente duplici Lunæ motu celerrimo quippè diurno & menſtruo, ita ut Luna ſit jam corpus ſenio confectum atque exeſum ab illis cauſis & alteratione Ætherea; imminentem Mundi ruinam præſagiens; non ſecus ac jam cernimus ſtupendas Veterum Romanorum ſtructuras ſuperſtites, ab Aeris & Solis injuriis magna ex parte eroſas eſſe. Atque hoc jam numeratis Lunæ cavitatibus omnibus, factaque exacta earum deſcriptione cum excellenti tubo aſſeverari poſſet, ſi deinceps novæ fierent, vel jam factæ augerentur: ſed rotunditatis earum valida ratio vix afferri poſſet; ac præterea corporum Cœleſtium & montis rotundi intra majores foſſas protuberãtis perniciſſimis motibus deſtinatorum fragilis admodum compoſitio argueretur quod dici non debet. Quamobrem probabile eſt Lunam initio Mundi ſic à DEO fuiſſe excavatam, non

ſolum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ſolum ut lumen Solis in Terram efficaciùs reflecteret velut Solis ad illuminandum vicaria; ſed etiam ut per illas Lunæ corpus profundiùs à radiis Solaribus penetraretur, & calefieret, ideoque ſic temperato ejus nativo frigore, in Eclipſibus valdè ſenſibili, ipſa Planetarum nobis viciniſſima tepidioribus radiis Tellurem afficeret, indeque reddetur ratio, cur in Novilunio dicatur frigida & humida. In prima Quadra, humida & calida: in Plenilunio calida & ſicca, & in ſecunda Quadra ſicca & frigida; non enim has temperaturæ differentias habet ex ſe, quæ ſemper eſt eadem; ſed à ſuæ illuminationis quoad nos diverſitate. Verum ſi pro eroſione & ſenio Lunæ à cauſis ſupradictis, objiciantur foſſarum confuſio & inæqualitas maxima, quæ à Deo in aliquem finem eſſe non videntur, quodque foſſæ ipſæ in rarioribus tantum & tenerioribus Lunæ partibus cernantur, quales ſunt albiores: non autem in durioribus & denſioribus quales ſunt nigriores in quibus aut nullæ aut paucæ, valdeque exiguæ videntur cavitates: fateor quid reſpondendum ſit me ignorare.

Aqueam verò naturam in Luna prædominari teſtatur manifeſtiſſima omninoque miranda ejus ſympathia cum aqueis omnibus, ac præſertim Oceano; cujus fluxus atque refluxus adeò regulariter quadrat per dies ſingulos ortui, culminationi, occaſui ac depreſſioni Lunæ, nec non ejus cum Sole copulis oppoſitione & quadraturis, ut jam in confeſſo ſit apud omnes Lunam circa Terreſtrem globum ordinatam, eſſe veram, propriam, principalemque cauſam motus Oceani, quem in tranſitu per motum diurnum, magneticè ſurſum elevat, quantum vi ejus tractrici & aquarum gravitati licet, ut ſuo loco fuſiùs exponetur. Id verò teſtatur maximam naturarum affinitatem.

Cæterùm quamvis Luna ſit potiſſimum naturæ Aqueæ, ut ejus ſupradicto probatur effectu, tum quòd hæc inferiora multùm humectet: ſciendum tamen eſt duplicem eſſe aquam, quippè reſolutam ſeu fluidam omnibus notam, & coagulatam, ut glacies & cryſtallus, jam verò Maria, lacus, vel aquas reſolutas dari in Lunari globo, negamus: Tum quia à calore Solis vapores continuò elevarentur, qui in craſſas nubes & pluviam denſati, rurſus ad Lunam deſcenderent, ne ſucceſſu temporis ejus Aquæ omninò abſumerentur (cur verò in Terram vel Oceanum non deſcenderent?) ipſæque nubes moveri cernerentur ſupra diſcum Lunæ; tum quia ingentes Lunæ cavitates vel perpetuò, vel ſaltem per intervalla (ut vult Keplerus) aquarum copiam maximam continerent: quæ colorem alium reſidua cavitatis parte vel ambitu exhiberent: ſaltem quam primùm lumen Solis fundum cavitatis attingeret: At nec iſta coloris diverſitas in cavitatibus; nec nubes Lunæ diſcum velantes à Nobis conſpiciuntur tubo quantumvis egregio. Certiſſimum igitur eſt nullas in Luna dari liquidas aquas: ideoque duntaxat coagulatas minimè evaporabiles dari oportet; quæ tamen cum terrea portione ſic commixtæ ſint ut nullam (ſaltem nobis ſenſibilem) diaphanæitatem Lunæ conferant, utcunque Chriſtophorus Scheinerus Libello de Diſquiſitionibus Mathematicis contendat Lunæ corpus eſſe diaphanum, & luci Solis penetrabile, ideoque à Terra lumine ſecundario non infici. Nam omiſſis levioribus conjecturis ab ipſo allatis; ejus demonſtratio pro fulgore limbi Lunæ novæ pag. 68. omnino adverſatur ipſius intentioni, probatque contrarium: quia Lunæ novæ limbus Orientalis ſaltem longè minùs lucebit, quàm borealis vel Auſtralis, ob interpoſitam in illo, totam Lunæ profunditatem à luce Solis penetrandam: imò partes Lunæ limbo Orientali viciniores obſcuriores cernerentur remotioribus, ſeu falcato Lunæ lumini vicinioribus: quæ ambo experientiæ reluctantur. Itaque Lunæ corpus non eſt diaphanum.

Cæterùm pars Lunæ Ætherea illam in Æthere ſuſpendit ut de Sole dictum eſt; quandamque vitalem ipſi Lunæ facultatem tribuit, cujus ratione ejus frigidior & humidior natura alioquin exitioſa temperatur.

Pars denique Cœleſtis eadem qua in Sole probatur ratione. Hicque notandum obiter, quod etſi ☽ ſit minor ♄ ♃ ♂ ♀ ac ☿ ſigillatim, nihilominus nobis majores cauſat effectus, tum quia Terræ propinquior, tum quia ſola ☽ cum ☉ ſunt Planetæ primarii circa Terram ordinati, ad quos idcirco Sublunares effectus primariò pertinent.

Caput VIII.

De Mixtione reliquorum Planetarum & Definitione Planetæ.

Quamvis reliquos præter Solem atque Lunam Planetas, mixta etiam eſſe corpora diximus cap. 4. Eorumque Eterogeneitas tubi optici operâ in dies detegatur evidentiùs: tamen quæ ſit eorum mixtio adhuc multò difficilius eſt; quàm in Luna definire, ob majorem illorum ab oculis noſtris diſtantiam: niſi ex eorum luminis calore, atque effectibus in hæc inferiora argumentati fuerimus.

Itaque quoniam Saturni lumen obtuſum, nobis colorem exhibet fuſcum & plumbeum in ipſo Meridiano circulo (ubi Planetarum veri colores ſunt potiſſimùm obſervandi) qui color naturam refert craſſiorum Elementorum Terræ & Aquæ: ipſe verò hæc inferiora impensè refrigerat & mediocriter exſiccat ut Aſtrologicis conſtat experientiis: ſequitur ex Elementis Aquam ſed magis Terram in eo prædominari: ideoque ab utroque Elemento ſummè frigidum eſſe, & à prædominio Terræ moderatè ſiccum.

Jovis fulgens clarumque lumen, nobis colorem exhibet ex cœruleo paucoque flavo commixtum; qui color ſuperiorum Elementorum Aeris & Ignis naturam redolet, ideoque ab utroque Elementò prædominantibus calefacit, parúmque exſiccat ob exceſſum Ignis non quidem accenſi (ut in Sole) ſed denſati ut in mixtis Sublunaribus.

Martis lumen igneum, colorem rubrum ſive ruffum atque rutilum oſtendit: qui color Terram, magis verò Ignem in illo prædominari arguit. Ideoque igneo quo pollet calore, multùm calefacit, minùs verò exſiccat.

Vene-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Veneris lumen ſplendidum, colorem oſtendit ex albo paucoque viridi permixtum, ab Aquæ & Aeris prædominio; ideoque modicè calefacit & plurimùm humectat.

Mercurius denique quia geminum ſibi colorem vix unquam exhibet, ſed ferè ſemper rubeſcentem ob exhalationes circa Horiſontem, quibus dum apparet, perpetuò immergitur, nobis ſaltem in Meridiano nunquam conſpicuus; idcircò ex colore ipſo tutum non ducetur argumentum: multo minùs ex placitis Aſtrologorum, qui illi nullam propriam vel peculiarem naturam tribuunt, ſed ipſum ancipitis naturæ faciunt, & ad quancumque convertibilem: quod tamen eſſe nequit, etſi ad pondus (ut ajunt) ſupponatur eſſe temperatus, nullumque hac de cauſa in illo prædominari Elementum. Nam Planetarum naturæ ſibi perpetuò conſtant, tantúmque agunt pro ratione propriæ & non alterius naturæ. Ideoque Planeta temperatus, Planetæ frigido junctus, hujus frigus potiùs temperat, quam ut ejus naturam induat frigidam, ut proprio loco fuſiùs exponetur: verùm quoniam experientia conſtat, Mercurium eſſe ventorum opificem præcipuum cum Sole atque Luna, quorum hæc eſt Naturæ Aqueæ, ille Igneæ, ut Venus intermedia Aereæ; omnino decuit, ut Mercurius etiam reliquus intermedius eſſet Terræ à prædominio: non equidem ſicut eſt Saturnus, qui in Terra multum excedit, ſed remiſſiùs & ſubtiliùs; ut per ſiccitatis ſubtilem exceſſum efficacior eſſet ejus cum Sole concurſus ad ventos ciendos, qui naturæ ſiccæ exiſtunt: tum ad melancholicos illos gignendos quos litteris & ſcientiis aptiſſimos vocat Ariſtoteles, qui nempe ſunt moderatè frigidi atque ſicci: ipſiuſque Mercurii benignos influxus maximè participant. Itaque cæteris qualitatibus in Mercurio adæquatis, ipſum nonnihil frigidum, atque ſiccum ex propria natura eſſe aſſerimus, proindeque Terreum.

Quod verò ad Joviales Satellites ſpectat, eorum natura & effectus nemini adhuc innoteſcere queunt: cùm tamen ſit probabiliſſimum quod in his non minùs inter ſe differant, quàm Solis ſatellites, ♄ ♃ ♂ ♁ & ☿ inter ſe: itaque de eorum mixtione particulari, nihil hîc poſſumus definire.

Ex ſupradictis ergo tandem elicitur Planetæ definitio, quæ talis eſt.

Planeta eſt mixtum Æthereum, perpetuum, motu ſibi proprio regulariter circumductum. Qua in definitione, per *mixtum Æthereum* inſinuatur pars mixtionis præcipua, nempe Æther, ſicque differt à mixtis Sublunaribus, in quorum mixtione prædominatur aliquod ex 4 vulgaribus Elementis: tum à mixtis Cœleſtibus in quibus prædominatur Cœlum. *Perpetuitate* differt à Comœtis & Stellis novis, quæ duntaxat meteora ſunt fugacia. *Proprio motu regulariter circumductum*; ad differentiam Comœtarum quorum nullus propriam abſolvit revolutionem: At Planetæ ſinguli circa aliquod centrum integrè & perenniter revolvuntur: quippe Sol & Luna circa Terram: ♄ ♃ ♂ ♀ & ☿ circa Solem: & Jovis Satellites circa Jovem.

CAPUT IX.

De ſingulorum Planetarum à Tellure diſtantia atque mole.

De hac re nihil habetur certi ob hactenus ignotas Solis & Lunæ veras Parallaxes, quarum tamen inveniendarum ſcientiam accuratam dedimus in Aſtronomia reſtituta.

Lansbergius verò qui in ſua Uranometria Keplero, Tychoni, Copernico, cæteriſque palmam præripuiſſe opinatus eſt, dat Saturno pro media à Tellure diſtantia 14880 ſemidiametros Terræ: Jovi 8091, Marti 2275. Soli 1498 $\frac{31}{60}$ vel $\frac{1}{2}$. Veneri & ☿ totidem ac Soli; & tandem Lunæ apogeæ in Noviluniis & Pleniluniis 64 $\frac{1}{6}$. Deinde Saturnum facit Terra majorem vicibus 46 $\frac{2}{3}$: Jovem 25 $\frac{2}{3}$. At Martem octies Terra minorem: Solem verò Terra majorem vicibus 434: Sed Venerem Terra minorem vicibus 3 $\frac{1}{2}$ Mercurium vicibus 12: Tandemque Lunam vicibus 45 $\frac{11}{20}$. Ptolemæus autem Lunam facit Terrâ minorem vicibus tantùm 41, Copernicus ferè 43. Longomontanus autem cum Tychone ferè 51.

Ex quibus conſtat quod etſi Luna dicatur in Scriptura luminare majus, atque Solem viſibili diametro adæquet: nec non poſt Solem maximæ ſit virtutis, præſertim influentialis in hæc inferiora; tamen ipſa ferè quater minor eſt Mercurio, qui in Jovialium ſatellitum diſtantia vix Tubo optico videretur, quanto minùs ergo Luna, quam ſic omnium Aſtrorum minimam eſſe concludimus.

CAPUT X.

De Meteoris Æthereis, ac primo de maculis Solis.

Dicturus de Meteoris Æthereis, non abs re à Solaribus maculis incipiendum eſſe reor; quod has cæterorum Ætheris meteororum materiam proximam eſſe putem, ut infra fuſiùs exponetur: quoniam verò hîc nobis occurrit pars totius Phyſicæ maximè nova & Paripateticorum placitis multùm aliena, non indigni veniâ videbimur ſi in Obſervationibus Aſtronomicis Neotericorum, atque noſtris, nec non ſingulorum opinionibus, probabilem duntaxat ſententiam tulerimus in re, de qua video ſagaciores Philoſophos & Aſtronomos certò definire non auſos fuiſſe.

Itaque jam conſtat Solis faciem frequenter obvelari maculis quibuſdam carbonum inſtar nigris, quarum minores vel mediocres ſolâ tubi optici operâ cernuntur ab omnibus, maximæ vero etiam ſolis oculis, præſertim ſi fuerint in medio diſco Solis Orientis vel Occidentis. Ac talis fuit macula à Galilæo & aliis viſa diebus 19. 20. 21. Auguſti 1612. Imò talis fuit ea quam Aimonius & alii plerique viderunt in Sole, putantes eam eſſe Mercurium, de qua ipſe Aimonius Lib. 4. de Francorum geſtis cap. 59. ita loquitur. *Stella Mercurii 16. Kal. Aprilis (anni à CHRISTO 807) viſa eſt in Sole*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Sole quaſi parva macula, nigra, paululum ſuperius medio centro ejuſdem ſyderis, quæ à Nobis 8 dies conſpicitur: ſed quando primùm intravit, vel exivit nubibus impedentibus minimè notare potuimus. Quòd autem hæc macula non fuerit Mercurius patet ex ejus mora longa in diſco Solis, quem Mercurius celerrimè & minori quàm unius diei ſpatio percurrit; tum quòd Mercurius ob ſui corporis exilitatem ſine tubo in Sole videri nequeat. Ut conſtat ex obſervatione ipſius Mercurii in Sole facta à Gaſſendo die 7 Novembris 1631. circa horam 9 matutinam: ſimiliter quoque deceptus eſt Jo. Francus Offuſius Lib. de Divina aſtrorum facultate cap. 11. dum ait, *quòd ſerio obſervans viderit Solem in conjunctione cum Venere aut Mercurio maculâ notatum; quod Averroes ſe vidiſſe fatetur*: putans maculam illam eſſe corpus Veneris aut Mercurii. Huc etiam refer quod legitur in Vita Caroli Magni, Meridie Solem defeciſſe triduo poſtquam Lunæ fuiſſet Eclipſis. Oportet enim tunc ingentem conſpectam fuiſſe maculam Solis quæ hujus etiam Eclipſin ſaltem partialem à Luna mentiretur: quam tamen Scaliger exercit. 79 adverſus Cardanum falsò putat fuiſſe vapores à Sole è Terreſtri globo elevatos.

Quid verò ſint ipſæ maculæ in ſua ſubſtantia, variæ fuerunt opiniones: duas ex præcipuis referam. Quoniam igitur circa idem tempus detectæ ſunt quo Galilæus Jovis Satellites Planetulas primus obſervavit, eoſque aſtra Medicea vocavit; idcirco Joannes Tarde Canonicus Sarlatenſis, & Carolus Malapertius è Societate Jeſu, etiam arbitrati ſunt haſce maculas eſſe Planetas Solem perpetuo ſtipantes & priùs ignotos, unde hos vocavit ille ſydera Borbonia, hic autem ſydera Auſtriaca: Alii verò his attentiùs inſpectis dixerunt eas eſſe vapores vel exhalationes: at Galilæus etſi confeſſus fuerit nihil illis ſimilius dari poſſe apud nos, quàm nubes à globo Terreſtri, aſcendentes in aerem, tamen quid ſint in ſua ſubſtantia, ait, ſibi incertum eſſe in ſuis hac de re ad Velſerum Epiſtolis; veritus forſan concedere, illas è globo Solis elevari, ab eoque diſtare, ut nubes noſtræ à globo Terreſtri.

Verùm quoniam Galilæus concedit omnia nubium noſtrarum accidentia illis convenire maculis: Quòd nempe non ſint corpora perpetua, ſed in medio diſco Solis aliæ oriri vel emergere, aliæ autem deſinere atque vaneſcere conſpiciantur: quodque à primo ortu creſcant magnitudine, denſitate, nigrore, deinde qui his omnibus decreſcant, nullaque ſervata figura propria ſingulæ diverſimodè diſtrahantur, dividantur, rareſcant, atque diſſipentur, ita ut ſæpè ex una plures fiant, & aliàs ex pluribus una, ut cuivis obſervanti patebit; nequaquam video dubitandum vel hærendum, quominus tales maculas nubes eſſe dicamus ex vaporum, vel exhalationum denſatione productas: atque hæc jam eſt communior ſententia rectiùs philoſophantium. Iis tamen admiſcetur non exigua terreæ fuliginis portio, quam nigror ipſe teſtatur: Nam lux Solis etiam profundas aquas penetrat quæ tamen ab illis maculis cohibetur omnino, ſicut à noſtris etiam nubibus non parum cohibetur ob Terræ portionem hiſce admixtam. Quamobrem malè devinavit Malapertius dum ſua Aſtriaca ſydera aſſeruit grande vulnus infligere Aſtrologiæ Devinatrici, ideoque hanc eſſe ludricam vanitatem, maléque modum agendi Solis in hæc inferiora intellexit; quodque hi fumi minùs Aſtrologiæ quàm Solis ſplendori officiant: quem etiamſi ex toto cohiberent (ut dum Sol ipſe totalem patitur Eclipſin) nihil tamen inde Aſtrologia detrimenti pateretur, ut ſuo loco demonſtrabitur.

Cæterùm una ex præcipuis harum macularum, ſive nubium difficultatibus conſiſtit in definiendo, unde eluentur. Ac primò certum eſt non elevari ex globo Terreſtri; impar enim eſſet tot, tam frequentibus, tantiſque nubibus ſubminiſtrandis, quarum aliquæ Terram mole ſuperant. Ad hæc qui ex globo Terreſtri elevantur fumi, ſive conſiſtant ſuper eadem regione unde aſcendunt, ſive ventis alibi tranſportentur, vix medium Aeris regionem pertranſeunt; ſed in ea denſantur in nubes, quæ in pluvias, grandines, coruſcationes, & alia meteora Elementa reſolvuntur; atque his duntaxat globus ille Terreſtris, ſat eſſe poteſt; & adhuc ea lege, ut quæ ab eo effluunt, rurſus perpetuaque circulatione in ipſum refluant; alioquin jam diu exaruiſſet.

An verò illi fumi prodeant ab aliis Planetarum globis, ſaltem id non teſtatur Lunæ globus: Nam Cœlo ſereno ne minima quidem Lunæ pars ulla unquam nube obducta cernitur, ſed globus ipſe perpetuò defecatiſſimus; quamvis Luna lumine tantùm ſecundario ſplendeſcat, nullaque deprehenditur alteratio in naturali colore partium Lunæ vel umbrarum ab ejus eminentioribus partibus cauſatarum: Quod tamen prohiberent vapores atque nubes ex ejus corpore elevatæ. Ad altiores autem Planetas luſtrandos & accuratiùs inſpiciendos nondum deduxit oculos tubus Opticus, videturque valdè probabile eos hac in parte, Lunæ ſortem participare, nam etſi ad diverſa Mundi ſyſtemata pertineant, quippè Luna ad Terram circa quam primariò volvitur, & cæteri Planetæ præcipui ad Solem, nihilominus ut nubium noſtrarum materiam à Luna effluere nemo ſanæ mentis dixerit, ſic nubium Solarium materiam à Planetis circa Solem ordinatis proficiſci non videtur aſſerendum, cùm id probari nequeat.

Quamobrem nec inconcinnè, nec forſan procul à veritate dici poteſt; quod ſicut Terreſtris globus fons perrennis eſt, unde vapores & exhalationes effluunt, ex quibus nubes, cunctaque gignuntur meteora Elementaria, nimirũ Aquea, Ignita, Terrea, vel Metallica, & alia; quæ periodo completa in ipſum fontem refluunt: ita Sol ſit fons perpetuus unde exhalationes Sulphureæ huic globo propriæ ab actuali calore ipſius Solis elevatæ, continuò effluunt, ex quibus non modò maculæ, vel nubes Solares ſupradictæ, ſed cuncta meteora Ætherea generentur in ipſum Solem abſoluta perioda refluxura: ut proinde perpetua ſit hæc circulatio in Sole atque Terra: non temerè aut ſuperfluè, ſed propter aliquem finem: qui etſi nobis ſit ignotus in Sole, patet in Terra; ſicque confirmatur vetus opinio Platonis & Heracliti apud Plotinum Lib. 1. Enneadis 2. cap. 2. dicentium, *circa corpora Cæleſtia fluxum eſſe perpetuum, & ipſum quoque circa Solem aſſidue fieri.*

Neque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Neque exhalationum effluxui obſtabit ſoliditas ipſius Solis à nobis ſupra poſita; cùm Terra ſit corpus ſolidiſſimum atque denſiſſimum, inter Elementa, quod tamen à vaporibus è Terræ viſceribus ſurſum aſcendentibus penetratur. Ac proinde ut conceditur ab omnibus Terreſtrem globum eſſe parentem meteororum omnium Elementarium, ſic Solis globus à nobis dicitur eſſe parens meteororum omnium Æthereorum. Etſi verò Galilæus in ſuis ad Velſerum Epiſtolis aſſerat eas maculas Soli ipſi eſſe contiguas, vel ab eo inſenſibiliter diſtantes: Attamen probabilius eſt ipſas hac in re nubes noſtras imitari, quæ à Terreſtri globo diſtant, ſed intervallo, quod ex Lunæ globo eſſet imperfectibile, multóque magis ex globo Solis. Porrò de maculis iſtis nihil videtur admiratione dignius quàm earundem motus. Ut enim Luna atque Sol motu proprio moventur ab occaſu in ortum circa Terram: ita maculæ cum Planetis cæteris ♄ ♃ ♂ ♀ & ☿ moventur ab occaſu in ortum circa Solem, ſed maculæ ſpatio circiter 28 dierum: communiter enim intra dies 13 vel 14 pertranſeunt diſcum Solis nobis obverſum, nec à medio circulo ejus, qui cum Ecliptica coincidit, deviant hinc inde ultra 28 gradus maximi ipſius Solis circuli, quod etiam non mediocriter mirandum eſt. Ac earum motus circularis ex eo probatur, quòd ipſarum diurni ſint maximè in medio diſco Solis, ſubinde verò minores, quò limbo Solis viciniores ſunt. Jam verò quoniam nubes illas ab interno principio tam regulari motu circumferri dici nequit, multóque minus intelligentias fumis illis ad motum eſſe præfixas; quænam igitur alia ipſius motus cauſa naturalis aſſignari poteſt? Galilæus negat eas moveri ab ambiente Æthere quòd hic nimiùm ſit tenuis, fluidus atq; cedens; ſed hæc ratio nulla eſt; cum Aer ſub Æquatore naves graviſſimas impellat ab ortu in occaſum. Verior autem ratio hæc eſt. Quòd ſi maculæ circa Solem moverentur ab Æthere, ergo hic etiam gyraret ſimiliter circa Solem: hujuſque gyrationis cauſa nulla aſſignari poſſet præter Planetas circa Solem mobiles ipſumque Ætherem circumverſantes. Jam verò ſi alicubi debet à Planetis Æther celerrimè circumagi, hoc erit intra Orbem Mercurii qui inter omnes Soli propinquior eſt, & citiſſimè circumfertur. At ejus periodus ex Keplero eſt 87 dierum, 23 hor. 15′. Nec Mercurio citior eſſe poteſt Æther circumactus; alioquin alter alterius motum accelerabit in infinitum: macularum verò periodus eſt duntaxat 28 dierum: hæ igitur ab Æthere circumacto non moventur. Præterea motus Ætheris circa Solem eſſet ab occaſu in ortum ut motus Planetarum. At ſub Æquatore, Ætheris & Aeris contiguorum motus circa Terram ab Ortu in Occaſum ſenſui patet: Igitur Æther circa Solem in gyrum non agitur à Planetis circa Solem ipſum ordinatis, alioquin idem Æther ſimul tempore feretur ad Ortum & Occaſum circa Terram, orbibus Martis, ♃ & ♄ incluſam, quod fieri nequit.

Itaque probabile quidem eſſet Solem circa proprium axem turbinare & maculas iſtas ſive nubes circumferre, ut Galilæus & Keplerus voluere: verùm hæc opinio non minimis etiam involvitur difficultatibus. Primò enim abſurdum erit opinari talem motum Soli datum fuiſſe ab interna vel externa cauſa, duntaxat pro fumis illis ſive maculis circumferendis. Quod ſi cum Keplero dixerimus Solem inſuper circumvolvere Planetas ♄ ♃ ♂ ♀ ☿ circa ſe ordinatas; probavimus in ſolutione noſtra problematis de Telluris motu vel quiete, Solem id præſtare non poſſe neque lumine neque calore, neque vi magnetica, quam ſpeciem Solis appellat. Nam etſi magnes cum mixtis omnibus ſublunaribus participet in principiis materialibus: unicum tamen ſpecie ferrum attrahit; at Planetæ omnes inter ſe differunt ſpecie ex cap. 2. tum à Solaribus maculis: quis igitur aſſeret hæc omnia ab eadem virtute Solis circumvolvi? Ad hæc conceſſo iſtorum Planetarum motu à Sole; non tamen Jupiter ipſo motu ſuos ſatellites circumferet; ſed erit ei alter circa proprium axem ſimiliter neceſſarius; qui ſive fuerit à cauſa interna, ſive ab externa intelligentia, cur alter motus Jovis circa Solem ab eadem cauſa non erit, cùm ambo motus ſint ad eandem plagam Orientis? At ſi ambo fuerint ab eadem cauſa (ut eſſe poſſunt ab eadem intelligentia) ergo Sol nec Jovem nec conſequentur ♄ ♂ ♀ & ☿ circumferet; quare nec etiam maculas: ut nec Cometas ipſum circumvolvere certum eſt. Jgitur ut ſupradictas maculas circa Solem moveri, obſervatione fateri compellimur: ſic hujus motus cauſam ex earum numero rerum eſſe agnoſcimus quas Mundi opifex DEUS humanis objecit ingeniis, ut ſuam incomprehenſibilem ſapientiam duntaxat mirarentur, atque venerarentur: quem in finem captivantes tenuem noſtrum intellectum, eò libentius tantæ difficultatis enodatio ad ſapientiores à nobis remittitur; quod in Aſtrologia nullius ſit omnino neceſſitatis; ſicut nec macularum ipſarum conſideratio, ut vel ſuo loco oſtendetur, vel ex Aſtrologiæ principiis innoteſcet.

CAPUT XI.

De Cometis.

COmetas in ſublunari duntaxat regione generari, hactenus ab Ariſtotele receptum eſt in Academiis, quæ neglecto Cœlo naturæ libro, Ariſtotelis voluminibus nimiùm addictæ fuere. At eos ſupra Lunam in Ætherea regione gigni jam conſtat inter præcipuos magiſque ingenuos Aſtronomiæ Magiſtros, quorum Princeps nobiliſſimus Tycho Brahæus glaciem hanc Peripateticam primus omnium generoſe fregit, accuratiſſima obſervatione Cometæ anni 1577. quem multifariam demonſtravit longè ſupra orbem Lunæ fulſiſſe. Idemque poſtea ab aliis Aſtronomis ſtudioſiùs obſervatum eſt in ſubſequentibus Cometis: ac maximè in inſigni Cometa anni 1618. ut proinde Brahæus lib. 1. Progym. pag. 511. verè aſſeruerit Cometas omnes in Æthere generari, etſi fruſtra Claromontius in ſuo antiTychone contrarium demonſtrare contenderit.

Itaque Cometa eſt totius regionis Æthereæ præcipuum ac illuſtriſſimum meteorum in ipſo duntaxat Æthere genitum: de cujus materia & fulgore non levis adhuc reſtat difficultas. Nam omiſſis Antiquiorum opinionibus qui Cœleſtia ſegniùs obſervarunt, Tycho Brahæus in Progymnaſmatis & Longomontanus in ſua Appendice de Novis Cœli Phœnomenis, voluere Cometarum materiam eſſe Cœleſtem, atq; in globum coagmentatam: per Cœleſtem verò materiam intelligunt liquidam Cœli rachian, ſive expanſum, in quo fixas ſuſpendi, ut Terram in Aere putaverunt: ſed hæc liquida Cœli ſubſtantia validis rationibus à Nobis rejecta eſt Lib.3.ſect.3.cap.1. Attamen vult ipſe Longomontanus loco ſupradicto, materiæ Cœleſti admiſceri aliquod materiale effluvium ab aliis Aſtris, pro generatione novorum Cœli Phœnomenon.

Keplerus verò in ſua Cometarum Phyſiologia ait, *auram Æthercam quandoque craſſiſcere, craſſæque huic Ætheris pinguedini velut in quoddam apoſtema coactæ, ex natura loci lumen à Sole accedere, & motum conciliari, ſicque Cometas generari*, quod ſane plurimùm contrariatur Ætheris tenuitati inæſtimabili ab illo aſſertæ Lib.4. Epitom. Aſtronom. pag.443, diſſertque ab alia Cometarum materia ab eodem Keplero expoſita Lib.1. pag. 57. Willebrordus autem Snellius vult eos eſſe exuſtulationes à Sole emiſſas. Ex quibus patet opinionum circa materiam Cometarum inter Neotericos non exigua diverſitas.

Alii pejus opinati ſunt, Cometas eſſe corpora Cœleſtia fixis coæva; qui moventur in circulis, quorum diametri & centra ſunt nobis ignota, ac impium putant aſſerere dari corpus Cœleſte non coævum fixis, volunt autem illos apparere, dum peragrant inferiorem ſui circuli partem, fiuntque nobis Perigæi: Deinde verò ſeſe in Ætheris profunditatem immenſam recipere, nullum enim Cœlum ſolidum eſſe putant. Si autem vera eſſent prædicta, non ſolum frequentiùs Cometas videremus, ſed frequenter eundem, quòd ſcilicet magnam ſui circuli partem (in qua nempe viſuntur) brevi tempore percurrant; Præterea initio ſuæ apparitionis minimi apparerent, in medio maximi, at ſtatim ab initio magni apparent.

Iſmael vero Buillialdus in ſua & aliorum obſervatione illius abortivi Cometæ, qui apparuit menſe Decembri 1652, & peragravit conſtellationes Orionis, Tauri & Perſei; opinatus eſt illum eſſe particulam viæ lacteæ ab hac avulſam aut detractam. Sed ratione vacuus non dixit à quo vel quomodo avulſam. Eicliſtadius verò in ſua exercitatione Aſtronomica de ipſo Cometa art. 36. ait, *quod quando Cometa ad ſuam maturitatem in via lactea pervenit, tunc ab interna forma & ſpiritu motore à via lactea avellitur & incipit moveri, & certum ductum magni circuli ſequi.* Sed horum nihil probat, nec probare poteſt. Nam certum eſt & ſufficienter à Nobis probatum contra Tychonem, Longomontanum & Keplerum Lib. 3. ſect. 3. cap. 1. viam lacteam eſſe ſolidiſſimam, ut ſphæram fixarum cujus pars exiſtit.

Quidem Neoterici (inter quos Henelius, Eicliſtadius) opinantur Cometas coagmentari ex plurium Stellurarum viæ lacteæ accumulatione: & tandem Cometæ caput reſolvi in harum Stellularum pluralitatem. Sed falluntur multipliciter. Primò, quia per viam lacteam diſſeminatæ Stellulæ ſunt fixæ, ut omnes aliæ Stellæ. Secundò, quia omnes Stellæ fixæ propria luce fulgent, ut dicetur ſect. ſequenti: Igitur illarum accumulatio ad Cometam componendum eſſet viſibilis, contra experientiam. Tertiò, quia ſi illæ Stellulæ in Cometæ diſſipatione videntur; vel remanerent viſibiles in loco ubi Cometæ caput diſſipatū eſt, vel ipſæ etiam diſſiparentur. Primum eſt contra ſenſum etiam optico Tubo adjutum: Secundum eſt contra rationem: Nullus enim hominum fixæ alicujus primævæ diſſipationem obſervavit: quippe quòd non ſint diſſipabiles; nec à Planetis, cùm ne quidem eo pertingat calor aut lux ipſius Solis, nec à ſeipſis, alioquin frequentes earum diſſipationes obſervarentur.

Cæterum ad veram Cometarum materiam definiendam, duo certa ſunt hîc nobis ſupponenda. Primum circa Solem, nec procul ab ipſo frequētes copioſaſque nubes emergere, tantæ plerumque magnitudinis ut oculis duntaxat in diſco Solis deprehenduntur; quæ tamen temporis ſpatio circiter menſtruo diſſipentur ex ſuperiore c. 8. Secundum, ſeculorum ſucceſſu obſervatum fuiſſe, materiam quandam fuliginoſam interdum Solem obſidere; adeo ut & Solis ſplendorem multum obtundat, ut pene toto anno cædis Cæſaris, vel etiam alieno colore inficiat: ſicut anno 1547, quo Sol toto quatriduo facie ſanguinea per totam Europam apparuit, & non in unico loco, unde non in Aere, ſed circa Solem ipſum materiam hujus Phœnomeni fuiſſe conſtat à ſenſibili paralaxi liberam. Imò etſi radii Solis tantæ ſint ſpiritualitatis, ut quantacunq; denſatione à ſpeculo concavo ſenſibiliter non corporeſcant, ideoque in puro Æthere ſint prorſus inviſibiles: tamen circa Solem ipſum ſemper eſt aliqua materia, Æthere craſſior, huicque permixta, quæ Solis radios vivaciſſimos excipiens tam efficaciter lucet, ut oculos eminus etiam arceat ab ipſius Solis intuitu, & in totalibus Solis deliquiis, Lunam quandoque corona luciddiſſima cingat. Hæc autem omnia oculis vel Tubo conſpicua, non aliunde quam è corpore Solis effluere dictum eſt c. 4. Et hîc inſuper inde conſtat, quia nec eò uſq; aſcendunt exhalationes Elementales, nec talia circa reliquorum Planetarum & præſertim Lunæ corpora deprehēduntur.

His verò poſitis dico contra Tychonem, Longomontanum atque Keplerum, materiam Cœleſtem, ſive expanſum, ſive auram Æthercam (quæ apud illos ſunt res eadem, quippe Æther ipſe) non denſari in materiam Cometarum, atque hanc non aliam eſſe, quàm exhalationes è corpore Solis perpetim prodeuntes, ut ſuperiùs dictum eſt. Prima pars probatur à ſimili, quoniam Aer noſter non denſatur aut concreſcit in nubes vel alia meteora Elementaria, non enim denſatur à calore, cujus è contra proprium eſt attenuare & rarefacere, ſed neque etiam à frigore; nam Aeris media regio ſemper eſt frigidiſſima, ideoque ſemper eſſet turbida. At nunquam Aer purior eſt quàm durante Hiemis frigore acerrimo: præſertim apud Boreales: ita ut certò acerrimum frigus Aerem purificet, quem calor inquinat, dum globi Terreſtris humidum reſolvit in vapores & exhalationes aſcendentes in Aerem; qui propter ſuam varietatem atque fluiditatem illis cedere atq; locum dare compellitur, donec ſibi adventitio frigore, vel innata facultate, hæc & eterogenea à ſe repellat ad eundem globum. Igitur multo minùs Æther

ther : æſtimabilis ex Keplero ſupra Aerem raritatis, in viſcidam & compactam Cometarum materiam denſabitur, ſemper enim vel à calore, vel à frigore denſaretur, quia ubicumque dantur actualis & ſucceſſiva rarefactio & denſatio, ibi calorem & frigus dari neceſſe eſt. Si igitur vel à calore Solis, vel à frigore Lunæ aut ♄, Æther ita denſaretur; primò corpora iſta perpetuis nubibus involverentur, cùm tamen frequentiùs Sol videatur puriſſimus, Luna verò nullis unquam obducta nubibus; deinde ſuperius accideret abſurdum, nempe calorē eſſe cauſam denſationis, ideoque frigus cauſam ſubſequentis reſolutionis: Quod dici non poteſt, cùm natura per primas qualitates quæ ſunt primaria ejus ad omnes generationes & corruptiones inſtrumenta, eodem modo operetur in ſingulis regionibus, Elementari, Ætherea & Cœleſti. Probatur ſecundò eadem prima pars, quoniam abſurdum eſt materiam Cometarum quærere, ubi nec oculis, nec intellectui patet; relicta idonea & adeò copioſa circa Solem conſpicua; quā Keplerus ipſe Lib. 1. Epiſt. Aſtron. pag. 57. etiam agnoſcere cogitur: Imò aſſerere, *quod Cometæ plerumque cùm primùm videri incipiunt ex Solis radiis emergunt, quaſi ex vicinia Solis, hujus materiæ patria proficiſcerentur.* Quamobrem ex jam dictis emergit probatio ſecundæ partis: quod nempè Cometarum materia non ſit alia, quàm exhalationes è corpore Solis perpetim prodeuntes.

Igitur idem Soli quod Telluri; & idem Ætheri quod Aeri accidit, quod nempè utriuſque globi humidum à calore reſolvatur, fiatque materia meteororum, ex Terra quidem Aereorum, ex Sole verò Æthereorum. Sed quia in Tellure datur multum humidum aqueum cum exiguo vel moderato calore ſi cum calore Solis conferatur: inde fit ut ex Terra multus elevetur vapor aqueus, cum modica vel mediocri exhalatione ſulphurea, quandoquidem calor idem agit in utrumque ſubjectum, cæteris verò paribus humor aqueus ſulphureo faciliùs reſolvitur & elevatur; ubi verò deeſt humor aqueus & abundat ſulphureus cum majori calore (ut accidit in quibuſdam montibus) tunc exhalatio vapore copioſior elevatur: hinc verò fit ut pluviæ, nives, grandines, ros, pruina, cæteraque meteora aquea, ignitis ſint nobis frequentiora. At in Sole ubi nullus datur humor aqueus, ſed ſulphureus plurimus, cum intenſiſſimo calore intrinſeco, fit tantùm humidi ſulphurei viſcidique reſolutio, cui non parum terreæ fuliginis admiſcetur, ut enim nullus aſcendit vapor ſine commixta aliqua exhalatione, ſic nulla elevatur exhalatio ſine commixto terreo; idque patet ex fulmine & lapidibus in Aere noſtro genitis dum copioſa aſcenderit exhalatio.

Et quia humidum illud ſulphureum à calore Solis reſolvitur in exhalationem quæ deinde in nubes & maculas denſatur, ut cap. 5. dictum eſt: Ergo denſationem, vel concretionem ipſam fieri neceſſe eſt, vel à remiſſiore calore, quàm ſit calor Solis, vel ab occurrente frigore: nam quæ calore ſolvuntur, frigore concreſcunt ex Paracelſo & experientiâ: ubi per frigus non ſolum intelligitur frigus actuale, ſed etiam calor adeò remiſſus, ut ipſi humido reſolvendo ſit impar. Ac propterea denſationem ipſam procul à Sole fieri patet, nec Solis nubes, ſive maculas ipſius Solis corpori eſſe contiguas, ut Galilæus & alii voluere. Poſita autem earum à Sole diſtantia unius vel duorum ſemidiametrorum Terræ (quæ diſtantia eſt nobis inſenſibilis, nec improportionata globo Terreſtri ejuſque nubibus) tunc vel à remiſſiore loci calore, vel ab occurrente quoque frigore, prius denſatur in nubes & maculas Solares: quod autem ad tam propinquam Soli diſtantiam frigus aliquod occurrere queat, id maximè videtur probabile, non quòd Ætheris ſubſtantia ſit ex ſe eximiè frigida (quod citra rationem aſſerit Longomontanus cap. 5. ſuæ Appendicis de Novis Phœnomenis) ſed quia prȩter fixas naturȩ frigidæ, tres ſunt Planetæ actu frigidi ♄ ☽ & ☿ Soli proximus, à quorū concurſu (præſertim in Noviluniis) Æthercam regionem circa Solem actu infrigidari neceſſe eſt, Æther enim ex ſe carens contrariis qualitatibus, ut diximus Lib. 3. ſect. 2. cap. 2. ob ſummam qua pollet raritatem atq; tenuitatem, eſt ad calorem & frigus recipiendum, etiam Aere noſtro longè aptior; cùm præſertim hæ & ſimiles qualitates ab agentibus in diſtans duntaxat effundantur in obvia ſubjecta, neque ex horum materiali potentia educantur, ut à nobis demonſtratum eſt Lib. 8. cap. 5. contra Ariſtotelem, ejuſque ſequaces, nec proderit objicere, Lunam & Mercurium impensè calefieri ab ipſo Sole, quòd ſolida, denſa & opaca ſint corpora: nam etſi Terram noſtram Sol valde calefaciat, non tamen impedit quominus illa in Aeris mediam regionem ſuum frigus effundat acerrimum ex Lib. 3. ſect. 1. cap. 10. Igitur ut Aer noſter peregrinas Aſtrorum & globi Terreſtris qualitates atque fumos proprio excipit hoſpitio, donec eas frigore ſibi adventitio in priſtinam naturam denſet, aut diſſecando diſſipet & expellat: ſic de Æthere reſpectu globi Solaris, & aliorum Aſtrorum cenſendum eſt. Atque hinc forſan accidit, ut nubes Solares extrinſeco frigore citiùs denſatæ atque in nymbum oleagineum reſolutæ, dum ſupra igneum corpus Solis decidunt, accendantur & faculas illas repræſentent quæ interdum apparent in ipſo diſco Solis: ut enim vaſtiſſima ſylva flagrante, ac nymbo aqueo copioſo ſuperveniente, illius flamma ex aliquo Lunæ loco extingui cerneretur: e contra verò ſi nymbus eſſet oleagineus, flamma vivacior albiorque fieri conſpiceretur: ita de Solaribus nubibus in ſuum priſtinum humidum reſolutis & Solem copioſè aſpergentibus cenſendum eſſe, ſit valde probabile, quandoquidem nubes omnis humido conſtat, Sol autem aqueo humido caret, ſulphureoque abundat.

Porrò quoniam Æther ut cætera liquida, Mare & Aer, motu & perflatione indiget, quibus ab admiſſis Eterogeneis purgetur ac in ſuo naturali ſtatu conſervetur: eſt autem hac de cauſa in perpetuo motu præſertim in regione Planetaria, ob vaſtiſſima Planetarum corpora per ipſum rapidiſſimè tranſvolantia, & præcipuè in vicinia Solis, ob perniciſſimam revolutionem Mercurii, qui ex Kepleri Hypotheſibus tantundem ſingulis diebus conficit itineris motu proprio in ſua orbita, quantum reperiuntur in 41 Terræ diametris: Aliunde verò nubium Solarium diſſipatio nobis per Tubum Opticum maximè conſpicua eſt; idcircò fatendum videtur harum nubium diſſipatarum materiam ſuperſtitem, à Planetarum & potiſſimùm vicini Mercurii converſionibus propriis, vel ſupradicta Ætheris agitatione hinc inde diſtrahi, rurſuſque ab iiſdem cauſis & innata vi expulſiva Ætheris, alibi ſucceſſu temporis quandoque accumulari, atque in grandiorem, denſio-

remque molem ab intenſiori frigore vel remiſſiore calore loci concreſcere, ſicque fieri materiam Cometarum, quorum pars major (fatente Keplero) emergit è vicinia Solis. Nec obeſt Cometa ab eodem Keplero obſervatus anno 1607, qui ortum habuit ſub conſtellatione urſæ procul à Sole; Nam ejus materia ab iiſdem cauſis minimè fictis, ſed neceſſario admittendis, eo uſque expelli potuit; cùm ſuperſtes illa materia cuilibet agitationi facilè obſequatur.

Jam verò tres præcipuè Cometarum ſpecies admittuntur: Nempè Crinitorum, Barbatorum & Candatorum. Cometa Crinitus eſt, cujus medium compactius & luminoſius eſt, circuitus autem rarior & lumine hebetior. Barbatus eſt à cujus capite luminoſiore, quid rarum & ſubtile inſtar Barbæ oblongæ educitur. Candatus denique eſt à cujus denſiore & luminoſiore capite cauda rarior emanat: adeo longa ut etiam aliquando 40 vel 60 gradus maximi in Cœlo circuli ſubtendat: vel etiam plures, qualis fuit Cometa anni 1618, cujus cauda ad 72 gradus fuit extenſa.

Nunc de duobus etiam plurimum controverſis aliquid dicendũ ſupereſt, quippè de Cometarum motu & lumine. Ac primò Keplerus in ſuo Libello de Cometis ſuſcepit demonſtrandum Cometas omnes moveri motu rectilineo. Quoniam vero ejus fuit intentum Libello ipſo, ex motu Terræ circulari, oſtendere motum Cometæ rectilineum, & ex rectilineo Cometæ, convincere circularem Terræ; quid à Logica magis alienum, quàm hæc demonſtranda pro principiis aſſumere, vel aſſumpta deinde concludere? Aſſumit enim initio Libri primi: *Terram trajicere ſuper ſpatia Mundi eo motu circa Solem, quem Ariſtarchus & Copernicus ei tribuerunt*. Tum: *Cometam non ſecus ac trajectionem aliquam ferri per ſpatia Mundi, in linea recta in directum continuè*. Dices nullo ſequente abſurdo, in apparentiis Cometæ, demonſtratis ex ſuppoſitionibus ſive principiis aſſumptis, neceſſario convinci veritatem aſſumptorum: atqui hoc minimè verum eſt; quia poſitâ Tellure mobili, & Sole quieſcente demonſtrãtur omnes apparentiæ motuum Planetarum; nec propterea inde neceſſario concluditur veritas hypotheſium; cùm eædem apparentiæ ex contrariis hypotheſibus etiam demonſtrentur, veritas autem ſibi non contrarietur. Adde quod Keplerus qui annuum Terrę motũ ex rectilineo Cometarum motu probare voluit, fatetur in Tychonis Hyperaſpite pag. 101, *circularitatem motus Cometarum apud Tychonem niti ſua etiam probabilitate*: & reprehenſus à Sarſio, quòd motum Cometæ trajectorium voluiſſet in principio & fine remiſſum, celerem autem in medio; ingenuè confeſſus eſt in Appendice ex Trutinatore Galilæi, *ſe nullam admodum reperire cauſam magnam, cur motum illum Cometæ rectilineum verſus utrumque terminum languidiorem ſtatuat; itaque ſe relinquere hanc inæqualitatem in dubio*, quæ tamen ex tali motu ſequeretur.

Quamobrem etiam conſentiente Keplero, Tychoni adhærebimus, qui Cometas in propriis orbitis, circa Solem aliorum Planetarum inſtar moveri demonſtravit Lib 2. progymnaſmatum; videturque eorum Naturæ congruum, ut quia ſunt progenies Solis non ſecus ac maculæ quæ circa Solem ipſum gyrant, ita illi ex maculis ipſis, vel exhalationibus Solaribus facti, eundem motum, etſi periodo & viâ diverſum, ob majorem à Sole diſtantiam retineant. Sed inde notandum, poſſe Cometam inter orbitas Veneris & Martis generari, qui ſi inferiorem ſui circuli partem pervaderet, ad Elementalem uſq; regionem deſcenderet; ſiquidem in utroq; ſiſtemate, Copernici nempe & Tychonis, Terra & Elementalis regio ſitæ ſunt inter duas illas orbitas, unde nil mirum ſi in genere, animalia ipſique homines plus à Veneris & ♂ quàm à ♄ ♃ ☉ & ☿ influxibus agitentur. Non tamen propterea Cometes ille dicendus eſſet genere Elementalis, tum quia exhalationes Solis pro generatione Cometarum ad regionem Elementarem detrudi, prohibet motus atque frigus Lunæ circa regionem ipſam gyrantis; tum quia Cometæ plus naturam Planetarum quam Elementorum noſtratium participant. A qua autem cauſa interna vel externa Cometæ circa Solem moveantur, idem hîc quod cap. 10. de Macularum motu aſſerimus.

Tandem circa Cometarum lumen duæ ſunt opiniones. Nam Ariſtoteles ejuſque ſequaces volunt Cometas ex ſe lucere & accenſos eſſe: at Tycho Braheus in progymnaſmatis, & Keplerus in ſua Cometarũ Phyſiologia, illud omninò negant, aſſerentes ipſos à Sole duntaxat illuminari inſtar Lunæ vel aliorum Planetarum: utraq; enim ſententia non minimis ſubjacet difficultatibus. Nam cùm ad omnes Planetas, illuminans cauſa eadem ſupponatur; eademque ſit Cometarum materia, nempè exhalatio è viſceribus Solis elevata: cur non omnes Cometæ eodem modo, vel accenduntur, vel illuminantur; ſed alii fiunt criniti, alii barbati, & alii candati; cùm præſertim ſingulas ſpecies à ſua illuminante cauſa diſſipari receptũ ſit à pluribus, ac proinde ſingulas eodem modo generari & interire? An biſſecanda erit hæc difficultas, aſſerendo Cometarum alios accendi, alios verò à Sole duntaxat illuminari, quinimò videtur potiùs ſtatuendum nullum illuminari, ſed omnes accendi, utcunq; Keplerus hanc ſententiam paulò acerbiùs inſequatur. Primò enim Tycho & Keplerus ſuam ſententiam minimè probant, ſed tantùm Cometas non accendi in regione Elementari, ut Ariſtoteles opinabatur. Deinde certum eſt Cometas omnes derepente in ſua maxima mole apparere, & in maximo ſuo fulgore niſi obſtet vicinitas Solis, nec videri creſcere, cùm è contrario à prima apparitione, eorum incipiat diſſipatio. Jam verò quoniam ab omnibus meritò receptum eſt, eorum materiam eſſe pinguem, viſcidam, & compactam, etiam certum eſt tantam molem non derepente ſed paulatim accumulari, concreſcere & (ut Kepleri verbis utar) cogi velut in quoddam apoſtema. Si igitur Cometa etiam cum ſua cauda, ad minimam uſque ſui diſſipationem oculis conſpicuus eſſet, quatenus à Sole illuminatus: nequaquam dubitandum, quod ob eandem cauſam conſpicuus eſſet (etſi cum hebetiori lumine) priuſquam ejus materia ad tantam molẽ denſitatemq; deveniret; præſertim ſi procul à Sole gigneretur, ut Cometes anni 1607, qui ſub majore Urſa ortus eſt: Cum verò id non accidat, ſed materia ſucceſſivè accumulata, concreta & compacta derepentè illuceſcat, hoc per ipſius materiæ inflammationem fieri neceſſe eſt, præſertim cum ab ad-

ver-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

verſariis concedatur & rectè, materiam illam eſſe pinguem, hoc eſt oleagineam vel ſulphuream, quâ nulla eſt ad inflammandum aptior in rerum natura. Confirmatur ex noſtris ſulphureis exhalationibus quæ in media vel ſuprema Aeris regione accenduntur in coruſcationes, fulgura, ſtipulas ardentes, capras ſaltantes, Stellas cadentes, ignem fatuum, &c: quidni igitur exhalationes Solares omnino ſulphureæ & nullo modo aqueæ accendentur in Æthere, præſertim ſi per motum & antiperiſtaſin à frigore extrinſeco denſante, earum calor intrinſecus roboretur? Tandem volunt Tycho & Keplerus Cometam diſſipari à radiis Solaribus. Ergo vel à luce, vel à calore, quibus conſtat ipſe radius: at non à luce, hæc enim duntaxat illuminat, & nihil aliud efficit, ut probabimus lib. 11. cap. 13. Quod ſi à calore, ergo cum viſcida & compacta materia levi calore reſolvi & diſſipari nequeat, ut Chymicis notum eſt, acrior erit neceſſarius, ſed ab hoc pinguis & ſulphurea materia facilè accenditur. Imò cap. 6. diximus Solis radios nihil aliud eſſe, quàm ejus flammam incorpoream, vel formam igneam undequaque effluentem. Igitur ex parte materiæ, radiorum Solarium, & repentina apparitione, etiam longè probabilius eſt Cometas omnes eſſe accenſos.

Objiciet aliquis omnia quæ accenduntur paulatim accendi, grandioremque flammam ſucceſſivè concipere. At Cometæ in ſua maxima mole momento temporis illuceſcunt, non ergo per inflammationem, ſed per illuminationem à radiis Solaribus quæ fit in inſtanti. At reſpondeo, falſum eſſe antecedens, nam pulvis pyrius, oleum & exhalatio in nubibus, in inſtanti accenduntur, & olei flamma, ſicut & ignis fatui perdurat aliquò tempore, donec ſcilicet conſumpta ſit materia inflammabilis: quidni ergo idem accidet exhalationibus Æthereis ſive Solaribus?

Præterea objicit Braheus lib. 2. Progym. cap. 7. & alibi. Quod ſi Cometæ accenſi eſſent, inde ſequeretur eorum caudam ſurſum perpetuò erectam fore, ſecundum lineam rectam tendentem ad Mundi centrum, quòd hæc ſit natura flammæ; cum tamen Cometes anni 1577, & alii caudam perpetuò direxerint in oppoſitam Solis, & quandoque deorſum verſus Terram, id poſtulante ſitu Solis, quod eſt indicium certiſſimum Cometas ſolaribus tantùm radiis illuminari, ut priùs quoque cenſuerat Cardanus Lib. de ſubtilitate; *Dum ait Cometen globum eſſe in Cœlo à Sole illuſtratum, per quem illius tranſmiſſi radii, pone caudam faciunt ſemper à Sole averſam.*

Verùm quod omnis flamma ne quidem in ſublunaribus ſurſum vel ad perpendiculum erecta ſit, patet ex noſtris ignitis meteoris, ac præſertim ſtellis ardentibus, quarum una valdè magna, Æſtate anni 1607, paulo ante Solis ortum cum ingenti per Aerem ſibilo ad Terrã uſque deſcendit, obliquâ viâ non procul à me Aquis ſextiis Maſſiliam proficiſcente; tum ex artificialibus noſtris ignibus in Aerem projectis, tum ex motu facis: accenſæ: in his enim omnibus flamma, ſive cauda perpetuo ſecundum eandem lineam ſequitur motum capitis accenſi, quomodocunque illud moveatur ſive ſurſum, ſive deorſum, ſive horiſontaliter, ſive circulariter. Præterea quandoquidem Sol noſtræ Telluris inſtar, ſuas exhalationes ut ſuos quoque radios undequaque emittit, etiam verſus Terrã (ut conſtat ex maculis quas in diſco Solis oriri cernimus) quid mirum ſi Solares exhalationes & Cometæ, non Terram pro centro obſervant, ſed Solem unde prodiere; ac per conſequens illorum cauda, ſive flamma quæ Æthéream Solaremque materiam participat, ſecundum rectam ad Solis lineam ſit diſpoſita?

Objicies ſi motus Cometæ eſſet ad Solem, ſatisfaceret ratio hic allata, ſed ſuo motu potiùs recedit à Sole: Nec unquam in motu materiæ accenſæ flammamque emittentis, flamma præcedit corpus accenſum, ut patet in experientiis vel exemplis allatis. At in Cometis caudatis flamma præcederet. Præterea Cometæ cauda quo eſt longior eo apparet latior, quod non fit in experientiis ſupra allatis.

Reſpondeo igitur, ex D. Deſcartes part. 3. princip. Philoſophiæ art. 136 poſita Tellure in linea quæ Solem & Cometam oppoſitos oſtendit, Cometam videri accenſum qualiter eſt in rei veritate, ſcilicet cum Coma rotunda undique ſparſa, quod genus Cometæ roſam vocant: dum autem Sol & Cometa non ſunt reſpectu Terræ oppoſiti, Cometæ flamma non videtur rotunda, ſed per radiorum reflexionem caudæ inſtar protenſa: ſique Cometa mane videatur, cauda præcedit caput, & ſi veſperi, ſequitur. Videatur ejus demonſtratio. Hæc igitur apparentia à rei veritate aliena, non obſtat quin Cometa ſit rotundè accenſus, ut cernitur in primo terræ ſitu. Cauda autẽ eo appareat major quo Cometa fuerit major. Et linea recta ab ipſo ad Solem ducta, fuerit à Tellure remotior.

Porro Cometæ ſuppoſitæ inflammatione, jam in ejus diſſipatione nulla occurrit difficultas, quandoquidem illum per inflammationem ſenſim abſumi neceſſe eſt.

Coronidis loco paucula hic ad Aſtrologiam ſpectantia de Cometis dicenda ſunt. Itaque Cometæ produci queunt, vel à ſolo Deo, aut ejus miniſtris Angelis: vel à cauſis naturalibus ſupradictis. Priores non ſunt cauſæ, ſed tantum ſigna futurorum malorũm, niſi homines à peccatis reſipiſcant, qua de re, ut moneantur, Cometæ ipſi à ſumma paternaque Dei bonitate Juſtitiam prævениente producuntur. Deus enim hominibus adeo bonus eſt, ut vix unquam illis in communi vel particulari, ſine aliquo prænuntio grande malum infligat. Sicque inſtante Mundi conflagratione Sol obſcurabitur, Luna non dabit lumen ſuum, Stellæ de Cœlo cadent, & virtutes Cœlorum movebuntur: atque ſic gladius ignitus qui per annum ſtetit in Aere ſupra Hieruſalem non cauſavit, ſed duntaxat ſignificavit ejus deſtructionem igne & ferro: at poſteriores ſunt cauſæ ſimulque ſigna futurorum malorum, etſi utrumq; neget Scaliger exerc. 79. Art. 2. cum pluribus Aſtrologiæ Oſoribus: Multum enim de Planetarum natura participant in materia atque motu, ut ſupra patuit. Ideoque à Tychone rectè vocantur Pſeudoplanetæ. Et Ptolemæus lib. 2. Quatrip. cap. 8. illis attribuit effectus, quales Marti & Mercurio conveniunt. Ac propterea eorum ortus pravas admodum in hominibus propenſiones cauſat, vel accendit, unde multa peccata graviaque ſcelera & facinora, indeque bella: ſed præterea regio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

regionem Elementarem non parum alterat influxu adulterino: Unde ſterilitates, fames, peſtes, aliique morbi homines paſſim enecantes. Nec Deus ex ſuæ providentiæ legibus tenetur hæc mala avertere, quòd liberè cum liberis, & neceſſariò cum neceſſariis cauſis concurrat: avertit autem precibus & pœnitẽtia placatus. Quamobrem cum vix unquam impunè Cœlum Cometis fœdum conſpiciatur, ut conſtat hiſtoriis, atque horrenda bella, horrendæque calamitates à Cometa anni 1618 huc uſque perdurarint, quæ etiam indies increſcunt: præſertim verò (proh dolor) inter Chriſtianos, in quibus etiam Filius contra Matrem pugnavit, & Frater contra Fratrem; multaque alia funeſta & horrenda contigerint in ſola etiam Europa, quorum mentionem facit Keplerus Lib. 3 Phyſiologiæ ſuæ Cometarum, pro certo ab omnibus Cometis timendum eſſe conſtat; atque tenendum eos ſemper eſſe ſigna hominibus exhibita, ut à peccatis reſipiſcant & ſibi caveant; cætera ad hanc rem ſpectantia fuſiùs alibi proprio loco exponentur: hæc eſt autem noſtra de Cometis aliiſque meteoris Æthereis ſententia, ſibi ſaltem conſtans & naturalibus cauſis atque apparentiis conſona, ſagaciorum tamen examini & judicio relinquenda. Vide quid de Cometis diximus in Notis noſtris Aſtrologicis, adverſus commenta D. De Villennes ſupra Aphoriſmos 98. & 99. & 100 Centiloquii Ptolemæi: Illud enim & quo ad Phyſicam & quo ad Aſtrologiam ſatisfaciet cuilibet ſapienti.

SECTIO III.

De Mixtis Cœleſtibus.

Caput I.

Non omnes Stellæ fixæ ſunt ejuſdem inter ſe ſpeciei.

Poſtquam Sectione 2. à Nobis oſtenſum eſt, dari in Æthere mixta perfecta, quippè Planetas, atque diverſa meteora; ſupereſt ut ſaltem in Cœlo fixarum dari etiam mixta perfecta & meteora hîc probemus: quod etſi Peripateticis prima fronte videatur temerarium, & naturæ Cœli injurioſum; tamen non fictis ſed adeo certis innititur fundamentis huc uſque ſegniùs animadverſis, ut jam de eo dubitare nefas eſſe putem. Ad hoc autem Nobis erit ſequenti ordine procedendum.

Hactenus creditum eſt in Academiis, Stellas fixas omnes eſſe tantùm ſui Cœli partes denſiores, ut nodi illi duriſſimi qui in lignis reperiuntur, proindeque nec à Cœlo ipſo cui affixæ ſunt, nec à ſeipſis differre ſpeciei. Quod autem non omnes ſaltem ejuſdẽ ſunt ſpeciei, inde probatur: Quoniam aliæ ab aliis differunt formali virtute, ſive propriâ & naturali efficientiâ, ſuntque aliæ naturâ beneficæ, aliæ autem maleficæ: alii enim ſunt effectus ſpicæ Virginis, alii cordis Scorpii, alii capitis Meduſæ, alii cordis Leonis, alii Arcturi, & alii aliarum fixarum, ſive in Aere, ſive in hominum genituris, ut Aſtrologicâ patet experientiâ. Ergo Stellæ ipſæ differunt ſpecie: Alioquin idem ſequetur abſurdum, quod ex identitate ſpecifica Planetarum ſequebatur capite 2. ſect. 2. Neque arbitrandum Stellas in firmamento ſe habere, ut flores, fructus & ſemina in plantis, vel ut cerebrum, cor, hepar, ren, lien, & oculus in animalibus, quæ calore, craſi & effectu quidem inter ſe differunt, non tamen forma ſpecifica: Quia inde ſequeretur Cœlum ipſum eſſe corpus organicum, ejuſque & Stellarum formam eſſe animam; quod à veritate prorſus aberrat, ut Lib. 2. fusè à nobis oſtenditur, quia neque vegetat, neque ſentit, neque ratiocinatur, etſi cuncta viventia afficiat.

Caput II.

Stellæ fixæ differunt ſpecie à firmamento ſive Cœlo cui affixæ ſunt.

Nam illæ inter ſe differunt ſpecie ex cap. 1. Ergo etiam à Cœlo cui affixæ ſunt; alioquin Cœlum ipſum à ſeipſo differret ſpecie, quod fieri nequit.

Quamobrem de firmamento & Stellis fixis idem quod de Tellure ac lapidibus, metallis, & mineralibus ipſi inſertis & contiguis cenſendum eſt. Sunt enim Stellæ regionis Cœleſtis gemmæ lucidiſſimæ ſuo Cœlo duntaxat contiguæ, non autem continuæ, ſicut nec metalla, lapides, vel etiam plantæ Telluri ſunt continuæ.

Caput III.

Fixæ à Planetis differunt ſpecie.

Quod enim aliquæ Stellæ fixæ, ut paſſim dicuntur ab Aſtrologis eſſe de Saturni, aliæ de natura Jovis, &c. etiam verè ſint ejuſdem cum Planetis ipſis ſpeciei; hæ potiſſimum rationes aſſignari queunt. Prima, quod quæ dicuntur Saturninæ, ſint concolores Saturno, Joviales Jovi, & ita de reliquis. Secunda, quod Saturnus dum conjungitur Stellis Saturninis, juxta naturam propriam operetur intenſiùs; id verò ſine naturarum ſimilitudine fieri nequeat. Tertia, quod Saturninæ ſolæ eadem efficiant quæ Saturnus ipſe.

Atqui rationes hæ ſtare nequeunt pro identitate ſpeciei: Non prima, Auri enim & Cupri, item lapidum, plantarumque plurium, tum etiam animalium color eſt idem, ſpecies verò diverſæ, neque communi accidenti convenit ſpecificare ſubſtantialiter. Non ſecunda, quia de Stellis fixis in magno Mundo idem cenſendum quod de Planetis in Microcoſmo, quarum aliæ dicuntur cephalicæ, aliæ cardiacæ, aliæ hepaticæ: Non quod ſint ejuſdem ſpeciei cum cerebro, corde, vel hepate: ſed quod cerebri, cordis, & hepatis actiones juvent, & perfectiores efficiant, & quandam craſis & ſubſtantiæ ſimilitudinem cum partibus ipſis. Sic ergo Stellarum aliæ dicuntur Saturninæ, non quod ſint ejuſdem cum Saturno ſpeciei, ſed quod Saturno junctæ ejus effectus promoveant, & efficaciam acuant. Id verò etſi virtutum formalium neceſſario inferat affinitatem, non tamen neceſſario infert identitatem ex qua ſpeciei convincitur identitas. Non deni-

denique tertia, quòd falſa ſit; & experientiæ repugnet Stellam aliquam ſolam etiam primæ magnitudinis, eadem penitus efficere quæ Planeta cujus naturæ intenſa atque diuturna.

At fixas à Planetis differre ſpecie his argumentis confirmatur; primum, quòd mundanis etiam regionibus differant; ſunt enim Planetæ in Æthere & fixæ in Cœlo ipſo, à Planetis remotiſſimæ; unde non modò ſpecificam ſed genericam etiam contrahunt differentiam: deinde quòd plurimis fixis, duorum aut trium Planetorum natura tribuatur ab effectu permixto; aliæ quippè dicantur eſſe naturæ ♃ & ♂, aliæ ♄ & ♀, & ſic de ceteris. Cùm autem corpus idem duarum nequeat eſſe ſpecierum ut ♃ & ♂, alia neceſſariò peculiaris ſpecies venit ei tribuenda, cujus vis formalis affinis ſit viribus ♃ & ♂, à qua mixtus ille effectus proficiſcatur, idem enim in Planetis & aliis mixtis paſſim obſervatur. Ad hæc ſi fixæ ejuſdem eſſent ſpeciei cum Planetis: etiam eadem eſſet illarum quæ horum virtus formalis ex cap. 2. ſect. 3. proindeque iidem omnino prodirent effectus à conjunctione Saturni cum fixa Joviali, atque cum ipſo Jove, & à conjunctione Solis cum fixa Saturnina, aut horum oppoſitione, vel quadrato, atque ab iiſdem ſyzygiis Solis & ipſius Saturni, & de cæteris ſimiliter; præſertim verò inter Planetas & fixas primæ & ſecundæ magnitudinis; eſſentque tales effectus frequentiſſimi, ideoque ipſorum Planetarum inter ſe effectus minùs celebres & conſpicui, quæ omnia evidentiſſimæ repugnant experientiis. Tandem negari non poſſet fixas ipſas iiſdem dominari Zodiaci ſignis, quibus Planetæ ejuſdem ſecum ſpeciei; eas verò maximè, quæ per Zodiacum diſſeminantur; quòd præſertim ibidem ut ipſi Planetæ moveantur ſecundum ſignorum ſucceſſionem: & per conſequens etiam dominari figuræ domibus, lociſque præcipuis: unde tanta eſſet ejuſdem loci multitudo dominatorum, tantaque ex horum diverſo ſtatu confuſio judicii, circa ſignificatum ipſius præcipui loci naſceretur, ut effectus ab Aſtris manantes diſcernere atque prædicere homini foret impoſſibile; quod etiam experientiæ reluctatur; cùm propter fixarum naturas nondum benè cognitas (ſi paucas ex præcipuis exceperis) pars major Aſtrologorum ex ſolis Planetis & dodecatemoriis per multa verè prædicat. Ex his igitur conſtat fixas à Planetis differre ſpecie; proindeque unum numero Solem aut Saturnum toti Mundo ſufficere, cujus virtus per motum Planetæ obliquum, ad utramque Mundi partem Borealem & Auſtralem, ſublunarium neceſſitati & Planetæ virtute proportionato tempore defertur, infinitam DEI ſapientiam manifeſtans.

CAPUT IV.

Dantur in Cœlo plures fixæ, ejuſdem inter ſe ſpeciei.

QUod Stellæ fixæ non omnes inter ſe differant ſpecie, ſic oſtendetur. Stellæ ſiquidem fixæ non ſunt propter ſolum Cœli decorem, ſed etiam propter actionem in hæc inferiora. Tum quia majores Stellæ præterquam quod Cœlum præ cæteris ornant, etiam præ cæteris efficaces deprehenduntur in ſublunaria, vel ſolæ vel Planetis commixtæ; & Stellæ ſecundæ magnitudinis, efficaciores iis quæ tertiæ ſunt; atque ita deinceps ad minimas: tum quia cùm ſint corpora à ſuo Cœlo ſpecie diverſa, non minùs unicuique aderit ſua formalis virtus quàm ſua forma ſpecifica: qua virtute agent in ſubjecta ad patiendum apta, qualia in rerum natura conceduntur eſſe ſublunaria.

Primum ergo, ſi fixæ omnes ſpecie differre ſupponantur, different etiam inter ſe omnes virtutibus formalibus, proindeque ab his ſive ſolis, ſive cum iiſdem Planetis commixtis, prodibunt in eandem Tellurem effectus toto Terrarum orbe differentes, in meteoris, mineralibus, plantis, brutis, & homine (non enim ſola Climatum aut Telluris partium differentia, ſufficientem reddet diverſitatis effectuum rationem) cùm tamen in diverſis climatibus, Terræque partibus humiditate vel ſiccitate, depreſſione vel elevatione, aut circumſtantibus locis differentibus, eadem meteora & mixta paſſim generentur. Non ergo Stellæ omnes diverſæ ſunt inter ſe ſpeciei. Maximè verò ex eo confirmatur, quia alioquin Horiſon quilibet obliquus careret effectibus manantibus à Stellis ſibi non conſpicuis, foretque defectus hic toto Terræ circuitu viſui manifeſtiſſimus: quodque majus eſt, neque Plantæ, neque bruta, neque homines Terræ borealis, vivere aut conſervari poſſent in Auſtrali, vel contra, ob penitus diverſas aſtrorum vires in ipſis partibus, quæ diverſitas motu Planetarum non obſtante ideò remaneret; quòd quilibet Planeta cum diverſa ſpecie fixa, diverſa efficiat; hæc antem omnia repugnant experientiis.

Verùm præter haſce rationes univerſales, idem probatur efficaciùs ex Tabula fixarum à Ptolomeo & ſubſequentibus Aſtrologis tradita; in qua ex obſervatis coloribus & effectibus fixarum, multæ dicuntur eſſe naturæ Martis, plures naturæ Veneris, aliæ naturæ Saturni & Jovis, &c. In his igitur quæ colore & effectibus omnino conveniunt, dari eandem virtutem formalem neceſſe eſt, quare & eas ejuſdem eſſe inter ſe ſpeciei. Non omnes ergo fixæ differunt inter ſe ſpecie.

In contrarium verò ſequentia objici queunt.

Primò, quod multa generentur in Terræ parte Auſtrali, quæ non gignuntur in Boreali; & per conſequens non eaſdem ſpecie Stellas in utraque reperiri. Cùm enim ea diverſitas peti nequeat à Planetis, qui partem utramque alternè percurrunt; proindeque mixta ſpecie diverſa fixis ſpecie diverſis ſubjici fatendum ſit, ne cujuſlibet mixti generationem ab omnibus fixorum ſpeciebus dependere, vel has ſublunaribus ſuperfluas eſſe inſipienter aſſeramus; rectè ſequitur quod ſupra infertur.

Sed eſto non eaſdem ſpecie Stellas in utraque Mundi parte reperiri, non tamen propterea ſequitur, in una tantùm Mundi parte plures non dari Stellas ejuſdem ſpeciei. Adhæc in utraque parte certum eſt eadem ſpecie produci meteora, lapides, metalla, gemmas, cæteraque, ſi plantas & animalia quæpiam exceperis, vel ob harum cum partis alterius Cœlo aut Solo majorem affinitatem; vel quòd ſtatim à diluvio, animalibus ipſis DEI providentia orbis habitationem ſibi dividentibus, alia in boreali; & alia in meridionali plaga remanſerint. Attamen nihil gigni in una Mundi parte, quod in altera quoque gigni & conſervari nequeat, experientiâ ſit manifeſtum, atque de ipſo etiam homine:

quod earumdem ſpecie Stellarum in utraque parte ſufficiens eſt argumentum.

Dicitur ſecundò : Quod individuorum multiplicatio inter fixas tantùm videatur neceſſaria, vel ob ſpeciei conſervationem, vel ob virtutis earum in diverſis Mundi partibus Boreali, ſcilicet, & Auſtrali neceſſitatem. At primum eſſet ſuperfluum, quia cùm fixæ ſint incorruptibiles, æquè in una fixa ſpecies conſervaretur, atque in uno Planeta vel una Tellure. Secundum verò rurſus eſſet ſuperfluum, quòd nempè Stellæ fixæ non minùs quàm Planetæ moveantur ſecundum ſignorum ſucceſſionem, ideoqúe à Cœli, vel Mundi parte Boreali ad Auſtralem pertranſeant.

Sed conceſſa ſpeciei conſervatione in unico individuo, negatur multiplicatio individuorum, ob rationem dicendam adverſus objectionem tertiam. Jam verò ad ſecundum reſpondendum eſt. Quod etſi fixæ à Tropico Cancri ad Æquatorem diſſeminatæ, motu Firmamenti ſecundum ſignorum ſucceſſionem deferri queant ad Mundi partem Auſtralem ; hujus tamen motus adeò tarda eſt periodus, annorum nempè juxta Tychonem 26040. ut ne quidem in tota ipſius Mundi duratione conjecturis ſupputata, Stellæ quæ initio creationis fuerunt in principio Cancri, perventuræ ſint ad principium Libræ; multóque minùs quæ fuerunt in principio Arietis. Aliarum verò quæ ſunt à tropico Cancri ad Polum Arcticum, nullæ unquam ad eandem partem Auſtralem tranſituræ ſint, quod certè ipſarum virtutis in utraque Mundi parte neceſſitati proportionaliter ad Planetas ſuccurrere nequit; ob hanc igitur cauſam fuit individuorum inter fixas multiplicatio neceſſaria; nec enim ſinguli angeli differunt ſpecie.

Tertio dicetur : quod Deus per plures Stellas non faciat quod potuit per unicam ; at unicam numero Stellam creare potuit æquè potentem atque ſunt omnes ſimul Stellæ, habitæ ejuſdem cum illa ſpeciei, cujus ideo virtus toti Mundo ſuffeciſſet, ut virtus unius ſpecie & numero Planetæ toti Mundo ſatisfacit.

At negandũ eſt quod aſſumitur, dicendumq; Deum in creatione, creationem non habuiſſe creatricis ſuæ potentiæ, quæ eſt infinita ; ſed rerum creandarum ; quas in pondere, numero & menſura congruis rerum ipſarum naturæ, condere decreverat : fuit autem ſublunaribus congruentius, plures ejuſdem ſpeciei fixas in utraque Mundi medietate reperiri, quàm unicam numero in univerſo Mundo : tum quia ſi nequidem Sol ſub Æquatore fixus, utrique hæmiſphærio ſatisfaceret (fruſtra enim datus ei fuiſſet motus ab uno tropico ad alterum) multò minùs talis Stella mobilis firmamenti motu, ob rationes ſuperiùs dictas : tum quia à Stellis tantæ virtutis, & frequentibus Planetarum cum iiſdem congreſſibus, nimis intenſi effectus, diſproportionatique rerum ſublunarium ſtatui prodiiſſent : quòd virtus unita fortior ſit : utrique autem incommodo proviſum eſt ab infinita Creatoris ſapientia (quæ omnia diſponit fortiter, ſed ſuaviter) plures ejuſdem ſpeciei Stellas in utraque Cœli medietate ſpargendo ; à quibus iidem effectus in una qui in altera, & moderati prodirent, ſic enim idem Conditor per plures fontes, rivulos & fluvios regionem totam irrigat atque fœcundat, quæ ab unico æquivalente flumine aut ſubmergeretur, aut majori ex parte ſicca, ſteriliſque remaneret. Ex his igitur objectionum ſolutionibus evidentiſſimis conſtat, non omnes fixas inter ſe differre ſpecie.

Jam verò quod non omnes ſint ejuſdem inter ſe ſpeciei, oſtenſum eſt cap. 1. Ac per conſequens aliæ ſunt ejuſdem, aliæ verò diverſæ inter ſe ſpeciei, quod erat oſtendendum.

Caput V.

Stellæ fixæ ſunt corpora mixta.

Hoc negatur à Peripateticis, pluribuſque Aſtrologis, ſed præſertim Pontano diſcurſu prolixiore in fine lib. 2. & principio 3. de rebus Cœleſtibus. Probatur autem rationibus ſequentibus. Primò enim ſupponantur fixæ eſſe corpora ſimplicia. Et quia omne corpus ſimplex ordinatur à natura ad mixtionem ut patet ex ſupradictis in regionibus Elementari atque Ætherea : Ergo de fixis idem erit aſſerendum. Jam verò fixæ ipſæ in regione Cœleſti neque ordinantur ad mixtionem fixarum, quod hæ ſupponantur eſſe corpora ſimplicia : neque ad mixtionem Cœli cui affixæ ſunt, quod hoc revera ſit corpus ſimplex omnique careat mixtionis ſigno, ex cap. 3. ſect. 3. Sed neque etiam ex Chymica ſublunarium mixtorum reſolutione dicentur ad horum mixtionem occcurrere : tandemque undecim duntaxat numero Planetæ regionis æthereæ, præter legitima mixtionis eorum principia ſuperiùs dicta, non indigent innumera aliorum principiorum multitudine qualis inter fixas eſſet admittenda. Non igitur fixæ ſunt corpora ſimplicia.

Præterea cùm in regionibus Elementari & Ætherea dentur corpora ſimplicia & alia ex his compoſita: In regione autem Cœleſti dentur duo Cœli corpora ſimplicia vaſtiſſima, & in horum altero contentæ Stellæ fixæ innumeræ, à Cœlis ipſis, Elementis, Planetis & inter ſe differentes ſpecie : etiam has mixtas eſſe oportet, ut 3. Mundi regiones conveniant in uniformitate, quam natura in omnibus quantùm poteſt, affectat, & ſuperiora inferioribus correſpondeant juxta Triſmegiſti ſententiam.

Ad hæc quæcunque corpora diverſæ inter ſe ſpeciei, ſunt in eodem corpore ſimplici velut in proprio & naturali loco: ea ſunt mixta ut inductione patet ex diverſis ſpecie, mineralibus in Terra, diverſis ſpecie Planetis in Æthere : & jam probatum eſt de Planetis cap. 4. ſect. 2. Atqui Stellæ fixæ innumeræ ſpecie differentes, ſunt in eodem corpore ſimplici ut in proprio & naturali loco, ergo ſunt mixtæ. Abſurdumque foret opinari Firmamentum corpus ſimplex & fixarum locum, à quo ipſæ differunt ſpecie, refertum eſſe innumeris aliorum corporum ſimplicium per illud diſſeminatorum ſpeciebus, & non potiùs mixtorum, quæ innumeris ſpecie mixtis per Terræ & Aquæ globum diſſeminatis correſpondeant.

Inſuper Stellæ ipſæ coloribus inter ſe plurimum differunt, atque aliæ ſunt pallidæ, aliæ albæ, aliæ rutilæ, aliæ rubræ, &c. Ut tam oculis quàm Teleſcopio patet evidenter : nempe hæc varietas luminis refractioni imputari poteſt ; quandoquidem tales apparent in Meridiano circulo à vaporibus & refractionibus liberæ ; ergo tantùm imputanda materiæ diverſitati, ut patet in ſublunaribus ex his

quæ

quæ vel à Sole illuminantur, vel accenſa per ſe lucent. Cùm ergo in fixis diverſa detur materia: Ergo & mixtio admittenda.

Denique non ſecus ac in Ætherea regione Cometæ generantur naturaliter: ita Stellæ novæ in Cœleſti regione; ut conſtat ex Stella nova ab Hypparcho obſervata; tum pluribus aliis obſervatis noſtro ſeculo, à præſtantiſſimis Aſtronomis, præſertim verò illa inſigni à Tychone Brahæo obſervata in conſtellatione Caſſiopeæ anno 1572. ex quibus tuto conjicere licet, plures alias ſimiles Stellas ab Hypparcho ad Tychonem fuiſſe genitas: quæ vel peritorum Aſtronomorum defectu, vel horum inadvertentiâ minimè obſervatæ fuerunt. Jam verò generationem omnem naturalem præcedit alteratio à contrariis qualitatibus; ſed in corpore ſimplici quale eſt Cœlum fixarum, nulla datur contrarietas, idque patet etiam in ſingulis Elementis ſublunaribus, in quorum nullo in ſua natura ſpectato datur contrarietas, quippe frigus & humiditas Aquæ, ſibi non contrariantur; ergo illa contrarietas mixtionem arguens, erit in Stellis fixis neceſſariò admittenda; ideoque Stellæ ipſæ ſunt corpora mixta.

Caput VI.

De mixtione fixarum.

QUalis ſit particularis fixarum mixtio definire, humanum ſuperat intellectum, qui ne quidem corporum ſublunarium particularem mixtionem agnoſcere poteſt niſi per reſolutionem Chymicam. Itaq; duo duntaxat in genere hîc nobis dicēda ſunt.

Primum: Fixas omnes mixtas eſſe ex materia Cœleſti, Æthere & 4. Elementis. Ac de materia Cœleſti probatur, tum ratione pro Sole, aliiſque Planetis adducta in fine cap. 6. ſect. 2. Tum à ſimili in aliis Mundi regionibus in quibus mixta ex eo præcipuè Elemento componuntur, quod eſt eorum locus proprius: ut enim piſces ex Aqua, & lapides metallaque ex Terra potiſſimùm conflantur: ſic fixæ ex Firmamento quod eſt eorum præcipuum ac prædominans Elementum.

De 4. autem Elementis, Terra, Aqua, Aere, atque Igne, inde etiam conſtat. Primò quia fixæ non ſecus ac Planetæ formaliter calefaciunt, refrigerant, exſiccant atque humectant; atque hoc niſi eſſet, Incolæ Lunarum frigidarum gelu perirent dum ☉ & Planetæ calidi ſunt illis per longum tempus ſubterranei: at Planetæ hæc faciunt formalibus Elementorum qualitatibus: Sol enim actu & formaliter calidus eſt, ut probavimus contra Peripateticos, ergo fixæ erunt etiam formaliter calidæ, frigidæ, humidæ, ſiccæ; ideoque ex Elementis compoſitæ quæ formalium illarum qualitatum ſunt ſubjectum proprium & per ſe.

Deinde quoniam inter fixas Stellæ novæ generantur, omnemque generationem præcedit alteratio per contrarias qualitates, quæ in Cœlo fixarum (corpore ſimplici) minimè dantur; ergo in fixis ipſis admittendæ ſunt, ex ratione 4. cap. 5. Ergo etiam in ipſis fixis admittenda ſunt 4. Elementa, quæ formalium illarum qualitatum ſunt ſubjectum proprium & per ſe.

Præterea ex Stellis fixis ſecernitur materia eterogenea & inflammabilis, deindeque condenſatur, ex qua Stellæ novæ generantur, ut infra probatur: at tantum ab actuali calore excerni poteſt, ideoque denſari à frigore. Ut jam diximus de Sole cap. 6. ſect. 2. omniſque materia inflammabilis eſt Elementalis: ergo in regione fixarum dantur calor & frigus, ipſæque fixæ componuntur ex Elementis.

Quod verò etiam componantur ex Æthere probatur, quia non ſolùm datur Æther in mixtis Æthereis ſive Planetis ex cap. 5. ſect. 2. ſed etiam in mixtis ſublunaribus ex cap. 1. ſect. 2. lib. 3. Ergo multò magis dandus eſt in mixtis Cœleſtibus ſive fixis: quippè Æther nulli Elementorum per ſe contrarius eſt in mixtis omnibus commune Elementorum invicem contrariorum vinculum, ad quancunque mixti formam excipiendam: unde à Platonicis dicitur eſſe materiæ & formæ vinculum: nec immeritò, cùm de utroque in qualibet Mundi regione participet: atque ipſe ſit medius inter Cœlum & Elementa velut omnia connectens.

Secundum nobis in genere dicendū, eſt quod cùm fixarum aliæ, calore, colore & effectibus Martis naturam referant, aliæ Jovis, aliæ Saturni, &c. etiam ſingulæ quoad mixtionem Elementorum proportione reſpondent illi Planetæ, cujus naturam referunt, ſic tamen ut in Stellis fixis materia Cœleſtis prædominetur. Atque hoc pacto cor Scorpii correſpondet Marti; Arcturus Jovi, &c.

Caput VII.

Quænam ex ſuprapoſita doctrina de mixtis Æthereis & Cœleſtibus deducantur, & de aliis circa ipſam notandis.

EX tradita hactenus doctrina circa mixtionem Planetarum atque fixarum multa ſequuntur Scholis Peripateticis ignota.

Primum: plura eſſe 4. Elementis, Terrâ, Aquâ, Aere, atque Igne. Nam quia corpus omne ſimplex ad mixionem concurrens verè eſt Elementum; Æther autem & Cœlum ad mixtionem concurrunt in fixis & Planetis ut ſupra oſtenſum eſt: ergo erunt etiam Elementa. Sicque ſex ſaltem in natura dabuntur Elementa ſpecie diverſa.

Secundo: dari 4. Elementa, Ignem, Aerem, Aquam, atque Terram in ſingulis Mundi regionibus: ſed craſſa valdeque fœculenta in regione quæ dicitur Elementalis; puriora in regione Ætherea, & puriſſima in Cœleſti: unde & aliud ſequitur; nempè Elementa hæc minùs eſſe activa in ſublunari regione, magis in Ætherea & maximè in Cœleſti: nam quò puriora ſunt Elementa, eò excellentiùs & efficacius ipſorum qualitates operantur.

Tertio: dari etiam in illis tribus regionibus Sal, Sulphur & Mercurium, impuriora in ſublunaribus, puriora in Æthere, & puriſſima in Cœlo. Et ratio eſt, quia nulla eſt Aqua ſine Mercurio, nulla Terra ſine Sale, nulluſque Ignis vel Aer ſine Sulphure, & viciſſim. Ideoque dari Terram Cœleſtem, Terram Æthercam, & Terram ſublunarem ſive fœculentam. Atque ſic de Igne, Aere, & Aqua: & ſimiliter Sal ſublunare, Æthereum atque Cœleſte, atque ſic de Sulphure & Mercurio.

Quarto: Ætherem atque Cœlum non modò inter ſe & à 4. Elementis eſſe diverſa ſpecie, ſed etiam à tribus principiis, Sale, Sulphure & Mercurio; quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

quæ non ſecus ac rerum ſemina vix ratione ab ipſis 4. diſtinguuntur Elementis, ut conſtat ex Chymiatris. Nam Coſmopolita in ſuo novo luminè Chymico ait, 4. Elementa, Ignem, Aerem, Aquam atque Terram excitata per motum & influxum Aſtrorum atque invicem agentia, certatim projicere ſuum ſubtile, hoc eſt ſuum ſperma ſive ſemen verſus Terræ centrum quaſi naturæ matricem ex quo res omnes in Terra gignuntur & componuntur: quas tamen ex Sale, Sulphure & Mercurio etiam componi conſtat. Atque ſic de rebus in Aqua vel Aere genitis cenſendum eſt. Severinus verò Danus cap. 6. ſuæ Ideæ aſſerit, rerum ſemina in Elementis contenta vix ulla mentis ſubtilitate diſtingui poſſe ab Elementis, qua in re concordat cum Coſmopolita qui rerum ſemina vocat ſubtile Elementorum.

Quinto: Regionem Æthercam inter duas alias Cœleſtem & Elementarem ut ſitu, ſic naturâ & virtute mediam eſſe: unde nil mirum, ſi non modò cum extremis inſignem habeat convenientiam ſympathiamque: ſed præctereà Planetæ ipſi, totius Mundi ſublunaris Rectores præcipui eſſe deprehendantur.

Sexto: Planetarum omnium Lunam minimè, Saturnum verò maximè, Ætheris participem eſſe; Solem autem medio modo ſe habere.

Septimo: Majorem eſſe Planetarum quam Stellarum convenientiam cum mixtis ſublunaribus, ideoque mirandum non eſſe ſi Stellæ ſubitas quidem atque magnitudine ſtupendas mutationes & accidentia cauſent in ſublunaribus, ac potiſſimùm inter homines, ſed tantùm fugaces minimèque firmas, niſi à Planetis eundem in effectum conſpirantibus adjuventur; ut vulgò aſſeritur ab Aſtrologis obſervationibus edoctis; quippè quòd earum natura & influxus minùs proportionentur ſublunaribus quàm Planetarum. Tandem Planetis ipſis majorem eſſe cognationem ſympathiamque cum hominibus quàm cum alia ulla ſpecie ſublunari: quia cùm homo conformationis & naturalium operationum nobilitate, mixta cuncta ſublunaria longè ſuperet, ipſum ejuſque ſemen Ætheris participatione reliqua mixta ſublunaria vincere oportet; ſunt enim ſuperiora ab Æthere, & non ab inferioribus Elementis, ut dictum eſt cap. 1. ſect. 2. lib. 3. Et ipſe agnovit Ariſtoteles; at magis Æthereorum major eſt affinitas cum magis Æthereis, quàm cum minùs: ideò jam etiam mirari deſinendum eſſe, ſi cùm Planetæ ſint cauſæ primariæ, Mundo huic inferiori, ac imprimis homini regendo deſtinatæ; homo præ cæteris pro illarum motu ſtatuque diverſo, formetur, temperetur, moveatur & afficiatur, ut patet ex genethliacis obſervationibus.

Præter ſuperiùs deducta, jam quæ ſequuntur notanda ſunt. Primùm, quod etſi Chymici in eo præſertim differre velint 4. Elementa à tribus principiis ſale, ſulphure & Mercurio; quòd in mixto Elementa potiùs materiæ rationem ſubeant, & communes tantùm qualitates ſuppeditent, calorem, frigus, &c. non autem mixti proprias, quæ duntaxat à tribus principiis ſuppeditantur: tamen fatentur Elementa & principia tam arctè ſibi cohærere ut nullis naturæ legibus & vix ulla arte ſeparari queant: imò Iſaacus Hollandus inter Chymiæ principes eminentiſſimus, omnino negat illius per artem ſeparationis poſſibilitatem. Unde fatendum eſt tam Elementa quàm principia eſſe duntaxat univerſalem cauſam materialem mixtorum omnium in 3. Mundi regionibus, Cœleſti, Ætherea & ſublunari, quæ tamen in neutra regione, proprias alicujus mixti continet qualitates donec informetur ab Aſtris vel Authore naturæ ſpiritu ſeminis ipſius mixti; quod ſemen in hanc Mundi ſcenam generatione nova proditurum, Elementa, & principia congrua ſibi adaptat ex Severino Dano, eaque propriis inficit qualitatibus & ſignaturis, donec ex mixti ipſius corruptione aliud generetur: tunc enim principia & Elementa ipſa, novi ſeminis admittunt proprietates & ſignaturas, prioribus depoſitis per alterationem quæ novæ præit generationi. Nam vel idem ſpecie infima ſemen, materiæ inditum à creatione ſufficit omnibus generationibus; vel in ſingulis generationibus novum ſemen introducitur priore expulſo. Vel denique cuilibet materiæ inſunt actu incluſa rerum omnium ſemina; & prout ex unius mixti corruptione ſequitur hæc vel illa materiæ diſpoſitio, hoc vel illud ſemen diſpoſitioni congruum laxatur ac erumpit naturali jure ſucceſſionis in ſcenam mumdanam. Cæterùm poteſt quidem ſemen auri variis alterationibus pertingere ad ſummam ſuæ naturæ perfectionem; ſed quod ex ſemine auri naſcatur triticum vel gallina, repugnat Philoſophis Chymicis, qui etiam aſſerunt ſuum lapidem non niſi ex una re fieri poſſe: unde ſequitur duplicem eſſe generationem, unam cum deſtructione ſpeciei, alteram cum ſublimatione ſpeciei.

2. In mixtis quinque reperiri ſpecies qualitatum, quarum quatuor pertinent ad materiam, & quinta ad formam: illarum prior continet vulgares duntaxat Elementorum qualitates, calorem, frigus, humiditatem, & ſiccitatem, quas actuales appellant: & hæc ſpecies dicitur eſſe à Solis Elementis, eſtque mixto extrinſeca & accidentalis, poteſtque adeſſe & abeſſe.

Secunda continet mixti colorem, odorem, ſaporem, [illegible] frigus, calorem, humiditatem & ſiccitatem intrinſecas, quas virtuales qualitates vocant, & hæc ſpecies manat à tribus principiis Sale, Sulphure & Mercurio, unde liquet calorem virtualem non ſolùm in pipere, flammula, arſenico, & ſimilibus reperiri: ſed etiam in lactua, papavere, apio, & omnibus aliis mixtis quorum nullum eſt ſine Sale, & nullum Sal ſine calore virtuali, & ſic de aliis qualitatibus. Tertia continet qualitates Æthereas. Quarta Cœleſtes, in mixtis duntaxat materiam Cœleſtem admittentibus, quales ſunt Planetæ & fixæ: & hæ tres ultimæ ſpecies ſunt mixto intrinſecæ, ab eoque inſeparabiles. Denique ſpecies qualitatis ad formam pertinens ea eſt quam cap. 2. ſect. 3. formalem vel ſpecificam virtutem nuncupavimus, quæque ab ipſius formæ eſſentia manat ſive proprio mixti ſemine in ſingulis Mundi regionibus, ut vis attrahendi ferrum in magnete; & vis influentialis propria in Planetis ſingulis.

3. In ſingulis Mundi regionibus & mixtis ſingulis quinque ſupradictas ſpecies qualitatum ſubſervire formæ ſubſtantiali mixti, nec ſolùm ipſas qualitatum ſpecies, ſed etiam formas ſubſtantiales omnium Elementorum ex quibus mixtum ipſum componitur: hæ ſiquidem remanent actualiter in mixto, atque in ipſo ſunt propter

ejus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ejus mixti formam, ad quam in mixtione ordinantur; ut diximus c. 6. ſect. 3. dum de mixtione Solis ageremus. Unde nil mirum ſi in Sole (exempli gratia) multiplex calefaciendi virtus deprehendatur. Nam ineſt illi calor actualis ab Ignis Elemento, calor virtualis à Sulphure vel Sale, Æthereus ab Æthere, Cœleſtis à Cœlo, qui etſi in Cœlo idem ſit cum frigore Cœleſti (eſt enim ſimplex ipſius Cœli virtus, 4. qualitates contrarias eminenter continens) tamen in Sole ab hujus forma determinatus, fit illi ſpecificus, & influentialis juxta naturam ipſius Solis: quo Sol etiam ſubterraneus, ratione ſui dominii vel aſpectus in horoſcopo, natum temperamento calido efficit: ſic enim in pipere calor aut frigus Elementale cum calore virtuali ſentiuntur.

Caput VIII.

An Stellæ fixæ propria luce fulgeant.

Res eſt inter Philoſophos & Aſtronomos maximè controverſa: omiſſis verò aliorum opinionibus; etſi Keplerus lib. 1. Aſtron. Copern. velit Solem eſſe in Mundo fontem unicum lucis, caloris atque motus, à quo corpora omnia etiam Cœleſtia illuminantur & calefiunt: tamen ſibi non conſtans lib. 6. ea de re dubitat cum Galilæo, ſpectataque fixarum ſtupenda à Sole diſtantia ex propriis hypotheſibus, non audet aſſerere fixas Planetarum inſtar à Sole duntaxat illuſtrari: ipſaſque viciſſim communicatam ſibi lucem, ad nos uſque per eandem intervalli prolixitatem demittere: quamvis Planetas omnes cæteros à Sole tantùm illuminari non ampliùs dubitet. Quoniam verò nec Keplerus ipſe, nec alius ſuperiorem difficultatem hactenus elucidavit: placet hic eam accuratiùs diſcutere atque oſtendere fixas non à Sole illuminari; ſed congenita ſibi luce ſplendere multò probabilius eſſe.

Primùm ergo, quoniam in confeſſo eſt apud omnes Aſtronomos ac præſertim Braheum lib. 1. de nova Stellæ anni 1572. pag. 414. Jovem vix ullam ex Terra pati paralaxin ſenſibilem, ergo longè minor minuſque ſenſibilis erit paralaxis Saturni multò altioris Jove; quamobrem cùm fixas à Planetis immenſo intervallo diſtare certum ſit; nequaquam dubitandum paralaxin fixarum, Paralaxi Saturni adhuc longiſſimè eſſe minorem. Jam verò quoniam fatentur Copernicani in Terræ motus hypotheſi, fixas nullam ſenſibilem facere paralaxin orbis: ſi ſuppoſuerimus earum paralaxin eſſe 20″ (quæ tamen adhuc eſt ſenſibilis, ideoque fortaſſis major quàm quæ Saturno convenit) & mediam Solis à Terræ centro diſtantiam ſive Orbitæ Solis ſemidiametrum eſſe 1498 $\frac{1}{2}$ ſemidiametrorum Terræ ex Lansbergio lib. 2. Uran. Elem. 9. qui hac in parte redarguit Tychonicam diſtantiam 1150. & Keplerinam 3469 $\frac{1}{2}$ ſemidiametrorum earumdem; invenientur in reſolutione trianguli ad Mundi centrum rectanguli 15448454. ſemidiametri Terræ pro fixarum à Sole vel Mundi centro diſtantia: ſi nempè fiat 970. ſinus 20″. ad 10000000. ſinum totum, ut 1498 $\frac{1}{2}$ ad aliud. Jam verò ſemidiameter apparens fixæ magnitudinis ſextæ, ponitur à Lansbergio lib. 3. Uran. eſſe 2″ $\frac{1}{2}$ nec inconvenienter ſi (ut ipſe ſupponit obſervatione per tubum opticum) fixæ magnitudinis primæ ſemidiameter ſit 30′. Ponatur autem à nobis prior apparens illa ſemidiameter 2″ ad majorem rei evidentiam. Ergo ex hac & ſemidiametro ſphæræ fixarum 1544. 8454. invenietur vera ſemidiameter fixæ magnitudinis ſextæ eſſe 150. ſemidiametrorum Terræ; ſi nempè fiat, ut ſinus totus 10000000. ad 97. tangentem 2″. ita 1544. 8454. ſemidiameter ſphæræ fixarum ad aliud. Valet autem Solis ſemidiameter ex eodem Lansbergio pag. 126. Uran. circiter 7 $\frac{1}{2}$ ſemidiametros Telluris. Quare ſi fiat ut vera ſemidiameter ipſius fixæ ad ſemidiametrum ſphæræ fixarum, ita vera ſemidiameter Solis ad aliud; prodibunt 772423. ſemidiametri Telluris, pro ſemidiametro ſphæræ, in qua ſi Sol eſſet, appareret ex Tellure ejuſdem imò minoris magnitudinis cum fixa ſupraposita ſextæ notæ. Hæc autem ſemidiameter eſt tantùm pars circiter vigeſima ſemidiametri ſphæræ fixarum: quamobrem ſi ad tantam exilitatem reducitur Sol in vigeſima parte ſemidiametri ſphæræ fixarum; quantus erit fixis ab his novemdecies remotior? Itaque corpora tantæ vaſtitatis eo pacto illuminari quo illa fulgere radiis quoque reflexis cerneremus, à ratione prorſus alienum eſt, multoque magis ſi calculus juxta Lansbergii vel Kepleri hypotheſes inſtituatur. Cùm Lansbergius in Uranom. pag. 124. det tantùm fixis 7″ 22‴ paralaxeos orbis. Non ergo fixas à Sole illuminari, ſed ingenita luce micare fatendum eſt, in hypotheſi præſertim Copernicana, ſed luce quàm Sol obtuſiore, alioquin radios vibrarent oculis intolerabiles, nullaque nox eſſet; ut ex Sole per tubum opticum inverſum viſo conjicere licet, qui Solem quò ad apparentiam, removet ab oculo vehementer, illumque repræſentat ut fixam lucis intoterabilis viſui.

Cæterùm quoniam probavimus Terram non moveri in orbe magno, ſed fixam eſſe in Mundi centro: ſi Stellarum paralaxis orbis fuerit 20″ & magni orbis ſemidiameter 1498 $\frac{1}{2}$ ſemidiametrorum Terræ ut ſupra poſitum eſt; ergo Stellarum ipſarum paralaxis ex ſuperficie Terræ in Mundi centro ſitæ, nequidem erit 1‴, ſupponatur autem eſſe 1″ hoc eſt ſexageſies major, (atque ſic paralaxis orbis quæ ſuperiùs nulla eſſe dicebatur, erit 20′) ergo fixarum à Tellure in Mundi centro diſtantia, erit 208333 $\frac{1}{4}$ ſemidiametrorum Terræ, & ſuppoſita ſemidiametro apparenti fixæ alicujus primæ magnitudinis 10″ (quam Lansbergius ait eſſe 30″) ejus vera ſemidiameter erit 10 $\frac{1041595}{100000000}$ ſemidiametrorum Terræ; cum tamen ſemidiameter Solis ſit tantùm 7 $\frac{3427}{6000}$ ſemidiametrorum Terræ ex eodem Lanbergio; ideoque fixa erit major Sole bis cum dimidio.

Jam verò ex Solaribus Eclipſibus conſtat, quod ſi Luna totum tegeret Solem, relicta duntaxat particula duplo & dimidio minore, quàm ſit fixa primæ magnitudinis, particula ipſa, etſi nobis immenſè vicinior fixis, obtuſe admodum & multò minùs quàm Luna plena Terram illuminaret: quamobrem abſurdum omnino erit opinari totum Solem qui ex regione fixarum major non apparebit illa particula; fixarum omnium corpora opaca, tanto lumine afficere; quantùm ex Terra conſpicitur: non igitur fixæ illluminantur à Sole;

ſed

ſed congenita ſibi luce fulgent; ſuntque veluti Soles innumeri, vel gemmæ fulgidæ in Firmamento.

Eſt autem hæc ratiocinatio eò validior, quòd fixarum ſemidiametrum apparentem triplo minorem; & paralaxin fixarum 180es. majorem ſupponamus, quàm Lansbergius: ſiquidem ex ejus hypotheſi paralaxis fixarum ex ſuperficie Telluris in Mundi centro, eſt tantum 20‴. quæ hic à nobis ſupponitur eſſe 1″.

Verùm ſi aliquando exactæ Solis ♂ ♃ & ♄ paralaxes detectæ fuerint methodis à nobis traditis. Part. 8. Aſtronomiæ reſtitutæ, hæ omnes Solis, ♂ ♃ ♄ & fixarum à Terra diſtantiæ meliùs adhuc innoteſcent. Quinimò per quadrantem à nobis delineatum Part. 9. poterit ex Stellis circumpolaribus obſervatis eadem nocte ſupra & infra Polum in Meridiano extra refractionis limites, certò detegi; an illæ paralaxin patiantur ſaltem 2″ an verò majorem, quod hic monuiſſe ſufficiet.

Sed objiciet aliquis: ergo fixæ omnes erunt accenſæ ut Sol, ideoque omnes ignitæ, ac per conſequens naturæ calidæ contra cap. 6.

Sed negatur conſequentia; non enim quæcunque per ſe lucent ignita ſunt, ut in his ſublunaribus conſtat ex cicendulis luporum, felium, multorumque piſcium oculis, ligno putri & ſimilibus. Imò quandoquidem Stellæ ipſæ ſolido Cœlo affixæ ſunt, dicendum potius illas non eſſe accenſas, flammâ ſaltem igneâ. Tum quia omne ita accenſum Aere vel Æthere ambiente ad ſui conſervationem indiget ut patet in Sole ipſo: tum quia à tam vaſtis corporibus ignitis igne etiam maximè activo ut alibi de Sole dictum eſt, Cœlum ambiens quia ſolidum ſucceſſu temporis corroderetur, calcinaretur, aut vitri inſtar liquaretur: mixta autem omnia à proprio ambiente Elemento conſervantur, quomodo autem conſervarentur, ſi ejus ruînam molirentur! Sunt igitur accenſæ fixæ, flamma duntaxat Ætherea vel Cœleſti quæ eſt ipſa lux Ætherea vel Cœleſtis, non autem ignea; quæ tamen cum calore, frigore aut humiditate Elementalibus eſt compatibilis: ſic enim cicendulæ & felium oculi, Æthera luce non autem ignea micant, ideoque non ſequitur Stellas omnes eſſe naturæ calidæ.

CAPUT IX.

De Meteoris Cœleſtibus ſive Stellis novis.

REgionem Cœleſtem ſua etiam habere meteora non ſecus ac Æthéream & Elementarem deprehenſum eſt non ſolùm ab Hipparcho, ſed noſtris etiam temporibus ex Stellis novis in conſtellationibus Caſſiopeæ, Cygni & Serpentarii genitis annis 1572. 1600. & 1604. de quibus hic paucis agendum.

Primùm ergo concordant peritiores Aſtronomi, has Stellas eſſe in ipſo Cœlo fixarum: tum quòd omni prorſus careant paralaxi, tum quòd omni proprio motu deſtitutæ, eandem cum ſingulis fixis diſtantiam perpetuò ſervent; idque fatetur Tycho Braheus lib. 1. Progym. pag. 303. 412. & alibi, cui ob exactiſſimè obſervatam Caſſiopeæ Stellam novam, præ cæteris credendum eſt. Ac certè ut paralaxeos defectus non neceſſariò arguit eas eſſe in Cœlo fixarum; ſic omnis motus proprii carentia, omnino diſſuadere videtur eas in Æthere pendulas eſſe, cùm nullum tale pendulum ab omnibus Aſtronomis concedatur carere motu de loco ad locum, præter illud quod Mundi centrum occupat, ſive ſit Tellus ſive Sol: unde neceſſariò inferendum videtur, illas Firmamento eſſe affixas.

Quamobrem cùm illîc à Sole illuminari nequeant (ut de Stellis fixis oſtenſum eſt cap. 8.) ſequitur contra Tychonis opinionem eas vel à Stellis fixis illuminari, vel propria luce fulgere. Atqui non ideo fulgent quòd ab aliis Stellis illuminentur; alioquin (ut de Cometis dictum eſt cap. 9. ſect. 3.) non derepentè in ſua maxima mole apparerent, ſed etiam multò anteà; quod nempe earum materia dum ſenſim concreſcit & cumulatur in eam molem, dici nequeat illuminationis incapax, ante completum illum molis & denſitatis ſtatum. Ergo ſupereſt ut propria luce fulgeant; quod etiam fatetur Longomontanus cap. 6. Appendicis de novis Cœli phœnomenis, dum ait, *hanc autem formam (ſubaudi lucem) non vulgarem ex Sole & Aſtris lucem eſſe oportet, ſed potiùs ſeminalem (ut ita dicam) ſeu ad generandum (ut in reliqua natura fit) potentem; quippè quam DEUS quando ipſius providentiæ id viſum fuerit materiæ infundit*, &c. Quibus verbis Longomontanus Stellarum novarum lucem multis tenebris involvit: nam præterquam quod in rebus naturalibus ad peculiarem DEI refugit providentiam, nequidem indicans quomodo ſeminaria illa ſive primigenia lux (quam internum calorem appellat) in actum erumpat: hoc etiam certum eſt in univerſa natura, quod cujuſque rei forma ſeminalis vel internus calor, non modò ſuum ſubjectum perficit & in eſſe conſervat, ſed etiam defendit à contrariis: at Stellarum novarum lux, quam primùm erumpit in actum & apparere incipit, videtur in ſui ſubjecti diſſipationem incumbere tanta fame, ut ipſa diſſipatio ferè dietim ſit conſpicua, ex tanta diſtantia; quod tamen neque ipſa lux primigenia, neque lumen ſolum à Sole vel fixis acceptum efficere poteſt. Quid igitur aliud ſupereſt, quam ut eadem de Stellis novis atque de Cometis feratur à nobis ſententia? Dicam uſque illas accendi ſeu inflammari & per inflammationem diſſipari, quandoquidem omnes adparentiæ in hoc ſine ulla contrarietate conſpirant: quippe repentina illuminatio, & ſucceſſiva diſſipatio à devorante flamma omnino ut in Oleo, igne fatuo, Cometis & ſimilibus. Jam igitur dicamus de illarum materia.

Itaque ſpectatâ fixarum à Tellure diſtantiâ, & harum Stellarum ſtupenda mole, abſurda omnino erit eorum opinio, qui illarum materiam arbitrantur eſſe vapores è globo Terreſtri eò uſque elevatos: tum quia ultra crepuſculorum regionem non aſcendunt (alioquin crepuſcula matutina citiùs & veſpertina tardiùs apparerent) tum quia totius globi Terreſtris etiam ad calcem reducti humiditas viſcida & inflammabilis, nequaquam ſufficeret ad tantæ molis corpus denſum & compactum, qualis eſt unica ex illis Stellis. Idemque ferè dicendum eſt de exhalationibus quæ ex Sole vel aliis etiam Planetis elevantur,

quan-

quandoquidem ex cap. 7. fixa magnitudinis primæ in hypotheſi Copernicanorum immenſe major eſt Planetis omnibus ſimul ſumptis: in noſtra autem hypotheſi de 1″ pro paralaxi fixæ primæ notæ; hæc major eſt Sole ipſo, duplo cum dimidio: poſita autem ejus paralaxi 2″, & ſemidiametro apparente 15″, ipſa erit æqualis Soli. Jam verò Stella nova Caſſiopeæ fuit corpus denſum & compactum, longè majus quavis fixâ primæ magnitudinis, cum ex ipſo Tychone lib. 1. Progym. pag. 300. Jovem etiam Achronichum apparente mole ſuperaverit, & Venerem cùm Telluri vicinior eſt, proximè æquaverit: unde ſatis liquet Stellam illam ex vaporibus vel exhalationibus è Planetarum ipſiuſque Solis corpore elevatis non fuiſſe coagmentatam. Adde quod ut vapores vel exhalationes è Terreſtri globo prodeuntes, crepuſculorum metas non tranſeunt ex ſuperiùs dictis; ita exhalationes è Planetarum corporibus ſed præſertim ex Sole prodeuntes, ſuos habent limites; atque vix extra ſphæram Saturni excurrere queunt, ut ipſe fatetur Tycho; qui etſi ſphæram fixarum à ſphæra Saturni parum diſtantem faciat, noluit tamen exhalationes illas aſcendere uſque ad fixas, ut ex iis Stellæ novæ generentur. Quanto igitur minùs pertingent uſque ad fixas, ſi hæ vel mixta Copernicanorum mentem, vel ſaltem juxta noſtram paralaxeos hypotheſin à Saturni orbita diſtiterint. Non igitur etiam Stellarum novarum materia ex Ætheris regione deſumenda eſt. Sed ut regio Elementaris ſua habet meteora quibus materiam ſuppeditat; & regio Ætherea ſimiliter; ita de regione Cœleſti idem erit cum Tychone, Longomontano & aliis aſſerendum.

Attamen horum ſententia, reformatione videtur indigere. Volunt enim Tycho in ſua concluſione de nova Stella, & Longomontanus in ſua Appendice de novis Cœli phœnomenis cap. 5. Stellarum novarum materiam eſſe merè Cœleſtem & ex ea potiſſimum Cœli parte deſumi quæ via lactea nuncupatur. Ratio autem Tychonis hæc unica eſt, quod Stella Caſſiopeæ genita ſit in via lactea, & poſt ſuam extinctionem velut quemdam hiatum in ipſo loco reliquerit: Ratio autem Longomontani eſt, quod præter Caſſiopeæ Stellam, alia etiam orta ſit anno 1600. in eadem Galaxia, ſcilicet, in collo Cygni. Ac inſuper via lactea ſit in Cœlo inſtar Cerebri vel ſpinalis medullæ in homine, in qua ſpiritus Stellarum præparentur, priuſquam Soli & Planetis & inferioribus communicentur. Ex ea autem præparatione prodiere ſemina novarum Stellarum accedente Divina voluntate.

Verùm quoniam Stella nova in genu Serpentarii procul à via lactea ortum habuit; imprimis opinio ſuperior corruit, quod via lactea ſit Stellarum novarum materia propria.

Deinde quoniam ex ſupradictis Stellæ novæ lucent quatenus accenſæ; ergo materia conſtant inflammabili. Talis autem eſt pinguis, viſcida & Elementalis, non autem Cœleſtis. Igitur Stellæ novæ quatenus accenſæ non conſtant Cœleſti materia deſumpta vel ex via lactea, vel ex alia ipſius Cœli parte; non ſecus ac meteora in Aere accenſa, non conſtantur ex ipſo Aere. Nec Cometæ etiam accenſi, ex Æthere ad hoc denſato ut ſuperius oſtenſum eſt, ſed res ſalvo ſagaciorum judicio ſic ſe habere mihi videtur.

Quoniam ex ſupradictis 4. Elementa reperiuntur in tribus Mundi regionibus cum ſuis qualitatibus, & Stellæ fixæ ex iiſdem componuntur, quarum plurimæ non ſolum virtute ſed actu quoque ſunt calidæ, ob eandem cauſam: nihil autem eſt in natura evidentius, quam proprium eſſe caloris eterogenea diſgregare: Igitur à fixatum corporibus, etſi Cœlo affixis elevantur caloris ope ſubtiles quædam exhalationes quæ Firmamenti poros verſus Ætherem penetrantes, & vel occurſu Ætheris ipſius vel Stellarum frigidarum radiis, ad ipſum Cœli concavum denſatæ, cumulatæ, conglobatæ, & glutinis inſtar adhærentes, tandem continua fermentatione ſic præparentur; ut rapidiſſimo Cœli motu, illicò accendatur ille globus, in Cœli concavo vel Ætheris convexo. Unde fit etiam ut novæ Stellæ (ſaltem initio) ſint iis fulgentiores quæ Mundo coæva ipſius Cœli penetralia occupant, quod nimirum novæ ſolo Æthere ſurſum intermedio ſint nobis conſpicuæ; quamvis puritas Elementorum & exhalationis poſſit etiam eſſe cauſa illius lucis vivacioris. Atque hæc de materia.

Itaque ad hiatum à Stella Caſſiopeæ derelictum: Reſpondemus Tychoni; nullam fuiſſe factam diſſipationem materiæ Cœleſtis, quæ non eſt inflammabilis neque diſſipabilis; alioquin non eſſet naturæ ſimplicis, ſed mixtæ & corruptibilis. Ideoque naturæ Elementalis contra cap. 4. ſect. 3. lib. 3. ſed coloris illius apparentiam fuiſſe cauſatam à ſuperſtitibus Stellæ combuſtæ fecibus inſtar glutinis aut fuliginis, concavo Cœli adhærentibus, quæ etiam ſucceſſu temporis diſſipatæ ſunt: & confirmatur Tychonis refutatio; quia ipſe vult materiam Cœli eſſe fluidam; at in tali materia hiatus ſeu vacuitas fieri nequit, ob liberam partium circumſtantium ſucceſſionem à fluidiate: ut patet in Aqua & Aere. Si autem Cœlum ſupponatur ſolidum & diaphanum vitri vel criſtalli inſtar; certum eſt quod idem hiatus adhuc videretur; cum alia materia ſolida in priùs diſſipatæ locum ſuccedere nequiverit: fluida verò quam ex Æthere opportuit illicò ſucceſſiſſe fugâ vacui, hiatum illum non magis poſt, quam ante biennium conſolidaverit. Unde noſtra de Stellæ combuſtæ fecibus aut fuligine opinio, adhuc videtur probabilior.

Ad illud verò Longomontani quod via lactea præparandis ſpiritibus Stellarum deſerviat: dicimus hoc eſſe fictitium, nullaque etiam ratione probabili innixum: cum ſpiritus fixarum ſparſarum in utroque hemiſphærio Cœli per viam lacteam diviſi, dici nequeant in ipſa via lactea præparari: unde etſi proprius Galaxiæ uſus certò nobis non innoteſcat: arbitror nihilominus illam fuiſſe conditam, ad noſtram potius inſtructionem, quàm neceſſitatem. Ea quippe nos edocet Cœli mobilis ſoliditatem, ex qua multa alia deducuntur. Nam ſi Cœlum eſſet fluidum ut Tycho opinatus eſt, impoſſibile eſſet naturaliter Gallaxiam manere ſemper eandem & invariabilem in ſitu, latitudine, continuitate, denſitate, &c. ut jam alibi diximus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Sed forſan objiciet aliquis. Quod Tellure quieſcente Cœlum fixarum neceſſario poni debet ſolidum ut cryſtallus vel adamas ex cap. 1. ſect. 3. lib. 3. ideoque minimè poroſum, ac per conſequẽs vaporibus & exhalationibus impervium. Præterea ſi ex Stellis fixis aliqua à calore materia ſurſum elevaretur, fierent in Cœlo cavitates à Stellis novis accenſis, quod ſupra rejectum eſt; ſi hæc deorſum projiceretur, id eſſet contra Naturam vaporis atque caloris. Non ergo Stellæ fixæ Stellarum novarum materiam ſuppeditant.

Ad utramque verò difficultatem reſpondemus ex Chymicis, præſertim Iſaaco Hollando Lib. 1. oper. miner. cap. 21, Raymundo Lullio & aliis, qui rerum naturas longè penitùs introſpexerunt quàm Ariſtoteles. Primò, lapidem Philoſophorum quater aut quinquies iteratum ſua ſubtilitate quodcunque vitrum etiam cujuſvis ſpiſſitudinis penetrare, quod Alchymiæ ignari vix concedent, aut forſan quoque ridebunt; quamvis ex vulgari Chymia conſtet, idem fieri à ſpiritu vini aliiſque ſi eorum rectificatio nimiùm iteretur. Quid igitur mirum ſi vapores ex puriſſimis & nobiliſſimis Naturæ corporibus emiſſi, ſua etiam ſubtilitate Cœlum penetrent, quod poris omnino carere probari nequit, ſicut nec Adamantem? Secundò, datur etiam apud vulgares Chymicos duplex deſtilatio, una per aſcenſum dum ignis ſupponitur, altera per deſcenſum, dum ignis ſuperponitur materiæ deſtilandæ. Cur ergo fieri non poterit, ut aliqua ex Stellis materia deſcendat in Ætherem ab aliarum fixarum calore ſuperno, & primi Cœli ac Cœli fixarum motibus invicem contrariis. Quandoquidem ipſi Alchymiæ principes maximè verò Cõpolita in ſuo novo lumine Chymico, volunt corpora ſuperiora perpetuò jaculari id quod habent ſubtilius, verſus Terræ centrum ad verum Sublunarium principia. His verò conceſſis non video cur noſtra de Stellis novis ſententia non ſit admittenda: imò cur ſæpe non generentur Stellæ novæ, quarum duntaxat majores nobis apparent.

Igitur de Mixtis & Meteoris Æthereis atque Cœleſtibus hactenus pro ingenii noſtri modulo dixiſſe ſufficiat.

FINIS LIBRI NONI.

ASTRO-

ASTROLOGIÆ GALLICÆ

LIBER DECIMUS.

De Aſtrologiæ experimentis, Sectis & Principiis in univerſum.

PRÆFATIO.

Quamvis ſuperioribus Libris & Apologetica Præfatione noſtra, omnem ignaris oſoribus Aſtrologiæ, anſam adverſus ipſam debacchandi ſufficienter abſtulerimus: Eamque Philoſophicis ac Theologicis munimentis adeo fortiter circumvallaverimus; ut jam tutò Nobis liceat illam à fundamentis extruere: Tamen in ipſo fundamentali lapide ſubſternendo, novum occurrit certamen minimè ſpernendum, circa experientias Aſtrologicas, quæ ex Pico Mirandulano, Alexandro de Angelis & quibuſdam aliis, ſunt Aſtrologiæ fundamentum, ab omnibus Aſtrologis huc uſque pro ſuæ doctrinæ veritate ſuppoſitum. Volunt enim hi Adverſarii, nullas dari experientias Aſtrologicas: cujus contrarium hoc Libro à Nobis probandum eſt; eorumque rationes in eorum confuſionem evertendæ.

CAPUT I.

Experientiam eſſe peculiarem habitum intellectus.

EOrum habituum qui in hominis intellectu gignuntur naturaliter, & quibus (ait Ariſtoteles cap. 5. Lib. 6. Ethic.) Anima verum dicit, affirmando aut negando, Philoſophus ipſe quinarium duntaxat numerum aſſignavit; quos dixit Artem, Scientiam, Prudentiam, Sapientiam & Intellectum. Mancam verò eſſe diviſionem illam experientia probat, quam definiunt eſſe ejuſdem rei eodem modo pluries obſervatæ memoriam. Galenus verò ſic eam definit Lib. de Optima Secta. Experientia eſt ejus quod frequenter & eodem modo viſum eſt, comprehenſio & memoria. Siquidem ad experientiam duo concurrunt, unum ut materiale, alterum ut formale. Materiale ſunt ſpecies experimentorum ſingulorum retentæ in memoria ſenſitiva: Formale verò eſt earum ſpecierum actualis memoria, & identitatis ipſarum mutua collatio, quæ præcipuè experientiam gignit. Quod autem hæc ſit etiam peculiaris habitus intellectus, facilè probatur. Etenim ipſi convenit definitio habitus intellectualis: Nempe quod ſit qualitas difficilè mobilis. Siquidem per experientiam parta cognitio intellectui tenaciter hæret; qualis eſt, quod magnes ferrum attrahat, quod cicendula noctu luceat, Ignis calefaciat, Lupus ſit animal rapax, napellus ſit venenoſus, & id genus alia, quæ certiſſimè ſciuntur, non aliter quàm ſolâ experientiâ. Adhæc per experientiam anima verum dicit affirmando aut negando: tandemque per iteratos actus illa acquiritur, ut cæteri habitus intellectuales, ſi quidem gignitur ipſa ex multis experimentis. Unde Hipocratres Aph. 1. Lib. 1. non dicit experientiam periculoſam, ſed experimentum: Eſt igitur in homine habitus intellectualis, qui neque eſt Ars, neque Scientia, quamvis penè ſimile quid ſcientiæ & arti eſſe videatur, ut ipſemet fatetur Ariſtoteles in Proemio Metaphyſicæ: multoque minùs erit Prudentia, Sapientia, vel Intellectus, ut ex ſingulorum definitionibus conſtat. Ergo habitus ab illis diſtinctus, quo qui aliquid affirmat aut negat, dicit ſe illud experientiâ ſcire.

Idem hîc obiter de fide dicendum videtur: non de illa quæ eſt donum ſolius DEI, tranſcendens omne lumen naturæ, quo actuatus intellectus erigit ſe ſupra ſeipſum, & rectè, firmiterque ſine ullo ſuſtentaculo ambulat, per ſupremæ veritatis caliginem, quæque Theologica fides & virtus appellatur: ſed de fide merè naturali, quâ intellectus vi propriâ alicui dicto aut ſcripto de Phyſica, vel morali aſſumitur. Quod enim fides hæc ſit animæ habitus, iiſdem omninò probatur rationibus, quæ pro experientiâ allatæ ſunt. Nempè quòd ſit qualitas intellectus, difficilè mobilis, quodque per ipſam anima verum dicat affirmando aut negando: Qui enim aliquid aſſerit; id aliter neſciens, quam quod ab aliis audiverit, aut pluribus in hiſtoriis legerit; is non ex arte, ſcientiâ, prudentiâ, ſapientiâ, vel intellectu; ſed ex ſola fide affirmat. Similiterque Judices ferè omnes, vel cauſæ titulis, vel ore teſtium fidei habitum excipiunt, per quem Actoris cauſam juſtam, injuſtamve: aut hominem reum, vel inſontem pronunciant. Denique hic etiam habitus ex frequentatis actibus gignitur, non enim Judex ex unico teſte fidem concipit, ſed ex pluribus: nec alicui homini firmiter creditur, ex unico promiſſo, ſed ex pluribus fideliter obſervatis: aut ex unica relatione, ſed ex pluribus veris. Eſt igitur hæc fides habitus à ſupra poſitis omninò diſtinctus, non ſecus ac Theologica fides dicitur ſupernaturalis habitus intellectus, differens ab aliis. Imò ad naturalem fidei habitum ingenia omnia non ex æquo diſponuntur: alia enim dictis aut ſcriptis abſque ratione, facillimè credunt, & creduli dicuntur: alia difficiliùs, & alia difficillimè,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

mè, aut nullo modo, increduli que vocantur. Itaque imperfectam eſſe habituum intellectualem diviſionem Ariſtotelicam, patet ex ſupradictis. Neque pro Ariſtotele ſatis fecerit, qui dixerit illum duntaxat enumeraſſe completos habitus, ſive perfectos: nam ut ipſemet fatetur cap. 6. ſapientia intellectus eſt, & ſcientia: ideoque intellectus & ſcientia ſunt completi habitus reſpectu ſapientiæ, ad quam illi tendunt; utque intellectus eſt ſapientiæ fudamentum; ita primum omnis ſcientiæ naturalis vel Artis fundamentum eſt experientia.

Caput II.

Varias eſſe experientiæ ſpecies.

FAlsò putat vulgus omnem experientiam eſſe ſenſibilem: cum enim illa ſit cognitio genita ex ejuſdem rei prius ignotæ repetitis aut continuis experimentis; quæ ſunt ipſius experientiæ principia: neceſſe eſt tot eſſe experientiæ genera, quod rerum experimento ſive cognitioni ſubjacentium: harum verò tria ſunt genera; nempe intelligibilium, ſenſibilium, & mediarum; quæ ſcilicet, nec omnino ſenſui, nec omnino intellectui, ſed partim huic, partim illi ſubjiciuntur. Itaque triplex erit etiam genus experientiæ, intellectualis, ſenſibilis, & media, correſpondentes tribus naturis, intellectuali, ſenſibili, & mediæ, quibus datum eſt cognoſcere; nec ab ullo hactenus diviſio hæc allata eſt.

Intellectualis experientia, eſt rei intelligibilis cognitio, genita ex ejuſdem rei repetitis aut continuis experimentis à potentia intellectuali primo & per ſe, pertinetque ad Angelum, & hominis intellectum. Serpens enim antiquus cum in ſuâ natura experimentum feciſſet, creaturam liberam ex ſe peccato, indeque divinæ ultioni obnoxiam eſſe; idem circa naturam humanam in Adamo experiri non auſus, tentavit in Eva; quam intuebatur infirmiorem; & hiſce experimentis in propriâ & humanâ naturâ, experientiam adeptus eſt, Deum nullius creaturæ liberæ voluntatem impedire, quo minùs ſeſe ad bonum aut malum pro libitu inflectat, quod dæmon ipſe antea ignorabat, nec aliter quàm per infœliciſſimam ſibi & homini didicit experientiam: at experientia hæc non eſt rei ſenſibilis, ſed merè ſpiritalis & à potentiâ merè intellectuali: ad hæc dæmones ſuorū tormentorum acerbitatem experientiâ norunt, ut Angeli ſuæ fœlicitatis dulcedinem: eſt autem experientia hæc merè quoq; ſpiritalis, alioquin fieret à potētia ſenſitiva, à qua ſola fieri poteſt cognitio ſēſibilis & qua caret natura merè ſpiritalis.

Porro quod humanus etiam intellectus experientias faciat intellectuales, quas nullus ſenſus per ſe attingere poteſt, ſic oſtendetur: quilibet enim in ſe ipſo exeperitur, ſibi ineſſe vim quamdam verum à falſo diſcernendi, naturas ab individuis abſtrahendi, eaſque univerſali formâ induendi, dividendi, definiendi, & prædicandi: quæ experientia eſt rei duntaxat intelligibilis, tranſcenditque ſphæram totius potentiæ ſenſitivæ, ideoque à ſolo fit intellectu: ergo certum eſt intellectum experientias facere intellectuales, ſenſibus ignotas.

Similiter dum Metaphyſicæ Librum quiſpiam legit, experitur an Author ſit doctus vel indoctus; atqui experientia hæc nullo ſenſu per ſe attingitur, quamvis enim ad legendum ſit opus hominis oculo, hic tamen doctrinam de cujus experientia quæſtio eſt, non magis ex ſe percipit quam faceret oculus equi, eſt igitur illa doctrinæ experientia per ſe tantùm intellectualis. Nihilominus Angeli & hominis experientiæ intellectuales in eo differunt, quod Angelus omni ſenſitivâ careat potentiâ, homo autem illâ indigeat, ideoque etiam aliquo objecto ſenſibili; unde jure dicitur nihil eſſe in hominis intellectu, quod priùs per ſe aut per accidens non fuerit in ſenſu; quamvis hic nihil attingat, quod ſphæram ſenſitivam exorbitet. Illius autem dicti ratio eſt, quia quodlibet ens ſuam extra ſe effundit ſpeciem; intelligibile intelligibilem, nec non intelligibilem prout eſt intelligibile, hoc eſt, ſecundum ſpeciem ſive naturam univerſalem cognoſcibile, Angelus autem cum ſit merè ſpiritalis, actuatur primò & per ſe intelligibili ſpecie rerum intelligibilium: at humanus intellectus quamvis ſit ex ſe potentia merè quoque ſpiritalis, tamen quia in hujus vitæ ſtatu intra ſenſuum caliginem demerſus eſt, ſpeciem rerum intelligibilem primò & per ſe non percipit, ſed tantùm per ſenſibilem à ſenſibus exceptam; à quibus ille in cognoſcendo dependet, ideoq; frequenter decipitur, dum autem poſt hunc vitæ ſtatum liber fuerit à ſenſibus, ſuæque naturæ pleno jure potitur, omnia intelligibilia per proprias tantùm ſpecies ab illis effuſas primò & per ſe Angelorum more intuebitur. Quod autem res intelligibiles ſuam ſpeciem extra ſe effundant, ut Divinam teſtantes atq; imitantes bonitatem, ſuum eſſe communicent intellectui, qui (inquit Ariſtoteles) per cognitionem fit omnia, ut per omnia in Deum primum omnium principium tendat: probatur luculentiſſimè ex rebus ſenſibilibus; quas ſi ſuas extra ſe ſpecies emittere à potentiis ſenſitivis excipiantur, concedunt omnes Philoſophi, & convincet optica; quis idem divinæ bonitatis teſtimonium & communicationis privilegium rebus intelligibilibus naturæ multò divinioris denegabit? Adde quod ut viſibile tale tantum per ſe eſt, ratione effuſæ ſpeciei; quâ ſublatâ aut divinitus cohibitâ (ut dum Jesus Deus ac Dominus noſter ſe Judæis reddebat inviſibilem) non eſt amplius viſibile: Ita de intelligibili cenſendum eſt: itaque ii maximè falluntur, nec rerum naturas intelligunt: qui volunt naturam Angelicam per ſolas ſpecies de novo creatas & à Deo infuſas cognoſcere: ſic enim Deum in Dæmonis intellectu ſubinde ſpecies de novo creatas infundere opus eſſet, aut nihil de novo cognoſceret, quorum neutrum nemo ſanæ mentis conceſſerit. At ſi lux ſenſibus & per ſe, & ſine ſpecie afficit viſum ut probabimus lib. 11. veriſimilius eſt quodvis intelligibile eſſe lucem intellectualem, quæ etiam per ſe & ſine ſpecie in altera vita afficiat intellectum. Intelligibile enim non minùs proportionatum eſt intellectui, quam lux ſenſibilis viſui. Eſtque doctrina hæc multò ſimplicior alterâ atque nobilior, quippe negari nequit quod intelligibile ſit lux longè excellentior quavis luce ſenſibili: & intellectus etiam potentia longè excellentior viſu. Sed de his fuſius alibi.

Experientia ſenſibilis, eſt rei per ſe ſenſibilis cogni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

cognitio, genita ex ejuſdem rei iteratis aut continuis experimentis; à potentia ſenſitivâ primo & per ſe: eaque homini & brutis communis eſt. Quod enim Sol vel Ignis calidus ſit, & Aqua fluvialis frigida, homini & cani notum eſt per experientiam: ideoque Hyeme fugit uterque aquam, vel umbram; ad ignem vel ſolem accedens, Æſtate verò contra; & uterque calorem ſub eadem ratione apprehendit, aut frigus: eſt ergo experientia hæc merè ſenſibilis, non ſecus ac cæteræ ejuſdem generis. Vidi aliàs ſimiam mirè ludicram quæ tragemata & œſtra cono papyraceo involuta inſigni ſolertia diſcernebat, nec prius conum audebat explicare; quod in œſtris decepta ab iiſque territa fuiſſet: quippe conum auri apponebat; ſique nihil audiret, illum alacriter explicabat: ſi verò aliquid audiret, conum indignata projiciebat, quippe experientiâ didicerat œſtra ſuo intra papyrum motu, ſonum efficere; quo percepto de œſtris aut muſcis ſibi inimicis nullatenus dubitabat. Hanc autem experientiam merè ſenſibilem eſſe nemo inficiabitur: ſimiliter quod Muſica delectet, quod plumbum grave ſit, quod cor unum recreet, & id genus alia, ſciunt hominis experientiâ merè ſenſibili. Itaque dantur in homine experientiæ quas ſolus ſenſus, & aliæ quas nullus ſenſus, ſed ſolus attingit intellectus.

Experientia media eſt rei partim ſenſibilis, partimque intelligibilis cognitio, ad quam utraque potentia, ſenſitiva, ſcilicet, & intellectiva per ſe concurrunt: eſtque ſolius hominis propria: ideoque rationalis jure dici poteſt. Hujus generis experientias multas propoſuit Jesus Dominus ac Deus noſter apud Euangeliſtas, nam Mathei cap. 16. Phariſæis & Sadducæis qui ab eo multa fieri miracula conſpexerant, & nihilominus ſignum de Cœlo petebant, quo de ejus divinitate atque miſſione certiores fuerent, ipſe reſpondit. *Facto veſpere dicitis ſerenum erit: rubicundum eſt enim Cœlum. Et mane, hodie tempeſtas; rutilat enim triſte Cœlum: faciem ergo Cœli dijudicare noſtis, ſigna autem temporum non poteſtis?* Et Lucæ cap. 12. ipſe dicebat ad turbas: *cùm videritis nubem orientem ab occaſu; ſtatim dicitis nimbus venit, & ita fit. Et cum auſtrum flantem, dicitis quia æſtus erit, & fit: hypocritæ, faciem Cœli noſtis probare, hoc autem tempus quomodo non probatis?* Judæi enim illa ſciebant per experientiam rationalem: nam ex ſigno & ſequente effectu pluries viſis, talem rei certitudinem conceperant: ut deinde ex ſolo ſigno viſo, futurum effectũ ſecurè prædicerent, qua in re viſio præſentis ſigni pertinebat ad ſenſum, & prædictio effectus abſentis ad intellectum, qui tamen ipſum effectum non prænunciaſſet, niſi eundem pluries oculis poſt ſignum obſervaſſet, itaque cum in hæc experientia effectum & ab oculo & ab intellectu per ſe attingi neceſſe ſit, illa non poteſt non eſſe mixta ſive media inter ſenſibilem & intellectualem. Jure ergo Dominus Jesus Judæos increpabat quod circa miracula ab ipſo facta, etiam rationem ſenſui non adjungerent: cum enim illum audirent imperare mortuis & dæmonibus propriâ poteſtate, ut habetur Marci cap. 1. idque ſit divinitatis ſignum, quod nullus homo ſibi arrogat: viderentque toties mortuos & Dæmones ejus voci illicò obedire, qui eſt divinitatis effectus; hanc negare (licet inviſibilem) erat à ratione penitus alienum; idcircò dominus Jesus poſt Lazari mortui quatriduani reſurrectionem, de Judæis rectè dixit Joan. cap. 15. *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt & oderunt, & me & patrem meum*; quem, ſcilicet, coram illis in reſurrectione Lazari invocaverat, ut evidentius experirentur, illum eſſe filium Dei, ut cap. 10. jam dixerat; *opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me*: ſcilicet, non tantum intelligibile ſed etiam ſenſibile. Sapientiores fuere diſcipuli, quos ad ipſum miſit Joannes Baptiſta dicentes, *tune es qui venturus es, an alium expectamus?* Poſtquã enim varia ſuæ divinitatis experimenta ſive miracula coram illis feciſſet Jesus, Reſpondit. *Euntes renunciate Joanni quæ audiſtis & vidiſtis, quia cæci vident, claudi ambulant, Leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes Euangeliſantur, &c.* Inſinuans ſe ſuæ divinitatis & miſſionis non ſolùm intelligibilem, ſed etiam ſenſibilem experientiam exhibere; imò prudentius ratiocinatus eſt centurio ille apud Matheum cap. 27. & Marcum cap. 15. qui viſa Eclipſi ſolis in plenilunio: quodque dominus Jesus patrem ſuum pro ſuis oraſſet inimicis, latroni ipſo die Paradiſum promiſiſſet, animam ſuam Patri ſuo magnâ voce commendans expiraſſet, in ſuæ filiationis divinæ ſignum evidentiſſimum; Terræ motus illicò ſecutus fuiſſet; & Calvariæ rupes ingenti cum fragore ſciſſæ; valde timuit, aitque, *verè hic homo filius* DEI *erat*: quippe illius divinitatis experimenta multa cernebat indubia. Itaque hic in die noviſſimo Judæos condemnabit, qui inſuper Scripturas habebant, de quibus dicebat Jesus Judæis incredulis & obſtinatis apud Joan. cap. 5. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere: & illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me.* Datur ergo experientia media ſive rationalis etiam circa divina & ſupernaturalia.

In puris verò naturalibus idem manifeſtiſſimè convincitur: maximè verò in Medicina, cujus duas potiſſimum ſectas Galenus refert lib. de ſectis: Empyricam nempe & dogmaticam: Empyricam autem vocat, quæ ſola ad medendum utitur experientiâ, Dogmaticam verò, quæ experientiâ ſimulque ratione ducitur, unde lib. 3. de medendi methodo cap. 1. ait. *Quamobrem eum ſolum medicum eſſe exiſtimamus: non qui novit quidnam morbi prima judicatio dictet: ſed qui illa perficere poteſt, quæ à tali præſcribuntur indicatione: is igitur ſi per experientiam ea invenit, obſervator & empyricus eſt vocandus: ſin ratione quanam & methodo, rationalis & methodicus & dogmaticus: empyrici quippe per experientiam omnia inveniri contendunt; nos partim experientia, partim ratione: cum neque illa invenire queat omnia, nec ſola ratio, &c.* Ideoque lib. 1. de ſimpl. medic. facult. cap. 38. ait. *Experientiam eſſe certiſſimam judicatricem facultatum omnium quæ medicamentis inſunt.* Quod autem experientia hæc utrique ſectæ communis, neque ſit omnino intellectualis, ſed media ſive rationalis, probatur tum ex Galeno ipſo qui lib. de optima ſecta ait. *Cæterum obſervatio & experientia ſunt idem*: infra verò probat obſervationem abſque ratione fieri non poſſe. Tum quia oblato ægro qui laboret vermibus, & ab Empyrico & à dogmatico priuſquam remedia adhibeat, morbum cognoſci neceſſe eſt: vermes autem ſenſui non patent, ſed ſola vermium ſigna & effectus, ex quorum obſervatione, ægrum vermibus laborare uterque pronunciat. Senſus ergo attingit ſigna; & ratio ſive intellectus vermes; quos tamen non attingeret, niſi eoſdem etiam pluries oculus poſt talia ſigna conſpexiſſet: eſt ergo ex-

perientia hæc rationalis ſive media: idemque dicendum de cæteris omnibus quæ circa diognoſin, prognoſin, & terapiam morborum quorumcunque prius cognitorum aſſeverantur: nam in novis utuntur analogiſmo: denique experientia conſtat in magnete ineſſe virtutem attrahendi ferrum: atqui virtus hæc per ſe nullo ſenſu attingitur, ſed ſolo intellectu per effectum ſenſibilem; eſt igitur hæc etiam experientia rationalis. Datur ergo experientia rationalis in puris naturalibus. Nec ſolum in Medicina, ſed in Agricultura, Nautica, Politica, Militari, & ſimilibus: eaque tanti eſt momenti ut navem, magiſtratum aut exercitum credere rationali experientia deſtituto, ſit ingens & periculoſa dementia, quantacunque ille polleat artis aut ſcientiæ cognitione theorica, quippe quod vulgò dici ſoleat: A juvene Medico, gibboſum cimeterium.

Caput III.

An in Aſtrologiâ dentur experientiæ: Pici Mirandulani rationes expenduntur.

Hoc, dum viveret, negavit Joannes Picus Mirandulanus, Lib. II. eorum quos compoſuit adverſus Aſtrologos, qui illi mortem anno ſuæ ætatis trigeſimo tertio prædixerant ex directione horoſcopi ad Martem in Scorpione; præſertim Lucius Bellantius. At propria morte ut prædicta fuerat illud multò evidentiùs confirmavit, quàm ſuis rationibus contrarium probare potuerit. Quoniam verò hîc agitur de præcipuo ac unico fundamento ſuper quo hactenus Aſtrologia ſtetit: non abs re quæſtio hæc Fundamentalis ab initio tractanda, & tum Pici, tum Alexandri de Angelis, virorum doctrina & ingenii ſolertia inſignium, de Aſtrologiæ ruina ſibi immenſe gloriantium contrariæ rationes diſcutiendæ ſunt: ſi enim Aſtrologiæ experientia concedatur, ſanè quod inter ſcientias vel artes veras non minus ſaltem quam Medicina admittatur neceſſe eſt, contra eorum ſententiam.

Porrò quoniam jam nobis eſt cum adverſariis congrediendum pro Cœleſtis veritatis defenſione, grandiſque nobis via reſtat ad hujus operis finem, duo hæc ab initio proteſtor. Primum, me non odio, aut arrogantia, aut aliqua vanitate tantum laborem ſuſcipere, ſed ob ſolam veritatem & æternæ ſapientiæ gloriam quam Cœli enarrant, ut ait Regius Pſaltes. Qui pro Aſtrologia ſcripſerunt, & qui contra, utrique (ni fallor) vera ſcripſiſſe opinati ſunt. Cœlum autem eſt Liber digito Dei ſcriptus, at non fuit hactenus qui ſolveret ſignacula ejus, ut in eo ſaltem Philoſophi legerent. Secundum: Me in adverſariis refellendis non quaſlibet eorum rationes examinaturum, ſed tantum præcipuas, majoriſque ponderis: multa enim nullius momenti objiciunt vel ex Arabum figmentis deſumpta, vel ex pugnantibus inter ſe Aſtrologorum ſententiis, vel ob ſibi ignotam illorum artem, vel ob alia quæ ultro omittemus, quod præſertim eorum futilitas in hujus doctrinæ ſerie ſufficientiſſimè pateat.

Dicit igitur Picus lib. ſupradicto (quem Sixtus ab Hemminga ſecutus eſt in ſua Apodixi adverſus Aſtrologos) *quod eadem Cœleſtis conſtitutio genethliaca nunquam redeat; ideoque illa haberi nequeat experientia, quæ eſt ejuſdem repetita obſervatio*. Aſtrologis autem aptè reſpondentibus, quod etſi tota eadem conſtitutio Cœleſtis non redeat; particulares ſæpius redeunt, ut quod Saturnus ſit in Capricorno, aut ſit in horoſcopo, aut oppoſitus Marti, aut horum aliqua, vel omnia, (quæ nihilominus ſunt ipſius Saturni particularis conſtitutio) poſſe igitur ſe notitiam particularium illarum conſtitutionum repetitis obſervationibus adipiſci, ex qua futura prænuncient. Inſurgit Picus: *Reſponſionem illam non eſſe veram nec conſonam Aſtrologorum principiis. Tum quia particularis eadem conſtitutio in alia tota aliud operatur; Tum quia ſubſtantia totius decreti non tam à partibus provenit, quam à tota, hoc eſt omnium ſimul partium harmonia, peculiare & proprium aliquid efficiente. Quæ ratio* (ſubdit Picus) *non ex aliis magis, quam Aſtrologorum præceptis robur habet, aſſeverantium pro mixturis Stellarum omnia fieri: nec à propriis earum viribus, ſed à complexu ſimul univerſarum & ſocietatis coalitu fieri ſortitionem.*

Picus verò multifariam errat ob ignota ſibi Aſtrologorum decreta. Hi enim particularem conſtitutionem in diverſis totalibus, non ſimpliciter & abſolutè, ſed cum relatione ad natum ſpectandam præcipiunt. Si igitur Saturnus in Capricorno tàm in unâ quam in aliâ totali conſtitutione, hoc eſt themate genethliaco, natos in partu eodem modo affecerit, hoc eſt fuerit utrique in horoſcopo, idem ſaltem genere vel etiam ſpecie, in utraque conſtitutione operabitur: quippe in natorum temperamentum, mores & ingenium, juxta propriam naturam influet: ſi fuerit utrique in Medio Cœli; influet in utriuſque actiones & magiſterium: ſi verò uni in horoſcopo, & alteri in medio Cœli, huic circa actiones, illi verò circa temperamentum influet: itaque ſimpliciter & abſolutè aſſerere particularem conſtitutionem aliud in una totali, & aliud in altera efficere, erroneum eſt.

Quod verò ſubjungit, *ſubſtantia totius decreti non tam à partibus provenit, &c.*: Picus non animadvertit totum decretum eſſe duplex; nimirum univerſale quod omnia continet ad natum pertinentia, vitam, divitias, fratres, &c. & hoc à totali conſtitutione dependet: aliud verò particulare, quod nempe tantùm eſt aut de temperamento aut de morte, &c. & hoc falſum eſt pendere à totali conſtitutione. Aſtrologi in definiendo temperamento promiſcuè attenderent ad omnes Planetas & fixas, atque ad omnes domos, & ſigna, & antiſcia, cum tantum ea ſpectanda velint, quæ rei conveniunt, hoc eſt ad rem ipſam determinata ſunt, ut ex eorum doctrina depromitur & ſuo loco patefaciemus. Quapropter Aſtrologis Picus imponit in ſuæ cauſæ gratiam, dum ait eos aſſerere non à propriis Stellarum viribus fieri ſortitionem, ſed à complexu ſimul univerſorum. Quamvis enim ad particularem affectum plures interdum cauſæ concurrant; & pro vario concurſu varietur effectus: non tamen omnes concurrunt, & in concurſum quælibet ex ſe agit juxta naturam propriam; acſi quæ cæteras virtute ſuperet, hanc præ cæteris participabit effectus; ea enim eſt omnium agentium natura, tum ſolitariorum, tum concurrentium. Quare quid unaquæque in genere aut ſpecie operetur, experientiâ deprehendi poterit: ut in Medicina ex cauſis complicatis ejuſdem morbi fit evidentiſſimum. Quamobrem Picus ipſe de ſuis diffidens rationibus, ad experientiam ſeſe convertit hiſce verbis. *Huc referri poſſet quod experientia quotidie deprehenditur infœlicium omnium fœliciſſimas eſſe genituras, & fœlicium cortra infœliciſſimas*. Quo certè nihil à veritate magis alienum dici poteſt, quodque clarius probet Picum neque themata Cœleſtia unquam erexiſſe, & contuliſſe cum vita eorum hominum ad quos illa pertinebant, neque in libris erecta ſpeculatum fuiſſe. Ab annis pluſquam viginti quibus huic Cœleſti diſciplinæ diſcendi cauſa incumbo, theoricè & pra-

ctice

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ctivè; non memini me unquam tale quid deprehendiſſe, ſed ſemper contrarium, quippe conſtitutiones genethliacas hominibus quarum illæ erant, quaſi ad amuſſim quadrare in corporis, animæ & fortunæ accidentibus, idemque quilibet experietur, & in Aſtrologorum libris deprehendetur. Picum fortaſſe fefellit quod quidem ſint initio vitæ fœliciſſimi, in fine verò infœliciſſimi: aut in divitiis vel dignitatibus fortunatiſſimi; ſed corporis ſtructura & valetudine miſerrimi, ut claudi, gibboſi, podagrici, nephritici: at ſemper in verò themate ſtatus uterque depingitur; & à ſolerti & experto Aſtrologo diſtinguitur, qui ſolus qua in re ſit genitura fœlix, vel infœlix dignoſcere novit.

Secunda ex præcipuis Pici rationibus eſt: *Quod Aſtrologi nec unius etiam Stellæ notitiam conſequi poſſunt experimento: cum nihil ulla ſeorſim, ſed cum aliis omnibus omnia ſemper operetur: quo non ſolum id fit, ut tantùm quælibet poſſit ex habitudine ad alias definiri: ſed ut nullo modo poſſit ab aliis ſeparata cognitione diſcerni.* Verùm quod nihil ſeorſim agat ulla Stella, Pico neque ratione, neque experientiâ compertum eſt, cum nec ſui dicti rationem afferat, nec afferre poſſit, nec ullam de aliqua Stella admittat experientiam: an non oblato naribus ſerto ex roſis, jaſmino & aliis floribus, olfactus non obſtante concurſu diſcernit odores ſingulorum? Nunquid lupus videre poterit ovem etiamſi viſibilia circumſtantia ſuas ſpecies in medium aerem, imò etiam oculum ſimul effunderent? nonne pharmacopola & coquus ſapore diſcernunt ſimplicia compoſitionem ingredientia? An non Medicus in complicatis affectibus ſingulas cauſas per propria ſigna dignoſcit? In his igitur quodlibet ſimplex aliquid peculiare ex propria natura operatur, per quod ipſum ab experto deprehenditur, & ad quod operandum cætera mixta non concurrunt: & idem in concurſu Stellarum denegabitur intellectui, quod in ſupradictis conceditur ſenſui? Minimè ſanè à Philoſopho; qui ſcit quodlibet non alienâ ſed propriâ duntaxat virtute agere: nec concurſu deſtrui, ſed tantum miſceri virtutes agentium. Adhæc ſi nihil ſeorſim agat ulla Stella, & ſemper omnia cum omnibus: Ergo ut ſupra dicebamus: Aſtrologi in determinando temperamento ad omnes figuræ domos, & Planetas & horum dominia atq; aſpectus, & totum deniq; Cœlum attenderent, quod eſt ab eorum arte, quam Picus nimis ſegniter ſcrutatus eſt alieniſſimū: cur verò id non faciunt? Quippe Aſtrologicis experimẽtis didicere, quod ne minimo quidem Philoſopho ignotum eſt, patetq; in univerſa natura: ſcilicet non fieri quodlibet à quolibet: ſed unumquodque à propria & determinata cauſa: ut alibi demonſtrabimus.

Tertia ratio Pici quam ait inexpugnabilem, talis eſt. *Etiamſi ſeorſim ageret unaquæque Stella quod agit; cùm illarum effectus invertere, interpolare, fruſtari, conditio vel alterius ſyderis, vel inferiorum, circumſtantiumque cauſarum multipliciter poſſit: Nemo qui non prodigus præcepſq; judicii ſit aſſeverabit hæc evenire, eâ Stellâ ſic ſe habente: nam erat illa fortè ſua natura diverſam rem paritura: ſed mutavit opus privati fati, vel fatum univerſale regionis, anni, civitatis, familiæ, parentum, vel arbitrium nati, &c. A quibus concedunt Aſtrologi immutari Stellarum efficaciam.* At hæc ratio per ſe ipſam facillimè expugnabitur: nam Stella ſeorſim aliquid agit (quod concedit Picus) ergo propria virtute aget, non autem aliena; ideoque producet effectum naturæ ſuæ conſentaneum: non ergo illius effectus invertetur, aut fruſtaneus reddetur, à circumſtantibus cauſis præſertim non liberis: Alioquin vel Stella ageret & non ageret, aut ſaltem ſecundum naturam propriam & non ſecundum naturam propriam, quod concedere major eſſet prodigalitas judicii: quamobrem quod talis res evenerit, hoc ſaltem ex parte habebit à Stella ſic ſe habente; quæ in tali concurſu rem ipſam & non diverſam naturâ ſua ſic erat paritura. Quod verò Aſtrologorum dogmatibus ſuam Picus fulcire nititur rationem, id bona fide non præſtat: dum enim dicunt à cauſis concurrentibus immutari Stellarum efficientiam; non dicunt inverti aut fruſtrari: ſed tantum intelligunt mixtione variari, ut ſi ſolus Saturnus ſit mortis ſignificator in Geneſi; mors erit tantum genere Saturnina: at ſi Mars in ſignificatione concurrat, fiet mixtis influxus à quo mors erit partim Martialis, partimque Saturnina: at ex Pico in illo influxuum concurſu, mors neque Saturnina neque Martialis erit: quod idem eſt ac ſi diceret mixto felle cum aceto, ſaporem inde reſultantem neque eſſe felleum, neque acetoſum contra guſtus experientiam, aut neque eſſe à felle neque ab aceto, cum tamen ſit totaliter ab utroque ſimul: partialiter autem ab utroque ſeorſim.

Quantæ ergo ſint validitatis rationes Pici, viri genere, ingenio, & doctrina clariſſimi, patet ex ſupradictis: fuit vir valde formoſus ob Libram in horoſcopo ab inflauſtis maleficorum radiis libero, & Venerem horoſcopi dominam in Piſcibus exaltatam: eloquens ob ſpicam Virginis in ipſo horoſcopo: profundo & ſubtili ingenio in Theologicis, Philophicis & variis linguis: ob Mercurium nonæ Dominum in Aquario conjunctum Saturno exaltato in horoſcopo: idque in trino horoſcopi: at Mercurius & Saturnus læſi quadrato Lunæ Dominæ Medii Cœli actionum ſignificatoris; & quadrato Martis, Domini ſeptimæ, hoſtium ſignificatricis, illud ad contentiones & duodecim libros infœliciter ſcribendum adverſus Aſtrologos excitarunt, valdeque probabile eſt illum inde morbum ex quo obiit contraxiſſe, nimio ſtudio; quod Mercurius eſſet Dominus duodecimæ domus, quæ eſt morborum; Luna in octava, quæ eſt mortis; & Mars aneræta. Adde quod ex Joannis Franciſci Pici Mirandulæ Epiſtola Libris ipſis præmiſſa, morte immatura vocatus ad Deum libros hoſce nec extrema linea terſerit atque expoliverit, nec ultimum, qui totius operis futurus erat epilogus, ad eandem ab incude perduxerit, quod ſanè mox feciſſet ſi tempus ſibi præfixum ſuperaſſet. Itaque non hic deſunt Aſtrologicæ veritatis experimenta illuſtria, ſcientiæ principiis omninò quadrantia, ut ſuo loco patebit: vide figuram apud Iunctinum.

Caput IX.

Alexandri de Angelis rationes complectens circa Aſtrologorum experientias, illarumque cenſuram.

FUit Alexander de Angelis in Collegio Romano Societatis Jeſu ſtudiorum Præfectus, vir in Philoſophia atque Theologia eximius, quique Aſtrologiæ Libros ad hanc ſcientiam de medio tollendam ſtudioſè videtur evolviſſe: Cúmq; tanto ſuſcepto duodecim Pici Mirandulani Libros impares eſſe adverteret, quinque alios ipſe proprio Marte adjungendos cenſuit, maxima tamen parte depromptos ex Pico ipſo, Plotino, Marſilio Ficino, Phavorino & aliis, quibus certè ſi Aſtrolo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

gos non debellavit, ſaltem omnibus in Aſtrologiam bellantibus palmam præripuit; collectis in eum finem ex Philoſophis, Theologis, Medicis, Juris-Conſultis, Patribus, Conciliis, Decretis & Principum Edictis, auxiliaribus copiis potentiſſimis, frequentique divortio inter Aſtrologiæ Principes excitato. Ita ut nihil omninò præter ipſum vincere omiſiſſe videatur.

—— *In magnis rebus nam voluiſſe ſat eſt.*

Ad hæc verò mihi venit in mentem generoſum illud, quod Alexander Magnus, Regis Pori acie terribili conſpecta, lætus dixiſſe fertur: Par animo meo inveni periculũ. Sed jam prima Alexãdri de Angelis tela rationis clypeo excipiamus.

Ille ergo Lib. 4. cap. 5. Aſtrologis experientiam hiſce præcipuis rationibus denegat.

Prima. Cardanus Aph. Sect. 1 ait. *Nullus Planeta in æternum redibit ad priſtinum locum; nec etiam in longiſſimis temporum ſpatiis ſecundum ſenſum, alius à Sole.* Unde rectè concludere videtur de Angelis, experientiam virtutis Planetæ eſſe impoſſibilem: cùm hæc ſit repetita ejuſdem rei obſervatio; Planetæ autem virtus diverſa ſit pro diverſitate loci. Aitque Lucium Bellantium hoc argumento à Pico propoſito victum, fateri experimentis Aſtrologicis perfectiſſimam deeſſe ſimilitudinem: quam tamen negat Aſtrologis neceſſariam, qui non eventus ſingulares ſed tantùm evẽtuum genera aut ſpecies prænunciant: In hanc verò legitimam Bellantii reſponſionem de Angelis tandem replicat. *Aſtrologos prædicere ſingularia ut mortem ex veneno, ex inſidiis, divitias ex hæreditate, ex matrimonio amicitias Principum, &c: imò profitentur & tempus, & annum, & diem ſingulorum eventuum à ſe præſcrire poſſe.*

Hic autem duo reſpondemus. Primum, non nobis eſſe Cardanum obtrudendum: tum quod ille non ſit lapis lydius veritatis Aſtrologicæ ut pluribus in locis oſtendemus: tum quòd non explicaverit quid ſibi velit in illo Aphoriſmo: Nam eundem Planetam non ſæpe redire ad eandem figuræ domum; ad idem ſignum & ſigni gradum, ad eandem cum quovis Planeta configurationẽ, adq; eaſdem Stellas fixas, abſurdum eſſet aſſerere. Nam ſingulis diebus circa Terram revolvuntur, ac brevi temporis ſpatio totum percurrunt Zodaicum ſuas configurationes ſubinde iterantes: At Aſtrologi de Planetæ effectu ex his tantùm locis præcipuè judicant, ut paſſim videre eſt in eorum Libris: verum quidem eſſe poteſt, Planetas nunquam ex toto redire ad eundem mundani ſpatii locum quem ſemel occuparunt, obſtante eorum receſſu à Terra vel acceſſu, nec non deflexione ab Eclipticâ in Boream vel in Auſtrum: ſed talis locus ab Aſtrologis non attenditur; ſaltem pro ſpecifica effectuum differentia, nec eò minùs ſuo tẽpore advenit Æſtas quòd via Solis in Mundano ſpatio per motum illius apogæi continuò fiat ex una parte altior à Terra, & ex altera depreſſior. Vel quod uni regioni puncto Zenithali vicinior fiat quàm alteri. Secundum. Bellantii reſponſionem genuinam eſſe: Si quidem duplex eſt Aſtrologiæ cognitio, una perfectiſſima ſive intuitiva Angelicæ naturæ propria, qua dæmones prævident omnes futuros naturales eventus. Et altera minùs perfecta ſive rationalis, ad homines pertinens. Per hanc ſaltẽ genus aut ſpecies eventuum attingi poteſt prædicendo. Per illam verò etiam particularia, unde Ptol. ſen. 1. Centiloquii ait. *Soli autem numine afflati prædicunt particularia.* Quãvis Marſil. Fic. cõmento in 3. cap. Enneadis 5. Plotini tantam futurorum notitiam tribuat ſolis dæmonibus ſagacioribus, velitq; alios interdum falli conjiciendo, & hominibus mentiri. Quod de futuris eventibus à libera & indeterminata hominis voluntate concedendum cenſeo, quippè quod fato per ſe non ſubjaceat. Iam verò alicui mortem prædicere ex veneno, non eſt prædicere ſingularẽ eventum ut putat Alexander de Angelis; ſed tantum genericum; quippe quòd ſint multæ ſpecies venenorum, ut cicuta, aconitum, arſenicum, ſublimatum; quamobrem etiam ex aconito mortem prædicere non erit ſingularis prædictio, quod aconitum ſit ſpecies: ſed ex hoc vel illo aconito; eademq; eſt ratio de cæteris: Quod ſi nec ſpecies, nec genera futurorum eventuum ab homine prædici poſſe velit de Angelis: quid non inſurgit in Hippocratem & Galenum, qui artem dedere prædicendi etiam ſingulares evẽtus in nobis à ſe pluries experientia comprobatam? ut quod hic æger hac febre vel pleuritide qua laborat morietur, imò tali die & cum hoc vel illo ſymptomate: Legantur Hippocratis Aphoriſmi & coacæ prænotiones: tum Libri Galeni de præcognitione ex pulſibus, de diebus decretoriis, de criſibus, de prȩcognitione, & aliis. Erunt igitur omnia hæc explodenda. Id certè gens Galenica non patietur: quamvis arti prædicendi Medicæ, Aſtrologica certitudine & principiis non ſolùm æquipolleat, ſed etiam longè excellat, ut in operis proceſſu patebit: Maximè verò ad eventuum tempora prædicenda; quæ cùm menſurentur ſolis Aſtrorũ aut ſignificatorũ motibus vel diſtantiis, his cognitis datur tempus accidentium ut ſuo loco demõſtrabitur. Undiq; igitur vana eſt Alexandri ratio prima.

Secunda ratio talis eſt. *Idem ſimplex ſive individuus effectus, ut quod Socrates cras morietur, non à quocunque Aſtrorum congreſſu dimanat, ſed à definito & individuo: qui ſi nec unquam idem cernitur, nec idem ſimplex effectus redire poteſt, nec confici experimentum.*

At ego imprimis effectum illũ eſſe individuum inficior: ſunt enim duo ſaltem genera mortis, nempe naturalis & violenta; earumque variæ ſpecies, veneno, ferro, laqueo, peſte, hydrope, calculo, &c: Ideoque tantùm prædicere mortem; eſt intra ſummum genus cõſiſtere. Deinde errat de Angelis dum vult effectum illum à totali aliquo Aſtrorum congreſſu dimanare; cũ tantùm pendeat ab aliqua parte totalis conſtitutionis: ut ſupra dixi contra Picum. Unde Aſtrologus in prædicendo mortem, cæteris ſpretis ſolos ſpectat vitæ & mortis ſignificatores, horumq; duorum ſtatum & robur comparat; de aliis verò Planetis eorumq; ſtatu non curat, & hoc ignoravit de Angelis; ergo licet eadem totalis conſtitutio nunquam redeat, poteſt tamen partialis: non quidem eadem numero, non ſecùs ac feſtum Paſchatis non redit ſingulis annis idem numero, ſed idem ſpecie: quare & eundem ſpecie effectum redire poſſibile eſt; probaturque à ſimili in prædicationibus Medicorum, quibus eadem omninò fieri poſſet Objectio vana.

Aliam ſic extruit de Angelis. *Minima quæque Stellarum commutatio, & quælibet (quamquam exigua) configurationis variatio, effectuum non ſolùm circumſtantias, ſed & genus variat:* Suique dicti teſtem citat Cardanum, qui Lib. de Revolv. c. 6. ait. Quatuor modis Planeta juvat, vel nocet, &c.

Sed

Sed Cardano Alexander de Angelis evidenter abutitur. Primò, quòd Cardanus illud non aſſerit. Secundò, quòd nimirum juvare & nocere non ſit genus effectus variare: ſed hunc duntaxat intendere aut remittere, ut verborum teſtatur ſignificatio. Quantum verò à mente Aſtrologorum exorbitet ejus aſſumptum, quod nec experientia quam negat, nec ratione qua deſtituitur probare poteſt; patet ex eorum decretis: dum eundem genere effectum tribuunt Planetarum aſpectui platico ac partili, vel Planetæ aliquot gradibus procul à cuſpide domus figuræ, ac in ipſa cuſpide; quamvis concedant partilem aſpectum, & Planetæ ſitum in cuſpide effectũ intendere. Quapropter duo illa quæ ex ſuperiori ratione neceſſario conſequi contra experientias Aſtrologicas aſſerit de Angelis in fine capitis, abſurda ſunt, & eadẽ tantùm inutilis cantilena; quòd nempe *ad certas experientias ſtabiliendas neceſſe fuerit omnes ſyderum congreſſus, qui ſunt propemodum infiniti, ſingulis ſingulorum ſæculorum diebus obſervari debuiſſe: quia nullæ ſunt Aſtrorum configurationes aliis prioribus ſimiles, ex quibus generalia ſumi poſſint ſcita & pronunciata quæ ad judicandum de alius & ſimilibus juvari poſſint.* Idem enim objici poſſet ineptè Hippocrati, Galeno, & Medicis omnibus: nempe illos de febre continuâ non potuiſſe tradere præſagia: quod febris ſit qualitas ſuſcipiens magis & minus: nec unquam duæ febres etiam ejuſdem ſpeciei, fuerint ejuſdem omninò gradus, omninoq; ſimiles etiam in eodem numero ſubjecto vel ægroto. Denique ſi nec unquam redit eadem omnino febris, nec idem omnino congreſſus Aſtrorum, ad quid proderit obſervatio ſingulorum propè infinitorum, quam de Angelis poſtulat pro certis experientiis ſtabiliendis? experientia enim (ut ipſe vult) eſt ejuſdem rei numero iterata obſervatio circa idem numero: quod tamen eſt abſurdiſſimum, cùm ſit duntaxat ſolitarium experimentum; experientia verò ſit de eodem numero vel ſpecie, circa idem ſpecie, veluti ſi quilibet magnes quodlibet ferri fruſtum traxerit ſibi proportionatum, dicetur haberi certam virtutis magneticæ experientiam. Si ♂ in horoſcopo cujuslibet hominis, hunc bilioſum & iracundum fecerit quomodocunque ♂ ipſe ſit effectus, dicetur talem ♂ virtutem ſciri per experientiam, atque ſic de aliis. Dicamus ergo has rationes Alexandri de Angelis omninò ſapere doctrinam Pyrrhoniorum nodum in ſcirpo quærentium, aut refugiis de induſtria affectatis ſuum aſſenſum cohibentium; ſed hæc tantùm primæ ſunt hujus Authoris volitationes.

Nam cap 7. cui titulus eſt, *non potuiſſe Aſtrologos Planetarum vires experiri*: hiſce verbis in aciem ſeſe excitat atque prorumpit. Agite ergo ſi placet, in ipſam Aſtrologiæ arcem expediamus Arietem, non levi ac ludicrâ de re diſceptatur, ſed ad ſummum ventum eſt: Agitur de primis Genethliacæ principiis, quibus tota hæc ars continetur.

Primò itaque ſciſcitatur, undenam Aſtrologis primis innotuerit Saturni frigiditas, ſiccitas Martis, aliæque aliorum Planetarum privatæ vires? Per experientiam verò reſpondentibus Aſtrologis; in hos inſurgit: *Quod hujus frigiditatis experimentum non habeant, neque continuum & nunquam interruptum: neque quorundam duntaxat temporum: non primum, quia ſi dicatur Saturnus frigidiorem continuò reddere Mundum quàm eſſet ſi Saturno careret: Ergo Saturnus de Cælo detrahendus eſſet, ut experimento apparet frigiditas, qua ſub Saturno & ſine Saturno Mundus utitur.*

Verùm an Sol de Mundo tollendus eſt, ut vis ejus illuminandi & calefaciendi innoteſcat? Nulla ne via eſt Alexandro ad corporum vires experiendas, quàm abſentia & privatio? certè non abſentia, ſenſibilium experientiæ per ſe deſervit: ſed tantùm præſentia; imò Solis calorem nunquam experto ejus abſentia nequidem per accidens ſui cognitionem ſuppeditaret: at præſens calor quia per ſe ſenſibilis, illico per ſe ſui præberet experientiam, & cognitio per ſe, prior & certior eſt cognitione per accidens; non ergo ad continuam in Mundo frigiditatem Saturni experiundam & aſſeverandam, Saturnus de Mundo detrahendus eſt: ſed ſufficit etiam interrupta experientia; qua ſi conſtet Saturnum eſſe naturâ frigidum; omninò ſequitur illum in Mundo quantum ipſe poteſt continuo refrigerare.

At contra interruptam experientiam ſic arguit de Angelis. *Vel Saturnus quibuſcunque junctus Stellis fundit frigus, vel cum quibuſdam ſolùm, non cum aliis. Non primum, non enim cum Sole, non cum Canicula, non cum Leone, non cum Marte, ut ſatis conſtat.*

Sed heus Alexander, unde tibi conſtat Saturnum cum illis aſtris nullum frigus fundere? an experientiâ, quam negas; an ratione quam aſſerere nequiviſti, & quâ te carere neceſſe eſt, ſublatâ experientiâ, cui ſoli ipſa ratio innititur? ſiq; Saturno frigus non vis tribuere, dic quæſo cur Marti, Caniculæ, & Leoni calorem concedis? An obſervaſti aerem calidum fuiſſe pro anni tempeſtate, quoties Saturnus, Caniculæ aut Marti copulabatur? Minimè profectò, nec etiam cum media æſtate Soli jungeretur. Recordor adhuc æſtatum trium annorum 1619. 20 & 21. quibus Saturnus vertici noſtro propinquiora ſigna Geminos & Cancrum peragrabat, fueruntq; ſolito frigidiores; adeoque pluvioſæ, ut fœni & meſſis non exigua quantitas in cãpis putruerit; qui effectus à Saturno admodum tardo potiſſimùm procedebat; utroq; præſertim ſigno humido exiſtente, eumque effectum neque Solis, neque Caniculæ præſentia omninò impedivêre. Dicamus ergo Saturnum continuò frigefacere quantùm poteſt, ſed in concurſu Aſtrorum calidorum præſertim verò Aereæ conſtitutioni dominantium, atque ſimiliter juxta propriam virtutem agentium, illius vim ſic obtundi, ut ſolo ſenſu deprehendi nequeat.

Ad hæc verò reſpondet de Angelis. *Nugæ, experimentum quærimus ſenſibile & certum: Nemo autem rapidus dum Sirius ignes exerit ſentit Saturni frigus.* Quaſi verò Alexander! Supponamus glaciei fruſtulum magnitudine piſi, cyatho aquæ ferventis impoſitum: eritne ſenſibile frigus aquæ communicatum? Nullo modo, nec ſi ſecundum, tertium & quartum fruſtulum immittatur, poterit eo fuſo, & commixto, ſenſu detegi effectus ſingulorum: & tamen ſingula refrigeraſſe aquam certo certius eſt; dum caput pituita refertum purgatur pitulis cochiis, quis Medicus illam ſolo ſenſu purgationem ex capite factam eſſe percipit? An non ſuper probavimus tres eſſe experientiæ ſpecies, intelligibilem, ſenſibilem, & rationalem? Sed ii ſanè mihi videntur ratione deſtituti, qui duntaxat brutorum more omnia experiri volunt, non minùs ſenſibiliter quàm quod ignis ſit calidus & aqua frigida. Jam fatentur ſalem eſſe calidum, quia ob corporis magnitudinem & propinquitatem calor ejus eſt ſenſibilis. At ſi in ea conſiſteret à Tellure diſtantia, ut viſibili magnitudine Saturno eſſet æqualis; ſanè Saturni frigus Solis calore ſenſibilius eſſet, aut ſaltem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

tem huic in ſublunaribus prævaleret. Quod nempè nullus in Tellure præterquam Solis calor ſentiatur ob ejus viſibilem magnitudinem atque viciniam; ita ut Sole dempto nullius aſtri calor ſit ſolo ſenſu perceptibilis; tunc ergo Solis calor alia via quàm ſolo ſenſu eſſet inveſtigandus ut pro Marte fieri ſolet.

In hæc verò arguit de Angelis. *Si Saturnus impeditur ne ſenſibiliter refrigeret: vel impeditur ſemper, & ejus vis ſub experimentum nunquam cadet, vel aliquando & ab aliquibus. A quibus igitur? ab iiſdem, an à diverſis? non ab iiſdem, quia nunquam Saturnus bis eodem modo congreditur cum aliis aſtris: non adverſis ſeu iiſdem diverſo modo compoſitis, quia nondum feciſti experimentum: ac proinde tàm liberum eſt mihi negare Saturno frigus, quàm tibi concedere.*

Dico autem, Saturnum non ſemper impediri quo minùs producat effectum rationali experientiæ obnoxium, ſed tantùm aliquando: idq; tam ab iiſdem, quàm à diverſis, ſubaudi, calidis aſtris: ſi nempe vel Saturno compulentur, vel aereæ conſtitutionis dominium ſibi vindicarint, juxta Aſtrologorum dogmata experientiis naturalibus innixa, quæ Alexander hac in cauſa reliquit intacta. Quod verò ait Alexander, *nunquam Saturnum bis eodem modo congredi cum aliis aſtris*, planè abſurdum eſt: nam inde ſequitur, quod aut nulla eſt actio corporum Cœleſtium in hæc inferiora contra Ariſtotelem, omneſq; Philoſophos: imò contra ipſum Alex. cap. 2. Lib. 1. dum ait. *Principiò convenit inter nos & Aſtrologos, magnam eſſe vim Cœli & poteſtatem in ſublunarem Mundum, ſubjecta corpora non ſolum illuminando (quis enim de Cœli lumine ambigat, niſi qui cæcus natus ſit) ſed calefaciendo, frigefaciendo, ſiccando, humectando*: aut ſaltem quod nunquam à Cœlo produci poteſt effectus idem ſpecie, cum altero jam producto: quin aſtra in utroque effectu ſint prorſus eodem modo diſpoſita inter ſe & quoad Terram: quorum utrumque falſum eſt: ſiquidem Cœlum nunquam bis eodem prorſus modo ſe habebit, & nihilominus multi ex Cœlo obſervantur effectus ejuſdem ſpeciei: hoc autem ſi Alexander negaverit, quo pacto compertam habebit vim Cœli, quam ſuperius fatetur in hæc inferiora? An experientia quam negat, quæque tantùm verſatur circa idem ſaltem ſpecie? An ratione quæ nulla eſt, ſublatâ experientiâ, cui illa innititur?

Quærit præterea de Angelis ab Aſtrologo: *An velit à ſolo Saturno fieri frigus, an ab aliis etiam cauſis inferioribus; ut Terra & Aqua. Primum dici nequit* (idq; ego libenter fateor, qui Globum Terræ & Aquæ ſuum frigus ad ſupremam uſque Aeris regionem effundere oſtendi Lib. 3. c. 10.) *Secundo autem conceſſo, quo experimento oſtendet Aſtrologus, perceptum aliquando majus frigus à Saturno profectum eſſe & non à globo Terreſtri, vel aliis cauſis inferioribus?* Fatebor equidem experimento merè ſenſibili, quale tantùm poſtulat de Angelis id oſtendi vix poſſe: At rationali facile poſſe: nimirum quod ad aucti frigoris cauſas ſufficientes globus Terræ non ſuppeditet: ut Æſtatis tempore quo Terræ frigus introrſum cohibetur. Ac inſuper quod vel Saturnus tunc præſit aereæ conſtitutioni, & frigidis quoque Stellis applicet, vel quod ipſius conſtitutionis dominus alter, aut etiam Luna cujus magna eſt in hæc inferiora poteſtas ipſi Saturno jungantur aut configurentur. Globus enim Telluris ceſſante Aſtrorum ac præſertim ſeptem Planetarum influxu atque motu, nullas caloris atque frigoris viciſſitudines ampliùs pateretur: ſemperque in eodem ſtatu conſiſteret. Sed hæc experimenta apud Aſtrologos frequentiſſima Alexander de Angelis ignoravit, aut de induſtria diſſimulavit. Quippè nequidem verbo tenus illa attigit.

Subjungit. *Si Saturnus frigidæ eſſet naturæ, hæc deprehenderetur ex vario ejus aſcenſu per partes hemiſphærii noſtri: ut conſtat de Sole ad verticem noſtrum accedente: At quotuſquiſque obſervavit horas nocturnas diurnaſque ſolito magis frigeſcere quoad Cœli meditullium propiùs Saturnus aſcendit?*

Reſpondeo primò. Alexandrum de Angelis experientiam perpetuò poſcere non hominibus, ſed brutis propriam, quæ non minùs quã homines ſentiunt Solem Meridianum eſſe Oriente ferventiorẽ.

Secundò. Nequidem Lunæ humiditatem (quam concedit de Angelis) eſſe ipſo modo ſemper & ubique ſenſibilem: quod patet præſertim Hyeme gelidâ, dum in Lunæ plenilunio cum Cœli puritate, ſiccitas atque gelu eò intenſiùs Terræ faciem occupant, quo illa ad verticem magis attollitur: Terræ quippè frigore & ſiccitate per longam Solis ſub horizonte moram invaleſcentibus, & calori Solis à Luna reflexo, propriæque Lunæ humiditati prævalentibus. Unius tantùm Solis tactilis qualitas quippè calor eo modo eſt, debuitque eſſe ſenſibilis: quod viventia omnia calore & vivant, & matureſcant, ſique Saturni vel alterius Aſtri frigus eſſet eodem modo ſenſibile, nec ulla planta, nec ullum animal, ipſum Cœleſte frigus ſimul cum globi Terreſtris frigore ferre valeret; ſed eo cuncta interirent: quippe quòd vitæ & fructuum maturationi nihil ipſo ſit magis inimicum. Itaque ad generationum viciſſitudines, frigus Cœleſte decebat viventibus proportionatum; quodque non ſolo ſenſu, ſed ſaltem concurrente ratione eſſet perceptibile: atque ideo cum triplex à nobis oſtenſa ſit experientia, ſpiritualis, ſenſibilis, & media: etiamſi frigus Saturni experientia merè ſenſibili probari non poſſet: non tamen ſequeretur illud media ſive rationali probari non poſſe.

Ad hæc notanda venit Alexandri de Angelis aſtutia, qui ad Aſtrologicas experientias refellendum, cautè declinavit ab illis Cœleſtibus & ſpecificis aſtrorum viribus, quas propriè influentias nuncupant, ſed & quarum experientiæ adeò celebres & manifeſtè cernuntur in hominum nativitatibus; ſolaſque aggreſſus eſt tactiles qualitates, inter quas etiam non calorem, quem bruta ipſa in Sole ſentiunt, ideoque homines omnes corporibus Cœleſtibus ineſſe fateri coguntur; ſed frigus multò obſcurioris cognitionis; quamvis enim calor & frigus qualitates ſint activæ in diſtans, ut de calore patet in Sole, carbone, & ferro ignito; de frigore verò probavi ex Telluris globo, qui mediam Aeris regionẽ frigidam efficit, & confirmatur ex ventis Septentrionalibus non aliunde frigidis, quàm quòd tales fiant, potiſſimũ Hyeme à Terræ ſeptentrionali parte, glacie, nivibus & gelu tunc tẽporis horrida & Aerẽ afficiente. Tamen nec de Angelis nec forſan alius hucuſque animadvertit aliam eſſe rationem agendi caloris in diſtans, & aliam multoq; ſubtiliorem frigoris. Corporum enim calidorum calor, eminus ſolo tactu ſentitur, eóque proportionaliter intenſiùs,

quò

quò magis ad illa acceditur, ut palam eſt de igne intra cubiculum accenſo. At frigidorum corporum frigus tactu non detegitur eminus; & quantumvis ad glaciei (quâ nihil datur in natura ſublunari frigidius) maſſam ingentem accederes, ſemper tamen quod frigida ſit, ignorares, niſi immediato contactu id experieris: frigus ergo quamvis ſit qualitas in diſtans activa, imò acerrima ut etiam ſentimus hodie 6. Januarii 1637. quo Sol & Satutnus (de cujus frigore quæſtio eſt) conjuncti ſunt in Capricorno ſigno frigido & Saturnino; tamen à quo fonte profluat, vel à quonam corpore manet, ſolo ſenſu eminus deprehendi nequit, via ſaltem ordinaria; ſed opus eſt auxilio rationis. Dixi via ordinaria; quoniam non arbitror in natura deeſſe modos, etſi ad huc ignotos, vel ob hominum incuriam, vel quòd hæc illis in mentem nondum venerint, ut ſpecula concava, thomoſcopos, vel alios, quibus tactiles præcipuorum ſaltem aſtrorum qualitates ſoli etiam ſenſui patere queant: qua de re fuſius alibi differemus: cur ergo Saturni frigus ex Terra ſolo ſenſu non deprehendatur, conſtat ex ſupradictis.

Similem omnino rationem ſubnectit Alexander, ex motu Saturni per omnes quindecim in ſignis borealibus, & totidem in Meridionalibus. *Quis unquam* (ait) *diſtinxit quindecim annos frigidos à quindecim calidioribus quibus ad nos propius Saturnus accedit? quis notavit frigiditatem gradatim creſcentem per quindecim annos, & ſenſim decreſcentem per alios quindecim? &c.*

Cætrum brutalem ſemper experientiam poſtulat de Angelis, quæ nequidem in Sole ipſo perpetùo datur: quippe tantùm ab eſt ut quis notaverit Solis caliditatem gradatim creſcentem per ſex menſes quibus paragrat ſemicirculum à Capicorno ad Cancrum; ut frequentiſſimè accidat illum minùs calefacere in Piſcibus quàm in Capricorno; aut minùs in Tauro quam in Ariete, aut minùs in Cancro quam Tauro: Rurſus verò plus in Leone aut Virgine, quam in Cancro, & ſic de cæteris, quippè quod ab aliis Planetis ſibi in conſtitutionibus univerſalibus Aeris dominium alternè vindicantibus, nunc Solis actio intendatur, nunc verò remittatur; cauſis etiam ſublunaribus interdum concurrentibus. In Luna verò cujus vim humectandi concedit de Angelis, res fiet æquè manifeſta: quamobrem de Saturno idem dici conſentaneum eſt: ac proinde brutalis illa experintia potius explodenda eſt, quam ut ejus cenſuræ determinatio naturæ Planetarum ex toto committatur. Itaque rationali locus eſto; ad quid enim ratio niſi ad uſum?

Poſtquam unius tantum Planetæ, de Angelis negavit experientiam; negat 8. capite duorum ſimul conjunctorum experientiam: afferens ſciri non poſſe quid efficiat conjunctio Solis & Jovis in primo gradu Libræ, niſi ex cauſis omnibus ſublunaribus, quid unaquæque efficiat perſpiciatur: etiam cauſarum ipſarum variato ſtatu in ſingulis conjunctionibus Solis & Jovis. neque hoc adhuc ſufficere niſi ſimilis habeatur ratio ſyderalium omnium configurationum. Hæc autem ſunt impoſſibilia; ergo impoſſibile etiam ſcire per experientiam quid efficiat Solis & Jovis conjunctio in Libra; tandemque in fine capitis in Aſtrologos & Aſtrologiam debacchatur. Sed paucis verbis reſpondeo. An ſciri poſſit quid aliqua vel duæ ex cauſis ſublunaribus efficiant? Si non poſſit, ergo nec ulla cauſa nec ullus effectus ex ſublunaribus nobis innoteſcent, quod abſurdum eſt opinari: ſi poſſit; cur non idem erit verum de cauſis Cœleſtibus? Quæritur enim duntaxat, quid hæc efficiant. Si enim dixerit de Angelis ſciri non poſſe quid Cœleſtes efficiant propter concurſum tot tamque diſſimilium cauſarum ſublunarium atque Cœleſtium, dicam etiam ſciri non poſſe, quid efficiant cauſæ ſingulæ ſublunares, propter concurſum tot tamque diſſimilium cauſarum Cœleſtium, & etiam ſublunarium; ſicque ſemper nihil ſcietur, quod tamen abſurdum eſt. Nec minus quoque opinio Alexandri putātis ad quemlibet effectum à Sole vel Jove vel his conjunctis totum Cœlum imò totam naturam Cœleſtem & ſublunarem concurerre efficienter; quaſi Sol perſe non illuminaret & calefaceret: quid ni ergo ſe ſuo modo influet, ejuſque influxus proprium habebit effectum? At Aſtrologi obſervatione vel experientiâ inveſtigant proprios aſtrorum influxus & horum effectus, ex quibus dum aſtra commiſcentur judicant; non ſecus ac peritus Medicus de effectu compoſiti medicamenti, quod ex ſimplicibus in illo contentis & ſibi notis afferet purgaturum caput, roboraturum cor, & calefacturum ventriculum.

Nonnullas alias proponit rationes de Angelis quas de induſtria omitto, vel ut nullius ponderis, vel quòd earum vanitas in doctrinæ à nobis ſtabiliendæ proceſſu evidentiſſimè pateat; ut quod Aſtrologi non obſervarint omnes Aſtrorum congreſſus in quolibet gradu & minuto Zodiaci: quaſi ſingula Zodiaci minuta pollerent diverſis ſpecie virtutibus, & alias ejuſdem ſublimitatis ſpeculationes, quibus hic Philoſophus Aſtrologos obruit: unicam ex illis ſeligo prima fronte ſpecioſam, ſed attentiùs inſpectam, ceteris deformiorem.

Igitur cap. 12. cui Titulus: *non poſſe Aſtrologos vires Stellarum experiri in una eademque materia.* Videtur de Angelis ſupremum edere conatum adverſus experientias Aſtrologorum. *Quid toti* (inquit) *è ſuperioribus orbibus pendetis Aſtrologi? quid occinitis collecta experimenta hoc vel illo ſyderum congreſſu? Sub eadem aſtrorum conſtitutione fuitne eadem etiam materia? Fuitne idem ſublunarium cauſarum concurſus? Fuit idem pater, eadem mater, eodem modo affecta, ejuſdem ætatis & roboris, idem ſemen, quod variari ſolet in humano corpore ſingulis momentis? Si quid ex his defluit (& non poſſunt adeſſe omnia) omnia experimenta concidunt. Reſponſuri eſtis veteres experiendo contuliſſe cauſas cum Cœleſtibus ſublunares, & examinatis utrarumq; ponderibus artis præceptiones condiſſe. Non credimus & magna ratione non credimus. Nam & qui nunc vigent Aſtrologi, Stellas obſervant, & præterea nihil: quod & Cardanus ingenuè profitetur.* Et infra. *Vel eris ut Bonatus, Albumazar, Alchibitius, & hujus farinæ alii, non tradunt quæ Stellarum vires ſublunarium cauſarum effectionibus intercipi poſſint, aut promoveri, ſed Cæli ſolùm cardines obambulant, de cæteris ſcribunt nihil: nec aliquid in hoc genere memorant ſe accepiſſe à prioribus.* Et poſtea. *Unus Ptolomæus qui pro ſingulari ſua modeſtia & ingenii perſpica-*

ſpicacitate rem de qua nũc agitur ſapienter intellexit, & ſub initium lib. 1. *graviter ſuæ ætatis Aſtrologis ſuccenſet, quod Artis exiſtimationem obſcurarent negligentiâ & ignoratione cauſarum quæ ſub Cælo ſunt; quanquam & ipſe erit difficultate ſuperatus, & quia nihil de his acceperat à majoribus, de iis breviſſime & univerſim diſſerit: neque poſtea quatuor libris quibus ſanxit canones Judicandi docuit rationem, qua illi variari poſſint, cauſarum quæ apud nos ſunt diſſimilitudine: ſed totus ipſe quoque in tradenda arte Cælo defixus eſt.* Concludit autem de Angelis, habendam eſſe rationem non ſæculi duntaxat, ſed anni, menſis, hebdomadæ, diei & horæ: non ſolum totius terreni globi, ſed regni, provinciæ, ditionis, civitatis, oppidi, tribus, viciniæ, fori, theatri, officinæ, templi, curiæ, domus, prati, campi, lacus, collis, vallis. In perſonis verò vult omni ex parte conſentire conceptus, ortus, mores, vires, ingenia, ordines, fortunæ vultus, ſtudia, amicitias, propinquitates, &c. *Diſtingue mihi horum omnium rationes, & Aſtrologicis experimentis præſtabimus fidem: niſi enim omnia vocata fuerint ad examem, fallax cenſebitur experimentum, & multis expoſitum erroribus: quid attinet inquies tot proſequi minutias? præcipua rerum capita obſervaſſe ſatis eſt ad experimentum; nihil minus; eſt in minutiis mira vis, & poteſtas commutandi res humanas, &c.*

Ego verò ſuperiorem Alexandri de Angelis rationem eò fuſius expoſui, ut evidentiùs pateat illam non eſſe angelicam. Primò enim quoniam ille fatetur, experientiam eſſe ejuſdem pluries eodem modo iteratam obſervationem; ergo dum ad experientiam poſtulat eandem materiam, eundem patrem, eandemque matrem, eodem modo affectos, ejuſdem ætatis & roboris, idemque ſemen quod variatur ſingulis momentis: imò eundem annum, diem, horam, atque minutum, eandem regionem, civitatem, oppidum, domum; cum omnibus iiſdem circunſtantiis: ſanè illum velle experientiam fieri debere in eodem numero nato, nullus eſt adeò cæcus qui non videat vel appertiſſime concludat: quippe quod hæc omnia duobus duntaxat numero natis etiam gemellis convenire nequeant. Verum *nunquid poteſt idem homo in ventrem matris ſuæ iteratò introire & renaſci?* Dicebat Nicodemus ad JESUM Joan. cap. 3. Sed nondum ſufficeret introire: opus eſſet (ut in lapide Philoſophico) illum reduci ad ſuam primam materiam, puta idem ſemen ex quo prius genitus fuerat: deindeque iterum naſci ſub eadem prorſus conſtitutione Cœli, quæ in prima Geneſi præceſſerat, hic enim eandem requirit, cum idem momentum temporis poſtulet, etiam adjunctis omnibus circunſtantiis ſuprapoſitis, quæ omnia ſunt ridicula & impoſſibilia. Ergo aut dicendum eſt nullius planè rei fieri poſſe experientiam (quod ipſi adverſatur experientiæ) aut abſurdiſſimam eſſe rationem Alexandri qui eandem numero materiam, eaſdemque omninò circunſtantias ait eſſe neceſſarias.

Deinde quid dicet Hippocrati aſſerenti: *quibus cum dolore lateris non tamen pleuretico, levis eſt aut modica perturbatio; evadunt phrenetici?* Item *quicunque in febribus undecunque ſanguinem profuderunt; cùm refectioni ſtudere incæperint, iis alvi profuſiores redduntur.* Item, *qui tetano corripiuntur intra quatuor dies intereunt: ſi verò hos ſuperaverint, incolumes evadunt.* Et alia mille ſimilia in Aphoriſmis, Coacis, aliiſque locis. Aſſeretne Hippocratem talia per experientiam non didiciſſe prognoſtica? Aut expertum fuiſſe duntaxat in eodem numero ægro, vel ſi mavis in ægris ex eodem patre & matre natis, in eodem oppido, eodem anno & anni dieique parte, cum cæteris circunſtantiis ſuprapoſitis? Sanè de Angelis univerſam in ſe concitabit gentem Hippocraticam, Galenicam, & Paracelſicam: quæ de ejuſdem rei experientia tum prognoſtica tum terapentica in diviſis ægrotis & regionibus & anni partibus non abs re gloriatur: imò nullam in Mundo relinquet experientiam. Non ergo ad experientiam idem numero ſubjectum, multoque minùs eædem numero vel etiam ſpecie circunſtantiæ: ſed idem tantùm ſpecie ſubjectum, neceſſario requiritur: cætera ipſius experientiæ genus vel ſpeciem non immutant, ſed ſolum intendunt, remittunt vel utcunque modificant; proindeque ut accuratiùs ad particularem finem aptatum perveniatur, etiam perpendenda ſunt, non autem negligenda. Ideoque in Medicina jubet Hippocrates aph. 17. ſect. 1. *concedendum autem aliquid tempeſtati anni, regioni, ætati, & conſuetudini.*

Jam verò in Aſtrologia idem ſagaciſſimè obſervatur. Nam Aer eſt ſubjectum experientiarum aerearum: in quibus loci natura, latitudo, & circumjacentia ſpectantur: Genethliacarum verò experientiarum ſubjectum, ſunt homines, ſinguli ejuſdem inter ſe ſpeciei: in quibus ſexus, proſapia, regio, & loci leges ſive conſuetudines attenduntur: idque jubente Ptolomæo cap. 1. lib. 1. cæteriſque Aſtrologiæ Primatibus: ſicque nonnulli id omittunt; vel ipſum omninò ſupponunt, vel errant, eoſque redarguit Ptolomæus. Quid igitur continet univerſa ratio Alexandri? verba, ſtrepitumque duntaxat. Quæ enim affert exempla in fine capituli, ut probet etiam rem minimam, vel plurimum concurſum requiri ad effectum; hoc quidem probant; non autem quod unius cujuſque notitia particularis ſit Aſtrologo neceſſaria, ad eventus futuri genus aut ſpeciem prædicendam: quamvis ſit neceſſaria ad effectum ſingularem & omnes ipſius circumſtantias prædicendas. Ut Spurina qui Julio Cæſari mortem violentam prædixit idibus Martiis, ex cauſis Cœleſtibus didicerat genus & tempus mortis: at ipſam mortis individuationem & circunſtantias non prædixit, ob ignotum concurſum cauſarum inferiorum. Sic Henrico Magno plures Aſtrologi mortem violentam publicis etiam libris prædixerant, Junctinus, Pezellius, & alii: de la Broſſe verò Pariſienſis Aſtrologus, etiam diem prædixerat: ignorabant nihilominus concurſum cauſarum inferiorum ſive particularium; quarum ſi unica defuiſſet, ſalvus diem illam evaſiſſet: erat autem Julii Cæſaris & Henrici Magni ſibi cavere diebus prædictis, ut prudenter fecit Auguſtus Cæſar Philippis, in primo conflictu contra Brutum & Caſſium, cui intereſſe noluit: ſciens ab Aſtrologo diem illum ſibi eſſe infauſtum & periculoſiſſimum. Ex Cœlo igitur genus mortis & tempus prædixerunt: ſpecies verò & circunſtantiæ individuantes eos latuerunt: quippè *ſoli nu-*

mine

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

mine afflati prædicunt particularia : nec has ſolutiones evertent conatus omnium in Aſtrologiam allatrantium. Nam ut rectè Cardanus ait in operis peroratione ad finem aphoriſmorum, nauta prædicit tempeſtatem, & Medicus ægri mortem, ignotis etiam vaporum, exhalationum, humorum ac ſpiritum particularibus mixtionibus ac motibus in effectus illos concurrentibus: ſufficitque artifici cuilibet, noſſe generales cauſas quæ ad tales propendent effectus vel ex ſua natura atque motu, ſuaque determinatione. Quomodo autem ſingulares illis pareant atque concurrant, ut aquila, teſtudo, & Æſchilus ſub alio jacens, ad ipſius Æſchili mortem, Solus DEUS ſcit, vel Angelus, ut fatetur Cardanus & Ego cum illo.

CAPUT V.

Dantur in Aſtrologia experientiæ.

QUamvis Aſtrologicas dari experientias liquido conſtet, ex Pici Miranduli & Alexandri de Angelis in oppoſitum allatis rationibus, quæ examini commiſſæ prorſus inanes & adulterinæ compertæ ſunt: id tamen oſtendi nequit evidentiùs, quàm ex ipſis Aſtrologorum libris: non ſolum in lucem editis, ſed & manu ſcriptis omnium qui ipſius artis praxim excolunt. In illis quippè dabuntur experientiarum miriades, vera Aſtrologiæ dogmata adeò manifeſtè confirmantes, ut non niſi à ſtupidis aut protervis, aut praxis hujus ſcientiæ penitus ignaris denegari queant. Si quidem ad experientias Aſtrologicas cognoſcendas duæ duntaxat viæ dantur. Prima eſt in Aſtrologorum libris natorum accidentia conferre cum proprio themate Cœleſti, & hujus ſcientiæ dogmatibus. Altera verò ſimilis quidem ſed certior, eſt induſtria figuras erigere hominum qui jamdiu vixerint pluraque paſſi ſint corporis, animæ & fortunæ accidentia illuſtria, & hæc ut priùs cum themate & dogmatibus artis comparare: Sola quippè experientia propria, hujus ſcientiæ veritatem protervos fateri coget: qua autem ſagacitate ſingulæ Aſtrorum atque ſignorum vires tum propriæ tum communes ſint per experientiam diſcernendæ, ſuo loco aperiemus

Ex ſupradictis verò patet evidenter, quod etſi Picus & Alexander apud vulgus videantur Aſtrologiæ arcana intellexiſſe, quòd ejus terminos & nonnulla dogmata in medium proferant quæ ſolo refellendi ſtudio, ſuperficie tenus delibarunt; attamen ejus praxim quæ ſola potuit hactenus veritatem illius artis indicare, penitùs ignorarunt: unde nil mirum ſi ipſimet cæci alios cæcos in inſcitiæ barathrum præcipitent. Plurimos enim ſeducent inexpertos, expertum verò nullum.

Ac certè vim experientiæ Aſtrologicæ maximam fuiſſe neceſſe eſt: quæ non modò tantæ ſcientiæ unicum fuerit huc uſque fundamentum: ſed inſuper eam contra tot Philoſophorum inſultus, Pontificum decreta, & Principum edicta adeò fœliciter protexerit, ut adverſos conatus omnes irritos ſemper effecerit. *Quippè magna eſt veritas & prævalet*: Eſdræ lib 3. c. 4. Jure ergo Aſtrologi de experientia perpetuò gloriati ſunt; qua ſola aſtrorum, ſignorum Zodiaci, & domorum figuræ Cœleſtis vires atque proprietates illis innotuerunt: Ita ut jure dici queat omnem ferè Aſtrologorum cognitionem meram fuiſſe huc uſque experientiam. Ergo dantur experientiæ Aſtrologicæ: quas qui negat hic tanquam ignarus ad propriæ experientiæ ſcholam relegandus eſt: non quidem experientiæ beſtialis, ſed rationalis, ſi tamen ille ſit talis.

Nec eſt quod adverſarii nobis obtrudant, aut prædictiones & cauſas Aſtrologicas ſuis fruſtratas effectibus; aut eventus quorum naturæ atque tempori congrua non potuit aſſignari cauſa à nonnullis Aſtrologis. Nam primò nulla ſtaret ſcientia ſi quælibet ob errores Profeſſorum condemnenda eſſet: ſufficitq; ad uniuſcujuſque tutelam, ut veritas vel ab eodem vel à pluribus ſi non ſemper ſaltem ut plurimùm attingatur; præſertim in rebus de futuro contingenti; & ſcientiis conjecturalibus, quales ad prædicendum ſunt Aſtrologia, & Medicina. Unde etſi Hippocrates aph. 19. ſect. 2. aſſerat, *morborum acutorum non omninò certæ ſunt prædictiones neque mortis, neque ſalutis*: quòd ut ait Galenus in commento, *plures cum ſignis cruditatis evaſerint, alii verò cum ſignis coctionis interierint præter opinionem Medicorum, morbi ſtatum, ægri vires & cauſas externas penitiùs non intuentium*: quis tamen ingenio rectè valens Medicam Artem propterea dicet explodendam, etiam in morbis acutis? Deinde cuilibet cauſæ Aſtrologicę proprium aſſignare futurū eventum, aut eventus præteriti propriam in genethliacâ conſtitutione cauſam reperiri; eſt totius Aſtrologiæ ſuprema cognitio, circa quam nil mirum ſi Cardanus, aliique Aſtrologiæ principes ſæpius hallucinati ſint; cùm vera Aſtrologiæ principia ignorarint ut ſuo loco oſtendemus. Ac proinde etſi eventus præteriti vera cauſa nequeat à nonnullis exhiberi, non propterea ſequitur id omni Aſtrologo impoſſibile fore. Uno verbo jam Aſtrologiam non ſoli experientiæ, ſed propriis principiis cauſis & rationibus innixam tradimus: in qua & majorum noſtrorum errores: & ab adverſariis optata deprehendentur.

CAPUT VI.

De duplici Aſtrologorum experientia.

DUplicem experientiam in Aſtrologia dari certum eſt. Nempè merè ſenſibilem, atque mediam ſive rationalem. Merè ſenſibilis verſatur circa lumen aſtrorum, tactileſque Solis qualitates: quæ ipſis etiam brutis innoteſcunt, nam de aliorum aſtrorum calore, frigore, humiditate, atque ſiccitate certò definiri nequit an à brutis aliquibus ſentiantur, quamvis id probabiliter aſſeri poſſit, quòd nempè bruta omnia tota ſint dedita ſenſui, & illorum plura ſubtilitate, acumine & ſolertia ſenſus excellant hominibus, quibus illud denegantur; niſi forſan peculiaris ad hoc ſive intellectualis accedat ſagacitas, cujus regulas ſuo loco præſcribemus.

At rationalis experientia verſatur circa effectus manantes tùm à tactilibus illis qualitatibus, quas ſolus ſenſus attingere nequit: tum à ſpecificis proprietatibus aſtrorum; quod exempli gratia Mars in horoſcopo natos faciat audaces, iracundos, vindictæ cupidos: in octava domo morti violentæ obnoxios, &c: præſertim ſi fuerit pravè affectus, &c: futura enim mors violenta non patet ſenſui horâ nativitatis: ſed ſolus Mars in octava; de cujus ſtatu Judicium pertinet ad intellectum. Ex obſervatione autem Martis in octava momento nativitatis, ejuſque ſtatu pravo, natum violenter moriturum præ-

ſagit Aſtrologus. Senſus ergo vel in Cœlo, vel in figurâ natalitia attingit Martem ut ſignum, intellectus verò attingit ſignificatum abſens, quippè mortem violentam, quod tamen non faceret, niſi hanc etiam oculus vel ſaltem auris & relatu poſt tale ſignum pluries attigiſſet. Eſt ergo experientia hæc omninò rationalis ſive media: atque ſic de cæteris omnibus experientiis à proprietate ſpecificâ corporum Cœleſtium. Adverſarii verò Martem illius mortis ſignum vel cauſam eſſe inficiantur; quoniam viſu ipſo non percipiunt, natum radio Martis veluti gladio confodi aut capite truncari; & validioribus vacui rationibus, putant ſibi aliiſque ſatis factum eſſe, ſi identidem ranarum inſtar ſuâ ex palude coaxent.

Caput VII.

An experientiarum Aſtrologicarum veræ rationes Phyſicæ aſſignari queant.

Quod Planeta in natali hominum horoſcopo ſignificet vitæ temperamento, moribus, & ingenio nati, in octavâ domo morti, &c: nequaquam dubitat expertus Aſtrologus; id enim frequenti experientiâ novit, nec aliter noſſe poteſt; non ſecus ac ignem urere ſola docet experientia. At cur Planeta ſic agat, & exempli gratiâ Mars in horoſcopo bilioſos, iracundos, audaces, & ingenioſos efficiat, miratur Aſtrologus, quippè quòd Aſtrologicarum experientiarum rationes hactenus adeò latuerint, ut in Antiquorum libris vix ulla reperiatur, quæ id nomen mereatur apud Peripateticos, inde tantò inſolentiùs contra hanc ſcientiam debacchantes, quantò illam ſcientiarum clypeo, ſcilicet, ratione nudiorem proſpiciunt. Jam verò quicunque effectus Aſtrologicâ ſciuntur experientiâ, eodem modo ut plurimum eveniunt juxta ipſius experientiæ definitionem: neque ſic eveniunt à cauſis per accidens; hæ enim nec per ſe influunt in effectum, nec ad eundem agendi modum determinatæ ſunt, neceſſe eſt ergo tales effectus contingere à cauſis per ſe, hoc eſt quæ propriâ virtute influant in effectum, ſintque determinatæ ad agendum juxta naturam ipſius virtutis propriæ: ut de igne evidens eſt, qui in quolibet ſuo effectu determinatur ad agendum juxta proprii caloris naturam. Quoniam igitur in quovis effectu tria tantum concurrunt; agens, patiens, & utriuſque applicatio: certum eſt quod ex ſingulorum debita cognitione patebit cur talis producatur effectus & non alius; hoc enim aliunde peti nequit. Itaque conſtabit eodem modo cur Mars agens in hominis patientis horoſcopo, bilioſum, audacem, & iracundum efficiat: atque ſic de cæteris: ergo experientiarum Aſtrologicarum veræ rationes phyſicæ aſſignari queunt.

Porrò ſciendum eſt de experientiis Aſtrologicis alias eſſe legitimas, alias verò ſpurias. Legitimæ ſunt quarum effectus ab aſſumpta cauſa verè producuntur, ut quod Saturnus aut Mars in prima domo malè affecti temperamentum, valetudinem atque mores pervertant: at ſpuriæ ſunt omnes hæ quarum effectus ab aſſumpta cauſa aut nullo modo, aut tantùm per accidens quandoque producuntur. Prioris ordinis ſunt eæ omnes quas Arabes jactant de gradibus Zodiaci lucidis, tenebroſis, fumoſis, de partibus, aliiſque fictitiis cauſis, quas omnes merito ablegabimus. His enim Aſtrologis idem accidit, quod Aſtronomis eveniſſe probavimus libro de Aſtronimia à nobis funditùs reſtituta: nempè quod prima Aſtrologiæ principia veraſque effectuum cauſas ignorantes, falſas ſibi confinxerint, tantâ multitudine, ut vix ullus prodiret effectus qui in aliquam ex talibus cauſis fortuito non impingeret, quamvis à tali cauſa ne quidem per accidens produceretur. Poſterioris ordinis ſunt, ut quod in Geneſi Sol vel Saturnus ſignificet Patrem nati, Luna aut Venus Matrem, vel etiam uxorem aut ſorores: Mars fratres, &c: quamvis enim id aliquando ſic ſe habeat: tamen per accidens id tantum fieri nec in omni figura genethliaca verum eſſe ſuo loco probabimus, contra Aſtrologiæ principes Ptolomæum, Cardanum, & alios, qui hac in re vehementer hallucinati ſunt. Jam verò legitimarum experientiarum dantur rationes phyſicæ: ſpuriarum prioris ordinis nullæ: poſterioris verò eatenus dantur, quatenus duntaxat ad legitimas experientias reducuntur.

Caput VIII.

Qua ratione vires corporum Cœleſtium per experientiam deprehendi queant, ex eorum inter ſe commixtione.

Id placet exemplo familiari breviter oſtendere: ſumantur colocynthis & ſaccharum, ſapida in ſuo genere excellentia, non ſecùs ac 7. Planetæ hujuſce Mundi Elementalis rectores præcipui, excellunt ſinguli virtute ſibi propria.

Si igitur colocynthis miſceatur cum limone, malo cotoneo, lactuca, portulaca, ovo, &c: fiet inde mixtio amariſſima, & forſan dubitabit aliquis, an ille amarior ſit à colocynthide; poterit enim dicere limonem, malum cotoneum, lactucam, &c: eſſe ſigillatim illo amarore infecta, etſi diverſo gradu; unde cum ipſa colocynthide ſingula diverſum ſaporem efficiunt, ſed ſemper amarum. At ſi loco colocynthidis miſceatur ſaccharum, jam ſingulæ mixtiones erunt dulces: & ſi loco ſacchari miſceatur acetum, erunt acidæ: ſicque patebit amarorem ineſſe colocynthidi, dulcedinem ſaccharo, & aciditatem aceto; quamvis colochynthis, ſaccharum & acetum ſeorſim vel in ſua ſimplicitate non guſtentur, ſed duntaxat mixta cum aliis: ſimiliterque patebit proprius ſapor limonis mali cotonei, &c: dum horum quodlibet cum colocynthide, ſaccharo, vel aceto miſcebitur.

Quoniam igitur nobis non licet vim propriam Martis in ſua ſimplicitate vel ſeorſim ſpectati per experientiam cognoſcere, quòd nimirùm ſit ſemper commixtus Stellis fixis atque ſignis, vel etiam Planetis aliis: idcircò diligenter erit advertendum qualis virtus in hæc inferiora effundatur ab ejus mixtione cum ſingulis dodecatemoriis, conſtellationibus & Planetis aliis: ac deprehendetur effundi quandam vim ſemper eandem ſpecie, quamvis diverſimodò affectam in ſingulis mixtionibus, quam Martiam appellamus. Sique dubitetur an inſit ipſi ♂ vel ſingulis aliis cum quibus ille miſcebatur: notetur deinde mixtio Veneris cum eiſdem, & patebit non ampliùs effundi vim Martiam, ſed aliam, ſemper etiam ſpecie eandem, quamvis diverſimodè affectam in mixtionibus ſingulis, quam Veneream dicimus: ſicque patebit eam quæ dicitur Martia, eſſe propriam Marti, & quæ dicitur Venerea Veneri.

Veneri. Et quia virtus Martis cum ſingulis miſcibilibus diverſimodè afficitur, inde etiam obſervabitur atque patebit propria ſingulorum virtus. Cum enim ♂ ſit unica formalis virtus, neceſſe eſt ut affectionis diverſitas ſit à ſingulis miſcibilibus, eademque eſt ratio de Planetis cæteris. Hæc autem experientia pro ♄ Planetarum tardiſſimo haberi poteſt in annis ſaltem 30. quibus ipſe ♄ totum Zodiacum peragrat, pro reliquis verò multò citiùs, ac pro Luna ſingulis menſibus, vel ad ſummum exactè intra annum, ex qua poterit de reliquis Planetis tardioribus fieri præjudicium. Imò dum deprehendetur ex motu unius Planetæ ſub tribus aut 4. ſignis eandem in hæc inferiora continuari virtutem, à Cœli parte in qua Planeta ipſe verſatur, non erit dubitandum virtutem ipſam eſſe illius Planetæ propriam: ſed in ea virtute diſtinguenda, egregii Philoſophi ſolertia requiritur, modus autem hic à nobis traditur.

Videtur tamen ſupereſſe difficultas de dodecatemoriarum & fixarum viribus. Nam propter tardiſſimum fixarum motum ſub dodecatemoriis, dubitari poteſt, an his & illis ſua ſit virtus propria, & quæ tam his, quàm illis; an verò aut hæc aut illæ virtute careant: proindeque à quanam illarum cauſarum propria ♂ aut ♀ virtus diverſimodè afficiatur. Cui difficultati reſpondeo, equidem videri difficillimum, utriuſque cauſæ virtutem propriam obſervatione diſcernere, ob fixarum motum tardiſſimum: fixa enim quævis moratur in ſingulis ſignis per 2118. annos ex Tabulis Rudolphinis: nec arbitror veteribus Aſtrologis qui hanc condidere ſcientiam, dodecatemoriorum vires obſervationibus innotuiſſe, ſicut nec 12. domorum figuræ Cœleſtis proprietates: ſed Cabalâ ab Adamo (cui Deus naturales omnes infudit ſcientias) continuatâ: quam tamen ſicut & alias ſcientias verumque Dei cultum diabolus depravavit ac figmentis variis conſpurcavit, in ipſius Dei, naturæ & hominis odium. Nihilominus præterquam quod jam eaſdem vires deprehendimus in ſingulis dodecatemoriis quæ à Ptolomæo & vetuſtioribus Aſtrologis traditæ ſunt (quamvis ipſa dodecatemoria aliis jam occupentur conſtellationibus) natura ipſa eſt adeò dives, & ſapienter ab ejus Authore ad hominis cognitionem accommodata, ut ipſi non deſint plures modi, quibus etiam brevi tempore, fixarum & dodecatemoriorum vires ab Aſtrologo ſagaci diſcerni queant.

Primò enim in ſingulis conſtellationibus ſunt quædam illuſtriores ac præcipuæ Stellæ, in quibus conſiſtit potiſſima pars virtutis totius conſtellationis, vel quæ ſaltem ſpectatæ ſeorſim, inſignis ſunt roboris ad benefaciendum aut male faciendum in hæc inferiora: quales ſunt oculus auſtrinus conſtellationis Tauri, Caſtor & Pollux in Geminis, cor Leonis, ſpica Virginis, lucida lancis auſtralis, cor Scorpii, Fomahant, caput Meduſæ, Arcturus & plures aliæ. Tunc autem præſertim conſpicuos producunt effectus, cùm Planetarum concurſu, & conjunctione juvantur & quaſi ſtimulantur. Id verò ſæpiſſimè accidit, quòd ſinguli Planetæ brevi tempore percurrant Zodiacum. Si ergo ♄ aut ♂ conjungatur cordi Scorpionis, indeque ſolito malignior ac violentior producatur effectus quam ante, vel poſt illam conjunctionem factam intra orbem virtutis illius Stellæ, quamvis ♄ aut ♂ eſſet in eodem dodecatemorio cum fixa ipſa: ſignum eſt illam malignitatis & violentiæ intenſionem eſſe ab illa Stellâ, & non à dodecatemorio, ſic ergo vis ejus propria detegetur. Idemque cenſeto de ſpica Virginis, ſi ♃ aut ♀ illi conjungatur, ex quâ conjunctione fœlicior prodibit effectus, quàm à ♃ aut ♀ ſolitariis, tum de aliis fixis. Igitur ex Planetarum ac præſertim Solis & Lunæ appulſu ad fixas vel cum his conjunctione, harum vis propria, tam circa genituras, quàm circa Aeris conſtitutiones detegi, proindeque à dodecatemoriorum viribus diſcerni poterit; etiam dum Stella in eodem dodecatemorio morabitur. Dum autem ab uno in aliud tranſiens eadem nihilominus virtute aget, patebit adhuc evidentius virtutem ipſam eſſe illius Stellæ propriam.

Secundò ſignificatorum directiones ad fixas illuſtriores, ſunt medium præ cæteris aptiſſimum breviſſimumque proprias earum vires detegendi ob directionum ipſarum frequentiam, nam in directionibus ipſum Stellæ corpus deducitur ad circulum poſitionis ſignificatoris: & ex ipſis directionibus inſignes, repentini ac plerumque ſtupendi effectus producuntur, qui nonniſi ad ipſam Stellam referri queunt: unde propria vis ejus innoteſcit. Igitur fixarum vires à dodecatemoriorum viribus experientia diſcernere neque eſt impoſſibile, neque ita longum & difficile ut à pluribus quoque Aſtrologis cenſetur, quantò magis ab de Angelis ejuſq; aſſeclis.

Tertiò Planetarum fixarum & ſignorum poſitus in ſingulis figuræ domibus, diligentur obſervatus, cum effectibus inde manantibus, brevi tempore detegent proprias vires corporum ipſorum Cœleſtium.

Caput IX.

De Aſtrologiæ ortu, progreſſu, atque ſectis.

Naturales omnes ſcientias Adamo fuiſſe infuſas à Deo rerum omnium Conditore, fatetur univerſa Theologorum rectiuſque Philoſophantium turba: unde tanto illuſtratus lumine naturali, ſingulas animalium ſpecies proprio nomine appellavit, ut habetur Geneſis cap. 2. Quod autem Aſtrologiam præ cæteris infundi neceſſe fuerit, inde probatur; tum quia ob vaticinii ex corporibus Cœleſtibus prærogativam, illa ſit reliquis divinior: tum quòd ejus principia atque notiones longè difficilioris ſint inveſtigationis ab humano intellectu quàm aliarum: ut adhuc teſtatur ipſa ſcientia, quæ ſtabili duntaxat traditione & experientiis ad nos uſque propagata eſt: nec ego arbitror naturas duodecim domorum Thematis Cœleſtis, quarum traditio eſt antiquiſſima, ab ullo homine propriâ ingenii virtute deprehendi potuiſſe: ut patebit ſuo loco in noſtrâ illarum domorum cabalâ. Ergo hanc præcipuè ſcientiam Adamo infuſam fuiſſe fatendum eſt, qui eandem & alias poſteritati ſuæ reliquerit: ideóque ut cæteræ à Deo primùm orta eſt.

Hic autem non ineptè objici poſſet: quod ſi Adamo innotuiſſet Aſtrologia, haud dubiè mortem violentam Abel à ſuo fratre Cain prævidiſſet; quis enim interitum alicujus nati violentum, acquiſito habitu præſcire poterit, ſi id Adamus infuſo non potuit? At ſi prævidiſſet, certè ne tam horrendum facinus in Deum & Abel patraretur ſedulò proſpexiſſet, id enim erat boni piique parentis officium.

At multò aptiùs reſponderi poteſt: Adamum per infuſionem ſcientiarum habuiſſe tantùm generalem rerum cognitionem, non autem particula-

rem, taliſque ſufficiebat ad nomina rerum ſpeciebus imponenda. Itaque ex ſolo Aſtrologiæ habitu theorico, verſante duntaxat circa univerſalia artis, illum nati particulare fatum non prævidiſſe: deinde neque tabulas Aſtronomicas neque inſtrumenta naſcente Abel adfuiſſe: quibus & Planetarum loca & domorum cuſpides definirentur; præſertim ſi diurna fuiſſet nativitas; ſiquidem artes à filiis Cain inveniri cœpere: at ſine illis neque ſpeciem, neque tempus accidentis per aſtra prædici poſſe conſtat: quamvis ex viſis noctu aſtris in ortu, occaſu, & Medio Cœlo, queat à peritiſſimo ſaltem confusè conjici, an fauſta ſit vel infauſta nativitas.

Porrò minimè dubitandum quod artibus in lucem pedetentim prodeuntibus, cœperint homines corpora Cœleſtia paulò attentius ſpeculari; & quæ ſola traditione tenebant, examine ſeu experientiæ committere; alliciebant enim eorum animas adeò veneranda lumina; præſertim quòd diutiſſime viverent, & humanæ vitæ terminos Moyſi indicatos decuplo ſuperarent: negotiis & curis vacui, illo durante aureo ſæculo. At quis fuerit Aſtrologiæ progreſſus ante Diluvium nobis eſt incompertum: tantúmque memoriæ proditum, ea quæ de Cœlo primi homines didicerant, in Tabulis lapideis inſculpta, prædicti metu Diluvii fuiſſe poſteritati commendata.

Tranſacto autem Diluvio, primi Aſtrologiæ cultores dicuntur fuiſſe Aſſirii; quorum veſtigia deinde ſecuti ſunt Chaldei, ſicut Ægyptii & Arabes, hi enim cùm in Camporum æquoribus degerent, ſummaque Cœli puritate continuò fruerentur, nec non eximiis pollerent ingeniis, ad divinum hoc ſtudium præ cæteris mortalibus à natura invitari videbantur: unde nil mirum ſi aſſiduis vigiliis & experientiis Artis dignitatem eò evexerint; ut apud Ægyptios ſoli Aſtrorum periti, vates, ſapientes, ac Theologi haberentur: Regibus ac Principibus adeò venerandi, ut nihil eorum injuſſu agerent; ex quo illius excellentiam adeò celebrem effecerunt, ut Indos & Græcos ad ſui æmulationem concitarint: certum enim eſt à Chaldæis & Ægyptiis Græcos, & ab his Latinos cæteraſque Europæ nationes illam didiciſſe.

Qui nam verò inter Ægyptios Chaldeoſve hac in ſcientia excelluerint nobis minimè conſtat; ſed inter Arabes floruere Artiſque præcepta poſteritati tradidere Haly, Albumazar, Albohazen Haly, Alkabitius, Alkindus & alii. Inter Græcos Claudius Ptolomæus veterum omnium Aſtronomorum & Aſtrologorum facilè princeps, qui Aſtronomiam maximis laboribus condere fruſtraneum cenſuiſſet, niſi uſum illius in ſua Aſtrologia quatripartita docuiſſet. Ptolomæum verò ſecutus eſt Proclus. At inter Latinos præcipuè commendantur Manilius, Julius Firmicus Maternus, Pontanus, Lucius Bellantius, Cardanus, & Naiboida; inter Germanos Schonerus, Leonitius, Rauzovius, Origanus. Apud Gallos verò unicum deprehendo Ferrerium Medicum Tholoſatem qui recenſeri mereatur.

Cæterùm quotquot hactenus fueri Aſtrologi, mihi videntur in duas ſectas dividendi. Alii enim ſunt merè Empyrici, qui nullas ſuæ artis proferunt rationes Phyſicas; ſed confuſa duntaxat dogmata quæ vel traditione vel experientiâ didicere, mille etiam figmentis, nugis & falſitatibus conſpurcata: ac tales fuere omnes Arabes, Manilius, Julius Firmicus Maternus, Schonerus, Leovitius, Rauzovius, Origanus, Ferrerius, aliique plures. Rationales verò appellandi ſunt, qui cauſis hujus ſcientiæ reddendis incumbunt, quod quidem pro viribus tentarunt Ptolomæus, Pontanus, Lucius Bellantius, Naiboida, & Cardanus qui in hoc Philoſophandi genere cæteris excelluiſſe videtur. Sed in re tam ardua ſufficienti lumine primiſque hujus ſcientiæ principiis deſtituti, frequenter ſic errarunt; ut pro veris falſiſſima & abſurda ſæpiùs tradiderint: unde hanc divinam ſcientiam majori expoſuere ludibrio apud Philoſophos ac Theologos, quàm ipſi Empyrici; qui ſolam pro rationibus experientiam obtrudentes adverſariis, ſaltem cautiùs celabant defectum Artis alioquin nobilis, nec abs re pro agnoſcenda veritate illos ad praxim Artis relegabant. Itaque Ptolomæus ac cæteri etiam mihi videntur potiùs Empyrici quàm rationales appellandi.

Noſtri autem eſt inſtituti ipſam rationalem Aſtrologiam à fundamentis extruere; in qua & quæcunque tradentur, & quæcunque vera ſunt in libris veterum, ad ſuas cauſas Phyſicas certaque principia adeò evidenter reducantur; ut quovis oblato Aſtrologiæ Aphoriſmo, an ſit verum nec ne, & quando, quantum, quouſque, & quare, facile dici & oſtendi queat.

Caput X.

De Aſtrologiæ principiis in univerſum.

Aſtrologiæ principia duplicis ſunt generis: alia enim ſunt incomplexa, & alia complexa. Cùmque ſcientia hæc verſetur circa effectus ſublunares à cauſis potiſſimum Cœleſtibus; ſit inde manifeſtum illius principia incomplexa eſſe agentia Cœleſtia, qualia ſunt Planetæ, Stellæ fixæ, Cometæ & dodecatemoria, eorumque virtutes; nec non patientia ſublunaria, qualia ſunt Elementa, Mineralia, Planetæ, bruta & homines: complexa verò principia, ſunt definitiones & axiomata quibus Aſtrologiam ipſam demonſtrari convenit: de his igitur priùs agendum eſt, initio facto à principiis incomplexis, auxiliante nobis ÆTERNA SAPIENTIA, cui in Cœlo & in Terra ſit ſempiternus honor, & gloria. Amen.

FINIS LIBRI DECIMI.

ASTRO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ASTROLOGIÆ GALLICÆ
LIBER UNDECIMUS.

De Corporum Cœleſtium ſimplicibus atque primariis agendi viribus in univerſum. Ac primo de Luce.

PRÆFATIO.

Circa experientias Aſtrologicas grandi confecto prælio in hujus ſcientiæ limine, quâ adverſariorum acies præcipua profligata eſt, inermiſque derelicta: jam undequaque tutus nobis patet ingreſſus in amœniſſimos Aſtrologiæ campos, quos incolunt numina Cœleſtia rerum ſublunarium fata nectentes, congruiſque temporibus explicantes. At quia Aſtrologiam diximus non modo Phyſicam ſcientiam, ſed Phyſicarum Reginam; idcircò illam à nobis pro dignitate tractari æquum eſt, quod quidem præſtabimus ſi ipſam compoſitionis methodo tradiderimus, Ariſtotelem imitati in ſuis Phyſicorum libris. Itaque à ſimplicioribus principiis & cauſis Cœleſtibus progrediemur ad compoſitas, indeque ad effectus manantes à cauſis tum ſimplicibus tum compoſitis: ſicque Aſtrorum naturæ, proprietates, & in hæc inferiora virtutes detegentur. Quoniam verò plures ſunt cauſæ ſive principia activa corporum Cœleſtium, quippe lux, calor, influentia, &c. auſpicabimur à Luce, circa quam præcipuè Philoſophi omnes vehementer hactenus hallucinati ſunt; ut nempe lux fiat in hujus ſcientiæ veſtibulo, quæ antiquas tenebras abigat. Nec de illa quæremus hic omnia ſcitu digniſſima, ſed duntaxat magis Philoſophica, inſtitutoque noſtro neceſſaria, reliquis ac præſertim opticis leviter tantum delibatis, ne fruſtrà tempus impendere videamur, quo in tantæ ſcientiæ ſtructura maximè indigemus. Sique per ipſam Luminis caliginem denſiſſimam, contigerit nos à verò aberrare, cæteris ſaltem erroris noſtri deprehendendi rectiuſque ad ſcopum collineandi, facem præferentes ultroneam dabimus occaſionem.

CAPUT I.

De Lucis diviſionibus.

Luce quidem nihil in Mundo clarius eſt, qua etiám corporea omnia fiunt conſpicua. At illius Naturâ nihil hactenus fuit obſcurius. De hac enim tot variæ traduntur Philoſophorum opiniones, ut ferè dici queat eam eſſe humano intellectui inacceſſibilem. Platonici verò circa ipſam diviniùs philoſophati triplex lumen obſervant; quippè viſibile, intellectuale & divinum: voluntque fulgorem illum, qui manans à corpore Solis, ſeſe diffundit per univerſum Mundum, eſſe Solis imaginem: eam verò lucem quæ ineſt Soli, eſſe geminum mentis Angelicæ ſpectaculum: & hujus lumen, eſſe Divini luminis idolum: ut verò hæc lucis Platonica diviſio contẽplationi magis convenit, ſic iſta magis ſcientiæ: Quod nẽpe lux ſit duplex; nimirum increata quæ Deus eſt, nobis omninò inacceſſibilis, & creata: Hæc verò iterum duplex eſt, nimirum naturalis & ſupernaturalis: Naturalis autem rurſus duplex eſt: quippe ſenſibilis & intellectualis. Prior animalibus idonea eſt ad cognoſcendas res corporeas, non quidem omnes, ſed duntaxat viſibiles; quippè quæ vel ex ſe lucent, ut Sol, vel aliunde illuminantur, ut Luna & colorata omnia. Poſterior verò naturis intellectualibus accommodatur, ad cognoſcendas res intellectuales; non quidem omnes, ſed duntaxat naturaliter intelligibiles, quæ etiam vel ex ſe lucent, ut rerum eſſentiæ Angelo, & prima principia complexa humano intellectui, qualia ſunt *quodlibet eſt, vel non eſt*, &c: vel quæ ab his illuminantur, ut concluſiones. Quippè lux naturalis ineſt rebus viſibilibus aut cognoſcibilibus, non autem potentiis, nec earum organis, his exceptis quæ in tenebris operari coguntur, ut in felibus & bubonibus accidit; quorum oculi interna luce ad videndum inſtructi ſunt, alioquin objecta in tenebris non cernerent. Jam verò lux ſupernaturalis eſt etiam duplex: quippè nocturna & diurna: Prior eſt lumen fidei quo hac in nocte ſtatus naturæ, ſupernaturaliter illuminamur; Ipſum enim rebus fide videndis non ineſt, quippè quòd credenda tenebris involvantur. Sed ad videndum ineſſe debet videndi potentiæ, ut in bubonibus, ſcilicet intellectui; adeoque intellectus lumine fidei deſtitutus, credenda videre nequit: Poſterior eſt lumen gloriæ, quo Deus diem æternitatis illuſtrat, non ſecùs ac Sol diem temporaneum: utque Sol eodem lumine & ſe & cuncta corpora videnda exhibet, viſivamque potentiam reducit ad actum: ſic Deus per lumen gloriæ in die æterna erga ſuos Sanctos à ſimili, ſed longè diviniore modo operabitur.

Cæterùm hîc noſtri duntaxat inſtituti eſt agere de luce ſenſibili aut viſibili; ſub qua quatuor hæc comprehenduntur: Nempe lux fontalis ſive radicalis, corpori lucido inhærens, ipſumque per ſe lucidum efficiens; lucis radius directus, ſive effluens à corpore lucido in hujus ambitum; lucis radius reflexus ab occurſu corporis opaci,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

unde ipſius corporis ſplendor, tum lumen propriè dictum, quod eſt actus diaphani ſive tranſlucidi, ex radii reflexione ortus, ſive conſequens in ipſo diaphano, ſoletque lux ſecundaria nuncupari.

Caput II.

De lucis natura & definitione circa quam Fluddus erravit turpiter.

LUcem eſſe ſubſtantiam Franciſcus Patricius Venetus his rationibus probare conatus eſt.

Si plures dentur in Mundo luces, quia omnis multitudo eſt ab unitate: Ergo erit aliqua prima omnium lux, à qua cæteræ: eaque erit corporea vel incorporea: ſi corporea, erit in aliquo corpore à quo reliqua lucem ſuam accipiunt: quod corpus niſi fuerit Sol ipſe, nullam corpoream lucem, primam illam eſſe poſſe dicendum eſt: ſi verò fuerit incorporea, ergo in ſeipſa conſiſtet, per ſe exiſtet, & à ſe ſubſiſtet, hæ enim ſunt entium incorporeorum proprietates, ideoque erit ſubſtantia.

In multis autem peccat ratiocinium iſtud. Primò enim falſum eſt univerſaliter, quod omnis multitudo ſit ab unitate, niſi intelligatur tranſcendentalis unitas Dei à quo omnia: non enim hic bos & hic equus (qui ſunt duo) ab uno eodemque ſunt generante; ſed nequidem omnes equi etſi ejuſdem ſpeciei, ſunt ab uno equo; cum ad equi generationem mas & fœmina requirantur: at mas & fœmina duo ſunt: ſic non omnes quantitates ſunt ab una prima quantitate, nec omnes ſoni ab uno primo ſono, nec omnes calores ab uno primo calore; quandoquidem dato corpore Elementali, abſque ullo calore nemo ſanæ mentis negabit illud & ab igne & à motu calefieri poſſe. Præterea quamvis lux ſit corporea, hoc eſt trinâ dimenſione conſtet (nec tamen eſt corpus vel materiata ex lib. 4. cap. 4.) atque lux ipſa ſit in Sole; imò ſupponatur hîc quod alibi negabimus: nempe Solem eſſe fontem omnis alterius lucis; non tamen propterea ſequetur lucem eſſe ſubſtantiam; ſicuti etſi calor ſit ens corporeum, quod nempe trinâ etiam dimenſione pollet & in ſolis corporibus reperitur, ipſe autem calor ſit in igne, ſupponaturque ignem eſſe fontem caloris omnis; non tamen propterea ſequetur calorem eſſe ſubſtantiam, ſuntque hujuſmodi ſequelæ à Logica prorſus alienæ; non enim eſſe corporeum modis ſupradictis, vel eſſe in Sole aut igne, vel eſſe fontem omnis lucis aut caloris ſunt eſſentiales differentiæ ſive proprietates ſubſtantiæ, ut de omni dicantur ſubſtantia corporea, quod tamen neceſſe eſt ut rectè concludatur lucem eſſe ſubſtantiam, ſive in prima, ſive in tertia figura ſyllogiſtica.

Quod verò ait Patricius, *ſi lux fuerit incorporea, ergo in ſe ipſa conſiſtet, &c*: planè abſurdum eſt. Nam ſcientia Angeli vel hominis eſt incorporea; nec tamen in ſe ipſa conſiſtit, per ſe ſubſiſtit, & à ſe ſubſiſtit: neque eſt ſubſtantia. Tollitque Patricius omne accidens ab hominis vel Angeli mente, dum ait omne incorporeum eſſe ſubſtantiam: deceptus eſt autem Partricius in nominibus corporei & incorporei, quæ ſumpſit duntaxat pro differentiis eſſentialibus & oppoſitis, genus ſubſtantiæ dividentibus: cùm tamen nomina illa ſint æquivoca, & corporeum incorporeum materiale & ſpirituale dicantur etiam de accidentibus.

Porrò an illa prima lux ſit corporea vel incorporea Patricius neque determinat, neque probat: ſed illam ſupponendo incorpoream ſic rurſus arguit. *Lucida ut effectus ſunt à luce ut à cauſa: quoniam igitur lucida Sol, Stellæ, ignis, ſunt ſubſtantiæ, ergo prima illa lux eſt ſubſtantia.* Sed hic rurſus peccat Patricius, dum ex concretis lucidis, concludit de abſtracta luce, quis non ſimiliter concludet calorem, albedinem & quantitatem eſſe ſubſtantias, quòd calida, alba & quanta ſint ſubſtantiæ?

Paulò fucatius videtur hoc tertium ejus argumentum. *Lux à Sole, aſtro, vel igne, hominis cogitatione ſeparari nequit, quia Sol ſeparata luce non erit Sol; ergo lux eſt ſubſtantia.* Verum etſi lux à Sole ſeparari nequeat cogitatione Patricii, qui illam opinatur eſſe partem Solis eſſentialem; non tamen ſuam probat opinionem, cujus abſurditas ex eo facilè patet, quia ſi lux fuerit pars eſſentialis Solis, Stellarum & Ignis, ergo erit eorum materia vel forma ſubſtantialis, quod infra oſtendemus eſſe falſum. Ipſaque lux à Sole ſeparari poteſt hominis cogitatione, qui ſcit illam eſſe duntaxat accidens in Sole, nequidem proprium quarto modo (ut vocant) quod nempè ſemper omni & ſoli convenit. Et quamvis neque lux neque quantitas à Sole ſecerni queant naturaliter; poſſunt tamen ſupernaturaliter ab eodem Authore naturæ, qui in Eclipſi paſſionis Christi cohibuit in puncto temporis totalem Solis lucem, ut in fornace Babylonis cohibuit non lucem ſed calorem Ignis ſupra tres Hæbreos pueros: quæ enim à quibuſdam recenſentur multiplicia miracula circa Eclipſim illam, quam ab interpoſitione Lunæ cauſatam fuiſſe cenſent, commenta ſunt: nec Deus hac in re Lunâ indiguit, ſed ut jam dictum eſt Solis lucem totalem in inſtanti cohibuit, quod confirmatur ex Euangelii textu, ubi dicitur quod *ab hora 6. ad 9. tenebræ factæ ſunt*, hoc eſt totalis obſcuratio Solis, & non ſucceſſive ut in Eclipſibus. Atque hoc unicum miraculum majorem Dei arguit potentiam ſupra Solem, quàm cætera commentitia.

Quamvis autem doctrina ſuperior veritatis & ratiocinii luce ſit omninò deſtituta: hanc tamen Bullialdus Libello de natura Lucis, non ſolùm amplexus eſt, ſed etiam fulciri voluit hoc ratiocinio, *Sol operatur virtute quæ ipſi eſſentialis eſt; & lux in ipſo eſt principium operationum omnium: illud autem principium eſt forma interna: ergo lux eſt forma interna & eſſentialis Solis*: atqui ut video non eſt diſcipulus ſupra Magiſtrum, & ex utroque ſcopas duntaxat habemus diſſolutas, argumenta ſcilicet, quæ non modò carent formâ legitimâ, ſed valdè quoque peccant in materia.

Primò enim probandum eſt id quod ſupponitur: nempe Solem operari tantùm virtute ſibi eſſentiali, non autem accidentali. Secundò, falſum eſt lucem eſſe in Sole operationum omnium principium, cùm Sol operatur in viſceribus Terræ ubi lux non pertingit, quæ duntaxat illuminat, nihilque aliud præſtat, ut infra oſtendetur; ſintque in Sole præter lucem, calor & influentia propria, inter ſe diſtinctæ, quibus fiunt cæteræ operationes Solis ut ſuo loco probabitur. Quocirca ſi Author hic nequidem probare poteſt lucem in ſe vel ſuo fonte eſſe ſubſtantiam, multò minùs ſuis nullius momenti ratiunculis probabit illam in corpore diaphano vel opaco exceptam, eſſe ſubſtantiam.

Alius

Alius contendit lucem eſſe ſubſtantiam quòd lux ſit formarum omnium maximè activa. *Quæ enim* (ait) *magis ſunt activa, ea entis naturam perfectiùs participant: quod autem naturam entis perfectiùs participat eſt ſubſtantia. Hæc enim eſt ens per ſe, accidens verò ens per aliud.*

Cæterùm multi errores hic deprehenduntur. Primò enim aſſumitur falſum, quippè lucem formarum omnium eſſe maximè activam: præ cæteris enim lux Solis talis eſſet: at lux Solis ſiſtitur ſuperficie Terræ, nec eam penetrat, ejuſdem verò Solis calor ab ipſa luce realiter diſtinctus ut infra oſtendetur, Tellurem penetrat, in ejuſque viſceribus mineralia generat, paſſim verò calefacit, rarefacit, reſolvit, digerit, coquit, vivificat, pluresque alios edit effectus, cùm interim lux duntaxat illuminet: ergo luce calor longè eſt activior: at influentiæ Solaris activitas caloris Solaris activitatem adhuc incomparabiliter ſuperat, quòd nempè calor hic non admodum profundè Tellurem penetret, ſed omninò ſiſtatur in regione mineralium: ut à nobis oſtenſum eſt lib. 3. influentia verò totum Telluris globum penetret. ideoque qui naſcuntur, vix minùs à Sole ſubterraneo quàm ſuperterraneo afficiantur, imò effectibus, lucis & caloris vim immenſe excedentibus ut Aſtrologis notum eſt: proindeque plurimùm abeſt ut lux ſit formarum omnium maximè activa. Præterea etſi quæ magis ſunt activa naturam entis perfectiùs participent, non tamen ſequitur, ea eſſe ſubſtantias, alioquin calor & influentia Solis eſſent ſubſtantiæ, quòd lucem activitate ſuperent ut jam dictum eſt, ſaltemque ad quantamcunque lux eſt effunditur diſtantiam; Solis calor & influentia etiam in inſtanti lucis inſtar effundantur: illud verò nemo ſanæ mentis dixerit. Et ratio eſt, quia generica entis natura, dividitur in ſpeciales ſubſtantiæ & accidentis; quarum utraque perfectiùs aut imperfectiùs participari deberet ex mente etiam Authoris hujuſce ſcientiæ; alioquin præter lucem nulla eſſet forma ſubſtantialialis, quod nulla (ut vult) ſit luci non inferior in activitate. Inde verò ſequeretur ſubſtantias magis activas, naturam ſubſtantiæ participare perfectiùs, & accidentia magis activa, naturam accidentis; non autem ſequeretur quod ſupra infertur: alioquin valeret hoc ſimile ratiocinium. Petrus intellectu vel ingenio magis activus eſt quàm Paulus, ergo Petrus naturam intellectualem perfectiùs participat, ergo Petrus & Angelus, quod eſt ſophiſma à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter. Jam verò ſi ex ſupradictarum opinionum fundamentis deduci nequit lucem eſſe ſubſtantiam; neceſſe eſt corruere cætera illis ſuperſtructa: quippe lucem eſſe ſubſtantiam mediam inter ſpiritalem atque corpoream, de quo conceptu ſibi maximè gratulantur, ſed priùs probandum erat lucem eſſe ſubſtantiam.

Hìc tempeſtivum eſſet aliquid eorum exponere, quæ circa naturam lucis inter Clariſſimum Doctiſſimumque D. Deſcartes & Me pluribus Epiſtolis agitata & controverſa fuere; dum ille pag. 4. ſuæ dioptrices, ait, lucem in corporibus ex ſe lucidis, nihil aliud eſſe quàm motum quemdam vel actionem admodum celerem vivacemque ad oculos noſtros emiſſam per intermedium aerem aliaque corpora diaphana: Pagina autem 122. Lucem in corporibus diaphanis nihil aliud eſſe quàm actionem vel inclinationem ad motum, cujuſdam materiæ ſubtiliſſimæ, quæ corporum ipſorum nempe aeris, aquæ, vitri & cæterorum omnium diaphanorum poros occupat atque replet. At ſecundâ ſuâ ad me epiſtolâ fatetur ſe lucis quaſdam duntaxat deſcriptiones expoſuiſſe, nec ſcholaſticas definitiones per genus & differentiam tradere voluiſſe; ad vitandas difficultates ſuperfluas inde oriundas. Præmittit autem hæc verba, *ut verò conceptum meum paulò clariùs aperiam, quàm hactenus facere voluerim, tibi dicam quod per lucem Solis nil aliud concipio, quàm quod fluidiſſimâ illa conſtet materiâ, quæ continuò & celerrimè in gyrum agitur circa illius centrum, unde fit ut undique premat materiam ex qua Cœlum componitur, quæ non aliud eſt quam materia illa ſubtilis de qua ſuperiùs quæ ab Aſtris ad oculos noſtros ſine interruptione extenditur, ſuoque intermedio ſitu, ſenſum nobis cauſat preſſionis illius Solaris quæ lux appellatur.* Subjungit autem ſe non ignorare multas inde mihi orituras difficultates quarum habet ſolutiones paratas in ſua novâ Phyſicâ, nondum tamen exponendâ.

Cùm itaque nec circa naturam lucis, nec circa materiam illam ſubtilem totius ſuæ Phyſices (ni fallor) fundamentum convenire potuerimus, ſintque mihi ignota ejus principia Phyſica nondum hoc anno 1638. evulgata: temerarium eſſet tantum virum damnare inauditum, cujus ingenium in Analiſi Mathematica, ſupra omnes Antiquos excellere, teſtatur ejus Geometria, tum facilis reſolutio omnium Problematum Mathematicorum ipſi à quovis oblatorum: quamobrem ab ejus Phyſicâ ſi in lucem prodierit mearum objectionum ſolutiones quas pollicitus eſt, evidentiores erunt exſpectandæ, mihique interim ſufficiet quod lucem non ſubſtantiam, ſed potiùs accidens tacitè ſaltem fateatur, cum illam eſſe motum vel actionem aſſerat.

Tandem verò D. Carteſius ſuam Phyſicam in lucem edidit anno 1644. In qua non ſupponit, ſed profitetur pag. 69, ſe nullam rerum corporearum materiarum agnoſcere, quàm illam quantitatem continuam, quam Geometræ pro objecto ſuarum demonſtrationum aſſumunt; quæ tamen eſt quantitas duntaxat imaginaria vel abſtracta. Deindeque ſupponit, illam initio Mundi diviſam fuiſſe à Deo in particulas non ſphæricas: unde tria emerſerunt rerum corporearum elementa à Nobis explicata & rejecta, Lib. 9. Sect. 1. cap. 3; quòd ſcilicet tria hæc Elementa, ſint tandem unicum Elementum: idque duntaxat imaginaria & aſtracta quantitas continua ſupradicta. Sed in ſua Phyſica promiſſis non ſtetit, ſolvendo difficultates ſibi à Me propoſitas: Tantumque reperitur pag. 97, lucem conſiſtere in illa ſola vi, qua globuli ſeu partes ſphæricæ ſui ſecundi Elementi, nec non etiam materia primi, circa centra vorticum S. F. congregata, recedere conantur ab illis centris. Quippè in Mundo tot ſupponit vortices quot aſtra: Quodque primum Elementum in quolibet vortice ſydus componens, & in gyrum agitatum, conatur recedere à centro vorticis; ſicque premit particulas ſecundi Elementi circumſtantes à centro ad ſuperficiem; ut à centro Solis vel fixæ uſque ad Terram: illamque vim premendi, vel preſſionem ait eſſe lucem.

Sed hîc denuo multas ac ingentes accumulat difficultates; quæ priuſquam exponantur, in hiſq; tempus fruſtra teratur, ſolvenda eſt omnium præcipua à nobis objecta. Quod nempe tria Elementa Carteſii ſint unicum Elementum, idque imaginaria quantitas. Hoc enim eſt fundamentum omnium aliarum Carteſii imaginationum circa principia Phyſica, quæ imaginationes vel hypotheſes planè corruunt abſque ulteriore ipſarum examine, ſi tria ejus Elementa evertantur, ſintque (ut probavimus) unicum Elementum. Quod verò ipſe non fecit, faciat poſt ejus mortem, quicunque illius gloriæ zelo flagrabit, ne Andabatarum more pugnare videar.

Itaque ſupradictis erroribus evidentibus ablegatis, forſan Doctoribus facem præferemus; ſi noſtram de luce mentem hic jam aperuerimus: ac primò aſſeruerimus lucem non eſſe ſubſtantiam; neque ſpiritualem, quòd lux ſit per ſe ſenſibilis etiam apud bruta: neque corpoream. Non enim eſt materia, alioquin eſſet ſubjectum & potentia, lux vero eſt actus in ſubjecto: adhæc materia carbonis extincti & generandæ cicendulæ, eſt in potentia ad lucem, quæ ſi eſſet materia, ergo materia eſſet in potentia ad materiam, & materia reciperetur in materia, quæ ſunt valdè abſurda.

Sed neque eſt forma ſubſtantialis; huic enim propriè non convenit intendi & remitti, quæ tamen luci propriè conveniunt, ut palam eſt in carbone accenſo, cujus lux flatu eò magis intenditur quo validior hic fuerit. Sed maximè in reflexione radiorum Solis à ſpeculo concavo, qua objectum à Sole directè illuminatum, ſtupendam patitur luminis intenſionem in ipſo ſpeculi foco poſitum. Ad hæc Aeri, Aquæ, Vitro, vel etiam cuivis liquori illuminatis, duplex ſimul ineſſet forma ſubſtantialis citra ſubordinationem: quod eſt erroneum.

Præterea cicendula & lignum putre ſpecie differunt, ideoque eorum formæ ſubſtantiales primò & per ſe differunt inter ſe. At nulla lux Phyſica differt ab altera primò & per ſe; quæ enim ſic ſe habent, aut ſunt invicem incompatibilia in eodem ſubjecto; ut forma hominis & forma equi: aut ſe invicem remittunt vel expellunt, ut calor & frigus: at lux à cicendula & lux à ligno putri effluentes, ejuſdemque naturæ cum luce fontali unde prodeunt, neque ſunt in eodem Aere incompatibiles, neque ſe mutuò expellunt, nec una remittit alteram: ſed contra coeunt in ipſo aere in unam numero lucem effluxam, quæ eo magis intendetur quò plures corporum lucidorum adfuerint radii, ut ex Stellis fixis & Planetis in aere nocturno cernere licet. Ad hæc duo lumina dici queunt diſſimilia in ipſo lumine: at ſi duo homines, vel duo cygni dicantur diſſimiles, de forma ſubſtantiali id nunquam ſubauditur, non ergo lux eſt forma ſubſtantialis.

Denique lucem non eſſe compoſitum ex materia & forma, inde liquet, quia lux eſſet corpus, quamobrem nec in aere, nec in vitro recipi poſſet, cùm nulla detur naturalis corporum penetratio. Itaque lux non eſt ſubſtantia nec ſpiritualis, nec corporea, etiamſi à corporibus ſolidis reflectatur; hoc enim convenit quoque calori & voci, quæ propterea nemo dixerit eſſe corporeas ſubſtantias.

Solet autem à quibuſdam objici textus ille Geneſeos, *dixit DEUS fiat lux & facta eſt lux: quod autem fit* (inquiunt) *eſt ſubſtantia non accidens:* At reſpondeo inde ſequi nullum in Mundo eſſe accidens, quippè quòd initio Mundi cuncta per verbum *fiat* ſuum eſſe habuerint. Cùm autem accidens vulgò definiatur eſſe id quod adeſt & abeſt ſine ſubjecti corruptione: multaque talia dentur ab ipſo Mundi ortu: certum eſt non omne quod per verbum *fiat* habuit eſſe, eſſe ſubſtantiam. Itaque per fiat lux, intelligitur fiat lucidum; ut ſi dictum fuiſſet fiat albedo, factum fuiſſet album, quippè quòd lux & albedo ſine ſuis ſubjectis in natura non fuerint poſita. Quod ſi quis denuò arguat, de nullo accidente dictum fuiſſe *fiat* expreſſe; ideoque lucem eſſe ſubſtantiam. Reſpondendum, accidens ſpectari dupliciter abſtractè & concretè. Itaque verum eſt de nullo accidente abſtracto, dictum fuiſſet verbum *fiat*; non autem de concreto. Vel per lucem primo die factam intelligi Cœlum empyreum, quod eſt ſimplex ſubſtantia per ſe lucida, non tamen lux ſimpliciter. Etſi non negem DEUM ſupra Naturæ ordinem creare poſſe accidens abſolutum ſine ſubſtantia, quodque ſi panis hoſtiæ conſecrandæ eſſet ex ſe lucidus ut Sol, vel cicendula; per conſecrationem, hoc eſt, tranſubſtantiationem, remaneret lux in quantitate ut remanet albedo. Denique probabilis eſt eorum ſententia qui per lucem primo die creatam intelligi volunt naturam Angelicam, cujus princeps vocatus eſt Lucifer: & hoc inde confirmatur, quia ut Angeli omnes ante peccatum dicti ſunt lux, ſic poſt peccatum dicti ſunt tenebræ à CHRISTO, *ſed hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum*, hoc eſt Diabolorum: imò Principes Diabolorum vocantur à D. Paulo Principes tenebrarum. At quia Cœlum Empyreum & Angeli ſunt luces ſupernaturales; ille autem Geneſis textus intelligendus eſt de luce naturali quæ diviſa eſt à tenebris & appellata eſt dies: Idcircò adhærendum cenſeo explicationi noſtræ capitis 10. Lib. 2.

Procul igitur abſint Roberti Fluddi circa lucem chymeræ magnificæ ingeniis pervertendis & à verâ DEI cognitione, cultuque alineandis duntaxat idoneæ. Quibus conſtat illum cæteroſque ejuſdem farinæ fratres Crucioſeos in luce omninò cœcutiiſſe, vel papilonum inſtar ejus pulchritudine illectos, incautè hac in ipſa periiſſe. Dum nempe aſſerens lucem eſſe univerſale agens, formaleque omnium principium & cauſam; non modò ut res cæteræ agant, ſed etiam ut ſint; hoc eſt lucem eſſe DEUM ipſum: vult denique illam cum ſpiritu Æthereo componi, ad totius Mundi animam conſtituendam: Proque varia lucis cum ſpiritu mixtione Mundum totum dividi in tres ſphæras, Empyream, Æthersam, & Elementalem, in quibus corporis vel individui cujuſvis anima ſive forma ſit ipſius animæ Mundanæ particula. Unde hæc ſequuntur neceſſario, DEUM eſſe diviſibilem in partes entitativas; eum fieri partem compoſiti Phyſici, & corpus quodlibet eſſe DEUM formaliter, proindeque adorandum: Multaque alia prorſus nefanda lumini naturæ à Nobis expoſito Lib. 1. tum lumini fidei prorſus contraria.

Quoniam igitur Lux non eſt ſubſtantia, & tamen

men ens reale; ergo ſit accidens, neceſſe eſt, præſertim quod adſit & abſit ſine ſubjecti corruptione, ut patet ex Aere, vitro & ſimilibus; ſed præſertim ex ladide Julii Cæſaris LaGalla, cui etiam inhæret: Cúmque ſubjectum quale faciat atque denominet, eſt de genere qualitatis; imò ad ejus diverſas pertinet ſpecies pro diverſa ejus conſideratione & diverſitate ſubjecti quod afficit: Prout enim eſt forma propria corporis lucidi, quod per ipſam illuminat, eſt naturalis & innata potentia: prout verò aerem aut cryſtallum illuminat atque actuat, diſpoſitio vel habitus nuncupatur: quatenus tandem ſenſum viſus afficit, patibilis qualitas appellatur. Eſt autem qualitas corporea, tum quia eſt per ſe ſenſibilis, tum quia ad extenſionem materiæ extenditur, ut patet ex feneſtræ ſuceſſiva apertione ad Solem: his adde quod lucis conus à lucido prodiens trinam dimenſionem participet.

Quoniam autem diverſimodè ſpectatur ipſum lumen, quippe in ſe, in corpore lucido cui proprium eſt, & in diaphano ſive perſpicuo per quod tanquam medium cuncta videntur, idcircò diverſimodè etiam definiendum eſt. Itaque lumen in ſe vel formaliter ſpectatum, propriè lux appellatur, & definitur à nobis, qualitas patibilis per ſe ipſam viſibilis; qualitas enim patibilis eſt lucis genus proximum, ſub ſe complectens id omne quod ſenſu percipitur: reliquum definitionis eſt lucis differentia formalis, ne quidem colori conveniens; qui per ſe non eſt viſibilis ſaltem actu, ſed per aliud, nempe per lumen. At lux in corpore ex ſua natura lucido, ut in Sole, definitur à Nobis potentia naturalis corpus ipſum per ſe viſibile faciens: quamvis enim Sol ſit per lucem viſibilis, quia tamen hæc ei propria & connaturalis eſt, dicitur ille non per aliquid à ſe extraneum, ſed per ſe viſibilis. Splendor verò parietis aut colorati, eſt actus coloris, non quatenus color eſt, (quod plerique opinati ſunt) ſed quatenus viſibilis: Color enim ſine luce eſt tantùm viſibilis potentiâ. Denique lumen in corpore diaphano rectè definitur ab Ariſtotele, quod ſit actus perſpicui quatenus perſpicuum eſt: dicitur actus perſpicui, quia potentiâ perſpicuum, ut Aer, Aqua, Vitrum, non poteſt actu fieri perſpicuum, ut ſcilicet per illud colores percipiantur, præterquam à ſolo lumine: Dicitur ut perſpicuum eſt, quia lumen non eſt actus Aeris ut Aer eſt, ſed ut perſpicuum quo intermedio corpora videntur ab oculo.

Notandum verò lumen non eſſe actum inhærentem, imò nec intrinſecè adhærentem perſpicuo, ſed duntaxat in ipſo ſimpliciter exiſtentem aut extrinſecè adhærentem, præſente lucido corpore cui lux fontalis inhæret; radius autem adhæret intrinſecè corpori lucido à quo effluit: Nam quod inhæret, vel adhæret intrinſecè, firmam dicit unionem nec momento ſolubilem; at lumen ab Aere momento evaneſcit; in ipſoque Aere lumen & umbra æquè moventur ad motum etiam velociſſimum corporis lucidi vel opaci: quæ ſanè veritas non ſegniùs D. Thomæ, Scoti aliorumque Philoſophorum de luce in diaphano contentiones diſſipat, quàm lux ipſa tenebras.

CAPUT III.

De Corporum lucidorum rădiis, horumque ſubjectis variis.

QUod ab omnibus corporibus in diſtans naturaliter agentibus, virtus activa effluat, alibi oſtenſum eſt: Ideoque à lucido corpore quolibet, etiam lux effluit. Nec ſolùm à toto corpore ſed ejus etiam quantulacunque parte: dum autem dicitur ab opticis quodlibet lucidi punctum in orbem irradiare, ii de puncto Mathematico vel indiviſibili non ſunt intelligendi: ſed de Phyſico, cujus aliqua eſt latitudo, ut ſenſus eorum ſit à lucidi parte quantæcunque parvitatis, lucem effluere: alioquin errarent ipſi contra principia Phyſica, inde enim ſequeretur indiviſibile primariò illuminare, quod tamen eſſe nequit. Etenim nullum indiviſibile eſt lucidum, at omne primariò illuminans eſt lucidum, ergo nullum indiviſibile eſt primariò illuminans. Major probatur quia nullum indiviſibile eſt viſibile; ſit enim Viſio per conum, cujus baſis eſt in viſibili: at omne lucidum eſt viſibile, ergo nullum indiviſibile eſt lucidum: minor autem ſupraposita patet, quia primariò illuminans eatenus tantum illuminat, quatenus eſt lucidum. Itaque lucis conus à lucido prodiens cujus baſis in ipſo lucido concipitur, eſt ſemper aliqua portio ſuperficiei ipſius lucidi.

Eſt autem mirandus lucis ille effluxus à luce fontali, quæ cùm ſe ipſam in ſe ipſa cohibere nequeat, ſeſe neceſſariò effundit in infinitam propè diſtantiam DEI bonitatis immenſæ, præ cæteris entibus æmula. Ex ſcintilla enim lux effluit in totam ſuæ activitatis ſphæram quam replet ipſa lux effluxa: idque ex eo patet quia ex quovis puncto ipſius ſphæræ poteſt ſcintilla videri, niſi obſit nimia oculi & objecti diſtantia; quod non fieret ſi lux ex ſcintilla in illud punctum non efflueret, vel effluxa eidem puncto præſens non eſſet: cùm igitur lux illa effluxa ſuam habeat entitatem, quis non miretur ab tantilla ſcintillæ luce, tantam effluere lucis vaſtitatem ſibi per omnia continuam? Quod autem colorata omnia intra ſphærarum ipſarum contenta non videantur, in cauſa eſt lucis fontalis exigua entitas; quæ nonniſi ad exiguam diſtantiam lumen poteſt ſecundarium producere; ſaltem ſenſibus noſtris proportionatum: unde fit ut colorata à luce fontali ſcintillæ remotiora, non videantur. Sic enim Stellæ fixæ quamvis Sole majores & copioſiſſima vivaciſſimaque lucis entitate præditæ, tamen ob immenſam à Tellure diſtantiam, ne quidem omnes ſimul lucem producunt ſecundariam, quâ ſingula ſuperficie Terreſtris objecta diſcernantur.

Cæterùm cum pluribus non eſt opinandum, lucem effundi ad infinitam diſtantiam, tum quod non detur infinita diſtantia: tum quia etſi illa daretur, tamen qualitates emiſſæ ab agentibus in diſtans ſunt quaſi quædam neceſſario projecta, quæ juxta vim agentis ad minorem aut majorem diſtantiam projiciuntur. Nullius autem agen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

agentis virtus eſt infinita: Ergo nullum agens in diſtans poteſt qualitatem à ſe emiſſam projicere ad infinitam diſtantiam. Itaque lux eò debilior evadit, quò longiùs excurrit à ſuo fonte, ſive principio, ut patet ex fixis, Luna, Venere, &c: imò etiam Sole, qui ex ſphærâ fixarum eſſet homini inviſibilis ut alibi demonſtravimus: & per continuam elongationem à ſuo fonte ſic attenuatur ac rareſcit, ut tandem evaneſcat; idemque dicendum de cæteris qualitatibus in diſtans agentibus.

Porrò lux omnis effluens vocari ſolet radius, qui non eſt linea Mathematica, etſi hæc in radio concipiatur ab opticis: ſed linea lucis Phyſica vel potius lucis conus; cujus baſis proviſione eſt corpus lucidum vel pars ejus, & pro illuminatione corpus illuminatum. Eſt autem ipſe radius, ſive conus verè quantus trinâ dimenſione: Neque ejus quantitas eſt materiæ Aeris, vel Ætheris per quem radius tranſit, quia ſi Sol poneretur in vacuo aut ſpatiis imaginariis ubi nihil eſt, lux tamen ſive radius ab eo ut ſupra efflueret, vel ſolum nihil hunc effectum impediret, quod abſurdum eſſet opinari; cùm lux ad ſui diffuſionem ex ſe ipſa propenſa ſit, neque propenſionem vel diffuſionem à corporibus circumſtantibus accipiat. Sed ipſa coni quantitas, eſt entitatis ipſius lucis, quæ propriam habet entitatem, ut diximus cùm de quantitate; ideoque lux ipſa eſt per ſe corporea; nec tamen materiata, neque corpus: differunt enim hæc, ſiquidem corporeum dicitur quod tamen trinam habet dimenſionem, materiatum quod materia conſtat, corpus verò, quod conſtat materia & forma ſubſtantiali. Neque id omne quod corporeum eſt, eſt materiatum, ut patet in ſpeciebus ſacræ Synaxeos. Quamobrem decepti ſunt qui videntes lucis radios eſſe corporeos vel trinâ dimenſione affectos, hos putarunt eſſe corpus ſubſtantiale: auxitque fallaciam, quod deprehenderent eos neque inhærere ſubjecto aeri in quem effuſi ſunt, neque moveri eo moto: unde illos per ſe ſubſiſtere arbitrati ſunt. Verùm præterquam quod lux fontalis eſt in lucido inhæſivè, hocque diviſo illa dividitur, inſtar aliorum materialium accidentium; Illis non innotuerunt ſubjecta qualitatum è corporibus effluentium, quæ tria ſunt: nempè ſubjectum adhæſionis, quod pro luce eſt ipſum corpus lucidum, cui lux effluens adhæret intrinſecè, & à quo per adhæſionem illam, ineſſe dependet ſubjectum effuſionis quod eſt Æther, Aer, Aqua, Vitrum, imò paries illuminatus, quod etiam ſubjectum adhæſionis extrinſecæ dici poteſt, & ſubjectum inhæſionis, noſtro tantùm ſæculo detectum à Julio Cæſare Lagalla; quod eſt lapis ille calcinatus qui lucem Solis in crepuſculo excipit atque ad tempus ſervat, ut etiam luceat in tenebris. Sic virtutis magneticæ effluentis, ſubjectum adhæſionis eſt magnes, effuſionis eſt Aer; imò tabula lignea quam penetrat, & ſubjectum inhæſionis eſt ferrum, ſicque rurſus influentiæ Solaris effluentis, ſubjectum adhæſionis eſt Sol, effuſionis eſt Æther, Aer & globus Terreſtris quem illa penetrat ut ſuo loco oſtēdetur: inhæſionis verò eſt homo, qui influentiam illam naſcendo excipit, totoque vitæ tempore ſervat ut geminum ejus ſubjectum inhæſionis, quod alibi fuſiùs explanabitur. Atque notandum eſt qualitates effluxas rurſus operari in propriis ſubjectis inhæſionis, ut operabantur in corporibus unde effluxerunt: ſic lapis ſupradictus per exceptam lucem illuminat, ferrum vi magneticâ inſtructum eandem rurſus effundit & aliud ferrum attrahit. Et homo per exceptum naſcendo Veneris influxum, alios ad Venerem excitat, & jucundos efficit, Saturninus ſive triſtis, triſtes: Martialis ſive iracundus, iracundos, furfures, &c: unde proverbium, *cum bono bonus eris, cum perverſo perverteris.* Cæterum de radio lucis certum eſt quod ſi effluxerit in congruum diviſionis ſubjectum, ab hoc ille dividetur, ut patet ex lapide Cæſaris LaGalla, qui radii portiunculam excipit & retinet: At in Aere lux effluxa eſt indiviſibilis: & quæ magnum aliquod ſpatium occupabat, per opaci interpoſitionem tota ad minus ſpatium retrahitur; in quo plus eſt lucis quam prius eſſet.

Porrò quoniam lux cæteræque qualitates effluentes inhærēt alicui ſubjecto ad aliquod tempus, jure quæri poteſt quid tandem fiat de illa luce, vel de luce à candela accenſa effluente, dum hæc conſumitur; volunt enim quidam de luce nihil prorſus deperire, ſed refluere in corpora unde digreſſa eſt, cum tamen ipſa corpora ſæpe cùm ipſa luce deſinant, ut dum candela, aut carbo, aut ſcintilla ſuam ſphæram luce replentes conſumuntur: At proinde quoniam lux eſt accidens, nec ipſa inhæret Aeri, nec candelæ adhærere poteſt conſumptâ vel extinctâ candelâ, ergo niſi periret & corrumperetur, dicendum eſſet illam per ſe independenter ab omni ſubjecto ſubſiſtere, quod omni accidenti eſt naturaliter impoſſibile. Ergo lux etiam Solis recepta in lapide calcinato Cæſaris LaGalla deperit & corrumpitur, non tamen annihilatur, nihil enim natura ſola annihilare poteſt: in quid verò deſinat, ignoratur: idemque dicendum de vi magneticâ in ferro recepta, & influentia Cœleſti in homine; quæ pereunt dum ſaltem eorum ſubjecta corrumpuntur; quamobrem dicendum videretur, lucem ipſo in Sole reſarciri & conſervari per aliquod pabulum, ut in noſtrate igne accidit: id valdè innuunt maculæ Solis, quas eſſe fumos vel exhalationes è corpore Solis prodeuntes jam communior & probabilior eſt ſententia.

CAPUT IV.

De Motu Lucis.

Dicendum hìc ſupereſt de Motu Lucis qui duplex eſt, nempè motus effluvii & lationis: Primus eſt ille motus, quo lux per radios effluit extra lucidum ad quantam poteſt diſtantiam, atque hic fit per ſe in inſtanti de communi conſenſu, ſive ſit tantùm directus, ſive etiam pluries reflexus: poteſt tamen etiam fieri ſucceſſivè per accidens, ſi nempe in linea radii moveatur corpus opacum. Nam quia corpus ipſum poteſt tantùm moveri ſucceſſivè, prout ipſum magis ac magis recedet à lucido per ipſam lineam, etiam lux effluet ſucceſſivè ad majorem diſtantiam.

Porrò

Porrò circa lucis effluvium tria in luce ſpectanda ſunt, nempè copia entitatis lucis, ejus vivacitas quæ oritur à puritate & denſitate lucidæ entitatis, & vis motiva. In Sole eſt lucis copioſiſſima entitas, & ſumma vivacitas, ideoque radii à Sole manantes ſunt copioſiſſimæ entitatis, & vivacitatis, in ſcintilla per pauca eſt entitas, ſed multa vivacitas: At in ligno putrido noctu lucente eſt pauca entitas & minor vivacitas, ideoque hæbes eſt tale lumen. Certum autem eſt lucem Solis ad majorem diſtantiam effundi vel projici quàm ſcintillæ aut ligni putridi, unde conſtat vim motivam lucis, eſſe ejus entitati & vivacitati proportionatam; proindeque vires ipſas inter ſe inæquales eſſe; quod ex eo etiam colligitur, quia etſi ſingulæ eodem momento temporis ſuum motum abſolvant; una tamen majus ſpatium percurrit quam alia. Quoniam verò lucis cujuſvis effluxus fit in inſtanti ad quantam fieri poteſt diſtantiam; ſequitur quod in ipſo motu, vis motiva lucis non remittitur; alioquin motus ipſe non fieret in inſtanti, quodque niſi entitas lucis effluxæ continuâ rarefactione diſſiparetur, lux poſſet in momento effundi ad infinitam diſtantiam ſi talis daretur diſtantia.

Motus autem lationis eſt ille quo lux ab uno loco illuminato fertur ad alium non illuminatum. Et quia lux ſic tantùm defertur per motum corporis lucidi, qui ſucceſſivus eſt, idcircò lux hoc motu tantùm ſucceſſivè defertur. Motus autem lationis eſt ſemper cum motu effluvii, non contra: Nam ſtante lucido lux quidem effluit in diaphanum: At effluxa eſt immobilis, utcumque diaphanum ipſum moveatur, ut patet in aere moto præſente lucido ſtabili.

Caput V.

De diaphani ſive perſpicui diviſione, & circa illud Ariſtotelis & Kepleri opinionibus.

Diaphani duo ſunt genera; quippe ſimplex plurumque diaphanum, ut Æther & Aer; quorum corpus ſimpliciſſimum, tenuiſſimum, rariſſimum, & fluidiſſimum, cauſat illam primi generis diaphaneitatem, nec non compoſitum vel impurum, quod nempè corpus ſortitum eſt variis Elementis compoſitum, denſius, craſſius atque ſolidius, tamen nulla aut ſaltem pauca commixtum terreſtreitate, præſertim foculenta, ut aqua, cryſtallus, vitrum, & his ſimilia. Primum genus radium lucis intra ſe admiſſum non retinet, ſed ulterius ſinit effluere. Alterum verò ex parte retinet, indeque fit lucidum per accidens, ex parte verò ſinit effluere. At corpus opacum propriè dictum, ut marmor, ferrum, non intra ſe, ſed in ſola ſuperficie radium lucis excipit, illumque ex toto ſiſtit, ne ultra effluat: ideoque ex toto reflectit; quidquid de lyncæis oculis nonnulli fabulentur, hos objecta per intermedium videre parietem: Quamvis enim lux non impediatur à ſola corporum profunditate, imò ſoliditate, quo minùs ea pertranſeat; ut patet ex aere, aqua, & vitro, etiam colore tincto: tamen ſi accedat opacitas, ut in ferro atque auro, lucis radius ex toto cohibetur, vel ipſa teſte experientia. Quamobrem malè Keplerus prop. 22. in Paralip. in Vitell. arbitratur pejuſque probat, lucem ferire colorem undique per ſoliditatem corporis cujuſque colorati, & penetrare corpus ipſum, indeque tingi & repercuti, non autem à ſolâ ipſius corporis ſuperficie, etiam in ſummo gradu lævigata. Sed de his fuſius infra cum de colore.

Cæterum hîc omittenda non videtur magna Kepleri cum Ariſtotele circa perſpicuum diſſenſio, nec noſtra de utroque cenſura. Imprimis igitur rectè ait Keplerus Ariſtotelem non definiviſſe lucem ſecundum quidditatem, ſed duntaxat prout medio viſionis deſervit, dum ait Ariſtoteles, *lucem eſſe præſentiam ejus habitus in corpore, ob quem corpus ipſum dicitur actu perſpicuum*; id Keplerus hac ratione negat; *quòd ſcilicet perſpicuum non ſit actu, niſi lux tranſitione facta impingat in parietem, ut inde color perſpiciatur; tum verò lux non eſt illius habitus præſentia in perſpicuo*; quod alibi confirmans, ait, *lucem non eſſe in perſpicuo quatenus perſpicuum eſt*. Sed duplici de cauſa Keplerus errat. Primò dum putat lucis radium non eſſe in perſpicuo, quòd hic ille pertranſeat impingens in parietem. Nam certum eſt quod quamdiu color parietis illuſtratur à luce, tamdiu lucis effluxus occupat perſpicuum, inter Solem lucentem & parietem intermedium, ut ipſemet Keplerus alibi cõcordat cum Ariſtotele. Secundò etiam certum eſt quod lux impingens in parietẽ, reflectitur in medium perſpicuum: dupliciter igitur lux præſens eſt perſpicuo, ut actu perſpicuum eſt; nec refert quod Keplerus afferat perſpicui eſſentiam non eſſe lucem ſeu præſentem, ſeu abſentem, ſed internam duntaxat corporis diſpoſitionem: quæ meo quidem judicio conſiſtit in ipſius corporis raritate, tenuitate, puritate & ſimplicitate, quæ quo majores ſunt eo fit excellentiùs perſpicuum. Nam Ariſtoteles & lucem & perſpicuum actu, ſub ea tantùm ratione ſpectavit, qua duntaxat calorum viſioni deſerviunt. Porrò quod ait Ariſtoteles perſpicuum actu, inter viſibilia habendum eſſe; non ſeipſo, ſed per calorem alienum & extraneum, querelam Keplerò movet, quod perſpicuum ponatur inter viſibilia quæ ſunt conſpicua: opponantur verò perſpicua & conſpicua. Cæterùm lis hæc dirimitur diviſione perſpicui in purum & impurum à Nobis ab initio poſita: Impurum enim perſpicuum ut materia crepuſculorum, vel nubes raræ per quas Stellæ videntur, vel etiam vitrum, conſpicuum eſt ſeu viſibile: non quatenus perſpicuum, ſed quatenus coloratum, aut ſua denſitate lucis repercuſſivum: at perſpicuum ut ſic ſive purum, eſt inviſibile; eoque magis, quo puriùs eſt. Nec ſolùm ſeipſo eſt inviſibile ut fatetur Ariſtoteles; ſed etiam per colorem externum: Color enim (ait Keplerus) ut actu conſpicitur eſt accidens ſuperficiei non corporis, ideoque ſolæ ſuperficies ſunt per colorem conſpicuæ: perſpicuum verò ut ſic, corpus eſt; ergo nequit colore conſpicuum fieri: Huic addo quod ſi perſpicuum eſſet per colorem viſibile, ergo multo magis color eſſet per ſe viſibilis, id verò ſupra rejectum eſt, cum per ſolam lucem fit viſibilis: ſed neq; viſibile eſt perſpicuum per lucem ſuſceptam, hæc enim in puro perſpicuo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ſpicuo nihil poteſt viſibile reddere, ut facit in impuro, ejus impuritates illuſtrans. Ergo purum ſive ſimplex perſpicuum, ut Aer & Æther eſt prorſus inviſibile, utcumque lux Solis per ipſum effundatur, ſive interdiu ſive noctu; eſſetque ille ridiculus, qui ſe purum Aerem videre profiteretur.

Caput VI.

An in ſingulis Mundi Regionibus, Elementari, Ætherea & Cœleſti dentur corpora ex ſe lucida.

IMprimis de Regione Elementali id ſenſui patet, ex igne vulgari, nec non flammis erumpentibus in locis ſubterraneis, tum fulgetris, coruſcationibus, aliiſque meteoris in aere genitis, nec non pluribus etiam animalium terreſtrium, aquatilium & aereorum partibus, inter quæ cicendula aliàs noctiluca præcipuam ſibi admirationem vendicat; etiamſi nemo forſan adverterit quod de hoc animali omnium manſuetiſſimo & quietiſſimo præcipuè mirandum cenſeo, à me aliquoties obſervatum, hicque occaſione data minimè prætereundum ſilentio. Nempè quòd ſi provocetur digito aut feſtuca, ſuam lucem in ventre fulgentem ita retrahat ad corporis reliquam partem opacam, ut ſeſe prorſus inviſibilem faciat in tenebris. Hoc autem à Natura ſive Deo illi datum fuiſſe ratus ſum, ut quia propria luce ſeſe innocentiſſimè prodit cuivis animali viſu prædito; ita retractatione lucis, ſuæ ſaluti conſulat dum ab hoſte proprio (quo nullum caret animal) periculum ſibi imminere præſentiſcit; quem ſua quietudine vel motu tardiſſimo evadere nequit. Mali autem apprenſione vaneſcente, rurſus in ventrem lumen paulatim refundit beſtiola, fitque ut prius lucida: non ſecùs ac ſi quis homo in repentino timore fieret & ex rubro pallidus, ſanguinis ad cor recurſu; tranſacto autem pathemate, priſtinus vultui color reſtitueretur, ſanguine & ſpiritibus à corde ut priùs effuſis; inde verò mihi venit in mentem corporum glorificatorum ſplendor, quem beatis animabus pro arbitrio in ſua corpora effundere & cohibere datum erit, ut huic animalculo; cujus rei teſtem habemus Dominum Jesum, qui Mariæ Magdalenæ juxta ſepulchrum & diſcipulis in Caſtellum Emaus euntibus corporis ſui glorioſi lucem propriâ ſponte occultavit, etiamſi illis verè & corporaliter apparuit. Sed quorſum me abripit nobilis vermiculi contemplatio, cujus venter lucidus à reliquo corpore præciſus & mortuus etiam per diem integrum lucidus perdurare mihi viſus eſt. Itaque ingredior.

In Æthere igitur quod Sol propria etiam luce fulgeat, piaculum eſſet inquirere: Si enim detur in Naturâ fons aliquis luminis, hîc erit Globus Solis: à quo radiatim tanta lucis copia quaqua verſum effluit, tamque efficaciter; ut à pluribus Philoſophis Mundum univerſum à centro ad circumferentiam ſolus ſufficientiſſimè illuminare credatur; cujus præſentia dies appellatur, abſentia verò nox, quantumcunque Aſtra reliqua ſuis radiis hemiſphærium illuſtrare contendant. Quamobrem non abs re Plato cenſuit Solem eſſe perſpicuam Dei ſtatuam, in Mundo à Deo ipſo poſitam intuentibus omnibus mirandam; nec enim in Natura quidquam eſt mirabilius, quàm Cœlo ſereno Solem intueri orientem, qui ſuo lumine non ſolùm tenebras diſſipat, ſed etiam corporum omnium Cœleſtium lumen abſorbet: quod eſt cauſæ ut Platonici Philoſophi inter Cœleſtia corpora Solem duntaxat adoraverint; eique orienti hymnos lyrâ cecinerint. Imò Socrates Solem ſalutans orientem, ſæpe extaſim patiebatur; Deum venerans in tantæ Majeſtatis Aſtro, quò nihil diviniùs eſſe opinabatur.

Inſuper verò quod in eodem æthere conſpicui Comœtæ, etiam proprio lumine luceant, probavimus ſuo loco adverſum hujus ſæculi celebriores Aſtronomos, libro 9. ſect. 2. cap. 11. ſunt enim corpora derepentè accenſa ad aliquam Cœli plagam progredientia; quæ ſenſim ad ſuæ materiæ diſſipationem extinguntur, ut dictum eſt ibi.

At de Luna & Planetis cæteris non eadem eſt omnium ſententia: Anaximenes enim, Parmenides, & Anaxagoras Lunam non modo ex ſe lucidam fecerunt, ſed etiam ex ſolo igne conflarunt. Alii Lunam aſſerunt conſtare materia per ſe luminoſa; quæ denſatione in corpore Lunæ etiam facta ſit viſibilis, ſaltem in Eclipſibus. Nam alias proprium Lunæ lumen à lumine Solis immensè vegetiori abſorbetur, fitque per accidens inviſibile; non ſecùs ac Lunæ lumen Stellarum vicinarum lumina vorat vel occultat. Aitque Reinholdus Comm. in Purbac. illud proprium Lunæ lumen evidentiùs conſpici in Eclipſibus, dum Luna eſt apogæa & extra Eclipticam longiùs evecta: tunc enim apparet rubicundior: at Luna perigæa atque in Terræ umbram profundiùs demerſa, lumen illud obſcurius cernitur, Lunaque apparet nigrior.

Alii multò verius Lunæ proprium lumen denegant. Inter quos Keplerus cap. 6. Paralip. in vitell. id omnino convincit hac ratione. Quod nempe ſi Lunæ proprius eſſet rubicundus ille color quo ſubſplendet in Eclipſi; tunc certè eo magis ille conſpicuus eſſet, quò Luna humilior & in umbræ atrorem profundius demergeretur; quod nimirum quævis Luminoſa, ſed præſertim debilia, non alibi diſcernantur evidentiùs, quàm ubi libera ſunt ab alio quovis externo lumine: adde quod in hoc ſtatu Luna nobis vicinior eſſet, viciniora autem videntur perfectius. Cùm ergo contrarium omnino accidat; ex neceſſitate inferendum eſt, lumen illud non eſſe proprium Lunæ, ſed accidentarium & externum.

Porro luminis illius duas Keplerus cauſas attulit. Prima quod cùm nulla ſit nox atra, etſi denſiſſimæ nubes Cœlum occupent, in qua ſi ſub dio fueris, inter nivem & carbonem vel inter Cœlum & parietem non poſſis diſcernere; Cœlo autem noctu ſereno, Stellæ faciem Terræ valdè ſenſibiliter illuminent: quid mirum ſi in Æthere puriſſimo quem Luna decurrit, à Terra tantùm hujus 60. ſemidiametris diſtans, imo in umbra valdè per diſtantiam attenuata; illa etiam à fixis & Planetis utcunque illuſtretur; ut taceam Solis radios ab aliquibus in aere nubibus in Lunam repercuſſos?

Secunda quod ideo in Eclipſibus Lunæ apogeæ cum latitudine illa videtur rubicunda; quia verſatur

tur non modò in mucrone pyramidis umbræ, ubi hæc multùm eſt attenuata, & lucis nonnihil particeps; ſed etiam exiſtit circa umbræ terminum qui ipſa lux eſt Solis; ut proinde rubor ille nihil aliud ſit, quam illuſtratio Luna à radiis Solaribus, tranſmiſſis per Aeris Terræ noſtræ circumfuſi partem denſiorem, quem atmoſphæram appellant, & intrò verſus axem umbræ refractis; unde fit ut Lunæ corpus etiam in umbra rubeſcat: & in Lunæ Eclipſibus ferè ſemper tres differentiæ partium illius conſpiciantur, nempe pars clara & lucida extra omnem umbram Soli conſpicua. Pars rubens in umbræ confinio; & pars atrior intra umbram profundiùs demerſa. Atque hæc fuit etiam ſententia doctiſſimi Scaligeri Exercit. 72. adverſus Cardanumm, ibique omninò probatur. Ut enim pars illa Aeris noſtri in qua fit crepuſculum Solis radios ad Terræ faciem refringit verſus umbræ axem, illamque viſibilem efficit priuſquam Soli ſit conſpicua: Ita certum eſt lucem illam refractam exporrigi uſque ad mucronem umbræ, & Lunam in tranſitu ſaltem circa umbræ confinia illuſtrare: Adde quod valdè ſit probabile Lunam & reliquos Planetas ſimiliter circumveſtiri Ætheris parte nonnihil denſiore tanquam propria lanugine, quæ Solis radios refringere & illos refractione conſpicuos efficere queat, etſi directis minimè pateant radiis, atque hæ ſunt forſan cauſæ Phyſicæ de quibus toties conqueritur Keplerus, quòd imponant Aſtronomis in accurata obſervatione principii & finis Eclipſium Lunarium, atque Solarium, quòd circumfuſus ille denſior Aer vel Æther, umbræ quamdam aſperginem Eclipſium ſpectaculis præmittere ſoleat. Quo poſito nulla de rubore Lunæ apogeæ dum patitur Eclipſim ſupereſt difficultas. Proindeque dupliciter erravit Cardanus Aphor. 61. Lib. 1. dum ait. *Luna cum Eclipſin patitur proprio lucet lumine rubente; unde duplex ei virtus ineſt.* Quippe erat dum Lunæ proprium tribuit lumen; & dum vires Lunæ, lumini attribuit.

At coloris Lunæ corniculatæ cauſa eſt reflexio lucis Solaris à Terrâ, Authore Keplero, cui Ego aſſentior, nam in Novilunio & circa, Lunæ pars Nobis obverſa eam Terræ faciem intuetur, habetque è directo ſuppoſitam, quam Sol illuminat. Quamobrem Luna plena noctu Tellurem radiis Solaribus reflexis illuminat, ſic viciſſim Luna nova à Tellure ſibi tunc plenè illuceſcente per reflexionem radiorum Solis illuſtratur; lucidus verò circulus Lunam circa Novilunium ambiens, non aliud eſſe videtur quam lanugo Lunæ ſuperiùs dicta, aliorum Aſtrorum radiis illuſtrata. Itaque nulla ex cauſa convinci poteſt Lunam proprio lumine ſplendeſcere. Quid ergo dicendum ad authoritates Scripturæ, nempè D. Pauli 1. Cor. 15. Alia eſt claritas Solis, alia Lunæ, alia Stellarum, &c: ſi Luna careat luce propria, ejuſque lumen ſit duntaxat lux Solis reflexa tanquam à rupe aliqua? Tum Geneſis cap. 1. *Fecit DEUS luminaria magna; Solem ut præeſſet diei, & Lunam ut præeſſet nocti.* Si Luna non eſt luminare, ſed corpus ex ſe non minus opacum atque tenebroſum quam Terra ipſa: Reſpondendum Scripturam ſenſui ſe accommodaſſe qui Lunam alieno lumine fulgere, & hæc inferiora illuminare, non apprehendit; cum tamen ratio evidentiſſimè demonſtret omninò contrarium, quippe illam lucere reflexo lumine Solis. Dici etiam poteſt imò veriùs, quod fecit duo luminaria magna; unum primarium, quod per ſe diem efficeret, & alterum ſecundarium, quod tantum per accidens & reflexivè tenebras noctis temperaret. Unde in Phyſicis ſacrâ Scripturâ cautè utendum eſſe conſtat: ſiquidem ſemper vera eſt ſacra Scriptura, ſed in ſuo ſenſu, non in omni.

Jam ad reliquos Planetas quod attinet, Keplerus in Paralip. in Vitell. illos propria lucere fulgere arbitratus eſt: nec deſunt celebres ejuſdem opinionis fautores. At Tubus Opticus noviſſimè inventus caliginem hanc diſcutiit; quo docente, Keplerus mutavit ſententiam Lib. 6. Epit. Aſtron. pag. 824. Eo enim videtur Venus eaſdem quas Lunæ phaſes exhibere, pro ſuo ad Solem acceſſu atque receſſu; quod minimè faceret, niſi Lunæ inſtar, corpus eſſet opacum: quamobrem de Venere ut Lunâ concludendum, illam omni proprio lumine deſtitui. Neque objiciatur luminis Venerei fulgor ſupra Lunæ lumen quod obtuſum hebeſque conſpicitur: Fulgorem enim illum Venus habet, non à realiter vivaciore ſui corporis ſplendore. Sed tantùm apparenter, ob ſuam à Tellure diſtantiam; qua totum lumen corporis Venerei circiter quindecies majoris corpore Lunæ (ut vult Lansbergius) ſibi magis unitum, vivaciorem illam exhibet claritatem. Hoc enim inde conjicio, quia dum Tubo inverſo Luna plena conſpicitur, videtur tantùm paulò major Venere; quòd Tubus inverſus objectum removeat: at aliquanto clarior ipſa Venere ob rationem ſupradictam. Unde conjicitur è contrario Veneris lumen multò eſſe obtuſius lumine Lunæ, quantus enim appareret Lunæ fulgor, ſi hæc Venerem æquaret magnitudine corporis, & in eadem à Tellure diſtantia cum Venere appareret? Erit igitur Veneris corpus, Lunæ corpore impurius, quod pleriſque videbitur paradoxum. Eadem eſt ratio de Mercurio, qui tunc major & clarior apparet cùm eſt Sole altior, quod ſcilicet tunc totam ſui corporis partem Nobis oſtendat, quæ à Sole illuſtratur. Tum de Marte, Jove, atque Saturno, qui non ex eo ſolùm majores apparent dum à Sole recedunt, quòd Telluri propinquiores evadant; ſed etiam quod Telluris reſpectu pleniùs à Sole illuminentur; ita ut quo ad nos oppoſiti Soli, conſpiciantur duplici de cauſa maximi. Peculiariter verò id atteſtantur Jovis ſatellites qui ſui ductoris nativam opacitatem, vel eo invito produnt, dum in ejus umbram incidentes patiuntur Eclipſim, ut teſtantur Galilæus & Marius. His adde quod eodem modo ſplendent, ut Luna atque Venus; nimirum lumine quieto ſibique conſtante, non autem mobili & ſcintillante, ut fixæ, aut ſubſultante ut Sol. Cumque Saturni lumen cæterorum reſpectu ſit maximè obtuſum ac impurum: ejus non obſtante præ cæteris ingenti magnitudine, atque à Tellure diſtantia; igitur ex ſupradictis de Luna & Venere, omninò fatendum erit etiam Saturni corpus eſſe Planetarum omnium impuriſſimum, ſibique maximè inæqualc.

Itaque ſolus Sol ex Planetis propria luce fulget; ac Æthercam regionem totam ſolus illuminat, non ſecus ac Elementarem: idque radiis tum directis, tum reflexis à Tellure, & Planetis cæteris ad ſe viciſſim, ut ſuperiùs dictum eſt: proindeque aberravit à vero Alexander de Angelis cap. 1. Lib. 1. dum Planetis omnibus lumen aſſignat.

Tota igitur difficultas verſatur circa regionem Cœleſtem: Num ſcilicet fixæ, proprio lumine fulgeant. Hoc autem aſſeruimus Lib. 9. Sect. 3. cap. 8. quod vide.

Accedit quod neque ut Sol neque ut Planetæ cæteri, ſed tertio modo luceant, quippe ſcintillando: vel quòd Aeris agitatio continua id accidens cauſet in fixis, non autem in Planetis ob horum materiam impuriorem opacioremq; tantùm ſuperficie tenus affectam externo lumine; cùm fixarum materia ſit longè purior, limpidiorque, internâ porrò luce dotata: vel quòd perpetua luminis fixarum innumerarum ad ſe invicem à Cœlo fixarum reflexio per rapidiſſimam primi mobilis rotationem continuò varietur Terræ reſpectu: quandoquidem non ſolùm in ortu, medio Cœli, & occaſu, ſed ſingulis etiam locis intermediis ſui corporis ſitum mutant reſpectu hominis in Terra intuentis; vel etiam utraque de cauſa. Denique in regione Elementari & Ætherea eſſe corpora per ſe lucida, non autem in Cœleſti, quæ communiter habetur lucis natale ſolum, videtur adverſari tum rationi, tum ipſi rerum ordini: ut enim regio Elementalis ob animalia, meteora ignita, & flammas ſubterraneas nequaquam in luce comparanda venit, cum Ætherea: ita hanc à Cœleſti immensè ſuperari par eſt.

Itaque in ſingulis Mundi regionibus dari corpora per ſe lucida, quàm contrarium multò probabilius eſt.

Caput VII.

An ſit in natura proprium aliquod lucis ſubjectum.

ARdua & nunquam ſeriò examini commiſſa quæſtio eſt. Etenim de igne & corporibus Cœleſtibus communi duntaxat hypotheſi receptum eſt, lumen illis per ſe convenire; cui fundamento deinde ſuperſtructa ſunt quæcunque de luce Philoſophi hactenus tradiderunt. Conabimur autem rem iſtam pro viribus diſcutere, ne ſaltem quid intactum à Nobis relinquatur: itaque hac in obſcura diſquiſitione ſic nobis videtur procedendum.

Quæcunque lucent ſunt corpora ſimplicia, aut mixta: lux verò nullius mixti proprium eſt ſpecificum, quod quarto modo vocitant; alioquin ipſi ſoli mixto lux per ſe conveniret; at pluribus mixtorum ſpeciebus convenit ex cap. 6. non tamen omnibus.

Porro mixtorum lucentium quædam lucent à ſola materiali mixtione, quæ eſt miſcibilium alteratorum unio: idque patet in quibuſdam hominibus qualem unum ego vidi cujus oculi in tenebris inſtar oculorum lupi collucebant; quod nemo ab anima ſpirituali eſſe dixerit, proindeque à ſolo tantùm mixtionis & alterationis gradu. Alia autem lucida ſunt à ſubſtantiali forma & mixtionis gradu, ut cicendula, quæ dicitur lucere à forma, non quod ipſius lux fluat à forma, ſicut nec faciei rubor, quamvis hic per phantaſiam in ira effundatur & in metu retrahatur. Sed quia tota ejus ſpecies ſic afficitur; eſtque lux ad illam formam diſpoſitio præcipua, ex quodam excellenti mixtionis & alterationis gradu orta.

Jam verò ſi à mixtione habeant quædam corpora quod luceant, ſequitur lucem (quæ eſt ſimplex qualitas) propriam eſſe alicujus corporis ſimplicis ad mixtionem concurrentis; quod quandiu talis mixtionis modus perdurat, lucem in mixto conſervet: non ſecus ac ſi mixtum fuerit calidum, erit ejus calor ab aliquo ſuæ mixtionis Elemento; cùm igitur ex mixtorum Sublunarium reſolutione Chymica quinque deprehendantur Elementa vel corporeæ ſubſtantiæ ſimplices inter ſe maximè differentes, quas Terram, Aquam, Aerem, Ignem, & quintam eſſentiam, vel Ætherem appellant; Ariſtoteli, etiam Platoni, & veteribus Philoſophis cognitas; ſupra quas dari adhuc aliud corpus ſimplex, nempe ſolidum Cœlum alibi probavimus, videndum ſupereſt an illis omnibus, vel uni tantùm, vel aliquibus, tum quibus lux ipſa ex natura conveniat. Cuicunque verò illa conveniet, hoc erit duntaxat ratione ſubſtantialis formæ ipſius Elementi, quippe quòd ipſum mixtione careat: Atque dum creationis initio, à formis corporum ſimplicium actuata eſt materia; hæc nuda, omninóque indifferens, illas cum ſuæ Naturæ atque dignitati congruis qualitatibus aſſeclis, exceperit: quamobrem quale eſt corpus ſimplex, tale eſt à propria forma; & per illud talia ſunt ex eo mixta, pro mixtionis ratione.

Sed in ipſo limine occurrit non levis prima fronte difficultas. Mixto enim à Chymicis in ſua Elementa reſoluto, nullum lucere conſpicitur: Nulli ergo ipſorum lux erit propria. Diluitur autem objectio, negando antecedens, nam teſte Joan. Bapt. à Porta Lib. 2 Magiæ naturalis cap. 11. Ex caudis cicendularum & ſquammis piſcium noctu lucentium, arte Chymica liquor extrahitur, qui per ſe noctu luceat, & majuſculis ſaltem literis diſcernendis ſufficiat, cujus liquoris ſeparationem ſe pluries vidiſſe ipſemet aſſerit: unde multò magis confirmatur quod à Nobis ſupra dictum eſt, nempe cicendulas & his ſimilia à forma & mixtionis gradu lucere, quandoquidem liquoris lux eſſe nequit accidentulæ formâ. Quod verò in aliorum mixtorum reſolutionibus nullum etiam cernatur lucidum, inde oriri videtur: vel quod in eorum generatione, per alterationem præviam lucis qualitas ſopita & cohibita fuerit: ita ut neque in ipſo mixto, neque poſt ejus reſolutionem, ullum ejus veſtigium appareat, vel quòd Chymici artem nondum noverint Elemento propriam lucem reſtituendi, vel ipſam reſuſcitandi, ut ſuum Mercurium extinctum reſuſcitare norunt. A porta putrefacit caudas cicendularum; & ligna etiam putrefactione lucem exhibent; itaque hæc notentur à Chymicis, cæteriſque arcanorum Naturæ ſcrutatoribus, eandem imitari contendentibus, plura ſiquidem Naturâ vel arte poſſibilia ignorantur ab hominibus, quàm ab his unquam hoc in Mundo ſcientur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

An ergo corpora omnia ſimplicia erunt per ſe lucida? Sanè nec omnia, nec unicum videtur aſſerendum; non unicum, tum quia ex cap. 6. dantur corpora per ſe lucida in ſingulis Mundi regionibus: unde conjicitur in qualibet reperiri Elementum ex ſe lucidum, quippè quod lux non ſit qualitas uni duntaxat corpori propria, ſed communis; quales ſunt etiam raritas, denſitas & ipſe calor, qui Aeri & Igni per ſe convenit: tum quod alia luceant, ſimulque urant, ut Sol, Carbo, Flamma, & ſingula Ignita: alia verò blandè luceant ne ullo etiam producto ſenſibilis caloris veſtigio, ut præter cicendulā ligna putrida, ſquammæ piſcium, gemmæ, & alia in quorum etiam acervum nix decidens nequaquam reſolvitur; unde patet in his & illis diverſum eſſe proprium lucis ſubjectum.

Sed nec etiam omnia: quippe de lumine conſtat quod ſicut ipſum corporibus diaphanis connaturale eſt & amicum: ſic ab opacis abhorret, ad quæ nequidem illi conceditur ingreſſus: Terra autem eſt Elementorum opaciſſima, tum denſitate, tum feculentia, quæ ſua etiam mixtione, & pro ratione doſis, lucem à reliquis corporibus arcet, ita ut lucem nullam admittant, ſi in illis utcunque prædominetur. Terram igitur à primigeniæ ſaltem lucis natura per ſe alienam eſſe certum eſt.

De Aqua major eſt difficultas, quod etſi poſt Terram denſiſſima, nihilominùs perſpicuitatem, & materiæ puritatem ſortita ſit. At quæcunque talia ſunt, ex ſe non lucent, ut glacies, vitrum, cryſtallum, ipſeque Adamus, quo nihil Natura in eo genere conflat perfectiùs. Præterea de Igne & Aqua receptum eſt, quod ſint omnino contraria, quodque Igni lux per ſe competat: Non ergo per ſe convenit Aquæ. Imò videtur Aqua magis luci quam calori Ignis contrariari: Ejus enim calorem admittit, quantùm illa producere valet; at tantùm abeſt quod in eo caloris ſtatu, quidquam luminis admittat, ut etiam ſuper Ignem effuſa ejus lumen derepentè extinguat illæſo calore; cunctaque in quibus Aqua prædominium aliquod nacta eſt, ut ligna, herbæ, & animalia inflammari renuunt, priuſquam pars aquea fuerit calore ignis reſoluta & à mixto ſecreta, ipſa quippè lucem in ſe reſpuit: in aliis verò vel prohibet, vel extinguit. Itaque Aqua per ſe à lucis natura etiam magis aliena eſſe videtur quàm Terra ipſa, quæ ſaltem ignitione violenta lucem accidentaliter excipit atque ſervat per aliquod tempus, non ſecus ac lapides, metalla, & alia quævis in Igne cum ejus luce compatibilia.

Neque hîc objiciatur à Porta, qui Lib. 2. Magiæ Natur. ait ſæpè ſe manibus marinam Aquam exagitatam igneis ſcintillis coruſcantem vidiſſe; cùm credibile ſit hoc illi apparuiſſe noctu, nec aliud fuiſſe quàm Aſtrorum noctu lucentium reflexiones atque refractiones præſertim dum ſerenus eſt Aer: at in profunda cella vinaria omni externo lumine vacua, idem non appariturum eſt, ſaltem in Aqua pura. Contingit tamen interdum ſpiritus quoſdam ſulphureos atque nitroſos accendi in viſceribus Terræ, viamque ſurſum affectantes effundi tanta copia in Aquas occurrentes, ut inde cernantur fontes ex quibus etiam flammæ eleventur: at flammæ non ſunt ipſius Aquæ, ſed illorum ſpirituum accenſorum: non ſecus ac videmus Ignem fieri artificialem qui etiam flammeſcat in Aquis: & vini ſpiritum ſuo phlegmati vel Aquæ commixtum accendi, non autem ipſam Aquam.

Reliquis autem quatuor Elementis, Aeri, Igni, Ætheri, atque Cœlo lumen connaturale eſſe nihil prohibet, imò conſentaneum eſt; dotantur enim qualitatibus luci maximè congruis tenuitate, raritate, puritate & perſpicuitate. Nec ullam habent qualitatem quæ luci repugnet. De Aere verò illud conjicitur, tum ex mixtis Aereis, ut oleis, pinguedinibus, & cæteris hujuſmodi quæ naturam ſuam Aeream inde teſtantur, quod Aquæ ſupereffuſa ipſi non magis quam Aer ipſe commiſceantur, ſed unctuoſitate ſua ſupernarent; lucem verò citiſſimè concipiant, totaque reſolvantur in flammam, quæ non purus & ſimplex, ſed mixtus eſt Ignis aut lucidum ex Igne & Aere mixtum; tum ex ipſo Aeris Elemento, qui cùm ſit Igni Symbolus in qualitatibus omnibus excepta duntaxat humiditate, nihilominùs inflammabili, etiam in luce Symbolum eſſe minimè negandum videtur.

De ipſo autem igni ſimplici & Elementali quod ſit ex ſe lucidus in dubium revocare planè ridiculum eſſet: Nam ſi datur ad ſenſum lucidus ignis artificialis & mixtus, quantò magis lucidus, naturalis & ſimplex; cum mixta omnia communes illas ſimplices qualitates de quibus ſupra, duntaxat habeant ab Elementis ex quibus componuntur; eas verò ſolas quas quarto modo proprias nuncupant, à ſola forma ſpecifica? Neque hic immoramus adverſus eos qui ignem Elementarem è medio tollunt, & figmentum eſſe cum Cardano profitentur: Hujus enim opinionis falſitas fuit à Nobis ſufficicienter oſtenſa Lib. 3. Sectione 1. cap. 1.

Sequitur Æther quem Aerem ignitum vocat Marſil. Fic. cap. 3. Lib. 2. Eun. 3. Plotini, & naturâ ſuâ lucidum eſſe teſtantur ipſæ animalium partes lucidæ: Nam de communi Medicorum conſenſu lux illa ineſt ſpiritibus, idque probatur ex cicendula quam cap. 5. diximus à cauda ſubitò retrahere in eamque refundere lucem, quod aliter quàm ſpirituum effluxu atque refluxu fieri nequit. At ſpirituum natura Ætherea eſt de conſenſu Medicorum, obſervatione Chymicorum, & Ariſtotelis authoritate qui illam neque Ignem aut Aerem eſſe dicit, ſed quid proportione reſpondens Elemento Stellarum. Præterea Æther eſt proprium Planetarum Elementum, ut hîc verè ait Ariſtoteles in quo Cometæ frequenter geniti, tùm Sol ipſe propria luce fulgent: ſunt autem Cometæ atque Sol corpora mixta, ut à Nobis oſtenſum eſt Lib. 6. Sect. 3. cap. 9. quæ communes ſupradictas qualitates raritatem, denſitatem, calorem, atque lucem habent ex ſimplicibus quibus conſtant: proindeque ab Æthere in illis non minùs prædominante quàm in piſcibus Aqua, & in lapidibus Terra. Æther ergo ex ſe lucet.

Cæterùm adverſus ſupradicta fiet hæc neq; levis, neque abſurda objectio. Si Æther ex ſe lucidus eſſet, ergo Planetæ omnes ex ſe lucidi eſſent: Nam in eorum mixtione Ætherem condenſatum prædominari par eſt; non autem Terram à qua potiſſimùm ſunt opaca: Alioquin gravia eſſent adque Mundi centrum deſcenderent. Itaque ſi lux inviſibilis eſt in ipſo Æthere ob ejus raritatem, debet ſaltem in hoc condenſato eſſe viſibilis: Conſtat autem ad ſenſum etiam, Planetas omnes Sole dempto eſſe opacos. Non ergo Ætheris Elementum ex ſe lucidum eſt.

Reſpondendum verò quod poſita Planetarum mixtione etiam cum Ætheris prædominio materiali, non propterea neceſſario ſequi debet, eos omnes lucidos fore, etiamſi in eorum mixtione denſetur Æther: Idque à ſimili patet in his Sublunaribus: ubi quammulta videre eſt in quibus prædominatur ignis, ut Arſenicum, Flammula, Sulphur, & Salia, quæ tametſi denſata non lucent; imò cauſtica, pannos & carnes urunt, nullo tamen lucis producto veſtigio. Similia igni infernali qui non lucere dicitur, ſed tantùm urere. Ut igitur in Sublunarium mixtionibus lux alteratione extinguitur, aut in mixtionis intrinſeco cohibetur, niſi formæ ſubſtantiali producendæ per ſe convenerit, ut in cicendula, oculis felium, &c: ita idem à Deo in mixtione Planetarum factum fuiſſe cenſendum eſt; dum creationis initio ſingulis mixtorum formis congruas qualitates aſſignavit. His adde quod exigua Terræ portio ipſis Planetis admixta poteſt eorum lucem cohibere, ut patet ex Solaribus maculis, & noſtris nubibus quæ opacitate contracta à pauca Terra illis admixta ipſius quoque Solis lucem cohibent.

Rurſus dicetur lucem in illis corporibus omnino fore ſuperfluam & otioſam. Nam in ipſis neque propria, neque aliena corpora illuminat, qui ejus eſt unicus effectus, ut infra probabimus. Adde, quid luce opus eſt Ætheri quem totum Sol pleniſſimè illuminat?

Valida mehercle objectio, quæque me eò adegit, ut quamvis ſimplex omnis qualitas corporea, ab aliquo ſit corpore ſimplici, parùm abfuerit quin Aerem, Ignem, Ætherem & Cœlum omni luce propria ſpoliaverim. Attamen ſic ſolvitur objectio. Primò etſi Nobis ſit inſenſibilis ipſorum propria lux Elementorum: quis convincet illam nocturnis omnibus animalibus eſſe inſenſibilem & improportionatam? Secundò quis lucem dicet ſuperfluam in Elementis ex quorum concurſu fiunt mixta lucida in Sublunaribus, in quibus lux ipſa ſuum ſortitur effectum? Tertiò frequentia adeò meteora in Sublunaribus accenſa, teſtantur evidenter Elementum Ignis, ut igneo calore, ita propriâ ſibi luce non deſtitui: Quartò Dæmones ſola denſatione lucidorum Elementorum ſibi corpora lucida conflant: nec lucem creant vel educunt ex materia ut in meris tenebris hominibus appareant. Lux ergo non ſuperflua in illis corporibus, neque nulla eſt.

Supereſt igitur Cœlum ipſum, quod numero duplex, & utrumque ſolidiſſimum eſſe tum Lib. 3. ſect. 3. validis rationibus expoſuimus. At corporum ſoliditas, neque externæ luci ſuſcipiendæ obeſt, ut patet ex vitro & cryſtallo, & ſimilibus, neque luci fontali ut ex Sole & Carbone per ſe lucidis conſtat. Adde quod vitrum & metalla ignita, lucem ab igne exceptam ſua nonobſtante ſoliditate conſervant ad aliquod tempus; perpetuoque ſervarent, niſi in hiſce corporibus peregrina eſſet, dependeretque ab igneo calore, cujus in ipſis corporibus illa eſt ſoboles. Cùm igitur Cœlum in qualitatibus luci cõgruis, nimirum puritate, raritate, & perſpicuitate cætera naturæ corpora ſuperet: horumque vires omnes eminenter contineat primum Cœlum, ſeu prima cauſa Phyſica ſuo loco probanda; nihil habens quod luci repugnet: igitur in luce etiam ſuperare conſentaneum eſt. Imò Cœli naturam luce fontali præ cæteris omnibus eſſe fœcundiſſimam, maximè probat innumera Stellarum in firmamento per ſe lucentium multitudo; quarum valdè eſt probabile, plures à Nobis non videri quàm videri, ut Tubus etiam opticus indicat. Quod autem Stellæ ipſæ ſint corpora mixta alibi probavimus: At proinde quod lucem propriam habeant à Cœleſti materiâ quâ conſtant, patet ex dictis à ſimili de Igne atque Æthere. At Cœli naturam per ſe lucidam eſſe convincit Galaxia, ipſius Cœli Zona reliquis partibus continuè ſplendidior; quam Ariſtoteles perperam aſſeruit eſſe Sublunarem vaporis correctionem. Quod enim Galilæus & alii putant lucere ipſam duntaxat à multitudine minimarum fixarum quibus referta eſt, quaſque Ego etiam Tubo ſæpè contemplatus ſum: id improbatur hac de cauſa. Si quidem Galaxiæ ſplendor continuus eſt: illæ verò fixæ minimæ nequidem ſibi contiguæ, ſed ab invicem diſtantes conſpiciuntur: itaque ſi Stellulæ illæ ferè imperceptibiles ſuæ lucis effluxu propinquam ſibi materiam adeò ſenſibiliter illuſtrant, quidni multò magis id concedendum erit fixis primæ aut ſecundæ notæ extra Galaxiam ſitis, quod tamen nuſquam deprehenditur? Præſertim quòd ut rectè notat Longomontanus ab illa opinione etiam alienus in ſua Appendice de Novis Cœli Phœnomenis, ſi quis Hyberno tempore & Luna latente Cœlum ſereniſſimum diligenter complectitur, totum illud videlicet extra Galaxiam innumeris Stellulis aliâs inconſpicuis diſſeminatum; nec tamen ut Galaxia lucidum, etiam ubi hæc dividitur circa Cygni conſtellationem. Quamobrem multo probabilior eſt eorum ſententia, qui eam Cœli partem ideò lucere aſſerunt, quod reliqua ſit denſior, unde fit ipſius Cœli lux viſibilis, quæ in rariore ſubjecto eſt inviſibilis.

Ex ſupradictis igitur conſtat, neque inter mixta, neque inter ſimplicia corpora, ullum eſſe ſubjectum cujus ipſa lux in ſe ſpectata, ſit quarto modo proprium. Videri tamen illam minùs Aeri, plus Igni, magis Aetheri, & maximè Cœlo convenire. Atque Solem eſſe primum inter mixta lucidum: inter ſimplicia verò Cœlum, quod Platonici materiâ carere, vel eſſe circulum ſive materia lucidum etiam opinati ſunt. At primò & per ſe non convenit corpori ſimplici ob cicendulam, nec mixto ob Ignis Elementum; nec inanimato ob cincendulam, nec animato ob carbonem ardentem: Præterea lux neque eſt à calore cum ligna putrida Hyeme rigida luceant & ſquammæ piſcium; neque à frigore, quod

carbo

carbo ignitus luceat; neque à ſiccitate, quod ligna putrida luceant; neque ab humiditate, quòd ignis & carbo luceant: ergo ut per ſe nullam ex primis producit qualitatibus, ſic à nulla illarum per ſe producitur; ita ut ſine tali qualitate lux dari non poſſit.

Caput VIII.

An lux omnis ſenſibilis ſit ejuſdem ſpeciei infinitæ.

Ex luce in ſingulis plurimumque differentibus Mundi regionibus conſpicua, jure quæri videtur, an ſicut fixa, Sol, & cicendula ſunt corpora ex ſe lucida ex cap. 3 ſed ſpecie vel etiam genere differentia, ita eorum lux ſpecie differat. Videtur autem à Nobis aſſerendum corporum omnium Cœleſtium, Æthereorum & Elementalium lucem eſſe unicam ſpecie. Tum quia quocunque in corpore lucido ſpectetur, eadem eſt ejus definitio, nempe quòd ſit potentia naturalis, corpus ipſum per ſe viſibile faciens: tum quia ea lumina ſunt ejuſdem ſpeciei quæ ſeſe viciſſim intendere queunt, vel coire in eandem numero lucis entitatem; at fixarum lux intenditur à luce Jovis aut Veneris: & lux Veneris aut Lunæ à luce candelæ: tum demum quia de luce dici nequit quod de calore, cujus alius vocatur formalis, vel actualis ut in carbone accenſo: & alius virtualis ut in pipere, quod nimirum diverſimodè calefaciant: nam lux quævis eodem modo tum proprium, tum alia corpora illuminat; qui eſt lucis ipſius formalis effectus: Ergo lux omnis ſenſibilis eſt ejuſdem ſpeciei.

Hic objici poteſt lumen Solis proprietatibus & agendi viribus maximè differre à luce candelæ: proindeque has ſpecie differre. Sed hujus ſolutionis exſpectationem cap. 15. cumulatè compenſabimus. Interim verò notetur quod lucis radius, ſplendor, atque lumen ſive lux ſecundaria, ſunt idem realiter, quippe idem lucis effluxus à corpore lucido, qui prout eſt in fluxu vulgò dicitur radius, prout reflectitur, ſplendor; & prout diaphanum, ſive perſpicuum actuat, & lucidum efficit, lux ſecundaria nuncupatur. At Keplerus prop. 3. Paralip. in Vitell. per radium intelligit tantum lineam motus lucis, quàm dicit nihil eſſe de luce effluente: Ego vero radium concretè ſpecto penes communem loquendi uſum, dum dicitur radios Solares vel aliorum Aſtrorum hæc inferiora alterare, quod de linea ſimplici intelligi nequit: Atque hoc Keplero non officit qui radium Mathematicè non autem Phyſicè ſuperiùs contemplatur.

Caput IX.

An lux & color ſint ejuſdem naturæ vel ſpeciei.

Non magis inter ſe differunt color albus & niger, quàm circa quæſtionem hanc difficilem, lucique exquiſitiùs cognoſcendæ perneceſſariam graviſſimorum Philoſophorum ſententiæ. Divinus enim Plato in Timæo colorem lumen eſſe quoddam, & flammam de ſingulis corporibus defluentem pronunciavit.

Doctiſſimus verò Scaliger Exercit. 325. contra Card. art. 2. & 3. in entitate coloris (quem ut quodvis aliud accidens ex potentia & actu conflatum rectè aſſerit) vult ejus potentiam eſſe aliquam Elementorum qualitatem; actum verò eſſe lucem, quam ait eſſe actum viſibilitatis, qui etiam in colore nigro eſſe queat, cùm niger color ſit quiddam actu, & non privatio ut tenebræ; quare cum color omnis ſit actu viſibilis, lux verò ejus viſibilitas intrinſeca, ſive actus viſibilitatis; concludit omnem colorem eſſe lucem, quæ etiam inſit ipſis Elementis in mixti compoſitione. Et art. 5. ſic definit colorem. *Color eſt qualitas ex Elementorum qualitate & luce conflata, quatenus lux eſt.*

Toletus colorem eſſe lucem ita probat. In iride ſunt tria principia: ſcilicet diaphaneitas quædam nubis, quæ lumen recipit: opacitas quâ lux retinetur, ne omnia tranſeat; & lumen receptum atque retentum. Ex his tribus fit color iridis; at lux eſt forma & ſubſtantia coloris illius apparentis. In coloribus verò permanentibus concurrunt eadem principia; eſt lux quædam à partibus igneis mixti, quæ cum diaphaneitate Aquæ & Aeris, & opacitate Terræ verum & permanentem colorem efficiunt: verorum igitur & apparentium colorum differentia eſt, quod verorum lumen ſit innatum corpori, aliorum verò ſit externum & adventitium. Keplerus in parte Opt. pag. 228. præter lucem directam, reflexam atque refractam quæ à cunctis admittuntur, ait dari quartam lucis ſpeciem ortam ex reflexa & refracta, quam prop. 22. Paralip. in Vitell. vocat lucem communicatam, vultque identificari cum veris coloribus, aliorum ſecutus opinionem qui veros colores arbitrantur eſſe formaliter lumen, à corporibus opacis vario modo reflexum. Siquidem (ait Keplerus) lux ferit colorem undique per ſoliditatem, ideoque quaſi à ſuperficiebus undique repercutitur; indeque radius lucis ſui ſubjecti colorem habet, fitque quodam modo lux ejus ſuperficiei quam illuſtrat. Hoc autem ſic ſe habere inde probat Keplerus; quia niſi lux penetraret geminam coloris ſedem (corporis opaci ſuperficiem extimam intelligit) quæ ſunt in ſummo gradu lævigata, undique non radiarent, ſed omnis lux à ſuperficie illa unica, ad unam tantum plagam repercuteretur.

Veruntamen contrariam ſequimur ſententiam ut veriorem. Nam primò hæc fuit Ariſtotelis lib. de ſenſu & ſenſibili, ubi negat lumen eſſe formam intrinſecam coloris aut partem ipſius eſſentialem; alioquin nullus eſſet permanens color; quia lumine ſublato deſineret color, qui nihilominus ſuam naturam ſervat in opaciſſimis etiam tenebris, quam Ariſtotelis rationem nemo contrariæ ſectæ potuit evertere. Addo autem quod alia ſit lucis & alia coloris definitio: lux enim fuit à Nobis cap. 2. definita, quod ſit qualitas patibilis per ſe ipſam viſibilis: At color quamvis ab Ariſtotele definiatur eſſe extremitas perſpicuus terminati; meliùs tamen definietur, ſi dicatur, *qualitas patibilis ex ſe potentiâ viſibilis, vel per lucem actu*

viſibilis; hac ſiquidem definitione color ſub genere proprio conſtituitur, conveniunt enim omnes ipſum eſſe quantitatem. Illa verò ſub alieno ponitur, quippè ſub quantitate, ea enim extremitas mera eſt ſuperficies, terminans ipſum perſpicuum, quam eſſe quantitatem nemo negat. Reliquum verò definitionis noſtræ quod differentiæ loco ponitur, ſoli convenit colori, & omni, & ſemper. Quantùm ergo inter ſe differunt viſibile actu & viſibile potentiâ, aut viſibile per ſe & viſibile per aliud, tantundem inter ſe differunt lumen atque color. Præthereâ ſequeretur album & nigrum, imò colores omnes ejuſdem eſſe infimæ ſpeciei; nam eſſet eadem omnium forma, quippe idem lumen Solis, ſi ad Solem viderentur, vel candelæ ſi ad candelam. Atqui album & nigrum ſub coloris genere maximè diſtant ſibique de communi conſenſu formaliter contrariantur, quòd nempe ut albo ſit eſſentialis albedo; & nigro ut ſit nigredo. Sunt ergo diverſæ ſpecies. Deinde quomodocunque radius Solis directus occurrat parieti, ſi huic appendatur pannus viridis, moxque rubens ejuſdem materiæ & fabricæ, erit eadem radii reflexio, vel lumen eodem modo reflexum; hoc eſt eodem angulo: & tamen in reflexionis loco diverſus apparebit ſplendor, nempè viridis & rubens. Cùm ergo diverſitas illa nec à lumine, nec à reflexionis modo, nec ab ipſa materia causetur, quòd hæc eadem ponuntur in utraque viſione; ab aliis cauſis petenda erit, quæ aliæ eſſe nequeunt quàm propriæ atque diverſæ ipſorum colorum formæ vel eſſentiæ. Denique lux per ſe nullius coloris eſt, ſed eſt ſupra colores omnes, ne colorum viſionem fallat; de viridi autem vel rubro colore, quis idem aſſeret? Itaque veri colores differunt eſſentialiter à lumine reflexo: non autem apparentes, ut in triangulari cryſtallo vel iride, cæteriſque ſimilibus ſpectaculis Aereis vel Æthereis, quos perperam Keplerus veros colores eſſe putat.

Clarius eluceſcet hujus ſententiæ veritas ex objectorum & contrariæ opinionis rationum ſuprapoſitarum enodationibus. Dicitur itaque primò ab adverſariis colores iridis ſpecie ſaltem differre; at ſunt eadem lux de communi conſenſu: non ergo differentia ſpecifica obeſſe poteſt, quo minus color albus & niger ſint quoque eadem lux.

Cæterùm reſpondetur colores in iride non realiter, ſed tantùm apparenter differre ſpecie, quòd ſint colores duntaxat apparentes: veri autem colores albus & niger non apparenter, ſed realiter ſpecie differunt; ideoque ut ratio diſpar, ſic concluſio nulla. Adde quod colores apparentes in iride, triangulo vitreo, adamante polygono, & ſimilibus, ſunt quidem eadem lux materialiter: non autem formaliter, ſiquidem ad ſingulos colores differentes repreſentandos, lux per refractionem, reflexionemque diverſimodè determinatur. Ac proinde id quo lux per illam determinationem afficitur, & formale coloris ipſius apparentis: quippè lux ex ſe eſt tantùm potentiâ color apparens; fit autem actu apparens color à refractione, ac talis calor, à tali refractione.

Rurſus arguetur. Quod ſi ejuſdem ſuperficiei parietis alibi pars altera illuminetur directè à Sole, alia verò non, hæc videbitur nigrore ſuffuſa, altera verò candidiſſima: Ergo cùm coloris illa diverſitas tantùm oriatur à vividiore aut languidiore luce, erit lux ratio formalis, vel actus colorum.

At conſequentia hæc falſa eſt, ſi enim paries ſupponatur viridis, nec directè pars illuminata videbitur candiſſima, nec altera nigrore perfuſa, qui ſit priori ſimilis: non ergo colorum diverſitas tantum oritur à vividiore aut languidiore lumine; ſed quod colores videantur, hoc efficit lumẽ; quòd verò hic viridis & ille albus appareat, hoc efficit eſſentialis colorũ differentia: quæ ideo neceſſario admittenda eſt, quia album & nigrum inter ſe differunt per aliquid ſibi eſſentiale in ratione coloris; color autem quo vivaciore & puriore lumine illuſtratur, certum eſt ipſum eò fieri magis conſpicuum atque liberum à poteſtate tenebrarum, vel umbræ corporis opaci; quæ rebus omnibus quas afficit nigrorem conciliat apparentem.

Dicetur inſuper lux omnis fontalis eſt colorata: ergo lux & color ſunt idem. Antecedens probatur. Nam alia lux eſt rubra, alia viridis, alia flava, alia cærulea: ut patet in flamma fuſionis mineralium: alia verò alba eſt, ut lux Solis. Imò radii Solis à ſpeculo concavo reflexi, in objecto denſo ſpeculi focum occupante, albedinem exhibent oculis ferè intolerabilem.

Sed reſpondeo primò: Falſam eſſe conſequentiam quod ſit de abſtractis per concreta. Alioquin paries albus & albedo idem eſſent. Reſpondeo autem ad antecedens. Lucem fontalem nullius per ſe coloris eſſe, tantumque dicendam per accidens coloratam, quatenus ipſa inhæret ſubjecto colorato. Flamma enim fuſibilium eſt eorum ſulphur accenſum; cui rubeus color inſit, ipſa lux flammæ colorem illum exprimet & viſui imprimet, ut fuſiùs cap. 11. exponetur. Sicque Solis albedinem lux ejus exprimit & oculo imprimit. Sique Sol ruber eſſet, in objecto denſi ſpeculi focum occupante, appareret rubor incomparabilis. Idem dicendum de luce Stellarum fixarum, quæ in Arcturo alba videtur, in corde Scorpii rubra, &c: ob proprium colorem fixarum ipſarum, ex harum mixtione ortum, ut Lib. 6. dictum eſt.

Denique objicitur album & nigrum non in eſſentia ſibi contrariari, ſed ex tali portione luminis hunc prodire colorem, ex alia verò alterum.

Quod autem erronea ſit hæc etiam opinio, hinc patet: quia ſi à majori portione luminis fiat album, & à minore nigrum: ergo quo major erit luminis portio, emerget albedo major; & quo minor portio, eò nigredo major; hoc ſiquidem ex tenebris convincitur; fientque eo pacto omnes duntaxat colores griſei inter albiſſimum & nigerrimum medii: At per eam luminis partitionem, nunquam oriuntur viridis, rubeus, & cæruleus, vel alii colores veri: non ergo hi, neque illi ſunt variæ luminis portiones.

Reſpondendum igitur ſupereſt Philoſophis ab initio citatis, ac primo de Platone dicimus, ipſum vel Metaphoricè duntaxat, vel procul à veritate locutum eſſe.

Scali-

Scaliger autem ſupponit falſum, nempe colorem ex ſe eſſe actu viſibilem, cùm ex ſe ſit tantùm potentiâ viſibilis: deinde cùm definit colorem eſſe qualitatem conflatam ex qualitate Elementorum, atq; luce; dicat quid ſit illa qualitas Elementorum, nihil enim aliud eſſe poteſt, quam ipſemet color, ad quem idcircò conflandum lux ſuperflua eſſet. Alioquin ſi lux cum calore Elementari efficit album: ergo omnia alba erunt calida, quod ex floribus nympheæ aut papaveris albi conſtat eſſe falſum: ſi nigrum, ergo ſola nigra erunt calida, quod ex floribus albiſſimis flammmulæ patet etiam eſſe falſum. Eademque fiet ratiocinatio de luce cum frigore, humiditate, ſiccitate, raritate, tenuitate & cæteris qualitatibus Elementorum.

Toletus verò inter cauſas colorum Iridis omittit præcipuam, quippè refractionem, à quâ ſolâ fiunt colores iridis formaliter. Deinde errat dum ait lucem eſſe formam illorum colorum; ob rationem à nobis ſuperiùs allatam. Tandem peccat petitione principii, dum ait in coloribus permanentibus concurrere lucem quandam, ut in apparentibus: hoc enim eſt illi probandum, non autem ſupponendum.

At Keplerus qui præ cæteris in optica præcelluit, etiam gravius errat: etenim vult lucem penetrare corporum opacorum ſoliditatem, quo nihil eſt ab optica magis alienum: non ſecus ac ratione quâ id probat. Nam quæ ſunt in ſummo gradu lævigata ideò in orbem radiant à Sole illuſtrata, & non in unicam plagam; quia non à Sole duntaxat, ſed ab undique circumſtantibus etiam illuminantur; quatenus ergo radium Solis directum excipiunt, ad unicam tantùm plagam illum reflectunt; quatenus verò ab aliis, undique ſecundario lumine afficiuntur, hoc undique etiam repercutiunt. Præterea nullus in tenebris daretur color, quod Keplerus ipſe non probat.

Itaque lucis & coloris non eandem eſſe naturam aut ſpeciem, jam ex ſuprapoſitis dilucidè conſtat.

CAPUT X.

Peculiaris opinio Authoris Libelli de natura lucis, circa lucem & colores.

HIc prop. 29. opinatur lucem eſſe coloris ſubjectum, & colorem eſſe accidens lucis maximè proprium, ſine quo ipſa lux nullibi ſit, & qui viciſſim ſine luce nullibi ſit: lucem autem ſine colore nullibi eſſe probat ex lumine Solis per vitream lentem trajecto, & in chartâ alba excepto, quod in umbræ confinio colores aliquos exhibet, qui neque ſunt in charta, neque in lente quæ ſupponitur non colorata: erga inſunt lumini, ideoque nullibi lumen eſt ſine colore.

Verùm ſi color ille apparens inſit lumini, cur non cernitur in ipſo lumine ſine vitrea lente in charta excepto, ſed tantum in lumine per lentem trajecto? Cui quæſtioni cùm ipſe Author nec alius ſatisfacere queat, certum eſt rationem coloris illius apparentis, non eſſe petendam formaliter ab ipſo lumine, ſed ab ejus per lentem trajectione, quæ non accidit ſine refractione aut reflexione, à qua color ille apparens formaliter efficitur, ut cap. 9. diximus: & Author ipſe eadem prop. diſputans contra Keplerum fateri coactus eſt.

Colorem autem nullibi eſſe ſine lumine, ſed huic inhærere & inſeparabiliter unitum eſſe probare nititur prop. 30. ex ipsâ luce, vitrum coloratum trajiciente, quæ in oppoſito pariete videtur colorata. Nam color vitri ſeu medii (inquit) migrare non poteſt de ſubjecto in ſubjectum: & tamen ipſe color cùm lumine trajiciente movetur ſive defertur ad oppoſitum parietem: oportet ergo ut ejus quoque ſubjectum moveatur; at hoc non eſt materia aut forma vitri, hæc enim ſuo loco non moventur: ergo erit lux inhærens ipſi vitro, quæ eſt proprium coloris ſubjectum: cum qua luce vitri ſe miſcens lux quæ trajicit; & cum illa unicum omogeneum conſtituens, defert ipſum colorem ad oppoſitum parietem: ergo cùm lux ſit primum coloris ſubjectum per quam ille vitro inhæret, ſequitur quod in omnibus perlucidis coloratis, color non eſt ſine lumine: à ſimili (inquit) lux incidens in corpora opaca colorata miſcetur cum ipſorum corporum lumine, quod intra eorum materiam opacam quaſi compedibus vinctum eſt & ſtupefactum, & huic lumini commixta induit colores corporum ipſorum, ſicque ab ipſis corporibus repercuſſa colores exhibet.

Quo in diſcurſu multa ſunt erronea & contradictoria. Primo enim falſum eſt quod vitri color moveatur ad parietem, alioquin vitrum ipſum deſereret, contra experientiam; ſique deſereret, ſibi palam hic Author contradiceret, dum ſupponit colorem vitri migrare non poſſe de ſubjecto in ſubjectum: non ergo id quod apparet in pariete eſt vitri color, ſed ejus duntaxat idolum vel expreſſio facta à luce trajiciente, atque impreſſa oppoſito parieti. Ad hæc ante lucem trajicientem ſupponit in vitro alteram lucem inhærentem, quæ ſit proprium coloris ſubjectum; ſed hanc minimè probat: ſupponit ergo quod illi probandum eſſet cùm hoc ipſum in quæſtione verſetur; taliſque lux ſuppoſita ſit prorſus inviſibilis, in ſubjecto etiam denſo quale eſt vitrum: hic ergo peccat petitione principii; multòque minùs probabit inter Solem & vitrum illuminatum dari colorem in Aere, cujus ſubjectum ſit ipſa lux in Aerem effuſa.

Quod verò attinet ad colorata opaca, erroneum eſt ſenſuique contrarium, lucem externam penetrare marmor nigrum aut porphyritem, ut miſceatur lumini quod intra corpora ipſa falſo etiam ſupponitur. Præterea quiſnam color erit luci proprius? An albus? An niger? An rubeus? Sanè quicunque dicatur, quoniam lux eſt id quo cæteri omnes corporum colores cernuntur (quod negare, eſt cæcum eſſe) ergo lux illo ſibi proprio colore alios omnes corporum colores inficiet: ſicque nullus alius color in ſuo eſſe vero naturalique apparebit contra experientiam.

Denique lux pellucidorum colores ſingulos induit, ut fatetur ipſe Author prop. 28. ergo eſt in potentia ad omnes, ideoque ex ſe nullius coloris eſt, talemque eſſe decebat; alioquin viſibilium omnium proprios colores pervertiſſet: facta eſt autem ut ſingula appareant qualia ſunt.

Caput XI.

De præcipua lucis atque coloris convenientia & diſconvenientia, ubi de viſibilibus ſpeciebus nova inſuper doctrina proponitur.

IN hoc potiſſimùm conveniunt lux & color, ſive corpus lucidum & coloratum, quòd ambo ſint viſibilia, proindeque objecta viſivæ potentiæ: maximè verò differunt primò quod omnis lux ſit ex ſe & per ſe actu viſibilis, ita ut poſito corpore lucido, oculo debitè diſpoſito incongrua præſertim diſtantia, cum intermedio diaphano, nequeat non videri corpus ipſum, ſaltem idoneâ denſitate affectum, vel lux in ipſo corpore; ideoque lux ſit viſibile primarium. Color autem nec ex ſe, nec per ſe ſit actu viſibilis, ſed tantum potentiâ, quo tantùm pacto vera eſſe poteſt Ariſtotelis ſententia dum ait colorem propriè & ſeipſo fieri objectum viſus. & habere in ſeipſo cauſam cur viſibilis exiſtat: fit enim duntaxat actu viſibilis per lucem: quippè color in tenebris, etiam poſitis oculo & intermedio diaphano ut ſupra, videri nequit. Perperam autem objicietur felis aut aliud animal videns in meris tenebris: ſcitur enim felis oculum eſſe lucidum: neque id fruſtra illi datum eſt à natura, aliiſque pluribus brutis rapacibus. Nam ſuæ lucis radio propinquum objectum pro ſuæ Viſionis natura ſufficienter illuminat, & de potentiâ viſibili facit actu viſibile, atque ita radio lucis reflexo illud percipit; nulla ſic noctu ad mures captandos alienâ candelâ indigens: quamobrem color, tantùm viſibile ſecundarium dicendus eſt.

Secundò in hoc præcipuè differunt, quod à lucido corpore ut Sole, realis & vera lux effunditur in diſtans, quæ objecta corpora tum diaphana, tum opaca illuminet; contra Ariſtotelis mentem cap. 2. reprobatam, nec tantum effluit ex Sole, ſed quod mirabilius eſt in ſubjecto aptè diſpoſito recipi, & per tempus abſente Sole ipſo, vel quavis alterâ luce conſervari atque videri poteſt: hoc autem naturæ miraculum primus tempeſtate noſtra obſervavit Julius Cæſar LaGalla de quodam lapide ſciſſili ac pellucido, talcoque ſimili qui in Italiæ agro Bovonienſi reperitur, & ex ſe non lucet: at ſi calcinetur, quamvis etiam ſic luce careat, tamen ſi Aeri à Sole illuminato exponatur, illicò lucem à Sole effluxam excipit, fitque ipſemet lucidus citra ardorem; lucem etiam per aliquod tempus retinens, ita ut in meris quoque tenebris fulgeat. Eſt autem de hoc lapide præ cæteris admiratione dignum, quod referente LaGalla non ignis vel alterius lucidi, ſed Solis duntaxat lumen excipiat: nec dubito quin ipſe lapis alia ſucceſſu temporis de luce arcana detegat naturæ Myſtis. Fortè Scholarum Philoſophi nimiùm Ariſtotelei, dicent lumen illud educi de potentiâ lapidis calcinati, ut educi volunt de potentiâ Aeris & vitri à Sole hæc illuminante; non autem recipi per effluxum veræ lucis à lucido. Hoc autem alibi à nobis exploſum eſt demonſtratione evidiſſima. Nec minùs à verò aberrat, quàm aſſerere lumen educi de potentia illuminatæ ſuperficiei denſiſſimi & politiſſimi chalybis, non autem radium lucis ab ipſa ſuperficie repercuti, contra opticæ principia, ergo à corpore lucido vera lux effluit.

Quamobrem ab eodem corpore non effluet ſpecies lucis; hæc enim ſuperflua eſſet in natura; quod ii non advertunt qui in Aere lucem realem ponere coacti nihilominùs ſpeciem ejus etiam ponunt. Cùm enim lux ſit per ſe viſibilis ex ſupradictis: igitur lucidum per effluentem radium, aut ipſa lux per ſe, ſeſe ſufficienter unit viſivæ potentiæ ut actuet ipſam, ab eaque videatur. Idque illi commune eſt cum cæteris agentibus in diſtans, ut Carbone, Magnete, & cæteris, à quibus verus calor, veraque vis tractoria ferri effluit, & non horum ſpecies; à quibus nec corpus calefieri, nec ferrum attrahi poſſet, ut alibi demonſtramus.

At coloratum ut ſic, nihil extra ſe producit, vel effundit in diſtans: nec eam quidem ſpeciem Philoſophis adeò celebrem, per quam Viſionem fieri volunt. Erit autem ratio clara quippè quæ ſumatur à lumine. Cùm enim certum ſit colaratum non eſſe per ſe actu viſibile, ergo neceſſe eſt ut tale fiat ab eo quod eſt per ſe actu viſibile & coloris omnis expers; ut ad colorem quemlibet ſit indifferens: atqui lux talis eſt, quippè per ſe abſtrahit ab omni colore, omnibuſque ſupereminet, & quomodocunque feratur ad oculum ſive directè ſive reflexè, eſt ſemper realis & vera lux effluens à corpore lucido; quod patet evidentiſſimè ex lapide ſupradicto, qui veram lucē excipit in crepuſculo ab Atmoſphæra reflexum, proindeque ſive directè ſive reflexè, videtur ſine ſpecie; quod ipſa ſit per ſe actu viſibilis ut dictum eſt ſupra. Itaque corpus coloratum vel opacum fit actu viſibile à lumine repercuſſo; non effuſione ſpeciei à colorato, ſed expreſſione coloris à lumine, quod cùm per ſe omni colore careat, poteſt quodlibet induere & perfectè referre. Quamobrem cùm totum coloratum, vel ejus pars quælibet, & hujus ab aliis partibus differentia in colore, quantitate atque figura, fiant à lumine actu viſibilia, ergo totalis radius lucis puræ, à totali colorato repercuſſus, ipſius colorati imaginem perfectiſſimè exprimit, & oculo imprimit; colorato paſſive duntaxat concurrente ad illam expreſſionem: quâ ſuppoſita, ſuperflua eſt omnis ſpeciei intenſionalis ad viſionem productio. Quod autem vera ſit ejus ſuppoſitio, probatur tum experientiâ radii lucis; qui ſi impingat in corporis opaci ſuperficiem præſertim excellente coloratam, repercutietur ad album parietem, linteum, aut papyrum anteriùs oppoſitum, ipſo colore affectus; at ſi vitrum coloratum permeet, deferetur ad parietem poſteriùs oppoſitum, vitri colore tinctus, non ſecùs ac lux flammæ vel Solis, interno ſui corporis colore tingitur: tum hac vulgari propoſitione optica: lux colores illuſtrans undiquaque repercutitur, ſupple colorata. Quod probatur experientiâ foraminis feneſtræ, per quod rerum extra cameram illuſtratarum colores, ab ipſo lucis radio, in objecto intra cameram pariete exprimuntur. Sic igitur Luna & Venus ſunt æquè ac Sol ipſe ſine ſpecie viſibiles: Sol quidem per lucem propriam; Luna verò per lucem Solis, & non per ſpeciem à ſe effuſam, quæ merum eſt figmentum: poteſt tamen dici coloratum ad Viſionem activè concurrere, quatenus ipſum lumen colore affectum repercutit ad oculum. Idque colori ſufficit ut viſivam potentiam actuare dicatur, pro ratione viſibilis ſecundarii. Quamobrem quidquid ſupradictæ ſpeciei intentionali falſo tribuitur à Philoſophis vulgaribus, vel

opti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

opticis, id totum lumini repercuſſo verè tribuatur, nec entia ſine neceſſitate multiplicentur.

In hanc verò doctrinam objicietur: Primò, quod ſi lux vera effluit à lucido, effluxus ille fit cum aut ſine materia; fieri autem cum materiâ dici nequit; alioquin ut totum ſpatium ex quo videtur Sol, candela, flamma, aut cicendula, plenum eſt luce ipſius Solis, flammæ aut cicendulæ; ita plenum eſſet materiâ ſingulorum, ad quod ipſius flammæ aut cicendulæ materiam quantumvis ſubtiliter reſolutam ſufficere poſſe, perabſurdum eſt opinari: præterea ſi effflueret cum materia, illuminatio non flueret in inſtanti, quod materia non moveatur localiter in inſtanti. Non ergo effluit cum materia: ſed nec etiam ſine materia poteſt, alioquin accidens migraret de ſubjecto in ſubjectum: imò ſi corpus lucidum in vacuo poſitum lucem effunderet, hæc eſſet extra ſubjectum: quæ omnia Peripateticæ Philoſophiæ contrariantur: ergo lux nullo modo effluit.

At reſpondeo fieri effluxum lucis per ſe abſque materia, quamvis per accidens fieri contingat cum materia in corporibus diſſipabilibus, non tamen ad lucis effuſæ diſtantiam. Reſponſio autem probatur experientia; nam neque ex vitro neque ex auro candentibus ulla effluit materia, etſi in orbem lucem effundant; quippè quod ſint corpora fixiſſima peregrino tantum calore & lumine tunc imbuta: ſed probatur evidentius ex igne qui accenſus in medio campi flante vento violento à quo flamma fugatur in partem oppoſitam, nihilominùs ex parte venti ad eandem illuminat diſtantiam ad quam ſine vento faceret ſine ullo in partem hanc effluxu materiæ, quæ duntaxat cum flamma effluit in partem oppoſitam, impediturque fumo etiam, ne ex parte hac æque clara atque ex altera conſpiciatur, ſic lux candelæ effluit in orbem ſine materia, at per accidens cum mateaia ſurſum, quo ipſa per ſe effluit materia. Quod autem tantilla lux cicendulæ, tantum repleat ſpatium, id cum admiratione tribuendum ſubtilitati & ſpiritualitati lucis, qua nullum ſenſibile divinæ bonitatis effuſionem excellentius vel mirabilius manifeſtat: denique erroneum eſt, nullum accidens migrare de ſubjecto inhæſionis in ſubjectum effuſionis; qualis eſt Aer reſpectu lucis, quæ illi non inhæret, ut corpori lucido à quo effluit, ſed duntaxat in illum effunditur. Similiterque erroneum arbitrari, nullum accidens poſſe naturaliter eſſe extra ſubjectum: nam quia lux neque ex Aere educitur, ut etiam alibi fuſiùs oſtenditur, nec ei inhæret; ergo ſi Aer divina virtute tolleretur è medio, fieretque vacuum, lux Solis propterea è medio non tolleretur; ſed in eo extra ſubjectum perduraret: attamen dependenter à ſubjecto, quippè corpore lucido cui adhæret & per continuationem ineſt fontaliter: idque ſufficit ad naturam accidentis, quod nempè in eſſe dependeat à ſubſtantiâ.

Præterea obtrudetur vulgatum illud: Senſibile ſupra ſenſum poſitum non facere ſenſationem: quod ſaltem in viſione à cunctis admttitur. Id verò in viſione lucis contingeret ſi nullam ſpeciem produceret.

Atqui reſpondeo, axioma eſſe falſum de Viſione lucis, imò ſi lux candelæ ipſi oculo admoveretur, illa ſaltem confuſe videretur. In Viſione autem coloris verum eſt axioma; non propter ſpeciei neceſſitatem, ſed quia color videri nequit niſi illuſtretur: at ſi oculo ſuperpoſitum eſſet coloratum opacum, hoc illuſtrari non poſſet: dixi opacum; nam ſi oculo applicaretur vitrum rubrum, & huic candela accenſa, oculus videret lucem rubram, imò ſi quis palpebris clauſis Solem intueatur, videbit colorem rubrum, ob ſanguinem per palpebras tenus effuſum.

Rurſus arguetur. Si coloratum ſuam non produxerit ſpeciem in oculo, ergo nulla fiet unio objecti viſibilis, & viſivæ potentiæ, ideoque nec ulla colorati Viſio contra experientiam. Sed reſpondeo coloratum uniri oculo per lumen ab illo reflexum, quod ipſius colorati imaginem perfectiſſimè exprimit, & oculo imprimit, ut dictum eſt ſupra; nec aliud requiri ut videatur objectum, cùm hiſce poſitis nequeat non videri.

Sed inſtabunt, compertum eſſe unicuique, corpora lucida & colorata ſuas ſpecies in Aquâ, ſpeculo, imò etiam oculo producere, eaſque in illis videri; quidni igitur oculus per illas ſpecies videbit objecta? At negamus id quod in Aquâ, ſpeculo, vel oculo videtur, eſſe lucidi vel colorati ſpeciem, ſed ipſum corpus lucidum aut coloratum: quod nempe videtur per reflexionem ubi verè non eſt, ut accidit in Sole refracto. Nam aut corpus lucidum vel coloratum, ejuſque ſpecies ſimul videntur; aut neutrum eorum; aut ſola ſpecies; aut ſolum corpus; ſi primum aſſeratur, ergo vel corporis vel ſpeciei Viſio erit ſuperflua, cùm alterum videri ſufficiat. Si ſecundum, nulla fiet Viſio contra experientiam. Si tertium, ergo corpus ipſum quatenus lucidum aut coloratum erit inviſibile, ideoque nobis ignotum, etſi ejus ſpecies videatur. Etenim ignotum erit viſui ex hypotheſi, ideoque etiam intellectui in quo nihil eſt quod prius non fuerit in ſenſu: quamvis enim coloris ſpecies recipiatur in oculo, unde tamen ſciet intellectus ſpeciem illam corpori ſimilem eſſe, vel diſſimilem, in quantitate, figura, & colore vel luce? Itaque ſolum corpus videri aſſerendum eſt modo ſuperius dicto. Proindeque halluciantus eſt Scaliger exercit. 289. contra Card. N. 15. dum ait. *ideò ſolam videri ſpeciem, quòd ſenſio ſit paſſio, ſive receptio, color autem in oculo non recipiatur, ſed ſpecies.* Nam objecta colorata agunt in oculum, ejuſque potentiam actuant per lumen à ſe repercuſſum, & ſuâ imagine affectum, ut dictum eſt ſuperius, ſine ulla ſpeciei effuſione quæ in rei veritate nulla datur pro quavis externa ſenſatione, ut alibi etiam multò faciliùs de aliis probabitur ſenſationibus.

CAPUT XII.

De Viſionis modo.

De luce, colore, & ſpeciebus viſibilibus ſuperiore doctrina ſic expoſitâ, jam ex quadam congruitatis neceſſitate ſupereſt dicendum de Viſionis modo, circa quem Keplerus & Ariſtoteles ſibi maximè contrariantur. Si cautem ratiocinatur Ariſtoteles. In omni ſenſu movetur ſenſorium ab aliquo ſenſibili, omniſque motus fit contactu, color autem ad contactum oculi ad motus non videtur, ſed opus eſt intermedio: ergo aut color aut medium movet oculum; non color, quia non tangit: ergo medium: at medium non movet per ſe, quia

quia colore vacat, ergo movetur quia ab alio movetur, quippe colore. Itaque fit Viſio, cum ſenſorium inſtrumentum aliquid ab intermedio patitur, neque enim aliquid patitur oculus ab ipſo qui videtur colore: adeoque ſi ſpatium intermedium contingeret relinqui vacuum corpore, nihil videri poſſet. Keplerus verò rectè concedit in omni ſenſu moveri ſenſorium ab aliquo ſenſibili, omnemque motum fieri contactu: imò rectè ait fieri viſionem interdum ſine intermedio, ut in oculorum ſcintillatione, in Viſione lucis oculo impreſſæ à Sole, vel impuritatis humorum oculi poſt capitis dolores: at in Viſione cum intermedio, vult oculum moveri non à medio, vel à colore, aut luce, ſed à ſpeciebus ſeu radiis Solis atque colorum, per medium tranſeuntibus.

Ego verò ſpeciebus ſupra rejectis oculum moveri aſſero, ab eo duntaxat quod eſt per ſe actu viſibile, nimirum à luce reali: quæ ſi directè feratur ad oculum, exhibet oculo corpus lucidum, ſi reflexè, colores, vel colorata corpora ut ſuperius explicatum eſt.

Rectè autem negat Keplerus oculum quidquam pati ab intermedio puriſſimo, ut malè negat Ariſtoteles illum à calore quidquam pati; cum color eam quâ illuſtratur lucem, propria imagine reali inſignitam, ad oculum repercutiat: huncque propterea non minus afficiat radio reflexo, quam Sol directo. Sique Viſio fieret in vacuo, perfectiſſima fieret, ut aſſerit Keplerus, & nos alibi probavimus; dato enim oculo, corpore lucido, & intermedio vacuo, nihil in hoc aſſignari poſſet quod perfectiſſimam Viſionem impediret.

Tandem quod Ariſtoteles & Keplerus ſimul conveniunt, ſydera, ignem, cicendulam, videri noctu & non in luce, hoc non omninò verum eſt, etſi lux ipſius Solis intelligatur. Nam Luna ipſaque Venus interdum præſente Sole oculis nudis cernuntur: fixæ verò Stellæ, etiam Sole præſente à me viſæ ſunt cum Tubo optico. Præterea omne lucidum conſpicuum, etiam utcumque diſtans qualis eſt fixa quælibet, pro ſuo modulo Aerem illuminat: ſi quidem nocte ſerena Stellis tantùm in Cœlo conſpectis, Terræ facies non minimùm ab illis omnibus, & non aliundè illuminatur: ergo vel quælibet pro ſuo modulo illuminat, vel nulla, ſicque non omnes: eſtque in ſummo Æthere propè fixas copioſiſſimæ lucis effuſio, & dies perpetuus: at in Aerem hunc infimum lux fixarum tenuiſſimè effunditur, fereque imperceptibiliter, ob ejus debilitationem per immenſum à ſuo fonte receſſum. Eademque eſt ratio de ſcintilla aut quovis alio lucido, unde dicendum videtur potiùs; quidquid cernitur, videri in luce, quod nempè ſit vel lux vel in luce, proindeque puras tenebras eſſe lucis omnis expertes: impuras verò qualis eſt atra nox, ſemper aliquid lucis admittere.

His verò ita diſcuſſis, jam circa Viſionis modum Keplerus in opticis refert ex I. B. à Porta lib. 4. Magiæ naturalis cap. 6. quod intromittitur idolum per pupillam, feneſtræ foraminis inſtar, vicemque obtinet Tabulæ cryſtallinæ, ſphæræ portio in Medio oculo locata.

Hoc autem maximè laudat Keplerus: quod ſic dirimatur lis, an Viſio fiat receptione an emiſſione: ſed ait: Sententiæ à Portæ addendum eſſe; picturam in cryſtallino, adhuc confuſam eſſe admodum, præſertim dilatato foramine uveæ: nec fieri Viſionem per conjunctionem lucis vel idoli cum cryſtallino: ſed illud deſcendere in retinam; deſcenſuque eo & magis ſeparari diverſorum, & conjungi ejuſdem puncti radiationes: inque ipſa retina locum eſſe collectionis ad punctum, quæ evidentiam picturæ præſtat: fierique per illam interſectionem ut imago fiat inverſa; & per hanc collectionem ut diſtinctiſſima ſit, & evidentiſſima. Quæ certè Kepleri doctrina ab omnibus meritò approbatur.

Caput XIII.

De lucis in univerſo Mundo effectibus.

Lux qualitatum omnium ſenſibilium pulcherrima, Cœlique decor præcipuus in tantam adeoque fixam ſui admirationem rapuit ſæculorum omnium Philoſophos, imò & Aſtrologos, ut objecti ſplendore excæcati eam cunctorum fere effectuum cauſam eſſe aſſeruerint, nec alias deprehendere vel intueri potuerint, inſigni Philoſophiæ detrimento. Quæ autem fuerint Platonis, Ariſtotelis, Ptolomæi, aliorumque veterum circa rem hanc opiniones: tum ſuorum ad hæc uſque tempora ſequacium, nimis longum foret hic recenſere, prorſuſque inutile: quòd, ſcilicet, paſſim in eorum libris occurrant, & à veritate penitus aberrent: illæ tamen ad hæc præcipuè reduci videntur. Quippè nonnulli aſſerunt omne lumen ex ſe calorem producere, huncque illius ſobolem eſſe. Alii calorem faciunt ipſum lucis proprium; ſolamque lucem ſemper & ubique cum aliquo eſſe calore pro ſuæ claritatis modulo cenſent. Alii denique lucem eminenter continere quatuor primas qualitates, præcipuè verò calorem: illam verò à corporibus Cœleſtibus aſſumptam ut commune horum inſtrumentum, diverſa operari pro cujuſque naturâ; utpote cum Sole calorem, cum Saturno frigus, &c. Sicque illam in ſe habere conſummatam corporum omnium virtutem, proindeque ab ipſa omnia fieri & conſervari.

Porrò hoc notandem etiam, quod eorum nullus in propria ſtet opinione, ſed quivis titubet, nunc in hanc, nunc in aliam partem, aut figmenta figmentis aggreget, quibus effectuum cauſas ex luce paucioribus ambagibus derivare queat: harum igitur opinionum ſi detexerimus falſitatem; conſtabit Philoſophos omnes circa lumen corporum Cœleſtium vehementer hactenus hallucinatos fuiſſe, ut in hujus ſectionis proœmio dictum eſt.

Itaque primò Cœleſte lumen non ex ſe calefacere, ut cum Keplero cap. 28. libelli de Trigono igneo contendit Alexander de Angelis lib. 1. cap. 3. probatur evidentiſſimè ex ipſo igne, quem ad ſuæ opinionis tutelam advocat hiſce verbis. *Lumen ignis* (inquit) *calefacit per ſe: at Cœleſtis & ignei luminis natura eadem eſt; quare & ſeſe mutuò ſolent augere ſi miſceantur; quod proprium eſt eorum quibus natura communis eſt: calefaciat igitur etiam lumen Cœleſte oportet.*

Si quidem falſa eſt Alexandri hypotheſis, quod lumen ignis per ſe calefaciat. Nullum enim lumen eſt per ſe ſenſu tactus perceptibile: ſolo quippè ſenſu Viſus omne lumen per ſe cognoſcitur: at omne quod per ſe calefacit, eſt per ſe tactus ſenſu perceptibile; alioquin per ſe non calefaceret: ergo nullum

lumen

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

lumen per ſe vel quatenus lumen calefacit. Adhæc lumen & calor in igne ſunt duæ qualitates realiter diſtinctæ; non modò quia hic eſt objectum tactus, illud verò viſus; proindeque unum ſine altero ſentiri poteſt ab eo qui ignis lumen eminùs intueretur; deinde verò accedẽs clauſis oculis igni manum admoveret: ſed etiam quia unum ſine altero eſſe poteſt, ut conſtat tum ex lapide aut ferro eò uſq; duntaxat calefactis, quod amplius nudis manibus contrectari nequeant, ſic enim tactu quidem calor acer percipitur, at Viſu lumen nullum, donec ulteriore incanduerint calefactione, qua tandem lux in ferro poſt ſummum calorem introducitur: ut illa etiam prior ex ferro abſcedit in hoc adhuc relicto calore acerrimo: tum ex lignis putridis & ſquammis piſcium rigida Hyeme ſub dio lucentibus: quorum etiam ingenti cumulo, ſi nix ſuper ponatur, ne hujus minimum granum liqueſcet, veluti nec ab lucidis liquoribus Chymicè extractis ex cicendulis aut piſcium ſquammis: itaque cum lumen & calor ignis ſint qualitatis activæ realiter diſtinctæ, ergo utrique proprius debetur formalis effectus: at quis erit effectus formalis & per ſe luminis ſi non illuminatio, & caloris ſi non calefactio? Rurſus ſi lumen per ſe calefacit, ergo ignis per ſuum lumen calefacit, non autem per ſuum calorem, quod aſſerere non minùs abſurdum eſt, quàm contendere ignem ipſum ſuo calore illuminare. Adde quod cùm hæ qualitates realiter diſtinguantur, ſuperflua ſit altera in igne neceſſe eſt ad caloris productionem: nemo autem ſanæ mentis aſſeret ſummum calorem igni primò & per ſe competentem, non ad ſummum calefacere poſſe, itaque etiam neceſſe eſt omnes fateri, lumen ignis ad caloris productionem per ſe ſuperfluum eſſe: proindeque nec igni datum fuiſſe ad calefaciendum. Tandem quod calor ignis non ſit ſoboles ipſius lucis, ita demonſtatur. Si quidem calor ſummus prius eſt in combuſtibili, quàm hoc ſit ignitum, ipſum verò non lucet, niſi ignitum ſit: non igitur in eo calor lucis, ſed potiori jure lux caloris ſoboles dici debet.

Ex his ergo cum evidentiſſimè conſtet lumen ignis non calefacere; idcircò nec Cœli lumen calefaciet, quod ut ſupra fatetur etiam ipſe Alexander, ejuſdem ſit ſpeciei cum lumine Solis, & patet ex media Terræ regione, quam non lumen, ſed calor Solis calefacit, qui ſolus eo uſque penetrare valet, lumine in extima ſuperficie cohibito, atque repercuſſo, ut diximus Lib. 3. ſect. 1. cap. 7. Eademque eſt ratio de lumine cæterorum Aſtrorum.

Quod enim Alexander de Angelis lib. 1. cap. 5. ait cum Ariſtotele lib. 4. de part. animalium cap. 5. Echinos & id genus teſtacea in Pleniluniis uberiùs impleri, quod noctes ſint tepidiores propter pleniorem Lunæ lucem, ut proinde teſtaceorum incrementum ſit ab auctiore calore, & hìc à Lunæ copioſiori luce; hoc omninò alienum eſt à veritate, cui inquirendæ ſegniùs navarunt operam, quotquot Ariſtotelis authoritati ſe manciparunt ignaviùs. Veriti etiam cùm ipſo, ne ſi in corporibus Cœleſtibus actualem ſive formalem calorem admitterent, neceſſariò in illarum regione generationes novæ eſſent admittendæ, quod piaculum cenſebatur. Etenim ut Sol non modò lucidus eſt, ſed etiam formaliter calidus in gradu ſupremo; veluti à nobis oſtenſum eſt lib. 12. ſect. 1. cap. 1. Ita Luna & ſua opacitate lucem, & ſua denſitate calorem Solis in hæc inferiora reflectit, ea proportione, quâ reſpectu Terræ ipſa illuminatur. Nec mirum quod calor ab illa ad tantam repercutiatur diſtantiam: cùm calor Solis ſit ſtupendæ activitatis ut ſenſui patet, atque inter Lunam & Tellurem nihil intermediet, quod calori ut nec lumini repercutiendo per ſe contrarietur: non denſitas, eſt enim ſumma raritas: non frigus, tantùm enim interjacent Æther, Ignis & Aer, Elementa calida, unde fit etiam ut Sol eo inſtanti quo illuminat, eodem etiam ſenſibiliter calefaciat & per ſpeculum urat. Quamobrem non à copioſiore lumine, ſed copioſiore calore reflexo noctes ſunt in Plenilunio tepidiores; niſi boreales venti Hyeme obſtiterint. Nec dicatur lumen Solis à ſpeculo concavo reflexum etiam accendere combuſtibile: Ergo multo magis priuſque calefacere. Nam certum eſt id à lumine non fieri, ſed à calore Solis, qui non ſecùs ac lumen ipſum à ſpeculi denſitate & concavitate reflectitur, uniturque, indeque accendit. Neque hic effectus radiis Solaribus peculiaris eſt, cum & ignis & quodvis ignitum, ut ferrum, ſui caloris radiis eodem planè modo repercuſſis, idem præſtet, ipſa rerum magiſtra teſte experientia.

Porrò ex dictis hactenus corruit etiam opinio ſecunda, quæ eſt Kepleri in Paralip. in Vitell. dum enim calorem facit lucis proprium quod quarto modo vocitant; ergo ab hoc lucis formalem effectum, calefactionem ſcilicet, deducat neceſſe eſt, proindeque in igne vel lucem & calorem non diſtingui realiter, vel ipſum calorem non calefacere, quorum utrumque ſuperiùs rejectum eſt.

At ſubtiliori errore detinentur qui Aſtrorum lucem quatuor primas qualitates eminenter continere opinantur; quos inter præcipuè numeratur Picus Mirandulanus Lib. 3. in Aſtrologos cap. 4. & 5. ubi hac in ſententia confirmanda mirè ſe torquet: dum lucem ait eſſe ſenſibilium ſeu corporearum qualitatum primam & nobiliſſimam, quæ idcircò debeatur primo & nobiliſſimo corpori, quippè Cœlo, ipſamque habere conſummatam corporum virtutem; quodque ipſius proprietas & ſoboles ſit calor Cœleſtis, qui omnes Elementares qualitates, calorem, frigus, humorem, & ſiccitatem eminentiâ ſimplici contineat; unde neceſſario ſequitur eaſdem qualitates in luce ipſius caloris Cœleſtis parente eminenter quoque contineri. Hoc autem non eſſe ſic oſtenditur.

Nam ſi lux eminenter continet quatuor primas qualitates Elementares, ergo ad quamlibet producendam erit ex ſe indifferens. Quamobrem ipſam determinari neceſſe erit, vel à patiente ſubjecto, vel à cauſa principali, quippè Sole, Luna, Venere, &c: quorum corporum Cœleſtium ipſa lux dicitur eſſe inſtrumentum. Primùm verò inde abſurdum eſſe patet; quia ut lux indifferenter ſe habet ex ſe, ad calorem aut frigus producendum: Ita ſubjectum caloris & frigoris ſuſceptivum ſe habet indifferenter ad calefieri aut frigefieri; præſertim ſi in ipſo calor & frigus ſint in æquilibrio, quod in alterationibus frequentiſſimè accidit, dum aut frigida calefiunt interdiu, aut calida frigefiunt noctu. Altero autem prædominante, tunc ſubjectum paſſivum aut ratione caloris, aut ratione frigoris in illo prævalentis determinabit lucem, ad caloris productionem. Si hoc, ergo nullum prædominio frigidum, fiet frigidius: ſi illud, ergo nullum præ-

dominio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

dominio calidum frigefiet; quorum utrumque experientiæ reluctatur. Forſan verò ſic evidentius idem exponitur. Quoniam lux ponitur ex ſe indifferens; ergo ad calorem producendum determinabitur à ſubjecto, quòd hoc ſit vel calidum, vel frigidum, vel neutrum. Atqui ab ultimo nulla eſſe poteſt ad calorem, aut frigus determinatio. Si verò dicatur primum, ergo lux in nullo calido frigus producet: Si ſecundum, ergo lux in nullo etiam frigido producet frigus, proindeque in nullo ſubjecto. Eademque ratione in nullo producet calorem, ſi ad frigus determinari ſupponatur: ſicque fruſtra dicetur quatuor primas qualitates virtute complecti. Quamobrem nullo modo habet à ſubjecto patiente quod calorem aut frigus producat in ipſo. His adde quod cùm lux ignis & lux Cœleſtis ſint ejuſdem ſpeciei infimæ, ut à Nobis probatum eſt cap. 8. & fatentur ipſimet adverſarii, omninò ſequitur, quod ſi lux Cœleſtis per ſe frigefacit, quatenus per ſe continet eminenter quatuor primas qualitates: Ergo etiam lux ignis eadem ratione per ſe frigefaciet; quod opinari ab ipſis etiam adverſariis perabſurdum cenſebitur.

Jam verò quod ipſa lux non determinetur à corporibus Cœleſtibus ut horum inſtrumentum, ſic patet. Nullum ſiquidem inſtrumentum ut ſic, propria virtute producit effectum; eſſet enim ejus cauſa principalis, ſed hunc producit virtute principalis cauſæ, à qua movetur illud; itaque ſi lux ut Solis inſtrumentum calefacit, ergo non propria, ſed ſibi extranea virtute Solis calefaciet; ſicque vel luci nulla vis propria erit calefaciendi, vel erit ſuperflua. Præterea nullum inſtrumentum ſibi, ſed agenti principali patiens aſſimilat: ſiquidem non malleo, nec fideliæ, nec ſecuri, ſed Architecti ingenio ideâ domus informato, domus ipſa aſſimilatur: quamobrem ſi lux ut inſtrumentum Solis ſubjectum calefacit, hoc Soli, & non luci ratione caloris aſſimilabitur: ſicque denuò vel lux per ſe carebit vi calefactiva, vel hæc erit ſuperflua. Accedit quod etiam lux ignis eſſet ejus inſtrumentum ad calefaciendum, ſicque vel nullus eſſet igni calor à lumine diſtinctus, vel eſſet ſuperfluus, imò vis calefactiva eſſet in ipſa luce, ut ſuperiùs fruſtranea. Eadem eſt ratio de frigore ab aliquo aſtro per lucem producendo. Non ergo lux ut inſtrumentum Aſtrorum, ab his determinatur ad calorem aut frigus producendum. Sed hoc etiam diſcurſu patet, lucem non eſſe inſtrumentum Solis ad illuminandum, alioquin lux ex ſe non illuminaret, neque illuminatio eſſet ejus formalis effectus, quæ ſunt abſurda: lux enim per ſe illuminat, neque hoc habet à Sole, qui è contra habet à luce ipſa, quod illuminet: eademque eſt ratio de calore Solis vel ignis: ſed lux & calor ſunt tantùm qualitates formæ Solis congruæ; ipſi quidem formæ extrinſecæ, ſed ejuſdem Solis materiæ inhærentes, ut congrua ad ipſam formam diſpoſitio; per ſe autem à Sole non aliter dependentes quam ratione inhæſionis in ſubjecto, more cæterorum accidentium communium, ſcilicet quantitatis, coloris, &c: quæ in ſacrâ Synaxi ſeparata ſunt à ſubſtantiâ, ſed ſupernaturaliter: ut ſupernaturaliter lux & calor à Sole ſeparari queunt, cùm neque lux, neque calor ſint de eſſentia Solis, nec ejus formalis proprietas quam quarto modo vocitant. Cæterùm evidentiſſimè conſtat in Planetis à Sole reliquis, quod lux cum Luna non humectet, cum Saturno non frigefaciat, cum Marte non calefaciat, &c: his enim corporibus lux non minùs extrinſeca eſt, quàm parieti aut ligno, lumen Solis reflectentibus: nec quidem ipſis inhæret, ſed tantùm extrinſecè adhæret ex cap. 2. Itaque ut perabſurdum eſſet arbitrari lumen Solis à pariete reflexum calefacere, ſed à ligno aut ferro, aut panno frigefacere; ſic idem lumen Solis à Marte quidem repercuſſum calefacere; à Saturno autem frigefacere mera eſt abſurditas, paſcendis deinceps ingeniis lumine naturali deſtitutis idonea.

Porrò quod Picus hac in re ſibi difficillima, totis ingenii artibus ſeſe extricare, ſibique & Philoſophis omnibus ſatisfacere tentans; vult calorem ſyderæam primam lucis ſobolem, eminentia ſimplici continere primas quatuor Elementorum qualitates, ita ut ſine illo nec calor Elementalis calefaciat, nec frigus Elementale frigefaciat; ſeipſum prodit ipſe Picus. Nam ſi calor ſydereus eminentiâ ſimplici continet calorem & frigus Elementale: nulla eſt ratio Phyſica, cur dicatur potius calor ſydereus quàm frigus ſydereum: quæ enim affertur ratio à Pico, ponente calorem Elementalem eſſe calori Cœleſti proximiorem frigore Elementali, deſtruit ſupradictam ſimplicem eminentiæ continentiam, flectique lucem aut calorem Cœleſtem, ad caloris Elementalis productionem in his Sublunaribus, potiùs quàm frigoris: quamobrem cum actio ſit duntaxat à proportione majoris inæqualitatis, omninò alia in Cœlo danda erit cauſa, luce vel calore ſydereo potentior & contraria, à qua frigus Elementale Cœlitus in his inferioribus producatur: quod Pici intento magis contrariatur. Itaque ex his liquidò conſtat quatuor primas Elementorum qualitates à luce eminenter minimè contineri.

Forſan verò ſic arguet aliquis. Cauſa univerſalis ut Sol, determinatur à ſubjecto patiente pro formis ſubſtantialibus, & cum bove generat bovem, cum equo equum, cum tritico triticum, & ranam cum ſemine ranæ: Cur non ergo lux cauſa univerſalis, pro calore & frigore formis accidentalibus determinabitur à ſubjecto? Prima ratio eſt, quia Sol verè eſt cauſa univerſalis, utpotè qui ſimul tempore multos ſpecie differentes effectus producere poteſt, ut ſupra dicitur: ideoque cùm ſit ex ſe indifferens, à ſubjectis illum determinari neceſſe eſt; non quidem ratione ſui formalis effectus, ad quem à propria formâ ſive naturâ determinatus eſt, ſed tantùm accidentalium. Lux verò non eſt cauſa univerſalis ut ſupponitur, minimè verò probatur. Altera, quia ſubjectum generationis ex ſe determinatum eſt ad hanc ſpecie formam; ut ſemen equi ad equum: At ſubjectum alterationis eſt ad contrarias formas caloris & frigoris excipiendas indifferens; ideoque determinandum ab agente, quod per conſequens ad alterum ex ſe debet eſſe determinatum: lux verò per ſe ad neutrum determinata eſt: cùm per ſe neutrius productiva oſtendi queat.

Rurſus ſi Sol cum bove gignit bovem, & cum equo equum; Cur lux cum Sole non producet calorem, & cum Saturno frigus?

Ratio eſt, quia bos & equus non ſunt formaliter

liter contrarii, ideoque ab eadem Phyſica ſaltem univerſali produci queunt: at calor & frigus Elementaria, ſunt formaliter contraria; ideoque à cauſis per ſe formaliter contrariis. Jam verò Sol & Saturnus non ſunt formaliter contrarii ratione ſubſtantiæ, quippè cui nihil eſt contrarium; ſed neque etiam lumina Solis & Saturni ſunt formaliter contraria: ſunt enim idem lumen non tantùm ſpecie, ſed etiam numero, quippe lumen Saturni eſt eadem numero lux Solis à Saturno reflexa; ut quæ à ſpeculo vel pariete reflectitur: Solis autem & fixarum lumina cum ſint ejuſdem ſpeciei ex cap. 8. non erunt etiam inter ſe contraria. Ob hanc igitur caloris & frigoris contrarietatem, lux per ſe utrumque producere nequit. Adde quod jam ſupra patuit lucem non agere virtute Solis aut Saturni; veluti calor non virtute ignis, ſed per ſe calefacit. Si autem lux agit ex ſe & virtute propria, ergo idem ex ſe efficiet cum utroque; nec aliud cum uno, aliud autem cùm altero, quin vis ejus propria ab alterutro immutetur, idem enim manens idem, ſemper ex ſe facit idem: At ſi immutetur, jam non aget ex ſe contra hypotheſim. Præterea cauſarum in aliquem effectum concurrentium, neutra immutat alteram, ſed quælibet juxta propriam naturam vel efficientiam operatur. Sic calore & frigore concurrentibus ſubjectum fit partim calidum, partimque frigidum pro ratione virtutis ſingulorum, ſic ignis per ſuum calorem calefacit, per ſuum lumen illuminat, & per ſuam formam generat ignem, nullius harum cauſarum vi propria immutata: atque ſic etiam color albus nigro permixtus, griſeum; croceo autem, citrium gignit, agendi ratione formali nullibi temerata: Ex eo evidens quod colorum quilibet mixtionem ſibi eo magis aſſimilet, quo magis ipſius ſuper alterum fuerit prædominium.

His ergo ſic ſe habentibus conſequitur, luci nullum per ſe effectum convenire præter illuminationem, quæ ejus formalis effectus eſt, cuicumque corpori ſive Soli, ſive candelæ illa ſit propria, vel à quocunque reflectatur. Nec in alium finem luminaria quatenus luminaria Geneſis cap. 1. facta eſſe dicuntur niſi ut ſua luce dividant diem atque noctem, & luceant in firmamento Cœli, & illuminent Terram. Ac proinde lux non univerſalis, ſed particularis tantùm cauſæ rationem ſortitur, quippe quæ non diverſos, ſed unicum ſpecie effectum producere valeat. Hac in parte inferior calore qui calefacit, rarefacit, vivificat, coquit, digerit, liquefacit, indurat, pluresque alios differentes producit effectus; cùm lux duntaxat illuminet.

Neque præterea lux parvi facienda eſt, quod jam inſtar Cornicis Æſopicæ plumis alienis à Nobis denudata videatur. Ipſa enim nulli invidens, ſed nobiliſſima ſorte ſua meritò contenta, ſe conſpiciendam exhibet corporeis, nec non ſpiritualibus oculis; ut & qualis ſit innoteſcat, & quod ejus naturæ non convenit, eidem ignara gratuitate non tribuatur. Attamen eſt qualitatum omnium ſolo ſenſu perceptibilium nobiliſſima & facile princeps, ut viſus cujus illa objectum eſt primarium inter cæteros ſenſus nobilitatis principatum ſibi facilè vendicat. Præterea lux eſt totius Mundi decor atque pulchritudo, qua ſublata horror, triſtitiaque omnia occuparent. Quamobrem Mundi opifex ſapientiſſimus, creavit lucem, ut hæc ſua ſpecie hominem exhilararet, DEIQUE opera conſpicua faceret, ſicque ſibi utilia à noxiis homo diſcerneret, ab hiſque caveret, illa autem tuto proſequeretur, atque in ſingulis DEUM agnoſceret, veneraretur, & gratiarum actione proſequeretur. Illam autem corporibus affixit Cœleſtibus, tum quod ab his Tellus ſufficienter commodiuſque illuminetur: tùm ut per ipſam immenſa Cœli vaſtitas, ſtupenda Solis aliorumque Planetarum, ſed præſertim fixarum magnitudo, nec non proprii ſingulorum motus hominibus innoteſcunt, indeque ſuam Omnipotentiam, Sapientiam, Majeſtatem atque Bonitatem infinitam accuratius metirentur, quæ omnia lumine ſublato laterent. Nec hiſce contentus DEUS Opt. Max. artem etiam hominibus inſpiravit lucem, vel ex radiis Solaribus, vel ex attritu lapidum in alieno corpore excitandi, quæ tenebris durantibus lucis Cœleſtis vicaria foret: qua etiam luſtrandis ſubterraneis locis utuntur homines, ad quæ lumini Cœleſti non datur ingreſſus. DEUS enim quæcunque ſunt in Cœlo & ſuper Terram, maximè videri voluit; ſubterranea vero, aurum, ferrum, ſulphur, arſenicum, & alia ut periculo plena illis abſcondi: ad hæc nullum ſenſibile, DEI Imaginem perfectius exprimit ipſa luce, quam propterea Marſil. Fic. Lib. 2. Epiſt. ait eſſe quaſi Numen quoddam in Mundano hoc templo, DEI ſimilitudinem referens. Et rurſus, lumen rebus à DEO factis eſt quidam Divinæ claritatis ſplendor; & ut ita loquar eſt DEUS, quaſi ſeipſum finiens, & ad operum ſuorum capacitatem ſeſe accommodans. Multa alia inter DEUM & lucem analoga planè miranda ex Phyſicis vel Opticis hîc afferri poſſent, quibus mens humana in DEI cognitionem eveheretur, ſed alibi paſſim occurrunt. Quamobrem ſat erit Nobis oſtendiſſe, lucem qualitatum ſenſibilium ſupremam, maximiſque encomiis in ſui Authoris honorem celebrandam, neque ex ſe, neque aliena virtute, aut cum altero agente calorem, frigus, humorem, aut ſiccitatem producere, ut hactenus opinatum eſt, præſertim ab Aſtrologiæ oſoribus: ſed per ſe duntaxat illuminare; Atque de luce hactenus dixiſſe ſufficiat.

CAPUT XIV.

De Tenebris.

VUlgo fertur contraria juxta ſe poſita magis eluceſcere, itaque poſtquam de luce ſupradictum eſt, de Tenebris jam dicendum aliquid.

Dicunt Optici umbram eſſe privationem luminis primarii, & derivationem vel effluxum ſecundarii; ut cum paries cubiculi, Solis radio illuſtratus alterum parietem Soli non conſpicuum illuminat, hic ſecundario lumine affici & in umbra eſſe dicitur: at tenebras dicunt eſſe privationem luminis primarii & ſecundarii.

Patricius autem Lib. 5. Pavangiæ, vult tenebras eſſe ens luci poſitivè contrariam, idque ratione & experientiâ probare contendit. Ratio ejus talis eſt. *In rerum natura dato uno contrario datur & aliud: contraria autem ea eſſe dicuntur quæ ſub eodem genere maximè diſtant: Ergo in genere viſibilium erunt quoque duo extrema inter ſe contraria, ſcilicet maximum viſibile quod eſt lux Solis, & minimum*

nimum viſibile, quod eſt Terræ nigror ſeu opacitas : ſicque tenebræ ſunt minimum lumen, quæ res (ait) nova eſt, inaudita & paradoxa.

Cæterùm in multis fallitur Patricius. Nam ut probet tenebras eſſe luci poſitivè contrarias, ſupponit idipſum: ac præterea tenebras eſſe de genere viſibilium ; quod tamen non probat. Dum autem ait tenebras eſſe minimum lumen, à vero prorſus aberrat ſibique contradicit. Nam ſi tenebræ ſunt minimum lumen, ergo ſunt aliquod lumen, vel nullum; ſi hoc, ergo non minimum: Si illud, jam lumen non eſt contrarium lumini in natura, alioquin idem ſibi ipſi contrarium eſſet; ſed neque ratione magis & minus lumen contrariatur lumini: Nam de ratione contrariorum eſt, ut natura differant, ſeque mutua pugna ex eodem ſubjecto expellere valeant, ut calor & frigus in genere tactilium; at quæ tantùm per magis & minus differunt, natura non differunt, ſiquidem ſingulæ ſpecies qualitatum, ſuſcipiunt magis & minus. Præterea quis unquam aſſeruit tenebras expellere lumen, cùm lucidum, ut cicendula, vel ſola ſcintilla nullibi magis niteat quàm in tenebris? Ad hæc minimum lumen non poteſt eſſe ſubſtantia: ut de luce probavimus, ſed duntaxat accidens de genere qualitatis : omnis verò qualitas ſuſcipit magis & minus : Ergo dabitur lumen minus minimo in infinitum, quod abſurdum eſt.

Experientia verò Patricii eſt, *quod Tenebræ ſint viſibiles : Ergo ſunt ens poſitivum.* Verum ſi tenebræ fuerint viſibiles, non erunt inſtar coloris per lucem viſibiles; non enim ut color lucis præſentiam ſuſtinent : ſed erunt per ſe viſibiles; ideoque cum ex Patricio effluant à corporibus opacis in quibus ſunt fontaliter : Ergo corpora opaca erunt multo magis per ſe abſente luce viſibilia; quod experientiæ reluctatur; cùm in meris tenebris poſitus inter diverſa corpora nullum ſe videre fateatur. Siquidem ad viſionem non modo requiruntur objectum viſibile & potentia viſiva ſana debitè applicata, ſed inſuper medium videndi actu perſpicuum: tenebræ verò ſunt mera ipſius actus privatio, unde cùm perſpicuum à tenebris non actuetur, nulla eſt viſio in tenebris, & idcirco dati ſunt felibus lucidi oculi ut mures in tenebris deprehendant. Non ergo tenebræ videntur ſicut nec ſilentium auditur : neque privationes hæ ſenſibus per ſe deprehenduntur, ſed intellectu; qui ſciens facultatem ſenſitivam objecto ſuo debitè intentam, nec tamen affectam, concludit objecti abſentiam & privationem. Sed de his dictum ſit hactenus, adverſus eos qui Aſtra ſolo lumine agere in hæc inferiora opinati ſunt.

FINIS LIBRI VNDECIMI.

ASTRO-

ASTROLOGIÆ GALLICÆ

LIBER DUODECIMUS.

De Corporum Cœleſtium qualitatibus Elementalibus & Influentialibus.

PRÆFATIO.

Quantùm Doctrinæ Phyſicæ, Medicæ, Theologicæ, & Aſtrologicæ, hoc Libro contineatur, brevi Præfatione explicari nequit. Sed attenta mente tres ejus Sectiones inſpectandæ ſunt, in quarum prima agitur de Corporum Cœleſtium qualitatibus Elementalibus, calore, frigore, ſiccitate, & humiditate. In ſecunda, de eorundem Corporum influentiis, quæ adverſus oſores Aſtrologiæ defenduntur egregiè. In tertia verò probatur dari influentias ipſas; & quæ ſit earum natura, & proprius agendi modus explicatur. Horum verò omnium Doctrina quantùm à vulgaribus opinionibus diſſona, & veritati Phyſicæ conſona ſit, intellectus non ſine voluptate percipiet.

SECTIO I.

De Corporum Cœleſtium qualitatibus Elementalibus, calore, frigore, ſiccitate & humiditate.

Caput I.

Quantùm lucis conferat rebus Cœleſtibus præcedens de luce & lumine liber, fiet deinceps conſpicuum. Etenim Ariſtoteles ejuſque Sectatores ferè omnes, tum Veteres, tum Neoterici; nullas in Cœlo dari tales qualitates mordicus aſſeverant: ſingulorum verò authoritates & rationes hîc afferre, nimis prolixum tædioſumque foret, ſat erit inſinuare; illas omnes ad duo duntaxat capita præcipua revocari. Primum, quod lumen Cœleſte tales in his inferioribus generet qualitates, proindeque ſuperfluum ſit ad hoc, illas in Cœlo formaliter admittere. Atque hæc eſt etiam ratio Alexandri de Angelis Lib. I. in Aſtrologos cap. 3. dum ait. *Licet nulla Cœli pars ſiccitate aut humiditate, calore aut frigore affecta ſit (alterari enim & corrumpi neceſſe eſt) Cœlum tamen habet facultatem efficiendi hæc omnia in Orbe Sublunari per lumen.* Secundum, quod in Cœlo poſitis actu qualitatibus contrariis, neceſſariò ponatur etiam alteratio, indeque generatio & corruptio, quod Aſtrorum naturæ & dignitati omninò repugnare, univerſa teſtatur antiquitas. Unde Scaliger Exercit. 74. adverſus Cardanum ait. *Sol eſt tantùm calidus effectivè, non affectivè ſeu formaliter; alioquin à Saturni frigore contrario pati poſſet.* Ariſtoteles verò cap. 4. Lib. I. Meteor. negat Solem igneum eſſe, licet maximè calidus eſſe videatur; quòd non ignis ſed candoris præ ſe ferat ſpeciem. Cæterùm quod lux duntaxat illuminet, nihilque his in inferioribus aliud efficiat, neque ſit per ſe cauſa caloris, evidenter oſtenſum eſt Libro 11: Alterationes autem, generationes & corruptiones in Cœlo eſſe admittendas, omninò convincunt frequentes maculæ Solis, tum Cometæ & Stellæ novæ, de quibus actum eſt Lib. 9. Ut proinde jam ſit omninò ſuperfluum de his ampliùs cum Veteribus contendere. Ad illud verò Ariſtotelis de ſpecie candida Solis etiam à Nobis reſponſum eſt Lib. 11. cap. 9. Nempè varios eſſe flammarum vel ignitorum colores, quos lux ipſa exprimit & oculis imprimit, igniſque Solaris colorem eſſe album, ei vix diſſimilem qui in ignibus illis artificialibus conſpicitur, quos Stellas cadentes appellant. Unde patet, rationes Veterum nullius eſſe ponderis, ad primas qualitates corporibus Cœleſtibus denegandas.

Itaque jam videtur aſſerendum, in Aſtris, hoc eſt Planetis & Stellis dari formaliter quatuor primas qualitates: calorem, frigus, humiditatem & ſiccitatem. Prima autem ratio ab ipſis deſumenda eſt adverſariis: concedunt enim quòd datis in Cœlo contrariis qualitatibus, neceſſario dabuntur generationes & corruptiones: Ergo viceverſa, datis in Cœlo generationibus, neceſſario dandæ ſunt contrariæ qualitates. Nulla eſt enim generatio Phyſica, ſine prævia alteratione corruptiva: & hæc à ſolis eſſe poteſt qualitatibus contrariis: ſed experientiâ teſte dantur in Cœlo generationes novæ, eæque non infrequentes, ſcilicet maculæ Solis & Cometæ; ergo in corporibus Cœleſtibus contrarias dari qualitates neceſſe eſt. His verò generatim oſtenſis, nunc ſingulæ probandæ ſunt, ut ſequitur.

Cujuſvis generationis naturalis primum ſubjectum eſt humidum, ſive ſit aqueum, ſive aereum, aut (Chymicè loquendo) ſive Mercuriale, ſive Sulphureum, aut cujuſvis alterius generis. Idque patet univerſim in generatione mineralium, vegetabilium, animalium & meteororum Sublunarium. Et ratio eſt, quia nulla ſit generatio

neratio naturalis ſine corruptione prævia, nullaque corruptio ſine ſolutione, nulla autem ſolutio ſine humido. Cùm igitur in Cœlo novæ fiant generationes, ergo earum primum ſubjectum quippè humidum dari oportet; taleque eſt ſubjectum macularum ſive nubium Solis, Cometarum & Stellarum novarum, quæ omnia ex humido viſcido inflammabili & reſolubili conſtare jam communior eſt ſententia; ſiquidem inflammari aut reſolvi, ſolius eſt humidi proprium. Dato autem in corporibus Cœleſtibus uno contrariorum, quippè humido reſolubili, etiam aliud dari convenit, quippe ſiccum, non reſolubile. Dantur igitur in Cœlo humidum atque ſiccum.

Jam verò quod in Sole detur actu calor Elementalis, probari quoque poteſt multifarium. Primò enim quod Sol virtute propria calefaciat corpora diſtantia, imò etiam per radiorum reflexionem urat inſtar noſtratis ignis, nullus eſt adeò mentis inops ſive ſenſus, qui deneget: atqui ſua luce non calefacit ex Lib. 11. hoc enim de igne noſtrate aſſerere ridiculum foret. Ergo ſibi proprio actuali calore calefacit. Forſitan concedet aliquis in Sole equidem eſſe vim calefaciendi, imò urendi, ſed hanc eſſe calorem duntaxat virtualem. Sic verò probandum eſt illum eſſe actualem ſive Elementalem. Cuicunque facultati competunt omnes caloris Elementalis proprietates, ipſa eſt calor Elementalis; non enim dantur duo entia diverſæ naturæ, quorum eædem omninò ſint proprietates. At vi calefactivæ Solis competunt omnes caloris Elementalis proprietates, nempè calefacere, rarefacere, attenuare, reſolvere, liquare, urere, coquere, omogenea congregare, & per accidens heterogenea diſgregare. Ergo vis calefactiva Solis quam ſenſu ipſo percipimus, eſt calor Elementalis. Præterea calor actualis multò minùs eſt alienus à natura Cœleſti quàm humidum actuale, ſiquidem multi Veterum Aſtra eſſe ignita voluere: atqui ex ſupradictis negari nequit dari in Cœlo humidum actuale in vapores, vel exhalationes Cœleſtes reſolubile: ergo ibi quoque dari calorem actualem à quo fiat illa reſolutio fatendum eſt. Denique idem eſt calor in Sole ac ille qui per ejus radios effluit, & à corporibus denſis reflectitur; non enim radius caloris effluens, ipſa reflectione naturam ſive ſpeciem mutat, ſicut nec dum effluit, etiam à ſuo fonte naturam induit, ut patet à ſimili de radio ſimplici lucis actualis: ſed radius caloris Solaris, ſive directus, ſive à ſpeculo concavo reflexus eſt calor actualis, imò flamma Solaris actu comburens, & Naturæ ſulphur: ergo in Sole ipſius radii fonte, dantur calor actualis & ignis. Eſtque ratio hæc validiſſima, quandoquidem evidentiſſimè à nobis oſtenſum eſt, qualitates activas in diſtans, quales ſunt lux, calor, frigus, influentia, virtus magnetica, &c: non eſſe ſimilium ſibi productivas; maximè verò per abſurdam Scholaſticorum eductionem de potentia materiæ; ſed illas à ſuo fonte ſcilicet corpore cui inſunt, effundi vel effluere in ſubjecta proxima vel remota, pro ratione virtutis, cujuſque qualitatis.

Cæterùm hic non levis occurrit Objectio. Nam ſi Sol fuerit actu calidus nullum frigus actuale in ejus ſphæra activitatis reperietur; nec per conſequens in media Aeris regione. Ut enim lumen Solis, ita ejus calor totam ſphæram ipſam occuparet, quo uſque ſeſe extendere poſſet vis illius calefactiva, quam ad Tellurem uſque pertingere conſtat: indeque frigus actuale abigeret. Sed Media Aeris regio quam radii Solares penetrant eſt ſemper frigididiſſima; non ergo radii Solis ſunt actu calidi.

Sed reſpondeo equidem ſecuturum quod objicitur, niſi daretur cauſa productiva ſive fons frigoris in ipſa etiam ſphæra activitatis Solis: nempè Tellus quæ ob ſuum à Sole receſſum circa ſe frigus effundit continuò in vicinum Aerem ex Lib. 3. Sect. 1. cap. 10. Præſertim verò ex ea parte, quâ à Sole abſente aut deſcendente non impeditur; ut noctu & Hyeme. Ubi autem Solis calor ex una parte frigori Terræ prævalet, frigus ipſum ſeſe intra ſuam fontem in ipſa Terræ parte cohibet, ex altera erùmpens acriùs. Seſe igitur hi duo fontes caloris & frigoris compatiuntur in Mundo, ut calor & frigus in eodem corpore. Et ad hoc maximè conducit motus Solis ſuper Terram, quo continuò ipſius Terræ partem unam deſerit, ſuoque juri relinquit, dum ad aliam accedit ejuſque frigus cohibet. Illudque mirum videri non debet, nam ſi duæ qualitates contrariæ ſint compatibiles in facto eſſe in eodem ſubjecto, quidni etiam in fieri? Ergo Sol & Terra duo fontes caloris & frigoris, ſimul agunt, in eandem Aeris partem, ſcilicet mediam & infimam: atque Sol ſuperat in infima præſertim Æſtate, ob vim reflexionis, non autem in media ubi vis Telluris etiam per reflexionem roboratur & duplicatur. Unde utraque cauſa ibi prævalet, ubi ſuæ qualitatis prævalet repercuſſio. Videatur etiam ultima objectio capitis 10. ſect. 1. Lib. 3. ejuſque ſolutio, hæc enim nullam hac in parte relinquit difficultatem.

Quoniam igitur in Cœlo dari calorem actualem conſtat ex ſupradictis, ergo in eodem ejus contrarium frigus actuale dari etiam neceſſe eſt lege contrariorum: neque enim hic opus eſſe cenſemus ulteriore Diſputatione adverſus Cardani opinionem de frigore, vel eorum quos hac in parte ſecutus eſt, nimirum Plotini, Averrois, Avenezræ, Marſilii Ficini & aliorum, qui non modò frigus eſſe duntaxat privationem etiam aſſeruerunt, ſed totum Cœlum calefacere & totum ignem eſſe, quòd Aſtra omnia ſint lucida. An non eadem ratione Terra noſtra, imò nix ipſa dicenda erit calida, dum Hyeme rigidiſſima Lunæ inſtar illuminatur à Sole, in gelu rigorem minimè prævalente? Hoc ſanè talibus ex Philoſophis contra experientiam, non incolarum Lunarium, (ſi tales darentur) ſed noſtrum eſſet aſſerendum. Eóque magis quòd Tellus & Luna omni proprio lumine careant. Præterea cryſtallus frigidiſſima vel ipſa glacies, equidem à Solis radio illuminatur in inſtanti, quia lumini ſola opponitur privatio: at non calefit in inſtanti, quia frigus glaciei non eſt privatio, ſed qualitas actualis calori contraria, eidemque reſiſtens, quæ ſucceſſivè duntaxat debellari poteſt. Imò ipſa glaciei forma cùm aquæ non ſit propria, ſed in hanc introducatur à ſolo frigore vehementiori; neceſſe eſt frigus ipſum eſſe cauſam activam & efficientem illius formæ, at privationi nulla competit actio, omne ſiquidem agens debet eſſe quid actu. Itaque quotquot iſti adhærent opinioni, valdè craſſa laborant privatione luminis naturalis: Sed de his hacte-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

hactenus ſufficiat de quibus jam alibi fuſiùs actū eſt.

Porrò dari actuale frigus in Aſtris, præter rationem ſuprapoſitam ex lege contrariorum, confirmatur evidentiſſimis experientiis. Primò enim certum eſt quod in Solis Eclipſibus totalibus, etiam æſtate media & Aere ſereno ac tranquillo contingentibus, inſolitum frigus ex improviſo invadit ipſum Aerem; eòque evidentius quo altior fuerit Eclipſis ſupra Horiſontem. Neque dici poteſt hoc tantum accidere defectu caloris Solaris quem Lunæ corpus interpoſitum ex toto cohibet; nam obſervavi frigus illud eſſe majus quàm poſt Solis occaſum, quo tempore Sol ipſe calorem ſuum non amplius effundit ſupra Horiſontem: Itaque dicendum videtur, Lunam Soli ſuppoſitam, non modò vaſti ſui corporis opacitate, ipſius Solis calorem cohibere, ſed ex ſui parte nobis obverſa, Solique non conſpicua, frigus in hæc inferiora effundere, quod nobis propter ipſius Lunæ vicinitatem fit etiam ſenſibile, non ſecus ac Globus Terreſtris ſuum frigus ad ſupremam uſque Aeris regionem effundit. Unde cùm Sol non alia de cauſa dicatur eſſe calidus, quam quia calorem in nos effundit ſenſibilem: Sic Luna quia effundit frigus ſenſibile, actu frigida & fons frigoris actualis in Cœlo dicenda eſt. Neque id ſaltem Aſtrologis adverſatur, quia unanimi aſſenſu effectibus edocti, Lunam natura frigidam eſſe profitentur, quinimò eorum ſententia inde validiùs confirmatur. Præterea idem convincitur ex ipſius Lunæ Eclipſibus præſertim totalibus; tunc enim etiam frigus ſolito acrius ſentiri conſuevit in his inferioribus. Et ratio pro utriuſque luminaris Eclipſi, hæc eſt: quia in utraque Eclipſi, Lunæ facies nobis obverſa privatur luce & calore Solis, qui aliàs receptus in vaſtiſſimis & numeroſis ipſius Lunæ foſſis, non modò illam calefacit, ſed inde quoque ad nos reflexus tanquam à pluribus ſpeculis concavis, aliqualiter ſaltem afficit hæc inferiora. Ideoq; in quavis Eclipſi totali, Luna nos propria tantùm puraque ſua qualitate afficit, quam ab effectu frigidam eſſe agnoſcimus: nec aliud datur tempus in quo illa perfectiùs certiúſque diſtingui & deprehendi queat ipſo ſenſu.

Eſſe autem Lunam actu ſiccam docet ipſe Tubus opticus. Nam ſi in illa daretur humidum actu ſive liquidum, Solis calor ipſum reſolveret, indeque fierent nubes vel maculæ, ut in Sole ipſo viſibiles. At Tubo nihil unquam tale deprehenſum eſt: ergo actu ſicca eſt, quamvis poteſtate vel influxu proprio ſit humidiſſima: vide cap. 6. ſect. 2. lib. 9. ubi agitur de mixtione Lunæ.

Itaque ſi in Sole atque Luna dantur actu calor, frigus, humor & ſiccitas, de aliis Planetis, imò etiam Stellis ipſis fixis idem non videtur eſſe denegandum; præſertim quod rationalis experientia illud paſſim confirmet. Luna enim quoties Jovi conjungitur ferè ſemper Aeris temperiem & ſerenitatem efficit; quod arguit in Jove calorem: quoties verò conjungitur Saturno, ferè ſemper inſolitum vel intenſius frigus excitatur, etiam æſtate media, quod in Saturno alium frigoris actualis fontem ineſſe teſtatur. Unde nil mirum ſi ab his duobus Planetis frigidis, caligines, denſæ nubes, pluviæ & pruinæ ſæpiſſimè generentur: quandoquidem utraque virtus unita, eſt fortior ad condenſandas humiditates quæ per Aerem ſparſæ ſunt, à calore Solis rarefactæ. Ex Lunæ autem vel aliorum Planetarum conjunctione cum Stellis fixis, ſimili modo vel effectu deprehenditur; alias eſſe calidas, alias frigidas, alias humidas & alias ſiccas ut proprio loco fuſius explicabitur: omninoque confirmari videtur ex Stellarum novarum generatione, de qua vide capita 5. 6. 7. & 9. ſect. 4. lib. 9. Ergo in Planetis & fixis dari frigus, calorem, humiditatem & ſiccitatem, aſſerendum cenſeo. Utcunque Pontanus lib. 3. de rebus Cœleſtibus in hæc verba prorumpat: *quid ignominioſius dici aut excogitari adverſus Cœlum divinamque Stellarum Majeſtatem poteſt, quàm ut corruptibilibus & nunquam in ſuo ſtatu conſiſtentibus qualitatibus prædita eſſe illa dicamus aut exiſtimemus? Iterum dicam. Abſit tanta hæc tamque nefaria Cœleſtibus ſempiterniſque à corporibus injuria, deque illis ut de immortalibus æterniſque corporibus inferiora hæc moderantibus piè rectéque & ſentiamus & prædicemus.* Hæc ille Aſtrologus non exigui nominis atque doctrinæ; qui, ſcilicet blaſphemiam arbitratur aſſerere Solem eſſe actu calidum: ſed pia ejus verba, ſunt verba duntaxat nulla ratione probata, falſoque innixa fundamento, de Cometis infra Lunam generatis.

Ætheri autem, Cœlo fixarum, & primo Mobili qualitates Elementales ſaltem per ſe non convenire, conſtat ex cap. 2. ſect. 2. & cap. 3. & 4. ſect. 3 lib. 3. ſunt enim corpora ſimplicia, Elementis corruptibilibus ſuperiora, iiſdemque præſtantiora: quibus idcirco propriæ ac ſimplices etiam debentur qualitates ſeu virtutes activæ, proindeque differentes ab actuali calore, frigore, humiditate & ſiccitate, quæ ſunt propriæ ac ſimplices 4. Elementorum qualitates.

CAPUT II.

De Aſtrorum multiplici calore & frigore.

TRiplex in rerum natura reperitur calor, nempe Elementaris, Cœleſtis & Æthereus.

Elementalis duplex eſt, quippe actualis & virtualis. Actualis proprium ſubjectum actu calefacit, ut patet in carbone, ab eoque effluens agit in diſtans, ideoque multo magis in propinquum, vel etiam contingens, & horum quodlibet actu etiam calefacit; ſed neutrum vitali calore, quod notandum. Ex proprio autem ſubjecto expellitur ab actuali prævalente frigore. Et propriè dicitur Elementalis, quia proprium ejus ſubjectum eſt Elementum, vel materia quælibet Elementalis; ſiquidem in quamlibet effundi vel introduci poteſt. Virtualis verò, proprium ſubjectum actu ſive ſenſibiliter non calefacit, ab eoque non effluit in diſtans vel etiam contingens: neque ex proprio ſubjecto expellitur ab actuali quocunque frigore; ſed eſt cum ipſo compatibilis in eodem ſubjecto, ut patet in grano piperis gelida glacie obducto. Vocatur autem Elementalis, non quod Elementis primò & per ſe conveniat, hæc enim qualitates duntaxat actuales, minimè autem vitales ſuppeditant: ſed quia proprium ejus ſubjectum eſt, Sal aut Sulphur mixtorum quæ ab Elementis eſſe inſeparabilia teſtantur Chymiatri; quamobrem ſub Elementalis genere à nobis conſtituitur.

Cœleſtis ille eſt qui vel in Cœlo vel in Aſtris obſervatur; ac prout in ſuo primario, proprioque ſpectatur ſubjecto citra determinationem, eſt ſimplex ipſius Cœli virtus formalis ſive eſſentialis, 4. qualitates contrarias eminenter complectens. Prout verò ſpectatur in ſignis; vel etiam in Planetis aut fixis quæ ex Cœlo ipſo componuntur, eſt quidem eadem virtus Cœli, ſed determinata ad naturam Elementalem ſigni ut à nobis oſtenditur lib. 14. vel ad naturam Aſtri, cujus formæ in agendo ſubordinatur. Utrobique verò eſt naturæ influentialis, hoc eſt agit influentiarum more, qui ſequenti ſectione aperietur. Neque ab Elementali frigore expelli vel impediri aut cohiberi poteſt, neque ab ulla corporum denſitate repercuti inſtar caloris Elementaris, ſed ipſam quoque totam Tellurem penetrat. Sol enim vel Mars dominus Horoſcopi ſub Terra in ſigno præſertim igneo, calidum efficit temperamentum. Ejus autem proprium ac primarium ſubjectum eſt ipſamet Cœli materia ſecunda, quæ Aſtrorum ingreditur mixtionem. Atque eſt cum quavis Elementali qualitate, in eodem ſubjecto etiam ſublunari in quo illa effunditur compatibilis.

Denique calor æthereus mediæ inter Elementalem & Cœleſtem naturæ eſſe videtur. Nam in homine cunctiſque viventibus, caloris Cœleſtis in eo naturam æmulatur, quòd eorum conformationi deſerviat, eiſdemque vitæ munia præſtet: ut à nobis dictum eſt cum Ariſtotele lib. 3. ſect. 2. cap. 1. ac prætereà inſtar inviſibilis Solis interni, calorem vitalem perpetua irradiatione conſervet in homine, quadrupedibus & avibus. Sed aliunde caloris Elementalis naturam ſapit; quia in quibuſdam viventibus ut homine vel quadrupede obruitur à frigore actuali, vel proprii pabuli defectu extinguitur deficitque ut calor actualis: indeque mors animalis rigentis ſubſequitur: in aliis verò eſt cum ipſo actuali frigore compatibilis, ut in frumentis ſub nive, & piſcibus ſub glacie qui à frigoris vehementia non intereunt. Præterea inſtar Elementaris caloris actualis quædam ſubjecta actu calefacit ut hominem, gallinam, indeque etiam effluit in propinquum vel contingens: gallina enim ſuis ovis incubans illa calefacit actu, ſed vitali calore: alia verò ſubjecta non calefacit actu, ut olera gelida & nihilominus viventia: eſt igitur naturæ mediæ. Porrò proprium ejus ſubjectum eſt Æther, quem etiam in viventibus calidum innatum, vel calorem nativum cum Medicis appellari diximus loco ſupra citato.

Jam verò quæ hic de calore diximus, etiam de frigore intelligenda ſunt, ſiquidem datur frigus actuale in glacie, virtuale in mandragora, opio, & ſimilibus ſtupefacientibus, nec non Cœleſte in Luna, Saturno & aliis Aſtris, quæ ex materia Cœleſti componuntur; dari autem etiam frigus Æthereum in ipſo Æthere, & ex eo mixtis quibuſcunque corporibus, rationi ſaltem non adverſatur: cùm enim Æther (ut volunt) ſit quintum quoddam eſſe ſuper Elementale, nulli inferiorum Elementorum propria qualitate contrarium, inde ſequitur quod ipſa qualitas, ſit virtute quælibet 4. primarum vel nulla: at datur calor æthereus ex ſupradictis; ergo & frigus æthereum, ideoque propria Ætheris qualitas, in mixtis natura ſua calidis, caloris: & in naturâ ſuâ frigidis frigoris vitalia munia præſtat, ut de divino ſuo lapide aſſerunt Hemetici, quod quintum quoddam eſſe ſuper Elementale, imò ſupernaturale vocant etiam.

His igitur præmiſſis nunc dicimus in Sole rriplicem obſervari calorem, quippe Elementalem, Æthereum & Cœleſtem, ab Elementis, Æthere, & materia Cœleſti, ex quibus Sol ipſe componitur. Per Elementalem enim calefacit actu hæc inferiora, ut ſenſui patet: Per Æthereum excitat ſibi ſimilem atque ſympathicum calorem innatum in mixtorum ſeminibus ſopitum, eumque ad propriam generationem movet, ut ex Planetarum ſeminibus conſtat. Denique per Cœleſtem calefacit influentialiter pro ratione ſui ſitus vel dominii in figuris Aſtrologis univerſalibus aut particularibus, ut ſi fuerit in prima domo nativitatis vel ejus dominus, calidum efficit temperamentum, aut ſaltem calore concurrit ad ipſum, etſi Sol nondum aſcenderit ſupra Horiſontem, in cujus centro naſcitur infans, quod quidem ab Elementari calore fieri nequit, ob Terræ interpoſitionem: ſi fuerit, in duodecima vel octava, aut earum dominus, morbos calidos excitabit, præſertim verò ſi in ſigno igneo moveatur: quod autem dicitur hic de Sole pro calore, etiam de Luna pro frigore dictum intelligatur; & de aliis Planetis ſimiliter.

Caput III.

De mirabili DEI ſapientia in Aſtrorum à Tellure diſtantia limitanda, pro eorum in illam actione.

Duo voluit divina ſapientia in machinæ Mundanæ fabrica: quippè ſuam in rebus corporeis & ſenſibilibus explicare omnipotentiam, Majeſtatem atque gloriam: tum providere vitæ & commodo hominis, cujus gratia totus hic Mundus condendus erat. Ob primum fecit Cœlos tam ſtupendæ vaſtitatis, ut eorum motus diurnus Copernicanis non modò ſit incomprehenſibilis, ſed etiam videatur impoſſibilis. Stellas autem Firmamento affixas tantæ molis condidit, ut ſi fixæ primi nominis apparens ſemidiameter ſupponatur eſſe 10″. quam Lansbergius ait eſſe 30″. & paralaxis 1′. quam Lansbergius ex Terra in Mundi centro ſita vult eſſe 1‴. Reſtabit adhuc fixa ipſa Sole major duplo cum dimidio ex cap. 8. Sect. 4. lib. 9. Cúmque Solem faciat Terra majorem vicibus 434. Ergo Stella ipſa eſſet Tellure major vicibus 1085. Stupenda certè magnitudo, ſed longè minor quàm 20053. ex Lansbergii hypotheſibus, & fere nulla ſi comparetur cum hypotheſibus Keppleri, qui illius fixæ diametrum facit æqualem diametro circuli in quo Sol vel Terra annuo motu feruntur. Fixam verò ſextæ magnitudinis Lansbergius ait eſſe Terrâ majorem vicibus $11\frac{1}{2}$. Atque hæc licet incerta, attamen ſufficiunt ut planè mirandam fixarum molem conjectemur, indeque Conditoris omnipotentiam attoniti veneremur.

Inter Planetas verò qui reſpectu fixarum dicendi ſunt Terræ proximi, ſupradicta Solis magnitudo haud parva admiratione digna videtur; ſicut cæterorum etiam Planetarum, inter quos ♄ eſt Tellure major vicibus $46\frac{2}{3}$: ♃ vicibus $25\frac{2}{3}$.

♂ octies

♂ octies minor eſt Terrâ. ♀ autem eſt Tellure minor vicibus $3\frac{1}{2}$. ☿ duodecies: & Luna vicibus $45\frac{1}{2}$. Si ipſi Lansbergio in ſua Uranometria credendum ſit.

Porrò tam vaſtis corporibus data eſt virtus agendi eorum magnitudini proportionata: idque patet ex Luna, quæ licet Aſtrorum minimum, tamen ſibi propria vi, totum continuò agitat Oceanum fluxu atque refluxu reciproco; tum ex Sole, qui etſi ferè tantùm ſemipedalis Diametri appareat, nihilominus hæc inferiora radiis præſertim ad Horiſontem erectis, vehementiùs calefacit quàm poſſet globus ferri vel auri candentis per Aerem circumductus unico milliari à Tellure diſtans, cujus apparens diameter Solis apparentem diametrum vigecuplo ſuperaret, ne dicam centuplo. Atque hic omitto corporum ipſorum influentias, quæ totum etiam Terræ globum in inſtanti penetrant. Ideoque ſi corporum illorum ſtupenda moles, ſi potentia ſeu virtus agendi maxima, ſique motuum vix imaginabilis velocitas nos jure in ſui admirationem rapiunt: hæc verò ad Dei magnitudinem & Omnipotentiam collata, quaſi pro nihilo habenda ſint, quod inter utraque infinita ſit differentia; ac per conſequens eadem quæ inter Deum & nihilum; ſanè eadem corpora nos ſerio admonent ut ipſius Dei Omnipotentiam, Majeſtatem, & Gloriam, multò attentiori mente miremur, & humiliori corde adoremus.

Jam verò ob ſecundum Deus mirabili uſus eſt ſapientia. Si enim Terram hominis, brutorum & Planetarum regionem, Lunæ viciniorem poſuiſſet, hæc ſuæ humiditatis exceſſu viventia corrupiſſet, & Oceani fluxus atque refluxus immoderatiores effeciſſet: ſi Soli propinquior fuiſſet, hujus ardorem viventia ipſa ferre nequiviſſent. At ſi Sol ipſe à Terra remotior extitiſſet, ut Veneris duntaxat æquaſſet apparentem jam ex Terris magnitudinem, Terra omninò ſterilis remanſiſſet, nullumque jam viventium ipſius Terræ, & frigidiorum Aſtrorum frigus ferre valuiſſet. Si propè Saturnum collocata fuiſſet, hic intenſo quo pollet frigore actuali, animalium & Plantarum generationi atque vitæ acriorem hoſtem ſe exhibuiſſet. Eademque eſt ratio de Planetis cæteris. Itaque Terram Deus ſapientiſſimè in medio ſphærarum Lunæ, Solis atque fixarum collocavit, & circa Solem Planetas cæteros ordinavit, etiam mobiles circa Tellurem in totius Mundi centro conſtitutam, cunctaque Aſtra poſuit in ea à Tellure diſtantia, ut hanc ab illorum ſingulis pro ſua cunctorumque viventium præſertim verò hominis neceſſitate, & illorum virtute congruè & commodè affici; à nullo autem ſupra modum lædi quæat. Id verò Divinæ quoque Sapientiæ admirationem, & cultum nobis maximè commendat; quod præſertim noſtri gratiâ factum ſit, eaque ſagacitate ut ne ipſis quidem Angelis alius quàm approbandi & admirandi locus ſuperſit, cùm ipſemet Deus quæcunque fecerat viderit eſſe valdè bona, ex Geneſeos cap. 1.

Caput IV.

Quomodo Aſtra per qualitates Elementales agant in hæc inferiora.

Hoc imprimis certum eſt, proprium agendi modum ipſarum qualitatum hunc eſſe, ut quò earum radius fuerit ad Horiſontem rectior, eò efficaciùs agant, & eò imbecilliùs, quò ille fuerit obliquior. Idque patet evidenter in Sole qui eò calefacit vehementiùs, quò ipſe ſuper Horiſontem altior eſt: proindeque vehementiùs horâ meridianâ quam paulò poſt ortum, vel paulò ante occaſum ejuſdem diei; & vehementiùs Æſtate, quàm Hyeme, eadem horâ diei: idem quoque patet in Luna, quæ ratione humiditatis ſibi propriæ Elemento aquæ ſympathica, pro ſuo ſuper Horiſontem aſcenſu atq; deſcenſu in Zona torrida, cui Oceani pars major ſubſternitur, hujus aquas elevat, atque deprimit, ſicque cauſat ipſius Oceani fluxum atque refluxum. Cumque veritas hæc in calore Solis & humiditate Lunæ ſenſu ipſo comprobetur; eadē haud temerè neganda eſt in ♄ pro frigore, ♂ pro calore, & cæteris minoribus Aſtris, quamvis hactenus experientiâ duntaxat ſenſibili non patuerit hominibus. Sufficit enim experientia rationalis apud Aſtrologos uſitata, ut fusè à Nobis oſtenditur adverſus Alexandrum de Angelis Lib. 10. cap. 4. Atque hanc Aſtrorum agendi rationem admittit Jo. Francus Offuſius Libro ſuo de Divina Aſtrorum Facultate cap. 7. Etſi qualitates Elementales Aſtris actu ineſſe, hoc eſt Solem actu calidum perperam deneget.

Præterea quo Planetæ ſunt Telluri viciniores, ut in ſuis Perigæis, eò agunt efficaciùs, ſuis qualitatibus Elementalibus. Quò remotiores ut in Apogæis, eò debiliùs.

Denique Aſtra omnia quò diutiùs morantur ſuper Horiſontem, eò intenſiores caloris & frigoris effectus edunt: quò minus, eò remiſſiores. Atque de horum ſingulis fuſius agemus Lib. 13. ſect. 1.

Porrò nullum Aſtrum ne quidem Sol ipſe qualitate ſua Elementali totam Tellurem penetrat, ut à Nobis oſtenſum eſt Lib. 3. ſect. 1. cap. 7. Ac proinde Aſtra ſub Horiſonte latentia, ſuis Elementalibus qualitatibus per ſe non agunt ſupra Horiſontem, niſi forſan per debilem reflexionem ab Atmoſphæra ipſorum Aſtrorum radiis expoſita; ut, dum in crepuſculo matutino Sol Atmoſphæram Horiſontis illuminat, & pro modulo craſſitudinis ejus calefacit.

Cæterùm de actuali calore Solis à Luna reflexo in Tellurem, hoc notatu dignum videtur. Quod nempe ſi Luna eſſet corpus terſum & ſpeculi ſphærici inſtar lævigatum; illa ex ferè unico ſuæ convexitatis puncto lumen & calorem Solis ad eos reflecteret; eodem quippè angulo quo radius Solis reſpectu noſtri in illam incideret; ambo enim eodem radio deferuntur atque reflectuntur; ut patet in foco ſpeculi concavi. At quia Lunæ corpus ſcabroſum eſt valdeque inæquale: idcircò Lunæ facies Soli obverſa non in unico ferè puncto inſtar ſpeculi, ſed tota inſtar parietis ſcabroſi illuminatur à Sole ipſo: ejuſque luminis ſive ſplendoris punctum quodvis in orbem irradiat, & ex quocunque Terræ puncto lumini Lunæ expoſito

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

conſpicitur. Igitur lux & calor Solis in Lunam effluentes, per radium qui à ſcabritie Lunæ hebetatur, fiunt quaſi ipſius Lunæ proprii; hiſque illa agit in hæc inferiora, radiis quaſi ex ſe directis & manantibus à ſingulis ſplendoris ſui punctis. Eſt tamen hic ſemper aliqua reflexio, ſed impropria, confuſa atq; diſtracta, non autem propria atque diſtincta, quæ ab exigua admodum portione fieret ſplendentis Lunæ, ſi hujus corpus terſum eſſet, ut ſuperiùs dictum eſt: quod nempè radii à Sole in Lunæ præſertim fulcatæ vel dimidiatæ ſplendorem incidentes maxima ex parte procul à Terra per ſe reflectantur; & exigua ſit portio ſplendoris, unde ad Tellurem per ſe reflecti valeant: multóque minor pro Terræ puncto quolibet, ex quo talis ſplendor conſpicitur. In Plenilunio autem major eſt & validior etiam impropria reflexio: ideoque Luna plena præ cæteris phaſibus, lumen & calorem actualem Solis, ab ipſius Lunæ admodum vaſtis profundiſque reflexum cavitatibus, nobis communicat, vix tamen ſenſibilem.

Caput V.

Cur præter Elementales qualitates in ipſis Sublunaribus Elementis, neceſſe ſit eaſdem in Cœleſtibus corporibus admittere.

FOrſan nonnullis hoc videbitur ſuperfluum: ſed neceſſitas triplici præſertim ratione probatur, quæ experientiæ innititur.

Prima, quoniam Aſtra ſunt corpora ex Elementis mixta ex Lib. 9. Sect. 2. cap. 4. quodlibet verò mixtum retinet qualitates eorum ex quibus ejus mixtio conſtat.

Secunda, quia Elementales qualitates à luce produci nequeunt ex Lib. 11. cap. 13. Ideoque niſi Aſtris illæ ineſſent, aut aliqua virtus Cœleſtis ipſas his in inferioribus producendi capax, Globus Terreſtris eodem ſemper modo ſeſe habuiſſet in calore vel frigore actuali, ſecundum ſingulas ipſius globi partes. Hoc eſt Gallia in calore vel frigore ſibi ſemper manſiſſet æqualis, & ſic de cæteris locis. Imò totus ipſe Globus perpetuo gelu riguiſſet, effuſo etiam uſque ad mediam Aeris regionem, ſupra quam totus calor Aeri, atque Igni proprius etiam nunc cohibetur ex lib. 3. ſect. 1. cap. 10. Ideoque ne ulla quidem planta, vel aliud vivens potuiſſet in Globo Terreſtri generari; quòd nempè omnis generatio viventis ſit à calore extrinſeco, excitante & movente calorem innatum cujuſque ſeminis ad propriam generationem. Itaque propter Oeconomiam generationum, neceſſe omninò fuit ſolvi illum frigoris ſtatum univerſalem, & ſingulas Globi partes diverſimode alterari: quod cùm fieri non poſſet commodius quam per Planetas, qui ſingulis diebus circa Tellurem gyrant, nunc ad Auſtrum, & nunc ad Boream deflectentes; quique diverſis periodis circumducti aliàs invicem coeunt, aliàs opponuntur, aliàs quadrantur, & ſummatim diverſis ſyzygiis efficacibus inter ſe commiſcentur & figurantur: idcircò oportuit Aſtris ipſis præter lucem, vires ineſſe actualiter calefaciendi & refrigerandi hæc inferiora: horũ autem effectuum cauſæ omnium maximè propriæ & per ſe, ſunt calor actualis & frigus actuale, quæ ambo dari in Sole atque Luna ſuperiùs oſtenſum eſt. Hic vero quiſpiam objiciet ſaltem fruſtra admitti frigus in Planetis propter Sublunaria, cum ex Nobis tam aſperum frigus inſit Globo Terreſtri, quæ Objectio ſic ſolvitur.

Tertia denique ratio eſt. Quia etſi quatuor Sublunalibus Elementis inſint 4. primæ qualitates: quas etiam Galenus actionum, morborum & generationum omnium cauſas proximas & per ſe eſſe voluit: tamen ex Severino Dano in ſua Idæa Medicinæ Philoſophicæ, longè alia fuit mens Hypocratis. Et Fernelius paſſim Libro de abditis rerum cauſis, cæterique perſpicaciores Medici atq; Philoſophi, ad occultas proprietates, totam formam, imò quid Divinum confugere coacti ſunt; quòd primas illas qualitates non ſatisfacere evidenter cernerent. At ipſe Severinus, Paracelſus, univerſaque turba Hermeticorum, in mixtorum Analyſi ac Elementorum & principiorum ſcientia propriis experientiis edoctorum, unanimi aſſenſu fatentur, Elementis Sublunaribus per ſe non ineſſe fœcundas, vitaleſque qualitates, ſed ſteriles duntaxat, potiuſque lethales & corruptivas, indeque ortum duxiſſe Galeni ejuſq; ſequacium errorem; quòd in mixtis, quatuor Elementa, tria principia corporum, Sal, Sulphur & Mercurium (ut vocant) propriumque ſemen confuderint, nec eorum diſtinctionem agnoverint. Ac proinde quæ principiis vel ſeminibus duntaxat conveniebant, iniqua cæcitate attribuerint ipſis Elementis; quibus ſimplices tantùm calefactiones, frigefactiones, exſiccationes & humefactiones competunt, non autem aliqua vitalis productio. Quod quam verum ſit inde conſtat, quia vita conſiſtit in calido & humido Æthereis de conſenſu Ariſtotelis Medicorumq; ſagaciorum: tales autem non ſunt Elementorum qualitates ſimplices: imò quàm ſit viventibus inimicum frigus Elementale, teſtantur ſuppolares regiones plantis, brutis & hominibus deſertæ: Calor autem noſter igneus, ob adjunctam ſibi ſiccitatis acrimoniam, corrumpit potiùs quàm generet, ſeminumque deſtruit vitale principium: idemque efficit ignis è ſpeciebus ſubterraneis, vel è nubibus exſiliens. Aeris verò proprius calor ſiſtitur ſupra mediam ipſius Aeris regionem à frigore Terreſtri, nec ad nos deſcendit ex Lib. 3. ſect. 1. cap. 10. Quamobrem omnino neceſſe fuit vitalem & generativum calorem, frigus, humiditatem & ſiccitatem, ex quibus vitale conſtat temperamentum viventium, nobis aliunde quàm à ſimplicibus Elementis evenire: quippè ab Aſtris, in quibus vitales ſunt ipſæ qualitates, propter earum unionem cum natura Ætherea atque Cœleſti, quæ ex ſe ſaltem effectivè vitales ſunt, ut palam eſt in reditu caloris Solaris initio Veris. Igitur quantùm neceſſe ſit in Aſtris qualitates Elementales admittere, conſtat ex ſupradictis.

Sed fortè aliquis hoc adhuc objiciet; ſi calor Elementalis non ſit vitalis, ergo vel calor in Sole non eſt Elementalis, vel non erit vitalis. Verùm negatur conſequentia. Quoniam in Sole forma ignis Elementalis ejuſque calor ſubordinatur in agendo ipſi formæ eſſentiali Solis ex Lib. 9. Sect. 2. cap. 6. Ideoque ab hac recipit illa vim efficiendi, quod ſola non poſſet efficere.

Jam

Jam verò forma ipſa Solis tendit per ſe ſuaſque qualitates ad cuncta hæc inferiora illuminanda, calefacienda, vivificanda, atque per influxum proprium regenda: proindeque radius Solis non modò conſtat luce & calore, ſed etiam virtutibus Ætherea & Cœleſti determinatis ad naturam Solis. Ipſeque radius incidit quidem in omnia Sublunaria, ſed in ſingulis ad modum recipientis recipitur; unde non eadem in ſingulis efficit. Itaque glaciem tantùm illuminat, lapidem etiam calefacit, plantæ ſemen vivificat, & naſcentem puerum ſuo influxu vel Cœleſti virtute inficit atque gubernat.

Ab eadem ſubordinatione qualitatum Elementalium in Planetis accidit etiam, ut qualitates ipſæ non ſolùm modo ſibi proprio & naturali operentur, hoc eſt juxta vim rectitudinis, vel obliquitatis radii quo in Horiſontem incidunt: ſed etiam modo influentiali naturæ ſuæ alieno; hoc eſt juxta determinationem influentialem Planetæ radiantis. Quod patet evidenter in conſtitutionibus univerſalibus, ſcilicet figuris annuarum revolutionum, & Lunationum, in quibus ipſa Aeris futura conſtitutio non prædicitur ex Elementali modo agendi Planetarum, qui præſentem duntaxat conſtitutionem efficit: ſed ex modo influentiali, ſcilicet dominio Planetarum in præcipuis figuræ locis. Patet etiam evidentiùs in hominum genituris, quorum temperamentum non definitur penes præſentem agendi modum Elementarem Planetarum, alioquin naſcens quodlibet, temperamenti ejuſdem eſſet cum tunc præſenti Aeris conſtitutione quam ille modus efficit, nullusque naſceretur calidus Hyeme, aut frigidus Æſtate contra experientiam: ſed definitur penes naturam Elementarem Planetarum, quatenus obſequitur agendi modo influentiali Planetarum, ad Nati temperamentum ſuo in prima domo ſitu, dominio vel aſpectu determinatorum ut loco proprio exponetur: hoc eſt quatenus obſequitur determinationi influxus. Itaque Planetarum Natura Elementalis dupliciter ſpectanda eſt ab Aſtrologis. Primò ſeorſim vel ſecundum ſe; atque ſic agit tantùm Elementali modo; hoc eſt juxta rectitudinem vel obliquitatem radii, tam in Aere, quam cæteris Sublunaribus. Secundò, quatenus Planetarum naturæ Cœleſti complicatur, eique ad agendum ſubordinatur, atque ſic agit etiam influentiali modo in Aerem cæteraque Sublunaria. Igitur per ſe agit tantùm Elementaliter, per accidens verò etiam influentialiter. Qua ratione ſolvuntur permultæ objectiones difficillimæ, circa hanc materiam alioquin oriundæ. Præſertim quod experientiâ conſtet non omnem Aeris conſtitutionem particularem congruere viribus duntaxat Elementalibus Planetarum, ſupra Horiſontem elevatorum. Etſi jure dici queat, ventos in Aerem erumpentes ac præſertim diuturnos, judicium de Aere ex Aſtrorum doctrina, maximè confundere, ſæpéque illudere. His adde quod ne quidem Sol ipſe ſupra Terram exiſtens, valdéque calefaciens, ut æſtate, pro Nati temperamento præcipuè ſpectetur ab Aſtrologis, niſi fuerit in prima domo figuræ, vel Dominus primæ domus ad quam ipſum pertinet temperamentum, vel illam quodam intueatur aſpectu, alius verò Planeta Horoſcopi Dominus, etiam ſub Terra exiſtens ſpectari ſoleat.

Cæterùm argutus quiſpiam ſequentem nec levis momenti objectionem profert in medium, quæ ſola ſupereſſe videtur facienda.

Si Planetarum natura Elementalis, per ſe agit tantum Elementaliter, & per accidens influentialiter, quatenus influentiali complicatur atque ſubordinatur, ut ſupra conceſſum eſt: ergo ſaltem negari non poteſt, quin utraque in Natorum temperamentis definiendis, tum in conſtitutionibus univerſalibus conſideranda ſit, ut ex utraque de illis feratur judicium. Imò quin modus agendi per ſe naturæ Elementalis præferendus ſit ejus modo agendi per accidens. Id verò non fit ab Aſtrologis.

Sed reſpondeo hic negandum eſſe, quod ſupra infertur negari non poſſe. Ratio eſt, quia dum Sol vel aliud Aſtrum motu diurno ſupra Horiſontem delatum, per ſe agit Elementali modo vel in Aerem, vel in cætera corpora Sublunaria, fugaces duntaxat producit qualitates: quæ Sole ſub Horiſontem demerſo fugantur à contrariis; imò ne quidem ad horam ſtabiles in ſubjecto quod illas recipit. Nam ſi lapis à Sole æſtivo quantum fieri poteſt calefactus in cellam vinariam deferatur, vel in frigidam aquam projiciatur, illicò refrigeſcet, nec Solis calor Elementalis in ipſam introductus remanebit. At qualitates productæ per conſtitutiones univerſales in Aere, vel per particulares & genethliacas in Natorum temperamentis componendis, ortum habent ab agendi modo nobiliore, & ſtabiles ſunt; hæque totâ nati vitâ perdurant, quòd nempè nativi temperamenti ſpecies non mutetur; ut ſectione ſequenti oſtendetur contra Alexandrum de Angelis. Jure ergo Aſtrologi in Natorum temperamentis dignoſcendis & Aeris conſtitutionibus univerſalibus prædicendis attendunt ad Naturam Elementalem Aſtrorum, non quatenus per ſe & ſeorſim agit, ſed quatenus per accidens, ut influentiali complicata & ſubordinata. Atque hic modus agendi per accidens, modo agendi per ſe præſtat, quamvis hunc non ſupprimat.

Tandem cum Pontano Lib. 2. de rebus Cœleſtibus cap. de erraticarum qualitatibus dici poterit: Nullum Aſtris aut Planetis ineſſe calorem aut frigus actu: ſed eos inſita vi calori & frigori dominari, atque hæc movere vel excitare in his inferioribus.

Verùm talia dicere non ſufficit, ſed validis rationibus probanda ſunt. Et deſtruendæ rationes à Nobis adductæ cap. 1. ad probandum calorem Solis non eſſe virtualem; quod an fieri poſſit, experiatur adverſarius.

Præterea movens ſupponit mobile actu exiſtens, nihil enim movetur, niſi exiſtat, at in glacie nullus eſt calor, quod moveri poſſit: cùm tamen glaciei materia à Sole calefiat, effluxu nempe caloris actualis à Sole in glaciem, ut Libro 5. cap. 8. probatum eſt.

SECTIO

SECTIO II.

De Corporum Cœleſtium influentiis in genere: & Objectionibus variis ab Aſtrologiæ oſoribus ignaris contra illas excogitatis.

CAPUT I.

Quid influentiarum nomine ſit intelligendum.

ARiſtotelem nuſquam meminiſſe influxus corporum Cœleſtium, fecit maximum in Phyſica detrimentum: quippè quòd à pluribus Peripatecicis res naturales in Libris duntaxat Ariſtotelis ſpectantibus æquè inſipienter ac pertinaciter aſſertum ſit; ideo nullas eſſe Aſtrorum influentias, quòd ipſe tractans de rebus Cœleſtibus, nullam earum mentionem fecerit. Quaſi verò ejus ſilentium vera ſit negatio, nihilque ſit eorum, quæ eſſe non dixit; aut ea verè ſint quæcunque eſſe dixit. Sed apud poſteriores Philoſophos nomen influxus Aſtrorum non eſt infrequens. Imò Plotinus cap. 12. Lib. 3. Enneadis 2. eo utitur diſputans adverſus Aſtrologos, ipſumque Platonem in Timæo hæc aſſerentem. *Artifex Mundi DEUS tradit animæ ipſius principium. Dii verò qui perferuntur (hoc eſt Planetæ) graves neceſſariaſque adhibent paſſiones, iras, libidines, voluptates, dolores, aliamque animæ ſpeciem, ex qua perturbationes ejuſmodi oriuntur.*

Quid verò influentiarum nomine ſit intelligendum, citra diſtinctionem determinari nequit. Nam qui Aſtra ſolo lumine atque motu agere cenſent, quamcunque aliam vim activam illis attributam, arbitrantur, id eſſe quod ab aliis influentia nuncupatur. Qui verò cum Pythagora, Platone, cæteriſque Veteribus Philoſophis, & noſtro Keplero arbitrantur, Solem eſſe corpus igneum, actuque calidiſſimum, fateri coguntur, quod ſi in Sole detur virtus illa, quæ ab Aſtrologis dicitur influentia; oportet ut ſit alia à calore atque luce. Itaque in hoc omnes conveniunt, quod vis influens non ſit qualitas per ſe ſaltem ſenſibilis, ut ſunt lux & calor; ſed alia ſublimioris ordinis, per quam corpus ipſum agat in hæc inferiora, quamque vulgò abditam Aſtrorum qualitatem nuncupant.

At quia in quovis etiam mixto Sublunari, præter multiplices ejus proprietates, quas communes habet cum aliis mixtis ob communionem Elementorum; deprehendimus formalem quandam virtutem à qua habet ipſius mixti forma ſpecifica, quod agat modo ſibi ſoli proprio; ita in quovis Aſtro, præter qualitates Elementales, Æthereas atque Cœleſtes, illi à mixtione inhærentes, datur formalis virtus, quæ formæ ſpecificæ ipſius Aſtri propriam determinat efficientiam: vel à qua habet Aſtrum quod ſoli ſuæ formæ proprias edat effectus; ut jam diximus Lib. 9. Sect. 3. cap. 2. Itaque influentiæ nomine hæc tantùm formalis virtus propriè à Nobis intelligitur. Quia tamen omnes ejuſdem Aſtri vires ſimul per eundem radium ab ipſo Aſtro effluunt & combinationem conſtituunt ei ſpecificam: Idcircò poteſt etiam minùs propriè totalis ille radius, vel totalis hæc combinatio ejuſdem Aſtri influentia nominari, ampla ſcilicet influentiæ ſignificatione.

CAPUT II.

Multi effectus Sublunares à pleriſque Philoſophis perperàm attribuuntur influentiis Corporum Cœleſtium.

HOminis ingenium ſcientiis tractandis occupatum, triplici vitio obnoxium eſt, nimirum ſegnitiei, imbecillitati, & fraudulentiæ. Siquidem perpauci ſunt viri generoſi qui rerum cauſis vel ratione, vel experientiâ ſeriò inquirendis incumbant; permulti verò qui etſi ingenio valeant, tamen laboris difficultate aut diuturnitate territi, medio in itinere deſident, ideoque veritatis ſcopum non attingunt. Alii lubenti quidem animo totoque ſtudio feruntur in inquiſitionem, atque diu multumque laborant, ſed propter naturalis luminis imbecillitatem eos hallucinari contingit. Cæteri magis de opinione propria, vel de cujuſdam Scriptoris authoritate, quàm de ipſa veritate ſolliciti, dum ſe intricatos animadvertunt; quo pacto inde ſeſe vel eludendo vel illudendo extricent, duntaxat meditantur.

Cunctis igitur ſupradictis hominibus, vel DEI Omnipotentia, vel Aſtrorum influxus, vel mixtorum Sublunarium occultæ proprietates ſolent eſſe refugium familiare: ita aut horum quodvis ignorantiæ aſylum vel pons aſinorum vulgo dicatur: qui nempè ignotis particularibus, proximis, propriiſque effectuum cauſis, has eſſe dicunt vel DEUM, vel influentias, vel occultas proprietates.

Sic ergo de corporum Cœleſtium influentiis frequenter luſum eſt ab ignaris, dum hi quæcunque ab illis corporibus fiunt in his Sublunaribus, indiſcriminatim influentiis ipſis attribuunt, tanquam propriis & particularibus cauſis, nec ſingulas Aſtri cujuſque vires, harumque proprios effectus inter ſe diſtingunt. Verbi gratiâ, 4. anni partium diverſitas non cauſatur propriè ab influentia Solis, ſed tantùm ab ejus calore per ipſius Solis acceſſum ad Zenith, vel receſſum ab eodem. Siquidem in Sole per lucem eſt calor actualis, alioquin duntaxat illuminaret, non autem calefaceret ut à Nobis ſuperiùs abundè probatum eſt. At quod Æſtas vel Autumnus ſit ſingulis annis diverſus in eodem Terræ loco, cauſatur ab influentiis & diverſo Aſtrorũ poſitu in Cœlo, & ad Terram. Similiter quod in majoribus Solis & Lunæ Eclipſibus frigus ſoleat ingruere; ratio reddi poteſt ex privatione caloris Solis, qui in hujus Eclipſi cohibetur à Luna, tunc liberè per proprium & actuale frigus agente: at in Eclipſi Lunæ cohibetur à Terra, ne ab ipſa Luna verſus nos reflectatur: itaque Tellus & Luna corpora valdè frigida tunc temporis Aerem liberè ſimulque refrigerant, ſed Aeris conſtitutio ſequens Eclipſim, eſt ab influentiis dominorum Eclipſis, ut ſuo loco dicetur.

Præterea quod Echyni & Conchilia cum Luna creſcant, pariterque deſcreſcant, petenda non eſt cauſa ab aliqua præſertim Lunæ influentia; ſed quia noctu Lunæ frigus actuale exanguibus & frigidioribus illis animalibus noxium eſt; niſi ca-

lore

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

fore Solis reflexo, ſufficienter pro ipſis temperetur, ut in Pleniluniis, & circa, dum Luna vaſtiſſimis ſuis cavitatibus, quaſi ſpeculis concavis calorem Solis in hæc inferiora reflectit; ſed valde debiliter.

Rurſus quod ſapphyrus atræ bili & peſti adverſetur, utque ferunt, vanos terrores comprimat: quod ſmaragdus libidinis atque iræ motus compeſcat, viſum & cor recreet; ac epilepſiæ, lepræ, dyſenteriæ & venenis medeatur; quòd carbunculus è contra hominem ad iracundiam provocet & ſomnum minuat: quòd Adamus faciat geſtantem intrepidum, pellatque timores nocturnos: quòd lapis Æthites fœtui conſervando proſit gravidis, ſiniſtro brachio alligatus, at fœtui ſine dolore pariendo proſit, admotus puerperis ad internam partem femoris, non procul à pube: quòd magnes ferrum attrahat, cæteraque magnetica miracula præſtet: cauſa propria non eſt aliqua ſyderum vel Planetarum virtus abdita: ſed formalis & ſpecifica mixtorum ipſorum proprietas. Siquidem quomodocunque ſeſe habeat Cœlum, mixta ipſa cum eiſdem viribus producuntur, vel eiſdem ſpecie effectibus: at influentia ſaltem propriè dicta longè aliter operatur in ſingulis ejuſdem quoque ſpeciei individuis, ut infra exponetur.

Ad hæc quòd metalla in Terræ viſceribus generentur, cauſa propria non eſt influxus vel occulta virtus Planetarum, quamvis harum nominibus metalla ipſa ob ſympathiam inſigniantur; & aurum ab Hermeticis vocetur Sol, ac ſapientiſſimè Filius Solis: Argentum, Luna: Plumbum, Saturnus: Stamnum, Jupiter: Ferrum, Mars: Cuprum, Venus: & Argentum vivum, Mercurius: Sed ad metallorum & mineralium generationem ſufficiunt eædem Planetarum qualitates Elementales, à quibus Planetæ in Telluris ſuperficie producuntur. Ad generationem verò lactucæ neceſſaria non eſt influentia Solis propriè dicta, ſed ſufficit ejus calor, qui dum ab humore Terræ ſemen lactucæ ſolvitur, ipſius ſeminis calorem innatum excitat, movet, atque juvat ad hanc ſpecie plantam generandam juxta naturam ſeminis. Similiter dum ait Ariſtoteles Lib. 2. Phyſ. tex. 2. Sol & homo generant hominem; non eſt intelligendum quod ipſe etiam homo fiat homo per Solis influxum propriè dictum: Nam ut homo generetur, requiritur tantum calor Solis, congruum ſemen in congrua matrice, & cœterorum Planetarum virtus Elementalis, ut in cæteris mixtis: eſt enim natura univerſalis in agendo uniformis quatenus natura ſubjecti patitur: Sed ut generetur talis homo, hoc eſt talis temperamenti, ingenii, morum, tanbuſque accidentibus obnoxium; opus eſt influentia Solis aliorumque Planetarum, à quibus ſaltem præcipuè cauſatur illa ſingulorum hominum diverſitas. Quippè Cœlum obſequitur ſemini quo ad ſpeciem, ſed ſemen obſequitur Cœlo quoad diverſitatem accidentium quæ ſpeciei advenire queunt ut fuſiùs exponitur Lib. 20. ſect. 4. Neque ab hac Doctrina diſſentit Plotinus, qui Lib. 3. Enn. 2. cap. 12. ait, *res quidem in ſua ſpecie gigni à ſeminalibus naturæ rationibus: & influxum Cæleſtem non facere equum, ſed equo dare aliquid.*

Quod autem hîc dicitur de Sole, à ſimili de Luna intelligendum eſt, deque Planetis cæteris, quos in Mundo ſuperfluos aut otioſos eſſe, fatuum foret opinari; cum inter ſe differant ſpecie, & ſinguli propria virtute formali vigeant ex Lib. 9. ſect. 3. cap. 1. quales decet eſſe hujus Mundi Rectores.

Multa alia hîc afferri poſſent ex vegetabilium vel animalium familia, quæ occultis Aſtrorum viribus perperam à pleriſque tribuuntur, ſed in hiſce tempus diutiùs terere ſuperfluum eſſet, cùm ſupraposita omnium inſtar ſufficiant.

Caput III.

De præcipuis rationibus eorum qui Aſtrorum influentias dari negant; illarumque vanitate.

Veritatis proprium eſt certa validaque habere fundamenta quibus inconcuſsè ſtabiliri queat: at falſitatis vana, caduca, frivola; quæ leviſſimis etiam ratiocinii machinis evertuntur. Quoniam igitur Alexander de Angelis, vir eximiæ eruditionis, eorum omnium quæ adverſus Aſtrologos prioribus ſeculis acta ſunt, quaſi quoddam extractum vel quintam eſſentiam eliciuſſe videtur, multis etiam quo pollet ingenii acumine de proprio penu ſuperadditis: Quæſtio autem an dentur Aſtrorum influentiæ, eſt totius Aſtrologiæ baſis atque fundamentum: idcirco, ut nullas eſſe probet totis contendit viribus; deſumptis argumentis ab Ariſtotelis circa eas ſilentio, & Graviſſimorum Virorum negatione, falſa attributione effectuum ſublunarium talibus cauſis, nec non expoſitione cauſarum genuinarum illarum effectuum, qui apud Aſtrologos influentiis adſcribuntur, ſed ſingulas examini ſubjicientes, jam oſtendemus illas eſſe vanas atque erroneas ut infra ſequitur.

Caput IV.

De prima ratione ab Ariſtotelis ſilentio.

Ideo nullas eſſe Aſtrorum influentias negat Alexander de Angelis, quòd Ariſtoteles ipſius Naturæ genius (ut ferunt) earum nuſquam meminerit, imò eas improbaverit. Unde ipſe de Angelis Lib. 1. in Aſtrologos cap. 5. in hæc verba erumpit. *Quàm ſilent apud Ariſtotelem influentiæ? quàm frigent arcanæ Aſtrorum vires? Quàm novitiæ ſunt hujuſmodi virtutes in Philoſophia?* Et paulò ante, dum refert Ariſtotelis rationem circa anni tempeſtates in Orionis ortu & occaſu excitatus: *Cur*, inquit, *non meminit occultarum Aſtrorum virium? quid erat facilius quàm hæc omnia Orionis occultæ virtuti adſcribere? quàm expeditum erat iter ad ignorantiæ aſylum, arcanas virtutes? Non igitur ignoravit influentias quas vocant, ſed improbavit.*

Cæterùm ex eo quod Ariſtoteles nullam influentiarum fecerit explicitam mentionem, concludere ergo eas improbavit, vel ergo nullæ ſunt: Nemo eſt adeò mentis inops, qui id abſurdum eſſe non videat: Cùm è contra veriùs concludatur: Ergo eas non improbavit, vel ergo eas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

eas eſſe nullas non dixit. Ad hæc ſi Ariſtoteles multa aſſeruit, quæ non ſunt, ut quòd Mundus ſit ab æterno; quòd Cœlum ſit omnis corruptionis expers, &c: quantò magis multa erunt, quæ ipſe neque eſſe, neque non eſſe dixit? debuitne de omnibus verè loqui, quem omnia ſcire fuit impoſſibile? Ego verò non ſemel miratus ſum, quod tantus Philoſophus de minimis quoque Phyſicis rebus ſcribendi ſolicitus, de influentiis omnium maximis, neque aſſerendo, neque negando quidquam poſteritati explicitè reliquerit; cum præſertim Aſtrologia ſit Ariſtotele vetuſtior, cujus Profeſſores & dogmata, vel in Græcia, vel ex Alexandri Magni peregrinationibus ad Chaldæos & Ægyptios non potuerunt illi non innoteſcere; ac inſuper Præceptorem habuerit Platonem qui à Chaldæis & Ægyptiis Aſtrologiam didicit, eorumque placitis de viribus Aſtrorum ſæpè acquieſcit, ut patet ex ejus loco ſupra citato. Cùm igitur circa res alias Phyſicas tam frequenter inſurgat Ariſtoteles adverſus Democritum, Anaxagoram, Meliſſum. Parmenidem, ipſumque Platonem, cur huic pepercit aſſerenti *aliam animæ ſpeciem, variaſque paſſiones à Planetis in nos derivare*. Nam ſive Plato corpora ipſa Planetarum, ſive eorum rectrices intelligentias, ſive ambo intellexerit, nihil refert. Nobiſque ſufficit quod talem effectum à Cœlo eſſe fateatur. Itaque hic etiam fatendum eſt Ariſtotelem prudentiâ non vulgari hac in parte uſum eſſe, & conſultò ſiluiſſe. Quòd nempè ſcientiam experientiis & fautoribus claram, neque auſus ſit refellere, neque probare potuerit, ignotis ejuſdem principiis, & Aſtrorum per influentias agendi modis. Quamobrem de rebus Cœleſtibus ea tantùm memoriæ prodidit, quæ ſe ſcire putavit, & Aſtrorum effectus in his Sublunaribus communiores, ad lucem & motum retulit; ſæpè autem à veritate aberravit circa Aſtrorum Naturam, lucem atque motum, ut paſſim in hoc opere lucis inſtar manifeſtum evadet. Attamen quòd ſaltem implicitè & obſcurè ipſas influentias ſubodoratus ſit, patebit ex ejus textibus infra citandis.

Caput V.

De ſecunda ratione ab authoritate negantium influentias.

NEgantur Aſtrorum influxus à Viris graviſſimis, tum prophanis, tum etiam ſacris, quorum authoritas magno faſtu objici ſolet Aſtrologis. Non eſt autem mei inſtituti ſingulorum rationes hic referre, atque ut par eſt refellere: tum quia id nimis longum tædioſumque foret; tum quia omnium vanitas ex propriis hujus operis locis evidenter conſtabit.

Itaque ſummatim Reſpondeo. Illorum qui influentias negant, alios uti rationibus Phyſicis, alios etiam moralibus. Qui Phyſicis, veniâ digni videntur modò abſit pertinacia, aut malignus animus. Nam ſi ipſe Ariſtoteles totus Phyſicæ additus, ignoravit influxus Aſtrorum, vel hos obſcurè tantùm attigit, quid mirum eoſdem ignotos fuiſſe cæteris, qui nulla Cœli experientiâ edocti, vel Divinis potiſſimùm rebus intenti, Cœlum ipſum vel in Libris duntaxat erroneis contemplantur, vel in opinionis ſuæ orbita circumvolvunt? Sique D. Auguſtinus circa Terram erraverit, negando Antipodas, quid mirum ſi circa Cœlum altioris multò ſpeculationis erraverit, negando influentias? Mihi ſanè perplacet Ariſtotelis modeſtia atque ſagacitas, quem etſi Aſtrologorum Sectæ, & influentiarum fama latere non potuerint ut ſuperiùs dictum eſt, nuſquam tamen alterutrum auſus eſt vel negare, vel ſuis argutiis evertere.

Itaque dicamus cum D. Paulo ad Corint. 1. cap. 12. *Alii quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ; alii autem ſermo ſcientiæ, ſecundum eundem ſpiritum: alteri fides in eodem ſpiritu: alii gratia ſanitatum in uno ſpiritu: alii operatio virtutum: alii prophetia: alii diſcretio ſpirituum: alii genera linguarum: alii interpretatio ſermonum: Hæc autem omnia operatur unus atque idem ſpiritus, dividens ſingulis prout vult.* Indeque concludamus, in rebus Phyſicis audiendos eſſe Phyſicæ peritos: in rebus fidei, ſacros Doctores: in diſcernendis ſpiritibus, eos quibus hæc gratia data eſt, cujus munus eſt etiam veritatem a falſitate in ingeniis diſtinguere. Si ſecus fiat, aut uno dono potens, aliud ſibi non conceſſum velit proprio motu exercere, inſignis accidet confuſio, illeque in abſurda incidet permittente Deo, qui vult unumquemque ſua ſorte eſſe contentum, & in talento duntaxat ſibi credito operari.

Qui verò moralibus militant rationibus, hanc potiſſimùm afferunt. Quòd influentiarum hypotheſis, fati neceſſitatem inducat, huicque mentes humanas ſubjiciat, ideoque liberum evertat hominis arbitrium. At nos quæſtionem hanc commodius alibi ſolvemus, dum agemus de actione Aſtrorum in hæc inferiora & ipſum hominem; quamvis in noſtra Præfatione Apologetica, & Libro 2. eam ſufficienter ſolverimus. Hic ſufficiat reſpondere non defuiſſe Philoſophos, imò nec deeſſe Chriſtianos Hæreticos qui illam fati neceſſitatem perſuadere, hominiſque libertatem tollere conati ſunt: quorum errorem refellere fuit ſacris Doctoribus cæteriſque glorioſum, & Religioni Chriſtianæ præſertim neceſſarium. Verùm an ideo univerſa Philoſophia, an Chriſtiana Religio, an ſacræ Scripturæ ex quibus depravata ingenia errorem ſuum extorſerunt, negandæ erunt vel abjiciendæ? nequaquam. Similiter igitur etſi nonnulli reperirentur Aſtrologi, præſertim Ethnici, falsò profitentes, Aſtrorum influxus fatali neceſſitate movere atque compellere hominum animos, eaque de re Aphoriſmos aliquos exponere: Non idcircò omnes Aſtrologi, vel ipſi influxus eſſent condemnandi: Cùm non modò Chriſtiani Aſtrologi, ſed Gentilium etiam ſapientiores neceſſitatem illam denegent. Unde illud tam vulgatum apud Aſtrologos, *Sapiens dominabitur Aſtris*. Ptolomæus verò Lib. 1. Quatrip. cap. 2. hæc ait. *Deinde nec exiſtimandum eſt ſingula hominibus à Cœleſti cauſa accidere, tanquam prorſus ab immutabili & Divino decreto, & quaſi lege lata de ſingulis, ut neceſſariò eveniant, nec poſſit alia cauſa obſiſtere*: ac rurſus in Centiloquio Aphor. 5. *Poteſt qui ſciens eſt multos Stellarum effectus avertere, quando naturam earum noverit, ac ſeipſum ante il-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

lorum eventuum præparare. Quid clarius dici poteſt pro humana libertate contra fati neceſſitatem? Itaque fatentur quidem peritiores Philoſophi, atque Aſtrologi Aſtra directè & per ſe agere in corpus humanum, eique qualitates imprimere quibus ad hos potiùs quàm alios mores inclinetur. In animam verò nonniſi indirectè & per accidens agere, quatenus eſt unita corpori, quo cùm ipſa in agendo utatur, ſequitur ut plurimùm illius diſpoſitiones & propenſiones naturales, niſi has illa virtute propria cohibeat. Hac verò doctrinâ quid veritati Philoſophicæ imò Chriſtianæ magis congruum. Sed Alexander de Angelis lib.5. c. 10. vocat Aſtrologos vulpes vaferrimos; quòd ſic ſacrorum Doctorum conentur retia eludere; ac pertinaciter contendit hujus temporis Aſtrologos eandem profiteri artem quam Veteres Planetarios Chaldæos, Ægyptios & Gentiles; qui ſine dubio (inquit) fatali uſi ſunt neceſſitate: cùm iiſdem utantur obſervationibus & præceptis, eademque obſervent Aſtra & Aſtrorum influxus: & ideò quamvis in ſpecie libertatem arbitrii retineant; re tamen & factis ut ſuarum prædictionum, & artis Genethliacæ fides conſtet, eam è medio tollunt.

At præter dicta in Præfatione Apologetica, De Angelis manifeſtè gratiſque imponit omnibus Aſtrologis, & Ptolomæo: qui quidem eadem Aſtra obſervant, eoſdemque influxus & eandem profitentur artem quam Chaldæi; ſed non ut ab illis depravatè tradita eſt, nec cum eadem opinione fatalis neceſſitatis. Utque verum fatear, nemo adverſus veritatem Aſtrologicam concludere poteſt, quin vel in præmiſſis aliqua ſit impoſtura aut falſitas, vel concluſio ipſa malè aut Sophiſticè deducatur: ut paſſim in hoc opere fiet evidentiſſimum ex præcipuis omnibus argmentis eorum qui Aſtrologiam impugnarunt. Imò hic adhuc patebit ex altero ipſius de Angelis argumento notatu digno. Nam ad illud quod ſupradictum eſt; animam ut plurimùm ſequi propenſiones naturales corporis, ſic arguit ipſe. *Quid ut plurimum? Liberæ ſi ſunt mentes noſtræ, ad utrumlibet ſeſe habeant, oportet. In cauſis verò liberis, & æquè in utramque partem paratis, ne DEUS quidem quid futurum ſit cognoſcere poteſt; Authore* (inquit) *S. Thoma* 1. *part.* q. 14. *art.* 13. Quæ de DEO temeraria aſſertio imponitur D. Thomæ, ut videre eſt apud ipſum loco citato. Ubi è contrà D. Thomas aſſerit. *DEUM certam notitiam habere futurorum contingentium, quoniam* (inquit) *non ſolum cognoſcit ea, ut ſunt in ſuis cauſis, ſed etiam ut ſunt in ſeipſis, cumque ejus cognitio ſit tota ſimul & non ſucceſſiva, idcirco temporanea ſunt ei præſentia.* Gravius autem peccat de Angelis dum talem impoſturam roborare nititur authoritate paganorum, ac primò Ciceronis lib. 2. de divinat. dicentis. *Mihi ne in DEUM quidem cadere videtur ut ſciat, quid caſu & fortuitò futurum ſit: cùm reſpectu DEI nihil ſit caſuale aut fortuitum, nec poſſit quidquam ignorare:* Secundò Carneadis dicentis. *Ne Apollinem quidem futura poſſe dicere, niſi ea quorum cauſas natura contineret*; Cùm DEUS ſit ſupra Naturam, & CHRISTUS Petri peccatum prædixerit. Ex eo autem Aſſertio ipſa probatur falſa; quoniam ſi cujuſquam hominis mens fuit libera, & in utramque partem parata, fatendum eſt fuiſſe Adami animam in ſtatu Innocentiæ. At quod DEUS cognoſcere non potuerit, quid illi futurum eſſet, impium eſt aſſerere, & DEUM ignarum fateri, eumque accidentali cognitioni ſubjicere, ut fecêre pagani vera DEI cognitione deſtituti, ſed de his fuſiùs alibi, hæcque obiter ſufficiant, ut innoteſcat vanitas rationis quæ adverſus influentias deſumitur ab authoritate.

Porrò ſi authoritas authoritati eſſet opponenda, multò plures viri primæ notæ, tum Gentiles vel Prophani; tum Doctores Eccleſiaſtici, imò Aſtrologiæ periti, pro cauſa noſtra & influentiis Cœleſtibus in arenam deſcenderent: ſed id nimis longum foret, neq; eſt neceſſarium. Itaq; omnium inſtar nobis unus ſufficiat D. Thomas 1. part. q. 115. art. 4. ubi omninò convenit cum Aſtrologorum doctrina ſuprapoſita. Dum ait, quod *Cœleſtia corpora imprimunt in hominum corpora directè & per ſe; in vires autem animæ quæ ſunt actus organorum, non directè ſed per accidens: quia hujuſmodi actus impediuntur ſecundum impedimenta organorum.* Unde conſequenter ille concludit, quod indirectè & per accidens impreſſiones corporum Cæleſtium pertinere poſſunt ad intellectum & voluntatem prout accipiunt ab inferioribus viribus, quæ corporeis organis ſunt alligatæ, ſed minùs ad voluntatem, quia intellectus ex neceſſitate accipit à ſenſibus, ſed voluntas non neceſſariò ſequitur inclinationem appetitus inferioris. Tandemque Doctor idem aſſerit, quod Aſtrologi, ut in pluribus vera prædicere poſſunt, & maximè in communi, *quia* (inquit) *plures hominum ſequuntur paſſiones; quæ ſunt motus ſenſitivi appetitus ad quos cooperari poſſunt corpora Cæleſtia. Sed* (ſubdit) *ſapiens dominabitur Aſtris*, quatenus dominabitur ſuis paſſionibus: Num, quæſo, vidit D. Thomas quæ ab Origine, Bardaſene, D. Ambroſio, D. Auguſtino cæteriſque Scripta ſunt adverſus Aſtrologos ab de Angelis nobis objecta? vidit & nihilominus ſcripſit ipſe omninò ad mentem ſapientum Aſtrologorum.

Porrò D. Thomæ prorſus conſentit D. Joan. Rusbrochius contemplator diviniſſimus, cujus divinâ ſcientiâ maximè delectari ſoleo, præſertim in ſuo Opere de vera contemplatione: ubi eos appellat Filios Planetarum qui propenſionibus ſuis naturalibus obſequuntur; ſed DEI Filios qui ex DEI intuitu & amore, eaſdem propenſiones moderantur & cohibent. Ac de Cœlis & Planetis, horumque influxibus ita loquitur; ut non alium credam illum hac in re habuiſſe Doctorem, quàm eundem ſpiritum à quo accepit quæcunque Nobis de Divinis rebus tradidit, cujuſque ductu DEUM ipſum laudat in Cœlis & Planetis.

Cæterum etſi authoritates influxibus magis faveant, veniamus ad rem ipſam. An controverſiæ Phyſicæ authoritatibus ſunt dirimēdæ? Hoc quidem fit in Scholis, magno Philoſophiæ damno: ubi Profeſſores experientiâ Phyſicâ deſtituti, partis affirmantis & negantis authoritatibus quaſi in lance hinc inde appenſis, pro præponderantibus intendunt concludere. Sed quo pacto Profeſſor præponderantes dignoſcet? An quia prævalent numero? An quia dignitate? An quia rationum veritate? Sanè ſola ratio vera prævalere debet. At quomodo ſciet Profeſſor rationem eſſe veram,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ſi rem de qua agitur ignoraverit, prout eſt in Natura? ſi autem cognoverit, jam authoritatibus non indigebit; cum rem ipſam per ſuas proprietates & effectus evidentes, ipſo experimento certiùs demonſtrare queat. An non jam ridiculum eſſet, velle authoritatibus diſcutere, utrum in Luna ſint eminentiæ & cavitates vaſtiſſimæ? utrum corpus Veneris ſit opacum, & phaſes Lunæ ſimiles habeat? utrum plures ſint 7 Planetis, & ſimilia? Concludamus ergo quod ſicut ſolius eſt Spiritus ſancti in Eccleſia præſidis de rebus fidei controverſis definire: Ita ſolius eſt Naturæ de controverſis rebus Phyſicis determinare. Quandoquidem id Deus Naturæ conceſſit, velitque nos illam de his conſulere, dum dicitur in Scriptura, quod Mundum hunc tradiderit hominum diſputationi. Itaque in illis conſulamus Spiritum ſanctum, vel ſacram Scripturam, vel Doctores à Spiritu ſancto edoctos; in his verò Naturam, atque ex Naturæ lumine principiiſque, tum ipſa experientiâ deprehendemus, dari Aſtrorum influxus, quos viri duntaxat hac in parte inexperti denegarunt. Authoritates autem virorum in re de qua agitur expertorum & in ipſâ experientiâ Magiſtrorum, ſunt ſemper recipiendæ, tanquam Naturæ conſentaneæ: quod dictum velim ne quis me omnes authoritates reſpuere arbitretur.

Caput VI.

De tertia ratione à Sublunaribus effectibus Aſtrorum influxui falsò attributis.

IDeo Aſtrorum influentias cenſent adverſarii explodendas, quòd multi Sublunares effectus à pleriſque Philoſophis, Medicis, & Aſtrologis falsò tribuantur talibus cauſis, quandoquidem illorum cauſæ genuinæ aliundè patent, ut cap. 2. oſtenſum eſt.

Sed eſto. Non tamen propter hominum inſcitiam Aſtra ipſa propriis viribus ſpolianda ſunt. Alioquin nulla cauſa, nullaque virtus ſtaret in Mundo, cùm nulla ſit, cui hac in rerum caliginoſa notitia aliquis effectus ab ignaris perperàm adſcriptus quandoque non fuerit. Imo Deus de medio tollendus eſſet; quem Hæretici poſt Manichæum eſſe Authorem peccati impudentiſſimè aſſeruerunt: ſuorum ſcelerum cauſam ſic in Deum Opt. Max. ſcelerate rejicientes. Quamobrem de illis Philoſophis duntaxat dicendum, ipſos in cauſis illorum effectuum aſſignandis non rectè collimaſſe, ſed à verò plurimùm aberraſſe, quod hominis ingenio nimis frequenter accidit.

Caput VII.

De quarta ratione ab expoſitione cauſarum illorum omnium effectuum, quos Aſtrologi ad influentias referunt: ac primò cauſarum fluxus atque refluxus Oceani.

QUarta & maximè præcipua ratio, qua Alexander de Angelis, Picus Mirandulanus & cæteri putant influentias merum eſſe figmentum & de medio tollendum. Eſt quod omnium effectuum quos Aſtrologi abditis Aſtrorum viribus adſcribunt, ipſi cauſas alias, eaſque genuinas reddant: ut proinde ſuperflua ſit prorſuſque commentitia influentiarum hypotheſis. Id verò probare nituntur ex nonnullis Sublunaribus effectibus infra exponendis & examini ſubjiciendis, præſertim verò ex maris fluxu atque refluxu, commotionibus Aeris in ortu & occaſu ſyderum, diebus criticis in Morbis acutis, tum hominum temperamentis atque moribus.

Primò igitur agamus de Oceani fluxu atque refluxu, quem non modò Aſtrologi, ſed Philoſophi plurimi, imò nautæ omnes peculiari Lunæ virtuti atque regimini ſubjiciunt. Poſtquam igitur de Angelis lib. 1. cap. 5. in diverſis Globi terreni locis Oceano, Mari Mediterraneo, Adriatico, &c. maximam illius marini Æſtus varietatem expoſuit: quod nempè quædam maria Æſtum ipſum nullo modo, alia mediocriter, & alia vehementer patiantur: & in his quæ tali fluxui atque refluxui obnoxia ſunt inſignis reperiatur diverſitas in modo, tempore, & numero quotidianorum Æſtuum, ut videre eſt in obſervationibus Nautarum & eorum qui hac de re tractant, ſic tandem exclamat. *Quid habet ratus & ſibi conſtans Cœli motus & natura, cum tanta Æſtus in conſtantia & varietate? cur è Cœlo petimus cauſam Æſtus marini, potiùs quàm febris & morborum omnium? O ignava & iners ratio, quæ in difficilem quoties locum incidit ad latentes confugit Cœli virtutes!* Sicque bilis ſpiritu nonnihil evaporato, marini Æſtus veram cauſam reddere ſatagit inconſtantiſſimè. *Cur non audimus* (inquit) *Solinum & Stoicos apud Plutarchum, qui id totum in naturam Maris referunt, cum Seneca lib. 3. Natur. quæſt. cap. 16. dicente: Quartana ad horam venit; ut podagra ad tempus reſpondet; ſic aquæ intervalla habent, quibus ſe retrahant & quibus redeant?* diffidens autem de Angelis, de prima illa cauſa Mari intrinſeca, ad ſecundam & extrinſecā à montium ſpecubus petitam refugit. *Cur non audimus* (inquit) *Alexandrum, Buridanum, Ciſalpinum, Buccaferreum, qui naturam Soli cui Mare incumbit hujus rei cauſam faciunt cum Seneca loco citato aſſerente? ſunt illic ſpecus vaſti, ſunt ingentes receſſus, & ſuſpenſis hinc & inde montibus laxa ſunt ſpatia, abrupti in infinitum hiatus, qui ſæpè illapſas urbes receperunt, & ingentem in alto ruinam condidêre. Hæc ſpiritu plena ſunt, qui nunc huc colliſus, nunc illuc repercuſſus Mare exagitat.* Sed necdum huic ſecundæ cauſæ confidit de Angelis, quod ignorare nequeat, naturas omnes ex obſervatis, Oceani Æſtum ad cauſam non Sublunarem, ſed Cœleſtem referre, quippè ad Lunam. Itaque tertiò aliam ex Cœlo cauſam affert. Si Cœlum (inquit) malumus tantæ rei Authorem, cur non audimus Averroem, Paulum Venetum, Contarenum, Mirandulanum in Aſtrologos, Scaligerum & alios, qui lumine rarefactum Mare à Luna & Cœlo redundare & ebullire, ceſſante rarefactione deferveſcere & ſubſidere docuerunt? Hæc autem paulò fuſiùs deduxi, ut pateat Alexandri de Angelis inconſtantia, ſanè major quàm Æſtus marini per totum Terræ circuitum; ubi datur quidem varietas illius Æſtus, ſed nulla inconſtantia; qui enim Æſtus cuilibet Terræ loco proprius eſt, conſtanter in eo perdurat, quod notandum ad dicenda inferiùs.

Porrò

Porrò ex cauſis ſupra allatis, quænam ab de Angelis ſtatuitur eſſe vera? prima? an ſecunda? an tertia? Si quidem hac de re nihil ipſe definivit. Sed quamlibet cujuſvis opinioni eligendam duntaxat expoſuit: proindeque nec Aſtrologis nec Philoſophis ſatisfecit. Dicamus autem nullam eſſe veram; idq; probemus, ut infra ſequitur. Nam circa primam, certum eſt nullam eſſe quartanam, nullam podagram, vel alium ſimilem morbum paroxiſmis obnoxium, cujus acceſſus & receſſus regulariter ſubjiciantur motui alicujus Aſtri: Alioquin fatendum eſſet talem affectum à tali Planeta vi occulta moveri: Cùm ex humoris natura ratio reddi nequeat, cur ipſe morbus illius Planetæ & non alterius motui conſtanter obſequatur. Itaque quod quartana quarto quoque die, & eadem horâ redeat, id ſanè petendum eſt à natura humoris melancholici, ejuſque perſeverantia in eodem cruditatis ſtatu, ſicut Medici docent, & alibi fuſiùs exponetur: ſicque aquarum marinarum natura eſſet cauſa Æſtus, ſi intervalla quibus aquæ fluunt & refluunt eâdem horâ inciperent atque deſinerent, aut Lunæ motui lege conſtanti non obedirent: at quia ſingulis diebus, in ſingulis Terræ locis variatur initium fluxus & refluxus, juxta variationem motus Lunæ ſupra & infra Horiſontẽ; neceſſe eſt ut aquarum natura, ſit talis Æſtus cauſa tantùm paſſiva, Luna autem activa, quæ hic inquiritur.

Hæc eadem ratio cauſam ſecundam & quamvis aliam Lunâ demptâ ſimiliter deſtruit. Nam ſuppoſitis Terræ hiatibus, & ſpiritu illis contento, qui Telluris partem aliquam concutiat: tamen quod Oceanus à tali ſpiritu motum ſuum habeat fieri nequit. Nam etſi Tellus ſub totius Oceani tractu talibus hiatibus eſſet excavata (quod nemo ſanæ mentis admiſerit) nunquam tamen exhalationum illis contentarum talis poſſet eſſe conſenſus, ut in ſingulis Terræ locis, motum aquarum perpetuò regularẽ & Lunæ motui conformem cauſarent; quin ſaltem ipſæ à Luna regerentur; quæ ſic ſemper eſſet cauſa motus Oceani. Quamobrem nil mirum ſi de Angelis tandem coactus fuerit ad Lunam pro tertia cauſa recurrere.

At quod ejus cauſa tertia ſit etiam erronea, hinc patet. Nam ſi Lunæ lumen à Sole receptum, poteſt aquas tantopere rarefacere, tantamque ebullitionem cauſare, quantò magis idem efficiet ipſa lux Solis; quem & Mare & Terras vehementiſſimè calefacere in Zona præſertim torrida cui Oceanus ſubſternitur nemo neſcit? At neque Sol fons lucis atque caloris illam Maris ebullitionem excitat, ut experientiâ conſtat: neque ejus lumen fontale, vel à Luna reflexum calefacit, ut oſtenſum eſt cap. 12. lib. 11: neque etiam Solis calor à Luna reflexus poteſt illius effectus eſſe cauſa; tum quia ad hunc longè debilior eſt quàm par ſit; tum quia Sol ipſe proprio calore eundem etiam effectum cauſaret multò efficaciùs. Ergo vanæ ſunt omnes Alexandri de Angelis rationes; & in Luna neceſſariò præter lumen, imò calorem reflexum, alia virtus admittenda eſt à qua Æſtus Oceani concitetur. Confirmatur, quia cùm Luna ſolo lumine Solis ſplendeat, ſi Sol radio lucis directo motum illum concitare nequit, ſed tantùm reflexo; non quidem à Venere, Mercurio, Marte, &c: ſed duntaxat à Luna, diebus imò momentis ſingulis, in quacunque illa ſit à Sole diſtantia, vel cum illo Syzygia: ſemper in Luna eſſet peculiaris virtus admittenda, quâ præ cæteris Planetis lumen à Sole receptum modificaret, efficacemque redderet ad illum effectum, cujus idcircò Luna eſſet per ſe cauſa.

Itaque Luna neque lumine, neque calore mutuato, ſed ſibi propria virtute Oceanum movet cõſtanti regularitate, prout illa motu diurno fertur circa ipſum Oceanum: ita ut in quovis Horiſonte Oceani ſit maximus fluxus, Lunâ verſante in Meridiano ſupra vel infra Terram; & maximus refluxus illâ diſtante 90 gradus ab ipſo Meridiano ex parte ortus vel occaſus juxta Marſilium Ficinum comm. in cap. 6. lib. 3. Ennead. 2. Plotini. Atque ſic bis in die per 6 horas fluat, incipiente fluxu dum Luna oritur vel occidit in ſphæra recta; & bis in die per 6 horas refluat, incipiente refluxu dum ille eſt in Meridiano ſupra vel infra Terram. Attamen ob diverſam magnitudinem, figuram, profunditatem, & poſitionem littorum ſinuumque Oceano adjacentium, accidit in aquis à ſinubus illis atque littoribus receptis, multa varietas in modo, tempore & numero quotidianorum Æſtuum: ſed propria cuilibet loco varietas eſt in illo perennis; ideoque varietates omnes ad eandem ſemperque conſtantem cauſam reducuntur, quæ conſtanter idem efficiat in ſingulis locis; quod Alexander de Angelis à principio non animadvertit.

Subtilior primâ fronte viſa eſt pleriſque demonſtratio Galilæi, quâ probare nitebatur motum Marium eſſe à motu Terræ, ut priùs aſſertum fuerat à Cæſalpino lib. 3. quæſt. peripat. 9. 5. Sed erroneam eſſe demonſtrationem Galilæi oſtendimus ex propria ejus figura propriiſque hypotheſibus, in ſolutione noſtra famoſi Problem. de Telluris motu vel quiete. Atque de Oceani motu hic iſta ſufficiant, alibi dicitur quomodo à Luna ipſe fiat.

CAPUT VIII.

De cauſis commotionum Aeris in ortu & occaſu ſyderum.

VArias commotiones quæ in Aere ſolent accidere Aſtris coſmicè vel heliacè orientibus aut occidentibus, Aſtrologi ad ipſorum Aſtrorum naturam referunt. At de Angelis ſupra citato cap. 5. lib. 1. ut nullas eſſe eorum corporum vires peculiares ad tales effectus oſtendat; Nobis objicit Ariſtotelem, qui lib. 2. Meteor. & in Problematibus, Ventorum cauſas & eorum quæ in Aere contingunt magnâ ſapientiâ retulit in temporum commutationes, quando nimirum vel diuturno Solis ardore exhalationibus abſumptis, vel vehementi frigore ſuffocatis, nulla ſuppetit ventis materia, & moleſtias quas Oriens vel Occidens Orion afferre ſolet, temporum commutationibus in quas hujus Aſtri ortus & occaſus incidit, tribuit potiùs quàm Aſtro, vel ejus abditis viribus.

Nos verò hic reſpondemus. Primùm Ariſtotelem ignotâ influentiarum naturâ agendique modo (ut ſupra oſtenſum eſt) prudenter alias utcunque probabiles excogitaſſe rationes, quibus cauſas redderet naturalium effectuum quæ ab ipſo ut Phyſicæ principe exigebantur. Nuſquam tamen reperietur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

rietur illum vires Aſtrorum peculiares denegaſſe, vel improbaſſe, quod ipſi ab de Angelis imponitur.

Secundò Ariſtotelem ſibi contrariari circa Orionis effectus. Nam Libro 2. Meteor. ſum. 2. cap. 2. ait. *Quod ad ortum Orionis uſque ad Etheſias & Prodromos tranquillitas generatim contingat.* E contra verò in Problematibus ſect. 26. Problem. 14. *Qua de cauſa* (inquit) *Orionis exortu dies maximè variantur, flatuſque importuni commoventur?* Et cauſam duntaxat problematicè reddit, nec mirum: nam ſi ne quidem ſibi conſtat in effectu Orionis, quomodo ſibi conſtabit in cauſa ipſius effectus? Idem dicendum de effectibus Orientis Caniculæ. Nam loco Meteor. ſupra citato ait. Etheſiæ flant poſt verſiones (hoc eſt ſolſtitium nobis æſtivum) & Canis ortum. Et rurſus infra: Dubitant autem quidam propter quid Boreæ fiunt continui, quos vocamus Etheſias poſt Æſtivales verſiones: & hujus cauſam ibidem reddere conatur. At in Problematibus ſect. 26. Probl. 12. & 13. quærit è contra: Cur Auſter Oriente Canicula moveatur; idque lege certiſſima fieri ſoleat: redditque problematicè cauſam Etheſiarum quoque contrariam. Num igitur de Angelis nobis opportunè objecit Ariſtotelem; qui ſibi neque in effectibus neque in cauſis conſtat, imò contrariatur: nihilque evidenter probat, ſed rem duntaxat problematicè agitat: Num inde aſſerere Aerearum commotionum cauſas genuinas reddi citra Aſtrorum influxum, incautioribus eſt illudere?

Dicamus igitur Solem cæteraque Aſtra, tum Ætherea tum Cœleſtia, variis pollere viribus: quippè Elementalibus, Æthereis, & Cœleſtibus ut à nobis oſtenſum eſt lib. 13. ſect. 1. cap. 2. 3. 4. 5. & 6. Ipſum verò Solem per ſe ſuoque motu in Ecliptita, cauſare temporum commutationes; ita ut etiamſi ſolus eſſet in Cœlo, tamen nobis ſuo acceſſu & receſſu cauſaret Ver, Æſtatem, Autumnum & Hyemen. Hæc verò tantùm cauſat ſuo calore actuali, qui per ſe efficit Ver & Æſtatem, per accidens verò Autumnum & Hyemen. Globus enim Terreſtris proprio frigore Hyemen per ſe cauſat, eamque acerrimam in ſuppolaribus regionibus, radiis Solaribus ad multos etiam menſes deſtitutis. Dum igitur Sol hæc inferiora calefaciens, ipſius Globi humiditates reſolvit, hæ calore ſibi impreſſo ſurſum elevantur: deindeque vel occurſu frigoris denſantur in pluviam, vel rarefactione majore abeunt in flatus, viâ ſibi oportuniore errantes per Aerem, quem etiam commovent. Et hæc eſt præcipua ventorum origo: qui tamen etiam fiunt ſolius Aeris motu, ut ſubſolanus perpetuò flans ſub Æquatore, quod Ariſtoteles ſuprà citatus non animadvertit. Sed de his alibi.

Porrò ſi præter Solem nullum aliud eſſet Aſtrum, cujuſque regionis Æſtates inter ſe, ſingulæque Hyemes inter ſe æquales eſſent in Aerea conſtitutione. Dato enim eodem ſemper Globo Telluris immobili ac patiente, nec non eodem Sole, per eandem ſemper viam mobili & agente, nulla eſſet cauſa inæqualitatis. At præter Solem dantur cæteri Planetæ atque fixæ cùm propriis motibus atque Virtutibus; quibus cum Sol ipſe diverſiſſimè ſuos commiſcet radios, iiſdem interdum conjunctus, aliâs oppſitus, aliâs quadratus; & plerumque cum ipſis oriens, occidens, vel Cœlum medians. Quod igitur hæc ſit vera cauſa inæqualitatis quæ obſervatur annuatim in ſingulis Terræ locis circa ſingulas anni partes; nec ſint Aſtra ipſa ſtatuæ inanes ac ſuperfluæ; nempe eſt ſanæ mentis Philoſophus qui ingenuè non fateatur. Hoc autem conceſſo, etiam Aſtris ipſis neceſſario concedenda erit vis immutandi Aerem; imò cuilibet Aſtro propria: Ideoque quamvis Sol generales temporum commutationes per ſe efficiat, Ver, Æſtatem, &c: tamen in qualibet anni parte, prout huic vel illi Planetæ aut fixæ illuſtri connectetur conjunctione, aſpectu, ortu vel occaſu: accidet peculiaris in Aere mutatio pro Natura Aſtri, cui Sol tunc connectetur. Nec propterea excluduntur aliæ commixtiones Planetarum inter ſe & cum Luna & fixis, à quibus etiam Aeris ſtatus variatur, dum oriuntur vel occidunt: indeque fit, ut non ſit eadem Aeris diſpoſitio ſingulis annis, dum Orion vel Canicula oriuntur vel occidunt. Non igitur ex generalibus duntaxat commutationibus temporum à Solis decurſu factis, reddi queunt genuinæ cauſæ earum Aeris mutationum quæ accidere ſolent in ortu & occaſu ſyderum, ut de Angelis opinatus eſt; quod tantùm hic oſtendere intendimus. Cur autem Aſtra potiùs in ſuo ortu vel occaſu, quàm aliâs mutationem Aeris concitent, & qua virtute, Elementari ſcilicet, an Cœleſti, vel ambabus ſimul, proprio loco fuſiùs exponetur.

CAPUT IX.

De cauſis dierum Criticorum in morbis acutis.

Luna non ſolùm obſervatur à nautis, eſſe cauſa reciproci motus Oceani; ſed etiam à Medicis, Aſtrologis, & Galenò præſertim, obſervatur eſſe cauſa dierum criticorum in morbis acutis. In hos verò ſic inſurgit de Angelis lib. 1. cap. 19. Lunarem negans influentiam.

Eja Aſtrologi, res eſt explicatu difficillima; cauſa quæ humores movet per dies Criticos, potiùs quàm per non Criticos. Democriti profundo demerſa puteo deliteſcit penitus, altiſſimiſque occultatur tenebris. Ad occultas Cœli vires inſcitiæ aſylum confugite. Nuſquam licuit majori licentia Aſtrorum abditas vires jactare, præclarum nacti eſtis locum venditandi admirabiles Stellarum & arcanas virtutes: ita planè: id enim facit Cardanus lib. 1. de Iudiciis Aſtro. cap. 15. Libro de Revol. cap. 9. Id facit Bellantius, id facit Donatus, & in Lunam criticarum dierum rationem referunt: quæ Cœli ſigna decurrens humani corporis humores, per ſtata tempora movet. Deinde verò poſtquàm multa ex Galeno Medicorum Principe adduxit circa dies criticos & indices, quorum cauſam videt Galenum ipſum ad Lunam retuliſſe: mirabundus de Angelis ſubjungit. *Crediderim equidem Galenum his locis Aſtrologorum placita deſcribere voluiſſe, nihil propriâ ſententiâ conſtituiſſe. Vix enim adduci poſſum ut credam, Clariſſimum Medicorum Magiſtrum ad prima Medicinæ & Philoſophiæ principia offendiſſe.*

Verùm ad quæ principia Medicinæ & Philoſophiæ Galenus offenderit de Angelis dicere non potuit: neque opinandum eſt tanti nominis Medicum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

cum, proprii honoris adeò parum fuiſſe ſolicitum; ut poſteris dubium relinqueret, an abſurdis Aſtrologorum placitis adhæſiſſet, ſi hæc talia judicaſſet. Cúmque ex nullius ſententiâ referat, Lunam eſſe dierum criticorum cauſam; & quomodo ſit: ſed ipſe id afferat; imò (quod attentiùs notandum eſt) nullam aliam dierum ipſorum cauſam tradat, vel hanc refellat: ſed è contra ejus gratiâ menſem ſuum medicinalem dierum 26. horarum 22. non mediocri ſtudio excogitaverit; omninò fatendum eſt hanc ejus fuiſſe ſententiam, cui experientiâ longâ cogente adhæſerit: ſiquidem perabſurdum Galeno fuiſſet in 3. libris de diebus decretoriis, nihil circa eorum cauſam ex propria mente tradere; vel quam putaſſet abſurdam non refellere.

Idcirco de Angelis technam illam craſſiorem cernens, in Galenum inſurgit variis argumentis; tum multò acerbiùs in Gauricum & Bellantium celebrem Medicum & Aſtrologum Senenſem. Ac tandem etſi loco ſupra citato ſuam evidenter fateatur inſcitiam, circa dierum criticorum cauſam, nihilominus ſuam de hac ſententiam profert. In quibus omnibus neſcio an pejus offendat ipſe in Medicinam vel Philoſophiam; non enim dicam Aſtrologiam, cujus ſe ignarum profitetur, dum ejus veritatem ſuffocare nititur. Verum cum hæc de diebus criticis ardua diſputatio, peculiarem Tractatum à nobis mereatur, in quo non ſolum de Angelis, ſed Pici, Fracaſtorii, Laurentii, & aliorum Lunæ allatrantium argumenta vana in fumum reſolvimus; atque Lunam eſſe veram dierum criticorum cauſam probamus: Idcircò ut ſingula propriis locis ſine ſuperflua repetitione diſpenſentur, eò Lectorem cum multo patientiæ ſuæ fœnore amandamus, quippe ad noſtram Aſtrologiæ praxim, ſi DEUS illam perficere conceſſerit.

CAPUT X.

De cauſis Temperamentorum.

HOminum temperamenta ex influentiis Aſtrorum horâ nativitatis venari ſolent Aſtrologi. At Alexander de Angelis lib. 3. cap. 24. ait. *Quod corporis temperamentum è Stellis hauriatur, multis admotis machinis jam evertimus: tum quòd ad conformationem hominis Stellæ non veniant, tum quòd multis aliis intervenientibus cauſis, & quidem potioribus quas ignorare Aſtrologos oportet, nihil è Stellis de noſtro habitu corporis denunciari poſſit; tum quòd nativum corporis temperamentum multis modis in vita commutetur, labefactetur & ſolvatur.* Machinæ autem de quibus loquitur ſunt hæ. Quod à Parentibus, obſtetrice & nutrice mutetur temperamentum, quod puer è Stellis hauſit (in quo jam ſibi contradicit dum ſuperiùs negavit temperamentum eſſe à Stellis) quòd inſuper mutetur à victu, exercitio, Terræ loco, conſuetudine & medicamentis: & de ſingulis longa habet capita, Philoſophorum, Medicorum, Oratorum, Poetarum, & Hiſtoricorum textibus referta; quos quàm malè intellexerit, pejúſque applicuerit, ſi ſigillatim diſcutiendum foret, maxima fieret à nobis jactura temporis, alibi utiliùs inſumendi. Sed ut pateat quàm ſemper ſit infenſus influentiis ac præſertim circa hominum temperamenta; apponamus hic ejus concluſionem in fine cap. 15. lib. 3.

Vertant (inquit) *Genethliaci ſua Aſtrolabia, ſpectent ſydera, rimentur abditas Aſtrorum vires, obſervent Stellarum configurationes. Quanam è ſpecula proſpicient, quo quiſque alimentorum genere ſit uſurus? Qanta in his diverſitas pro natura locorum, pro anni temporibus, pro ætate, pro copia, vel inopia, pro eorum quibuſcum vivit conditione, pro valetudine, pro Medicorum conſilio, pro palato, pro patriæ conſuetudine, pro uſu domeſtico, pro ſubita ac fortuita neceſſitate, pro amicorum invitatu, pro propria libidine, pro familiarium arbitratu? Tantumne cauſarum in uno ſyderum ſchemate videtur? Si hæc omnia non vident, nihil vident; ſed temere effutiunt, quidquid effutiunt de hominum temperamento.*

Quoniam verò Aſtrorum vires abditæ (quas influentias appellamus) elucent maximè in hominum temperamentis atque moribus contra Pici, de Angelis, aliorumque oſorum Aſtrologiæ falſam opinionem: eſtque materia hæc totius Aſtrologiæ præcipua: idcircò ut tanti ponderis veritas accuratiùs examinetur, pateatque evidentiùs, ordine ſequenti nobis tractanda videtur.

CAPUT XI.

Quid ſit temperamentum hominis & quotuplex

COmmunis ſententia eſt temperamenti eſſentiam conſiſtere in aliqua proportione mixtarum qualitatum ad viventis conſtitutionem concurrentium: illudque eſſe principium & cauſam vitæ, omniumque actionum naturalium, vitalium & animalium. Sed quarum qualitatum ſit illa mixtio & proportio maximè controvertitur inter Medicos, Chymicos & Aſtrologos.

Hippocrates lib. 1. de diæta. Ex Aqua & Igne, horumque qualitatibus, omnia efficit temperamenta, ut videre eſt in ipſo libro.

Galenus verò cum Peripateticis arbitratur 4. Elementa ad mixti generationem confluere: deinde ſe invicem in exiguas, non autem in minimas portiones diſtrahere, eoque ſe ordine componere, ut ſibi invicem arctiſſimè cohæreſcant, nihilque ſenſu notari poſſit, quod non ex earum portionibus conſtet: eorum verò primas ſive ſimplices qualitates totas totis permiſceri, & mutua quadam repugnantia ſe invicem refundere & ad moderationem redigere: fierique illarum confuſione temperamentum per univerſam corporis molem diffuſum; cui Galenus ipſe non modò facultatem omnium naturalium cauſas adſcribit; ſed etiam cujuſque rei proprietatem ex tali vel tali caliditatis, frigiditatis, &c: gradu proficiſci prodidit: cui ſententiæ aſtipulatur de Angelis cap. 16. lib. 1. Certum tamẽ eſt quod cum nec primæ qualitates, calor, frigus, &c: nec ſecundæ ex illis deductæ, tenuitas, craſſities, denſitas, raritas, &c: nec tertiæ, ſudorifica, diuretica, &c: morborum indicationibus & currationibus vel remediorum effectibus omnibus ſatisfacere poſſent: coacti ſunt Medici in mixtis vires ocultas, vel à tota ſubſtantia admittere: ut patet apud Fernelium paſſim lib 1. de Abditis rerum cauſis, ipſum Galenum, pluresque alios ſectæ Galenicæ principes.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Chymici verò qui ſtudio & experientiâ nobiliſſimam artem ſibi compararunt, quodcunque mixtum penitùs ſcrutandi illudque reſolvendi in ſua principia; multò evidentius quàm Galenici conſpexerunt 4. communia Elementa, Ignem, Aquam, Terram, & Aerem: inſuper verò 3. alia principia potentiora invenerunt, quæ ob Analogiam Sal, Sulphur & Mercurium appellaverunt. In quibus ſingulas mixti vires diſtinctè cognoverunt, & actionum omnium cauſas evidentiſſimas detexerunt. Verbi gratiâ quod opium valdè amarum ſtupefaciat, contra amaroris naturam, invenerunt id oriri ex ejus Sulphure, cui ineſt vis illa narcotica, & amaror in Sole. Atque ſic de aliis. Cúmque in illis 3. ſubſtantiis corporum omnium mixtorum, colores, odores, ſapores, cæteraſque proprietates & differentias, actionumque cauſas cernerent, jure optimo cujuſque mixti proprium verum & radicale temperamentum conſtituere potuerunt, in proportione mixtionis virtutum ipſarum ſubſtantiarum.

Tandem Bellantius & Cardanus Medici & Aſtrologi, deprehendentes in hominibus quoſdam effectus & propenſiones; quæ nec 4. Elementis, vel horum qualitatibus; nec 3. principiis chymicis, per ſe convenire queunt, vel ab ipſis originem ducere. Ut quod ♂ in Horoſcopo præſertim in ♏ homines faciat proclives ad iracundiam, vindictam, bella, homicidia, tyrannidem, ſtupra, latrocinia, omnemque malignitatem (unde celebris ille Aſtrologorum Aphoriſmus. Averte oculos tuos à figura, in qua videbis ♂ in prima domo, præſertim in ♏) niſi Jovis aut Veneris conjunctione vel trino aſpectu pravus ♂ influxus mitigetur: & alia ſimilia: illi (inquam) temperamentum Cœleſte introduxerunt, conſtans Aſtrorum influentiis concurrentibus ad hominis generationem: deque Bellantius lib. 1. q. 2. art. 9. 10. 11. verba facit, & inter alia hæc notatu digna.

Videmus interdum ſanguineum, avarum, melancholicum, liberalem, phlegmaticum, intrepidum, cholericum, meticuloſum & litigioſum; cùm hæc longè aliter oporteret eſſe ex humorum conſtitutione. Item animadvertimus Saturno ſubditos nunc quidem ſanguineos eſſe, nunc cholericos, nunc alterius temperamenti, ſemper tamen invidos, avaros, fædos, ultores, obſcænos, libidinoſos: eos verò quibus ♂ præſidet, aliquando phlegmaticos, nonnunquam ſanguineos, aut aliter temperatos, ſemper verò bellicoſos, iracundos, homicidas, ſtupratores, prædatores, ultores, ſanguinarios; non itaque temperamentum 4. humorum & primarum qualitatum; quod formæ cognatum eſſe diximus eſt menſura morum: neque inde oriuntur omnes propenſiones & proclivitates; ſed aliud admittendum eſt temperamentum ad mixtum materiæ ex arcanis Cæli facultatibus permixtum quod aliò longè impellat, quàm humorum temperatio poſtulet. Hæc ille quæ ideò libentiùs appoſui, quod Medicus & Aſtrologus celebris potuerit utrumque temperamentum cognoſcere & effectibus propriis diſtinguere.

Porrò lis iſta maxima maximique momenti eodem planè modo mihi componenda videtur, ac olim fuit à nobis ſedata ſimilis ferè rixa inter Peripateticos, Medicos & Chymicos circa compoſitionem corporis. Ariſtoteles enim dicebat corpus componi ex materia atque forma: Paracelſus cum Chymicis ex 3. principiis ſupradictis: Galenus verò cum Medicis, ex 4. humoribus, ſanguine, pituita, bile & melancholia. Hanc autem ſententiam tuli: ſingulas ſectas verum aſſerere in ſuo ſenſu, nec ſibi contrariari ut inadvertentiâ opinabantur. Nam Ariſtoteles ſpectavit corpus quatenus corpus, ſicque tantùm componitur ex materia atque forma. Chymici illud conſiderarunt quatenus mixtum, ſicque componitur ex Sale, Sulphure, & Mercurio, ſed quia horum quodvis eſt corpus ſimplex; rurſus quodlibet componitur ex propria materia, propriaque forma. Tandem Medici, corpus ſpectarunt quatenus animal, morbi & ſanitatis capax; ſicque componitur ex ſanguine, pituita, bile & melancholia, quæ in ſolis animalibus inveniuntur: ſed horum quodlibet rurſus admittit priores compoſitiones. Quamobrem 3. illæ compoſitiones ſunt in homine admittendæ, quamvis ſit unicum numero compoſitum, in quo illæ ad unitatem reducuntur: Homo enim eſt corpus, & mixtum, & animal.

Dicamus igitur hic ſimiliter in hominis generatione duplex genere temperamentum concurrere, ſcilicet, ſeminale & Cœleſte; utrumque verò rurſus componitur ex duobus ſimplicioribus temperamentis. Quippe in ſemine datur temperamentum ex 4. primis qualitatibus, & temperamentum ex viribus 3. principiorum. In Cœleſti verò datur etiam temperamentum ex qualitatibus Elementalibus Aſtrorum, & ex influentiis eorumdem. Ut proinde non tantum duo, ſed 4. etiam concurrant temperamenta ſimplicia: quæ quidem ad 3. reduci queunt; quod nempè temperamentum Elementale ſeminis & Elementale Aſtrorum ſunt ejuſdem generis; ſed in eo differunt, quod qualitates Elementales Aſtrorum ſint effectu vitales ut diximus cap. 5. ſect. 2. Et patet in calore Solis Planetarum ſemina evidenter vivificantis; non autem qualitates Elementales ſeminis, ut cenſemus cum Chymicis.

Hæc verò ſententia negari non poteſt, quin prius negetur vel Elementa, vel principia ſuis viribus inſtructa, vel corpora Cœleſtia concurrere ad hominis generationem: quem concurſum ipſa experientia probat. Præterquam ſi deſideretur authoritas etiam ſcholaſtica, dabimus omni exceptione majorem, nimirum Ariſtotelem. Primò enim mixta ex Elementis vulgaribus componi aſſeruit ut omnibus notum eſt, deinde verò dum ait. lib. 2. de generatione animal. cap. 3. *Omnis animæ poteſtas alterius cujuſdam corporis particeps eſſe apparet, ejuſque divinioris, quàm quæ Elementa appellantur, &c:* evidentiſſimè teſtatur, ſe in mixto vivente præter 4. Elementa agnoſcere corpora ſive principia multò diviniora, excellentioriſque virtutis: qualia ſunt 3. principia, quæ tandem à Chymicis detecta ſunt. Denique dum lib. 1. meteor. cap. 2. ait. *Mundum hunc inferiorem contiguum eſſe ſuperius lationibus, ut omnis virtus ipſius inde gubernetur.* Et lib. 2. phyſ. t. 26. *Sol & homo generant hominem.* An non manifeſtè eſt aſſerere Cœlum atque Solem concurrere ad hominis generationem? At non concurrunt ſua ſubſtantiâ; ergo virtute, quæ in Cœlo eſt duntaxat influentialis, in Sole verò etiam Elementalis. Nec tantùm Sol concurrit, ſed Luna & cæteri Planetæ, qui non ſunt ſtatuæ inanes & otioſæ. Imò idem Ariſtoteles lib. 1. de generatione animalium cap. 2. ait, *Cælum, Solem*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ac reliqua ejuſdem generis (hoc eſt reliquos Planetas & fixas) *appellari nomine Patris & Genitoris horum inferiorum*. Quod ſi inſuper petatur ratio, hem illam. Cùm enim Aſtra ipſa non ſint inania corpora, ſed ſibi propriis viribus dotata; & agant in hæc inferiora ſaltem corporea, ut ipſi fateri coguntur adverſarii, præſertim verò ipſe Alexander de Angelis cap. 2. lib. 1. his verbis. *Principio convenit inter nos & Aſtrologos magnam eſſe Cœli vim, & poteſtatem in Sublunarem Mundum & corpora ſubjecta.* Ergo ſuas vires ſemini impriment, & ab hoc illæ recipientur, niſi falsò ſtultéque dicatur corpora quidem ſubdita eſſe Aſtrorum viribus, non autem corporum ſemina; porrò ex diverſis virtutibus ſimul confluentibus, ſemper ſit aliquod temperamentum.

Illorum verò temperamentorum fugacius debiliuſque eſt Elementale, qui perpetuæ alterationi ſubjicitur à contrariis etiam intentiſſimis, ut patet in Planetis durante longo intenſoque gelu Hyemis, eſſetque ferè in mixtis momentaneum, niſi à ſibi ſuperiore in mixto virtute radicaliter contineretur; & nullius in mixto vitalis actionis per ſe cauſa eſt; non ſolùm ex Chymicis ſed etiam ex Fernelio, qui palam cenfeſſus eſt, illos in errore verſari, qui actionum omnium cauſas vulgatis Elementorum qualitatibus adſcriberent ob cauſas à nobis allatas cap. 5. ſect. 2. Reliqua verò temperamenta ſunt ipſarum actionum & motionum cauſæ efficaciſſimæ, per ſe conſtantiora, ab Elementorum alterationibus libera, & ad interitum uſque perdurantia, ut infra patebit.

Porrò ex ſupradictis ſimplicibus temperamentis in homine, componitur ejus totale temperamentum hoc modo. Dum in ipſius hominis generatione utriuſque parentes ſemina proprio ſpiritu imprægnata, ſibi mutuo amplexu occurrentia, in unum ſpiritu & materiâ confluunt; hoc futuri hominis ſemen peculiari committitur regimini Aſtrorum, ſemper & ubiq; Terrarum influentium, ut hæc inferiora ſibi ſubdita ad ſuas generationes promoveant; in ſuo exortu vel geneſi, inſtar obſtetricis ſuſcipiant; & in lucem producta, ad ſuum finem penes vim ſibi conceſſam dirigant. At Cœlum præſentis tunc ſuæ conſtitutionis Elementales & influentiales vires ſemini ipſis imprimit, quaſi ſigillo efficaciſſimo. Ideoque ad hominis conſtitutionem corpoream hæc tria à primo conceptionis inſtanti concurrunt. Materia ſeminis conſtans 3 principiis, & 4 Elementis: ſpiritus ſeminis qui propriè ſemen dicitur à Chymicis, eſtque vitale principium corporis, ſpecifico formæ charactere potens, à quo ſunt corporis ipſius conformatio ſpeciei congrua, facultates, & actionum omnium ſcientia, vigor atque poteſtas: Tum Cœleſtis influxus, qui conſtat viribus Elementalibus, Æthereis & Cœleſtibus ſive influentialibus; ut ſemen Elementis, principiis & ſpiritu: ac Elementales & Æthereæ afficiunt materiam ſeminis primò & per ſe in mixtis omnibus naturalibus: Cœleſtes verò ſpiritum qui ſolus illis proportionatur in Sublunaribus. Ut enim in corporeis Sublunaribus, nihil eſt nobilius, divinius & efficacius illo ſpiritu, qui abſoluta conformatione remanet in fœtu, ipſoque Nato, totâ vitâ ad naturale regimen corporis & generationem; eſtque id quod in Scriptura Deus vocat animam carnis, ob quam ipſe interdixit Hebræis uſum ſanguinis in quo jam receptus eſt ille ſpiritus, qui tamen perfectiùs apparet in ſemine, quod fit ex ipſo ſanguine. Sic in Cœleſtibus nihil eſt divinius & efficacius influentiis, quarum ſpiritus ille ſolus eſt proprium inhæſionis ſubjectum, ut ferri ſpiritus eſt ſubjectum inhæſionis virtutis magneticæ: ac præ cæteris ſpiritus ſeminis animalium, tanquam cæterorum nobiliſſimus atque diviniſſimus, & prima radix, origoque facultatum animalium; qui inde diverſos patitur impulſus pro diverſitate atque naturâ influxuum Cœleſtium. Verùm in hoc concurſu qualitatum ſeminis & corporum Cœleſtium, non eſt opinandum quod ſingulæ ſingulis permiſceantur totæ totis, & mutua repugnantia ſive reactione ſeſe retundentes ſiant quid unum omogeneé moderatum, ut ab initio dictum eſt de temperamento Galenico; hoc enim convenit duntaxat qualitatibus formaliter contrariis, vel quæ ſunt ejuſdem generis proximi: ut calori & frigori inter ſe, humiditati & ſiccitati: tum coloribus inter ſe, nec non odoribus vel ſaporibus inter ſe, ac etiam influentiis inter ſe. Nam quæ ſunt diverſi generis talem commixtionem & unionem reſpuunt. Prindeque non admittitur inter quatuor primas qualitates & colores: nec inter colores & ſapores: Multò igitur minùs admittetur inter 4. primas qualitates & influentias, quæ genere inter ſe multò magis differunt, quàm calor & albedo. Unde ſequitur vires Elementales ſeminis permiſceri quidem viribus Elementalibus Aſtrorum: at non influentalibus, neque viribus propriis principiorum; ſed ſingula genera in homine manere impermixta, utcunque ſimul concurrant ad totale hominis temperamentum: ideóque quodlibet agere per ſe juxta naturam propriam. Et hoc valdè notandum.

Jam verò Cœlum obſequitur ſpiritui ſeminis quoad ſpeciem: ideóque ex ſemine equi fit equus; ex ſemine hominis homo; nam Cœleſtis influxus ad modum recipientis recipitur: ſed quoad individuum ſpiritus ſeminis magis obſequitur Cœlo, quàm materiæ propriæ, quod nempe & hæc & ille à Cœlo patiantur individualiter ſine reactione: ideóque prout Cœlum fuerit benè aut malè diſpoſitum in conceptu, etiam benè vel malè erit fœtui in conformatione, moribus, actionibus, &c: attamen natura Elementalis roburque ſeminis etiam ſpectanda ſunt, & cum influxu Cœleſti conferenda ratione qualitatum Elementalium invicem miſcibilium: ſemen enim ex calidis & robuſtis Parentibus meliùs reſiſtet frigido & infauſto vitæ influxui præſertim debili. ſi autem influxus fortis extiterit, vincetur qualitas ſeminis, unde ex calidis & robuſtis Parentibus naſcuntur interdum liberi frigidi & non vitales: ex probis, nequiſſimi, vel in aliquod grave ſcelus valdè proni. Atque ſic de cæteris, quæ etiam nativitatis momento applicari queunt, quod is cum momento conceptus maximam ſemper habeat affinitatem ut infra dicetur.

Ex his igitur totale hominis temperamentum definiri poteſt. 'Ratio ſive proportio mixtionis

virium Elementalium, principialium & influentialium, in generationis ſubjecto ſemine, ſimul concurrentium modo ſupra explicata; quæ definitio jam patet ex ſupradictis.

Caput XII.

Varias continens Objectiones Alexandri de Angelis contra Cæleſte temperamentum: earumque ſolutiones.

ADverſus temperamentum Cœleſte à Bellantio & Catdano animadverſum non tamen ut par erat explicatum, multa objicit Alexander de Angelis, cap. 16. Lib. 1. quorum ſolutione noſtra multò evidentiùs patebit illud temperamentum, ideoque vanitas objectionum.

Primò itaque objicit Bellantium cæteroſque Aſtrologos, ut Cœleſte probent temperamentum, ſupponere rem omninò controverſam, & de qua tota eſt diſceptatio ſuſcepta: Nimirum eos qui ♂ in prima domo dominante naſcuntur, eſſe iracundos, bellicoſos, ſanguinarios, &c.

At reſpondeo, rem quidem eſſe controverſam ab ignaris Aſtrologiæ: non autem inter Aſtrologos, apud quos ſuppoſitio hæc eſt ipſa experientia; ideoque non minùs acceptanda, quàm ſi quis ſupponat ignem urere, aut Rhabarbaram bilem evacuare. Itaque ipſum de Angelis pro ſuæ controverſiæ elucidatione remittendum eſſe ad experientiam, non brutalem quam poſtulat, ſed rationalem à nobis expoſitam Lib. 10. cap. 2. quam ipſe de Angelis ignoravit.

Secundò etiam adverſari Ptolemæo, Cardano, & cæteris, dum aſſeritur cauſas inferiores ſequi Cœli efficientiam & impulſum potiùs quàm naturam ſeminis: quandoquidem dum ex eadem agri vel glebæ parte prodeunt gramen, triticum, hordeum, &c: illi non hoc ad Aſtra referunt, ſed in ſeminum diverſitatem.

At reſpondeo quod à me jam ſuperiùs dictum eſt. Quippè Cœlum obſequi ſemini quoad ſpeciem: ſemen autem Cœlo, quoad individuum: eaque ni fallor, fuit vel eſſe debuit mens Ptolomæi & aliorum.

Tertiò Ptolomæum Lib. 1. de Jud. Aſtr. à cap. 3. ad 7. Revocare vires omnes Aſtrorum ad quatuor primas qualitates, quas etiam ab Aſtris produci in his inferioribus docet, & reliqua per has fieri, ſine ulla arcanæ virtutis è Cœlo prolapſæ mentione: ergo nullæ in hominis temperamento admittendæ ſunt influentiæ.

Sed reſpondeo: De Angelis neque hac in parte, nec alibi paſſim ſyncerè agere: etſi enim Ptolomæus loco citato tradat duntaxat Elementales vires Aſtrorum, tamen Lib. 3. cap. 17. 18. 19. & alibi paſſim tradit vires eorum influentiales & harum effectus, qui ſimplicibus Elementorum qualitatibus multò minùs adſcribi queunt quàm morborum curationes in Medicina, ex Chymicis, Fernelio & rei veritate: hæc igitur Objectio imperitis tantùm ſeducendis idonea eſt.

Quartò: *Obſequuntur* (inquit de Angelis) *quadantenus aſtris humores; & humoribus ſpiritus; ſpiritibus ſenſus; & ſenſui appetitiones. Num propterea cogor recipere duo temperamenta?* Et infra. *At duplex temperamentum, alterum ſimplex è Cœlo delapſum, alterum ex primis qualitatibus conflatum à cauſis ſublunaribus, & à priori planè diſſitum; Monſtrum eſt, & Ptolemæo Aſtrologorum Magiſtro inviſum, & Medicis & Philoſophis inauditum*: idque probare nititur ex Ptolemæo, Ariſtotele, & Galeno: qui (inquit) non aliud temperamentum noverunt quàm quod ex primis Elementorum qualitatibus componitur, multaſque profert ſingulorum authoritates.

At reſpondeo, poſt hîc conceſſa à de Angelis, qui cap. 1. lib. 2. etiam dubitat an Aſtra corpus afficiant, ſicque ſibi contrariatur, ſuamque doctrinam dubiam ac incertam eſſe patefacit Andabatamur more pugnans. Non poſſe ampliùs ab eo negari aſtrale temperamentum. Nam ſi humores obſequuntur Aſtris, ergo ab his illos aliquid recipere neceſſe eſt: non enim obſequuntur quin patiuntur; nec patiuntur quin recipiant: nec idem recipiunt à ſingulis aſtris: uno enim excepto cætera eſſent ſuperflua: nec ipſum aliquid recipiunt ab unico, nihil verò ab aliis; hæc enim ſupponerentur non activa, ſed inania & otioſa corpora, vel duntaxat illuminantia nihilque aliud efficientia: ergo recipiunt diverſa à ſingulis, pro diverſa ſingulorum virtute propria: atqui proportio illius diverſitatis, eſt temperamentum Cœleſte de quo agitur.

Prætereà eſto quod verbis expreſſis triplex temperamentum ſuperius fuerit Ariſtoteli, Ptolemæo & Galeno inauditum; attamen certum eſt quod in rei veritate ejus aliquam habuere notitiam, etſi adhuc magna illis obductam caligine; quin etiam de ipſo mirè conſentiunt quaſi neceſſitate coacti. Ac de Ariſtotele jam ſupra oſtenſum eſt cap. 11. quod tria ipſa temperamenta agnoverit. Ptolemæus verò Elementale & Cœleſte confeſſus eſt ut conſtat ex reſponſione ad 3. objectionem: at principale ſeu Chymicum ne quidem ſuſpicatus eſſe videtur; nec mirùm quòd nimis abeſſet ab ejus profeſſione. Sed Galenus triplicem illorum temperamentorum fontem intuitus eſt, clariùs etiam quàm Ariſtoteles. Nam de temperamento ex primis qualitatibus non eſt dubitandi locus. De Cœleſti apertè ſcribit lib. 3. de diebus decretor. cap. 6. dum ait. *fingamus homine quodam naſcente ſalutares Planetas in Ariete, malignos in Tauro eſſe Is cùm Luna in ♈ ♋, ♎, ♑ fuerit, pulchrè deget: cùm verò Taurum ipſum vel ejus tetragonum vel diametrum ſignum occupat; malè tunc & moleſtè vitam tranſiget; atque hinc morborum initia; cùm Luna in ♉ ♌ ♏ ♒ fuerit, peſſima: ſine periculo autem ei ſalutaria ſunt, cùm Arietem ♋ ♎ & ♑ Luna percurrit.* Denique de Chymico conſtat ex cap. 2. lib. 4. de ſimp. med. facult. Ubi non ſolùm in aceto partes diverſarum facultatum eſſe fatetur; ſed etiam Salis Chymici in lignorum cineribus ſuperſtitibus meminit. Neque dubitandum eſt quod ſi horum virorum tempore, Chymia ut nunc floriuſſet, longè aliam de rebus naturalibus notitiam habuiſſent, nobiſque reliquiſſent. At illa nobili arte deſtituti quâ mixtorum abdita reſerarent; ſuperficiei vel cortici, hoc eſt duntaxat eorum Elementis cognoſcendis incubuere; quæ horum naturas viresque ſupergrederentur, mirantes interim, vel problematicè inquirentes, vel ad proprietates occultas referentes. Quod verò ex ſolis mixtorum Elementis vel qualitatibus Elementalibus, multa etiam egregia de mixtis ipſis cognoverint, ratio eſt; quia ut habet doctiſſimus Severinus

verinus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

verinus Danus in ſua Idæa Med. Phil. Rerum ſemina ad generationem excitata primò ſibi adſciſcunt corporis congrua principia, Sal, Sulphur, & Mercurium, nec non congrua Elementa, quòd nempe tam hæc quàm illa debeant ſeminibus eſſe conſentanea, non ſolùm penes ſpecificam, ſed etiam individualem differentiam, alioquin non fiet generatio, quippè quod (ait Severinus) in tali Sale, Sulphure, & Mercurio & talibus Elementis, tale ſemen habitare neceſſe ſit. Quo poſito ex ſola cognitione Elementorum mixti, multa de ipſo, non tamen omnia cognoſci poſſunt: ideóque hominis corpore & figurâ natalitia conſpectis à Medico Aſtrologo, indubiè multo plura & certiora dicet de ipſo homine, quàm ſimplex Medicus vel Phyſiognomus inſpecto duntaxat homine.

Quinto: ſoluto quarto primarum qualitatum temperamento, mixta omnia intereunt, ergo vel præter hoc nullum eſt aliud, vel ſaltem ei ſubjicitur.

Reſpondeo, mixtum ab omnibus ſupradictis temperamentis ita pendere, ut neutrum deſtrui queat ſine mixti interitu: cujus ratio ſuperiùs allata eſt; quod nempè ſemen quodlibet, talia Elementa, & talia corporis principia poſtulet, ſine quibus non fit generatio, ideóque nec geniti conſervatio; quod de influxu etiam dici debet. Conſervantur autem ſimilibus & deſtruuntur contrariis, qualitates qualitatibus, principia principiis, influxus influxibus, dum ſingula moderata ſunt & vitæ amica: fit verò contrarium ſi immoderata ſint vitæque inimica, atque mors accidere poteſt à ſingulis temperamentis, cæteris illæſis, ut verè dici poſſit horum neutrum mortis cauſam primariam extitiſſe. De Elementali id omnes concedent Medici, & de principiali Chymici. De Cœleſti verò patet, dum quis optima fruens valetudine, vel cadit ab alto, vel ferro percutitur, vel alio modo necatur, ob malignum ipſique tunc lethalem Aſtrorum poſitum. Ut patet in morte Regis Sueciæ & mille aliorum. Siquidem in Regis ipſius geneſi ♃ dominus Horoſcopi, & ☉ in prima figuræ domo fuere vitæ ſignificatores præcipui, amboque potentes in octava, quod pravum erat pro vita. ♄ autem fuit corpore in octava pravè affectus in domo Solis & □ ♂ ex duodecima, atque ♃ ferè partiliter lædebatur ☍ ♄. & □ ♂. Quæ Cœli conſtitutio ſeu temperamentum Cœleſte, vitam morte violenta terminandum præſagiebāt efficaciſſimè, præſertim ob ♃ dominum Horoſcopi peſſimè affectum & fixas violentiſſimas in prima & ſeptima domo. Ideoque valdè metuendus erat reditus ſimilis combinationis horum Planetorum, quo adveniente occiſus eſt, quippè anno 1632. quo Medium Cœli actionum ſignificator directione devenerat ad □ ♄ & ♃, corpuſque ♂; in actionibus & ſuſceptis præliis lethale portendens infortunium. Et quo in Revolutione annua ♄ erat in loco radicali ♂, & ♂ viciſſim in loco radicali ♄, die autem 16. Novembris quo ☉ erat præciſe in loco radicali ♂ & ♂ viciſſim applicabat loco radicali ☉, ♃ verò ☍ radicali ♂, atque ♄ erat in Horoſcopo radicis. Igitur ab influxu ſimili natalitio, ſive reditu pravæ combinationis earumdem cauſarum periit, alioquin corpore ſanus.

Sextò: hoſce effectus qui Aſtris imputantur accidere ab aliis cauſis circumſtantibus vel adventitiis, & non ab Aſtris. Verbi gratiâ in exemplo ſuprapoſito necem Regis Sueciæ cauſatam fuiſſe à prœlio ut cauſa univerſali, & à milite necante ut cauſa particulari: quibus ſublatis Rex ipſe non occiſus fuiſſet, qualiſcunque fingatur Aſtrorum influxus.

Sed reſpondeo, tales effectus accidere quidem à talibus cauſis circumſtantibus vel adventitiis ut ſecundariis: à Cœlo autem ut cauſa in Phyſicis primaria movente ſecundarias: nec à Cœlo quovis modo ſe habente, ſed modo tantùm qui effectui congruat ut ſupra patuit. Quod ut planiùs intelligatur, ſupponendum ex communi Doctrina Chriſtiana, & ſapientioribus Philoſophis quæcunque hoc in Mundo accidunt infinita Dei concludi providentiâ, quam nec minima res effugere poteſt, quamque ſecundarum cauſarum ſeries continua effectuum productione explicat. Illa autem ſeries non eſt quid confuſum, ſed maximè ordinatum, quippè à Deo: in qua idcirco dantur cauſæ ſuperiores ſive primariæ, nempè Cœleſtes, & inferiores ſive ſecundariæ, nempè ſublunares, quæ ſuperioribus ſubjiciuntur, ab illiſque reguntur. Porrò hæ illis nexu quodam ineffabili adeóque mirabili nectuntur (quem catenam auream Plato appellavit) ut ſi cauſæ Cœleſtes in quempiam futurum effectum vi ſua conſpirarint; etiam eadem vi in ſublunaribus excitent, moveant & convocent cauſas cunctas particulares, quæ ad talem producendum effectum requiruntur. Mihi autem ratio hæc eſſe videtur, quod nempè Cœlum peculiariter influat in ſingula quæ influxus ſunt ſuſceptiva pro diverſo applicationis modo; ſiquidem Cœli & Aſtrorum ſitus atque ſtatus continuò variatur. Quæ igitur peculiaribus influxibus conſpirant in eundem effectum, ea ipſius effectus tempore Cœlo agente concurrunt, ſicque Cœleſtes cauſæ non ſolæ, ſed cum ſublunaribus ſibi ſubditis ſuos his in inferioribus abſolvunt effectus, duelloque necandus ſuo non carebit percuſſore, ſi uterque propriis paſſionibus vel Cœli ſtimulo paruerit: eſt autem uterque liber & poteſt non obſequi, ſed utrique vincenda eſt naturalis propenſio, quod plerumque eſt difficillimum. Videatur inferius caput 24. Itaque Rex Sueciæ morti violentæ à geneſi obnoxius, atque publicæ ac illuſtri, & cujus ipſemet cauſa eſſet ob Solem Dominum octavæ in prima cum corde ♏, dum 16. Novembris die ſupradicta Aſtrorum maligno influxu ageretur, præſente Imperatoris exercitu: ipſe præliari voluit diſſuadentibus ſui exercitus principibus: arma induere noluit, illis ſuadentibus, ſicque prælii impatiens, & hoc etiam jejunè aggreſſus, fuit occiſus ab armato equite, qui illum intuitus è phalange prorupit, & in ipſum mortiferam catapultam exploſit. Sicque Cœlo congruæ adfuere cauſæ ſublunares ad illum effectum, cum circumſtantiis neceſſariis.

In nefando parricidio Chriſtianiſſimi Regis Henrici Magni, quem tamdiu tota Gallia jure deflevit præter nequiſſimum parricidam octo concurrerunt circumſtantiæ, quarum ſi unica defuiſſet non occiſus fuiſſet: at nulla defuit ipſa die, quæ illi prædicta fuerat lethalis. Inſuper autem ipſa necis horâ ♀ domina Horoſcopi & octavæ geneſis, atque ☉ Dominus 10. & 7, erant in octava tam radicis quàm revolutionis, conjuncti ferè partiliter in pleiadibus, & oppoſito radicali ♀, ubi lædebantur □

par-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

partili ♄; Lunæ autem quæ in cuſpide ſeptimæ, læſa □ ♂ mortem violentam portenderat, ut jamdiu Junctinus prædixerat, percurrebat Antiſcium ♀ radicalem, in cujus etiam loco radicali, Mars partiliter reperiebatur in Revolutione annua. Atque hic ipſa hora necis erat in cuſpide quinta radicis applicans loco ♄, cui & quinto cuſpidi (notandum obitur) Venus exaltatione præerat. Quæ dum & ſimilia in genituris animadverto, me ipſum continere nequeo, quin in naturalibus inſtar D. Pauli, in ſupernaturalibus exclamem. *O altitudo ſcientiæ & ſapientiæ DEI* in operibus ſuæ providentiæ, quam nulla unquam confuſio, ſed mirabilis ordo in cauſis ſecundis expanſus perpetuò comitatur, utcumque hic hominibus maxima ex parte ſit ignotus. Unde factum eſt, ut qui DEI providentiam circa ſublunaria, & præſertim res humanas denegarunt, ii fortunam atque caſum admiſerint, iiſdemque effectus omnes adſcripſerint, quorum cauſæ viâ ſibi ignotâ concurrerent.

Sed hoc etiam non videtur omittendum; quod nempè Diabolus Aſtrologiæ peritiſſimus, & humani generis hoſtis accerrimus; videns in Aſtris & hominum genituris illorum pravos influxus, & horum propenſiones ad damna, pericula, peccata, atque mortem, prævidenſque tempora effectuum: ipſe ſagacitate nequiſſima oblatam illis temporibus naturæ occaſionem non ſpernit nec prætermittit: ſed ſemper vigilans in hominum perniciem, ſciensque vim naturalis impulſus; natum cæteraſque omnes cauſas quæ in ei noxium effectum concurrere ſunt aptæ, ipſe tunc DEO interdum permittente, excitat, movet atque convocat; ita ut miſero homini ſeſe à pravo Aſtrorum influxu, Diaboli artibus, Mundi tentatione, & pravis propenſionibus eripere ſit non modò difficillimum, ſed dicam etiam impoſſibile ſine peculiari auxilio DEI, præſertim ſi dies illos homo non prævideritNOTE, nec ſe adverſus illos præparaverit; ut cuivis Aſtrologo in ſe & aliis obſervare licebit. DEUS igitur & Diabolus agunt per influentias, ſed diverſo modo, diverſoque fine, nimirum DEUS ut prima cauſa & providentiſſima in bonum finem: Diabolus verò ut Magus nequiſſimus applicans activa paſſivis in peſſimum finem, ſed de his forſan aliàs commodius.

Septimò, ſi duplex admittatur temperamentum, aliud Elementale è ſemine, aliud Cœleſte ab Aſtrorum influxu: ſequetur eundem hominem ſimul eſſe poſſe meticuloſum & audacem, imbecillum & firmum, mitem & aſperum, ſolertem & bardum: ſi nempè temperamenta ipſa fuerint inter ſe contraria; quod frequentiſſimè accidere neceſſe eſt cum in omni conceptione non ſemper adſit Cœli influxus ſimilis temperamento ſeminis.

At reſpondeo primò, illa non ſecutura ex Bellantio, qui non dixit eundem hominem fore ſimul audacem & meticuloſum, ſed duntaxat alterum: idque non determinavit ex temperamento primarum qualitatum, ſed ex influxu Planetarum ut patet in ejus textu ſupracitato. Reſpondeo ſecundo cum Chymicis (qui actionum fontes in mixtis penitiùs introſpexerunt) calori, frigori, &c. Elementalibus, nihil aliud effectivè competere, quàm calefacere, frigefacere, &c. rarefacere, denſare, &c. ſicuti ſectione præcedente probavimus, Luci (longè nobiliori quàm ſit calor qualitati) nihil aliud quàm ſimplicem illuminationem per ſe convenire: at mores horumque diverſitatem cauſare in animalibus omnino eſt extra ſphæram activitatis primarum qualitatum: ideoque poſitis temperamento Cœleſti & Elementali contrariis, hoc quidem quoad primas qualitates, harumque effectus ſuprapoſitos, reſiſtet Cœleſti quantùm poterit. Unde glacies à Sole difficiliùs calefiet quàm Aqua non gelida. Atque hoc ad ſummum intelligendum eſt, dum in Aſtrorum effectibus individualibus jubent Aſtrologi attendere materiam, regionem, &c. Dixi autem quantum poterit: quia etſi Elementale temperamentum ſeminis ſit alterabile, ac præſertim à Cœlo cujus vis maxima eſt de communi conſenſu, in alterandis hiſce inferioribus; tamen ſi Cœlo valde contrarietur, non omninò immutabitur; fietque bilioſus, meticuloſus, aut pituitoſus, audax, ut ſupra dixit Bellantius; quippè quòd metus, audacia, vel alii mores animantis individui, ſint per ſe ab influxu Cœleſti, & non à primis qualitatibus Elementorum: ideòque hæ in morum judicio, ſaltem per ſe non ſint admittendæ.

At contra hanc opinionem noſtram ſic acriter inſurget aliquis. Ariſtoteles in Pyſiognomia paſſim, & Galenus ſupra, ex hominis temperamento & humoribus, rectè judicarunt de propenſionibus naturalibus illiuſque judicii doctrinam haud ſpernendam poſteritati tradiderunt: eſt enim Phyſiognomia ars vera aut ſaltem raro fallens, ergo mores ſunt à temperamento & humoribus: alioquin doctrina & judicia eſſent omninò falſa.

Sed Reſpondeo, Ariſtotelem in Phy ſiognomia, potiſſimùm judicaſſe ex totius corporis & ſingularum partium colore & conformatione inſpectis: non autem ex tactilibus qualitatibus: at tota conformatio eſt à ſpiritu ſeminis, affecto influentiis ut ſuperiùs dictum eſt; color autem pertinet ad principia Chymica, non autem ad Elementa. Unde nil mirum ſi hæc paſſionum vel morum ſigna in homine exhibeant non fallacia: imò dignitatum, proſperitatis, miſeriæ, mortis violentæ, & cæterorum quæ in ipſo etiam hominis vultu elucent: Aſtra enim ſuo influxu conformationi maximè præſunt ex ſupradictis. At ſi Galenus hominem in tenebris vel ſtragulâ opertum non cernens, ſoloque tactu ejus calorem, frigus, duritiem, mollitiem, &c. explorans de ejus mortibus particularibus pronunciare voluiſſet, ridiculus ſæpiſſimè factus fuiſſet: cum permulti ſint illis in qualitatibus æquè temperati qui conformatione vel figurâ, ideóque moribus maximè differunt: ſitque hominem calefaciendo aut refrigerando perfacile, talem Judicis artem fallere.

Dicet alius, vinum ex Platone & Galeno, veluti quemdam Tyrannum animæ facultatibus imperare, concupiſcibili, iraſcibili, & rationali, ac furorem alioſque pravos mores conferre; unde pueris, militibus & principibus, vel rempublicam adminiſtrantibus Plato ipſe Vino interdixit. At ſuo tantùm calore vinum ſupradicta efficit. Igitur mores ſunt à primis qualitatibus.

Sed Reſpondeo, primò hæc imputari non poſſe calori Elementari, tum quia calor ille vini non eſt Elementalis ſive actualis; ſed virtualis de quo ſect. 1. cap. 21. Tum quia homo etſi ab igne vel alio liquore, æquè ac à vino, vel etiam magis calefiat: non tamen quales à vino effectus patietur.

Reſpondeo ſecundò, vini ſpiritum eſſe ſuper-Elementalem ex Chymicis, nec non hominis ſpiritui ſive naturæ amiciſſimum, ut ſcitur. Itaque naturæ familiaritate & propria vi, hominis naturam ſtimulat ad quod eſt prona. Porrò non omnes homines in furorem agit, vel ad Venerem irritat, vel ad ſaltationes, cantus, riſus & facetias commovet, ut experientiâ patet; ſed eos duntaxat quibus tales propenſiones inſunt à natura, quas vinum ipſum prodit, unde vulgò dici ſolet, *in vino veritas:* non igitur inclinationes ipſæ ſunt à vino, ſed tantùm appetitus actiones, inclinationibus conſentaneæ. Et hoc valdè notandum.

Octavò: Tandem objicit de Angelis; quod mores à corporis temperamento diſcrepantes inter ſe, ut quod idem homo ſit interdum cholericus, aliâs melancholicus; referendi ſint vel ad cauſas adventitias, ut dictum eſt ſupra, vel maximè ad particularia temperamenta principum corporis partium, jecoris, cordis, & cerebri, quæ inter ſe & à totius temparamento differunt, ideoque mores efficere poſſunt à totius temperamento diſcrepantes, ut proinde non ſit opus recurrere ad temperamentum Cœleſte vel Aſtrales influxus.

Sed reſpondeo: hoc quidem effugium videri oportunum Alexandro de Angelis, qui tergiverſandi vias potiùs quam veritatem hic affectare videtur: at quàm ſit inutile hinc patet. Quia qualecunque ſupponatur Elementale cordis temperamentum, tale elucebit in toto corpore per propria ſigna à Galeno expoſita. Spiritus enim vitalis contentus arteriis, per totum corpus temperamentum cordis communicat. Idemque dicendum de jecore, per ſanguinem & venas; nec non de cerebro, per ſpiritum animalem & nervos. Unde ſequitur quod dato, non autem conceſſo, animi mores ſint per ſe à temperamento primarum qualitatum, quicunque mores tribuentur temperiei cordis, non diſcrepabunt à totius temperamento, quod reſultat ex ipſarum partium temperamentis, ſed erunt ipſi conformes: alioquin temperamentum cordis non eſſet de totius temperamento. Et hoc ſine illo totale eſſe poſſet, quod quàm ſit abſurdum per ſe patet. Vel pari ratione quia totius corporis temperamentum reſultat ex quatuor primis qualitatibus quæ ſunt inter ſe contrariæ; ſuperior morum diſcrepantia eſſet illarum ſingulis adſcribenda; dicendumque hic quidem, homo à totius corporis temperamento eſt audax, ſed à frigore timidus: quod quàm foret abſurdum nemo non videt, cùm frigus ipſum ſit pars totius temperamenti, à quo eſt audacia, & ejuſdem generis vel ordinis cum toto, in quo frigus à contraria qualitate ſuperatum eſt. Quod ſi quis dixerit nullos eſſe mores à totali temperamento ab de Angelis intellecto; ſed ſingulos eſſe à temperamentis partialibus cordis, jecoris, cerebri, &c. Vel à ſingulis qualitatibus, calore, frigore, &c: ſeorſim ſpectatis; ergo aut nullum erit temperamentum totale ex partialibus reſultans, contra communem ſententiam; aut huic multò magis competet cauſare mores, quàm cuilibet partiali, nam totum habet quidquid eſt in partibus. Igitur mores ſinguli non partium temperamentis, ſed totali temperamento ab de Angelis intellecto eſſent tribuendi.

Prætereà dum hic agitur de moribus, non eſt quæſtio de particularibus actionibus quæ voluntati ſubjacent, & à cauſis extrinſecis in fieri dependent: unde vel ſupprimi, vel cohiberi, vel moderari queunt, ſed quæſtio eſt de ipſo morum naturali habitu, ſive moribus unicuique inſitis à natura, ut explicat Galenus in arte Med. cap. 35. qui habitus ſive inſita propenſio non ſubjicitur voluntati, nec cauſis extrinſecis quo ad ſe; ſed tota durante vitâ idem permanet. Unde D. Paulus Epiſtola ad Romanos cap. 7. *Sentio legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, &c.* D. Angelis verò in eo ſæpè fallit quod ex particularibus actionibus argumentetur: quas Aſtrologus non ſpectat niſi forſan obſcura admodum conjectura: libenterque fatetur cum Ptolomæo in Centiloquio. *Solos numine afflatos, & dæmonas prædicere particularia;* qui ſeriem cauſarum ſecundarum, & connexionem univerſalium ſive ſuperiorum, cum particularibus inferioribus, clarius intuentur, quam ſimplices Aſtrologi, unde adhuc multò altiùs extollenda eſt Aſtrologiæ excellentia; ad cujus apicem humanus intellectus mole corporea obvolutus pertingere nequit, etſi pertingat Angelus. Ex ſupradictis igitur ſat evidens eſſe reor, rationes de Angelis contra Cœleſte temperamentum eſſe vanas, illudque omninò eſſe admittendum.

Cæterùm ſubtilis quiſpiam ſolutionem noſtram ſic in nos retorquere poterit, temperamentum Cœleſte eſt pars totius temperamenti hominis, quod à nobis cap. 11. definitum eſt. Ergo à ſimili, ut mores à temperamento cordis, jecoris, & cerebri, vel à frigore, calore, &c. non diſcrepant à temperamento totius juxta noſtram ſolutionem; ſic mores à temperamento Cœleſti non diſcrepabunt à temperamento totali. Ideóque falſa erit Bellantii & Aſtrologorum ſententia prorſus contraria

Sed reſpondeo: Nos in fine cap. 11. huic objectioni ut par eſt occurriſſe. Nam temperamentum cordis, jecoris, & cerebri, item calor frigus, &c: ſunt qualitates duntaxat Elementales ejuſdem generis cum totius temperamento ab de Angelis intellecto, cujus ſunt partes, proindeque cùm totæ totis commiſceantur, fiatque ex earum miſcella ipſum temperamentum, neutra quidquam efficiet diverſum ab ipſo temperamento. At influentiæ manet impermixta in totali temperamento à nobis definito, quod complectitur Elementale, principale, & influentiale ut dictum eſt in fine illius capitis 11. Cùm igitur ſeorſim ſubſiſtant in homine, etiam ſeorſim agent juxta naturam propriam: ut enim res ſe habet ad eſſe, ſic ad agere, ideóque temperamentum influentiale cauſabit mores differentes ab Elementali, quod ab de Angelis perperam putatur eſſe totale hominis temperamentum, vel cauſabit mores conformes temperamento totali à nobis definito; quatenus, ſcilicet, complectitur ipſum temperamentum influentiale ab Alexandro de Angelis impugnatum.

Rurſus objici poterit, in mineralibus & plantis nullum dari influentiale temperamentum; alioquin paterentur & agerent mixta ipſa influentialiter ratione poſitus Aſtrorum in Cœlo & reſpectu Terræ. At non ſolum id repugnat experientiæ: ſed nos ipſi quoque diximus, ſola animalia eſſe idonea ſubjecta influentiarum. Ergo in mineralibus & plantis nullum datur influentiale temperamentum: ergo nec in animalibus quæ quidem (præſertim homo) minùs ſubjiciuntur viribus Aſtrorum quàm metalla

metalla & plantæ, quamvis influentiæ omnia corpora ſolida, ipſumque Terræ globum penetrent; ideoque ſingula metalla ſingulaſque plantas attingant immediatè in ſua generatione.

Reſpondeo in mineralibus & plantis etiam dari influentiale temperamentum juxta quod ſpiritus ſeminis mirabilem quoque plantarum conformationem efficit, & non penes ſolas qualitates Elementales; indeque monſtra etiam quandoque in plantis accidere. Et ſemina in Terram velut matricem propriam congruo tempore & Planetarum ſtatu projecta, aut ſurculos inſertos, majorem ſortiri fœcunditatem vel peculiarem aliquam contrahere qualitatem; ut agricolis & olitoribus notum eſt: ſimiliterque plantas ad morborum curationes ſub Aſtrorum peculiari poſitu efficaciùs colligi fatetur Marſilius Ficinus lib. de vita Cœlitus comparanda, cum ſapientioribus Medicis: neque in ſupradictis principaliter attenditur Aeris ſtatus præſens, ſed Planetarum, ac præſertim Solis & Lunæ; quorum effectus ſunt in plantis & brutis notiores quàm aliorum Planetarum: nec propterea ſequitur plantas agere & pati debere ab influentia recepta, ut bruta vel homines, nam quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur & operatur, ideoque idem influxus aliud efficiet in metallo, aliud in planta, aliud in bruto, & aliud in homine.

Caput XIII.

Dari ex Galeno duplex temperamentum, quippè nativum & aſcititium.

POſtquam ſuperius oſtenſum eſt, quod ſit totale hominis temperamentum, & ex quibus conſtet, contra Galeni & de Angelis mentem, qui opinati ſunt illud temperamentum nihil aliud eſſe quam rationem mixtionis 4. primarum qualitatum: jam à nobis admittenda eſt Galenica temperamenti diviſio: quod nempe aliud ſit nativum, & aliud acquiſititium. Utrumque enim recenſet lib. 3. de cauſis pulſuum; dum ait, *aſcititia temperamenta mutare pulſus ut naturalia.* Tum lib 2. de Temper. dum ait, *Senes naturali particularum temperamento eſſe ſiccos, licet copiâ excrementorum humidi eſſe dicantur.* Imò Alexander de Angelis eandem confirmat diviſionem; dum lib. 3. cap. 13. probare contendit nativum pueri temperamentum, etiam quod è Stellis hauſit mutari à nutrice, victu, exercitio, loco, &c: hoc enim poſito, ergo datur id quod mutatur, quippè nativum temperamentum, nec non illud in quod mutatur, nempè temperamentum aſcititium ſive accidentale. Nativum autem illud eſt cum quo naſcitur infans: quodque cauſa eſt ſive radix propenſionum naturalium & actionum omnium vitalium, proindeque aſcititium illud erit, quod nativo ſupervenit. Eſtque duntaxat preregrina & accidentalis alteratio, cum aut ſine materia in natum introducta à cibis, Aere, exercitiis, &c: impediens, obruens, depravans, & quandoque deſtruens nativum temperamentum, quod eſt baſis & cauſa vitæ atque ſanitatis, ut aſcititium baſis atque cauſa morborum atque mortis: unde Galenus lib. 3. de inæq. temp. ait. *Alteratur autem, corrumpiturque natura cujuſque, dum vel calefit vel frigeſit, vel humectatur, vel exſiccatur:* ubi & paſſim per naturam intelligit nativum temperamentum. Ideoque tota Medicina occupatur in hoc ſimilibus conſervando, illo autem contrariis expellendo, idque præcepto Galeni multis in locis, ſed præſertim lib. 8. de Meth. Med. dum. ait. *Siquidem quod ſecundum naturam eſt ſimilia poſtulat: quod autem præter naturam, contraria, quum nimirum, quod ſe naturaliter habet, cuſtodire, quod præter naturam eſt, tollere expediat:* id verò intellige de iis, quæ cum inſint à natura, hoc inſuper habent quod moderata ſint & vitæ amica: ut jam cap. 2. diximus. Nos igitur utrunque etiam admittimus temperamentum; ac totale à nobis ſupra definitum; radicale nativum, ſeu primigenium eſt; quod verò deinceps adverit à victu, aere, exercitiis, paſſionibus animi, &c. aſcititium vel accidentale vocabitur.

Caput XIV.

Non ſolùm ſingulas animalium ſpecies, ſed etiam ejuſdem ſpeciei individua, nativo differre temperamento, & quænam ſint cauſæ hujus differentiæ.

QUælibet animalis ſpecies proprium ſibi vendicat nativum temperamentum; quod aliud eſt in homine, aliud in cane, aliud in equo, &c. cujus ratio jam ſuperiùs ex Severino Dano allata eſt: quod nempè corporum principia & Elementa debeant eſſe unicuique ſemini conſentanea. Habet autem nativum temperamentum in ſingulis ſpeciebus aliquam latitudinem: non enim omnes equi ſunt æquales aut ſimilis inter ſe temperamenti, ſicut nec eorumdem morum: idemque dicendum de canibus: nec non de hominibus, quorum alii ex Galeno ſunt ſanguinei, alii bilioſi, alii pituitoſi, & alii melancholici; idque rurſus diverſimodè. Jam verò hæc nativorum temperamentorum diverſitas in ſingulis hominibus peti nequit à ſpecie ſeu forma humana; ſecundum quam homines ſunt æquales, quæque non eſt opifex ſui temperamenti, quod illam in fœtu antecedit. Neceſſe eſt igitur ut talis diverſitas prodeat ex cauſis corporeis tantum Cœleſtibus, vel tantum ſublunaribus, vel ex utriſqne ſimul. A cauſis eſſe tantum Cœleſtibus dici nequit: ſed concurrunt etiam ſublunares attendendæ, ut rectè monet Ptolomæus lib. 1. Quatrip. cap. 8. Quippè diverſitas ſeminis & regionum. Nam Cœlum equidem agit quantum poteſt, ſed juxta naturam accidentalem vel diſpoſitionem particularis ſubjecti, à quo vis illius univerſalis determinatur, tum loci in quo fit generatio: ideoque dato eodem Cœli influxu, & diverſis numero ſeminibus, diſpotione differentibus, non idem omninò continget effectus. At quod non prodeat à cauſis tantùm ſublunaribus, ut vult de Angelis cum cæteris Aſtrologiæ oſoribus, ſic oſtenditur. Nam in ſublunaribus duæ tantum cauſæ principaliter ſpectandæ ſunt pro nativo temperamento, nempè ſemen & generationis locus qui Aerem ambientem comprehendit. Et de ſemine dici poteſt, quod deciſum à calidis & ſiccis parentibus, calidiorem ſicciorémque prolem generabit, à frigidis & humidis contrariam, ac de Terræ loco, quod geniti in locis ſiccis ad Auſtrum converſis futuri ſint calidiores & ſicciores, in locis verò aquaticis Boream ſpectanti-

ctantibus contrarii. At rarum non eſt è parentibus frigidis, in locis frigidis, imò Hyeme naſci infantem calidum, & contra. Utque paucis concludam, parentibus & loco, & anni quoque parte temperatura conſentientibus, non ſemper naſci infantes illius temperaturæ, experientia ubique probat; præſertim magnis in civitatibus, ut Pariſiis, ubi generationes ſunt numeroſiſſimæ. Oportet ergo ut ſeminis atque loci temperies vincatur à potentiore cauſa; quæ alia eſſe nequit, quam Cœleſtis influxus concurrens: qui ſi concordet cum ſemine & loco in temperatura, hæc in nato maximè elucebit: ſi diſcordet, fortior vincet. Semper autem fortior eſt cauſa Cœleſtis. Non enim ſublunaria agunt in Cœleſtia; ſed patiuntur: neque hæc illis ſubjiciuntur, vel ab eis reguntur, ſed contra. Unde Ariſtoteles lib. 1. Meteor. cap. 2. omninò ad noſtram mentem ſic fatur. *Eſt autem ex neceſſitate continuus quodammodo iſte Mundus inferior ſupernis lationibus, ut omnis ipſius virtus inde gubernetur*: & lib. 1. de gener. animal. cap. 2. *in univerſo quoque* (inquit) *naturam Terræ quaſi fæminam matremque ſtatuunt*; *Cælum autem & Solem ac reliqua generis ejuſdem, nomine genitoris, patriſque appellant*. Imò Galenus ipſe lib. 2. de diebus decretoriis agens de animalium generatione atque ortu, fatetur verbis expreſſis naturam hanc inferiorem ab ætherea & Cœleſti magnopere ſuperari: præter quas Authoritates ſi deſideretur experientia, attendatur quanta ſit virtus caloris Solis, in tantopere calefaciendo Terram admodum diſtantem, & quanta virtus Lunæ in commovendo Oceano: ſimileque de cæteris Planetis fiat Judicium, etſi eorum effectus non adeò ſint ſenſibus Solis conſpicui. Quamobrem mirum non eſt, quòd ex iiſdem parentibus, in eodem loco, eandem perpetuò vivendi rationem ſervantibus, naſcantur interdum 15. aut 20. liberi; quorum nullus alteri, nec temperamento, nec formâ, nec moribus ſimilis extat, ut obſervavi in parentibus nobilitate atque virtute notiſſimis. Quamvis autem cauſæ Cœleſtes ſuperent ſublunares, ſciendum tamen eſt, qualitates Aſtrorum Elementales remitti à contrariis ſublunaribus, ut jam ſuperiùs inſinuatum eſt; at influentiæ ipſæ à nullis remittuntur, quòd contrariis careant; ideoque nullo obſtante ſuos in ſemine vel hominis generatione complent effectus, ut infra patebit evidentiùs; & hoc ſedulò notandum eſt.

Ex his igitur evidens eſt, temperamentum innatum non eſſe duntaxat à cauſis ſublunaribus, ut putavit de Angelis; ſed præcipuè à Cœleſtibus, præſertim verò influentiis.

CAPUT XV.

An nativum temperamentum perduret in homine, toto vitæ decurſu; vel mutetur in aliud.

ALexander de Angelis lib. 3. à cap. 13. Vult temperamentum quod puer è Stellis hauſit, ſubinde mutari in aliud ſpecie à cauſis ſublunaribus, ut, obſtetrice, nutrice, cibis, aëre, exercitiis, &c: ſique per temperamentum è Stellis hauſtum intelligat primas duntaxat qualitates à Cœlo productas in fœtu, ſanè ab iiſdem cauſis ſubinde etiam mutabitur temperamentum Galenicum, undecunque conſurgat; vel ex ſemine, vel ex aëre, vel ex Cœlo: quandoquidem utrunque nihil aliud eſt, quàm earumdem qualitatum Elementalium eadem miſcella, ut ipſe vult de Angelis: ſi verò intelligat influentias (quas tamen dari negat) quamvis in eo erret quòd velit eas mutari à diverſi & inferioris generis qualitatibus, ſcilicet, ab Elementalibus ciborum, aëris, &c: quæ nihil poſſint in radicalem impreſſionem influentiarum: tamen ſemper ex de Angelis doctrina ſequetur, in nullo homine nativum perdurare temperamentum, niſi forſan ab ipſa nativitate, totoque vitæ decurſu, nutrix, cibi, aer, exercitia, &c: illi miniſtrentur nativo temperamento apprimè congrua; quòd etiam in filiis Regum ſuſcipere, fatuum eſſet, ipſiſque ſervitus miſerrima; præſertim quòd ex de Angelis nativum temperamentum cognoſci nequeat; quomodo igitur congruis vel ſimilibus conſervaretur?.

Jam verò quod ipſum temperamentum nativum: ſive natura (ut Hippocrates & Galenus appellant) tota durante vita in homine perſeveret, evidentiſſimè conſtat ex omnibus Medicis; qui poſt Hippocratem initio Sect. 5. Lib. 6. Epid. fatentur; Naturam eſſe morborum Medicatricem: & pugnare cum ſupervenientibus morbis, etiam in extrema ſenecta; in quos quàm ſtrenuè & ſapienter inſurgat in criſibus, admiratione dignum eſt: & quibus dum ipſa ſuccumbit, moriendum: at dum vincit & morbum abigit, ipſa rurſus in ſuo naturali ſtatu refulget. Unde vulgo dici ſolet ſanitatis reſtitutionem, nihil aliud eſſe quàm reditum ægri ad nativum temperamentum. Quamobrem aſſero in quavis cachexia, imò & lepra antiquata, homini ſupereſſe nativum temperamentum, utcunque obrutum & depravatum: quod indubiè rurſus appareret, ſi naturæ congrua his morbis expellendis remedia miniſtrarentur, ut Paracelſum pluries feciſſe fama eſt. Sed tantæ virtutis remedia, etſi in Mundo ſint (cui nihil deeſt ad hominis ſanitatem) tamen in peccati pœnam, & ob Medicorum ignaviam, ipſa, vel eorum præparatio, ignota ſunt. Nec dicendum, remedia novum datura temperamentum loco naturalis jam diu deperditi vel aboliti: tum quia remedia nihil poſſunt in ægris ſine natura, quæ ab illis excitata eadem & ſeipſam reducit in actum, de conſenſu Medicorum: tum quia decem leproſis vel hydropicis eodem remedio ſanatis, non erit omnium idem temperamentum, ſed ſuum cuique, & quale à naturâ convenit; ut patet etiam in quibuſcunque aliis ægrotis eodem remedio ſanatis. Tum demum quia nativum temperamentum, hoc eſt natura, ex Galeno, cum vita duntaxat extinguitur. Unde & hoc etiam rectè deducitur: ex nativo temperamento, & à cauſis extrinſecis aſcititio, nunquam fieri quid unum per ſe homogeneum, ſed ſolummodo unum per accidens heterogeneum; quód ab excitata & ſuperante natura dividitur, expulſo aſcititio. Unde fit etiam ut ſeorſim agant, diverſaque ſimul tempore operentur in eodem homine: quod febres ipſæ teſtantur; tum enim calor febrilis humores corrumpere nititur, calor nativus eorum coctioni incumbit, & in febrilem calorem pugnat; pugna verò non eſt ejuſdem in ſeipſum, ſed in aliud à ſe.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Sciendum nihilominus eſt quod radicale ſeu primigenium temperamentum propriis ſubjicitur alterationibus & mutationibus per ætates : non enim tale eſt in ſenectute, quale eſt in pueritia; quamvis ſit ſemper idem ſpecie; quod de ipſo quoque homine dici poteſt : & propterea in ſtatu innocentiæ aderat vitæ arbor, ut illud repararetur. Attamen ejus mutationes ab ætate, ea ratione ſibi ſuccedunt, ut cognito naſcentis infantis temperamento, dici poſſit quale futurum ſit ejus naturale temperamentum in juventute, virilitate & ſenectute, ſive qualem ab illis ætatibus paſſurum ſit alterationem. Humidi enim à nativitate, erunt humidiores in pueritia, calidi, calidiores in juventute, ſicci, ſicciores in virilitate ; & frigidi, frigidiores in ſenectute : idemque à ſimili dicendum de reliquis duobus temperamentis partialibus, ſcilicet à principiis & influentiis. Sed quia alterationes hæ nativo temperamento ſunt ſemper conformes & congruæ; idcirco ab his dici nequit mutatum eſſe nativum temperamentum : quod quidem non mutatur in aliud, quin deſtruatur, & mors accidat.

Caput XVI.

Complectens varias cauſas à quibus de Angelis cenſet nativum mutari temperamentum, cum noſtra refutatione ſingularum.

IN his cauſis exponendis Alexander de Angelis non rationibus militat; quas enim haberet adverſus veritatem? Sed Simiam imitatur, quæ pede cati caſtaneas è prunis educit : quippe varios Authores nobis obtrudit, horumque ſententias. Toto enim ſuo libro hoc unicum ferè militiæ genus uſurpat; nonnullis munitum cavillationibus, dicteriis & exclamationibus, aliunde inermis ac impotens. Porrò circa Authoritatum farraginem quibus de Angelis Aſtrologum nititur obruere, hoc ſemel dictum velim; illum duntaxat vel Aſtrologiæ imperitos citare, vel afferre loca à propoſito aliena; vel ea perperam explicare, aut male admodum applicare : ubique verò ſuam in Aſtrologia inſcitiam Magiſtris hujuſce artis detegere. Nos autem cum hoc monito, Lectorem ad librum Alexandri de Angelis remittimus, quod ſingulis ejus Authoritatibus reſpondere nimis ſit longum, inutile, atque Alexandro contumelioſum. Ipſa natura, experientia, & ratio, erunt Authoritas, clypeus & tela noſtra. Sed veniamus ad rem.

De Obſtetrice.

OBſtetricis ſedulitate mutari temperamentum quod puer è ſtellis hauſit, probare vult de Angelis cap. 14. authoritate Ariſtotelis, qui lib. 7. de Hiſtor. animal. cap. 10. hæc habet : *Jam verò obſtetricis officium pars ingenii perſpicaciſque intelligentiæ eſt : non ſolùm enim difficultati partus opportunè expeditéque ſuccurendum eſt : ſed etiam contra ea quæ accidunt, protinus agendum ingenioſè ; & in ſecando deligandoq; umbilico infanti, prudentia requiritur & peritia.* Num quæſo hac Authoritate noſter de Angelis bellè ſuum probavit intentum? Ecquis hic à cachinnis temperet, qui ſoli pro incongrua reſponſione debentur?

De Nutrice.

POſtquàm eodem cap. 14. multas de Angelis congeſſit Authoritates, quibus ne quidem aſſeritur nativum mutari temperamentum à nutrice; ſed ſolum inſinuatur vitio, aut prava victus ratione nutricis, aſcititium morboſumque nato conciliari temperamentum, ſic tandem ipſe ſuo more argumentatur : *Unde Aſtrologus novit quæ ex tanta lactentium multitudine aſciſcenda ſit puero nutrix? Unde inveſtigat quæ ſeſe obſtruſura ſit; quæ ab aliis ſit parentibus præ cæteris laudanda, quæ commendatione aliis anteferenda ſit? Qua fronte definiet, quo nutrix eduliorum genere uſura ſit, an indultura cibis pituitoſis, flatuoſis, terreis, aquoſis, aut coitura cum marito? Rimetur Horoſcopos quantum velit, vertat Aſtrolabia omnia : ſi hæc ignorat quæ noſſe non poteſt, fiet infans nihil illo tale cogitante calculoſus, valetudinarius, morboſus ac debilis. Et cui præſagiebat diuturnam vitam, integram valetudinem, firma latera; vel ipſo vitæ ingreſſu extinguetur, vel inter vivos hominis cadaver aget.*

Verùm neque ſuis verbis, neque ſuis Authoribus de Angelis probat intentum; ſed ſuam duntaxat rationum validarum penuriam. Dicamus autem quod ſi ulla cauſa poſſit nativum infantis mutare temperamentum, nulla videtur nutrici poteſtate conferenda : quippe quæ ab ipſo vitæ exordio natum excipit, eumque propria alit ſubſtantiâ, vitali ejus ſpiritu & temperamento imprægnata : neque id brevi tempore. Si igitur facilis ſit mutatio nativi temperamenti, tenellus infans cujuſvis impreſſionis capax ex Alexandro, nutricis temperamentum induet facillimè; ſicque facillimum erit cuivis nato quodcunque pro libitu imprimere temperamentum, ac ideò mores quoſlibet : ſed experientiâ & Judicio Medicorum qui in temperamentis dignoſcendis ſunt experti, ex 100. infantibus per 2. etiam vel 3. annos lactatis à totidem nutricibus, vix 10. reperientur ejuſdem cum ſuis nutricibus temperamenti, idque adhuc erit per accidens, ſi nempè 10. illi infantes traditi fuerint nutricibus ejuſdem ſecum temperamenti. Hoc verò adhuc evidentiùs patet ex nutricibus, quæ ſuos lactant infantes; quod nempè hi ferè omnes illis & inter ſe ſint temperamento moribuſque diſſimiles : etſi eos etiam per longum tempus, ab ipſo vitæ exordio, ſanguine proprio in utero ſuo aluerint, proprioque foverint calore nativo : quibus nihil efficaciùs excogitari poteſt. Habui duos fratres, fuimuſque ab eadem matre enutriti : major natu fuit melancholicus, terreus & literis planè ineptus; minor fuit bilioſus, podagræ, calculis renum, ſimilibuſque morbis admodum dolorificis valdè obnoxius; in me verò ſanguis & pituita luxuriant ob ☉ ☽ ♄ ♃ atque ♀ in ♓, & ♂ dominium Horoſcopi in Cancro ſignis aqueis & dignitatibus ♃ ♀ atque ☽; Mercurio degente in Aquario ſigno Aereo in ✱ partili Horoſcopi : neuterque noſtrum matri ſimilis extitit. Quod ſi nequidem nutrices etiam matres ſuum nato conferunt temperamentum; ergo radicale nati non mutant; hæc enim mutatio aliunde nequit deprehendi; quàm ſi ſuum conferant, utcunque vitio aut contrarietate lactis aſcititium temperamentum introducant. Falſumque eſt aſſerere nati temperamentum plus pendere à nutrice, quàm ab Aſtris, cùm infans & nutrix etiam mater, ſæpiſſimè toto differant temperamento, totiſque moribus.

De Victu.

CApite 15. Aſſerit de Angelis à Victu (hoc eſt cibo & potu quibus durante vitâ utimur) magis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

magis quàm ab Aſtris pendere temperamentum: hoc verò neque rationibus probat, neque iis quas illo capite congeſſit Authoritatibus, ſed duntaxat varias eſſe ciborum qualitates & cibandi rationes in ſanis atque ægris: quod libenter concedimus: imò à pravis eduliorum qualitatibus vel inordinato eorum uſu aſcititium introduci temperamentum, morboſque fieri, hocque temperamentum magis à victu quàm ab Aſtris pendere: ſed nativum (de quo præcipua quæſtio eſt) à cibis mutari ut opinatur de Angelis erroneum eſt. Quod ſi ad hoc probandum Authoritate ſit opus, non alienam à propoſito dabimus ut facit de Angelis, ſed quæ rem ipſam acu tangat. Eſt autem ipſius Galeni lib. 3. de Temper. ubi ait. *Lactucam* (quæ valdè frigida eſt) *erucam* (quæ multùm calida) *ac univerſim cibum omnem ſive frigidum, ſive calidum poteſtate, poſteaquam in ſanguinem converſus eſt, ſubſtantiam caloris naturalis augere, non autem qualitatem intendere.* Ex quibus verbis valdè notandis ſequitur, quod ut cibi calidi non intendunt qualitatem caloris nativi (de quo hic agitur) ita cibi frigidi illam non remittent, eadem enim eſt ratio contrariorum. Ac proinde quæ à cibis introducetur in corpus acrimonia caloris, ea non mutabit nativum temperamentum, ſed gignet aſcititium ſive peregrinum à nativo diverſum, cum hoc in aliqua latitudine compatibilem, & morbi ſæpiùs originem.

Sed Galeni Authoritate relicta. Veniamus ad rationem & experientiam. Igitur ſi infantis primus ac ſemper idem victus regulariter exhibitus per duos annos à nutrice, etiam matre, nativum illius non mutat temperamentum ut ſæpiùs oſtenſum eſt: quantò minùs id fiet ſubſequentibus vivendi rationibus? An qui ex Mundo, ubi carnibus, vino generoſo, aliiſque cibis delicatiſſimis copioſè aluntur, in clauſtra migrant ubi piſcibus, leguminibus, oleribus, & radicibus paſcuntur, vinum bibunt aqueum, jejunant, vigilant, corpuſque macerant; ideò nativum exuunt temperameneum? Id in nullo ordine, monaſterio vel Regula conſpicitur; neque in collegiis, ubi iidem cibi, idem potus, eademque vivendi norma præſcribitur omnibus monachis, monialibus & ſcholaſticis, quibus non parva fieret injuría ſi à cibis immineret periculum mutationis nativi temperamenti, quod vitæ baſis eſt præcipua; ſed ſinguli diverſimodè alendi eſſent pro diverſitate temperamentorum, ad ſanitatis tuitionem. Jam verò in ſingulis nativum remanet temperamentum, quo non magis inter ſe differunt collegium ingredientes, quam poſt ſeptennium illo egredientes: aut quàm ſi ſinguli diverſa ſuoque nativo temperamento congrua victus ratione uterentur. Neque ad hoc probandum requiritur Authoritas vel ratio, ipſa enim loquitur experientia. Quod nempè Medicus vel alius temperamentorum gnarus, inſpectis qua decet arte ſingulis, verbi gratiâ ejuſdem cœnobii monachis, dicet hunc eſſe bilioſum, alterum è contra pituitoſum, &c: quamvis omnes eadem vivendi ratione utantur. Prætereà ſi à cibis nativum mutaretur temperamentum, à quonam cibi mutarentur in viventis ſubſtantiam, & quando? Nam ſi mutantur à temperamento, priuſquam hoc mutatum ſit: ergo victus eſt cibus, ſuumque idcirco victorem mutare non poterit; ſi à temperamento poſtquam mutatum eſt, ergo victum eſt temperamentum, ſimilique ratione ſuum victorem mutare non poterit. Non igitur à cibis nativum mutatur temperamentum hominis. Idemque dicendum de diverſis equis eodem fœno, eadem avenâ, eademque Aqua nutritis, in quorum ſingulis proprium temperamentum, propriique mores conſpiciuntur. Atque ſic de cæteris animalibus.

De Medicamentis.

QUàm procul abſit hactenus de Angelis à ſcopo ſibi propoſito, quippè oſtendere nativum mutari temperamentum; patet ex ſuprapoſitis. Capite autem 19. Lib. 3. rurſus idem pollicetur. *Nos* (inquit) *oſtendamus medicamentorum vi, naturale temperamentum, quod è natalitiis vel genitalibus Stellis hauſimus* (*ſi tamen hauſimus*) *commutari ſolere adeò frequenter, ut Aſtrologi ne corporis quidem conſtitutionem & habitum è Stellis quantalibet artè polleant, cognoſcere poſſint.* Si igitur è contra oſtendero, ne quidem à medicamentis temperamentum natale in aliud permutari ut vult de Angelis in fine capitis, arbitror poſt nutricis, ciborum & medicamentorum examen, ſuperfluum eſſe cauſas alias diſcutere, cùm harum trium cuilibet nulla alia æqui polleat.

Itaque de Angelis ſuo more varias congerit Authoritates Medicorum, aliquot in Planetarios cavillationibus intertextas: his autem omiſſis illis duntaxat reſpondendum eſt. Quod ex arte ut fiat, non alia quàm ipſis Galeni ſupponenda videntur principia jam ſuperius expoſita: quippè duplex eſſe temperamentum, utpote nativum & aſcititium: hoc contrariis eſſe expellendum, illud verò ſimilibus conſervandum. Quo poſito, jam dicimus: Remedia vel medicamenta omnia non alio fine homini exhiberi, quàm ut ejus nativum conſervetur temperamentum, vel expellatur aſcititium, cum aut ſine materia: eóque ſolummodo tendunt omnes Authoritates à de Angelis allatæ, omneſque Medicinæ conatus: ſic vero quis mentis compos aſſeret natale mutari temperamentum, & non potiùs hoc cōſervari, & à ſuo hoſte præſervari vel liberari? His igitur verbis pauciſſimis planè ſatisfacimus cunctis Alexandri Authoritatibus, cùm præſertim harum nulla aſſerat in aliud mutari natale temperamētum.

Rationes autem ejus diluere non eſt opus, cùm nullas habeat vel objiciat, tam miſera & pauper eſt doctrina noſtræ contraria.

Veruntamen ut tota res pateat evidentiùs, ſciendum eſt, probationem apud Galenicos Medicinæ definitionem eſſe hanc: quod nempè ſit ſcientia rerum naturalium, non naturalium & contra naturam. Et res quidem naturales dicuntur eſſe ſeptem: nimirum Elementa, temperamentum, humores, ſpiritus, partes, facultates, & functiones: vocanturque naturales, quòd totius hominis naturam conſtituant. Res verò contra Naturam, ſunt 3. quippè morbus, cauſa morbi, ſymptoma, dicunturque contra Naturam, quod hominis naturam lædant, vel etiam deſtruant. Res tandem non naturales ſunt hæ: aer, cibus, potus, ſomnus, vigilia, motus, quies, excreta, retenta, & animi pathemata; quibus Ego jure addo medicamenta: appellanturque non naturales, quòd neque naturam hominis conſtituant, ut naturales, neque per ſe lædant vel deſtruant, ut quæ ſunt contra Naturam; ſed ex ſe ſunt indifferentes homini: nempè benè utenti

proſicuæ, at malè ūtenti nocuæ. Jam verò res naturales, ſui conſervationem: & contra naturam, ſui ablationem indicant, per ipſas res non naturales: ut proinde tota ſanitatis tuendæ ratio verſetur circa uſum rerum non naturalium: quibus carere & vivere impoſſibile eſt. Si igitur hæ congrua ratione adminiſtrentur, nativum temperamentum & ſanitas conſervantur illæſa: ſi incongrua, tunc aſcititium introducitur temperamentum, quod ſi intendatur, uſque ad actionum læſionem, fiunt morbi.

Porrò quod aſcititium temperamentum, ante & poſt morbi exortum in homine ſit compatibile cum nativo, imò & morbus ipſe (quod forſan protervus aliquis datâ operâ negaret) id neceſſario ex Hippocratis & Galeni placitis admittendum eſt. Si enim quidquam ſit, quod nativi temperamenti mutationem perſuadere queat, id erit febris ardens, quæ totius corporis terribile eſt incendium, feris ſymptomatibus inſigne: At hæc nihil aliud eſt quàm morbus ab intemperie vel aſcititio temperamento igneo, in cor introducto: unde febris vulgò ſolet definiri, calor præter naturam in corde accenſus. Frequenter autem curatur ipſa febris, idque à natura, quam Galenus paſſim vocat nativum temperamentum; Hippocrates verò morborum curatricem: igitur natura & morbus, hoc eſt nativum & aſcititium temperamentum ſunt ſimul in corpore pugnantes invicem, donec debilius à fortiore vincatur. Indeque patet quàm malè à quibuſdam febris dicatur eſſe calor nativus in igneum converſus: nam hac converſione poſita, nulla eſſet pugna, vel eſſet ejuſdem in ſeipſum, quod fieri nequit: nullaque febris curaretur contra experientiam: ipſa autem remedia ſive medicamenta ſunt auxiliares copiæ, quibus excitata & adjuta natura, abigit morbos, extraneumque temperamentum, quod inſtar tyranni invaſerat nativi Provinciam: nihilque ex ſe poſſunt adverſus morbos, niſi quatenus natura illis utenti, eaque in ſuum ſcopum dirigenti ſubſerviunt: non igitur à remediis nativum mutatur temperamentum.

Neque Alexandro de Angelis proderit objicere deleteria pharmaca: qualia ſunt Arſenicum, ſublimatum, cantharides, &c; hæc enim erodendo vel putrefaciendo, nativum deſtruunt temperamentum, non autem permutant in aliud: at quæſtio noſtra non eſt de deſtructione temperamenti, quæ in morte accidit, ſed de hujus mutatione, ſtante vitâ Nati.

Ex ſupradictis igitur patet quàm malè de Angelis concludat adverſus Aſtrologos in fine ſupradicti cap. 19. hiſce verbis. *Jam verò ſi Medici ex uno in aliud permutant natale, & ſi DEO placet è Stellis petitum temperamentum, omnis illa quam Genethliaci profitentur de uniuſcujuſque temperamento hauſta cognitio perit, omneſque Aſtrologiæ prædictiones labaſcunt, quarum unum eſt fundamentum. Quod animi mores ſequantur corporis temperamentum, & corporis temperatio dependeat à natalitiis Aſtris.*

De Aere, exercitiis, conſuetudine, & vitiis vel animi paſsionibus.

HÆ ſunt cauſæ reliquæ à quibus nativum mutari temperamentum vult de Angelis, & de ſingulis multas peculiaribus capitibus ſuo more producit authoritates, quibus equidem aſſeritur, res illas non naturales conducere ad conſervationem ſanitatis, hoc eſt nativi temperamenti, tum ad corpora diverſimodè alteranda aſcititiis temperamentis, prout illis homo congruè vel incongruè uſus fuerit, ſicuti jam ſuperiùs dictum eſt; idque libenter concedimus. At quod ab ipſis natale temperamentū mutetur in aliud, nullâ prædictarum authoritatum convincitur: & quamvis aliqua alia reperiretur opinioni de Angelis conſentanea, hæc nihilominus eſſet rejicienda ob rationes tum ſuperiùs tum inferiùs à Nobis expoſitas, quibus conſtat nativum non mutari temperamentum, in aliud, ſtante vitâ Nati.

Porrò ſi ex ſuprapoſitis cauſis ulla poſſit nativum mutare temperamentum, ipſa erit aer; cujus continua inſpiratione vivimus, quique ſubinde varias ſuſcipit alterationes caloris, frigoris, humiditatis & ſiccitatis, imò influxuum Cœleſtium. At nec ab ipſo aere nativum mutari temperamentum in aliud ex eo palam eſt, quia ſaltem ſingulis anni partibus mutaretur cujuſque hominis temperamētum, & ex calido fieret Hyeme frigidum, proindeque coctioni ineptum: ſed contrarium aſſerit Hippocrates & probat experientiâ: nimirum ventres (hoc eſt viſcera) eſſe Hyeme calidiores, ac plures cibos meliuſque digerere; quod nempè nativus calor ab ambientis aeris frigore intrò cohibeatur. Præterea an non omnes qui vitam ducunt juxta aquas fluviales, lacuſtres vel marinas, humido ſunt temperamento? An omnes qui in montibus habitant ſicci ſunt? An qui Maria tranſiliunt, vel etiam totius Globi Terreſtris circuitum abſolvunt, aut longas terrâ vel aquis peregrinationes inſtituunt, ad patriam reverſi, deprehenduntur priſtinum amiſiſſe temperamentum, idque quoties ad diverſa temperaturis loca peregrinantur? an quoties Hyeme frigent homines, vel Æſtate calent, aut quoties ad ignem calefiunt, vel aquæ frigidæ ſe immergunt, dicendi ſunt nativum mutaſſe temperamentum? an Hyberno gelu durante piſces ſub aquis, & ſegetes ſub nivibus nativo ſuo ſpoliantur temperamento? nugæ. Idem igitur de aere dicendum ſupereſt, quod de cæteris rebus non naturalibus: nempè quod ſimilis nativo temperamento, valeat ad ejus conſervationem; diſſimilis autem vel contrarius, valeat ad aſcititii temperamenti contrarii introductionem, ſicque nativum non mutet temperamentum in aliud.

CAPUT XVII.

Quænam adverſus doctrinam à Nobis expoſitam objici queant pro nativi temperamenti mutatione, præter ſuperiùs allata ab de Angelis.

QUoniam de Angelis, non rationibus, quibus caret, ſed duntaxat Medicorum authoritatibus ab eo non intellectis; pugnans in Aſtrologos, ſuum hactenus intentum probare non potuit; quippè nativum mutari temperamentum in aliud: Audiamus quæ à Medico vel à ſimplici Philoſopho fieri queant objectiones in doctrinam à Nobis

Nobis expoſitam. Ut verò ſolvantur evidentiùs in majorem ipſius doctrinæ confirmationem, prætermittantur ſuppoſitiones hæ à nullo Medico vel Philoſopho reſpuendæ.

Primum. Quodvis genere temperamentum partiale, dividi in varias ſpecies, nimirum Elementale, in igneum, aereum, aqueum & terreum: Humorale, in ſanguineum, pituitoſum, bilioſum & melancholicum: Principale in Mercuriale, ſulphureum, atque ſalſum. Cœleſte denique in Solare, Lunare, Saturninum, Joviale, Martiale, Venereum, & Mercuriale.

Secundum. Quamlibet ſpeciem non conſiſtere in indiviſibili; ſed aliquam habere latitudinem: intra cujus limites dum ſpecies ipſa conſiſtit, in aliam mutata dici non poteſt. Non enim omnes bilioſi tales ſunt in eodem gradu, ſed alii magis, alii minùs: & tamen omnes dicuntur atque ſunt temperamento bilioſi, & non alterius. Eademque eſt ratio de quavis alia ſpecie temperamenti, cujuſcunque ea ſit generis.

Tertium. Mutari temperamentum dupliciter intelligi poſſe. Primò, pro ſimplici alteratione ſecundum magis & minus intra limites ſpeciei. Secundò, pro mutatione in aliam ſpeciem. Et hoc pacto intelligendus eſt de Angelis dum aſſerit nativum temperamentum permutari in aliud: Non enim dici poteſt in aliud permutatum eſſe, quamdiu manet intra limites ſuæ ſpeciei. Sique intelligeretur de ſimplici alteratione intra limites ſpeciei, non Aſtrologos ſed ſeipſum confoderet. Aſtrologi enim non aliud quærunt, quàm nativi temperamenti ſpeciem ex Stellis genethliacis, ex qua prædicunt futura: aſſeruntque bilioſo futura talia, & melancholico talia in moribus & actionibus: non ſecus ac Medici eadem vel ſimilia prædicunt, ex eadem ſpecie ſuis ſenſibilibus ſignis detecta. Quas prædictiones ut deſtruat de Angelis cogitur cap. 14. Lib. 3. aſſerere mutari temperamentum quod puer è Stellis hauſit, hoc eſt non manere idem ſpecie, quod fuit à Sellis in geneſi: Alioquin ſtarent ipſæ productiones Aſtrologorum, quod non vult de Angelis.

His poſitis objicies primò. Quidquid alteratur, mutatur in aliud; at nativum temperamentum alteratur, nec idem manet ad ſenium uſque, alioquin neque ſenium ipſum, neque mors naturalis unquam accideret. Sed (ut à Nobis conceſſum eſt cap.15.) propriis per ſingulas ætates alterationibus ſubjicitur. Eſt autem pueritia humida prædominio; juventus, calida; virilitas, ſicca, & ſenectus, frigida: Ergo ſenex pluries in vita nativum mutavit temperamentum, etiam quoad ſpeciem.

Reſpondeo primò. Majorem eſſe diſtinguendam. Nam dum dicitur; quidquid alteratur, mutatur in aliud, poteſt intelligi de alio ſecundum magis & minus intra limites ſpeciei, vel de alio ſpecie: ſi ergo majoris ſenſus ſit, quod quidquid alteratur, mutetur in aliud ſpecie, neganda eſt ipſa major, nam ſimplex aut levis alteratio poteſt inferre mutationem in aliud ſecundum magis & minus intra limites ſpeciei; idque patet in Terra quæ continuò alteratur, & tamen ipſa manet eadem ſpecie, non modò ſubſtantiali, ſed etiam accidentali, hoc eſt frigida & ſicca, alioquin non eſſet Terra, cùm velint eas qualitates eſſe ejus proprium ſpecificum. Idemq; de homine dici poteſt.

Reſpondeo ſecundò. Poſſe ſimiliter concludi hominem per ſingulas anni imò diei quartas, nativum mutare temperamentum quoad ſpeciem, quòd nempè anni & diei quartæ ſupradictis humanæ vitæ quadrantibus ſive ætatibus temperamento correſpondeant. Id autem opinari eſt perabſurdum, tum ob rationes ſuperiùs expoſitas: tum quia quale eſt temperamentum, tales ſunt actiones, mores & corporis œconomia univerſa, ut infra patebit evidentiùs: ideóque hæc ſimiliter mutarentur etiam diebus ſingulis, contra experientiam. Prætereà quoniam conſiderandæ ſunt ætates, non abſtractè, ſed ut ſunt in homine: ac rurſus in ipſo non ſpectantur abſolutè, ſed comparatè ad ſe invicem; ergo dum homo à radicali temperamento calidus, dicitur à ſenectute fieri frigidus, id duntaxat intelligendum eſt comparatè non ad alium hominem, ſed ad ſeipſum, qui quia in ſenectute minùs calidus eſt, quàm in pueritia vel juventute, idcircò dicitur frigidus in ſenectute: quamvis nativum in eo ſuperſit temperamentum; equidem alteratum ſed intra limites ſpeciei: ita ut ſenex hic, non minùs inter alios ſenes deprehendatur eſſe calido temperamento, quàm juvenis erat inter alios juvenes. Itaque ad minorem objectionis, ſi per hæc verba, nec idem manet ad ſenium uſque; intelligatur idem ſpecie, etiam neganda eſt.

Objicies ſecundò. Quidquid deſtruitur vel corrumpitur, mutatur in aliud ſpecie, nam unius corruptio eſt alterius generatio; ut temperamenta partialia, Elementale, principale & Cœleſte deſtruuntur à contrariis ut à nobis aſſertum eſt c.12. Ergo eorum quodlibet in aliud ſpecie mutatur.

Reſpondeo ad minorem, nativa temperamenta partialia non deſtrui à contrariis ſtante vitâ nati; quia temperamenti deſtructio eſt ejus diſſolutio; quæ tantùm cum morte accidit: Noſtram autem quæſtionem cum de Angelis eſſe de mutatione temperamenti ſtante vitâ Nati, itaque nobis non officit argumentum.

Objicies tertiò. Omnis febricitans, præſertim febre ardente, alienus eſt à nativo temperamento; quis enim dixerit febre ardente correptum, in ſuo eſſe nativo temperamento? Ergo hoc in aliud ſpecie mutatum eſt.

Reſpondeo negandum eſſe antecedens: Nam in febre ardente correpto, ſupereſt nativum temperamentum, ſed præter hoc patitur introductum aſcititium quod eſt febris ipſa. Quamobrem rectiùs dici poteſt, quod febricitans ſit alienus à naturali ſtatu ſui nativi temperamenti; qui ſtatus febrem omnemque morbum excludit.

Sed inſtabis. Calor gradu intenſior ſuperveniens remiſſiori in eodem ſubjecto, hunc intendit: Ergo ex ambobus fit unus numero calor: Nam alioquin quod intendit & quod intenditur, remanerent numero diſtincto, ſicque daretur intenſio, ſine intenſo, quod fieri nequit. Cùm igitur calor febrilis gradu auctior ſuperveniat nativo remiſſiori in eodem ſubjecto, ergo hunc intendet, proindeque non erunt duo temperamenta, ſed unicum.

Reſpondeo. Multa hic dicenda occurrere equidem notatu digna ad utriuſq; temperamenti planiorē intelligentiam. Primùm duplex eſſe ſubjectum caloris, tum nativi, tum febrilis: nempè ut quod, & eſt homo; tum ut quo, & eſt humidum

 radi-

radicale pro calore nativo. Si igitur calor febrilis nativum intenderet, ſanè hunc in proprio ſubjecto ubi eſt, & non extra intenderet. Ideóque hoc ſubjectum, quippè humidum radicale, fieret quoque ſubjectum caloris febrilis, ſed hoſce duos calores differre proprio ſubjecto, patet in ipſis febribus tum continuis, tum intermittentibus. Nam febrilis calor expellitur à nativo reſolvente, aut aliter evacuante ipſius febrilis proprium ſubjectum ut quo; ſicque nativus calor redit ad ſuum ſtatum, donec in febribus intermittentibus nova materia cumulata, & calore febrili iterum accenſa, novum concitet paroxiſmum. Ergo calor febrilis neque ſupervenit nativo, in eodem ſubjecto ut quo, neque hunc intendit: Sicque falſum eſt objectionis antecedens. Et confirmatur, quia ſi hunc intenderet, ergo maneret intenſio facta: tum quia ambo calores per intenſionem unicus fierent; tum quia idem eſſet utriuſque ſubjectum, quod ſi reſolveretur, etiam calor nativus diſſiparetur corpuſque mortuum deſereret: ſed per paroxiſmum diſſipato calore febrili cum ſui ſubjecti evacuatione, nativus calor redit ad ſuum ſtatum: Ergo non eſt idem utriuſque ſubjectum, proindeque febrilis non intendit nativum: qui ne quidem à cibis calidis intenditur quoad gradum, ſed tantùm quoad ſubſtantiam ex jam ſupra citato Galeno lib. 3. de Temper. quæ eſt propria intenſio vel alteratio caloris ipſius nativi, à rebus non naturalibus, anni quartis, ætatibus & ſimilibus hic obiter annotanda: ſic enim Sol dicitur calidior Marte, quoad ſubſtantiam; hoc eſt caloris copiam: At Mars calidior Sole, quoad gradum, hoc eſt caloris acrimoniam.

Secundò. Hominis totale temperamentum non conſtare ex ſolis qualitatibus Elementalibus, ut ſupponit objectio: cùm etiam conſtet ex principialibus & Cœleſtibus, quæ à diverſæ ſpeciei calore febrili intendi nequeunt.

Tertiò. Etſi ex innato partiali temperamento bilioſo & febre bilioſa unicum fieret temperamentum: non idcircò nativum mutaretur in aliud ſpecie, ut vult objectio, ſed ſemper remaneret temperamentum bilioſum.

Quartò. Ut calor nativus & febrilis coeant in quid unum numero, in homine; non ſolùm debent eſſe ejuſdem ſpeciei, ſed inſuper uterque debet eſſe gradu homini naturali, ac formæ ſpecificæ in agendo ſubordinatus: at planè fit contrarium. Nam calor nativus eſt ſecundum naturam, formæ hominis ſubordinatus ad actiones naturales, vitales & animales: febrilis autem eſt contra naturam, formæ hominis non ſubordinatus in agendo, ſed per ſe Tyranni inſtar omnes prædictas actiones lædens vel deſtruens; in quem etiam pugnat calor nativus, ut illum expellat; Ergo ſunt duo; non enim eſt pugna unius in ſeipſum: ac per conſequens calor febrilis non intendit nativum: Nulla ſiquidem intenſio eſt cum actuali pugna qualitatis, quæ intendi ſupponitur. Inde igitur patet objectæ inſtantiæ falſitas.

Porrò nemini mirum videri debet in eodem corpore duo ſimul reperiri temperamenta ſubjecto diſtincta: Cùm enim corpus omne mixtum feces vel excrementa habeat, puro auro excepto; hinc fit ut ſive in ægrotis, ſive in ſanis nullum ſit temperamentum nativum ſine aſcititio vel excrementitio, & hujus ſubjectum ſunt ipſa excrementa: Illius verò ſubjectum ſunt partes, mixti naturam conſtituentes, in ſua puritate ſpectatæ. Quæ doctrina evidentiſſimè quoque probatur ex Galeno Lib. 2. de Temper. dum ait, *Senes naturali particularium temperamento eſſe ſiccos; licet copiâ excrementorum humidi eſſe dicantur*: Hic enim notatur utrumque temperamentum, & diverſum utriuſque ſubjectum.

Caput XVIII.

Poſita mutatione temperamenti nativi in aliud ſpecie, nati vitâ durante; quot & quanta ſequantur abſurda.

Miror quod Alexander de Angelis, vir alioquin non vulgaris ingenii, atque doctrinæ, illa non prævideri: dum voluit nativum temperamentum quod puer hauſit è Stellis, mutari in aliud ſpecie; ab obſtetrice, nutrice, victu, Aere, &c: quandoquidem abſurdis illis vix majora excogitari queunt.

Primò enim ſi ab ipſa nutrice nativum mutetur temperamentum in aliud, hoc non erit nativum: tum quia eidem homini non conveniunt duo diverſa naturâ temperamenta, tum quia illud tantùm dici poteſt nativum, quod ineſt à nativitate, unde nomen habet. Ergo erit duntaxat aſcititium à lacte nutricis, cæteriſque ſequentibus rebus non naturalibus: ac proinde toto vitæ decurſu carebit homo nativo temperamento, tantumque ſubjicietur aſcititio. Jam verò neque actiones vitæ neque morborum curationes poſſunt eſſe ab aſcititio temperamento, quod hominis formæ non ſubordinatur ad agendum ut ipſius formæ inſtrumentum; ſed tantum à nativo ex Galeno & Hippocrate ſupracitatis; ergo facta mutatione nativi temperamenti ut vult de Angelis, vel infans moreretur, vel impoſterùm viveret ſine ullis vitæ actionibus, quod fieri nequit.

Secundò, ſequeretur manifeſta contradictio. Nam mutato nativo temperamento in aliud, hoc non eſſet nativum ut ſupra oſtenſum eſt; & tamen eſſet nativum ex Hippocrate & Galeno, quia actiones vitæ ederet & morbos curaret, hæc enim à ſola natura, hoc eſt nativo vel radicali temperamento efficiuntur, ex illorum placitis.

Tertiò, ſi nutrix naturale temperamentum mutat in aliud; ergo hoc etiam in aliud mutari poterit à cibis ſubſequentibus, tum ab Aere, regione, anni quartis, exercitiis, &c: ſicque homo præſertim peregrinationibus deditus, quales ſunt Navarchæ, Nautæ, Mercatores, Legati, &c: nunquam ſibi conſtabit, neque temperamento, neque valetudine, neque actionibus, neque moribus; quia in ſingulis regionibus mutabit Aerem, cibos, conſuetudines, vivendique rationem; eritque ut temperamento, ſic moribus Protheus perpetuus, ſibique ſemper diſſimilis, ideoque ſuis etiam ignotus in reditu ad patriam: niſi rebus non naturalibus continuò utatur juxta ſimilitudinem nativi temperamenti à nutrice non mutati; quod experientiæ reluctatur.

Quartò, quoties à nativitate ad ſenium, mutaretur temperamenti ſpecies? Fieretque homo ex calido frigidus; rurſuſque ex frigido calidus, vel ex humido ſiccus, rurſuſque ex ſicco humidus: imo ex juvene ſenex, & ex ſene juvenis temperamento?

Quintò, non ſolum in recens nato infante, ſed in puero, juvene, viro, imò ſene quodlibet ad libitum introduci poſſet temperamentum; à quo eſſent vitæ actiones & mores ipſi temperamento conformes. Quod ſane plurimis Patribus, Maritis, & Collegiorum Cœnobiorumque Præfectis peroptandum eſſet, ſi fieri poſſet.

Sextò, de quovis homine oblato vel Ariſtoteli Phyſiognomo, vel Galeno Medico, dici non poſſet ex ſignis præſentibus, cujuſnam ille ſit temperamenti. Nam ſigna ipſa quippè color cutis & capillorum, faciei character, ſtatura corporis, partium magnitudo, figura, mollities, durities, vox, greſſus, venarum amplitudo, pulſuum motus, &c: non mutantur, quoties de Angelis vult mutari temperamentum: ſed temperamenti cognitio expiſcanda foret ex ſedulo imò hominis ingenio minimè poſſibili examine & calculo totius præteritæ vitæ, circa uſum rerum non naturalium: adjuncto natali temperamento, quod etiam præcognoſci neceſſarium eſſet: ſicque Ariſtotelis doctrina Phyſiognomica & Galeni Medica pro temperamenti agnitione corruerent vel inutiles eſſent. Quamobrem cuicunque homini tum ſano, tum ægroto periculoſum eſſet ſeſe Medico committere, ſive ad ſanitatis conſervationem, ſive ad morborum profligationem: nam ad utrumque ſimilia ſimilibus ſervanda ſunt, & contraria contrariis abigenda, ut volunt Galenici, qui hoc potiſſimum intelligunt de temperamento: ſimilia autem & contraria dicuntur comparatè ad id quod eſt à natura: quomodo autem cognoſcentur ſimilia & contraria ſi ignoretur id quod eſt à natura? ergo in quovis homine propriis ſignis cognoſci debet nativum temperamentum; quod tamen fieri nequit niſi remaneat, ſed ab ipſa quoque mutetur infantia. Imò aliud etiam palpabile ſequeretur abſurdum momenti præcipui. Nam infanti recens nato congrua nutrix eligi non poſſet, niſi ſingularum temperamenta modo ſupradicto inquirerentur & ſupputarentur; ſic verò calculus frequentiùs concluderet temperamentum nutrici contrarium quam conſentaneum; quod nempè modus ille ſupponat mutari nativum temperamentum, qui error eſt in ipſo calculo maximus.

Porrò abſurda ſuperiora ſequuntur, ſive naſcentis infantis temperamentum ab unica cauſa mutetur in aliud ſpecie, ut à ſola nutrice, vel à ſolo Aere: aut à duabus ſe conſequentibus. Nam ſi neque à ſingulis, neque à pluribus mutatur nativum temperamentum in aliud ſpecie, ſed idem manet ſpecie vitâ totâ; nihil efficit de Angelis adverſus Aſtrologos ut jam ſupra oſtenſum eſt.

Caput XIX.

Utrum in ipſa infantis nativitate, queat, imò debeat cognoſci nativum temperamentum.

POſſe cognoſci negat Alexander de Angelis in fine cap. 15. lib. 3. Ubi enumeratis ſublunaribus cauſis omnibus à quibus ille cenſet pendere atque mutari temperamentum; ſic tandem de Aſtrologis loquitur. *Si hæc omnia non vident, nihil vident: ſed temerè effutiunt quidquid effutiunt de hominum temperamento.* Et cap. 24. nihil è Stellis de noſtro corporis habitu denunciare poſſe ait. Quod cum ipſis etiam Medicis objici queat; inde patet nativum temperamentum neque ab Aſtrologis, neque à Medicis dignoſci poſſe juxta opinionem de Angelis; qui ideò cavere nititur ne Aſtrologus illud agnoſcat, quia ex ipſo ſtatim concludit, de naturalibus propenſionibus & futuris moribus quæ natale ſequuntur temperamentum, ut infra contra ipſum de Angelis luculenter oſtendemus; quamobrem ut Aſtrologi prædictio de moribus corruat, ejus fundamentum, quippè natalis temperamenti cognitio, fuit neceſſariò ab de Angelis evertendum; dicendo Aſtrologos temerè tantùm effutire de nati temperamento.

Porrò hoc debere cognoſci ex eo conſtat, quia ut fatetur ipſe de Angelis initio cap. 14. ſanitas ipſa non eſt aliud quam ipſum temperamentum. Eſt autem infanti conſervanda ſanitas, ergo ipſum temperamentum: at ſimilibus duntaxat conſervari poteſt ex Galeni mente, cavendo à contrariis. Quamobrem & nutrix, & cibi, & Aer, &c. ſimilia non autem contraria ſunt infanti miniſtranda. Quomodo autem ſimilia & contraria cognoſcentur, eo ignoto cui ſimilia eſſet debent vel contraria; & ſi antequam lactetur infans cognoſci nequit ejus temperamentum, quomodo dici poterit, illud à nutrice mutatum eſſe? Patet ergo quam neceſſarium ſit ab ipſo infantis ortu ejus ſciri temperamentum; ergo dantur ſigna quibus præcognoſci debeat; DEUS enim & natura nunquam deſunt in neceſſariis, contrariaque doctrina divinæ providentiæ circa hominem eſt injurioſa.

Pro de Angelis forſan dicet aliquis nativum infantis temperamentum equidem cognoſci poſſe; at temerè ex eo præſagiri ab Aſtrologo, quippe quod ſit fugax & mutabile ab obſtetrice, nutrice, cibis, Aere, &c.

Verùm talis mutatio jam ſuperius exploſa eſt validis rationibus, cauſaretque maximam in infantis educatione confuſionem, præſertim ſi à pluribus nutricibus lactaretur. Perpetuò enim durante vitâ ſingulæ mutationes eſſent attendendæ, ut diæta penes ſingulas inſtitueretur; atque de ſibi ſuccedentibus temperamentis decerneretur quodnam eſſet conſervandum, & quod objiciendum. Itaque inſana eſt opinio illa de mutatione nativi temperamenti.

Caput XX.

Unde certior petenda ſit nativi temperamenti cognitio.

MAgni prorſus momenti extat quæſtio hæc; non ſolum in Aſtrologia, ſed præſertim in Medicina ob infantium educationem in qua ab ipſo vitæ Mundanæ exordio, primus circa natum committitur error, nativo ejus ignoto temperamento. Pars enim Medicorum maxima, quia neſciunt & conſequenter ſpernunt Aſtrologiam, idcirco rariſſimè tantúmque fortuitò temperamentum infantis enunciant, ſi de illo ferre ſententiam jubean-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

jubeantur, ut plurimum verò nequidem illud explorant, cum aliud non habeant, cui ea de re confidere queant, indeque fit ut in eligendis nutricibus ſæpiſſimè errent, & noxias eligant, rejectis idoneis. Quomodo enim nutrix ſumetur idonea, ignoto nati temperamento, quandoquidem nutrix nato uni congrua, alteri ſit contraria, ſepéque ipſa mater ſuæ prolis temperamento ab Aſtris contracto non congruat, neque intra, neque extra uterum exiſtente Nato: hinc verò ipſis infantibus morbi varii, & mors interdum: quæ accidentia etſi ab Aſtris genethliacis ſignificarentur: tamen à Medico Aſtrologiæ perito prævideri & præcaveri poſſent, non autem à cœco qui divinam hanc ſcientiam ſtultè contemnit, ut ſuam occultet inſcitiam. Quod ſi Medici Aſtrologiæ ignari errant in electione nutricum, quid cenſendum de parentibus Medicina & Aſtrologia deſtitutis? Videamus autem unde ſumenda ſit nativi temperamenti certior cognitio.

Et quidem ipſam petere duntaxat à Parentibus, Aere loci, parte anni, &c: prorſus abſurdum eſt. Tum quia hæc nato ſunt extrinſeca: tum quia illis etiam temperaturâ concordantibus, non ſemper tales naſcantur infantes ut cap. 14. dictum eſt. Neceſſe eſt igitur ut vera temperamenti notitia ab iis ſumatur, quæ nato ſunt intrinſeca, vel propria; poſſintque rationali experientiæ fidem facere ipſo de temperamento. Ea verò ſunt 4 Elementa, principia, Cœleſtes influxus, & externa corporis accidentia, in confirmatione, colore, calore, tactili, voce, partium magnitudine, mollitie, duritie, &c: ſed Elementa & principia non ſubſunt rationali experientiæ niſi per reſolutionem; quæ ſine interitu nati fieri nequit: ſuperſunt igitur duo reliqua ex quibus ſupradicta cognitio haberi queat, ſed ipſa corporis accidentia ex quibus temperamentum arte Medica vel Phyſiognomica definiri ſolet in viris vel adultis, ſunt in recenter nato imperfecta, obſcura maximéque fallacia, ita ut intra octiduum alia ſit infantis forma externa, quam quæ fuit primo die. Nulluſque eſt Phyſiognomus qui de talis infantis temperamento, moribus ac ingenio ut de adulto pronunciet: ergo ſolæ ſuperſunt influentiæ, à quibus infans abſolvitur & in lucem detruditur, præſente Cœli influxu velut impreſſo ſignatus ſigillo. Ipſæ autum influentiæ certò diſtinctéque naſcuntur ex figura genethliaca, ſuntque immutabiles: ergo ex figura genethliaca certiùs atque diſtinctiùs ſciri poteſt infantis temperamentum quàm quovis alio modo; idque neceſſe fuit, ut aliorum fallaciæ vitarentur.

Verum occurrit hic Picus Mirandulanus, cujus à multo tempore non meminimus: & quidem Alexandro de Angelis hac in parte callidior. Dicens capite 11. lib. 4. Corporeas diſpoſitiones, hoc eſt temperamentum & figuram non effici à Cœlo, nec ſciri poſſe per thema natalitium, cùm hæc priùs habeat puer, quam alvum egrediatur, præcedantque nativitatem. Et certè hoc à nemine negari poteſt: nam ſi quod naſcatur monſtrum, tale eſt in utero ante partum: nec tale fit à Cœli conſtitutione natalitia, quod hæc ſit poſterior: idemque dicendum de temperamento. Quocirca Picus introduxit Haly, veniam ſibi dari poſtulantem, ſi in prædicenda corporis temperatura & diſpoſitione, à veritate excederet, quod illa à cauſis inferioribus dependerent. Vana eſt igitur figura genethliaca pro cognitione temperamenti futurorumque inde morum, eſſetque præferendum conceptionis momentum, quod Aſtrologis ignotum eſt. Quæ egregia difficultas ut à nobis ſolvatur, apponendus hic eſt Ptolomæi textus circa rem hanc cap. 1. lib. 3. Quatrip. qui talis eſt.

Initium naſcentis hominis aut eſt naturale, quo concipitur, aut eſt præcipuum potentiâ, quo editur fœtus ex utero. Si tempus conceptus deprehenſum eſt, ſeu caſu, ſeu obſervatione; magis convenit poſitum ſyderum qui tunc fuit conſiderare, in judicandis corporis & animæ qualitatibus. Poſtquàm enim initiò ſemen conſequitur aliquod temperamentum ex circumfuſo Cœlo; etiamſi paulatim cùm formatur corpus, fiunt alterationes: tamen quia ſemen ſibi adjungit nutrimentum conveniens in augmentatione, idque naturaliter commiſcet & ſibi attemperat; retinet ſimilitudinem prioris qualitatis.

Si autem tempus illud ignoretur ut plerumque fit, initium erit egreſſus ex utero. Nam & hoc tempus potiſſimum eſt: & hac tantùm ratione ab altero initio differt, quod animadverſo conceptu, prædici poſſunt ea quæ præcedunt egreſſum ex utero. Ac conceptus quidem inchoatio eſſe aliqua poteſt: ſed egreſſus ex utero eſt principale exordium vitæ, tempore poſterius, potentiâ verò æquale & præſtantius. Et propemodum conceptus dici poteſt ſeminis generatio, egreſſus autem ex utero, hominis generatio: multa enim tunc fœtus adipiſcitur, quæ anteà in alvo nondum ei aderant, ac propria quidem humanæ naturæ, ut ſenſuum actiones & corporis motus. Etſi autem poſitus Cœli in partu non videatur primum condere naturam; tamen conducit ad hoc, ut fœtus exeat in lucem, poſtquàm conveniente Cœli actione maturuit, natura enim poſtquàm fœtus perfectus eſt, movet eum ut exeat ex utero, tali poſitu Cœli, qui reſpondet illi conſtitutioni, quæ fuit initio conceptus. Itaque Cœli poſitus in partu, meritò exiſtimabitur talia ſignificare; non quia efficiat talem naturam, ſed quia neceſſitate quadam naturali congruit & ſimilem vim habet. Huc uſque Ptolomæus.

Porrò ut locum hunc inſigni doctrinâ refertum explicemus, notandum, quod dum Ambo ſemina maris & fœminæ concurrentia permiſcentur in unum numero ſemen, unumque numero ſpiritum illius unionis inſtans, eſt primum generationis momentum: quo ſpiritus ipſe penes vim propriam, & ab Aſtrorum præſenti influxu receptam, qualitates ſeminis Elementales illicò ad certam reducit, firmatque temperiem. Tum ipſius fœtus conformationem aggrediens & nutrimentum attrahens, hoc ſimiliter attemperat: non ſecus ac ſemina Terræ commiſſa, attractum alimentum in ſuam convertunt ſubſtantiam atque temperaturam. Remanet ergo in fœtu primum hoc temperamentum idem ſpecie & numero, ſaltem per æquivalentiam, in ipſumque tranſeunt alimenta, quibus in utero nutritur atque augetur. Neque mutatur adventu animæ rationalis, quæ ſpiritualis eſt & caret contrario ipſi temperaturæ: ſed fit deinceps ejus inſtrumentum ad actiones naturales, vitales & animales, mediante ſpiritu ipſo; qui in adventu animæ, fit ejus immediatum inſtrumentum, non ſecus ac ante adventum animæ, temperamentum fuit ipſius ſpiritus inſtrumentum.

Rectè igitur ait Ptolomæus, poſitum Cœli in

partu,

partu, naturam primum non condere: nec non Picus temperamentum atque figuram præcedere nativitatem. Ideoque thema Cœli ad primum inſtans ſupradictum, adjuncta conſideratione parentum, loci & anni quartæ, fœtus temperamentum equidem indicarent. At quia ignoratur momentum ipſum vel rariſſimè obſervatur (quamvis inter raro coeuntes obſervari queat) idcircò natura quæ nunquam deeſt in neceſſariis, nobis aliud momentum ſuppeditavit facillimè obſervabile, nimirum illud nativitatis inſtans, quo natus primum inſpirat Aerem, ad quod erecta Cœli figura, de corporis temperamento, forma extrinſeca & ingenio fidem facit, nulla etiam parentum, loci vel anni quartæ habita ratione, ut experientia docet in omnibus genituris. Hujus autem ratio datur à Ptolomæo verbis illis verè aureis. *Natura enim poſtquàm fœtus perfectus eſt, &c.* Totius ergo difficultatis reſiduum verſatur circa ſimilitudinem conſtitutionum Cœleſtium, tempore conceptionis & nativitatis, quam Ptolomæus non explicavit: Cardanus autem in commento triplicem affert ſimilitudinem; unam ex Haly per Solem; aliam ex Hermete per Lunam; & aliam ex ſeipſo per Solem & quemvis alium Planetam: at nulla ſatisfacit, mihique videtur ſimilitudo iſta ex Phyſicæ & Aſtrologiæ fontibus ſive principiis ſic haurienda. Hominis generatio, mora in utero, atque nativitas, ſunt naturæ opus: ad quod præcipuè concurrunt Cœleſtes influxus ut ſuperiùs oſtenſum eſt. Natura autem ipſa nil temerè aut imprudenter agit, ſed ſpiritu quodã ſcientifico & mirabili virtute prædita, tanquam artium & ſcientiarum magiſtra doctiſſima; id in egreſſu fœtus ex utero præſtat; quod Medicis circa natum eſſe faciendum indicat. Indicat autem ejus ſanitatem ſive nativum temperamentum ſimilibus eſſe conſervandum; quamobrem cùm Cœli conſtitutio revolutione diurna continuò varietur: dum alia ſigna, alii Planetæ, aliæque Stellæ fixæ aſcendunt atque deſcendunt, abſurdum foret opinari, ſagacem naturam poſt generatum, abſolutumque fœtum in utero, hunc fortuitò excludere, & cuivis Cœli conſtitutioni temerè exponere. Itaque die qualibet, quicunque naſcuntur infantes, ſinguli ſub ea Cœli excluduntur conſtitutione, ex omnibus illo die per ipſius Cœli revolutionem poſſibilibus, quæ Horoſcopo, domino Horoſcopi, Planetis in prima domo vel hanc aſpicientibus, tum Stellis fixis in prima etiam: ac in ſumma, quæ temperamenti, formæ corporis, valetudinis & ingenii ſignificatoribus, ſimilior eſt Cœleſti conceptionis conſtitutioni. Maturo enim fœtu per præcedentem Cœli ſtatum; non ſecus ac Terræ fructus à Sole maturantur; negari nequit, quod hæc ſimilior conſtitutio præ cæteris vim habeat illum in lucem evocandi: conſpirante præſertim ſagacitate naturæ & inclinatione fœtus ad ſui conſervationem; quæ talem affectant ſimilitudinem. Ut proinde dicendum ſit etiam à figura nativitatis perfici vel confirmari temperamentum fœtus, quod ipſa nempè figura ſit in natum maximè activa, & velut Cœleſte ſigillum ipſi impreſſum. Hac igitur de cauſa ex Themate natalitio poteſt de temperamento & forma corporis Nati judicium ferri, etiam ignoto conceptionis momento. Quod autem rationes hæ cum experientia quadrent, omninò certum eſt; nullumque vidi thema nativitatis, quod ſub eo nati hominis temperamento moribus non convenerit. Imò ex themate ipſo dici poteſt, an recenter natus ſit pulcher, deformis aut monſtroſus; quippè quod horum quodlibet à congrua tantum Cœli conſtitutione in lucem Mundanam educatur. Hæc igitur eſt noſtra ſententia de ſimilitudine conſtitutionum Cœleſtium momentis conceptionis & nativitatis, naturæ ſagacitati, & veris Aſtrologiæ principiis conſentanea: quæ ſimilitudinem à Sole & Luna non excludit, ſed ab his etiam vigoratur.

Poteſt etiam dici, quod momento conceptionis natura fœtum inchoavit, at perfecit & perfectum excluſit momento nativitatis. Si itaque ſpectetur Cœli ſtatus ſub quo vel à quo infans perfectus eſt & in lucem editus; in illo patebunt cauſę nativi temperamenti, formæ corporis, tum cæterorum poſt geneſim futurorum, quorum illo inſtanti natus à Cœlo excipit effectivam vel paſſivam impreſſionem.

Porrò ſciendũ quod ut alius eſt vitę ſtatus in utero, & alius extra uterum (ſiquidem in utero dependet à fato matris, cui lethalis aborſus à geneſi ſignificatus, poteſt fætum alioquin ſanum interficere ut piæ memoriæ matri meæ contigit: extra uterum verò dependet tantùm à fato proprio, cui tunc à natura traditur atque ſubjicitur) idcircò rectè dicit Ptolomeus, quod animadverſo conceptu prædici poſſunt ea, quæ præcedunt egreſſum ex utero, ſed egreſſus ex utero, eſt principale exordium vitæ, tempore poſterius, potentia verò æquale & præſtantius. Ideóque figura nativitatis omninò primariæ ſignificationis eſt: quod nempè non ſolùm ea ſignificet quæ præcedunt geneſin, ſed etiam ſola & per ſe ea omnia ſignificet atque efficiat natum, quæ geneſin ipſam ſequuntur. Unde nil mirum quod fœtus ſano alioquin temperamento, in lucem editus ſub conſtitutione ſimilis temperamenti, nutritionis annos non expleat; ſed primo etiam vitæ anno moriatur. Nam ſi fœtus fuerit in utero melancholicus temperamento; & in figura nativitatis aſcenderit 12. gradus ♑, cujus dominus ♄ ſit in 13. gradu ♋ læſus quadrato Solis domini ♂ in ♎ poſitu: erit conſtitutio hæc valde Saturnina & Melancholica pro temperamento; ideóque ſimilis temperamento ipſius fœtus: morietur autem natus intra annum à directione. Horoſcopi ad ☍ ♄ & □ ☉ præſertim ſi Horoſcopus & luminaria fuerint benificorum radiis deſtituta. Quod igitur ſit & naſcatur Melancholicus, id habet ab utraque figura conceptus & nativitatis: at quod intra annum moriatur id tantùm habet à figura nativitatis: pluresque ſimiles fingi queunt hypotheſes experientiis omninò congruæ.

Ex ſuprapoſitis igitur de temperamento capitibus conſtat, quod influentiæ ad nativum infantis temperamentum concurrant: quod ipſum vitâ nati durante non mutetur in aliud ſpecie: quodque ex Themate Cœleſti ad nativitatis momentum erecto, temperamentum ipſum cognoſcatur. Aſcititium verò etiam ex figura nativitatis prævideri poteſt: ſed confuſe duntaxat; ex directionibus verò ſignificatorum vitæ & ſanitatis qualis eſt inter cæteros Horoſcopus, tum ex annuis revolutionibus percipi poteſt diſtinctiùs; alioquin Febres vel alios nati morbos, tum horum naturam bilioſam, melancholicam, pituitoſam, &c. prædicere non

poſſet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

poſſet Aſtrologus, quod tamen experientiæ reluctatur. Atque hæc de temperamento nati ſufficiant.

Caput XXI.

De cauſis morum vel propenſionum in hominibus.

POſtquam ſuperioribus capitibus oſtenſum eſt, Aſtrorum influxus concurrere ad nativum hominis temperamentum: & hoc ex natali themate cognoſci, ſicque ſtabilita eſt Aſtrologiæ judiciariæ columna præcipua: jam nobis altera firmanda eſt contra Pici Mirandulani & Alexandri de Angelis Arietes. Quod nempè naturales hominum mores ſive propenſiones, ſequantur corporis temperamentum; proindeque ſint etiam ab Aſtris, & horum ope cognoſcantur. At quia doctrina hæc ignaris paſſim eſt lapis offenſionis; quod inde confeſtim Aſtra Deumque criminum Authores eſſe, & liberum hominis arbitrium everti ſtultè concludant: idcircò præ cæteris ſtudioſè explananda eſt: id verò ut fiat accuratiùs nobis præmittendæ videntur morum definitiones atque diviſiones hic neceſſariæ.

Itaque mos in genere eſt circa idem, eodem modo agendi conſuetudo, ac morum imprimis alii ſunt toti cuipiam genti communes, ſicque Scythæ ſunt crudeles: Græci infideles: Judæi ſpurci, avari, &c. Alii verò ſunt cuilibet individuo peculiares; de quibus præſertim ſermo futurus eſt.

Morum autem particularium alii ſunt à natura inſiti, vocanturque hominis propenſio naturalis de qua præcipuè hic agendum eſt; quam definimus eſſe habitum ex organorum naturali conſtitutione reſultantem in appetitu ſenſitivo; quo ad honeſta vel turpia exercenda homo ipſe à natura proclivis efficitur: quippe in exercitio mos nativus appellatur. Alii verò ſunt tantùm accidentarii à cauſa extrinſeca: propriéque vocantur conſuetudo à cauſa extrinſeca.

Porrò hujuſce conſuetudinis plures ſunt cauſæ extrinſecæ, quæ tamen ad 3. præcipuas referri poſſe mihi videntur. Quippè ad ſuperiorum tum monita vel inſtituta: tum mandata vel prohibitiones: ſub quibus Dei Eccleſiæ & principum leges comprehenduntur: ad exempla ſive eorum quibus cum vivimus, ſive eorum à quibus originem traximus: ſive eorum quorum geſta æmulamus: nec non ad vitæ genus à nobis ſuſceptum, quod certa quotidie exigit exercitia, vel cujus ratione potiùs in hos quàm alios mores incidimus. Sic Muſici vulgò ſunt bibaces; milites impii, blaſphemi, crudeles, prædones: circumforanei quos Ægyptios vocant ſunt fures profeſſione; Religioſi, devoti, &c.

At naturalis propenſionis cauſa proxima, eſt hominis temperamentum: idque non modò probat Ariſtoteles initio ſuæ Phyſiognomiæ his verbis. Quod animæ ſequuntur, & ipſæ ſecundum ſeipſas non ſint impaſſibiles à motibus corporis, id manifeſtum fit valde in ebrietatibus & ægritudinibus, multùm namque animæ mutatæ videntur à paſſionibus corporis. Et è contrario quod corpus compatitur animæ, manifeſtum circa amores & timores & triſtitias & delectationes. Ampliùs autem & in his quæ naturâ fiunt, magis utique aliquis conſpiciet, quod corpus & anima ita ſe habent connaturalia, ut fiant cauſæ plurimarum paſſionum ad invicem. Sed idem quoque Authoritatibus Ariſtotelis, Platonis & Hippocratis, tum rationibus & experientiis confirmat Galenus peculiari libro cui titulum fecit, de animæ morum, & corporei temperamenti mutua conſecutione: in quo notanda ſunt præcipuè hæc verba. *Videmus* (inquit ille) *pueros complures iiſdem parentibus ortos, ab eiſdem præceptoribus educatos, iiſdem alimentis uſos, naturâ tamen quàm longiſſimè inter ſe differre: quos quidem quis per DEOS flagitia edocuit? Reperies enim paucos admodum pueros naturâ ad virtutem propenſos: ſed à parentibus & pædagogis ad eam minis increpationibuſque converti:* atque hujus cauſam refert ipſe ad nativum temperamentum.

Unde in arte Medicinali, ex moribus in homine conſpicuis venatur ejus temperamentum; & quia morum alii ſunt nativi, alii verò adventitii ab educatione, doctrinâ, cæteriſque cauſis extrinſecis. Idcircò cap. 36. mentem ſuam explicat hiſce verbis valdè notandis. *Cæterum quæcunque de moribus ſive nunc, ſive quovis alio ſermone explicata ſunt ad temperaturæ cognitionem: ſciendum eſt ea non de optimis moribus aut vitioſis, qui ex Philoſophia hominibus adveniunt; ſed de inſitis unicuique naturalibuſque à nobis expoſita fuiſſe.*

Non igitur ſolos Aſtrologos, ſed etiam Platonem, Ariſtotelem, Hipocratem, & Galenum oppugnant Picus & de Angelis, dum animi nativos mores ſequi nativum temperamentum inficiantur. Quinimò ipſimet ſibi contradicentes, conrarium deinde fateri coguntur. Picus quidem cap. 22. lib. 5. hiſce verbis. *Conſequitur qualitatum in corpore præpotentium, modus quoque nonnihil affectionum: ut proniores ad iram bilis effervеſcens; ſegnes pituita; ſanguis, hilariores; triſtes, atra bilis efficiat.* De Angelis verò cap. 24. lib. 3. ait. *Innaſci propenſionem quamdam animo ex conſtitutione habituque corporis non inficiamur: ſed à multis aliis cauſis eam coerceri & caſtigari contendimus.* Quorſum igitur aliunde plures Authoritates venabimur, quandoquidem ab ipſis adverſariis tam luculentæ nobis ſuppeditantur?

Quod ſi præter Authoritates deſideretur ratio, hæc à nobis affertur ultra alias ab Ariſtotele & Galeno expoſitas. Conſtat experientiâ naturales hominum propenſiones eſſe diverſas; vel igitur hæc diverſitas eſt à diverſitate animarum, vel à diverſitate corporum. At animæ non ſunt inter ſe à primo ortu diverſæ; cum ſint formæ ſubſtantiales, ideoque naturæ ſimplices ejuſdem eſſentiæ, quibus à Deo conditore datæ ſunt eædem potentiæ ſenſitivæ, appetitivæ, & rationales, eodem modo determinatæ circa objectum commune, eodemque modo ex ſe differentes circa objecta particularia: Cùm igitur in ſingulis hominibus potentiæ appetitivæ ab ipſo ortu diverſimodè inclinentur; neceſſe eſt ut diverſa illa inclinatio ſive propenſio ſit à diverſitate corporum: hæc enim ex pluribus Elementis diverſa proportione coaleſcunt; & in generatione diverſimodè ſubjiciuntur Elementorum & corporum Cœleſtium activis qualitatibus ut ſupra patuit; quarum in ſingulis ferè generationibus combinationes ſunt diverſæ. Inde verò magna oritur corporum differentia in materia ſecunda, hoc eſt temperamento & qualitatibus affecta, diverſaque eorum conformatio, ac proinde quoniam vires animæ inferiores, quarum una eſt appetitus ſenſitivus

vus

vus, dependet in agendo à corpore ut organo. Teſte etiam D. Thoma 1. part. quæſt. 115. art.4. Idcircò qualis erit conſtitutio ſive temperamentum corporis, talis erit propenſio vel inclinatio ipſius appetitus ad agendum.

Cæterùm dum hic aſſeritur mores nativos conſequi temperamentum nativum, & quale hoc eſt, tales illos eſſe; id non eſt intelligendum juxta vulgarem opinionem de temperamento ex ſolis Elementorum qualitatibus compoſito, quod eſt partiale duntaxat nati temperamentum, ſed de totali temperamento à Nobis ſuperiùs expoſito: Præcipuè verò de Cœleſti vel influentiali: Tum ob rationes appoſitas cap. 11. pro Cœleſti temperamento: Tum quia homo in qualitatibus Elementalibus ſubinde variatur, invariatis nativis ejus propenſionibus, ut teſtatur experientia. Hiſque ſterilibus qualitatibus nulla vitalis actio per ſe competit, ut eodem cap. 11. tum. 5. ſect. 1. oſtenditur.

Cùm igitur Aſtra ſuis influxibus cauſæ ſint illius Cœleſtis temperamenti, neceſſario ſequitur quòd ſint etiam cauſæ propenſionum naturalium, inde manantium; nam quod eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſati cauſa. Atque hanc morum cauſam Plato ipſe in Timæo docuit, aſſerens *quod artifex Mundi DEUS tradit animæ ipſius principium* (hoc eſt intellectum) *Dii verò qui perferuntur* (hoc eſt Planetæ) *graves neceſſariaſque adhibent paſſiones, iras, libidines, voluptates, dolores, aliamque animæ ſpeciem, ex qua perturbationes hujuſmodi oriuntur.* Ad quæ verba Plotinus Aſtrologiæ hoſtis acerrimus fatetur Lib.3 eun.2. cap.9. *quod quicunque anima rationali ad pulchrum atque divinum actu tendentis ſit expers, ipſe vivit in fato: atque in hoc vitæ habitu, Stellæ non ſolum homini ſignificant, verum etiam ſit tanquam pars univerſi, totique, cujus ipſe pars eſt, non injuriâ ſervit.* Et cap. 12. duo tradit ſententiæ noſtræ omninò congrua, quòd nempè rerũ generatarum ſpecies ſint à ſeminalibus naturæ rationibus. Cœleſtis autem influxus diſponat materiam. Ideóque aſſerit. *Non enim equum facit Cœleſtis influxus, ſed dat equo nonnihil.* Et hoc omninò conſentit doctrinæ noſtræ: quod Cœlum determinetur quidem activè quoad ſpeciem à ſubjecto patiente, ut ab hominis ſemine ad hominem generandum: at homo naſcens paſſivè determinetur à Cœleſti conſtitutione natalitia ad accidentia quibus ille ex ſua natura ſubjici poteſt, ut ad tale temperamentum, tales mores ac tale ingenium, potiùs quàm ad alia contraria. Sed nunquid hic omittemus D. Thomam? Ipſe ergo prima 2. quæſt.9.art 5. hæc habet: *Ex impreſſione Cœlorum aliqui ſunt habiles ad iram & ad alias paſſiones quas homines ſequuntur: ob quam cauſam Aſtrologi ut in plurimùm vera dicunt. Sed ſapiens dominabitur Aſtris.*

CAPUT XXII.

Varias continens Objectiones adverſariorum, harumque ſolutiones.

MOres nativos hominum ſequi nativum temperamentum, ac utrumque ab Aſtris cauſari, hactenus planum feciſſe mihi videor, tum rationibus, tum authoritatibus etiam adverſariorum. Utque rei veritas pateat evidentiùs, jam videamus quibuſnam machinis doctrinam à Nobis expoſitam ipſi impugnent.

Primò itaque Plotinus eorum Magiſter antiquior Lib. 3. eun. 2. cap. 6. ſic inſurgit in Aſtrologos. *Præterea quod ajunt Martem aut Venerem certo modo diſpoſitos adulteria procreare, valdè à ratione diſſentit: quippè cùm id nil aliud ſit quàm illos humanæ intemperantiæ more, mutuam aviditatem, indigentiamque ſuam ardenter explere.* Cui adſtipulans Marſilius Ficinus in commento hæc habet. *Primum conſtat ſane tum dignitate naturæ, tum ſublimitate loci, tum amplitudine poteſtatis, quamlibet Stellarum vel minimè bonam, viro vel optimo meliorem prorſus exiſtimandam: quamobrem ſcelera quæ vir optimus non patraret, Stellæ minimè perpetrant.*

Sed videte quæſo quàm abſurdè philoſophentur hi viri, in cæteris Philoſophiâ clariſſimi: & quò eos deduxerit Aſtrologiæ ignorantia, ut opinionis ſuæ falſitatem, quoquo modo protegerent? Imprimis enim falſum eſt quod ab illis aſſumitur, quippe Planetas ſive Stellas adulteria procreare & ſcelera patrare; neque ea fuit unquam mens Ptolomæi vel alterius celebris ac præſertim Chriſtiani Aſtrologi: ſed duntaxat Venerem ſi præſit moribus nati, & pravè ſit affecta, propenſiones conferre ad luxuriam & adulteria; Martem ad homicidia, rapinas, &c. unde Ptolomæus ipſe Lib. 3. Quatrip. cap. 18. non ait Martem pravè affectum facere injuſtitiam, impietatem, &c. ſed facere homines injuſtos, impios, &c. hoc eſt, ad talia naturaliter propenſos, atque ſic de cæteris; ſiquidem ſcelera non ab alia cauſa quàm libera perpetrari queunt, ideoque pro ſceleribus, neque Aſtra, neque Elementa, ſed homo ipſe eorum cauſa particularis & libera punietur. Præterea vana eſt Plotini ratio; dum ait inde ſequi, Planetas humanæ intemperantiæ more mutuam aviditatem indigentiamque ſuam ardenter explere. Nam Planetas inter homines occiſiones procreare, non eſt Planetas ipſos ſe mutuò occidere. Ac rurſus erronea eſt Ficini ratio, quòd Stella quævis vel minimè bona, viro vel optimo ſit melior dignitate naturæ: cùm natura Stellæ ſit planè corporea, pars verò hominis præcipua ſit intellectualis.

Secundò, Picus Lib. 4. cap. 9. ut probet mores hominum à Cœlo non cauſari, ſic inſurgit. *Quæcunque à cauſis naturalibus fiunt; his præſertim quæ ſibi à Conditore Naturæ præſcriptas leges ſervant immutabiliter; tam in Authorem Naturæ ſic inſtituentis, quàm in Naturam ipſam ſunt referenda.* Id concedo. Quæcunque autem vel virtute, vel proprietate ſydera prædita ſunt, & Philoſophorum & Theologorum conſenſu indidit illis Naturæ principium DEUS. Et hoc etiam concedo. *DEUM Optimum & Sapientiſſimum vix negant inſipientes.* Rurſus concedo. Quid autem ex ſcopis hiſce diſſolutis concludet Picus; cùm inde nihil logicè concludi queat? Itaque concluſionis loco ſic tantùm exclamat. *Quæ verò hæc bonitas aut ſapientia; potentiſſima Cœli manu hominem quamquam liberum, infirmum tamen, flectere ad eam partem ad quam minimè velis eum declinare!*

In hanc igitur exclamationem reſpondeo, primo;

primò; Hominem non ſemper ad mala vel peccata flecti à Cœlo; ſed interdum etiam ad bonum & virtutes: non enim omnes hominum nativæ propenſiones ſunt ad malum, ſed aliæ ad bonum, aliæ verò ad malum, pro diverſo Cœli ſtatu in Geneſi.

Reſpondeo ſecundo; nullum eſſe peccatum, nullamque virtutem, quin utrumque ſit liberum; hoc eſt, procedat ex libera hominis voluntate; unde habet ut ſit meritorium vel demeritorium. Jam verò Cœlum non flectit liberum hominis arbitrium ſaltem directè & per ſe, quippè quod ſit naturæ ſpiritalis, ideóque extra ſphæram activitatis naturæ corporeæ, nec ſit alligatus organis corporeis, à quibus in agendo per ſe dependeat: tantùmque Cœlum directè & per ſe agit in corpora, vel vires animæ inferiores, quales ſunt ſenſitivæ, quæ organis corporeis alligatæ dicuntur, quod ab his in agendo, per ſe dependeant. Itaque ſolus appetitus ſenſitivus à Cœlo flecti poteſt, ob varias concupiſcentias & paſſionum motus in illo reſultantes à diverſa corporis conſtitutione, quam Cœlum effecit, ut ſupra oſtenſum eſt. At quamvis unuſquiſque ſentiat ſe propenſionis pondere trahi, nihilominus etiam novit experiturque, ſibi aliquid ineſſe propenſione ſuperius, quo propenſioni ſponte queat reſiſtere; hæcque vis non ineſt brutis: non enim ſponte abſtinent ab appetitus deſideriis, ſed ſolo metu, minis, verberibus, &c. Etſi autem indirectè & per accidens corporum Cœleſtium impreſſiones ad intellectum & voluntatem pertinere poſſint, in quantùm, ſcilicet, intellectus & voluntas aliquo modo determinantur quoad ſuos actus à viribus inferioribus, juxta illud; *Nihil eſt in intellectu, quod priùs non fuerit in ſenſu*: tamen circa hoc intellectus & voluntas ſe habent diverſimodè. Nam intellectus neceſſariò accipit à viribus inferioribus aliquid: ideóque imaginatione depravata, neceſſariò depravatur actio ipſius intellectus: at depravato appetitu ſenſitivo, non neceſſariò ſequitur depravatio voluntatis; ac licet paſſiones, ortæ in concupiſcibili vel iraſcibili appetitu, aliquam vim habeant ad inclinandam vel incitandam voluntatem, tamen in hujus poteſtate remanet ſequi paſſiones ipſas, vel eas reſpuere; unde patet impreſſionem corporum Cœleſtium minùs pertingere ad voluntatem, quæ eſt proxima cauſa humanarum actionum, quàm ad intellectum. Quæ eſt doctrina D. Thomæ prima parte quæſt 115. art. 4. etiam ab Alexandro de Angelis citata lib. 2. cap. 1. nec ab eo vel noſtro Pico refutata: quamque idem Doctor confirmat Part. 2. q. 30. Art. 1. Dum oſtendit concupiſcentiam eſſe propriè in appetitu ſenſitivo: quæſt. autem 74. art. 1. peccatum eſſe in voluntate ut in ſubjecto. à quo non diſſentit D. Rusbrochius, dum in ſuo opere de vera contemp. exponens vires Planetarum in homines, eos vocat filios Planetarum; qui ſuis obſequuntur propenſionibus; ut jam cap. 5. dictum eſt. Circa hoc autem notatu & admiratione dignum videtur, quòd magnus canis licèt à parvis laceſſitus atque demorſus, tamen iram diſſimulat & comprimit, nec in ultionem prorumpit. Quæritur autem an hoc agat facultate appetitui ſuperiore, cùm ipſe appetitus irritatus, ſeipſum comprimere non poſſe videatur, & quænam ſit illa facultas? An verò appetitus ſit in brutis actionum ſuarum dominus, ut voluntas in hominibus?

Reſpondeo tertiò; Quòd Cœlum agat in vires animæ inferiores, quæ caro dicuntur; id fieri ab eadem bonitate & ſapientia, à qua D. Paulo datus eſt ſtimulus carnis Epiſt. 2. ad Corinth. cap. 12. unde in Epiſt. ad Romanos cap. 7. ait. *Condelector enim Legi DEI ſecundùm interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati quæ eſt in membris meis.* Cujus hæc datur ratio in eod. cap. ad Corinth. Nam virtus in infirmitate perficitur. Non enim vult DEUS nos in hoc Mundo eſſe otioſos; ſed perpetuò certare in ejus honorem adversùs Mundum, carnem & Diabolum, hoſtes fortiſſimos; quibus infirmum hominem tentare permiſit eadem ſapientia: ut, ſcilicet, ex victoria, æternæ beatitudinis mereamur coronam. Neque apud D. Paulum quidquam frequentiùs eſt, quàm pugna illa carnis in ſpiritum; & ſpiritus in carnem. Quique vult ſpiritum vincere, armat carnem in ſpiritum variis concupiſcentiis; ſpiritum verò in carnem armat gratiâ ſua: unde D. Paulo dictum eſt. *Sufficit tibi Gratia mea*; & quamvis propenſio ad malum in genere, inſit hominibus omnibus ab originali peccato Adæ: tamen ſingulorum hominum propenſiones ſpeciales, ut quòd hic ſit proclivis ad iram, ille ad luxuriam, non ſunt per ſe ab illa causâ generali: ſed ab alia particulari, nempe conſtitutione Cœleſti in cujuſque hominis ortu, quæ pleriſque eſt quartus hoſtis, præter Mundum, carnem, & Diabolum, à quo non leves tentationes nec levia mala excitantur, nec quæſita nec optata, ut in meipſo centies expertus ſum. Hæc eſt crux humeris noſtris impoſita initio vitæ. De qua CHRISTUS apud D. Matthæum cap. 16. *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam & ſequatur me*: circa quæ verba virtute & doctrina Eminentiſſimus Cardinalis Nicolaus de Cuſa hæc habet lib. 8. excitat. ex ſermone, Crucifixus reſurrexit. *Cùm attendimus* (inquit) *in nobis eſſe imperia diverſa, unum in carne. & aliud in ſpiritu, quæ contra ſe militant; & quòd ſubactio Virtutis quæ in Carne imperat, eſt crucifixio, vivente virtute quæ in rationali anima imperat, tunc myſterium crucifixionis quoad ea quæ facere debemus, intelligimus.*

Reſpondeo quartò; Cœlum non flectere hominem ad malum actualiter; peccaret enim neceſſariò & non liberè; ſicque non peccaret, quod implicat: ſed illum flectit duntaxat diſpoſitivè, velut cauſa diſponens: voluntas verò ipſa eſt quæ flectit actualiter, idque liberè, ideóque peccat.

Tertiò objicit idem Picus. *Quæ bonitas aut ſapientia? Optimos ſervos* (ſubaudi Planetas) *malorum facere Authores & miniſtros: ut cùm ipſi Regis juſſa nunquam tranſgrediantur, ipſi tamen maximè ſint, qui alios ad tranſgreſſionem invitent & impellant.*

Reſpondeo, Picum hìc falſum aſſumere: nam ſi ne quidem ipſa ad peccatum propenſio, eſt peccatum formaliter; Planetæ verò ſolas efficiant vel influant propenſiones; falſum eſt inde aſſerere Planetas eſſe malorum & peccatorum Authores atque miniſtros. Hoc enim duntaxat convenit cauſæ liberæ, à qua eſt ipſum formaliter peccatum. Adde quòd nulla ad quodvis peccatum propenſio eſt per ſe vel in habitu nativo mala, imò poteſt eſſe homini valdè bona, & eò melior, quò fuerit acrior, ſi nempè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

pè homo illam ſubjugaverit; in quem ſolum finem à divina bonitate conceditur: poteſt igitur tantùm eſſe mala per accidens, ſcilicet, in pravo exercitio. Similiter propenſio ad quodvis bonum, poteſt homini eſſe mala; ſi nimirum eam ſponte depravaverit, vel eam non exercuerit. Omnis igitur propenſio nativa in ratione entis, etiam Phyſici, bona eſt, dataque in bonum finem: in ratione autem virtutis, aut vitii eſt per ſe indifferens: determinatur autem in exercitio à libera hominis voluntate ad bonum, ſive malum. Denique Aſtra non impellunt ad tranſgreſſiones actualiter, ſed tantùm diſpoſitivè: vel impellunt ad materiale peccati, ad quod Deus ipſe concurrit efficienter; non autem ad formale.

Quartò rurſus objicit Picus. *Non facit, qui peccat, aliquid; imò deficit; quare qui impellit ad peccandum, impellit ad deficiendum; quod non convenit cauſis ſuperioribus ſemper efficientibus, nunquam verò deficientibus.*

Reſpondeo, actum peccati conſiderari phyſicè, & moraliter; ſive materialiter, & formaliter. Phyſicè verò, ſive materialiter, eſt aliquis effectus. At moraliter ſive formaliter eſt tantùm defectus. Ergo homo & Aſtra impellentia ad peccatum, efficiunt aliquid phyſicè ſive materialiter; ad quod etiam Deus ipſe concurrit, ut jam ſupra dictum eſt.

Quintò, objiciunt nonnulli, impium eſſe, aſſerere, Aſtris Deum dediſſe vim, propenſiones malas hominibus influendi: quod illud Dei infinitæ bonitati contrarietur.

Verùm hæc objectio ſtultorum eſt, qui de Deo ejuſque operibus, ſibi ignotis, ſententiam ferre volunt. Primò enim ex reſponſione ad objectionem tertiam, nativa omnis propenſio bona eſt in ratione entis, dataque in bonum finem; quod Dei infinitæ bonitati congruit. Aſtra enim, diverſas in hominibus propenſiones ad vitia & virtutes cauſantia, Deo inſerviunt; ut ſuper ſingulos homines, bonos & malos, ſuæ bonitatis, providentiæ, patientiæ, miſericordiæ, Juſtitiæ, &c: divitias, pro ſuæ voluntatis beneplacito explicet. Cúmque ex Galeno & Medicis animi mores ſequantur corporis temperamentum, ſi impium ſit aſſerere; iram cauſari à Marte, triſtitiam à Saturno: &c. Nonne impium erit aſſerere, Iram eſſe à bile, triſtitiam à melancholia, &c? Fatui nolunt hominem ſubjici Aſtrorum influentiis; & concedunt illi ſubjici Elementorum qualitatibus, ac humoribus. Deinde, nùm idem naturæ Author vim dedit cantharidibus venereum appetitum, ferè ad rabiem uſque, excitandi, etiam in ſenibus? Nonne vinum quoque luxuriam, iram, loquacitatem, impudentiam, audaciam & temeritatem concitat, depravatque rationis uſum? Nonne ſerpentes, & feræ multiplices, hominum vitæ inſidiantur? Nonne ſunt in mineralibus, plantis, & animalibus, permulta venenorum genera? Quis inde tamen divinæ audebit detrahere bonitati, de qua dicitur in Geneſi, *vidit DEUS cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona?*

Sextò objicit noſter de Angelis in fine cap. 25. lib. 3. Aſtrologi arbitrantur axioma hoc; Animi mores ſequuntur temperamentum corporis, indiſcriminatè ſempér & ubique habere veritatem: atqui hoc tantùm intelligendum eſt, quoties nihil obſtat. Obſtant autem plurimum educatio, conſuetudo, exempla, genus, conditio, & alia; unde cap. 24. concludit, nequidem probabiliter vaticinari poſſe Aſtrologos. *Quis enim* (ait) *probabiliter illum vaticinari dicat, qui ex variis cauſis, quæ ad rem conſtituendam concurrunt, cæteris omnibus ignoratis, unam duntaxat ſpectavit, eamque infirmiſſimam omnium, & inconſtantiſſimam?* Per hanc verò intelligit propenſionem, quam ex conſtitutione habituque corporis, innaſci animo, fatetur ipſo capite 24.

Sed reſpondeo primò, axiomatis illius duplicem eſſe ſenſum. Nam per animi mores, vel intelligitur ipſa naturalis propenſio: ſicque axioma ſemper & ubique verum eſt. Ipſa enim propenſio tamdiu durat, quamdiu nativum temperamentum, hoc eſt totâ vitâ. Neque eſt in poteſtate voluntatis, vel cujuſvis cauſæ extrinſecæ, illam, quoad habitum, eradicare vel immutare, ut quilibet in ſeipſo experitur. Deus ſolus id poteſt: vel intelligitur exercitium ipſius propenſionis, ſive particulares liberæque actiones ab illa prodeuntes. Sicque ſumitur ab de Angelis, ſed ſuo more imponit Aſtrologis, ne quid deſit in ſuo calculo. Falſum enim eſt illos aſſerere; hominum particulares actiones liberas, ſemper & ubique ſequi nativum temperamentum: nec de ſingulis vaticinantur; Soli enim numine afflati prædicunt ſingularia, quæ ſcilicet omnibus ſuis circũſtantiis vel cauſis individuantibus circumſcribuntur, ſed duntaxat de cunctis in genere, vel ſpecie judicium ferunt: Et hoc probabili tantum, attamen minimè ſpernenda ratione, ex ſimplici figuræ natalis intuitu. Etſi enim ipſæ actiones voluntati ſubjiciantur, & à cauſis extrinſecis ſupprimi, vel moderari queant, ſciunt tamen homini eſſe maximè naturale, ſuas in agendo ſequi nativas propenſiones, præſertim in ſubitaneis motibus; iiſdemque reluctari; eſſe præter, aut ſupra naturam, ideóque difficile, imò quid Divinum: quod eſt illorum conjecturæ fundamentum, experientiis frequentiſſimis confirmatum. Itaque certò aſſeret Aſtrologus, quòd hic infans ad furta ſit pronus: ſed quod de facto furabitur, aſſerit tantum probabiliter, ex certo propenſionis fundamento: neque dicet furaturum gemmas, vel aurum, vel equum tali perſonæ, ac in tali loco, hæc enim ſingularia ſunt: ſed tantum in genere furaturum: Atque ſic de cæteris, quique aliter vaticinatur, peccat in ſcientiam.

Reſpondeo ſecundò, propenſionum alias eſſe fortes, alias debiles, alias medias. Fortes faciunt viros in vitiis, aut virtutibus claros; ſuntque firmæ, conſtantes, earumque exercitium difficillimè ſuprimitur: unde illud, naturam furcâ licèt expellas, tamen uſque recurret: quod de forti præſertim propenſione intelligendum eſt: cui ſi conſuetudo, vel habitus ex frequentatis actibus acquiſititius acceſſerit, tales vix ulla cauſa creata immutare poteſt, quin data occaſione erumpant in actus ſuæ propenſioni congruos. Hoc patet in latronibus, quorum pravæ propenſioni neque leges, neque exempla, neque flagellum, neque ſtigma, neque exilium, neque triremes, ſed ſolum tandem patibulum, vel rota finem facere poteſt. Patet in meretricibus propenſione nativa; quæ neque monitis, neque promiſſis, neque morbis, neque ſuppliciis, à turpiſſimo miſerrimoque vitæ genere, ad honeſtius feliciuſque revocari queunt. Patet etiam in Juda Iſcariote, quem nec converſatio, nec

convictus, nec exempla; nec ipſius DEI præſentis atque viſibilis præſtantia, virtutes, doctrina, monita, miracula, minæque dimoverunt à furto, avaritia, incredulitate, impietate & proditione; de quibus accuſatur in Euangelio. Debiles autem & mediæ propenſiones, faciliùs quoad exercitium in contrarias convertuntur, ſive bonas, ſive malas. Eſt tamen in quolibet homine aliqua propenſio cæteris fortior, eique adhærens pertinaciùs; quam ipſe in agendo ut plurimùm ſequitur, & per quam ab aliis hominibus differt in moribus: ut conſtat etiam inter Monachos ejuſdem Cœnobii, qui omnes propriis, ſive particularibus moribus inter ſe differre deprehenduntur. Num ergo de Angelis inter liberarum actionum cauſas rectè vocat propenſionem nativam, infirmiſſimam omnium & inconſtantiſſimam?

Ad hæc plurimùm errat, dum ſolitariæ propenſioni opponit cumulum cauſarum externarum, quæ ipſam impedire valeant; fruſtraque contendit, quòd ſi has, & plures eſſe numero, & vehementiores evicerit; urbs ipſa Aſtrologiæ everſa fuerit. Nunquam enim omnes ſimul concurrunt; nullaque ſeorſim ipſi propenſioni robore comparanda eſt. Si enim, ut ipſe fatetur de Angelis, quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem Teſta diu; quid cenſendum de eo quod ineſt à natura? Prætereà quid dicet de Angelis, ſi cauſæ extrinſecæ ab illo expoſitæ, genus, educatio, exempla, leges, &c: propenſioni, ſive bonæ, ſive malæ, non fuerint contrariæ, ſed conformes, ut ſæpiſſimè accidit? Hinc ſanè nihil aliud concludi poteſt, quàm quòd propenſione, & cauſis extrinſecis conſpirantibus, certiùs ſequentur actiones propenſioni conformes: diſſentientibus verò, fortius vincet. Et quamvis propenſio cauſis extrinſecis quandoque cedat, quod ad particularem actum; non tamen cedit quoad habitum, neque ſemper: naturam enim furcâ licet expellas, tamen uſque recurret: quippè quod eradicari non poſſit, ſed totâ vitâ perduret, ut jam ſupra dictum eſt. Itaque de particularibus etiam actionibus in genere, vel ſpecie, probabiliter admodum prædicere poteſt Aſtrologus, quod tales futuræ ſint niſi ab aliis potioribus cauſis impediantur: verbi gratiâ, quod Natus venereis voluptatibus ſit daturus operam, aut litem habiturus, Ridet autem vaticinationem hanc de Angelis circa finem capitis 26. lib. 3. aitque: *fingis tibi hominem qui non ſit inter homines educatus, qui nullum unquam hominem viderit, nullum à parentibus, à domeſticis hauſerit aut virtutum, aut vitiorum exemplum, qui nullum audierit de virtute aut vitio diſſerentem: & in hunc tua vaticinia cadere vis; cùm nuſquam hujuſmodi reperiantur homines: cur non fateris in hanc, quam nos degimus, vitam, non cadere tua prædicta?* Sed mihi econtra deridenda videntur hæc verba Alexandri de Angelis, qui ſibi fingit hominem, cui ſingula hæc propenſionem cohibentia ſemper adſint; contraria verò nuſquam, dum præſertim Aſtra propenſionem acrius incitant; quique nunquam ulli priorum ſua propenſione repugnet.

Neque verum eſt, quod idem de Angelis rurſus imponit Aſtrologis, dum in fine cap. 28. lib. 3. aſſerit, eos ex ſolo corporis temperamento omnes vitæ rationes deducere; idemque cenſet cap. 20. Si quidem ex temperamento tantum deducunt corporis habitum, valetudinem, mores, & ingenium: inſpectis, ſcilicet, naturâ atque ſtatu Planetarum ad totalis temperamenti conſtitutionem particulariter confluentium; quibuſque ſignificandi talia vis particularis incumbit. Cætera verò, ut dignitates, lites, conjugium, liberi, &c: proprios habent ſignificatores; ex quibus etiam fiat prædictio: Ac proinde non omnia quæ ab Aſtris homini accidunt, ad temperamentum moreſque (ſaltem præcipuè) referri queunt; cum etiam multa contingant inſperata, inopinata & propenſioni contraria. Jam verò, quo tempore propenſiones nativæ in inſignem actum ſint erupturæ, vel cætera accidentia, morbi, dignitates, conjux, ſint adventura, prædicit inſuper Aſtrologos ex directionibus, vel tranſitibus congruentium ſignificatorum, quæ tempora ipſa determinant; iiſque temporibus hominem efficacius ſtimulant atque diſponunt. Mirandoque fato concurrere ſolent cauſæ omnes ad effectum neceſſariæ, ut probat experientia; & ſuo loco fuſiùs exponetur. Quis ergo prædictiones illas contemnet, ridebitque, niſi ſtultior illo, qui monitus ne per ſylvam prædonibus refertam ſolus tranſiret, monitum contemneret, deindeque in Sylva jugularetur?

Ex ſupradictis igitur patet evidenter, quàm futiles & abſurdæ ſint rationes, quibus Aſtrologiæ oſores perſuadere conantur propenſiones nativas non ſequi temperamentum. Quod ſi dixerint ſe id intelligere duntaxat de animi moribus, quatenus ſumuntur pro actionibus liberis propenſioni conſentaneis: ergo ut erroneum eſt mores animi, ſic ſumptos, ſemper & ubique ſequi temperamentum (quod extremum ab de Angelis falsò imponi Aſtrologis jam ſupra dictum eſt.) Ita falſiſſimum eſt, experientiæque maximè contrarium, hoc aliud extremum; eoſdem animi mores nunquam ſequi corporis temperamentum: quod idem de Angelis futilibus rationibus, & cauſarum externarum congerie, ſuſcepit defendendum. Veri autem Aſtrologi verſantur inter illa extrema; non tamen in ipſo medio, quòd voluntas hac in parte non ponatur in æquilibrio, ſed trahatur à propenſione nativa; juxta illud; *Trahit ſua quemque voluptas*: ideoque aſſerunt, animi mores in habitu nativo (hoc eſt propenſiones ipſas) ſemper ſequi temperamentum: in acta verò (hoc eſt ipſas actiones liberas) ſequi propenſionem, ſive temperamentum; niſi à libera hominis voluntate, vel fortiotibus cauſis externis impediantur, ut plurimùm verò non impediuntur, vel quòd voluntas ſola ex ſe ſit infirma & inconſtans, vel quod inſtante paſſione, ſive motu appetitus ſenſitivi, non ſit cauſa extrinſeca paſſioni contraria; imò paſſione fortior, & in quam voluntas ipſa propendeat: hæc enim tria ut plurimùum non concurrunt. Itaque de propenſionibus certò, de actionibus verò liberis, valdè propabiliter vaticinantur Aſtrologi: huicque doctrinæ aſſentiuntur Ariſtoteles, Galenus, D. Thomas, cæterique ſagaciores Philoſophi & Theologi.

Quòd ſi tandem objecerint, Aſtrologum præſcire non poſſe, an Actiones impedientur, necne; proindeque vanam prorſus eſſe prædictionem. Reſpondendum, illud neceſſe non eſſe ad prædictionem probabilem: quam hic impugnat de Angelis; quæque tantùm innititur Aſtrologorum fundamento ſuperiùs dicto; ſicque illud præſciret Aſtrologus;

logus; jam non probabiliter, ſed certo de actionibus vaticinaretur, contra hypotheſin: Atq; hanc conſequentiam deducit ipſe de Angelis eodem cap. 26. hiſce verbis. *At quoniam, qui ſedulos, qui ignavos habituri ſint educatores, incertum eſt, nil poſſunt Aſtrologi certò definire.* Ubi notandum, quòd de Angelis hîc, & alibi, paſſim Andabatarum more pugnat in Aſtrologos; quorum nullus aſſerit certò prædici poſſe actiones particulares; de quibus hic quæſtio eſt. Nihilominus dum aliquam actionem, ut conjugium, litem, peregrinationem, &c. ad certum tempus futurum prædicit Aſtrologus, ex genituræ & cauſarum Cœleſtium illo tempore, ſtatu, robore, & conſenſu vel diſſenſu, multas etiam deſumere poterit conjecturas; an actioni occurſurum ſit impedimentum, vel juvamentum, ex quibus de ipſa actione probabiliùs adhuc vaticinabitur. Sed hæc Pici, Alexandri de Angelis, cæterorumque Aſtrologiæ ignarorum captum excedunt, qui illam non diſcendi, ſed oppugnandi causâ aggreſſi ſunt, quod nunquam ipſe fecit Ariſtoteles, qui econtra Lib. 10. Ethic. cap. 9. *Hominum alios naturâ fieri bonos, ex quadam Divina causâ, fatetur*; per cauſam Divinam intelligens Deos illos, à quibus, Plato in Timæo, paſſiones animorum oriri, arbitratus eſt, quippe Planetas.

Caput XXIII.

Complectens varias cauſas extrinſecas, à quibus nativas hominum propenſiones ab Aſtris ſuſceptas, cohiberi, vel ex toto ſupprimi, putat de Angelis: Et quid circa illas ſummatim ſentiendum ſit.

QUòd nativæ hominum propenſiones cohiberi; vel etiam quoad exercitium in contrarias mutari queant, nullus eſt ſanæ mentis qui inficietur. Omnibus enim patet, quanta ſit hac in parte vis legum, educationis, exemplorum, conſortii, &c: Imò feræ ipſæ diſciplinâ miteſcunt, multaque diſcunt in hominis ſervitium. Sed quæſtio eſt, an unaquæque cauſarum iſtarum externarum plus valeat circa mores, quàm Aſtrorum influxus, aut nativa propenſio ab illis derivata; vel (ut res meliùs intelligatur) an cauſa quælibet externa, efficaciùs hominem moveat ad particularem actionẽ liberam, quàm ipſa nativa propenſio, ita ut hæc ab illa vincatur ſemper?

Hoc abſolutè verum eſſe, Alexander de Angelis probare contendit Lib. 3. à capite 25 ad finem; congeſtis, ſuo more, authoritatibus variis, pro ſingulis cauſis. Non eſt autem noſtri inſtituti, authoritates ſingulas diſcutere, hoc quippè nimis longum foret, magnaque jactura temporis: ſed duntaxat oſtendere, quantùm ipſe de Angelis circa materiam iſtam erraverit, dum vult, quòd cauſarum ipſarum quælibet, plus poſſit, quàm aſtra, vel nativa propenſio; non ſolùm in cunctis hominibus, ſed quoque ſemper in ſingulis: verbi gratiâ, quòd facta lege adverſus furta & adulteria, nemo ampliùs in furtum aut adulterium incidat, cùm tamen hoc experientiæ contrarietur. Quòd autem hæc ſit ejus ſententia, hinc patet: Nam alioquin de homine poſt legem furante, quæro ab de Angelis utrum in ipſo prævaluerit, an lex? an propenſio? Ac patet non fuiſſe legem, quod ſi neget propenſionem, dicatq; ex cap. 29 hominem motum fuiſſe ab objecti præſentiâ; dicam, objectum duntaxat moviſſe objectivè, at præter motionem objectivam, requiri inſuper effectivam, quâ homo actu furetur. At motio effectiva, etſi à voluntate imperetur, tamen à propenſione appetitus ſuggeritur & excitatur, non autem ab ipſo objecto: quod inde fit manifeſtum, quoniam eodẽm objecto circa pœnæ legis periculum præſente, duobus hominibus, quorum unus ſit naturâ ad furtum propenſus, alter à furto alienus: hic ne quidem motionem objectivam ſentiet, multóque minùs furti effectivam experietur, ille verò utramque patietur. Idemque dicendum de cæteris animi paſſionibus, quarum nulla proprio caret objecto; ad quod dum ſponte convertitur appetitus, ſuam teſtatur circa illud propenſionem, eóque majorem, quò illi diutiùs tenaciúſque adhærebit. Ac hominem præſente objecto trahi, quò proclivitas vergit naturalis, fateri coactus eſt ipſe de Angelis eodem cap. 29. Sed inde poſteà concludit peſſimè; Aſtrologos ex temperamento, vel propenſionibus, nullam de actionibus facere poſſe conjecturam: quòd objecta non ſint ſemper præſentia, nec illi definire queant quando futura ſint præſentia: ſiquidem tantùm valeret concluſio, facta hypotheſi, quòd objecta nunquam eſſent præſentia. At ſunt etiam frequentia modò ad hanc, modò ad aliam paſſionem, præſertim in civitatibus, atque aulis Principum; ubi idcircò vigent efficaciùs Aſtrologiæ decreta. Imò præviſo inſigni aliquo accidente ad tempus aliquod; definiet Aſtrogus valdè probabiliter, tunc objectum fore præſens; ut jam inſinuatum eſt in fine cap. 22. & ferè ſemper accidit, ob mirandam concatenationem cauſarum univerſalium & particularium, quibus totius fati naturalis ſeries cõſtat, ut alibi fuſius à nobis exponitur.

Jam verò quòd poſt legem latam in furtum, adulterium, homicidium, cæteraq; crimina, non unicus, ſed innumeri tamen ſint fures, adulteri, homicidæ, &c: probatione non indiget, potiuſque inde probatur, Planetas, quibus vis ineſt cauſandi propenſiones ad ſcelera, potentiores eſſe legibus ipſis, quæ ſceleribus extirpandis fruſtra incumbunt; cùm ea duntaxat in quibuſdam, & quandoque, poſſint coercere: ſicque leges palàm vim dominiumque Planetarum teſtantur. Atque hæc de legibus, & hominum univerſitate.

De ſingulis autem hominibus hoc certum eſt; Quòd ut quandoque lex eorum propenſiones reprimit, ne in actum erumpant, metu pœnarum: ita ſi aliâs abſit ille metus, & crimen occultè, tutóque perpetrari poſſit, lex eos non cohibet. Proindeque lex Principis, non puniendorum delictorum causâ, principaliter condita eſſe videtur; ſed ne ad ſcelera proclives ea publicè patrare audeant; quod tandem magno ſocietatis humanæ detrimento accideret, niſi de crimine convicti pœnâ legis plecterentur. Facit igitur lex ut ſocietas humana tutiùs degat; & ad flagitia proni ſtudioſiùs ſuæ ſaluti conſulant; non tamen eorum propenſiones eradicat. Idem, à ſimili, dici poteſt de aliis cauſis extrinſecis; de quibus in genere noſtram hic ſubjicimus ſententiam.

Hæ igitur ad 3. præcipuè genera reduci queunt, ut dictum eſt circa initium capitis 21. Nimirum ad ſuperiorum monita vel inſtituta, tum mandata, vel prohibitiones, ad exempla; & ad vitæ genus à Nobis ſuſceptum: Ab his enim contrahi poteſt moraliter agendi conſuetudo, etiam ſupra, aut contra nativam propenſionem. Porrò primi ge-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

neris cauſæ contrariantur ex ſe pravis propenſionibus, virtutique colendæ deſtinantur: Cauſæ verò ſecundi & tertii generis ſunt ex ſe indifferentes. Ut enim virtutum exempla bonas propenſiones in actum promovent, praviſque actionibus opponuntur; malas autem cohibent, & virtuti aſſuefaciunt: ita vitiorum exempla operantur omnino contrarium, quod de honeſto & turpi vitæ genere etiam dici poteſt. Quid igitur cenſendum de illo triplici cauſarum genere, quàm quòd eorum quodlibet valet circa mores, in quibus hominibus, quando, & quantùm poteſt? Itaque cauſæ ipſæ valent in quibuſdam hominibus, in aliis verò non: ac in ſingulis hominibus, quandoque valent, & quandoque non: tandemque in debilibus propenſionibus multùm poſſunt; in mediocribus minùs, & in fortibus minimè omnium: Nec propterea dico nihil poſſe, nam etiam *gutta cavat lapidem, conſumitur annulus uſu*, & feras arte cicurari compertum eſt; ſed quàm difficile ſit, ideóque rarum, quamque prona ſit natura ad recurſum, etiam nemo neſcit: quod nobis ſufficit ad conjecturalem prædictionem ab de Angelis denegatam.

Quod autem ſuperiùs dictum eſt, probatur omnium ſæculorum experientiâ. Nam inter filios Adæ Cain fuit nequiſſimus, propenſione ad avaritiam, invidiam, cædem, ideóque etiam, priuſquam in actum fratricidii prorüperet, dictum eſt ei à DEO, *ſub te erit appetitus* [illegible], *& tu dominaberis illis*. Sed forti propenſioni inutilis facta eſt monitio DEI. Inter filios Noe, Cham fuit malus, inter Sodomitas Loth caſtus & pius: inter Apoſtolos, Judas fuit fur, invidus & proditor peſſimus. Quot reperiuntur liberi à parentum virtutibus, aut vitiis degeneres? Quot ſceleratis referti ſunt carceres, triremes, patibula, præter plures numero forſitan nequiores, nec minùs legum tam divinarum quàm humanarum contemptores, quorum ſupplicii nondum advenit tempus, vel quorum flagitia ignorantur; vel qui arte, donis, favore, authoritate pœnas evadunt? Nulline in Cœnobiis ipſis reperiuntur effrenati, indomiti, hypocritæ, impii, apoſtatæ, quibus nec educatio, nec monita, nec leges, aut ſtatuta, nec ſocietas, nec exempla ad benè vivendum, nec fortè etiam genus defuere? Cur de Angelis nullam harum mentionem facit? An forſan nimis raræ ſunt talium hiſtoriæ? imò quotidianæ. Quid ergo de illis dicet de Angelis? Nonne à cauſis externis ſuperatam fuiſſe propenſionem, non autem voluntatem, actionum dominam? Quaſi verò ſine tentigine adulteria perpetrentur; & victa ſit propenſio, dum in flagitia homines irruunt! Præterea voluntas nunquam fertur in ignotum; dum ergo fertur in aliquod ſenſibile, neceſſe eſt ut prius per potentiam ſenſitivam apprehendatur ſub ratione boni, & ut tale appetatur, voluntatique proponatur, quo ab ea conſenſus extorqueatur: At in his, quis niſi inſanus, dixerit, appetitum ſenſitivum operari ut victum, non autem ut propenſum?

Neque de Angelis circa finem cap. 34. ut probet nullam eſſe in temperamento corporis cauſam appetitionum voluntatis, nobis obtrudit Divum Auguſtinum lib. 12. de civit. cap. 6. ubi ſupponit duos homines æqualiter affectos animo & corpore, videntes unius corporis pulchritudinem; quâ visâ, unus eorum ad illicitè perfruendum moveatur; alter in voluntate pudica ſtabilis perſeveret. Nam præterquam quòd nemo talem unquam vidit experientiam; certum eſt, quòd ipſa hypotheſis ſtare nequit, ſed ſeipſam deſtruit. Abſurdum quippè foret opinari, voluntatem moveri in delectationem ſenſualem ſine prævia concupiſcentia appetitus ſenſitivi, ad quem primo & per ſe talis delectatio pertinent; cùm voluntas ipſa non feratur in ignotum: & ex ſeipſa indifferens circa particulares volitiones aut nolitiones, neceſſariò determinanda ſit ab objectis. Jam verò ſi in neutro illorum hominum adfuit concupiſcentia: ergo in neutro potuit eſſe pugna nec peccatum: ſi adfuit in uno, & non in altero, jam non ſunt ambo æqualiter affecti; contra hypotheſin: ſi denique adfuit concupiſcentia in utroque, & pugna in unico, jam differunt animo; in uno enim eſt repugnantia ſpiritalis in pravas delectationes ſenſuales, & peccatum: in altero autem nulla: ſi verò in utroque accidit certamen ſpiritus in carnem, ſive voluntatis in appetitum concupiſcibilem, negari nequit, victam fuiſſe voluntatem ejus qui peccato conſenſit, ergo vel ob acriorem inſultum appetitus in voluntatem, vel ob hujus majorem infirmitatem; proindeque homines ipſos etiam corpore & animorum fuiſſe æqualiter affectos, contra hypotheſin; objectum enim utique manet idem.

Cæterum, præter ſuperiores cauſas, Alexander de Angelis alias adhuc recenſet, quæ pravis propenſionibus corporis opponantur: nempè animæ conatus, gloriæ & ſciendi cupidinem, vitæ hujus amorem & conſcientiam, cum beatitudinis appetitu.

Ac primò de animæ conatibus certum eſt, quòd ipſi in cauſis omnibus ſupradictis ſint abſolutè neceſſarii ad pravas propenſiones animæ ſuperandas; ſublatiſq; conatibus, cauſæ ipſæ nullius virtutis eſſe queant. At quàm pauci inter homines conatus illos ſuſcipiunt? Et quàm pauciores in iiſdem perſeverant ad victoriam perpetuò reportandam in ſingulis occaſionibus? ac proindè quàm amplus Aſtrologis campus relinquatur, de hominū moribus, ſive actionibus vaticinandi probabiliter, id ſit manifeſtum.

De gloriæ verò & ſciendi cupidine, etiam certum eſt, quòd qui ſponte tali ad agendum ducuntur appetitu, is ineſt illis à temperamento & aſtris, ideoque ſuis obſequuntur propenſionibus, non autem iis contrariantur. In iis verò qui citra, aut contra nativam propenſionem inſtituuntur à parentibus, pædagogis, vel aliis ad æmulationem illam: idem erit dicendum de illa inſtitutione, quod ſuperiùs dictum eſt de aliis cauſis: nempè, quòd valebit in quibus, quando, & quantùm poterit; hoc eſt vix aliquid ſi nulla aut contraria adſit inclinatio naturalis.

Præterea vitæ hujus amorem fateor eſſe frænum ad ſyderales impulſus cohibendos admodum potens; dum ſcilicet patet evidenter, inde ſubſequi præſentaneam mortem, aut carceres, aut gravem morbum aliquem: At ſi ſpes utcunque fallax adfuerit periculum evadendi; vix ullo etiam præſentis periculi metu, ad mala & ſcelera proni coercebuntur; ne data occaſione ſuos appetitus expleant, genioque proprio indulgeant. Patet in morbis ex gula; tum in morbis Venereis adeò trivialibus; etſi omnium fœdiſſimis & probroſiſſimis: patet in furibus, prædonibus, homicidis & aliis quibus mortis infamiæque per-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

perpetuæ periculum imminet. Patet in duella & Bella ſectantibus, quos ipſa mortis temporalis fortéque æternæ præſentia revocare nequit. Dicamus ergo vitæ hujus amorem perpaucos à pravis propenſionibus retrahere. Quòd genio ſuo indulgere, putetur eſſe vitæ genus cæteris dulcius amabiliuſque: Permultos verò ſpe ſeductos, fatalibus Aſtrorum influentiis involvere, ac proinde cauſam hanc eſſe omnium fallaciſſimam.

Denique circa conſcientiam & beatudinis æternæ appetitum, fateor nullum eſſe adverſus propenſiones pravas remedium illis excellentius efficaciuſque. Ineſt enim ſpiritui noſtro quoddam naturæ lumen quo ex creaturis aſcendit in earum Conditorẽ; quem videt eſſe rerum omnium principium, omnipotentem, infinitum, æternum, ſummum bonum & finem ultimum. Inſtituimur autem ab ineunte ætate, nos ad illius imaginem & ſimilitudinem eſſe factos, quæ peccato fœdatur, & virtutibus illuſtratur, actitatis illius amore, cui debemus quidquid ſumus & poſſumus; quemque diligere tenemur ſupra omnia ex toto corde, & ex tota anima, ex tota mente, & ex totis viribus noſtris; cum gratiarum actione, reverentia & obedientia in omnibus, ut vitam poſſideamus æternam, quam ille nobis præparavit, CHTISTUS verò nobis mercatus eſt ſuo ſanguine pretioſiſſimo. De hiſce monemur à parentibus & Eccleſiæ Paſtoribus, etiam toto vitæ curriculo, præter Sanctorum Librorum lectiones. CHRISTUS ipſe ſummus ac piiſſimus, fideliſſimuſque Paſtor noſter, ſtat ad oſtium cordis noſtri; clamans: Venite ad me qui laboratis (ſcilicet morbis ſpiritalibus) & onerati eſtis (ſcilicet ponderoſa cruce malarum propenſionum) & Ego reficiam vos, ut deinceps alacriùs peccata & terrena deſeratis, virtutes verò & Cœleſtia ſectemini: atque nobis ineſt naturalis propenſio intellectus & voluntatis in illud ſummum bonum, noſtrumque finem ultimum, tum ad media ad ipſum, quippe virtutes: eſtque voluntas ſuarum actionum domina, ſine cujus conſenſu vitioſæ propenſiones nihil poſſunt; ita ut nulla ante dictarum cauſarum ſit cum hac robore & præſtantiâ conferenda. Et tamen heu miſeros homines! Cunctis illis non obſtantibus, quot etiam Chatholici (unicus DEI populus) & quoties, labuntur in peccata mortalia, redeuntque ad vomitum, quilibet juxta nativam propenſionem? Itaque fatendum ingenuè, quod niſi infinita DEI patientia & miſericordia nos protegerent, ne quidem Catholicorum pars decima damnationem æternam evaderet: Proindeque hanc etiam cauſam valere in quibuſdam, in aliis verò non: & in ſingulis quandoque, frequenter verò non prodeſſe.

Quod ſi acies tam numeroſa cauſarum, imo qualium inter homines non eſſe queunt fortiores, vix unius hominis nativam propenſionem vincere vel cohibere poteſt, ne ſaltem quandoque erumpat in actum, quis negabit ampliùs, maximam eſſe hujus propenſionis vim in actionibus liberis: & perſpicuè non agnoſcet callidam Diaboli nequitiam, qui ſemper unumquemque tentat juxta propenſionem?

CAPUT XXIV.

De duabus aliis cauſis, ſcilicet DEI Providentia & caſu; à quibus vim aut influxus Aſtrorum eludi aſſerit de Angelis: ubi etiam occaſione data agitur de fato atque fortuna.

UT falſitas doctrinæ Alexandri de Angelis adverſus Aſtrologos fiat evidentior, hic breviter præmittendum eſt, quid ſit DEI Providentia; quid fatum, quid fortuna, tum caſus: & in quæ poſſit cauſarum ipſarum unaquæque: Nam fatum, fortunam, & caſum in numero cauſarum agentium Philoſophi recenſuêre, eaſq; ab invicem etiam diſtinxêre.

DEI Providentia.

ITaque DEI Providentia eſt Divina ratio ordinandarum rerum in aliquem finem. In DEO enim non eſt providentia reſpectu ſui ipſius, quia in ipſo nihil eſt in finem ordinabile, cùm ipſemet ſicut principio, ſic fine careat, ſit autem finis ultimus omnium rerum, ut eſt omnium primum principium: ipſaque ordinis ratio æterna eſt, cùm ſit ipſemet DEI voluntas; at ordinis executio temporanea eſt; quia tantùm cadit in creaturas pro tempore quo tendunt in ultimum finem, quo adepto illa ceſſabit, cunctaque in ipſo fine quieſcent, quodlibet modo ſibi congruo.

Porrò omnia creata Divinæ Providentiæ ſubjacent, non tantùm in univerſali, ſed etiam in particulari. Nam ut quodlibet creatum habet ſuum eſſe à DEO ob aliquem finem (ne DEUM temerè & fruſtra agere dicamus) ita dum in ſuo eſſe temporaneó conſervatur à DEO, continuò dirigitur ab ipſo in illum finem. Et quantùm attinet ad ipſam ordinis rationem, providet ſolus DEUS immediatè & per ſe creaturis omnibus, quia ipſa ratio eſt in illius duntaxat intellectu & voluntate: at quantùm attinet ad executionem ipſius ordinis, DEUS etiam per aliqua media providet creaturis, atque ſic movet gubernatque inferiora per ſuperiora, & ſublunaria per Cœleſtia: non quod inferiora ipſe etiam immediatè non attingat, cùm rebus omnibus ipſe ſit intimus, ſed quia non ſolus attingit quoſlibet effectus. Quippe ex bonitatis ſuæ exuberantia, etiam efficiendi atque regendi vim, dignitatemque creaturis communicare voluit. Unde patet quàm falsò dixerit de Angelis cap. 22. lib. 3. DEI Providentiam pugnare cum Aſtrorum vi: Hac enim poſitâ pugnâ, vel Aſtra nihil omnino poſſent efficere, vel DEUS eſſet Aſtris debilior; eſt autem Divinæ Providentiæ ordo immobilis, ejuſque immobilitas in hoc ſita eſt, ut cuncta eveniant eo modo quo ipſe providit, hoc eſt effectus neceſſarii à cauſis neceſſariis, contingentes à contingentibus, & liberi à liberis: ideoque Divina Providentia quibuſdam rebus neceſſitatem imponit, aliis non imponit.

Fatum.

FAti nomen in genere, videtur ſumptum fuiſſe ab Antiquis omnibus, pro quadam agendi neceſſitate cauſarum; movente ſingula quæ cauſis ipſis ſubjiciuntur. In ſpecie verò multipliciter accipi poteſt; imò à pluribus acceptum eſt.

Primò, pro Divina Providentia omnia & ſingula præordinante; de qua ſuperiùs dictum eſt: ſed minùs propria eſt acceptio iſta; cùm Divina Providentia ſit fati cauſa, & ſupra fatum, agatque interdum contra fati leges.

Secundò, pro ipſo ordine cauſis ſecundis, tum ſuperioribus, tum inferioribus, inhærente; illaſque ſerie vel nexu quodam colligante, vel pro natura univerſa ſic ordinata. Unde Boëtius Lib. de Conſol. Phil. *Fatum eſt immobilis diſpoſitio rebus inhærens mobilibus; per quam Providentia ſuis quæque nectit ordinibus.*

Tertiò, pro vitali quodam principio univerſi, per omnia diffuſo, à quo ſingula neceſſitate inevitabili fiant & moveantur. Taliſque fuit opinio quorumdam Philoſophorum Stoicorum. Sed hæc ideò rejicienda eſt, quia DEI providentiam tollit, cauſarumque ſecundarum vires & efficientias proprias; nec non hominis libertatem.

Quartò, pro natura particulari cujuſque rei, ut apud Chymicos, qui in ſingulis rerum ſeminibus vitale quoddam principium deprehendunt, à quo rerum conformationes, figuræ, colores, odores, ſapores, &c: ſeminibus ipſis conſentanea neceſſariò prodeant: Unde in novo Lumine Chymico tractatu 1. rectè dicitur naturam eſſe ſpiritum volatilem qui in ſingulis corporibus ſuum agit officium; idque fato naturali.

Quintò, pro viribus & motu aſtrorum in ſe, vel univerſaliter ſpectatorum; quatenus, ſcilicet, diverſis in Cœlo ſitibus & inter ſe configurationibus ſublunaria univerſali ratione alterant atque immutant. Sol enim in ♋ aliud efficit in cunctis ſublunaribus quàm dum eſt in ♑: & aliud cum ♃, aliud verò cum ♂: item aliud in △ ♄; & aliud in □, ut loco ſuo probabitur.

Sextò, denique pro vi Cœleſtis conſtitutionis, particulariter ſpectatæ in ortu vel geneſi cujuſque rei, & præſertim hominis. Talis enim conſtitutio ipſius hominis particulare fatum appellatur, quatenus ad illius virtutem & efficaciam particulariter refertur; ipſique homo paſſivè ſubjicitur.

Ex his verò fiunt duo nobis manifeſta. Primum, dari duntaxat fatum propriè dictum in rebus naturalibus & corporeis. Secundum, dari tantùm in illis rebus quæ ordine & connexione conſtant, & quarum aliæ ab aliis dependent in eſſe vel agere: ac proinde quæ fato fieri dicuntur, ordinatim fieri neceſſe eſt. Prætereà conſtat etiam fatum aliud eſſe univerſale ut in 1. 2. & 5. acceptione; aliud verò particulare ut in 4. & 6. quod autem particulare ſubjiciatur univerſali, nemo neſcit.

Porrò fatum ſi ſumatur pro Divina Providentia, vel ejus ordine in cauſis ſecundis ſtabilito, eſt immutabile reſpectu quorumcunque entium vel effectuum. Nihil quippè eſſe vel fieri poteſt extra illam providentiam, illumve ordinem; ne quidem mala & peccata; cùm DEUS ea etiam ordinet in bonum finem: unde illud D. Auguſtini, *DEUS nunquam permitteret malum, niſi de malo potens eſſet facere bonum.* Ideoque ſic omnia fato per ſe & directè ſubjici rectè dicuntur; quodlibet tamen juxta naturam propriam, hoc eſt neceſſaria neceſſariò, & libera liberè: ex quo hominis libertatem à fato etiam ſic ſumpto infringi dici nequit.

At ſi fatum ſumatur pro ordine inhærente cauſis ſecundis, vel earum efficientiâ propriâ, non eſt immutabile vel inevitabile, ſed ſuo plerumque fruſtratur effectu. Et ſi enim circa res neceſſariò paſſivas, qualia ſunt corpora ſublunaria, illud ſuos completè ſortiatur effectus, pro cujuſque ſubjecti natura, agendo, ſcilicet, quantum poteſt, & quantùm patitur natura ſubjecti, ut dum Sol lutum indurat, ceram verò liquefacit: ac præterea duabus cauſis effectricibus ſimul concurrentibus, ut Sole & Saturno in alterando Aëre; vel imprimendis propenſionibus in homine naſcente; fiat ex utriuſque virtutis concurſu mixta virtus, quæ etiam in ipſo Aëre vel homine ſuum completè ſortitur effectum; qui vel de utraque æqualiter, vel de fortiori magis participat; unde cauſæ contrariæ ſe mutuò impedire, ſimiles autem, ſe mutuò juvare dicuntur, & ſemper mixtum effectum producere: indeque pateat corpora omnia inferiora fato, hoc eſt ſuperiorum efficientiæ per ſe & neceſſariò ſubjici, fatumque in ipſis nunquam eo quem in illa poteſt fruſtrari effectu, etiamſi plerumque in naturâ Monſtroſo: imò quævis circa res liberè paſſivas, qualis eſt homo, aliquando fatum ſupradictum ſuos quoque completos ſortiatur effectus; ut dum non modo propenſiones influit initio vitæ: ſed paſſiones deinde actu cauſat in appetitu, quando pars animæ rationalis pro libertatis imperio non prohibet, vel etiam conſentit; unde fit ut ipſa per ſe à fato libera, eidem ſponte ſubjiciatur in pravis paſſionibus, donec reſipiſcat: tamen plerumque etiam accidit ut in ipſo homine fati vis eludatur, ac evitetur; veluti dum Aſtra congruè diſpoſita conſentaneas nativis propenſionibus paſſiones actu cauſare nituntur, quibus voluntas reſiſtit atque vincit: vel quando deſunt aliæ cauſæ ad liberum effectum neceſſariæ, ut amici ad præfecturas obtinendas; vel adſunt contrariæ, aut impedientes, ut morbus tempore ſignificati matrimonii; potens inimicus in aula tempore beneficii à Rege impetrandi. In iis enim & ſimilibus, quamvis hominis appetitus à particulari fato moveatur, ipſaque voluntas excitetur ad conſenſum (qui eſt hac in parte influxuum Cœleſtium ſupremus effectus;) tamen quia vis particularis Fati, ulterius ex ſe progredi nequit, liber effectus ſupprimitur; niſi à nexu & concatenatione cauſarum fati univerſalis, particulares aliæ cauſæ, ipſi effectui neceſſariæ, ſive contrariæ, ſuppeditentur, ſive tollantur: quod frequenter accidit, dum præſertim adeſt excellens atque fortis diſpoſitio fati particularis, quæ hominem ſtimulet acriùs circa alias ipſius effectus particulares cauſas.

Præ cæteris verò ipſa hominis voluntas in iis omnibus, quæ ad liberas actiones ſuas pertinent, prædicto fato poteſt reſiſtere; tum particulari tum univerſali, quòd ipſa ſit naturæ ſpiritalis; proindeque fato ſuperior, quod per ſe tantùm regnat in naturâ corporea; ac ſit etiam ſuarum actionum domina: unde fit ut ipſa voluntas, & actiones ab ea dependentes, fato directè & per ſe non ſubjiciantur;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

tur; quamvis indirectè & per accidens illi ſubdantur; quatenus voluntas in agendo dependet aliquo modo à potentiis ſenſitivis; ac, ſi non in omnibus hominibus, ſaltem in pluribus ſequatur ut plurimùm nativas propenſiones harum pondere tracta vel inclinata; utcunque id liberè faciat.

Fortuna & Caſus.

FOrtuna & Caſus vulgò cenſentur eſſe cauſæ extrinſecæ; & per accidens, multorum effectuum; ſed in eo inter ſe differre, quod Fortuna locum habere dicatur in iis duntaxat, quæ ob aliquem finem ſuſcipiuntur, vel aguntur. Dum enim aliud accidit quàm quod ab initio intendebatur, tunc fortuitò vel Fortunâ cenſetur accidiſſe: ut ſi quis murum deſtruere intendens, theſaurum inveniat in muro abſconditum; aut ſi quis in urbem ſe conferens, fratrem viſitaturus, incarceretur: horum effectuum Fortuna dicetur eſſe cauſa per accidens, quòd præter intentionem eveniant. Inde verò ſequitur, Fortunam duntaxat habere locum inter homines ratione utentes, ac in eorum liberis actionibus; non autem inter bruta, & infantes, qui nec deliberare, nec ſibi finem rationabiliter proponere queunt. Quamobrem Ariſtoteles lib 2. Phyſ. cap. 5. ait, Fortunam eſſe quiddam quod à ratione averſum eſt alienumque; ſubaudi in his quæ cum deliberatione ſuſcipiuntur: cùmque id quod accidit, bonum eſt, bona Fortuna nuncupatur; & cùm malum, mala.

At Caſus multò latiùs patet quàm Fortuna. Nam (ut volunt) ſeſe extendit per cunctos naturæ gradus. Quæcunque enim à cauſa extrinſeca accidunt in Elementis, mineralibus, vegetabilibus & animalibus; præter horum naturæ intentionem, nec non in humanis actibus citra deliberationem aut voluntatem; hæc caſu fieri dicuntur, caſumque eſſe eorum cauſam per accidens: ſic quod auro dum generatur, cuprum admiſceatur; quod ovis à lupo rapiatur; quod infans cadens in ignem comburatur; quod homo nihil cogitans à ſuperveniente milite, vel cadente ex alto lapide occidatur; & ſimilia; caſu fieri dicenda ſunt, juxta doctrinam ſuperiorem. Atque hæc de Fortuna & Caſu, horumque differentia, cenſuère Ariſtoteles, aliique celebres Philoſophi.

Cæterùm in Philoſophia plurimùm cæcutire mihi videntur, qui in univerſa natura, & rebus humanis, naturali fato & viribus Aſtrorum per ſummam ignorantiam neglectis, tam latum potenſque imperium caſui & fortunæ concesserunt, atque hanc pro Dea cæca coluerunt. Primò enim quæram ab illis Philoſophis, an fortuna & caſus ſint cauſæ reales: an vero duntaxat imaginariæ? ſi hoc, nonnè eſt ingens ſtultitia, cauſis imaginariis tot tantoſque reales effectus adſcribere? Si illud, quæram iterum quid ipſæ ſint, & ubi ſint? Ac ſanè cogentur recurrere ad Dei Providentiam, vel fatum, de quibus ſupra, quæ ſunt cauſæ reales, quas abſurda fortunæ & caſus introductio includit à prædictis effectibus. Jam verò quis dixerit, Dei Providentiam & fatum eſſe cauſas per accidens, cùm per ſe attingant omnes effectus, quorum cauſæ eſſe dicuntur? Prætereà quod caſus & fortuna, tantùm ſumi queant pro Divina Providentia, quatenus ſuo ordine inhæret cauſis ſecundis; hinc patet: quia alioquin omnia quæ caſu aut fortunâ fieri dicuntur; carerent cauſis naturalibus, fierentque ab ipſo Deo ſupernaturaliter; ideóque miraculosè; ſicque momentis ferè ſingulis miracula acciderent in rebus Phyſicis; quod multifariàm abſurdum eſt opinari. Supereſt igitur ut ſumi queant pro fato in 2. 4. 5. & 6. acceptione ſupra expoſitis: idque de hominibus præſertim veriſſimum eſſe deprehendetur; quos Fortunæ & Caſui, rebus fictitiis, potiùs quàm fato, vel Aſtris ſubjici, ſtulta eſt multorum opinio. Nam ſi infantis qui in ignem cecidit, & combuſtus eſt; ſi hominis, qui natandi gratiâ fluvium ingreſſus, in eo ſubmergitur, vel qui inopinatò ad honores evehitur; geneſes conſulantur; deprehendetur non cæcam fortunam, vel caſum, ſed Aſtrorum congruos influxus talium effectuum eſſe cauſas veriſſimas; ex quibus ipſi effectus ab Aſtrologis ſæpiſſimè prædicuntur, ſaltem in ſpecie, vel genere: at ſi fortuito acciderent, nunquam, aut tantùm fortuitò prædicerentur. Eademque eſt ratio in cæteris.

A qua ſanè ſententia non procul abſuit Proclus in Timæo, dum dixit, *Fortunam non eſſe temerariam, vel cæcam; ſed Divinam, vel Dæmoniacam poteſtatem, in varios fines divulſas cauſas congregantem ad effectum aliquem.* Quod de Caſu etiam cenſuit Chalcidius in Timæo: ut proinde hi caſum & fortunam pro eadem vi & poteſtate ſumpſerint. Imò ipſe Ariſtoteles, poſtquam ſuper hac re multùm titubavit, ob ignotam ſibi Aſtrorum vim, tandem in fine cap. 6. Lib. 2. Phyſ. hæc habet: *Quoniam autem caſus & fortuna cauſæ ſunt eorum quæ vel à mente, vel à Natura proficiſcuntur; idque tum demùm, cùm horum ipſorum aliquid ſit causâ adventitia: nihil autem adventitium prius eſt iis, quæ per ſe ſunt: profectò ne adventitia quidem cauſa prior ea eſt & antiquior, quæ per ſe vique ſua efficit. Ex quo efficitur, caſum & fortunam poſteriora eſſe Mente atque Natura: ita ut Caſus maximè ponatur causâ Cœli: tamen & mens & Natura in efficiendis cùm aliis permultis, tum hac rerum univerſitate, priores partes habeant, neceſſe eſt.* Quibus ex verbis conſtat Ariſtotelem reducere fortunam in Deum ſive Mentem: Caſum verò in Cœlum, ſive Naturam; quòd ſcilicet ipſe caſum & fortunam diſtinxerit; ac fatum propriè dictum, vimque Aſtrorum minùs, quàm opus erat, cognoverit.

Duæ difficultates hîc ſuperſunt enodandæ. Prima, ſublatis fortuna & caſu, cauſis per accidens; quoniam fatum, vel aſtra ſunt tantùm cauſæ per ſe eorum quæ ab ipſis fieri dicuntur; ſequeretur actus humanos fato & aſtris directè, & per ſe ſubjici, contra Theologos?

Sed reſpondeo. In humanis accidentibus intervenire actum voluntatis, vel non; ſi hoc (ut dum aliquis ſubmergitur ex improviſo) totus effectus poteſt eſſe per ſe ab Aſtrorum influxu, qui tali homini lethalis eſt: Nec habent Theologi quod hic opponant pro voluntatis libertate. Si illud, (ut dum quis voluntario duello interficitur) jam dividendum eſt accidens in actûs voluntatis, quibus duellum excitatur, & utrimque ſuſcipitur: Tum cauſas Phyſicas antecedentes & comitantes duelli, hujuſque exitum: dicendumque, has cauſas & exitum à pravis & homini

interfecto lethalibus influentiis, directè & per ſe prodiiſſe: ipſos autem voluntatis actus, nonniſi indirectè & per accidens; quatenus voluntas ab appetitu aſtris ſubdito fuit excitata; ſicque voluntati ipſi nihil ſit Theologorum menti contrarium; imò nobis omninò favet D. Thomas 1.part. quæſt. 115. art.ſupracitato. Quod ſi quis duellum coactus ingrediatur, aut in itinere prædonibus occurrat; tunc quò minùs eſt voluntatis in homine, ad tale, accidens; eò plus erit poteſtatis fati & Aſtrorum illo tempore ſuper ipſum, eademque eſt ratio in cæteris.

Secunda. Maxima pars humanorum actuum pendet à plurium cauſarum concurſu. Hic verò non poteſt eſſe à cauſa per ſe, cùm ſit quoddam aggregatum: Ergo à cauſa per accidens; quam Proclus ſupra fortunam appellavit, cauſas divulſas congregantem.

Reſpondeo primò; Proclum agnoviſſe fortunam eſſe vim realem, quippe divinam, vel dæmoniacam; ideoque cauſam per ſe. Reſpondeo ſecundò; Eandem objectionem fieri poſſe de concurſu 4. Elementorum, tum Solis, & maris ac fœminæ pro hominis generatione; quem nemo ſanæ mentis dixerit habere eſſe à fortuna, vel cauſa per accidens: ſed ut homo habet ſuum eſſe à ſuis Elementis & cauſis per ſe, fatali cauſarum ſerie atque nexu concurrentibus; idem de quolibet humano actu venit intelligendum. Et hoc jam alibi inſinuavimus, exemplisque illuſtravimus: rationem verò à nobis promiſſam hîc aſſignamus. Idemque cenſendum de cæteris effectibus, qui fortunæ vel caſui ab ignaris tribuuntur: & in quibus dum concurrunt cauſæ liberæ cum neceſſariis, tam hæ, quàm illæ pro ſua natura complent effectum: nullaque inde mihi videtur ſequi abſurditas: quod de fortuna & caſu dici nequit, ſi ſint cauſæ fictitiæ, non autem reales.

Sed quærit de Angelis cap. 13. Lib. 3. à quonam Cœli ſtatu moveantur cauſæ illæ concurrentes? An à proprio ſingularum, an verò ab aliquo communi multis? Et utramque negat frivolis rationibus. Dico autem, & à proprio & à communi. Nam ſinguli propenſione Venerei, à ſibi proprio Cœli ſtatu ſigillatim moventur ad Venerem. Et quia unumquodque naturaliter appetit ſibi ſimile: idcircò à communi propenſionis Venereæ influxu, ſeſe mutuò quærunt, ſibique mutuò occurrunt. Idemque dicito de quovis altero vitio, & quavis virtute; quandoquidem morum ſimilitudo amicitias generat, & homines aſſociat. His adde, quòd cùm homines (animalia ſociabilia) ſimul converſentur, quilibet externa ſui corporis forma, tum geſtibus & actionibus, tam corporeis quàm mentalibus, propenſiones ſuas naturaliter exprimit: & hoc eſt à proprio Cœli ſtatu: Inde verò amicitiæ aut inimicitiæ, ſive ſympathiæ aut antipathiæ à communi Cœli influxu, ſive ſtatu contrahuntur; Ex quibus poſteà diverſæ prodeunt humanæ actiones, honeſtæ, jucundæ & utiles, vel his contrariæ multis hominibus communes; in quibus liberum cujuſque hominis arbitrium ſeſe vel contra, vel juxta propenſiones naturales à Cœlo influxas determinat. Atque ſic tractio Naviculæ poteſt eſſe vel ab unico homine trahente, vel à pluribus ſimul trahentibus; contra Alexandrum de Angelis, qui vult quod cauſa particularis cujuſvis effectus tantùm eſſe queat particularis, & non communis.

Objicies, ergo nulli erunt effiectus contingentes, hoc eſt fortuiti & caſuales; quorum prædictio à Concilio Tridentino & Papa Sixto V. condemnatur; ſicque vana erit talis condemnatio.

Sed reſpondeo: per contingentes, hoc eſt fortuitos & caſuales effectus, quorum prædictio Aſtrologis interdicta eſt, propriè intelligi futuros effectus particulares, ſive ſingulares, ab hominis voluntate, & plurium cauſarum particularium concurſu dependentes in fieri: quod Aſtra directè & per ſe non determinent voluntatem, nec cauſarum concurſum efficiant; quamvis per accidens & indirectè poſſint utramque: ideoque nequit Aſtrologus effectus illos prædicere: licet id Dæmoni longè perſpicaciori non ſit impoſſibile, juxta aphor 1. Centiloquii, *Soli numine afflati prædicunt particularia.* Igitur ab homine prædici queunt futuri effectus duntaxat in genere, vel ſpecie; idque conjecturaliter, præſertim in actionibus liberis: ſed de his hactenus dixiſſe ſufficiat.

Caput XXV.

Nativas hominum propenſiones non aliunde certiùs cognoſci poſſe, quàm ex Themate Cœleſti ad navitatis momentum erecto.

PRobatur id ex cap. 21. ubi oſtenſum eſt mores animi ſequi temperamentum; hoc verò præcipuè cauſari ab Aſtrorum influentiis: omninòque confirmatur ex cap. 22. 23. & 24. ubi objectiones contrarias, eſſe vanas imò abſurdas, convincitur.

Cæterùm non abs re hîc dicitur, propenſiones ipſas certiùs cognoſci ex themate natalitio, quàm modo quovis alio: non enim omnes birioſi ſunt eorumdem morum: quippè quod bilioſum temperamentum ex diverſis cauſis, tum Cœleſtibus, tum inferioribus, oriri poſſit: nec ſimiliter omnes quorum Mars dicetur eſſe præcipuus morum ſignificator, iiſdem moribus martiis ſunt obnoxii: quippè quòd pro diverſo Martis ſtatu in geneſi, & diverſa ejus connexione cùm Planetis cæteris diverſi mores martii profluant, ſive boni, ſive mali. Quamobrem ut cujuſque hominis mores inſiti diſtinctiùs certiúſque innoteſcant, neceſſariò figura genethliaca inſpicienda eſt; in qua ſingulæ temperamenti morumque cauſæ Cœleſtes, tum harum natura, ſtatus, connexio atque robur fiunt conſpicua: ita ut præter figuram ipſam, nihil ſit quod mores ipſos certiùs & perfectiùs exprimat, ipſa nequidem excepta Phyſiognomia, ut proprio loco fuſiùs exponetur.

Quanti autem momenti res iſta ſit ad Liberorum educationem, promotionemque ad literas, vel artes, tum ad eligendum vitæ genus eis congruum, vix æſtimari poteſt; nec niſi prolixo admodum ſermone, variis Hiſtoriis exempliſque referto, hîc ſufficienter explicari.

Itaque in genere ſufficiat inſinuare, quòd Nati indole præcognita, ſi hæc bona ſit, congruis ſtudiis & exercitiis excolenda erit: ſi prava, contrariis: etſi enim valdè prava vix emendari queat, ut anteà dictum eſt; tamen parum aut mediocriter mala corrigi

rigi queunt. Præterea ex ſtupido velle invitâ Minervâ Philoſophum facere aut Theologum; ex puſillanimi ſtrenuum ducem; ex impio devotum, Religioſum, &c: non modò oleum & operam perdere eſt (niſi DEUS concurrat ſupernaturaliter) ut de ſuo filio conqueritur Cicero; ſed inſuper tales in deſperationem, ſtultitiam, opprobrium, & pericula ingentia conjicere. Verùm de cujuſque Nati propenſionibus & indole cognoſcenda, & quibus ſtudiis vel artibus ſit aptus, vel ineptus; ſuo loco tradetur ſcientia. Ac præſertim in Aſtrologia practica.

CAPUT XXVI.

Quid hactenus effectum ſit in Oſores Aſtrologiæ: deque horum inſipientia.

DUrum profectò, longum, importunumque bellum huc uſque geſſimus, cum Aſtrologiæ oſoribus præcipuis: qui de Victoria quàm abſurdè libris ſuis gloriati ſint, patet ex ſuprapoſitis; ubi rationes ipſorum à ratione prorſus alienas eſſe, oſtenſum eſt: ac per conſequens quanta confuſione digni fuerint, qui in divinam hanc ſcientiam cavillis, ſcommatibus, impoſturis & exclamationibus frequentiſſimis, tam atrociter debacchati ſunt.

Utinam verò Picus, de Angelis, cæterique ſibi ſolis hac in parte deſipuiſſent, nec ullos alios ſuæ doctrinæ veneno infeciſſent. Sed cœci Magiſtri cæcos peperêre diſcipulos, qui non ſolùm ſcriptis in Aſtrologiam inſaniunt, ſed eam in publicis quoque Templorum cathedris, viribus totis frequenter infamare non erubeſcunt; & eò uſque mentiri poſt Alexandrum de Angelis, cap. 24. lib 4. ut aſſerant, vix reperiri genethliacum ullum, qui arctiſſimo neceſſitudinis vinculo cum dæmone non ſit conjunctus. Profectò talibus concionatoribus ſatiùs eſſet ſacrarum literarum veritati & Chriſtianæ animarum inſtitutioni incumbere, eamque publicè verbis & exemplo profiteri, quàm his ignotis vel contemptis (qoud curioſorum auditorum, & propriæ vanitatis gratiâ hoc ſæculo eſt frequentiſſimum) Phyſicas lectiones, etiam falſas in veritatis cathedra publica exponere, ut videantur Philoſophi, illicque de Aſtrologia, totius Phyſices parte ſuprema, ipſis præ cæteris ignota, abſurdè vociferando differere; imò ferre ſententiam: fortè etiam ignari, quòd homine ignaro nihil ſit injuſtius. Nam ſi è tali Concionatore quæratur, An Aſtrologiæ ſit peritus, & peritum ſe eſſe dixerit; probetur ab Aſtrologiæ Magiſtro, nativitatis aliquo themate propoſito; ſtatimque patebit vel ignorantia, vel ſaltem malitia, in veritatis oppugnatione ſpontanea. Si verò ſe coram Magiſtro confeſſus fuerit imperitum; ergo & in condemnationis judicio ſe etiam fateatur iniquum; eique pro pœnitentia, veritatis ſtudium Aſtrologicum imponatur.

Falluntur certè plurimum tales concionatores, dum ſe inde magnifieri putant, quòd de rebus Cœleſtibus, totiuſque naturæ altiſſimis loqui valeant, etſi enim ignaros & mulieres decipiant; viris nihilominus doctis perſpicuum ſit, quod illi ſint ignari rerum de quibus loquuntur; ideóque temerarii & iniqui judices: tum quòd falsò calumnientur Aſtrologos omnes, venditentque multa mendacia in cathedra veritatis; quibus verbi divini loco paſcant animas imbuantque nimiùm credula ingenia; ac inſuper quod Aſtrorum influentias Aſtrologis cognitas denegantes, etiam DEUM fruſtrent gloriâ & honore ipſi debitis; eò quòd Aſtris vires tam ſtupendas conceſſerit; in iiſque ſuum agendi modum perfectiùs expreſſerit; & per ipſa haſce res ſublunares tam mirabili ſuæ providentiæ ordine gubernare decreverit. Homines verò fraudant utilitate, quæ ex tam nobili ſtudio, illis in anima, corpore, & fortuna accidere poteſt.

Interim verò ut eorum pateat ignorantia, vel malignitas, qui affirmant omnes Aſtrologos prædicere ex pacto cum dæmone, tacito, vel expreſſo; certum eſt, quemvis Aſtrologum ex veteribus Hiſtoriis hominum, horumque figuris genethliacis, tum Aſtrologiæ regulis deprehendere quam plurimos ejuſdem generis eventus, ſe neſcio, nondumque nato contigiſſe ab iiſdem cauſis Cœleſtibus ex quibus ipſe ſimiles eventus prædicit eventuros, ut ergo inſanum eſſet aſſerere, quam plurimos illos eventus accidiſſe ex pacto cum Dæmone, quod poſteà aliquis Aſtrologus ad eorum cauſas Cœleſtes adverteret; ita & inſanum eſt aſſerere, quod prænunciati eventus ab iiſdem cauſis, poſteà eveniant ex pacto cum Dæmone, quòd ea pronunciarentur.

Sed de his obiter ſyncera intentione dixiſſe jam ſufficiat, in eorum reſipiſcentiam ignarorum, qui de rebus ſibi incognitis, ſtulta præſumptione judicant. Neque hæc dico ad defenſionem Aſtrologorum omnium, quorum plerique ſunt ignari & impoſtores, ſed duntaxat in Aſtrologiæ defenſionem. Itaque ſtramineis adverſariorum telis, contra influentias, ſic retuſis, fractis, diſſipatiſque, jam eas explicandas ſtabiliendaſque aggrediamur; ut, quæ de ipſis huc uſque viguit, ignorantia etiam evaneſcat.

SECTIO III.

De influentiis corporum Cœleſtium neceſſariò admittendis.

CAPUT I.

Dantur Cœleſtes influentiæ.

PRobatur Primò, ex opinionis contrariæ fundamentis, quæ falſa eſſe jàm ſuperiùs patuit plus quàm ſufficienter.

Secundò, probatur adverſariorum Authoritatibus, quos natura ipſa cogit ridiculos fieri, dum eaſdem influentias approbant, quas evertendas, deque medio tollendas ſuſceperunt. Plotinus enim lib. 3. enneadis 2. poſtquàm multa adverſus Aſtrologos ſcripſit, tamen Platonis Authoritate victus aſſerit cap. 9. *Nobis duplicem ineſſe animam; unam quæ datur à DEO, & libera eſt à fato, & nos liberare poteſt. Alteram quæ dependet è Cælo, & ſubeſt fato: cujus animæ ſunt iræ, libidines, dolores, &c:* cap. autem 11. ait. *Id quod à Cæleſtibus provenit, non tale prorſus evadere in his quæ ſuſcipiunt, quale à ſuperis proficiſcitur: veluti ſi affectio propenſa ad diligendum, à Cæleſti degenerans, & apud nos debilior facta, amorem parit non honeſtum, &c.* Et cap. 12. vult quidem res in ſua ſpecie generari à ſeminalibus naturæ rationibus; ſed præterea verbis expreſſis fatetur Cœleſtem influxum materiam diſponere.

Quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Quæ (inquit) *ex Cælo veniunt, in unum congrediuntur. Atque ex hac commixtione quodlibet genitum contrahit aliquid; unde & quod eſt, exiſtit, & tale quiddam exiſtit: Non enim Equum facit Cæleſtis influxus, ſed dat Equo nonnihil. Nam & Equus ab Equo; & Homo ex Homine generatur. Sol autem ad hanc formationem, ut adjutor, accedit; homo verò fit ex ſeminaria hominis ratione; ita tamen ut quod externum* (ſubaudi Solem, aut Cœlum) *vel impediat, vel conducat.* Hæc ille. Quæ omnia menti noſtræ & veritati, non minùs conſona ſunt, quàm iis contraria, quæ ex ipſomet Plotino retulimus initio cap. 22. Et Aſtrorum influxus evidentiſſimè probant.

At Marcilius Ficinus, Plotini commentator, quamvis in Aſtrologiam cum ipſo Plotino ſcribat acriter, nihilominus comm. in cap. 31. lib. 4. Enn. 4. fatetur, *actiones Cæleſtium ad inferiora, non ſolùm fieri per calorem, & aliàm ſimilem Elementis qualitatem: ſed per vires quaſdam à notis qualitatibus longè diverſas:* Et comm. in cap. 7. Lib. 1. Enn. 2. ait. *Corporibus Cæleſtibus præter lumen, virtutes quoque diverſas eſſe addendas; ex quibus actiones inde proveniant: non quales ab Elementis, ſed proprietate quadam occultiori, ſcilicet ſpecialis formæ; quali ferrum trahitur à Magnete.* Hæc Ficinus. At in rei veritate ſicut Medici curationes omnes non tribuunt Elementalibus remediorum qualitatibus, ſed formæ, vel qualitati ſublimioris ordinis; ſic non omnes effectus Aſtrorum, ad Elementales qualitates reduci queunt.

Sed audiamus Alexandrum de Angelis, qui Lib. 1. cap. 5. poſtquam influentias vel arcanas vires Lunæ pro Æſtu Oceani, tum Aſtrorum Orientium & Occidentium, pro tempeſtatum mutatione diu exſibilavit, illaſque in Philoſophia admodum novitias eſſe dixit; tandem in fine capitis hæc habet: *Nos verò, qui multò plura Aſtrologis dare ſolemus, quàm ipſi probare poſſint, libenter recipimus, præter lumen, & motum, alias ſecretiores & abditas Cœli vires: ſed ut ſobriè iis utantur, rogamus; quod ſi fecerint, primùm, quæ nondum definitè, diſtinctéque norunt de Stellarum viribus, pro certis & definitis non venditabunt: Deinde, exploratam jam & perſpectam Cæli actionem, non extendent ad plura, quam ejus natura, vel experimentum patiatur; qui eſt Aſtrologis omnibus familiaris error,* &c: Ubi notandum, de Angelis hîc tacitè fateri Aſtrologos multa definitè diſtinctéque noſſe de viribus Stellarum, multaſque Cœli actiones exploratas & perſpectas habere. Quæro igitur, utrum deliraret de Angelis, dum hæc ſcripſit? An verò dum ſibi contrariatur, aſſerens cap. 11. *Quæ rebus adveniunt, non advenire à Cælo.* tum cap. 12. *In rerum procreatione nullas eſſe Cæli partes*; hoc eſt Cœlum nil conferre. & cap. 7. Lib. 4. *Non potuiſſe Aſtrologos vires Planetarum experiri.*

Idem deprehendetur apud Mirandulanum, cæteroſque omnes qui Aſtrologiam datâ operâ oppugnare conati ſunt: Tam *magna eſt veritas & prævalet* in falſitatem; cujus proprium quarto modo (ut vocant) eſt ipſa contradictio. Quod ſi Nobis adeò favent ipſorummet adverſariorum authoritates, quid hîc opus eſt adjungere omnium Aſtrologorum, totque primæ notæ Philoſophorum & Theologorum teſtimonia, cùm præſertim, ut diximus circa finem cap. 5. controverſiæ Phyſicæ minimè ſint authoritatibus dirimendæ.

Tertiò. Itaque probatur quotidianis experientiis, ſimulque ratione. Nam præter experientias fluxus Maris à Luna, & mutationis tempeſtatum ab ortu vel occaſu ſyderum, de quibus actum eſt cap. 7. & 8. etiam certò conſtat, quòd ſi Planeta, aut ſignum fuerit in prima domo figuræ Cœleſtis, quæ naſcente homine erigitur, ille ſignificabit ejus temperamento, moribus, ingenio, vitæ: Et hæc talia erunt, qualia fuerint illa. Quòd ſi eodem momento temporis, idem Planeta, aut ſignum extiterit in ejuſdem, vel alterius naſcentis hominis duodecima figuræ domo; ſignificabit alterutrius morbis; ſi fuerit in duodecima ſignificabit actionibus atque profeſſioni: ſi in octava morti, &c.

Jam verò ſuper hiſce experientiis ratio dictat, quod Planeta nihil eorum ſignificare poteſt, quin agat in hominem; ideoque hic ab illo quidpiam recipiat, cujus causâ fiat ſignificatis obnoxius: ſi enim nulla eſſet actio & paſſio, nulla etiam eſſet ratio, cur ipſe homo hujus potiùs, quàm alterius Planetæ naturam, in temperamento, indole, ingenio, actionibus, &c: ſequeretur, aut Planeta ipſe potiùs hæc, quàm alia ipſi homini ſignificaret. Atqui talis effectus neque à luce, nene ab Elementorum qualitatibus formalibus eſſe poteſt; utcunque dentur illæ in Planetarum corporibus: Lux enim & calor per corporis Cœleſtis, cui inſunt, majorem elevationem, aut minorem, ſupra Horiſontem, ſuorum effectuum ſpecies non variant; ſed eos duntaxat intendunt, aut remittunt: quippè Sol Oriens remiſsè tantùm illuminat & calefacit: & quò magis ad meridianum circulum accedit, eò intenſiùs illuminat calefacitque: Dum verò ad occaſum deſcendit, ejus lux atque calor proportionaliter etiam ſuos remittunt effectus: intenſio autem & remiſſio qualitatis ejuſdem, non eſt in qualitate variatio ſpeciei; ut Philoſophis notum eſt.

Jam verò Sol ipſe agens in naſcentem hominem, præter eam illuminandi & calefaciendi rationem, dum aſcendit ad Meridianum, vel ab illo deſcendit, hoc habet etiam, ut in homine ſupradictos cauſet effectus, quos ſpecie, imò genere, inter ſe differre, palàm eſt.

Prætereà conſtat etiam experientiâ, quòd ex eo, quia Sol dum uni hominis naſcenti eſt in prima domo, quæ eſt vitæ, poteſt ſimul tempore reperiri in alterius naſcentis octava domo, quæ eſt mortis; poſſit etiam eodem momento temporis, uni eſſe cauſa conſtitutiva temperamenti, atque vitæ: alteri autem cauſa deſtructiva temperamenti, atque mortis. Quamobrem cùm dici nequeat, in illo eodem momento temporis, accidere in Sole virtutis propriæ alterationem; neceſſariò fatendum eſt, virtutem qua Sol talia efficit, aliam eſſe à luce atque calore: tum propter ſpecificam effectuum ipſorum diverſitatem; tum quia ipſi effectus tranſcendunt vim lucis atque caloris. Et confirmatur omninò; quia dum Sole ſub Horiſonte profundiùs demerſo naſcitur infans, & globi terreſtris frigore, atque tenebris involvitur; tamen ſi tunc Sol fuerit in quinta domo, ſignificabit ejus liberis, ſi in quarta, parentibus: ſique fuerit Dominus primæ vel ſecundæ, rurſus

vitæ, vel morti ipſius infantis ſignificabit. Eademque eſt ratio de Luna, ♄, ♃ cæteriſque Planetis, quibus nulla eſt lux propria, ut Sect. 1. oſtenſum eſt. Denique ſi Planetæ agerent per lumen, ut Picus, de Angelis & alii volunt: Ergo cùm nullus proprium lumen habeat, excepto Sole, ſed omnes lumen Solis reflectant ad nos, ut paries, ſequeretur, quòd ut paries non dicitur illuminare, cùm id non faciat per ſe & virtute propria, ſed Sol eſt qui illuminat radio à pariete reflexo: ſic Planetæ nihil propria virtute dicerentur agere, omneſque idem efficerent, idem nempè lumen eodem modo reflectentes, quod experientiæ contrariatur. Ergo in Sole cæteriſque Planetis, tum etiam ſignis Zodiaci, mirabilis omninò alia virtus admittenda eſt, quibus talia efficiant, quamque appellatione generica dicimus eſſe influentiam.

Quòd ſi quis, cum Alexandro de Angelis, rationalem ſupradictorum experientiam, Aſtrologis familiarem, denegans, merè ſenſibilem ſive brutalem propoſuerit; is in brutorum familiam amandetur, donec peritior & ſapientior factus, rationali experientiæ aſſueſcat; quam inter merè intellectualem meréque ſenſibilem dari mediam, Aſtrologis & Medicis præſertim uſitatam, probavimus Lib. 10 contra ipſum de Angelis. Hac enim admiſſa, nihil niſi frivolum in ſuperioris doctrinæ contrarium objici poteſt. Admitti autem debere ideò certum eſt, quia ut ignem calidum eſſe, nullus probat diſcurſus, ſed ſola ſenſibilis experientia: ſic corporibus Cœleſtibus influentias ineſſe, quales diximus, innoteſcit rationali tantùm experientiâ: Quâ cùm ſit deſtitutus Philoſophaſter, influentias denegans, quid niſi ſtultum & inane objicere poteſt? Num rerum naturæ in ſuo eſſe dependent ab hominum ſtultis opinionibus, ab hiſque diſcendæ ſunt? Sed jam quid ſit virtus adeò mirabilis inquiramus.

Caput II.

Quid ſit influentia, & quotuplex in genere.

UT influentiæ natura perfectiùs explicetur, notandum eſt, illam dupliciter eſſe ſpectandam: Primò ſecundum ſuum eſſe abſolutum; vel ut tantùm ineſt corpori Cœleſti: ſicque nobis videtur generatim rectè definiri, ſi dicatur eſſe virtus activa corporis Cœleſtis ut Cœleſte eſt: quo pacto ab influxus definitione excluduntur, lux, calor, cæteræque activæ qualitates, quæ non in ſolis corporibus Cœleſtibus, ſed in Sublunaribus quoque reperiuntur.

Secundò. Penes ſuum eſſe relativum ad res Sublunares, quas afficit, cujus ratione appellatur influentia ſive influxus, quaſi in aliud fluxus, ſicque à Nobis univerſim definitur eſſe virtus activa corporis Cœleſtis, cujus regimini corpora Sublunaria particulariter ſubjiciuntur. Quo pacto, vis ea, quâ Oceanum Luna movet, dicetur etiam influentia.

At preſſiùs, magiſque propriè, ſic mihi videtur definienda. Quòd nempè influentia ſit virtus, ſive qualitas activa corporis Cœleſtis, quæ pro vario ſitu radii, quo effunditur in Sublunare corpus, vel ſubjectum ipſius virtutis ſuſceptivum, dum in ſcenam mundanam erumpit, diverſos ſpecie producit effectus, quibus ſubjectum ipſum particulari Cœleſtium regimini ſubjicit, quandiu in ſcena mundana verſatur. Cujus definitionis genus eſt virtus activa corporis Cœleſtis. In Aſtris enim multæ ſunt aliæ qualitates activæ, nimirum lux, calor, frigus, &c: Reliquum definitionis eſt ſpecifica differentia, nulli qualitati Cœleſti, præterquam influentiæ propriè dictæ competens: non luci, quæ duntaxat illuminat, nihilque aliud efficit, ut Sect. 1. patuit, neque calori Solis, etiamſi inſitum calorem ſeminum ad generationem excitet & promoveat, plantaſque ac earum fructus maturet. Non enim calor ipſe pro ſui radii ſitu diverſo ad naſcentes plantas, in his diverſos ſpecie producit effectus, ſed eas tantùm ſimpliciter calefacit, ſecundùm magis & minùs, ex ſupradictis, nec ſingulas particulari ſubjicit regimini Solis, vel dominio Solis; ſed ſingulæ ejuſdem Agri plantæ eodem modo calori Solis agenti ſubjiciuntur univerſaliter. Porrò corporum Cœleſtium regimen per influentias, arguit in his dominium in regenda Sublunaria influentiarum ſuſceptiva, regendi virtutem admirandam, & regiminis ordinem atque tempus, Omnipotentiæ atque Sapientiæ Dei characteres ipſis corporibus impreſſos, propriiſque locis fuſiùs explicandos.

His verò circa influentiarum naturam generaliter dictis, jam ſciendum eſt duplicem dari influxum: quippè fontalem, qui Cœleſtibus ipſis corporibus ineſt; atque effuſum in ſphæram activitatis ipſorum corporum, quo hæc attingunt Sublunares effectus. Etenim (ut alibi demonſtramus) corpora in diſtans agentia, per ſuæ virtutis effuſionem agunt, & hæc in paſſivis ſubjectis recipitur; non autem de ſubjecti ipſius potentiâ educitur, ut perperàm docetur in Scholis: attamen fontalis influentia & effuſa, ſunt una eademque virtus materialiter; ut fons aquæ & rivus ex fonte profluens, ſunt una eademque aqua.

At hæc tam fontalis, quàm effuſa influentia, eſt iterum duplex, nimirum ſimplex, quæ unius eſt corporis, ut primi Cœli, Solis, ♄, ♃, &c: Tum mixta, quæ eſt multorum corporum ſimul influentium: Ut ♃ in ſigno Arietis, vel ♃ cum ♄ conjuncti, quadrati, vel oppoſiti. Jam verò ſimplex eſt eadem perpetuò. Nam & primi Cœli, & Solis, & Saturni, &c: in ſe ſpectatorum vis influentialis, eſt immutabilis; quippè cui nihil in natura datur contrarium propriè dictum, à quo in fontali ſubjecto alterari queat: At mixta per continuum Planetarum motum, quo diverſimodè tam inter ſe quàm cum ſignis Zodiaci commiſcentur, continuò quoque, etiam quoad ſpeciem, variatur, non quidem materialiter, ſeu entitativè, ſed formaliter, ob diverſa ſpecie, vel naturâ corpora ad influendum commiſcibilia, ut proprio loco fuſiùs explicabitur.

Denique effuſa influentia eſt iterùm duplex: Nempè univerſalis, ſive totalis; quæ totam replet ſphæram activitatis corporis influentiis, ſcilicet totum hunc etiam Mundum Sublunarem, & per quam corpus ipſum movet atque regit uni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

univerſaliter omnia Sublunaria ſuæ naturæ analoga: ut Sol, omnia Solaria; Luna, omnia Lunaria, &c: Tum partialis, quæ in aliquo tantùm particulari naſcente recipitur, illumque regit particulariter. Et hæc eſt iterum duplex, ſcilicet primaria, ſive radicalis, momento nativitatis recepta, & ſecundaria, quæ deinde per directiones, revolutiones & tranſitus Planetarum ſupervenit, primariam ad ſuos effectus congruis temporibus excitans, ut ſuo loco apperietur.

Porrò influentia ipſa partialis ſuo conſtat materiali, atque formali. Et quidem ejus materiale, eſt ipſius influentiæ radius entitativè ſpectatus. Formale verò eſt id quod ipſius radii entitatem ad certos ſpecie effectus determinat; quippè ipſius radii ſitus, reſpectu illius naſcentis, in quo recipitur. Ideoque ejuſdem corporis influentis radii omnes, materialiter ſpectati, ſunt idem ſpecie atque virtute, quippè idem cum fontali influxu: at formaliter ſpectati, differunt ſpecie atque virtute, pro diverſa ratione & natura ſituum, quibus in ſubjectum paſſivum incidunt.

Caput III.

An in Sublunaribus detur aliquod ſubjectum inhæſionis influentiarum Cœleſtium?

Si lucis à Sole effuſæ, nullum in ſublunaribus datur ſubjectum, ſaltem cognitum, inhæſionis, hoc eſt in quo lux abſente Sole perduret, præter lapidem illum calcinatum Julii Cæſaris LA GALLA, de quo egimus cap. 2. Lib. 11. Tum ſi virtutis à magnete effuſæ nullum quoque in natura datur ſubjectum inhæſionis præter ferrum: Jure dubitari poteſt, an influentiæ, quæ inter corporum Cœleſtium vires ſunt omnium ſubtiliſſimæ, & excellentiſſimæ, habeant in ſublunaribus aliquod ſubjectum cui inhæreant, & in quo ſuos producant effectus; non ſecus ac lux in ſupradicto lapide, & vis magnetica in ferro, ſuos edunt effectus; tum quod illud ſit?

Diximus autem cap. 11. proprium ſubjectum inhæſionis influentiarum eſſe ſpiritum ſeminis rerum ſublunarium, præſertim verò animalium, quibus ſponte agere & moveri proprium eſt. Nam ſemen prout adhuc eſt in parentibus, horum fato ſubjacet: prout verò ab utroque parente decidit in matricem pro generatione, & ambo ſemina in unum numero corpus coaleſcunt: jam per proprium ſpiritum, inſtar alterius individui, fato proprio ſubjici incipit; receptis in ipſo ſpiritu Aſtrorum influxibus momento generationis. Ex toto autem tunc demùm proprio ſubjicitur fato ſpiritus ille conformationis, & actionum vitalium author, cùm maturus fœtus ex utero materno (in quo matris etiam fato ſuberat) in ſcenam mundanam excluditur; Hæc autem ſic probantur.

Ac primùm, quòd homo in ſuo ortu, præter qualitates Elementales, aliquid aliud à Cœlo recipiat, cujus causâ Cœlo in ſignificatis & motionibus correſpondeat, quodque influentia dicitur, jam probatum eſt cap. 27. Præterea quòd in ipſo ſeminis ſpiritu influentia recipiatur, inde conjicitur; tum quia nullum in ſublunaribus datur ſubjectum virtuti tam nobili, qualis eſt influentia, magis proportionatum, ut dictum eſt circa finem cap. 11. Tum quia ſpiritus ille, cum ſit tantum deſtinatus ad agendum, utpotè à quo fiunt conformatio in utero, omneſque vitales actiones durante vitâ, hæc verò fiant juxta naturam atque impulſum influentiarum, initio generationis, vel nativitatis vigentium; ad hoc certè neceſſe eſt, ut ſpiritus ille ab iiſdem influentiis dirigatur, ideoque illas in generationis initio ac nativitate receperit: idque non obiter, ſed firma cum inhæſione, quæ toto vitæ decurſu perduret; quandoquidem vis influentiarum ipſarum totâ durante vitâ nati in ipſo eſſe deprehenditur; quod ſine tali inhæſione fieri nequit, cùm vis illa operari non poſſit, quin ſit alicubi: at nullibi ſit, niſi in ipſo homine fuerit, quòd in Cœlo ſpectata tempore nativitatis, citò diſſipata fuerit, per Cœli & Planetarum motum.

Eſt igitur ſpiritus ſeminis animalium, præcipuum ſubjectum inhæſionis influentiarum, quæ etiamſi recipiantur in cujuſvis alterius ſeminis ſpiritu inhæſivè, ut in ſpiritu ſeminis plantæ, metalli, &c: tamen in ſingulis generibus non idem efficiunt, quod enim recipitur ad modum recipientis recipitur, agitque juxta naturam ipſius recipientis: ideóque in hominibus aliud, in brutis aliud, in plantis aliud, & in metallis aliud operantur: ut alibi fuſiùs exponitur. Quòd autem hæc vera ſint, luculentiſſimum nobis ſuppeditabit teſtimonium Picus ipſe Mirandulanus, qui Lib. 3. cap. 4. & 5. influentias reſpuens, & quod his attribuimus, ipſe luci, ejuſque ſoboli, calori, falsò attribuens, de ipſo calore prout afficit corpora viventia, juxta Platonicorum doctrinam ſic loquitur. *Cùm ſummum teneat in corporibus iſta qualitas gradum, ſicut habet, ut corpora ipſa perficiat qualia diximus, ita ut proximè ſubſternatur vitæ, quaſique extrema compilet invicem, corpori vitam & vitæ corpus. Quapropter in omnibus etiam viventibus inter hoc quod videtur craſſius habitaculum, & animam vitæ fontem, medius eſt quem ſpiritum appellamus, tenuiſſimum corpus & inviſibile, luci, calorique illi ſydereo maximè cognatum, cui vitâ præcipuè adeſt; perque eum ſuas in hoc viſibile atque terroſum vires explicat atque diffundit. Sic in materia ſeminali latet hoc genere ſpiritus, cujus imprimis utitur miniſterio vis illa divinior, artifexque vitalium operum, vice animæ fungens, à qua defluxit, & ſpeciem generantis propagans in materia quam occupavit. Non ſunt autem vel gignendis corporibus, vel ſervandis, vel muneribus ſenſuum obeundis utiles iſti ſpiritus, ſi Cœleſtis ſpiritus (hoc eſt caloris quem diximus) ope deſtituantur: quia mobilior, purior, efficacior, propterea proximior vitæ, roborat infirmitatem ſpiritus inferioris, & ſuo commercio reddit animæ cognatiorem.* Hæc Picus, quæ omninò confirmant, ſpiritum ſeminis eſſe virtuti Cœleſti maximè cognatum, ejuſque ſubjectum præ cæteris idoneum. Quòd autem virtus illa quam Divinam vocat, ſit lux, qua carent Planetæ omnes, præter Solem; vel motus (præter quæ duo nullam influentiam, aut vim peculiarem Cœleſtibus ineſſe, contendit cap. 5.) perabſurdum eſt, ut probavimus Lib. 7. cap. 13. Ergo eſt peculiaris formaliſque virtus Aſtrorum, quam influentiam propriè nominamus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

CAPUT IV.

An Corporum Cœleſtium influxus differant ab eorum formis ſubſtantialibus; cunctaque Corpora Cœleſtia ſint influentiis dotata?

CORporum Cœleſtium influentias ab eorum formis ſubſtantialibus differre, probatur: Primò, quia nulla forma ſubſtantialis agit immediatè in corpus alienum; ſed duntaxat per virtutem ſibi propriam: Cùm igitur corpora Cœleſtia per ſuam influentiam attingant immediatè corpora ſublunaria, dum in hæc agunt: Ergo illa non erit eorum forma ſubſtantialis. Secundò: Influentia ipſa recipitur in corporibus ſublunaribus, ex cap. 29: Non ergo eſt forma ſubſtantialis: alioquin ſi forma Solis reciperetur in homine, dum generatur, ipſe eſſet Sol formaliter; quod opinari, abſurdum eſt. Probaturque à ſimili de virtute magnetica in ferro recepta, quam eſſe magnetis ſubſtantialem formam, nemo ſanæ mentis Philoſophus dixerit. Alioquin duæ formæ ſubſtantiales, ferri & magnetis, citra ſubordinationem ſimul ineſſent eidem ſubjecto: abſurda enim eſt eorum opinio, qui ferrum & magnetem ſpecie non differre putant; ſed eſſe eandem utriuſq; naturam; cùm ferrum nullum, niſi priùs magneti affrictum, aliud ferrum attrahat; proindeque omne ferrum ex ſe, magnetis ſpecifica virtute careat; ſitque duntaxat ſubjectum ei cum inhæſione recipiendæ præ cæteris idoneum. Eſt igitur influentia corporis Cœleſtis, virtus à forma ſubſtantiali ipſius corporis profluens, per quam corpus ipſum, ſoli ſuæ naturæ proprios atque formales producit effectus.

Jam verò quòd corpora cuncta Cœleſtia ſint influentiis dotata, probatur innumeris experientiis Aſtrologorum, in Planetis, ſtellis fixis, & dodecatemoriis, quæ ſunt partes primi mobilis, nec refert quòd omnium fixarum influentiæ nondum ſint experientiâ detectæ; ſed tantùm aliquarum; illuſtriorum ſcilicet: Nam poſſet eadem fieri de plantis objectio vana; indeque inferri aliquas nullius eſſe virtutis, quòd earum vires nondum innoteſcant; id verò coram Medicis ridiculum foret.

Dicet aliquis, Cœlum fixarum vel propria carere influentiâ; vel hanc Aſtrologis ignotam eſſe; unde neceſſe eſt, plurimos errores in Aſtrologiam manere.

Sed reſpondeo: In Cœlo fixarum duo eſſe conſideranda; quippè Cœlum ipſum ſeorſim, & ſtellas ei affixas. Et hæc rurſus dupliciter ſpectandæ ſunt, nempè ſingulatim, & prout concurrunt in compoſitionem quarumdam figurarum, quæ vulgò conſtellationes appellantur; quales ſunt Urſa Major, Pleiades, Scorpius, Orion, Delphinus, & plures aliæ; quæ primo intuitu oculos atq; mentem in ſui conſiderationem rapiunt. Jam verò fixæ utroq; modo ſpectatæ, proprias habent influentias, ut de pluribus, imò præcipuis experientia conſtat: at ſunt multò plures quarum influxus proprii ignorantur; præſertim quatenus proprio motu feruntur ſub dodecatemoriis, ob hunc motum tardiſſimum, qui tardè admodum innoteſcere cœpit: & incuriam Aſtrologorum in illis obſervandis. Verumtamen magnus inde error nequit accidere in judiciis Aſtrologicis; quorum præcipuum fundamentum ſunt Planetæ, Mundi hujus inferioris Rectores primarii, cum primi Cœli dodecatemoriis: Horum autem influentiæ propriæ, ſunt Aſtrologis admodum cognitæ. At Cœlum ipſum, etſi quatenus corpus Cœleſte à primo Mobili naturâ diverſum, proprio etiam non careat influxu: Per hunc tamen agit tantùm univerſaliter, ac eodem modo ſecundùm omnes ſui partes ſpectatas, cum abſtractione à fixis, qualiter etiam ageret primum Mobile, niſi in diverſæ naturæ dodecatemoria diviſum eſſet, ut dicetur Lib. 14. Et qualiter etiam ageret Æther, in quo ſunt Planetæ, ſi ille eſſet Cœlum aliquod peculiari influentiâ præditum: totaque diverſitas agendi Cœli fixarum pendet à fixis ipſis & conſtellationibus. Quamobrem hujus Cœli ſeorſim ſpectati proprius influxus, à quo mutationes non accidunt in ſublunaribus, jure non cadit in conſiderationem Aſtrologicorum judiciorum; ſed tantùm fixarum & conſtellationum, prout motu diurno percurrunt domos figuræ Cœleſtis, & cum Planetis conjunguntur: quamvis ex præcognita fixæ natura, vel influentia propria, ejuſque ſitu in hoc vel illo dodecatemorio, judicandum ſit, ut de Planetis ipſis, quod tamen à nemine fuit huc uſque uſitatum.

Objicit alius, ſaltem Ioviales ſatellites, aut propriis deſtitui influxibus, contra aſſertionem noſtram; aut eos eſſe nobis ignotos, indeque judicia Aſtrologica, præſertim per Iovem, fieri manca & erronea, cùm ipſi ſatellites ſint Planetæ, ideóque fixis ipſis primæ magnitudinis longè potentiores in hæc inferiora.

Sed reſpondeo: illum qui Iovialibus ſatellitibus peculiares denegaret influxus, nullum ſuæ negationis habere fundamentum: probabilioremque eſſe contrariam opinionem; cùm in cæteris omnibus Planetis & fixis influentiæ propriæ deprehenduntur. Quamvis autem Iovialium ſingulorum peculiares influxus nondum innoteſcant: quod à paucis annis per tubum opticum nobis apparere cœperint; neque eos in natura inutiles aut ſuperfluos eſſe dicendum ſit: Tamen inde grandis error nequit irrepere; eò quòd maxima eorum à Iove elongatio ſit duntaxat 11. minutorum. Ideóque ſint tam inter ſe quàm Iovi ſemper conjuncti partiliter; eodemque ferè radii ſitu cum Iove incidant in hæc ſublunaria. Unde totum illud ſyſtema pro unico Iove ſumi poteſt in judiciis; & huc uſque ſumptum ob anteà ignotos Ioviales, non fefellit Aſtrologos circa Iovis naturam & particularem influxum. Attamen ad hujus rei exquiſitorem notitiam, minimè ſpernendam, utile eſſet deinceps vel obſervatione Iovialium momento nativitatis, vel exactis motuum ipſorum Tabulis, ſi talis darentur, annotare, utrum omnes ſatellites, vel aliqui, tum qui ſunt ipſi Iovi Orientales, Occidentales, & corporaliter juncti: ut inde peculiaris etiam influxus ipſorum detigi poſſet: quandoquidem per has tantùm paſſiones poteſt ab illis aliqua influentiæ Iovis varietas accidere, præſertim circa initia ſignorum & domorum figuræ Cœleſtis: quod hîc pro poſteris obiter monuiſſe ſufficiat; quamvis Iovialibus ſatellibus ſingulis, minorem ineſſe virtutem cenſeam, ſaltem noſtri reſpectu, quàm fixis quartæ magnitudinis, ob illorum exilitatem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Caput V.

Quomodo corpora Cœleſtia agant per ſuos influxus in hæc inferiora.

Dictum eſt cap. 4. Sect. 1. Aſtra per lumen, calorem & cæteras qualitates Elementales agere in hæc inferiora penes vim ſui radii; cumque radius perpendicularis ſit omnium fortiſſimus, (cujus ſcilicet nihil deperditur, aut aliò reflectitur, ſed vel totus penetrat ſubjectum, vel in ſeipſum reflexus, magis vigoratur ad agendum idem ſubjectum) aliorum verò quilibet eò ſit debilior, quò fuerit obliquior ob rationes contrarias: ſequitur, & probat experientia, quòd Sol non alibi potentiùs illuminat & calefacit, quàm in Meridiano circulo, nec alibi debiliùs quàm in Horiſonte. Utrobique verò eundem tantùm ſpecie producit effectum: ſcilicet lumen & calorem ſuum effundit, atq; communicat. At per influentias non agunt Aſtra penes vim ſui radii formaliter: ſed penes vim atque naturam domus figuræ Cœleſtis, in qua vel præſens reperitur, vel abſens dominatur corpus Cœleſte influens. Itaque Planeta in prima domo, vel ejus dominus momento nativitatis pueri, influet in ipſum ratione temperamenti, vitæ, morum, ingenii; quòd hæc ad naturam primæ domus pertineant: ſi fuerit in decima domo, vel ejus dominus, influet ratione actionum profeſſionis, dignitatum, quòd hæc ad naturam decimæ domûs pertineant; ut oſtenſum eſt Lib. 18. Atque ſic de cæteris, mutata ſemper effectus ſpecie, prout Planeta motu primi mobilis transfertur de uno ſpatio in aliud, corpore vel dominio. Ad hæc influentiæ, ex domibus cardinalibus 1. 4. 7. 10. fortiùs agunt quàm ex aliis; omnium autem fortiſſimè ex prima domo, vel Horoſcopo, ut dictum eſt Lib. 18. Id verò eſt contra naturam lucis atque caloris, quæ ex duodecima vel undecima longè fortiùs agunt quàm ex prima. Prætereà lux, calor, frigus, odor, ſonus, &c: in diſtans agentia, undequaque ſuam vim effundunt & per illam agunt: at influentiarum actio propria tantùm dirigitur verſus Terram, ſive Mundi centrum, ut à nobis oſtenſum Libro 3. Sect. 1. cap. 9. Denique Planetæ in cujuſque rei ortu, vel nativitate vim ſuam per determinationem imprimunt illi parti primi mobilis, ſub qua reſpectu Terræ fuerunt horâ nativitatis; quâ vi impreſsâ regitur infans vitâ durante, ut fusè proprio loco probabitur. Talis igitur eſt mirabilis modus agendi influentiarum, qui ipſis ſolis competit; & de quo hîc duntaxat in genere dicendum eſt: Vide adhuc caput ſequens.

Caput VI.

De influentiarum admirandis proprietatibus & poteſtate.

Inter corporeas Naturæ vires, nulla eſt quæ hominis ingenium in admirationem ſublimiùs rapere, attentiùſque ſuſpendere poſſit, quàm corporum Cœleſtium influxus; præſertim verò primi Cœli: Equidem magnetis virtus valdè mirabilis eſt; tum quòd ille ferrum attrahi, huicque aliud ferrum trahendi vim communicet; tum quòd acus ferrea eò illata, & in æquilibrio mobilis, quemdam Cœli reſpectu ſitum, ut ipſe magnes obſervet, multaque alia planè ſtupenda in ipſius magnetis virtute, deprehendantur. Ac præſertim hoc tempore variatio declinationis acus magneticæ à circulo Meridiano in eodem Terræ loco, quæ non parùm turbat Magnetologiæ ſtudioſos. Verùm etſi nulla ſit in Natura virtus corporea influentiæ ſimilior, quàm magnetica; huic tamen illa maximè antecellit.

Vis enim magnetica ferro impreſſa ignitione ferri deperit, ipſius ferri natura ſuperſtite: at influentia homini naſcenti impreſſa, in ipſo durat uſque ad mortem, quæ ab ipſa etiam cauſatur influentia, per quam toto vitæ decurſu homo & Cœlum ſibi mutuò correſpondent. Infans enim in matris utero participat influentiis per matrem, cujus influentiis propriis ille tunc ſubjicitur: at influentia quam naſcendo excipit, eſt prima quam per ſe ipſum excipit; ideóque ad eum propriè pertinet, & in eo radices agit immobiles, maximè efficaces.

Ad hæc vis magnetica ſuum corpus, tum ferri in quod effuſa eſt, ſubjicit quoad ſitum cuidam tantùm Cœli parti, at per influentiam tota animalis natura, quoad actiones & paſſiones ſubjicitur omnibus primi Cœli dodecatemoriis, tum Planetis atque Stellis.

Præterea vis magnetis corpora ſolida, ut Tabulam ligneam mediocris ſpiſſitudinis penetrat in inſtanti, & magnes motus ſub Tabula ferrum ſupra Tabulam poſitum movet: at influxus, verbi gratiâ, Saturni, ſub Terra latentis, ex longiſſima diſtantia, non ſolum Telluris totum corpus penetrat in inſtanti, naſcentem ſupra Terram hominem pro ratione ſui ſitus afficiens: Sed ſi inter Saturnum & Tellurem, Luna aut alius Planeta in eodem radio reperiatur, hùnc quoque penetrabit, atque in Nato reperietur mixta utriuſq; Planetæ virtus; ut experientiæ Aſtrologicæ probant.

Inſuper autem hoc habet influentia corporis cujuſlibet Cœleſtis, verbi gratiâ, Solis, ut quamvis ſit ſpecie & numero unica atq; ſimplex; tamen ſimul tempore, vel eodẽ inſtanti, producat omnes influentiis poſſibiles effectuum ſpecies. Si enim quo inſtanti Sol in unius naſcentis hominis geneſi eſt in prima figuræ domo, fuerit etiam in alterius naſcentis hominis domo ſecunda: tum aliorum octava, decima, duodecima, &c: etiam eodem inſtanti ſimul influens, erit primo citra vitam, ſecundo circa divitias, aliis circa mortem, actiones, morbos, &c: cui influentiarum agendi modo nullus in reliquis creaturis, ſaltem corporeis datur ſimilis: quique Dei modum agendi perfectiùs exprimat ac imitetur.

Multæ ſunt aliæ influxuum proprietates ſtupendæ, commodiùs propriis locis exponendæ. Itaque ad eas adverſus oſores Aſtrologiæ, quantum hic opus erat, defendendas, & ſtabiliendas, huc uſque pugnaſſe, ac ni fallor, viciſſe ſufficiat.

FINIS LIBRI DUODECIMI.

ASTROLOGIÆ GALLICÆ LIBER DECIMUSTERTIUS

De propriis Naturis & Viribus Planetarum ſingulorum, atque fixarum.

PRÆFATIO.

Poſtquam Libro 9. Planetas ex Elementis Æthere atque Cælis mixtos eſſe oſtenſum eſt: Et Lib. 11. 12 in genere duntaxat expoſitæ fuerunt variæ agendi vires corporum Cæleſtium: Jam videtur opportunum proprias Planetarum naturas ſcrutari penitiùs, quantùm ratione & experientiâ id à Nobis fieri poterit. Cujuſque verò Planetæ natura propria, duplex eſt; nempe ſubſtantialis & accidentalis: Illa eſt unica numero ſubſtantialis forma Planetæ. Hæc autem triplex eſſe deprehenditur, quippè Elementalis, Ætherea, & Cæleſtis: à triplici miſcibilium genere quibus Planeta conſtat ut dictum eſt Lib. 9. Sic enim mixtis Sublunaribus diverſæ inſunt naturæ accidentales atque virtutes, à diverſis miſcibilibus quibus illa componuntur; ut patet in aceto, roſa, opio, &c: in quibus natura calida & frigida, ſeu aquea & ignea ſimul deprehenduntur, quarum quælibet per ſe operatur. In Planetis autem natura Elementalis non eſt unica atque ſimplex, quia non omnes conſtant unico, eodemque Elemento, ſed multiplex: atque continetur in ipſis tum formaliter, ob Elementa admixta; tum etiam eminenter, ob adjunctam Cæleſtem materiam, cui eminenter inſunt vires Elementorum: Atque apparet utraque ex productione caloris & frigoris in his inferioribus; formalis quidem, quia Sol ſenſibiliter calefacit, Saturnus autem necnon Luna in Novilunio vel Eclipſi refrigerant: Eminentialis verò, quia Sol etiam ſubterraneus, ſi fuerit dominus Horoſcopi, Nato calidum imprimit temperamentum, quod eſſe nequit à formali vel actuali calore Solis, qui Tellurem totam penetrare nequit: Sed Ætherea deprehenditur potiſſimùm ex humorum ſpirituum & corporearum facultatum diverſo motu in hominibus: Ac denique Cæleſtis ex variis vitæ accidentibus fortunii vel infortunii circa corpus, ingenium & bona externa, ut ſuo loco explicabitur. De his igitur naturis jam ſigillatim agendum eſt; ac primò de Elementali.

SECTIO I.

De Elementali Planetarum Naturâ, tum de Æthereâ & Cæleſti.

CAPUT I.

Quod Ptolomæus, Cardanus cæterique Aſtrologi Veteres, multùm erraverint in tradenda Planetarum Elementali natura.

Hic autem auſpicandum ab ipſo Aſtrologorum Principe Ptolomæo. Qui quidem in aſſignandis Planetarum ſingulorum qualitatibus Elementalibus, à vero haud multùm aberravit: ſed circa earum cauſas in abſurda & contradictoria lapſus eſt, dum ſcilicet Planetarum ſitum & diſtantiam ad Tellurem, Solem, & inter ſe, pro cauſis ipſis exponit cap. 3. Lib. 1. Quatripartiti. Si enim (ut ipſe vult) Saturnus ſit frigidus & ſiccus; quod à calore Solis & humidis Terræ vaporibus longiſſimè diſtet, ergo eadem ratione ♂ erit Venere frigidior, quippè quia à Sole longiùs diſtet. Jupiter autem erit Marte ſiccior, quòd ille à Terra longiùs diſtet. Prætereà ſi ideò Iupiter ſit temperatæ Naturæ, quòd medius feratur inter Saturnum frigefacientem & Martem urentem, ergo ♂ qui medius fertur inter ♃ & ♀, erit Planetarum omnium temperatiſſimus: Venus autem quæ fertur inter ♂ & ☉, omnium calidiſſima. Atqui hæc omnia ſunt abſurda & apud Ptolomæum contradictoria. Præterea dum ait Lunam eſſe humidam, quia Terræ proxima eſt, & vicina humidis vaporibus; plurimùm fallitur ſi putet humidos Terræ vapores ad Lunam pertingere, ut inde fiat humida; neque hîc quærendum eſt qualis ſit Luna à vaporibus, ſed qualis ſit in ſe; qualis enim eſt in ſe, tales debet effectus producere, ut patet ex Sole, qui ideò calefacit, quia in ſe calidus eſt, & igneus. Errat quoque ſimiliter dum ait Lunam aliquantulum calefacere, idq; propterea quòd lumen à Sole accipit: Nam neque lumen Solis calefacit, ut oſtendimus Lib. 11. ſed ejus calor, qui Terram etiam & Aquam ex ſe frigidas calefacit: Nec ipſa Lunæ natura calida eſt, ſed frigida, ut Lunæ & aquarum ſympathia, necnon Luna ipſa in Eclipſibus teſtantur. Denique Iovem perperam aſſerit humidum, cùm ei magis congruat moderata ſiccitas, ut ſuo loco oſtendetur; jamque dictum eſt Lib. 9. Sect. 3. cap. 8.

Quamobrem ſatiùs fuiſſet Ptolomæo & ſcientiæ convenientius Planetarum naturas intrinſecas venari ex eorum propriis effectibus, quòd nempè hi ſuis cauſis aſſimilentur, ideóque illas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ſaltem à poſteriori detegant : unde Proclus rectè ait, *Stellarum & Planetarum vires effectrices, ſumendas eſſe ab ea quam in nobis exercent*, quod tamen intellige per ſe, & non per vapores aut primas qualitates in ambientem effuſas, cùm Aſtra nos propriæ virtutis immedatione attingere certum ſit, naſcanturque Hyeme rigida homines calidi & bilioſi, ſicut æſtate fervida frigidi & pituitoſi, ut quotidiana probat experientia.

At Cardanus primùm in hoc erravit Commento in Quatripartitum Ptolemæi, quòd hunc ut Euangeliſtam habuerit, à cujus doctrina vel latum unguem diſcedere Religioni duxerit, illique in omnibus defendendæ ſeſe mancipaverit, paſſim aſſerens *ipſam nulli ante ſe innotuiſſe*. Deinde in illa exponenda multos in errores lapſus eſt, frequenterque eò abſurdiora tradit, quò veriora majoraque arcana pollicetur. Quamobrem nullius ego Authoris mancipium, ſed ingenio ad Philoſophandum liber, ſolique naturæ intentus; etiam Cardani errores circa Planetarum naturas Elementales hic annotabo; quod res iſta ſit momenti præcipui, ut quæ ad Aſtrologiæ principia ſpectet, multoſque nimis credulos aut minus perſpicaces ſeduxerit Cardani Authoritas, maximo Aſtrologiæ & Philoſophiæ damno : quamvis ingenuè fateatur multa etiam ab eodem ſubtiliter doctéque tradita fuiſſe; ita ut inter cæteros qui circa hanc abſtruſiſſimam ſcientiam philoſophati ſunt Aſtrologos, principem locum mereatur : ſed homines ſumus hic verſantes in tenebris, quas ingenii acie penetrare atque diſſipare arduum eſt & perdifficile : neque meipſum apud poſteros reprehenſione immunem profiteor; attamen abſit ut ſingula illius errata refellam; id enim nimis longum, tædioſum, imò ſuperfluum foret, & peculiarem librum poſceret ampliorem, quàm ſit ejus commentarius in Ptolomæi Quatripartitum : ſed duntaxat præcipua refellam, ubi neceſſum videbitur : cætera enim ex veris Aſtrologiæ principiis à me tradendis ſufficienter patebunt.

Itaque Cardanus Commento in cap. 3. lib. 1. Quatrip. ſupponit imprimis *duas duntaxat in natura eſſe qualitates, unam agentem Cæleſtemque, & vocatur calor, & alteram quæ eſt humidum Elementale*, frigiditatem verò & ſiccitatem ait eſſe tantùm privationes, hanc humiditatis, illam caliditatis. Quæ ſententia planè erronea jam ſufficienter à nobis refutata eſt lib. 3. ſect. 1. cap. 3. Ex hoc autem falſo fundamento, deducit Aſtra omnia eſſe calida, quia agunt; quaſi verò ſoli calori agere competeret; indeque non etiam ſequatur glaciem eſſe calidam quippè quæ ſaltem à ſubjecto pellit calorem; quem nonniſi ab aliquo agente expelli poſſe fatuum eſſet inficiari. Delirat autem dum *calor* (inquit) *non eſt qualitas ſimpliciter, ſed ſubſtantia in lumine* : tum quia calorem vult eſſe ſubſtantiam, tum quia lumen vult eſſe ſubjectum talis ſubſtantiæ. Ad hæc dum ait calorem non eſſe qualitatem, idemque confirmat inferius dicens neque Solem neque ullum aliud Aſtrum qualitate ulla præditum eſſe, ſibi contradicit; dum ſuperius aſſeruit duas duntaxat in natura eſſe qualitates, calorem, ſcilicet, Cœleſtem & humidum Elementale. Sed rurſus ſibi contradicit dum ait duplicem eſſe calorem atque etiam duplex humidum : alterum quidem ſubſtantiâ quo pacto (inquit) Sol eſt calidiſſimus & humidiſſimus; alterum ſecundùm qualitatem impreſſam; quo pacto Sol eſt moderatè calidus & paululum ſiccus : nam dum Solem facit humidiſſimum ſubſtantiâ, admittit aliud humidum quàm Elementale, quod tantùm vocat ſecundùm qualitatem impreſſam; ideoque plures erunt qualitates quàm duæ ab eo ſuprapoſitæ. Hem ergo quàm malè ſibi cohæreat Cardani doctrina de qualitatibus Aſtrorum.

Interim verò cogitur aſſerere Saturnum eſſe Authorem frigiditatis, cùmque ſit omni alio frigidior Aſtro, ipſam ſemper refrigerare : Idque duobus modis explicat; primo, *quia Saturnus minùs habet caloris quovis alio Aſtro, ideòque junctus Lunæ dicitur refrigerare, quia minùs quàm Luna calefacit, minùs enim calidum* (inquit) *commixtum magis calido, hoc temperat, ut patet de Aqua tepida & calida ſimul mixtis*. Verum hic Cardanus fallitur. Non enim in Aqua fit temperies à calore remiſſo tepidæ, ſed à frigore ei ſocio, idque inde probatur, quia nunquam minus calefaciens remittit ſuo calore vim ſeu effectum magis calefacientis : non ſecus ac minus lucidum ſua luce non remittit lumen lucidioris; alioquin eſſet actio à proportione minoris inæqualitatis, quod in natura abſurdum eſt. Quandoquidem ſi calor in calorem agere queat, rationi ſit convenientius, quod major, quantum poteſt intendat minorem, quàm hic illum remittat, aut partem ejus corrumpat. Secundò, *quia Saturnus aliorum Aſtrorum calidiorum opus impedit*, ſed qua virtute impedit? Sanè non calore majore, ex hypotheſi, nec etiam minore : nam cùm certiſſimum ſit virtutem unitam, fortiorem eſſe diſperſâ, ut experientia probat, neceſſe eſt ut pluribus calidis ſimul concurrentibus intenſior producatur effectus ab omnibus quàm à quovis ſingulorum : eſtque ridiculum arbitrari lucem & calorem Solis, à candelæ luce & calore impediri : neceſſe eſt igitur ut Saturnus altera qualitate quàm calore refrigeret, quæ non poteſt non eſſe ipſius Saturni reale frigus.

Cæterùm quoniam Cardanus mentem ſuam adeò confuſè & barbarè explicuit, pluribus etiam contradictionibus intermixtis, ut vix à quoquam percipi queat; illam hic breviter explanabo. Itaque voluit nullum Aſtrum ulla eſſe affectum Elementali qualitate formaliter, utpotè caloris & huminitatis quas Solas in natura ſupponit, ſed eas duntaxat continere virtute vel eminenter : dum dicit *Aſtrum eſſe calidum & humidum ſubſtantiâ* : attamen Aſtra ipſa vult eſſe calida & humida effectivè, hoc eſt tales qualitates imprimere corporibus ſublunaribus, dum ait *Aſtrum eſſe calidum & humidum ſecundùm qualitatem impreſſam* : atque hæc eſt communis doctrina Ptolemæi, Ariſtotelis, aliorumque veterum Philoſophorum omnem generationem vel alterationem corruptivam in Cœlo negantium : quæ cùm ſit erronea, ut hoc ſæculo patuit ex generatione Stellarum novarum, Cometarum & macularum Solis : hic dicendum ſupereſt, Cardanum etiam erraſſe cum veteribus : Cæteris autem erravit gravius, dum in Aſtris unicam admittit qualitatem activam quippè calorem : quandoquidem

lux

lux eſt alia à calore qualitas activa, præterquam dari etiam influentias ſummè activas qualitates, & modo ac calore, & luce diverſo, non ſolum multi Veteres cenſuere, ſed evidentiſſimè probavimus lib. 12. cap. 27.

Sic igitur ejus opinione rejecta circa Aſtrorum qualitates in genere, jam videndum quid de ſingulis Planetis cenſeat. Primum itaque de Sole, ait, illum eſſe ſecundum ſubſtantiam, calidiſſimum & humidiſſimum, at ſecundum qualitatem impreſſam, moderatè calidum & paululum ſiccum: hoc eſt illum non formaliter, vel actu: ſed tantùm virtute eſſe calidiſſimum & humidiſſimum: impreſſione verò vel effectu eſſe moderatè calidum & paululum ſiccum. At ipſum eſſe formaliter calidum probavimus Lib. 9. Sectione 3. cap. 6. Cumque ex Cardano omne aſtrum talem habeat virtutem, qualem habet (hoc eſt efficit) impreſſionem; quomodo vocat illum humidiſſimum ſecundum ſubſtantiam, ſi ſecundum impreſſionem fuerit paululum ſiccus? Hîc ſibi rurſus contradicit. Præterea an ideò exſiccabit, quia eſt humidiſſimus? Imò fatetur Cardanus iterum ſibi contradicens, in inſula Sancti Thomæ ſub Æquatore tunc fieri Hyemem cum Sol ejus vertici ſuperſtat, plurimis vaporibus in Aerem attractis: ergo ibi Sol ſecundum qualitatem impreſſam non erit calidus & ſiccus, ſed frigidus & humidus: ideoque talis erit quoque ſecundum ſubſtantiam. Igitur ex Cardano contra ſeipſum patet in Sole admittendas eſſe igneas qualitates, quippè ſummum calorem cum remiſſa ſiccitate, quæ cum aerea vel ætherea humiditate in ipſius Solis mixto corpore eſt compatibilis, ut patet in flamma noſtrate, quæ aliud non eſt quàm accenſum oleum; ab illis enim duabus qualitatibus prodeunt omnes ſuperiores Solis effectus; per ſe aut per accidens.

Pro aliis verò corporibus cœleſtibus ſupponit Cardanus quodlibet aſtrum dupliciter lucere ut Lunam; nempè proprio lumine atque Solis, ſed hoc eſt etiam erroneum in ſtellis fixis atque Planetis: Nam ſtellæ fixæ proprio duntaxat lumine fulgent, nec ad eas pertingit lumen Solis, Planetæ verò non ſecus ac Tellus proprio lumine carent, tantúmque opaca eorum corpora extrinſecè lumen à Sole excipiunt in ſuperficie, illudque in hæc inferiora reflectunt, ut patet in Luna & Venere corniculatis; hæcque omnia jam ſuo loco probavimus. Conſequenter igitur Cardanus errat, dum ait Lunam humectare proprio & Solis lumine attrahendo vapores, ſed calefacere tantùm lumine Solis reflexo: Ad hæc ſi utroque lumine agit: Ergo utroque calefacit; nec poteſt utroque vapores attrahere quin utroque calefaciat; vel fatendum erit vapores à calore non fieri, nec elevari, quod Cardanus ipſe non concedet.

Poſt hæc aliorum Planetarum ſingulorum naturas exponens, ait: *Saturnum Solis radios debiliter tantùm recipere, quòd ab hoc plurimùm ille recedat: atque idcircò minimùm calefacere* (quod eſt reſpectu noſtri plurimùm refrigerare) *ſed parum arefacere, quia plurimum ab humido Terræ diſtat, unde multos vapores elevare nequit:* Et hæc eſt doctrina Ptolemæi jam ſuperiùs rejecta, ut planè abſurda, cùm Planetæ ipſi proprias naturas non magis à ſua & Solis vel Terræ diſtantia ſumant, quàm Sol vel Terra propriam naturam à ſua & aliorum, aut mutua inter ſe diſtantia, propriaſque ipſi Planetæ naturas habeant, priuſquam vapores elevent. De reliquis autem Planetis conſentit Cardanus cum Ptolemæo jam ſuperiùs refutato, ſed de Luna (quam facit æquè humidam atque Solem calidum) in hoc diſſentit, quod ei proprium tribuat calorem, fermè ſimilem calori Saturni; indeque ſequatur ipſam Saturni inſtar refrigerare contra Ptolemæi mentem: At Luna ex ipſo etiam Ptolemæo & Cardano deberet eſſe ipſo etiam Marte calidior, quòd nempè ſit Soli vicinior: Sique dixerit quiſpiam, Cardanum hîc de proprio calore Lunæ intelligi, non de adventitio à radiis & diſtantia Solis: Cur (inquam) in aliis Planetis calor determinabitur penes hanc diſtantiam, & non in Luna? Imò cur in Luna admittit proprium calorem, & non in aliis Planetis, cùm omnes propria virtute agant, & quidquid agit, calidum ſit ex Cardano ſupra? Quod ſi admittit in omnibus, cur eorum naturas determinat per id quod eſt illis extrinſecum & alienum, non autem per proprium? Patet igitur evidentiſſimè quàm malè Ptolemæus & Cardanus de Planetarum naturis Philoſophati ſint: ideoque eorum doctrina repudiata, ſtandum cenſemus iis quæ à nobis dicta ſunt Libro nono, Sectione tertia, circa hujuſmodi naturas Elementarias Planetarum, quandoquidem effectibus & experientiis quadrant.

Nec etiam audiendus eſt Marſilius Ficinus in capite ſexto libri ſecundi Ennead. ſecundæ Plotini, ubi Averrois & Abraham Avenzræ opinionem ſecutus, aſſerit: *In Cælo nullum eſſe frigus, nec ſiccitatem, ſed tantùm calorem & humorem: Et Planetas quæ humore magis abundant, ut Saturnus, ea minùs calefacere, indeque dici frigida: quæ verò calore magis abundant, ut Sol & Mars, ea dici calidiora atque ſicca, quia minùs humida ſunt.* Nam præterquam quòd Plotinus cæterique Platonici vix unquam aliquid probant eorum quæ aſſerunt: ſi in ♄ prædominaretur humiditas, ipſe per ſe humectaret, at è contra exſiccat, ut patet ex temperamentis Natorum quibus ille præeſt, ex ſignis præſertim igneis aut terreis, à quibus propria ejus ſiccitas non temperatur.

Sed neque videtur omittenda vulgarium quorundam Aſtrologorum imperitia, qui nullam in ullo Planeta qualitatem caloris, frigoris, humiditatis, vel ſiccitatis, formaliter vel eminenter videntur agnoſcere, dum in colligendo Natorum temperamento, Planetæ naturam determinant penes Naturam ſigni in quo ille verſatur. Ut ſi Saturnus & Venus fuerint in ſignis aëreis, faciunt utrumque & æquè calidum & humidum: ſi in terreis, utrumque & æquè frigidum & ſiccum, nulla habita ratione propriæ naturæ Planetarum, quaſi à ſolis ſignis vim agendi ſumerent, eamque mutato ſigno ſubinde variarent, quod utrumque à Nobis rejicitur Lib. 20. At dum ſupradictos errores tollere meditamur, fatendum, monendumque videtur, hominis ingenium nimis imbecillum eſſe ad Planetarum qualitates

litates Elementales præciſè definiendas : cùm autem hæc determinatio, ſi non exacta, ſaltem rationabilis & experientiis conſona, ſit in Aſtrologicis ſummè neceſſaria, idcircò hic eam exponemus, qualis infra ſequitur; habita duntaxat ratione qualitatum in ſingulis Planetis prædominantium : vel ipſius prædominii qualitatum contrariarum.

Caput II.

Quo ſingulorum Planetarum vires Elementales juxta Aſtrologorum Experienrientias determinantur reſpectu Globi terreſtris.

ABſurdum eſt Aſtrologos in ſupputandis Planetarum locis adeò exactos eſſe velle, & nullam virtutis Planetæ accuratè definiendæ rationem excogitaſſe, cùm tamen loca propter virtutes inquirantur, & quales hæ ſunt, tales ſequantur effectus : ut verò defectum hunc pro viribus ſuppleamus, ſic Nobis erit procedendum.

Statuitur à Ptolemæo & peritioribus Aſtrologis experientiâ edoctis Venerem eſſe naturâ ſuâ calidam & humidam, ſed in ea prædominari humiditatem : ſit ergo calida $\frac{1}{2}$ gradu, & humida 4 gradibus. Præterea etſi Cardanus Commento in capite quarto, Libro primo Quatrip. aſſerat Venerem eſſe Jove calidiorem, quòd illa Soli propior ſit, & ipſo Jove luminoſior, proprio (ut malè opinatur) lumine: Tamen Ptolemæus cæterique omnes Jovem faciunt Venere calidiorem, ſed minùs humidum; in rei autem veritate eſt paululum ſiccus: igitur ponatur calidus, ut $1\frac{1}{2}$, & ſiccus ut 1. Jam verò Solem eſſe Jove calidiorem, & ſicciorem nemo negabit. Sit ergo calidus, ut $5\frac{1}{2}$, & ſiccus ut 2, quandoquidem ſuo calore ſuperat frigus tam Lunæ quàm Saturni. Denique omnes rurſus conveniunt Martem eſſe Sole calidiorem ſicrioremque, non quidem quantitate, ſed qualitate; hoc eſt ex Planetis effundere calorem acerrimum, ſed paucum : ſi enim copioſior eſſet, nimiùm corruptivus lethaliſque foret. Sol autem è contra calorem effundit copioſiorem, ſed blandiorem, quique generativus eſt atque vitalis. Ponatur ergo Mars calidus, ut $2\frac{1}{2}$, & ſiccus ut 3. At Saturno valdè frigido atque ſicco dentur $3\frac{1}{2}$ gradus frigoris, & 3 ſiccitatis. Lunæ verò, quam experimur omnium humidiſſimam, etſi humiditas ſit in agendo virtutis admodum obtuſæ, dentur humiditatis gradus 6. Et quia frigida eſt, ſed minùs quàm Sol calidus; ſupponatur frigida 5 gradibus, tantùm autem frigoris Lunæ tribui, & pluſquam Saturno, vix ullus negabit Aſtrologus, qui Lunam præeſſe Cancro ſignorum frigidiſſimo, ipſamque tam in propriis quàm Solis Ecclipſibus totalibus ſenſibiliter refrigerare hæc Sublunaria attenta mente ſpectabit.

Jam Nobis reliquus erit Mercurius, quem nullius per ſe naturæ peculiaris eſſe volunt Aſtrologi, ſed eſſe Prothei inſtar convertibilem ad quamlibet naturam, aut ſigni in quo verſatur, aut Planetæ cui corpore, vel aſpectu copulatur. Sed error eſt in Aſtrologia maximus: propriam Mercurii naturam denegare, ſine qua ipſe non eſſet. Neque mutantur propriæ Planetarum naturæ in alienas: nempe Mercurius à Luna aut Saturno quidquam recipit; non lumen aut calorem quo carent; neque frigus ob viciniam Solis ipſum Mercurium à frigore illorum defendentis: multoque minùs recipit influentiam qua agat in hæc inferiora : ſed ſinguli Planetæ & ſigna, ſeorſim propriis naturis agunt: fitque in concurſo mixtio virtutum, ut alibi oſtendimus. Et quamvis à Sole lumen & calorem recipere, & Lunæ inſtar in hæc inferiora reflectere queat pro ſuo modulo, hoc tamen extrinſecum eſt propriæ ejus naturæ, ſecundum quam per ſe agit, & quam hic inquirimus: fatentur autem nonnulli ipſum eſſe ſiccum, ac inter cæteros Ptolemæus Lib. 1. cap. 17. ubi agit de Planetarum altitudinibus, tum Pontanus in fine Lib. 2. de Reb. Cœl. nec non Jo. Francus Offuſius, Lib. de Divina Aſtrorum Facultate, ubi de his Planetarum qualitatibus Elementalibus ſubtiliſſimè tractat; dico autem inſuper Mercurium ipſum ex ſe nonnihil eſſe frigidum, quòd nempè Saturni naturam præ cæteris æmuletur, ſeque in agendo viciſſim adjuvent, ut experientia probat: & confirmatur ipſo Ptolemei textu cap. 17. Lib. 3. ubi fatetur; *Mercurium Saturno junctum ad frigiditatem inclinare, & Marti junctum ad ſiccitatem* : ipſa namque inclinatio ad frigus percipi nequit, niſi per majus frigus à Saturno & Mercurio ſimul, quàm à ſolo Saturno : unde utrumque Planetam ex ſe frigidum eſſe conjicitur: virtus enim unita fortior eſt diſperſâ. Eademque eſt ratio pro ſiccitate ☿ cum ♂ conjuncti, ut proinde illi à me tribuantur $1\frac{1}{2}$ gradus frigiditatis, & unus ſiccitatis, ſuntque in Planetis ſingulis qualitates ſupradictæ actu & formaliter, ſive in extrinſeco: pro Planetis autem ♄ ♃ ♂ ♀ ☿ contrariæ pari gradu illis intrinſecè ac eminenter competunt ob rationem alibi expoſitam: illiſque conveniunt in eorum media à Tellure diſtantia, & in Horiſonte, medio etiam inter utrumque Hemiſpherium circulo, ubi potiſſimùm ipſæ eorum vires in Natorum temperamentis deprehenduntur: Nam pro ipſorum à Tellure diſtantia majore vel minore, nec non reſpectu Horiſontis, altitudine aut depreſſione, qualitates illæ quo ad nos variantur, ut infra ex Joan. Franco. Offuſio deſumemus. Interim hæc notetur Tabella, ex qua ponitur tantundem in Planetis eſſe caloris quantùm frigoris, & tantundem humiditatis quantùm ſiccitatis : non ſecus ac in ipſis Elementis. Et ex qua patet Solem & Lunam circa Terram ordinatos, eſſe inter Planetas marem & femellam Sublunariorum effectuum: & mas quidem eſt Sol calidus ſiccus, femella verò frigida & humida.

Eſt

	Calor	Frigus	Humor	Siccitas
☉	$5\frac{1}{2}$			2
☽		5	6	
♄		$3\frac{1}{2}$		3
♃	$1\frac{1}{2}$			1
♂	$2\frac{1}{2}$			3
♀	$\frac{1}{2}$		4	
☿		$1\frac{1}{2}$		1
Summa	10	10	10	10


Eſt autem hæc Tabella naturis & effectibus Planetarum, nec non placitis Aſtrologorum conformior quam Offuſiana; in qua Sol duplo ferè ſiccior quam calidus ſupponitur, & quadruplo ſiccior Marte, hic autem duodecies ſiccior quam calidus. Præterea Saturnus quater frigidior efficitur quam Sol ſit calidus: Jupiter & Venus ejusdem omnino naturæ calidæ & humidæ, ſed horum quilibet centies vigeſies octies humidior quam calidus. Mercurius autem æquè ſiccus atque Mars aut Saturnus: quæ omnia à communi Aſtrologorum mente plurimùm exorbitant, cùm præſertim quater plus frigoris quàm caloris tribuat Planetis omnibus ſimul ſumptis; dum collectis ſingulorum viribus reperiuntur pro ſumma 28 gradus caloris, 114 frigoris: 133 humiditatis, & 85 ſiccitatis. Ad hæc Tabula iſta erit fundamentum atque baſis colligendorum temperamentorum in Nativitatibus, non ſolùm pro Planetis, ſed etiam pro ſignis, aſpectibus, & poſitu ad Solem: Hæc enim omnia referuntur ad hanc Tabulam, ut colligi poteſt ex c. 5. Sect. 2. Praxeos Aſtrolog.

Caput III.

Quot modis ſuperior Planet. natura propria reſpectu noſtri intendatur aut remittatur.

Offuſius rectè cenſet illam primò intendi aut remitti, pro majore aut minore Planetarum à Tellure diſtantia: Nam quia virtus agentis in diſtans eo eſt debilior, quo longius à ſuo fonte excurrit, ut patet in Terra de lumine fixarum: ſequitur debiliùs affici ſubjectum patiens ab agente remotiore, quàm à viciniore. Cùm itaque ſuperior cujuſque Planetæ natura eidem tribuatur in media ejus à Tellure diſtantia, ſic proximè ſaltem invenietur quantitas virtutis ſingulorum, dum in perigæo vel & apogæo, aut locis intermediis verſabuntur.

Supponatur Jupiter apogæus in G, medius in F, & perigæus in E, cujus ſemediameter GA, FB, vel EC. Sitque Tellus in D, ducaturque per centra ♃ recta DG: tum DA, DB & DC corpus ejus contingentes in A, A, C: dantur ex Tabulis rectæ DE, DF & DG: nec non diameter ♃ cum angulis rectis ad A, B, & C: ideoque dabuntur Angulus ad Terram maximus EDC, pro ♃ perigæo: medius FDB, pro medio, & minimus GDA, pro apogæo: itaque ſumantur horum Angulorum ſinus ex Tabulis; tandemque fiat, ut ſinus Anguli FDB, ad $1\frac{1}{2}$ gradus caliditatis ♃, ita ſinus Anguli EDC ad aliud: fietque gradus caliditatis ♃ in perigæo: idemque fiet pro apogæo: Tum pro uno gradu ſiccitatis in perigæo & apogæo & locis intermediis.



 Aliam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Aliam tradit methodum Offuſius cum Tabula erecta penes ſingulorum Planetarum à Tellure diſtantias: ſed quia hæ non admittuntur à Neotericis Aſtronomis, vultque quod ſi Sol ſupra ſuam mediam à Terra diſtantiam recederet à Nobis per duos quadrantes ipſius mediæ diſtantiæ, hoc eſt per 188. diametros Telluris; calor ejus nihil ſentiretur in his inferioribus, etſi Sol ipſe longè infra mediam ♂ diſtantiam conſiſteret: idcircò hac in parte illi nõ adhæremus.

Secundò intenditur penes majorem Planetæ elevationem ſuper Horiſontem, remittitur autem penes majorem depreſſionem infra eundem; quamvis Offuſius nihil dicat de hac depreſſione & remiſſione. Conceditur enim à cunctis & docet experientia Solis, quod Plannetæ ſuas qualitates ſenſibiles efficaciùs effundunt verſantes ſupra Terram, quàm dum infra demerſi ſunt; & eò iterum intenſiùs, quo ſuper Horiſontem altiùs attolluntur: radii enim quo obliquiùs incidunt, eò debiliùs agunt, & eò potentiùs, quo rectiùs. Cùm igitur Soli, exempli gratiâ, dentur in Horiſonte $5\frac{1}{2}$ gradus caloris, & 2 ſiccitatis; intelligendum eſt hanc illi virtutis quantitatem ex propria natura competere, & ſecundum eam nos affici, dum ☉ ipſe verſatur in media à Tellure diſtantia, & Horiſonte. Unde ſi Sol fuerit in apogæo, perigæo, vel locis intermediis, ipſa quantitas priùs corrigatur per diſtantiam ut ſupra. Et fiet quantitas virtutis Solaris in Horiſonte ſecundum diſtantiam apogæam, perigæam, vel intermediam: quæ quantitas iterum augetur reſpectu noſtri, per ☉ aſcenſum ab Horiſonte ad Zenith, ut è converſo minuitur per deſcenſum ab Horiſonte occiduo ad Nadir, ubi noſtri reſpectu omninò deſinit, ob Terram diametraliter interpoſitam. Unde conjicitur noctes in Zona torrida multum eſſe frigidas, præſertim verò ſub Æquatore dum ☉ in illo verſatur; quòd nempè tunc ipſe ad Nadir uſque deſcendat. Inde autem ſequitur Solem à Nadir ad Horoſcopum creſcere reſpectu noſtri $5\frac{1}{2}$ gradibus caloris, & 2 ſiccitatis, dum exiſtit in media à Tellure diſtantia: quare ab Horoſcopo ad Zenith tantò pluribus creſcet, quantò Sol ipſe efficaciùs agit ſupra, quàm infra Horiſontem: idemque cenſendum de quantitate virtutis ☉ dum eſt in apogæo vel perigæo. Sed quantitatem incrementi definire videtur difficillimum, deficientibus experientiis hac in re neceſſariis: quippè quæ faciendæ eſſent aere ſereniſſimo, & à ventis liberrimo, præſertim in ſphæra recta, ubi æqualibus temporibus Sol in Æquatore arcubus æqualibus attollitur.

Offuſius vult calorem Solis tam per acceſſum ad Terram, quàm per altitudinem ſupra Horiſontem augeri cubicè; cæteras verò qualitates quadratè: qua de re Tabulas compoſuit, quarum idem eſt uſus. Verbi gratiâ, poſito Sole in Horiſonte, multiplicat qualitates ei debitas ratione diſtantiæ, per 1. qui primus eſt cubus & quadratus, & remanent eædem qualitates Horiſontales. At poſito Sole alto 3 gradibus $\frac{3}{4}$, multiplicat calorem ejus horiſontalem per cubum $1\frac{217}{512}$ & ſiccitatem per quadratum $1\frac{17}{64}$, & fiunt qualitates congruæ tali altitudini. Et Sole poſito in altitudine 30 graduum, multiplicat calorem horiſontalem per cubum 8, & ſiccitatem per quadratum 4: in altitudine 60 graduum utitur cubo 27, & quadrato 9: & in altitudine 90 graduum cubo 64, & quadrato 16, ut videre eſt in ejus Tabula, cujus nullam affert rationem.

Tandem verò quoniam Sol eò magis calefacit in eadem altitudine quo diutiùs moratur ſupra Horiſontem, inventa quantitate caloris per altitudinem, illam denuò multiplicat per augmentum accedens à mora Solis diurna ſuper Horiſontem; qua de re propriam quoque Tabulam habet, pro ſingulis temporibus diurnis ab uua hora ad 24. V. C. ſi Luna (ut Offuſii proprio utamur exemplo) detur perigæa ac elevata 65 gradibus ſupra Horiſontem: quatenus perigæa humectat 121 gradibus: quatenus elevata 65 gradibus (quibus ex Tabula debentur 10) humectat per decies 121, hoc eſt 1210 gradibus: & quatenus moratur 16 horis ſupra Horiſontem (quibus ex Tabula debentur 9) humectat per novies 1210, hoc eſt 10890 gradibus.

Cæterùm quod his Tabulis fides non habenda ſit, hæ rationes probant. Primò, quia ſi calor augetur cubicè, cur frigus tantum quadratè: cùm hoc præſertim Hyeme & in locis Borealibus tanta violentiâ, tamque intolerabiliter intendatur, ut plantas, animalia & homines ipſos quandoque enecet, quod calor Solis etiam ſub Æquatore non efficit? Secundò, obſervari nequit ſeorſim incrementum qualitatis per elevationem ſupra Horiſontem & per moram, quia elevatio nunquam eſt ſine mora, & è converſo. Tertiò, abſurdum eſt qualitates Lunæ inventas in data altitudine, multiplicare per totum tempus Lunæ diurnum, quandoquidem hoc continet non modo tempus præteritum à Lunæ ortu ad ipſam altitudinem, ſed etiam futurum ab ipſa altitudine ad Lunæ occaſum, quod tempus quia nondum eſt, nullam poteſt qualitatem intendere, eritque erratum adhuc gravius ſi altitudo fuerit Orientalis. Quamobrem hiſce rejectis Offuſii Tabulis atque methodis, ſic de iſtis cenſendum videtur.

Primùm, cum Thermoſcopo (ad Aeris calorem & frigus menſurandum inſtrumento ingenioſiſſimo) fiat exactiſſima obſervatio incrementi caloris à Sole viſo per 4. aut 5. horas, notatis ſingularum horarum incrementis: idque in quavis ſphæra, ſed præſertim in recta, die æquinoctii; hæc enim obſervatio erit loco fundamẽti & menſuræ; pro ſphæra obliqua aut paralella, ut infra dicetur.

Deinde quoniam altitudo Solis ſupra Horiſontem, mora ejus ab ortu uſque ad illam altitudinem, & tempus diurnum ſemper concurrunt, factis duabus obſervationibus, vel in eadem latitudine loci, vel in diverſis: Notetur quod ſi altitudines & moræ fuerint eædem in utraque obſervatione, diurnus erit idem: ſi altitudines eædem & moræ diverſæ, aut contra; diurnus erit diverſus: ſi diurnus idem, & moræ diverſæ, aut contra, altitudines erunt diverſæ: Quippè ex hiſce 3, nempè binis moris, binis altitudinibus, & binis diurnis, ſi duo in æqualitate conſiſtant, tertius etiam conſiſtet: alioquin eorũ ſingula erunt inæqualia.

His poſitis obſervetur Sol ſub Æquatore die æquinoctii ſumptis duabus ejus altitudinibus, ab hora prima & tertia poſt ejus ortum. Prima altitudo erit 15 graduum, & ſecunda 45. Et quia diurnus Solis idem eſt pro utraque obſervatione;

ideoque

ideoq; differentia caloris producti in utroq; tempore poteſt tantùm oriri à diverſis moris & diverſis altitudinibus ipſius Solis ſupra horiſontem; quod nempè cujuſq; temporis calor componatur ex mora & altitudine Solis ad ipſum tempus: idcirco ſi fiat ut productũ ex altitudine & mora primi temporis, hoc eſt ex 15. in 1. nempè 15. ad productum ex altitudine & mora ſecundi temporis, hoc eſt 45. in 3, nempè 135. Ita incrementum caloris pro una hora ab ortu (quod ſit exempli cauſa obſervatum $\frac{2}{3}$ grad. vel 40′) ad aliud; prodibunt 6. gradus caloris pro incremento caloris ad 3. horas ab ortu Solis, taliſque per obſervationem cum Thermoſcopo inveniri debet: huic ergo ſi addantur 3. gradus caloris competentes Soli in Horiſonte & media ferè diſtantia; fient 9. gradus caloris per quos Sól ipſe in tempore ſecundo calefacit. Eadem ratione ſi fiat ut productum ex 15. in 1. ad $\frac{2}{3}$: ita productum ex 90. in 6. ad aliud: prodibunt 24. gradus caloris pro incremento dum Sol eſt in ipſo Zenith ſphæræ rectæ. Sic de aliis in eodem loco & eodem die, quæcunque ſit loci latitudo: quia idem etiam datur diurnus: dummodo facta ſit obſervatio incrementi caloris pro una aut duabus horis in eodem loco eo ipſo die opera Thermoſcopi ut ſuperiùs factum eſt pro ſphæra recta: vel ſumptâ eâdem altitudine in ſphæra recta & obliqua; & invento augmento in recta, inveniatur proportionaliter augmentum in obliqua ut jam oſtendemus.

Igitur in ſphæris diverſis dentur eodem tempore eædem altitudines Solis, certum eſt quod moræ & diurni erunt diverſi: invenietur autem caloris proportio ſic. Ut ratio moræ Solis ad tempus ejus ſemidiurnum in una ſphæra, ſe habet ad rationem moræ Solis ad tempus ejus ſemidiurnum in altera ſphæra: ita ſe habet incrementum caloris ab ortu Solis in prima ſphæra, ad incrementum caloris in ſphæra ſecunda. Atque hoc pacto ponatur Sol in ſphæra recta & parallela elevatus 15. gradibus ſupra Horiſontem: mora ejus in ſphæra recta erit 1. hora, & tempus ſemidiurnum 6. horæ; ideoque dividendo moram per ſemidiurnum, ratio moræ ad ſemidiurnum erit $\frac{1}{6}$: at mora ejus in ſphæra paralella erit 41. dies, & tempus ſemidiurnum eſt 93. dies. Ideoque ratio moræ ad ſemidiurnum eſt $\frac{41}{93}$, quamobrem ſi incrementum caloris ab ortu Solis in ſphæra recta ſit $\frac{2}{3}$ vel 40′. Et fiat ut $\frac{1}{6}$ ad $\frac{41}{93}$, ita $\frac{2}{3}$ ad aliud, prodibunt $\frac{164}{93}$ pro incremento caloris ab ortu Solis in ſphæra paralella: hoc eſt 1. gradus $\frac{71}{93}$.

Rurſus ponatur Sol in iiſdem ſphæris elevatus 23. gradibus 30′. quæ eſt maxima Solis altitudo in ſphæra paralella: mora Solis in ſphæra recta erit 1. hora 34′. vel $\frac{94}{60}$ horæ: & tempus ſemidiurnum 6. horæ ferè; ideoque ratio moræ ad ſemidiurnum erit $\frac{47}{180}$: at mora ejuſdem in ſphæra paralella erit 93. dies: & tempus ſemidiurnum etiam 93. dies: ideoque ratio moræ ad ſemidiurnum erit 1. Quamobrem ſi incrementum caloris ad ſuppoſitam altitudinem in ſphæra recta ſit $\frac{122}{75}$ & fiat ut $\frac{74}{180}$ ad 1.; ita $\frac{122}{75}$ ad aliud; prodibunt 6 $\frac{162}{705}$ pro maximo caloris incremento in ſphæra paralella ſive ſub polo; quod certè multò majus eſt quàm in ſphæra recta: à ratione tamen nihil exorbitans; ſpectata diverſitate morarum; neque ab experientia; cùm ex Olao Magno etiam apud Veſtrogothos, in quibuſdam agris hordeum in fine Junii Terræ commiſſum colligatur circa Auguſti medium.

Quod ſi fieret ut productum ex altitudine & mora in ſphæra recta ad productum ex altitudine & mora in ſphæra paralella; ita incrementum caloris in ſphæra recta ſive $\frac{122}{75}$ ad aliud: prodirent pluſquam 2000. gradus caloris pro incremento in ſphæra paralella, quod eſſe nequit, tale enim incrementum eſſet omni viventi intolerabile, cùm in ipſo Zenith ſphæræ rectæ, incrementum ſit tantum 24. graduum ut ſupra patuit.

Eodem prorſus modo procedendum erit, data in eodem loco eadem Solis altitudine cum diverſis moris: hæ ſiquidem diverſis tantùm diebus contingere queunt, ideoque priùs inventis ad dies ipſos ſemidiurnis Solis, operatio per moras & ſemidiurnos fiet ut ſupra: quod autem de Sole & ejus calore hic dicimus, etiam de Lunæ & Saturni frigore dictum intelligatur. Nam de humiditate & ſiccitate, idem adeo libenter non auſim aſſeverare: ac in ſumma etſi ſupradicta rationi & experientiæ ſatis quadrare videantur: quia tamen hac in parte obſervationibus idoneis deſtituimur; illa poſterorum experientiis committantur, nobiſque ſufficiat rem hanc intactam noluiſſe relinquere, quæ nec injucunda, nec inutilis extat.

Porrò hic duo notanda ſunt. Primum ſuperiores caloris aut frigoris proportiones, frequenter perturbari ab Aeris accidentibus, præſertim ventis, vaporibus & exhalationibus. Secundum, hæc tantùm deſervire ad determinandum quantùm Planetæ virtutis ſuæ Elementalis effundant in Aerem dato quovis momento temporis, quod certè haud ſpernendum eſt: non autem ut ſciatur temperamentum naſcentis tunc hominis: (quod valdè notandum) hoc enim non determinatur penes ſolas ambientis qualitates, alioquin Hyeme rigida nullus naſceretur calidæ complexionis, quod experientiæ reluctatur; ſed penes alias cauſas Aſtrologicas Offuſio ignotas, ut ſuo loco dicetur. Sol enim non agit duntaxat per ſuum calorem & ſiccitatem, quod arbitratus eſt Offuſiùs, ſcribens adverſus larvatam (ut vocat) Aſtrologiam: alioquin à carbone ardente vel globo ferreo candente magnitudinis ejuſdem cum Sole fieri poſſent quæcunque à Sole efficiuntur, ſed inſuper ac præcipuè agit per influentias & ſubſtantialem formam propriam, Phyſicarum omnium materialium nobiliſſimam; ſi unicam primi Cœli formam exceperis: ſimiliter de Luna dicendum eſt; quæ duntaxat pro glaciei globo habenda eſſet; tum Saturno qui pro globo terreo. Quodque hic dicimus de particularibus hominum naſcentium conſtitutionibus Cœleſtibus, etiam dictum volumus de univerſalibus, ad momenta eclipſium, Lunationum, & annuarum Mundi revolutionum erectis, in his enim omnibus Planetæ pro ſuo ſitu in Zodiaco, ad Solem & ad domos Aſtrologicas, influentialiter operantur ut ſuo loco oſtendetur.

Igitur hoc omiſſo incrementi modo, redeamus ad Ptolomæum. Hic lib. 1. cap. 6. cœterique poſt eum Aſtrologi cenſent, Elementales Planetarum qualitates intendi & remitti pro ratione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

tione illorum ſitus ad Solem. Ac primum de Luna vult Ptolomæus eam à conjunctione ad primam quadram magis humectare; inde ad plenilunium magis calefacere; inde ad ſecundam quadram magis deſiccare; indeque ad novilunium magis refrigerare. Cæteri verò Lunam in primo ſitu faciunt calidam ſed humidiorem: in ſecundo ſiccam, ſed calidiorem, in tertio frigidam, ſed ſicciorem, & in quarto humidam ſed frigidiorem.

Porrò dubitari poteſt; an verè Luna à prima quadra ad plenilunium ſit calida & ſicca: hoc enim ſi fuerit, propria ejus Elementaris natura ſupra poſita, erit in totum mutata, quod opinari eſſet abſurdum: neque hæc fuit mens Ptolomæi, fruſtra enim verbis intendi & remitti uſus eſſet. Itaque ex ipſo cenſendum, Lunæ proprias qualitates frigus & humiditatem intendi vel juvari per ſimiles; aut remitti vel impediri per contrarias; non autem prorſus deſtrui vel enervari, quod an & quomodo fieri queat, inquiremus infra.

Igitur ſupponatur Luna plena: tunc ejus frigus quantùm fieri poteſt ex tali ſitu remittitur ſi non formaliter, ſaltem effectivè; non tamen omninò deſtruitur: quare ſi huic ſitui Lunæ dederimus 2. gradus caloris; 2. gradus videbuntur eſſe menſura congrua præcipuæ vel intenſioris qualitatis cujuſque ſitus ſive quadrantis Lunaris; eorumque dimidium, ſcilicet, 1. gradus, erit menſura remiſſioris: proindeque tales erunt qualitates ſingulorum quadrantum pro Luna, ſecundùm quas ejus propriæ vires intendentur aut remittentur ſaltem effectivè.

	Calidum	Frigidum	Humidum	Siccum
A ☌ ad 1 □	1		2	
A 1 □ ad ☍	2			1
Ab ☍ ad 2 □		1		2
A 2 □ ad ☌		2	1	

At pro ſuperioribus Planetis ♄ ♃ & ♂ Ptolomæus etiam 4. ſitus ſive ſtatus ad ☉ conſiderat: quippè à ☌ ad primam ſtationem; inde ad ☍ cum Sole; inde ad ſecundam ſtationem, indeque ad occultationem: quibus eaſdem quas Lunæ tribuit qualitates.

Igitur ſupponatur ♃ eſſe à 2. ſtatione ad occultationem, ubi ejus calor & ſiccitas remittuntur. Et ſi huic ſitui qui principaliter frigefacit detur 1. gradus frigoris (ne totus ♃ calor deſtruatur) erit 1. gradus menſura intenſioris qualitatis cujuſque ſitus, & 30′. erunt menſura remiſſioris, ideoque tales erunt qualitates ſingulorum ſituum.

	Calidum	Frigidum	Humidum	Siccum
A ☌ ad 1 ſtat.	30′		60′	
A 1 ſtat. ad ☍	60′			30′
Ab ☍ ad 2 ſtat.		30′		60′
A 2 ſtat. ad ☌		60′	30′	

Alii cenſent Planetas Orientales intendere vires ſuas activas & remittere paſſivas; Occidentales verò remittere activas & intendere paſſivas. Sed meliùs dicetur, in illis ſitibus intendi & remitti qualitates ipſas, non quidem formaliter vel in ſe, ſed in ſuis effectibus ſublunaribus. Quod tamen qua ratione fiat difficile eſt definire ut patebit inferiùs.

Qualis autem ſit horum Planetarum ſitus, ſic illicò patebit, ſi eorum quilibet fuerit directus & Solem præcedens, ipſe eſt à ☌ ad primam ſtationem: ſi Retrogradus & præcedens vel Soli dexter, eſt à prima ſtatione ad ☍: ſi Retrogradus & Solem ſequens, eſt ab ☍ ad ſecundam ſtationem: ſi directus & ſolem ſequens vel ei ſiniſter, eſt à ſecunda ſtatione ad ☌.

Porrò de ♀ & ☿ nullam Ptolomæus fecit mentionem, voluntque Proclus & Haly illos excludi; quòd nunquam ad Solis oppoſitum reſpectu noſtri perveniant; ideóque exquiſitè nequeant temperamentum aſſumere; quæ ratio videtur incongrua; cùm ☿ & ♀ eaſdem quas Luna phaſes reſpectu noſtri patiantur: ſintque ut ♄ ♃ & ♂ circa Solem ordinati, directi, ſtationarii atque Retrogradi, unde horum potiùs quàm Lunæ legibus illos ſubjici videatur conſentaneum, ſumpta eorum cum Sole ☌ in ſuprema excentrici ſui parte pro oppoſitione, quòd lumine pleni ad nos ſint converſi, etſi tunc combuſti non videantur. At ab Apogæo per gentes ad ſtationem primam oriuntur ortu veſpertino, dicunturque Orientales veſpertini: A ſtatione prima ſeu veſpertina ubi à Sole maximè elongantur, pergunt ad perigæum, & occidunt occaſu veſpertino:

Poſt

Poſt perigæum oriuntur ortu matutino, tendentes ad 2 ſtationem quæ matutina dicitur. Poſt quam apogæum repetentes occultantur iterum vel occidunt occaſu matutino. Ideoque ab ☍ cum ☉ ad ejus ☌, vel ab apogæo ad perigæum oriuntur & occidunt veſpertinè; à ☌ verò ad ☍ oriuntur & occidunt matutinè; atque hic dicuntur Soli Orientales, illic Occidentales: Orientales autem augent ſuas qualitates Elementales; Occidentales verò remittunt, ſicut & influentiales. De ipſis autem ſimili modo judicetur per ſtationes, ſicut de ♄ ♃ ♂. Eſt autem ♀ retrograda Orientalis à ☌ ad primam ſtationem; directa & Orientalis à prima ſtatione ad ☍. Directa Occidentalis ab ☍ ad 2 ſtationem; & retrograda occidentalis ab ſecunda ſtatione ad ☌.

Cæterùm præter 4. ſuperiores Planetarum ſtatus ad Solem, Cardanus quintum adjicit; dum ſcilicet Luna cæterique Planetæ ſub Sole occultantur: in quo Planetarum ſtatu Cardanus illis vim omnem adimit, utque verbis ejus utar, *nihil penitus poſſunt*. Inde verò inſignis error in Aſtrologia propagatus eſt, quod Planetæ combuſti (ut vocant) nullius omninò ſint virtutis, nihilque eo durante ſtatu circa hæc inferiora operentur: ſed tunc tantùm agere incipiant cùm primùm è radiis Solis emergentes manè aut veſperi nobis illuceſcunt: qui error ex alio Cardani & aliorum graviore ortum duxit, quòd (ut volunt) vis omnis Aſtrorum in horum lumine conſiſtat, ideoque nec nos afficiant, ſi nobis non luceant. Sed præterquam quod Lib. 11. cap. 13. Aſtrorum lumini nullam vim exceptâ illuminandi ineſſe à nobis oſtenſum eſt; Planetas ſub Sole propriis agendi viribus ſaltem omninò non deſtitui, iiſque tunc etiam agere probabimus, cum de Eclipſibus & Planetis combuſtis ſermo erit: ac præſertim de ☿ qui ferè ſemper combuſtus eſt, & tamen maximos ei effectus ſemper attribuunt; planè ridicula exceptione aſſerentes, illum combuſtioni vel occultationi aſſuetum eſſe. Interim hic dicendum, decipi Cardanum circa ſuum quintum ſtatum quem ex Ptolomæo conatur deducere, contra ipſius verba atque mentem. Nam primum Lunæ ſtatum Ptolomæus apertè vult incipere à conjunctione cum Sole: Et primum ſtatum ♄ ♃ & ♂ ab eo momento quo fiunt matutini, hoc eſt quo Sol ab eorum conjunctione diſcedit: quod autem ultimum Lunæ & Saturni ſtatum terminet ad occultationem, hoc intelligendum eſt de occultatione media, ſive totius occultationis medio temporis momento, quod accidit in conjunctione cum Sole. Ac proinde 4. duntaxat erunt ſtatus etiam ex mente cæterorum Aſtrologorum. Quod ſi aliter cenſuerit Ptolomæus certè in hoc etiam, ut in pluribus aliis erravit.

Doctrina Ptolomæi ſic expoſita, jam eadem rationis examini videtur ſubjicienda; eóque audentiùs quod illam experientiis evidentibus confirmare, ſciam longè eſſe difficilius. Primum ergo ſi Planetarum Naturæ Elementales pro diverſo ad Solem ſitu intenduntur aut remittuntur, vel formaliter ut cenſuiſſe videntur Ptolomæus, & Veteres Aſtrologi; vel tantum effectivè prout Nobis videtur, neceſſe eſt, ut hic effectus ſit vel à Sole ipſo, vel à Nobis apparenti quantitate luminis ipſorum Planetarum à Sole recepti, vel ab ipſo ſitu: Iam verò à Sole intendi frigus ♄, aut remitti calorem ♂ ut ſupponitur in tertio, ſed maximè quarto ſtatu, quo uterque Planeta fit Soli propinquior, prorſus alienum eſt à natura ipſius Solis, qui etiam a Cardano & ſecundum ſubſtantiam & ſecundum qualitatem impreſſam, (ut vocat) calidus eſſe dicitur. Sed neque eſſe poteſt à quantitate luminis nobis apparente, tum quia lumen duntaxat illuminat, nihilque aliud efficit, ut à Nobis probatum eſt: tum quia abſurdum eſt ab eodem lumine naturâ & quantitate (quale eſt in primo & quarto ſtatu) produci etiam calorem & frigus qualitates contrarias. Cum hæc igitur effectus diverſitas à Sole vel ejus lumine ad idem tantum determinatis peti nequeat, ſupereſſe videtur ut à ſitu petatur, quippe qui ſit diverſus in ſingulis Planetarum ſtatibus. At quod à ſitu eſſe non poſſit, ſic probatur. Nam ſitus dexter Soli vicinior, eſſet pro Luna frigidus, & pro Saturno calidus: ideoque ſimul frigidus & calidus, quippè ſitus hic competit primo ſtatui ♄ qui calefacit, & quarto Lunæ qui frigefacit: ſimileque dici poteſt de cæteris Lunæ & Saturni ſitibus: At idem ſitus ſimul eſſe nequit frigidus & calidus. Arguet aliquis hoc quidem verum eſſe reſpectu ejuſdem, non autem diverſorum quales ſunt Saturnus & Luna; ſed primo quæritur natura ſitus in ſe ſpectati, & non reſpectu diverſorum, nam qualis illa fuerit, talis participabitur à Planetis. Deinde ♄ & ♂ etſi naturâ diverſi, tamen eodem modo ab eodem ſitu ſuprà afficiuntur, ideóque non valet argumentum. Nec rurſus proderit arguere, ideò Saturni frigus in primo ſtatu remitti, quia non multò poſt ejus ortum ſupra Horiſontem, ſequitur ortus Solis calorem ingentem effundentis, quo ipſius Saturni frigus remittitur; unde ille ſtatus calidus eſſe dicitur: Nam ſequeretur quod ſaltem in 2 ſtatu præſertim circa ☍ ♄ frigus minus remitteretur: quia inter ejus & Solis ortum major eſt diſtantia temporis: At econtra magis remittendus eſt, quod ſtatus ſecundus ponatur eſſe primo calidior. Undique igitur patet neque Solem, neque lumen ejus, neque ſitum ipſum per ſe eſſe cauſas illarum contrariarum qualitatum.

Unicum ſupereſt quod ſaltem probabilter afferri queat pro 4 illorum ſtatuum defenſione: ſcilicet Analogia ipſorum, cum 4 anni & diei partibus: ut enim Sol circa Terram annuo & diurno motu revolvitur, & quælibet revolutio in quatuor partes ſive quadrantes temperie diverſos dividitur: Sic Planetæ omnes Solis reſpectu, cujuſdam revolutionis apparentiam nobis exhibent, dum ex ejus radiis oriuntur, in iiſdem occidunt & medios ſtatus ſortiuntur. Ideóque ut multi effectus à Planetis prodeunt, qui ad Analogiam duntaxat referri queunt, V.C. quod dominus Medii Cœli velox & directus actionum celeritatem, continuationemque ſignificet: econtra verò tardus & retrogadus, tarditatem & interruptionem: ita primus Lunæ & cæterorum Planetarum ſtatus, in temperie vel natura Analogia ſervat cum Vere vel prima diei parte ab ortu Solis ad Meridiem, intenſiùs humidis & remiſsè calidis congruus, ſecundus ſtatus cum Æ-

ſtate,

ſtate, vel ſecunda diei parte à Meridie ad Solis occaſum, intenſiùs calidis & remiſſe ſiccis. Tertius cum Autumno vel 3 diei parte, intenſiùs ſiccis & remiſſe frigidis: ac tandem quartus cum Hyeme vel quarto diei parte à Media nocte ad Solis ortum, intenſiùs frigidis & remiſſe humidis congruus.

Sic igitur Lunæ frigus à novilunio ad ☍ duplici de cauſa temperabitur, quippè à primo & ſecundo Lunæ ſtatu qui calidi ſunt: tum à calore Solis quem & in ſua ſuperficie & in ſuis admodum vaſtis cavitatibus exceptum cum lumine, reflectit in hæc inferiora; præſertim in plenilunio, quo cavitates illæ à copioſiore & denſiore quo replentur lumine ardentium fornacum inſtar fulgentiores apparent. à plenilunio autem ad novilunium, redit Luna ad ſuum frigus, quod etiam in quarto ſtatu intenditur quo ad effectum: idemque cenſendum de Planetis cæteris lumen & calorem Solis in hæc inferiora pro ſuo modulo reflectentibus, quamvis calor hic non ſecus ac proprius etiam ♂ calor, ſint nobis ſolo ſenſu prorſus imperceptibiles.

Tandem qualitates cuilibet ſtatui ſuperiùs aſſignatæ, intelligendæ ſunt illi convenire non in principio, ſed fine vel complemento ipſius ſtatus: verbi gratiâ, Luna illicò poſt ☌ non fit calida ut 1 & humida ut 2: ſed tantùm quo inſtanti attigit quadraturam intermedio tempore ſenſim acquirens illas qualitates: cúmque duo ſtatus proximi ſibi in aliqua contrariantur qualitate, fit tantum ſucceſſivè mutatio ad contrariam ſequentem, priùs ſenſim deperdita priore contraria; quamobrem ut qualitates & tempora ſtatuum ſibi proportionantur; ita hujus proportionis habenda eſt ratio, quandocunque Planetarum vires erunt exactè definiendæ. Ubi tamen notandum quod dum hic dicimus Lunam fieri calidam ut 1 & humidam ut 2. intelligendum eſt quod ejus frigus remittatur uno gradu, humiditas verò augeatur 2. gradibus, non formaliter vel intrinſecè, ſed duntaxat accidentaliter & extrinſecè, ratione ſublunarium effectuum. Atque ſic de cæteris. Et nihilominus longè minorem huic cauſæ cenſemus certitudinem & efficaciam eſſe tribuendam, quàm ſignis ſub quibus videntur & quibuſcum agunt ipſi Planetæ virtute Elementali.

Cæterùm quoniam dictum eſt ſuperiùs, 4. ſtatus prædictos analogiam ſervare cum 4 anni & diei partibus: hic inſuper notandum vires Elementales Planetarum videri etiam non obſcurè intendi vel remitti in ipſis anni & diei partibus, penes harum naturam. Mars enim æſtate ſupra Terram horâ circiter meridianâ intenſiùs calefacit & exſiccat: & ♄ Hyeme ſupra Terram nocturnis horis, intenſiùs refrigerat: ideoque ſi ♂ fuerit in primo ad ☉ ſtatu, ſupra Terram interdiu, horâ circiter meridianâ æſtivo tempore; multò adhuc intenſius calefaciet & exſiccabit; eademque eſt ratio in cæteris. At quia anni & diei partes cauſantur à Sole atque Tellure, quorum ille calidus, hæc autem frigida: uterque autem vim ſuam effundit in Aerem ut de Terra dictum eſt lib. 3. ſect. 1. cap. 10. Idcircò potius aſſerendum eſt mutuo ex concurſu qualitatum, Solis, Terræ & Planetæ cujusvis alterius, oriri in Aere craſin mixtam; in qua dum quilibet ſeorſim pro viribus agit, cenſetur ſocii naturâ ſimilis virtutem intendere, & diſſimilis remittere: indeque aerearum conſtitutionum deſumi poteſt non ſpernenda prænotio: & patet ſupradictam intenſionem aut remiſſionem propriæ naturæ Elementalis Planetarum, non illis eſſe formalem vel intrinſecam, ſed duntaxat accidentalem à cauſis ſupradictis, & extrinſecam ratione intenſioris vel remiſſioris effectus in hæc inferiora, quod quidem notandum eſt. Igitur ♃ in ortu melior erit; ♂ in Medio Cœli deterior per calorem & ſiccitatem; ♄ in occaſu deterior per frigus & ſiccitatem; & Luna in imo Cœli deterior per frigus & humiditatem.

Caput IV.

De Æetherea Planetarum natura in genere.

Hæc perpaucis ne dicam nullis hactenus innotuit; minúſque Aſtrologis quàm cæteris Philoſophis: illi enim Elementali ac influentiali naturæ veluti notioribus addicti, ætheream minus conſpicuam omiſerunt; præſertim quòd Planetas mixta eſſe corpora, in hiſque Ætherem prædominari non animadvertiſſent: jam verò cum hoc ita eſſe probaverimus lib. 9. cap. 4. & 5. rectè infertur, quod ſicut ab Elementali mixtione naturam Elementalem ſortiuntur; ſic ab æetherea æthaream; cum hanc etiam in mixtis ſublunaribus, quippè animalis ſemine, ſpiritibus cæteriſque proinde humoribus ex quibus ſemen conficitur, Plato, Ariſtoteles & Medicinæ Principes deprehenderint, quantò igitur magis in ipſis mixtis æthereis erit concedenda? Ejus autem virtus in homine detegitur potiſſimùm in ipſis ſpiritibus atque humoribus; tum partibus quibus inſident facultates humorum & ſpirituum ipſorum productrices: his enim præter qualitates Elementales, vis ineſt Elementorum viribus ex Ariſtotele ſuperior, atque correſpondens Elemento Stellarum: cujus ſimilitudinis ratione, pro vario Planetarum ſtatu atque motu ipſi humores, ſpiritus & facultates, varios motus & affectiones patiuntur: ut præſertim ex ſemine atque libidine, tum diverſo Veneris ſtatu atque motu ſuper vitalia hominis Venerei loca genituræ, licet obſervare, & ita de bile, appetituque iraſcibili, tum Marte in homine bilioſo: ſicque de cæteris.

Porrò hæc æetherea natura ſimplex eſt ac unica, eademque in Planetis omnibus, quia unicus eſt Æther in omnibus; nec tamen eſt ejuſdem virtutis in omnibus: quia cùm Æther ſit ex ſe naturæ ancipitis ut dictum eſt lib. 3. ſect. 2. cap. 2. Et præ cæteris quibus Planeta conſtat materialibus principiis, ejus formæ affinis: etiam ejus virtutem formalem præ cæteris facillimè excipit: ac proinde fit in Saturno naturæ Saturninæ, tantùm agens juxta naturam Saturninam; in Jove, Iovialis, & ita de reliquis: quód dici nequit de qualitatibus Elementalibus Planetarum, quæ juxta proprias vires agunt, non autem juxta formales Planetarum quibus inſunt, ut ſenſu patet ex calore Solis, qui comburit ut Ignis ſublunaris.

Caput V.

De Cœleſti Planetarum natura in genere.

QUa ratione Planetis inſunt natura Elementalis & æetherea, eadem illis ineſt natura Cœleſtis; ſcilicet, ratione mixtionis; Hæc autem na-

tura

tura ut cæteris divinior, etiam diviniores producit effectus. Cùm enim ſit in Planetis participatio primæ cauſæ Phyſicæ, (hoc eſt primi Cœli) quæ cunctas rerum formas continet eminenter, & eſt in natura omnipotens: ita ſinguli Planetæ ab hac habent, quod in qualibet generatione quidpiam poſſint, rerumque formas corporeas in Mundi ſcenam evocent; & in quolibet Phyſico corpore mutabili, poſſint quodlibet naturaliter poſſibile, ut ſuo loco probabitur. Ipſis autem Planetis ineſt etiam ab eadem Cœleſti natura, mirabilis illa facultas, quam univerſim dicunt influentiam; à qua tot ſtupenda in hominum præſertim ſpecie accidunt, fortunia, infortunia, aliique varii caſus, quos imperiti Philoſophi præter rationem & fortuitò contingere putant: non quod hæc facultas ipſorum Planetarum formis non ſit maximè propria; eſt enim eorum formalis virtus diverſa in ſingulis, per quam inter ſe ſpecificè diſtinguuntur; ſed quod hæc formis ipſis ratione mixtionis è materia Cœleſti conveniat: ſingulorum enim mixtorum formæ, eorumque virtutes formales, dantur ſemper miſcibilibus, horumque proportionibus conſentaneæ.

CAPUT VI.

Quid Planetæ ſingulis naturis efficiant.

EX ſupradictis igitur patet Planetas virtute ſua elementali alterare corpora elementaliter alterabilia: quippè calefaciendo, refrigerando, humectando, exſiccando, & alia quæ inde ſequuntur, ut raritatem, levitatem, &c. cauſando.

Æthereâ autem, corporum ſpiritus & facultates immutare, concitare, & ad propria munia obeunda dirigere. Nec enim ſpiritus & facultates, Elementorum actioni per ſe ſubjiciuntur; cùm eis, qua tales ſunt, non conveniat calefieri, frigefieri, humectari vel exſiccari; qui ſunt proprii effectus Elementorum: oportet igitur ſpiritus & facultates ſubeſſe alteri cauſæ ſublimiori cui magis proportionentur, & à qua proprias alterationes patiantur; quandoquidem alterationi atque motibus ſibi propriis ea ſubjici neceſſe eſt, cùm ſolus DEUS ſit immutabilis. Unde deducitur, quod ſi ne quidem in animæ facultates directè agendi vis ineſt Elementis, multò minùs agent in ſubſtantiales formas, eas, ſcilicet, generando vel corrumpendo, ùt garriunt qui omnia fieri contendunt à contrariis qualitatibus; quandoquidem formarum eſſe, longè nobilius, ſublimius & ab Elementari natura remotius ſit, quàm facultatum; hæque manent ab illis.

Denique naturâ Cœleſti, rerum formas è tenebris in lucem educunt: ideoque ſingula generant atque corrumpunt, & mirandos influentiarum effectus perficiunt. Ut proinde in mixtis ſublunaribus, materia ſit ab Elementis; ejus autem ſenſibilis alteratio, ſit ab iiſdem & Elementali Planetarum natura, ſpiritus verò & facultates corporeæ, horumque motus ab Æthere, æthereaque Planetarum natura; formæ verò à Cœlis & Aſtrorum Cœleſti natura: quatenus eas in ſeminibus latentes, vel ligatas, ſolvunt, atque in ſcenam Mundanam prodire compellunt. Ita tamen ut quidquid Planeta efficit, ipſius Planetæ naturæ ſpecificæ, quantùm effectui licet, aſſimiletur. Proindeque dicatur Saturnus agere Saturnaliter, Jupiter Jovialiter, & ita de cæteris. Ideò autem neceſſe fuit Planetas agere poſſe elementaliter, ut ſupplerent interdum vires Elementorum: quorum ea eſt aliquando intemperies, ut viventium omnium ſit ex ſe deſtructiva, ut patet Hyeme gelidiſſima, quâ ſata in Tellure & ſub nivibus, tum piſces ſub aquis glacialibus, præſertim circa polos, ideò vivunt, quòd Planetarum natura elementalis & ætherea, defectum ſuppleat Elementorum, ſicque viventia foveat atque conſervet.

At præter ſuperiores naturas, elementalem, æthercam & cœleſtem, quæ ſunt duntaxat Planetarum qualitates à mixtione illis advenientes; ineſt etiam ipſorum cuilibet propria ſubſtantialis forma; qua ſinguli inter ſe ſpecificè differunt: cuique ſupradictæ naturæ in agendo ſubordinantur, tanquam effectuum omnium principali cauſæ; ſaltem eorum qui propriam excedunt efficientiam qualitatum Elementalium: & à qua ſubſtantiali forma, profluit eſſentialiter cujuſque Planetæ virtus primaria ſive formalis; de qua quid ipſa ſit, dictum eſt in fine cap. 1. & cap. 2. ſect. 3. lib. 12.

SECTIO II.

De variis Planetarum diviſionibus.

CAPUT I.

De Planetis Maſculinis & fœmininis.

PLanetæ dicuntur eſſe formaliter maſculini aut fœminini; ab efficaciore aut debiliore agendi virtute propria: vel ab effectibus maſculis aut fœmineis, quos pro diverſitate ſuæ naturæ atque ſtatus producunt in his ſublunaribus; quamvis ratione Cœleſtis materiæ, quâ ipſi componuntur, ſint eminenter maſculini ſimulque fœminini.

Primò itaque Planeta dicitur eſſe formaliter maſculinus, aut fœmininus, ex ſe vel naturâ propriâ: ſicque maſculini ſunt in quibus qualitates activæ prædominantur paſſivis, juxta Tabellam noſtram cap. 2. ſect. 1. Actio enim ad maſculos præcipuè pertinet. Ac tales ſunt ☉ ♄ ♃ & ♂; nam in ☉ ♃ & ♂ calor, & in ♄ frigus dominatur: ideoque ab illis præſertim Planetis, majores Mundi mutationes efficiuntur, ut Aſtrologis notum eſt. Fœminini verò Planetæ ſunt, in quibus paſſivæ qualitates præpollent activis; ac tales ſunt ☽ & ♀, in quibus humiditas excedit. At Mercurius ut naturæ, ita ſexûs ancipitis eſſe vulgò creditur, aliunde tamen in alterutrum ſexum facile convertibilis. Verùm cùm in eo prævaleat ſiccitas, qualitas paſſiva, potiùs ad fœmineum ſexum quàm ad maſculum referendus videtur: nec officit color ejus, qui nonnihil rubeus, ideoque maſculus apparet: cùm rubor ille ſit à vaporibus & exhalationibus, propè Horiſontem denſioribus, ubi tantùm ☿ videri ſolet; & in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

quibus dum verſantur cæteri omnes Planetæ, etiam rubicundiores conſpiciuntur; præſertim ſi exhalatio vapori prævaleat. Porrò hic patet nos à Ptolomæi mente recedere: tum quòd ipſe Mercurium faciat ancipitis naturæ, quem hic patet eſſe fœmininum; tum quòd ſexum maſculinum à fœminino non diſtinxerit generatim per activas & paſſivas qualitates; ſed duntaxat per calorem quem tribuit ſexui maſculino, & humorem, quem fœminino; cùm tamen Saturnus ſit illi maſculinus, etſi omnium frigidiſſimus.

Secundò: Planetæ dicuntur eſſe vel fieri maſculini aut fœminini accidentali formalitate à cauſis extrinſecis, veluti à ſuo ſitu ad Solem atque Lunam. Siquidem orientales Soli & occidentales Lunæ dicuntur maſculini, occidentales autem Soli & orientales Lunæ ſunt fœminini, à majori, ſcilicet, virtute Planetarum in priore ſtatu, & minori in poſteriore. Sunt autem orientales Soli, qui ſecundum ſignorum ſucceſſionem non diſtant à Sole ipſo 6. ſignis vel 180. gradibus; eſtque eorum ſtatus fortiſſimus, cùm primùm emergunt è radiis Solis, & ante ipſum manè oriri viſuntur in aſpectu circiter dodectili. Occidentales verò ſunt à quibus Sol ſecundum ſignorum ſeriem minùs diſtat quàm 180. gradibus. Eſtque eorum deterior ſtatus debiliorque, quando ſubintrant radios Solis, à quibus, ſed præſertim in conjunctione cum ☉, vis illorum valdè enervatur à ſupereminente Solis virtute atque calore, quibus aliorum Planetarum vires quaſi abſorberi & devorari videntur, non autem à lumine, ut huc uſque creditum eſt, cùm lumini nullus competat effectus præter illuminationem; ideoque malè Cardanus comment. in text. 33. cap. 6. lib. 1. Quatrip. & poſt eum Origanus pluresque alii, Planetas interdiu orientes, ideo debiliores putant, aſtraque omnia vires amittere, quòd Solaris luminis præſentiâ offuſcentur. Hoc enim conceſſo, Planeta diurnus interdiu ſupra Terram, debilior eſſet quàm noctu; imò Planetæ omnes interdiu fortiores eſſent ſub Terra quàm ſupra. quæ ſunt à mente omnium Aſtrologorum, experientia & ratione prorſus aliena. Itaque Planetæ Solis acceſſu ſaltem propinquo debilitantur; receſſu verò viribus augeri dicuntur, quòd in priſtinas reſtituantur. At Lunæ fiunt Planetæ cæteri orientales & occidentales ſicut & Soli: ſed inde aliter afficiuntur. Nam ipſius Lunæ acceſſu roborari dicuntur, ejuſque receſſu debilitari, quod ſcilicet ex duobus luminaribus circa Tellurem ordinatis, nempè Sole atque Lunâ; hæc illorum viribus & naturæ ſit magis quàm Sol proportionata; cùm tam hæc quàm illa ſint opaca corpora à Sole duntaxat illuminata; ideóque dum ad agendum in Tellurem ſimul concurrunt, Planetæ ipſi à Luna juventur, non autem impediantur, unde ejus adventu roborari, & diſceſſu infirmari jure dicuntur.

Tertiò: fiunt Planetæ maſculini aut fœminini à ſuo ſitu reſpectu Horiſontis & Meridiani, qui circuli cùm totum Cœli ambitum in 4. quadrantes dividant, ac eorum ille qui ab Horiſonte ortivo ad Cœli culmen intercipitur, calore prædominet, ſequente à Cœli culmine ad occaſum, ſiccitate; tum ab occaſu ad imum Cœli, frigiditate; & inde ad ortum, humiditate, ſicut ipſa diei & noctis tempore ſenſui manifeſtant: inde fit ut Planetæ in quadrantibus, quibus præſunt activæ qualitates calor & frigus, dicantur maſculini; & in quibus paſſivæ, fœminini: ſi quidem à prædominante qualitate talis eſt quartæ cujuſque ſexus, ob rationem ſuperius dictam: quod Cardanus, Origanus aliique non advertentes, rationes abſurdas excogitarunt ab aſcenſionibus rectis & obliquis, quas in ſphæra recta conſtat non habere locum: multóque abſurdius fingit Cardanus Aſtra à ſeptimo loco ad quartum aſcendere; à quarto ad Horoſcopum deſcendere; quod ipſi repugnat ſenſui.

Quartò: denique fiunt Planetæ maſculini aut fœminini à ſuo ſitu in ſignis Zodiaci, quod nec Ptolomæus nec cæteri poſt eum Aſtrologi annotarunt; in eoque non parum erraverunt. Nam ſi Planetæ ipſi ratione ſui ſitus in figuræ Cœleſtis domibus maſculeſcunt aut fœmineſcunt; quantò magis & efficaciùs ratione ſui ſitus in ſignis Zodiaci; quæ cum Planetis agunt in hæc inferiora, & ad Planetarum naturas determinantur formaliter: Imò quorum alia ſunt maſculina & alia fœminina, ut ipſe profitetur Ptolomæus lib. 1. cap. 10. cum reliquis omnibus Aſtrologis. Itaque Planeta quilibet in ſignis maſculis ♈ ♊ ♌ ♎ ♐ ♒ dicetur fieri maſculinus, in cæteris verò fœmininis, fœmininus.

Porrò de Planetis ſciendum eſt, quod naturâ maſculini, in ſtatu merè maſculino, illuſtres edunt effectus naturæ maſculinæ: & ſimiliter naturâ fœminini in ſtatu merè fœminino, illuſtres pariunt effectus naturæ fœmininæ: at Planetæ maſculi in ſtatu fœminino, aut fœminini in ſtatu maſculino, mixtos producunt effectus, qui de maſcula aut fœminina natura magis aut minus participant pro ratione prædominii alterutrius ſexus in ſua cauſa: ſicque à ♄ aut ♂ effœminatis, aut ♀ maſcula aliunde pravè affectis, monſtra ſæpè generantur.

Caput II.

De Planetis diurnis atque nocturnis.

POſtquam Ptolomæus cap. 4. Planetas diviſit in maſculinos & fœmininos à cauſa intrinſeca, ſcilicet, naturâ propriâ: tum extrinſeca, ſcilicet, poſitu ad ☉ & Cœleſtis figuræ quadrantes, ſequenti cap. 5. eos rurſus dividit in diurnos atque nocturnos, ſed confuſa admodum ratione. Non enim quatenus intrinſecè & ſuâ naturâ, cum diei vel noctis qualitatibus magis conveniunt; nec quatenus extrinſecè in diem vel noctem incidunt; ſed quatenus iis ſupra Horiſontem poſitis, dies ſive nox eorum effectus temperatiores efficiunt reſpectu hominis. Atque ſic ♄ efficit diurnum & ♂ nocturnum, ut hujus immoderata ſiccitas noctis humiditate, illius verò nimium frigus diei calore temperaretur.

Sed quod in hoc erraverint Ptolomæus, Cardanus eorumque ſequaces, hinc patet, quia ſicut in diviſione Planetarum per ſexum Ptolomæus habuit rationem cauſæ intrinſecæ & extrinſecæ ipſius ſexus: ita & hîc erat faciendum; ideóque ad Planetas dividendos penes diurnam & nocturnam conditionem, ii dicendi erant diurni à

cauſa

cauſa intrinſeca vel naturâ propriâ, in quibus activæ prædominantur qualitates; quales ſunt ☉♄♃♂; ſicque maſculinum & diurnum convertentur. Non enim in Planetarum naturis propriis determinandis attendendum eſt qualiter exceſſus in iis moderentur; hoc ſiquidem eſt illis extrinſecum, ſupponitque ipſum intrinſecum; ſed quales ſint in ſe ipſis: alioquin pro ſexu Martis ſimiliter dicendum fuiſſet, illum eſſe maſculinum, dum eſt Soli occidentalis & in quartâ figurâ ab imo Cœli ad Horoſcopum. Imò Cardanus ipſe, qui in ſuis opinionibus frequenter titubat, text. 42. lib. 1. fatetur ♂ ex ſe verè eſſe diurnum. Eademque eſt ratio de ☽ ♀ & ☿ Planetis nocturnis.

Porrò doctrinam hanc eſſe veriorem, tum Aſtrologiæ dogmatibus magis conſentaneam, inde confirmatur; quòd Geneſis cap. primo (in quo Aſtrologiæ fundamenta præcipua paucis verbis continentur) dicitur *DEUM feciſſe duo luminaria magna: luminare majus, ut præeſſet diei; & luminare minus, ut præeſſet nocti; & Stellas, ut præeſſent diei atque nocti.* Per Stellas autem Hebraicè *chochavvim*, quinque minores Planetæ intelliguntur; *chocha* enim apud Hebræos Stellam erraticam & dominatricem ſignificat; idque nomen peculiariter Mercurio à pleriſque Rabinis tribuitur: quamvis in pluribus ſacræ Scripturæ locis *chochavvim* etiam Stellas fixas, vel promiſcuè Aſtra omnia, præter Solem atq; Lunam, ſignificet.

At quamvis commune ſit omnibus Planetis lucere ſuper Terram, ideoque dividere lucem à tenebris pro cujuſque proprio; vel mutuato lumine, ut habetur eodem cap. tamen non ideò præcipuè Sol dicendus eſt præeſſe diei, quod hunc efficiat: cur enim Luna diceretur præeſſe nocti, & reliqui Planetæ diei atque nocti, cùm nec Luna nec reliqui Planetæ diem vel noctem efficiant? ſed dies atque nox ſint tantùm à ☉ abſentiâ; ille verò ejuſdem præſentiâ ſuper Horiſontem? Nec ſimiliter quod ☉ Tellurem illuminet interdiu, & Luna noctu; reliqui enim Planetæ dicuntur præeſſe diei, nec interdiu illuminant Terram. Tantùm igitur ſupereſt intelligendum, quod ☉ ideo dicendus ſit præcipuè præeſſe diei, quia præſit diurnis effectibus; & ☽ nocti, quia præſit nocturnis: cæteri verò Planetæ diei atque nocti, quia præſint utriſque. Præeſſe autem diurnis effectibus nihil aliud eſt, quàm hos ab eo Planetâ, qui præeſſe dicitur, principaliter dependere, quoad fieri, vel eſſe; aut Planetam ipſum ad eoſdem primariò concurrere. Unde juxta doctrinam Aſtrologicam verſio 70. Interpretum rectiùs habet, *DEUM feciſſe Solem ad dominandum diei; ☽ ad dominandum nocti: ac Stellas ad dominandum diei atque nocti*; hoc eſt diurnis & nocturnis effectibus, qui ſcilicet interdiu vel noctu contingunt.

Non eſt tamen arbitrandum ☉ ipſum ſolum præeſſe diurnis effectibus, ideoque hos omnes eſſe tantùm à ☉ & nocturnos tantùm à Luna: fruſtra enim diei atque nocti præeſſe dicerentur reliqui Planetæ, à quibus etiam ſingulis multa tùm interdiu, tum noctu fieri, experientia probat: ſed inter hos & luminaria, hæc differentia eſt; quòd luminaribus & cæteris Planetis ſupra Terram exiſtentibus, illa primariò dominentur generaliter, reliqui tantùm ſecundariò. Quod eſt cauſa, cur in figuris Cœleſtibus, velint ſemper Aſtrologi habendam eſſe rationem, quomodo minor Planeta alicujus effectus ſignificator, ſeſe habeat ad luminare conditionarium; hoc eſt ad ☉ interdiu, & ad ☽ noctu; ſi hæc fuerit ſupra Horiſontem (infra enim fruſtra pro lumine conditionario ſpectabitur.) An ſcilicet ſit ipſi luminari orientalis vel occidentalis. Imò Ptolem. lib. 2. cap. 7. vult *quod ☉ & ☽ ſint gubernatores aliarum Stellarum, & præcipuæ cauſæ eventuum, & regant Stellarum dominia, & dominantium vires aut confirment aut languefaciant*: ubi per Stellas intelligit etiam minores Planetas qui effectibus dominantur.

Nec rurſus putandum eſt, Solem diurnis tantùm præeſſe effectibus; nocturnis autem nullo modo; & Lunam nocturnis tantùm; diurnis verò nequaquam: quia id repugnat veriſſimis aphoriſmis de ☉ ſub Terra latente; unde tamen probat experientia illum influere in natum: nec non de ☽ interdiu ſupra Terram poſita. Sed cùm Planeta poſſit præeſſe tripliciter, nempè præſentia, aſpectu atque dominio particulari; Sol autem duobus ultimis poſſit tam interdiu quàm noctu præeſſe: ſua verò præſentiâ tantùm interdiu: igitur ex ☉ omnium Planetarum normâ, fit manifeſtum, quòd in ſacris literis, & apud veteres Aſtrologos, ille diei, Luna nocti, reliqui verò Planetæ diei atque nocti præeſſe dicuntur, tantùm ratione præſentiæ: ut ſenſus ſit ☉ interdiu, & Lunam noctu ſuâ præſentiâ primariò præeſſe, vel dominari generaliter, reliquos autem interdiu atque noctu tantùm ſecundariò; niſi ambo lumina fuerint ſub Terra: tunc enim reliquorum Planetarum quilibet ſuâ præſentiâ ſuper Horiſontem noctu, poteſt præeſſe primariò. Ac Planeta quilibet ſuâ præſentiâ præeſſe poteſt per lumen, ſive proprium, ut Sol; ſive duntaxat mutuatum, ut Luna, cæterique Planetæ; tum per qualitates Elementales, & per influentiam: poteſtque etiam idem Planeta pro aliquo effectu particulari, ſimul præeſſe præſentiâ, aſpectu & dominio particulari.

His verò ſic expoſitis, jam quærendum eſt, cur per præſentiam Sol tantùm præſit diei, Luna tantùm nocti; ♄ ♃ ♂ ♀ & ☿ diei atque nocti? Si enim hoc fuerit, quod, ex mente Ptolomæi, Sol naturæ ſit maſculinæ, & Luna fœmininæ; dies autem magis congruat naturæ maſculinæ, ſeu qualitatibus activis, atque nox fœmininæ ſeu paſſivis qualitatibus: ergo ♄ ♃ ♂ ♀ & ☿ ideò præerunt diei atque nocti, quòd ex ſe ſint maſculinæ, ſimulque fœmininæ naturæ: cùm tamen cap. 1. ſolos ♄ ♃ & ♂ dixerimus eſſe maſculinos; Venerem autem & ☿ fœmininos. At unde habebit Sol quòd ſit duntaxat maſculinus, Luna duntaxat fœminina, cæteri verò maſculini ſimul & fœminini? Et quomodo hæc apparens conciliabitur contrarietas?

Meminiſſe oportet ex lib. 9. ſect. 2. cap. 5. Planetas omnes eſſe corpora mixta ex Elementis, Æthere, & materia Cœleſti: & ex cap. 6. vires ſive naturas miſcibilium remanere actu in mixto: tandemque ex lib. 3. ſect. 3. cap. 3. materiam Cœleſtem eſſe eminenter calidam, frigidam, humidam, ſiccam. Quibus jam ſuppoſitis, dicendum videtur, quòd à formis ſubſtantialibus Solis & Lunæ in cæteras Planetarum formas potentiſſimis, eorum materia Cœleſtis in ratione calidi, frigidi, humidi, ſicci eminentialis, totaliter ſubacta & determinata ſit ad actualem ſive formalem

 natu-

naturam Elementarem, corporibus ipſis congruam. Atque ſic Solem in toto ſuo intrinſeco eſſe duntaxat igneæ naturæ, maſculum ſexu, & diurnum conditione: Lunam verò duntaxat naturæ aqueæ, ſexu fœmininam & conditione nocturnam: in aliis verò Planetis ♄ ♃ ♂ ♀ ☿, quorum ſubſtantiales formæ ſunt virtute & dignitate inferiores; vel in quibus ut Cœlo magis appropinquantibus quàm ☉ & ☽, plus ineſt materiæ Cœleſtis proportionaliter; hanc fuiſſe quidem ab ipſis formis determinatam ad actualem naturam Elementalem formis ipſis conſentaneam; ſed non totaliter ſubactam: ac proinde quemlibet illorum in toto ſuo intrinſeco, non eſſe unius tantùm naturæ Elementalis, ſed duplicis & contrariæ; quarum una illis ineſt formaliter, vel actu à prædominio mixtionis Elementalis; altera verò tantùm eminenter à materia Cœleſti penitus non ſubacta. Vel etiam dici poteſt in Sole naturam formaliter igneam; & in ☽ formaliter aqueam (præſertim cum ſimilibus eminenter conjunctas) adeò vigere & prædominari, ut eminenter tantùm contrariæ, nullius ſint in illis virtutis vel efficaciæ. At in Planetis minoribus naturas Elementales formaliter dominantes, non ita vigere, quin eminenter contrariæ ſuperſint efficaces.

Sic igitur Mars à materia Cœleſti eſt eminenter calidus, frigidus, humidus, ſiccus: cùm autem à prædominio mixtionis Elementalis ſit formaliter calidus, ſiccus, ſive igneus, (ad quam naturam ejus materia Cœleſtis ab illius forma ſubſtantiali determinata eſt, ſed non penitus ſubacta.) Hæc ergo erit ejus natura præcipua ſive prædominans; quam ſcilicet continet eminenter atque formaliter: ideoque reliqua ſcilicet frigida & humida ſive aquea, erit ei minùs præcipua, quam ſcilicet continet ſolùm eminenter; nec enim Mars plures hiſce duabus naturas habet ob calorem & ſiccitatem eminentiales, quæ à ♂ forma determinata ſunt ad naturam igneam: unde aërea & terrea in ipſo ſupprimuntur. Similique ratione ♄ erit formaliter frigidus, ſiccus & eminenter calidus humidus: ♃ calidus ſiccus formaliter; at frigidus humidus eminenter: Venus formaliter calida humida, ſed eminenter frigida ſicca: ac denique ☿ formaliter frigidus ſiccus, eminenter verò calidus & humidus.

Quoniam igitur hoc pacto in ſingulis minoribus Planetis duplex reperitur natura Elementalis, quarum una eſt maſculina, altera fœminina; ſequitur quod eorum quilibet ſit etiam intrinſecè maſculinus & fœmininus, tum diurnus atque nocturnus. Hic autem duplex ſexus, duplexque conditio à cauſa intrinſeca, nulli Aſtrologo huc-uſque innotuit: ſed duntaxat ſexus & conditio à natura Elementali formaliter exiſtente in Planetis ipſis, ideoque efficaciore & evidentiore. Præterea Ptolomæus tantùm ſpectavit conditionem Planetarum à cauſa intrinſeca, non autem ab extrinſeca: in quo erravit, ut jam ſuperiùs dictum eſt: quandoquidem hæc præcipuè hoc in loco ſpectanda eſt, poſt ſpeculationem ſexus à cauſa ſimiliter extrinſeca.

Itaque conditio à cauſa extrinſeca ſive accidentaria eſt, quæ Planetis ipſis à die vel nocte accidit. Unde illi tantùm dicentur diurni aut nocturni extrinſecè, qui in diem vel noctem incident. Cùmque dies atque nox fiant duntaxat ſupra Horiſontem: ergo illi dicentur extrinſecè diurni, qui interdiu; & nocturni, qui noctu verſantur ſupra Horiſontem. Idque omninò confirmatur ex iis quæ dicta ſunt de ſexu. Ut enim Planeta dicitur extrinſecè vel accidentariò maſculinus, qui revera eſt ☉ orientalis, vel in quarta orientali, vel in ſigno maſculino; ſic idem Planeta extrinſecè diurnus erit dicendus, qui revera in diem inciderit, hoc eſt interdiu fuerit ſupra Horiſontem. Alioquin Ptolomæi doctrina de conditione, contrariabitur doctrinæ de ſexu: unde nil mirum, ſi ipſe eam duntaxat veteribus acceptam referat his verbis, *Tradunt igitur nocturnas Stellas, &c.*

Quod autem hic dictum eſt de Planetis, idem quoque cenſendum de ſignis; nempè quod hæc habeant conditionem ab intrinſeco ratione propriæ naturæ, vel proprii ſexus; tum ab extrinſeco ratione diei atque noctis: atque ſic patet quod Planetæ, neque à ſuo poſitu ſub Terra, neque à ſignis Zodiaci ſortiuntur conditionem extrinſecam, vel accidentariam; ſed tantùm à ſuo poſitu ſupra Horiſontem.

Itaque de ♄ ♃ ♂ ♀ aut ☿ etiam nulla ſigni habita ratione dicere ſufficiet, illum eſſe extrinſecè diurnum, ut intelligatur illum eſſe interdiu ſupra Terram; & extrinſecè nocturnum; ut ſciatur illum eſſe noctu ſupra Terram. Ac proinde, dum vulgò dicitur, Planetam diurnum eſſe interdiu ſupra Terram; idem eſſe ac ſi dicatur, Planetam eſſe diurnum intrinſecè & extrinſecè; quod eſt hac in parte maximum Planetæ robur: cum autem vulgò dicitur Planetam diurnum eſſe noctu ſupra Terram, idem eſſe ac ſi dicatur Planetam intrinſecè diurnum, eſſe extrinſecè nocturnum; quæ eſt Planetæ debilitas: eademque eſt ratio de Planetis intrinſecè nocturnis.

Hæ verò loquendi antiquæ formulæ diurnus interdiu, & nocturnus noctu infra Terram, erunt abjiciendæ, quod omnis Planeta infra Terram, careat conditione extrinſeca noſtri reſpectu; quæ eſt una ex præcipuis cauſis ejus debilitatis, quæ Planetis ſub Terra poſitis vulgò tribuitur.

Hic verò objici poteſt: Quod ſi ♂ fuerit intrinſecè diurnus atque nocturnus: ergo ſi interdiu fuerit ſupra Terram, non erit potior ratio, cur dicatur interdiu ſupra Terram, quàm nocturnus interdiu ſupra Terram: ſicque aut nulla, aut promiſcua erit ejus conditio intrinſeca; quod videtur abſurdum.

Sed reſpondeo, Rationi magis eſſe conſentaneum, quod Planetæ denominatio, quoad conditionem intrinſecam, fiat à conditione in eo prædominante. Ac proinde cùm ♂ ſit formaliter, ſimulque eminenter igneus, maſculus & diurnus, & duntaxat eminenter aqueus, fœmininus & nocturnus: ergo diurnus potiùs quàm nocturnus vocabitur. Atque ſic de cæteris: quo pacto Ptolomæi ſupradictus error iterum reſtituitur.

Inſtabit aliquis. Ergo conditio intrinſeca duntaxat eminentialis, erit nulla, vel inutilis & ſuperflua.

Sed negatur conſequentia. Nam ſi ♂ fuerit noctu ſupra Terram in ſigno fœminino, ac præſertim aqueo; maximè autem in ♏ ſua domo; omnibus hiſce de cauſis accidentariis, extrinſecæ conditioni nocturnæ omninò faventibus, ejus nocturna in-

trin-

trinſeca maximè roborabitur: indeque propendebit quantùm fieri poteſt ad ſexum fœmininum, conditionemque nocturnam: quod tamen non accideret, ſi intrinſecâ nocturnâ careret. Marti tamen ſic conſtituto, minùs ſemper inerit roboris pro ſexu fœminino & conditione nocturna, quàm inerit pro ſexu maſculo & conditione diurna, ſi ponatur interdiu ſupra Horiſontem in domo maſcula, præſertim ignea, ac præſerti m in ſua domo Ariete.

Porrò de Planetis ſciendum eſt, quod conditionibus intrinſecis, præſertim formalibus, cum extrinſecis convenientibus; Planetæ ipſi majores ac evidentiores producunt effectus; juxta naturam conditionis, vel ſexum ei congruum: at non convenientibus producunt effectus minores, vel obſcuriores, atque mixtos & non puros; vel aliter. Planetæ formaliter maſculini & diurni, efficaciùs agunt ſupra Terram interdiu quàm noctu: at formaliter fœminini & nocturni efficaciùs agunt ſupra Terram noctu, quàm interdiu. Ac proinde cùm ♄ frigus jam ſit ex ſe noxium, melius erit illum eſſe interdiu ſupra Terram quàm noctu: ſicut ♂ temperatior erit noctu ſupra Terram præſertim in ♓, quàm interdiu, præſertim in ♈ vel ♌; ut ipſa etiam experientia probat. Atque hæc de ſexu & conditione Planetarum dixiſſe ſufficiat; quæ quantæ ſint veritatis atq, momenti, in ſequentibus patebit evidentiùs.

CAPUT III.

De Planetis beneficis atque maleficis.

CIrca hanc Planetarum diviſionem præcipui inter cæteras momenti, totiuſque Aſtrologiæ, non ultimum ſaltem fundamentum; ipſius ſcientiæ Principes inter ſe minimè conveniunt. Equidem in eo omnes concordant quod ♃ & ♀ ſint Planetæ benefici; ac ♄ & ♂ malefici: tum ☿ naturæ ancipitis; quippè cum beneficis beneficus, & cum maleficis maleficus: at de luminaribus inter ſe diſſentiunt.

Ptolomæus enim cap. 3. Quatrip. vult cum antiquioribus ☽ eſſe beneficam; Solem verò eſſe naturæ communis; quem tamen Cardanus in Commento ait eſſe maximarum fortunarum, & nullum Planetam eſſe magis beneficum. Origanus verò Solem potiùs cenſet maleficum, eo quòd Planetis junctus, hos comburat, & lumine ſuo impediat, eorumdem lucem quaſi extinguens; ſicque beneficorum vires fruſtretur; maleficorum autem vires foveat & intendat. In quo manifeſta eſt contradictio vel abſurditas; cùm non minùs lucem maleficorum extinguat quàm beneficorum. At Schoverus & Dorothius faciunt ☉ ☽ & ☿ naturæ communis. Hermes autem ait generatim, Planetam ex ſe neque fortunatum neque infortunatum eſſe, ſed quemlibet habere virtutem & potentiam peculiarem in ea quibus dominatur: ut ♄ in agriculturam, ♃ in judicia, &c.

Præterea Ptolomæus, Cardanus, cæterique omnes Aſtrologi, tantùm per qualitates Elementales determinant, an Planeta ſit beneficus aut maleficus: nec in hoc etiam rationes afferunt inter ſe conſentientes. Ait enim Ptolomæus ♃ ♀ & ☽ eſſe Planetas beneficos, quia in eis calor & humor exuberant; & ſi nec in ♃ exuberet humor, cùm ſit moderatè ſiccus, nec in ☽ calor, cùm ſit ex ſe frigida: Cur igitur ☉ non erit Ptolomæo beneficus ex ſe, quandoquidem in eo excedit calor blandus & vitalis, neque ut ♂ aut ♄ noxiam habeat ſiccitatem.

Denique Ptolomæus, & cæteri qui ☉ & ☿ faciunt naturæ ancipitis, ajunt ipſos fieri beneficos cum beneficis ♃ vel ♀; maleficos autem cum maleficis ♄ vel ♂. Alii, ut Alchabitius, ajunt ☉ per △ & ⚹ aſpectum, fore beneficum; per ☌ verò & ☍, maleficum. Atqui non eſt hìc quærendum & determinandum, quales ipſi ſint à cauſis extrinſecis, vel aliorum radiis, ſed quales ſint ex ſe ipſis, & propria natura.

Ex his igitur patet, quantæ difficultates in ipſo Aſtrologiæ limine nobis occurrant; quas ut ſigillatim enodemus;

Dicendum primò: Planetas omnes eſſe entitativè vel abſolutè bonos; tum quia ens & bonum convertuntur: tum quia Geneſis cap. 1. de ☉ ☽ & Stellis creatis dicitur; *Et vidit DEUS quod eſſet bonum*: Et rurſus in fine capitis, *viditque DEUS cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.*

Secundò: Non omne quod eſt entitativè, vel abſolutè bonum, idem eſt bonum reſpectivè ad quodlibet: non omne quod in ſe bonum eſt, cuivis alteri bonum eſt. Patet ex lupo, qui ovi eſt peſſimus, tum ex venenis quæ homini & brutis ſunt lethalia; etſi entitative bona.

Tertiò: ſicut inter mineralia, vegetabilia & animalia, quædam ſunt homini proficua, & quædam nocua, ſi ipſi applicentur: ita inter Planetas idem reperiri non eſt à ratione alienum. Nam etſi Deuter. cap. 4. dicatur de aſtris Cœli, quod *DEUS ea creaverit in miniſterium cunctis gentibus quæ ſub Cœlo ſunt*; proindeque nulla aſtra dicenda ſint homini nocua: tamen certum eſt, idem quoque dici poſſe de mixtis ſublunaribus homini nocuis; ſcilicet illa in uſum & miniſterium hominis eſſe creata. Sed ut in quolibet ſublunari mixto, quod homini dicitur nocuum, ineſt etiam aliquid eidem proficuum ſi debitè præparetur vel applicetur: ſic de aſtris homini nocuis cenſendum eſt; quod ſcilicet non ſint ex ſe homini prorſus noxia, ſed aliqua etiam ex parte proficua: imò quòd ſicut venena ipſa & cauſtica ad quoſdam uſus applicata, homini ſunt utilia: ſic maligna ipſa aſtrorum natura debitè applicata, poſſit homini eſſe proficua.

Quartò: Planetas reſpectu hominis, propriè neque bonos, neque malos eſſe dicendos; ſed beneficos aut maleficos. Nam bonitas & malitia propriè tantùm referuntur ad entitatem, vel ad mores; Planeta verò nullus eſt entitativè, vel moraliter malus; cùm omnes ſint entitativè boni; mores autem mali liberis tantùm creaturis congruant, quales non ſunt ipſi Planetæ: At beneficentia & maleficentia propriè referuntur ad cauſam efficientem & afficientem: cùm ergo omnes Planetæ ſint hominis reſpectu cauſæ efficientes, ipſumque afficientes ergo prout bene aut malè afficient, propriè benefici aut malefici dicentur; vel ſaltem boni aut mali affectivè.

Quintò: Planetæ non per ſolas qualitates Elementales definiendi ſunt benefici aut malefici; ſed præſertim per proprias influentias. Nam homines multò efficatiùs afficiunt per influentias proprias,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

quàm per Elementales qualitates, quarum duntaxat proprium eſt calefacere, frigefacere,&c: item rarefacere, denſare,&c: non autem illos producere ſtupendos effectus, qui hominibus accidunt circa vitam, ingenium, mores, divitias, honores, actiones, conjugia, lites, mortem violentam, &c: quos omnes ab influentiis proficiſci, & Elementalium qualitatum efficientiam excedere, certum eſt. Nihil autem inconvenit, eundem Planetam eſſe qualitatibus Elementalibus maleficum, & influentiis beneficum, aut contra: ſicut nec eundem Planetam eſſe utroque modo beneficum aut maleficum.

Sextò: circa naturam beneficam aut maleficam, non eſt hîc de aliquo Planeta determinandum, qualis ipſe ſit à cauſis extrinſecis, verbi gratiâ à conjunctione aut aſpectu cum aliis Planetis; ſed qualis ſit ex ſe ipſo. Nam ſi ipſe Planeta, ut Sol, nec corpore nec aſpectu fuerit alteri Planetæ connexus (quod ſæpè accidit) ſitque in primo ſpatio ſive prima figuræ domo; dici non poteſt eum nullius eſſe virtutis vel efficaciæ in figura Nati: ſed erit vitæ atque morum ſignificator; puriuſque juxta propriam naturam influet, quàm ſi alteri Planetæ commiſceretur. Sed nec etiam dici poteſt, quod ejus effectus erit indifferens: tum quia differet ab effectu cujuſvis alterius Planetæ, qui in eodem ſpatio ſimiliter poneretur, etiam in eodem Zodiaci gradu: tum quia ex tali effectus indifferentiâ ſequeretur, natum neque victurum neque non victurum; quod implicat; aut ſi non inde vivit, ergo erit maleficus; ſi vivit, ſed pravè affectus ſanitate vel moribus; ergo iterum maleficus: ſi autem vivit utrinque bene affectus, ergo beneficus. Nec proderit dicere, quod de vita & moribus Nati erit decernendum juxta ſtatum domini Solis; nam ſi ☉ ponatur in ♌, nullius ſuberit dominio, adhucque puriùs aget juxta naturam propriam. Igitur ex propria tantùm Planetæ Natura definiendum eſt, an ipſe ſit beneficus, an verò maleficus.

Septimò: nullus Planeta ex ſua natura eſt homini indifferens, hoc eſt neque beneficus neque maleficus. Nam ſi ex ſua natura fuerit indifferens, & ponatur in primo ſpatio, ut ſupra dictum eſt de ☉; ergo producet effectum indifferentem circa vitam, mores, ingenium, &c: hoc eſt neque bonum homini, neque malum, contra ſuperius ratiocinium. Quod ſi non producit effectum indifferentem, ſed aut bonum aut malum (ut omninò neceſſe eſt) ergo ipſe Planeta non erit ex natura ſua indifferens, ſed determinatus, tum quoad ſpeciem, tum quoad qualitatem effectus. Quoad ſpeciem dico: nam ☉ ex ſua natura producit tantùm Solares effectus, in quodcunque figuræ ſpatium ipſe inciderit, ♄ Saturninos, &c: Quoad qualitatem effectus; nam aut nullus à ☉ producetur effectus: aut ad quæſtionem qualis eſt reſpectu hominis qui afficitur, reſpondendum erit, bonus aut malus, non autem indifferens; quod indifferentia neque ſit qualitas, neque ſubjectum ullum afficiat. His adde, quod de nullo unquam Planeta, qualiſcunque fuerit ejus ſtatus, in figura genethliaca, ullus unquam Aſtrologus dixerit illum fuiſſe ad benefaciendum aut malefaciendum indifferentem; etſi non rarò accidat, Planetam eſſe in propria domo, nulli alteri Planetæ configuratum.

Octavo: Planeta ille qualitatibus Elementalibus dicendus eſt homini maleficus, in quo nimis excedunt qualitates contrariæ duobus vitæ fundamentis; ſcilicet calori nativo, & humido radicali. Ac proinde cùm ♄ ſit Planeta impensè frigidus & ſiccus, patet, quod etiam ex ſua natura vitæ fundamentis maximè totaliterque contrarietur. Similiter ♂ etſi calidus ſit, ideoque cenſendus vitæ amicus, tamen quia ejus calor nimiùm acris & igneus eſt; nativus verò blandus ac æthereus; idcircò ♂ calor eſt vitæ multùm inimicus; cum præſertim adjunctam habens ſummam ſiccitatem, humidum radicale vehementiùs depaſcat atque reſolvat. Itaque de hiſce duobus ♄ & ♂ conſtat, illos eſſe Elementali naturâ maleficos: taleſque etiam huc uſque deprehenſi ſunt atque vocati ab omnibus Aſtrologis.

Quod verò ad reliquos Planetas attinet, certum eſt ♃ & ♀ non eſſe maleficos: præeſt enim in utroque blandus vitaliſque calor: in ♃ cum remiſſa admodum ſiccitate; ſed in ♀ cum multa benignaque humiditate: ac proinde cùm vitæ ſint amici, jure ab antiquis experientiâ edoctis pro beneficis ſunt habiti.

Superſunt ☉ ☽ atque ☿ quos plerique faciunt naturæ ancipitis: at numero 7 probatum eſt, nullum planetam ex ſua natura eſſe indifferentem: ergo ſuâ naturâ erunt malefici, vel benefici.

Ac de ☉ quod ſit beneficus, probatur: tum quia blando ac vitali calore præ cæteris omnibus Planetis abundat; quo ſeminum etiam calorem nativum ad vitam vitæque munia excitat, viventiaque fovet; tum quia ejus tanquam vitæ Authoris acceſſu annuo, univerſa natura vegetabilium, brutorum & hominum exhilareſcit; receſſu autem triſtatur, propter terreni frigoris dominium in Aëre ſubſequens, vitæ inimicum.

Luna verò, etſi ratione frigoris videatur eſſe vitæ conttaria; tamen quia ejus natura Elementalis eſt aquea, aqua verò eſt generationis ac fœcunditatis principium, ab eo tempore quo ſpiritus Domini incubabat aquis. Imò Aqua omnium viventium nutritioni, ac præſertim animalium potui abſolutè neceſſaria eſt: idcirco nullus eſt qui ☽ dicere queat maleficam; eò quòd ſit naturæ aqueæ. Quod ſi ☉ atque ☽ Elementali ſua natura eſſent malefici, procul dubio ſua magnitudine, & inſigni præ cæteris Planetis activitate, omnia hæc inferiora deſtruerent, eorumque etiam aſpectum ipſi homines rationis capaces metuerent ac abhorrerent; cujus contrarium experimur.

Denique ☿ cùm elementalem naturam ♄ æmuletur, in gradu ſaltem remiſſo; etiam ex ſe nonnihil maleficus potiùs quàm beneficus dici meretur, qualitatibus Elementalibus.

Porrò quodætherea natura vitæ amiciſſima, Planetis omnibus inexiſtens, maleficorum naturam Elementalem noxiam retundat, & beneficorum fauſtam acuat, roboretque, videtur maximè probabile, imò certum eſſe.

Nonò: Planeta ille influentiis dicendus eſt beneficus, qui in propria domo, ubi puriùs ſecundum naturam ſuam agit, & in bonis figuræ ſpatiis conſtitutus, ex ſe bonum ſpatiis ipſis congruens ſine malo vel difficultate influit. In malis verò figuræ ſpatiis conſtitutus, aut malum ſpatiis ipſis congruens tollit, ant ſaltem diminuit;

nuit; vel ex eo liberat. Maleficus autem dicendus eſt, qui in propria etiam domo, & bonis figuræ ſpatiis conſtitutus, ex ſe bonum ſpatiis ipſis congruens, aut non influit; aut ſaltem ſine malo & difficultate non influit. In malis verò figuræ ſpatiis, malum deteriùs certiùſque influit ac promovet. Dicitur ex ſe, quia beneficus aut maleficus hîc conſiderandus eſt ſecundum ſe, & quatenus abſtractus ab aliorum commixtione.

Decimò: ♃ ♀ ☉ ☿ atque ☽, ſunt Planetæ propriis influentiis benefici. De ♃ & ♀ nulla eſt controverſia: at de ☉☽ & ♀ probatur, quia non minùs his quàm ♃ & ♀ convenit ſuperior deſcriptio Planetæ benefici; ut cuilibet, tum propriâ, tum veterum Aſtrologorum omnium patebit experientiâ, ſi ☉☽ vel ☿ fuerint in bonis figuræ ſpatiis & in propriis domibus, liberi à prava commixtione ♄ aut ♂. Etenim ubicunque dicuntur à veteribus malefici, ſemper deprehendetur, vel commixtionem illam, vel aliud accidens conſpicuum in cauſa extitiſſe: cùmque nullus Planeta ex ſe dici poſſit naturæ indifferentis inter beneficam & maleficam, ex numer. 7. ſi ☉ & ☽ non eſſent propriis influentiis benefici, ergo eſſent malefici. At Planetas virtute & dignitate primarios, non decuit naturâ ſuâ eſſe maleficos, ob rationem jam numero 8. expoſitam: ergo naturâ ſunt ubique benefici.

Undecimò: ♄ & ♂ ſunt Planetæ propriis influentiis malefici. Et probatur tum communi aſſenſu Aſtrologorum; tum quia his Solis ſuperior maleficorum deſcriptio convenit, ut quotidiana teſtatur experientia. Quod ſi ſecus acciderit, deprehendetur vel commixtionem beneficorum, vel aliud accidens conſpicuum in cauſa extitiſſe.

Præterea omninò conſtat experientiâ, quod ſi ♄ & ♂ ex quacunque figuræ domo, Zodiaci ſigno & connexione cum aliis ſint in □ vel ☍ Horoſcopi, vel Medii Cœli, horum infortunent ſignificata. Non igitur vim illam maleficam habent à domo, ſigno, vel connexione, ſed à ſeipſis; ideoque jure à Ptolomæo dicuntur per ſe anæretæ, vel abſciſſores vitæ, honorum, &c.

Duodecimò: Planetæ, naturâ ſuâ benefici, quandoque degenerant in maleficos, effectu, & malefici in beneficos. Ut ſi ♃ aut ☉ dominus 8. ſpatii quod eſt mortis, fuerit corpore in primo ſpatio, quod eſt vitæ; & multis aliis modis, proprio loco explicandis.

Dicet autem aliquis in veteris opinionis favorem: Ideò conſtare quod Sol & Luna ſuis influentiis, naturæ ſint ancipitis, & non prorſus beneficæ; quia in bonis quidem ſpatiis bona influunt, in malis verò, ſaltem mala neque tollunt neque minuunt; ut ♃ & ♀; ſed majora & illuſtriora efficiunt. Sol enim vel ☽ in 12. magnos hoſtes, magnoſque morbos ſuſcitant. Et in 8. publicam mortem, vel publicæ cladi obnoxiam, vel alio modo illuſtrem, ut in naufragio, aut prælio communi.

Reſpondeo autem, commune eſſe Planetis omnibus, ut ex ſua natura influant circa ſignificatum domus in qua ſunt, vel cui dominantur, vel quam aſpiciunt. At benefici benè influunt: ideoque bona ſpatiis congrua promovent, mala verò tollunt vel diminuunt, vel ſaltem pauca & levia influunt cum remedio & evaſione. Idque eo potentiùs præſtant, quò fuerint in meliore ſtatu conſtituti.

Jam verò Sol & ☽ ob ſuum robur maximum, illuſtremque dignitatem præ cæteris Planetis; etiam præ illis potentiùs agunt vel influunt, tum circa bona, tum circa mala; & producunt effectus illuſtriores. Sed à maleficis omninò differre videntur, tum quia in bonis etiam ſpatiis malè non influunt; tum quod in malis ſpatiis malorum qualitatem malignam non intendant: quorum contraria à maleficis efficiuntur. Magis igitur concordant cum beneficis, quòd horum inſtar in bonis ſpatiis bene ſemper influant, & in malis malorum qualitatem non intendant: ſed tantùm ut illuſtriora bona in bonis ſpatiis; ſic in malis, illuſtriora aut magis publica mala influant; quod ſcilicet tantùm agant juxta naturam ſuam, quæ tum Macrocoſmi, tum Microcoſmi rebus duntaxat illuſtrioribus, univerſalioribus ac primariis dominantur.

Objicies contra prædicta. Nefandum eſſe aſſerere, quòd ♂ influat diſpoſitionem ad cædes perpetrandas, aut ♄ ignominioſæ morti hominem ſubjiciat. Idque injurioſum eſt Authori Naturæ, qui vidit quæcunque fecerat, & erant valdè bona. Geneſ. cap. 1. Ergo ♄ & ♂ non ſunt influentiis malefici; nec ullus alius Planeta, proindeque falſum etiam eſt ♀ ad luxuriam provocare, &c.

Sed reſpondeo ſimili ratione, negandum eſſe vim arſenici, viperæ, ſcorpii, cicutæ ad homines necandos; cantharidum ad luxuriam ferè rabidam excitandam; hyoſciami ad imaginationem turbandam; tum Aëris peſtiferas craſes, undecunque veniant, hominum quandoque tertiam partem in aliqua vel regione, vel urbe dementes, horrendo planè ſpectaculo: cùm autem hæc negari nequeant, nec Dei erga homines bonitas ſit minuenda, ſed ſapientia ſummè extollenda; dicendum primò: nos ſuperiùs non aſſeruiſſe ♄ & ♂ ſuis influxibus eſſe omninò maleficos, quod nempè intrinſecè illis etiam inſit aliquid naturæ beneficæ, quâ interdum benefacere deprehenduntur, dum præſertim fœliciter in Cœlo conſtituuntur: ſed eorum naturam talem eſſe, ut ſi aliorum Planetarum naturis incongrua ratione miſceantur ſigno, conjunctione vel aſpectu; ſicque pravo ad Horiſontem ſitu applicentur ſublunaribus; longè frequentiùs malefaciant quàm benefaciant: proindeque hi duo Planetæ jure dicantur malefici præ aliis, qui innoxiùs commiſcentur, frequentiùſque benefaciunt. Dico 2. Verba illa Geneſeos ſic intelligenda eſſe: quòd nempè quæcunque Deus fecerat, erant valdè perfecta in ſuo genere: vel ſi mavis, (& qui verior mihi videtur eſſe ſenſus) erant valdè bona ad finem, in quem à Deo creata ſunt. Sic arſenicum, vipera, napellus & ſimilia in terris; tum ♄. ♂. caput Meduſæ, cor Scorpii, & ſimilia in Cœlo, ſunt valdè bona. Dico 3. Deum talia aſtra malefica creaſſe, ut homo pravis eorum influentiis obnoxius, ab illis non minùs ſibi timeret caveretque, quàm à tonitru & fulmine capiti ſuo perniciem minitantibus: utque in his, ita in illis ſuæ ſubjectionis atque infirmitatis, Dei autem Juſtitiæ & omnipotentiæ memor eſſet; ad ejuſque miſericordiam, opem & gratiam precibus recurreret. Deus enim aſtra ipſa tum malefica, tum benefica, totumque Cœlum, nec non eorum motum oculis hominum expoſuit, ut mala, quibus ſunt

obnoxii prævideant, ſibique circa exteriùs agenda prudenter caveant, illis nempè Cœleſtibus illuminati Lampadibus: interiùs verò ad DEUM convertantur, ut ſuum totiuſque Cœli & Terræ dominum, Gubernatoremque potentiſſimum, qui prout vult, cauſarum ſecundarum habenas coërcet atque laxat: omnis enim, qui, quod in ſe eſt, fecerit, & DEUM humili contritoque corde invocaverit, imminente malignorum influxuum tempeſtate, æquè certò liberabitur, atque Ninivitæ converſi ad prognoſticum Jonæ. Quippè DEI maximè proprium eſt, miſereri, etiam non invocantibus; quantò igitur magis invocantibus? Et hoc patet in ſceleratis, qui tandem carnificis manu intereunt. Tales ſi quidem pravis inclinationibus indulgentes, quas à pravis hauſerunt influxibus, DEUS miſericorditer ſinit comprehendi, ut ſaltem in ultima hujus vitæ hora ipſo inſpirante, reſipiſcant; illiſque futuræ vitæ gratiam per ſuos largiatur Miniſtros.

SECTIO III.

De propria Planetarum ſingulorum natura Cœleſti: Ac de fixis obiter.

CAPUT I.

Quam difficile ſit proprias Planetarum ſingulorum influentias definire.

POſtquam ſect. 1 hujus libri dictum eſt de propria ſingulorum Planetarum Elementali natura: jam ſupereſt ut de propria eorundem natura Cœleſti diſſeramus. Per naturam verò Cœleſtem intelligimus fontalem influentiam cujuſque Planetæ à nobis definitam cap. 20. ſect. 3. lib. 12. quam cap. 4. diſtinximus, à Planetæ forma ſubſtantiali; ab hac autem fluere, proindeque ipſi Planetæ eſſentialem eſſe diximus; per quam ſcilicet Planeta quilibet naturæ ſuæ proprios edit effectus, Sol ſolares, Luna lunares, &c.

Porrò hæc Planetæ cujuſvis influentia, quamvis in ſe ſit unica ſimplexque virtus; tamen per totum orbem diffuſa, adeò univerſalis eſt in res omnes generabiles, ut nullus ſit effectus naturalis, in quem Planeta quilibet non poſſit aliquid. Ex eo certum, quia ex cap. 6. ſect. 3. lib. 12. Planetarum influxus totum Telluris globum penetrant, etiam ex altiſſima diſtantia: & ſubterranei naſcentem puerum ſupra Terram afficiunt: quo poſito nullus eſt naturalis effectus, qui à Planetarum influxu ſe queat abſcondere, ut de Sole dicitur Pſalmo 18. *Nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus*; nihilque natura gignit, ad cujus ortum Planetæ non concurrant; quodque à tali concurſu, fato naturali juxta ſuæ ſpeciei paſſiones congruas non ſubjiciatur. Non enim ſingulæ rerum ſublunarium ſpecies, fato ab influentiis eodem modo ſubduntur, quia Planeta non idem poteſt circa metallum aut Plantam, quod circa hominem; etſi eadem virtute ſimulque tempore agat in ſingulas ſpecies, vel etiam individua: obſtat enim diverſa paſſorum diſpoſitio recipientium eandem virtutem; quæ ad modum recipientis recipitur. Unde varii in ſingulis ſpeciebus & individuis producuntur effectus; quod etiam in ipſo calore Solis perſpicuum eſt, qui lutum indurat, & ceram liquefacit eodem inſtanti.

His præmiſſis, quoniam Planetæ omnes diverſæ ſunt inter ſe naturæ vel ſpeciei, ex cap. 1. ſect. 3. lib. 9. & ſimiliter diverſa eſt natura rerum vel effectuum ſublunarium; negari nequit quod Sol, verbi gratiâ, majorem habeat naturæ affinitatem, cum quibuſdam rebus vel effectibus, minorem cum aliis; & nullam cum reliquis: unde leo & gallus inter animalia, tum aurum inter metalla, cenſentur eſſe ſolaria; à majore ſcilicet affinitate naturæ cum Sole, quàm cum Planetis cæteris; etſi Planetæ omnes ad leonis vel auri generationem concurrant; ſed fortior vincit, & ſubjectum ſibi aſſimilat. Eaque aſſimilatio facilior eſt in ſubjectis, vel effectibus, quæ cum agente cauſa majorem naturæ affinitatem ſortiuntur. Quod autem de Sole hic dicimus, de quolibet alio Planeta etiam dictum intelligatur.

Cæterùm cujuſvis Planetæ influentiam ſive formalem virtutem nomine proprio definire, quod ipſius virtutis eſſentiam ſuo modo dilucidè explicet; hominis captum ſuperare videtur. Quamvis enim influentia Solis dicatur Solaris, & influentia Jovis Jovialis: nec meliùs utraque à nobis exprimi poſſit; tamen inde non innoteſcit quid ſit formaliter ſolaris influentia; vel quæ ſit ejus natura, aut in quo conſiſtat; obruitur quippè intellectus magnitudine atque præſtantiâ cauſæ adeò univerſalis, vel in ejus intuitu caligat; cenſetque vim illam ſaltem hominibus hoc in Mundo peregrinantibus, eſſe in ſua ſimplicitate ineffabilem.

Ad hanc enim clarè definiendam nomine ſibi congruo, contemplandi eſſent ipſius virtutis effectus in ſingulis rerum generibus; quippè Elementorum, Mineralium, Vegetabilium, Brutorum & hominum; ac obſervandum id in quo ſinguli effectus convenirent, quatenus ab influentia Solis affecti. Id enim ſi nomine ſibi proprio innoteſceret, ſolaris influentiæ naturam aperiret. Cùm verò vix ſciamus quid Planetarum influentiæ præſtent in humana ſpecie; de mineralibus vero, vegetabilibus atque brutis, nullas, vel pauciſſimas habeamus experientias: imò influentiæ ipſæ hactenus ignotæ, vel maximis tenebris involutæ remanſerint, ob Ariſtotelem cæteroſque Philoſophos, qui omnes effectus ſublunares luci duntaxat atque motui aſtrorum perperam adſcripſere: plurimùm ſanè fecerimus, ſi ex Planetarum affectibus in humana ſpecie ſpectatis, ſingulorum influentias terminis quibuſdam circumſcripſerimus, qui earum naturas & differentias nobis detegant, prout ſpecies humana ab illis afficitur: ex iiſque viceverſa ſinguli effectus humani ſic deriventur, ut inde ſatisfiat Aſtrologis Philoſophiæ peritis. Pro reliquis verò ſublunaribus corporibus, vel effectibus, traditioni ſaltem inhærebimus, ad Planetarum dominia in illos determinanda, prout illa rationi & Aſtrologorum experientiis correſpondet, juxta analogiam infra explicandam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

CAPUT II.

Quâ arte Planetarum influentiæ, hominum ſaltem reſpectu, indagandæ & definiendæ ſint.

INcipiamus à Sole. Is igitur in Cœlo conſpectus, totius Mundi decor & gloria eſſe cenſetur, ac jubar tantæ Majeſtatis, ut aſtrorum omnium Rex habeatur; nec immeritò; quòd cæteri omnes Planetæ, Lunâ exceptâ, ſint ejus tantùm ſatellites, qui ipſum in ſua revolutione perpetuò circumſtant atque obſervant, circa ipſum mobiles: ille verò, tanquam horum dominus aut princeps, eoſdem ſecum ſemper deferat.

Spectatus autem prout homines afficit in horum compoſitione; Cor inter cætera viſcera ſibi vendicat per analogiam ſympathicam; de quâ fuſiùs infra: quippè caloris vitalis fontem, vitæ ſedem primariam, cauſamque univerſalem; ac in ſumma totius corporis humani viſcus nobiliſſimum, atque præſtantiſſimum; ipſique Soli maximè analogum, hoc eſt id analogicè præſtans in homine, quod Sol in Macrocoſmo.

At in ipſa hominis Geneſi, ſi Sol fuerit repertus in primo ſpatio, vel hujus dominus, ſaltem à Planetis maleficis minimè depravatus, non modò Cor ipſum ſibi arctiùs mancipat per particularem influxum; ſed temperamentum efficit ſuo modo igneum, faciem ſplendore vel majeſtate inſignem, mores ſinceros, & apertos: nominis famam largitur: & nato ſemper aliquam in domo paterna, vel ſupra fratres eminentiam. Si fuerit in 2. ſpatio, ſplendidas divitias vel expenſas ſignificat. Ex perſonis verò, ſemper regias, primates, illuſtres, vel cæteris eminentes deſignat: ex dignitatibus, regias, aut ſaltem inſignes, habita ratione generis vel conditionis Nati. Ex morbis, ſyncopas, cardialgias, febres; inter genera mortis, claram, publicam, aut in communi clade prælii, naufragii, peſtis, &c: accidentem, vel aliter inſignem. Ideóque cùm in ſingulis Solis effectibus propriis, adſint igneitas, vitalitas, beneficentia, claritas, ſplendor, aut eminentia, neceſſe eſt Solem hæc habere ex ſe: ut hoc patebit exemplo. Si Sol in geneſi repertus fuerit in 11. ſpatio; Amicos, Reges, Principes, vel Magnates præſagit; obſervatione Aſtrologorum; neque id habet à ſitu in 11. in ſe ſpectato: Saturnus enim in illo ipſo ſitu, tales non ſignificaret: neque id etiam habet à ſigno in quo verſatur; nam in quocunque ſigno ponatur Sol in 11. ſpatio, prædictos ſignificabit amicos: Nec tandem id habet à commixtione corporea, vel per aſpectum cum aliis Planetis, quia his nullo modo connexus, eoſdem amicos puriùs ſignificabit. Ergò id habet à ſe, quod ſcilicet ex perſonis potiùs Reges & magnates, quàm plebejos aut viles ſignificet. Quamobrem ignificum, vivificum, beneficum, exaltativum, clarificativum, aut, ſi mavis, ignificentia, vivificentia, beneficentia, exaltativitas, clarificativitas (dent, ſi placet, Grammatici Philoſopho nomina his æquivalentia) erunt vocabula, vel attributa, quibus circumſcribi poſſe videtur influentia Solis.

Verùm ut DEUS, etſi veriſſimè, dicatur bonus, juſtus, ſapiens, &c: quia ipſum talem eſſe novimus per effectus; ac per ejus infinitam bonitatem, juſtitiam, ſapientiam, cæteraque infinita ipſius attributa, naturam illius conemur definire; cùm tamen quid ipſe ſit in ſua ſimplici eſſentiâ, nobis ignotum remaneat: ſic corpora Cœleſtia, quæ, ad inſtar DEI, eſſe cauſas univerſales, ejuſque (ſaltem agendi modo) imagines præ cæteris nobiliſſimas in univerſa natura corporea; ut clariùs patebit in ſequentibus; quamvis à nobis circumſcribantur aliquot vocabulis proprietatum, vel attributorum in illis ab effectu & experientia deprehenſorum; tamen quid ſit cujuſque eorum natura ſimplex, vel formalis virtus, in ſe ſpectata, nobis in hac vita manebit incompertum: ut humiliter attendamus noſtri intellectus in hoc corruptibili corpore caliginem ac imbecillitatem. Videntes enim Solem in diverſis ſubjectis diverſa efficere, nempè in prima domo tales mores, in octava talem mortem, in duodecima tales morbos, &c: atque hæc omnia convenire in eo quòd ſint non Saturnini, ſed Solares effectus; hoc eſt non Saturni, ſed Solis naturam referant: equidem ratio dictat, illa omnia eſſe à quadam Solis natura ſimplici; ſed dum, quid illa ſit, inveſtigare contendit, caligine obruitur: ſi quidem rerum eſſentiæ (ut & DEI quam repræſentant eſſentiâ) lucem habitant nobis, ſaltem in hoc naturæ ſtatu, inacceſſibilem. Non enim Solis influentia eſt propriè ignificentia, vivificentia, exaltativitas, &c: hæc enim ſingula ſingulos ac diverſos habent conceptus formales, quorum nullus eſt formalis conceptus influentiæ, qui unicus eſt ac ſimpliciſſimus, prædictis omnibus æquivalens, vel eos in ſe complicans; ſed ut ex DEI effectibus, nobis ejus attributa innoteſcunt, & ex his cognitis, rectè poſteà de DEI operibus vel effectibus ratiocinamur: ſic ex Planetarum effectibus, eorum attributa; & ex attributis effectus alios ſimiles aptè deducimus; quantùm hac in vita conceditur; ubi res non in ſe vel intuitivè; ſed tantùm per ſuorum ſenſibilium effectuum, vel accidentium phantaſmata ſpeculamur. In ſequentibus verò patebit evidentiùs, quomodo ipſa influentia, in eſſendo ſimpliciſſima, ſit in operando tam multiplex, ſimulque tempore determinabilis modis tam variis, ut inde intellectus humanus in admirationem maximam non rapi non poſſit. Atque hæc de aliorum quoque Planetarum influentiis intelligenda veniunt.

Luna verò, cùm ſit etiam Planeta primarius atque liber, ut Sol; hoc eſt cujus orbita alterius Planetæ orbitæ non eſt alligata: ſi illa in Cœlo, præſertim noctu, ſpectetur inter Planetas, & Stellas, tunc conſpicuas; ipſa apparet eſſe quaſi aſtrorum domina, ſive regina; quamvis propria luce non fulgeat, ſed Solis; ut cæteri Planetæ minores appellati: qui niſi à Sole illuminarentur, neque hi, neque Luna fierent nobis conſpicui.

In hominis autem compoſitione, illa Cerebro pæcipuè dominantur per analogiam. Et ſi in aliqua Geneſi reperta fuerit in primo ſpatio, temperamentum ex ſe efficit phlegmaticum, ingenium aliqualiter obtuſum, mores inconſtantes; hominem tamen utcunque illuſtrem, ſed vagabundum. Ex divitiis, poſſeſſiones ſignificat

aqua-

aquaticas, vel ex aquis emolumenta. Ex perſonis vel dignitatibus, Magnates vel illuſtres, ac præſertim fœminas; tum curſores, legatos, venatores, plebem. Ex morbis, catarrhos, menſtrua immodica, epilepſiam & ſimiles. Ex mortis ſpeciebus, ſemper aliquo modo inſignes. Quæ ſingula ſi attentè inſpiciantur, deprehendemus aquificum, beneficum, inſignificum, exaltativum, mobilificum, eſſe vocabula vel attributa, quibus Lunæ influentia non diviſim ſed conjunctim videtur eſſe circumſcribenda; utcunque ipſius influentiæ ſimplex eſſentia non inde nobis clareſcat, ut de Sole dictum eſt ſupra.

At reliqui Planetæ ♄ ♃ ♂ ♀ ☿; ſecundarii tantùm Planetæ dicendi ſunt; quòd non primariò ac independenter, ut Sol & Luna; ſed duntaxat ſecundariò atque dependenter, circa Terram volvantur, & potiùs ſervorum quàm dominorum naturam æmulentur; quippè quod in ſuis motibus non ſint liberi, ut Sol & Luna; ſed motui Solis alligati in ejus orbita. Ex iis tamen duo ſunt inſigniores, nempè ♄ & ♃, quorum uterque ſatellitium etiam ab Authore naturæ ſortitus eſt; utpotè Saturnus duos minores Planetas, & Jupiter 4. ut Tubo optico diſcernitur: Quamobrem Saturnum & Jovem Planetas eſſe magnæ in Mundo authoritatis atque virtutis, & quoſdam quaſi Principes, poſt Solem atque ☽, aſſerendum videtur.

Porrò ſi ex luminis claritate ac puritate licet de Planetarum corpore conjicere; Saturnus cum ſuis aſſeclis obtuſum impurumque lumen exhibens, deprehenditur eſſe Planetarum aterrimus & impuriſſimus. Ex eo manifeſtum, quia etſi Luna per Tubum opticum inverſum non removeatur uſque ad Saturni diſtantiam, quo adhuc major illa ſic remota cernitur; tamen experientiâ conſtat, quòd quò Tubus illam altius rejicit, eò clariùs vivaciùſque lumen ejus apparet, ita ut Veneris claritatem hac in parte ſuperet; Cùm ergo Saturnus Planetarum ſupremus nobis admodùm obtuſo impuroque lumine ſplendeat, hoc certò arguit, corpus illius longè impurius eſſe atque atrius Lunari corpore, in quo nigra ſpatia non pauca nec exigua conſpiciuntur. Eademque ratio valdè probabiliter convincit Lunam puriorem eſſe reliquis corporibus ♃ ♂ ♀ & ☿; quorum lumen atque mixtionem deſcripſimus cap. 8. ſect. 3. lib. 9. ibidem aſſerentes in ♄ prædominari terream naturam in gradu intenſo, igneam in ♂ & aëream in ♀: ſed in ♃ prædominari naturam igneam in gradu remiſſo, & terream ſimiliter in ☿.

Si ergo horum Planetarum effectus circa homines attendantur, & conferantur invicem, ut jam pro Sole & Luna ſuperiùs factum eſt; deprehendetur,

Saturnum in ſua influentia eſſe terrificum, fœdificum, maleficum, triſtativum, occultativum, tardativum, firmativum.

♃ ignificum, beneficum, ſalvificum, piificum, juſtificum, prudentificum, ditativum, honorificum, exhilarativum.

♂ ignificum, ſuperbificum, audacificum, impatientificum, maleficum, crudelificum, diſſipativum, terrificum.

♀ Aërificam, pulchrificam, beneficam, ſalvificam, piificam, amativam, exhilarativam, voluptativam, prolificam.

☿ terrificum, ſubtiliativum, ſolertificum, ſcientificum, loquacificum, vafrificum, accommodativum, mobilificum. Qui omnes termini cauſæ agentis efficientiam producunt.

Quod ſi pluribus vel paucioribus terminis, meliùs vel æquè, influentia cujuſque Planetæ explicari poſſe nonnullis videatur; hoc non negarim; Nam in ♂ ſuperbificum videtur complecti audacificum, impatientificum, maleficum, crudelificum, tyrannificum; quippè quòd iſta ex illo facilè deducantur: non ſecus ac Nomen JESU complectitur omnia attributa vel officia ad Salvatorem pertinentia. Sed duntaxat aſſero, quod effingere unicum vocabulum quod alicujus Planetæ influentiam explicet, & cujuſque attributis ſupra aſſignatis ſatisfaciat, hominis captum mihi videtur excedere. Verùm ut adhuc multò clariùs ſingulorum Planetarum influentiæ pateant; quid in ſingulis rerum generibus cujuſque Planetæ dominio, præcipuè, aut peculiariter ſubjiciatur; túm quid ſinguli potiſſimùm efficiant circa hominum accidentia, fuſiùs exponetur in Tabulâ infra poſitâ, ſi priùs de Planetarum analogicâ virtute dixerimus; à qua etiam Tabula ipſa dependet.

Tandem ſi quæratur, cur ♂ in ſequenti Tabula milites, duces aut prædones ſignificet? Reſponderi ſolet id ſolâ ſciri experientiâ: nec abs re: ſi quidem poſitus in Horoſcopo Nati, vel ejus dominus, tales efficit homines congruenter affectos: reſpondetur ergo per cauſam à poſteriori: Cauſa autem à priori, eſt propria ♂ natura, ejuſque ſtatus Cœleſtis congruus, quatenus ad mores vel magiſterium nati determinantur. Idem dicendum de Sole pro Regibus, Jove pro Epiſcopis, Saturno pro Monachis, &c.

Caput III.

De analogica Planetarum virtute.

HOc in Planetis videtur admiratione digniſſimum; quod nempè ſuâ naturâ, tum ſitu in Cœlo, Terræque reſpectu, nec non mutua inter ſe habitudine per conjunctiones, aſpectus & applicationes aliiſque accidentibus, vel paſſionibus, quaſi præludant futuros effectus ſublunares, vel rerum in Mundi ſcenam prodeuntium fata: per quandam cum rebus ſublunaribus analogiam aut ſimilitudinem jam explicandam. Quod autem talis detur analogia inter Cœleſtia corpora reſque ſublunares, unico hìc oſtendetur exemplo, quod erit inſtar omnium.

Scitur experientiâ, Solem in 11 domo, præſertim aulicorum ſignificare amicos, Reges aut Principes, vel Magnates; in 10 honores ſplendidos, & dignitates regias. Et quidem non habet ab 11 domo quod tales amicos ſignificet, potiùs quàm ruſticos, plebejos, vel monachos: ergo id habebit à ſigno in quo eſt, vel à connexione cum aliis Planetis, vel à ſeipſo: Non primum, quia in quovis ſigno poſitus in undecima, claros ac illuſtres ſignificabit amicos: Neque ſecun-

ſecundum, quia non connexus aliis dominio vel aſpectu, tales amicos ſignificabit. Ergo id habet à ſe, quod ex perſonis potiùs Reges & Magnates, quàm Plebejos & Viles ſignificet; Saturnus autem contra. Similiterque oſtendetur in ſingulis domibus Solem ex ſe ſignificare perſonas, atque res claras, illuſtres, & regias; unde convincitur, Solem cum his habere analogiæ conſenſum & convenientiam: eademque eſt ratio de cæteris.

Duplex autem univerſim reperitur analogiæ ſpecies in Planetis, nempè eſſentialis & accidentalis. Et quidem analogia eſſentialis, eſt ſimplex aut compoſita. Simplex verò eſt potiſſimùm naturæ, dignitatis, aut ſexus.

Analogia naturæ conſiſtit in quadam naturarum ſimilitudine; qualis reperitur inter Solem & calidum innatum. Ut enim in Macrocoſmo Sol omnia hæc inferiora calefacit, vivificat atque gubernat: Sic color nativus in Microcoſmo toti corpori calorem, vitam, vitæque functiones ſuo modo impertitur ac promovet: eſtque veluti Sol ipſius Microcoſmi. Eademque naturæ analogia reperitur inter Solem ipſum & cor, ſpiritumque vitalem: Inter Lunam & cerebrum pituitamque: inter Saturnum & lienem melancholiamque: Inter Jovem & jecur ſanguinemque: Inter Martem & veſicam felleam bilemque: Inter Venerem & genitalia, ſpermaque: Inter Mercurium & nervos ſpiritumque animalem. Ideoque cùm ad talia determinantur in prima domo collocati, vel hujus domini, talia maximè ſignificant; tum in duodecima pro morbis.

Adhæc naturæ analogia datur inter Solem & aurum admiratione digna. Ut enim Sol eſt primus, puriſſimus & nobiliſſimus Planetarum; ſic omninò ſe habet aurum inter metalla. Sicque etiam Luna & argentum; Saturnus & plumbum; Jupiter & ſtannum; Mars & ferrum; Venus & cuprum; Mercurius & argentum vivum ſunt analoga. Ut proinde non abs re Veteres Alchymiſtæ hæc 7 metalla nominibus 7 Planetarum ſibi analogorum, vel ſympathicorum inſignire voluerint; quòd nempè mutuò conſpirent ad effectus merè naturales; quorum cognitio Magica eſt minimè contemnenda.

Rurſus analogia naturæ intercedit inter Solem & dignitates, honores atque famam: Inter Lunam & plebem: Inter Saturnum & clauſtra, carceres & eremos: Inter Jovem & divitias; Martem & bella: Venerem & voluptates: Mercurium & ingenium, artes ac ſcientias. Sol enim eſt Macrocoſmi gloria; Saturnus horror; Jupiter divitiæ; Mars terror; Venus deliciæ; & Mercurius verſatilitas: ut enim Sol proprio ſplendore conſpicuus, cætera aſtra effuſcat, ſic honores, dignitates, atque fama hominem efficiunt præ cæteris conſpicuum plebeis; quos ipſe quaſi obtegere videtur. Utque Luna eſt Planetarum infima, phaſes citiſſimè mutans; ita plebs eſt infimum genus hominum, opinione & amicitiâ citiſſimè mutabile. Atque ſic de cæteris.

Analogia dignitatis conſiſtit in quadam principatus ſimilitudine; qualis reperitur inter Solem & Regem, aut Patrem, aut Maritum. Ut enim Sol coruſcat in medio Planetarum, qui illius ſunt veluti ſatellites, ipſum perpetuò circumſtantes, ſequentes, ac obſervantes, ita Rex ſplendet in medio ſuorum Aulicorum atque Satellitum; Pater aut Maritus in familiæ ſuæ medio. Sicque Luna dignitatis analogiâ Reginas, magnaſque Dominas refert; quòd hæ inter alias mulieres, ut Luna inter Aſtra noctu apparentia, ſplendeant. Simili ratione quoniam ♃ & ♄ ſatellitium ſortiti ſunt; ipſi eos inter homines analogicè referunt magnates inferiores, qui dignitatis causâ comitatu ſtipantur aliquo. Et quidem Jupiter ſplendidior cum 4. aſſeclis, magis conſpicuos ut Epiſcopos, Cancellarios, Gubernatores, Præſides: ♄ verò cum duobus tantùm ſatellitibus obſcurior, & vaſto Ætheris deſerto propinquior, Monachorum, Eremitarum vel fodinarum Præfectos, ac Ærarii Regii.

Analogia ſexus conſiſtit in quadam maſculinitatis aut fœmineitatis ſimilitudine. Ut enim ſpectato Sole quaſi Patrefamilias in Macrocoſmo, Lunâque pro Matre, cæteri Planetæ Soli ſubditi, quaſi pro famulatu, aut prole, aut tandem familia Solis & Lunæ habendi ſunt; quilibet pro ratione ſui ſexus juxta cap. 1. Sect. 2. Ergo erit analogia ſexus inter ♄ ♃ ♂ ☿ & Maritos, fratres, ſervos, cæteroſque maſculos: tum inter ♀ & uxores, ſorores, ancillas, cæteraſque femellas ſortis inferioris. Nam Sol etiam maſculos, & Luna fœminas ſignificant analogicè; ſed ſortis ut plurimùm ſuperioris, ſaltem ex ſe: nempè Sol, Regem, Patrem, Maritum; Luna Reginam, Matrem, Uxorem. Atque hæc pauca de analogiis ſimplicibus ſufficiant.

Ex his autem analogiis ſimplicibus naſcuntur compoſitæ. Nam Sol ratione dignitatis & ſexus Analogus eſt Regibus, Patribus, Maritis: Luna Reginis, Matribus, & uxoribus; Ratione naturæ & ſexus Mars eſt Analogus militibus, prædonibus: Venus Amaſiis, ſcortis, Mercurius Aſtronomis, Mercatoribus, &c: eſtque in ſupradictis omnibus hoc notatu & admiratione dignum, quod analogia uni Planetæ conveniens, alteri non conveniat, Mars enim non eſt analogus amaſiis, nec Venus prædonibus: nec Sol Monachis, nec Saturnus Regibus; ſed ſingulæ eſſentiales analogiæ ſupradictæ, ſunt ſingulis Planetis propriæ, ut experientia docet.

Cæterùm eſſentialis virtus analogica Planetæ non eſt quid realiter differens ab ejus influentia; ſed re idem ſunt; quod eatenus dicitur virtus analogica, quatenus agendo detegit ſubjecta vel effectus cum quibus ipſe Planeta majorem habet affinitatem. Quippè in quolibet figuræ ſpatio quivis Planeta agit analogicè; hoc eſt ex ſignificatis ipſius ſpatii, illud præcipuè attingit, quod ipſi Planetæ magis eſt analogum: atque hoc nihil aliud eſt quàm Planetam in quolibet ſpatio agere juxta naturam vel influentiam propriam ipſius ſpatii ſignificata; & hoc benè notandum.

Porrò Cardanus Comment. in Quatrip. paſſim; tum lib. de Revol. cap. 5. Planetas appellat ſignificatores ſecundum ſubſtantiam eorum quibus ſupradictum eſt, Planetas ipſos eſſe analogos: verbi gratiâ Solem eſſe ſignificatorem ſe-

cundum ſubſtantiam Regis, Patris, mariti; Jovem divitiarum, &c: Solis autem & Jovis dominos, eſſe earumdem rerum ſignificatores per accidens: atque hi ſignificatores ſecundum ſubſtantiam & accidens ſunt illi, & cæteris ferè omnibus Aſtrologis, præcipuum judicii fundamentum; quod tamen eſſe falſum, prout à Cardano cæteriſque Aſtrologis communiter uſurpatur, evidentiſſimè proprio loco probabimus. Hîc annotare ſufficiat nos ea omnia vocare Solaria, quibuſcum Sol eſſentialem analogiam ſortitus eſt: Lunaria, quibus Luna eſt analoga: Saturnina, quibus Saturnus; atque ſic de cæteris: ac inſuper quod pro vario ſtatu Solis in Cœlo, Solaria univerſim diverſimodè afficiuntur: pro vario ſtatu Lunæ, Lunaria, atque ſic de reliquis.

Accidentalis autem virtus analogica Planetarum, eſt quæ ipſis extrinſecus advenit, & hoc diverſimodè.

Primò, à qualitate motus proprii; Planeta enim motu proprio velox, tardus, directus, retrogradus; eſt analogus perſonis aut rebus, quæ in ſuis actionibus vel motibus ſunt veloces, tardæ, directæ, retrogradæ: eaſque etiam analogica vi tales efficiunt; ideoque ſignificant: quod intellige de rebus & perſonis ad quas ipſi Planetæ determinantur in Themate Cœleſti.

Secundò, à modo occurſus Planetarum; nam ſi dominus horoſcopi natum repræſentans applicuerit domino ſeptimi ſpatii qui uxorem ſignificat; natus de uxore ducenda erit ſolicitus, uxoremque ducet, niſi aliunde fortiùs acceſſerit Cœleſte obſtaculum: at ſi ambo domini mutuò defluxerint, natus fugiet conjugium, nec ducet uxorem; aut ſaltem non inter ſe concordabunt, ſed accident divortia; præſertim à maleficis.

Tertiò, à luminis libertate; Nam Planeta combuſtus vel ſub radiis Solis, analogus eſt rebus occultis: Liber autem à radiis, rebus conſpicuis, ideoque tales efficit.

Quartò, ab ortu vel occaſu Heliaco; Nam Planeta emergens è Solaribus radiis, rebus novis patentibus ac liberis eſt analogus; at ſeſe immergens in Solares radios, contrariis eſt analogus.

Ex his verò ſpeciebus analogiarum, tum accidentalium tum eſſentialium, ſupra expoſitis, non erit difficile cæteras quæ occurrent deprehendere ac intelligere: idque jam ſufficit inſinuare.

Denique in ipſo etiam Cœlo vel primo Mobili reperitur analogia. Siquidem pars Cœli oriens, ſignificat ortui aut vitæ rei tunc naſcentis; pars culminans, ejus vigori vel actioni: Occidens, ejus declinationi, ac ea tandem pars quæ imum Cœli occupat, ejus interitui: hæc ſiquidem vis & ſignificatio Cœli, evidentiùs ad analogiam quàm aliam cauſam referri poteſt, ut conſtat ex lib. 18. cap. 5.

Tabula

TABVLA
DE
DOMINIO UNIVERSALI PLANETARUM.

TABULÆ DE DOMINIO

Septem Planetæ generationum Phyſicarum cauſæ prima- Naturæ particularis,ſortiuntur affinitatem,vel à propria eſ-

Correſpondent igitur.	♄	♃	♂
Cœli partes	♑ ♒	♐ ♓	♈ ♏
Elementa	Terra	Aer, Ignis	Ignis
Qualitates E-lementales	Frigus intenſum, ſiccitas, denſitas, opacitas, gravitas.	Temperies cum levi exceſſu caloris & ſiccitatis	Calor & ſiccitas in intenſo
Colores	Niger, lividus, terreus, fuſcus,	Cæruleus	Rubeus
Odores	Fœtidus, narcoticus	Suavis	Acris
Sapores	Acerbus, auſterus,	Dulcis	Amarus
Anni partes	Autumnus	Ver	Æſtas
Meteora & effectus in Aere	Frigus intenſum & horrendum, etiam quandoque peſtilens: Nubes denſæ, nigræ, lividæ, nymbi, nives, pruinæ, venti exitioſi, procelloſi.	Temperies, ſalubritas, venti moderati, ſerenitas, aut nubes ex albo rubeſcentes.	Intemperies calida, ſicca, æſtuoſa,peſtifera, tabifica: ſerenitas, aut nubes rubræ, fulvæ, virides, tonitrua, coruſcationes, fulgura, fulmina, grando, Cometæ caudati; impreſſiones ignitæ, turbines, venti tempeſtuoſi, maligni, exitioſi.
In Aquis & Mari	Exundationes, diluvia, corruptio, piſcium interitus, aut penuria; procellæ ſævæque tempeſtates, difficiles navigationes, naufragia.	Mediocria utiliaque aquarum incrementa, ſalubritas, piſcium copia, tranquillitas, aut venti moderati, navium curſus fœlices atque lucroſi.	Aquarum exſiccatio, corruptio, piſcium interitus, procellæ, ſubita naufragia, Pyratarum invaſiones

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

UNIVERSALI PLANETARUM.

riæ ac univerſales,in totius Naturæ familia; cum infra poſitis ſentia,vel ob analogiam:illiſq;propterea dominari dicuntur.

☉	♀	☿	☽
♌	♉ ♎	♊ ♍	♋
Æther, Ignis	Aer	Terra	Aqua
Calor vitalis, raritas ; levitas	Temperies humidiuſcula	Frigus & ſiccitas in re miſſo	Frigus, humiditas, liquiditas, denſitas & gravitas
Flavus	Viridis	Variegatus	Albus, pallidus.
Fragrans,aromaticus	Suavis exhilarans	Mixtus	Obtuſus, vel inſenſibilis
Salſus acutè gratus	Pinguis	Acidus	Obtuſus, aqueus
Æſtas	Ver	Autumnus	Hyems
Calor,ſiccitas,ſerenitas, ſalubritas & quandoque æſtus, nubes croceæ, aut ex rubro fulveſcentes, venti moderati, ſicci & ſalubres	Temperies, ſalubritas, ſerenitas, ros, caligo, nebula, nubes ſyncerè albicans, pluvia tenuis & ſalubris, venti moderati & humidiuſculi	Siccitas, venti repentini, vehementes, mixti, inſtabiles,procelloſi,exitioſi: nubes variegatæ, tonitrua, coruſcationes, fulmina	Humiditas & frigiditas ex ſe.
Ex ſiccationes & decrementa	Utilia incrementa & exundationes, ſalubritas, magna piſcium copia, faciles, tutæ & fortunatæ navigationes.	Procellæ ſubitæq; tempeſtates, incrementa, dum Eous, decrementa, dum occiduus extat, Pyratarum inſidiæ	Incrementa, fluxus & refluxus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

TABULÆ DE DOMINIO

	♄	♃	♂
In Terra	Sterilitas fructuum & plantarum utilium corruptio ab aere maligno, frigore gelido, nymbis, grandine, inundationibus, erucis, locuſtis, animalium interitus utilium, damnoſorum proventus, Terræ motus, ædificiorum, Urbiumque ruinæ.	Copia & ſalubritas plãtarum, fructuum & animalium utilium, ſuppreſſioque nocuorum, vel ex putri materia genitorum.	Penuria & inſalubritas plantarum, fructuum & animalium homini utilium, ab intemperie calida & ſicca, aut venenata Aeris qualitate, venenatorum generatio, incendia, Terræ motus.
Mineralia	Plumbum, lapides nigri, obſcuri, terreſtriores.	Stamnum, ſapphyrus, ametiſtus.	Ferrum, magnes, jaſpis, hæmatites, rubinus.
Plantæ	Quercus, meſpilus, citonius, ruta, elleborus, narcotica, & reliquæ craſſæ ſubſtantiæ tardéque creſcentes.	Laurus, ſantalum, cinamomum, ſaccharum, balſamum, thus.	Piper, zinziber, ſinapi, raphanus, ſcammonium, colocynthis, enforbium, amara omnia, & venena calida.
Bruta	Camelus, urſus, caper, aſinus, felis, bubo, veſpertilio, teſtudo, mus, ſcarabeus, & cætera tardè gradientia, noctuque vagantia, bufo.	Elephas, dama, taurus, cervus, pavo, falco.	Equus, lupus, aper, canis, ſtruthio, milvus, accipiter, ſerpentia venenata, ſcorpius, aranea.
Humores	Melancholia, bilis atra.	Humidum radicale, ſanguis, ſemen.	Bilis flava, vitellina, æruginoſa, porracea.
Corporis partes	Oſſa, dentes, cartilagines, auris dextra, ſplen, veſica.	Jecur, venæ, pulmo, diaphragma, latera, muſculi	Cyſtis fellis, auris ſiniſtra, pudenda, renes.
Facultates	Retentrix	Naturalis, ſive coctrix & vegetatrix	Expultrix
Senſus	Auditus dexter	Tactus, odoratus	Auditus ſiniſter
Animæ partes	Memoria	Judicium, appetitus concupiſcibilis	Appetitus iraſcibilis
Hominum jura naturalia & relationes inter ſe, ab analogia	Abavus, Avus & Pater, tum etiam ſervus, inimicus occultus.	Dominus, Liberi	Maritus in fœminarum genituris, fratres natu majores, inimici aperti,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

UNIVERSALI PLANETARUM.

☉	♀	☿	☽
4 Anni partes, ſed præſertim æſtas per ſe: exſiccationes, ſylvarum incendia: Reliqua pro ratione Domini & aſpectuum	Eadem quæ ♃, ſed cum majore fœcunditate.	Magni Terræ motus, aliorũ verò eventuum diverſitas, inſtabilitas, ſæpéque cum ♄, aut ♂ plantarum & animalium exitium.	Putrefactiones, cætera verò prout ſe habet ad Solem & cæteros Planetas, quorum commixtiones cum Luna Terris proxima maximè ſunt attendendæ.
Aurum, carbunculus, hyacinthus, cryſolitus	Cuprum, ſmaragdus, turcois, corallus, unio	Argentum vivum, calcedonius, cornelius, alecterius	Argentum, cryſtallus, berillus, adamas, unio
Palma, roſmarinus, heliotropium, crocus, frumentum, & aromata.	Dactylus, oliva, pinus, lilium, roſa, piſa.	Corylus, millefolium	Cucurbitæ, cucumeris, pepones, lactucæ
Leo, Aquila, Falco, Gallus.	Capra, ovis, phaſianus, perdrix, columba, turtur, paſſer.	Vulpes, ſimia, ſerpens, pſyttacus, aranea, apes, formica.	Lepus, cygnus, philomela, ranæ, piſces, cochleæ ſucci, teſtacea, cancri, limaces.
Spiritus vitalis, bilioſus ſanguis	Sanguis pituitoſus, ſemen.	Spiritus animalis.	Pituita, ſerum.
Cor, arteriæ, oculus dexter, dextrumque latus in viris, ſiniſtra verò illa in mulieribus.	Guttur, mammæ, venter, nates, uterus, renes, genitalia.	Crura & pedes, brachia, manus, digiti, lingua, nervi, ligamenta.	Cerebrum, oculus ſiniſter, ſiniſtrum latus in viris, dextra verò illa in mulieribus. Inteſtina, ſtomachus, vulva, membranæ.
Vitalis, attractrix.	Generatrix.	Animalis, rationalis.	Expultrix, vegetatrix, animalis.
Viſus dexter in viro præſertim interdiu; ſiniſter in muliere.	Guſtus, odoratus, tactus, horumque ſenſuum voluptates.	Guſtus, auditus.	Viſus dexter in fœminis, ſiniſter in viris.
Appetitus univerſus boni	Appetitus concupiſcibilis	Senſus communis, imaginatio, ingenium, Ratio, ſive appetitus rationalis.	Apprehenſio, appetitus univerſalis.
Pater & maritus in geneſi fœminarum	Uxor & Mater interdiu, ſorores, filiæ, amaſiæ, concubinæ.	Fratres natu minores, ſervi	Mater & Uxor præſertim noctu, Viduæ prægnantes.

TABULÆ DE DOMINIO

	♄	♃	♂
Corporatura De qua univerſim determinare non licet. Nam etſi in genere ac ubique Terrarum, Martiales ſint ſicciores & graciliores, Joviales & Venerii humidiores, ſucculentiores, candidiores, pulchriores; Saturnini, deformiores & nigriores, &c. tamen particulares partium cõformationes & colores, non ſemper ex æquo Planetarum naturis correſpondent: ſed eſt quibuſdam Terræ locis proprius corporũ character, ut conſtat ex Æthiopibus, Tartaris & Peruvianis, qui inter ſe maximè differunt corpore, pilis & forma vultus, ac Æthiops etiam in Gallia gignit Æthiopem. Conſidera igitur Regionem & parentes; & hic appoſita intellige de hominibus albis Aſiæ, Europæ, &c.	Orientali. Frigidi, humidi, mediocriter carnoſi, ſtatura mediocres, facies longa, oculi nigri, magni, intetdum maculati, dentes inordinati, aſpectus deformis & truculentus, faciei & corporis color ſubniger, fuſcus, mellinus, pallidus, pili nigri, denſi, aſperi, pedes incurvi. Occidentali. Frigidi, ſicci, macilenti, ſtaturâ breves, oculi nigri, capilli nigri, plani, rari in capite & barba, reliquo corpore glabri.	Orientali. Temperati in calido & humido, carnoſi, geniſque rotundi, ſtatura mediocres & elegantes ac majeſtuoſi, colore candidi, ad flavũ, aut roſeum vergentes, oculi grãdiuſculi nigri, venuſti, in pede dextro ſignati. Occidentali. Temperamento humidiuſculi, ſtaturâ mediocres, calvi, ſignati in pede ſiniſtro; quod raró fallit.	Orientali. Calidi, ſicci, minus carnoſi, decenter proceri, beneque proportionati, colore ex albo, rubei, cum oculis cæruleis variis, capilli multi inter criſpos & planos cum hirſutie corporis. Occidentali. Sicciores, ſtatura mediocres, cum capite magno, facie rotunda & lentiginoſa, aut in fronte ſignata parvis oculis, naribus magnis, dentibus longis, colore rubeo, capillitio ruffo, rigido, corpore glabro, & paſſibus amplis ac militaribus.
Mores ac Ingenium	Benè affecto. Profundi ingenio, arcanorum inveſtigatores, prudentes, conſilio egregii, ſecreti, aliquantum ſolitarii, ſuſpicaces & zelotipi; diſſimulantes, laborioſi, patientes, perſeverãtes, vincentes, violenti, parci, opum cupidi, & cumulatores graves, dominium affectãtes, præfecturis idonei, principibus utiles atq; chari. At malè affecto. Triſtes, melancholici, abjecti, turpes, auſteri, impudentes, pigri, timidi, diffidentes, invidi, egregii facinoris incapaces, miſeri, queruli, aut taciturni, conſortii & lucis oſores, valdeq; ſolitarii, pauperes, vel malis artibus fœnerantes, valdè ſuſpicaces & zelotypi, mẽdaces, maligni, fraudulenti, inſidiatores, proditores, & qui frequenter ſuorum facinorum judiciales pœnas luant.	Benè affecto. Simplices, pii, religioſi, juſti, fideles, humani, miſericordes, mundi, verecundi, hilares, gratioſi, affabiles, moderatè graves, aperti, officioſi, prudentes, ſapientes, conſilio valentes, benefici, liberales, ſplendidi, magnanimi, juri dando, condendis legibus, Magiſtratui, principatui, Regnoque idonei, ſui rerumq; ſuarum amantes ac ſtudioſi, veraces. Malè affecto. Mores prioribus utcunq; ſimiles, ſed fucati & ad vitia declinantes, ut proprietate & religione ſuperſtitio, pro humanitate fatuitas, pro verecundia timiditas, pro fidelitate diſſimulatio, pro liberalitate prodigalitas, pro magnanimitate faſtus & ſuperbia, quippe pro ratione Planetæ à quo connexione, vel dominio afficitur.	Benè affecto. Fortes, robuſti, animoſi, generoſi, audaces, ſuperbi, jactabundi, alienæ laudis faſtidientes, aliorumq; hominũ contemptores, iracundi, ad feriendum lædendumque proni, vindictæ cupidi, nulli parentes, ſervitutis & injuriarum impatientes, dominandi cupidi, bellorum & prœliorum appetentes, tyranni ſuperbi, temerarii & periculorum contemptores, agiles, prompti, feſtinantes, ſibi confidentes, divitias ſpernentes, liberales, fortunati, regendis militibus benè, civibus malè apti, Dei contemptores, vel non ſoliciti. Malè affecto. Impii, injuſti, immiſericordes, arrogantes, rixoſi, ſeditioſi vociferantes, temerarii, furioſi, truculenti, feroces in laceſſendo, crudeles, percuſſores, homicidæ, tyranni, ebrioſi, propria & aliena deſtruentes, incendiarii, raptores, fures, prædones, ſuorum negligentes.

UNIVERSALI PLANETARUM.			
☉	♀	☿	☽
Calidi parumque ſicci, ſtaturâ mediocres, caput magnum; rotunda, candens ac fulgens facies, oculi magni, ſplendidi, color croceus, capilli extenſi, tandem calveſcentes, vox ſubrauca.	Calidi & humidi, ſtaturâ mediocres, ſucculēti, & facies præſertim carnoſa delicata & albo rubeſcens, pulchra, amabilis, capilli aliquantulum criſpi, fulvi, aut ſubnigri, oculi fulvi, venuſti, læti, blandè ludentes, ſupercilia, labiaque gracilia, anguſtum pectus, crura craſſa. Atque hæc magis apparent Venere Orientali.	Orientali. Calidiuſculi, ſtaturâ moderati & benè proportionati, cum bono colore, aut mellino, oculis parvis, capillis mediocribus & flaveſcentibus. Occidentali. Aliquantulum ſicci, graciles, macilenti, cum dentibus & digitis minutis, barba rara, voce tenui, paſſibus minutis, & celeribus, ingenio acutiſſimo.	Humidi, ſtatura procera, pulchra facies, color albus, oculi albi, capilli leves, barba decora. NOTA. Cautè prudenterq; judicandum de forma corporis; hæc enim pars judicii plerumque fallit, quippè nondum benè cognita. Per experientiam verò perficienda eſt. Spectatis nempè Planetis in primo ſpatio, ac horum & Horoſcopi dominis, cum natorum formis.
Benè affecto. Pii, juſti, probi, fideles, aperti, caſti, mundi, ſapientes, utcunque iracundi, magnanimi, honorum appetentiſſimi multúmq; honorati, ſplendidi, magnifici, clari, famoſi, amicitiarum cultores, ſed uxoris & liberorum parum amantes. Malè affecto. Faſtuoſi, maligni, minus obſervantes decori, fucati atque à ſupradictis degeneres pro natura Planetæ dominio, vel infauſta connexione infortunantis.	Benè affectæ. Bona indole præditi, blandi, pii, Deumque religiosè colentes, miſericordes, pacifici, hilares, ſociabiles, mundiciei & ornatus ſtudioſi, choreis cantilenis, muſicæ & epulis dediti, in geſtibus elegantes atque venuſti, laſcivi, & ad omnes delicias & voluptates proni, in amoribus & amicitiis fortunati atq; cauti, benefici præſertim erga ſuos, laboris, rixarum, iræ & infortunii impatientes, faciléq; reconciliabiles. Malè affectæ. Timidi, ignavi, proci, & in amoribus, vel amicitiis importuni, imprudentes & infortunati zelotypi, mulieroſi, fœdæ libidini obnoxii, infames, multiſque mulierum cauſa diſpendiis, caſibus, miſeriis & malis obnoxii; niſi Venus ipſa præfuerit pluribus ex præcipuis genituræ, locis, atque ſit in angulo præcipuo.	Benè affecto. Egregia indole præditi, ingenii acumine excellentes, ſtudioſi, dociles ſcientiarum & artium ingenioſarum quarumcunque capaces, præſertim verò Mathematicarum, bene conjectantes & ratiocinantes, multa ſine Doctore diſcentes, & primò ignota invenientes, ſubtiliter differentes atq; diſputantes, ſagaces, cauti, prudentes, moribus compoſiti, cuivis perſonæ, rei & tempori ſe facilè accommodātes, ideoq; ſociabiles & rebus gerendis idonei. Malè affecto. Inſtabiles, inſipientes, oblivioſi, hallucinationibus obnoxii, garruli, vaniloqui, ſtolidi, protervi, mēdaces, pertinaces, paraſiti, adulatores, diſſimulatores, vafri, deceptores, perfidi, maligni, perjuri, inſidiatores, calumniatores, ſcripturæ, teſtimonii, aut monetæ falſitatibus addicti, infames, lenones, de re quavis ſeſe importunè miſcentes, pericuIoſa conſilia ſuggerentes, & audacter ſcelera ſuſcipientes	Benè affectæ. Ingenio ſubtiles, celebres, honorati, moribus benè compoſiti, ſynceri, aperti, honeſti. Malè affectæ. Ingenio obtuſi, timidi, viles, vani, vagabundi, fucati, nulliuſque nominis, aut ſervitii, & fatui. Ex ſe autem benè affecta eſt in nodis & lumine creſcens. Malè in ſtatu contrario.

TABULÆ DE DOMINIO

	♄	♃	♂
Magiſteria, vel his affata perſonas	Benè affecto. Magni Theologi, Philoſophi, Theſaurarii, fodinarum Præfecti. Mediocriter affecto. Agricolæ, foſſores, metallici, figuli, architecti, coriarii, Monachi, Eremitæ. Malè affecto. Magi, ſagæ, venefici, puteorum & cloacarum expurgatores, mendici, carnifices.	Benè affecto. Conſiliarii, Senatores, Judices, Præſides, Cancellarii, Antiſtites, Sacrorum Ordinum Generales, aut Provinciales, Abbates, Epiſcopi, Cardinales, Papæ, Provinciarum, aut Civitatum Præfecti. Malè affecto. Pædagogi, Gymnaſiarchæ.	Benè affecto. Equites, Capitanei exercituum, Duces atque Præfecti, Venatores, Cauſidici, Medici, fabri ferrarii, fuſores, coci. Malè affecto. Lanii, Coriarii, Pyratæ, Latrones, Lictores, Carnifices.
Fortunæ accidentia	Benè affecto. Dignitates, Præfecturæ, Authoritas, Theſaurorum inventio, magnæ opes. Malè affecto. Caſus ab honore & dignitate, vilitas, paupertas, ſervitus, in ſuſceptis & agendis infortunia, inimici occulti, infamia, carceres, exilium, ſupplicium, exituſque funeſtus.	Benè affecto. Libertas, divitiæ, honores, dignitates, amici, ſervi, fortunata conjugia, aut in Eccleſia præfecturæ, fama, gloria, liberorum copia, & in his fœlicitas, lucra: ac in ſumma benè affectus Jupiter in ſuſceptis actionibus & rebus omnibus fortunam, fœliceſque ſucceſſus largitur. Malè affectus. Illa negat, aut minuit, aut fucat, aut infortunat.	Benè affecto. Bellatorum amicitiæ atque cultus, duella fortunata, in bellis præfecturæ, in prœliis, tum Urbium & Claſſium expugnantibus victoriæ, ſpolia, triumphi. Malè affecto. Inimicitiæ, lites, rixæ, duella, prœlia & expugnationes infœliciter ſuſceptæ, bonorum & dignitatum jacturæ, rapturæ, diſſipationes, demolitiones, inſidiæ, graſſationes, furta, homicidia, nefarii concubitus, carceres, & mors frequenter violenta.
Ætates	Decrepitudo ad finem vitæ pertingens	Senectus ad annum 68.	Virilitas ad annum 56.

UNIVERSALI PLANETARUM.

☉	♀	☿	☽
Papa, Imperatores, Reges, Principes, Gubernatores, Magnates, omneſque Regiis honoribus, vel dignitatibus Præfecti.	Benè affectæ. Aromatarii, Unguentarii, Pharmacopolæ, Pictores, Gemmarii, Muſici, Textores, Caupones, Devinatores, Sacris Ordinibus initiati. Malè affectæ, ſcorta, lenæ, faſcinatrices, fucatrices, mendicæ.	Benè affecto. Arithmetici, Geometræ, Aſtronomi, Aſtrologi, Philoſophi, Oratores, Scribæ, Secretarii, Poëtæ, Pictores, Merçatores, Artifices omnes ingenioſi, & novarum artium inventores. Malè affecto. Lenones fures, & monetæ, & Scripturæ, & Mercium falſarii.	Reginæ, Viduæ, Curſores, Nautæ, Piſcatores, Venatores, Plebs.
Benè affecto. Gloria, fama, ſplendidus ſtatus, legationes honoratæ, officia publica, dignitates Regiæ etiam primariæ, in utroque ſtatu, ſeculari ſcilicet & Eccleſiaſtico cum honoratione & cultu inſigni, potentes amici, nomen à morte famoſum. Malè affectus dat potentes inimicos, & ſuperiora infortunat, aut etiam negat, & in omnibus ſibi ſubditis portendit infortunium.	Benè affectæ. Omnium benevolentia, lucra, fœlices ſucceſſus in amoribus, fœlicia connubia, fœlix proles & numeroſa; dignitates & in ſuſceptis & actionibus fœlicitates eximiæ. Malè affecta. Superiora minuit, infortunat, aut etiam negat.	Benè affecto. Utiles negotiationes, lucroſæ legationes, fortunatio cõtractus, egregia ac utilia inventa, dignitates, magiſteria, ac in his honor & lucrum, multi ac utiles amici. Malè affecto. Contraria congruunt, tum in curioſis arcanis occupationes inutiles, diſpendia, infortuniaque, deceptiones, falſificationes vitæ, ſtatus inconſtans variis caſibus, & exitui dubio obnoxius.	Benè affectæ. Nominis claritas, divitiæ, fœlicitas, legationes honorificæ & lucroſæ, fundorum aquaticorum poſſeſſiones, multa prole, fœlicia conjugia, Regiæ magnæque dignitates in utroque ſtatu, amici, magnates. Malè affecta. Minuit, infortunat, vel etiam negat ſuperiora: datque vitam mutabilitati, ærumnis, & variis caſibus obnoxiam.
Juventus Ad annum 42.	Adoleſcentia Ad annum 21.	Puerilitas Ad annum 14.	Infantia Ad annum 4.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

TABULÆ DE DOMINIO			
	♄	♃	♂
Morbi	Partium corporis quibus ipſe ♄ dominatur. Tum quartana febris, ſcabies, lepra, tabes, melãcholia, paralyſis, icterus niger, hydrops, arthritis, cancer, tuſſis, aſthma, phtyſis, cæteriq; maligni catharri, ſurditas, dolor dentium, lethargus, apoplexia, hernia.	Partiũ quibus ipſe præeſt. Tum ſynochi, variolæ, exanthemata, angina, paſſiones, ſpinæ dorſi, epatis inflammationes, pleuritides, peripneumoniæ, ſpaſmi: tum morbi ex flatibus, fœtore & inflammatione, phlegmone.	Partium quibus ipſe præeſt. Tum febres acutæ, ardentes, peſtis, icterus flavus, convulſiones, hæmorragiæ, dyſenteriæ, carbunculi, anthraces, eryſibolata, ulcera phagedènica, & ſerpentia, vulnera præſertim in facie, febris tertiana.
Mors	Benè affecto. Mors naturalis ex morbis quibus præeſt ipſe Saturnus. Malè affecto. Mors ſubitanea, aut violenta ex ruina, caſu, præcipitio, ſubmerſione, naufragio, ſuffocatione, incarceratione, ſuſpendio, bombardico plumbo; aut cum infamia, velut à carnifice.	Benè affecto. Mors naturalis ex morbis quibus ipſe præeſt. Malè affecto. Mors violenta ex ſubmerſione bello, duello, aut mandato Principis.	Benè affecto. Mors naturalis ex morbis quibus ipſe præeſt. Malè affecto. Mors violenta, ex vulneribus ferro, igne, aut baliſtis; capitis truncatione, membrorum mutilatione, dilaceratione, ſtrangulatione, ſuſpendio, morſuris animalium præſertim venenatorum, Chyrurgicorum & Medicorum imperitorum laniationibus & ſanguinis miſſionibus, combuſtione.
Terræ loca particularia	Subterranea, putei, cloacæ, latrinæ, carceres, cimetria, ſolitudines, eremi, deſerta.	Edita & excelſa Eccleſiæ Palatia, præſertim juridicendo deſtinata.	Officinæ fuſoriæ & fabriles, arces armamentariæ.
Dies Hebdomadæ.	Sabbathum.	Dies Jovis.	Dies Martis.

UNIVERSALI PLANETARUM.

☉	♀	☿	☽
Partium quibus ipſe præeſt. Tum febres Ephemeræ, ſpaſmus, ſyncope, catharri, oculorum morbi.	Partium quibus ipſa præeſt. Tum luem Veneream, gonorrheam, matricis & genitalium morbi, priapiſmus, ventriculi imbecillitates à cauſa frigida & humida, indeque lienteriæ, phlegmone.	Partium quibus ipſe præeſt. Tum febres erraticæ & revertentes, mania, phrenitis, deliria, inſania, epilepſia, convulſio, balbuties, catarrhi, tuſſis, copia ſputi.	Partium quibus ipſa præeſt. Tum febres quotidianæ, epilepſia, apoplexia, fatuitas, catharri, colica, vomitus, fluxus ventris, menſtrua immodica, hydrops, apoſtemata, phlegmatica.
Benè affecto. Mors naturalis ex morbis mitioribus quibus ipſe præeſt, ut febribus. Malè affecto. Mors ſubitanea à peſte, ſyncope, aut violenta publco mãdato Principis, vel in prælio, vel à combuſtione.	Benè affectæ. Mors naturalis ex morbis quibus ipſa præeſt. Malè affectæ. Mors violenta, aut præmatura ex veneno, medicamine, crapula, nimio coitu, vel mulierum, aut libidinis causâ.	Benè affecto. Mors ex morbis quibus ipſe præeſt, eaque naturalis. Malè affecto. Mors ſubita & plerumque violenta, interfectione, veneno, magia, vel propter falſitates monetæ, teſtimonii, ſcripturæ, ſive legis.	Benè affectæ. Mors naturalis ex morbis quibus ipſa præeſt. Malè affectæ. Mors violenta à ſuperpurgatione nimia, ſubmerſione, vel interfectione plerumque publica & judiciaria.
Regum & Principum Aulæ, Auditoria, Eccleſiæ, Civitatum Plateæ.	Horti, prata, nemora, viridaria, convivia, theatra, lupanaria.	Nundinæ, Academiæ, Collegia.	Sylvæ, maria, fluvii, ſtagna, & loca publicis hominum conventibus dicata.
Dies Dominicus.	Dies Veneris.	Dies Mercurii.	Dies Lunæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Atque hæc dicta ſufficiant de dominio generali Planetarum in hæc inferiora. Sed ſedulò notandum

1. In Tabula ſuprapoſitâ non exponi Magiſteria omnia ad ♄ pertinentia; ſed tantum communiora & notiora, ut videlicet inde pateat qualis ſit influentia Saturni circa Magiſteria. Eademque eſt ratio de morbis, fortunæ caſibus, morte, &c. à ♄, vel quovis alio Planeta prodeuntibus.

2. Planetarum in res Sublunares dominia ſuperius tradita, eſſe duntaxat ſimplicia, juxta propriam cujuſque Planetæ naturam. Ideoque dum multi Planetæ ſimul concurrunt in dominio, V. G. Magiſterii; ſagaci mixtione opus eſſe virtutis & naturæ ſingulorum; habita ratione prædominantis. Sic de cæteris.

3. Non eſſe de moribus judicandum ex omnibus Planetis ſimul, neq; ex quovis ſeorſim juxta ſupradictam Tabulam: ſed ex eo, vel iis duntaxat, qui ad mores ſignificandos corpore, dominio, vel connexione per corpus, aut aſpectum determinabuntur in figura genethliaca, ut ſuo loco dicetur. Eademq; eſt ratio de corporatura, magiſterio, morbis, &c. ſicque Tabulæ poterit fides adhiberi. Dumque dicitur talia accidentia prodire circa mores à Planeta benè affecto, talia autem à malè affecto: bona, vel mala affectio intelligitur tam ratione ſigni & connexionis cum aliis Planetis, ſive ſtatus cœleſtis ipſius Planetæ: quam ratione ſitus in figura. Nam etſi Planeta dum dicitur hoc, vel illud agere circa mores, jam ſupponatur eſſe ad illos determinatus. Tamen Planeta ipſe aliud circa mores ſignificabit, ſi fuerit in decima, & aliud ſi in quinta, vel aliud ſi fuerit dominus decimæ, & aliud ſi fuerit dominus quintæ. Igitur Planeta ratione ſui ſitus, vel dominii in figura, benè, aut malè afficitur, circa ea quæ ſignificat.

CAPUT IV.

De Planetarum Iovialium influentiis.

HOs Planetas fruſtra eſſe in rerum natura nulliuſque uſus, nemo eſt ſanæ mentis qui aſſerere audeat: ergo aut nobis deſerviunt, aut degentibus in Mundo Joviali; atq; ſi hoc aſſeritur, ſimiliter dicendum eſſet ♄ ♃ ♂ ♀ ☿ deſervire degentibus in Mundo Solari, ſive Sole. At experimur hos noſtri cauſa eſſe factos, & in nos ſuas agendi vires dirigere. Quidni ergo Joviales? Ad hæc cum ſint facti propter ♃ ex hypotheſi, & Jupiter propter nos, ut experimur: ſequetur ſemper noſtri cauſa illos eſſe conditos, vel ſi mavis conditum fuiſſe ſyſtema ♃, ut pro nobis factum fuiſſe ſyſtema Solis experimur, & ſacra Scriptura docet. Ergo nobis deſerviunt, non quidem ſuo lumine quod nobis eſt inſenſibile: ergo influentia difficillimæ cognitionis, ad quam tamen detegendum modum quemdam alibi præſcripſimus. Idem cenſeto de Saturni ſatellitibus duobus.

CAPUT V.

De propriis Stellarum fixarum influentiis.

HIc ingenuè fatendum proprias omnium fixarum influentias, nec non vires elementales hominibus eſſe ignotas; indeq, non modicum Aſtrologiam ſaltem practicam detrimentum pati. Etſi enim 7 Planetæ ſint Mundi hujus inferioris Rectores primarii: neque hoc in regimine influxus, vel arcana jura ♄ ♃ ♂ ♀ ☿ lucem Philoſophiæ fugiant (ut aſſeruit Alexander de Angelis in ſua Præfatione Lib. 5. adverſus Aſtrologos) ſed potius tenebras imperitè & ſtolidè philoſophantium. Tamen certum eſt à Planetarum congreſſibus cum ſtellis fixis, variari Sublunares effectus. Qua de re non ſolum Aſtrologi Tabulas condidere ad Aeris futuras conſtitutiones cognoſcendas, ex vero, vel heliaco fixarum Ortu & Occaſu, aut Lunæ ad fixas applicationibus: ſed ipſe quoque Hippocrates Lib. de Aere, Aquis & Locis text. 30. jubet in Medicina factitanda illos ſtellarum exortus & occaſus obſervare: præſertim Canis, Arcturi, & Pleiadum, quarum præ cæteris Vires expertus fuerat: de Aliis præſertim illuſtrioribus ſibi tunc ignotis, idem poſteritati faciendum eſſe inſinuans. Quamobrem ſtellis fixis vires ac efficientias, tum elementales, tum, influentiales in hæc inferiora denegare, non minoris videtur imperitiæ, quam eaſdem Saturno ♃ ♂ ♀ ☿ auferre, etiam citra experientiam, quæ ſola peritos hac in arte efficit, ut imperitia iniquos judices, qui Soli duntaxat atque Lunæ vires in hæc inferiora tribuentes, aſtra cætera, vel fruſtra, vel tantum ornatus, aut illuminandi gratia cenſent eſſe facta.

Attamen certum eſt, ea quæ Ptolemæus habet cap. 7. Lib. 1. Quatrip. de Viribus ſtellarum, non minus eſſe incerta, quam ratione deſtituta, parumque conſona iis quæ appoſuit Lib. 2. c. 10. de Vi & Natura ſignorum. In his ergo conſulatur experientia.

Porrò quamvis paucarum tantum fixarum, ſcilicet inſigniorum influxus, Aſtrologis utcunq; innoteſcant, neque fidendum ſit Tabulis fixarum traditis à Veteribus Aſtronomis pro natura fixarum, quibus ipſe Cardanus paſſim confidit in geniturarum judiciis, pro fixis etiam quintæ magnitudinis. Inde tamen non modicum Aſtrologiæ accedit emolumentum: præſertim circa humanos caſus, quos quidem ab illuſtrioribus fixis plerumque moveri, vel excitari evidenter obſervatur, non autem à minutioribus, niſi rarò, vel quatenus in conſtellationem aliquam cumulantur, ut Pleiades, Delphinus, &c. nihilominus ut jam plura de Viribus ſtellarum novimus quam Hippocrates, vel alii, qui naſcente, aut adoleſcente Aſtrologia vixere: quid vetat ne adhuc amplius impoſterum ea in cognitione proficiatur, ſi generoſa ingenia, aut ſponte, aut Principum liberalitate (quæ hic non minus quam in Aſtronomia perficienda requireretur) hanc ſublimem Provinciam ſuſcipere voluerint.

Cæterum circa fixarum influentias, jam dicimus in genere, illas diviſim & conjunctim agere in cuncta hæc Sublunaria, ut ſuperius patuit de Morbis & Conſtitutionibus Aereis: ſed in hominem præcipuè, quo nullum datur in elemētari regione ſubjectum, excipiendis influentiis magis idoneum. Proindeque fixarum alias eſſe homini natura beneficas, alias autem maleficas, ut de Planetis dictum eſt cap. 3. Sect. 2. Ac præterea ſingulas etſi à Planetis ſpecie differant, ſervare tamen cum his quandam naturæ affinitatem, ut fuſè à nobis oſtenſum eſt cap. 1. & 3. Sect. 4. Lib. 9. Et patet in Tabula fixarum infra poſita: unde fit ut ſaltem illuſtriores ſtellæ quas regias vocant, ſuæ naturæ affinibus Planetis conjunctæ, præſertim in præcipuis figuræ ſpatiis, magnos & plerumque ſtupendos producant effectus, juxta ſpatii proprietatem: tum ſi cum Planetis, maximè verò luminaribus oriantur, vel occidant, vel fuerint in eodem cum ipſis circulo poſitionis, vel fuerint in figuræ angulis, vel aſpectu ☉, aut ☽.

In

In ſpecie verò Cingulum Orionis, Canis major, Canicula, Caſtor & Pollux, ſiniſter pes Geminorum, Cor Leonis, Spica Virginis, Arcturus, Lucida Coronæ Gnoſiæ, Lucida Lyræ, Aquila, Cauda Cygni, Fomahant, & aliæ, beneficos influxus ſortitæ ſunt, quos in congruis ſpatiis oſtendunt. At Caput Meduſæ, Oculus Tauri, Pleiades, Cor Hydræ, Cor Scorpii, Hercules, Delphinus, & plures aliæ maleficos influxus habere deprehenduntur, juxta proprietatem ſpatii in quo, vel naturam & determinationem Planetæ cum quo, reperiuntur: prout utrumque innumeris Aſtrologorum obſervationibus confirmari poteſt, & cuivis experiri licet. Vide Junctini compendium de ſtellarum fixarum obſervationibus.

Cæterùm duo hîc non videntur omittenda. Primùm, quod ſi fixæ regiæ in præcipuis figuræ angulis fulciantur fœlicibus radiis Planetarum, præſertim luminarium, aut eorum qui angulis ipſis dominantur, aut Planetæ ſtellis ipſis conjungantur: Certum eſt quod ſtupendos & ſtabiles producunt effectus; ſin verò non fulciantur ☌ vel radiis Planetarum, quos homines extollunt, tandem miſerè deprimunt.

Secundum, quod dum Planeta jungitur fixæ alicui, videatur qua in domo vel ſpatio figuræ id fiat: Vel cui domo ipſe Planeta dominetur: Nam ad ipſas domos pertinet illuſtre accidens ſignificatum, præſertim dum Planeta præeſt domui quam occupat. Ut ſi ☉ fuerit cum corde Leonis, Jupiter cùm corde ♌ ☿ cum oculo ♉ ♀ cum ſpica ♍ &c.

Quoniam autem ob hactenus ignota Aſtrologiæ principia, tam Planetarum quàm fixarum influentiæ, qua fieri poterat perfectione cognoſci, ac inter ſe diſtingui nequivere, licet Planetarum influxus nobis accuratiùs innoteſcant; idcircò, ad proprias fixarum vires poſthac detegendas, notentur ſequentes regulæ, ſaltem pro illuſtrioribus. Minutiores enim hominem ſenſibiliter non afficiunt: alioquin ſingulis etiam hebdomadis conſpicui acciderent effectus à ſignificatorum directionibus ad ipſas, cum tamen raro tantùm accidant ab illuſtrioribus, ſed frequentiſſimè à Planetis Mundi hujus inferioris rectoribus primariis, eorumque aſpectibus. Hîc autem ingenuè fatendum eſt, homines in Aſtrologia nonniſi magis conſpicua cernere, Dæmones autem etiam minima.

Primò, ſi nullus ſit Planeta in aliquo ſpatio figuræ (quod ſemper accidere neceſſum eſt, cùm ſint tantùm ſeptem Planetæ, 12 verò ſpatia) vide ſtellam illuſtriorem, & vel quòd Regioni ſit verticalis, vel, quòd Eclipticæ vicinior, potentiorem, quæ ſpatium illud occupat. Si enim aliquod accidens Nati ad illud ſpatium pertinens, videatur referri non poſſe ad influentiam propriam, vel determinationem Planetæ qui ipſi dominatur ſpatio (de qua determinatione agemus Lib. 21.) probabile eſt, tale accidens eſſe ab illius ſtellæ influxu. Et ſi pluries idem vel ſimile obſervetur, de eo non erit dubitandum: ſicque ex effectu, natura ſtellæ detegetur; ſi præſertim naturâ & influxu fuerit ipſi Planetæ diſſimilis.

Secundò, ſi aliquis Planeta ſit in ſpatio & ſpatii dominus; vide ſimiliter fixã inſigniorem, atque, ut ſupra, diſtingue ipſius Planetæ influxum, tam ratione naturæ, quàm determinationis, ut ſtellæ vim diſcernere valeas, ſi ambo naturâ differant.

Tertiò, ſi aliquis Planeta ſit in ſpatio ſub alterius Planetæ dominio, (qui eſt medius modus inter duos extremos ſupra poſitos) Judicium erit difficilius, magiſque intricatum. Nam quid poſſit uterque Planeta, ratione naturæ & determinationis, erit ſigillatim diſtinguendum, ut fixæ præcipuæ dignoſcatur influxus. Sed modus hic, tum alii magis compoſiti, ut dum plures Planetæ ſunt conjuncti in eodem ſpatio ſub alterius dominio, erunt omittendi, cùm duo priores abundè ſufficiant. Superiores autem regulæ potiſſimùm valebunt pro fixis, quæ in ſpatiorum cuſpidibus reperiuntur, præſertim verò in angulis, ubi fixæ potentiùs agunt.

Atque de Planetarum & fixarum propriis naturis hactenus dixiſſe ſufficiat. Sed, ad Dei fixarum Creatoris gloriam, hoc non videtur omittendum; quod cum ipſe ſit infinita Sapientia, qui omnia condidit in pondere, numero, menſura & ordine, ſtellæque ſingulæ ſi non ſpecificis, ſaltem individualibus proprietatibus inter ſe differant: inde ſequitur, quod unaquæque fixa, in tali ſitu ac ordine, tam aliarum quàm Telluris reſpectu, fuit à Deo ipſo collocata in Firmamento: ut meliùs fieri non potuerit, nec talis ſitus vel ordo mutari poſſit, quin ſublunaris natura inde alterationem extraordinariam patiatur, ut patitur à ſitu Planetarum continuò variante ſuas alterationes quotidianas. Quis ergo non admirabitur tot fixarum omninò mirabilem atque perpetuam conſonantiam, horum ſublunarium regimini deſtinatã?

Addendum denique, quod ſi ſtellæ fixæ eſſent incolis refertæ, velut Terra noſtra, prout nonnulli cum Cardinali de Cuſa opinati ſunt, certum eſt, quod totum ſyſtema Solis incolas ipſos multò debiliùs & inſenſibiliùs afficeret, quàm nos afficimur à ſyſtemate vel ſatellitibus Jovis: quandoquidem, ut alibi probavimus, Sol ipſe ex regione fixarum eſt inviſibilis. Præcipuum ergo artificium Dei ſapientiſſimi in Creatione Mundi, conſiſtit in Luna & Sole circa Terram ordinatis, & ſyſtemate Solis, quod Saturni & Jovis ſyſtemata complectitur. Et Dodecatemoria primi Cœli, Planetarum domus in Zodiaco horum Syzygiæ & appulſus ad fixas (quorum omnium virtus in Tellurem maximè conſpicua eſt) teſtantur totum reliquum Mundum ipſius Telluris gratiâ, vel potiùs hominis in ea degentis, eſſe factum. Sicque Divina ſapientia luſit in Orbe Terrarum, in quo etiam naſci, vivere cum Filiis hominum, & pro his mori voluit. Ipſi ſit gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

FINIS LIBRI DECIMI TERTII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ASTROLOGIÆ GALLICÆ

LIBER DECIMUSQUARTUS.

De Prima Cauſa Phyſica.

PRÆFATIO.

HOc Libro primum ac ſupremum Aſtrologiæ Judiciariæ arcanum à nobis exponendum, & aperiendum eſt: Nempe diviſio primi mobilis in 12 partes, elementali naturâ inter ſe differentes, certoque ordine diſpoſitas. Quod etſi rationem, imò fidem ſupergredi videatur; quòd primum mobile de communi conſenſu dicatur eſſe corporum omnium phyſicorum ſimpliciſſimum, & maximè homogeneum: tamen habet in Natura fundamentum ab experientiâ rationali ſimiliter deſumptum: ut infra dicetur. Sed ad illius diviſionis cauſam inveſtigandam, non exiguâ, nec infælici fuit nobis opus ingenii contentione. Quod ſi cauſa à nobis aſſignata cuipiam Aſtrologo non arriſerit, det ipſe veriorem; quandoquidem experientiâ conſtat Aſtrologicâ, Cœlum ipſum in rei veritate diviſum eſſe in partes illas naturis elementalibus differentes.

SECTIO I.

De Prima Cauſa Phyſica & Dodecametoriis.

CAPUT I.

In cauſis efficientibus Phyſicis, datur aliqua omnium prima & univerſaliſsima; & ipſa eſt primum Cœlum.

QUoniam in Natura datur cauſarum agentium ſubordinatio, ergo vel in ordine cauſarum dabitur progreſſus in infinitum, qui ab omnibus Philoſophis rejicitur; vel dabitur cauſa quædam omnium prima; quod eſt propoſitum. Jam verò quod talis cauſa ſit primum Cœlum, ſic probatur. Illa efficiens cauſa omnium prima & univerſaliſſima dici debet in Natura, cui cæteræ omnes ſubordinantur, ipſa verò nulli: vel quam cæteræ omnes ad actionis ſpeciem determinant, ipſa verò nullam: Vel, quæ ad omnes naturales effectus concurrens, cum nulla ſibi ſuperiore cauſa Phyſica concurrit, ex cap. 10. Libri 7. Atqui tale eſt primum Cœlum, de cujus ſimpliciſſima & miranda natura dictum eſt Sect. 3. Lib. 3. cap. 3. Nam dum homo generat hominem, ſeminis elementa per ſe determinantur ad hominis generationem; & ipſa elementa, Solem, Lunam, cæteroſque Planetas determinant ad agendum circa eundem effectum: quippe ſinguli ſecundum proprias naturas in fœtum influunt, ut rationalis experientia probat. Sol, autem, Luna, & Planetæ reliqui, primum Cœlum ſimiliter determinant ad agendum circa Natum: Ita ut pars ea Cœli, ſub qua Sol verſatur initio generationis, quaſi Sol alius Solariter agat reſpectu ipſius fœtus, ſaltem donec in lucem prodeat: In ipſo autem nativitatis momento (quæ eſt ejus completa & abſoluta generatio) Sol iterum circa natum ſic determinat primum Cœlum, ut hujus pars, ſub qua Sol fuit momento nativitatis, inſtar alterius Solis, utcunque inviſibilis morabiliterque ſpiritualis, ſolariter agat vel influat reſpectu Nati, quamdiu vitam ducit imperio Cœli ſubditam: ut patet ex directionibus illius loci Solis, & tranſitibus Planetarum aliorum per ipſum locum, durante vitâ ipſius Nati. Nec ſolum determinatur primum Cœlum ad agendum circa natum penes naturam Solis, Lunæ, Jovis, &c: Sed etiam juxta naturam elementorum. Nám ſi in nati Horoſcopo ſit ea pars Cœli, quæ dicitur Aries: Natum efficiet temperamenti ignei aut bilioſi, ſi cancer, aquei; & ſic de cæteris, quæ fuſiùs ſuo loco explicabuntur.

Itaque primum Cœlum determinatur activè ad naturam Planetarum, Elementorum, atque parentum; quandoquidem cum homine generat hominem: cum elemento Aquæ humectat, & cum Sole calefacit, horumque ut ſic in agendo complet effectus. Idemque dicendum de Cœlo ipſo, & cæteris cauſis particularibus in ſuos effectus naturales incumbentibus. Quamobrem cùm nulli elemento, Ætheri, Cœli orbi, aut Planetæ, tam láta determinatio activa competat, atque primo Cœlo; ipſúmque nullum aliud corpus phyſicum activè determinet; patet primum Cœlum eſſe primam omnium cauſam phyſicam, & univerſaliſſimam, quæ aliarum omnium cauſarum virtutes continet eminenter. Quia verò ipſius primæ cauſæ poſitio atque probatio præcipui extat in Aſtrologia momenti, eandem ſic aliter probavimus. Quoniam enim ♈ & ♋. non idem efficiunt in Horoſcopo, ſed diverſa, quippe Aries temperamentum bilioſum & mores martiales, ♋ temperamentum phlegmaticum & mores Lunares: Ergo ſignis ipſis inerunt virtutes diverſæ; ergo vel formaliter, vel eminenter, vel tantùm determinativè; non formaliter, primum enim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Cœlum eſt homogeneum, quod eſſet heterogeneum: nec ſufficit ineſſe eminenter; quia cùm ♈ & ♋ ut partes Cœli ſint idem eſſentialiter inter ſe & cum toto; etiam eadem ipſis ineſſet vis eminentialis; cùm tamen vires eorum ſint diverſæ: Ergo hæ illis inerunt determinatione diverſa: Quoniam igitur Dodecatemoriis ♈ ♉ ♊ &c: inſunt virtutes elementorum, & Planetarum, ut experientia probat: ergo ad has virtutes ſive naturas ſigna illa determinata eſſe oportet. Neceſſe eſt igitur ſignis ipſis, ut ſunt partes primi Cœli, vel ipſi primo Cœlo, ineſſe vim eminentialem, naturas illas promiſcuè complicantem, & ad ipſarum ſingulas determinabilem; quod autem tale eſt, cauſa eſt phyſica omnium prima & univerſaliſſima; nulla enim eſt alia in naturâ, cui adeo univerſalis determinatio conveniat.

Objicies. Si primum Cœlum ſit cauſa prima Phyſica, pollens virtute ſibi propria, cur per hanc non alterat & immutat cuncta corpora ſibi inferiora, & ſubordinata?

Reſpondeo. Propriam Cœli virtutem non eſſe formaliter Elementalem, vel Planetariam; ſed aliam his ſupervenientem; nulli alteri virtuti contrariam, ſed omnibus amicam. Ideoque à primo Cœlo in ſua ſimplicitate ſpectato, nihil alterari, corrumpi, vel immutari, ſed potiùs cuncta foveri & conſervari, quæ in ejus abyſſo, ut piſces in Mari proprio elemento, foventur, nutriuntur & conſervantur, tantumque à cauſis aliis alterantur & corrumpuntur. Ac talem debuiſſe eſſe primam cauſam phyſicam, hoc eſt nulli contrariam, ſed omnibus amicam, & à cunctis determinabilem; ut ſuo Archetypo, quippe DEO perfectâ analogiâ congruat. At à primo Cœlo extra illam ſimplicitatem ſpectato; juxta ſuas determinationes, ut infra dicitur, omnia hæc inferiora gignuntur, & corrumpuntur, ut ſuo loco probabitur.

CAPUT II.

Primum Cœlum conſtat partibus diverſæ inter ſe Virtutis.

QUoniam Planetæ omnes proprio ſive ſecundo motu feruntur ſub eodem ſemper primi Cœli tractu, quem Zodiacum vocant; indeque Sublunaria diverſimodè afficiunt, pro ſuo ſitu diverſo ſub ipſo Zodiaco: hunc à Natura diviſum eſſe oportet in partes virium diverſarum, reſpectu globi Terreſtris; ex quo illæ deprehenduntur, & in quo ad actum reducuntur. Alioquin Planeta idem virtute activa, movens idem virtute activa per totum Zodiacum, diverſa efficeret in eodem virtute paſſiva, contra axioma nonum Element. Aſtrologiæ, vide Librum 19.

Sunt autem ipſæ vires genere duplices, quippe elementales & influentiales. Atque elementales naturis correſpondent elementorum, calidæ ſcilicet, frigidæ, humidæ, ſiccæ: Talia enim patiuntur Sublunaria, horumque intenſiones vel remiſſiones à Zodiaci locis & à Planetarum decurſu in Zodiaco: Influentiales verò correſpondent propriis Planetarum naturis; ſiquidem omnes influentiæ ad primariorum Mundi rectorum hoc eſt Planetarum naturas, genericè reducuntur; iis nequidem exceptis, quæ fixis ſtellis propriæ ſunt. Nec vires illæ in Zodiaco confunduntur, ſed ita diſtinguuntur, ut eandem Zodiaci partem, ſuam perpetuò naturam tum elementalem tum influentialem, ſervare probet experientia, fidelis rerum magiſtra. Eſt igitur hæc Zodiaci ſive Cœli diviſio nobis inquirenda: quod quidem aliter quàm fictitiis rationibus ideo videtur impoſſibile; tum quia Cœlum eſt corpus circulare, circulus autem ex ſe, neque principium, neque finem admittit; tum quia eſt ſimpliciſſimum maximéque homogeneum materiâ formâ atque virtute. Verùm quia ad quævis indaganda, nunquam Natura lumine mentibus prævio deſtituitur; ſi ducem illam ſecuti fuerimus, hujus hactenus occultæ veritatis adyta tandem ingrediemur. Sed notandum, quod cùm hîc agatur de diviſione corporis ſphærici ſimpliciſſimi, & maximè homogenei, ratio diviſionis non erit petenda ab illius corporis materia, forma, vel figura; ſed extra vel ſupra hæc; ut quid ſubtiliſſimum, ſpirituale, agens ex inſtituto Creatoris Mundi, qui eſt fons & prima ratio omnium principiorum.

CAPUT III.

De Cœli primaria & actuali à Natura diviſione.

EST igitur imprimis ſapienter intendendum, quid Natura dividendum ſuppeditet: Tum præterea, num aliquas ipſa diviſiones primarias inſtituat; cùm nihil fruſtra faciat, ſed primas rerum vias primaque principia, hominum ob oculos ponat; ex quibus ut notioribus, ad minùs nota diſcurſus deinde progreditur. Exhibet autem primum Cœlum, quod ipſa primò bifariam dividit per Æquatorem, primarium circulum motus ipſius Cœli. Hic verò circulus rurſus à Natura in duas partes æquales primò dividitur per Eclipticam, proprium circulum motus ſecundi Cœli, vel ſphæræ fixarum; unde vocatur Ecliptica ipſa circulus ſecundi motus, aſtris omnibus communis, ut Æquator circulus primi motus, primo duntaxat Cœlo proprius eſt, ac ipſius Eclipticæ una medietas vergit ad Boream; reliqua ad Auſtrum: puncta verò diviſionum vocantur æquinoctialia; ſuntque totius Cœli efficaciſſima; quòd in utroque circulo ſita, polleant utriuſque circuli viribus, eorumque vis experientiâ patet.

Cæterùm nondum ſuffeciſſet hæc Eclipticæ diviſio, niſi eadem Natura alteram indicaſſet, ſtatuta per Æquatoris & Eclipticæ polos, alterius circuli viâ definitâ; quem Colurum ſolſtitiorum appellant; quo primi & ſecundi circuli fit quædam unio. Ac utraque Eclipticæ medietas denuò ſecatur bifariam in duobus aliis punctis ſolſtitialibus dictis; ut ſic tota in 4 partes æquales à Natura actu ſecta videatur, quòd circuli ipſi eorumque poli ſint reales, & non fictitii; ideoque diviſio hæc à nobis dicitur realis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Cùm ergo hæc ſit Zodiaci ſive Cœli primaria & abſoluta diviſio, quam à Natura fruſtra factam fuiſſe, ſtultum foret arbitrari. Ergo neceſſe eſt, factam fuiſſe propter Cœli & Aſtrorum actionem in hæc inferiora. Agunt autem corpora Cœleſtia qualitatibus elementalibus & influentiis; ambas enim tranſmittunt, atque primum Cœlum cunctas eminenter continet ex cap. 1. Cùm igitur qualitates elementales, calor, frigus, ſiccitas, & humiditas, ſint totius Naturæ primariæ magiſque univerſales; quippè quarum unumquodque corpus ſublunare eſt ſuſceptibile, non autem influentiarum: Natura indigitare videtur quatuor puncta ſupradictæ diviſionis Eclipticæ, deſtinata eſſe ad quatuor fontes caloris, frigoris, humiditatis, & ſiccitatis in Cœlo.

Caput IV.

De Cœli ſecundaria & virtuali à Natura diviſione.

IDeo diviſio hæc vocatur ſecundaria & virtualis, quod non videatur actualiter à Natura fieri; ſed duntaxat à primariæ diviſionis virtute proficiſci, dum hæc in Eclipticæ circulum effluit, ſeſeque multiplicat. Nam quatuor ſupradictorum punctorum vel fontium quodlibet, deprehenditur habere duo alia ejuſdem ſecum Naturæ; illa ſcilicet quibus cum efficit Triangulum æquilaterum in Ecliptica; ut proinde tota Ecliptica ſic dividatur in duodecim partes; quarum tria quævis in trino aſpectu poſitæ, ſint inter ſe ejuſdem Naturæ Elementalis, calidæ nimirum, frigidæ, humidæ, aut ſiccæ. Quod etſi experientia confirmet, ratio tamen vix attingere poteſt, ob rei ſubtilitatem, principiis omnibus communem.

A veteribus Aſtrologis duæ afferuntur rationes, quarum prima hæc eſt: quod nempe Sol in annua periodo totum percurrat Zodiacum: interim verò Luna Soli duodecies congrediatur, duodecim ipſius Lunæ circulationibus, quarum quælibet menſis appellatur. Ut ergo annus 12 menſibus, & Solis motus annuus ſub Zodiaco, 12 cum Luna Synodis diſtinguitur: ita Zodiacum ſeu viam Solis in 12 partes diſtinguendam à Natura, rectè doceri, cenſuerunt. Sed hæc diviſio non eſt æqualis & exacta: annua enim periodus non exactè in 12 Lunæ cum Sole congreſſus diſtribuitur.

Secunda eſt, quod ſint in anno 4 primariæ partes inter ſe qualitatibus contrariæ, ſcilicet Ver, Æſtas, Autumnus & Hyems; quibus reſpondent 4 quadrantes Zodiaci: Illarum verò quamlibet manifeſtas iterum admittere temporis diverſitates, quippè in ſuo principio, medio atque fine. Quadrantis enim cujuſque extrema, ſibi utrimque vicinorum qualitatibus participat; medium verò exactam quadrantis temperaturam ſervat. Unde etſi Ver ſit calidum & humidum, ejus tamen principium ob Hyemem præteritam, eſt magis humidum qnàm calidum; finis verò ob Æſtatem immediatè ſequentem, magis calidus quàm humidus: Et ita de cæteris quadrantibus: Ut proinde in toto ſint anno duodecim temporum differentiæ. Cùm ergo & annus & ejus partium differentiæ ſint à diverſis partibus Zodiaci, quem Sol percurrit; Zodiacum ipſum in duodecim partes naturaliter diſtribui, non abs re opinati ſunt. Atque hæc ratio mihi videtur ſuperiore accuratior, ſaltem in Zonis temperatis; at in torrida, præſertim ſub Æquatore ubi Æſtas, Hyems, cæteræque anni partes duplicantur, illa non ſatisfacit, etiam pro diviſione duodenaria: Neutra autem attingit rationem, cur Eclipticæ partes in trino aſpectu poſitæ, eandem naturam inter ſe ſortiantur.

Itaque nobis conandum eſt mentis aciem paulò altiùs evehere, circa hujus diviſionis cauſas atque principia tenuiſſima & ſimpliciſſima, qualis eſt Natura principiorum: Prima enim principia ſunt ſupra rationem; nec eorum eſt ulla ratio præter ſolum Deum, omnis principii ſupremum principium, & ſimpliciſſima veritas, ſcientiarum omnium veritates in ſe complicans. Proindeque nobis hîc ſufficiet rerum naturis atque experientiis, ſive phænomenis conſentanea exponere, ex quibus nec in diſcurſu, nec in Natura abſurditates introducantur, nec in ipſa præſertim Aſtrologiæ ſcientia. Quod ſi protervus aliquis conceptus noſtros reſpuerit, proferat veriſimiliores, & experientiis de partibus Cœli conformiores. Hic enim tantùm quæruntur rationes eorum quæ in Cœlo deprehenduntur; ſcilicet quod Cœli pars una ſit naturæ igneæ & domus Martis: Altera naturæ aqueæ, & domus Lunæ, &c: nec arbitror cuiquam fœliciùs id quàm mihi ſucceſſurum; qui ne quidem meo ingenio hæc tribuo; ſed ad Patrem Luminum referenda cenſeo.

Quod igitur punctum quodlibet ſumptum in Ecliptica, etiam citra Planetæ conſiderationem, alia undecim in eodem circulo determinet, atque in his duodecim quatuor triplicitatis ejuſdem naturæ dentur, ſic poteſt concipi. Quoniam enim maximi in ſphæra circuli punctum quodvis habet ſuum eſſe à polo, unde Circulus ipſe deſcriptus eſt, ſicut & totus ipſe Circulus; & ideo cum polo ipſo habet ſuperius punctum connexionem eſſentialem, ducatur à puncto ipſo ad polum connexionis circulus; fientque duo Circuli ſe ſecantes bifariam: quorum poli, quia rurſus à ſe mutuò tanquam polis dependent in eſſe, quatenus circulorum puncta; ſi rurſus per alterum circulum à primo puncto ſumpto ut polo deſcriptum, connectantur; jam erunt 3 circuli ſeſe partientes; nec à primo puncto ſuperius ſumpto, ultra ternam hanc polorum connexionem mutuam progredi licet. Et quia ex ſupradictis, ſuum eſſe circulus habet à polo, unde deſcribitur; ergo inerit eminenter ipſi polo, circuli eſſe atque virtus. Ac proinde cùm ex tribus circulis ſuperius viciſſim quatripartitis quodlibet 4 punctorum ſectionalium uniuſcujuſque circuli, ſit polus, & quatenus punctum ipſius circuli, ſuum habeat eſſe à duobus aliis polis, idque viciſſim; ideoque ipſius circuli puncto cuilibet ſectionali, inſit triplex numero poli virtus, quæ tamen ſpecie atque natura una eſt, quòd in polis & circulis ipſis nulla inſit naturæ diverſitas: Si uniuſcujuſque talis puncti tanquam poli, virtus triplex in circulum cujus eſt polus, effundi concipiatur; con-

ſur-

ſurgent in ipſo circulo quater tres virtutes ejuſdem naturæ ternatim ſumptæ, proindeque duodecim in toto ipſo circulo. Atque idcirco quoniam quatuor ipſorum punctorum Sectionalium quodlibet ut ſic, eſt æquale alteri, virtute & prærogativâ; nulla dabitur ratio, quo minus à ſingulis debeat æqualis eſſe illius triplicis virtutis effuſio in totum circulum: quamobrem à quarto ipſorum punctorum triplici virtute, totus circulus in duodecim partes æquales dividetur. Et quia punctorum quodlibet ſuam triplicem virtutem expandit in totum circulum, idque inter ſe æqualiter: idcirco circuli partes in trino aſpectu poſitæ, erunt ejuſdem inter ſe naturæ: alioquin inæqualiter fieret in totum circulum, triplicis illius virtutis effuſio, ab ipſis quatuor punctis Sectionalibus; contra hypotheſin.

Porrò hic ſimiliter exponitur utraque diviſio Cœli, nimirum primaria ſive actualis, & ſecundaria virtualis. Illa enim fit per duos circulos ſuppoſitum circulum dividentes in quatuor puncta, quadrante diſtantia: Hæc verò per effuſionem virtutis cujuſque quatuor ipſorum punctorum in alia, trino aſpectu ab effundente remota: Unde ex his oritur naturarum ſive proprietatum identitas in circulo, & ex illis contrarietas.

Cæterùm ne quempiam mentis altæ incapaciorem turpet ſuperius ratiocinium ſpeculativum; videat quotcunque numeralis ſcientiæ ſpeculativæ magiſtros, qui unitatem numerorum omnium, virtutes ac proprietates eminenter complecti, cum Pythagora & Platone aſſeverant: Videat Proclum in Euclidem, de dignitate puncti; ſed præſertim legat Keplerum Libro primo Aſtronomiæ Copernicanæ pagina 48 & 49 de dignitate centri, dum ait: *Centrum eſſe originem ſphærici, quo ſublato, non datur ſphæra neque circulus: quodque centrum ſe ipſo ſit indiviſibile & imperveſtigabile: Superficies autem ſphærica ſit character & imago centri, & quaſi fulgor ab eo, & via ad id: Et qui ſuperficiem videt, is eo ipſo videt & centrum non aliter*: & alia ibidem expoſita, ut oſtendat ineſſe in ſphærico adorandæ TRINITATIS imaginem mirabiliter expreſſam; quod patet ex his quæ ſupra diximus.

Æterna ſiquidem TRINITAS eſt ab Amore infinito, atque fons & ſubſtantia Amoris infiniti: In quo Amans qui primus eſt; Amatus qui ſecundus, & ex utroque procedens Amor, qui tertius, ſunt unum numero in Natura; ac propterea ſimpliciſſimum & in Amore perfectiſſimum: cujus infinita perfectio cùm ſe effundat in omnia, perfectiùs tamen in ſibi magis analoga effunditur; qualia ſunt quæ Trini unione conſtant; unde dicitur, *omne Trinum perfectum*; prima, ſcilicet, & univerſaliſſima primi Trini perfectione illa, quæ in Amore conſiſtit, quamque Trina omnia penes Naturæ ſuæ capacitatem diverſimodè participant. Atque hæc eſt prima eſſentialis & abſcondita cauſa, cur cùm Zodiacus vel Ecliptica à creato quaternario primarum qualitatum, in divinum Amoris Ternarium ducto, perfectè abſoluteque dividatur in duodecim partes, quarum aliæ ſunt oppoſitæ, aliæ quadratæ, aliæ in trino aſpectu, &c: Sapientiores veterum Aſtrologorum experientiis edocti, deprehenderunt in duodenariis ipſius Eclipticæ partibus Trinò ſe aſpicientibus, generalem Naturæ identitatem: In iiſque primi Trini perfectionem, quippe Amorem adeò manifeſtè vigere; ut in genere aſpectuum efficacium in circulo deprehenſorum aſſeruerint, Trinum eſſe aſpectum identitatis Naturæ, amicitiæ perfectæ, & inter cæteros boni & fœlicitatis naturalis in Sublunaria maximè diffuſivum; ut paſſim quotidiana experientia probat in figuris natalitiis.

Atque hæc dicta ſufficiant de cauſa diviſionis ſecundariæ Cœli in partes, nec plures nec pauciores quàm duodecim; quæ idcircò Dodecatemoria vocantur, vulgò autem ſigna Zodiaci & domicilia Planetarum, ſub quibus Planetæ ſinguli ſuas abſolvunt revolutiones. Eorum autem nomina & ordo inceptus ab interſectione Eclipticæ & Æquatoris, verſus Mundi borealem partem, ſunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, & Piſces; quorum etiam characteres, hîc eodem apponuntur ordine; ♈, ♉, ♊, ♋, ♌ ♍, ♎, ♏, ♐ ♑ ♒, ♓. Sed nota; quod hæc nomina fabuloſè impoſita ab Ethnicis, non exprimunt veras naturas Dodecatemoriorum; quæ per naturas Planetarum exprimi debent, ut ſequenti Libro dicetur, capite ſecundo.

CAPUT V.

Propriæ ſignorum ſingulorum Naturæ Elementales inquiruntur, atque probantur.

SUperioribus ſtatutis ut patuit, amplius determinandum eſt, à quonam ex illis quatuor punctis cardinalibus calor, à quo humiditas, & à quo frigus aut ſiccitas in hæc inferiora deriventur. Sed hoc opus, hic labor eſt, Naturæ tamen lumine ſuperandus.

Cùm ergò Sectio Eclipticæ ab Æquatore ſit omnium prima & evidentiſſima; imò etiam cauſa alterius quæ fit per polos utriuſque circuli: Erunt æquinoctialia puncta inter cætera, non tantùm Eclipticæ, ſed totius quoque Cœli primaria & potentiſſima: quippe quia ſimul exiſtunt in Ecliptica & Æquatore, circulis Cœleſtibus virtute omninò primariis, hic movendo, ille influendo. Cumque ſint etiam in Mundo media, ſolſtitialia verò vergant ad Mundi extrema ſive polos; jure ſapienterque aſſignari debuere æquinoctialibus punctis, qualitates inter cæteras dignitate primariæ & natura mediæ, proindeque toti Naturæ quæ medio lætatur amiciſſimæ: Tales autem ſunt calor & humiditas, à quibus eſt rebus Sublunaribus generatio atque vita, ipſique Zodiaco nomen; ut corruptio & interitus à frigore & ſiccitate; quas tanquam viventibus exitiales, verſus Mundi extrema hinc inde relegare: ideo ſummæ quoque videtur fuiſſe ſapientiæ, quòd diſperſa virtus ſit unitâ debilior. Si enim in Mundi medio frigoris & ſicci-

tatis fontes extitiſſent, haud dubiè cauſæ corruptrices prævaluiſſent generatricibus, præſertim quòd ambo puncta æquinoctialia ſibi mutuò antiſcia ſint, quod facit ad utriuſque robur: Indeque non tantùm rariores generationes extitiſſent; ſed generatis etiam congrua duratio denegata fuiſſet, ob robur virtutum corruptivarum. Ut enim humiditas præeſt ortui rerum, præſertim verò animalium, & calor vigori; ita ſiccitas præeſt declinationi, & frigus interitui. At contrarium Deus intenderat Creationis initio; quippe generationes frequentes, & generatorum durationem congruam, ut multiplicari poſſent individua ſpecierum, juxta verbum illud Divinum: *Creſcite & multiplicamini, & replete Terram.* Sapientiſſimè igitur horum cauſas Deus ipſe diſpoſuit, nempe generatrices primarias in Mundi medio, & corruptrices primarias verſus ejus extrema collocando. Inerunt ergo caloris & humiditatis fontes æquinoctialibus punctis: Unde ſub Æquatore calor & humiditas maximè vigent, & maxime calet maximeque pluit. Frigoris verò ſiccitatiſque ſolſtitialibus; unde verſus Mundi extrema frigoris & ſiccitatis intenſio major.

Tandem cui æquinoctiali puncto calor inſit, & cui ſolſtitiali frigus (qui inquiſitionis noſtræ ſcopus eſſe videtur) eâdem Naturâ duce ſic inveniemus.

Certum igitur eſt quod punctorum æquinoctialium illud, cui calor Terræ reſpectu conveniet, hoc habebit à ſe, vel ab alio; neutrum autem illorum poteſt à ſe hoc habere. Quia cum primum Cœlum ſit maximè homogeneum, ut jam oſtenſum eſt, in eo tantùm differunt ipſa puncta, quod unum non ſit alterum; ſed unum ſit in una Cœli parte, alterum in oppoſita: quarè cùm in his omnia paria ſint, uni potiùs quàm alteri calor inde non competet; ſed etſi utrumque ad calorem, vel humiditatem ex ſupradictis propendeat; erit tamen utrumque ad utramvis qualitatum ipſarum ex ſe indifferens. At neque punctorum alterum id habebit à toto Cœlo; quòd Cœlum eodem modo ſe habeat ad utrumque: Nec tandem ab aliqua ipſius Cœli parte, ob Cœli homogeneitatem, cujus ratione non uni potiùs quàm alteri parti, calorem illi puncto conferre convenit. Ergo id per quod punctorum alteri calor competit, erit ipſi puncto totique Cœlo extrinſecum.

Ac proinde cùm qualitates illæ Cœli partibus aſſignentur, non in ſe ſpectatis, vel intrinſecè, ob Cœli homogeneitatem, ſed Terræ reſpectu: videndum an à Terreſtri globo punctorum æquinoctialium alterum ad calorem vel humiditatem, ſeu naturam igneam, vel aëream, ipſius reſpectu determinari queat. Itaque vel determinabitur à toto Telluris globo, vel ab hujus parte ipſi puncto obverſæ initio Mundi, potiùs quàm oppoſita vel altera; obverſæ enim perfectior eſt applicatio, proindeque efficacior. Non à toto Globo, quia cùm is ſit in centro primi Cœli, ſeſe ad hujus puncta quælibet, ille habebit æqualiter: Quamobrem neutrum ad calorem potiùs, quàm ad aliam determinabit qualitatem. Sed neque etiam à parte obversâ; quia æquinoctiale punctum utrumque, habuit initio Mundi partem ejuſdem globi ſibi obverſam: ideoque cùm puncta ipſa & Globi partes illis obverſæ, in hoc omninò pares extiterunt initio Mundi, nulla eſt ratio cur punctorum alterum ad calorem, potiùs quàm humiditatem fuerit à parte obverſa determinatum. Quod ex eo confirmatur, quia primo die creationis globus Terreſtris undique fuit homogeneus in ſua ſuperficie; Aquâ Terram totam nondum rerum ſeminibus & Divina benedictione fœcundam, ſphæricè ambiente, ut ex primo cap. Geneſeos licet colligere. Non ergo punctorum alterum fuit initio Mundi à Terreſtri Globo ad calorem, vel humiditatem, ſeu naturam igneam vel aëream determinatum. Quinimò ad frigus & ſiccitatem, ſeu aqueam, terreamve naturam fuiſſet ab ipſius Globi natura potiùs determinatum: Eademque ratione probabitur non fuiſſe ab elementis, aëre vel igne determinatum.

Conſtat autem apud omnes Aſtronomiæ ante nos ultimò reſtitutæ Magiſtros, non tantùm Solis apogæum initio Mundi in Arietis principio collocatum fuiſſe; ſed ex cap. 12. Exodi, ipſum etiam corpus Solis fontem ſubſtantialem caloris Cœleſtis; quòd menſis Niſan, ſive Martius, ſit verè primus menſis anni, ut Lib. 2. cap. 4. à nobis oſtenſum eſt: Ut proinde Sol inter Arietis principium & Telluris globum medius extiterit: Telluſque ex omnibus Cœli partibus, à ſolo Arietis principio primùm Cœleſti calore ſenſibiliter calefacta fuerit. Per hæc autem principium Arietis ſupra Libræ principium maximè nobilitari; & inter utrumque differentiam maximam reſpectu Terræ conſtitui, nullus ſanæ mentis inficiabitur. Igitur principium Arietis erit ipſi Telluri, quamdiu hæc alterationi ſubjicietur, fons atque cauſa caloris Planetarii, ſive Cœleſtis; non formaliter & per ſe, ſed duntaxat extrinſecè & determinativè. Non ſecus ac in figura natalitia punctum Cœli, ſub quo Sol nati reſpectu verſatur, & ipſi nato per determinationem à Sole, fons atque cauſa vis Solaris, tum elementalis, tum influentialis, quamdiu ipſe vivit natus: vel Cœli punctum Horoſcopans, eſt eidem nato fons atque cauſa vitæ, de communi Aſtrologorum conſenſu, qui ex illo puncto judicant de duratione & qualitate vitæ: res certè omninò mirabilis, fusè Lib. 21. exponenda. Conſequenter ergo ex antea dictis, erit principium Libræ ſimilis fons humiditatis.

Porrò cùm caloris fons in Natura ſit calor ſummus, & de humiditate ſimiliter; ſummo autem calori mediocris ſiccitas, & ſummæ humiditati mediocris caliditas, ex elementali Naturâ, quæ Planetis & ſignis ineſt, conveniant: aderit principio Arietis intenſus calor, & remiſſa ſiccitas; proindeque ignea natura, qualis ineſt etiam ipſi Soli determinati: Puncto autem oppoſito, intenſa humiditas, & calor remiſſus, ideoque natura aërea.

Verùm minimè ſufficiebat Solem initio Mundi ſub aliquo prædictorum punctorum conſtitui, illud determinandi gratiâ; cùm Sol punctum ipſum primo illo poſitu non determinet, niſi ut punctum, & principium; cui propterea virtutis

dun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

duntaxat principium, & non ipſa virtus convenit: Sed ex Cœli duodecim partibus antea dictis, quæ ſigna vocantur, aliquam determinari conveniebat; quandoquidem virtute differre debebant, erantque ſingulæ virtute determinabiles, quatenus partes primæ cauſæ, cui à cæteris omnibus activè duntaxat determinari competit, ut dictum eſt ſuperiùs. Sol autem initio Mundi ſub dicto Æquinoctiali puncto conſtitutus, medius erat inter duo ſigna, unum Boreale & aliud Auſtrinum. Ad quæ cùm per ſe æqualiter ſe haberet corpore & apogæo, neutrum per ſe ad calorem determinare poterat; quamobrem adhuc aliquo alio opus erat, quo tandem Sol alterum ſignorum determinaret. Hoc autem fuit motus ipſi Soli datus à Deo, quo cùm æquè potuiſſet tendere ad partem auſtralem, per ſignum quod dicitur Piſces, atque in borealem per Arietem; æque etiam potuiſſet utrumque ad calorem determinare: At, quia ſola Dei voluntate ad borealem deflexit, eique ſublata eſt motûs indifferentia, idcircò ſignum quod primò peragrare cœpit, quodque Aries appellatur, fontem caloris effecit, ſeu natura igneum: quare & ei oppoſitum Libra fuit aëreum.

His verò ſic ſe habentibus, ſignum incipiens à ſolſtitiali puncto boreo, juxta Solis inceſſum, quod Cancer appellatur, erit fons ſummæ frigiditatis, cum humiditate remiſsâ, ſeu aqueus: Ei verò in auſtrali parte oppoſitus Capricornus, fons ſummæ ſiccitatis cum remiſſa frigiditate, proindeque terreus: Sicque Aries, Cancer, Libra & Capricornus, erunt fontes primarii & Cœleſtes ortus, vigoris, declinationis, & interitus rerum generabilium & corruptibilium. Ratio autem hæc eſt, quia cùm utraque Zodiaci medietas, borealis & auſtrina, in duos fontes dividatur, eas oportet qualitates omnes generationi neceſſarias viciſſim continere; ne prima in Natura diviſio imperfectionis, vel erroris arguatur. Eſt autem medietatis borealis fons primarius Aries, calidus & ſiccus; ergo erit alter; quippe Cancer frigidus & humidus: & ſimiliter medietatis auſtrinæ fons primarius Libra, eſt humidus & calidus: Ergo reliquus, nempe Caper, erit frigidus ſiccus. Ita enim in utriuſque medietatis fontibus calor, frigus, humiditas & ſiccitas reperientur; quoàd generationes & corruptiones in utraque Mundi parte maximè decet. Et quia primæ qualitates primariò dividuntur in activas & paſſivas; idcirco Sol omnium corporum Cœleſtium maximè activus, ſuo primo poſitu & motu in parte Mundi boreali, hanc determinavit ad qualitates activas, ut Arietem ad calorem, quia ille calidus.

Denique verò ex ſuperius expoſitâ virtute Trini, toti Mundo, ſed Cœleſti præſertim, divinitùs impreſſa, quatuor conſurgunt ſignorum Triplicitates ejuſdem naturæ elementalis, quippe ignea ab Ariete, Aërea à Libra, Aquea à Cancro, & Terrea à Capricorno; non fictæ, ut plerique arbitrantur, ſed ex prædictis verum fundamentum in Natura ſortitæ, quod hactenus latuerat; utcumque experientia frequentiſſima innotuerit, quod Planetæ in trino Arietis poſitæ, agant elementaliter, ut in ipſo Ariete, etſi non influentialiter; ut fuſiùs ſuo loco exponetur: & ita de cæteris cardinalibus ſignis.

Verumtamen notandum eſt, quod poſita Ecliptica, ſeu Solis & Planetarum viâ, ut jam cernitur; poterant naturæ ſignorum Zodiaci quatrupliciter variari initio Mundi. Primum Sole poſito in Arietis principio, & ejus motu ad Boream contra primi Cœli motum, ut factum eſt. Secundò eodem Sole relicto in ipſo puncto, quòd dicitur Arietis principium, ſed ejus motu ad Auſtrum inclinato, juxta primum motum. Tertiò, Sole conſtituto in Libræ principio, ejuſque proprio motu ad Auſtrum, contra motum primi Cœli. Quartò, eodem ibidem poſito, cum proprio motu ad Boream, juxta primum motum. Jam verò modus ſecundus & quartus erant contra decretum Divinæ Mentis, de primi & ſecundi motûs oppoſitione; quorum hic non modo cauſa eſt, ut Planetæ diutiùs morentur ſuper Horizontem, ſicque efficaciùs operentur in Sublunaria: Sed inſuper exprimit motum appetitus ſenſitivi, quod in Cabala domorum ſive ſpatiorum fuſiùs à nobis exponitur. Ex primo autem & tertio Deus primum voluit, Partem Mundi borealem nobilitandi gratiâ, ut infra patebit evidentiùs.

Ex his igitur conſtat ſignorum vires elementales, Cœlo non ineſſe formaliter, ſed duplici alia ratione, nimirùm eminenter quatenus ſigna ipſa ſunt partes primæ cauſæ phyſicæ; tum determinatitiè à ſitu Solis initio Mundi, tali qualis Deo placuit. Et quia prima illa Cœli determinatio fuit generalis reſpectu Terræ vel regionis elementalis in ſuo exortu; ideo illi ſubjacent omnia ex elementis ſubinde genita: Ac præſertim homo, cui tamen alia propria & particularis vis ineſt etiam in ſuo ortu determinandi primam cauſam phyſicam; quâ Cœlum ipſum per ſuum ſitum reſpectu ipſius hominis naſcentis, ac per Planetas determinatur ad ea quæ ipſius hominis propria ſunt, ut ſuo loco oſtenditur, & experientiis confirmatur. Proindeque falſa eſt opinio Kepleri dum cap. 6. Libri de Trigono igneo aſſerit, denominationem Trigonorum vel ſignorum Zodiaci ab elementis, quod nempe alter dicatur igneus, aqueus, &c: non eſſe ex rerum natura, ſed ex arbitrio hominum; quod nec probat, nec probare poteſt. Sique de ſupradicta diviſione Cœli experientiis approbata, quiſpiam meliores excogitare queat rationes; hîc procul dubiò Bravium merebitur: Sed non video dari poſſe meliores, ſibi conſtantes, & diviſioni domorum & aſpectuum congruentiores his, quibus adhærendum eſſe non dubito.

Caput VI.

Dodecatemoria ſive ſigna Zodiaci, non in alio Cœlo ſtabiliri poſſe, quam in primo; quidque ſit Dodecatemorion.

Coelum aliud quàm ſupremum in Dodecatemoria, ſive domicilia Planetarum dividi

non poſſe, probatur hinc evidenter: quia quodvis ſignum ſive Planetæ domus (de quibus infra) talis conſtituitur per conſtantem & immutabilem ſitum ipſius ſigni reſpectu interſectionis Eclipticæ & Æquatoris, quæ in primo tantum Cœlo concipitur eſſe ab Aſtronomis. At nullius Cœli præter quàm ſupremi pars aliqua, poteſt ſitum illum invariabilem retinere. Nam ſphæra fixarum movetur ſub primo Cœlo in conſequentia ſignorum, hoc eſt à principio Arietis ad ♉ ♊, &c. Sique inter ſphæram fixarum & primum Cœlum dentur alii Cœli pro Trepidationis motu, ut perperam opinantur plerique Aſtronomi, horum etiam trepidatio tollet ſuperiorem ſitus conſtantiam. Ergo in primo tantùm Cœlo ſigna ipſa conſtitui queunt. Ad hæc ſignum unumquodque, hæc duo habet; nempe quod ſemper exiſtat ſuo ſitu idem ſignum; tum quod ſit circa Terram mobile motu diurno, in Telluris quiete à Nobis oſtenſa. Sed hæc habere nequit à ſphæris primâ inferioribus, ut jam dictum eſt: nec etiam ab ipſo totius Mundi ſpatio: Tum quia ejus pars nulla eſt circa Terram mobilis: Tum quia æquinoctia nulli Terræ loco ſub eodem ſpatii mundani puncto ſemper contingunt; proindeque in nullo ipſius ſpatii fixa ſunt: At fixa eſſe debent pro fixo ſignorum ſitu: Ergo neceſſe eſt ſignum illa duo habere ab alio, quod non poteſt non eſſe ipſum primum Cœlum mobile motu diurno, & in quo fixa ſunt æquinoctialia puncta. Ergo primum Cœlum, eſt illud quod Planetis ſeptem in domos vel ſigna duodecim diſtribuitur.

Fit autem illa diviſio per polos Eclipticæ, & non Æquatoris; quia cùm Cœlum ipſum propter Planetas dividatur, ut conſtat infra, fuit illis dividendum non ſecundum ipſius Cœli vel Æquatoris motum, ſed penes proprium inceſſum obliquum Planetarum, qui fit ſuper Eclipticæ polos. Sic enim Planeta quilibet ac Sol præſertim, convenientiſſimè defertur per ſui ſigni medium, in quo ipſius ſigni virtus viget intenſiùs, & à quo nimiùm perpetuò divagaſſet, ſi diviſione facta circulis per polos Æquatoris incedentibus, cujuſque ſigni medium ſub Æquatore conſtitiſſet.

Quamobrem Dodecatemorion eſt *pars duodecima primi Cœli, diviſi à fixo æquinoctio, circulis ductis per Eclipticæ polos, propria ſibi per determinationem virtute prædita.* Quatenus dicitur pars duodecima primi Mobilis, abſtrahit à ſphæris inferioribus & mundano ſpatio. Quatenus dicitur diviſi à fixo æquinoctio, notatur ſigni cujuſque ſitus, hujuſque invariabilitas reſpectu æquinoctii: quatenus dicitur circulis ductis per Eclipticæ polos, inſinuatur Eclipticam eſſe medium cujuſque ſigni, & breviſſimam rationem ſitus ipſius ſigni ad æquinoctiale punctum: Ideoque maximè in ipſa Ecliptica vigere debere virtutem cujuſque ſigni ratione ſitus ipſius, minùs verò extra illam, quod experientiæ quadrat. Tum præterea inſinuatur diviſionem primi Cœli in Dodecatemoria, non ipſi Cœlo convenire per ſe, ſed duntaxat per determinationem. Denique quatenus dicitur propria ſibi virtute prædita; indicatur ſignum quodlibet, à quovis alio & toto etiam Cœlo, peculiari virtute differre, determinationis ratione.

Cæterùm contra ſuperiorem primi Cœli diviſionem partiumque determinationem à Sole, ſic quiſpiam arguet. Si Sol, quia calidus, determinavit ſua præſentia atque motu Arietem ad calorem, ergo etiam determinavit illum ad ſuam naturam influentialem: ſed hæc ambo ſunt falſa, ſiquidem Aries determinatus eſt ad naturam elementalem Martis quæ ignea eſt, ut ipſe Aries; tum influentialem ipſius Martis, cujus Aries dicitur eſſe domus ab Aſtrologis: Non ergo determinavit Arietem ad calorem.

Sed reſpondetur: Certum eſſe ex antea dictis, calorem, frigus, humiditatem & ſiccitatem eſſe primas qualitates in Mundo corruptibili, qui regionem elementarem, & Æthercam ſive Planetariam comprehendit: Ideoque Cœli diviſionem in has primas totique naturæ corruptibili communes qualitates, quavis alia priorem eſſe debuiſſe. Sol autem ſuo poſitu in Arietis principio, hanc primam diviſionem & determinationem primariò effecit; nimirum determinans Arietem ad ſuam naturam elementalem, quæ etiam ignea eſt ut Martis natura: reliqua autem ſigna ut dictum eſt ſuperiùs. At ſecundariò illum quoque determinavit ad ſuam naturam influentialem, quæ duplici potiſſimùm cujuſque Planetæ eſſentiali in Cœlo dignitate innoteſcit, quippe dominio & exaltatione: Atque hæ cum ſint pro Sole in diverſis & ſeparatis Dodecatemoriis, in quibus ille ſimul poni non potuerit naturaliter, ſat eſt quod Arietem ad ſuam naturam elementalem ſcilicet igneam, tum influentialem exaltationis, reſpectu Terræ determinaverit: Eſt enim Aries exaltatio Solis, ut loquuntur Aſtrologi, quod ejus virtus influentialis præſertim in Ariete, plurimùm exaltetur, ut fuſiùs de his ſuo loco.

Ad hæc cum in Aſtrologiæ praxi nihil ſit evidentius, quàm ſingulos Planetas in particularibus hominum genituris, determinare ad ſuam naturam influentialem, ea Cœli loca ſub quibus verſantur reſpectu natorum ſingulorum: Agere autem cum ipſis Cœli locis vel ſignis, juxta cujuſque naturam ei ab origine Mundi invariabiliter inhærentem: quippe ex Venere in Ariete prodit influxus vel actio mixta ex natura Veneris & natura Arietis: & ex eadem Venere in Geminis, altera actio mixta ex natura Geminorum; ſitque certum, quod primum Cœlum ſit homogeneum ex ſe, tantumque ad diverſa determinabile à cauſis ſibi inferioribus, quales ſunt Planetæ, id ſingulis momentis diverſimodè præſtantes reſpectu inferiorum naſcentium, ut dictum eſt ſupra: Nec illa determinatio pluribus ſimul Planetis convenire queat; ob futuram inde confuſionem maximam: Ad quem amabô Planetam inter cæteros, jure merito competet illa prima, etiamque toti Terræ ab ejus ortu univerſalis & perpetua determinato, niſi ad Solem? qui non modò eſt naturæ igneæ;

& ca-

& caloris elementalis copiâ non minùs quàm lumine & corporis mole, omnes longè ſuperat, ita ut etiam urat; ſed inſuper inter eos principatum obtinet, velut eorum Choragus & moderator, imò quinque ex ipſis ♄ ♃ ♂ ♀ & ☿ ſint ipſius ſatellites, Luna verò quaſi conjux, quòd nempe Sol & Luna ſuas circa Terram orbitas habeant ordinatas, illi verò circa Solem ipſum? Res autem ipſa omninò confirmatur per apogæum & corpus Solis initio Mundi conſtituta in principio Arietis, quod de nullo alio Planeta Scripturæ ſacræ vel Tabulæ probant.

Acrius autem prima fronte urgere videbitur, qui dixerit ex primo capite Geneſeos, Solem tantùm die quarto creatum fuiſſe: Terram autem etiam die tertio herbam virentem & cætera produxiſſe: Ac proinde neque Solem neque primi Cœli Dodecatemoria, ortui Teræ præfuiſſe.

Cui Objectioni reſpondemus primò; Caput illud Geneſeos de Mundi creatione à variis Theologis & Philoſophis diverſiſſimè explicari, maximeque inter illos controverti, an lux illa primo die creata, fuerit ſubſtantia Solis necne: Imò an totus Mundus ejuſque diſpoſitio, temporis eodem momento facta fuerint. Secundò ex ipſius capitis textu conſtare, Aquam non fuiſſe factam die ſecundo, ſed tantùm diviſam medio firmamento: Et ſimiliter Terram non fuiſſe factam die tertio, ſed tantùm aquis detectam: Ac per conſequens Terra, Aqua, totaque regio elementalis, facta fuit die primo ſimul cum Cœlo atque luce: Quod autem lux iſta ſit ipſemet Solis globus, nondum ut jam eſt condenſatus, vel Planetarum materia adhuc ſic obductus (Terræ inſtar ad diem tertium obductæ) ut imperfectæ duntaxat illuceret, inde probatur. Quia conſtat ex verborum litterali ſenſu, cui adhærere tutius eſt, quod dum dicitur factumque eſt veſpere & mane dies unus, ſecundus, tertius, &c: dies illi intelliguntur reſpectu Terræ vel regionis elementalis. Hoc autem eſſe nequit, niſi globus aliquis obtusè ſaltem luminoſus, diurno primi Cœli motu, Terræ circumductus fecerit illud veſpere atque mane, lucemque diurnam à tenebris nocturnis diviſerit. Cum igitur lux primo die facta illud præſtiterit, & die quarto idem omninò munus fuerit Soli demandatum, quo adhuc eodem modo fungitur, dividendo diem à nocte vel lucem à Tenebris; omninò videtur aſſerendum lucem primo die creatam non aliud fuiſſe, quam ipſum corpus Solis aut nondum condenſatum, aut verius obductum materia, ex qua die quarto, reliqui Planetæ facti ſunt; quodque die quarto perfectum aut detectum eſt, ut Terra die tertio. Nam ut in elementari regione, ſic in Ætherea vel Planetaria, primis diebus confuſionem fuiſſe omninò probabile eſt, quæ chaos dicta eſt à Poëtis. Jam verò ſive omnia fuerunt facta eodem momento, ſive lux primo die creata fuerit ipſis globus Solis, ſubſiſtit doctrina à nobis ſuprapoſita. Nam ſemper in ipſius Terræ Geneſi, Sol repertus eſt in principio Arietis cum proprio motu ad borealem Eclipticæ partem; ſicque primum Cœlum ex ſe homogeneum, in partes qualitatibus elementalibus diverſas determinavit, ut ſuperius dictum eſt.

Caput VII.

Qualis à Ptolemæo & Cardano fuerit error introductus circa naturas elementales ſignorum.

PTolemæus, veteris Aſtrologiæ princeps, Libro primo quatripartiti capite nono, ait, generales, id eſt, elementales ſignorum vires, cum ſuis temporibus, hoc eſt, anni quartis congruere: proindeque ſigna verna ♈ ♊ ♉ eſſe, ut Ver, calida & humida, ideoque aëreæ naturæ: Æſtiva autem ♋ ♌ ♍, calida & ſicca, ideoque ignea: & de cæteris eodem modo: Quod certè confirmat ipſe capite octavo, inquiens Veteres conſtituiſſe primum ſignum ♈, in quo eſt Vernum æquinoctium; ut humidam veris naturam tanquam à vivo animante inchoarunt. Idem fusè explicat Cardanus in commento: Aſſerens ♉ eſſe temperatiſſimum ſignum quod ſit in Cœlo, ſeu calidiſſimum & humidiſſimum ſecundum ſubſtantiam; ſic enim loquitur ob ſibi ignotam primi Cœli homogeneitatem & determinationem extrinſecam, de quibus ſupra; arbitraturque primi Cœli partes eſſe ſubſtantialiter & intrinſecè differentes. Ratio autem Cardani de Tauro eſt, quia eſt ſignum temperatiſſimum quartæ Vernalis, quæ eſt temperatior omnibus aliis: & de cæteris eodem modo philoſophatur; concludens ſic haberi naturas duodecim ſignorum ad unguem. Idem verò iterum profitetur Ptolemæus cap. 15. dum ait: Cum enim ex duodecim ſignis duo borealia proximè ad verticem noſtrum accedant, maximeque calores & æſtus efficiant, ♋ & ♌, &c: & paulò poſt vocat oppoſita ſigna ♑ & ♒ frigida & hyberna. Quod autem falſa ſit hæc de natura ſignorum ſententia, inde probatur: quia ex rationibus Ptolemæi & Cardani erit ſignum ♉ in Mundi parte auſtrali frigidiſſimum, atque ſicciſſimum, quia Autumnalium medium: & ♏ temperatiſſimus, ſeu calidiſſimus & humidiſſimus; quia Vernorum medius: Ac proinde ſi eo pacto fuerit mutabilis natura ſignorum; non illis conveniet intrinſecè & ſecundum ſubſtantiam, ut Cardanus loquitur; ſed ſecundum accidens & extrinſecè à parte anni cujuſque Terræ loci; unde conſtat Ptolemæo & Cardano tantùm innotuiſſe accidentariam ſignorum naturam, quæ ne quidem illis ineſt impreſſione vel determinatione, ut ea quæ ſuperiùs explicata eſt; ſed duntaxat denominativè; quatenus ſignum quod in uno Terræ loco denominatur calidum, ob Solem in illo verſantem æſtate ipſius loci; contraria de cauſa in oppoſito Terræ loco; dicetur etiam ſimul tempore frigidum: At eſſentialem quæ illis competit, vel quatenus partes primi Cœli, vel quatenus ſigna, penitùs ignorarunt. Ac de his ſuo loco probabimus eas eſſe in quovis Terræ loco immutabiles.

Ara-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Arabes autem omnes, ſignorum ut ſic naturas eſſentiales ex effectis accuratius obſervantes, in eo convenerunt; quod ſignorum alia ſit Triplicitas ignea, alia aërea, alia aquea & alia terrea: At quia nullam hujus diviſionis cauſam aſſignarunt, videntur illam ignoraſſe; & per Cabalam duntaxat, doctrinam ipſam, experientiis tamen conſonam ex Adami infuſa ſcientia excepiſſe.

Itaque ex ſuprapoſita doctrina colligitur; quod ſigna ut ſunt partes primi Cœli, ſunt formaliter ejuſdem inter ſe naturæ: quia ejuſdem cum toto Cœlo, quod eſt homogeneum. Signa autem ut ſigna, ſunt formaliter naturarum inter ſe diverſarum. Nempe partibus primi Cœli accidit per determinationem extrinſecam, ut ſigna ſint diverſarum naturarum; ideoque illa naturarum diverſitas, partibus Cœli ut ſic accidentalis eſt: Signis autem quatenus ſignis eſſentialis. Igitur de ſignorum natura ut ſigna ſunt, ita hic & in ſequentibus ſentiendum erit.

Caput VIII.

Quænam à Pico Mirandulano, & Alexandro de Angelis objiciantur adverſus Zodiaci diviſionem in Signa duodecim.

PRæter noſtras Objectiones cap. 6. expoſitas adverſus ſuperiorem Zodiaci diviſionem, non videntur hic omittendæ quæ à Pico & de Angelis inſuper proponuntur, ut hanc Aſtrologiæ baſim præcipuam funditùs evertant: Si enim rationes ipſorum falſas & abſurdas eſſe detexerimus, nemini dubium erit, quin ipſa diviſio ſtet inde multò firmiùs, utcunque de Angelis cramben bis coctam, hoc eſt Pici recoctas objectiones nobis paſſim obtrudat.

Primùm itaque Picus Libro ſexto capite 4. & de Angelis Lib. 4. cap. 21. ajunt; Aſtrologos ante Alphonſi Regis tempora nullum noviſſe Cœlum ſupra octavum quod innumeris clareſcit ſtellis. In quo duodecim ſigna Zodiaci ſtellarum quodam numero concinnarunt; iiſque in Judiciis Aſtrorum uſi ſunt, ad ipſius Alphonſi tempora. Recentiores verò aliud Cœlum ſupra fixas duntaxat excogitaſſe, ut rationem redderent apparentis receſſus fixarum à punctis æquinoctialibus: Illudque Cœlum fictitium rurſus diviſiſſe in duodecim ſigna, vocata iiſdem nominibus cum ſtellatis, earumdemque virium: Proindeque nonnullos Aſtrologos uti ſtellatis ſignis, alios autem imaginariis in eundem judiciorum finem, quod ſine palpabili inſcitia & abſurditate fieri nequit: Tum quia Aries imaginarius nullius virtutis realis eſſe poteſt; tum quia Aries ſtellatus ſitu plurimùm differt à fictitio, nec propter fixarum motum ſervet eundem ſitum cum punctis æquinoctialibus; quod tamen Aſtrologi requirunt in ſua diviſione Zodiaci. Unde fit ut uterque Zodiacus ſit judiciis Aſtrorum inutilis.

Sed reſpondeo de Angelis ferè ſemper mala fide dimicare adverſus Aſtrologos. Nam motus fixarum cœpit innoteſcere Tymocharidi, etiam 330 annis ante CHRISTUM, poſtea verò planè innotuit Hipparcho, deinde Ptolemæo per fixas obſervatas in ſignis immobilibus reſpectu punctorum æquinoctialium. Non enim hi Aſtronomi alio uſi ſunt Zodiaco in aſſignandis veris locis Aſtrorum, quàm immobili, ut conſtat ex Almageſto Ptolemæi. Sed deprehenſo motu fixarum ſub ipſo Zodiaco, fuit illis neceſſariò concludendum, aut fixas duplici motu per ſe ferri, contra Phyſicas rationes, aut dari aliud Cœlum ſupra fixas, in quo eſſet Zodiacus ille immobilis, quo hucuſque uſi ſunt Aſtronomi & Aſtrologi. Quamobrem etſi utrique olim conſtellationes cum ſignis confunderent; vel ſola ſigna ſtellata obſervarent Chaldæi, quos nobis objicit de Angelis; quòd ſcilicet tunc ſaltem quoad ſenſum coinciderent conſtellationes cum veris ac immobilibus ſignis: Tamen poſt deprehenſum motum, diſtincta ſunt ab invicem, omninoque fuere diſtinguenda, ne fictitiis imaginibus reales Dodecatemoriorum vires, aut imaginum naturæ fictitiæ, ipſis Dodecatemoriis tribuerentur; quod adhuc perperam fit à pleriſque Aſtrologis, qui ſignorum veri vel immobilis Zodiaci, alia dicunt eſſe humana, alia ferina, alia muta, alia bonæ vocis, &c: eò duntaxat quòd idem nomen habeant cum ſpuriis ſignis ſtellatis, quæ tales naturas referunt: Sed hoc maximam eſſe inſcitiam nemo non videt ſanæ mentis: Valdeque dolendum quod vera Dodecatemoriorum nomina nos lateant, illaque fuerint fictitiarum conſtellationum nominibus inſignita: cùm vera Dodecatemoriorum nomina eorum veram naturam detegant: Quamvis recte dici queat Leonem vocandum eſſe ſignum Solare, Cancrum Lunare; Arietem Martiale manifeſtum, Scorpionem Martiale occultum vel intrinſecum; atque ſic de cæteris.

Secundùm. Aſſerunt diviſionem Cœli in duodecim ſigna & cujuſque gradus in ſexaginta minuta, &c: eſſe duntaxat arbitrariam & imaginariam, ad faciliorem motuum Cœleſtium ſupputationem, non autem naturalem. Idque probare contendit de Angelis, tum authoritate Kepleri & Abraham Aveneſra; tum ratione; quod (inquit) primum Cœlum debeat eſſe corpus ſimplex ac homogeneum, proindeque in partes diverſæ naturæ dividi non poſſit: veluti nec diverſis naturâ partibus idem motus ſimplex conveniat.

Sed reſpondeo, Keplerum circa Aſtrologiæ approbationem titubaſſe, quòd hanc ſcientiam veris hucuſque rationibus deſtitutam, non profiteretur, neque experiretur. Aveneſra verò non dixit, Cœli in duodecim ſigna diviſionem eſſe arbitrariam; ut illi imponit de Angelis: Sed duntaxat diviſionem ſignorum in triginta gradus, & cujuſque gradus in 60′ eſſe arbitrariam; quod libenter etiam concedimus; ſed hoc nihil nobis officit, qui ſolam Cœli diviſionem in duodecim ſigna negamus eſſe arbitrariam. Ad rationem

verò

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

verò ipſius de Angelis dico: Nos capitibus ſuperioribus aſſerere primum Cœlum eſſe totius naturæ corpus ſimpliciſſimum maximéq; homogeneum; & nihilominus diviſum eſſe in 12 partes ſive ſigna diverſæ inter ſe naturæ; non quidem formaliter, ſed tantùm determinativè, ut fuit ſuperiùs explicatum. Nec habet de Angelis quod contra diviſionem illam opponere queat, cùm experientia probet, illud ſingulis adhuc horis imò momentis, dividi ſimiliter in genituris; nimirum in partes Solares, Lunares, Saturninas, Joviales, &c: à Planetis ſub illo mobilibus.

Tertiò dicunt: Ideò in diviſione Cœli deceptos fuiſſe Aſtrologos, quia obſervarunt Planetas aliud efficere in uno ſigno & aliud in altero. Verbi gratia, Solem in ♈ Vernum teporem cuncta vivificantem edere, in ♌ verò acrem fundere calorem, qui abſumit & exurit univerſa. Ac iterum media Æſtate frigus repente ingruere, & media Hyeme calorem: quæ alio referri poſſe negant Aſtrologi, quàm ad diverſam naturam ſignorum, quæ Sol ipſe percurrit: Cùm tamen hæc tantùm fiant ab ipſius Solis acceſſu ad noſtrum Zenith ejuſque receſſu, vel à particulari concurſu cauſarum ſublunarium.

Sed reſpondeo: Non ob has præcipuè alterationes elementales dividi Cœlum in partes diverſæ naturæ; ſed ob influentiales effectus, quos ut ignoravit de Angelis, ſic ne quidem verbo hîc attingit: nam calorem Solis acceſſu accedere & receſſu recedere, lippis & tonſoribus notum eſt; Aſtrologis autem illam caloris elementalis reciprocationem non eſſe ab ulla diviſione Cœli.

Quarto: Denique de Angelis hoc ultimo ariete, diviſionem illam Cœli impetere ac demoliri conatur. Largiamur (inquit) Mathematicis varias eſſe ſignorum proprietates; concedamus Planetas varios fundere effectus pro conditione ſigni in quo verſantur: Adhuc nihil obtinuerunt quod ad cauſam faciat. Nam ſi Planetæ efficacitatem omnem mutuantur à ſignis, ut Genethliaci ſomniant, perſpicuum eſt non poſſe, quid illi facturi vel non facturi ſint, cogitatione præire aut prædicere Mathematicos, niſi eis conſtet quæ ſigna ſingulis momentis temporis Planetæ percurrant: hoc autem ignorant; ſupponatur enim ♃ eſſe in 29 gradu 59′. 59″. □, tunc cenſetur eſſe in ſuo detrimento, & 5 atros habere calculos: Poſt minutum temporis ingreſſus primum minutum Cancri, jam exaltatus & fœlix, 4 albis calculis gaudere putatur. Jam verò Genethliacos latet temporis illud minutum quo ♃ ex ♊ in ♋ demigrat; latere ergo eoſdem oportet, quid ♃ ex ♊, quid ex ♋ præſtet.

Sed reſpondeo primo: Ipſum de Angelis ſomniaſſe, quod Planetæ efficacitatem omnem mutuentur à ſignis; idque Genethliacis imponit: Sic enim Planetæ ex ſe nullius eſſent virtutis vel efficaciæ, contra mentem omnium Genethliacorum, qui Planetæ cujuſque vires tradunt, Planetâ in ſe ſpectato, & prout abſtrahit à quolibet ſigno, ut videre eſt apud Ptolomæum. Lib. 1. cap. 5. & alios: Ubi obiter notandum, quod ſi Cœlum non eſſet diviſum in ſigna diverſæ naturæ, & aliquam vim à Cœlo Planetæ reciperent, ſinguli eandem tantùm atque perpetuò vim reciperent: ſicque nulla ab ipſo Cœlo effectuum diverſitas oriretur; & ratio eſt, quia Cœlum ipſum ex ſe homogeneum eſt, atque ſubſtantiâ & virtute ſimpliciſſimum. Sed de his alibi.

Reſpondeo ſecundo: Abſurdam eſſe ſuperiorem Alexandri de Angelis demonſtrationem: nam nonne toto anno quo ♃ manſit in ♊, potuit obſervari quid ipſe præſtet in ♊? quod ſi potuit, quæ inſipientia eſt, velle ad hoc exſpectare momentum temporis, quo ♃ egreditur ex ♊, & non eſt amplius in ♊? ſimiliter nonne toto anno quo ♃ manebit in ♋, poterit obſervari quid efficiat in ♋? quid igitur opus eſt ad hoc attendere momento temporis, quo ♃ ingreditur ♋, & nondum eſt in ♋? ſic ſanè de quodam homine in aquâ gelidâ morante, exſpectandum erit momentum temporis quo egreditur ex aqua, ut ſciatur an aqua ſit frigida, quaſi illo tantum momento id deprehendi queat. Jam clamitet de Angelis: *Furor, furor eſt, partibus in decimo orbe Mathematicorum arbitrio conſictis, variam agendi poteſtatem tribuere*, & alia ſuo more ſimilia. Nobiſque ſufficiat unicuique patere, Aſtrologiam, contra hæc ſtraminea tela & Alexandri furorem, manere inconcuſſam: nec inanibus verbis quibus de Angelis paſſim ſuperabundat; ſed ſolidis rationibus neceſſariò concludentibus (quibus ille perpetuò caret, nec poteſt non carere) Aſtrologiæ everſionem eſſe aggrediendam; ſi nimirum poſſit everti.

Forſan autem quiſpiam nobis obtrudet Lucium Bellantium, non exigui nominis Aſtrologum: qui quæſt. 7. art. 4. Solem in ♋ aut aliis ſignis, hæc ſuo calore & influxu vivificare aſſerit: quodque ſigna ſint veluti materia, Sol autem & Planetæ formam ſignorum. Proindeque ſigna ipſa nullius ex ſe, vel ſaltem differentis inter ſe virtutis exiſtant. At plurimùm hic erravit Bellantius. Quoniam enim ſemper eſt eadem virtus Solis & ſingulorum Planetarum: Ergo horum quilibet ſignorum quodlibet ſemper eodem modo vivificaret; proindeque Planeta idem in ſigno quolibet idem tantùm efficeret, dum ſaltem ſolus verſatur in ſigno; ſed hoc contrariatur experientiæ, qua conſtat Planetam quemlibet aliud efficere cum uno ſigno, & aliud cum altero; quamobrem actionis diverſitas cum eſſe nequeat ab identitate virtutis Planetæ, neceſſe eſt ut ſit adverſitate ſignorum, quibus per conſequens diverſa virtus inerit.

Caput IX.

Quàm egregia ſequantur ex cauſis diviſionis Cœli ſuperius aſsignatis.

QUoniam ex veris non niſi vera & conſentanea, ex falſis autem non niſi falſa ſibique repugnantia conſequi ſolent; jam videndum quænam ex cauſis diviſionis Cœli ſuperius aſſignatis conſequantur.

Primum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Primum ergo ſequitur, primam cauſam ſive Cœlum non agere in hæc inferiora, niſi prout ab omnibus cauſis ſubordinatis pro aliquo effectu determinatur, quod primam ipſam cauſam maximè decet.

Secundum : Maximum eſſe conſenſum univerſalis à Sole determinationis ipſius Cœli circa Terram ſupra expoſitæ, cum ejus particulari determinatione circa homines in horum nativitatibus. Nam ut Sol ſuo ſitu in Arietis principio, Tellure naſcente, in Cœli puncta ad diverſas naturas elementales, tum influentiales Telluris reſpectu determinavit : ita idem Sol, vel alius quivis Planeta, ſuo poſitu ſub aliquo Cœli puncto naſcente homine, 12 puncta ejuſdem Cœli, hoc eſt 12 ipſius Planetæ aſpectus, ad diverſas vires influentiales ipſius hominis reſpectu determinat, ut fuſiùs ſuo loco explicabitur.

Tertium : Inde efficaciùs confirmatur primi Cœli homogeneitas, virtus eminentialis ad miranda, atque indifferentia ad concurrendum cum qualibet alia causâ ſibi inferiore : quodque manens idem in ſua ſimplicitate, fit per ſuarum partium determinationem diverſiſſimum : non quidem formaliter, & intrinſecè, ſed accidentaliter & extrinſecè per determinationem.

Quartum : Quod etſi Apogæum Solis fuiſſet initio Mundi in principio Libræ, tamen à Sole in principio Arietis poſito, ſignum ♈ ſemper igneum extitiſſet : quare ab Apogæi ipſius motu atque tranſitu in partem Mundi auſtralem ſucceſſu ſeculorum, timendam non eſſe naturæ ſignorum mutationem. Viciſſim verò, ſi creationis tempore, poſito Solis Apogæo in principio ♈ Sol fuiſſet in principio ♎ (ut volunt plures viri graviſſimi, ac inter Aſtronomos Longomontanus, Origanus, & Keplerus) haud dubiè ſignum ♎ fuiſſet igneum, contra omnes Aſtrologorum ſententias; quod eſt certè notatu digniſſimum. Atque hæc maximè confirmant creationem Mundi in æquinoctio Verno; proindeque Romanæ Eccleſiæ omninò favent contra Græcam & Judaicam.

Quintum: Ideo hæc dodecatemoria ſive ſigna, eſſe talia, hoc eſt ignea, aërea, &c: totius Telluris reſpectu; quia Sol fuit initio Mundi toti Terræ in principio Arietis: indeque tota Tellus primò calorem excepit cœleſtem; atque Solis influentiam, quæ totam Tellurem penetrat, ut alibi dictum eſt: ex Arietis autem determinatione, ſubſecuta eſt aliorum ſignorum determinatio, etiam totius Telluris reſpectu; ut eſt ſuperiùs expoſitum.

Sextum : In ſignorum triplicitatibus ejuſdem naturæ, ſigna & puncta cardinalia ♈ ♋ ♎ ♑ præcipuæ eſſe virtutis : ut in ignea Arietem, maximè verò ejus principium : in aquea Cancrum, præſertim ejus initium, & ſic de aliis. Ex Cardinalibus verò, æquinoctialia propellere ſolſtitialibus, & ex æquinoctialibus Arietem Libræ : ut proinde ſit Aries primum in Natura, tum nobilitate, tum virtute ſignum; nec tantùm numero, ut à pleriſque creditum eſt : ex ſolſtitialibus verò Cancer præpollet Capro, quòd in hoc ſiccitas paſſiva qualitas, at in illo frigus activa regnet. Aliorum autem ſignorum ejuſdem triplicitatis, illud erit virtute ſecundum, hoc eſt, poſt Cardinale ſignum, naturam ipſius Triplicitatis magis participans; quod ipſi Cardinali in eadem triplicitate ſuccedit, vel occupat Trinum ſiniſtrum ipſius Cardinalis.

Septimum : Partem Mundi borealem, eſſe auſtrali calidiorem & ſicciorem : Nam in illa ſunt duo ſigna ignea, & duo terrea, in auſtrali verò duo aërea & duo aquea: quare borealis erit maſcula, & auſtralis fœminina, illi ſubdita, quod hæc illa ſit humidior.

Octavum: Ex eo quod in Zodiaci medietate boreali qualitates activæ, calor & frigus, præſunt Cardinalibus punctis; in oppoſitis autem auſtralibus tantum paſſivæ, humor & ſiccitas, inde primariam manifeſtari rationem phyſicam, cur borealis pars Zodaici verè dicta fuerit imperans ab Antiquis; auſtralis autem obediens : Et ab initio Mundi utraque ſuum quoad hoc ſortita ſit effectum in Telluris globo; in cujus parte boreali ſemper viguerunt, & adhuc vigent imperia prima præcipuaque; non autem in auſtrali, quæ tota idcirco à boreali ſubjugabitur, & nunquam ab Auſtrali Borealis. Sed de borealis Terræ partis ſupra auſtralem dignitate fuſiùs infra dicetur; tum Lib. 10. cap. 5.

SECTIO II.

De generalibus toti Terrarum Orbi ſignorum diviſionibus.

CAPUT I.

De ſignis igneis, aqueis, & terreis.

QUoniam ſigno ut ſic duo inſunt, nempe formalis natura ſigni, atque ejuſdem ſitus in Mundo vel Ecliptica : Idcircò cujuſque ipſorum ratione, ſigna Zodiaci diverſimode dividuntur.

Primùm ergo ratione naturæ, dividuntur in ignea, aërea, aquea & terrea. Atque ignea ſunt ♈ ♌ ♐; quorum cardinalis ♈, calidior eſt fonſque caloris; quem ordine virtutis ſequitur ♌, tum ♐ ex igneis minùs calidus. Similiter aërea ſunt ♎ ♒ ♊, quorum ♎ cardinale ſignum, eſt omnium humidiſſimum; tum ♒ & denique ♊. Et ita in reliquis triplicitatibus à ſigno cardinali pergendo ſecundum ſignorum ſucceſſionem. Notandum verò, quod etſi dicantur iſta generaliter, atque reſpectu Terræ totius vera ſint: Nobis tamen Borealibus ♌ eſt ſignum calidius, quia cæteris igneis propinquius & æſtivum : Eſt autem quartæ anni, & Zenith propinquitatis virtus accidẽtalis maxima, in intendendis effectivè ſignorum naturis propriis & eſſentialibus : quandoquidem à ſola Vernali quarta Ptolomæus cum Cardano volucre ♈ ♉ ♊ eſſe formaliter, vel ſecundum ſubſtantiam calida & humida. Inde ergo in mundi parte auſtrali ♐ erit quam ♌ calidior. Et quâ ratione dictum eſt ſupra, Mundi partem borealem eſſe auſtrali calidiorem & ſicciorem; eadem hic dicimus, æſtatem in Mundi parte boreali (ſaltem extra Zonam quam olim dixere torridam) eſſe calidiorem ſiccioremque quàm in ejuſdem latitudinis parte auſtra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Auſtrali;quod nempe in quarta æſtiva Boreali, Sol percurrat ſignum igneum;non autem in Auſtrali. Similiter ♊ nobis erũt ex aëreis humidius ſignũ, humiditate aërea; quia cæteris nobis eſt propinquius, & præterea Vernum: Piſces verò erunt maximè aquei, quia nobis Hyberni: Auſtralibus verò ♋ erit ſignum impensè aqueum. Eodemque modo de cæteris philoſophandum eſt.

Caput II.

De ſignis cholericis, ſanguineis, phlegmaticis & melancholicis.

EX ſuperiori diviſione ſignorum in naturás Elementales, reliquæ omnes ratione naturæ deducuntur. Atque hæc diviſio priori omninò correſpondet. Signa enim cholerica eadem ſunt cum igneis ♈ ♌ ♐: ſanguinea eadẽ cum aëreis ♎ ♒ ♊: phlegmatica eadem cum aqueis ♋ ♏ ♓, & melancholica eadem cum terreis ♑ ♉ ♍. Nam quod in Elementis eſt ignis, id in humoribus eſt cholera, & ſunt eædem utriuſque qualitates. Sic de cæteris.

Caput III.

De ſignis maſculinis & fœmininis.

SIgna ignea & aërea maſculina ſunt: aquea verò & terrea fœminina. Id autem non habent aliunde, ſi ſolam ſpectes Aſtrologiam, quàm à ſuis principiis, ſive punctis cardinalibus; efficaciora enim principia maſculino ſexui tribuuntur. At ſigna ignea & aërea ſortita ſunt Cœli principia efficaciſſima, quippe æquinoctialia puncta, quæ ſimul ſunt in Æquatore & Ecliptica, efficaciſſimis ex omnibus circulis Cœleſtibus, ille movendo, hic influendo; ignea videlicet principium Arietis, & aërea principium libræ: ſunt igitur hac de cauſa ignea & aërea ſigna maſculina; ut ignis & aër: ideoque ob cauſam contrariam aquea & terrea erunt fœminina; quippè quod oriantur à principiis vel Eclipticæ punctis ab Æquatore remotiſſimis, proindeque debilioribus, ſcilicet ſolſtitialibus: Aquea nimirum à principio ♋; & terrea à principio ♑. Si autem Phyſicam Sublunarem ſpectes, etiam ſigna ignea & aërea erunt maſculina, ob naturam Elementorum quæ referunt: quippe ignis & aër ſunt maſculina: Terra autem & Aqua ſunt fœminina: ideoque hæc illis ſubjiciuntur, ab illiſque recipiunt vim ſuos pariendi fructus, non contra: non enim nubes, pluviæ, grandines, fulmina, ſunt fructus Aeris, ſed Globi Terreſtris; qui in Aere perficiuntur; eorum enim materia elevatur à Globo Terreſtri.

Hinc rectè deducitur, quod ut primatus in ordine debetur maſculino ſexui tanquam magis activo; ita primum ſignorum ſcilicet ♈ ſit maſculinum, ♉ fœmininum; ♊ maſculinum, & ſic alternè ſexus uterque ſibi ſuccedat vi 4 Triplicitatum ſuperiùs expoſitarum: ut propterea non abs re cẽſuerint Pythagorei, ſigna illa eſſe maſculina, quibus numerus conveniebat maſculinus & efficacior, ſcilicet impar, unitatis ſoboles: fœminina verò, quibus par numerus, ducens ortum à binario, illis inter numeros femella, ut unitas maſcula. Quæcunq; autem à Ptolemæo & Cardano de hoc ſignorum ſexu rationes afferuntur, futiles ſunt, nec immeritò à Pico Mirandulano deridentur Lib. 6. cap. 15. Imò etiam ex his apparenter validior, quæ ſumitur à concitatiore motu prope Æquatorem: quia ſic ſignum ♊ eſſet reſpectu ♉ fœmininum, & ♉, maſculinum: ſub ♉ enim motus eſt concitatior quam ſub ♊, quod diviſioni ab ipſis traditæ contrarietur.

Objicies ex doctrina ſupra poſita, frigus qualitatem activam prædominari in ♋, & humiditatem paſſivam in ♎: ſed activæ qualitates ſunt maſculinæ, & paſſivæ ſunt fœmininæ; ergo ♎ ♏ ♓ erunt ſigna maſculina, ♎ ♒ ♊ fœminina.

Reſpondeo huic minimè ſpernendæ difficultati; quod quamvis ſigna cardinalia Zodiaci, penes ſexum diviſa fuerint ſuperiùs, pro ratione nobilioris & efficacioris ſui ſitus in Mundo, non autem activarum & paſſivarum qualitatum: attamen diviſio illa non cõtrariatur diviſioni per qualitates, ſi hæc ſana mente rectaque ratione intelligatur.

Quoniam enim præter ea quæ Phyſicam ſui ſexus notam habent (ut vir & mulier) reliqua tantùm per comparationem nobilioris aut efficacioris virtutis inter ſe, dicuntur maſculina aut fœminina: certum eſt quod inter qualitates Elementales tam activas quàm paſſivas invicem comparatas, alia etiam erit maſculina, & alia fœminina. Calore igitur & frigore activis qualitatibus invicem collatis, patet calorem eſſe maſculinum nobilitate & activitate, frigus verò fœmininum: Mares enim in quavis ſpecie ſunt univerſim femellis calidiores. Similiter humiditate & ſiccitate paſſivis qualitatibus inter ſe cõparatis erit ſiccitas maſculina, & humiditas fœmina: tum quia femellæ ſunt univerſim maribus humidiores & molliores; tum quia ſiccitas vim agendi & reſiſtendi roborat ac intendit, quas enervat vel obtundit humiditas.

His intellectis rationi congruit ut Dodecatemoria calida dicantur maſculina: alia verò ſive maximum frigus combinetur humiditati ex paſſivis qualitatibus fœmininæ; ſive remiſſum frigus ſiccitati ex paſſivis maſculinæ, dicantur fœminina. Nam ut frigida dici queant maſculina, neceſſe eſt ut frigus non ſolùm combinetur, ſed etiam præpolleat ſiccitati: quo pacto Saturnus frigidus intensè & ſiccus remiſſè dicitur Planeta maſculinus. Caper autem remiſsè frigidus & impensè ſiccus Terræ inſtar, dicitur fœmininus.

Contra ſolutionem verò quiſpiam ſic iterum arguet: Venus ſtatuitur à nobis eſſe calida & humida ut ſignum ♎: & tamẽ fœminina: ergo etiam ſignum ♎ erit fœmininũ, vel ſaltem ♀ maſculina.

Reſp: Signum ♎ referre naturam Aeris, qui à Philoſophis duplo humidior habetur quàm calidus: ☿ autem à nobis quadruplo humidior quàm calida ponitur, etiam juxta Ptolemæum: inde ergo manifeſtè patet Venerem longiùs abeſſe à natura maſculina quàm Libram: atque reſpectu Libræ dicendam eſſe fœmininam: adde quod ♎ non à Solis qualitatibus Elementalibus ſuum habet eſſe maſculinum, ſed præſertim à nobiliore ſitu in Mundo, ut ſuperius dictum eſt. Quæ autem hic aſſeruntur de ſignis cardinalibus, etiam de tota eorum Triplicitate aſſertum intelligatur.

Ideo autem diviſio hæc attendenda eſt, quia cæteris paribus maſculina ſigna, fœmininis ſunt activiora, & in his Planetæ vergunt ad effectus fœmininos ſeu debiliores; in illis ad maſculos, ſeu intenſiores.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Caput IV.

De ſignis diurnis atque nocturnis.

Signa diurna ſunt maſculina ſuperius expoſita: nocturna verò ſunt fœminina. Diurna ſiquidem conditio, ſexui maſculino; & nocturna fœminino convenit, ex natura virtutis activæ aut paſſivæ. Sciendum verò duplicem ineſſe ſignis conditionem, quippe intrinſecam & extrinſecam. Illa eſt à propria natura, atque ſimplex eſt: quodlibet enim ſignum ex ſe eſt tantùm maſculinum, aut fœmininum; atque tantùm diurnum ſive nocturnum: extrinſeca verò eſt à ſigni ſitu ſuper Horizontem, qui cum poſſit interdiu vel noctu contingere, erit etiam duplex cujuſque ſigni conditio extrinſeca, quippe diurna vel nocturna.

Caput V.

De ſignis Borealibus & Auſtralibus.

Expoſitis ſignorum diviſionibus ſecundum naturam jam ſequuntur eorum diviſiones ratione ſui ſitus in Mundo vel Ecliptica.

Primò itaque dividuntur in Septentrionalia & Meridionalia. Illa ſunt quæ in Cœli vel Mundi parte Septentrionali collocantur: Nempe ♈ ♉ ♊ ♋ ♌ ♍: Meridionalia verò ſunt, quæ Mundi partem Auſtralem occupant, nimirum ♎ ♏ ♐ ♑ ♒ ♓. Atque notandum quod & Cœleſtes influxus totam Tellurem penetrent ut diximus Lib. 12. cap. 32. Tamen non ſecus ac influxus ſubterranei, ſunt debiliores ſuperterraneis, & vertici propinquiores remotioribus; ita ſigna Septentrionalia minùs afficiunt partem Telluris Auſtralem quàm Borealem, Meridionalia è converſo, minus Borealem quàm Auſtralem: & idcirco ſitus Zodiaci obliquus eſſe debuit ad Æquatorem, ut utrique Terræ parti Cœleſtes influxus æqualiter diſpenſarentur.

Caput VI.

De ſignis mobilibus fixis & communibus.

Signa mobilia, quæ & cardinalia quoque dicuntur, ſunt ea quæ à 4 cardinalibus Eclipticæ punctis incipiunt: quippe ♈ ♋ ♎ ♑: vocantur autem mobilia, quod præ cæteris rerum mutationes cauſent; in hiſque natura univerſalis ſuas mutationes primarias per Solis & Planetarum cæterorum decurſum efficiat. Tum quòd res quæ ſub eorum influxu inchoantur, brevis ſint durationis, vel mutationi ſint obnoxiæ. Ac Solis quidem decurſu, mutationes fiunt temporum ſenſibiles: ſcilicet Hyemis in Ver, Veris in Æſtatem, Æſtatis in Autumnum, & hujus in Hyemem: quæ anni tempeſtates ex illis 4 locis, ut januis à naturâ apertis, & circa ſuos cardines mobilibus videntur egredi. Hæc verò dividuntur in Æquinoctialia, & Solſtitialia, ſeu Tropica. Illa ſunt ♈ & ♎, ſic dicta, quòd ab Æquatore incipiant, Solque in ipſorum initiis diem noctemq; quaſi ſtatera æquet ubique Terrarum, indeque diei & noctis exceſſus viciſſim incipiant atque deſinant. Solent etiam non abs re vocari ſigna Religionis, vel Eccleſiaſtica: tum quòd Hiſtoriis conſtet præcipuas Religionis mutationes contigiſſe, Planetis ſuperioribus, vel Sole, ſigna illa percurrentibus: tum quòd non ſecus ac inter ſigna ♈ & ♎ ſibi primatum vendicant, ut ſupra diximus; ita Religio inter res humanas. Tropica verò ſunt ♋ & ♑, ſic appellata, quòd Solis verſus Polos terminum conſtituentes, inde ad Æquatorem Sol ipſe convertatur: in punctis ſolſtitialibus per dies aliquot ſtans quaſi immobilis judicio ſenſus. Appellantur autem quoque Politica, tum quòd Hiſtoriis conſtet magnas regnorum & imperiorum mutationes incepiſſe Planetis ſuperioribus, vel Sole, ſigna illa permeantibus: tum quòd non ſecus ac Planetæ ſuos curſus verſus Boream atque Auſtrum extendentes, tandem ſiſtunt in tropicis punctis, deindeque ad Æquatorem regrediuntur: ſic regna & imperia ſeſe ad certos uſque limites dilatant, ubi ſi aliquo tempore conſiſterint, tandem ad ſua principia contrahuntur: ſiquidem rerum omnium temporariarum dantur ortus ad quem pertinet incrementum, vigor ſive ſtatus; declinatio & interitus. Porrò quæcunque ſignis mobilibus ſubjiciuntur, aut non ſunt durabilia, aut mutationi atque inſtabilitati maximè ſunt obnoxia. Eis verò ſubjiciuntur ea quibus præſunt vel ratione Thematum Cœleſtium, vel ratione Planetarum per illa decurrentium, vel ratione verticitatis: atque ſic qui degunt ſub Tropicis, peculiariter ſubjiciuntur ſignis ♋ & ♑.

Signa fixa ſunt ♉ ♌ ♏ ♒; ſic dicta, quòd in his natura ſuarum mutationum ſtatus ſeu vigores celebret, ac Sole in iis exiſtente Aeris mutatio priùs inchoata perduret: tum quòd res quæ ſub eorum influxu inchoantur, longæ ſint durationis, vel omninò ſtabiles. Inter ipſa verò fixiora ſunt ♌ & ♒ ſigna maſculina, in quibus caloris & frigoris ſtationes nobis accidunt. Eſt autem ſignorum fixorum proprium, rebus quibus præſunt ſtabilitatem diuturnamque durationem conferre.

Denique ſigna communia ſunt ♊ ♍ ♐ ♓, ſic dicta, quòd inter mobilia & fixa medio modo quoad effectus ſeſe habeant; Solque in illis exiſtens, ad ſequentis quartæ jam naturam inclinet, proindeque duarum quartarum medium ſervet.

Caput VII.

De ſignis imperantibus & obedientibus.

Hæc ſignorum diviſio, atque ſequentes, præter rationem ſitus eorum in Zodiaco, complectitur etiam ſignorum ipſorum aliquam inter ſe habitudinem.

Itaque ſigna imperantia ſunt ♈ ♉ ♊ ♋ ♌ ♍. ſic dicta, quod ſint in Zodiaci vel Mundi parte Boreali, quæ maſcula eſt, & Auſtrali activior, ob duos fontes caloris & frigoris qualitatum activarum, quæ in parte Boreali collocantur; ideoque ad hanc jus dominandi ac imperandi pertinet.

Obedientia verò ſunt ♎ ♏ ♐ ♑ ♒ ♓, ſic appellata, quòd qualitatum duntaxat paſſivarum humiditatis & ſiccitatis fontes contineant: unde Auſtrali Terræ parti ſubjici ac obedire competit, quòd obedientibus ſignis ſupponatur: Ptolemæi verò, Procli, Pontani & Cardani rationes hujus diviſionis futiles ſunt, nec univerſæ; imò apud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

apud Auſtrales contrariæ, atque ſub Æquatore nullæ; dum ajunt Borealia dici imperantia, quia Sol in illis efficit dies majores noctibus, Auſtralia autem obedientia, ob rationem contrariam.

Voluerunt autem veteres Borealia ſigna imperare Auſtralibus Æquatori æquidiſtantibus, non tamen quibuſvis, ſed æquales aſcenſiones rectas & parallelos habentibus. Ac propterea ♈ imperabat ♎ & ♓. Verùm duplex eſt imperium; quippè legitimum vel amicum, ac tyrannicum, vel hoſtile. Amicum eſt inter ſigna ab eodem æquinoctiali puncto æquidiſtantia; ſi quidem aliquo inter ſe ſocietatis & ſympathiæ nexu conjunguntur, qualia ſunt ♈ & ♓; ſibi invicem quaſi à latere, medio Æquatore. Hoſtile eſt inter ſigna ab oppoſitis æquinoctialibus punctis æquidiſtantia, ideoque inter ſe oppoſita, qualia ſunt ♈ & ♎, & hæc ab oppoſitione antipathiam contrahunt. Atque hic ♉ amicè imperat ♒, hoſtiliter autem ♏: ♊ amicè ♑, hoſtiliter ♐, ſic de cæteris. Ita tamen ut primus gradus Arietis imperet ultimo Piſcium, & 2 ♈ penultimo Piſcium: atque de reliquis ſimiliter.

Eſt autem ſignorum imperantium, Regiones ſubjacentes, tum homines quorum vitæ vel actionibus præſunt, ad dominium & imperium ſtimulare & evehere: Obedientium verò ſubjicere atque deprimere. Ideoque Cardanus in Commento in cap. 14. Lib, 1. rectè notat ex Ariſtotele, quod hominum alii naſcuntur naturâ liberi, alii verò naturâ ſervi. Quodque habens omnes vel præcipuos ſignificatores in ſignis imperantibus, vix ulli obediet niſi coactus, ſemperque affectabit imperium: Habens autem ſignificatores in ſignis obedientibus, ſe habebit contrario modo, vixque ullus niſi vi aut metu ipſi obediet. Et hoc notatu dignum eſt inter dominos & ſervos.

CAPUT VIII.
De Signis Antiſciis.

EA ſigna ſibi mutuò antiſcia ſunt, quæ in eadem Cœli parte Boreali vel Auſtrali, ab eodem ſolſtitiali puncto æquidiſtant. Ut ♈ & ♍: ♉ & ♌: ♊ & ♋ in parte Boreali: Tum ♎ & ♓: ♏ & ♒, tandemque ♐ & ♑ in Auſtrali. Nec ſolùm ea ſigna ſibi invicem ſunt antiſcia; ſed multò efficaciùs eorum partes in Ecliptica ſumptæ ab eodem ſolſtitiali puncto æquidiſtantes; quales ſunt primus gradus ♋ & ultimus ♊: 2 ♋ & 29 ♊, & ita deinceps; quod tamen ſic adhuc intellige, ut principium primi gradus ♊ ſit antiſcium finis ultimi gradus ♋: & finis primi antiſcium principii ultimi, vel ſi majus primum minutum ♋. ſit antiſcium ultimi minuti ♊: ſic enim tantùm ſervatur æquidiſtantia antiſciorum ab eodem puncto ſolſtitiali.

Cæterùm ſigna ipſa dicuntur antiſcia quaſi ex adverſo ſibi umbram projicientia; quòd nempe Sol in eis exiſtens, dies inter ſe & noctes inter ſe æquales toto Terrarum Orbe efficiat, non ſecus atque diem & noctem inter ſe in æquinoctialibus punctis: cum hac tamen differentia, quod ubi Terrarum ex Sole in uno ſigno dies creſcunt, ibidem ex Sole in illius antiſcio æquè decreſcunt; quæ eſt ratio cur ſibi adverſas umbras dicantur projicere.

Vocantur autem etiam à Ptolemæo & aliis ſigna ſeſe videntia: & quæ imperant & obediunt, ſigna ſeſe audientia, quia quantùm viſus ab auditu (ajunt) mobilitate & certitudine differt; tantùm antiſcia ab imperantibus & obedientibus efficaciâ differunt: Nec mirum, cùm hæc ſint in diverſis Mundi medietatibus atque parallelis, illa autem in ejuſdem medietatis eodem parallelo, proindeque ſibi magis unita, virtus autem magis unita fortior. At ea videntium & audientium ſignorum ratio & appellatio tam barbara eſt & inepta, ut jure oſoribus Aſtrologiæ ridendi & cavillandi anſam præbuerit.

Porrò de antiſciis & imperantibus ac obedientibus hæc duo ſunt annotanda. Primùm quod alicujus Eclipticæ puncti invento antiſcio habetur ſemper illi imperans vel obediens punctum in antiſcii oppoſito, ut propterea imperans vel obediens ſit, quod ab aliis vocatur contraantiſcium; cui etiam non parùm virtutis tribuunt: quæ tamen rationi ſuprapoſitæ imperantium & obedientium ſignorum videtur adſcribenda. Sicque antiſcium 2 gradus ♉, eſt 28 gradus ♌: ejus autem contra antiſcium vel obediens, eſt 28 gradus ♒. Signa autem ab eodem æquinoctiali puncto æquidiſtantia ſunt in Mundo ac Cœli motu quaſi duo Boves ſub eodem jugo trahentes, ſeque mutuò juvantes. Secundùm quod antiſcia & imperantia quò ſunt punctis tropicis viciniora, eò ſunt ad plures gradus potentiora. Quia partes Eclipticæ circa Tropicos declinatione atque ortu & occaſu perparum differunt. At circa æquinoctia, quia fit contrarium, idcircò virtus partium non ita extenditur, debentque antiſcia, tum imperantia & obedientia ſibi partiliter correſpondere, alioquin aut nullus aut exiguus erit effectus eorum.

CAPUT IX.
De ſignis ſe aſpicientibus & non aſpicientibus.

SIgna ſeſe aſpicientia (quod de eorum quoque partibus ſingulis intelligendum venit) ea hic appellantur, quæ ab invicem diſtant aliqua circuli parte, quæ pluries ſumpta totum exactè circulum complet: taliſque diſtantia vocatur aſpectus; qui à Ptolemæo cæteriſque veteribus Aſtrologis tantū quatruplex ſtatuitur: ſcil: ☍ △ □ & Sextilis: rationibus duntaxat deſumptis à proportionibus harmonicis. Sextilis igitur aſpectus, eſt inter ſigna quorum initia diſtant ab invicem arcu 60 graduum. Ut ♈ & ♊; ♉ & ♋ &c: hic enim arcus ſexies ſumptus totum adæquat circulum. Quadratus eſt inter ſigna quorum initia ab invicem diſtant 90 gradibus: qui quater ſumpti æquantur circulo. Trinus eſt inter diſtantia 120 gradibus, ſeu tertia circuli parte: oppoſitus verò inter diſtantia ſemicirculo. At ego ratione & longâ experientiâ edoctus illis addo Dodectilem aſpectum; inter ſigna nempè quorum initia diſtant ab invicem arcu 30 graduum: quoniam duodecies ſumptus totum efficit circulum; ideoque ipſi ſuperior aſpectus ratio convenit: ac præterea frequentiſſimè obſervavi Planetas dodectili diſtantes magnas ſibi vires communicare. Maximè verò Orientales Soli vel Occidentales Lunæ: ſed de his fuſiùs agemus cùm de Planetarum aſpecti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

bus ſermo erit. Quod autem hic dicimus de ſignis eorumque initiis, id de quolibet Zodiaci gradu intelligendum quoque eſt. Nempe 2 gradum Arietis verbi gratiâ, aſpicere Dodectili 2 gradum ♉: Sextili 2 gradum ♊: Quadrato 2 gradum ♋: Trino 2 gradum ♌: & oppoſito 2 gradum ♎: atque ſic de cæteris.

Notandum verò quod à Medicis, Keplero & nonnullis Aſtrologis plures alii aſpectus ſi non inter ſigna 12, ſaltem inter eorum partes concipiuntur: ut Octilis, Decilis, Quindectilis, &c. ſed figmenta ſunt, abſque ullo in Natura fundamento. Quodlibet enim Cœli punctum à cauſis inferioribus determinatum; non plura quàm 11 alia ſecum determinat, ut ſuperiùs dictum eſt: interque 12 puncta datur tantùm aſpectus ſuprapoſiti prout aſpectus hic definitur.

Tandem ſigna ſeſe non aſpicientia ſunt, quæ ab invicem diſtant aliqua circuli parte, quæ pluries ſumpta, totum circulum exactè non complet: qualia ſunt quintus & ſeptimus à quovis ſigno ſſſ numeratus eſt ♍ & ♏ reſpectu ♈: ♎ & ♐ reſpectu ♉; Diſtantia enim inter principia ♈ & ♍ bis ſumpta eſt minor circulo, ter verò ſumpta major; ſed de aſpectibus fuſiùs alibi ex profeſſo; ubi quincuncem etiam admittemus.

Caput X.

De ſignis conjunctis & inconjunctis.

Signa illa dicuntur conjuncta, quæ aliquo ex tribus ſupradictis modis connectuntur, ſcilicet aſpectu ſuperiùs definito, antiſcio, vel imperio: at inconjuncta ſunt ea, quæ nullo ipſorum modorum ſibi mutuò cohærent.

Cardinali autem ſeu mobili ſigno cuilibet, illud eſt inconnexum quod opponitur ipſius Cardinalis ſuccedenti. Ut ♈ & ♏ oppoſitus ♉ qui ſuccedit ♈. Item ♋ & ♒: ♎ & ♉: ♑ & ♌. Fixo cuilibet inconjuncta ſunt ſigna eis oppoſita, inter quæ illud medium hæret: veluti ♉ inconnexa ſunt ♎ & ♐ quæ opponuntur ♈ & ♊, inter quæ ♉ collectatur: ſic ♌ inconnexa ſunt ♑ & ♓: ac denique ♏, ♈ & ♊. Denique communi cuilibet inconjunctum illud eſt, quod opponitur ipſius communis antecedenti. Sic ♊ inconnexum eſt ♏: ♍, ♒: ♓, ♌: Leo enim opponitur ♒ antecedenti piſcium.

Notandum verò, quod hæc ſigna dicuntur inconnexa, quâ diſtant circuli parte, quæ pluries ſumpta non exactè reſtituitur ad ſuum principium in una circuitione: & quincuncem aſpectum inter ſe conſtituunt. Dicantur ergo hæc ſigna ſe inadæquatè aſpicere, ideoque inadæquatè conjuncta: alia verò adæquatè.

Caput XI.

De quibuſdam aliis ſignorum diviſionibus abſurdis planèque rejiciendis.

PRæter ſuperiores veras & Phyſicas ſignorum diviſiones, aliæ inſuper fuerunt introductæ, ab eorum natura corporum, quorum imagines Zodiaco ſtellato affixæ creduntur ab ignaris: & quarum nomina veris Zodiaci ſignis relicta ſunt, poſt imaginum vel fixarum motum proprium animadverſum. Sicque ſignorum alia dicta fuere humana & rationalia, ut ♊ ♍ ♒, quod hujuſce nominis conſtellationes credantur eſſe hominum imagines; alia bruta, ut ♈ ♉ ♌ ♋ &c: alia mixta, ut ♐: alia pulchra, ut ♊ ♍: alia deformia, ut ♉ ♋ ♑: alia muta, ſeu voce carentia, ut ♋ ♏ ♓: alia bonam vocem habentia, ut ♊ ♍ ♒ ♎, quod tamen de ♎ abſurde dicitur, cum voce careat: alia mediocrem vocem habentia, ut ♈ ♉ ♌ ♑; cùm tamen hæc animalia voce ſuperent ♊ ♍ ♒ &c.

Verùm in hiſce diviſionibus multiplex deprehenditur ignorantia atque ſtultitia. Primò enim conſtat ex Stoffleri Commentariis in Sphæram Procli; Imagines Zodiaci totiuſque Cœli, fuiſſe duntaxat veterum Paganorum fabulis introductas: quod ego arbitror Diaboli nequitiâ ſuggeſtum fuiſſe hominum mentibus; ut Cœlo monſtris & fabulis conſpurcato, Divina Providentia in aſtris effuſa magis occultaretur, nobilis ſcientia inde aliquando majoribus ludibriis exponeretur; & quod Deo debetur, creaturis tribueretur.

Secundò, nulla eſt conſtellatio, quæ corpus illud referat, cujus imago eſſe dicitur; quod imaginum commentum omninò convincit: Quomodo igitur virtutem referet, etiamſi imaginem referet? An ſigna ipſa vim ſuam à Sublunaribus corporibus mutuata ſunt; præſertim initio Mundi, cùm nondum producta eſſent bruta & homo, quæ duntaxat diebus 5 & 6 facta ſunt? nugæ.

Tertiò, quandoquidem imagines ab uno ſigno in aliud ſucceſſivè migrant, etſi credita virtus ineſſet fictitiis imaginibus (quod tamen eſſe nequit) nonne ſtultum eſſet denominare ſigna à virtute imaginis abſentis, potiùs quàm præſentis?

Ob has igitur rationes, prædictæ diviſiones ſunt prorſus abjiciendæ, ſignaque duntaxat appellanda ſunt, vel à cauſis diviſionum ſuperiùs à Nobis expoſitarum: vel à naturis & proprietatibus Planetarum ſignis ipſis dominantium, ut oſtenditur inferius.

Caput XII.

De firmamenti conſtellationibus.

QUandoquidem conſtellationes ſub Zodiaco conſpicuæ, olim pro veris & immobilibus Zodiaci ſignis habitæ ſunt; hic non erit incongruum caput hoc de conſtellationibus adjungere.

Dico itaque totum firmamentum in quaſdam ſtellarum fixarum ſchemata eſſe diviſum, quæ conſtellationes appellantur: quæque ſunt veluti quædam Cœli ſtellati regiones, inter ſe viribus & naturâ differentes. Apparet enim ſenſui, quod ſtellæ conſtellationem Orionis componentes, ſic ad illam imaginem ſive ſchema pertinent, ut hoc à quovis altero vicino verè ſeparent. Sic de conſtellatione Scorpii & pluribus aliis quæ Cœlo ſereno & Lunâ in Meridiano conſpicuâ viſuntur; quamvis non omnes conſtellationes ita perfectè videantur ab aliis ſeparatæ, præſertim abſente Lunâ, & major pars earum à ſola hominis phantaſia nomen ſuum habeat.

Jam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Jam verò negari nequit, quòd ut non omnis fert omnia Tellus, ſed regiones Terræ proprietatibus inter ſe differunt; quòd alia ſit arenoſa, alia argilloſa, alia lapididibus & ſilicibus operta, &c. ſic diverſæ regiones Cœli ſtellati proprietatibus inter ſe differunt ac influentiis. Propriæ autem conſtellationum influentiæ, nobis ſunt ignotæ, magno Aſtrologiæ damno; tantúmque præcipuarum aliquot fixarum propriæ vires nobis innoteſcunt. Ut enim abſurdum eſt opinari cum pleriſque, quod quælibet ſpecies mineralis, vegetabilis, & animalis habeat in Cœlo fixam aut conſtellationem peculiarem ſibi propriam, à qua regatur in ſuo ortu, vita & interitu; cùm id nequidem verum ſit de homine, qui omnium Planetarum & fixarum influentiis ſubjicitur: ſic abſurdum eſt opinari, quod conſtellationes ſint ſimilis naturæ aut virtutis cùm rebus à quibus ipſæ denominantur. Verbi gratiâ quod Arietis conſtellatio ſit naturæ ſimilis cum bruto Ariete; conſtellatio Tauri, cum Tauro vel bove bruto, &c. quod tamen ab antiquis creditum & poſteris perperam traditum eſt. Multóque fœdiùs adhuc errant Aſtrologi, qui effectus Eclipſis Solis quæ contingit in Dodecatemorio Tauri, dicunt pertinere ad Tauros vel Boves; ſumentes Dodecatemorion ♉ pro conſtellatione Tauri, quæ jam eſt in Docatemorio ♊.

Sic autem conſtellationum natura & virtus detegi poſſet, longo ſeculorum ſucceſſu. Ac primo earum quæ ſubſunt Zodiaco primi mobilis; advertendo Novilunia, Eclipſes, magnas conjunctiones, Cometas & alia ſimilia quæ fiunt in ipſis: ac obſervando quid efficiant, non ſolùm ratione Dodecametorii & Planetarum dominantium; ſed etiam conſtellationis & fixarum circumſtantium; & in quæ rerum genera potiſſimùm agant: imò in hominum nativitatibus obſervando Horoſcopi Medii Cœli & Planetarum loca in conſtellationibus. Earum verò quæ ſunt extra Zodiacum vires, per Planetas diſcerni nequeunt: alioquin vires conſtellationum quæ ſunt extra Zodiacum ex parte Boreæ vel Auſtri, confunderentur cum his quæ ſunt intra Zodiacum, nec hæ ab illis diſcerni poſſent. Itaque ſoli earum poſitus in thematibus Cœleſtibus, aut Cometæ ſub illis orientes vel mobiles earum vim in hæc inferiora detegere valent. Sed hæc explorare per accidentia Mundi præterita vel futura in toto Telluris Globo, nimis arduum opus eſt, plurium etiam Aſtrologorum in diverſis Terræ locis ſimul tempore obſervantium, ob tardiſſimum fixarum motum, qui impedit ne virtus propria conſtellationis à virtute propria Dodecatemorii quod occupat probe diſcerni valeat Nec opinor quod homines unquam valeant cognitionẽ hanc adipiſci.

FINIS LIBRI DECIMIQUARTI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ASTROLOGIÆ GALLICÆ

LIBER DECIMVSQVINTVS.

De Planetarum dignitatibus eſſentialibus.

PRÆFATIO.

SI Libro decimoquarto maximè fuit arduum vivas inveſtigare cauſas diviſionis Primi Mobilis in partes 12, naturis Elementalibus inter ſe differentes, eaſque tales aſſignare, ut probabiliores afferri nequeant. Profectò longè ſublimius difficiliuſque videtur eſſe ſuſceptum, quæ hoc Libro tractantur definire & rationibus ſtabilire: Nempe an Dodecametoria ſint ejuſdem naturæ atque virtutis toto Terrarum Orbe. Tum an Zodiacus fuerit initio Mundi à Sole diviſus in partes ſingulis Planetis Elementali ſimulque influentiali naturâ congruentes: nec non alia inde ſequentia. Hæc enim ſunt prima abſtruſioraque Aſtrologiæ fundamenta. Utrumque autem hoc Libro aggrediemur, Divinoque favente lumine non infæliciter abſolvemus.

CAPUT I.

An ſigna Zodaici ſint ejuſdem naturæ atque virtutis toto Orbe Terrarum.

POſt explicatam Libro ſuperiore Cœli diviſionem in naturas Elementales; jam videndum hoc Libro, qua ratione idem Cœlum per ſigna 12 dividatur in naturas influentiales Planetarum, reſpectu Globi terreſtris: ut inde pateat cum quibus ſinguli Planetæ concordent & à quibus diſſideant; ſicque Planetarum dignitates & debilitates quas vocant eſſentiales detegantur & ſtabiliantur; non ſolùm adverſus eos, qui in Aſtrologiam debacchantur; ſed eos etiam qui Aſtrologi nomen affectantes, magnâ tamen cæcitate pervertunt haſce diviſiones: non attendentes quod illas duntaxat arbitrarias efficiant, ſicque totam de judiciis Aſtrorum doctrinam evertant.

Huic autem errori primus anſam præbuit Ptolemæus Lib. 1. cap. 15. Quatrip. ubi de Planetarum domibus ſic loquitur. *Domus naturali ratione diſtribuuntur. Cùm enim ex 12 ſignis duo borealia proximè ad verticem noſtrum accedant, maximéque calores & æſtus efficiant Cancer & Leo; hæc duo ſigna maximorum & efficaciſſimorum luminum domus eſſe judicatum eſt; Leonem quidem Solis, quia ſignum maſculum eſt; Cancrum verò Lunæ, quia fæmineus eſt.* Unicuique autem cæterorum Planetarum dat duplicem domum, ut videre eſt in ipſo capite.

Cæterùm hujuſce diviſionis Zodiaci in domos Planetarias quæ traditione ſola ſubſiſtit ad noſtra uſque tempora, Ptolemæus cauſas ignoravit: ſi enim quas ſuperius attulit rationes, veræ naturaleſque eſſent; iiſdem certè de cauſis ♑ & ♒ erunt in Mundi parte auſtrali, ſigna maxime calida & æſtuoſa, atque luminarium domicilia: Aquarius quidem Solis, quia ſignum maſculum eſt; Capricornus verò Lunæ, quia fœmineus eſt; ♋ autem & ♌ erunt ♄ domicilia. In quam ſanè abſurdam omninò ſententiam, miror prolapſum fuiſſe Cardanum in Commento hiſce verbis. Ex hoc tandem ſequitur quod in auſtrali medietate, ♑ erit domus ☽, & ♒ ☉ : ♓ & ♐ Mercurii: ♈ & ♏ Veneris; ♉ & ♎ Martis; ♊ & ♍, ♃; ♋ & ♌ Saturni.

At Campanella magnus ſcientiarum depravator (quod dictum velim ad cautelam ingeniorum, qui ejus Libris novitatum plenis delectantur) errorem Cardani ampliavit Lib. 1. Aſtrol. cap. 3. artic. 3. ubi aſſerit, *priſcos Aſtrologos tantùm Climatibus noſtris conſuluiſſe; ideoque Hiſpanos qui ultra tropicum ♑ colonias traduxerunt, nova opus habere Aſtrologia*: Capite autem 6. art. 3. ait, *Non eſſe Symbolum Planetis, cum certis ſignis Cœli: ſed his qui habitant ultra Æquatorem, nobiſcum æquidiſtantes ab Æquatore, domus Planetarum ſe habere contrario ſitu; ac Solis domum eſſe in ♒, Lunæ in ♑, Saturni in ♋ & ♌, & cæterorum ut ſupra.* Sub Æquatore verò (cui Cardanus non providerat) duas, eaſdemque domus tribuit ☉ atque ☽, ſcilicet ♈ & ♎, Saturno ♋ & ♑; cæteris autem Planetis duo ſigna integra tribuere ait eſſe impoſſibile.

Tanti verò ponderis eſt hujuſce rei veritas in hac ſcientia, ut ſit judiciorum omnium præcipuum fundamentum, proindeque ſedulo examinanda. Incipiemus autem ab opinione Cardani; quippè quæ paucioribus conſtet ambagibus: idque ut fiat evidentiùs vitandum cenſemus errorem tum Ptolemæi, tum omnium hactenus Aſtrologorum, qui ex toto Telluris Globo eam ſolùm partem borealem cenſentes habitabilem, quæ Aſiam, Europam, & Africam continebat, nec quintam Globi partem æquabat; Aſtrologiam fecêre non univerſalem ſcientiam, ſed particularem tantùm obſervationem pro Aſia, Europa & Africa; quibus ſolis totum Zodiacum perperam diviſit Ptolemæus Lib. 2. cap. 2. Quatrip. At Aſtrologo toti Terræ ſcientiam univerſalem meditanti, neque declinandum ad Boream, neque ad Auſtrum; ſed ſtandum ſub Æquatore, ubi propter hoc ſeſe mentaliter ſaltem conſtituat neceſſe eſt; indeque nullo partis borealis vel auſtralis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ſtralis habito reſpectu, ſpectatis ſignorum & Planetarum naturis, non niſi res toti Terræ Globo univerſas, ideoque utrique parti communes pronuntiet.

Igitur ſuppoſitâ Aſtrorum actione in hæc inferiora; Naturæ lumine illicò intuebitur, nullum Terræ locum eſſe, quod corporum Cœleſtium influxibus non ſubjaceat: ac præ cæteris loca ſphæræ rectæ, quæ inter cætera Terræ loca, Zodiaci & Planetarum influentiis perfectiùs applicantur & ſubjiciuntur. Quamobrem cum ſphæra recta ſit norma tum ſui, tum utrinque obliquæ; inde pronunciabit, non alias ad Boream, & alias ad Auſtrum, ſed immutabiles eſſe, & eaſdem ubique Terrarum Elementales naturas ſignorum, & per conſequens, dominia Planetarum. Hæc autem erit ejus ratio. Nam ſi aliæ ad Boream, & aliæ ad Auſtrum fuerint, ut vult Cardanus, ergo nullæ ſint in ſphæra recta neceſſe eſt: cum ibidem eſſe nequeant eædem quæ ad Boream, nec eædem quæ ad Auſtrum; nullaque ſit ratio, cur potiùs ſint eædem cum Borealibus quam cum Auſtralibus. Nulla igitur poterit ibidem aſſignari natura vel qualitas effectuum cauſarum Cœleſtium, ut Eclipſis Solis, vel ſynodi luminarium. Ex Ptolemæo enim Lib. 2. Quatrip. cap. 6. & 7. cæteriſque omnibus Aſtrologis, natura talium effectuum ſumenda eſt à naturis ſignorum Eclipſis aut ſynodi, & ſequentis Cardinis, tum Planetarum ſignis illis dominantium: qualitas verò, quippè bonitas aut malignitas, ex ſtatu benefico aut malefico Planetarum ſignis illis dominantium; qui ſimpliciter nullus in ſphærâ rectâ reperietur. Ibi enim ſublatis ſignorum naturis, proindeque Planetarum dominiis, etiam tolletur primaria cauſa ſtatus Planetarum: de nullo ſiquidem dici poterit, an ſit in ſua domo, exaltatione vel his contrariis, exilio & caſu: an verò in beneficorum, aut maleficorum Planetarum locis; nulli quippe loco ullus Planeta dominabitur: nulla igitur ibidem poterit aſſignari natura vel qualitas effectuum. Nulli ergo ibi contingent effectus, cùm nulli queant ullibi evenire, quorum natura & qualitas determinari non poſſit. At ab Eclipſibus & luminarium Synodis vel Syzigiis produci effectus in ſphæra recta nemo negat: Nec rerum ſtatus uniformis in ipſa ſphæra nobis naturarum, ſignorum, & dominiorum confuſiones ibidem ſuſpicari ſinit, à quibus monſtra, prodigiaque prodirent perpetua, contra experientiam. Idemque ratiocinium inſtitui poteſt circa particulares hominum naſcentium conſtitutiones in ipſa ſphæra. Ex quibus de Nati temperamento, moribus, ingenio, actionibus, divitiis, honoribus, morte, cæteriſque accidentibus nihil præcognoſci poſſet, ſublatis Planetarum dignitatibus, & debilitatibus eſſentialibus, nec non dominiis in ſingulis figuræ locis. Non ergo aliæ ad Boream, & aliæ ad Auſtrum ponendæ ſunt naturæ ſignorum & dominia Planetarum, contra Cardani opinionem.


Veniamus ad Campanellam, qui Cardani incommodo mederi voluiſſe viſus eſt, & nihilominus incidit in Scyllam cupiens vitare Carybdin. Si igitur ut ipſe vult, nulla ſit Planetarum convenientia aut ſymbolum cum certis Cœli ſignis; cur in Boreali plagâ uſque ad Polum articum ♋ erit domus ☽, non ☉: & ♌ domus ☉, non ☽: aut cur non eadem domus ☉ & ☽? Hic Campanellæ neceſſum fuiſſet obmuteſcere, vel abſurda tantum effari. Præterea ſi à Tropico ♋ ad polum Articum Cancer & Leo, & à Tropico ♑ ad polum Antarticum Caper & Aquarius ſunt domus luminarium, ut ipſe ait, fretus ratione Ptolemæi: ſub Æquatore autem ♈ & ♎ dantur Soli & Lunæ pro domibus: patet quod ipſe velit luminariorum domos conſtitui duntaxat per eorum majorem ad Zenith approximationem: idque cap. 7. art. 3. verbis expreſſis profitetur dicens. *Ergo quoniam ☉ ubi imminet potentiſſimus, & ☽ propinquiſſima, faciunt effectus grandes quales luminaribus conveniunt: propterea ſunt domus luminarium, ubicunque talis propinquitas & robus eſt eorum, ad inferiora ſua.* Quo poſito ſaltem inde ſequitur, quod pro iis qui inter Æquatorem & Tropicos habitant, alias iterum domus ☉ & ☽ opus ſit conſtruere: ſcilicet in ♉ ♊ & ♍, pro Borealibus populis. quibus ſigna ipſa ſunt verticalia: & in ♍ ♐ & ♓ pro auſtralibus. Sicque ſigna omnia erunt domus luminarium ambulatoria & localia, tantùm deſervientia ad deſignandas ☉ & ☽ proximitates reſpectu verticis; quamvis ea ſine ſignis per ſimplices declinationes definiri queant; aliunde verò nullius planè virtutis: quod ipſe Campanella verbis expreſſis profiteri coactus fuiſſe videtur ab hac opinione, dum ſuperiùs dixit: nullum eſſe ſymbolum Planetis cum certis Cœli ſignis. Si enim ſignis virtus ineſſet aliqua Cœleſtis, negari nequit quod per hanc cum quibuſdam Planetis convenirent, & cum aliis non. At ſignis ineſſe virtutes magnas, aliunde patet ex eodem Campanella, quippè Lib 2. cap. 2. art. 3. ubi ait. *Aries facit feroces, pervicaces, trucos, audaces, improbos, inſidioſos*: Cùm ergo tales etiam homines efficiat Mars ex eodem Campanella Lib. 4. cap. 7. art. 4. Conſtat inde eſſe ſymbolum ♂ cum ♈, eademque eſt ratio de cæteris ſignis atque Planetis ex iiſdem capitibus. Quamobrem cùm hæc Campanellæ doctrina ſe ipſam evidenti contradictione deſtruat, & particularem tantùm ſive localem efficiat Aſtrologiam, non autem generalem, ſeu toti Terræ univerſalem, quam ipſe Lib. 1. cap. 3. art. 3. pollicetur: non opus eſt in ea refellenda diutiùs immorari: præſertim cùm ſublatis Planetarum dominiis (quæ duntaxat eſſent imaginaria ſublatis ſignorum viribus) univerſa Campanellæ corruat Aſtrologia, quæ circa duos illos cardines verſatur.

Hoc tamen quæri poteſt à Campanella, vel abſurdarum ejus imaginationum fautore. Si illud ſignum reſpectu cujuſque gentis eſt domus Solis, per quod ipſe ☉ vertici ipſius gentis ſit propinquior: an erit illud ſignum domus ☉ eidem genti toto anno, an duntaxat quo Menſe peragrat illud ſignum? Cur enim eſſet toto anno? Præterea cur potiùs erit domus ☉ quam ☽? Ad hæc cùm in duobus ſignis antiſciis ☉ & ☽ fiant æque propinqui vertici, quodnam antiſciorum erit domus ☉ aut ☽ cuilibet genti per univerſum Terræ Globum? & cur non aliud? Tum cur ſub Æquatore duæ domus Soli tribuuntur, unica alibi? quarum certè quæſtionum ſolutionem nullus ſanæ mentis Aſtrologus aggreditur.

Itaque cæteris quas hæc opinio parit abſurdi-

taribus omiſſis, tantùm ad evidentiorem ejus falſitatem hic apponimus Thema Cœleſte Zaga-Chriſti Principis Abyſſinorum nati Corcoræ ſub elevatione poli Borealis 6 graduum, & differentiæ longitudinis à Lutetiâ 36 grad. Qui ab Avunculo expulſus (ut ajebat) & per regiones varias tandem in Galliam delatus, ibique Regi, Cardinali Richelio, totique Aulæ & mihi etiam cognitus, demum inopiâ & mœſtitiâ confectus interiit Ruelli die 21. Aprilis 1638. ex directione infortunati à ♄ Horoſcopi ad □ ☽ dominæ quartæ.

283.3



Omnes Planetæ ſunt peregrini ☿ excepto, nulloque aſpectu benefico inter ſe connexi, ſi ☿ & ☽ ſextilem depravatum, atque ☽ & ♄ △ etiam depravatum exceperis. Porrò ♄ dominus medii Cœli exul eſt in Horoſcopo particulariter, ob ejus latitudinem meridianum 2 gr. 43'. ſuntque ☉ & ☽ inimici 10 ſpatio, atque ☉ oppoſitus ſorti in 12. Quæ omnia hominem in dignitatibus, ſuſceptis actionibus & fortuna infœlicem miſerumque arguebant. Et quia ☿ domus 3. quæ eſt conſanguineorum, fuit quadratus Medio Cœli, oppoſitus ♄ Medii Cœli domino, tum etiam Horoſcopo, nec non quadratus ♂ domino Horoſcopi, conſanguineos perſonæ ac dignitati nati infenſos atque hoſtes ſignificavit; quòd præſertim ☿ in 6. hoſtes etiam deſignaret: ♃ autem dominus ☉ in 7, fortunam inimicorum poteſtati ſubjiciebat, eò maximè quòd ipſe ♃ applicaret □ ♀ dominæ 2. fuit ingenioſus & excultus ob ☿ in Sextili ☽, ſub dominio ♀, & ☽ in △ ♄, & Horoſcopi ex 5. domo: ratiocinio & eloquentiâ pollens, ſed pertinax ob eundem ☿ oppoſitum ♄ & H°: fuit etiam luxurioſus ob ☽ dominam ♀ in 5. Et ſigno ♌ in △ ♄ & Hi: imò ☿ dominus 5. & ☉, in 6. ob Amaſiam Senatoriam carceres illi cauſavit Pariſiis, à quibus tamen juſſu Regis illicò liberatus eſt. Fuit etiam valdè triſtis & melancholicus ob exulem ♄ in H°: atque ad iram multùm propenſus ob ♂ dominum Hi, & ſignum igneum in H°. Et quia ♂ reperitur in 3. in △ ♃ domini 9 & 7; ſuntque omnes anguli in ſignis mobilibus, ideò longa variaque itinera, & fortunæ vitæque inconſtantia inde fuerunt ſignificata. Denique ♂ dominus Hi & 8 in 3, ſaltem miſeram mortem extra patriam apertè portendebat, quia naturâ maleficus; non autem violentam, quod neque Hus à ♂, neque hic à ♄, neque luminaria à maleficis læderentur, neque hæc eſſent in ſignis violentis. Ipſius autem Zagæ-Chriſti vitam & fortunæ caſus, exponit frater Eugenus Roger, Religioſus Recollectus, ad Barbariam Miſſionarius, Lib. 2. cap. 2. ſuæ in Terrâ ſancta peregrinationis. Unde conſtat Zagam-Chriſtum non fuiſſe impoſtorem ut plerique cenſuerunt, ſed verè Principem Abyſſinorum infortunatiſſimum, ut ejus figura ſatis teſtatur.

Convenit igitur maximè hæc figura fatis ipſius Principis juxta domicilia Planetarum à Ptolemæo & cæteris huc uſque tradita: ac per conſequens experientia hæc prope Æquatorem, tum rationes ſuprapoſitæ probant ſigna Zodiaci eſſe per ſe ejuſdem naturæ atque virtutis toto Terrarum Orbe, Planetarum autem domicilia etiam eadem eſſe in ſphæra Boreali, Auſtrali atque recta: cujus contrarium Cardanus & Campanella opinione ſimplici experientiis & rationibus deſtituta tradiderunt. Poſſet equidem hujus rei certior habere notitia ex Thematibus Cœleſtibus natorum in Mundi parte Auſtrali, quorum hactenus nullum videre potui: ſed quia nulla unquam experientia rationi contrariatur; ratio autem favet omninò ſententiæ noſtræ: etiam omninò arbitror illam in Auſtrali Mundo fore veram, & experientiæ congruam, ut hîc patet ex Geneſi Zaga-Chriſti.

Tandem verò tranſactis plus quam 20 annis à tempore quo de hac re in lucem edideram epiſtolam à Me tranſmiſſam ad Boreales & Auſtrales Aſtrologos; generoſiſſimus & in Aſtrologia præſertim doctiſſimus Dominus N. de Groenembergue, Claſſis Luſitaniæ Regis Præfectus, tranſmiſit ad Me natales horas duorum virorum


ultra

ultra Æquatorem natorum; cum eorum moribus, ingenio & aliquot accidentibus: Ad quas horas erexi eorum Themata Cœleſtia, quæ hic apponenda duxi, in confirmationem notatu digniſſimam doctrinæ à Nobis ſuperius traditæ.

Prima eſt Franciſci Gomez Cortez, de quo D. de Groenembergue hæc verba ad Me ſcripſit.

Naſcitur Franciſcus Gomez Cortez anno 1627 menſe Octobri, die 4. menſis ſancto Franciſco dicata, oriente Sole Olindæ Pernambuci 8 gradibus ultra Æquatorem.

Eſt inclinatus ad picturam, ſcripturam Arithmeticam, Muſicam, Tripudia, & artem gladiatoriam: ſecutus tamen eſt Militiam à juventute. Habet plurimas maculas flaveſcentes in facie, manibus & corpore; vulgo vocantur Judæ notulæ: ſubrufos etiam habet capillos; habuit litem cum aliquo quem nolens occidit.



Propenſus fuit ad Arithmeticam, Scripturam, Picturam, Muſicam & Tripudia; quoniam ♀ eſt domina Horoſcopi in domo ☿ huicque juncta. Hæc autem non eſſent niſi ♀ fuiſſet domina Horoſcopi, ideoque ♎ domus ♀, & ♍ domus ☿. Quod ſi eſſent inverſa in parte Auſtrali dominia Planetarum, Mars fuiſſet dominus Horoſcopi in domo ♃, unde ſuperior inclinatio prodire non potuiſſet, ut ſatis patet ex naturis Planetarum, quæ horum ſignis conveniunt, ut ſuo loco probabitur rationibus, præter experientiam omnibus Aſtrologis notiſſimam.

Præterea ſecutus eſt Gladiatoriam & Militiam, fuitque homicida; quoniam ♂ præeſt domui primæ, quæ eſt morum ob ♏ in 1, tum 7 quæ eſt litium, eſtque ♂ in ☋ junctus oculo ♉, illuſtri, fixæ, violentæ, de natura ♂ in △ Horoſcopi. At inverſis dominiis illud debuiſſet eſſe à ♀ juncta ☿ in domo ♃ quod horum Planetarum naturis eorumque ſignis non concordat, imò contrariatur. Sunt igitur eædem naturæ ſignorum in Mundi parte Auſtrali, quæ in Boreali.

Denique quod hic natus ſubrufos habuerit capillos, fueritque lentiginoſus facie, manibus & corpore, id habuit à Sole in Horoſcopo in △ ♂ domini primæ, juncti oculo Tauri fixæ Martiæ in △ Horoſcopi; tum à □ ☽ ad ♄ & ☉ in Horoſcopo. Omnia igitur quadrant.

Secunda eſt Philippi Bandeyra de Mello, de quo D. de Groenembergue hæc verba ad Me ſcripſit.

Naſcitur Philippus Bandeyra de Mello anno 1612. menſe Aprili, die 15. dominica Palmarum, mane horâ 5. vel unâ horâ ante Solis ortum Olindæ Pernambuci.

Semper fuit inclinatus ad arma, ſecutuſque eſt militiam à pueritia: habuit multas rixas cum diverſis; & anno 1635 occidit unum cum quo litem habuerat: & hoc accidit veſpere Bacchanalium. Peregrinatus eſt per diverſas Europæ regiones; paſſus eſt multas in mari tempeſtates & naufragia; Anno 1638 naufragus evaſit natando. Captivus ter ab Hollandis, & parum huc uſque fortunatus.

Natus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

278.48



Natus hic deditus fuit militiæ à pueritia cum pluribus rixis & homicidio, quia ♂ fuit dominus Horoſcopi & Solis exaltati in prima domo, quæ eſt de moribus, tum 7 & 8, quæ ſunt de litibus & bellis, mortiſque periculis; cum exaltatione in medio Cœli, quod eſt de actionibus & profeſſione, applicans ♄ domino Medii Cœli: proindeque ambo malefici præſunt actionibus & profeſſioni ejus.

Peregrinatus eſt per diverſas Mundi regiones ob ☿ & ♃ dominos 3 atque 9, quorum ☿ eſt in Horoſcopo, & ♃ in △ Horoſcopi atque 9.

Paſſus eſt in mari multa vitæ pericula & naufragia, quoniam Mars dominus Horoſcopi, eſt etiam dominus 8 ob ♏ ſignum aqueum; & tam ♂ quam ♄ domini medii Cœli ſunt conjuncti in ♓ ſigno aqueo, & ♂ applicat ♄: Evaſit tamen ob ♃ dominum 9, tum ♂ & ♄, in △ Horoſcopi atque Solis.

Pluries captivus fuit, quòd ♂ & ♄ domini Horoſcopi & medii Cœli ſuâ præſentiâ obſiderent cuſpidem 12, quæ eſt de carceribus; eſſentque ambo in 12; ob eandemque rationem fuit hactenus in ſuſceptis & actionibus, & dignitatibus parùm fortunatus; vixque impoſterum fœlicior erit; tribulationibus perpetuò clarus ob ☉ & ☽ oppoſitos ex prima & ſeptima domo. Caveat à morte violenta ob ☽ in 7, in antiſcio ♂ & ♄.

Poſſuntne dari in Boreali Terræ parte Geneſes, quæ natorum temperamento, moribus, ingenio & fortunæ caſibus congruant accuratius? Ergo quod olim ſola ratione detexi atque ſuppoſui, jam experientiâ probatur veriſſimum: ſcilicet tam in parte Boreali quàm Auſtrali Terræ, eaſdem & invariabiles eſſe naturas ſignorum & dominia naturaſque Planetarum; quod tamen tribus rationibus hic adhuc confirmare libet.

Prima: Quia Sol in utroque Hemiſphærio deprehenditur eſſe calidus & ſiccus, in quocunque ſigno verſetur: Luna frigida & humida: Saturnus frigidus & ſiccus, &c: Cùm ergo hoc non habeant à ſignis Zodiaci, neceſſario concludendum eſt, quod hæc ſit eorum natura propria, quam per Planetarum motum in ſua orbita, vel excentrico mutari, dùm à parte Boreali Mundi tranſeunt ad Auſtralem, fatuum eſſet opinari. Quæ enim eſſet eorum natura propria ſub ipſo Æquatore?

Secunda: Si naturæ ſignorum eſſent alia in parte Auſtrali, quàm in Boreali; corrueret natura triplicitatum. Si enim ♐ apud Auſtrales eſſet aqueus, ergo ♈ & ♌ eſſent etiam aquei, contra experientias Borealium, in Aeris & Natorum temperamentis.

Tertia: Si Aſtrologus in parte Auſtrali degens figuras erigeret plurium Natorum Borealium; experientiâ reperiret quod ☿ in ♍ & prima domo, excellentius & Mathematicis aptius efficeret ingenium, quàm in quovis alio ſigno, cæteris paribus; ſique aliter judicaret à veritate aberraret, at idem in parte Boreali obſervamus: ergo alia non eſt natura Planetaria ſigni ♍ in parte Auſtrali, quàm in Boreali; utrobique ſcilicet Mercurialis.

Verùm circa haſce figuras Auſtrales monendus eſt Lector; quod in Tabulis Rudolphinis à Me abbreviatis dixi obiter quomodo ſint erigendæ. At hic aliam & breviorem methodum explicare placet, ſequentibus præmiſſis.

Primùm. Aſcenſiones rectæ punctorum oppoſitorum, diſtant ubique locorum 180 gradibus inter ſe.

Secundùm. Aſcenſiones & deſcenſiones obliquæ punctorum Cœli, habentur in Telluris parte Auſtrali, per eorum aſcenſiones rectas & differentias aſcenſionales, modo prorſus contrario, & qui obſervatur in parte Boreali.

Tertiùm. Aſcenſiones obliquæ punctorum oppoſitorum in eadem latitudine loci, vel eodem Terræ loco, differunt inter ſe ſummâ aſcenſionalis differentiæ punctorum ipſorum, & horum eadem eſt aſcenſionalis differentia.

Quartùm. Aſcenſio & deſcenſio obliqua ejuſdem gradus Eclipticæ vel puncti Cœli, in eadem lati-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

latitudine loci; differunt duplo aſcenſionalis differentiæ ipſius gradus.

Quintùm. Aſcenſio Borealis & aſcenſio Auſtralis ejuſdem gradus in æquali latitudine loci, vel Terræ locis diametrialiter oppoſitis, differunt duplo aſcenſionalis differentiæ gradus ipſius.

Sextùm. Aſcenſio Borealis cujuſvis gradus, & ejus diſcenſio Auſtralis in æquali latitudine loci, identificantur. non ſecus ac deſcenſio Borealis & aſcenſio Auſtralis.

Septimùm. Aſcenſio obliqua unius puncti Eclipticæ in parte Boreali, & aſcenſio obliqua puncti oppoſiti in parte Auſtrali, in æquali latitudine, differunt ſemicirculo; non ſecus ac deſcenſio Borealis & deſcenſio Auſtralis.

Octavùm. Ut in Telluris parte Boreali gradus Eclipticæ cuſpidum, ſive domorum orientalium, correſpondent ſuis aſcenſionibus obliquis; & his oppoſiti ſuis deſcenſionibus obliquis, per Tabulas à Regiomontano conſtructas; debent è contra in parte Auſtrali, gradus cuſpidum orientalium 11. 12. 1. 2. 3. correſpondere ſuis deſcenſionibus obliquis, & his oppoſiti ſuis aſcenſionibus obliquis per eaſdem Tabulas. Et ratio eſt, quia pars Cœli quæ nobis aſcendit, Auſtralibus deſcendit; & contra. Ideoque quod Borealibus eſt aſcenſio, Auſtralibus eſt deſcenſio; & viceverſa. Atque ſupradicta in Globo Cœleſti evidentiſſimè patent.

Nonùm. Aſcenſio recta Solis, & datæ horæ converſæ in gradus Æquatoris; faciunt ubique locorum aſcenſionem rectam Medii Cœli ad datum tempus.

His intellectis, jam pro erigenda figura Cœleſti, talis eſto modus generalis in Mundi parte Auſtrali.

Primò. Per datum tempus in parte Auſtrali, converſum in gradus Æquatoris & aſcenſionem rectam loci Solis, ſumpti ad illud tempus debitè correctum & æquatum, fiat aſcenſio recta Medii Cœli, ſumaturque gradus Eclipticæ ipſi congruens.

Secundò. Si deſint domorum Tabulæ, congruentes latitudini loci ad quem figura eſt erigenda; rectæ aſcenſioni Medii Cœli addantur 30 gradus, pro aſcenſione obliqua domus vel cuſpidis 11. & huic adhuc 30 gradus, pro aſcenſione obliqua 12: & huic adhuc 30 pro aſcenſione obliquâ Horoſcopi, &c: & ſit in erectione figuræ in parte Boreali pro 5. domibus orientalibus 11. 12. 1. 2. 3.

Tertiò. Quæratur elevatio Poli tam Borealis quàm Auſtralis ſupra ipſarum ſingularum domorum circulos poſitionis: & inveniantur per Regiomontani Tabulas, gradus Eclipticæ congruentes ipſis domorum aſcenſionibus, ut fit in figura pro parte Boreali: nam ipſarum cuſpidum gradus, erunt gradus cuſpidum ſive domorum orientalium, vel aſcendentium in parte Auſtrali; quamvis in hac parte eorum aſcenſiones obliquæ differant ab eorundem graduum aſcenſionibus obliquis in parte Boreali. Hoc autem nihil erit aliud quàm pro parte Auſtrali conſtruere figuram Borealem.

Proponatur in exemplum figura Franciſci Gomez Cortez erigenda pro Olinda Pernambuci, anno 1627 die 5. Octobris, hora 18. 2′. 24″. quo momento Sol ibi oritur: huicque tempori addantur 3 horæ 4′. pro 46. gradibus differentiæ meridianorum ab Uraniburgo, loco Ephemeridum Kepleri orientaliore; fientque 21 horæ 6′. 24″. Ex quibus detrahendo 12′. pro æquatione temporis ex Tabula noſtra, relinquentur 20 horæ 54′. 24″. pro tempore medio Uraniburgi.

Locus Solis ad hoc tempus ex Keplero eſt 10 gradibus 38′. ♎: Cujus aſcenſio recta eſt 189 gr. 46′; & horæ 18. 2′. 24″. valent 270 gr. 36′; quorum ſumma eſt 100 gr. 22′. pro aſcenſione recta Medii Cœli, cui congruunt 9. gr. 31 ♋. His 100 gr. 22′ adde 30, fient 130 gr. 22′, pro Boreali aſcenſione obliqua 11. domus, quæ Polum Borealem habet elevatum 4 gradibus 2′; ideoque gradus Eclipticæ congruens huic domui vel cuſpidi, erit 9 gr. 14′. ♌, neglectis ſecundis. Ipſis 130 gr. 22′. adde 30, fient 160 gr. 22′. pro Boreali aſcenſione 12 domus, quæ ex Regiomontani Tabula domorum rationali, Polum Borealem habet elevatum 6 gradibus 57′; & gradus Eclipticæ congruens huic cuſpidi, erit 9 gr. 47′. ♍. Ideoque in figura pro parte Auſtrali, Medium Cœli erit 9 gr. 21′. ♋: domus 11. erit 9 gr. 14′ ♌: domus 12. erit 9 gr. 47′. ♍: & ſic de aliis domibus 1. 2. 3: Oppoſitæ autem habebunt oppoſitos gradus Eclipticæ. Atque hoc modo erecta erit figura Auſtralis, per deſcenſiones Auſtrales ſuarum cuſpidum, orientalium vel aſcendentium in Mundi parte Auſtrali.

At aſcenſio obliqua Auſtralis cujuſque domorum ipſarum 11. 12. 1. 2. 3. ſic invenietur pro directionibus punctorum partis Cœli aſcendentis.

Sit invenienda aſcenſio obliqua Auſtralis 11 domus, ſive 9 gr. 14. ♌; horum aſcenſio recta valet 131 gr. 41′. Et declinatio Borealis 18 gr. 7′. Et differentia aſcenſionalis in Polo 4 gr. 2′. eſt 1 gr. 18′: Cujus duplum 2 gr. 36′. additum aſcenſioni obliquæ Boreali 11 domus, ſcilicet 130 gradibus 22′. facit quæſitam aſcenſionem obliquam 132 gr. 58′. quæ etiam habebitur ſi aſcenſioni rectæ ipſorum 9 gr. 14′ ♌, addatur ſimplex differentia aſcenſionalis 1 gr. 18′. Si autem declinatio fuiſſet Auſtralis, differentia aſcenſionalis vel ejus duplum fuiſſent ſubſtrahenda. Atque ſimili prorſus modo faciendum eſt pro aſcenſionibus obliquis Auſtralibus aliarum domorum 12. 1. 2. 3. Ut hæc omnia ex 9 ſupra notatis, vel ex Globo Cœleſti patent.

Ex his verò ſatis inſinuatur quod in figura Auſtrali, directiones ſignificatorum in Thematis parte aſcendente aut deſcendente verſantium, omninò faciendæ ſunt per Regiomontani Tabulas, vel Argoli, ut in figura Boreali. Ideoque in figura Philippi Bandeyra de Mello, & homicidio per ipſum facto veſperi bacchanalium anno 1635, deducitur datum tempus fuiſſe vero tardius circiter 13′. horæ: quo poſito Horoſcopi directio die bacchanalium fuit in Sextili ſiniſtro ♂ domini Horoſcopi, Solis in prima, & 8: ipſoque die Sol tranſitu fuit partiliter in loco radicali ♂; Luna autem quæ 7. occupaverat in radice, tranſivit per locum radicalem Solis. Sed de figuris Auſtralibus dixiſſe, hactenus ſufficiat.

CAPUT

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Caput II.

Zodiacum à Sole diviſum fuiſſe initio Mundi in partes, ſingulis Planetis Elementali ſimulque influentiali naturâ congruentes.

Quoniam 4 naturæ primò contrariæ reperiuntur diſtinctæ in Zodiaci partibus: Neque his inſunt à Cœlo, quod eſt maximè homogeneum; ſed tantùm à Sole illas determinante, ut dictum eſt cap. 5. Lib. 14. Ergo ab eodem Sole diviſus etiam erit Zodiacus ipſe in Elementales omnium Planetarum naturas; horum enim quilibet eſt alicujus ex 4 contrariis: Quippe ☉ & ♂ ſunt calidi ſicci, ideoque ignei, Mars autem intenſiùs: Jupiter verò quia in ipſo etiam calor dominatur, ad naturam igneam magis accedit quàm alteram; minùs autem quàm Sol. At Luna eſt naturæ aqueæ, ♄ terreæ, ♀ aereæ; & denique ☿ quia in ipſo prævalet ſiccitas cum tantilla frigiditate, ad naturam quoque terream reducendus eſt. Quocirca à Zodiaci partibus ut ſupra dictum eſt determinatis, effundentur in hæc inferiora contrariæ omnium Planetarum naturæ, quales ſcilicet inſunt ipſis corporibus Planetarum, ut de ☉ in ♈ initio Mundi dictum eſt cap. 5. Lib. 14. Planetis ſiquidem inſunt qualitates Elementorum etiam perfectiori & efficaciori modo, quàm ipſis Elementis: & patet ex calore ☉, quem ne quidem æquaret calor Globi ferrei igniti, apparentis diametri ad ☉ decupli, in unico duntaxat à Tellure milliari circumducti.

Et quia natura ſeu virtus completa Planetarum, ob horum mixtionem formamque ſubſtantialem conſtat qualitatibus Elementalibus & influentiâ: à quovis autem ſigno Horoſcopante, Planetis etiam vacuo prodire obſervantur circa nati temperamentum mores, ingenium, &c: Qualitates tum Elementales, tum influentiales alicujus Planetæ propriæ: omnino ſequitur, quod ab eodem ☉ Zodiacus initio Mundi ſimul diviſus fuerit per determinationem in Planetarum naturas tum Elementales, tum influentiales. Et ergo ambæ naturæ ſunt in Planetis inſeparabiles: Ita in Zodiaci partibus ſive ſignis erũt inſeparabiles: ac proinde dantur ſigna ſive loca in Zodiaco, cujuſque Planetæ virtuti tum Elementali, tum influentiali congruentia. Idque non modò patitur Cœli homogeneitas, & indifferentia eminentialis, ad quamvis naturam determinabilis; ſed ratione etiam ſic convinci poteſt. Cùm enim probet experientia, quod poſito Planeta in quolibet Zodiaci loco, prodeat influxus in hæc Sublunaria juxta Planetæ ipſiuſque loci vel ſigni naturam: ſi Planeta & ſignum in natura tam Elementali quam influentiali convenerint, ſimplex inde conſurget influxus, ex quo tum ſigni, tum Planetæ natura facilè detegetur: ſi verò non convenerint, mixtus ex naturis diverſis conſurget influxus: atqui non datur mixti cognitio, ſive prævia ſimplicis notitia: aut ergo nulla erit influxns Planetarum ſignorumque cognitio, contra experientiam; aut erunt in Zodiaco partes ſingulis Planetis tum Elementali tum influentiali naturâ congruentes, quibus ſimplices præſciantur Planetarum influxus; quandoquidem Planetarum quemlibet ſemper neceſſe eſt verſari ſub aliquo ex 12 ſignis Zodiaci.

Caput III.

In quo influentiales ſignorum naturæ deteguntur, & Planetarum domus ſtabiliuntur.

Supradictis igitur expoſitis, quoniam ut in ſignis, ita in Planetis alius magis, alius verò minùs eandem naturam Elementalem participat; ut videre eſt Lib. 12. Sect. 2. cap. 1. Tum Lib. 13. Sect. 1. cap. 2. Ergo ſi cuilibet Planetæ aſſignetur pars Zodiaci, illi magis congruens ſecundum intrinſecam naturam Elementalem; etiam eidem magis congruet ſecundum influentialem; quandoquidem ambas naturas, ut in Planetis, ſic in ſignis inſeparabiles eſſe diximus, darique in Zodiaco ſigna cujuſque Planetæ virtuti, tum Elementali, tum influentiali congruentiâ: ideoque pars illa Zodiaci rectè vocabitur ipſius Planetæ domus: in qua nempe nullo contrariante, ſed velut in altero ſeipſo, proindeque duplicatis viribus, ſimpliciter ſit acturus juxta prædominantem naturam ſuam intrinſecam. Ac propterea cum ☉ naturæ ſit igneæ, ei pro domo ſignum erit igneum. At qnia ☉ non eſt Planeta in quo maximè viget igneæ naturæ acritudo, non ei pro domo conveniet ♈, in quo talis natura maximè viget: ſed neque ♐, qui eandem naturam omnium minimè participat; quia Sol non eſt Planeta in quo omnium minimè vigeat ignea natura: ergo cùm in ☉ utcunque flammante, naturâ ignea vigeat duntaxat mediocriter, ob copiam humidi, aerei, æthereique, quâ nutritur ſtupenda illa totius Mundi lampas; ac vigeat etiam mediocriter in ♌: erit Leo domus Solis genuina. Marti autem Planetarum omnium ignis acrimoniam maximè participanti, conveniet ♈; & ♐ Jovi Planetæ ex antea dictis igneo, ſed omnium minimè.

At Lunæ Planetarum maximè aqueæ, domus erit ♋, ſignorum maximè aqueum: Saturni maximè terrei domus erit ♑ ſignum maximè terreum: Veneris maximè aereæ ♎, ſignum maximè aereum: & denique ☿ ad naturam terream tantillum inclinantis, domus erit ſignum ♍, ex terreis virtute ultimum.

Atque iſtæ ſunt domus, quæ 7 Planetis juxta prædominantem in eis naturam intrinſecam, hoc eſt Elementalem, ſimulque influentialem, maximè congruunt, ideoque horum domus primariæ dicendæ ſunt: quamvis plerique Saturno ♒, & Marti ♏, pro primariis domibus aſſignent, illos contemperandi gratiâ, quod tamen hic non eſt advertendum; ſed duntaxat quilibet Planeta in ſibi ſimili domo locandus, vi ſupradictæ determinationis.

Quoniam verò Sol & Luna unius tantum ſexus & conditionis exiſtunt, ideoque unius tantùm naturæ formalis, Sol quippè maſculinus, diurnus & igneus; Luna verò fœminina, nocturna & aquea: idcirco eorum cuilibet unica domus com-

petit

petit & ſufficit ad totalem ſuæ naturæ virtutem connaturaliter exercendam; Soli nempe Leo, ſignum igneum, maſculum & diurnum; Lunæ verò Cancer, ſignum aqueum, fœmininum atque nocturnum, qualia ſunt ipſa luminaria naturis inter ſe contraria.

At reliquorum Planetarum quilibet, quia duplici ſexu & conditione pollet, ideoque naturâ duplici & contrariâ ex cap. 2. Sect. 2. Lib. 13. Idcirco unica ei domus ſufficere nequit ad totalem ſuæ naturæ virtutem connaturaliter exercendam: nam etſi quodlibet ſignum materialiter ſpectatum, vel ut pars Cœli, contineat eminenter naturas omnes contrarias: tamen formaliter ſpectatum, vel ut ſignum, unius tantùm exiſtit ex naturis contrariis; ejus ſcilicet ad quam à ☉ determinatum eſt initio Mundi. Ut ergo luminaribus ob unicam naturam, unica domus in Zodiaco competit: ita Planetis reliquis ob duplicem naturam, duplex domus concedenda erit: utraque verò congruens cujuſque Planetæ naturis contrariis, juxta cujuſque intenſionis gradum, quantum fieri poterit, ut jam obſervatum eſt in domorum principalium diſtributione, ob rationem ibidem expoſitam.

Idcirco quia ♃ pollet naturis contrariis, ignea quippe formaliter ſimulque eminenter, & per conſequens aquea duntaxat eminenter in eodem intenſionis gradu: eſt autem ex Planetis minùs igneus formaliter, eique propterea ♐ ex ſignis minùs igneum pro domo principali ceſſit: ei etiam ♓ ſignorum minùs aqueum pro minùs principali domo quadrabit: in qua ſcilicet acturus ſit efficaciùs penes propriam eminentialemque naturam aqueam; proprium eminentialemque ſexum fœmininum, & propriam conditionem nocturnam. Sic ☿ ex Planetis minùs Terreo formaliter, pro minùs principali domo conveniunt ♊, ſignorum minùs aereum. At ♄ maximè Terreo formaliter, conveniret ♎ pro minùs principali domo, quia eſt ſignum maximè aereum: ſed quia ♀ formaliter maximè aereæ convenit pro domo principali: idcirco ♒ ſuccedens Libræ, vel in hujus △ ſiniſtro poſitus, ideoque virtute ſecundus in aerea Triplicitate, erit ipſius ♄ domus ſecundaria vel minùs principalis. Eadem ratione ♂ maximè igneo, conveniret ♋ pro minùs principali domo, ſed quia eſt Lunæ domus principalis; idcirco ♏ ſuccedens Cancro, erit domus ſecundaria Martis. Denique ♀ maximè aereæ conveniret ♑ pro minùs principali domo, ſed quia eſt domus ♄ principalis, idcircò ♉ ſuccedens ♑ erit domus ſecundaria Veneris.

Notandum tamen eſt, quod Planeta quilibet in ſua domo principali efficaciùs agit Elementaliter, tum etiam influentialiter, ſi ambo ſexu conveniant: alioquin efficacius influet, ex minùs principali, ſed ejuſdem ſexus: ſic ♄ validius refrigerat ex ♑: ſed validius influit ex ♒: ſic ♀ validiùs humectat ex Libra, at validiùs influit ex ♉: ♂ autem ex ♈ vires ſuas Elementales ac influentiales effundit validiſſimè: eademque eſt ratio in cæteris.

Præterea notandum, quod ſignorum determinatio ad naturas Planetarias non fuit per ſitum ſuorum dominorum ſub illis: Tum quia ☉ initio Mundi non fuit in ♌ ſed in ♈: Tum quia ex ♄ ♃ ♂ ♀ ☿ quilibet duas ſortitur domos, ſub quibus ſimul eſſe non potuit. Congruenter igitur à Sole duntaxat, ut Planetarum omnium Rege & Chorago facta eſt modo hactenus expoſito.

Sic igitur hiſque de cauſis non fictitiis ſed naturalis fundamento & experientia innixis, 12 ſigna Zodiaci 7 Planetis juxta cujuſque naturam diſtribuuntur. Unde patet diviſionem Zodiaci in naturas tum Elementares, tum Planetarias, nobis ab Antiquis cabaliſticè duntaxat & ſine legitimis rationibus traditam; non eſſe humani intellectus inventum; tum quòd non conſtet inter primos Aſtrologiæ Scriptores de ejus inventione vel Authore; tum quòd nullius etiam primorum hominum vita, in illa experientiis detegenda & ſtabilienda ſufficere potuerit; plurium verò hominum ingenia circa idem tanti temporis & difficultatis inventum conſpirare, ſit ab eorum natura & conſuetudine alienum. Itaque dicendum, illam diviſionem, non ſecus ac diviſionem domorum figuræ Cœleſtis, prodiiſſe ex ſcientia illa univerſali, quam Deus Optimus Maximus intudit Adamo initio Mundi, per quam cùm rebus omnibus vera & eſſentialia nomina impoſuerit, (ut Scriptura ſacra teſtatur) fatendum eſt illam fuiſſe ampliſſimam & perſpicaciſſimam in Cœlo & in Terra.

Ex ſupradictis verò ſic domum Planetæ definire licet: quod nempè ſit Zodiaci ſignum ipſi Planetæ naturâ Elementali, vel influentiali, vel utraque maximè affine ſeu conforme per determinationem.

Cæterùm ideò fuit Cœlum in partes diverſarum virium Planetariarum determinativè diviſum: tum ut ſuppleret virtutem Planetarum ſub Terra latentium; tum quia propria cujuſvis ſpatii vel domus figuræ Cœleſtis accidentia, ſubſunt alicui Planetæ à quo ipſa excitantur promoventurque, & de cujus natura eſſe deprehenduntur: nec ſunt promiſcuè à quolibet Planeta, ideoque oportet ab eò tantùm eſſe, qui ad illius ſpatii accidentia determinatus eſt, ut infra loco proprio oſtendetur. Poteſt autem Planeta tantùm determinari, vel corpore, vel dominio, vel aſpectu: Ac proinde cùm ſæpe accidat, ſpatium vel figuræ domum deſtitui corpore, vel efficaci aſpectu Planetæ, neceſſe fuit, ut pars ea Cœli quæ ſpatium occupat, etſi illa ſit ex ſe eſſentialiter indifferens, fuerit ad alicujus Planetæ naturam determinata: ut ſcilicet producantur accidentia de ipſius ſpatii natura; imò accidentia quæ ſint determinatæ cujuſpiam naturæ Planetarum. Inde verò maximè commendatur Dei ſapientia, qui Planetarum propriis motibus continuò vagantium ad Boream, Auſtrumque, & diurno motu raptorum, congreſſui tum abſentiæ voluit ſubvenire: ne primariis mundi rectoribus Planetis, uno in Cœli loco acervatis (ut in mea Geneſi) Terræ loca earum aſpectu privata, tum etiam verticaliter ſuppoſita nimis paterentur; hæc quidem exceſſu, illa verò defectu influxus Planetarum; ſed his ſubveniretur, illa temperarentur, per diſpoſitionem in Cœlo virtutis Planetarum, quæ alioquin in unicum Cœli locum coacta eſſet intolerabilior.

Porrò hæc ſignorum antiquiſſima diviſio mirè quadrat Tychonis ſyſtemati, in quo Sol & Luna

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Luna ponuntur revolvi circa Terram ſolam, à ſe invicem & ab aliis Planetis liberi. At ♄ ♃ ♂ ♀ & ☿ primariò revolvuntur circa Solem cui alligati ſunt, quemque ut ſuum Choragum obſervant: Secundariò autem circa Lunam atque Terram. Sic enim Solis & Lunæ domicilia quippè ♌ & ♋ ſunt veluti centra domorum reliquorum 5 Planetarum, quorum domus utrinque circundant luminarium domos, eodem ordine quo in ipſo ſyſtemate, eorum corpora circumdant corpus Solis. Scilicet ambæ domus ☿ proximè circundant Solis & Lunæ domos; tum ambæ domus ♀; tum ambæ ♂, indeque ambæ ♃, ut tandem ambæ ♄ à Leone & Cancro maximè diſtent; ut patet in infra poſito ſchemate: unde confirmatur ſyſtematis Tychonici veritas, ac deducitur, verum Mundi ſyſtema priùs Aſtrologis ratione, quàm ipſis Aſtronomis obſervatione innotuiſſe.

♑	♐	♏	♎	♍	♌	♋	♊	♉	♈	♓	♒
♄	♃	♂	♁	☿	☉	☽	☿	♀	♂	♃	♄

Prætereà hoc etiam notatu dignum eſt, quod ambæ domus ☿ ſunt in aſpectu Dodectili domorum Solis & Lunæ: ambæ domus ♀ in ⚹: ambæ ♂ in □: ambæ ♃ in △: & ambæ ♄ in ☍: imò ſinguli Planetæ ex ſuis domibus maſculinis Solis domum fœlici radio aſpiciunt, & ex ſuis domibus fœmininis, fœlici quoque radio Lunæ domum excepto ♄, qui ſuis domibus opponitur domibus Luminarium.

Econtra verò maſculinæ Planetarum domus ſunt in pravo aſpectu domus ☽: & fœmininæ in pravo aſpectu domus ☉: quod certe luminarium dignitati etiam maximè convenit; tum ſexui & naturæ omnium Planetarum.

Sed forſan quæret aliquis, cur poſita ſignorum diviſione in naturas Elementales juxta caput 5. Lib. 14, Solis domus non ſit ♈, & Lunæ domus ♓: cum ♈ ☉; & ♓ ☽ in Elementali natura conveniant; Sol poſitus fuerit in ♈ initio Mundi, poſſintque reliqui Planetæ ſuas habere domos ejuſdem naturæ Elementalis, & eodem modo circa ♈ & ♓ diſpoſitas, ut ſuperiùs circa ♌ & ♋, quod ſequenti themate patet.

♍	♌	♋	♊	♉	♈	♓	♒	♑	♐	♏	♎
♄	♃	♂	♀	☿	☉	☽	☿	♀	♂	♃	♄

Ratio duplex afferri poteſt. Prima, quia ex antea dictis, Planetarum domus conſtituuntur per maximam ſigni & Planetæ connaturalitatem Elementalem; quæ non datur inter ☉ & ♈; ſed inter ♂ & ♈, quibus maxima igneæ naturæ acrimonia competit: nec etiam datur inter ☽ maximam aqueam naturâ, & ♓ ſignum inter aquea remiſſius: nec inter alios Planetas aliaque ſigna. Secunda, quia æquale fuiſſet Planetarum dominium in Mundi parte Boreali & Auſtrali; ſi quidem Sol præfuiſſet Boreali, Luna Auſtrali, & quilibet ex aliis ♄ ♃ ♂ ♀ ♀ dominatus fuiſſet tum in Boreali, tum in Auſtrali: at futura erat maxima differentia atque diſparitas inter utramque; & Auſtralis inferior ac obediens Boreali; illud ergo non etiam conveniebat Dei ſapientiſſimi decreto de fœlicitate & præeminentia Borealis Terræ partis.

Objicies. Lucem (hoc eſt Solem ex Nobis) creatam fuiſſe primo die; Planetas autem reliquos fuiſſe duntaxat die quarto factos: ergo Sol initio ſuæ creationis non determinavit dodecatemoria ad naturas Planetarum qui nondum extabant.

Reſpondeo. Quod ſi lux primo die creata, fuit Globus vel congeries omnium Planetarum nondum inter ſe diſcretorum, ut à ſimili diximus de Globo Terreſtri Lib. 2. cap. 8: nulla apparet difficultas quod Sol qui illo Globo præpollebat virtute & magnitudine (quandoquidem Sol in hypotheſibus Lansbergii in ſua Uranometria ſit ſaltem ſeptuplo major reliquis omnibus ſimul Planetis, quorum Rex futurus erat) etiam primo creationis die ſigna determinaverit ad naturas 7 præcipuorum Planetarum.

Caput IV.

De Planetarum exiliis.

Signa Planetarum domibus oppoſita, ab Antiquis vocata ſunt illorum exilia, tum etiam detrimenta. Ac proinde quoniam ſignum ♒ opponitur Leoni, quæ eſt Solis domus, dicitur ♒ eſſe exilium Solis: Similiter quoniam ♋ & ♌ opponuntur ſignis ♑ & ♒, quæ ſunt domus ♄, erunt ♋ & ♌ exilia, ſive determinata ♄, atque ſic de cæteris.

Sic autem rectè mihi videntur appellari tribus de cauſis. Prima, quia ut inter homines locus exilii diſtat à nativitatis, vel incolatus loco; ita exilium Planetæ tota Cœli diametro diſtat ab ejus aliqua domo, quam ſupra diximus eſſe ipſi Planetæ connaturalem. Secunda, quod Planeta exul verſatur in ſigno partim ſuæ naturæ contrario: & domo Planetæ Elementaliter aut influentialiter inimico: quod patet de Sole in ♒ domo ♄ vel ex ♄ in ♌ domo Solis, & ita de reliquis. Tertia, quia Planeta exul, radio oppoſito & malefico propriam domum inficit.

His ergo de cauſis Planeta exul aut virtute torpere, aut malignitatem quandam induere dicitur: non quòd in ſe mutetur, ſed quòd ejus proprius influxus noſtri reſpectu pervertatur, ut proprio loco explicabitur. Unde non abs re Planeta ipſe in ſuo exilio vel detrimento conſtitutus eſſe dicitur, exilio quidem reſpectu ſui, detrimento autem reſpectu noſtri.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Tabula in qua exponuntur ſingulorum Planetarum domus, exilia, inimici, tum ſigna oppoſita.

♀	☿	☽	☉	☿	♀
♉	♊	♋	♌	♍	♎
♏	♐	♑	♒	♓	♈
♂	♃	♄	♄	♃	♂

Leo eſt domus Solis, Aquarius ejus exilium, & Saturnus ejus inimicus: Leo autem & Aquarius ſigna oppoſita, eademque eſt ratio in cæteris columnis. Viceverſa autem ♒ eſt domus ♄, Leo ejus exilium, & Sol ejus inimicus.

Caput V.

De Planetarum exaltationibus & caſibus.

DE his agunt Ptolemæus Lib. 1. Quatrip. & Cardanus in Commento. Sed harum cauſas vel rationes afferunt æque vanas, ac pro dominibus expoſuere: ex quibus nempe ſequitur alias eſſe Planetarum exaltationes in Mundi parte Auſtrali quàm in Boreali, quod etiam à Campanella aſſertum eſt, multaque alia involvunt abſurda quæ Pico Mirandulano & cæteris opportunam juſtamque in Aſtrologos cavillandi occaſionem præbuêre. Eorum verò ſingulas explicare ac refellere rationes, mera eſſet jactura temporis in rebus vanis non inſumendi, cùm præſertim ſufficienter evertantur à ſimili eorum, quæ cap. 1. ſunt à nobis dicta pro immutabilitate domorum. Itaque cùm experientia non minùs confirmet exaltationes quàm domicilia Planetarum, hic tantùm nobis ſupereſt earum fundamentum, vel cauſas veriores inquirere, & circa hæc noſtram ferre ſententiam.

Dico igitur quod ſigna cardinalia non temerè dicta ſunt mobilia & cardinalia etiam: quoniam ab illis mutationes frequentius accidunt: imò eæ, quæ cæteris majores ſunt. Et ratio eſt, quòd cùm ſigna illa ſint fontes primarum qualitatum in Cœlo, ut diximus Lib. 14. Ac proinde ad mutationes, imò majores mutationes eſſe illa præ cæteris apta pronaque; maximè verò æquinoctialia ſigna ex cardinalibus primaria, ut eodem Lib. 14. oſtenſum eſt. Fuit autem obſervationibus Aſtrologicis deprehenſum, in 4 ſignis cardinalibus, tum iis quæ ex cardinalium primariis contigua ſunt, Planetarum virtutes ſic exaltari, vel juvari, ut in magnos effectus erumperent ſubito, & quaſi violenter, aut ſupra vires proprias; quod iiſdem Planetis non accidit dum proprias etiam domos ingrediuntur vel peragrant. Inde ergo ſigna ſupradicta ab Antiquis dicta ſunt exaltationes Planetarum; non autem (ut ex Plinio fabulatur Picus Lib. 6. in Aſtrol. cap. 14.) quòd Apogæa Planetarum olim fuerint in illis ſignis, in quibus ipſi dicuntur exaltari; quandoquidem Martis apogæum nunquam fuit in ♑, nec apogæum ♀ in ♓; ut conſtat ex Tabulis Rudolphinis.

Porrò id minimè fit indifferenter, ut ſcilicet Planeta quivis, in quovis ſignorum ipſorum exaltetur: ſed ut cætera cuncta rationaliter effecta ſunt, ita etiam quilibet Planeta ſuum in quo exaltetur ſignum rationaliter ſortitus eſt; non quidem per ſe affinitate naturæ; Jupiter enim igneus exaltatur in ♋ ſigno aqueo, & ♄ terreus exaltatur in ♎ ſigno aereo; nec amicitiâ aut inimicitiâ cum dominis ſignorum exaltationis; Saturnus enim exaltatur in domo inimicæ ♀, ♀ autem in domo amici ♃: Nec ſimilitudine conditionis aut ſexus: Jupiter enim ex Lib. 13. Sect. 2. cap. 1. & 2. maſculinus eſt atque diurnus, cùm tamen exaltetur in ♋ ſigno fœminino atque nocturno: ſoluſque Mercurius excipitur, quem contingit in ♍ propria domo exaltari: ſed Planetæ omnes, ſuas in Zodiaco exaltationes ſortiti ſunt, proportione virtutis propriæ, ad virtutem ſignorum in quibus ſinguli dicuntur exaltari. Ita ut qui Planeta ex ſe majoris virtutis exiſtit, ei Zodiaci locus efficacior jure debeatur, ut ex congrua Planetæ atque loci proportione virtutis, Planeta ipſe efficaciùs operetur; unde Planeta in tali loco viribus exaltari dicitur; taliſque locus exaltatio virtutis Planetæ meritò nuncupatur. Etenim non ſecus ac parva baliſta, magno miſſili Globo effectum producere nequit ſibi aut Globo correſpondentem; nec etiam ingens baliſta, exiguo Globo: ſed ad effectum baliſtæ & Globo proportionatum, ambo proportionata eſſe oportet: ita Planetæ ex Zodiaci locis virtutis gradu proportionatis, inſignes producunt effectus: ex iis verò qui neque virtute, neque virtutis gradu ſunt affines aut proportionati, agunt vel contra naturam propriam, vel admodum debiliter.

Ex ſupradictis verò deducitur; quòd cùm hæc Planetarum dignitas non eis conveniat ſimilitudine naturæ, ab Aſtrologis incongruè dici videtur eſſentialis.

Quoniam igitur Planetæ in Zodiaco, ut domos ſimilitudine naturæ ſortiuntur, ita exaltationes proportione virtutis: idcirco Soli Planetas omnes virtute ſuperanti, debetur Aries pro exaltatione, ſignorum primarium & efficaciſſimum: Tribus vero Planetis ſuperioribus debentur reliqua ſigna cardinalia; quippè ♄ horum ſupremo & potentiſſimo, Libra: Jovi, Cancer: & Marti, Caper, Cancro virtute inferior, ut alibi oſtenſum eſt. At tribus inferioribus conveniunt ea ſigna quæ æquinoctialibus adjacent, quippè ♀ Piſces, Mercurio, Virgo; Lunæ, Taurus, qui &

adjacet Arieti, & medius eſt inter ſigna cardinalia Borealia, quorum uni, nempè Cancro Luna ipſa dominatur: unde ſitus hic Planetarum infimo nobiſque proximo videtur aptiſſimus proportione virtutis. Ut enim Luna Venere & Mercurio potentior eſt; ſic Taurus Virgini & Piſcibus virtute ſitus prævalet: ex his verò Cardani ſententia rejicitur Lib. de Jud. Genit. cap. 27. ubi vult ☿ in ♊ exaltari. Atque hæc de Planetarum exaltationibus ſufficiant, quas patet eſſe ſigna Zodiaci, Planetis agendi virtute proportionata; & ſingulis ob cauſam ſupradictam congrua.

Caſus verò ſive dejectio cujuſque Planetæ, eſt ſignum ejus exaltationi ex diametro oppoſitum. Omnis enim oppoſitio in Cœleſtibus ſive ſignorum, ſive Planetarum, eſt primo & per ſe cauſa contrarietatis Terræ reſpectu, ſemper aliquam involvens malignitatem: idque fit non ſolùm ratione naturæ, quæ in oppoſitis ex parte ſemper contraria eſt: ſed præcipuè ratione modi agendi, qui accidit per eandem lineam; in cujus extremis dum conſtituuntur agentia in punctum intermedium, quodlibet ſui oppoſiti actionem cohibere, non diſperſis aut alio reflexis, ſed in eadem linea unitis, & per hanc vibratis viribus tentat; qua in pugna utriuſque vires quaſi violenter commiſcentur. Propter hanc igitur oppoſitionis contrarietatem malignitatis participem, rationi convenit ut Planetæ in ſignis oppoſitis, ſeſe habeant contrario modo: Ac proinde ſi aliquod ſignum fuerit domus vel exaltatio Planetæ, hujus exilium vel caſus ſit in ſigno oppoſito, in quo ſegniter aget, & quaſi infra vires proprias.

Tabula exaltationum & & caſuum Planetarum.

☉	☽	♃	☿
♈	♉	♋	♍
♎	♏	♑	♓
♄		♂	♀

Libra eſt exaltatio ♄; & Aries ejus caſus vel dejectio: viciſſim verò Aries eſt exaltatio Solis, & Libra ejus dejectio. Sic de aliis colomnis.

Porrò ex ſuprapoſitis domibus & exaltationibus Planetarum, multò clariùs patet excellentia, dignitas atque vigor partis Mundi Borealis ſupra Auſtralem, quæ jam ex naturis ſignorum oſtendimus Lib. 14. Sect. 1. cap. 5. & 9. Etenim domus & exaltationes Solis & Lunæ ſunt in Mundi parte Boreali cum domibus & exaltatione Mercurii. Ideoque etſi ☉ ☽ & ☿ verſentur in Mundi parte Auſtrali, ſemper tamen viget eorum virtus & influentia in parte Boreali. His adde quod primus luminarium motus fuit ad partem Borealem, poſito nempe ☉ in ♈ initio Mundi & ☽ in ♉ ut præeſſet nocti, creſcendo potiùs quàm deſcreſcendo. Unde nil mirum ſi præcipuæ Monarchiæ, omnes ſcientiæ & Religiones in Telluris parte Boreali ortum habuerint; in qua etiam CHRISTUS naſci voluit, legemque tradere ſpiritalem vereque Divinam, pro regno Cœlorum comparando, quæ toti Mundo promulganda foret: in parte autem Auſtrali ♄ ♂ & ♀ prædominantur domo & exaltatione, Mercurius verò exulat, dejiciturque. Quamobrem Terræ Auſtralis incolæ impii, idolatræ, libidinoſi, ferini, & ſcientiis deſtituti remansêre; niſique ♃ ſuo hac in parte dominio, ejus malignitatem retunderet, belluina fuiſſet potiùs quàm humana Auſtralium vita, præſertim ſcientiarum veræque DEI cognitionis defectu: atque hæc duntaxat dicta ſunto, quatenus aſtra hominum alios inclinant ad ſublimiores ſcientias, indeque ad cognoſcendum colendumque DEUM, qui ex ſuis creaturis lumine naturali eſt maximè cognoſcibilis: alios verò nullatenus inclinant, unde ſequitur hos Atheos, vel impios remanere. Porrò Terræ pars Auſtralis auro, argento aliiſque divitiis plurimùm abundavit, ut patet ex fodinis regni Perüani: ob dominium ♄ & ♃ in Cœli parte Auſtrali, qui inter Planetas maximè cenſentur præeſſe divitiis; quos etiam ♀ non parum adjuvat pro gemmis, unionibus & aromatis, ob domum in ♎ ſigno æquinoctiali, & exaltatione ♄, tum exaltationem in ♓, domo ♃.

Ad hanc verò conſiderationem notantur præcipuè 4 puncta cardinalia, vel ſigna mobilia actionibus & mutationibus præcipuè deſtinata, nam æquinoctialia pertinent ad ♂ & ♀ dominio, ſed ad ☉ & ♄ exaltatione: Solſtitialia verò ad ☽ & ♄ dominio, ſed ad ♃ & ♂ exaltatione. Ideoque ♈ pertinet ad ☉ & ♂; ♋ verò ad ☽ & ♃, quod Borealibus populis maximè convenit: Sed ♎ pertinet ad ♀ & ♄, ♑ verò ad ♄ & ♂ quod Auſtralibus mirè quadrat: ac per conſequens Boreales potiſſimum, à ☉ ☽ ♃ & ♂ afficiuntur: Auſtrales autem à ♀ ♄ & ♂, quod eſt notatu digniſſimum, ut effectibus conſonum.

CAPUT VI.

De Planetarum Triplicitatibus, ſive de Trigonis & Trigonociatoribus, ex opinionibus Veterum.

NIhil in Aſtrologia univerſa, meum ita commovit ingenium, quàm quod pars major Aſtrologorum Veterum, ſed præſertim Arabes de Sublunaribus omnibus effectibus, potiſſimùm ex Trigonis horumque dominis judicaverunt, non

autem

autem ex exaltationibus vel harum dominis, cùm tamen Arabes, Græci & Latini de ipſis Trigonorum dominis inter ſe plurimùm diſſentiant; indeque Aſtrologiæ oſoribus non minimam impugnandi & deridendi anſam præbuerint.

Ut verò doctrina hæc clariùs pateat, ſupponendum ex cap. 5. Sect. 1. Lib. 14. Quatuor eſſe in Zodiaco ſignorum Triplicitates, quippe igneam ex ♈ ♌ ♐: Terream ex ♉ ♍ ♑: Aeream ex ♊ ♎ ♒; & aqueam ex ♋ ♏ ♓. Atque de hoc Aſtrologi omnes conſentiunt: ſuntque ejuſdem Trigoni ſigna, ejuſdem inter ſe naturæ vel temperamenti; contra Cardanum comm. in cap. 16. Lib. 1. Quatrip. ut à nobis oſtenſum Lib. 14. Sect 1. cap. 5.

Quod verò ad Trigonorum dominos attinet, Ptolemæus Lib. 1. Quatrip. cap. 16. præficit Trigono igneo Solem interdiu, & ♃ noctu: Aqueo Martem tam interdiu quàm noctu, cui tamen Lunam aſſociat interdiu, & ♀ noctu: Aereo Saturnum interdiu, & ☿ noctu: tandemque Terreo Venerem interdiu & ☽ noctu: vult autem Cardanus in commento Ptolemæum hac in diſtributione rationem habuiſſe ſexus & conditionis ſignorum & Planetarum.

Verùm patitur illa multos defectus. Primò, quia Trigono aqueo tres præficit dominos, reliquis tantùm duos. Secundò, quia in Trigono aqueo excludit à principali dominio Lunam, etſi ſexu & conditione conformem, atque in ipſo Trigono, domo potentiſſimam, quippe ſigni cardinalis dominam: admittit verò ♂, in ♋ dejectum & contrarium ſexu ex Ptolemæo ipſo: Tum etiam conditione, quod ſcilicet abſurda ſit ratio cur Ptolemæus illum fecerit conditione nocturnum ex cap. 2. Sectione Lib. 13. Tertiò, quod in Trigono igneo rejiciat ♂ in ipſo cæteris potentiorem domo, (quippè qui præſit æquinoctiali ſigno) ſexu & conditione ſimilem, tum etiam præ cæteris maxime igneum: & tamen velit ipſum Trigonum fieri mixtum ex Africo propter Martis domum qui ventos ciet Africos, ſive occidentales, in quo ſibi contrariatur. Quartò, quòd ipſum Trigonum velit eſſe Boreale, propter Auſtrale ſignum ♐, cui ♃ dominatur: cùm ♃ dominium in illo Trigono minus ſit dominio Solis aut ♂; Sol enim in illo Trigono ſortitur domum & exaltationem; Mars autem domum in ſigno cardinali & primario. Conſtat igitur ex ſupradictis diſtributionem illam nec ſibi conſtare, nec naturalem eſſe, ſed ſuper falſo duntaxat fundamento conditionis & ſexus artificioſam, ut ex ♂ convincitur.

Arabes autem cum Julio Firmico Joan. Hiſpalenſi & cæteris ejuſdem Sectæ, in quolibet Trigono tres dominos conſtituunt. Quippè in Trigono igneo Solem interdiu, Jovem noctu, & Saturnum participem tam interdiu quàm noctu; quod ſanè perabſurdum eſt: cum ♄ Trigono ipſi naturâ contrarietur, in eoque maximè infortunetur. In Trigono aqueo Venerem interdiu, Martem noctu, & Lunam perpetuò: Arabum enim fundamentum eſt etiam ſimilitudo ſexus & conditionis, ut ſupra; ideoque in ♂ ſequuntur errorem Ptolemæi, vel hic illorum. In aereo Saturnum interdiu, ☿ noctu: & ♃ perpetuò, quod rurſus abſurdiſſimum eſt; cùm Jupiter in hoc Trigono neque domum, neque exaltationem, ſed è contra exilium ſortitus ſit. Denique in terreo Venerem interdiu, Lunam noctu, & Martem perpetuò ob falſam ejus conditionis opinionem, excluſo ☿ naturæ ſexus & conditionis communis (ut volunt) qui hoc in Trigono omnium eſt fortiſſimus. Cardanus autem omnium abſurdiſſimè præficit 5 dominos Lib. de Jud. Genit. cap 27. nempè ♀ & ☿ interdiu, ☽ & ♂ noctu, & ♄ tam interdiu quàm noctu. At Schonerus celebris Aſtrologus, nonnihil diſſentit ab Arabibus in Trigonis duntaxat igneo & terreo: in igneo enim Martem præficit interdiu atque noctu, ſive perpetuò: & in Terreo præficit Lunam interdiu, ♀ noctu, & ♄ perpetuò.

Præterea Ptolemæus diurnos Trigonocratores efficit eos Planetas, qui Trigonorum ſignis fixis dominantur; quòd ex Cardano in Comm. ſigna hæc ſint pura, ſyncera & validiſſima: Schonerus eos elegit, qui in Trigonis ipſis exaltantur, ob ſubitas mutationes ab exaltationibus: Arabes vero nullum hic ordinem ſervant; unde patet quanta huc uſque fuerit confuſio inter Aſtrologos circa hoſce Trigonorum dominos, quos infra facilioris notitiæ gratiâ cum ſuis Authoribus ſubjicio.

	Ptolemæus D. N .P.	Arabes D. N. P.	Schonerus D. N. P.
♈ ♌ ♐	☉ ♃	☉ ♃ ♄	☉ ♃ ♂
♋ ♏ ♓	☽ ♀ ♂	♀ ♂ ☽	♀ ♂ ☽
♎ ♒ ♊	♄ ☿	♄ ☿ ♃	♄ ☿ ♃
♑ ♉ ♍	♀ ☽	♀ ☽ ♂	☽ ♀ ♄

Caput VII.

De Trigonis & Trigonociatoribus ex mente noſtra.

PRiuſquam hac de re quidquam ſtatuamus, quo errores circa hos Trigonorum dominos introducti depellantur; neceſſe videtur ex praxi vel obſervatione Aſtrologorum hic ſupponere: quod ſi in aliquo Zodiaci ſigno accidat magna conjunctio vel Eclipſis Solis, fiet de utravis judicium principaliter ex natura & ſtatu Planetæ qui loco Eclipſis vel conjunctionis dominatur:

 Simi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Similiterque ſi in aliqua Geneſi Aries fuerit in Horoſcopo, vel Cœli Medio : de accidentibus ad Horoſcopum vel Medium Cœli pertinentibus, judicabitur ex natura & ſtatu Martis qui Arietis dominus eſt : non autem primariò & per ſe ex naturâ ſtatuque Planetæ qui in ipſis locis caruerit dominio : Multoque minùs ex naturâ ſtatuque Planetæ qui in iiſdem locis exilium ſortitus fuerit : Hujuſque praxis ratio eſt, quia ut alibi fuſiùs exponetur, ſigna horumque domini determinantur ad ſubjecta domorum in quibus ſunt, & quibus dominantur ; ac ſignorum effectus mutantur pro ſuorum dominorum ſtatu diverſo : ad quos idcircò pro judicio peculiariter attendendum eſt, & non promiſcuè ad Planetarum quemlibet : verbi gratiâ, ad ♄ pro effectibus ♈ ♌ aut ♐ juxta Arabes : Alioquin nullum eſſet Aſtrologiæ fundamentum certum, nullaque proinde certitudo : quod ipſius praxis veritati repugnat.

Nihilominus quoniam non ſolùm ejuſdem Trigoni ſigna inter ſe conveniunt in natura, ut ſuperius contra Cardanum diximus ; ſed etiam Planetæ ſignorum ipſorum domini, inter ſe concordant vel in præcipua, ſeu prædominante naturâ, quæ ſcilicet illis ineſt tum Elementaliter, tum influentialiter ; vel in minùs præcipua, quæ illis ineſt duntaxat influentialiter : idcircò propter illum conſenſum, quidquid accidit in aliquo vel ab aliquo ſigno, pertinet quodammodo ad totum ipſius ſigni Trigonum, & Planetas ſignorum ipſorum dominos ; unde accidit tam hos quàm illa ſimul ad agendum, vel influendum commoveri. Neque hoc adeò quiſquam miretur, ſi quidem multò videtur mirabilius, quod in eadem cithara, vel in diſtinctis etiam inſtrumentis muſicis nervus aliquis tactus, ſuo motu alium nervum intactum, ſed uniſonum quoque moveat, non uniſonum verò non moveat ; cujus effectus ratio ad ſolam naturæ ſoni identitatem referenda eſt : ut doctè probat R. P. Marinus Merſennus Lib. 4 Harmonicorum prop. 27.

Quod autem Planetæ qui ejuſdem Trigoni ſignis dominantur, inter ſe conveniant naturâ præcipuâ, aut minus præcipuâ, ſigillatim ſic oſtenditur. Nam ſignis igneis ♈ ♌ ♐ dominantur ♂ ☉ ♃ : quorum Sol eſt totaliter naturæ igneæ ; Mars verò & ♃ ſunt ejuſdem naturæ principaliter, ut cap. 3. ſuperiùs oſtenſum eſt ; ideoque in natura ignea conveniunt. Signis aqueis ♋ ♏ ♓ præſunt ☽ ♂ ♃ quorum Luna eſt totaliter naturæ aqueæ ; ♂ verò & ♃ ſunt ejuſdem naturæ minùs principaliter ex eodem capite tertio. Signis Aereis ♎ ♒ ♊ dominantur ♀ ♄ ☿ : qui omnes ſunt naturæ aëreæ, Venus quidem principaliter, ♄ autem & ☿ minùs principaliter. Denique ſignis Terreis ♑ ♉ ♍ præſunt ♄ ♀ ☿, ejuſdem inter ſe naturæ terreæ ; Saturnus quidem & ☿ principaliter, & ♀ minùs principaliter, ex eodem capite tertio, ut proinde in Zodiaci ſignis Trigonos conſtituentibus eorumque dominis maximus conſenſus deprehendatur, neque is fictitius, ſed adeò naturalis, ut res ipſa aliter concipi, neque debeat, neque poſſit, niſi confuſio & falſitas paſſim introducantur.

Atque hic obiter notandum venit, quod ♃ & ♂ ſic formaliter determinati ſunt ad naturam igneam, & aqueam, ut ad aeream vel terream nulla ratione formali, vel intrinſeca determinentur : Econtra verò ♄ ♀ & ☿ ſic formaliter determinati ſunt ad naturam aeream & terream, ut ad igneam vel aqueam nulla ratione formali determinentur : unde patet quinam Planetæ in ſingulis Trigonis plus poſſint & præcipuè ſpectandi ſint : quamque abſurdè ab Arabibus Saturnus fuerit præfectus Trigono igneo, Venus aqueo, Jupiter aereo, & Luna terreo.

His verò præmiſſis ac intellectis, jam dico : Cuilibet Trigono tres præfici dominos, ſive Trigonocratores, eos ſcilicet Planetas qui ſingulis Trigoni ipſius ſignis præſunt dominio, proindeque Trigoni ignei dominos, ſive Trigonocratores eſſe ♂ ☉ ♃ : Aquei ☽ ♂ ♃ ; Aerei ♀ ♄ ☿, & terrei ♄ ♀ ☿ : & rationes patent ex ſupradictis hic ſuperfluè non repetendæ, quòd ſufficienter à nobis explicatæ ſint. Tota igitur difficultas conſiſtit in determinando quis ex Planetis in quolibet Trigono, cæteris paribus pro dominio fuerit alteri præferendus ; vel quis erit primus dominus, quis ſecundus, & quis tertius ; circa quos Arabes tantopere occupantur : aut quis præerit interdiu, quis noctu, & quis utroque tempore, ſed minùs præcipuè, juxta Ptolemæum & alios.

Hæc autem dominii prærogativa, triplici ratione ſibi conſtante definiri poteſt. Primò, ut Planeta dominus ſigni cardinalis tanquam totius Trigoni principalis, præſit interdiu principaliter, ſive primariò, dominus ſigni fixi noctu principaliter, & dominus ſigni communis interdiu atque noctu minùs principaliter, vel ſecundariò. Cæterùm hic ordo plane repugnat naturæ, ſexui, & conditioni luminarium, Sol enim tota ſua natura igneus eſt, maſculinus atque diurnus, proindeque abſurdum eſſet illum noctu, & non interdiu præcipuè dominari in Trigono igneo, qui etiam maſculinus & diurnus eſt. Luna verò totâ ſuâ naturâ eſt aquea, fœminina atque nocturna, ideoque abſurdum illam interdiu non autem noctu præcipuè dominari : hic igitur ordo rejiciendus eſt, quem abſurda illa conſequuntur.

Secundò, ut Planeta dominus ſigni fixi præſit interdiu, dominus ſigni mobilis, ſive cardinalis noctu, & dominus ſigni communis utroque tempore : qui modus ratione dominii diurni convenit cum Ptolemæo ; Sed in eo peccare videtur, quod ♃ & ☿ nunquam præcipuè dominentur, ſed ſemper atque ſoli minùs præcipuè, juxta ordinem iſtum ; eſt tamen prædictis omnibus rationabilior.

Tertiò, ut Planeta qui in Trigono fuerit cæteris potentior, domo ſcilicet & exaltatione citra debilitatem præficiatur interdiu primariò ; atque is in judicando per Triplicitates maximè attendendus eſt ; qui verò fuerit dominus ſigni cardinalis præſit noctu etiam primariò ; ac tandem

dem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

dem reliquus interdiu atque noctu ſecundariò. Ut hic ex mente noſtrâ apponuntur. Ubi hoc potiſſimùm valdè nota ; quod Trigonocratores diurni ſunt inter ſe domibus contrarii : quippè ☉ & ♄ inter ſe ; ac ♃ & ☿ inter ſe : idem eſt de nocturnis ſcilicet ♂ & ☿ inter ſe, & ☽ ac ♄ inter ſe. Idemque de participibus nempe ♃ & ☿ inter ſe, item ♂ & ♀ inter ſe, eodemque ordine.

				D.	N.	P.
Orientalis	♈	♌	♐	☉	♂	♃
Septentrionalis	♋	♏	♓	♃	☾	♂
Occidentalis	♎	♒	♊	♄	♀	☿
Meridionalis	♑	♉	♍	☿	♄	♀

In quo Sol & Luna præſertim optimè diſponuntur ; ſed Luna multò rationabiliùs, quam apud Ptolemæum , Arabes , aut Shonerum.

Inſuper autem qui in Trigono potentior eſt perpetuo præcedit debiliorem : ut patet in Trigono igneo ex ♃ qui eſt duntaxat dominus ſigni communis, & ideò ponitur ultimus tanquam diurni & nocturni dominii particeps. Similiter in aqueo, ♂ etſi dominus ſigni fixi, tamen quia in ♋ dejicitur, ultimo loco ponitur : in aereo ☿ ſequitur rationem ſupradictam Jovis : & in terreo ♀ rationem ♂, nullusque eſt Planeta qui non aliquando ſive interdiu, ſive noctu, dominetur principaliter. Quamobrem hic ordo præterquàm quod naturæ & rationi maximè congruit, etiam ſibi ipſi maximè conſentit ; ac in ſumma omnium excogitabilium perfectiſſimus extat : in quo præterea cernitur, quod quilibet Trigonocrator ſaltem ſortitur in ſuo Trigono domum : non autem apud Arabes qui Trigono igneo Saturnum præficiunt interdiu atque noctu abſurdiſſimè, quòd in illo exulat & deprimatur. Ideoque de Planeta verſante in aliquo ſigno, in cujus Trigono ille domum non habuerit, rectè dicetur illum eſſe peregrinum, quippè quod peregrinetur in Trigono à naturâ ſuâ alieno, & ubi caret dignitate, niſi in ſigno quod occupat, exaltetur ; ibi enim peregrinus non dicetur, nam Trigonorum domini potiùs conſtituuntur ratione domus , quàm exaltationis : quippè Trigonocratores cum Trigonis in natura convenire debent , per ſe autem conveniunt ratione domus ut patet , non autem exaltationis , alioquin ♂ exaltatus in ♑ eſſet naturæ terreæ , quæ tamen illi neque principaliter neque minùs principaliter ineſt : undequaque igitur Trigonocratores ipſi optimè ſunt conſtituti.

CAPUT VIII.

Ad quas Mundi plagas Trigoni pertineant : Ac proinde quibus Mundi plagis Trigonocratores præcipuè dominentur.

HAc de re quoque inter ſe diſſident Ptolemæus & Arabes , ille enim Lib. 1. Quatrip. cap. 16. Trigonum igneum ſeptentrioni potiſſimùm tribuit propter ♃ qui præeſt ♐ ſigno Auſtrali , ſic tamen ut Occidentis vel Aphrici mixturam ſuſcipiat ob ♂ quem nihilominus ex Trigoni dominio expulit : unde ſatis patet quàm malè iſta ſibi cohæreant. Quod enim ait , Jovem ciere ventos Boreales , & ♂ Occidentales , non inde propterea ſequeretur Trigonum igneum in quo minus ille poteſt, eſſe Septentrionale. Forte enim id accideret ob alium Trigonum in quo ille potentior eſſet, qualis eſt aqueus. Conſequenter verò Trigonum aqueum tribuit Occidenti cum mixtura Auſtri : Terreum Auſtro ſeu Meridiei , cum mixtura Orientis vel Subſolani : & aereum Orienti cum mixturâ Boreæ : ex Planetis verò Jovem præficit Septentrioni, ♂ Occaſui , ♀ Meridiei, & ♄ Orienti ; ob ejus (inquit) familiaritatem cum Sole : at Arabes Trigonum igneum volunt eſſe orientalem ; cui præficiunt ♃ : Trigonum aqueum tribuunt Septentrioni , cui præficiunt Martem : Trigonum aereum Occidenti , cui volunt præeſſe ♄ : & Trigonum Terreum Meridiei , cui Venerem præficiunt : hic verò nulla rurſus deprehenditur in Trigonorum dominis ratio, nullusque ordo ſibi conſtans. Etenim in Trigono igneo ♃ eſt dominus ſigni communis abſque infortunio : in aqueo ♂ eſt dominus ſigni fixi cum dejectione , ſive depreſſione : in aereo ♄ eſt dominus ſigni fixi cum exaltatione : & in Terreo Venus domina ſigni fixi cum caſu vel depreſſione : neque dicendum Arabes hac in re ſpectaſſe Trigonorum & Planetarum ſexum & conditionem. Quoniam Mars ſexu & conditione repugnat ex ſe Trigono aqueo , ut jam ſupra dictum eſt. Cùm igitur ea quæ ſunt à natura ſint ordinata , ſibi conſtantia & rationi conſona ; fatendum videtur Ptolemæum & Arabes hic etiam à veritate aberrare : & quæ ex Trigonis horumque dominis prædixerunt , aut fortuito, aut ab aliis cauſis contigiſſe. Quamobrem , ut hæc ſolvatur difficultas ; natura ipſa rurſus conſulenda eſt. Illa autem nobis indicabit , quòd quatuor ſigna cardinalia ♈ ♋ ♎ & ♑ Trigonorum primaria , ſunt quatuor Mundi plagis , ſive cardinibus proprio ſitu diſtributa : Atque de ♋ in Septentrione , & ♑ in Meridie nulla eſt difficultas ; ſed duntaxat de ♈ & ♎ quodnam horum Orientem ſibi vendicabit, cùm utrumque ab Æquatore,

vel Mundi medio incipiat. Arieti verò deberi ortum, cardinem ſcilicet nobiliorem. Probatur primò, quia in ♈ prædominatur calor, activa qualitas: in ♎ autem humiditas, paſſiva qualitas: activum autem paſſivo nobilius eſt. Secundò, quia ♈ ſubjacet dominio Planetæ maſculini, Libra fœminini. Tertiò, quia ♈ eſt in Mundi parte nobiliore & imperante, ſcilicet Boreali, ut anteà oſtenſum eſt; ♎ autem in ignobiliore & obediente. Quartò, quia oriens eſt ſiccus, ut ♈, & occaſus humidus, ut ♎. His ergo de cauſis ♈ pertinet ad ortum, & ♎ ad occaſum. Itaque Trigonus Igneus erit orientalis, Aqueus Septentrionalis, Aereus occidentalis, & Terreus Meridionalis; idque omninò concordat cum noſtra Zodiaci diviſione Lib. 14. Sectione 5. cap. 5. ubi diximus qualitates activas, calorem & frigus dominari in Mundi parte Boreali per ♈ & ♋ in ortu, ſcilicet & ſeptentrione: paſſivas autem in Auſtrali per ♎ in ♑: in Occaſu & Meridie: proindeque Trigonocratores à Nobis ſupra poſiti præerunt iiſdem plagis Mundi in quas cadunt ipſorum Trigoni. Atque hinc jam patet ratio, cur ♃ ventos excitet Boreales: quippè quòd ſit præcipuus ac potentiſſimus Trigoni Borealis dominus, ☉ Orientalis, ☿ Meridionalis, ♄ Occidentalis.

Objicies. Eadem Terræ pars ſimul eſt orientalis & occidentalis, nulluſque in Terra ſphærica locus orienti vel occidenti peculiariter aſſignatur. Ergo Trigonus Igneus non præeſt orienti, & Aereus occidenti.

Reſpondeo equidem nullam eſſe partem quæ ſimpliciter & abſolutè ſit orientalis vel occidentalis, ſed tantùm comparatè ad alteram: ut Germania eſt orientalis Galliæ, occidentalis autem Hungariæ; ac etiam dici poteſt quod Germania ſit ſeptentrionalis Italiæ, & meridionalis Daniæ. Atque idcirco diviſiones Zodiaci in duas partes, ſeptentrionalem & meridionalem, tum in 4 Trigonos pro 4 angulis Mundi, quatenus referuntur ad Terram, adeò ſunt univerſales, ut ex ipſis nihil concludi queat pro Terræ locis particularibus; verbi gratiâ, ſi fiat Eclipſis in Zodiaci medietate Boreali, primariò quidem illa pertinebit ad Boreales populos; ſed particulariter ad quos, inde tantùm definiri nequit. Similiter ſi fiat Eclipſis in Trigono igneo, ſortietur effectum in Terræ locis, quæ reſpectu aliorum erunt orientalia: forſanque ſignificabit activè orientalibus, & paſſivè occidentalibus; ut dum Hiſpaniæ Rex ſubjugavit Americam ſibi occidentalem. At inde tantùm definiri nequit, quænam ſint loca illa orientalia, & quænam occidentalia. Cumque Oriens contineat Cœli vel Terræ ſpatium, ab ortu ☉ in principio Cancri, ad ortum ☉ in principio ♑: ſi Eclipſis acciderit in ♈ vel ♌: dicetur quidem Terræ locum orientalem cui ſignificatur, eſſe ex parte Boreæ: ſed generalior adhuc eſt ſignificatio hæc, quàm ut ipſum locum particulariter deſignare queat. Figura verò Cœleſtis erecta in aliquo particulari loco ad medium Eclipſis, ſi habuerit gradum Eclipſis in figuræ parte orientali, oſtendet per locum orientalem ſignificari Terræ partem quæ eſt inter figuræ locum & nonageſimum gradum ad ortum: diſtantia autem loci Eclipſis à Meridiano, particulariùs locum ipſum deſignabit ſecundum Terræ longitudinem, non autem ſecundum latitudinem. Ideoque conſulenda erunt adhuc alia, de quibus agetur cap. 4. & 5. Sectionis primæ, Lib. 20. Indeque præciſior conjectura eruenda. Si autem Eclipſis acciderit in ♐, Terræ locus orientalis ſignificatus erit ex parte Meridiei. Ac ſi dominus Eclipſis fuerit in Trigonò igneo, certior erit ſignificatio loci orientalis: ſi in alio Trigono, erit ſignificatio mixti loci ex duobus Trigonis, vel plurium locorum: ut ſi Eclipſis fuerit in igneo, & dominus illius in aqueo, ſignificabitur locus inter ortum & ſeptentrionem: ſi autem dominus fuerit in Trigono aereo qui præeſt occaſui; cùm idem locus non poſſit ejuſdem reſpectu eſſe orientalis & occidentalis, neceſſariò duo ſaltem loca ſignificabuntur, quorum alter erit alteri orientalis.

Porrò ſuperiùs dicta intelliguntur tam pro diſpoſitionibus aereis, ut ventis, quàm pro regnorum mutationibus. In particularibus autem figuris Genethliacis, ſi ſignum igneum fuerit in nona domo, ſignificabit iter ad ortum: ſi Terreum, ad Meridiem: ſi utrumque, ad utramque plagam. Sique domini ſignorum fuerint ambo in ſigno aqueo; adhuc imò principaliter fiet iter ad Boream. Eademque eſt ratio de cæteris. Atque hæc patent in mea Geneſi, ubi ♐ & ♑ ſunt in nona. Eorumque domini conjuncti in ♓ & duodecima domo. Propriaque ſponte peregrinatus ſum, in Provinciam ad Meridiem; Pariſios ad Boream, & in Hungariam ad ortum reſpectu Francopolis loci meæ nativitatis; idque proprii Genii ductu ab aſtris concitato.

Caput IX.

De nonnullis circa hoſce Trigonos eorumque dominos peculiariter notandis.

Trigonorum dominis atque plagis ut ſupra à Nobis definitis, jam ſequuntur aliqua circa hæc valdè notanda.

Primùm, quod in Trigono igneò Sol ſit omnium potentiſſimus; quippe domo & exaltatione. In aqueo ♃ eadem ratione: in aereo ♄, & in Terreo ☿. Quandoquidem etiam hi Planetæ in ipſis Triplicitatibus nullam patiuntur debilitatem; ideoque judicando per Triplicitates, horum præcipuè erit habenda ratio. Suntque hi 4 Planetæ domibus propriis oppoſiti, quippe Sol & ♄ inter ſe, tum ♃ & ☿ inter ſe: unde patet hos præſertim ad magnas mutationes Sublunarium, maximè verò in Aere aptiſſimos eſſe. Mars autem quia præeſt ♈ &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

& ♏ ſignis igneo & aqueo, ac exaltatur in ♑ ſigno terreo ad pluvias, coruſcationes, tonitrua, fulgura & fulmina valdè propendet, ad hæc enim ignis, Aqua & Terra concurrunt; præter quàm quòd ipſe ♂ eſt principaliter naturæ igneæ & minus principaliter aqueæ.

Secundum. Quod æquinoctiale ſignum Boreum ſcilicet ♈ pertinet ad ☉ & ♂, ideque maximè congruit Borealibus, qui imperio, gloriâ & armis præpollent Auſtralibus: Æquinoctiale Auſtrium pertinet ad ♀ & ♄. quod Auſtralibus quadrat, qui libidinoſi, fœdi, deſides & ſerviles ſunt: Solſtitiale Boreum pertinet ad ☽ atque ♃, quod gentes Boreales maximè decet ob famam, religionem, juſtitiam & mutabilitatem quibus ſunt conſpicui: Auſtrinum verò ad ♄ & ♂: unde impietas & morum pravitas, Auſtralibus populis familiares. Proindeque Boreales gentes à Luminaribus tum ♃ & ♂ principaliter afficiuntur atque reguntur; Auſtrales verò principaliter à ☿ ♄ atque ♂; quod eſt in genere intelligendum, & notatu digniſſimum.

Tertium. Quod Trigonocratorum particulare prædominium definiri debet juxta ſequentes regulas.

1. Qui fuerit in Trigono, præferatur abſenti.

2. Qui fuerit ſupra Terram, præferatur ei qui ſub Terra.

3. Diurnus præferatur interdiu, ſi fuerit ſupra Terram, & nocturnus noctu.

4. Diurnus poteſt ſecundariò vel minùs principaliter noctu, & nocturnus interdiu; ſi ſunt ſupra Terram.

5. Diurno & nocturno ſub Terra poſitis, præfertur interdiu diurnus, & noctu nocturnus.

6. Duobus Planetis conjunctis in eodem ſui Trigoni ſigno, præferatur ipſius ſigni dominus, pro ipſius ſigni Trigonocratia.

7. In loco Eclipſis, vel ſignificatoris cujuſvis, præferatur dominus ſigni Eclipſis vel ſignificatoris: præſertim ſi fuerit ſupra Terram, & in ipſo Trigono, & ipſum locum aſpiciat.

8. Dominii particeps, ſive qui præeſt interdiu atque noctu, dominabitur primariò dum ipſe fuerit ſupra Terram, ille verò ſub Terra, ad quem vel interdiu tantùm, vel noctu dominium attinet.

Harum verò regularum hoc unicum eſt fundamentum, quòd fortior ſit ſemper debiliori præferendus. Porrò quid ſentiendum ſit de doctrina Arabum, ex hiſce Trigonocratoribus, de conſtitutionibus univerſalibus, nec non genethliacis hominum nativitatibus, peculiari modo paſſim judicantibus; proprio loco exponemus: hic obiter monere ſufficiat, illam fuiſſe admodum erroneam.

Caput X.

De Planetarum facie, ſive Perſonâ, ſive Almugæa.

HÆc Planetarum dignitas à Ptolemæo Lib. 1. Quatrip. cap. 20. ejuſque Commentatoribus malè recenſetur inter eſſentiales, ut infra patebit. Et convenit duntaxat 5 minoribus Planetis, ſive ſecundariis, reſpectu Solis & Lunæ primariorum.

Dicitur autem Planeta ſuam faciem habere, aut perſonam gerere reſpectu Solis aut Lunæ: cùm tantundem diſtiterit à Sole huic veſpertinus ſive occidentalis; vel à Luna huic matutinus: quantùm domus ipſius Planetæ Leonem (domum Solis) conſequens diſtat à principio Leonis: vel quantùm domus ipſius Planetæ, Cancrum (domum Lunæ) antecedens diſtat à principio Cancri. Exempli gratiâ, ſi ♀ fuerit Soli occidentalis, ab eoque diſtiterit 60 gradibus, quantùm inter ſe diſtant principia Leonis & ♎: dicitur ♀ ſuam habere faciem reſpectu Solis, vel ex Arabibus eſſe in Almugarâ cum Sole: ſi verò Luna orientalis aut matutina ab hac diſtiterit 60 gradibus, quantùm inter ſe diſtant principia ♉ & ♋, dicitur eſſe in Almugæâ cum ☽: Eſtque par ratio de cæteris.

His præceptis, dico primo. Dignitatem hanc non eſſe eſſentialem. Nam Planetarum dignitates eſſentiales ſunt immutabiles, nec tranſeunt ab una parte Zodiaci in aliam, ut ſupra patuit de domibus, exaltationibus & Trigonis: Hæc verò dignitas poteſt accidere Planetæ in ſingulis Zodiaci ſignis, ut ſimplex orientalitas vel occidentalitas reſpectu Solis & Lunæ. Non igitur eſt eſſentialis.

Dico ſecundò. Poſitâ hac dignitate deſtrui ſimplicem orientalitatem Planetæ reſpectu Solis, cùm tamen Ptolomæus ipſe & omnes Aſtrologi, Planetis orientalibus Soli, magnas vires meritò attribuant. Nam de ♂ in Almugæa cum ☉ hoc eſt occidentali Soli, & eodem ♂ orientali Soli, dicat Ptolemæus uter vincet aut cedet? Prætereà, cur Ptolomæus & alii Almugæum Solis non potiùs fecere orientalem, & Lunæ occidentalem? Id enim viſum fuiſſet rationabiliùs etiam ex Ptolomæi doctrina, qui Planetas Soli orientales, Lunæ autem occidentales vult roborari.

Denique de hujus dignitatis viribus vel effectibus nulla fit mentio, vel obſervatio apud Aſtrologos, ipſaque ſemper eſt cum aliquo aſpectu minoris Planetæ cum luminari, cui aſpectui propria vis certò competit, ut ſuo loco dicetur: quamobrem ſuſpicor illam eſſe ex Arabum figmentis deprompṭam. Ideoque ſimplicibus Planetarum dignitatibus eſſentialibus hic finem imponimus.

Caput XI.

De Planetarum throno, ſolio, ſive carpento.

HÆc Planetarum dignitas non eſt ſimplex, ſed mixta ſive compoſita ex pluribus eſſentialibus, vult enim Ptolemæus ſupra citato loco cum cæteris Aſtrologis, ut Planeta illa dicatur eſſe in ſuo ſolio, qui in ſigno quod occupat, complures

res ſortitur dignitates eſſentiales ; idque rectè cenſent. Nam qui in aliquo ſigno pluribus pollet dignitatibus eſſentialibus, ille in ſigno ipſe jus ſummum obtinet ; unde non abs re ſignum illud occupans ſuo quaſi ſolio inſidere dicendus eſt. Cùm autem tres duntaxat dignitates eſſentiales admittamus, domum ſcilicet, exaltationem & Trigonum : patet quando & ubi Planeta in ſuo carpento eſſe dicatur. Imò quales habeat dignitates in aliquo figuræ loco, ut Horoſcopi Medii Cœli, Solis, &c : nam ſi Horoſcopus fuerit in ♈, Sol in Horoſcopo erit fortis exaltatione & Trigono ſimul. Sic de cæteris.

Itaque ſi Sol fuerit in ♐ erit ſimpliciter in ſuo Trigono ; ſi autem fuerit in ♈ vel ♌ erit in ſuo Solio ; quia præter Trigonum habet in ♌ domum, & in ♈ exaltationem : ſi ♂ fuerit in ♑, erit duntaxat in ſuâ exaltatione : ſi autem fuerit in ♏, vel ♈, erit in ſuo throno, eademque eſt ratio in cæteris. Inde verò patet quamlibet Planetam dum eſt in ſua domo, eſſe in ſuo throno, nam poteſt eſſe in ſuo Trigono, & non in ſua domo vel exaltatione : ut conſtat de ♄ in ♊ : dum autem ad ſuam domum in ♒ devenerit, certum eſt illum uno dignitatis gradu aſcendere, idque in ſuo vehi carpento, quòd nempe à ſua domo habeat jus dominii in totam Triplicitatem. Throno autem opponitur fovea, quæ eſt ingens Planetæ debilitas pluribus aliis conſtans. Ut ſi ☿ fuerit in ♓, ubi exilium & caſum patitur.

Caput XII.

De Planetarum Gaudiis.

Gaudium Planetæ non eſt ejus peculiaris dignitas eſſentialis, neque ſimplex, neque mixta ; convenitque duntaxat ♄ ♃ ♂ ♀ ☿ : quorum quilibet duas in Zodiaco domos ſortitus eſt : quarum ea ſui domini gaudium appellatur quæ ipſi domino magis congruit, vel ratione ejus naturæ præcipuæ, vel ratione ſexus, vel ratione temperatioris effectus ſivè influxus.

Et quidem primo modo ♄ gaudium erit ♑ ; hoc quippè ſignum frigidum & ſecum magis congruit naturæ præcipuæ ♄ frigidæ & ſiccæ (quæ illi ineſt tum Elementaliter, tum influentialiter ut alibi oſtenſum eſt) quàm ♒ ſignum calidum & humidum ; atque ſic de cæteris. Secundo modo, ♂ gaudium erit ♈, & non Scorpius, ut falsò opinati ſunt Aſtrologi ; Mars enim eſt ſexu maſculinus, Scorpio autem fœmininus. Tertio denique ♒ erit gaudium ♄, & ♏, gaudium ♂, ſi quidem in ♒ temperatur influxus frigidus & ſiccus ♄, magis quàm in ♑. Et in ♏ temperatur influxus calidus & ſiccus ♂, magis quàm in ♈. At quia tertius modus noſtri tantùm gratiâ confictus, non eſt Planetis ipſis naturalis, qui aliarum inſtar cauſarum Phyſicarum, ibi maximè gaudent, ubi majorem naturæ ſimilitudinem nanciſcuntur, juxta illud, quodlibet ſibi ſimili gaudet : Idcircò gaudium Planetæ erit proprie definiendum juxta duos priores modos, qui ubi concurrerint in eodem ſigno, id erit maximum ſui domini gaudium, alioquin natura ut prior, erit ſexui præferenda. His igitur de cauſis verum ♄ gaudium erit in ♑ : ♃ in ♐ : ♂ in ♈ : ♀ in ♎ : & ☿ in ♍.

Caput XIII.

De Planetarum Terminis, Novenis, Decanis, Dodecatemoriis, &c : in ſingulis ſignis Zodiaci : Tum de horum gradibus lucidis, fumoſis, putealibus, vacuis, monomeriis, &c.

Hactenus integra Zodiaci ſigna Planetis diſtributa ſunt, juxta eorum communiter receptas dignitates eſſentiales : eſtque tum Zodiaci diviſio in 12 partes æquales, tum harum ſupraposita diſtributio naturalis, vel ſaltem fundamento innixa naturali, ut videre eſt Lib. 14. & 17. At pro terminis novenis, decanis, &c : ſingula ſigna ſubdividuntur in diverſas partes, quarum ſingulæ ſingulis Planetis iterum diſtribuuntur pro minutioribus dignitatibus ſuprapoſitis, quas etiam volunt eſſentiales eſſe, qui illas introdnxerunt. De ipſis verò mea eſt hæc ſententia.

Diabolus nequiſſimus hominum hoſtis, introducta per peccatum mentis cæcitate in genus humanum, paulatim ipſos homines à verâ Dei cognitione cultuque avocavit ; ac tandem in Idololatriæ barathrum præcipitavit maximam partem ; ita ut non modo Soli, Lunæ cæteriſque corporibus Cœleſtibus, ſed etiam viliſſimis animalibus ; tum manuum ſuarum mortuis operibus, ſive idolis : imò Dæmonibus ipſis, Deo ſoli debitos honores impenderint. Ac ne homo naturâ ſciendi cupidus, in veri Dei cognitionem reſurgeret per ſcientias, vel ab Adamo traditione acceptas, vel ingenii vivacitate & propenſione cultas, præſertim verò Cœleſtes, quæ ſuper alias omnes de Deo ejuſque infinita bonitate, ſapientia & providentia atteſtantur : nequiſſimi Dæmones vel inſpiratione propria, vel depravato lumine naturali hominum ſibi ſubditorum, Cœleſtes ſcientias apud ipſos, permultis falſitatibus, figmentis & ſuperſtitionibus conſpurcarunt, adeò ut ipſarum veritas mendaciis obruta, ad neceſſariam Dei notitiam illis fuerit inefficax : apud alios verò tali fuco obducta, in contemptum deriſumque devenerit, alio etiam Diaboli fine peſſimo.

Inde ergo prodierunt in Aſtrologia Termini, Novenæ, gradus lucidi, fumoſi, monomeriæ, &c: quæ nihil aliud ſunt quàm mera ſymbola ineptiæ, ſtultitiæ ac inſaniæ hominum, qui hujus Divinæ ſcientiæ principia ignorarnnt : quas cordatiores Aſtrologi perpetuò neglexerunt : Aſtrologiæ autem Oſores anſam ſibi fecerunt opportuniſſimam, ut ſcientiam vilipenderent, infamarent ac deſtruerent.

Quid verò ſit unaquæque ipſarum dignitatum, & qua ratione pro ſingulis ſigna Planetis ipſis ſubdividantur, ne quidem hic exponere placet, deliria hæc tempore noſtro indigna ſunt ; ſtultis & ignaris illa relinquantur. Sed hoc generaliter contra eorum vanitatem dico : Nullum eſſe accidens Sublunare de quo ex ſupradictis dignitatibus non poſſit affirmatio & negatio ſimul tempore eſſe vera : quippè poterit eſſe vera per Terminos, & falſa per decanos aut novena, &c: ob varias diviſiones ſignorum & diſtributiones Planetarum invicem pugnantes, ut videre eſt

apud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

apud Authores. His adde, quod diviſiones illæ ſignorum & diſtributiones Planetarum, nulli nituntur fundamento naturali, ſuntque duntaxat fictitiæ. Et probatur evidenter quia diviſio cujuſque ſigni in 30 gradus non eſt naturalis, ſed tantùm imaginata pro facilitate calculi: at dignitates ſupradictæ fundantur ſuper illius diviſionis hypotheſi; ergo ſunt tantùm fictitiæ. Idque patebit clarius ex ipſis dignitatum Tabulis. Nam ♄ apud Arabes habet in ♉ terminum à 21 gradu ad 27: decanum à 20 ad 30: Novenam ad $6\frac{2}{3}$ & dodecatemoriam à gradu $7\frac{1}{2}$ uſque ad 10: atque ſic de aliis.

Objicient nihilominus omnes adhuc moderni Aſtrologi; equidem novenas, decanos & cætera omnia eſſe à vera Aſtrologiæ ſcientia explodenda. Terminos verò à me perperam rejici; cùm à Ptolemæo & omnibus univerſim Aſtrologis approbentur ac retineantur.

Sed reſpondeo, me non modò mirari quod Philoſophi præſertim Chriſtiani nugas illas novenarum, decanorum, monomeriarum, graduum putealium, &c: uſurparint, ſuorumque judiciorum principia, vel fundamenta fecerunt: putantes cum Julio Firmico Materno magnas illis ineſſe vires, magnaque myſteria vulgò non revelanda: ſed etiam quod Planetarum terminos unanimi conſenſu huc uſque retinuerint; cùm ex ſolo Ptolemæo eorum vanitas evidentiſſimè probari queat: etſi velit ipſe Lib. 3. Quatrip. cap. 14. Anæretam non interficere dum occurrit Aphetæ in directionibus, ſi ille verſetur in Termino Planetæ benefici: ſicque Terminis ipſis non modicam vim tribuat.

Nam Ptolemæus Lib. 1. cap. 18. & 19. Terminorum tres modos exponit, ſive triplicem ſignorum ſingulorum partitionem pro terminis ipſis; quippè Ægyptiacam, Chaldaicam, & vetuſti cujuſdam codicis, quarum duas priores abjecit, poſteriorem verò ſecutus eſt, in quibus ♄ ♃ ♂ ♀ & ☿ diſtribuuntur ſingulis ſignis in 5 partes diviſis: verbi gratia in ♈ ♃ habet juxta Chaldæos 6 primos ipſius ſigni gradus pro termino: ♀ 6 ſequentes; ☿ 8 ſequentes, ♂ 5 ſequentes, & ♄ 5 ultimos. At in modo Ptolemaico ♃ habet 6 primos, ♀ 8 ſequentes, ☿ 7. ♂ 5. & ♄ 4 ultimos. Atque ſic de ſingulis ſignis, excluſis ☉ & ☽. Hujus autem diverſæ diviſionis atque diſtributionis Ptolemæus aliquas profert rationes, tum pro modis illis quos reſpuit, tum pro illo quem ſequitur: ſed quæ in rei veritate mera ſunt figmenta, naturali fundamento æquè carentia atque novenæ, decani, &c: quæ ſimiliter dividuntur ac inſtituuntur: ut proinde Cardanus ingenuè confeſſus ſit in Commento, maximam reperiri confuſionem in hiſce variis terminorum modis: quibus ille non contentus, voluit etiam ſibi propriam methodum imaginari, in qua ſignum quodlibet 7 Planetis diſtribuitur: ejuſque & rationes & Tabulam dedit Lib. de Judiciis Geniturarum. Ac ego olim figmenta figmentis addens, alium excogitavi Terminorum modum, rationibus etiam magis plauſibilibus, quam Ptolemæus vel Cardanus: ſed quid hæc aliud ſunt quàm egregiæ nugæ? itaque & Termini & reliqua ſuperpoſita ab Aſtrologia noſtra explodantur.

Cur autem à Ptolemæo cæteriſque Aſtrologis Termini hactenus uſurpati ſint, ratio hæc à Nobis affertur. Nimirum Ptolemæus Lib. 4. Quatrip. cap. 11. voluit in figura genethliaca 5 duntaxat eſſe dirigendos ſignificatores, pro cunctis nati accidentibus, ſcilicet Horoſcopum pro valetudine & peregrinatione; partem fortunæ pro facultatibus, Lunam pro animo, moribus & converſatione: Solem pro dignitate & gloria; nec non Medium Cœli pro cæteris vitæ actionibus & procreatione Liberorum: cum autem corpora & aſpectus Planetarum illis ſignificatoribus occurrentia, omnibus non ſatisfacerent accidentibus, vel propter paucitatem ſignificatorum, vel defectu promiſſorum occurrentium: opinati ſunt præter corpora & aſpectus, alios adhuc eſſe in rerum natura promiſſores, nec alios concipere potuerunt, quam hoſce terminos, quos ipſimet confinxere. Et quorum introductione rarò deerant promiſſores, ex quorum occurſu in directionibus, aliqua redderetur ratio effectuum, ſive nati accidentium. Itaque frequentiſſimum eſt apud Junctinum & cæteros Aſtrologos hominem morte etiam violenta interire ex directione Horoſcopi vel luminaris aphetæ ad terminum ♄ aut ♂; aut magnam dignitatem accedere ex directione Solis ad Terminum ♃ aut ♀, &c: Cùm autem perabſurdum mihi videretur tantos effectus cauſis adeo exiguis controverſiſque adſcribere; qui eodem modo novenis, decanis & dodecatemoriis imputari poterant, tandem ſubtili directionum examine, ſtudioque indefeſſo deprehendi, Terminos illos eſſe fictitias cauſas; & non ſolùm ſignificatores qui diriguntur, ſed etiam aſpectus eſſe multiplicandos, ex natura rei; ſicque reperiri veras cauſas omnium nati accidentium, ſed de his fuſiùs proprio loco, dum ſcilicet agetur de directionibus. Atque de Planetarum dignitatibus & debilitatibus eſſentialibus huc uſque dicta ſufficiant; noteturque Planetam omnem qui verſatur extra ſuam domum, exaltationem, aut Trigonum, dici à Nobis peregrinum: ac proinde duplicem eſſe peregrinationem: unam ſimplicem ſine eſſentiali debilitate, ut ☉ in ♑: alteram verò mixtam cum eſſentiali debilitate, ut ☉ in ♒, & hæc deterior eſt.

Caput XIV.

De Planetarum inter ſe amicitiis & & inimicitiis.

EXpoſitis ſuperius Planetarum dignitatibus eſſentialibus, & Lib. 13. eorum naturis Elementali, Influentiali & Analogica: hic opportunum fuerit de eorum inter ſe amicitiis & inimicitiis aliquid ſubjungere; quæ quidem paſſim traduntur ab Aſtrologis, ſed nulla prorſus allata ratione, imò interdum contra rationem: ut dum aſſerunt ♄ eſſe ☉ & ☽ amicum; quod infra manifeſtè falſum deprehendetur. Cæterùm non ſecus ac inter Elementa Ignis & Aer dicuntur amici, nec non Terra & Aqua; Ignis autem & Aqua inimici. Sic inter Planetas alii aliis reperiuntur in ſuis effectibus contrarii vel inimici. Nec mirum,

quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

quod ſint Mundi Sublunaris Rectores primarii ſpecie agendique viribus inter ſe differentes, quæ differentia amicitiam aut inimicitiam parit. Quoniam autem amicitia hæc conſiſtit univerſim in quodam benefico concurſu ad Sublunares effectus; præſertim verò hominem generandum, qui Aſtrorum eſt effectus præcipuus: inimicitia autem in malefico concurſu; idcircò Planetarum amicitia & inimicitia ex pluribus capitibus videtur nobis deſumenda, ut ſequitur.

Primò igitur Planetæ in qualitatibus Elementalibus iiſque vitalibus ſymboli, invicem ſunt amici. Ut ☉ & ♃ in calore, item ♃ & ♀; tum ♀ & ☽ in humore.

Secundò. Planetæ beneficis influentiis ſymboli, inter ſe ſunt amici. Ut ☉ & ♃ pro vita & honoribus. ♃ & ♀ pro fortuna, divitiis, Liberis & Amicis; ♀ & ☽ pro conjugibus & Amaſiis.

Tertiò. Planetæ influentiis quidem non ſymboli, ſed qui mutuo coocurſu beneficam ad aliquid miſcellam efficiunt; hi etiam in hoc dicuntur amici. Ut ♃ & ♄ pro prudentia, gravitate, & aptitudine ad res magnas gerendas; tum ♄ & ☿ pro ingenii profunditate: ♂ & ☿ pro diligentia & activitate fraudeque.

Quartò. Quorum domus ſunt in benefico aſpectu conſtitutæ, ut ♂ & ☉: ♃ & ☽: ♄ & ☿.

At inimici dicuntur primo, qui domos habet oppoſitas, ſicque ♄ eſt inimicus ☉ & ☽, ♃ ☿; ♂ ♀; aut qui quadratas, ut ☉ & ♂; ☽ & ♂: ♄ & ♂.

Secundò. Qualitatibus Elementalibus iiſque intenſis contrarii, ut ☉ & ♄ in calore & frigore; ♄ & ☽ in humiditate & ſiccitate, tum ♄ & ♀: nec non ♂ & ☽ in activis & paſſivis qualitatibus. Intenſa enim contrarietas violentum parit concurſum.

Tertiò. Influentiis contrarii. Sic ♀ amoris, pacis & otii cauſa, inimica eſt ♂ odii, bellorum & laborum cauſæ: ♄ ♀ pro corporis formoſitate; idemque ♄ ☉ pro honoribus, dignitatibus atque fama, niſi ♄ ad honores cauſandos fuerit determinatus in figurâ, beneque affectus.

Quartò. Symboli qualitatibus Elementalibus, ſed cum exceſſu pernicioſo. Ut ☉ & ♂ ob nimium ab utriſque calorem & ſiccitatem: ♄ & ☽ ob utriuſque impenſam frigiditatem; ♄ & ♂ ob ſiccitatis exceſſum.

Quintò. Symboli qualitatibus influentialibus ſed maleficis, ut ♄ & ♂ pro periculis, morum pravitate, infortuniis, morteque violentia: ☽ & ☿ pro inconſtantia: ♂ & ☿ pro fraude, impudentia, temeritate. ☉ & ♂ pro faſtu & arrogantia.

Ex quibus patet ♄ & ♂ ferè in omnibus eſſe ☉ & ☽ Inimicos. Ac præterea duos Planetas reſpectu unius effectus dici poſſe amicos, & reſpectu alterius inimicos: ideoque de Planetarum amicitia & inimicitia in aliqua Geneſi particulariter pronunciari non poſſe, niſi prius attendatur, an ad eundem effectum, & circa quem ambo determinentur, ut vitam, honores, liberos, &c: & qualem uterque in ipſum effectum propenſionem naturæ, vel Analogiæ habeat.

Patet etiam ♄ eſſe Planetarum omnium peſſimum: quòd duntaxat ☍ connectantur domus ejus cum domibus ☉ & ☽, ideoque his inimiciſſimum.

♃ eſſe omnium optimum, quod ejùs domus tantùm △ connectantur cum domibus ☉ & ☽; ideoque his ♃ eſſe amiciſſimum.

♂ partim amicum, partimque inimicum tam ☉ quàm ☽, quia ♈ eſt in □ ♋: & ♏ in △ ♌, At ♈ eſt in △ ♌ & ♏ in △ ♋.

♀ partim amicam, partim inimicam: quia ♉ eſt in ✶ ♋ & □ ♌: ♎ autem in □ ♋ & ✶ ♌.

Denique ☿ eſt luminaribus duntaxat amicus: quia ♊ eſt in Dodectili ♋ & ✶ ♌: at ♍, eſt in Dodectili ♌ & ✶ ♋.

Sicque ♃ ♂ & ♀ ſuis domibus diurnis amicè copulantur domui Solis: & nocturnis domui Lunæ. Eſtque notandum quod Planetæ domini quatuor ſignorum cardinalium, ſunt planè contrarii Elementaliter; nempe ♂ & ☽ inter ſe, tum ♀ & ♄ inter ſe.

FINIS LIBRI DECIMIQUINTI.

ASTRO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ASTROLOGIÆ GALLICÆ

LIBER DECIMVS SEXTVS.

De Aſtrorum radiis & aſpectibus.

PRÆFATIO.

DOctrina de aſpectibus eſt totius Aſtrologiæ præcipua & ſubtiliſſima: Quippe quod Planetæ pro diverſis inter ſe aſpectibus & ad Cardines Horizontis & Medii Cœli, diverſimodè alterent hæc Sublunaria. De ipſa autem Aſtrologi plurimùm inter ſe diſſentiunt. Tum quoad numerum aſpectuum; tum quoad circulum Cœleſtem in quo ipſi ſunt concipiendi, tum quoad rationes excogitatas quantitatis ſingularum, nec non, cur alii ſint benefici, alii verò malefici: De quibus omnibus hoc Libro egregiè diſſeritur.

SECTIO I.

CAPUT I.

De differentia inter Radium & Aſpectum: Ac variis circa hæc opinionibus, pro eorum efficientia in hæc Sublunaria.

RAdii & aſpectus Aſtrorum inter ſe differunt, ut ſimplex & compoſitum: quòd nempe radius ſit ſolus atq; ſimplex virtutis effluxus ab aliquo Aſtro ſecundum lineam rectam, ut diximus de luce cap. 3. Sect. 1. Lib. 11. Aſpectus autem duobus radiis conſtat, emiſſis à duobus aſtris, atque ſpectatis, vel quatenus in unicam lineam coeunt, ductam reciprocè ab uno aſtro ad aliud, quaſi aſtra ipſa ſeſe aſpicerent, vel quatenus angulum in Terræ vel Mundi centro conſtituunt, per lineas ductas ab utroque aſtro ad Mundi centrum, quaſi hoc aſpicientia.

De radiis autem & Aſpectibus diverſæ fuerunt opiniones. Si quidem Io. Francus Offuſius vir ſubtilis ingenii, Libro de Divina Aſtrorum facultate in Larvatam (ut vocat) Aſtrologiam, tantùm radios conſiderat, vel prout ſimpliciter & ſolitarii effluunt in hæc inferiora, vel prout à duobus aſtris educti, commiſcentur in unicam lineam: atque hos præſertim potentes cauſas efficit mutationum Sublunarium. Aſpectus verò prout angulum ad Mundi centrum efficiunt non attendit, imò rejicit. At Keplerus è contra hoſce aſpectus approbat, & cauſas eſſe cenſet alterationum. Aſpectus autem inter Planetas Offuſio probatos, nec ad Terræ centrum tendentes reſpuit.

Præterea inter Veteres Aſtrologos & Keplerum adhuc magna eſt diſſenſio circa numerum & efficientem, vel modum agendi effectuum Aſtrologicorum, quos penè ſolos in Aſtrologia retinendos eſſe cenſuit Lib. 1. de nova ſtella cap. 2. reliquam verò Aſtrologorum ſupellectilem penè omnem eliminandam. Hæc autem ſingula erunt à Nobis examini committenda, ſed ab Offuſii doctrina auſpicemur.

CAPUT II.


Quo Joannis Franci Offuſii Germani, de Aſtrorum radiis doctrina exponitur: quidque de ipſa cenſendum ſit aſſeritur.


SUbtilem admodum circa aſtrorum effectus Philoſophiam, nec à ratione prorſus alienam meditatus eſt Offuſius, dum Ptolomei ac Veterum Aſtrologiam evertere fruſtra conatus eſt. Quippe conſiderat ſolummodo aſtrorum à Tellure diſtantias, tum altitudines, & moras ſuper horizonte; ex quibus de vi & poteſtate ſimplicis radii Planetæ cujuſque in hæc inferiora judicat; ac inſuper ſpeculatur ſimplicium radiorum mixtiones atque reflexiones. Ex quibus omnibus Sublunares ſaltem alterationes ingenioſè deducere ſatagit, Tabulis quibuſdam ſuppoſitis harumq; fundamentis. Atque de radiorum mixtionibus & reflexionibus hîc Nobis ſupereſt agendum cum Offuſio; nam quid de reliquis ſentiendum ſit, diximus Lib. 8. Sect. 1. cap 3.

Itaque vult Offuſius cap. 10. ſui Libri, Aſtra radiis infundere lumen, calorem & quas vocant occultas qualitates materiæ ſublunari & corruptibili, atque radios miſceri, non tamen omnes; ſed duorum lucidorum corporum Cœleſtium radios illos duntaxat eſſe miſcibiles, quibus lucida ipſa ſe reciprocè afficiunt, quique in vanam lineam rectam uniuntur, ductam ab uno lucido ad aliud, vel potiùs in unam radialem columnam, lineis corpora lucida tangentibus interceptam. Eaque mixtione radios ſeſe viciſſim alterare, nihil interim patiente lucido radii fonte, indeque mixtam componi virtutem, quæ ſi columna illa incidat in regionem, vel materiam corruptibilem, eam alterat pro mixtionis natura atque robore, ſin minùs, ſuo fruſtratur effectu. Reliquorum autem radiorum ab ipſis lucidis emiſſorum ſeſeque interſecantium vim abſcindi, neque miſceri.

Ac proinde ſi in ſequenti figura ex ejus cap. 18. ſit Tellus L A cujus centrum M ſuperficies extima Aeris B, Ignis C, Sol in Æthere D, & Luna in propria Orbita E. Vult Offuſius radium communem D E, ſuo fruſtrari effectu, deficiente natura corruptibili in Æthere ut cenſuit, Luna autem ad Solem accedente in F, G, H, & utriuſque communibus radiis D C, D B, & D A: Regiones Elementorum pervadentibus, horum ſingula alterare, donec Lunâ ipsâ ad I devoluta, radius communis D N regionem deferat Elementalem. Quodque dicitur hic de unione radiorum circa conjunctionem Solis & Lunæ, ſimiliter intelligendum eſſe circa eorum oppoſitionem, Lunâ devolutâ ad O, P, Q, R, S, nec non circa conjunctiones & oppoſitiones reliquorum Planetarum: at Solis & Lunæ radios D L, E L ad Terræ ſuperficiem con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4





concurrentes ſeque ſecantes, non uniri, ſed abſcindi vim eorum.

Ac præter eà vult cap. 10. quod ſi tellus reperiatur diametraliter inter amborum lucidorum centra (ut in linea D P) ipſa Tellus opacitate ſua impediet radiorum unionem mixtionemque, præſertim ſi lucidorum alterum, vel utrumque fuerit Terrâ minus, at ſi amborum lucidorum radii Telluris ſuperficiem tantùm radant, fieri tunc unionem robuſtiſſimam & efficaciſſimam.

Circa quam doctrinam fateor imprimis, tali radiorum mixtioni haud ſpernendam ineſſe vim ad alterationes diurnas caloris, frigoris, humiditatis & ſiccitatis in his inferioribus, quas ſolas Offuſius inde deduxit & ſeſe obſervaſſe fatetur. Imò arbitror, quod ſi in Æthere aliqua ad gignendum Cometam idonea materia tali radiorum columna intercipiatur, poſſit accendi, præſertim Sole aut ♂ concurrentibus. Lucidum enim & calidum ac frigidum actu, radios ſuos in orbem undique ejaculant, ac per eos agunt, ubicunque materiam iis qualitatibus alterabilem attingunt; atque hæc Cometarum cauſa efficiens mihi notanda videtur: ſed ipſi columnæ nulla vis eſt influentialis, niſi ad Terram ſive Mundi centrum illa vergat, ex cap. 31. Sect. 2. Lib. 7.

Deinde errat Offuſius aſſerens, Terram inter ambo lucida diametraliter poſitam impedire radiorum unionem mixtionemque, ac proinde effectum, ut confirmat cap. 14. Hoc enim etſi verum ſit de radiis lucis caloris & frigoris, ut palam eſt, falſum tamen exiſtit de influentiarum radiis, qui totum Telluris corpus penetrant ex cap. 32. Sect. 2. Lib. 7, quod Offuſius ignoravit.

Præter eâ fallitur iterum dum ait, vim radiorum D L & E L ſe ſecantium in Terræ ſuperficie L, abſcindi nihilque operari. Sic enim ſequeretur Solem D, non calefacere Terram per radium DL, nec Lunam E Terræ partem eandem L refrigerare ac humectare per radium E L, quod nemo ſanæ mentis dixerit, & contrariatur doctrinæ Offuſii de radiis ſimplicibus. Sole autem & Lunâ agentibus in eandem Terræ partē L, ibi radiorum mixtionem fieri neceſſe eſt, cùm præſertim ibi radii ſaltem caloris & frigoris maxima ex parte ſiſtant occurſu terreæ denſitatis. Imò quævis altera materia in Aere vel Æthere poteſt ſimilibus radiis alterari, non tamen adeò fortiter atque à ſupradicta columna radiorum. Atque hæc de mixtionibus radiorum.

Quod verò ſpectat ad eorum reflexiones: Tria hæc habet Offuſius præcipua. Primum, quod aſtri cujus centrum eſt in axe horizontis, radius fortiſſimè in ſeipſum reflectitur, proindeque in Terræ loco unde reflectitur, maximam quam poteſt alterationem efficit. Secundum, quod ſi duo aſtra molis inæqualis centraliter conjuncta fuerint in horizontis axe, & lineæ tangentes circumquaque globum utrumque in idem Terræ punctum conicè deſierint, tunc reciproca & maximæ virtutis fiet radiorum reflexio per lineas tangentes, magnique contingent effectus in Telluris parte reflectente, tum ſpatio conico lineis tangentibus intercluſo. Tertium, quod ſi in aliquam Terræ partem duo aſtra radios vibrent obliquos (qui idcirco in aerem reflectentur) & reflexionis radii reciprocè miſceantur, ac uniantur radiis incidentiæ; tunc etiam valde potens erit illa radiorum miſcella.

Ac ego ſimiliter illa concedo, maximè pro luce, quæ cum Tellurem & opaca corpora non penetret, reflexioni ad immenſam quoque diſtantiam præ cæteris qualitatibus apta eſt; minus pro calore, cujus ſaltem magna pars denſa corpora penetrat. Minimè verò pro influentiis, quæ totum Telluris globum penetrant.

Cæterùm quàm difficilis & manca ſit illa Offuſii Aſtrologia, inde patebit. Primò, quòd ſupponat vires Elementales Aſtrorum, eorum ſemidiametros & à Tellure diſtantias, ad quodcunque tempus exactè cognita, tum alia multa ſcitu vix poſſibilia, ut ſciatur quâ horâ ſuperior radiorum columna ſuperficiem Aeris aut Terræ attinget, & quæ futura ſit in illis alteratio. Secundò, quòd erroneæ tantùmque fictitiæ ſunt ejus hypotheſes de naturis & qualitatibus Planetarum, ac ipſarum intenſione vel remiſſione. Tertiò, quòd in ipſis aſtris præter lucem, calorem & frigus alias admittat qualitates occultas; nec de earum effectibus, vel agendi modo quidquam in medium proferat, ſuam circa hæc indicans inſcitiam, vir alioquin egregii ſubtiliſque ingenii. Quartò, quòd facta ſibi objectione de lumine Solis, quod Luna ad nos reflectit toto menſe apparitionis, quamvis per totum menſem colomna radiorum Solis & Lunæ Terras non attingat, fateri cogatur, in aſtrorum radiis duo diſtingui, quippè lumen & principia qualitatum, caloris nempe, frigoris, &c: ac ſpeciem lucis indiſtinctè per quemvis angulum ſeſe exhibere & nobis communicari, principium verò quali-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

qualitatis quod radius latenter (inquit) habet, non niſi per reciprocũ reflexum & ex angulo recto à Sole in Lunam. Cùm tamen c. 16. ingenuè fateatur, collectam in aere materiam moveri, Planetis duobus quo ſuis figuræ Cœleſtis angulos occupantibus etiam diverſos, ut ſi alter ſit in horizonte, & alter in meridiano, quo in caſu radiorum mixtorum columna, ab aere longiſſimè diſtat, cujus cauſam ex ſua nova Aſtrologia deducere nequit, eamque ſe neſcire profitetur. Quintò, quòd cap. 10. adverſus virtutes vulgatorum apud Aſtrologos aſpectuum hexagono quadrato & trino fatetur ſe nihil habere quod dicat, convictus quippe effectibus evidentiſſimis duorum Planetarum in figuræ angulis quadratorum, & hæc inferiora maximè aerem validè commoventium.

Quamobrem poſtquam à nobis dictum eſt quouſque prodeſſe poſſit hæc Aſtrologia, & quàm manca & multa ſit circa effectus tum Elementales, tum influentiales aſpectuum Aſtrologicorum ex propria Orfuſii hic oſcitantis confeſſione, jam audentiùs, tutiúſque de illis agere aggredimur.

Caput III.

Quid ſit aſpectus apud Aſtrologos: Et in quo conſiſtat ejus formalis ratio in genere.


De aſpectibus Aſtrologicis nemo hactenus ſcientificè tractavit, etſi Aſtrologiæ maxima pars circa illos verſetur, variæque circa ipſos introductæ ſint opiniones, atque difficultates non modicæ, quas jam pro virili diſcutere conabimur.

Itaq; per nomen Aſpectus tria poſſunt intelligi. Primò, linea vel diſtantia inter duo quævis Cœli puncta, vel duo aſtra, vel aſtrum & Cœli punctum comprehenſa, quaſi bina hæc ſingula ſeſe per lineam illam aſpicerent. Secundò, pro linea ab aliquo Cœli puncto, vel aſtro ad Tellurem, vel hominem emiſſa, quaſi punctum illud, vel aſtrum nos per lineam illam intueretur. Tertiò, pro concurſu duarum linearum ad Terram, ſive Mundi centrum à duobus Cœli punctis, vel duobus Planetis, aut uno Planeta, & uno Cœli puncto manantium, qua in ſignificatione ſola, nomen aſpectus ſumitur apud Aſtrologos, duabus aliis prioribus ablegatis. Non enim unus Planeta propriè reſpicit alterum, etſi modus hic loquendi ſit familiaris Aſtrologis, ſed amborum radii ad Terram aſpectum propriè dictum conſtituunt: ideoque aſpectus concipiendi ſunt Terræ reſpectu, non Planetarum, vel ſingulorum Cœli punctorum ad quæ à quovis Planeta radii concipiuntur eſſe ducti. Quo pacto Marſilii Ficini objectiones in aſpectus Aſtrologicos c. 4. in Lib. 3 Enneadis 2. Plotini corruunt.

Nec tamen tertia hæc ſignificatio indiſcriminatim uſurpatur: non enim duæ quæcunque lineæ à duobus Planetis, vel Cœli punctis, ad Mundi centrum ductæ, aſpectum Aſtrologicum conſtituunt, ſed eæ tantùm quæ ad primi mobilis Zodiacum terminatæ, arcum abſcindunt qui circuli maximi in 12. portiones æquales diviſi partem, aut partes complectitur, ſimilemque angulum ad Terram ſubtendit.

Ac proinde aſpectus Aſtrologicus in genere definiri poteſt. *Concurſus duorum radiorum Cæleſtium ad Terram, ſive Mundi centrum; qui in primi mobilis Zodiaco terminati arcum abſcindunt, qui circuli maximi in duodecim æquales partes diviſi partem, aut partes continet, ſimilemque angulum ad Terram ſubtendit.* Dicitur autem in primi mobilis Zodiaco ſpectati, quia Planetarum loca & aſpectus ab Aſtronomis & Aſtrologis tantùm ſpectantur in primi mobilis Zodiaco ratione longitudinis. Ac dicitur etiam circuli maximi in duodecim portiones æquales diviſi, ob rationem cap. ſequenti commodiùs exponendam. Ideoque hac definitione excluditur conjunctio duorum Aſtrorum in eodem primi mobilis radio, ſeorſim ac ſine relatione ad alterum radium ſpectato, quòd radius ita ſpectatus, ſit tantùm aſpectus principium, ut ſimplex unius Planetæ radius, admittitur autem oppoſito diametralis, quæ non eſſet aſpectus in eorum mente, qui ad naturã cujuſvis aſpectus volunt à radiis angulum ad Terram fieri.

Ut verò formalis ratio aſpectus in genere ſpectati pateat evidentiùs: Sunt in primo mobili A B C duæ diametri AC, BC, ſe ſecantes ad angulos rectos in centro D, ducaturq; AB. In confeſſo eſt apud omnes Aſtrologos, puncta A & B eſſe quadrata; ideoque natum vim talis quadrati recipere: quæritur in quo conſiſtat ipſius quadrati ratio. Non eſſe autem rectam A B ipſum quadratum, inde clarum eſt, quia natus ipſo quadrato aliquid recipit, quod autem recipit, aliquo radio ad ipſum deferri neceſſe eſt, cùm Cœleſtia corpora agant duntaxat radiis in ſubjectũ patiens tendentibus: at linea A B non tendit ad natum, proindeque nihil defert ad ipſum. Sed neque etiam eſt arcus A B, vel quem ſubtendit angulus A D B ſimpliciter & abſolutè ſpectatus: alioquin virtus quadrati vigeret in E, diſtante ab A 60 gr. ex hypotheſi, ubi tamen nulla eſt; ſed vis aſpectus ſextilis cum ipſo A, qui à quadrato naturâ differt: &



nihilominus ratio quadrati aſpectus cõſiſtit in concurſu radiorum AD & DB ad centrum Mundi D, cum punctorum A & B in primo mobili diſtantia. Et quia centrum eſt ſemper idem, radiorum verò diſtantia in primo mobili variabilis, ergo quòd eſt præcipuum in ratione quadrati, pendebit ab illa circulari diſtantia, vel ſimili angulo quem ſubtendit ad centrum D, ſed major aut minor diſtantia ſimpliciter & abſolutè ſpectata non variat ſpeciem, cum tamen ſextilis & quadratus ſpecie differant atque virtute, ut in ſequentibus oſtendetur. Ergo ratio quadrati erit præcipuè à diſtantia relativè ſpectata, ejus nempe reſpectu, cujus quadratus dicitur eſſe quadratus; quadratus autem eſt totius circuli quadrans, ſive omnes angulos ad centrum, ſive aream, ſive peripheriam circuli ſpectes: ergo per ipſam rationem quadrantis ad totum circulũ, vel anguli quem ſubtendit ad quatuor rectos qui fiunt in centro, ratio, ſive natura quadrati præcipuè definietur. Ex his ergo manifeſtum eſt, quod radius BD, ſit quadratus aſpectus reſpectu radii AD, & hic ſimiliter reſpectu radii BD, quatenus ambo radii diſtant quadrante circuli, qui arcus complectitur tres partes circuli totius in duodecim æquales diviſi, & ſimilem angulum ſubtendit in centro. Similiter quoniam inter B & G, nec non A & C eſt oppoſitionis aſpectus, ergo in lineis tam B G quàm A C erit oppoſitionis

 ratio:

ratio: ideoque centrum, ſive punctum D illis duntaxat commune, erit ſaltem ex parte ratio oppoſitionis radiorum B D & C D in ipſum centrum tendentium; ſed præcipuum rationis erit diſtantia ABC complectens ſex partes totius circuli in duodecim æquales diviſi, vel ſubtendens ad centrum D duos angulos rectos; ſic de aliis.

Unde patet quod ut virtus Elementalis Planetarum intenditur, ac remittitur noſtri reſpectu per minorem, aut majorem ſimplicis ſui radii inclinationem ad horizontem: ſic eorum virtus influentialis noſtri reſpectu ſpecificam patitur differentiam, per variationem rationis diſtantiæ radiorum ad totum circulum, vel anguli à radiis intercepti ad quatuor rectos.

Porrò quamvis duorum Planetarum conjunctio, non magis dici queat aſpectus quàm unici Planetæ radius, qui in parte Cœli Horoſcopante poſitus, dicitur etiam Horoſcopo conjunctus, ipſa parte & Planeta per unicum radium nato influentibus, attamen Planetarum conjunctio inter aſpectus, aut ſyzygias vulgo recenſeri ſolet, cùm tamen ex ſupradictis ſit tantùm aſpectus principium, ut iſotonia ſive uniſonus eſt conſonantiarum principium.

Caput IV.

Quot ſint aſpectus Aſtrologici, & quæ ſit cujuſque quantitas diſtantiæ: Tum qui ſimplices & qui mixti.

VAriæ fuerunt de numero aſpectuum opiniones Aſtrologorum. Ptolomeus enim quem vulgò ſequuntur cæteri, præter ☌ conjunctionem, quatuor tantùm aſpectus enumerat, nempe ✶ ſextilem, & □ quadratum, △ Trinum, & ☍ Oppoſitionem. At Cardanus in commento etſi fateatur illos aſpectus ſufficere, tamen ſibi non conſtans in dierum criticorum ſupputatione admittit octantem, vel figuram 8 laterum æqualium cum Naiboida atque Magino. Author verò Centiloquii qui à pluribus falsò creditur eſſe Ptolomeus, vult cum Lucio Bellantio, Pontano, Junctino & aliis, obſervandam eſſe in morbis figuram 16 laterum æqualium, cùm tamen Galenus Lib. 3. de diebus decretoriis ſolos Ptolomei in morbis acutis velit aſpectus obſervandos eſſe: Nec ipſa natura diverſam aſpectuum diviſionem admittere queat. Taceo hic de Mæſtlino & Keplero, qui plures alios aſpectus merè fictitios introduxêre.

Has autem opiniones varias peperit ignorantia originis, vel fundamenti aſpectuum, quod tale eſt. Quoniam Planetarum vera loca nos afficientia ſpectantur non in propria cujuſque Planetæ orbita, ſed in primi mobilis circulo maximo, ſub quo moveri videntur, ac Planetæ locus ſe habet, ut punctum Phyſicum ipſius circuli, punctum verò quodlibet maximi ſphæræ circuli, habet ſuum eſſe à polo ipſius circuli, non ſecus ac totus ipſe circulus, nec non eſſentialem cum illo connexionem, ut alibi oſtenſum eſt: ergo ſi à tali puncto circuli ad hujus polum, ducatur alter ipſius connexionis circulus maximus; erit reciprocè unius circuli polus in altero circulo, ſique ambo poli aliam connexionem indigitantes ac poſtulantes, tertio connectantur circulo, id fiet ex tertio polo, indeque circulus quilibet in quatuor punctis ſecabitur, quorum cuilibet inerit trium polorũ virtus, quia nempe quodlibet eſt polus, & ab aliis duobus polis ſuum habet eſſe. Si ergo quodlibet ipſorum quatuor ejuſdẽ circuli punctorum, per triplicem illam cujuſque virtutem multiplicetur, prodibunt aut duodecim virtutes, aut duodecim puncta circulum dividentia: unde conſtat, quod in ſphæræ circulo maximo punctũ quodvis alia undecim nec plura, neceſſitate quadam deſignat atque determinat in eodem circulo primi mobilis, quod eſt prima cauſa Phyſica omnimodè & ubicunque determinabilis. Atque hæc eſt origo aſpectuum Aſtrologicorum, omninò eadem vel ſimillima origini 12 ſignorum Zodiaci de quibus actum eſt cap. 4. Sect. 1. Lib. 14. tum origini duodecim domorum figuræ Cœleſtis de quibus agetur lib. 17. quæ ſingula ad idem reducuntur principium, equidem tenuiſſimum ac ſimpliciſſimum, ut ſunt omnia principia prima. Proindeque ab illa circuli diviſione duodenaria fiunt, nec plures, nec pauciores aſpectus, quam 12, quòd nempe ſingula diviſionis puncta virtute polleant ex ſupradictis, ideoque ſit à ratione alienum, ullum eorum reſpuere, cùm ſingula in hoc ſint æqualia, quòd naturalem originem habeant, non autem puncta circulum in 8 vel 16 partes dividentia quorum pars merè eſt fictitia & arbitraria.

Ipſi autem aſpectus erunt conjunctio (quamvis propriè non ſit aſpectus, ſed hujus principium) duo Dodectiles quippe dexter & ſiniſter, quorum quilibet à Conjunctionis loco diſtat duodecima circuli parte, ſive 30 gradibus, qui hujus aſpectu dicuntur eſſe quantitas diſtantiæ, duo Sextiles, quorum quantitas diſtantiæ à conjunctionis loco, eſt ſexta pars circuli, vel 60 gradus; duo Quadrata, quorum quantitas diſtantiæ eſt quarta pars circuli vel 90 gradus: duo Trini, quorum quantitas diſtantiæ eſt tertia pars circuli, vel 120 gradus: duo Quincunces quorum quantitas diſtantia eſt $\frac{5}{12}$ partes circuli, vel 150 gradus; & Oppoſitio, cujus quantitas diſtantiæ à conjunctionis loco eſt dimidium circuli, vel 180 gradus, quorum omnium characteres hîc apponuntur cum ſignificationibus propriis:

Conjunctio.	Dodectilis.	Sextilis.	Quadratus.
☌	#	✶	□
Trinus.	Quincuncx.	Oppoſitio.	
△	☆	☍	

Eſt autem hoc in natura mirabile, quod hæc 12 loca primi Cœli ad cujuſvis Planetæ affectus determinata, ſint activa juxta ipſius Planetæ naturam, ſtatum Cœleſtem ac determinationem in figura. Nam id evidenter probant directiones ſignficatorum ad aſpectuum loca, & Planetarum tranſitus per ipſa; dum nempe producunt effectus de natura Planetæ determinatos, & natura aſpectus juxta Planetæ & aſpectus determinationem in figura, ipſo etiam abſente Planeta, qui ex ſe omnes contrarios ſuorum aſpectuum effectus producere nequit. Igitur Planeta ipſe agens in natum per ſuum fontalẽ radium, juxta ſuam naturam ſtatumque Cœleſtem ac Terreſtrem, in Cœlo determinat ſuorum 12 aſpectuum loca, ad agendum in natum, juxta ſuam naturam atque ſtatum, ſed diverſimodè pro diverſa natura vel ſpecie aſpectus & loci figuræ in quem hic cadit, ſicque omnes Planetarum vires & actiones referuntur ad primum Cœlum, ſive primam cauſam Phyſicam omnimodè determinabilem, quod certè notatu & admiratione dignum eſt.

Atque hi aſpectus ſunt intelligendi ſimplices, hoc eſt, ab unico Planeta, qui ut ſupra dictum eſt, 12 primi Cœli loca ad ſuam virtutem per ſe determinat. Aſpectus autem mixti, ſive compoſiti ſunt, qui fiunt à duobus Planetis, vel ſimul conjunctis, vel

aliquo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

aliquo aſpectus ſimplicis arcu invicem diſtantibus. Hique ſimplicioribus potentiores ſunt ob duplicis Planetæ virtútem. Quoniam verò aſpectus omnis propriè dictus, duobus radiis conſtat, ſciendum eſt cujuſlibet aſpectus ſimplicis alterum ex radiis eſſe fontalem, eum nempe qui ab ipſo corpore aſtri effluit: atque hic magis corporeus eſt atque Phyſicus. Alterum verò eſſe duntaxat per reſultantiam à congrua intra Zodiacum aſpectui diſtantia, juxta diviſionem duodenariam ſupra expoſitam, hicque quodammodo ſpiritualis & metaphyſicus dici meretur, quod ſupra vulgarem naturæ modum operetur. Neque ſpiritualis radii nomen in Aſtrologia reſpuendum eſt, quandoquidem hi radii ſpiritibus chymicis immenſè ſubtiliores ſunt.

Porro quod præter aſpectus Ptolemei, dodectilem & quincuncem addiderim, non modò perſuaſit, manuque duxit ſuperior diviſio duodenaria, ſed à multis annis coegit obſervatio virtutis ipſorum aſpectuum in Genituris. Atque hoc bellè quadrat loco Ptolomei Lib. 2. Quatrip. cap. 11. quem Cardanus in commento vocat difficillimum qui ſit in toto volumine; ubi nempe jubet Ptolemeus, *pro aeris diſpoſitionibus, attendere non ſolum ☌ ☍ & □ luminarium, ſed etiam ferè triduum ante & poſt exæquatum iter Lunæ ad Solem*: hoc eſt tertium ferè diem ante & poſtquam Luna ſuo motu adæquaverit iter Solis in ☌ vel in ☍. Nam illis temporibus Luna eſt in ⌗ aut in ☆ Solis, neque effectus in △ aut ✶ referendus eſt, ut quidam imperitè explicant non attendentes mentem Ptolomei, qui diſtinguit Lunæ poſitum illis diebus à poſitu △ aut ✶, & utriuſque vim tribuit. Igitur agnovit effectum ejuſque cauſam, nimirum Lunæ poſitum alium à ✶ □ aut △, ſed illi nomen non dedit, ne forſan aſpectus quos ab Antiquis receptos approbavit Lib. 1. Quatrip. cap. 11. multiplicare ſibique non conſtare videretur.

Nec enim aſſentimur Cardano qui lib. 3. Quatrip. cap. 2. tribuit Ptolemeo figuram 12. laterum æqualium, proindeque dodectilem aſpectum, hujus enim figuræ & aſpectus, ipſe Ptolemeus nuſquam meminit. Hic tamen obiter annotamus, quod Cardanus ipſe vim illis attribuat, pro naturali principio naſcendi, quod vult eſſe tempus illud inventũ per correctionem temporis nativitatis juxta Ptolemei Leges illo cap. 2. traditas, quas Animodar vocant, non autem pro actionibus, quod nempe (ait Cardanus) figura illa ad actiones non ſit virtutis ſufficientis, ob vanas quas affert rationes, alibi à nobis refutãdas.

Sed (quod majus eſt) poſt obſervatas à me pluribus annis vires dodectilis & quincuncis, tandem Keplerus in ſuarum Ephemeridum Præfationibus monuit ſe eaſdem ſæpenumero obſervaſſe circa aereas conſtitutiones, quamvis eorum aſpectuum originem ex cauſis harmonicis à ſe excogitatis deducere nequiverit: haſque idcirco rejecerit his verbis. *At ego partim mea principia ſupra explicata ruminando, partim diligenter obſervando tempeſtates, vidi tandem Muſicam eſſe deſerendam. Nam ſeſquadrus 35 graduum congruit Muſicæ, non autem dodectilis hic verò eſt efficax, non ille.* Utq; pateat quantùm hac in parte Keplerus titubaverit, legatur ejus Præfatio in Ephemeridem anni 1617: ubi poſtquam dixit ſe præter vulgares aſpectus ✶ □ △ ☍, nullos alios admittere præter quintilem 72 graduum, biquintilem 144 gr. & ſemiſextum 30 gr. in ſequentibus ſubdit. *Non diſſimile jam ſemel atque iterum mihi tempeſtates obſervanti, viſum eſſe etiam quincuncem 150 graduum validum admodum*: quem rurſus commendat Præfatione in Ephemeridem anni 1620. favet igitur mihi Keplerus pro ⌗ & ☆, quod in illis introducendis me non parum confirmavit, ſed ejus quintilem, biquentilem, ſeſquadrum & alios omnes rejicio ut fictitios, qui nullum in duodenaria circuli diviſione ſuprapoſita locum ſibi vendicant.

Porrò ad aſpectuum à me receptorum majorem confirmationem, hoc notatu digniſſimum eſt, quod ſi ſingulorum quantitates referantur ad ſemicirculum, vel totum circulum, naſcentur pro ſingulis rationes, quæ conſonantiis tribuuntur, ut proinde tota diviſio duodenaria conſonantiis conſtet, quod ſic probatur & colligitur ex prop. 18. lib. 4. Harmon. R.P. Marini Mérſenni mihi olim amiciſſimi. Nam ſi cum 180 gradibus interjectis inter loca oppoſita, conferatur ſemicirculus, etiam 180 graduum; inde orietur ratio æqualitatis, quæ uniſono tribuitur, ſi totus conferatur circulus 360 graduum, naſcetur ratio dupla, ad diapaſon vel octavam pertinens. Si cum 30 grad. interjectis inter loca dodectili diſtantia, conferatur ſemicirculus, ſive 180 gradus, orietur ratio 6 ad 1, pro diapente diapaſon, ſive duodecima, ſi totius circulus, ratio erit 12 ad 1, pro diapente triſdiapaſõ, ſeu vigeſima ſexta. Rurſus ratio ſemicirculi ad 60 gr. pro ✶, eſt 6 ad 2, pro diapente diapaſon: ſed totius circuli ratio ad 60, eſt 12 ad 2, pro diapente diſdiapaſon, ſive decima nona. Præterea ratio ſemicirculi ad 90, pro □, eſt 6 ad 3, pro diapaſon, vel octava, ſed totius circuli ad 90, eſt 12 ad 3, pro diſdiapaſon, vel decima quinta. Ad hæc ratio ſemicirculi ad 120, pro △, eſt 6 ad 4, pro diapente; vel quinta: ſed totius circuli ad 120, eſt 12 ad 4, pro diapente diapaſon. Denique ratio ſemicirculi ad 150, pro ☆, eſt 6 ad 5 pro ſeſquiditono, vel tertia minore: ſed totius circuli ad 150 ratio eſt 12 ad 5, pro ſeſquiditono diapaſon, vel decima minore. Tota igitur diviſio duodenaria conſonantiis conſtat, quod nemo hactenus animadverterat, ne quidem Keplerus, qui circa hoſce aſpectus ad rationes harmonicas referendos ſudavit immenſè, cùm dodectilem à rationibus ſuis harmonicis ſuperiùs excluſerit, nec quincuncem ad illas referre potuerit, ideoque primò illum rejecerit, etſi tandem experientiâ coactus validum eſſe admodum pronunciaverit.

CAPUT V.

An Planetarum aſpectus conſtituendi ſint, per media ipſorum Planetarum loca, vel vera ex oculo, vel vera ex Mundi centro.

PRimum patet evidenter Planetarum ☌ non eſſe definiendam penes media illorum loca: quòd nempe medius Planetæ locus, ſit duntaxat fictitius, vel artificialis calculi gratia, à vero ferè ſemper differens, ex quo ſolo ipſe Planeta in nos influit. Non enim Planetæ proprium excipimus influxum per aliam lienam, ſive radium, quàm eum qui ab ipſo Planetæ corpore effluit. At verus ipſius Planetæ locus, quem conjunctionem dicere ſolent, cæterorum aſpectuum eſt principium. Cæteri igitur etiam definent, non in media ſed vera loca, juxta præcedentem diviſionem duodenariam & quantitatem diſtantiæ cujuſvis aſpectus à vero Planetæ loco in primo mobili ſpectato.

Sed quia duplex eſt verus Planetæ locus in primo mobili: alter ex Terræ centro qui deſignatur per lineam rectam à Terræ centro ductam ad Planetæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

centrum & primum mobile, qui Solus in Ephemeridibus & figuris Cœleſtibus apponitur. Alter autem ex oculo qui deſignatur per rectam ductam ab oculo in ſuperficie Terræ, ad idem Planetæ centrum & primum mobile: Jure de his duobus veris locis controverti poſſe videtur, uter ſit eligendus, maximè ob Lunam non ſpernendæ parallaxi obnoxiam. Verùm quia tantùm afficimur ab Aſtris per ipſorum radios in nos effluentes, verus ex oculo locus in primo mobili erit præſertim attendendus pro vero Planetæ loco noſtri reſpectu, & principio illius aſpectuum. Quamobrem Lunæ ſaltem locus ex Ephemeridibus deductus, erit per parallaxim corrigendus pro directionibus, præſertim ſi Horizonti vicina fuerit, ut fuſius dicetur Lib. 22. non autem aliorum Planetarum qui vix unius, aut alterius minuti parallaxim patiuntur.

Caput VI.

Quo in circulo maximo, reales Planetarum aſpectus primò concipiendi ſint juxta Ptolemæum & Cardanum, horumq; refutatio.

PLanetarum aſpectus non conſiderantur ab Aſtrologis orbiculariter, hoc eſt aſpectu aſtrorum aliorum illis orbiculariter circumſtantium, ſed tantùm conſiderantur penes viam, vel inceſſum Planetarum per motum proprium ab occaſu in ortum. Quoniam igitur Sol in Ecliptica perpetuò moveri videtur; ergo in hoc circulo ſuos omnes habebit aſpectus efficaces, juxta caput 5. Idque non modò probat experientia, ſed ratio quoq; confirmat. Nam verus Solis locus (ex quo ſolo per ſe in nos influit) in Ecliptica conſpicitur, cui loco vel Eclipticæ puncto diametraliter oppoſitus, & ipſius Solis aſpectus oppoſitus, qui per conſequens in eandem cadit Eclipticam: in qua etiam reliqui aſpectus ſuas quantitates diſtantiæ in ☌ habent accuratas, non autem in quovis alio circulo. Igitur omnes Solis aſpectus, in eum circulum cadunt, ſub quo ille moveri conſpicitur. Nec de hoc ulla eſt inter Aſtrologos diſſenſio.

At de Planetis latitudinem habentibus, maximè diſſentiunt. Ptolomeus enim Lib. 1. Quatr. c. ult. vult in Planetarum congreſſibus corporeis notari latitudines illorum. Ejuſq; ratio eſt, quia non admittit niſi eos congreſſus, vel ☌, quæ fiunt in media Zodiaci linea, ſive Ecliptica, per eundem ſcilicet utriuſque Planetæ latitudinis circulum. Patet autem rationem hanc eſſe nullam; ſi quidem admiſſis Planetarũ congreſſibus in Sola Ecliptica per eundem utriuſq; Planetæ latitudinis circulum, ſemper tamen ſupereſt reddenda ratio, cur eorum latitudines in ipſo circulo notandæ ſint, quam non reddit ipſe Ptolemeus.

Cardanus autem in Commento ad omnes hujus loci difficultates, hoc unum reſpondet. *Ptolemei ſententiam eſſe, quod omnes ☌ referantur ad Eclipticam, quia tunc dicunt ſydera eſſe juncta, quando linea ducta per polos* (ſubaudi Eclipticæ) *tranſit per ambo centra, & tunc dividit Eclipticam: igitur cum ſydera illa ſunt juncta, ipſa ſunt in eodem puncto Eclipticæ.* Hæc ab verbum. Sed quàm erret à mente Ptolemei & veritate Cardanus, hinc conſtat, quia Ptolemeus præterquam quod vult ☌ fieri in eodem Eclipticæ puncto, hoc eſt illo latitudinis circulo, vult tamen inſuper habendam eſſe rationem latitudinum Planetarum: ne duo aſtra in eodem latitudinis circulo, etiam quadrante diſtantia, dicantur conjuncta, ut ſequitur ex Cardani falſa reſponſione. Itaque pro Ptolemeo, reique veritate nobis dicendum eſt, in Planetarum congreſſibus præter concurſum in eodem Eclipticæ puncto per eundem latitudinis circulum, ideo debere in ipſo circulo animadverti Planetarum latitudines, ne ſi latitudinum differentiâ à ſe mutuo diſtent ultra ambas ſemidiametros, vel corporum ſuorum, vel orbium ſuæ virtutis, de quibus infra dicetur, illi perperam conjuncti eſſe dicantur: veluti dum unus habet maximam latitudinem borealem, alter maximam auſtralem.

Sed major ſupereſt difficultas enodanda pro reliquis aſpectibus, quos vult etiam Ptolemeus in ſola Ecliptica eſſe ſpectandos & numerandos à locis Planetarum Eclipticis, ſine ulla obſervatione latitudinis. Cujus hanc rationem affert, quòd radii, verbi gratia, ſextilis aſpectus ad Terram, vel ad centrum tendentes, ibi concurrant undecunque miſſi ſint, hoc eſt juxta Cardanum, ſive ex Planetarum locis in Ecliptica, ſive ex illorum centris, ubicunque ipſi ſint extra Eclipticam.

Verùm non ſufficit radios ad centrum concurrere, ſed requiritur, ut in centro angulum ſextilis conſtituant, qui ex Ptolemeo ipſo eſt 60 graduum, & hoc quidem perpetuò fiet, ſi ducantur à punctis ⚹ in Ecliptica terminantibus, poſito quod Planetarum Ecliptica loca exacto ⚹ diſtent: at ſi ducantur à centris Planetarum, magnam præſertim, nomineque diverſam latitudinem habentibus, & ſextilem in Ecliptica ſuis latitudinem circulis determinantibus, fiet ad centrum angulus ſextili ipſo major, ut conſtat ex triangulis ſphæricis. Imò poſitis duobus aſtris in eodem latitudinis circulo, cum diverſi nominis latitudine 30 graduum, radii ab horum centris in Terram, angulum ⚹ conſtituent, cùm tamen in Ecliptica nullam configurationem efficiant, ſed conjuncti ſint. Patet igitur Ptolemei rationem vanam eſſe, ipſique Ptolemeo in aſpectuum loco atq; menſura contrariam, quamvis Cardanus Ptolemei verbis perpetuò mancipatus, illum afferat optimam, & nihilominus fateatur arcum △ ſic ſumpti in Ecliptica differre 15′. à vero arcu △ ſumpti in circulo tranſeunte per centrum Planetæ. Inſuper autem eandem fulcire nitatur altera ratione Phyſica, quòd nempe vita & reliqua ſint per lumen Solis, & Sol ſemper ſub Ecliptica feratur, ideoque auxilia & detrimenta (hoc eſt vitæ accidentia) ad illam lineam referri debeant, quæ ratio priore abſurdior eſt. Non enim lux Solis eſt cauſa vitæ, ſed calor vel influentia Solis: nec hominum accidentia referenda ſunt primò & per ſe ad lineam Solaris itineris, ſed ad Solem & reliquos Planetas ac ſtellas, quibus Solis primò & per ſe virtutes inſunt reales circa hæc Sublunaria, ſecundariò autem illorum aſpectibus ad quemcunque circulum ipſi pertineant.

Præterea ſi videatur Luna in 2 gradu ♏ cum latitudine boreali 3 graduum, verus illius locus non erit in Ecliptica, ſed in puncto circuli ſuæ latitudinis ubi illa conſpicitur: ex quo abſurdum eſſet opinari illam non influere, ſed ex Eclipticæ puncto ad quod illa calculo tantùm refertur & in quo ipſa non eſt, alioquin univerſa corrueret Aſtrologia, imò doctrina de agentibus in diſtans, quæ experientiâ ſupponit vim agentium diſtantium ab ipſis fontaliter effluere, & non à locis ubi non ſunt. Ipſi autem vero Lunæ loco diametraliter oppoſitus, à cunctis Aſtronomis jure cenſetur Lunæ aſpectus oppoſitus, non etiam cadens in Eclipticam, ſed in ipſius latitudinis circuli punctum priori diametraliter oppoſitum.

Cùm

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4


Cùm ergo verus Lunæ locus ejuſq; ☍ verè & Phyſicè cadant extra Eclipticam, hæcque vera loca cum latitudine attendantur in directionibus, non autem eorum correlata in Ecliptica, in qua hæc non aliter ſunt, quàm per mentalem calculi reductionem: an non erit abſurdum idem non cenſere de mediis aliis configurationibus, illarumque diſtãtias proprias à Luna, vel ☌ non metiri in eodem circulo ab ipſo Lunæ influentis corpore, ad ejus veram ☍, ſed ab inani Eclipticæ puncto ubi illa non eſt, ad aliud oppoſitum ſimiliter inane? Conſtat igitur ex ſupradictis veros omnes Planetarum aſpectus, non eſſe primo ſpectandos in Ecliptica, quamvis ad hanc calculi gratiâ reduci queant: & hoc de ☽ ♄ ♃ ♂ ♀ ☿ dictum intelligatur.

Caput VII.

Ioannis Blanchini & Cypriani Leovitii de eadem re ſententia, ejuſque refutatio.

DUo hi celebres Aſtrologi fortè attendentes quod naturales effectus cauſas habeant naturales & veras, non autem calculo fictitias, quales ſunt illi aſpectus in Ecliptica primario ſpectati, vel in Æquatore per rectas aut obliquas aſcenſiones, ut de aliis Aſtrologis refert Regiomontanus probl. 31. Tabularũ ſuarum, circulum maximum imaginati ſunt ductum à vero Lunæ loco ad ejus veram ☍, deſcriptum ex polo ſumpto in circulo latitudinis Lunæ: in illoque numerarunt quantitates aſpectuum. Quo pacto aſpectus □ ſemper in Eclipticam incidebat, non ſecus ac ſi Luna latitudine careret, non autem cæteri: qui proinde longitudinis & latitudinis æquatione indigebant, ut ad Eclipticam reducerentur, vel aſcenſionis rectæ & declinationis, ut Æquatorem. Atq; hanc Blanchini ſententiam, ut naturæ congruentiorem plures Aſtrologi ſecuti ſunt, inter quos Andreas Argolus celebris Aſtronomus & Aſtrologus Italus, ipſeque ei ſtandũ eſſe aliâs opinatus ſum, ob efficaciam □. in Eclipticam incidentis: præſertim quòd ex Tabula radiationis aſpectuum expoſita à Joan: Schonero celebri Aſtrologo, Lib. I. de Iudiciis nativitatum, pateat methodum hanc ipſi Schonero fuiſſe familiarem; cui etiam adhæret Cardanus Lib. de Jud. genitur. cap. 7, ſed re penitiùs introſpecta illam deſerui, ob rationes infra dicendas. Hanc tamen hic demonſtrare lubet, & Tabulam æquationis aſpectuum eidem congruam ſubjungere.

Sit Ecliptica AEC, Planeta ♂ in B, cum latitudine auſtrali AB, ſumptoque polo in circulo latitudinis Martis, deſcribatur maximus circulus per ♂, ille tranſibit per D punctum ♂ diametraliter oppoſitum cum latitudine boreali CD, ac ſecabit Eclipticam in E, eruntque EA & E B quadrantes, ideoque E □ ♂ in Ecliptica. Quoniam igitur ☌ ☍ & □ ♂ ſunt exactè in circulo BED, ergo reliqui a-



ſpectus ⌗ ⚹ △ & ☆ erunt etiam exactè in ipſomet circulo diviſo in 12 partes æquales pro illis aſpectibus: abſurdum quippe foret ☌ ☍ & □ eſſe in uno circulo & reliquos in altero. Et poſita ♂ latitudine auſtrali AB, aſpectus in ſemicirculo FBE erunt latitudine auſtrales, in reliquo autem ſemicirculo E D F boreales, & è converſo. Et quia in dirigendis ſignificatoribus ad Promiſſores horum vera loca deduci debent ad circulos poſitionis ipſorum ſignificatorum: ergo ſi Horoſcopus ſit dirigendus ad ⚹ dextrum ♂ qui eſt in G, erit ipſius G quærenda longitudo in Ecliptica H, cum latitudine HG hoc modo. Triangulo HGE rectangulo in H, dantur EG 30 graduum, & angulus HEG, vel ejus menſura AB, cognita ♂ latitudo: ergo dabuntur FH pro longitudine, & HG pro latitudine. Ex quibus invenietur aſcenſio obliqua ipſius G ad latitudinem loci nativitatis, à qua ſi auferatur aſcenſio obliqua Horoſcopi, reſtabit directionis arcus, ſic de aliis.

Brevius tamen erit uti Tabella infra poſita, ex ſuperiore fundamento à nobis olim conſtructa: in qua ponitur cujuſque aſpectus latitudo, pro data Planetæ latitudine, cum æquatione longitudinis aſpectus ipſius, quâ nempe æquatione habetur vera longitudo aſpectus ad Eclipticam reducti.

Planetæ Latitudo		1	2	3	4	5	6	7	8
⌗ ☆	Latitudo	0. 52′	1. 42′	2. 36′	3. 28′	4. 20′	5. 11′	6. 3′	6. 56′
	Æquatio	0. 0	0. 1	0. 2	0. 4	0. 6	0. 8	0. 11	0. 16
⚹ △	Latitudo	0. 30′	1. 0′	1. 30′	2. 0′	2. 30′	3. 0′	3. 30′	4. 0
	Æquatio	0. 30′	0. 1.	0. 2	0. 4	0. 6	0. 8	0. 11.	0. 16

Uſus Tabellæ.

Latitudo dodectilis & quicuncis eſt eadem, ſicut & æquatio, idemque pro ⚹ & △ dicendum eſt. Ipſa autem æquatio ſemper additur dodectili & ſextili, hoc eſt 30 & 60 gradibus, & ſemper ſubtrahitur △ & ☆ hoc eſt 120 & 150 gradibus Eclipticæ numeratis ad dextram & ſiniſtram, à vero Planetæ loco in Ecliptica, ut horum aſpectuum verus in Ecliptica locus emergat, ſed notandum quod aſpectibus dextris addere eſt ab eorum in Ecliptica numero detrahere, & viciſſim detrahere eſt addere. In ſiniſtris autem aſpectibus contrarium venit intelligendum, ut ſit ♀ in 12 gr. 18′ ♋, cum latitudine boreali ſeptem graduum: ejus ⚹ ſiniſter erit 12 gr. 29 ♏ cum latitudine boreali 3 gr. 30′. ex ſuperiore Tabella, & ⚹ dexter 12 gr. 7. ♉, cum eadem latitudine: at △ ſiniſter erit 12 gr. 7′ ♏ cum latitudine auſtrali 3 gr. 30′, & △ dexter 12 gr. 29′ ♓ cum eadem latitudine. Idem cenſeto de ⌗ & ☆ ſiniſtris atque dextris, ex quibus ipſorum aſcenſiones rectæ, vel obliquæ ex Tabulis directionum Argoli facilè inveniuntur.

Cæterùm Blanchinus ejuſque ſectatores in eo errant, quòd ejus etiam circulus ſit duntaxat fictitius. Nec refert quod deſcribatur ex polo ſumpto

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

in circulo latitudinis Planetæ : Nam deſcriptus ex polo ſumpto in circulo declinationis ejus, æquè tranſibit per verum Planetæ locum ejuſque oppoſitum, ac ſemper ſecabit Eclipticam, non tamen in punctis à Planetæ loco quadrante diſtantibus, imò duci queunt innumeri circuli idem efficientes, nec valida ratio afferri poteſt, cur unus aliis præferatur, niſi per aliquod tertium reale punctum viæ Planetæ determinetur, ad quod ipſe Planeta ſuo motu tendat, vel ab eo recedat.


Caput VIII.

Ioannis Regiomontani ea de re ſententia, ejuſque Refutatio.

NObis igitur ſupereſt diſcutienda opinio celeberrimi Joannis Regiomontani, quam problemate 31 Tabularum ſuarum expoſuit, reliquis propria duntaxat authoritate, ac ſine examine rejectis, quamque pars major Aſtrologorum his temporibus approbat, utcumque omnes de aſpectuum æquatione conquerantur, tum methodis ſuprapoſitis, tum hac etiam Regiomontani inſtituta.

Igitur ſupponit ipſe pro fundamento quamlibet ſtellā orbiculariter diffundere ſuum radium tam luminis quàm virtutis occultæ. Cùm autem (inquit) infiniti ſint tales radii, efficaciores deprehenſi ſunt, quorum unus quidem eſt latus ſexanguli æquilateri inſcripti circulo, per centrum ſtellæ tranſeunti, alius autem latus □, tertius autem latus Trigoni æquilateri: quartus verò diameter ejuſdem circuli. Porrò cujuſvis ſtellæ centrum in primi mobilis concavo concipiendum eſſe cenſet, quòd in eo concavo vera loca ſtellarum conſiderentur. Quibus ſuppoſitis, jam ex tali ſtellæ centro ut polo, imaginatur deſcribi circulos parallelos, quorum alter diſtat ab ipſo polo ſextante maximi circuli, alter quadrante, & alter triente: ac ubi primus parallelus ſecat Eclipticam, ibi per excellentiam vult eſſe radiationem ſextilis aſpectus; ubi ſecundus, ibi quadratum; ubi tertius, ibi trinum. Et quia horum aſpectuum quantitas non eſt exacta in Ecliptica, ſi verus Planetæ locus extra Eclipticam verſetur, docet per Tabulam illos reducere ad Eclipticam, ac invenire quanta ſit vera cujuſque talium aſpectuum quantitas in ipſa Ecliptica: ipſius vero Tabulæ fundamentum eſt tale.

Sit arcus Eclipticæ A C, Venus in B, cum latitudine AB 4 graduum, arcus maximi circuli, BC, 60 graduum pro ⚹ aſpectu ſecans Eclipticam in C, quæritur arcus A C, hoc eſt quantus ſit ille aſpectus in Ecliptica numeratus ab A. Invenietur autem 59 graduum 55′. ſi fiat, ut ſinus complementi A B, ad ſinum complementi B C, ita Radius ad ſinum complementi A C. atque ſic de cæteris.



Sed compendioſe admodum eruitur ipſa æquatio aſpectuum ex Tabula hic poſita, quam pro omnibus aſpectibus ex eodem fundamento deduximus, ut faciliùs quivis hanc etiam æquationem aſpectuum experiri queat in Planetis.

Planetæ Latitudo			1	2	3	4	5	6	7	8
⋕	☆	Æquatio	0. 1′	0. 3′	0. 8′	0. 15′	0. 23′	0. 33′	0. 45′	0. 59
⚹	△	Æquatio	0. 0	0. 1′	0. 3′	0. 5′.	0. 8′	0. 11′	0. 15′.	0. 20′

Æquatio pro ⋕ & ☆ eſt eadē, non ſecus ac, pro ⚹ & △. Ipſa autem æquatio ſemper ſubtrahitur Dodectili & ⚹, hoc eſt 30 & 60 gradibus: & ſemper additur Trino & ☆ hoc eſt 120 & 150 gradibus, numeratis ad dextram & ſiniſtram à vero Planetæ loco in Ecliptica, ut horum aſpectuum verus in Ecliptica locus emergat: ſed idem omnino notandum eſt, quod in Tabella pro æquatione Blanchini.

Sic autem inventis horum aſpectuum locis in Ecliptica, Regiomontanus Origanus, cæterique hujus ſententiæ ſectatores, nullam habent rationem latitudinis aſpectuum. At Keplerus Præfatione in Ephemeridem anni 1617, ingenuè fatetur Tabellam illam non ſufficere, ut habeatur arcus Eclipticæ correſpondens aſpectui, ſi Planetæ ſe aſpicientes, vel inæquales, vel contrarias latitudines habuerint. Et ſubjungit, *ſed & mihi* (inquit) *opus eſt admonitione propter aſpectus Planetarum inter ſe, quando magnas obtinent latitudines. Tunc enim fieri poteſt, ut aſpectus, etiam ipſe quadratus, longè aliis diebus incidant in circulo magno per Planetas traducto ſuppu-tati, quàm ſi quantitatem aſpectus conſtituamus arcum Eclipticæ interceptum inter binos circulos latitudinum per centra Planetarum traductos.* Hæc Keplerus, qui difficultatem utcunque tangit equidem, ſed non reſolvit. Neque hic loquitur de aſpectibus omnibus unici Planetæ, & in quem circulum maximum in primo mobili per ſe cadant.

Cæterum hæc Regiomontani ſententia, reliquis mihi videtur abſurdior. Primò, quia omnes alicujus Planetæ aſpectus, non erunt in eodem circulo maximo, per Planetæ centrum ducto, ſed ⚹ ſiniſter & △ dexter diametraliter oppoſiti, erunt in uno circulo maximo ad Eclipticam inclinato, ac tranſeunte per Planetæ centrum ⚹ verò dexter & △ ſiniſter etiam oppoſiti, erunt in altero. Idemque dicendum de duobus ⋕ & ☆; ambo autem □ erunt adhuc in altero: at ☌ & ☍ erunt in ipſorum ſingulis. Eſt autem à natura alienum in quinque diverſis circulis maximis duntaxat etiam fictitiis, veros ejuſdem Planetæ aſpectus conſtituere. Secundò, Planetarum extra Eclipticam mobilium aſpectus, per ſe

non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

non cadunt in Eclipticam, ſed in conſequentia & antecedentia projiciuntur à Planetis ipſis, penes ſuum inceſſum atque viam propriam; quæ nec eſt Ecliptica, nec Æquator; ſed alius circulus infra exponendus: ergo eorum latitudinis eſt habenda ratio, ut ſupra Keplerus aſſeruit. Tertiò, ſi Planetæ radius fontalis & influentialis diffunditur orbiculariter ad omne punctum paralleli ex ejus centro deſcripti, & hujus paralleli punctum in Eclipticam incidens, fuerit efficax in directionibus, dum venerit ad circulum poſitionis ſignificatoris, cur non alia ejuſdem paralleli puncta? Quod enim dicitur punctum illud notare in Ecliptica ſextilem per excellentiam, vel □, vel △ potiùs quàm alibi, hoc citra rationem vel experientiam aliorum punctorum fingitur. Nec tamen vitatur abſurdum, quod reliqua illius paralleli puncta, ſaltem paulò minùs eſſe quoq; debeant efficacia. Unde Lucius Bellantius quæſt. 9 art. 2, omnium abſurdiſſimè cenſuit, aſpectus illos eſſe ſumendos in ſingulis parallelorum punctis, nulla alterius circuli, nec proinde Eclipticæ habita ratione. Atqui talis hypotheſis doctrinam & experientias directionum perverteret, omninoque confunderet, quandoquidem probat experientia, quod non à quolibet puncto ipſius paralleli, oritur effectus □ ♂ obviantis Horoſcopo. Igitur hæc opinio etiam reſpuenda eſt quippe quæ ut cæteræ priores, à rei natura & Aſtrologiæ principiis ſunt aliena. Singulas autem diſcutere ideo opus eſſe duxi, quòd aſpectus Planetarum, totius Aſtrologiæ partem maximam efficiant, proindeque vera eorum doctrina ſit perneceſſaria.

Caput IX.

Quo in circulo maximo, reales Planetarum aſpectus ſecundum rei veritatem concipiendi ſunt.

HAc de re Natura ipſaque Aſtrologiæ principia ſunt conſulenda. Quippe aliam ſuppeditabunt methodum, quam ut ſequitur inveni poſt longa circa rem ipſam ingenii molimina.

Conceditur ab omnibus, vera Planetarum loca ſpectari in primo mobili, atque certum eſt eorum corpora in nos influere ex ſuo vero loco reſpectu noſtri, vel nobis apparente in ipſo Cœlo, non autem ex alio. Quamobrem ex ipſo loco Cœlũ illud determinabunt Terræ vel nati reſpectu, tam ratione ſui ſitus corporei, quàm ratione aſpectuum, per quos etiam agunt. Hi autem à vero Planetæ loco numerandi ſunt, ut Regiomontanus atque Blanchinus fecêre. Non quidem in diverſis circulis fictitiis, ut Regiomontanus voluit, nec in eodem etiam fictitio, ut Blanchinus; ſed in eodem reali, aut ſaltem penes realem Planetæ viam in primo Cœlo nobis apparentem incedentis, cujus inventio per plures annos meum ingenium acriter exercuit, quòd rem iſtam maximi in Aſtrologia momenti eſſe viderem, idque fateantur Aſtrologi: & tamen Keplero, Regiomontano, ipſique Ptolomeo, qui de correctione aſpectuum locuti ſunt ignota fuerit, quamvis inſignes Aſtronomi extiterint, & Ptolomeus etiam Aſtrologiæ Princeps primarius.

Poſt frequentes autem atq; diuturnas circa rem ipſam ſpeculationes, tandem conſideravi duplicem eſſe cujuſq; Planetæ viam, quippe veram ſeu abſolutam, tum reſpectu noſtri apparentem. Vera eſt illa quam Planeta deſcribit abſolutè in Æthere, corporis ſuo centro, quæque ad primum mobile continuari fingitur, & Planetæ orbita vel excentricus nuncupatur. Apparens autem ea eſt in primo mobili, ſub qua ipſe Planeta reſpectu Terræ, vel à nobis moveri conſpicitur. In Sole autem vera orbita ad primum mobile continuata coincidit cum nobis apparente, quia Solis orbita vera circa Tellurem ordinata eſt, ſuntque Sol & Tellus ſemper in eodem Eclipticæ plano. Ideoque ſunt idem Eclipticæ circulus, in quo Sol reſpectu noſtri ſemper movetur, & ex eo tam per ſuum corpus quàm per ſuos aſpectus in ipſa exactè definitos influit in Nos experientiâ teſte.

At Saturnus ♃ ♂ ♀ & ☿ ſuas habent veras Orbitas non circa Terram ordinatas ex Copernico & Tychone; ideoq; noſtri reſpectu apparent in Cœlo moveri in lineis non circularibus, ut cuilibet patebit ſi ſuper globo Cœleſti viam illorum deſcribat penes longitudinem atq; latitudinem per totum Zodiacum. Quia tamen orbitæ ♄ ♃ & ♂ Tellurem includunt, idcirco hæ à linea circulari minùs degenerant, ipſique Planetæ in ſua revolutione ſemel tantùm fiunt boreales & auſtrales Eclipticæ: at ♀ & ☿ extra quorum veras Orbitas Tellus exiſtit, deſcribunt Nobis apparenter in Cœlo lineas circa Eclipticam magis irregulares ac tortuoſas, præſertim verò ☿, qui Zodiacum peragrando quinquies aut ſexies fit borealis latitudine, ac totius auſtralis. Conſentiunt autem omnes Aſtrologi experientia edocti, aſpectus eſſe ſumendos in Cœleſti circulo perfecto in quo verus Planetæ locus exiſtit in quo ejus aſpectus per proprias quantitates definiuntur. Ac præterea conſentiunt, quod Planeta reſpectu noſtri agat, non ſolùm ratione ſui veri loci, ſed omnium ſuorum aſpectuum in ipſo circulo maximo definitorum, quamvis Orbitæ ♀ & ☿ Tellurem non ambiant, quippè quòd verus Planetæ locus alia 11 in Cœlo determinet in eodem circulo maximo, pro locis ſuorum aſpectuum, ut diximus cap. 4. Tota autem difficultas conſiſtit in deſignando circulum ipſum, qui ſaltem incedat penes realem Planetæ viam in primo Cœlo Nobis apparentem.


Imprimis autem certum eſt, quod circulus ipſe non ſit Ecliptica, nam pro ♄ ♃ ♂ ♀ ☿, obſervanda eſt in directionibus latitudo corporis Planetæ, ſi aliquam habuerit, ejuſque oppoſitionis, jubente Ptolomeo & experientiâ cogente. Sed nulla afferri valida ratio poteſt, cur Planetæ corpus, ejuſque oppoſitio ſint extra Eclipticam, reliqui verò aſpectus in Ecliptica, ut voluit ipſe Ptolomeus; ſic enim non omnes aſpectus eſſent in Ecliptica, & vel circulus aſpectuum non eſſet exactus circulus, vel duo circuli eſſent admittendi, unus pro corpore & ejus ☍, alter autem nempe Ecliptica pro reliquis aſpectibus ejuſdem Planetæ, quæ ſunt abſurda.

Secundò autem etiam certum eſt, quod circulus ipſe non ſit veræ Planetæ Orbita ex Sole ad primum Cœlum continuata. Quia hæc Orbita quamvis ſit circulus ad Eclipticam inclinatus, tamen angulo conſtanti inclinatur, pro ♄ quidem 2 graduum 32′, pro ♃ 1 grad. 20′, pro ♂ 1 gr. 50′, pro ♀ 3 gr. 22′, & pro ☿ 6 gr. 54′, ex Tabulis Rudolphinis. Atqui veræ latitudines ♄ ♃ ♂ ♀ ☿ frequenter excedunt illas inclinationes, & ♂ excurrit,

usque

uſque ad 7 gradus latitudinis. Nam ergo ſumi poſſunt inter Eclipticam & Orbitam veram. Igitur neceſſe eſt, ut circuli quem quærimus inclinatio ad Eclipticam, ſit vel latitudo Planetæ, eo momento quo ejus inquiruntur aſpectus, vel latitudo maxima proximè ſequens, vel antecedẽs ipſum momentum, in qua ipſe Planeta fit ex aſcendente deſcendens, aut contrà, vel latitudo maxima & ultima, ad quam pertingere poteſt Planeta, dum verſatur in parte boreali vel auſtrali, omnis enim alia methodus à vero Planetæ in Cœlo tramite magis aberrabit, ut in ſequentibus patebit objectionibus.

Jam verò primus modus eſt Blanchini, qui temporeaneam Planetæ latitudinem facit menſuram inclinationis circuli aſpectuum ad Eclipticam: verbi gratia ſit Ecliptica A B E C, Planeta ♂ D, qui in Eclipticæ puncto A caruerit latitudine, factuſque ſit deinde borealis, ejuſque via punctis notata ſit A D F. Ex circulo autem latitudinis ♂



per locum ejus D, ducatur circulus DFG pro circulo aſpectuum, eo quidem pacto cadet locus □ ♂ in Eclipticæ punctum E, ſed patebit ad oculum quod ♂ nullo modo incedat penes hunc circulum, alioquin à D in E continuò accederet ad Eclipticam, cùm è contrario ab ipſa recedat continuò per ſuam viam apparentem in globo Cœleſti A D F, ergo circulus Blanchini reſpuendus eſt, ut à natura alienus.

Secundus modus coincidit cum tertio pro ♂ ♀ & ☿, hi enim Planetæ nunquam fiunt ex aſcendentibus deſcendentes, aut contra, niſi dum adepti ſunt maximam latitudinem quam habere poſſunt, dum fiunt boreales vel auſtrales latitudine, ſed continuò creſcunt latitudine ad illam uſque maximam, ut patet in ipſis etiam Ephemeridibus. Saturnus autem & ♃ quamvis non continuò creſcãt latitudine, ſed ſæpe (præſertim Saturnus) retrogredi videantur latitudine, nihilominus redeuntes pergunt ad illam uſque maximam latitudinem ſuam borealem vel auſtralem, quam in illa ſua revolutione adipiſci queunt. Ac proinde ſi circulus aſpectuum ille ſtatuatur, cujus inclinatio ad Eclipticam eſt maxima Planetæ latitudo borealis, vel auſtralis, prout Planeta eſt in parte boreali, vel auſtrali, ad quam ipſe Planeta pertingere poteſt, hic circulus præ cæteris incedens penes Planetæ viam in Cœlo nobis apparentem, quæ circularis non eſt, pro vero atque omnium maximè naturali circulo aſpectuum habendus eſt.


Cæterùm Saturni ♃ ♂ ♀ ☿ ambæ Orbitæ in Cœlo ſpectatæ, quippe apparens ex Terra, & vera ex Sole continuata, ſic ſe habent, ut quoties Planeta in vera ſua Orbita etiam ad Cœlum continuata caret inclinatione juxta Kepleri mentem, eſtque in ſuo nodo in ipſa Orbita, tunc idem Planeta caret etiam latitudine in ſua apparente Orbita, & aſpectuum circulo à Nobis aſſumpto, eſtque in eorum nodis. Sed ſunt diverſa nodorũ loca multis etiam gradibus differentia; non ſecus ac locus Planetæ excentricus & apparens in Cœlo differunt in Ecliptica: verbi gratia, anno 1647. die 23. Aprilis horâ meridianâ Pariſiis, Venus in Tabulis Rudolphinis reperitur vero, vel apparente motu 19 gr. 49′. ♉. ſine ulla latitudine: ergo eſt in interſectione apparentis Orbitæ & Eclipticæ, eaq; boreali. Tunc autem nodus boreus ♀ in ſua vera Orbita penes medios motus eſt 13 gr. 37′. ♊, ideoque amborum differentia eſt 23 gr. 48′. Præterea maximè differunt nodorum motus in utraque Orbita. Nam in Orbita vera moventur uniformiter admodumque tardè, ſed in apparente difformiter longéque citiùs. Tandem inclinatio veræ Orbitæ ad Eclipticam eſt invariabilis, ut dictum eſt ſupra, ſed Orbitæ apparentis, eſt variabilis. Non enim per ſingulas Planetæ revolutiones eadem eſt ejus maxima latitudo borealis, vel auſtralis, aut borealis cum auſtrali, ſed hæ latitudines fiunt diverſæ quoties Planeta tranſit à parte boreali ad auſtralem. Hæcque omnia reſpectu Terræ cauſat tranſlatio ipſorum Planetarum à Sole & parallaxis Orbis.

His præmiſſis jam tempeſtivum foret oſtendere, quomodo hic circulus pro ♄ ♃ ♂ ♀ ☿ traducendus ſit in primo mobili, & aſpectus in eo deſignandi.

Primùm ergo latitudo maxima quam Planeta adipiſci poteſt in parte boreali, vel auſtrali in qua ipſe verſatur, ſumatur pro inclinatione circuli aſpectuum ad Eclipticam, eo ipſo tempore.

Secundò, per inclinationem illam, & datam ejuſdem Planetæ veram latitudinem ipſomet tempore, inveniatur locus inter ſectiones ipſius circuli & Eclipticæ ad idem tempus, ſequente methodo.

Anno 1647, menſe, die, & horâ ſuprapoſitis, Venus erat in 19 gradu 49′. ♉, ſine ulla latitudine, proindeque in ſuo apparente nodo; inde autem nota eſt in ſua apparente Orbita, quouſque obtinuit maximam latitudinem borealem 1 gradus 47′. Sumatur igitur hæc latitudo pro inclinatione circuli aſpectuum ad Eclipticam, quæ in appoſita Figura ſit A E C, & circulus aſpectuum



ince-

incedens penes viam apparentem ♀ ſit A D B, eorumque interſectio vel nodus boreus A, ex quo ♀ mota eſſe concipitur, latitudine continuò creſcens, quouſque ſit in B maxima ſua latitudine boreali 1 grad. 47′. ſit autem ♀ in ipſius circuli puncto D, cum latitudine boreali D E, 1 gradus 10′. qualem obtinet die 22. Maji horâ meridiana Pariſiis in 25 gradu 15′. ♊. Jam ex datis BC & DE inveniatur priùs Eclipticæ arcus A E, dicendo. Ut tangens B C, ad tangentem D E, ita ſinus totus A C, ad ſinum A E: repeterturque A E 40 graduum 52′. Qui detracti ex loco ♀ in Ecliptica 2. ſign. 25 grad. 15′, relinquunt 1 ſign. 14 grad. 24′. hoc eſt 14 gr. 24′ ♉ pro loco nodi borei A, in quo contingit interſectio circuli aſpectuum ipſo tempore; qui locus notandus eſt, tum ejus oppoſitus 14 grad. 24′ ♏, pro loco nodi auſtrini.

Poſt hæc inveniatur A D dicendo. Ut ſinus B C ad ſinum DE, ita radius vel ſinus AB, ad ſinum AD 40 grad. 52′. qui eſt arcus circuli aſpectuum, conſors arcui Eclipticæ A E, deſignans locum ♀ in ipſo circulo, ejuſque diſtantiam à nodo A.

Jam ab ipſo D loco ♀ in aſpectuum circulo, vel apparente Orbita, hoc eſt 40 gr. 52′. diſtantiæ à ☊, vel nodo A, numerentur omnes ejus aſpectus exacti in ipſo circulo, dando ſcilicet dodectili 30 gradus, ſextili 60, quadrato 90, &c: ſitque ejus dodectilis ſiniſter in H, cujus oporteat invenire longitudinem & latitudinem. Additis igitur AD 40 gradibus 52′. & DH 30 gradibus, fient 70 gradus, 52′, pro A H. Ideoque fiat, ut ſinus totus AB ad ſin. AH 70 grad. 52′; ita ſinus BC, 1 grad. 47′, ad ſin. G H 1 gr. 41′. quæ erit latitudo borealis aſcendens ipſius ⋕ deſinentis in Eclipticæ puncto G. utque ſciatur illud punctum, vel arcus Eclipticæ A G, fiat ut tangens B C, ad tang. GH: ita ſinus totus A C, ad ſin. AG 70 grad. 44′, ſive 2 ſign. 10 grad. 44′, quibus ſi addatur locus nodi A, 1 ſig. 14 gr. 24′. fient 3 ſigna 25 gradus 8′, vel 25 gradus 8′. Cancri pro vero loco ipſius ⋕ in Ecliptica.

Ad inveniendnm □ ſiniſtrum ♀, ipſi D hoc eſt 40 gradibus 52′ addantur 90, fientque 130 gradus, 52′, pro arcu A D I, qui detracti ex ſemicirculo ABF, relinquunt 49 grad. 8′. pro FI; ideoque fiat, ut ſinus totus FB, ad ſin. FI. ita ſinus BC, ad ſin. IK, & prodibunt 1 grad. 21′, pro IK latitudine boreali deſcendente ipſius □, deſinentis in Eclipticæ puncto K. Utq; ſciatur illud punctum, vel arcus Eclipticæ FK, fiat ut tangens BC, ad tang. IK, ita ſinus totus FC ad ſinum FK. Et prodibunt 49 grad. 12′, pro FK, ſive 1 ſig. 19 gr. 12′. quæ ablata ex loco nodi auſtrini F, 7 ſign. 14 gr. 24′, relinquentur 5 ſigna 25 grad. 9′. hoc eſt 25 gr. 9′. ♏, pro vero loco ipſius □ in Ecliptica.

Invenietur quincunx ſiniſter, ſi loco □ I addantur conſequenter 60 gradus, deſinetq; in puncto N; ideoq; ſi ex 60 gradibus auferantur 49 grad. 8′. pro FI, relinquentur 10 gradus 55′. pro F N. Ideoque fiat, ut ſinus totus F L ad ſin. FN: ita ſinus ML, vel BC, ad ſin. NP, & prodibunt 0 grad. 20′. pro N P. latitudine meridionali deſcendente ipſius ⛤ deſinentis in Eclipticæ puncto P. utque ſciatur arcus FP, fiat ut tangens LM ad tangentem N P. ita ſinus totus FM ad ſinum FP 10 grad. 46′. quæ ſi addantur loco nodi F 12 grad. 24′ ♏, fient 25 grad. 10′ ♏, pro loco ipſius ⛤.

Atque ſic de omnibus aliis pro ♄♃♂☿. Inventis autem, ut ſuprà aſpectibus ſiniſtris, dextri illis diametraliter opponuntur, cum latitudinibus pro oppoſitis æqualibus, ſed oppoſitæ denominationis, ſcilicet ⋕ ſiniſter opponitur ⛤ dextro, ✶ ſiniſter △ dextro, □ ſiniſter □ dextro; △ ſiniſter ✶ dextro & ⛤, ſiniſter ⋕ dextro; utq; proinde tantùm neceſſe ſit invenire ſiniſtros, aut dextros. Dabimus autem egregiam Tabulam Libro 22. cujus ope ipſi aſpectus cum ſua longitudine & latitudine facillimè invenientur, hæc enim methodus Doctores tantùm & Theoriæ cupidos decet.

Quoniam verò ad inveniendum in Ecliptica verum locum cujuſvis aſpectus, Eclipticæ arcus primo inventus addi, vel detrahi debet loco veri nodi, qui vero Planetæ loco in Ecliptica vicinior eſt, ſcietur an ipſe nodus ſit ☊, vel ☋ Planetæ, ut ſequitur. Dum Planetæ vera latitudo eſt ſeptentrionalis & ſubſequenter creſcit, Planeta diſcedit à ſuo vero nodo boreali & vadit ad limitem boreum: ſi decreſcit, Planeta diſcedit à limite boreo & vadit ad ☋. Dum autem Planetæ latitudo vera auſtralis eſt & conſequenter creſcit, Planeta diſcedit à ☋, & vadit ad limitem auſtralem, ſi decreſcit, diſcedit à limite, & vadit ad ☊. Atque hoc perpetuò verum eſt pro ♂♀☿☽, non autem pro ♄ & ♃: itaque generaliter, ſi Planeta in parte boreali, nondum attigit maximam latitudinem borealem, præcedit illum ☊, ſi præteriit, ſequitur ☋. Idemque cenſeto de Planeta in parte auſtrali. Dum autem ☊, vel ☋ præcedit, aufer arcum primò inventum (qui eſt diſtantia Planetæ & nodi in Ecliptica) ab ipſo Planeta, & relinquetur nodi locus in Ecliptica: ſi autem ☊, vel ☋ ſequatur, adde ipſam diſtantiam loco Planetæ, ut habeas nodum.

Contra iſtam verò doctrinam nonnulla objici queunt, ex quorum ſolutione ipſa firmiùs ſtabilietur. Ac primò, quod Planeta non moveatur in aſſumpto circulo aſpectuum, ut Sol in Ecliptica circulo aſpectuum Solis: proindeque circulus ipſe ſit etiam fictitius, ut circuli Blanchini & Regiomontani.

Reſpondeo. Nullum ſaltem eſſe alium circulum, qui juxta apparentem in Cœlo Planetæ viam accuratiùs incedat, præſertim pro ♄♃♂, à qua circuli Blanchini & Regiomontani prorſus aberrant: ideoque præ cæteris circulum à Nobis aſſumptum eſſe eligendum, ut magis naturalem atque realem, quandoquidem Planetæ via in Cœlo apparens, non eſt circularis, aſpectus autem in exacto circulo eſſe ponuntur ab Aſtrologis, experientiâ coactis.

Objicitur ſecundo. Per hanc methodum verum Planetæ nodum in Cœlo non ſolum plures gradus, ſed plura etiam ſigna in anno apparenter percurrere, cum tamen medius motus ejuſdem nodi ſaltem pro ♄♃♂♀☿ ne quidem ſit 2′. quolibet anno. Ergo motus ille apparens fictitius eſt.

At reſpondeo. Id non fingi, ſed etiam realiter accidere. Nam verbi gratiâ, anno 1647. die 23. Aprilis, ♀ carens latitudine eſt in 19 grad. 49′. ♉, & ſuo vero nodo boreali ex Tabulis Rudolphinis: die autem 13. Auguſti eſt in 3 gradu 5′. ♎ ſuo vero nodo auſtrali: ideoque borealis tunc debet eſſe in 3 gradu 5′. ♈, ſicque à die 23. Aprilis ad 13. Auguſti, retroceſſit 1 ſigno 16 grad. 44′.

Die

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Die autem 4. Decembris ejuſdem anni, rurſus eadem ♀ carens latitudine eſt in 8 gradu 2′. ♐ ſuo vero nodo boreali, cùm tamen ipſe nodus fuiſſet in 19 gradu 49′. ♉, ſicque à 23. Aprilis ad 4. Decembris, verus ſeu apparens nodus boreus ♀ retroceſſit 5 ſignis 11 gradib. 47′. Ac in ſumma quantùm in figura ſupraposita motus longitudinis ♀, ab A ſuo vero ☊ uſque ad C ubi ejus latitudo fit maxima deficit à quadrante, vel 90 gradibus, tantundem ipſe verus nodus A retrocedit apparenter in antecedentia, propter tranſlationē horum Planetarum à Sole & parallaxin Orbis. Neq; id ſolummodo verum eſt de ipſo quadrante AC, ſed de arcubus AE & AG, dum verus motus longitudinis ♀ deficit à quantitate ipſorum arcuum.

Objicietur tertio. Quod inclinatio viæ Planetariæ apparentis in Cœlo nunquam eſt eadem, ſed continuò variatur, alioquin eſſet circulus perfectus: ergo maxima apparens latitudo ſumi nequit pro conſtanti inclinatione circuli aſpectuum ad Eclipticam, quandiu Planeta movetur à ſuo nodo ad illam maximā latitudinem, vel ab hac ad illum.

Sed reſpondeo. Quod cùm circulus aſpectuum ſupradictus & via Planetæ apparens in Cœlo hoc commune habeant, quod per utramque lineam Planeta tendit à ſuo vero nodo ad maximam latitudinem ſupradictam, vel inde recedit, differentia in longitudine & latitudine aſpectuum ex illa variatione orta, ut plurimùm inſenſibilis eſt, ſaltem in eodem ſemicirculo boreali vel auſtrali quem Planeta percurrat, quique ſolus attenditur, quòd alter ex determinatione ſit ei continuus, unicum nempe circulum perfectum efficientes.

Objicitur quarto. Methodum iſtam non poſſe perpetuò deſervire pro ♄ ♃ ♂ ♀ ☿. Nam cùm Planeta latitudine caret, exiſtens in ſuo vero nodo, quis nam erit circulus aſpectuum? Numquid Ecliptica? ſed Planeta non movetur in Ecliptica, vel penes ejus inceſſum. Nunquid alius circulus? ſed quænam erit ejus inclinatio ad Eclipticam? An maxima latitudo borealis? An maximà auſtralis? Inter ſe differentes quandoq; pluribus gradibus?

Reſpondeo. Quod etſi Planeta ſit verè in ſuo nodo carens latitudine, tamen certum eſt, quod verè movetur reſpectu noſtri in ſua apparente Orbita ad Eclipticam inclinata. Ideoq; circulus aſpectuum ille ſemper erit, qui ſecundum viam illam apparentem incedit. Ejus autem inclinatio erit latitudo maxima à qua ipſe Planeta diſceſſit, atque decrevit uſque ad ipſum nodum in quem deſiit Planetæ latitudo, & non latitudo maxima ſequēs, ad quam vadet, quia ipſam nondum inchoavit. Hæcque Objectio fieri poteſt pro quocunque altero aſpectuum circulo incedente penes viam Planetæ apparentem in Cœlo, qualiſcunque ſumatur ejus inclinatio ex parte boreæ vel auſtri.

Objicitur quinto. Probabilius videri, quod circulus aſpectuum traducendus ſit per verum Planetæ locum atque nodos veræ ſuæ Orbitæ, reductos ad Eclipticam primi Cœli per parallaxin Orbis. Sic enim datis vero loco Planetæ penes longitudinem atque latitudinem, nec non vero loco ſui nodi, dabitur inclinatio circuli aſpectuum peculiaris & congrua cuilibet tempori ſumpto. Quod quidem rationi congruentius eſſe videtur, quam ſumere maximam apparentem latitudinem Planetæ, pro conſtanti inclinatione circuli aſpectuum, quamdiu Planeta movetur à ſuo nodo ad illam maximam latitudinem, vel ab hac ad illam.

Reſpondeo, illud quidem primo intuitu videri probabilius; & in hac methodo me deluſum fuiſſe, donec reperi inclinationem circuli aſpectuum ♂ ad Eclipticam excurrere uſque ad 12 gradus; quod nimis exorbitat à maxima latitudine ♂ quæ nunquam excedit 8 gradus. Et verum ♀ aut ☿ locum in Ecliptica (dum ſi Planetæ peragrant inferiorem veræ ſuæ Orbitæ partem) coincidere quandoque cum vero loco nodi ipſorum: & tamen ſic ♀ & ☿ obtinere latitudinem etiam plurium graduum, quod fieri nequit, aut latitudinem eorum æquari ipſorum diſtantiæ à vero nodo, quod 90 graduum inclinationem argueret circuli aſpectuum ad Eclipticam, & longè magis exorbitat à latitudine vera ♀ aut ☿. igitur ſi circuli nimis aberrant ab inceſſu apparentis in Cœlo viæ Planetæ, ac proinde ſuper eſt tantùm Nobis ſumendus circulus à Nobis expoſitus, qui præ cæteris illum ſequitur inceſſum, & nunquam excedit maximam Planetæ latitudinem, quamvis pro ♄ & ♃ utraque methodus ſine magno errore uſurpari queat indiſcriminatim.

Quod verò ad Lunam ſpectat circa Tellurem ordinatam, ipſa etiam duplicem admittit Orbitam, quippe veram quam ſui corporis centro verè deſcribit circa Terram, quæque vocatur excentricus ſolutus à Keplero, inclinatus ad Eclipticam angulo conſtanti 5 graduum: tum apparentem, in qua ad primum mobile continuata moveri conſpicitur reſpectu noſtri, ac pati anomalias menſtruas, unde ejus longitudo & latitudo variantur. Et vocatur hæc apparens Orbita excentricus menſtruus, libratilis circa ſolutum, ac inclinatus ad ipſum angulo per librationem variabili, ſed non excedente 19′. ex Tychone & Keplero. In hac autem Orbita ſemper ſumitur verus Lunæ locus reſpectu centri Terræ penes longitudinem & latitudinem, nec non verus locus nodi ejus borealis, hæcque ponuntur in Ephemeridibus.

Quoniam verò inclinatio apparentis Orbitæ ſeu viæ Lunaris in Cœlo, continuò variatur per librationem illam, hinc fit ut via ipſa non ſit perfectus circulus, ut accidit in ♄ ♃ ♂ ♀ ☿, ſed à circulo nonnihil differens, ferè tamen inſenſibiliter. Ac proinde latitudo maxima quam Luna adipiſci poteſt in parte boreali vel auſtrali, quam percurrit, multò accuratiùs ſumi poteſt pro inclinatione circuli aſpectuum, qui ferè idem eſt cum illa libratili Orbita: & aſpectuum loca projici à verò Lunæ loco, ut factum eſt pro ♄ ♃ ♂ ♀ ☿: ſicq; pro omnibus iſtis Planetis erit una eademque methodus, quod eam adhuc ampliùs commendat, & cujus veritas in Lunæ aſpectibus præcipuè eluceſcet, quòd horum circulus & Lunæ apparens Orbita ferè coincidant.

Imò quoniam in Ephemeridibus Lunæ, ponitur locus nodi borei ad dies ſingulos, brevior erit methodus pro Luna, ſi ex locis Lunæ & nodi viciniori ad idem momentum ſupputatis, auferatur antecedens à conſequente, & relinquetur diſtantia Lunæ ab ipſo nodo. Deinde fiat, ut ſinus ipſius diſtantiæ ad ſinum totum, ſic tangens veræ latitudinis Lunæ, ad tangentem maximæ latitudinis, vel inclinationis apparentis Orbitæ Lunaris ad Eclipticam ipſo tempore, quæ inclinatio erit menſura anguli A in ſupraposita figura, nonnihil tamen variabilis in ſingulis Lunæ revolutionibus propter librationem, ſed abſque errore ſenſibili pro aſpectibus, tandemque

fiat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

fiat (poſita Lunâ in D) ut ſinus BC ad ſinum DE, ita ſinus totus ad ſinum A D, & habebitur Lunæ locus D in Orbita apparente, vel aſpectuum circulo, unde projicientur aſpectus, ut factum eſt pro ♄ ♃ ♂ ♀ ☿. Et hæc methodus à ſuprapoſita vix ſenſibiliter differt pro correctione aſpectuum Lunæ.

Supradictis omnibus ſic à nobis ratione ſtabilitis & experientiâ comprobatis, tandem fortuito incidens in Cardani Aphoriſmos 30.31.& 32. Sectionis primæ; quos antea pluries legeram nec intelligere potueram ob ſermonis brevitatem & verborum ambiguitatem in re adeò difficili: ſuſpicari cœpi, Cardanum ſubolfeciſſe circulum aſpectuum à me expoſitum, quamvis nonnulla dicat ab ipſo circulo aliena. In cæteris vero mentem ſuam tam malè explicet, ut quid ſibi velit ignoretur. An autem ſubolfecerit ac indicaverit, Lector peritus ex jam dicendis judicet.

Itaque Aphor. 30 ait. *Eſt etiam vero ſimile, ut quilibet Planeta dirigatur per lineam in qua defertur, ut Sol per Eclipticam: & reliqui omnes per circulum ſuæ latitudinis. Et ſic inveniemus fixas, quibus occurrunt ſecundùm corpus. Nam directio loci ſemper eſt per partes Eclipticæ.*

Hîc dum ait. *Eſt vero ſimile*: patet quòd illud non aſſerat, ſed de eo dubitet. Dum ait. *Ut quilibet Planeta dirigatur per lineam per quam defertur.* Ipſa linea poteſt intelligi tam de vera Orbita, quàm de nobis apparente, nec diſtinctionem appoſuit. Adde quod circulus à nobis aſſumptus, neutra eſt ipſarum linearum, & apparens Orbita non eſt circulus. Dum ait. *Et reliqui omnes per circulum ſuæ latitudinis*, ſeipſum & Lectoris ingenium confundit. Nam ſi quilibet Planeta dirigendus eſt per lineam per quam defertur, quinam ſunt omnes reliqui Planetæ? Et dum ait. *Hos eſſe dirigendos per circulum ſuæ latitudinis.* Conſtat in Aſtronomia, quod circulus latitudinis Planetæ, eſt ille qui à polo Eclipticæ per Planetæ centrum deſcendit ad angulos rectos in Eclipticam. Talis autem non eſt circulus à nobis ſuprapoſitus. Denique dum ait. *Et ſic ſciemus fixas quibus occurrunt ſecundùm corpus: nam directio loci ſemper eſt per partes Eclipticæ.* Duplicem innuit Planetæ directionem, unam per corpus in linea per quam defertur: vel (ut vocat) in circnlo ſuæ latitudinis: & alteram per ejus locum in Ecliptica, quem vult dirigi per partes Eclipticæ. Sed hæc directio contrariatur menti Ptolemei, qui vult in directionibus habendam eſſe rationem latitudinis Planetæ dirigendi, & dirigens per horaria tempora, dirigit per Æquatoris partes: & contrariatur etiam rationi, non enim Planeta dirigendus eſt ex loco in quo verè non eſt: at verè non eſt in Ecliptica, ſed tantùm reductivè ſi latitudinem habuerit. In altera autem directione nihil occurrit diverſum à methodis Blanchini & Regiomontani pro occurſu fixarũ; nam omnis fixa declinationis ejuſdem cum dirigendo Planeta, poteſt huic occurrere juxta methodos ipſas.

Aphoriſmo 3. ait. *Cùm igitur ita ſit, convenit etiam, ut radii omnes, eodem modo in illo circulo ſumantur.* Et hoc quidem verum eſt, ſi intelligat, quod radii omnes ſumantur in circulo à nobis expoſito, ut ſumuntur pro Sole in Ecliptica. Cùm autem conſequenter ait: *quare oppoſiti Soli cum modo Blanchini conveniunt.* Rurſus ſeipſum & Lectoris ingenium confundit. Quid enim per Soli oppoſitos intelligere poteſt quam ♄ ♃ & ♂, qui à nobis videntur oppoſiti Soli, non autem ♀ & ☿? Atqui in noſtra methodo neque ♄ ♃ & ♂ neque ♀ & ☿ pro aſpectibus conveniunt cum Blanchini methodo, in qua aſpectus ſemper cadit in Eclipticam, ut fit etiam in modo Regiomontani. Quod ſi tantùm velit intelligi de ipſorum Planetarum aſpectu oppoſito; ergo fruſtra addidit Soli: nam in methodo tam Ptolemei quàm Regiomontani oppoſitus aſpectus cadit in idem Cœli punctum cum methodo Blanchini atque noſtra.

Et dum poſtea dicit. *Oportet ſcire maximas Planetarum latitudines*, intelligit quas ipſi poſſunt habere ſimpliciter ex parte Boreæ, vel Auſtri, & quas Cardanus ipſe tradit, non tamen exactos. Nimirũ pro ♄ 3 grad. 5. pro ♃ 2 grad. 8′. pro ♂ 7 grad. 7. pro ♀ 7 grad. 22′: & pro ☿ 4 grad. 5′. Dumque perſequitur. *Et ſcire loca in quibus circulus latitudinis eo tempore Eclipticam ſecat.* Hoc quidem ſcire oportet de circulo à me aſſumpto, ſed hic non eſt latitudinis circulus, ut ſupra dictum eſt. Dumque pergit, *inde quærere radiationes.* Dubium relinquitur an radiationes, ſive aſpectus ſumendi ſint in Ecliptica à puncto in quo ſecatur à Planetæ circulo propriè dicto, an verò ſumendi ſint in circulo à nobis expoſito, & numerandi à puncto in quo circulus ipſe Eclipticam ſecat, quorum tamen neutrum in noſtra methodo faciendum eſt. Sed numerandi ſunt in circulo à nobis expoſito, incipiendo ab ipſo Planetæ corpore, quamvis Eclipticæ puncto ſectionis, ſive nodo nobis cognito utamur, ad inveniendas, ſive determinandas ſingulorum aſpectuum longitudines in Ecliptica, ut ſuperius patuit.

Tandem Aphor. 32. ait. *Oportet autem non ſimpliciter ſumere maximam latitudinem, ſed illam quæ tunc maxima eſt, cum Planeta in eo circulo fertur.* Jam Cardanus nobis omnino favere videtur. Nam pro inclinatione circuli aſpectuum ad Eclipticam, ſumo maximam latitudinem quam Planeta habere poteſt, vel habuit in ſemicirculo boreali, vel auſtrali quem percurrit, vel in parte boreali, vel auſtrali in qua verſatur.

Si quis ergo negare voluerit, Cardanum in illis tribus Aphoriſmis methodum à me traditam intellexiſſe; id ipſi liceat ob ſuperius dicta in expoſitione ipſorum Aphoriſmorum. Si quis autem contrarium aſſeveret, ſaltem inde confirmabitur noſtra methodus, cujus ipſe intricatam & confuſam Cardani mentem explicavi, quod nec ipſe, nec alius fecit hactenus.

Interim verò certum eſt, quod Cardanus ipſe, nec docuit modum, ipſam methodum ad praxim reducendi forſan difficultate rei territus nec ipſe eâ unquam uſus eſt, ſed ſaltem merhodo Blanchini quam commendat & ex profeſſo docet Lib. de judic. genitur cap. 7. Nec ullus Aſtrologus à tempore Cardani huc uſque noſtram docuit, vel uſurpavit, utcunque Origanus, Argolus & cæteri recentiores qui de aſpectuum correctione locuti ſunt, Aphoriſmos ſupradictos legerint ac relegerint, ſicut & Ego, qui ante meum conceptum nihil in ipſis intellexi, nec de illis cogitavi, nec adhuc affirmare auſim, quid Cardanus in ipſis intellexerit. Quidquid ergo ſingulis circumſpectis potuimus in re tanti momenti, adeò difficili, quæque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ſola ſupereſſe videbatur deſideranda in Aſtrologia noſtra; id Lector benevolus grato animo excipiat, vel me quoque applaudente meliora tradat. Sed monemus ad rem hanc utendum eſſe Ephemeridibus optimis, in quibus rectè ponatur veræ longitudines ac præſertim latitudines Planetarum, ſi Aſtronomia à Nobis fundamentaliter reſtituta tandem, aliquando Ephemerides tales ſuppeditaverit: in quibus annorum ſingulorum initio, ſaltem pro ♄ ♃ & ♂, ponatur maxima eorum latitudo, in ſemicirculo boreali, vel auſtrali quem percurrunt: & quo tempore præceſſerit, aut ſecutura ſit, ne hæc quærere ſit nimis tædioſum præſertim pro ♄, qui in eodem ſemicirculo circiter duodecies fit aſcendens latitudine & toties deſcendens, ſpatio annorum ferè 15. Quanti autem interſit Ephemerides, vel Tabulas exactas habere ad iſtam praxim, ſufficienter conjiciet ille qui latitudines ♄ ♃ ♂ ♀ & ☿ in Tabulis Prutenicis, Lansbergianis & Rudolphinis frequenter uno gradu inter ſe differre animadvertet.

Caput X.

De aſpectuum natura benefica & malefica; & quæ ſit utriuſque cauſa. Tum qui aſpectus benefici & malefici.

HIc non inquirimus an aſpectuum Aſtrologicorum alii ſint naturâ ſua benefici, alii malefici. Hoc enim experientiâ quotidianâ apud Aſtrologos comprobatum receptumque ſupponimus. Indeque ſequitur nec omnes eſſe beneficos, nec omnes maleficos: ſupereſt ergo determinandum quinam ſint benefici, qui malefici, & unde tam hi quàm illi hoc habeant. Quo certè nihil hactenus occurrit mihi in Aſtrologia difficilius abſtruſiuſque: etſi enim hac de re variæ ſint Aſtrologorum ſententiæ, nulla tamen ſibi conſtat, nec Mihi, vel ſuo Authori ſatisfacit. Sed ſingulæ in abſurda labuntur.

Primò enim Ptolemeus cap. 11. Lib. 1. Quatrip. beneficam △ & ✶ naturam refert ad cognationem, ſive convenientiam ſignorum in quæ cadunt tales aſpectus. Maleficam verò naturam ☍ & □ ad contrarietatem ſignorum in quæ cadunt iſti: de natura autem ☌ ⋕ & ☆ nihil dicit.

At quod erronea ſit hæc opinio inde conſtat, quia omnes ☍ ſignis non minùs inter ſe conveniunt quàm ✶: ſiquidem tam hi quàm illæ ſunt inter ſigna ejuſdem ſexus & conditionis; imò ſymbola in qualitatibus activis, diſſymbola in paſſivis: unde ſequeretur utrumque aſpectum eſſe beneficum, aut utrumque maleficum, cujus contrarium Ptolemeus ipſemet aſſerit.

Cardanus autem in Commento aliter Philoſophatur. Ait enim: quæ maximè diſtant in unoquoque genere ſunt contraria, ideoque maximè diſconveniunt: ſigna autem oppoſita ſunt maximè diſtantia, quippe per totam diametrum: igitur maximè diſconveniunt. Quod (inquam) etſi concedatur in ratione diſtantiæ, tamen dum inde deducit Cardanus quadrato disjuncta minùs diſconvenire quàm oppoſita, quia minor eſt contrarietas inter quadrata; ſcilicet ſexus & naturæ: id planè abſurdũ eſt. Nam comparatio quoad convenientiam & diſconvenientiam debet fieri in rebus ejuſdem generis, non autem diverſi, quales ſunt differentia linearis duorum ſignorum & horum ſexus atq; natura. His adde quod ſigna oppoſita ſunt ſemper ejuſdem ſexus ſymbolaque in natura activa, proindeque falſum eſt maximè diſconvenire, niſi in ratione diſtantiæ, ut ſuperiùs dictum eſt. E contra verò etſi quadrata minùs diſconveniant ratione diſtantiæ: magis tamen inter ſe diſconveniunt ratione ſexus & naturæ quàm oppoſita. Denique benefici aut malefici aſpectus rationem peti non poſſe à majore aut minore diſtantia, hinc etiam probatur evidenter. Nam ſi maximè diſtans ut ſic, fuerit maleficiis; ergo minimè diſtans, ut omnis conjunctio erit per ſe benefica: & Trinus per ſe pejor quadrato, quæ ſunt abſurda. Vana eſt igitur etiam hic Cardani ratiocinatio.

Pontanus Lib. 1. de reb. Cœleſt. ſignorum ſexu & naturâ relictis ſpeculatur modum quo lineæ pro aſpectu ad Mundi centrum concurrunt. Aitque in ☍, radios ſibi per eandem lineam diametralem violenter obviantes & obſervantes diſcordias ac inimicitias excitare, indeque aſpectum hunc noxium & hoſtilem eſſe. Radios autem quadrangulares, etſi adverſis frontibus ſibi non occurrant, tamẽ quia per angulum rectum ſeſe percutiunt, neuterque alteri cedere vult, contentiones ſuſcitare: ideoque hanc quoque irradiationem eſſe minacem. At radios triangulares & ſexangulares neutro modo ſeſe interturbare, ſed velut ſocios ſe miſcere, ac veluti in unam aciem ſimul procedere. Unde utraque irradiatio benevola cenſetur.


Verùm nec ſatisfacit etiam ſententia hæc. Primò, quia licet tolerari poſſet inter duos Planetas oppoſitos, vel quadratos, quorum ambo radii ſunt quodammodo corporei, diverſæque naturæ fontalis, non tamen poteſt inter aſpectus ſimplices ab unico Planeta, qui fiunt à duobus radiis ejuſdem naturæ fontalis, quales ſunt radius corporis ♂, & radius loci ♃ ♂, quique ambo non ſunt corporei, ſed unus ſpiritalis, ut dictum eſt cap. 4. violentus enim occurſus & percuſſio cohibens, aut cedere recuſans, datur duntaxat inter corporea, etiam magis quàm influentiarum radii. Secundò, quia etſi de ⋕ & ✶ etiam concederetur, illos ſeſe velut ſocios miſcere, ac veluti in unam aciem ſimul procedere, quòd nempe angulos acutos in centro cum fontali radio efficientes, in eandem videantur tendere plagam cum ipſo fontali, tamen id non eſſet de △ concedendum. Nam △ radii tendunt in plagas oppoſitas ſibi occurſantes angulo obtuſo, ac fortiores, quàm ſit □ angulus: unde radius qui cum fontali △ conſtituit, magis ad naturam ☍ videtur illa de cauſa accedere quàm □ radius. Reſpuenda igitur eſt etiam hæc Pontani ſententia.

Denique quod bonitas vel malignitas ipſorum aſpectuum, peti non poſſe videatur à rationibus harmonicis, ſic probatur. Nam ratio duodecim ad ſex conſtituit diapaſon gratiſſimam conſonantiarum. Cur ergo propria eſt oppoſitioni, aſpectuum peſſimo? Deinde ſingulorum aſpectuum rationes, conſonantias efficiunt. Cur ergo aſpectuum alii malefici, alii benefici? Præterea ſi ratio duodecim ad ſex ſit ex ſe malefica, cur ſuaviſſimam auribus efficit conſonantiam? Et cur non ſemper & ubique malefica? Si autem non ſit ex ſe malefica (quod neceſſariò fatendum eſt) cur & unde malefica erit in Zodiaco, ubi duntaxat reperitur horum aſpectuum natura, quandoquidem illa maleficentia ex ſignis deduci nequit, niſi ✶ aſpectus contra experientiam ex ſe maleficus etiam pronuncietur.

Quæ-


Quæcunque igitur hac in re Phyſica ſunt, attenta mente introſpectis, nec ſatisfacientibus, non modò patet ſumma illius difficultas nobis derelicta, ſed cogor aſſerere ejus cauſam quid habere Metaphyſicum, nec mirum, quòd ſcilicet generatio aſpectuum per determinationem cap. 4. expoſitam, & modus agendi Planetarum per ſuos aſpectus, nihil ſimile habeat in natura, omneſque alios naturæ modos agendi tranſcendat. Quamobrem intellectu ad Metaphyſica ſublevato, conabimur rationem meditari, quæ ſi pro aſpectibus omnibus ſibi conſtiterit, nec à Deo & hominum fatis aliena fuerit, ſaltem pro veriſimillima poterit accipi, dum ſubtiliora ingenia veriorem inquirere tentabunt: ne hac in parte cæterorum duntaxat Aſtrologorum ſententias refellere, & difficultate territi; nihil novi dicere videamur.

Quoniam igitur aſpectuum naturas Deus in ſolo Zodiaci circulo vel Zona explicavit; idcirco natura circuli primò nobis occurrit contemplanda. Quamvis ergo ſimplices rerum eſſentiæ, ſimplicem Dei naturam quantùm licet in creatis perfectiſſimè repræſentent: ideoque Deus in rerum eſſentiis velut in proprio ſolio reſidere dicatur à myſticis Theologis, tamen hoc præ cæteris habet circulus, ut eandem naturam non ſolùm menti, ſed etiam ſenſui mirabiliter exponat. Circulus enim eſt figurarum omnium prima, ſimpliciſſima, ſibi undequaque ſimillima, principii atque finis neſcia, omnium capaciſſima atque innumeris proprietatibus fœcundiſſima, ex ſe omnium maximè cognoſcibilis, ſed à nobis omnium minimè comprehenſibilis, ut teſtatur tamdiu quæſita & adhuc ignota Circuli quadratura. Atque hæc omnia ve-




ra ſunt de ipſa Divinitatis natura, quæ eſt primum omnium rerum principium, in qua eſt ſumma ſimplicitas, ſumma unitas, ſumma infinitas, ſumma capacitas atque fœcunditas, utpote in qua ſunt tres Perſonæ Divinæ & omnia creata & creabilia, quoad exiſtentiam maximè cognoſcibilis, ſed quoad eſſentiam omni creaturæ incomprehenſibilis.

Jam verò ſi Triangulus deſcribatur rectilineus, æquilaterus, prima etiam figurarum rectilinearum, hic Perſonarum Divinarum Trinitatem in unitate naturæ, præ cæteris cunctis excogitabilibus mirabiliter exponit. Ut enim tria latera, vel tres anguli ipſius trianguli, ſunt inter ſe maximè æquales, attamen cum numerica inter ſe diſtinctione, idem etiam in Perſonis Divinis reperitur: utque tria latera, vel tres anguli, unum numero ſunt triangulum, unoque dempto deſinit eſſe natura trianguli, ſic tres Perſonæ Divinæ ſunt unus numero Deus, unaque dempta deſint eſſe Deus, alioquin nec ſe cognoſceret, nec amaret: neque



id dici poteſt de quavis altera figura rectilinea, quæ vel latera habet inæqualia, vel numero Perſonas Divinas excedentia. Adde quod triangulus æquilaterus, hoc ſolus admiratione dignum habeat, quomodocunque in Zodiaco deſcribatur, ejus anguli ſemper incidant in loca ejuſdem omnino naturæ, ſexus & conditionis, quod eſt amoris maximum & peculiare ſymbolum. Duæ igitur illæ figuræ ex curvilineis & rectilineis primæ & ſimpliciſſimæ, jure Deo ſacræ ſunt, & charactères creati, circulus quidem, boni ſimplicis ac infiniti. Triangulus verò emanationis, unionis atque amoris.

His præmiſſis jam certum eſt, quod ut Deus omnia in ſe complectitur, ſic primum Cœlum quod eſt prima cauſa Phyſica, cujus Deus ipſe exemplar eſt, continet tum localiter omnia corpora, tum eminenter res omnes generabiles & corruptibiles earumque fata: ideoque eſt quaſi liber fatorum rerum generabilium, factus ad exemplar Præſcientiæ, ac Providentiæ Dei in res generabiles, præſertim verò homines, quod quotidianâ Aſtrologorum experientiâ confirmatur in genituris. Cùm autem Zodiacus ſit illius Cœli pars efficaciſſima, in qua Planetæ perpetuis motibus ac ſyzygiis fata illa nectunt atque diſpenſant: ergo ſit Zodiacus circulus hic appoſitus ♈ ♉ ♊ &c: quo diviſo in 12 partes æquales pro 12 aſpectibus, ſumptoque puncto quovis ♈ pro aſpectuum principio, ducantur ab hoc ad ♉ ♊ ♋ ♌ ♍ ♎ radii, vel ſubtenſæ aſpectuum ♈ ♉ pro # ♈ ♊, pro ⚹, ♈ ♋, pro □, ♈ ♌, pro △, ♈ ♍, pro ☆, & ♈ ♎, pro ☍: quoniam igitur hi radii ſunt



 ema-

emanationes quædam ab eodem principio fontali: dico illos in ſuo ortu, tum via ſive progreſſu, apprimè repræſentare vias ſex generales hominum, qui ab eodem orti principio quippe Deo cuncta circumplectente, ſuæ poſtea hoc in Mundo libertati relinquuntur; viamque ſectantur peculiari ſuæ indoli magis conformem, vel alia ex cauſa voluntariè ſuſceptam.

Radius igitur ☍ ♈ ♎ in peripheriæ cavum perpendiculariter incidens ſine regreſſu per reflexionem ad ſuum principium, viam exprimit Atheorum cæterorûmq; peſſimorum hominum impiorum, qui Deo ejuſque influxui ſeſe ex diametro opponentes, ipſumque ſpernentes, imò negantes, de reditu ad ſuum principium, nempe Deum minimè curant, ſed propriæ malignitatis pertinaciâ ſtabili & inclinationis incapaci, manent ab eo ſemper averſi: quæ via merè eſt diabolica omniſque iniquitatis abyſſus. Neque prima fronte commoveatur Lector, quod per aſpectuum radios, vias hominum circa Religionem pietatemque exponamus, quaſi hæ viæ nil cum Cœlo, vel aſtris commune habeant. Nam proprio loco demonſtrabitur, inclinationes ad Religionem pietatemque vel his contraria, eſſe à corporibus Cœleſtibus, nec fruſtra aut citra rationem domum nonam, eſſe domum Religionis, in △ Horoſcopi.

At radius △ ♈ ♌ obliquè incidens in circuli cavum ac punctum ejuſdem omnino naturæ, ſexus, conditioniſque cum ſuo principio, reflectitur eodē angulo ad ♐ aliud ejuſdem naturæ punctum, indeque omnino æquali reflexione ad ſuum principium via breviſſima regreditur purus, aliiſque radiis impermixtus: Triangulum perfectè æquilaterum deſcribens, quem Deo Diviniſque Perſonis ſacrum eſſe conſtat. Proindeque transformationem in Deum & cum ipſo Diviniſque Perſonis ſummam perpetuamq; unionem arguens. Hæc igitur via eſt eorum, qui ab initio ad finem vitæ, pura & incontaminata mente in Deum propendent, eique adhærent, ac in eum transformati dici merentur Filii Dei, viâque breviſſimâ ac ſimpliciſſimâ, utpote viâ amoris qui △ deſignatur, ad ſuum principium revertuntur; unde patet viam hanc omnium optimam veréque Divinam eſſe. His ergo duabus viis maximè contrariis jam poſitis; nunc videamus quomodo ad has reliquæ ſeſe habebunt, hoc eſt cæteri radii ad radios △ & ☍. Itaque radius ⛤ ♈ ♏, obliquè incidens in circuli cavum, eodem angulo reflectitur, ſed non in punctum ex quo unica reflexionum circuitione ad ſuum principium regredi queat: nam quinto duntaxat circuitu ad ſingula ſigna reflexus in ſuum principium reſtituitur, nec primo reflectitur ad △, vel ☍, ſed ad ⚹. Hæc igitur via eſt Ethnicorum, Hæreticorum, omniumque à vera Religione alienorum, attamen propter reflexionem ad ⚹ dextrum, moraliter bene viventium; qui quidem ſuum principium quippe Deum quærunt, in hujus vitæ revolutione, ſed falſa Religione deluſi non inveniunt, ideoque pereunt.

□ autem radius ♈ ♋, obliquè incidens in circuli cavum, eodem angulo reflectitur in punctum ☍ principii, indeque ad proprium ☍; tandemque unico circuitu ad ſuum principium. Hæc igitur via eſt eorum, qui pravam ſequentes indolem, ad vitia & flagitia primò convertuntur, in iiſque vivunt: ſed iis tandem per pœnas & crucem radiis quadratis & oppoſitis deſignatam, ad ſuum principium reverti conceditur. Quales ſunt ii qui pro ſceleribus hoc in Mundo diverſimodè puniuntur, & præſertim publico ſupplicio judicis ſententiâ afficiuntur.

At radius ⚹ ♈ ♊, primò ad △ locum reflectitur, indeque ad locum ☍, indeque ad alterum △ locum: vitatiſque ſemper □ locis ad ſuum principium unico reflexionum circuitu regreditur. Atq; hæc eſt via mediocris bonorum hominum, qui primùm ſeſe ex amore Deo virtutique tradunt, & pravorum conſortia fugiunt; attamen in diabolicam peccati viam quandoque labuntur, ſed illico ad Deum virtuteſq; redeunt, inque ſuum principium durante hujus vitæ revolutione revertũtur.

Denique radius ⋕ ♈ ♉, primò ad ⚹ locum reflectitur, ſed inde ad loca □ △ ⛤ ☍ &c: ideoque ad omnium aſpectuum dextrorum & ſiniſtrorum loca, tandemque ad ſuum principium unico etiam reflexionum circuitu reflectitur. Atque hæc eſt infima bonorum hominum via, qui quidem ab initio aliquam ad virtutes propenſionem ſortiti ſunt & bonos diligunt, ſed deinde pravorum conſortia non fugientes, ac multipliciter impliciti, modò bonum, modò malum perpetrant, attamen verſus ſuum principium aſtraliter inclinati illud quærunt, tandemque aſſequuntur.

Eſt autem hoc admiratione dignum, quod radii ☍ □ & ⛤, Triangulum Dei unitrini Characterem, proſcindunt, quem radii ⚹ & ⋕ quaſi venerantur & duntaxat reverenter ambiunt, in ſuarum reflexionum revolutione. Quodque ut 3 ſunt pravæ hominum viæ, quarum minùs mala tribuitur radio ⛤, pejor □, & peſſima ☍: ita ſunt 3 bonorum hominum viæ, quorum ſcilicet radicalis inclinatio, ſive fundus in virtutes Deumque propendet. Prima eſt incipientium, quæ ad ⋕ aſpectum: ſecunda, proficientium, quæ ad ⚹. & tertia, perfectorum quæ ad △ refertur.

Jam verò quoniam viis pravis malum, & bonis bonum connexum eſt, quippe quòd bonum ſit boni genuina merces, & malum mali: Igitur ex ſupradictis ſaltem admodum probabiliter oſtenditur ⛤ □ & ☍ infauſtos eſſe aſpectus. At ⋕ ⚹ & △ fœlices, alios quidem magis, alios vero minùs. Et ſingulorũ bonitatis, vel malitiæ cauſam referri ad proprium modum inclinationis radiorum, qui in primo mobili ſingulos ſubtendunt aſpectus.

Quod verò ad ☌ attinet, cùm ipſa ſimpliciter ſpectata, ſit radius fontalis Planetæ qui ex ſua natura, vel bonus eſt, ut ♃, vel malus, ut ♂: ergo erit ☌ ex ſe indifferens, & determinabilis ad bonum, aut malum, penes naturam Planetæ, à quo prodit fontalis radius ☌. Atque in ſupradictis nihil eſt, quod à Deo ejuſque ſapientia, vel ab hominum fatis & aſpectuum natura ſit alienum, quodque ſibi non conſtet uniformiter: proindeque ad cauſam valde quoque probabilem bonitatis & malitiæ aſpectuum non ſufficiat: ac ſi quis id non probaverit, meliora exponat. Cæterum venit hîc annotandum quod ait Cardanus Lib. de Revol. cap. 6. Omnes aſpectus bonorum Planetarum eſſe bonos, & malorum malos. Quod quidem ſi intelligatur de Planetis naturâ, determinatione & ſtatu bonis, aut eodem modo malis; id verum eſſe poterit, alioquin falſum erit. Nam directio H 1. ad ☍ ♃ pravè

affecti

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

affecti in octava interfecit Cardinalem Richelium, nec ulla fuit alia in illum effectum directio: hæcque ſufficiebat. Similiterque directio Horoſcopi ad □ ♀ dominæ cuſpidis ſeptimæ in duodecima applicantis Jovi & Soli dominis quintæ & octavæ partiliter junctis in duodecima, cauſavit mihi periculoſiſſima vulnera feréque mortem, propter mulierem. itaq; dicendum quod aſpectus ⋕ ⚹ △ ſunt per ſe boni, per accidens verò poſſunt eſſe mali; nempe ratione Planetæ cujus ſunt aſpectus, & ratione determinationis ipſius Planetæ. Quo pacto ſi ♂ fuerit in octava domo, vel duodecima, aut earum dominus, ejus ⚹ atque △ fient pravi ac infauſti pro vita, morbis, carceribus, &c: ſimiliterq; ſi ♃ fuerit in ſecunda, vel decima, aut earum dominus in figuræ loco congruo, & ejus □ & ☍ fauſti, erunt pro divitiis, honoribus, &c: ſi præſertim ♃ ſtatus Cœleſtis fuerit fortunatus. At ſi fuerit in duodecima, vel octava præſertim infortunatus, ejus □ & ☍ erunt ſanitati & vitæ infauſta. Quamobrem hic contra Cardanum ſupra, & Aphoriſmum 9. Almanſoris concludimus ⋕ ⚹ atque △ eſſe aſpectus naturâ ſua beneficos, & □ ☆ & ☍ eſſe naturâ ſua maleficos: ſed per accidens hos eſſe poſſe beneficos, illos autē maleficos; nempe ratione Planetæ à quo ſunt, ſcilicet naturâ benefici, aut malefici: & ratione ſtatus ejus Cœleſtis & determinationis in figura Geneſis, vel alia, ad bonum, ſive malum. Nam in genere omnis Planeta maleficus naturâ, pravè affectus ſtatu Cœleſti, & ad malum determinatus in figura, præſertim corpore, nocet omnibus ſuis aſpectibus, per id ad quod determinatus eſt. Omnis autem naturâ beneficus, benè affectus & ad bonum determinatus juvat omnibus ſuis aſpectibus, per id ad quod determinatus eſt. Maleficus autem naturâ benè affectus & ad bonum determinatus, ſaltem △ & ⚹ proderit, è contra verò, naturâ beneficus malè affectus, & ad malum determinatus, ſaltem □ & ☍ nocebit, ut fuſiùs exponetur Lib. 22. imò fieri poteſt, ut idem Planeta noceat uno ex ſuis quadratis aut trinis, proſit autem altero, non circa rem eandem ut vitam, ſed circa diverſas, ut vitam & dignitates, prout utrique ſe habebit naturâ & determinatione.

Præterea aſpectus △ & ⚹ ideo vocantur benefici, quia ſunt aſpectus amicitiæ, conſenſus atque facilitatis. At ☍ & □ ideo vocantur malefici, quia ſunt aſpectus inimicitiæ, contrarietatis & difficultatis. Atque notandum quod aſpectus maleficus ad aliquem ſignificatorem, deterior eſt ſi ſequatur ipſum ſignificatorem, ut Horoſcopum pro vita, quàm ſi præcedat, præſertim ſi ſit maleficus aſpectus malefici Planetæ. Beneficus autem aſpectus præſertim benefici Planetæ, optimus eſt ſi ſequatur ſignificatorem. Et liberat à pravo influxu malefici aſpectus præcedentis, vel mitigat illum. Ut ſi Horoſcopus ſit tertius gradus ♈. Et □ ♄ ſit in ſecundo gr. ♈, ♃ autem vel ejus △ in quarto gr. ♈, liberabitur natus quoad vitam à pravo influxu ♄. At ſi ♄ □ eſſet in quarto gr. & ♃ △ in ſecundo, peſſimus eſſet □ ♄. Sic de aliis ſignificatoribus & aſpectibus.

CAPUT XI.

An aſpectus Aſtrologici ſpecie inter ſe differant.

QUæſtio hæc de ſimplicibus ab eodem Planeta aſpectibus intelligenda eſt. Videturque nonnihil difficultatis involvere. Primò, quia per ſingulos aſpectus eadē tantùm fontalis Planetæ virtus communicatur, ideoque non differentes virtute, videantur non differre ſpecie. Secundò, quia ſaltem boni aſpectus inter ſe, & mali inter ſe, differre videntur duntaxat penes magis & minus, quæ ſpecifica non eſt differentia: ſic enim in conſonantiis quinta, duodecima & decima nona, quæ ad △ ⚹ & ⋕ pertinent, ſunt unica natura multiplicata.

Nihilominùs certum eſt ☌ ⋕ □ △ ☆ & ☍ ſpecie inter ſe ſigillatim differre. Et quidem quod aſpectus benefici à maleficiis ſpecie differant, æquè facilè concedetur, atque vim beneficam & maleficam non eſſe eandem ſpecie vim. Cùm ergo ⚹ atque △, vel □ & ☍, non aliter propriam habeant eſſentiam, quàm △ & □, igitur ſi hi ſpecie differant, ergo & illi. Probatur autem aſſumptum; nam aſpectus quilibet propriam habet eſſentiam à propria ſua ratione ad totum circulum, vel quatuor angulos rectos. Atqui rationes illæ ſpecie inter ſe differunt, non minùs quàm numeri: & conſonantiæ ſupradictæ licet genericè ſint unica natura, tamen ſpecie differunt non minùs quàm ipſarum rationes, vel uniſonus & diapaſon. Adde quòd ☆ aſpectus qui refertur ad ſeſquiditonum eſt alterius ordinis quàm □ & ☍, qui referuntur ad diapaſon & diſdiapaſon, ut ſeſquiditonus eſt alterius ordinis quàm diapaſon.

Ad id verò quod ſuperiùs in contrarium dicitur, per ſingulos aſpectus, eandem tantùm fontalis Planetæ virtutem communicari: Reſpondeo, equidem communicari eandem tantùm virtutem, ſed diverſo modo. Ac ſingulos aſpectus proprium habere communicandi modum, in quo conſiſtit cujuſque formalis ratio: ſunt igitur aſpectus idem materialiter, non autem formaliter, eſtque ſingulorum diverſa definitio, ut patet cap. 3.

CAPUT XII.

Aſpectuum Aſtrologorum cauſæ.

ASpectuum cauſa efficiens, eſt Planeta à quo fontalis effluit radius, qui perpetim ſub quocunque Zodiaci puncto verſetur, alia undecima loca in eodem circulo reſpectu noſtri determinat, ut oſtenſum eſt cap. 4. quæ loca ſunt ipſius Planetæ aſpectus.

Eſt autem in natura non minùs mirabile, quam in experientia certum ac evidens, quod Planeta quilibet per ſuum locum in Cœlo noſtri reſpectu, alia undecim determinet, ejuſdem inter ſe naturæ & virtutis materialiter, ſed diverſæ formaliter, ſintque alii benefici, alii verò malefici.

Cauſa finalis eſt virtutis Planetæ multiplicatio: tum extenſiva in id omne quod ad patiens ſubjectum pertinet. Tum qualitativa in ratione benefici, malefici, aut mediocris. Si enim Planeta in naſcentem hominem tantùm ageret ſuo fontali radio, iſq; incideret in Cœli medium, vel decimam domum, duntaxat influeret circa ejus actiones & Magiſterium. At quia Deus Planetas fecit corpora in agendo univerſalia, idcirco dedit illis vim Cœleſtem multipliciter agendi propriis influxibus. Nimirum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

per radium fontalem, per dominium & per aſpectus. Sicque Planeta in medio Cœli conſtitutus, per ſuos aſpectus reperiretur in ſingulis figuræ domibus; ideoque agit in id omne quod ad naſcentem hominem pertinet: & in ſingula beneficè, aut maleficè, aut mediocriter pro qualitate, vel natura aſpectus.

Cauſa materialis, eſt primi Cœli locus, aſpectu quolibet deſignatus, atque determinatus ad naturam Planetæ fontaliter influentis.

Cauſa denique formalis, eſt propria ratio cujusque aſpectus ad totum circulum, ut c.3. dictum eſt.

Caput XIII.

De Orbe virtutis aſtrorum, ejuſque Orbis ſemidiametro in Planetis & fixis, nova & vera doctrina ad aſpectuum notitiam neceſſaria.

Quamvis Planeta quilibet vires ſuas effundat uſque ad Mundi, vel primi Cœli centrum: imò ejus circumferentiam per ſuum verum locum, & ſuos aſpectus efficaciter determinet ex cap. 4. proindeque dici queat Cœlum ipſum eſſe adæquatum Orbem virtutis Planetæ cujuſvis. Tamen experientiâ conſtat, vim influentialem Planetæ non hærere illi duntaxat primi mobilis parti, quem ipſe Planeta diametro ſua viſibili ſubtendit, ſed orbiculariter diffundi in ipſo primo mobili, ad aliquam diſtantiam circa partem ipſam, hoc eſt viſum Planetæ locum: ita ut in ipſius Orbis centro, hoc eſt viſo Planetæ loco, ipſius Planetæ virtus influentialis maximè vigeat, paulatimque remittatur uſque ad illius Orbis peripheriam, ubi omnino deſinit ratione determinationis influentialis. Quamobrem Orbis ille vulgo dici ſolet, Orbis virtutis Planetæ, qui non ſolùm competit viſo Planetæ loco in primo mobili, ſed ſingulis etiam ejus aſpectibus, ut experientia probat, & infra fuſiùs explicabitur: & Planetæ virtus non ex quocunque Cœli puncto effluit in inferiora, ſed duntaxat ex determinatis per ☌ & aſpectus.

Quanta autem ſit hujus Orbis diameter pro Planetis ſingulis hactenus remanſit incertum apud Aſtrologos, ob ignotum hujus quantitatis fundamentum: unde alii majorem, alii minorem cuilibet Planetæ Orbem virtutis tribuunt, quamvis invicẽ non multùm diſcrepare videantur. Ptolemeus enim cap.14. Lib.3. vult ſemidiametrum illius Orbis eſſe pro ♃ 12 gradus, vel arcum maximi circuli per centrum ♃ ducti, continentem 12 gradus, numeratos ab ipſo corpore, vel centro ♃. pro ♀ eſſe 8 gradus. De aliis verò Planetis non loquitur, ſed cap.21. lib.1. ait univerſaliter: in applicationibus & defluxibus non debere eſſe longum intervallum. Cardanus autem in Commento, ex illa proportione ſemidiametrorum Orbium ♃ & ♀, vult pro reliquis Planetis has eſſe ſemidiametros, nimirum pro ☉ 17 gradus, pro ☽ 12 gr. 30′, pro ♄ 10 gr. pro ♂ & ☿ 7 gradus. Porphyrius verò in Ptolemeum ad finem Lib. 4. & poſt eum Schonerus Parte 2. c. 17. dant ☉ 15 gradus, Lunæ 12. ♄ & ♃ 9, ♂ 8, ♀ & ☿ 7. At Origanus ex aliorum Aſtrologorum conſenſu dat ☉ & ☽ 15 gradus, ♄ 9, ♃ 10, ♂ & ♀ 8, ☿ 7 & ☊ 12. Nullus autem ipſorum rationem aliquam fundamentalem affert, ſed quilibet circa experientiarum limites ſuam librat opinionem.

Conabimur ergo hac etiam in parte Aſtrologis ſatisfacere expoſito pro Planetis & ſtellis fixis egregio naturalique fundamento illius ſemidiametri, cujus conceptus ideo prima fronte nobis perplacuit, quòd quadret obſervationibus Aſtronomicis, rationibus Phyſicis, aſpectuum experientiis Aſtrologicis, & ſemidiametros exhibeat à ſuprapoſitis parum differentes, quibus quatuor ex cauſis pro vero atque certo mihi videtur habendus.

Itaque Phyſicis rationibus conſentaneum eſt, ut tam fixarum quàm erronum ſemidiametri Orbis conſtituantur per vim luminis cujuſque ad Solis lumen comparatum: non quòd Planetæ lumen & virtus idem ſint, ſed quia eſt idem in Cœlo Orbis activitatis perceptibilis ex Terra utriuſque qualitatis, ideoque lumen pro virtutis menſura ſumi queat. Nam quò majus nobis apparet Planetæ lumen, ut dum nobis fit vicinior, eò efficaciùs in nos agit ſuis aliis qualitatibus. Virtus enim agentis in diſtans, eò magis debilitatur, quò longiùs à ſuo fonte excurrit, ut alibi oſtenſum eſt. Dixi autem idem in Cœlo Orbis, quòd nempe Orbis ipſe non alibi quàm in primi Cœli concavo ſit concipiendus tanquam circulare ſpatium in cujus centro virtus aſtri maximè viget, ſenſim & proportionaliter ad ſpatii Peripheriam uſque decreſcens, ut ſuperiùs jam dictum eſt. Cùm igitur ex Aſtronomia conſtet, Solem vim ſui luminis extendere circa ſe ad gradus 18: proindeque fixa minima in eodẽ cum Sole verticali conſtituta conſpici nequeat, niſi Sol in ipſo verticali circulo 18 gradibus infra Horizontem deſcenderit ſtella in Horizonte conſtituta: Idcirco Soli ipſi legitimè dabuntur 18 gradus pro ſemidiametro Orbis ſui luminis, ideoque ſuæ virtutis influentialis, de qua præſertim hic quæſtio eſt. Quod ſi fixæ & reliqui ſaltem minores Planetæ infra Horizontem poſiti, lumen ſuum, ut Sol ſupra Horizontem ſenſibiliter extenderent, eodem modo ac in Sole eorum ſemidiameter Orbis definiretur, ſed hoc non dato, ſupereſt via illa comparationis eorum luminis ad lumen Solis. Itaque ſtellis & erraticis tantùm dabitur pro ſui Orbis ſemidiametro, quantùm quodlibet aſtrum de ſemidiametro Orbis Solis penetrat ſuo lumine, ut ipſum aſtrum videri queat ſupra Horizontem, Sole infra demerſo.

Stellæ autem magnitudinis ſextæ videntur in defœcato aere, Sole demerſo 17 gradibus in eodẽ cum illis verticali circulo: cùm itaque ſemidiametrum Orbis Solaris penetrent ad unum gradum ab ipſius Orbis peripheria centrum verſus numeratum; igitur ſemidiameter Orbis fixarum ſextæ magnitudinis erit unius gradus: ſimiliter fixæ quintæ magnitudinis videntur Sole demerſo 16 gradibus, quartæ 15 gr. tertiæ 14 gr. ſecundæ 13 gr. primæ 12 gr. Ex Planetis verò juxta Ptolemeum & Keplerum in Tabulis Rudolph. ♂ videtur Sole demerſo 11 gradibus, 30′, ♄ 11 gr. ♃ & ☿ 10 gr. & ♀ 5 gradibus: ergo ſemidiameter Orbis ſtellarum quintæ magnitudinis erit 2 graduum, quartæ 3 gr. tertiæ 4 gr. ſecundæ 5 gr. primæ 6 gr. ♂ 6 graduum 30′: ♄ 7 gr. ♃ & ☿ 8: ♀ 13. Ex quibus conſtat, Ptolemeum ad hoc fundamentum non attendiſſe, dum ♃ dedit 12 gradus, & ♀ tantùm 8.

Supereſt igitur Luna, cui minorem quàm ♀ ſemidiametrum deberi, duabus convincitur rationibus. Prima, quia ♀ interdum prope Solem micare conſpicitur etiam horâ meridianâ ubi Luna videri non

poſſet,

poſſet. Secunda, quia dum Luna eodem die vetus & nova videtur, debet neceſſariò à Sole diſtare plusquam 5 gradibus, cùm motus ejus diurnus nunquam ſit minor 11 gradibus: ſi igitur à Sole diſtet 6 gradibus, ejus ſemidiameter Orbis erit duntaxat 12 graduum, ut Cardanus & Porphyrius opinati ſunt: ſi verò plus diſtiterit, ejus ſemidiameter adhuc minor erit 12 gradibus. Minor ergo ei debetur ſemidiameter quàm Veneri, & legitimè à Nobis cum Cardano & Porphyrio ſtatuitur eſſe graduum 12.

Atque hæ ſunt ſemidiametri Orbium fixarum & Planetarum, quarum complementum ad gradus 18 (ſemidiametrum Orbis Solaris) à Sole ipſo numeratum, eſt terminus combuſtionis cujuſlibet aſtri, ultra quem aſtrum ipſum ampliùs combuſtum dici nequit, quod hic obiter duntaxat ad ſemidiametrorum exactiorem intelligentiam dictum velim, verbi gratia, ſemidiameter ♀ eſt 13 graduum, quorum complementum ad 18, eſt 5 gradus: ergo 5 gradus numerati à Sole orbiculariter ſunt terminus combuſtionis Veneris, quæ à Sole diſtans illis 5 gradibus, non ampliùs combuſta dicetur, quia nempe in illa diſtantia videri poteſt, Sole infra Horizontem poſito: ſic de cæteris.

Porrò per totum Telluris globum retineri debent hæ ſemidiametri, determinatæ per exitum aſtrorum à combuſtione, ratione proprii, vel mutati luminis: tum ipſi combuſtionis termini. Ad hoc enim, ut ♀ à Solis centro diſtans 5 gradibus, dicatur non combuſta toto Terrarum Orbe, ſufficit quod alicubi in illa diſtantia videri potuerit. Alioquin tamdiu combuſta eſſet dicenda, quamdiu impediente Sole non cerneretur, ſicque ferè ſemper interdiu apud nos eſſet combuſta, & ferè toto anno in Zonis frigidis, quod abſurdum eſt. Idem cenſeto de Planetis aliis.

Cæterùm ſupradictæ Orbium ſemidiametri variantur aliquantulum, dum Sol & Planetæ fiunt apogæi & perigæi. Nam Planeta quò Terræ eſt propinquior, eò major lucidiorque apparet, ideoq; majorem ſortitur Orbis ſemidiametrum: & quò remotior, eò minorem. Et poſſibile quidem eſt has invenire differentias, ſed labor utilitatem immensè ſuperaret. De his ergo dictum ſit ſatis.

Quod ſi quiſpiam objecerit lumen neq; proprium ut in Sole & fixis, neque multò minùs reflexum, ut in cæteris Planetis ſumi poſſe pro menſura virtutis influentialis, quòd lumen & influentia diverſi ſint ordinis in agendi modo. Reſpondeo, pro cauſa noſtra militare obſervationes Aſtronomicas & Aſtrologicas, atque his conſtare, quod ſi ☉ & ♄ diſtent inter ſe 18 gradibus, quæ eſt Solis ſemidiameter Orbis, non prodibit ab illis effectus conjunctionis Solis atque Saturni, niſi forſan debilis & obſcurus quòd hæc ☌ platica ſit incompleta, ut cap. ſequenti dicetur: eademque eſt ratio pro aliis Planetis. Nec refert quod lux Solis, aut ♄ non pertingat uſque ad Cœlum, quò pertingit Planetæ influentia, ipſius Cœli partes determinans: ſed ſufficit quod ſit reſpectu noſtri menſura Orbis virtutis influentialis Planetæ ipſius.

CAPUT XIV.

De Planetarum aſpectibus partilibus & platicis: Tum dextris & ſiniſtris.

SUppoſita ex ſuperiori capite ſemidiametro Orbis virtutis Planetarum ſingulorum, jam non erit difficile partiles & platicos aſpectus definire, & tam his quàm illis pro Planetis ſingulis proprios limites præſcribere.

Itaque partilis duorum Planetarum ☌ eſt, cùm horum loca in primo mobili, non ampliùs in circulo per utriuſque centrum ducto inter ſe diſtant, quàm ſit aggregatum apparentium ſemidiametrorũ Planetarum ipſorum. Quæ ſemidiametri ex Lansbergio in uranometria hic ſupponuntur. Pro ☉ 17′, pro ☽ 15′, pro ☿ 1′, pro ♀ 1′. 30″, pro ♂ 45″, pro ♃ 1′, 15″, pro ♄ 50″. Ideoque ſi ☉ & ☽ fuerunt centraliter in Ecliptica, eorumque diſtantia fuerit minor 32′, aggregato ſemidiametrorum ☉ & ☽: Hi duo Planeta dicentur conjuncti partiliter, ac talis ☌ vocatur à Porphyrio & Arabibus unitio, vel agglutinatio. Eademque eſt ratio de cæteris Planetis cum ☉ aut ☽, vel inter ſe.

Ubi verò diſtantia fuerit major aggregato ſemidiametrorum apparentium utriuſque Planetæ, minor autem aggregato ſemidiametrorum Orbium virtutis eorundem Planetarum ſupra definitarum: tunc ambo Planetæ tantùm platicè conjuncti dicentur. Hoc autem dupliciter accidit, ideoque duplex eſt platica ☌, una ſcilicet incompleta, quando unius tantùm Planetæ corpus, eſt intra Orbem virtutis alterius, & hæc effectum habet duntaxat obſcurum, vel incompletum: alia verò completa, ſive mutua; quando amborum Planetarum corpora reciprocè reperiuntur ſub ſuis Orbibus, & hæc effectum habet evidentẽ & completum. Proindeq; quoniam ex cap. 13. ſemidiameter Orbis ♃ eſt 8 graduum, & ♀ 13, ſi ambo diſtiterint duntaxat 7 gradibus arcus maximi circuli per utriuſque centra ducti, erunt completè conjuncti: nam ♃ erit ſub Orbe ♀, & hæc reciprocè ſub Orbe ♃: at ſi diſtiterint 12 gradibus, tantùm incompletè conjuncti dicentur, quòd ſic ♃ ſit quidem ſub Orbe ♀ huicque conjunctis, hæc verò non ſit ſub Orbe ♃, ideo huic conjuncta non ſit. Quæ autem dicuntur hic de duorum Planetarum conjunctione partili aut platica, dicta etiam intelligantur de quovis illorum aſpectu, qui hac in re ſequitur rationem ☌.

Sed notandum. Duos Planetas nunquam partiliter conjungi, niſi in loco inter ſectiones ſuarũ Orbitarum in primo mobili apparentium, de quibus actum eſt cap. 9. & hoc patet de ☉ & ☽ in Solis Eclipſibus. Ubi verò ſic conjunguntur, omnes eorum aſpectus erunt tantùm platici excepta ☍. Et viciſſim ſi Planetæ tantùm platicè conjuncti fuerint, aliquis eorum aſpectus poterit eſſe partilis, is nempe qui ab utroque Planeta incidet in locum interſectionis Orbitarum ipſarum, quod quidem diſcernere neceſſarium eſt. Hæc autem ſingula evidentiſſimè patebunt ex ſingulorum aſpectuum utriuſque Planetæ longitudine atque latitudine, ſumptis per ipſum caput 9.

Deniq; Planeta dicetur Horoſcopo partiliter conjunctus, ſi horum diſtantia non fuerit major apparente ſemidiametro Planetæ: platicè verò conjunctus, ſi non fuerit major orbe virtutis ejuſdem, ſed duntaxat illa ſemidiametro. Diſtantia autem ſumenda eſt in circulo maximo per Planetæ centrum & punctum Eclipticæ Horoſcopans traducto. Idemque cenſendum de aſpectibus △ □, &c: ad Horoſcopum, vel medium Cœli.

Præterea notandum aſpectus platicos ☍ △ □ ✶ equidem eſſe efficaces, at platicos ⋕ & ⛤ non eſſe

efficaces ſed tantùm partiles, ſaltem ad 2 graduum diſtantiam. In genere verò qui naſcuntur ſub partilibus ☌ ☍ △ □ Planetarum habent in bono, aut malo illuſtres Geneſes juxta determinationem Planetarum aſpicientium. Qui verò naſcuntur duntaxat cum aſpectibus platicis, inde habent Geneſes tantùm mediocres, qui tandem ſine aſpectibus, viles & obſcuras.

Quod verò ad aſpectus dextros & ſiniſtros attinet, hic ſcire ſufficiat, eos Planetæ aſpectus vocari dextros, qui ſunt ad ipſius Planetæ dexteram, hoc eſt ipſum antecedunt intra ſemicirculum contra ſignorum ordinem. Eos autem ſiniſtros dici, qui ſunt ad Planetæ ſiniſtrã, hoc eſt ſequuntur ipſum intra ſemicirculum ſecundùm ſignorum ſucceſſionem. Ideoque poſito Planeta in 2 gradu ♈, △ ſiniſter erit in gradu 2 ♌, & dexter in 2 gradu ♐, ſic de cæteris. Oppoſitio autem neque dexter, neque ſiniſter aſpectus eſt.

Caput XV.

De Planetarum Antiſciis.

CApite 8. Libri 14 actum eſt de ſignis & gradibus Eclipticæ ſibi invicem antiſciis. Hic verò de Planetarum antiſciis duplici de cauſa agendum eſt. Primò, quia ex Ptolemeo Lib. 1. cap. 13, quæ Cœli loca ſibi mutuò ſunt antiſcia, ſe mutuò intueri dicuntur, ideoque antiſcia ad aſpectus quodammodo referuntur. Secundò, quia cùm Planetarum loca (ſi ☉ exceperis) ferè ſemper ſint extra Eclipticam; idcirco horũ antiſcia cum antiſciis graduum Eclipticæ non omnino conveniunt.

Formalis autem ratio antiſciorum in eo conſiſtit, quod Cœli puncta ſibi invicem antiſcia, circumvolvuntur per eundem parallelum, qui ſecet Eclipticam ſeu viam Solis, circulorum Cœleſtium efficaciſſimum. In aliis enim parallelis extra Eclipticam ductis, nullum eſt antiſcium, alioquin ſingula illorum puncta ſibi mutuò eſſent antiſcia, cùm nulla ratio afferri queat pro uno potiùs quàm pro altero. Aut Lunam, aut ♀ circa principium ♋ conſtitutam cum latitudine boreali 4 graduum, proinde circumductam in parallelo non ſecante Eclipticam, habere innumera antiſcia in ipſo parallelo, ſive puncta ejuſdem qualitatis & naturæ cum ipſa ☽, aut ♀, abſurdum eſt & experientiæ contrarium.

Ex his verò ſequitur primò: Quod quicunq; verus Planetæ locus majorem habet declinationem, ſive borealem, ſive auſtralem, quàm ſit maxima Solis declinatio, vel Eclipticæ obliquitas, quæ eſt 23 gr. 30′, ille nullum habet antiſcium, quia nempe circumfertur in parallelo non ſecante Eclipticam: idemque cenſeto de ☉, vel altero Planeta exiſtente in principio ♋, vel ♑ ſine latitudine.

Secundò, quod quicunq; Planetæ locus circumfertur in eodem parallelo cum aliquo Eclipticæ puncto, hoc habet pro antiſcio, non quatenus eſt punctum ipſius paralleli, ſic enim totius paralleli puncta ſibi mutuò eſſent antiſcia, quod ſuperiùs rejectum eſt, ſed quatenus Eclipticæ punctum, exiſtens in eodem parallelo: ideoque antiſcia propriè ſunt Eclipticæ puncta.

Tertiò, quod ☉ & quilibet alius Planeta carens latitudine unicum habet antiſcium: nimirum aliud Eclipticæ punctum, quod in eodem reperitur parallelo, cum Sole aut vero Planetæ loco.

Quartò, quod Planetæ affecti latitudine antiſcium, non eſt illud Eclipticæ punctum, quod eſt antiſcium ejuſdem Eclipticæ puncti longitudinem Planetæ terminantis, alioquin verus Planetæ locus, ejuſque antiſcium, non eſſent in eodem parallelo, quod abſurdum hactenus fuit in uſu inter Aſtrologos, confundentes verum Planetæ locum, cum ejuſdem longitudine, contra ipſius Ptolemei & Cardani ſententiam, qui volunt cap. 13. Lib. 1. Quatrip. ea duntaxat Cœli puncta eſſe antiſcia quæ ab iiſdem partibus horizontis oriuntur & occidunt. Adde quòd in directionibus ſignificatorum ad corpora Planetarum, vel horum appoſita, ſemper ſit habenda ratio latitudinis: unde etiam conſtat verum locum Planetæ affecti latitudine, non idem eſſe cum ejus longitudine, proindeque non eſſe utriuſque idem antiſcium.

Quintò, quod Planeta quilibet affectus latitudine, ac delatus in parallelo ſecante Eclipticam, in hac habet duplex antiſcium. Ratio eſt, quia cùm Planeta ſit extra Eclipticam, & hanc ſecet Planetæ parallelus, neceſſariò ſecabit in duobus punctis: horum ergo utrumq; erit ipſius Planetæ antiſcium, & utrumque erit ſiniſtrum ſi Planeta præcedat, vel utrumque dextrum ſi ſequatur ſua antiſcia: Unum verò dextrum & alterum ſiniſtrum, ſi Planeta unum præcedat & ſequatur alterum: & rurſus ſi Planeta præcedat, vel ſequatur ambo ſua antiſcia, propinquius dicetur primum: ſi verò Planeta ſit inter ſua antiſcia, præcedens vocabitur primum.

Porrò ad invenienda antiſcia Planetæ affecti latitudine, ſumatur ejus declinatio cum denominatione borealis, vel auſtralis. Deinde conſulatur Tabula declinationum Eclipticæ. Et ſi declinatio fuerit, verbi gratia 13 grad. 53′ borealis, ambo antiſcia veri Planetæ loci, erunt 7 grad. 0′ ♉, & 23 gr. ♌, ſi autem declinatio eſſet auſtralis, ambo antiſcia eſſent 7 grad. ♏, & 23 gr. ♒, an verò ſint ambo dextri, vel ſiniſtri, patebit ex ſupradictis.

Cæterùm virtus antiſcii, hoc eſt Eclipticæ puncti ſic vocati, oritur ex combinatione virtutis Eclipticæ & veri Planetæ loci. Ut enim ſolus Planeta vim effundit antiſcialem, ſic ſola Ecliptica eſt illius ſuſceptiva, per puncta in quibus ſecatur à Planetæ parallelo, ut experientia probat. Quoniam enim punctum illud pertranſit horizontem & meridianum in iiſdem omnino partibus cum vero ipſo Planetæ loco, ſicque cum ipſius Planetæ loco, in diurno motu maximè concordat, hinc ſit ut punctum illud ad ipſius Planetæ naturam & qualitatem determinetur. Vult autem Cardanus in Comm. antiſcia circa Tropicos eſſe potentiora, quia viciniora, at circa Æquatorem debiliora, quia ab invicem remotiora. Adde quod circa Tropicos declinatio variatur inſenſibiliter, proindeque 10 gradus ♋ ſit ferè in eodem parallelo cum 10 ♊. At circa Æquatorem contrarium accidit. Quoniam verò antiſcia vim ſuam habent à diurna revolutione in eodẽ parallelo cum vero Planetæ loco, rationi ſaltem videtur conſonum, ut antiſcia ſiniſtra ſint fortiora dextris. In illis enim Planeta præcedens motu diurno viam illam ſua virtute inficit, quam ſequens antiſcium determinatione faciliùs excipit, præſertim ſi à Planeta non diſtiterit ſemidiametro Orbis virtutis ejuſdem.

Denique antiſcia differunt ab aſpectibus. Primò, quòd pro Planetis omnibus Sole excepto, ſumantur aſpectus extra Eclipticam; antiſcia verò duntaxat

in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

in Ecliptica. Secundò, quòd aſpectus ſint ex ſe boni, vel mali, quæcunque ſit ad hoc qualitas Planetæ. At antiſcium ſemper ſequitur qualitatem Planetæ, hoc eſt antiſcium Planetæ benefici eſt beneficum, & malefici maleficum juxta naturam, vel proprietates ipſius Planetæ. Tertiò, quòd in aſpectibus diſtantiæ ſint ſemper eædem, non autem in antiſciis. Quartò, quòd aſpectus ſpecie inter ſe differant, non autem antiſcia.

Utriuſque tamen commune eſt radiis, ad Terram effluentibus afficere hæc inferiora: ſiquidem ſive à duobus Planetis, ſive ab uno tantùm & aliqua primi mobilis parte aſpectum conſtituentibus, aut in antiſcio poſitis, effluunt radii quibus hæc Sublunaria moventur ac generantur: non enim iis afficimur radiis quos Planetæ ſibi viciſſim tranſmittunt, niſi globum Telluris attingant, ut accidit in oppoſitione, nec ſine radiis afficimur, vel aliter quàm radiis.

Tandem hic notandum occurrit, quod Cardanus Aph. 46. ſect. 1. figuram Ptolemei æquicruram explicans, vult hanc nihil aliud eſſe quàm duorum Planetarum ſitum in Ecliptica, in gradibus ſibi mutuò antiſciis.

Caput XVI.

Quomodo uſitatæ loquendi formulæ de aſpectibus & antiſciis deinceps reformandæ, vel ſaltem intelligendæ ſint.

Capite 3. dictum eſt Planetas ſeſe propriè non aſpicere, & nomen aſpectus in Aſtrologia non ſumi pro linea, ſive radio qui ab uno Planeta ad alterum projicitur, excepto per accidens oppoſitionis aſpectu; ſed tantùm pro concurſu duorum radiorum à duobus corporibus Cœleſtibus manantium atque in Mundi centro confluentium. Quamobrem etſi uſitatæ loquendi formulæ, ut fortaſſis commodiores retineri queant, nihilominus ſic erunt intelligendæ. Dum dicitur ♄ eſſe in □ ☉, vel □ aſpicere ☉ intelligatur Saturnum cum ☉ conſtituere quadratum aſpectum ad Mundi centrum, ſuis huc tendentibus radiis: & cùm dicitur ♃ eſſe in △ medii Cœli, idem intelligatur de ♃ & parte illa primi mobilis quæ medium Cœli occupat. Similiter dum dicitur ♂ ſuo □ lædere ☽, intelligatur Martem cum ☽ conſtituere □ aſpectum ad Mundi centrum, vel ☽ radio concurrere ♂ radium ex □ aſpectu, quo ☽ ſignificata infortunentur. Eademque ſit ratio in cæteris.

De antiſciis fiat ſimile judicium, quòd ſcilicet cujuſvis Planetæ radio, concurrat etiam radius puncti Eclipticæ, ejuſdem cum Planeta ipſo declinationis, non quidem in ratione aſpectus, ſed ſimilitudinis naturæ cum Planeta ipſo: quo concurſu natus afficitur, excipitque impreſſionem ſeminariam effectuum juxta cujuſque radii propriam ex ſitu determinationem, ut alibi fuſiùs ex profeſſo dicetur.

Caput XVII.

An Planeta unus alterum aſpiciens, vel in ejus antiſcio conſtitutus, ad hunc propriam & ſigni quod occupat naturam, ſive virtutem tranſmittat.

ID vulgo aſſeritur ab Aſtrologis; & ideo quod Planeta ex ſua domo alterum aſpiciens plurimum de ſua natura ei largiatur quem aſpicit: ſi verò in hujus verſetur dignitate, hunc inde vix minùs roborari, quàm ſi eſſet in ſua dignitate, quòd ſcilicet hanc ab altero tranſmiſſione recipiat, præter ejus vim propriam, quam ſimili modo excipit. Ac proinde quod Planetæ ex ſuis, ſive mutuis dignitatibus ſe intuentes, ſeſe viciſſim maximè roborent. Ut ſi ♂ fuerit in ♑, & ♃ in ♐, aut ♃ in ♈, & ♂ in ♐: vel ſimiliter ♃ in ♋, & ♄ in ♎, aut hic in ♋, & illo in ♎. Eadem prorſus ratione volunt quod ſi Planeta unus ex proprio, vel alterius exilio hunc aſpiciat, vel ambo ex ſuis, aut mutuis exiliis ſe aſpiciant, præſertim infauſto radio, Planeta qui aſpicitur inde pravè admodum afficiatur, ut ſi ♂ fuerit in ♎, & ♄ in ♋.

Verùm quamvis hic non ſit dicendi locus an Planetæ in ſe mutuò agant & per ſe in nos reciprocè, ut Sol in Lunam & per hanc in nos, idque reciprocè: Tamen obiter jam dicimus, nullum Planetam propriè & formaliter alteri ſuam vim conferre quâ hic in nos agat, ſed tantùm quilibet per ſe, vel proprio radio agit in nos juxta naturam propriam & determinationem ſuam, per ſitum ad dominium in figura. Alioquin dum ☉ aſpicit ☽, hæc ageret virtute ☉, & ☉ viciſſim virtute ☽, ſicque hæc Solares produceret effectus, ille verò Lunares, proindeque ☉ pro ☽, & hæc pro ☉ ſumendi eſſent, quæ maxima eſſet in Aſtrologia confuſio, rationi & experientiæ contraria, ac potiſſimum in directionibus manifeſtè falſa.

Itaque dum duo Planetæ, aut conjuncti, aut aſpectu aliquo connexi concurrunt ad eundem effectum, hi propriè & per ſe dicendi non ſunt vires ſibi conferre, ſed tantùm per accidens. Etenim per ſe agunt propriis radiis ad nos emiſſis, non ſecus ac duo homines eidem navi trahendæ applicati, quorum neuter vim ſuam alteri confert, ſed quilibet ſeorſim agit. Motus autem, ſive tractio navis eſt utrique agenti communis ab actionum utriuſque concurſu. Eademque eſt ratio in cæteris omnibus agentibus non ſubordinatis. Calore enim & frigore concurrentibus, nec calor frigori, nec frigus calori vim ſuam largitur, ſed ex amborum concurſu temperies gignitur.

De Planetis igitur, conjunctione vel aſpectu concurrentibus ſimile fiat judicium, nec diſſimile de antiſciis, etſi enim Eclipticæ punctum, quod eſt alicujus Planetæ antiſcium, hujus naturam atque vim excipiat, id tamen non fit tranſmiſſione à Planeta, ſed ſimplici duntaxat determinatione puncti ipſius Eclipticæ, ut dictum eſt cap. 15.

Ut verò res iſta clariùs explicetur, ſupponamus naſcente aliquo Lunam eſſe in ♈, & quia ♈ ab initio Mundi determinatus eſt ad naturam ♂ ex Lib. 14. ſect. 1. cap. 5. Luna verò locum Cœli quem occupat ad naturam Lunarem pro nato ipſo determinat, quæ eo in loco ipſius nati durante vitâ perdurat, ut experientia probat: Ergo à ☽ in ♈ prodibit effectus à mixta virtute ♂ & ☽, dicique poterit quod ☽ agit Martialiter, vel Aries Lunariter. Quod ſi inſuper Mars ☽ aſpexerit, virtus Martia eo in loco multiplicabitur: Non quod ♂ ſuam naturam, aut virtutem, ☽ tranſmittat, ſed quod ſuo aſpectu locum ipſum rurſus ad ſuam naturam determinet, vigeatque ibidem intenſiùs. Non ergo Luna, vel ab ♈, vel à ♂ per aſpectum, aut aliter, vim ipſius ♂ in ſe for-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

formaliter recipit, ſed ex ſingulis fit mixtio virtutis agens, ut ſuperiùs dictum eſt.

Dicet aliquis. ♃ in △ horoſcopi exaltatus, vel in ſuo regno conſtitutus fœliciùs afficit ſignificata horoſcopi, quàm ſi eſſet dejectus, vel exul; ergo tum ſuam, tum loci in quo verſatur naturam tranſmittit ad horoſcopum.

Sed reſpondeo: Totum Cœlum, Planetas omnes & horum aſpectus ſingulos, radiatum ad natum terminari, atque hunc afficere pro ratione ſitus radiorum ad ipſum, ut jam ſæpiùs dictum eſt. Omnes igitur radii Planetarum qui cum horoſcopi radio aſpectum aliquem conſtituunt, certò concurrunt ad ſignificatum, vel effectum horoſcopi, quippe nati perſonam, mores, ingenium, &c: at quælibet cauſa ſeorſim agit prout poteſt, etſi omnes concurrant. Ideoque nulla fit cauſæ unius ad alteram virtutis tranſmiſſio ſaltem propriè & formaliter: quamvis △ ♃ exaltati ſit fœlicior △ ♃ dejecti.

Dicet alius: Nos Lib. 21. Sect. 2. cap. 8. dixiſſe quod Planeta in ſuo exilio conſtitutus, agit ſecundum ſuam ſuique domini naturam, eóque deteriùs, quò dominus ipſe fuerit in pejori ſtatu: ergo agit vim, ſive naturam atque ſtatum ſui domini, quod ſine tranſmiſſione concipi nequit.

Sed reſpondeo. Dum dicitur Planetam in ſuo exilio, vel aliena domo agere juxta propriam ſuique domini naturam, intelligendum eſſe, Planetam agere ſeorſim per naturam propriam, & cum ſui domini natura concurrente, qui concurſus fit ſine tranſmiſſione, ut ſuperiùs dictum eſt.

Idem cenſeto de gradibus horoſcopi & medii Cœli, agentibus juxta naturam atque ſtatum ſuorum dominorum. Illi enim gradus ejuſdem naturæ cum toto ſigno, agunt per ipſam naturam, ſed cum Planeta domino ſigni, qui ratione dominii determinatus ad ſignificata horoſcopi, vel medii Cœli, ad ea concurrit per ſuam formalem naturam, & juxta ſuum ſtatum, ſed ſemper ſine tranſmiſſione ad gradum horoſcopi, vel medii Cœli.

Caput XVIII.

Quænam à Pico Mirandulano, Alexandro de Angelis & cæteris objecta ſint adverſus Planetarum aſpectus. Ac primùm quæ à Pico.

PRofectò pudore confundor, quoties pro defenſione Aſtrologiæ, Phyſicarum ſcientiarum Diviniſſimæ, arma contra ejus hoſtes mihi ſunt aſſumenda. Dum enim Plotinum, Marſilium Ficinum, Picum Mirandulanum, Alexandrum de Angelis, & alios primi nominis viros, mihi ex adverſo poſitos intueor: lubenter vellem errores ipſorum aliquo infirmitatis humanæ prætextu fucare: at dum illos video non obiter, vel humanitus in hoc peccaſſe, ſed duos præſertim ultimos ſe toto animo ac voluminibus integris devoviſſe Aſtrologiæ & Aſtrologis omnibus diſcerpendis perpetuóque diffamandis: Me certè veritatis amor totum accendit ad eos caſtigandos; non debacchando, ut fecêre, ſed eorum rationes examini quâ fieri poteſt modeſtiâ ſubjiciendo. Fateor ipſos aliquot Aſtrologiæ libros evolviſſe, ſed ſolo contradicendi ſtudio, nec eos intellexiſſe, vel ſcientiam hanc (cujus veritas ex ſola praxi patêre poteſt) unquam exercuiſſe, ut ipſorum libri ſatis indicant. Jam verò ſæpiùs à Nobis dictum eſt, homine ignaro nihil eſſe injuſtius. Nonne quæſo ille pro ſtulto eſſet habendus, qui jam authoritatibus, exemplis, interrogationibus, & clamationibus, & Rhethorum verbis inanibus perſuadere contenderet, nullos eſſe Solares maculas, nullos Cometas in regione Planetarum generari, magnetem ferrum non attrahere, acum magneti affrictam navis curſui dirigendo non prodeſſe, &c: eò quod ille talium nullam haberet experientiâ certitudinem? Quid ergo cenſendum de quocunque, qui non validis rationibus, ſed ſimilibus armis conatur ſibi ignotam, à viris tamen maximis experientia claris, aſſertam obruere veritatem? ſed jam ad propoſitum redeamus.

Mirandulanus igitur ac de Angelis opinati ſunt; quod ſi Aſtrologiæ experientias refellere, Aſtrorum influentias tollere, atque doctrinas de domibus Aſtrologicis, de ſignis Zodiaci & de Planetarum aſpectibus evertere poſſent, actum erat de Aſtrologia in ſempiternum, idque ego fateor. Quàm autem falsò gloriati ſint de quatuor prioribus, patet ex iis quæ ad eadem ſtabilienda & rationes eorum enervandas propriis locis expoſui. Supereſt itaque ultimum, circa quod Picus & Alexander adverſus Aſtrologos iiſdem ferè rationum umbris mirè ſe torquent, ut ſcilicet ignaris perſuadeant, nullam eſſe vim aſpectuum Planetarum. Poſt experientiam verò (quæ in omni ſcientia practica priùs conſulenda eſt) doctrina ipſa de aſpectibus ſatis ſuperque fuit à Nobis capitibus prioribus ſtabilita, proindeque tantùm ſupereſt, ut illorum machinas in hanc Aſtrologorum arcem ultimam diruamus.

Itaque Picus Lib. 6. cap. 5. in Aſtrologorum deliramenta (ut vocat) ſic argumentatur. *Cùm radiis quadrangularibus laceſſiri ♂ & foveri ♀ Trigona ♃ radiatione loquuntur: an ipſa corpora intelligunt Planetarum hujuſmodi, aut bonis, aut malis affectionibus promoveri? an illa quidem nihil invicem pati, nihil ſentire hujuſmodi mutationem: ſed quod erga nos faciant, & quo nam facto ſubjecta corpora moveant, tali loquendi genere ſignificari?* Poſtea Planetas in ſe mutuò non agere per aſpectus, conatur oſtendere: quod nos etiam ſupra validioribus ſimplicioribuſque rationibus clarè probavimus. Aliud verò argumenti, vel potiùs quæſtionis membrum (quod ſcilicet Planetæ per ſuos aſpectus mutent hæc inferiora) negat authoritate Plotini, dicentis, *non poſſe radios cælitus diffluentes ita invicem commiſceri, ut nova virtus, aut forma proveniat: cùm non ſint illi, aut corpora, aut liquores, aut affixæ corporibus qualitates, quarum more, nec in corporibus ſuſcipiuntur, ut ſcilicet, vel inde inficiantur, vel pro ſubſtantiæ conditione ex habitu ſuo aliquo modo permutentur.*

Quo in textu hoc tantùm eſt verum, quod radii cœlitus diffluentes non ſint corpora ſaltem materiata, neque liquores, reliqua verò falſa, nec à Pico aut Plotino probata. Patet autem falſitas ex Solaribus radiis quæ in corporibus ſuſcipiuntur & ea afficiunt permutantque, dum Sol ceram liquefacit, lutum indurat, corporis humani humores commovet, præſertim initio veris, & vegetabilium

ſemina

ſemina ad ſuas generationes excitat reducitque de potentia in actum.

Quod verò ſpectat ad radiorum mixtionem, non ſecus ac ex calore & frigore ſimul concurrentibus fit temperies mixtione qualitatum ipſarum, ex ſonorum diverſitate conſonantia, vel diſſonantia, atque ſic de coloribus, odoribus, ſaporibus, & aliis, in quibus ex concurſu extremorum fit aliquod medium extrema formaliter participans, vel ex iis formaliter conſtans, ſenſus tamen aliter afficiens, quàm extremorum quodlibet, ut experientia conſtat: ſic eadem experientia probat, ex conjunctione ☿ cum ♄ domino Horoſcopi, produci in humano corpore diſpoſitiones ad ingenium ſolidum & profundum ratione ♄; ſubtile autem & inventionibus aptum ratione ☿. Quod ſi fuerit etiam in □ ♂ ingenium erit adhuc ſubtilius, ſed malignum ratione □ ♂, & eò magis ſi ♂ fuerit dominus conjunctionis: illud verò neque à ſolo ♄, neque à ſolo ☿ etiam Domino Horoſcopi accideret. Similiter ex ☌ ♀ & ♂, altero exiſtente domino Horoſcopi & ☌ domino, ardens Venereorum appetitus gignitur, flagitiis etiam obnoxium, ut patet ex variis genituris. Cumque Cœleſtes influxus ſint inter ſe generis ejuſdem, ut tactiles qualitates inter ſe, ſoni inter ſe, odores inter ſe; ſi hæc miſceri queunt, nulla videtur afferri poſſe ratio, cur illi miſceri nequeant, præſertim quòd mixtio pateat in effectibus: de quo proprio loco agetur fuſiùs. Ad Picum jam redeamus.

Ipſe ergo de ratione Plotini diffidens ſupponit radios miſceri, tantúmque petit ab Aſtrologis, ut demonſtrent quomodo radii ex eo aliter miſceantur, hoc eſt diverſis viribus, quia à ſyderibus confluunt, aliter atque aliter inter ſe diſtantibus, quandoquidem ipſe nullam hic aliam diverſitatem deprehendere poteſt, quàm quod radii à vicinioribus inter ſe corporibus effluentes meliùs intimiúſque miſceantur: à diſtantioribus verò ut in oppoſitione, aut nullo modo, aut ſaltem difficiliùs. Cujus opinionis contrariam amplexus eſt Joan: Francus Offuſius cap. 1. oppoſitioni plus virium tribuens pro radiorum mixtione quàm conjunctioni, quòd nempe Planetarum partiliter conjunctorum unus, radios alterius cohibeat. Debebat autem Picus diverſam virtute mixtionem advertere, non in ſua imaginatione, ubi nolebat eam reperiri, ſed in praxi circa effectus geniturarum & conjunctionum ac oppoſitionum Solis & Lunæ, cum cæterorum Planetarum, ubi eam invitus etiam deprehendiſſet, nec poſtea ratiocinatus fuiſſet, ut ſequitur.

Si ratio (inquit) *vel diametræ oppoſitionis, vel quadrangularis aut triangularis figuræ adverſitatem facit in proprietate radiorum, non poterit hoc defendi, niſi corpora Planetarum mutare conditionem ex illa figurarum varietate dicamus: quoniam radii virtus atque proprietas non aliunde eſt, quàm à natura corporis radiantis.*

Sed Reſpondeo: Rationem illius diverſitatis non eſſe ab aliqua mutatione intrinſeca, vel alteratione virtutis quæ in Planetis accidat: ſed à concurſu radiorum & ratione diſtantiæ ipſorum ad totum circulum, ut à nobis explicatum eſt cap. 3. In cujus rei majorem evidentiam, ſint duo Cantores ſono diverſi: Ex ſonorum concurſu ad aurem, fit conſonantia aut diſſonantia gratè, vel ingratè auditum afficiens, quod certè neutra vox ſeorſim efficere poſſit. Hæc autem diverſitas non accidit, quòd in Cantoribus, vel etiam vocibus, ut ab ipſis Cantoribus prodeunt, ulla accidat mutatio: ſed à concurſu vocum & mutua inter ſe ratione. Ad illud verò quod affert Picus, in ſuæ opinionis confirmationem reſpondeo: Radium dupliciter ſpectari. Primò, ut ſolitarium. Secundò, ut commixtum, vel concurrentem. Priore modo ejus virtus & proprietas non eſt aliunde quàm à natura corporis radiantis, poſteriore, contrahit proprietatem utrique radio communem, quæ actu & formaliter non eſt à natura corporis radiantis, ſed tantùm poteſtate & materialiter: idemque patet in vocibus ſupradictis.

Tandem verò Picus Mirandulanus paulò ſubtiliùs philoſophatur, dicens: *radios ad nos deſcendentes etſi profluant ab oppoſitis fontibus, tamen in unitatem coalitos apud nos influere ac uniri, quare cùm miſcentur, jam deſinit in his ratio oppoſitionis △ □: ergo etiam deſinet diverſitas proprietatis ratione figurarum Trini, quadrati, &c: Quamobrem erit Aſtrologis eò divertendum, ut in radiis dicant talem eſſe proprietatem, quia ſydera à quibus emanarunt tali inter ſeipſa figurarum habitudine componebantur: ſicque poſtremò, vel ſydera pro varietate figurarum dicent naturam variare, quod refutatum eſt, vel ſi ipſa non variantur, profluentium quoque ab ipſis radiorum virtutem eandem immutatamque eſſe inviti confitebuntur.*

Sed Reſpondeo. Equidem verum eſſe, radios ad nos deſcendentes miſceri & confluere in mixtionis unitatem: Falſum autem eſſe, quod in mixtione deſinat ratio oppoſitione △ □, &c: & diverſitas proprietatis eorum, ut ait Picus, ſed minimè probat. Dicent enim Aſtrologi: Radiis mixtis talem ineſſe proprietatem, quia ſydera à quibus emanarunt, ſic inter ſe configurabantur. Non quòd ſydera pro varietate figurarum naturam ſuam varient, nec quòd virtutes radiorum in effluxu varientur: ſed quòd in concurſu contrahant mixtionis differentiam & proprietatem diverſam pro diverſa ratione diſtantiæ ipſorum ad totum circulum, ut de vocibus ſupra explicatum eſt.

At capite ſeptimo dum Picus conatur oſtendere, Aſtrologos in conſtituendis Saturni ♃ ♂ ♀ ☿ aſpectibus, deceptos fuiſſe à lumine Lunæ: ipſemet decipitur: Summa enim ejus argumenti hæc eſt. Aſtrologi conſpicientes Lunam pro diverſa ad ☉ poſitione atque diſtantiâ variare figuram ſui luminis, & diverſimodè alterare hæc inferiora: tranſtulerunt idem ad reliquos Planetas in ſimilibus diſtantiis, indeque emerſerunt ſextilis □ △ & ☍. *Jam verò* (ait) *Luna quidem pro diverſa ☉ diſtantia, uti figuram, ita influendi proprietates immutat, quia lumen à Sole accipiens, plus minúſve ab eo quâ parte nos reſpicit, pro poſitus habitudiniſque ad ipſum conditione illuminatur. Atque inde fit naturali ratione, ut pro lucis incrementis, vel decrementis, non ſolùm alia ſe nobis effigie repræſentet, ſed aliter quoque noſtrorum & aliorum, item corporum corporales qualitates immutet. Quis enim diſſolvi neſcit corporum humiditates à calore? quis rurſus lucem eſſe cauſam caloris?* Et infra. *At verò de iſtis Lunæ mutationibus, quæ ſola viciſſitudini hujuſmodi locis eſt obnoxia, ad Planetas proprio & immobili ſemper lumine*

lumine præfulgentes transferre, oppidò perquam inſanum, &c.

Hoc autem argumentum ſic retorqueamus in Picum. Quoniam Planetæ omnes Sole excepto, corpora ſunt opaca proprio lumine deſtituta, ut jam communis eſt Sapientiorum ſententia, patetque evidenter in ♀ quæ eaſdem luminis ac Luna phaſes Nobis exhibet, patuitque in ☿, in diſco Solis obſervato à Petro Gaſſendo anno 1631, die ſeptima menſis Novembris, qui ut exigua admodum macula nigerrima apparuit, veluti conſtat ex ejus obſervatione in lucem edita: Ergo ut Luna pro diverſa ad ☉ diſtantia, uti figuram, ita influendi proprietates immutat (quod ſupra fatetur Picus) ſic de cæteris Planetis erit judicandum. Ac proinde velit, nolit Picus, ſtabit diverſitas virtutis radiorum.

Quoniam verò lux duntaxat illuminat, nihilque aliud efficit, ut evidentiſſimè à Nobis probatum eſt Lib. 11. cap. 13. Ergo diverſi illi effectus ad lucem non referentur, neque in Luna, neque in aliis Planetis minoribus, cùm præſertim omnes non diverſam, ſed tantùm eandem Solis lucem reflectant; ſed vel ad propriam Planetarum naturam, vel ad eorum diſtantias referentur. Jam verò natura non variatur, ſed ſola diſtantia: ergo diverſi illi effectus duntaxat referendi ſuperſunt ad Planetarum radios, prout ſunt in hac, vel illa ratione diſtantiæ ad totum circulum, ut ſæpiùs expoſitum eſt, & huc undique refugere cogimur tum rationibus, tum experientiâ. Sed jam miſſum faciamus Picum Mirandulanum, ejuſque diſcipulum expediamus, convitia ejus patienter ferentes.

Caput XIX.

Quæ objiciantur ab Alexandro de Angelis.

IGitur de Angelis lib. 4. cap. 30. poſtquam aſpectuum nomina, definitiones, intervalla & numerum expoſuit ex mente Aſtrologorum (quos etiam hac in parte, ubi neceſſe erat, à Nobis reprehenſos eſſe conſtat Capitibus ſuperioribus) in ipſorum aſpectuum hypotheſim atque vires more ſolito ſic inſurgit. *Nos porrò corrupta ubique Aſtrologorum Judicia, ſatis demirari non poſſumus. Et primùm aſtra quæ infinita propemodum locorum intervalla dividunt, per ſummam inſaniam ex eodem circulo ſe ſpectare, & uno eodemque Orbe aſpectus conſtituere putantur. Ergo qui à ſignifero longiſſimè diſtant Planetæ, in ſignifero hexagonos tetragonoſque reddunt, potiùs quàm in nullo aliorum Orbium? Ergo Luna quæ citima eſt Terris, Saturnuſque qui longiſſimè à nobis oberrat, & Sol qui medius inter errantia ſydera fertur, ex æquo conveniunt ad conſtituendos quadratos & hexagonos. Nonne Planetarum magnitudo incredibilis debuit ab hac inſania Aſtrologos revocare? &c.* Arbitror autem Alexandrum in ſua Geneſi habuiſſe ☿, vel horoſcopum, vel hujus dominum conjunctum ♂, vel in ejus □, aut ☍, hic enim & alibi paſſim bile ſuccenditur.

Verùm quid efficit ſuis convitiis & interrogationibus ratione deſtitutis? Nihil certè aliud, quàm ſi aliquis Dux militiæ arcem obſidens propugnaculis intus & extra, tormentis bellicis, cibis & generoſiſſimis militibus munitiſſimam, ſic ſingulis diebus hoſtes aggrederetur: Ergone portas veſtræ arcis mihi aperire non vultis? Ergo meæ poteſtati pertinaciter reſiſtere inſani ſtatuitis? Nonne bombardarum mearum terribilis magnitudo, deberet vos ab hac inſania revocare? & ſimilia. Sic certè maxima ex parte Alexander de Angelis Aſtrologiam conatur ſubvertere ſingulis ferè capitibus ſuorum quinque Librorum.

Ut verò illius verbis ſeriò reſpondeamus: Dico ipſum ignoraſſe, quod non modò Aſtrologi, ſed etiam Aſtronomi, ſingulorum Planetarum vera loca ſpectant, non in propriis circulis vel Orbitis; ſed in primo mobili ſub Zodiaco; quamvis Planetæ ipſi longiſſimè abſunt à primo mobili. Ratio Aſtronomorum eſt quia his ſtatutum eſt definire verum Planetæ, aut fixæ ſitum reſpectu Eclipticæ & punctorum æquinoctialium, quòd ſcilicet Ecliptica primi mobilis ſit circulus, quem aſtra omnia proprio motu obſervant. Ratio autem Aſtrologorum eſt, quia primum Cœlum eſt prima cauſa Phyſica ad aliarum omnium actiones concurrens; ideoque cum Planetis ſibi inferioribus & ſubordinatis. Ac Planeta agit cum ea Cœli parte in quam linea à Terræ centro per Planetæ centrum ducta deſinit, quæ pars ideo etiam dicitur ab Aſtronomis & Aſtrologis verus Planetæ locus. Tum maximè quia pars ea per Planetæ ſitum ſub ipſo tempore nativitatis, determinatur ad naturam ipſius Planetæ, nati reſpectu, eique quamdiu vivit, fungitur vice ipſius Planetæ, quippe Planetæ non tantùm ſitu, ſed etiam naturâ ſunt medii inter primum Cœlum & terreſtria corpora: quæ fatali connexione copulantur primi mobilis partibus per lineam quæ à Terra per cujuſque Planetæ corpus ducitur ad ipſum Cœlum, ut ſuo loco demonſtrabitur. Si igitur duo Planetarum loca in primo mobili diſtent inter ſe 60. 90. 120. aut 180. gradibus reſpectu Terræ, ipſi Planetæ dicentur eſſe invicem in ✶ □ △, aut ☍ aſpectu, ipſius Telluris reſpectu; ſicque erunt omnes aſpectus in primo mobili, non per radios ductos ab uno loco ad alterum; vel ab his ad ſua loca in primi mobili reciprocè, ſed per radios, ſive lineas ductas à Tellure per centra Planetarum ad primum mobile, cum diſtantia aſpectui congrua.

Poſt hæc de Angelis conſiderans Saturnum nonagies (ait) Terrâ majorem, Solem verò centies ſexagies ſexies, rurſus bis interrogat, *quis in tanta aſtri amplitudine cogitari poteſt angulus, aut laterum quadrati, vel trianguli coitio?* Idque contentus mirari, non ultra progreditur: quippe neſciens apud Aſtrologos duplices eſſe aſpectus, ſcilicet partiles & platicos. Atque hos non pauciorum graduum in primo mobili amplitudinem ſibi vendicare, quàm ſit cujuſque Planetæ ſemidiameter Orbis virtutis. Illos verò terminari præcisè non ad corpora, ſed centra Planetarum. Et quamvis terminarentur ad corpora, tamen locum quem in primo mobili Saturnus ſuo corpore reſpectu noſtri occupat, vix eſſe duorum minutorum: proindeque quo ad effectum, idem eſſe aſpectum partilem terminari ad corpus, atque ad centrum ♄: quandoquidem limites partilis aſpectus ſunt 16′. quanta eſt ſemidiameter corporis Solis.

Tandem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Tandem verò ſubjungit hoc ratiocinium. *Faciamus ſyderales Angulos quales Mathematica præſcribit; ſuntne aſpectus quos vocant momentanei? an certo aliquo tempore perdurant? ſi puncto temporis evaneſcunt, nihil efficere poſſunt eorum, quæ aliquo temporis ſpatio fiunt, cujuſmodi ſunt omnes mortalium actiones de quibus Planetarii divinant: ſi temporales & ut ita dicam morales; ægrè congruere poſſunt cum mora eorum quæ hic fiunt. Dicatur, exempli gratia, Joannes Auſtriacus Philippi II. Hiſpanorum Regis frater, anno 1571 fæliciter in Mari Ægeo dimicaſſe contra Furias ex directione Medii Cæli, vel ☽ ad △ ſiniſtrum ♃: Si hæc conſtitutio minùs perſiſtit quàm 6 vel 8 horas, magna pars belli ſine Trigoni ope peracta eſt: ſi perſtitit diutiùs, fruſtra fuit & ſine effectu vis tota, quia parta victoria bellum adhuc poſcebat.*

Verùm multipliciter hic fallitur de Angelis, nec mirum. Primò enim neſcivit loca, conjunctiones, & aſpectus Planetarum momento nativitatis vigentium, ſupereſſe fixa in primo Mobili, & efficacia reſpectu nati per totam ipſius vitam, ut experientiâ conſtat, cum ſubſequentibus annis Planetæ tranſeunt per ipſa loca. Secundò. Opinatus eſt vim cujuſque directionis ſimul incipere atque deſinere cum ſuo effectu, cujuſcunque ſit ille durationis; cùm tamen ob rationes Aſtrologis cognitas, effectus interdum anticipet & interdum ſubſequatur completæ directionis momentum: Nec ſequatur, quod ſi alicui ex directione Horoſcopi ad □ ♂ manus fuerit amputata, vis directionis duret, quandiu homo ille manu ipſa carebit; aut viceverſa quandiu vis directionis durat, ipſi homini manus ſubinde amputentur: ſed ſufficit directionem ſuum ſemel ſortitam eſſe effectum quo tempore illa viget, quod aliquando eſt 1. 2. vel 3. anni; & quouſque alter occurrat ſignificator. Effectus autem aliâs in ictu oculi completur, ut dum quis derepente occiditur; aliâs verò durat quandiu ipſe vigor directionis, ut quartana febris vel exilium. Nec valet ratiocinium iſtud ſimile ſuperiori Alexandri. Aut vires Joannis Auſtriaci minùs perſtiterunt quàm 6 vel 8 horas, ſicque non adeptus eſt victoriam: aut perſtiterunt diutiùs, ſicque totæ fruſtra fuerunt & ſine effectu. Tertiò, putavit conjunctiones & aſpectus Planetarum tempore partus contingentes, ſuos ab ipſo nativitatis momento effectus producere; & hos tamdiu duntaxat durare, quamdiu aſpectus illi temporanei durant; quod etiam abſurdum eſt, ab Alexandri imaginatione ortum, & Aſtrologiæ decretis contrarium.

Alias ejus interrogationes verbaque inania circa rem hanc, diutiùs perſequi, nimis tædioſum ac inutile foret: ſufficitque hactenus ejus in Aſtrologia inſcitiam expoſuiſſe: Noſque ab ipſius & Pici telis, cavillis atque convitiis Divinam Aſtrorum ſcientiam, ut par erat defendiſſe, pro experientiis, influentiis, domibus, ſignis, & aſpectibus, quæ ſunt 5 præcipua illius propugnacula.

CAPUT XX.

Quæ objiciantur à Plotino & Marſilio Ficino.

PLotinus contra aſpectus Aſtrologicos Lib. 3. Enn. 2. habet exiguum capitulum, quod 7 duntaxat inanibus interrogationibus conſtat ſine ulla ratione, quod idcirco refutatione cenſemus indignum. Ejus verò Commentator Marſilius Ficinus aliquot in ipſos aſpectus rationes affert: ſed falſis innixas fundamentis, quod in Regione Cœleſti nulla ſit contrarietas, ipſaque ſit ab omni generatione & corruptione libera; hoc autem jam conſtat non minùs eſſe falſum, quam aſtra ſuo lumine cuncta efficere, & quemlibet Planetam Lunâ excepta fulgere luce propria, ut Ficinus & Plotinus paſſim opinantur diſputantes in Aſtrologos; ideoque rationes ipſæ talibus innixæ fundamentis corruunt. Præterea Ficinus deſerens Aſtrologorum ſententiam, ipſamque experientiam, vult quemlibet Planetam alium quemlibet intueri, ubicunque ambo verſentur; ſcilicet per radium qui ab uno ad aliud effluit: quod à Nobis rejectum eſt cap. 1. quoniam hiſce radiis Terreſtria non afficiuntur, niſi in oppoſitione: non enim vergunt ad Terram, quod tamen efficiunt radii qui Aſtrologicos aſpectus conſtituunt.

Unicum habet Ficinus conſideratione dignum, dum ait. Non ad figuram vel numerum pertinere actionem aut paſſionem; ſed ad formas & qualitates. Unde vult inferre, nullam aſpectibus Aſtrologicis actionem competere.

At Reſpondeo. Vim activam aſpectuum non referendam eſſe ad figuram quadrati, vel Trini, aut numeros 90 vel 120 graduum: ſed ad realem, ſive Phyſicam rationem diſtantiæ concurrentium radiorum ad totum circulum, ut à Nobis explicatum eſt. Sic enim effectus conſonantiæ diapentes, referendus eſt ad rationem Phyſicam ſonorum in ipſa ratione concurrentium; non autem ad rationem Arithmeticam, ſive numeros quibus Phyſica illa ratio exprimitur. Adde quod omnino ſit credibile, Marſilium Ficinum in ſuo Commentario ſupra Plotinum, duntaxat in ejus favorem ſcripſiſſe adverſus Aſtrologos: quandoquidem in ſua Epidemiarum antidoto cap. 2. peſtes annorum 1408 & 1479, quo ipſam ſcribebat antidotum, refert potiſſimum ad ♄ & ♂ eorumque aſpectus infauſtos: unde quàm malè hanc in parte ſibi conſtet cernere licet. Sed de his jam ſufficienter dictum ſit hactenus.

CAPUT XXI.

De Planetarum & fixarum inter ſe aſpectibus.

DIfferunt Planetæ à fixis in hoc, quod Planetæ reſpectu noſtri moveantur motu proprio apparenter in circulis maximis ad Eclipticam obliquis, in quos projiciunt ſuos aſpectus. At fixæ ſaltem extra Eclipticam ſitæ tantùm moventur in circulis minoribus, ſive parallelis Eclipticæ; quod ex ſe patet, quia ſuo motu equidem mutant longitudinem ſuam, at non latitudinem.

Ideoque etſi in illos parallelos projicerent aſpectus, tamen reſpectu noſtri non eſſent efficaces, quia non dirigerentur ad Terram, quæ eſt extra planum illius paralleli, ſub quo reſpectu Terræ moventur ipſæ fixæ. Quamobrem de fixarum aſpectibus nullatenus curare debemus. Etſi enim primi Mobilis punctum ſub quo à Nobis videntur determinent reſpectu noſtri ad ſuam naturam, tamen locum diametraliter oppoſitum non determinant Noſtri reſpectu; quod ſcilicet non moveantur in circulo maximo reſpectu Noſtri in quem caderet aſpectus ille oppoſitus: ſed moveantur in minore circulo extra cujus planum eſt Terra: ideoque quarta pars ipſius circuli, non ſubtendit Angulum ſimilem ad Terram, quippe rectum, ſed recto minorem, & eò minorem, quò fixa fuerit vicinior Eclipticæ polo, vel minor ejus parallelis: quare nec Cœlum determinant ad alios aſpectus reſpectu Noſtri, quippe quòd omnes aſpectus eſſe debeant in eodem circulo maximo, & non in diverſis, ut oſtenſum eſt capite nono.

An autem Planetæ & fixæ aliquos inter ſe conſtituant aſpectus, noſtri reſpectu efficaces: Notandum quod Planetæ ſuos aſpectus Noſtri reſpectu efficaces, orbiculariter non projiciunt in circulos parallelos, ut contra Regiomontanum diximus cap. 8. ſed tantùm in circulos maximos, ſub quibus à Nobis moveri conſpiciuntur, ut dictum eſt capite nono. Dum ergo ♂ verbi gratia in ſuam orbitam apparentem ſuos projicit aſpectus per determinationem, ſi contingat quod in ejus ☍ vel □ in ipſa Orbita, incidat fixa quæpiam violenta, ut cor Scorpii, vel oculus Tauri: Certum eſt quod ☍ vel □ ♂ erit inde multò deterior, quia ſcilicet inficitur præſentiâ fixæ violentæ. Ac dici poterit vulgari more, quod ♂ ſua ☍ vel □ reſpicit illam ſtellam; quia ipſa incidit in viam & terminos aſpectuum ♂: At fixa illa dici non poterit aſpicere ♂ □ vel ☍: quia ♂ non eſt in parallelo, in quem ipſa ſuos aſpectus projiceret. Atque notandum circa hoc, quod Terra equidem eſt in plano atque centro apparentium Orbitarum ♄ ♃ ♂ ♀ ☿. At non eſt in plano Orbitæ apparentis fixarum, ſive circuli in quo à Nobis moveri videntur, qui tantùm eſt circulus Eclipticæ parallelus, ſive minor. Exceptis fixis in Ecliptica conſtitutis.

SECTIO II.

De Planetarum applicationibus & defluxibus: Nec non virtutis ipſorum tranſlatione, abſciſione, &c.

CAPUT I.

Quid ſit applicatio & defluxus, & quibus Planetis propriè conveniant.

QUoniam Planetæ ſunt in continuo motu ſub Zodiaco, hinc fit ut alii ad alios accedere, his conjungi, ab iiſque recedere conſpiciantur. Ptolemæo autem Planetæ non dicuntur conjuncti, □, ☍, &c: niſi tales ſint partiliter: hoc eſt niſi eorum centra, vel centrorum radii, in tali ſibi invicem diſtantia ſint, quæ utriuſque corporis ſemidiametrum non excedat. Taleſque conjunctiones à Porphyrio & quibuſdam Arabibus vocari ſolent unitiones & agglutinationes; quod à ſimili in aſpectibus venit intelligendum. Ubi verò minor eſt diſtantia; dicunt Aſtrologi Planetas conjungi aut figurari platicè, dummodo diſtantia illa non excedat ambas ſemidiametros Orbis virtutis conjunctorum Planetarum: ac de his ſufficienter dictum eſt cap. 13. & 14. Sectione prima.

Porrò dum Planeta quiſpiam ad alterum accedens, hujus Orbem virtutis, ſuo virtutis Orbe contingit, dicitur ipſi applicare uſque ad partilem, vel ſaltem Zodiacalem amborum conjunctionem, quam idem latitudinis circulus, per utriuſque Planetæ centrum ductus, in Ecliptica determinat. Ab hac autem conjunctione recedens ab eodem Paneta, dicitur ab illo defluere, donec ambo virtutis Orbes ſeſe non ampliùs interſecent. Ita ut applicatio idem ſit quod acceſſus, & defluxus idem quod receſſus, intra jam dictos limites.

Quoniam verò cap. 14. ſupradicto duplicem facimus ☌ platicam, nempe completam & incompletam: idcirco ad utriuſque exquiſitiorem doctrinam, novi termini ſunt hic nobis introducendi: atque dicendum quod Planeta ad alterum accedens, hucuſque virtutis Orbem ſuo virtutis Orbe contingens, dicendus eſt duntaxat ipſi adhærere: at ejus corpus, vel circulum latitudinis contingens Orbe virtutis ſuæ; aut ſuo corpore ejus virtutis Orbem ingrediens, dicitur propriè eidem applicare, donec fiat partilis amborum ☌, quam dum prætergreditur, dicitur ab illo defluere, donec ipſum ſuo virtutis Orbe non ampliùs tegat, vel non tegatur ab illius Orbe: inde autem dicatur ipſum deſerere, donec ambo virtutis Orbes ſeſe non ampliùs ſecent. Jam verò Planeta ſtatim atque applicat vim ſuam, commiſcet vi illius Planetæ cui applicat; ſtatim autem ut corpus ſuum ex illius Orbe eripit, vim pure agendi recuperat, ſaltem ſi in ſua domo extiterit; ſed non abſolutam, donec amborum Orbes ſeparentur: pars enim ea Cœli in qua eſt Orbium nondum ſeparatorum commune ſegmentum, utriuſque Planetæ commixto influxu adhuc inficitur, eumque retinet, præſertim in linea quæ ducitur per Orbium Sectiones, idque notatu dignum eſt, ſed in ipſa linea magis viget vis illius Planetæ, cui minor eſt Orbis. Attamen notandum quod ſi duorum Planetarum quorum virtutis Orbes ſe interſecent, diſtantia centralis exceſſerit 18 gradus pro ☉, & 15 gradus pro aliis omnibus Planetis, ipſi Planetæ potiùs dicendi erunt eſſe in aſpectu Dodectili, quàm conjuncti: quælibet enim ſyzygia à viciniore termino denominanda eſt, qui in Dodectili eſt 30 gradus, in ⚹ 60, in □ 90, &c: idque tam ante quàm poſt terminum ipſum; ideoque diſtantia centralis 25 graduum aut 40 graduum pertinet ad Dodectilem: ſicque de cæteris.

Præterea notandum quod duo Planetæ in Cœlo tantùm ſpectati, quo inſtanti ſibi applicant, conſpirant in ſuæ ☌ effectum: eorumque vis ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ad ipſum effectum, incipit initio applicationis, viget in unitione, & deſinit in fine defluxus. Et effectus ille eſt toti Terræ univerſalis; ſed qui à diverſis Terræ locis & ſubjectis diverſimodè recipitur ac determinatur.

At ſi ☌ illa ſpectetur in figuræ genethliacæ domo, verbi gratiâ, decima, effectus univerſalis toti Terræ ab illa ☌, determinatur ipſius Nati reſpectu ad actiones, dignitates, &c: Et quia ipſi Planetæ conjunguntur, quamvis per directiones ad ſingulos, ſinguli oriantur effectus, pro ratione Naturæ & dominii Planetarum, tamen ipſi effectus in rebus, perſonis aut mediis erunt de natura utriuſque Planetæ, ita ut ſemper ambo concurrere videantur. Sic Mihi directio Medii Cœli ad ☿ dominum ſecundæ, dedit Dignitatem Profeſſoris Matheſeos Regii, per Reginam Mariam De Medicis; quòd ☿ applicaret Veneri exaltatæ. Et directio M.C. ad ♀ dominam ⊕ mihi cauſavit donum 2000 librarum ob Trigometriam à me in lucem editam, quia ♀. defluat à ☿. Et donum fuit factum à viro Magnate ſupremo Ærarii Præfecto Regio, quia ♀ applicabat Soli & ♃ partiliter junctis. Atque hæc non ſolùm de conjunctionibus, ſed quibuſvis etiam aſpectibus intelligenda ſunt à ſimili.

Cæterùm tam applicatio quàm defluxus fiunt per motum Planetæ tam directum quàm retrogradum; quòd nempe unus Planeta ad alterum directè & retrogradè queat accedere. Atque applicatio defluxu efficacior eſt, in pari ſaltem corporum diſtantia: quia cùm hæc efficacia pendeat ab unitione corporum, vel aſpectuum; quò magis unum eorum accedit ad unitionem, diutiúſque manet unitum, eò magis vim unitionis participat: Hoc autem convenit applicanti & non defluenti, in quo vis unitionis jam diminuta eſt, continuóque decreſcit, cum in applicante continuò creſcat. Idcirco, ſi verbi gratiâ, dominus Horoſcopi applicet ♂ domino ſeptimæ vel octavæ domus, fortiter ſignificabuntur febres, uſtiones, lites, vitæ pericula, aut mors violenta: at ſi dominus Horoſcopi defluat ab ipſo ♂, eadem etiam ſed debiliùs ſignificabuntur; ideoque vel accidentia erunt mitiora, vel major erit ſpes evadendi, niſi defluens ſimul applicet alteri maleſico.

Quoniam verò ſupradictum eſt applicare idem eſſe quod accedere, & defluere idem quòd recedere; hinc evidenter ſequitur, quod utrumque tantùm pertinet ad Planetam motu velociorem (quem vulgò leviorem appellant) utroque Planeta ſimul directo, vel ſimul retrogrado exiſtente: uno autem directo, & altero exiſtente retrogrado, poteſt tum velocior ſive levis, tum tardior, ſive ponderoſus mutuò applicare atque defluere. At utroque directo exiſtente, ponderoſus ſive tardior præcedens velociorem, propriè non dicetur ei applicare; quia ad ipſum non accedit: Nec ſequens dicetur ab illo defluere, quia ab illo non recedit, ſeu ſit remotior: ſed tardior præcedens, propriè dicetur comitari leviorem; ſequens verò eundem exſpectare. Ac proinde Planeta quilibet erit, vel partiliter unitus corpore aut radio, vel applicans, vel defluens, vel comitans, vel exſpectans, vel tandem ſolitarius, ſi nihil ſuperiorum ei convenerit.

Notandum tamen quod Ptolemæus Lib. 4. Quatrip. cap. 5. ubi agit de conjugiis, admittit applicationem Saturni, aliorumque Planetarum ad ☽; quod venit intelligendum non de Lunari corpore, ſed ejus loco in primo Mobili qui fixus eſt. Proindeque duplex applicatio & duplex defluens erunt attendenda, ſcilicet reſpectu corporis Mobilis Planetæ, & ejus loci fixi. Poteſtque Planeta quivis applicare cujuſvis Planetæ loco, vel ab hoc defluere.

Caput II.

De modis & effectibus ſimplicium applicationum & defluxuum Planetarum inter ſe.

PLanetæ applicatio aut defluxus dicitur ſimplex, dum duo tantùm Planetæ inter ſe conferuntur ſecundum acceſſum aut receſſum. Atque ſic Planetæ applicant vel defluunt quadrupliciter. Vel enim uterque directus eſt, vel uterque retrogradus; vel præcedens retrogradus, ſequens verò directus; vel denique præcedens directus, ſequens verò retrogradus.

In quarto modo ſit mutua applicatio amborum Planetarum ſibi mutuò occurrentium; atque hæc applicatio præ cæteris efficaciſſima eſt, ac majoris & citioris effectus, cum alacri, nec perturbato cauſarum Sublunarium conſenſu juxta naturam utriuſque Planetæ, ob mutuum in hunc Planetarum concurſum. Sed in tertio modo ſit mutuus defluxus, quo diſſipatur & enervatur vis unitionis Planetarum à ſe invicem diſcedentium: per eorum quippe motum ad oppoſitas Mundi partes, virium mixtio diſtrahitur; indeque ut plurimùm nil niſi contrarietates, aut diſſipare effectuum apparentiæ ſignificantur, cum Sublunarium cauſarum diſſenſu mutuiſque divortiis: Etſi Ptolemæus & plerique alii Planetis retrogradis vim effectivam, ſed tardam vel impeditam concedant. Quæ tamen opinionum diverſitas ſic concilianda eſt. Jupiter, verbi gratia, retrogreſſu applicans Medio Cœli honores & fœlicia ſuſcepta pollicetur: at retrogreſſu defluens à Medio Cœli nihil talium pollicetur, niſi forſan apparentias ſine effectu. Sic dominus Horoſcopi & dominus Medii Cœli mutuò defluentes, nullos honores conferunt; eademque eſt ratio in cæteris, virtute Analogica.

Porrò Planeta dupliciter applicat. Primò completè, quando ſcilicet potentiâ unitus eſt ei cui applicat; hoc eſt ipſius unitionem aſſecuturus eſt, ſine retroceſſu uſque ad Orbium virtutis ſeparationem. Secundò incompletè, quando Planeta non eſt unitus potentia ei cui applicat. Jam verò applicatio completa, futurum ſignificat effectum conjunctionis juxta naturam Planetæ cui ſit applicatio: at incompleta præſagit duntaxat effectus apparentiam, fortèque principium, ſed non perfectionem: deſtrueretur enim vel impedietur effectus ab eo quod ſignificatur per Planetam, qui motum ad unitionem, directa vel retrograda converſione interrumpit.

Similiter Planeta dupliciter defluit. Primò completè, à præcedente ſcilicet ☌ uſque ad Or-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

bium ſeparationem. Secundò incompletè; quando ante Orbium ſeparationem Planeta defluens regreditur ad comitantem, illique rurſus unitur, aut non. Jam verò defluxus completus, futurum ſignificat effectum ♂, etſi minus quàm applicatio: Incompletus autem ſignificat confirmationem effectus, vel etiam iterationem, ſi præſertim defluens comitanti rurſus uniatur. Atque hæc intelligenda ſunt de Planeta applicante & defluente, tum directo, tum retrogrado motu.

Rurſus autem applicatio intelligenda eſt, tum ad Planetæ corpus mobile, tum ad ejus locum fixum in figura erecta: in quibus triplex accidit differentia. Nam Planeta applicat loco & corpori alterius completè, vel ejus tantùm loco completè, vel ejus tantùm loco incompletè. Primus modus certò producit effectum, eumque inſignem, tantumque pertinet ad velociores Planetas. Secundus producit effectum mediocrem in velocioribus, ſed majorem in tardioribus; quippe ad omnes Planetas pertinet Lunâ exceptâ, quæ nunquam regreditur, ſemperque ſequentis Planetæ cui applicat aſſequitur corpus. Tertius vix ullum producit effectum, ſed tantùm vanam & perturbatam apparentiam.

Neque hæc tantùm de conjunctionibus dicta ſunto, ſed etiam de Sextili, Quadrato, Quincunce, Oppoſitione, nec tantùm de ipſis inter ſe Planetis in Cœlo mobilibus, ſed etiam de ipſorum ſingulis reſpectu præcipuorum Genituræ locorum. Verbi gratiâ, ſi quo anno ex directione Horoſcopi ad ♂ dominum octavæ, timetur vitæ periculum, acciderit, ut Mars completè applicet loco radicalis Horoſcopi, certò continget periculum; eóque certiùs ſi Mars poſtquam fuerit aſſecutus Horoſcopum, ad eundem regreſſus fuerit, cùm præſertim tertiam adhuc cum ipſo unitionem facturus ſit: quamobrem toto illo tempore Natus verſatur in grandi periculo; quod ipſe vix nec ſine attentiſſima cautione & prudentia evadere poteſt.

Tandem Planeta ab alio defluens, & nulli alteri applicans, ſive in eodem, ſive in alio ſigno (quamvis Arabes, Cardanus & Origanus de eodem tantùm ſigno cenſeant) vacuus curſu vocatur: Feralis verò ſive Solitarius ille dicitur, qui neque applicat, neque defluit. At talis ſi fuerit in prima domo ſolus, vel primæ dominus; efficit homines ſolitarios, vel aliorum conſortia fugientes: ſique fuerit natura maleficus, exul & retrogradus; hominem moribus ferinis ac ſylveſtrem & mirabilem ſignificabit.

Ad exquiſitiorem verò doctrinæ præcedentis notitiam, adhuc notentur ſequentia. Si duobus Planetis intra applicationis limites conſtitutis, ſequente directo & præcedente retrogrado; ante ſeparationem Orbium præcedens fiat directus & ſequentem attingat; Effectus deſperatus tandem adveniet: eóque citiùs & efficaciùs mutuóque conſenſu cauſarum Sublunarium, ſi ſequens ad præcedentem directum regrediatur. Effectus igitur inchoabitur, poſtea deſperabitur, tandemque præter omnium ſpem vel opinionē complebitur.

Si duo Planetæ uniti mutuò defluant, interrupto alterutrius motu in ipſa unitione; effectus quidem unitionis ſignificatur; ſed ejus etiam prompta feſtinaque diſſolutio, ob quid mirabile contingens vel interveniens.

Si ♄ & ♀ mutuò defluant in duodecima domo; fruſtrabitur quidem effectus eorum conjunctionis; at non determinationis ad morbos, carceres &c: eademque eſt ratio de cæteris domibus, quod tamen intellige de fluxu completo.

Porrò notandum eſt, conjunctiones per regreſſum ſuos producere effectus, viis extraordinariis & inopinatis; ideoque magis ſi uterque Planeta ſit retrogradus, & velocior tardiorem præcedentem aſſequatur. Eadem eſt ratio de defluxibus per retrogreſſum ſimplicem aut mutuum. Semperque ſedulo notandus eſt Planeta applicans, ſive directè, ſive retrogradè, hic enim alteri ſupereminere dicitur; eſtque præcipuæ virtutis pro effectu complendo, ſi fiat unitio: quippe à rebus vel perſonis per ipſum ſignificatis continget effectus. Similiter ſedulò notetur Planeta, qui retrogreſſu defluens unitionem impedit; etenim à rebus vel perſonis ab ipſo ſignificatis impedietur effectus.

Eſt autem optimum ſi Planeta applicans fuerit in Angulo, præſertim Medii Cœli vel Horoſcopi; etſi ille cui applicat ſit in cadenti. Nam applicās ex Angulo magnum robur pollicetur, magnumque effectum: qui tamen longè major futurus eſt, ſi alter cui applicat fuerit etiam in Angulo. Et applicationes ad Planetas effectui ſignificato congruos, ſunt ad ipſum effectum validiſſimæ: ut ſi pro dignitatibus dominus Medii Cœli applicet Soli præſertim Trino aſpectu; Natus dignitates aſſequetur: ſi autem pro conjugio dominus ſeptimæ applicet domino nonæ, quæ eſt Religionis, vel duodecimæ, quæ eſt carcerum ac ſervitutis; Natus non ducet Uxorem. Ut mihi accidit, cui ♀ domina ſeptimæ cuſpidis applicat ♃ domino nonæ & duodecimæ in ipſa duodecima cum ♄.

Sed objiciet aliquis: Præſentem Cœli conſtitutionem, non ſignificare ſuper futuro Cœli ſtatu; alioquin nulla eſſet Aſtrologiæ certitudo: Ergo in Planeta applicante, aut defluente non eſt attendendum, qualis futurus eſt impoſterum ejus ſtatus, ſcilicet completè, vel incompletè applicando aut defluendo.

Reſpondeo ad præſentem Cœli conſtitutionem pertinere, quod Planeta completè vel incompletè applicet, aut defluat: ideoque illud noſſe expedit, quòd non idem ſit utriuſque effectus.

Cæterùm cauſæ effectuum modorum iſtorum petendæ ſunt, non ſolùm à propriis Planetarum viribus, ſed etiam formaliter ab Analogia ſuorum motuum, quibus modos effectuum in Cœlo repræſentant: de qua Analogia diximus Lib. 13. Sect. 3. cap. 3. Ut enim duo homines ad eundem effectum neceſſarii, ſi mutuò conveniant ipſum perficere queunt, non autem ſi à ſe mutuò fugiant, aut dum unus accedit, alter recedat: ſic ſe habent in Cœlo Sublunares Planetarum effectus: quippe qui priùs ſunt in Cœlo cauſaliter, vel potentialiter & repræſentativè, quàm in Terra actualiter vel effectivè. Terreſtria enim à corporibus Cœleſtibus afficiuntur atque ſignantur, tum ratione influentiæ, tum ratione motus, hoc eſt diverſi inter ſe congreſſus, ſive digreſſus: ut proinde corpora ipſa proludant in Cœlo ſuos in Terris effectus.

Denique in aſpectibus non partilibus ſemper deterius eſt Planetam malefico applicare, quàm ab eodem defluere.

CAPUT

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Caput III.

De modis & effectibus compoſitarum applicationum & defluxuum Planetarum inter ſe.

PLanetæ applicatio aut defluxus dicitur compoſitus, cùm tres ſaltem Planetæ inter ſe conferuntur, ſecundum acceſſum aut receſſum. De quibus notentur ſequentia à Veteribus tradita, ſed non explicata.

Primum. *Quoties tres Planetæ inter ſe connectuntur corpore vel radio, ita ut medius cæteris velocior exiſtat ſub orbe virtutis ejus à quo defluit, & ſuo orbe attingat illum cui completè applicat; tunc ipſe medius vulgò transferre dicitur lumen ejus à quo defluit, ad eum cui applicat, etiamſi extremorum orbes inter ſe diſtent.* At quia virtus Planetarum non conſiſtit in eorum lumine, ut alibi docuimus, & Sect. cap. 17. dictum eſt, Planetas ne quidem vim propriam aliis tranſmittere, multò minùs transferrent alienam. Non enim hanc transferre queunt, niſi priùs recipiant, nec recipere, niſi tranſmittatur ab eo Planeta cujus illa eſt, contra Caput ipſum 17. tolerabiliorq; eſſet locutio, ſi medius diceretur transferre virtutem ejus à quo defluit. Meliùs ergo dicetur medium unire vim extremorum inter ſe non connexorum. Et ratio eſt, quia cùm medius ſit utriq; extremo connexus; ergo cum eo cui applicat concurrit ad effectum & per ſe & ratione ſui ſtatus: ergo etiam ratione connexionis cum eo à quo defluit: quod idem ferè eſt ac ſi extremi eſſent uniti.

Porrò hic Planetarum ſtatus ſignificat, vel quod effectus connexionis extremorum perficietur mediantibus rebus aut perſonis ab ipſo medio ſignificatis: vel quod effectus ſignificatus à ☌ medii cum eo cui applicat, orietur à cauſis ſignificatis per eum à quo defluit: vel quod effectus ſignificatus à ☌ medii & ejus à quo defluit; deſinet in effectum ab eo cui applicat ſignificatumt vel tandem quoad effectum à medio ſignificatum: concurrent res aut perſonæ ab exttemis ſignificatæ.

Ut in mea Geneſi ☿ eſt in 27 g. 55. ♒ ſextili partili Horoſcopi, ♀ in 1 gradu ♓; ☉ in 4 gr. 19′ ♓ ♃ in 4 gr. 48′ ♓: ideoque ♀ defluens à loco ☿, completè applicat, tum locis, tum corporibus ☉ & ♃. Dum igitur Medium Cœli directione pervenit ad ☿ anno 1269, factus ſum Profeſſor Regius in Mathematicis: Dum pervenit ad ♀ dominam primæ & ⊕. habui à duobus Magnatibus 4000 libras, ob Trigometriam & ſolutionem Prolbematis de Telluris motu à me in lucem editas: & dum pervenit ad ☉ & ♃ anno 1635, rurſus habui 1000 libras, magnamque famam conſecutus ſum, etiam apud extraneos, ob longitudinum ſcientiam à me inventam, typiſque mandatam; ſed multos etiam inde hoſtes occultos, quippe Commiſſarios, Magnatemque primæ notæ adverſum me provocavi, Cardinalem ſcilicet Richelium: quòd de fama & promiſſa remuneratione periclitans, honorẽ meum tueri, & cauſæ meæ juſtitiam conſtanti animò palam exponere voluerim. Ac per conſequens quatuor ſupradicta hic verificantur. Primò enim nominis celebritas in Aſtronomia, tum hoſtes à ☿ & ☉ ſignificata, per ♀ prodierunt; quæ niſi opes ad Typographiam neceſſarias contuliſſet; nullos quidem hoſtes provocaſſem, quia illata injuria mihi patienter ferenda fuiſſet; at ludibrio expoſitus per eorum invidiam & iniquitatem, famæ jacturam feciſſem. Secundò, bona mihi à ☌ ♀ cum ☉ & ♃ ſignificata ex parte Magnatum, cauſa ſunt à ☿, per ingenii monimenta & opera Mathematica. Tertiò, bona à ☌ ♀ & ☿ ſignificata, deſiverunt in occultas inimicitias etiam timendi Magnatis. Quartò, ad bona à ♀ ſignificata, ingenii operâ tum Magnates concurrere debebant, ob ☉ & ☿ hinc inde ♀ junctos, omnimode igitur eventus reſpondit conſtitutioni Cœleſti.

Cæterùm virtus extremorum non unitur à medio, niſi hic completè applicet, ſaltem loco ejus Planetæ cui applicare dicitur: & hoc ſive motu directo, ſive retrogrado, ut alibi dictum eſt, quod ſi medius mutuò defluens ab uno extremo, mutuò applicet alteri, non fiet perfecta unitio virtutis extremorum, obſtante extremo mutuò defluente, à quo effectus perturbabitur.

Ad primum verò notandum ſuprapoſitum, pertinet etiam quod vulgò dici ſolet. Duobus Planetis partiliter junctis & applicantibus alteri tardiori; junctorum veliciorem, alterius vim transferre tardiorem. Hîc enim non fit virtutis tranſmiſſio, ut ſupra dictum eſt, ſed tantùm effectus tardiorum, ab unitorum velociore inchoatur.

2. *Ponderoſus ſive tardior inter duos velociores iiſdemque connexus; horum vires communicari vel uniri prohibet.* Sed hoc omnimodè contrariatur notando primo. Nam etſi defluxus ſequentis extremi ſit debilioris virtutis quàm applicatio; attamen non deſtruit vim & effectum conjunctionis ejus cum medio; qui per conſequens cõcurret in ipſius conjunctionis effectum tam per ſe quàm ratione ſui ſtatus, ideoque ratione ☌ cum præcedente extremo; quamobrem extremorum vires inter ſe miſcebuntur ac unientur; multóque magis ſi præcedens extremus ſuo virtutis orbe ſequentem extremum attingat, & mutuò applicent. Attamen effectus ſimplicis ☌ extremorum impedietur, aut retardabitur à rebus aut perſonis per medium ipſum ſignificatis, ſi hæc ſuâ naturâ contrarietur effectui: ut ♄ inter dominos Horoſcopi & ſeptimæ pro conjugio: vel inter dominos Horoſcopi & Medii Cœli pro honoribus, Saturno præſertim infœliciter poſito, ac inimico ſeptimæ vel Medio Cœli. Sic de cæteris.

3. *Tribus Planetis corpore vel aſpectu connexis; ſi extremus unus ſui motus velocitate, attingat alterum extremum, priuſquàm medius: Ille dicitur ab hoc externo abſcindere vim ipſius medii.* Sed hoc etiam contrariatur notando primo. Nam extremis velocior, dum præterierit medium, transferet (ut volunt) vim ejus ad ſequentem extremum, vel ex Me horum virtutem uniet. Itaque poſitis ♃ in 20 gradu ♋, ♀ in 15, & ☽ in 10: quoniam Luna priùs attingit ♃ quàm Venus; dicendum eſt non inde deſtrui effectum à ♃ & ♀ ☌ ſignificatum; ſed per res à Luna ſignificatas fore complendum, vel perturbandum. Quo ſanè pacto maxima ſemper eſſet habenda ratio Lunæ: hæc enim per ſe & ſuos aſpectus, omnium Planetarum aliorum invicem platicè connexorum effectus ſæpiſſimè compleret, vel perturbaret; non autem vim antecedentis à conſequente abſcinderet.

4. *Si Planeta unus alteri tardiori applicet. Et priuſquam hunc attingat, tertius alius motu contrario eundem aſſequatur : is priorum vires fruſtrare dicitur*, hoc eſt, effectum ab eorum unitione ſignificatum ſupprimere atque diſſipare. Ratio eſt, quia tertius per ſuam applicationẽ mutuam cum duobus prioribus, ſuum cum illis producit effectum certiùs, quàm hi ſuum inter ſe per applicationem ſimplicem : unde proprius horum inter ſe effectus eluditur vel ſupprimitur.

5. *Si Planeta præcedens non attingat ſequentem cui applicat, priuſquam hic attingat tertium, aut radium fortem : Præcedens* (ut volunt) *ſua vi fruſtratur*; hoc eſt, ejus effectus cum ſequente eluditur. Hoc autem contrariatur notando primo. Nam ſecundus vim transferet præcedentis ad tertium ſequentem, ut ſuperiùs jam explicatum eſt. Præterea tertius ille Planeta aut fortis radius, poteſt eſſe ipſi effectui congruus, cur hunc ergo eluderet? poteſt igitur tantùm impedire, ſi fuerit incongruus vel contrarius.

6. *Planeta velox applicans duobus tardioribus partiliter unitis, cum horum tardiore efficaciùs concurrit*; quia ejus unitionem priùs attingit. E contra verò tardus præcedens atque applicans duobus levioribus partiliter unitis, cum horum tardiore efficaciùs concurrit. Sed Nota applicationem hanc eſſe ad loca, non ad corpora velociorum.

7. *Applicatio propinqua per corpus cum tardiore Planeta, vim ſupprimit aſpectuum remotiorum* : Si præſertim effectui ipſius applicationis contrarientur, quod ſemper erit valde attendendum.

8. *Aſpectus inter Planetas conjunctos, eorum conjunctionem interturbat ſi ſit fortis, & effectui ☌ contrarietur*. Semper autem ſedulò attendatur natura & qualitas tum corporum, tem aſpectuum interturbantium, ut res, perſonæ, & fœlicitas, vel infœlicitas innoteſcant.

9. *Planeta ab alio defluens per aſpectum, & alteri corporaliter applicans; cùm hoc in pari ſaltem diſtantia efficaciùs agit*. Et ratio per ſe clara eſt : imò etſi longiùs diſtet; quandoquidem applicatio defluxu potentior eſt; & corpus aſpectu.

10. *Planeta unus inter duos alios conſtitutus eiſque connexus, dicitur ab extremis obſideri*. Ac ſi eum circumdent benefici Planetæ, bonum : ſi malefici valde malum : ſi beneficus & maleficus naturâ ſcilicet vel determinatione, judicandum pro eo cui fit applicatio, ſi præſertim fuerit vicinior atque fortior. Erit autem illuſtrior effectus ſi extremi fuerint corporaliter ſub orbe virtutis medii : & vel ſibi, vel medius alteri eorum mutuò applicet. Idem cenſeto de uno Planeta inter duos aſpectus.

11. *Si fuerint duo Planetæ ſub mutuis orbibus virtutis ſuæ, quotcunque & qualeſcunque Planetæ, vel eorum aſpectus inter ipſos poſiti, non impedient quin eorum ☌ producatur effectus, etiamſi mutuus medii, non autem extremorum defluxus adeſſet*: Poterunt tamen interpoſiti Planetæ vel aſpectus, effectum ☌ extremorum perturbare, ſi huic contrarientur, ut dictum eſt numero 8, non autem ſupprimere.

12. *Cum duobus Planetis ſe non aſpicientibus; tertius utroque levior, utrique ſimul applicat, vel ab utroque ſimul defluit, aut tantùm aſpectu, aut corpore & aſpectu : ipſe tertius aliorum vim colligere, hoc eſt, in ſeipſo unire dicitur* : ita ut producat effectus tam à propria quàm aliorum conjuncta virtute.

Cæterùm modi omnes ſupradicti contingere queunt inter Planetas, aut ſimul beneficos naturâ vel determinatione, aut ſimul maleficos, aut unum beneficum & alios maleficos, vel contra : item aut omnes, aut partim benè vel malè affectos, quæ omnia ſedulo erunt advertenda, ſicut etiam natura, qualitas, ſtatus & determinatio mediorum inter externos.

Caput IV.

De Planetarum Dorypboria ſive comitatu.

PLanetarum Doryphoria ad applicationes ſive defluxus pertinet : imò nihil aliud eſt, quàm unitio vel applicatio, vel defluxus Planetarum, ſed cum peculiari & eminentiori conſideratione. Eſt autem Doryphoria duplex : nimirum per corpus & per aſpectum: & utraque ſpectanda tam in luminaribus quàm Planetis minoribus primariæ ſaltem virtutis vel authoritatis in figura.

Luminarium Doryphoria per corpus, eſt cùm unus duo vel plures Planetæ comitantur Solem aut ☽, ita ut ☉ aut Luna non diſtet à comitante vel comitantium viciniore, ultra ambas ſemidiametros orbis virtutis; alii verò comitantes inter ſe ſimiliter : quamvis Aſtrologi Veteres inter ☉ aut ☽ & Planetam comitem, admittant 30 gradus diſtantiæ, quod tamen non eſt Doryphoria per corpus, ſed per aſpectum Dodectilis. Quò autem plures adfuerint Planetæ comitantes, & Soli aut ☽ tum inter ſe viciniores, extra combuſtionis limites, eo erit Doryphoria illuſtrior, majoraque vel rariora efficiet, ſi ſequentibus numeris omnibus fuerit abſoluta.

Ac primò ſi Planetæ comitantes fuerunt orientales Soli, & præſertim ante ejus ortum conſpicui, vel occidentales Lunæ. Secundò, ſi fuerint ejuſdem conditionis & ſexus cum ipſo luminari; quippe maſculini & diurni apud ☉, fœminini verò & nocturni apud Lunam. His enim omnibus concurrentibus, inſignis ac potens erit Doryphoria, quæ grandia pollicetur, circa particularia ſignificata quibus ſua determinatione præeſt luminare qui Doryphoriam habet, ſi præſertim luminare fuerit in cardinibus. At ſi omnia contraria concurrerint, peſſima erit Doryphoria, ingenſque malum portendit : præſertim in infauſtis figuræ domibus. Ubi verò aderit mixtio ſuperiorum, accidet etiam mediocritas effectuum in ſubſtantia, tum in qualitate fortunii, vel infortunii, quæ tamen ſemper inclinabit ad partem ſuperantem. Ut in mea Geneſi ☿ ♀ ☉ ♃ ♄ & ☽ ſunt conjuncti in principio duodecimæ domus Atque ♀ domina primæ, & ☿ dominus ſecundæ ſunt orientales ☉, ♃ & ♄ accidentales : Lunæ verò accidentalis eſt ♄ dominus Medii Cœli, reliqui orientales. Ad hæc ♃ ♀ & ☿ ſunt benefici & bene affecti, Saturnus autem maleficus naturâ, ſed determinatione partim benè partim malè affectus. Denique ☿ ſolus eſt in ſigno maſculino, reliqui omnes Planetæ in fœmi-

ninis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ninis, ac præſertim ♀ ſexu fœminina. Inde autem factum eſt, ut hiſtoria vitæ & fortunæ meæ ſit mirabilis miniméque vulgaris, multis quippe clara malis atque bonis fortunæ corporis & animæ, multiſque periculis fuſiùs aliâs exponendis.

Minorum Planetarum Doryphoria per corpus, eſt, quando Planetam in ſuo præſertim regno vel exaltatione poſitum, ac primariæ vel inſignis in figura ſignificationis (ut ſi fuerit dominus Genituræ, vel ☉ ☽ ⊕ Horoſcopi, vel Medii Cœli) unus, duo vel plures Planetæ, ut ſupra dictum eſt, comitantur. Hæcque Doryphoria præſagit quoque magna & egregia; bona quippe inſignia ſi Planeta comitans fuerit benè affectus, ac ejuſdem ſexus & conditionis: Si verò Planetam primariæ in figura dignitatis in ſuo exilio vel caſu conſtitutum comitentur 1. 2. vel plures Planetæ naturâ, vel determinatione malefici, pravè affecti, & ſexu conditioneque contrarii; ingentia mala hæc Doryphoria ominabitur. Eſt autem etiam attendenda eorum Doryphoria Planetarũ, qui præſunt duodecimæ & 8. domibus; ab iis enim inſignes calamitates & mortes illuſtres ſignificantur.

Denique omnis Planetarum concurſus in aliqua figuræ domo, Natum efficit clarum famoſumque in ſignificatis ipſius domus. Ut patet in Me ex concurſu 6 Planetarum in principio duodecimæ domus pro morbis, ſervitute & inimicis occultis. In Nobiliſſimo D. Ludovico Tronſon, ex concurſu 4 Planetarum ☽ ♃ ♀ ☿ in decima domo (quorum 3 ultimi erant Occidentales ☽ & Orientales ☉ circa principium duodecimæ exiſtenti) pro dignitatibus, honoribus & actionum fœlici ſucceſſu. Ex Illuſtriſſimo D. Charolo Dalbert Coneſtabili de Luynes, in concurſu 4 Planetarum in tertia domo, pro fratribus affinibuſque; & aliis innumeris.

Doryphoria verò ſive Solis aut Lunæ, ſive aliorum Planetarum per aſpectum; tribus præcipuè modis inſignis eſt. Primò cum Planetam in ſuo regno vel exaltatione angularem, alius Planeta etiam in ſuo regno, vel exaltatione poſitus intuetur, radio ante priorem Planetam oriente: & hæc Doryphoria illuſtrem efficit genituram, magnaq; præſtabit, ſi præſertim Planeta angularis fuerit in Horoſcopo vel Medio Cœli, & affecla beneficus. Secundò, ſi Planetam in Horoſcopo vel Medio Cœli poſitum comitetur Planeta ejuſdem conditionis, radium projiciens in partem priùs Orientem pro ☉, aut poſt Orientem pro ☽. Tertio, cùm Planetâ in Horoſcopo vel decima poſito, ac diurna exiſtente genitura, diurnæ; & in nocturna, nocturnæ ſtellæ comitantur, Radio præcedente vel ſequente, prout Planeta ex ſe fuerit diurnus, ſive nocturnus. Poſſuntque etiam ☉ & ☽ comitari Planetas ſuæ conditionis, vel Sectæ in cardinibus poſitos. Accidet autem contrarietas aut repugnantia in effectu ſignificato, ſi nocturni Planetæ diurnos, aut diurni nocturnos comitentur, niſi comites fuerint benefici, benéque affecti.

Cæterùm ex duabus Doryphoriæ ſpeciebus ſupra poſitis, tertia ſive media deduci poteſt: dum ſcilicet Planetam aliquem alii corpore, alii autem per aſpectum comitantur.

At præter ſupradictas Doryphorias eſt adhuc altera Veteribus ignota, quæ talis eſt. Si Planeta dominus Horoſcopi vel Medii Cœli, vel Sol aut Luna, aut horum domini, vel tandem aliquis Planeta præcipuæ ſignificationis in Themate, ac præſertim ex ſuperioribus Planetis, repertus fuerit ſtipatus tribus vel quatuor fixis illuſtribus, ac præcipuè in prima vel decima domo: ipſe Planeta ſtipatus ſtupendos producet effectus, ut in Aſtrologiæ praxi ſtupendis hujus ſeculi miraculorum feracis probabimus exemplis. Ideoque vel Soli Planetæ, vel horum aſpectus, vel ſolæ fixæ illuſtres, vel horum miſcella mirabiles quo ad effectus Doryphorias conſtituere queunt.

SECTIO III.

De Planetis à Sole combuſtis.

CAPUT I.

Quid ſit Planetam à Sole comburi.

TRiplex eſt Planetarum ſtatus, prout Soli corporaliter connectuntur. Primus eſt, quando Planeta Soli partiliter unitus eſt, longitudine & latitudine; aut ſaltem amborum centra non diſtant inter ſe ultra 16 minuta, quanta ſcilicet eſt ſemidiameter corporis Solis: atque tunc Aſtrologi dicunt, Planetam eſſe in Cazini, vel corde Solis: Secundus eſt, quando Planetæ centrum diſtat à centro ☉, ultra 16′. non tamen ultra complementum ſemidiametri Orbis virtutis ipſius Planetæ, ad 18 gradus, ſive ſemidiametrum Orbis virtutis ☉, quæ ſemidiameter in ſingulis Planetis diverſa eſt, & à nobis definita cap. 13. Sect. 1. Tunc verò Planeta dicitur eſſe combuſtus à ☉, quòd ſcilicet in eodem cum ☉ poſitus verticali circulo, videri nequeat, etiam Sole infra Horiſontem latente, ob nondum egreſſum Planetam ex ſuæ combuſtionis limitibus, ut eodem capite explicatum eſt. Atque inde conſtat, Planetis omnibus non eundem eſſe combuſtionis terminum, ſed cuilibet proprium, Veteribus ignotum. Tertius denique eſt, quando Planetæ centrum diſtat à centro ☉, ultra ſuperius complementum, attamen verſatur adhuc ſub Orbe virtutis ☉: Tuncque Planeta dicitur eſſe duntaxat ſub radiis ☉. Quamprimùm verò Planetæ corpus egreditur Orbem Virtutis ☉, dicitur eſſe liber à radiis Solis.

CAPUT II.

Planeta quilibet ſemper alicubi eſt, in corde Solis, combuſtus, & ſub radiis: Imò Planetarum aſpectus Telluris reſpectu ſæpè comburuntur.

NAm ductis duabus lineis rectis, Solem & Planetam utrinque contingentibus, iiſq, ad par-

tes Planetæ continuatis ; Planeta ipſe erit in corde ☉ reſpectu loci in quem ipſæ lineæ, vel conus iis interceptus tendet: ſive ad Tellurem vel alium Planetam, vel ad ætherea, vel ad Sublunaria ſpatia tendat: & circa ipſum locum dicetur eſſe combuſtus, aut ſub radiis Solis. Inde verò fit ut Planeta Terræ non combuſtus, ſuis quandoque comburatur aſpectus. Veluti ſi ducta linea, per Solis & ♃ centra, deſinat in locum □ aſpectus Jovis; hic ſui □ loco dicetur eſſe combuſtus; etſi linea vel radius ab ipſo loco prodiens in Terram, ſit à combuſtione liber.

Cæterum non ſecus ac Planetarum corpora, intra Solis orbem virtutis in primo Mobili, qua ſuperiùs dictum eſt diſtantiâ, reſpectu noſtri cadentia; etiam reſpectu noſtri combuſta dicuntur: Idem certè de Planetarum aſpectibus cenſendum eſſe ratio dictat: quorum nempe loca, ſi aliquo lumine eſſent conſpicua; ea ſanè quæ in Solis orbem virtutis inciderent, impediente ipſius Solis fulgore, nobis eſſent inviſibilia. Ac proinde ☉ in △ ♃, comburit △ ♃ noſtri reſpectu; ſicque de cæteris.

Caput III.

An Planetæ combuſti nullius ſint virtutis in hæc inferiora, ut opinati ſunt Veteres.

MAgna hic nobis occurrit difficultas atque lis dirimenda. Plures enim Aſtrologi cum Junctino tractatu de Revolutionibus pag. 1134. Planetæ combuſto nullam vim concedunt. Ptolemæus ipſe lib. 3. Quatrip. ad finem cap. 14. agens de Anæretis ait. *Omnino verò earum ſtellarum quæ radiis Solis obrutæ ſunt, nullam accipere convenit, nec ad interficiendum, nec ad auxiliandum, niſi cùm Luna eſt vitæ prorogatrix; Sol autem interfector ab aliquo etiam læſus malefico qui* (ut ait Cardanus in commento) *priùs occurrat Lunæ quàm Sol ipſe.* Tunc enim dum Sol vel ejus radius □ aut ☍ Lunæ occurret, certiùs interimet ob ipſum maleficum.

Rurſus autem Cardanus in Comm. in cap. 18. lib. 3. de Planetis combuſtis ſic loquitur. *Jam verò quid polliceantur aſtra, quæ ſub radiis latent, ex his manifeſtum eſt. Nam non penitus nihil, ut Arabes exiſtimant, ſed in caſu vitæ ut ſuperiùs viſum eſt* (cap. ſcilicet 14.) *nihil poſſunt; nec nocendo, nec juvando. In animi autem qualitatibus aliquid poſſe videntur: faciunt enim hebetiores & ad pænitentiam propenſos; conſilii quoque obſcuri & tecti; aptique ad occulta tractanda. In filiis autem, negat Planeta qui ſub radiis eſt. Igitur ex iis colligetur regula triplex hoc modo. Planeta ſub radiis Solis in maximis rebus utpote vitæ vel occidenti, vel filiorum, nil præſtat neque poteſt. In cæteris autem quæ ad actiones pertinent fermè nihil: ſed in his quæ jam ſunt* (ſubaudi tempore partus) *debiles ſignificat effectus, ut in qualitatibus animi & corporis. In corporis autem temperatura & qualitatibus ſignificat aduſtionem; ſimiliter & in morbis, præcipuè autem Mars.* Hæc ad verbum, quæ ab eodem Cardano confirmantur Comment in cap. 13. lib. 2. ubi hanc de Planetis combuſtis regulam tradit. *Cùm Planeta fuerit ſub ☉, Sol ipſe diſponit loco ipſius Planetæ: hoc eſt ipſius Planetæ vim agendi ſibi vendicat; quòd ex ſe Planeta agere nequeat.* Et aphor. 13. lib. 2. *Quando omnes Planetæ ſub Sole fuerint* (ait) *genitura illa unũ tantùm habebit Planetam viribus omnium aliorum præditum:* qui ergo erit Sol ex ſupradictis à Cardano.

Cæterùm hæc Veterum doctrina inde orta eſt, quod opinati ſunt aſtra omnia, ſuos in Sublunaribus effectus lumine producere; nec illis innotuerit, non modò Lunam, ſed ♄ ♃ ♂ ♀ ☿ etiam proprio lumine carere, tantúmque illuminari à Sole, cujus lucem in hæc inferiora reflectunt. Quo poſito nil mirum ſi ingentem ac vivaciſſimam Solis lucem (quam æquè intenſi etiam caloris productricem putarunt) comparentes cum exiguo obtuſoque cæterorum Planetarum lumine, horum vim Solis virtute obrui, enervari & comburi cenſuerint. At quia lib. 11. probavimus lucem per ſe duntaxat illuminare, & nihil aliud agere: idcirco jam ac patet falſitas ac ruina illius Veterum fundamenti.

Ad quæſtionis igitur propoſitæ ſolutionem notandum eſt, Planetam à Sole comburi poſſe dupliciter. Primò corpore, dum ſcilicet corpus Planetæ incidit in orbem virtutis Solis. Secundò aſpectu: & hoc rurſus dupliciter. Primò, ſi verbi gratia △ ♃ cadat intra orbem virtutis Solis. Secundò, ſi linea ducta per ☉ & ♃ centra, terminetur in Cœlo ad locum △ ♃. Sed hæc combuſtio cùm accidat Cœli reſpectu, non Terræ; idcirco ipſi △ reſpectu Terræ officere nequit. De aliis verò duobus modis prioribus quæritur, an Sol Planetæ vel aſpectus quem dicitur comburere, vim diſſipet aut enervet, ut à Ptolemæo cunctiſque hactenus Aſtrologis creditum eſt, præſertim verò de corporibus Planetarum.

Arbitror autem ſolutionem ſic eſſe diſtinguendam. In quovis Planeta ineſt formaliter duplex natura ſive virtus: quippe Elementalis & Cœleſtis, ſive influentialis, ut à Nobis dictum eſt Lib. 8. Sect. 1. At in Planetarum aſpectibus viget tantùm virtus influentialis formaliter, quæ tamen Elementalem continet eminenter. Sol igitur conjunctus alicui Planetæ, vim ejus Elementalem ſuo caloris exceſſu & corporis vaſtitate, cohibet ac enervat, præſertim ſi eidem contrarietur. Quod certè non faceret, ſi eo uſque diſtaret à nobis, ut ♄ minor, vel eo non major apparet: aut ſi Saturnus: verbi gratiâ, eò uſque nobis appropinquaret, ut Solis jam viſibilem magnitudinem æquaret, vel etiam decuplo aut centuplo excederet. Tunc enim ♄ Soli junctus partiliter hujus vim Elementalem potiùs ſupprimeret: quod evidenter patet in Solis à ☽ totalibus Eclipſibus & cum mora; in quibus non Solis calorem, ſed Lunæ frigus etiam Æſtate experimur; tum ex Sole ſub Terra (quæ eſt quotidiana ☉ à Tellure totalis Eclipſis) in qua non Sol ſuo calore, ſed Tellus ſuo frigore nos afficit.

At Planetæ vim influentialem Sol ſua combuſtione non diſſipat vel enervat, ut Veteres opinati ſunt, quamvis eidem ſuâ excellentiâ & principatu ſuper cæteros Planetas, tum corporis magnitudine multùm præpolleat. Hoc verò probatur à nobis rationibus & experientiis infra poſitis.

Caput V.

Rationes contra Veterum Opinionum.

PRima rationum hæc eſto. Planeta Lunæ conjunctus, nullo modo dicitur ab ipſa Luna virtute

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

tute privari aut ſpoliari; etſi Lunæ virtus ipſius Planetæ vim longè ſuperet quò ad nos; propter ipſius ☽ viciniam; de communi conſenſu Aſtrologorum, qui virtutis primatum inter Planetas Soli & Lunæ tribuunt. Nec ratio eſſe poteſt, quòd Planeta Lunæ conjunctus videatur, non autem ☉ conjunctus: alioquin ſimili ratione nullus Planeta interdiu ſuper Horiſontem ullius eſſet virtutis, iis à quibus videri non poſſet. Non ergo ſimiliter Planetaram vires ſaltem influentiales conjunctione ☉ ſupprimuntur vel enervantur.

Secunda. De communi Aſtrologorum conſenſu à ſeipſis hic diſſentientium Sol conjunctus ♂ aut ♄ dicitur maximè lædi, quod ſcilicet ex Solis & ♄ vel ♂ concurrentibus radiis, malignus in his inferioribus producatur effectus: idque tam certum eſt, ut nihil ſit in Aſtrologia certius. Jam verò illud non accideret, ſi Sol ſua ☌ cum ♄ aut ♂, horum malignum diſſiparet influxum: quippe diſſipatione mixtio radiorum concurrentium prohiberetur. Imò tradunt Aſtrologi diverſos effectus ſingulorum Planetarum ab eorum cum Sole conjunctionibus: at ſi inde diverſi producuntur effectus, ergo inde exurgunt diverſi influxus ipſorum effectuum cauſæ: Non ergo influentialis ſaltem virtus Planetarum à Solis conjunctione ſupprimitur, vel cohibetur aut diſſipatur.

Tertiò. Volunt omnes Aſtrologiæ Magiſtri Veteres, Planetam in Cazinii vel corde Solis, hoc eſt ☉ partiliter unitum, maximam vim habere virtutemque ſuam ☉ tunc unire, ac uno quaſi radio eádemque cum ☉ virtute in hæc inferiora agere, ut ait Origanus Introd. Part. 3. pag. 434. At Jovem Soli platicè junctum, vel ab eo novem gradibus diſtantem comburi, & ſuis viribus exui, ſtupenda virtute ☉, partiliter verò junctum non comburi & exui, ridiculum eſt opinari: quandoquidem ſuppoſita combuſtione, ſicut hæc elangueſcit verſus peripheriam Orbis virtutis Solis, ubi omnino deſinit: ita à contrario invaleſcit verſus centrum ubi ſummè viget. Quamobrem ſi combuſtio vires Planetarum ſupprimat, centralis potiſſimùm ſupprimet, cujus contrarium Veteres omnes cenſuere.

Quartò. Mercurius máxima temporis parte combuſtus eſt, cui tamen & in Aere & in nativitatibus hominum, maximas vires tribuunt omnes Aſtrologi: imò Ptolemæus Lib. 4. Quatrip. cap. 4. Artis vel Magiſterii ſpeciem deſumit præcipuè ex ☿ ♀ atque ♂; cui omnes alii Aſtrologi ſubſcribunt. Quin etiam Cardanus ipſe in Commento, etſi ſuperiùs dixerit Planetas ſub radiis nihil fermè præſtare in his quæ ad actiones pertinent qualis eſt Ars; tamen non excipit combuſtionem Mercurii, quòd eam à Ptolemæo excipi non viderit. Id verò faciendum fuiſſet, & ſaltem rari vel exigui effectus Mercurio ob illam cauſam tribuendi; unde patet Veteres ſibi hac in parte contradixiſſe. Nec ſatisfacit quorumdam lepida reſponſio; quod Mercurius ſit combuſtioni aſſuetus. Nam primò ſequeretur, quod initio Mundi ille minoris quàm nunc fuiſſet virtutis in hæc inferiora, quoniam tunc combuſtioni non erat aſſuetus, ſaltemque à Ptolemæo ad nos uſque aliquod virtutis ejus incrementum fuiſſet animadverſum, quod tamen nuſquam factum eſt. Secundò, de aliis Planetis præſertim ☽ ♀ ♂, dici nequit quod à Mundo condito huc uſque ipſi non ſint combuſtioni ſufficienter aſſueti. Tertiò, ſi ☿ ſit combuſtioni aſſuetus, indeque minùs lædatur quàm antiquitus; ſequetur omnino virtutem Solis pro ☿ jam eſſe imminutam, hoc eſt pro minimo Planetarum: quanto igitur magis pro cæteris majoribus?

Quintò. Si nullæ eſſent vires Planetæ combuſti, ſequeretur in ſingulis Noviluniis nullam eſſe ☽ virtutem in hæc Sublunaria: quod duplici ratione probatur eſſe falſum. Primò, quia ex Lunaribus ſyzygiis nulla communiter obſervatur efficacior Novilunio. Secundò, quia ſupponatur in Novilunio accidere Solis Eclipſin, cui maximam vim tribuunt omnes Aſtrologi: Certum eſt quod ipſa vis Eclipſis non eſt principaliter à ☉ calore aut lumine diminutis vel impeditis: Alioquin brevis admodum eſſet Eclipſis effectus: qui ſcilicet inciperet & deſineret cum Eclipſi; proindeque minor leviorque foret effectu quotidianæ moræ Solis ſub Horiſonte. Neceſſariò igitur vis Eclipſis conſiſtit in partili, ideoque potentiſſimo coitu ☉ & ☽, horumque mixtis corporaliter influentiis: non ſecus ac vis Quadraturæ luminarium conſiſtit in mixtione earumdem influentiarum per quadratam radiationem: Nam Aſtrorum radios, ſive luminis, ſive qualitatum Elementalium, ſive influentialium in hæc inferiora vibratos, miſceri in communi concurſu, non eſt Philoſophus ſanæ mentis qui neget.

Dicent vulgares Aſtrologi cum Veteribus, vel Solem ipſum, vel dominum loci ☽, vel Planetam quem ea partiliùs aſpicit, vice Lunæ fungi, ac regimen ſuſcipere rerum ad ☽ pertinentium: hoc eſt Lunares producere effectus ipſâ nihil agente, nec agere valente. Siquidem ad trium jam dictorum alterum, vim cujuſvis Planetæ combuſti referunt, nec quis illorum eligendus ſit hactenus inter ſe convenire potuerunt.

Verùm quàm abſurdum ſit, vim ☽ Soli tribuere inde patet. Nam quia ☉ & ☽ ſupponuntur partilirer uniti, atque in eodem ſitu Cœli Terræque reſpectu: ſi Novilunii effectus negetur eſſe ab utroque luminari ſimul agentibus; concedatur autem ad ipſum effectum, Solis & ☽ vires concurrere, quòd nempe Sol vices ☽ gerat, ipſeque propria virtute non ſpolietur: quonam experimento convincet Cardanus, vires Lunæ prodire à ☉, quæ illis ex ſe caret, non autem à Luna, quæ illis carere nequit, niſi deſinat eſſe Luna? cùm præſertim Sol viribus ☽ agere nequeat, niſi has habeat; hæ verò à Luna in ☉ non magis tranſmigrent, quàm ☉ vires iu ☽; quod de quovis alio Planeta combuſto etiam cenſendum eſt. Similiter de domino ☽ dicamus primò: Si Luna fuerit in ♋, illa nullius dominio ſubjacebit. An ergo quoties in ♋ Novilunia contingant, hæc defectu domini ☽ erunt inania, nulliuſque virtutis in hæc Sublunaria? Id experientiæ refragatur, quæ probat in illis vim ☽ efficaciùs ac puriùs apparere. Idemque dicendum de quovis Planeta qui exi-

ſtens

ſtens in propria domo ☉ conjungetur. Secundò, ſi Lunâ combuſta nihil agente ejus dominus quatenus dominus gerit ipſius vices; eadem de cauſa geret vicem ☉: ſicque ambo luminaria conjuncta nihil efficient, quoties alterius Planetæ dominio ſubjicientur, quod nullus dixerit Aſtrologus. Tertiò, Planeta dominus ☽ non poteſt viribus propriis ſupplere vires ☽, nec alterius cujuſvis Planetæ cui præerit, ſingulorum enim vires influentiales differunt ſpecie: ſed nec eas à ☽ vel altero Planeta recipere poteſt; quod non tranſmigrent, nec combuſtione, nec alio modo: combuſtio enim Planetæ, combuſti vim non tranſmittit; ſed tantùm ſupprimit, cohibet vel enervat, ut ipſi aſſerunt: Non ergo ☽ vires ſupplebit. Quartò, vel dominus ☽ hujus vices gerit etiamſi combuſta non ſit, vel tantùm dum combuſta eſt: ſi hoc à quonam monetur ipſe dominus de combuſtione ☽, vel tunc & non aliàs, ad agendum excitaturus. Si illud, ergo idem conveniet cuivis domino, Planetæ cujuſlibet: Ac proinde dum nullus Planeta fuerit in propria domo (quod ſæpè contingit) toto illo tempore nullus ex 7 Planetis aget in hæc Sublunaria. Nam ſi ♂ fuerit dominus ☉, Mars geret vices ☉: ſed ſi ♂ non fuerit etiam in propria domo, ejus etiam dominus vices ejus ſupplebit; atque ſic de cæteris: proindeque vel nullus Planeta aget, quod falſum eſt, vel quilibet non pro alio, ſed pro ſe ipſo viribus tamen conjunctis atque mixtis, quod eſt veriſſimum.

Tandem quod Planeta Lunam partiliùs aſpiciens pro ipſa impotenti agat, ſic etiam probatur eſſe falſum. Primò, quia ſi ☽ vel alterius Planetæ combuſti vicariatus, jure naturali pertinet ad Planetam partiliùs aſpicientem: Ergo ſi nullus Planeta ☽ Soli unitam aſpexerit (ut frequenter accidit) nullius quoque virtutis erit tale Novilunium toto Terrarum Orbe, quod ipſi non fatebuntur Aſtrologi. Secundò, quia Planeta Lunam in Novilunio partiliùs aſpiciens, vel plus non efficit aſpectu ſuo, quam ſi ☉ non eſſet Lunæ conjunctus; vel plus efficit: ſi illud, ergo ut ☽ à Sole diſtantis vices non dicitur gerere; ſic nec ejus Soli conjunctæ vices gerit. Si hoc, unde quæſo accipit virtutem plus efficiendi? Nam ſi dixerit aliquis Planetam ipſum excitari & roborari à ☉ ipſum aſpiciente (quandoquidem ſpecioſum erit ſubterfugium iis qui coram baculo rationis inermes, undique latebras talparum inſtar ſibi fodere tentant) is certè non effugiet: quippe quòd ſi ne quidem Sol propriam quam habet virtutem, aſpectu ſuo tranſmittit alteri Planetæ; multò minùs tranſmittet virtutem ☽ quam non habet, quod tamen omnino neceſſe eſt, ut Planeta aſpiciens, viribus ☽ agat; vel ejus vice fungatur; hoc eſt quos debet ipſa ☽ producat effectus.

Univerſaliter verò ſit, exempli gratiâ, ♃ combuſtus in ♒ & decima domo: debet inde produci effectus de natura ♃, quatenus ipſe eſt in ♒ & decima domo. At cur potiùs talis effectus tribuetur ☉, vel Planetæ dominanti, aut partiliùs aſpicienti, quàm ♃ ipſi, qui ipſemet eſt in ♒ & decima domo? Id ſanè poſt ſuperiùs rejectas à Nobis alias cauſas perabſurdum eſt; teſtaturque Veterum hac in parte ingenium, radiis Solaribus plurimùm ſaltem offuſcatum fuiſſe.

Quod verò de Planetarum combuſtorum corporibus dictum eſt, idem cenſeatur de eorum aſpectibus, intra Orbem virtutis ☉ cadentibus: quod nempe vis eorum influentialis, combuſtione non pereat, vel enervetur. Alioquin à ♄ vel ♂ □ ad ☉, malignus ut ſit non prodiret effectus.

Caput VI.

Experientiæ contra Veterem opinionem.

EXperientiæ Veterum doctrinæ contrariantes paſſim occurrrent iis, qui hominum Geneſes juxta Aſtrologica principia ſcrutabuntur; tum penes uniuerſale judicium, tum penes particulare ex directionibus ſignificatorum.

Habui ☿ combuſtum in ♒ & ⚹ partili Horoſcopi, applicantem ♀ etiam combuſtæ ac dominæ primæ, illiuſque dominus ♄ eſt in duodecima quoque combuſtus; nec ingenii cauſam Cœleſtem habeo veriorem Mercurio ipſo: qui quàm impotens fuerit, ad ingenium ſublimioribus ſcientiis ſcrutandis mihi conferendum, teſtabuntur ex parte Aſtronomia à me reſtituta, & hæc Aſtrologia Gallica.

Similiter habui ♀ dominam primæ in ſuâ exaltatione, conjunctam ☉ domino quintæ, atque combuſtam in △ ♂ domini Horoſcopi: aliunde verò Jovem & Saturnum dominos nonæ conjunctos eidem ♀, in △ ♂, atque etiam combuſtos. Vix dici poteſt quantam ſpiritus & carnis contrarietatem talis conſtitutio per totum hactenus vitæ decurſum mihi peperit, cum perpetua ferè ſervitute ad annum uſque 46, ob ♄ Medii Cœli dominum in duodecima: cum pravis diuturniſque morbis ob Planetas in duodecima domo, quæ morborum eſt; & pluſquam 16 mortis violentæ periculis maximis ob ♃ dominum octavæ cuſpidis, quam occupat cor Scorpii fixa violenta, ipſius ♃ ſitum in duodecima, quem circumſtant à dextris ☉ atque ♀, à ſiniſtris verò ☽ atque ♄, nec non □ aſpectum horum Planetarum ad cuſpidem octavam.

Per directiones verò. Quo anno Medium Cœli pervenit ad ☿, obtigit mihi neque cogitanti neque ſperanti dignitas Profeſſoris Regii peculiari favore & clementia Reginæ Matris Sereniſſimæ MARIÆ DE MEDICIS, ob ſequentem ♀ in ſua exaltatione. Et quo anno Medium Cœli pervenit ad ♀ dominam primæ atque ⊕, habui ferè 4000 libras à duobus Magnatibus pro duobus libris à me in lucem editis cum nominis celebritate; ob ſequentes ☉ atque ♃.

Mille aliis genituris idem probari poteſt: ſcilicet Planetas combuſtos ſuis non exui viribus ſaltem influentialibus: ſed per ſe agere ratione propriæ naturæ, tum ſigni & domus quam occupant & cui præſunt; tum ratione aſpectuum quos cum aliis Planetis vel ſignificatoribus conſtituunt; non autem per Vicarios, ut hactenus opinatum eſt; quamvis Solis influxus ſit principaliter attendendus ob rationem ſuperiùs dictam.

Scien-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Sciendum tamen eſt, quod res à Planeta combuſto ſignificatæ, ſive mores & ingenium, ſive actiones, &c: non omnibus ſaltem ex toto conſpicuæ ſunt, magnaque ex parte latent. Atque ſic quibus ☿ eſt combuſtus, ac ingenii ſignificator; hi nec ſuum ingenium, nec quid in mente habent omnibus aperiunt, ſed ſemper aliquid ocultum, vel pauciſſimis revelandum ſibi reſervant: eademque eſt ratio in cæteris.

Denique ſi Planetæ combuſti virtus non cohibetur, aut ſupprimitur, multò minùs ſupprimetur vis ejus aſpectuum, quam etiam non ſupprimi Veteres opinati ſunt, ſibi rurſus hic contrariantes, quòd vis aſpectus non aliunde ſuam habeat originem quàm à Planeta combuſto. Ideoque hoc anno 1641 quo ♂ dominus Horoſcopi in mea Geneſi, pervenit ad ☍ ♀ dominæ Telluris; poſt longam difficilemque ſollicitationem habui 200 libras augmenti ſtipendiorum, ſupra 600 duntaxat, quas hactenus miſerè ac nimis laborioſè annuatim à Rege accipiebam: Quod certè à tanto hoc opere ſuſcepto me prorſus avocaret, niſi me ſuper-aſtralis influxus potenter excitaret, mihique Aſtrologiæ lucrum reſpuenti, aliunde ſubveniret.

CAPUT VII.

Quo Lucii Bellantii rationes pro Veterum opinione diluuntur.

VT doctrinæ hic à Nobis traditæ veritas pateat evidentiùs, diſcutiamus rationes quas prò contraria Lucius Bellantius attulit, adverſus Picum Mirandulanum, opinionem Veterum oppugnantem. Ait ergo Bellantius quæſt. 7. art. 3. *Manifeſtiſſimum eſſe in Aeris mutatione, quod dum Planetæ exeunt radios Solis, vires aſſumunt. Ergo in ☌ cum ☉ illas amiſerant.*

Sed reſpondeo. Argumentum poſſe eſſe verum de viribus Elementalibus & poteſtate illuminandi hæc inferiora, non autem de influentiis quæ à lumine & qualitatibus Elementalibus immenſè differunt. Ut alibi diximus: ad hæc accedit eorum Dodectilis cum Sole.

Urget iterum. Quod ☿ iuduit proprietatem Planetæ, cui conjungitur, ob ſuam debilitatem. At ſinguli Planetæ reſpectu ☉ ſunt debiliores, quam ☿ reſpectu cujuſvis alterius. Ergo ſinguli dum ☉ junguntur, induent proprietarem ☉.

Sed reſpondeo Primò. Falſum eſſe antecedens: Nimirum quod ☿ dum cuivis alteri Planetæ, ut ♄ jungitur, ejus naturam induat. Idque nec Bellantius, nec alius Aſtrologus probavit, vel probabit unquam; etſi vulgò credatur ab Aſtrologis incautioribus. Nam vel ♄ naturam induit propriam retinendo; ſicque ex virtutum ♄ & ☿ mixtione ambo dicentur agere juxta mentem noſtram: vel induit illam, propriam exuendo; ſicque in ♄ & ☿ ſimul, ſola ſupererit virtus ♄, debilior etiam ſic diviſa, quàm in ♄ unita: unde in effectu ☌ ♄ domini Horoſcopi cum ☿, non ſolùm nullæ erunt ☿ partes pro ingenio; ſed etiam effectus per ſe minor erit quàm à ſolo ♄, quæ tamen adverſantur experientiæ; qua conſtat ☿ conjunctum ♄ Horoſcopi domino, excellens, ſubtile ac profundum largiri ingenium, quod abſente ☿ obtuſum, tardùm, fortéque ſtupendum foret. Secundò. Ad ſuperiorem inferendam concluſionem, non ſufficere illam ſolius ☿ hypotheſim, quam jam oſtendimus eſſe falſam: ſed inſuper requiri talem majorem propoſitionem. Omnis Planeta altero debilior, ejus naturam induit, ſi ipſi conjungatur: quæ ut de ☿ ſuperiùs, falſa etiam probabitur.

Rurſus ita arguit. In conjunctionibus aliorum Planetarum, vis conjunctionis tribuitur fortiori. Ergo Sol Planetam ſibi conjunctum, virtute deſtitutum relinquet.

Sed reſpondeo. Equidem verum eſſe, quod præcipua vis conjunctionis tribuenda ſit fortiori; at falſum quod totalis tribuenda ſit. Itaque de ☉ & huic conjuncto Planeta idem omnino cenſendum eſt.

Tandem ait. Virtus Planetæ conjuncti, eſt eadem quæ Solis, vel diverſa, ſi primum, effectus tribuetur Soli: ſi ſecundum, Sol prædominabitur.

Sed reſpondeo. Si primum, effectus tribuetur tantùm Sol:, concedo, ſed quia primum illud eſt falſum, ergo quod inde ſequitur eſt quoque falſum. Si ſecundum, Sol prædominabitur, diſtinguo. Si Sol in conjunctionis loco præpolleat, prædominabitur, concedo. At ſi Planeta conjunctis præpolleat, is prædominabitur: ſi autem in loco conjunctionis neuter altero ſit fortior, aut debilior; Sol dignitate Planetaria & magnitudine prædominabitur; hoc eſt conjunctionis effectus erunt potiſſimùm à Sole. Sic igitur patet rationes Bellantii nullius eſſe momenti; iiſque doctrinam à Nobis ſuprapoſitam validiùs confirmari. Quamobrem de Planetis combuſtis hactenus dixiſſe jam ſufficiat: Et ſi quidpiam aliud hic deſideretur, petatur ex Lib. 21. & 25: ubi fuſiùs agetur de conjunctionibus Planetarum.

FINIS LIBRI DECIMISEXTI.

ASTRO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ASTROLOGIÆ GALLICÆ
LIBER DECIMVSSEPTIMVS.
De Domibus Aſtrologicis.

PRÆFATIO.

Poſt expoſitas Signorum & Planetarum vires, tanquam fundamenta totius Aſtrologiæ primaria: Jam ſequitur ut de ſecundo Aſtrologiæ fundamento diſſeramus, nempe de Domibus Aſtrologicis in quas Cœlum pro Judiciis dividi ſolet: Tota enim Aſtrologiæ judiciariæ ſcientia ab hiſce domibus dependet; & penes ipſarum naturas feruntur judicia, ut patebit in ſequentibus. Cæterum circa domos ipſas Aſtrologi Veteres ac Neoterici in varias ſcinduntur Sectas, videturque admodum difficile veritatem (quæ unica eſt) ex eorum diverſis opinionibus elicere: nihilominus favente Deo non ſolùm illam inveniemus, ſed adeo firmiter ſtabiliemus, ut nullis adverſariorum machinis poſt hac everti queat.

SECTIO I.

De Aſtrologicarum Domorum cabala, ejuſque naturali fundamento, à nobis detecto.

CAPUT I.

Totus effectus naturalis, à toto Cœlo; & illius partes, ab hujus partibus, ineſſe & dirigi dependent.

PRimum Cœlum eſſe primam cauſam, ſeu primum principium Phyſicum effectuum naturalium, à Nobis ſufficienter oſtenſum eſt, Lib. 14. Sect. 1. cap. 10. oportet autem primum principium in quolibet genere eſſe perfectiſſimum; erit igitur primum Cœlum in genere cauſarum efficientium univerſaliſſimæ potentiſſimæque virtutis activæ (quæ eſt cauſæ efficientis maxima perfectio) ita ut nulla ſit inferior corporea cauſa quam non moveat, vel cui vim agendi non influat; nihilque novi in toto orbe generetur, quod hæc virtus per ſe non attingat.

Porrò cùm hæc ita ſe habeant, nemini certè dubium eſſe debet, quin id omne; quod de novo generatur & naſcitur, ad illam primam ſui cauſam referri debeat. Poteſt autem referri, vel ad ipſius Cœli partem aliquam, vel ad totum Cœlum; ſed debet ad totum referri. Non eſt enim primum Cœlum cauſa prima & univerſaliſſima ſecundum aliquam ſui partem, ſed ſecundum ſe totum; quilibet igitur effectus Sublunaris, quatenus ſecundum ſe totum conſiderari poteſt, quippè in ſuo ortu, vigore, declinatione, & interitu ad totum Cœlum referri debet: non tamen confusè, ſed diſtinctè & ordinatè, ut ipſius Cœli ſuadet ordinatiſſimus motus, ſingulas Cœli partes eidem effectui ſucceſſivè præſentes efficiens & diverſimodè applicans. Ut enim totus effectus, & quæcunque eo durante Cœlitus ipſi accidunt, toti Cœlo correſpondent; & tamen ortus rei non eſt ejuſdem interitus; ita quod in Cœlo fuit per ſe cauſa ortus illius, hoc ipſum non erit per ſe cauſa interitus ejuſdem; ſic enim nullus duraret, imò ne quidem produceretur effectus: ſed ut ortus, vigor, declinatio & interitus rerum differunt, ſibique ſuccedunt: horum cauſæ in Cœlo inter ſe differre ſibique ſuccedere debent: At in Cœlo differentia & ſucceſſio non ſunt, niſi ratione partium; ſunt igitur in Cœlo quædam partes ortus cauſæ, ſeu quæ ortui præſunt; aliæ his ſuccedentes, quæ vigori: aliæ quæ caſui ſeu declinationi, aliæ tandem quæ interitui rerum.

Neceſſitas autem diviſionis hujus ſic aliter oſtendi poteſt. Totum Cœlum multa ac diverſa influit eodem inſtanti, eidem nato: at idem quatenus idem non poteſt ſimul efficere diverſa in eodem. Ergo Cœlum quatenus totum ſeu idem, non efficiet illa diverſa; ſed quatenus in partes diviſum, ut ſcilicet una hoc, & altera aliud agat.

CAPUT II.

Totius Cœli reſpectu, effectuum naturalium diviſio generalis.

QUam igitur, ipsâ ducente docenteque Naturâ, Cœli partem ortus naturalis rei cujuſvis primam cauſam eſſe dicemus? eam ſanè quæ in ipſo rei ortu oritur, ſuper ejus Horizontem; orienſque rem ipſam facit oriri. Certum enim eſt inter Cœli loca, ortum cæteris eſſe potentiorem, ut de ortu, culminatione, & occaſu ſyderum aſſerunt omnes Aſtrologi, & ipſa in Aereis mutationibus convincit experientia. At cauſa dicitur tantùm potentior ratione operoſioris difficillioriſque effectus, ergo parti Cœli aſcendenti rerum operatior difficiliorque effectus tribuendus eſt, quem eſſe earum ortum ſeu productionem nullus inficiabitur. Succeſſivè autem

quæ

quæ Cœli pars ſuper Horizontem elevatior eſt, Cœlique medium tenet in rei exortu, ejus vigorem agendique virtutem ſibi regendam vendicat, quæ occidit eodem tempore, rei à ſuo vigore declinationem gubernat, ac tandem quæ imum Cœli obtinet, corruptionis & interitus rei cauſa cenſebitur.

Atque hæc eſt ſimplex omniumque prima Cœli partitio, quâ rebus Phyſicis omnibus gignendis, augendis, alterandis, à propria naturâ, tandemque corrumpendis, verè & rationaliter Cœlum ipſum adaptatur, quaque ſola Veteres Aſtrologi in univerſis & particularibus Cœli conſtitutionibus frequenter utebantur, ut ex Haly patet in figura cometæ ſui temporis: quòd vel Aſtronomicarum Tabularum defectu, temporibus illis difficilior eſſet Cœli diviſio minutior, vel quòd hæc genericè contineat quidquid alia ſpecialis contineret.


CAPUT III.

Totius Cœli diviſio ſpecialis in duodecim domos Aſtrologicas, reſpectu naſcentis hominis.

VErum cùm primæ ſapientiæ Aſtrologus quispiam, quicunq; is fuerit, cæteris tamen ipſum ſequutis antiquior, Cœlum potius hominis quàm reliquorum animatorum, vel inanimatorum gratiâ, & factum & mobile eſſe intelligeret; multaque ipſi homini ob ejus diviniorem naturam convenire, quæ ignobilioribus naturis minimè congruerent: idcirco ipſius hominis gratiâ totum Cœli ambitum rationabiliter cenſuit eſſe dividendum in duodecim partes, quas domos appellavit, per circulos maximos ex aliquo Cœli puncto eductos, atque ſecantes maximum alterum Cœli circulum in totidem partes æquales; ut ſuo loco exponetur. Ac prima domo in Oriente conſtituta poſteris tradidit, eam præeſſe vitæ hominis, ex eaque ſcientiam conjecturalem haberi, judiciumque ferri de vita: Secundam, quæ juxta Planetarum motum ſubſequitur, præeſſe divitiis: Tertiam, fratribus: Quartam parentibus, & ita de reliquis, ut in ſubſequenti figura domus ipſæ ordinantur & nominantur.

Atque hæc Cœli diviſio & domorum appellatio, ab illo ad nos uſque incorrupta perduravit; quamvis Ptolemæus aliique ipſum ſecuti à Veteri illa traditione diſſidere, eamque diviſionem multis in locis pervertere videantur: ut cùm de liberis principaliter judicant, non ex domo quinta, ſed ex ei oppoſita undecima; de ſervis & animalibus non ex ſexta, ſed ex ei oppoſita duodecima; quem errorem apparentem infra corrigemus, non obſtante ipſius Cœli diviſione à diverſis Aſtrologis diverſimodè inſtituta.

Aſtrologicorum domorum ordo & nomina.



Contigit autem in Aſtrologia, idem quod in cæteris omnibus ſcientiis; ipſa Theologiâ ne quidem exceptâ: nimirum, ut variæ hæreſes, variaque ſectarum monſtra in ipſa naſcerentur, & ſuperſtitiones introducerentur, cum pleriſque figmentis nullo reali fundamento innixis, à quibus tamen reales efficientias promanare creditum eſt: inde verò factum, ut variis temporibus Aſtrologia univerſa erroris, mendacii, vanitatis, & ſuperſtitionis ab ejuſdem ignaris, vel oſoribus palam argueretur: eóque proceſſum eſt hac potiſſimum tempeſtate, ut Alexander ab Angelis in Collegio Romano Societatis Jeſu ſtudiorum Præfectus, Pici Mirandulani veſtigiis inſiſtens, & Libris quinque in Aſtrologiam furens, non modo nullam ex Aſtris haberi poſſe prævisionem de futuris eventibns Phyſicis quibuſcunque; ſed etiam in rerum Phyſicarum productione nullas eſſe Cœli partes, & nihil in inferioribus fieri, quod à cauſis Sublunaribus, proximis quippe & Elementis non fiat, aſſeverare tuerique non erubuerit; atque ipſa Elementa ſeſe ſine Cœli præſidio conſervare tradiderit, proindeque corporum Cœleſtium tot naturis motibuſque diverſis inter ſe diſtinctorum creationem à Divina Sapientia, nobis degentibus in Elementari regione, cæteriſque regionibus Sublunaribus fruſtraneam prorſuſque ſuperfluam effecerit. Egregia verò doctrina hæc (quam alibi ex profeſſo, perque prima rerum harum principia refellimus) inde ortum habuit, quod in errores & vanitates in veram Aſtrologiam introductas ſævire ut par erat, contenti non fuerint: ſed ipſius etiam ſcientiæ fundamenta Phyſica de induſtria totiſque ingenii viribus deſtruere conati ſint, Picus, de Angelis, Plotinus, cæterique hujuſmodi Philoſophi, quorum argumentis in veram Aſtrologiam nihil abſurdius proponi, nihilque facrlius everti poteſt, ut jam alibi planum fecimus.

Inter cætera verò Aſtrologiæ fundamenta, cùm Cœli partitio in 12. domos ſit primum, præcipuumque, quippe cui ars tota prædicendi principaliter innititur; hujus autem partitionis cauſæ, rationes, primaque principia, ſi qua eſſent profundiùs laterent, longéque difficiliùs rationabiliter excogitari poſſent, quàm cujuſlibet alterius fundamenti: in has ſanè domos ſolùm adæquandas, ingenii machinas cunctas converterunt; verè rati, his everſis, nullum Aſtrologis prædictionum ſupereſſe armamentum. Illis autem id fuit apparenter minimè difficile; cùm domi nullus fuerit hactenus Aſtrologus, qui domos ipſas, veris, vel etiam veriſimilibus rationibus defendere valuerit, & in hac parte inermis ſit ipſe Ptolomeus.

Lucius enim Bellancius, qui adverſus Picum Mirandulanum Aſtrologiam ſuſceperat defendendam, Libro decimo contra Picum ad cap. 5. lib. 10. ipſius Pici, poſtquam varias, tum propriaſtum Veterum nugas, hic brevitatis & venuſtatis ergo non adducendas pro rationibus Pico reſpondit; ei tandem unicam cogitur opponere experientiam, ſeque ab objectis expedire his verbis ignotæ rationis teſtibus manifeſtis. *Quærere igitur quam ob cauſam hæc vel illa domus hujus virtutis ſit; eſt quærere, quare Sol ſit lucidus, & cur ignis calidus, aqua frigida, quæ tamen ex principiis intrinſecis pendent nobis ignotioribus, aut ſaltem minime notioribus*; quæ paulò priùs dixerat profunda naturæ ſecreta.

Quin etiam Keplerus, cùm primum Cœlum motu diurno ſpoliaſſet, illumque Telluri dediſſet, nullam domibus Cœl.ſtibus vim ſupereſſe voluit.

Cæteri verò omnes, qui harum domorum rationes reddere conati ſunt, ac præſertim Cardanus, Lib. 3. de Judiciis geniturarum cap. 1. nihil univerſalis, nihil ordinati, nihilque veri prodiderunt, ſed tantùm mera figmenta; quorum ſi quodpiam uni domui ſtabiliendæ ſolùm quadrabat veri ſimiliter, illud idem cæteras domos deſtruebat veraciter. Atque idcirco Alexander ab Angelis lib. 4. cap. 19. poſtquam Julii Firmici rationes cunctas de hiſce domibus attulit, eas his tantùm verbis jure refellit. *Ridiculus ſit quicunque ridiculas has rationes noſtra refutatione egere exiſtimaret.*

Caput IV.

Diviſionis ipſius fundamenta.

Cœli partitio in duodecim domicilia ut in figura cernitur appellata, nequaquam habenda eſt pro re ficta & naturali carente fundamento: ſed pro intellectus ſapientiſſimi, & in rerum natura perſpicaciſſimi conceptu fœliciſſimo (ſi tamen intellectus aliquis humanus eam viribus propriis apprehenderit, & ex illa non fuerit univerſali ſcientia, quam Deus infudit Adamo initio Mundi) ut quæ reali innixa fundamento, univerſum hominis ſtatum in Cœlo, velut in prima ſua cauſa Phyſica mirè adumbratum oſtendit. Devenit autem hæc diviſio, à primo ſuo Authore per cabalam ad poſteros, qui eam quidem nullatenus immutarunt, ſed tamen ejus myſteria (cabalæ ſpiritum) ignorarunt, cùm de iis à nullo quicquam nobis ſit derelictum. Etenim Myſteriis plena eſt omnino admirandis, quorum præcipuum à me non ſinè genii mei incredibili voluptate detectum anno 1622. dum Pariſios reverterer ex obſidione Montiſpeſſulani, exponere, poſteriſque hic relinquere placet, quamvis jam tunc temporis hæc Aſtrologicarum domorum cabala fuerit à me ſolitaria in lucem edita: ut nimirum lumine naturali illis in ædibus hucuſque tenebroſis à me primùm accenſo, earum imaginaria confuſio penitus evaneſcat, & pulcherrimus ac mirabilis ordo, ordiniſque ratio à cunctis impoſterum dilucidè conſpiciantur.

Majoris autem elucidationis gratiâ hoc priùs dicendum: quippe ſuperiorem primam ſimplicemque Cœli diviſionem in quatuor partes Cardinales, non fictitiam eſſe; ſed naturalem, naturalique innixam fundamento, ut antea demonſtratum eſt. Earum verò partium quamlibet duas alias habere partes in Cœlo ejuſdem ſecum naturæ; illas ſcilicet quibuſcum in circulo diviſio triangulum efficit æquilaterum, ſeu quas partili trino intuetur. Æterna ſiquidem Trinitas, eſt ab amore infinito; atque fons & ſubſtantia amoris infiniti & perfectiſſimi: in quo amans, qui primus eſt, amatus qui ſecundus, & ex utroque procedens amor, qui tertius, ſunt unum, non genere,

aut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

aut ſpecie, ſed numero: ac propterea ſimpliciſſimũ & in amore perfectiſſimum: Cujuſque infinita perfectio cùm ſeſe effundat in omnia creata, perfectiùs tamen in ſibi magis Analoga effunditur; qualia ſunt præ cæteris omnibus ea quæ trini unione conſtant, unde propterea dicitur omne trinum perfectum non quacumque particulari, aut ſpeciali perfectione, ſed prima illa & univerſaliſſima primi trini perfectione, quæ in amore conſiſtit, quamque trina omnia penes naturæ ſuæ capacitatem diverſimodè participant. Cùm ergo Planetæ Cœleſtibus in Circulis pro vario ipſorum motu variis ſeſe aſpectibus ſubinde intueantur, quippè ſextili, quadrato, trino & oppoſito: primi ac ſapientes Aſtrologi, tum rationibus obſcurè ſaltem à priori deſumptis, infinita ſcilicet & univerſaliſſima primi trini perfectione, tum à poſteriori, nempè evidentiſſimis effectibus aſſeverarunt, in genere aſpectuum trinum eſſe perfectiſſimum, in eoque primi trini perfectionem, quippè amorem ſic vigere, ut perfectæ amicitiæ aſpectus ab illis dictus fuerit. Quod cùm fieri nequeat ſine naturarum ſimilitudine, aut generica ſaltem identitate inde jure deduxerunt Circuli diviſi partes in partili trino conſtitutas ejuſdem naturæ ſaltem genericè eſſe, & ejuſdem naturæ triplicitatem conſtituere: ea ergo de cauſa cùm quælibet ſuperiorum quatuor partium Cœli Cardinalium ſibi peculiarem naturæ ſuæ triplicitatem vendicaret (quòd illarum quælibet duas alias trino aſpectu in Circulo diviſo intueretur) his quatuor triplicitatibus in duodecim partes diviſum eſt, quas domos appellarunt: nec in plures aut pauciores à creato quaternario in Divinum ternarium ducto erat diviſibile, ideóque diviſio hæc habita eſt pro abſoluta maximéque perfecta.

CAPUT V.

Diviſionis ipſius explicatio, & mira maximéque conſentanea applicatio, ad ea omnia quæ hæc durante vitâ ſunt ipſius hominis.

Expoſitis ſuperioribus, jam dico, quod hominis vita quatuor conſtat ætatibus, pueritia, juventute, virilitate, & ſenectute: ac in homine quatuor diverſa cernuntur ad quæ reliqua omnia ipſius hominis, tanquam ad prima ſua genera reducuntur; ſcilicet vita, actio, conjugium, & paſſio. Coincidunt autem hæc cum ortu, vigore, declinatione, & interitu, quæ quatuor omnibus naturæ effectibus univerſim competere antea inſinuavimus. Nam homo oriri dicitur in hunc modum, cùm primùm per ſe vita mundana fruitur: actu vigere cùm agit, ut homo, vel ſuam rationaliter agendi vigorem reducit in actum, declinare cùm præſentiens propriam ſeſe perpetrandi impotentiam, tamen ex innato perpetuitatis appetitu, incipit quærere alteri conjungi, ut eam quoquomodo conſequatur: ac tandem interire, cùm ultimam vitæ paſſionem ſuſtinet: hominis ergo vita, actio, conjugium & paſſio, ad eadem principia Cœleſtia pertinebunt, ad quæ ortus, vigor, declinatio & interitus rerum in univerſum: ſcilicet vita ad orientem, actio ad Cœli medium, conjugium ad occidentem, & paſſio ad imum Cœli. Inde verò conſurgunt quatuor triplicitates ejuſdem naturæ genericæ, & duodecim domus, ut ſupra. Ac prima quidem triplicitas eſt anguli orientis, quem primam domum appellant, & pertinet ad pueritiam: vocaturque triplicitas eſſendi & vitæ; aliæ vero domus hujuſce triplicitatis ſunt nona, & quinta, quæ in circulo penes quem domorum fit rationabilis diviſio, primam domum radio trino partili aſpiciunt. Vivit autem homo tripliciter, in ſe, in Deo, & in ſuis liberis: imò vita prima tantùm datur homini ob alias, ut ſcilicet Deum colat, & ſibi ſimilem generet, quæ eſt completa Dei intentio in hominis productione. Jam verò vita hominis in ſe, quia cæterarum prima eſt ordine naturæ, & ſine illa reliquæ eſſe non poſſunt; idcirco hujus triplicitatis præcipuam domum, angulum quippè orientis jure ſibi vendicat, cum cæteris ad ipſam vitam pertinentibus; quippe corporis conſtitutione, valetudine, moribus, & ingenio, quorum cauſæ & ſigna ex domo hac deſumuntur. Vita in Deo ordine ſecunda, exiſtit in religionis domo, quippe nona: in hoc triplicitate juxta motum Æquatoris primam domum ſubſequente. Vita tandem in liberis domui quintæ quæ liberorum eſt aſſignatur. Tota igitur hæc triplicitas eſt vitæ, ſed in ea hoc notatu videtur digniſſimum, quod per motum Æquatoris qui eſt menſura temporis, fit ingreſſus immediatus è nona domo in octavam, quæ eſt mortis temporariæ, ut intelligat homo ſibi in Deo vivendum eſſe uſque ad temporariam mortem: ita ut inter hanc & vitam in Deo, nulla temporis pars intercedat.

Secunda triplicitas eſt anguli medii Cœli, quem vocant decimam domum, & pertinet ad juventutem, vocaturque triplicitas actionis: & lucri ſeu boni mundani inde emergentis: ſi quidem unumquodque Phyſicè agens, propter bonum Phyſicum ſibi proprium agit. Ut enim motu Æquatoris, ſive primi mobilis fit progreſſus ab angulo orientis ad angulum medii Cœli: ita à pueritia fit progreſſus ad juventutem, & ab eſſe ſeu vita, ad agere: Duæ verò aliæ domus hujuſce triplicitatis, ſunt ſexta & ſecunda. Lucrum autem, ſive bonum Phyſicum emergens homini ex ſuis actionibus, triplex eſt. Primum ordine dignitatis & nobilitatis eſt immateriale, ut ſunt artes, magiſteria, dignitates & honores, ad quos homo evehitur pro benemeritis, præclaris actibus & capacitate. Unde conſtat Reges & Magnates, qui vendunt dignitates & honores peccare contra naturam. Quare hujus triplicitatis præcipuam domum, angulum ſcilicet medii Cœli uſurpat. Secundum eſt materiale ſenſitivum, quales ſunt ſubditi, ſervi & animalia: locaturque in ſexta domo, juxta motum Æquatoris hac in triplicitate ſubſequente. Tertium denique eſt materiale inſenſitivum, ut ſunt aurum, argentum, ſuppellex cæteraque bona etiam immobilia proprio labore parta, quæ ſecundæ domui ſub divitiarum nomine tribuuntur. Tota igitur hæc triplicitas eſt actionis, ſive artis, tum boni inde emergentis.

Tertia triplicitas eſt anguli occidentis, quam ſeptimam domum nuncupant, & pertinet ad virilitatem, appellaturque triplicitas conjugii vel amoris. Ut enim motu Æquatoris ex angulo medii Cœli fit progreſſus ad angulum occidentis,

tis, ita à juventute ad virilitatem, & à præclaris actibus ad conjugia & amicitias hominum, quæ inde conciliantur, & ex innato perpetuitatis appetitu quæruntur, homo enim ad benè beatéque vivendum ſibi ſoli non ſufficit: ideoque quatenus animal naturâ ſociabile, ſibi congruam ſocietatem expetit qua delectetur: talis enim etiam datur in Divinis, qua ſublata corrueret univerſa Divinitatis beatitudo. Jam verò ſocietas non eſt cum inferioribus, ut ſervis, nec cum ſuperioribus, ut dominis, ſed cum æqualibus in ipſo ſocietatis gradu. Duæ verò aliæ domus hujuſce triplicitatis, ſunt tertia & undecima. Conjungitur autem homo alteri tripliciter, prima ordine dignitatis nobilitatiſque conjunctio, eſt corporis, quam matrimonium dicunt, primaria perpetuitatis adipiſcendæ cauſa; ideoque hujus triplicitatis præcipua domus, angulus nempe occidentis ei dicatus eſt. Secunda eſt ſanguinis, quæ fratres & affines conſtituit in tertia domo, juxta motum Æquatoris hac in triplicitate ſubſequente. Tertia denique eſt ſimplicis benevolentiæ, ex qua naſcantur amici in undecima domo: tota igitur hæc triplicitas eſt conjugii & amoris.

Quarta tandem triplicitas eſt anguli tenebroſi mediæ noctis, ſeu imi Cœli, quem domum quartam & Planetarum foveam dicunt, & tribuitur ſenectuti, appellaturque triplicitas paſſionis. Duæ vero aliæ domus hujuſce triplicitatis, ſunt duodecima & octava.

Prima autem nati paſſio ordine naturæ, ea eſt quam excipit ipſe initio vitæ à parentibus, ut à cauſis effectricibus: omnis ſiquidem natus ſe habet, ut patiens & effectus; parentes verò ut cauſæ agentes & efficientes: prima autem effectus paſſio eſt à cauſa efficiente. Nec ſolùm natus patitur à parentibus in corpore, ſed etiam in anima ob labem peccati originalis quam animæ per ſemen, vel carnem ipſi parentes imprimunt. Ideoque parentes horumque ſtatus durante vita nati, tum quæ huic ſunt ab illis ſperanda bona vel mala ſuas hac in domo ſignificationes habent.

Secunda nati paſſio conſiſtit in omnibus corporis afflictionibus, nempè morbis, carceribus, exiliis, ſervitute, cæteriſque quas durante vita ille patitur, ideoque hæc omnia eorumque cauſæ, ut vitæ inimica, ſub una dumtaxat inimici ratione tribuuntur duodecimæ domui, quæ hinc jure veréque dicenda eſt miſeriarum vallis, & juxta motum Æquatoris hac in triplicitate ſubſequitur.

Ultima tandem nati paſſio pertinet ad domum octavam, & conſiſtit in morte, quam in fine vitæ patitur ipſe natus, & quia mors ſeu finis vitæ temporariæ, & æternæ vitæ principium, idcirco juxta motum ſecundum, ſeu Planetarum, qui eſt ab occaſu in ortum, ex octava domo fit ingreſſus in novam, quæ eſt vitæ in Deo, ut intelligat homo, ſibi per animæ motum ſecundum, qui menti ſeu rationi tribuitur (ut primus rapiduſque motus corpori, ſeu appetitui ſenſitivo) tranſeundum eſſe à morte temporaria in vitam in Deo, quæ eſt vita æterna. In his ergo triplicitatibus, quod naturæ vel dignitatis ordine primum eſt, ſemper nobiliores domos, ſcilicet angulares occupat, quod ſecundum domos ſuccedentes juxta motum Æquatoris, quod ultimum, cadentes, quæ etiam juxta Eclipticæ, vel Planetarum motum ſuccedentes exiſtunt.

Itaque ex ſupradictis triplex eſt nati vita. In ſe, in Deo, & in liberis, & hæ ſunt veræ vitæ, non autem metaphoricæ, verè enim vivit natus in Deo & ſuis liberis, neque plures eſſe queunt: Similiter triplex eſt lucrum, ſive bonum mundanum, immateriale, materiale ſenſitivum, & materiale inſenſitivum, neque plura eſſe queunt.

Eadem ratione triplex eſt conjugium corporis, ſanguinis, & ſimplicis benevolentiæ, nec plura dantur.

Denique triplex eſt nati paſſio. Initio vitæ, durante vitâ, & in fine vitæ, & nihil in hoc mundo datur ultra.

Igitur nullum eſſe poteſt hominis accidens, quod ad aliquam ex illis duodecim domibus non pertineat. Eſt etiam hoc notatu dignum, quod natus ab angulo orientis, ſpectatur ut ſolitarius, ab angulo occidentis ut ſociatus, ab angulo medii Cœli, ut agens, & ab angulo imi Cœli ut patiens, atque circa hæc quatuor hominis ipſius verſatur conſideratio, ut quilibet ſapienti palam eſt.

Denique notatu dignum eſt, quod cuſpides domorum tribuuntur ſubjectis humanæ vitæ, prout illa ſunt primo motui circa horizontem Analoga: Circulus enim poſitionis ortui ſeu vitæ deſtinatus non ſignificaret vitæ, niſi Cœlum ex ea parte aſcenderet ſupra horizontem.

Caput VI.

Valde notanda circa domorum ſignificata.

Jam quæſo quis duodecim domiciliis Cœli per triplicitates tam egregio conſenſu ordineque mirabili conſpectis, eam diviſionem prorſus fictitiam, aut fortuitam arbitrabitur? An fortuitò tales conſenſus in rebus tam abſtruſis & intermixtis concurrere ſolent? Eſt igitur diviſio illa naturalis & ex infinita ſapientia originem ordinemque trahens, atque omnia mundana complectens (genericè ſaltem) quæ de homine quæri poſſunt, quandoquidem contrariorum eadem eſt ſcientia, & de re ad quamlibet domum pertinente quæri poteſt affirmativa, vel negativa, tum etiam contrarium. Ut exempli cauſa, cùm vi luminis naturalis cognoſcat homo eſſe Deum unum qui hunc mundum fecerit atque gubernet, ut à nobis demonſtratum eſt Libro primo, proindeque ſummè colendum & amandum, ut ab omnium primis naturæ principiis inſinuat perfectæ amicitiæ trinus aſpectus à prima domo inclinationum cauſa, in nonam domum, quæ religionis eſt: ex ſtellis & planetis domos illas corpore, dominio, vel aſpectu occupantibus, judicium fertur, an natus inclinetur ad Dei cultum & religionem, an vero ad irreligionem, tum de cæteris quæ ad hanc materiam pertinent. Similiter ex ſeptima domo fit conjectura, an matrimonialem, an vero cœlibem vitam ducturus ſit. Ex quinta, an ſit prolem habiturus necne? & ſic de reliquis domibus.

Domorum autem ſignificata contraria ſic deteguntur. Quoniam enim, exempli gratia, domus ſeptima eſt præcipua triplicitatis conjugii amoroſi, quod nempe ſit angularis, ideoque amoroſam corporis conjunctionem atque matrimonio publicam ſibi vendicet: ita à contrario publica diſſidia corporea, vel hoſtes apertos, indeque

lites,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ſites, duella, & quæ inde ſequuntur ſignificat: eademque eſt ratio in cæteris.

Porro lumen hoc triplicitatum clarè admodum diſtinguit ea, quæ ad quamlibet domum per ſe pertinent, ac eorum errores manifeſtat, qui ex domibus alienis à propoſito judicant. Verbi gratia, Aſtrologi ferè omnes cum Ptolomeo morbos ad domum ſextam per ſe pertinere falsò huc uſq; opinati ſunt: cùm per ſe ad domum duodecimam pertineant, quæ eſt corporearum afflictionum ac præcipuè morborum domus eſſentialis ex ſupra-poſita diviſione: domus autem 6. eſt per ſe ſervorum & animalium, ſed præter domorum eſſentialem ſignificationem, hæc inſuper earum eſt proprietas, ut quælibet idem ſed debilius ſignificet cum ea cui opponitur, propter ipſam oppoſitionem, quódque ambæ iiſdem circulis decuſſatis includantur. Atque ſic domus ſexta per accidens, ſive ſecundariò morbos, carceres & inimicos occultos ſignificat, oppoſitionis ratione; viciſſimque domus duodecima per accidens ſervorum & animalium ſignificationem gerit: ſimiliter ſeptima erit per accidens ſignificatrix morborum atque mortis, quòd opponatur primæ, quæ per ſe eſt ſignificatrix ſanitatis & vitæ: viciſſimque hæc conjugia per accidens ſignificabit: eademque de cauſa paſſim Aſtrologi de religione ex tertia judicant, de divitiis ex octava, de parentibus ac præſertim matre ex decima, de liberis ex undecima, quamvis ipſam veritatis judiciorum cauſam genuinam non animadverterint, ut ex eorum libris, ſed Ptolomeo præſertim conjicere licet: in eo quippè decepti, quòd cujuſque domus eſſentiale ſignificatum illis non innotuerit, quod dumtaxat per ſuperiorem cabalam innoteſcit: quamvis Hermes experientiâ convictus ſimile quid aſſerat Aphor. 42. dum ait, eandem in impediendo vim habet dominus ſecundæ, quam dominus octavæ, ſimiliter dominus ſextæ, eandem quam dominus duodecimæ. At graviùs errant qui de rebus neque per proprias, neque per oppoſitas domos judicant, ſed per eas quæ ſunt ſignificationis prorſus alienæ: ut ſi quis per duodecimam velit de divitiis, vel fratribus, vel conjuge, vel liberis judicare abſque alia validiore cauſa, quàm quòd Jupiter, Mercurius, Luna aut Venus ſint in duodecima: ſed inſuper hic detegitur error Ptolomei ejuſque ſequacium, qui de rebus ſingulis ferè tantùm judicant ex figuræ angulis & luminaribus & habitudine aliorum Planetarum ad angulos & luminaria: nam angulus primæ domus verbi gratiâ eſt angulus vitæ, at triplex eſt nati vita, ſcilicet in ſe, in Deo & in ſuis liberis, de quibus omnibus judicium ferri negant ex ſolo angulo primæ domus. Atque ſic de cæteris angulis.

Caput VII.

Quæſtiones objectæ à Pico Mirandulano, Alexandro de Angelis, Marſilio Ficino apud Plotinum, cæteriſque Aſtrologiæ oſoribus, adverſus domos Aſtrologicas, cum Reſponſionibus ſolutivis.

PRopter ignotam hactenus ſuperiorem cabalam patet evidenter quam facilè liberumque fuerit oſoribus Aſtrologiæ domos ipſas exſibilare, cachinnis proſequi, tum importunè quærere, cur Cœlum in plures domos quàm duodecim non dividatur? cur prima domus vocetur domus vitæ, & in oriente conſtituatur? cur domorum ordo & ſucceſſio numerica ſit ab ortu per mediam noctem in occaſum? cur ſecunda domus ſit lucri, ſeu divitiarum, duodecima verò inimicorum, carcerum & miſeriæ? ac tandem cur aliæ domus ſuis quoque nominibus appellentur, ac eo ordine diſponantur? cùm ipſarum domorum & ordo, & nomina non ordinem, ſed meram potiùs confuſionis chymeram, merumque figmentum ſapere videantur, ſintque de facto inane ludibrium, & res planè commentitia, ut Picus lib. 10. & Alexander ab Angelis lib. 4. cap. 27. in hoc probando ſeſe variè & miſerè torquent.

Ad primam autem Reſpondeo, Cœlum in 12. domos & non plures diviſum fuiſſe, quia quælibet 4. partium Cœli Cardinalium, quæ ortui, vigori, declinationi & interitui rerum præſunt, duas alias ejuſdem naturæ ſecum partes Cœleſtes trino radio aſpiciebat: unde tria ejuſdem naturæ loca à quolibet 4. Cardinalium oriebantur: ter autem 4. nec plus, nec minùs, quàm 12. effiefficiunt.

Ad ſecundum dico, primam domum ideò vocari domum vitæ, quia homo in hanc ſcenam mundanam tunc primùm oriri dicitur, cùm primum vitæ mundanæ ſpiritum ducit: atque ideo cùm primus vitæ mundanæ ſpiritus ſit ejus ortus, debuit in oriente collocari, ut cujuſvis alterius rei Phyſicæ ortus: terreſtrium enim rerum ortus, à corporum Cœleſtium ortu promovetur. Utque Cœli gradus oriens emergit ex tenebris in lucem: ita eſt cauſa ortus & emerſionis cujuſque rei tunc naſcentis: quòd nempe quælibet emergat à ſibi magis congruo Cœli gradu aſcendente, ex orco in hanc mundi lucem, ut alibi à nobis oſtenditur.

Ad tertium dico, nihil referre ad Cœleſtes influxus, aut prædictiones inſtituendas, quota quæque domus appellatur ſecunda, tertia, aut quarta, modò Cœlum in quatuor triplicitates, ut ſupra dividatur, & domorum natura non varietur, Phyſicum tamen domorum ordinem eſſe ab ortu per meridiem in occaſum juxta motum primæ & univerſaliſſimæ cauſæ Phyſicæ, ad cujus partes ſibi juxta motum illum ſuccedentes præcipui ſtatus, vel ætates rerum generalium juxta ſuam ſucceſſionem ſuperiùs relata ſunt in Æquatore, primæ cauſæ præcipuo circulo. Sicque Phyſicè domus inimicorum eſt ordine ſecunda, domus amicorum tertia, domus magiſterii quarta, & ita deinceps. At myſticè, ſeu Analogicè ordo numericus fuit inſtitutus ab ortu per imum Cœli ad occaſum, & ratio hæc eſt: duo ſunt motus in Cœlis, primus & primi mobilis, quem dicunt motum raptus: ſecundus eſt Planetarum, qui non obſtante motu raptus, quo circumferuntur, tamen ſui motus proprii & moderati in contrariam prioris plagam ordinati, leges inviolabiliter ſervant. Dico etiam, ſunt motus in homine, qui microcoſmus dicitur. Alter eſt appetitus ſenſitivi, qui motus eſt hominis in quantùm eſt animal, & primus ordine naturæ, tum etiam rapidus: alius eſt appetitus rationalis, qui motus eſt hominis quatenus homo eſt,

eſt, ac priori contrarius, tum in ſe maximè moderatus. Jam verò cùm horum hominis motuum primus majorem Analogiam habeat cum motu primi mobilis, ſecundus autem cum motu Planetarum: idcirco Cœlum homini dividendum cenſuerunt ſecundum ſucceſſionem ſignorum, ſeu motum directum Planetarum, nam hi ſunt aliquando retrogradi & ſtationarii, ut appetitus rationalis quandoque in ſuo curſu fit retrogradus & ſtationarius dum ab appetitu ſenſitivo ſe rapi aut perverti ſinit. Sed id Analogica tantùm conſideratione factum eſt, & non ob aliquam cauſam Phyſicam, quaſi primi mobilis motus per ſe influeret in hominis appetitum ſenſitivum, & motus Planetarum per ſe in appetitum rationalem, cùm Planetæ quatenus proprio motu feruntur, tum ipſum primum mobile, per ſe influant in appetitum ſenſitivum, ſeu hominem quatenus animal eſt, non ſecus ac in cætera animalia ac viventia: At nec Planetæ, nec primum mobile per ſe influant in appetitum rationalem, ſeu hominem quatenus rationalis eſt, ob rationem ortam ex principio non naturali, ſed ſupernaturali. In illa tamen Analogia myſtica multa notatu digniſſima deprehendi poſſunt, ad ſalutarem mentis inſtructionem non parum facientia, atque hoc præſertim inter cætera: quod homini naſcenti, ac in ſui ortus prima cauſa ſpectato, hoc eſt Planetâ vel parte Cœli angulum orientis occupante, duæ ſtatim viæ occurrant, una appetitus ſenſitivi, qua motu primi mobilis illi Analogo per viam aſcenſionis & ſuperbiæ transfertur in domum duodecimam, quæ eſt omnium vitæ miſeriarum. Altera autem via eſt appetitus rationalis, qua motu Planetarũ illi Analogo, per viam deſcenſionis & humilitatis defertur homo in domum bonorum, ſeu divitiarum propriis virtutibus partarum, domum ſcilicet ſecundam, ex quibus ipſi homini evidenter manifeſtatur, utra ipſarum viarum ſit melior, quámque tutius ſit ipſi ſequi motum appetitus rationalis, quàm appetitus ſenſitivi, & hic humiliari quàm exaltari.

Ad quartam denique quæſtionem dico: Quod ratio cur quælibet domus ſuo nomine & non alio appellanda ſit in triplicitatum conſtitutione, diſtinctione & explicatione ſupra poſitis, luce meridiana clariùs eluceſcit. Quare finem facimus huic noſtro dè domibus Cœleſtibus conceptui: qui etſi planè novus & ante nos inauditus, attamen rationibus Phyſicis firmiter ſtabilitur, & à rebus altiſſimis ortum ducens ad eaſdem reducitur, eò tendens, ut inviſibilia Dei à creatura Mundi, per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciantur.

Caput VIII.

An ſi homo non peccaſſet, ſuperior Cœli diviſio & domorum ſingularum ſignificata, locum atque vim habuiſſent in rerum natura, ipſius hominis reſpectu.

Ardua ſanè primo intuitu videtur quæſtio hæc: præſertim ob domos 6, quæ eſt ſervorum: 10, quæ eſt dignitatum: 12, quæ eſt morborum cæterarumque afflictionum corporearum: tum denique 8. quæ eſt mortis: ſi quidem hæc omnia putantur à fœliciſſimo originalis innocentiæ ſtatu maximè aliena, tantúmque in peccati pœnam introducta. Unde D. Paulus ad Rom. cap. 5. *Per peccatum intravit mors in Mundum.* Ad hæc hominem in illo ſaltem innocentis ſtatu aſtris ſubjicere, ipſius ſtatus perfectioni, nec non hominis dignitati plurimùm repugnare videtur.

Nihilominus aſſerendum eſt, quod etſi Adam ejuſque poſteri non peccaſſent, ſuperior tamen Cœli diviſio ſubſtituiſſet, ſuumque in quolibet nato effectum ſortita fuiſſet, quantùm naturæ ſive corporibus Mundi Sublunaris rectoribus licuiſſet. Imò ipſum Adamum quamvis non Aſtrorum concurſu, ſed ſupernaturaliter productum, quo momento primum aeris ſpiritum hauſit, Cœleſtibus impresſionibus factum fuiſſe obnoxium, ut alter homo qui jam ex muliere naſcitur.

Hæc autem aſſertio tribus præcipuè modis comprobatur. Primò, quia poſt Adami peccatum non fuit immutata natura aut virtus Aſtrorum, ut quidem abſque ratione, vel authoritate fingere poſſent; abſurdè ſomniantes peccatum Adami, vel Deum ipſius peccati cauſâ totam pervertiſſe, vel depravaſſe naturam: nec ignem, exempli gratiâ, abſque peccato vim urendi noxiam habiturum fuiſſe. Siquidem ut Sol jam illuminat & calefacit, imò comburit, ita etiam ante peccatum idem præſtabat poteratque: Quæ ſi de lumine & calore Solis conceduntur, de influentiis multò magis concedenda ſunt, hæc enim ſunt Aſtrorum eſſentiales ac ſpecificæ proprietates, calor autem & lumen accidentia aſtris, igni, pluribuſque rebus Sublunaribus communia, quibus inter ſe non diſtinguntur ſpecificè.

Adde quod propter ipſum peccatum Planetæ ſaltem fœlicibus influentiis ſpoliandi fuiſſent, tum mel, vinum, fructus cæteraque edulia gratis ſuis ſaporibus, flores ſuavibus odoribus, ac univerſim mineralia, vegetabilia & animalia ſuis facultatibus ſpecificis, quibus vel ut alimenta, vel ut remedia homini prodeſſe potuiſſent. Cùm igitur experientia teſtetur hæc omnia remanſiſſe, ideoque talia qualia propter hominem ante peccatum facta fuerant, ut ſaltem adveniente peccato, ipſe homo ex Dei immenſa bonitate, & ſua ingratitudine magis confunderetur, pœniteretque: minimè putandum eſt, quod in corporibus Cœleſtibus ulla propter hominis peccatum facta ſit mutatio, ſed ipſo ex peccato, in ſola natura humana ſecuta eſt maxima depravatio & grandis ruina. Nec eſt quod objiciantur verba capitis 3. Geneſeos, ubi Deus hæc Adamo dicit. *Maledicta erit Terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, ſpinas & tribulos germinabit tibi*, &c. non enim hæc maledictio datur Terræ primò & per ſe, ſed labori vel operi Adami, Terra enim ante peccatum ſpinas & tribulos ex ſe produxiſſet, quòd horum ſemina Terræ inſint, ſed non in locis ubi ab hominibus culta fuiſſet, & hoc peculiari hominis privilegio, cujus operi Deus undique benedixit; nec ſimiliter dicendum eſt terreſtrem Paradiſum liberum extitiſſe ab Aſtrorum influentiis, cùm enim fuerit Terræ locus in quo Adam operari debuiſſet ex cap. 2. atque refertus fructiferis arboribus quibus maturandis Sol erat neceſſarius, nec non Luna: patet locum illum influentiis ipſo calore potentioribus non caruiſſe. Nec tandem in ſtatu innocentiæ hominem dedecebat, quod Aſtrorum imò Elementorum impreſſionibus foret obnoxius, quandoquidem Jeſus Chriſtus Dei Filius cunctis hominibus infinitè purior ac dignior, corpus ſuum à talibus impreſſionibus liberum eſſe noluerit, quamdiu viator extitit, ſed frigus, calorẽ & ſitim paſſus fuerit.

Pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Probatur ſecundo, nam ipſius diviſionis virtutes propriæ & effectus ſinguli in ſtatu innocentiæ ſubſtitiſſent, iis dumtaxat exceptis à quibus innocentiæ privilegio & beneplacito Dei immunis homo factus fuiſſet, ut in ſingulis triplicitatibus ſuperioris diviſionis ſic oſtendetur. Siquidem vitæ triplicitas illæſa extitiſſet, homo enim vixiſſet in ſe, in Deo, & in ſuis liberis, imò longè perfectius, quàm in ſtatu naturæ lapſæ.

Similiter triplicitas conjugii integra fuiſſet, homines enim matrimonium cõtraxiſſent, ac fratres, ſorores, alioſque affines habuiſſent, tum amicos peculiari benevolentiæ nexu devinctos: quod poteſt tum in Chriſto, qui particulares habuit amicitiæ inclinationes pro D. Joanne Evangeliſta, & Lazaro; tum etiam ratione, ſiquidem ex D. Thoma prima part. q. 96. artic. 3. neceſſariò in ſtatu innocentiæ inter homines aliqua fuiſſet diſparitas. Nam quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt, Rom. 13, ſed ordo maximè in diſparitate conſiſtit ex Auguſtino. Hæc autẽ diſparitas fuiſſet, Primò quantùm ad ſexum, quia ibi generatio fuiſſet, & quantum ad ætatem. Secundo quantùm ad animã ratione juſtitiæ, ſcientiæ, & liberi arbitrii, quoniam quiſque potuiſſet magis & minùs ſe applicare ad ſciendum & operandum. Tertio quantùm ad corpus, ratione melioris complexionis, pulchrioris, robuſtioris, &c. quia corpus humanum participaſſet magis & minùs vel talem Cœli influxum, vel tales naturæ cauſas. Hac igitur poſita corporum & animorum inæqualitate ex vario aſtrorum influxu, ut recte notat divinus Doctor, nullæ quidem ortæ fuiſſent inimicitiæ neque apertæ, neque occultæ propter ipſius ſtatus perfectionem, ſed ſinguli homines ſeſe mutuo amore perſecuti fuiſſent: at frequentes, ſolidæ veræque amicitiæ particulares contractæ fuiſſent; non modo inter ſimiles, quod eſt primum maximéq; neceſſarium amicitiæ fundamentum, ſed etiam inter diſſimiles, ut eodem art. de utroq; id teſtatur D. Thom. qui enim in virtutibus, ſcientiis, artibus, vel corporis dotibus excelluiſſent, non ſicut hodie quorumdam invidiæ vel odii objectum extitiſſent, ſed amoris & benevolentiæ omnium, & vir heroica præditus temperantia aut juſtitia, etſi ſcientiis non addictus, virum tamen ſcientia eminentem maximè dilexiſſet, idque viciſſim, ideoque conjunctionis triplicitas propriis effectibus ex toto fœcunda fuiſſet.

Jam verò pro reliquis triplicitatibus occurrit occaſio dubitandi: nam ſi triplicitas actionis & boni mundani inde prodeuntis locum habuiſſet in ſtatu innocentiæ, inde ſequi videtur quod hominum alii aliis præfecti, hi verò illis ſubditi extitiſſent, & utrique comparandis ſibi divitiis incubuiſſent, quæ videntur contrariari ipſi ſtatui maximè libero, & in quo omnia fuiſſent communia.

Verùm dupliciter reſponderi poteſt. Primò, quod etſi nulli fuiſſent præfecti neque ſubditi, tamen triplicitas ipſa ſubſtituiſſet: hæc enim ſpectata in ſua ſimplicitate eſt dumtaxat actionis & boni mundani cujus gratiâ laboratur, quod triplex eſt, immateriale, materiale ſenſitivum, & materiale inſenſitivum. Domus autem 10. eſt de ipſis actionibus & bono immateriali quales ſunt profeſſio atque artes. Jam verò in ſtatu innocentiæ homo multò minùs quàm hodie fuiſſet otioſus, ſed egiſſet corpore & animo juxta propriam indolem: itaq; ex decima de ipſarũ actionum qualitate & ſucceſſu, tum de artibus & magiſterio in quas homo propenderet, innotuiſſet. Et quia dominabatur homo animalibus, vegetabilibus & mineralibus, circa hæc operatus fuiſſet proprii vel communis commodi causâ: cúmque actionum ſuarum fructus ad ipſum jure naturæ pertinuiſſent; idcirco educatis animalibus, excultis arboribus frugiferis, atque Planetis, nec non arte factis ſupellectilibus, ex metallis, lapidibus, lignis, tum picturis & ſimilibus tanquam legitimus eorum dominus abundare potuiſſet, cum vera ſpiritus paupertate, & erga proximum charitate, ſordidæ avaritiæ ne quidem umbrâ inter homines visâ: Sylveſtres enim Indi apud quos Terra communis eſt, hoc ferè vitæ genus ſimplex naturâ duce ſecuti ſunt. Sicque adfuiſſet etiam bonum materiale ſenſitivum, & materiale inſenſitivum, ac proinde tota actionis & boni mundani, ſive lucri triplicitas. Reſpondeo, 2. cum D. Thoma qui nobis hac in parte omninò favet art. 4. Quod cùm hominis conditio in illo innocentiæ ſtatu non eſſet nobilior conditione Angelorum, inter quos alii aliis præficiuntur, etiam inter homines fuiſſent alii aliis præfecti atq; dominantes quatenus dominium refertur atque cedit in bonum & gaudium, non autem in malum vel pœnam ſubditorum. Siquidem ait divinus Doctor, *homo eſt naturaliter animal ſociabile, ſed vita ſocialis multorum ſtare nequit, niſi præſit aliquis qui ſcientia communis boni polleat & curam ſuſcipiat, atque fuiſſet inconveniens, ſi qui excellunt arte, ſcientia, & juſtitiâ, his in aliorum utilitatem non uſi fuiſſent.* His addo quod homines in illo ſtatu potiſſimùm Deo laudando & honorando, ac ſcientiis, artibus liberalibus excolendis vacaſſent, & quamvis nulli tunc nati fuiſſent reprobi, ut jam naſcuntur, ob ſententiam latam in mulierem Geneſ. 3. *Multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos*: nihilominus fuiſſet tantus prædeſtinatorum numerus ſuper faciem Terræ expanſus, maximè ob hominum longævitatem, ut in diverſis regionibus templa magnificentiſſima forent extruenda, & viri præ cæteris idonei ſacris præficiendi: ideoque ex hominibus permulti ad honores evecti fuiſſent.

Neque enim calliditas, hypocriſis, aurum, promiſſiones, arma, cæteræque artes nefariæ quoſdam homines ad præfecturas, vel principatus extuliſſent, ſubditis dumtaxat devorandis intentos, ut inde pingueſcant, aut iis exilio, carceribus, nec igne tradendis, ut aliis terrori ſint, valeantque divinas humanaſque leges, pro libitu ſuſque deque impunè vertere, ſpreta juſtitiæ & virtutis omni ratione, ſed virtutis aut ſcientiæ ſplendor publico aſſenſu & gaudio, viros inclytos ad honores & dominia promoviſſet, qui ſe totos ſuaque ſubditorum utilitati, abſque proprii commodi reſpectu liberrimo amore devoviſſent: adde quod ipſe Deus plerumque viros ſibi chariores elegiſſet, quos aliis in re aliqua præfici mandaſſet. Nonne in Hierarchia Cœleſti, ſpiritus alii aliis præficiuntur?

Sic igitur domus decima præfecturæ, vel Dominii ſignificato non fuiſſet deſtituta: & quia æquum & juſtum eſt, ut qui non ſibi ſed aliis laborat, viciſſim habeat, qui ſibi de neceſſariis provideant, ei ſubditorum obſequia citra ſervitutem nec munera defuiſſent, non obſtante bonorum communione, quòd nempe ſingulis complacuiſſet digniores homines dignioribus rebus, arte, cultura, educatione, vel inventione accidentibus honeſtare. Indeque factum fuiſſet, ut homines cæteris præfecti vel excellentiores, muneribus ſem-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

per abundaſſent, prompti nihilominus illa in alios effundere, ſicque domus ſexta quæ eſt ſubditorum, nec non ſecunda quæ eſt bonorũ naturalium, proprio labore aut merito partorũ repleta fuiſſet. Ideoque tota hæc triplicitas integrè perſtitiſſet.

Supereſt ultima triplicitas cæteris apparenter in ſtatu innocentiæ intolerabilior, quippe triplicitas paſſionis initio vitæ, durante vitâ, & in fine vitæ, quæ complectitur domos 4. 12. & 8. Verùm nemini dubium eſſe poteſt quod natus initio vitæ paſſus fuiſſet à ſuis parentibus, tanquam effectus à ſuis cauſis efficientibus: omnis ſiquidem effectus, ut ſic, rationem habet patientis, quamobrem hic diutius hærendum non eſt.

Sed gravius urgent paſſiones durante vita, atq; in fine vitæ. Nam D. Auguſt. lib. 4. de civit. Dei cap. 10. & alibi, vult Adamum nihil unquam mali paſſurum fuiſſe, ſi per mortale peccatum non excidiſſet à ſtatu innocentiæ; & D. Thomas prima parte q. 97. art. 1. & 2. vult hominem in ſupra dicto ſtatu fuiſſe impaſſibilem & immortalem, ejuſque ratio eſt, quia ſi fuiſſet paſſibilis, fuiſſet etiam corruptibilis atque mortalis: At ex D. Paulo ſupra citato, *per ſolum peccatum intravit mors in Mundum.* Cæterùm nonnulla videntur hic præmittenda, exponenda atque diſtinguenda.

Primum, quod homo non fuiſſet immortalis, per naturam, ſed dumtaxat per donum gratiæ, ut fatetur D. Thomas art. 1. & confirmat D. Auguſt. lib. 9. nov. & vet. Teſtam. q. 19. dum ait, *quod fuiſſet immortalis per vim divinitus datam*, quæ vis non erat alia, quam ligni vitæ, unde idem Auguſt. lib. 14. de civ. c. 26. ait. *Cibus aderat homini ne eſuriret, potus ne ſitiret, lignum vitæ ne illũ ſenectus diſſolveret:* omninoque confirmatur ex cap. 3. Geneſeos, ubi *Deus ejecit Adam de Paradiſo voluptatis & collocavit cherubim & flammeum gladium verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ: ne fortè Adam poſt peccatum ſumeret de ligno vitæ, & comederet & viveret in æternum.* Quippe vires ſuas ætate & Elementorum actione labeſcentes renovando reſtituendoque, virtute ipſius ligni vitæ, quoties illi fuiſſet opus, non igitur corpus hominis naturâ erat immortale, ſed gratiâ, quâ per peccatum amiſsâ intravit mors in Mundum.

Secundum, quod cùm homo ex ſe mortalis eſſet, & dumtaxat per gratiam immortalis, tandem pro viſione Dei beatifica ad quam creatus erat, tranſlatus fuiſſet ad vitam ſpiritualem, & per ſe impaſſibilem ac immortalem, citiùs aut tardiùs, prout Deo placuiſſet, vel homo Dei amore & deſiderio flagraſſet ardentiùs.

Tertium, quod homo neque hoſtes habuiſſet occultos aut manifeſtos, neq, carceribus, exilio, ſervituti, ærumnis, ſimilibuſque miſeriis & paſſionibus fuiſſet obnoxius, quæ ſunt peccati pœna, ſed neque etiam morbis, quòd nempe morbi hominibus jam accidant, non modò propter peccata præſertim gulæ & luxuriæ, ſed maximè ob ipſius hominis ignorantiam: jam enim neque ſuas internas diſpoſitiones novit, neq; vires cauſarum externarum, quippe Elementorum & Aſtrorum, nec futuros effectus ex utrarumq; concurſu, neque imminentia fortuitò vel caſu pericula, ideoque in morbos, vulnera & mortem frequenter incidit. At in ſtatu naturæ perfectæ, hæc omnia optimè noviſſet, prævidiſſet, & prudenter devitaſſet: ideoq; nullo morbo correptus fuiſſet: non tamen propterea impaſſibilis extitiſſet, vel ab omni paſſione aut alteratione liber, quod ex eo probatur evidentiſſimè, quia alioquin ligno vitæ ad reparandas vires naturales nunquam indiguiſſet, fuiſſetq; lignum illud ſuperfluum. Adde quod talis impaſſibilitas non pertinet ad ſtatum naturæ, ſive integræ, ſive lapſæ ſed ad ſtatum gloriæ. Itaq; calorem, frigus, laſſitudinem, famem ſitimq; paſſus fuiſſet, ut cætera animalia, ideoque interdum refrigerio fluminis, vel umbra arborum, vel potu aquæ frigidæ, aliàs Solis vel ignis calore, frequentius autem ſomno, cibo atque potu iudiguiſſet: non enim ſine neceſſitate ediſſet vel bibiſſet, nec ſuam neceſſitatem ſine aliquo ſenſu eognoviſſet, nec propterea illam corporis alterationem, viriumq; imminutionem à corporibus Cœleſtibus & Elementis evitaſſet, propter quæ reparanda recurrendum foret ad lignum vitæ, quod erat ſuprema & Catholica hominis Medicina. Neque ſupradicta ſunt in peccati pœnam; cùm ipſam hominis naturam comitentur; ſed peccati pœna eſt, vel ad ipſa idoneis carere remediis, vel illa ignorare, quod in illo ſtatu non contigiſſet, ideoque à morbis ſemper immunem ſe conſervaſſet. Ad hæc temperantia & fortitudo virtutes eximiæ, fuiſſent in uſu inter homines, ob amorem Dei & utilitatem proximi, quod fieri non potuiſſet ſine aliqua paſſione & virtuoſa tolerantia.

Ex dictis igitur notando primo & ſecundo, hominis vitæ hujus terminus erat conſtitutus, in aliamque vitam tranſire debebat priore depertita, ac proinde pati in fine hujus vitæ, ſiquidem talis immutatio ſinè paſſione concipi nequit, fuiſſet autem ipſa immutatio ſine corporis & animæ ſeparatione, quæ propriè mors dicitur, de qua loquitur D. Paulus, ſed ſimilis immutationi quæ Chriſto accidit dum ſine morte transfiguratus eſt in Monte Thabor. Ex ſecundo autẽ notando conſtat, quod hac durante vita etiam multa paſſus fuiſſet, & ſi non ea mala quæ jam hominibus vel ob proprium peccatum, vel ob aliorum malitiam, vel ob ignorantiam, vel ob caſum eveniunt, ſed ſi manum ſuam igni ultro appoſuiſſet, proculdubio ſe combuſiſſet, nec animæ ſuæ virtute paſſionem hanc prohibere potuiſſet, ut D. Thomas opinatur ſupradicto art. 2. hoc enim erat ſupra naturam cauſarũ agentium & patientium, alioquin ligno vitæ nunquam indiguiſſet, ſed ſola virtus animæ ad immortalem vitam ſuffeciſſet. Proindeque tota paſſionis triplicitas in ſtatu innocentiæ locum habuiſſet. Nec homo etiam ex D. Thoma ſupra citato ab Aſtrorum influxu immunis extitiſſet.

Quod autem Adamus etſi à Deo ſolo productus Aſtrorum influxui ut cæteri homines ſubditus foret, ut à principio aſſeruimus, hinc conſtat; quia initio vitæ paſſus eſt à Deo, ut effectus à ſua cauſa, cætera autem omnia fuiſſent ei cum reliquis hominibus communia. Nam cùm eſſet eadem natura humana, ſi cæteri homines fuiſſent Elementorum & Aſtrorum impreſſionibus obnoxii, ut ſupra oſtendimus: cur non Adamus? aut ſi hic liber, cur non cæteri? verum ex Geneſis cap. 3. perſpicuè ſolvitur difficultas ſi hac in re opus fuerit authoritate. Nam lignum vitæ non alio fini ipſi Adamo gratis datum fuerat, quam ut ſuæ conſtitutionis ſuarumque virium ruinas ab Aſtris &

Ele-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Elementis cauſatas repararet, ſicque immortalem ſeſe conſervaret quamdiu Deo placuiſſet, alioquin vitæ lignum eidem ſuperfluum extitiſſet, ut jam ſupra de cæteris hominibus dictum eſt. Hinc verò maximè confirmatur, quod de natis viâ naturæ ordinariâ non ſit judicandum Aſtrologicè ex figura Cœleſti ad momentum conceptionis erecta: ſed ad momentum nativitatis, quo natus ipſe prima aeris inſpiratione vim Cœleſtis conſtitutionis excipit, & ea tanquam mollis cera ſigillatur: proindeque paululum retardato, vel accelerato ipſo nativitatis momento inſignia bona nato procurari, ingentiaque mala ab eodem averti poſſe.

Dicet aliquis ſuperiora quidem vera eſſe de paſſionibus corporeis, ſed difficultatem præcipuam verſari circa pravas animæ propenſiones in gulam, luxuriam, iram & cæteras quibus ab aſtrorum influxu homines jam fiunt obnoxii, non ſecus ac animalia bruta.

Cæterùm hoc certum eſt, quod in ipſo ſtatu naturæ integræ, homines formâ, temperamento, & moribus ſive propenſionibus naturalibus inter ſe ut jam ſunt differentes fuiſſent, idque teſtatur D. Thomas ſupra citatus. Præterea non aliæ jam inſunt aſtris influentiæ, quàm quæ iiſdem inerant ante peccatum, quod eorum naturam non immutavit, ſicut nec Elementorum. Jam verò *idem manens idem ſemper facit idem in eodem*; cùm igitur humana corpora & aſtra eis dominantia tunc eadem fuiſſent quæ nunc ſunt, etiam eædē ab aſtris impreſſæ fuiſſent natis propenſiones quæ nunc imprimuntur, ſive bonæ, ſive malæ. Idque patet ex Eva, de cujus appetitu ſenſuali dicitur: *Vidit igitur mulier quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile*: etiam priùs quàm conſentiret & comederet. Unde ejus in gulam propenſio convincitur, quæ Diabolo innotuit.

Tota igitur differentia inter utrumque ſtatum hæc fuiſſet. Quod in ſtatu naturæ integræ ſenſualitas rationi ſemper obedivisset, cùm jam rationi reluctetur & ſæpius dominetur: atque illud ſibi ſuæque poſteritati Adamus promeruiſſet ex Divina gratia, ſi ipſe non peccaſſet. Attamen unicuique cum Diabolo & propria ſenſualitate certandum fuiſſet. Tum quia nec Adam, nec Eva, nec ipſe Dominus Jeſus ab eo certamine immune fuere, Chriſtus enim eſuriens tentatus eſt: tum quia unuſquiſque ſaltem de congruo vitam æternam promereri debeat quantùm in ſe fuiſſet. Tum denique quod Diabolus ex ſibi conceſſa permiſſione, nullum hominem intentatum reliquiſſet, etſi in nullum prævaluiſſet; unumquemque verò in iis tentaſſet ad quæ ex natura propenſior extitiſſet.

Ex his patet quàm malè Junctinus ſolvat Objectionem 24. in ſua Aſtrologorum defenſione, dum illi objicitur, quod niſi Adam peccaſſet, non fuiſſet domus octava, quæ eſt mortis, eo quòd aſtra jam eandem habeant influentiam quàm ante peccatum Adæ habeant. Reſpondet enim cum magiſtro ſententiarum in 4. diſt. c. 48. aliiſque Theologis, *Cœlum non eſſe nunc æqualis virtutis ſicut in principio creationis; & lucem Solis & Lunæ aliorumque ſyderum percuſſa & minorata fuiſſe per peccatum primi hominis, ante quod lucebant aſtra ſeptuplo plus quàm jam luceant*; quæ ſunt mera figmenta: nullo Scripturæ loco, nullique rationi Phyſicæ conſona, pace dixerim illorum Theologorum quorum authoritati de Phyſicis abſque ratione credendum eſſe non cenſeo, cum Theologi rerum Phyſicarum præſertim Cœleſtium ſcientiam accuratam, aut ſpernentes, aut ſegniùs excolentes, in maxima de rebus ipſis tractando, abſurda frequenter labantur, & ex his ut principiis aſſumptis, in falſa Theologiæ dogmenta, ut paſſim videri eſt in libris Scholaſticorum. Quamobrem plurimùm refert ad Theologiam Scholaſticam non admittere, niſi qui res Phyſicas probè calluerit, aut ſaltem hujuſmodi Theologos res Phyſicas ſcrutari penitiùs, antequam alios ſuſcipiant erudiendos. Et hoc eſto meum ad Theologos monitum.

SECTIO II.

De erigendis figuris Cœleſtibus Aſtrologicis.

CAPUT I.

Aſtrologicarum domorum ſex eſſe ſupra Terram & ſex infra.

QUemadmodum Lib. 14. Cœlum in dodecatemoria dividendo naturam ducem ſecuti ſumus: ſic jam ad diviſionem ejuſdem Cœli in domos Aſtrologicas ipſiuſmet naturæ diviſiones primæ, nobis erant obſervandæ atque ſequendæ, ne aberremus, & chimerica dumtaxat, falſaque vel dubia pro veris & certis more Veterum tradamus poſteritati; quippe Veteres hac in re totius Aſtrologiæ præcipua & fundamentali, adeò ſegnes extitere, ut adhuc contra vertatur de modo quo Ptolomæus figuram erexerit, iſque à diverſis diverſimodè exponatur.

Primùm itaque jam inter omnes ferè convenit Aſtrologos, aſſentiente Ptolomæo Lib. 3. quatrip. cap. 12. domorum Aſtrologicarum 6. ſupra horizontem verſari, & 6. infra; cui opinioni etſi repugnent Veteres qui modum æqualem ſequuti ſunt, dividentes Cœlum circulis per polos Eclipticæ & duodecimas Zodiaci partes traductis: tum Alcabitius & Saxonia horumque ſectatores idem Cœlum partientes circulis per polos Æquatoris tranſeuntibus, unde ab his & illis ſingulæ domus ſunt partim ſupra & partim infra horizontem, niſi dum his accidit polum Æquatoris, illis vero polum Eclipticæ in horizonte reperiri: tamen hanc litem diurnam dirimet natura ipſa à tot Aſtrologis nondum, ut par erat cognita.

Itaque natura totum Mundi ſpatium totumque Cœlum diſpeſcit priùs in duas partes æquales, circulo maximo quem horizontem, ſive finitorem appellant, ac earum altera apparet tota ſupra Terram, altera verò ſub Terra latet etiam tota. Eſtque prima hæc diviſio maximè conſpicua, tandemque cauſat virtutis differentiam reſpectu Terræ ejuſque incolarum, ut quamdiu aſtra morantur ſub horizonte noſtro, ſuis ſaltem qualitatibus Elementalibus nequaquam nos afficiant, ut patet ex Sole, qui nos ſub Terrâ prolapſus non calefacit, influentialibus verò debiliùs, quàm dum ſuper horizonte verſantur, ob Tellurem interpoſitam, cujus denſa ſoliditas influentiæ vim minimè infinitam non parum obtundit.

Porro ſi poſt generalem illam naturæ diviſionem, Mundi ſpatium, vel Cœlum ſit hominis reſpectu in domos Aſtrologicas partiendum, con-

ſtat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ſtat ex domorum cabala, quod ipſi homini aliæ Cœli partes oriri debent, aliæ culminare & alii occidere. At ubi nullus eſt meridianus, ibi nulla Cœli pars oritur, culminat, vel occidit, nec datur oriens vel occidens, aut ullum punctum à quo diviſionis initium jure ſumi queat, ut contingit ſub Æquatoris polo. Igitur ad Mundanum ſpatium, vel Cœlum in domos Aſtrologicas dividendum, non ſufficit circulus Horizontis; ſed omninò etiam requiritur meridianus traductus per Æquatoris & Horizontis polos à ſe utcumque diſtantes: jamque hi duo circuli totum Cœlum in quatuor quadrantes æquales dividunt, quorum duo ſuper Terram, & duo ſub Terra, tum duo aſcendentes, & duo deſcendentes, ut ſitu, ita virtute differentes: ex quatuor enim ſphæræ circulis Ecliptica, Æquatore, horizonte, & meridiano, in quibus præcipua Cœli vis elucet: duo priores quia ſunt merè Cœleſtes (contra mentem Copernicanorum) virtutem merè Cœleſtem & univerſaliſſimam, hoc eſt nullius Terræ loco addictam ſibi vendicant. At in poſterioribus quia ſine Cœlo & Terra concipi nequeunt, ſed utrumque connectunt, ea vis efficaciſſima deprehenditur, quæ ex Cœli & particularis Terræ loci connexione naſcitur. Quocirca ad Cœlum reſpectu particularium Terræ locorum dividendum illos eſſe deſtinatos, natura ipſa indigitat; eorumque vires in ipſis locis adeò evidenter manifeſtat, ut Jo: Francus Offuſius, qui adverſus Aſtrologiam ſcripſit, Aſtrorũ virtutum & effectus in ortu, occaſu, medio & imo Cœli maximè ſemper miratus ſit, & eorũ cauſam ſe ignorare confeſſus fuerit ingenuè.

Igitur horum duorum circulorum quatuor hemicycli, quatuor prædicta ſpatia includentes ſic viribus diſtinguntur, ut qui eſt in oriente præſit ortui rerum, qui in medio Cœli, earum vigori, qui in occaſu, declinationi, & qui in imo Cœli, interitui earumdem: idque univerſim in cunctis naturaliter generalibus & corruptibilibus, ut dictum eſt in cabala ſupra expoſita. Quamobrem Cœlo ſic ex neceſſitate diviſo ab illis duobus circulis in quatuor quadrantes, quorum duo ſunt ſupra Terram, & duo infra, omnino natura indicat, quod illius ſubdiviſio in minutiores partes pro homine, cui præter generalia illa, multa etiam alia propria ſunt, ut dignitates, religio, ſervi, &c: continuari debeat quadrantum ipſorum ſubdiviſione, circulis traductis per ſectiones horizontis & meridiani. Tum quia natura manifeſtiſſimè ipſam diviſionem ejuſque viam per illa puncta exhibet, & non per ulla alia; tum verò maximè quia ſi fiat per alia puncta, jam vel nulla erit horum circulorum virtus in figura, quod dici non poteſt, cùm & Aſtrologorum authoritate & experientiâ quotidianâ præ cæteris cenſeatur maxima: vel dabuntur in ipſa figura duo alii fictitii circuli, nomen virtutemq; horizontis & meridiani falsò uſurpantes, quod erit abſurdum, aut majoris virtutis, quod erit abſurdius, vel denique æqualis, quod ſuperfluum eſſet. Non ergo Cœlum vel Mundanum ſpatium in duodecim domos per alia puncta dividendum eſt, quàm per ea quæ ipſa natura nobis ſectionibus meridiani & horizontis ubique Terrarum indicavit. At eo pacto ſemper erunt domus 6. ſupra horizontem & totidem infra: conſtat igitur veritas initio capitis propoſita.

Inde autem duo ſequuntur inter alia hic animadvertenda. Primum quod in terræ locis Mundi polo exactè ſuppoſitis, vel nihil naſcatur, quia ibi nullus eſt Cœli ortus vel occaſus, proindeq; nullius rei poteſt ibi eſſe ortus, vigor, declinatio & interitus, vel ſi quid ibi naſcitur, monſtroſum ſit ac inordinatum ſpuriumque neceſſe eſt, quod influentiæ ibi omninò confundantur. Secundum, quod qui ſub Æquatore degunt, totius Cœli fruuntur viribus & influentiis, quia ipſis totum Cœlũ oritur & occidit, ſub polis dumtaxat una Cœli medietas perpetuò eſt ſuper horizontem, reliqua ſemper latente: qui tandem in ſphæra obliqua degunt, hi ſe habent medio modo, ſed ejus extremi ſortem magis participant, cujus & ſitum. Inde verò fit, ut ſub Æquatore fieri queant generationes omnimodæ animalium & vegetabilium & mineralium, ſub ipſis polis nullæ, vel dumtaxat ſpuriæ atque monſtroſæ: At in ſphæra obliqua eò plures fiunt generationes, quò propinquius ad Æquatorem acceditur, eoque pauciores quo propinquius ad polum, prout ſcilicet plus aut minùs de Cœlo aſcendit ſuper horizontem.

His verò ſic expoſitis videndum ulterius, qua ratione Cœli vel Mundani ſpatii diviſio abſolvenda ſit: ſi quidem hac de re diverſæ ab Aſtronomis inventæ ſunt methodi, & tanti momenti controverſiam nemo hactenus diremit. Etſi enim ſupra dixerimus ſubdiviſionem continuandam eſſe circulis traductis per ſectionem horizontis & meridiani, tamen docendum eſt inſuper quâ ratione id fieri debeat, aliæque methodi explodendæ.

Caput II.

Quo modus æqualis veterum pro Cœli diviſione in domos Aſtrologicas peculiari ſubjicitur examini, atque rejicitur.

INter varias methodos ab Antiquis traditas, pro Cœli diviſione in domos Aſtrologicas, hæc ideo peculiariter nobis videtur examinanda, quòd ab Antiquis maximè fuerit exculta, ad noſtra uſque tempora, ita ut Cardanus per 100 genituras illo modo exſtructas Aſtrologiæ veritatem oſtendere contenderit, ſintque adhuc nonnulli qui Joannis Regiomontani methodo verè rationali ſpreta ſuperiori modo æquali adhærendum eſſe cenſeant.

Vocatur autem æqualis, quia Eclipticam, ideoque totum Cœlo in 12. partes æquales dividit, circulis per ipſius Eclipticæ polos traductis; initio ſumpto ab eo Eclipticæ puncto, quod in horizonte ortivo verſatur, quo momento temporis figura Cœli eſt erigenda. Quod autem modus hic à veritate ſit alienus & rejiciendus, probatur rationibus ſubſequentibus, nondum antea debitè animaverſis vel expoſitis.

Primò. Quia domus quælibet rurſus dividitur per horizontem: ita ut ſingularum pars altera ſit ſupra, & altera infra horizontem, excepto dumtaxat caſu unico, dum nempè acciderit polum Eclipticæ reperiri in interſectione horizontis & meridiani: At ex cap. 1. nulla domus ſic dividenda eſt; ſed quælibet tota eſſe debet ſupra vel infra horizontem, ne ſingularum natura depravetur per ſitum bipartitum. Adde quod Ptolomæus vult ſuum Aphetam eſſe in domo ſuperterranea, & non in ſubterranea, prima domo excepta. Siq; do-

mus

mus ſingulæ eſſent partim ſupra, partim infra Terram, quantus requireretur calculus ad determinandum id cujuſque domus, quod eſt ſupra & quod infra Terram.

Secundò. Quia ratio, experientia & Aſtrologorum conſenſus teſtantur, cujuſque domus principium eſſe punctum ipſius domus robuſtiſſimum, vel efficaciſſimum; indeque ipſius domus vim proprietatemque ſic continuò remitti, ut in 5. ultimis gradibus vix ſit obſervabilis, potiuſque ad ſequentis domus naturam declinet: ac per conſequens in modo æquali principium decimæ domus tale debebit eſſe pro actionibus, Magiſterio, & dignitatibus; quod tamen adeò falſum eſſe probat experientia: ut modi hujus ſequaces ſemper coacti fuerint, notare Eclipticæ punctum verſans in medio ſive corde Cœli, tanquam pro illis ſignificatis validiſſimum, ex eoque judicare, illudque dirigere; quamvis in ipſo modo æquali frequenter accidat, tale punctum eſſe principium undecimæ domus ad quam talia ſignificata minimè pertinent, quòd ſcilicet principium decimæ domus non cadat in medium Cœli, ſed citra vel ultra, niſi dum aſcendit principium Arietis aut Libræ. Gradus autem inchoans decimam domum in modo æquali, non ſolet dirigi, ab hujus methodi fautoribus; exceptis Cardinalibus Zodiaci punctis. Jam verò ſi hæc occurrit abſurditas pro decimæ principio: Ergò proportionaliter occurret pro medio atque fine. Ac ſimiliter pro ſingulis aliis domibus, ſolo dumtaxat excepto primæ principio, vel Horoſcopo: Si enim modi æqualis fautores, obſervant cor Cœli vel cuſpidem decimæ, juxta rationalem modum; cur idem non fiet pro cæteris cuſpidibus? Ac ſi gradus Horoſcopi efficax eſt in directionibus, cur eſt inefficax decimæ gradui in modo æquali, ſed recurrendum eſt ad gradum medii Cœli? Sic igitur diviſio illa ſeipſam deſtruit, & veros Planetarum ſitus pervertit, prorſùſque vana efficitur. Nec obeſt quod interdum vera Prognoſtica ſubminiſtret; cùm nulla ſit methodus dividendi Cœli adeò erronea, quæ aliquando Planetas non habeat in eadem ſpecie domo, cum vera & rationali methodo, proindeque circa idem in prognoſi concurrere queat, ratione ipſius domus ſignificati.

Probatur tertiò. Quia ultra circulum articum figura erigi nequit juxta modum hunc, dum Ecliptica coincidit cum Horizonte, quod ſemper alicubi accidit in zonis frigidis. Detur enim ratio valida experientiæ juncta, cur unus Eclipticæ gradus potius quàm alter pro Horoſcopo ſit aſſumendus.

Cæterùm erroneam eſſe methodum illam æqualem, probatur multò evidentius experientiâ figurarum genethlicarum, inter quas aliquot dumtaxat eligemus, in quibus error ipſe fiet maniſeſtiſſimus.

Prima erit Cardani Aſtrologiæ principis, qui etiam Lib. 100. geniturarum aſſerit ſe circa illam plus quàm 30. annis laboraſſe. Accidit autem Cardano, ut priùs longoque tempore modum æqualem ſupradictum excoluerit, ut conſtat ex illo Libro 100. geniturarum juxta modum ipſum erectarum; inter quas reperitur hæc etiam figura cum eodem planè Horoſcopo: ſed ☽ reperitur in undecima domo quæ inchoat à 6. gr. 10'. Piſcium: itaque Luna in undecima domo ex virtute ipſius ſitus, erat ad cauſandos & ſignificandos amicos determinata: ex Lib. 21. Sect. 2. & quia ♃ ratione dominii & Sextilis aſpectus ad idem determinabatur; eratque in Horoſcopo, Luna autem in Sextili Horoſcopi atque Jovis quibus exaltatione dominabatur: Multi ac utiles amici inde ſignificabantur: ac præſertim mulieres ob Lunam & Jovem in ſignis fœmininis, eaſque magnæ authoritatis ob Lunam. At Cardano nihil horum accidit, ut patet ex proprio de ſua genitura judicio: titulo de amicis & inimicis, cujus ſingulas partes refellere nimis tædioſum, & ſuppoſita doctrina noſtra ſuperfluum eſſet. Mihi nempe ſufficit ex illo in propria cauſa judicio aſſumere, quod non obſtante ſupra dictis Lunæ & Jovis ſitu, dominio & aſpectu de paucitate contemptu & infidelitate amicorum conqueratur, ac de copia inimicorum occultorum & invidorum, quorum calumniis & accuſationibus fuit expoſitus; nullamque magnatum dominatum benevolentiam citet, ſed duntaxat duorum illuſtrium Scotorum poſt annum ætatis 47. ob peculiarem aliquam nativitatum affinitatem. Itaque quoniam ſuperior Jovis & Lunæ conſtitutio multò plures pollicebatur amicos & benefactores: igitur vel corruit veritas Aſtrologica, vel Luna non debuit eſſe in principio undecimæ domus, nec Jupiter dominus undecimæ, ſicque neuter ſignificator amicitiarum, ſed potiùs debuit eſſe Luna in principio duodecimæ, ut illi morbos graviſſimos, inimicos occultos, pluraque alia ingentia mala fortiter cauſaret atque ſignificaret, quæ ſe pertuliſſe teſtatur.

Quod autem res ſic ſe habeat, probatur ex ipſo Cardano in fine quadripartiti, ubi tandem mutata de modo æquali opinione, ac duodecim explicans Geneſes juxta modum rationalem extructas, ſuamque inter alias, cujus figura hic apponitur, cum locis Planetarum ſupputatis ex tabulis Rudolphinis, invenit neque Lunam eſſe in undecima domo, ſcilicet amicorum, ſed in duodecima, nempe morborum, inimicorum occultorum, ac in ſumma omnis miſeriæ & paſſionis corporeæ, quam natus durante vitâ patitur: Neque Jovem eſſe dominum undecimæ, ſed duodecimæ, proindeque non amicorum ſed inimicorum morborumque ſignificatorem. Atque hæc figura ſive Cœli in duodecim domos diviſio, Cardani accidentibus quadrat.

Nati-

Nativitas Hyeronimi Cardani.



Latitudines			
♄	1.	28'.	M.
♃	1.	30.	M.
♂	0.	45.	M.
♀	0.	46.	S.
☿	3.	11.	M.
☽	4.	28.	M.

Primo enim Luna reperitur hic domina quartæ, quod tamen non fuiſſet in modo æquali: ſicque eſt parentum ſignificatrix, præſertim verò matris ob naturam propriam, ſignumque fœmininum quod illa occupat: cùm ergo ipſa ſit in domo duodecima, ac potens in Horoſcopo, ſed læſa quadrato Martis ferè partili, Iove etiam domino duodecimæ & octavæ Horoſcopum occupante. Patet evidenter ratio cur ex parte matris ingens vitæ periculum ſit paſſus initio vitæ: dum ex illius utero fuit violenter extractus quaſi mortuus.

Inde verò primis menſibus peſte, poſtmodumque hydrope fuit correptus, quorum accidentium Cardanus nullam cauſam affert, cum tamen à Luna rurſus afflicta contigerint. Nam Saturni quadratus eſt in eodem fere poſitionis circulo cum Luna ob latitudinem meridionalem ipſius Lunæ, ideoque hæc fuit maleficorum quadratis valde infortunata, & primis menſibus directione pervenit ad quadratum Saturni, juxta figuram Cardani, non autem anno octavo, ut ipſe putavit ob neglectam Lunæ latitudinem. Cumque Sol in 6. morborum quoque ſignificator, motu annuo attigit Lunæ locum menſe Februario poſt nativitatem proximo, peſſimè affectus fuit quadratis Saturni & Martis huic conjunctorum circa undecimum gradum ♊: ideoque fuit hoc tempus illorum morborum: at dyſenteria ad mortem uſque anno ſeptimo completo fuit à directione Martis domini duodecimæ, ac oppoſiti octavæ ad corpus Saturni; cujus arcus eſt 7. gr. 26'. non autem à directione Lunæ ad quadratum Saturni, ut Cardanus opinabatur. Duplex autem tertiana anno 1528. fuit à directione Horoſcopi ad Martem, ut vult etiam Cardanus, & fluxus urinæ terribilis & ſtupendæ durationis. contigit à directione Horoſcopi ad Saturnum. Itaque thema Cœleſte Cardani non quadrat modo æquali, ſed rationali, ut patet ex ſupra dictis.

Poſt Cardani genituram noſtra videtur ſubjungenda, quòd utrique Cœlum ſit ferè eodem modo diſpoſitum, & uterque noſtrum fuerit Medicus Aſtrologus & ad famam ſcriptis comparandam natus. Eſt autem Geneſis hæc inter cæteras illuſtris, & clara malis, ob illuſtrem illum Planetarum concurſum in miſeriarum valle, quippe domo duodecima juxta modum rationalem, omnes autem Marte excepto convenerant in duodecima domo figuræ Novilunii, quod pridie nativitatis meæ celebratum eſt, ut patet in ipſa figura prius hic apponenda; quæ aliunde ex plejadibus in Horoſcopo & conſtellatione Cygni in ipſo zenith, tum oculo Tauri in prima, & corde Scorpii in ſeptima illuſtris eſt etiam.

Figura

Figura Novilunii præcedens Nativitatem Ioannis Baptiſtæ Morini.

301. 3.



Nativitas Ioannis Baptiſtæ Morini.

284. 27.

14.27.



Latitudines.

♃	0.	56.	M.
♄	2.	1′.	M.
♂	3.	24.	S.
♀	1.	23.	M.
☿	2.	4.	M.
☽	4.	56.	S.

Attamen habet figura hæc multa etiam egregia alibi opportuniùs exponenda miramque malorum temperiem à beneficia natura ♃ & ♀ domorum duodecimæ, atque luminarium in illa domo exiſtentium. Dum enim beneficæ ſunt cauſæ & ſignificatrices malorum, hæc vel ſunt levia, vel ſi magna ſaltem cum ſpe remedii & evaſionis quæ frequentiſſimè accidit, ut patet etiam ex Geneſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Geneſi Cardani, atque de bonis & malis hujuſce Nativitatis in hoc opere ſparſim ſuo loco dicetur ad veritatis Aſtrologicæ oſtenſionem; hic ſat erit nobis oſtendere, hac figurâ multis inſignibus accidentibus exacte rectificatâ, quantùm modus æqualis à veritate ſit alienus. Nam cuſpis duodecimæ fuiſſet 27. gr. 34′ ♓, & cuſpis undecimæ fuiſſet 27. gr. 34′. ♒: atque ſic omnes illi Planetæ conveniſſent in domo undecima, quæ eſt amicorum, fuiſſetque ☿ in cuſpide ipſius undecimæ. O me ter quaterq; beatum, ſi diviſio Cœli juxta modum æqualem fuiſſet vera & naturalis, quandoquidem ſi Planetæ ulla ratione poſſunt & ſignificant, id potiſſimum eſt ratione ſitus corporei, unde vulgatum illud inter Aſtrologos axioma, plus poteſt Planetæ præſentia, quàm abſentis dominium. Bone Deus quot amicos & amicas, Reges, Principes & Magnates Eccleſiaſticos, omnes autem utiles benefactores habuiſſem, ob Solem ☽ ♃ & ☿ in illa domo fortes, Luna duntaxat conjuncta ♄ cuſpidis undecimæ domino quod obeſſe non poterat! quàm pauci ſaltem inimici, ſi vita ſine ullis tranſigi nequit! quæ vitæ libertas mihi contigiſſet! Quot bona ob ♀ & ☿ dominos ſecundæ conjunctos Soli & Jovi! & quam pauca mala! denique quanta parentibus fœlicitas poſt meam Geneſim, ob ☉ & ☽ quartæ domui dominantes: atqui fatum expertus ſum planè contratium. Primò enim circa annum ætatis duodecimum, quo ⊗ directione venerat ad □ ☿ domini tertiæ. Accidit ut patre & matre lethaliter decumbentibus, hæc partu quo mortua eſt, ille febre unde evaſit, frater meus natu major quærens à me puerili diſcurſu, an ſi alteri parentum eſſet moriendum, quem ſatius eſſe mori arbitrarer? ſimpliciter & ingenuè meo more reſpondi, mihi videri ſatius eſſe patrem ſupervenire ut accidit, utrumque tamen parentem æqualiter amans, ac plus forte matrem. Ab eo autem die ad duos ſequentes intra quos illa obiit, tanto odio in me concitata eſt (quæ me ſemper meritò dilexerat) ut nec in condendo teſtamento mihi quidquam dare, nec ante obitum mihi benedictionem ſuam impertiri vellet, neutrumque forſan feciſſet, niſi de teſtamenti nullitate & animæ periculo fortiter ab affinibus & Sacerdotibus monefacta fuiſſet: tandem mihi proſtrato ploranti & de cauſa mihi tunc ignota attonito benedixit, & legatum fecit quam minimum potuit, cujus triplum dedit minimæ ſororum, fratrem verò hæredem inſtituit; tandemq; piè admodum in domino obdormivit.

Hujus autem ratio evidentiſſima eſt, quia ☽ domina quartæ & ⊗, ac proinde ex propria etiam natura matrem, & fortunas ſignificans, reperitur in duodecima cum ♄, quod mihi à matre odium & damnum in fortuna portendebat: idque (ut poſtea opinatus ſum) cauſâ fratris qui forſam meum reſponſum ipſi retulit. Id enim indicabat illa directio ⊗ ad □ ☿ fratrum ſignificatoris.

Ad hæc vulgatum eſt apud Aſtrologos axioma illud: *quot Planetæ ſunt in duodecima domo, tot incarcerationes ſignificantur*: parumque abfuit quin in mea juventute verificatum fuerit, ob vindictæ & libidinis paſſiones à ♂ & ♀ primæ domui dominantibus, ac adeo grande malum (quod forſan gravius ſecutum fuiſſet) non obſtante ♄ in duodecima fregit ac prohibuit natura benefica ♃ & ♀ dominorum duodecimæ conjunctorum in duodecima, idque interdum periculoſo, ſemper autem fœliciſſimo ſucceſſu, propter quem Divinæ bonitati humiles gratias egi & ago quoties id memoriæ occurrit.

Quod autem per carceres fieri non potuit, per ſervitutem effecit cumulus ille Planetarum in duodecima domo cum ♄ domino medii Cœli, eſt enim ſervitus (ut & clauſura clauſtralis) ſpecies quædam incarcerationis, quòd homo in aliena domo non liber, ſed alteri mancipatus vivere teneatur. Siquidem ab anno 16 ad 46, vita mea fuit perpetua ſervitus, dominoſque habui 16, quos omnes dereliqui vel ob jurgia cum dominabus, quarum imperium cùm ferre nollem, odia paſſus ſum, propter ☽ & ♀ in duodecima, quæ mihi ex parte mulierum multa mala, damna, vitæque pericula pepererunt, vel ob caſus repentinos, vel ob dominorum intolerabilem ingratitudinem, ac eorum alii fuerunt plebei ob ☽ & ♄, ut Notarii, Procuratores, Scribæ: alii mediocres, ob ♃, ut Præſides, Abbates, Epiſcopi: alii autem Magnates aulici ob ☉, ut Dux quidam cujus per novennium fui Medicus Ordinarius, in Hæreticos belli Gallici tempore, de quo vix dici poteſt quanta merueram cùm pro ejus vita & fortuna ter in periculum mortis violentæ inciderim, auſuſque fuerim fœliciſſimè pro ipſo, quod nullus alius Medicus tentaſſet, & quem demum fui coactus derelinquere ob ſummam ejus ingratitudinem, prædicens illi ante diſceſſum, morbum lethalem intra biennium, ex quo etiam mortuus eſt. Tunc verò omni deinceps ſervituti tanto odio renuntiavi, ut unius Cardinalis & unius Galliæ Mareſcalli Ducis & Ærarii ſummi Præfecti, virorum optimorum mihique beneficorum dominium recuſaverim. Eſtque valde notandum, quod ab anno meæ ætatis 21. ad 37, quo tempore Horoſcopi directio permeavit ſubinde quadrata ☿ ♀ ♃ ♄ & ☽ in duodecima domo locatorum, vix dici poteſt quot miſerias, morbos, damna, infortunia & vitæ pericula paſſus fuerim, ex quibus tamen evaſi, Deo miſericorde. Jam verò quis Aſtrologus niſi mentis inops aſſeret, ſuperiora mihi contigiſſe à luminaribus & beneficis in undecima domo, illis præſertim primæ dominantibus & ⊗ ſextili aſpicientibus? Ecquis è contra non aſſeret ea cauſata & ſignificata fuiſſe ab eiſdem Planetis in duodecima, ac præcipuè à ♄, qui dominus medii Cœli in duodecima, mihi ſervitutem & dominos avaros, ingratos atque damnoſos portendebat, ut ſuo loco evidentiùs demonſtrabitur?

Præterea quamvis in figura Novilunii Planetæ omnes conveniſſent in undecima domo quæ amicorum eſt, ideoque Regibus, Reginis, Principibus, Cardinalibus, & Regni primatibus, innotuerim, tamen prævalente particulari fato meæ nativitatis, quatuor aut quinque tantùm huc usque nactus ſum perſonas primaria authoritate, probitate, ingenio & ſcientiâ maximè inſignes, quæ me vel ob ſcientiam, vel ob ingenuitatem, vel ob ſimpathiam dilexerint, mihique benefecerint non quantùm voluiſſent, ſed quantùm licuit illis per fortunæ improbitatem, fati mei comitem perpetuam. Sed ab anno quo ex Scolaſtico factus ſum Medicinæ Doctor, horret memoria referre quot inimicos habuerim, vel ob invidiam, vel ob antipathiam,

pathiam,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

pathiam, qui mihi in omnibus nocere conati ſunt, & ſaltem in fortuna nocuerunt; quod ex bonis temporariis ſpretâ fortunâ, famæ & vitæ dumtaxat curam habuerim, cùm tamen ulli injuriam inferre, fuerit ſemper à mea indole alieniſſimum. Perpetuam tamen nactus ſum antipathiam cum nefariis, ſceleratis, & Diabolica malignitate præditis nebulonibus, qui me primo etiam intuitu odiſſe incipiunt, ut ego viciſſim prima fronte novi atque odi eorum indolem, ſive Aſtra, ſive Dæmones, ſive Natura univerſalis hac in parte phantaſiam moveat, qua de re alibi dicetur. At invidiam etiam damnoſam paſſus ſum virorum Doctorum, quorum plurimi ex amicis tandẽ mihi facti ſunt inimici, cum quibus ab anno 1635. ad annum 1654. pro veritatis & meæ famæ deffenſione bella continua fortiter & glorioſe geſſi, ob ♄ & ☿ dominum in duodecima damnatum in Horoſcopo. Sed Martem dominum Horoſcopi in △ illius cumuli Planetarum, & præſertim luminarium. Nec ſilentio prætereundum eſt, quod cùm anno 1635. longitudinum ſcientiam à me inventam in lucem edidiſſem, quo tempore Sol directione pervenerat ad medium Cœli, prius mihi prædixerat inſignis Aſtrologus Avenionenſis honores dignitates atque divitias ob ♃, ☉ conjunctum. cui reſcripſi, talem directionem famam procul dubio celebrem præſagire, ſed occultum Magnatis alicujus Eccleſiaſtici odium & ab ipſo damna potius portendere quàm dignitatem, vel utilitatem, ob ☉ & ♃ in duodecima cum ♄ domino medii Cœli, quod certè quàm par fuiſſet verius extitit de Cardinali Richelio, poſt ejus erga me patratam iniquitatem.

Tot verò inimicitias atque mala cauſavit ille cumulus decem Planetarum in duodecima, non in undecimà domo, ac præſertim ♄ dominus medii Cœli, ſeptimæ & undecimæ, ut ex principiis hujus ſcientiæ à nobis poſitis manifeſtiſſimè patet.

Denique bella civilia, rapinæ, peſtes, æs alienum, lites, aliaque mala à tempore meæ nativitatis inchoata, parentes meos ad eam inopiam reduxerunt, ut mihi in ſtudiis opem ferre nequiverint, & à tenerrimis etiam annis ipſe coactus fuerim fortunæ meæ eſſe faber, prout urgebat neceſſitas, & occaſio à ſtudiis plerumque aliena ſeſe offerebat; ſiquidem etiam per decennium ſtudia intermiſi. Illam verò parentum futuram miſeriam evidenter pertendebat in mea Geneſi ☽ domina quartæ in duodecima, cum ♄; ♂ interim damnato circa cuſpidem quartæ, à qua diſtabat dumtaxat arcu perpendiculari 4. gradúum 57′.

Quamobrem Geneſim hanc à modo æquali maximè alienam, modo autem rationali maximè conformem eſſe oſtenditur.


At ne ſententiam noſtram duorum dumtaxat Aſtrologorum, Cœli ſcientiæ additorum, Nativitatibus videar ſtabilire velle; jam in medium proferamus Geneſes hominum ſtudio contrariorum: Quippe Regum & Magnatum, qui Terræ dominio & maximis Mundi hujus inferioris honoribus inhiarunt. Itaque primò hic proponitur Nativitas magnanimi fortiſſimique Guſtavi Adolphi Regis Sueciæ, qui hiſce temporibus toti Europæ terrori fuit, atque intra biennium totius Germaniæ beſſem ſtupenda celeritate atque facilitate ſubjugavit, & cujus mortem violentam prædixi Cardinali Richelio meum ſuper hac re judicium poſtulanti quatuor menſes priuſquam acciderit, non quidem ad ipſum tempus quo accidit; ſed paulò poſt ob falſum horæ Natalitiæ momentum mihi datum, & tamen pro vero ſuppoſitum, quod non in accidentis ſpecie, ſed tantùm in ejus tempore poterat me fallere.

In hac igitur Nativitate medium Cœli juxta modum æqualem fuiſſet 6. gr. 26′. ♍, & cuſpis nonæ fuiſſet 6. gr. 26. ♌ ſicque ♀ fuiſſet inimica domui decimæ, ♄ autem non fuiſſet in octava, neque ☉ dominus octavæ, proindeque neuter mortis ſignificator. Jam vero ſi quidquam in hac Geneſi occurrat admiratione dignum, eſt ſumma in agendis fœlicitas ad mortem uſque, de qua ex decima domo & domino ejus judicandum eſt. Atqui illa neque eſt ♍ in decima, neque ex ☿ ejus domino, vel hujus ſtatu, neque ex ♄ domino ☿ pravè affecto, neque ex beneficis inimicis decimæ, neque ex Planetarum aſpectibus ad decimum, vel ejus dominum, ullo modo peti poteſt, ut palam eſt. Non ergo convenit gradus 6. 26′. ♍ in decima domo. Ad hæc quamvis in modo æquali ♄ & ♂ læſiſſen ♃ dominum H i. & luminarium, tamen ad mortem violentam hoc non ſufficiebat, quia Horoſcopus ☉ & ☽ erant à maleficis liberi, neuterque maleficiorum ad mortem determinatus erat; neque Sol ipſe, ſed erat ♄ in nona, & ♃ in tertia, at violenta & illuſtri morte prœliando occubuit, igitur nec ejus vita, nec ejus mors æquali modo quadrant. Verum ſi ad tempus mihi ex Germania tranſmiſſum, ſed quinque minutis horæ auctum figura erigatur juxta modum rationalem prodit ipſa qualis hic cernitur atque tanti Regis vitæ, morti & famæ congrua, illumque exactè depingens.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Nativitas Guſtavi Adolphi Regis Sueciæ.

195.22



Latitudines

♄	1.	20.	S.
♃	1.	1.	M.
♂	0.	13.	S.
♀	1.	46.	M.
☿	2.	1.	M.
☽	3.	34.	M.

Primo enim virum clarum & bellicoſum efficiunt ☉ & cor Scorpii in prima, nec non oculus ♉ in ſeptima, tum ♃ dominus Horoſcopi ☽ & ☉ in □ ♂: præterea ſpica ♍ in medio Cœli, ac ♀ domina medii Cœli hoc △ aſpiciens, & conjuncta ♃ domino H[i]. & ☉, maximam & talem omninò qualem expertus eſt fœlicitatem in ſuſceptis & actionibus pollicebantur. ♀ autem & ♃ cum ☿ in ſecunda in malignis radiis ♄ & ♂, ingentes opes proprio labore; ſed malis artibus, quippe violenter parandas. Interim verò Sol dominus octavæ in prima, & ♃ dominus Hi & ☉ & octavæ in ſecunda læſus oppoſitione ferè partili ♄, damnati in octava, nec non □ ♂ ex duodecima domo, mortem violentam portendebant: cui ſignificato favebant cor Scorpii in Horoſcopo, & oculus Tauri in cuſpide ſeptimæ, fixæ primi nominis violentiſſimæ, & cor Leonis cum ♄ in octava: ideoque quo tempore medium Cœli directione perveniebat ad □ ♃ & ♄, immediatè & quam proximè ſequente corpore ♂ damnati in medio Cœli; maximum in ſuſceptis & prœliis infortunium atque violenta mors ſignificabantur, ut prædixeram, quod contigit die 16. Novembris 1632. in prœlio Lutzenenſi contra Walſteinum Imperialis exercitus Generaliſſimum, eratque horrendus ille occurſus trium anæretarum. Siquidem occurſus □ ♃ domini H[i]. qui præceſſit, erat etiam valde malignus, quod ♃ exaltaretur in octava, eſſet peregrinus in ſigno violento, peſſiméque læſus à maleficis, ejus autem dominus ♄ eſſet in octava damnatus. Mors autem publica & illuſtris ſignificabatur ob ☉ dominum octavæ in prima, fuitque mors ex plumbo ignito ob ♄ in ſigno igneo ♌, denique ferro ob ♂: ſi quidem etiam mortuus pluries gladio Rex tantus percuſſus & quaſi pluries occiſus eſt, ut de Herillo apud Virgilium gloriatur Evander hiſce Verſibus.

Et Regem hac Hericlum dextra ſub Tartara miſi,
Naſcenti cui tres animas Feronia mater
Horrendum dictu dederat, terna arma movenda,
Ter letho ſternendus erat.

Ubi & hoc quoque notandum, quod directio M. G. ad ♂ in Scorpione pollicebatur victoriam, ſed infauſtam, imò lethalem, ob ♂ pravè affectum à ♄ & inimicum decimæ.

Eſtque valde notandum quod in annua Revolutione ♄ devenerat ad locum radicalem ♂, & ♂ ad locum radicalem ♄, at ipſo die mortis ♃ fuit in oppoſito radicali ♂, ♂ applicabat loco radicali ☉, & ☉ erat præcisè in loco radicali ♂: proindeque hic rurſus complicantur eædem cauſæ quæ ſupra: ſed de his fuſius alibi: itaque jam ſufficiant ad oſtendendum, quàm egregiè quadret experimentis modus rationalis, non autem modus æqualis: juxta quem neque ♀ fuiſſet domina decimæ cuſpidis, ac in ejus △, neque ♄ fuiſſet in octava, neque ☉ & ♃ domini octavæ, nec tandem ulla tempore mortis congrua directio accidiſſet, quæ tamen omnia ad ipſius Regis fœlicitatem morte violenta terminatam requirebantur.

Forſan objicit aliquis, de morte non eſſe judicandum ex directione medii Cœli: ſed Horoſcopi, vel Aphætæ ſaltem primarii. At reſpondeo id quidem verum eſſe in morte naturali quæ morbo ſupervenit. At in morte violenta quæ non ex morbo ſed actione, ut prœlio, obſidione, vel altero ſuſcepto, ſubſequitur, rectiſſimè ex principiis Aſtro-


Aſtrologicis peti à directione medii Cœli judicium de ſucceſſu actionis, qui plerumque eſt ipſius nati mors violenta, vel ab hoſtibus, vel à judicibus, vel ab altera cauſa, ſive vulnus, carcer aut alia ſuis ſimilia, idque pluribus aliis exemplis probatur. Ex ſupradictis vero evidentiſſimum eſt, quantùm Regibus præ cæteris neceſſaria ſit Aſtrologica ſcientia, cùm tam facile eſſet tanto Regi imminens infortunium prædicere. Sed Deus qui induravit cor Pharaonis, Reges plerumque excæcat, ut hunc, qui inermis prœlium ingreſſus eſt, nec illis dat Prophetas, vel Aſtrologos ſcientiâ præditos, qui de periculo à fatis imminente præmoneant, unde fit ut per viam fati naturalis cœcorum inſtar ambulantes, in foveam cadant: ſed de his fuſiùs alibi.

Genituræ Regis Suetiæ non abs re ſubjungenda videtur Geneſis Ducis Montmorancii Franciæ Mareſcalli ob magnam nativitatum & caſuum affinitatem, ut inde Aſtrologiæ veritas clariùs innoteſcat. Utrique enim fuerunt eadem ſigna in Horoſcopo & medio Cœli, nec non eædem ſtellæ Regiæ fixæ. Imo utrique ♃ & ♀ domini Horoſcopi & medii Cœli, fuere conjuncti: atque hæc viros illuſtres, fortes, bellicoſos, generoſos, liberales & in agendis fortunatos ſignificabant, quales ipſi fuere uſque ad tempus necis: at utrique ambo luminaria fuerunt domini octavæ, & ♄ damnatus in octava, quod utrique mortem violentam & ob luminaria publicam ſignificavit. Rex autem Suetiæ mortuus eſt prœliando, idque illi ſaltem coram hominibus fuit glorioſum, quòd luminaria non læderentur radiis ♄ maleficis, eſſetque Sol in domo prima, glorioſum nomen efficiens: At Dux Montmorancius etſi in prœlio multis vulneribus fuerit confoſſus, die prima Septembris 1632. hora $3\frac{1}{2}$ poſt meridiem, tamen non occubuit, ſed captus ob ☽ damnatam in cuſpide 12, & in ejus antiſcio, deindeque crimine læſæ Majeſtatis accuſatus, quòd adverſus Regem ſuum prœliaretur, capite truncatus eſt maximo omnium mœrore, ac piè admodum & generosè obiit, ob ♃ dominum H[1]. cum ♀ domina nonæ benè affectos in tertia, ſi quidem in ejus Geneſi ambo luminaria malignis ♄ radiis inficiebantur, quippe Luna oppoſito & Sol quadrato & antiſcio, quamobrem maligna publica & probroſa mors inde ſignificabatur, hominis enim fama ſubjicitur maximè ſtatu luminarium, ſive in vita, ſive in morte, dum ſunt ut in hac Geneſi mortis ſignificatores. Periit autem ex directione medii Cœli ad ♊ ♄ ob prœlium temerè & infauſtè ſuſceptum, ut ipſe Rex Suetiæ, hic enim non armatus, ille non ſtipatus certamen aggreſſus eſt, ideoque eorum mors fuit cauſata ob eorum actionibus, circa idem tempus, & ♂ utriuſque fortunæ portendebat exitium, quod in hac Geneſi ipſe ſit oppoſitus parti fortunæ, quadratus autem in Geneſi Regis Suetiæ. Mira igitur eſt concordantia ambarum nativitatum & caſuum.

Jam verò patet quod figura hæc erecta juxta modum rationalem maximè quadrat experientiæ: at juxta modum æqualem non quadrat: Nam 13. gr. ♍ fuiſſet cuſpis decima quæ præeſt actionibus ſuſceptis & honoribus, ſicque ☿ fuiſset horum ſignificator: ſed ☿ eſt ſub radiis Solis retrogradus, & peſſimè affectus à ♄ quadrato, ideoque in illis nullam cauſare potuit fœlicitatem in actionibus & dignitatibus, qualis nato accidit præſertim in navali prœlio: & eò minùs quod ☿ in Horoſcopo & loco ♃ domini Horoſcopi ſit exul & dejectus, mutuóque defluat ab ipſo ♃, ſi autem ut in modo rationali ponatur 1 gr. 49'. ♎ cum ſpica ♍ in decima domo, illico patet Venerem dominam medii Cœli & Solis collocatam in ſua exaltatione, & conjunctam ♃ domino H[1] atque ♂ in Piſcibus, ſupradictæ fœlicitatis eſſe cauſam evidentiſſimam.

Nativitas Ducis Montmorancii.

189. 45



Latitudines

♄	1. 25.	S.	
♃	1. 6.	M.	
♂	1. 38.	M.	
♀	0. 15.	M.	
☿	1. 31.	S.	
☽	5. 14.	M.	

Præterea in modo æquali 13 gradus ♌ eſſet cuſpis 9, ſicque ♄ non eſſet in octava mortis ſignificator, neque ad tempus mortis daretur ulla cauſa vel directio congrua: quia malefici non ſolent occidere occurrentes corpore vel aſpectu, niſi fuerunt ad mortem determinati: at in modo rationali, ubi ♄ eſt in octava, & ☉ dominus octavæ, cauſa eſt manifeſtiſſima. Itaque modus æqualis omninò explodendus eſt.

Quod autem cauſæ mortis ſuperiùs allatæ, ſint genuinæ, patet ex revolutione annua in qua ♂ occupabat locum radicalem ♄ ac ☉, & ♀ quadrato inficiebat: ♄ autem erat in duodecima domo radicali quæ eſt carcerum; tum ex ipſo die mortis 30. Octobris 1632, ſiquidem ♄ & ♃ ſignificatores vitæ & mortis erant oppoſiti ex ſexta & duodecima radicis: & ☽ domina octavæ cum oculo ♉ fixa violenta in ſeptima cuſpide: atque ♂ dominus duodecimæ erat cum corde Scorpii altera fixa violenta, applicans Horoſcopo & oppoſitus ☽: Sol autem dominus octavæ, & ♄ erat in ſuo oppoſito, conjunctus Veneri dominæ medii Cœli radicalis, quæ conſtitutio erat undique peſſima & violenta, præſertim ob ♂ & ☽ ſitum atque ſtatum. Quo die autem vulneratus & captus fuit, ☽ domina octavæ fuit in ☍ medii Cœli, Sol etiam dominus octavæ fuit in ⊕ ſed □ Horoſcopo, ♄ fuit partiliter in cuſpide 12. ♃ dominus Horoſcopi fuit in loco ☿ domini ſeptimæ □ loco ♄, & ☿ fuit in ☍ ♃, & ♀ domina medii Cœli fuit damnata in nona & ☍ ♂ radicis.

Addamus tandem Geneſim Alberti Ducis Fridlandiæ & Sagani Principis Vandalorum, dicti vulgò Walſtein, Supremi Ductoris Exercituum Imp. Cæſ. Ferdinandi II. qui in hac Mundi ſcena non vulgaris quoque perſona extitit, adverſus quem prœlians Rex Sueciæ occubuit: quique tandem à Galaſio, fuit juſſu Imperatoris trucidatus. Hæc autem Geneſis fuit ad me miſſa ex Germania cum ſuprapoſita Regis Sueciæ, & utriuſque prædixi mortem violentam ex directionibus medii Cœli ad □ maleficiorum in octava exulum, tales enim exercituum Præfectis funeſtæ ſunt, cæteriſque prœlia & duella aggredientibus. Et quamvis Walſteinus prœliando non ſit mortuus; tamen quia non ſine cauſa juſſu Imperatoris occiſus eſt, oportet illum vel ſuo non rectè functum fuiſſe munere, vel aliquod facinus machinatum fuiſſe, propter quæ extinctus eſt, ſicque mors ex actione vel dignitate ſequuta eſt, quibus præeſt medium Cœli.

Porrò ſi hæc Geneſis juxta modum rationalem erigatur, patet ratio cur ad ſublimiores dignitates evectus ſit. Id enim ſignificabant ♄ dominus Horoſcopi conjunctus ♃ domino medii Cœli in prima domo, atque △ ♀ dominæ ☉, qui cùm ſit dominus ſeptimæ in ſeptima, partem fortunæ △ aſpiciens, illuſtrem fortunam ex bellicis dignitatibus præſagiebat, idemque confirmabat ☿ dominus ⊕ in ſeptima & ſuo throno, & cor ♌ in cuſpide ſeptima: imò anno 1631. quo adverſus Regem Sueciæ electus eſt ſupremus Præfectus Imperialium Exercituum, Sol directione devenerat ad medium Cœli: Mors autem violenta ſignificabatur præſertim à ♄ domino octavæ in prima: tum ♀ & ♂ dominis primæ exulibus in octava, in ſignis violentis luminaribus.

Nativitas Alberti Ducis Fridlandiæ Walſtein.



Latitudines
♄ 2. 26. M.
♃ 1. 38. M.
♂ 0. 1. S.
♀ 2. 32. M.
☿ 1. 45. S.
☽ 1. 57. S.

Item

Item depravatis, & quadratis ex ſignis quoque violentis, ideoque ex directione medii Cœli ad □ ♂, periit morte violenta ut prædixeram.

At ſi figura eſſet erecta juxta modum æqualem, cuſpis decima eſſet 24 gr. 26′ ♏: cuſpis autem 9 eſſet 24 gr. 26′ ♎: ſicque nec darentur veræ & efficaces cauſæ dignitatum, quia ♂ dominus decimæ in nona exul, nec radio congruo connexus domino H¹ vel Soli, illas non ſignificaret: non darentur veræ & efficaces cauſæ mortis violentæ ad tempus ipſius mortis, quia ☿ eſſet dominus octavæ in octava, qui potius mortem violentam averteret, cùm ipſi etiam Planetæ malefici, in domibus maleficis, harum mala temperent in ſuis dignitatibus poſiti.

Quod autem dignitatis & mortis cauſæ ſupra aſſignatæ ſint veræ, patet ex die mortis quæ fuit 25. Februarii 1634. ſiquidem ♄ & ♃ qui in Geneſi conjungebantur, horâ mortis erant oppoſiti ex decima & quarta domo radicali, atque quadrati ſuo loco radicali: Mars autem interſector erat retrogradus in loco ☿ & ſeptima domo, ideoque oppoſitus locis radicalibus ♃ & ♄, Sol autem denuebat ab antiſcio ♂, ac ♀ domina octavæ applicabat Horoſcopo radicali, ideoque omnes ſupradictæ cauſæ malè habebant.

Sed ſatis ut oſtendiſſe 5. nativitatibus veris minimèque vulgaribus, modum æqualem experientiæ non congruere, modumque rationalem ei longè anteponendum eſſe. Idem ſentiendum de altero æquali modo qui fingi poteſt per circulos declinationum, dividentes Æquatorem in duodecim partes æquales, initio ſumpto ab horizonte & meridiano.

Caput III.

De aliis pleriſque modis erroneis dividendi Cœli vel per Eclipticam, vel ope gradus Eclipticæ qui horizontem occupat.

HOc certè mirum & probroſum inter Aſtrologiæ principes, quod etſi in quovis genere unicus ſit naturæ modus agendi, ideoque unica dumtaxat eſſe queat ratio naturalis dividendi Cœli in domos, cui ſoli innituntur vera ipſius ſcientiæ principia, tamen Cœlo quomodocunque diviſo principia ipſa indiſcriminatim applicant, ut videre eſt in eorum libris, non advertentes quòd ad idem momentum temporis figurâ diverſimode erectâ, mutantur in modis ſingulis ſitus & dominia Planetarum in figuræ domibus. Quamobrem maximè intereſt, ut verus ipſe dividendi modus innoteſcat, qui huc uſque ſegniùs quàm par ſit ſtatutus eſt.

Porrò inter cæteros erroneæ diviſionis modos, primus eſt Porphirii, qui duos Eclipticæ arcus orientales, interceptos inter horizontem ortivum & meridianum circulum, ſupra ac infra Terram, dividit ſigillatim in tres partes æquales, & per diviſionum puncta trajicit circulos latitudinum, à polis Eclipticæ, ſicque habet ſex domos orientales quibus opponuntur occidentales: hic verò modus erroneus eſt. Primò, quia diviſio hæc meræ eſt artificialis ſine ullo naturali fundamento, quo ſignificetur domorum circulos eſſe à mobilibus polis, ſive punctis trajiciendos, relicto puncto illo fixo diviſionis à natura inchoatæ, & indicatæ, in ſectione horizontis & meridiani. Deinde domus ſingulæ ſunt partim ſupra Terram, partim infra, ut in modo æquali cui hic maximè affinis eſt. At modus æqualis peccans his duabus etiam cauſis, ab experientia plurimùm alienus eſt, ut ſupra patuit. Denique ultra circulos polares, dum Ecliptica non ſecat horizontem, ad uſum reduci non poterit, eſt igitur erroneus & dumtaxat fictitius.

Secundus eſt Alkabitii, qui gradus Eclipticæ aſcendentis inquirit arcus ſemidiurnos & ſeminocturnos, & utrumque in tres partes æquales ſecat. Deinde per diviſionum puncta & gradum Eclipticæ orientem traductis declinationum circulis à polis Mundi, hi circuli in Æquatore notant ſex domorum orientalium rectas aſcenſiones, quibus inventis convenientibus Eclipticæ punctis in Tabula Aſcenſionum rectarum, emergunt ipſæ domus in Ecliptica. Verùm hæc etiam diviſio planè fictitia eſt ſine fundamento naturali, & facit domos partim ſupra, partim infra Terram, neque in uſum reduci poteſt, ubi Ecliptica non ſecat horizontem: atque hic obiter notandum quod Joannes de Roya in ſuo Aſtrolabio, poſt Alphonſum & Joannem de Saxonia commentatorem Alkabitii, tribuit hanc methodum Ptolomeo, ſed perperàm, cùm Ptolomeus domos ſuperterraneas à ſubterraneis dividat: & cap. 11 libro 3. ubi de loco prorogatore, aſſerat horoſcopum aſpectu hexagano aſpici ab undecima domo, aſpectu quadrato à Cœli medio, & trino aſpectu à nono: quod in hac methodo non accidit, ſive ſpectentur gradus Eclipticæ, ut fit in modo æquali, ſive ſpectentur gradus Æquatoris. Accidit autem in modo rationali, ſpectatis gradibus Æquatoris, vel aſcenſionibus propriis domorum ſingularum. Sed Ptolomeus ſuam hac in parte mentem apertiùs non detexit, indeque litigandi poſteris præbuit anſam. Patet autem hujus methodi falſitas evidentiſſimè in mea Geneſi, nam habuiſſem omnes Planetas Marte excepto in undecima domo: quippe duodecima fuiſſet 20. gr. 50′. ♓. ideoque ex tali Planetarum determinatione, fuiſſem cum magnatibus & amicis fœliciſſimus, ut jam ſuperius dixi.

Porrò ultra duos ſuperiores modos à ſuis Authoribus excogitatos, duo alii rationabiliùs fingi poſſent, dividentes Cœlum per circulos ab interſectione horizontis & meridiani ductos.

Primus dividens duos Porphyrii arcus Eclipticæ orientales, ſigillatim in tres partes æquales, per quas ducerentur illi circuli. Secundus dividens duos Alkabitii arcus, ſemidiurnum & ſeminocturnum, ſigillatim in tres partes æquales, per quas ducerentur iidem circuli qui in Æquatore deſignarent aſcenſiones obliquas domorũ orientalium, quarum poli eſſent inquirendi. Atque hi duo modi, quia Cœli vel Mundani ſpatii diviſionem abſolvunt, per illas horizontis & meridiani interſectiones quas natura indicavit, propiùs ad naturam & veritatem accederent, quàm ulli hactenus rejecti: ſed ideo etiam ſunt erronei, quia nullius ſunt uſus quando Ecliptica horizontem non ſecat, ut ſub circulo Artico & ultra. Vera autem & naturalis dividendi Cœli ratio debet eſſe toti Terræ orbi univerſalis, alioquin Aſtrologia

non erit ſcientia univerſalis, ſed tantùm particularis atque localis, quod à ratione ſcientiæ alienum eſt. Præterea patebit infra, neque Eclipticam, neque paralellum gradus Eclipticæ orientis eſſe primario dividendum: ſique experientiæ quatuor prædicti modi committantur, ut jam ſupra factum eſt, de modo æquali, eorum falſitas patebit evidentiùs.

Caput IV.

Quo modus Campani pro Cœli diviſione in domos Aſtrologicas, ratione & experientiâ peculiariter examinatur, & cum modo rationali confertur, ac uter ex his ſit legitimus definitur.

NOn abs re huic Campani methodo peculiare caput dicatur, tum propter Authoris famam, quâ plerique alliciuntur, tum quia modus hic non mediocrem præ ſe fert ſpeciem probabilitatis. Nam & Cœlum dividit naturâ duce per ſectiones horizontis & meridiani, ut modus rationalis, ac præterea Cœlum totum partitur ſemper in duodecimi portiones æquales, cùm cæteri omnes illud (in obliquiore præſertim ſphæra) in partes maximè inæquales dividant. Ad hæc poteſt eſſe univerſalis, ut modus rationalis & in praxi non adeò frequenter diſſentit à veritate, ut cæteri ſupra rejecti: imò cum rationali ſæpè convenit, in judiciorum fundamentis, ſiquidem domorum & ſignorum amplitudo efficit, ut figurâ ad idem momentum juxta utrumque modum erecta, Planetæ omnes reperiantur, vel in iiſdem domibus vel domini earumdem domuum: quod etiam in duobus modis ſuperius à me fictis accidit. Itaque hic definiendum eſt uter ex duobus modis Campani ſcilicet & rationali, ſit eligendus, & pro legitimo, atque naturali habendus, cùm præſertim jam ferè omnes Aſtrologi ſequantur modum ipſum rationalem, poſt Abrahamum Aveneſtram & Joannem Regiomontanum: atque videndum in quo conveniant hi duo modi, & in quo differant.

In hoc igitur conveniunt. Primò, quod ambo Cœlum vel totum Mundi ſpatium in quatuor partes æquales dividant. Secnndò, quod medietatis orientalis diviſionem abſolvant circulis poſitionum ductis per ſectiones horizontis & meridiani. Tertiò, quod inveſtigent altitudinem poli ſupra ſingulos poſitionis circulos, & eorum aſcenſionem obliquam in Æquatore. Quartò, quod ſingulis aſcenſionibus obliquis ad altitudinem poli cujuſque circuli poſitionis, quærant congruum Eclipticæ arcum. Quintò, quod uterque modus circulum quem primario dividit, queat ubique locorum dividere, exceptis duntaxat Terræ punctis Mundi polis exactè ſuppoſitis, ubi omnis ceſſat dividendi ratio per circulos propoſitionum.


In hoc autem differunt. Primò, quod modus Campani dividat primario medietatem orientalem circuli illius verticalis qui deſcribitur per ortum & occaſum æquinoctialem, in 6. partes æquales initio ſumpto ab ipſo zenith: ſecundariò autem dividat Æquatorem, indeque Eclipticam: at modus rationalis primariò partitur medietatē orientalem Æquatoris in 6. quoque partes æquales, initio ſumpto à meridiano circulo, ſecundariò autem Eclipticam. Deinde modus Campani ſemper dividit Cœlum in duodecim partes æquales, at Æquatorem & Eclipticam, non niſi quando horum circulorum poli reperiuntur in interſectione horizontis & meridiani; quod contingit pro Æquatoris polo in ſphæra recta, & pro Eclipticæ polo in latitudine loci 23. gr. 30′. Et in obliquiore ſphæra, modus hic dividit tam Æquatorem quam Eclipticam in partes maximè inæquales, imò plerumque non ſecat Eclipticam ſupra vel infra Terram: Modus autem rationalis Æquatorem perpetuò ſecat in partes æquales, ſicut & totum Cœlum in ſphæra duntaxat recta: at perpetuò ſecat Eclipticam in partes inæquales, dum hanc ſecari contingit; ſicut & Cælum extra ſphæram rectam, majorque evadit inæqualitas partium tam Eclipticæ quàm Cœli, quò ſphæra fuerit obliquior: imò ſub circulo Artico & ultra plerumque etiam non ſecat Eclipticam, neque ſupra neque infra Terram.

His expoſitis quoniam in confeſſo eſt apud omnes, domus Aſtrologicas per alicujus circuli diviſionem eſſe conſtituendas, jam videndum ſequitur quis circulus ſit dividendus. Eſt autem notatu digniſſimum, triplicem eſſe in ſphæra circulorum differentiam, quippe Terreſtrium, Cœleſtium, & Mixtorum. Terreſtris circulus eſt unicus, ſcilicet horizon: qui maximus eſt Terræ circulus, ex quovis nati loco tanquam polo deſcriptus, per quem homini in ipſo polo conſtituti, Cœlum judicio ſenſus in duas partes dividitur, quarum altera ſupra Terram conſpicitur, & altera latet infra Terram, ſique hic circulus ad Cœlum uſque circum extendi concipiatur, fiet horizon Cœlo non proprius, ſed duntaxat tranſlatitius, Cœlum ipſum bifariam dividens, totumque Mundanum ſpatium. Circulus Cœleſtis eſt qui Cœlo tantùm proprius eſt, nec à Terra dependet, quales ſunt Æquator, Ecliptica, Coluri, tum circuli latitudinum & declinationū, hi enim omnes in Cœlo etiam eſſent abſente Terra. At circulus mixtus eſt qui in Cœlo quidem deſcribitur, ſed dependenter à Terra aut circulo horizontali, alicui Terræ loco addictus: ac tales ſunt omnes circuli verticales, qui tranſeunt per polum horizontis Cœlo tranſlatitii, qualis eſt meridianus tranſiens per Mundi & horizontis polos, tum poſitionum circuli ducti per ſectiones horizontis & meridiani. Atque hæ tres circulorum ſpecies concurrunt in Cœli vel Mundani ſpatii diviſione pro domibus Aſtrologicis, ut patebit inferius. Verùm quod verticalis trajiciens per ortum & occaſum æquinoctialem, non ſit primariò dividendus, ut volebat Campanus, hic probatur primò, quia neque eſt Cœleſtis, neque univerſalis, ſed particularis, nec alicujus propriæ virtutis, ut ſaltem ſunt meridianus, horizon, & alii poſitionum circuli. Secundò, quia tantùm aſſumitur ad Cœlum in partes æquales dividendum, ſed quamvis ad ejus æqualem diviſionem per ſectiones horizontis & meridiani Cœlum in partes æquales ſecetur, videaturque diviſio hæc ideo natura fundari, quòd & ſolus horizon, & meridianus cum horizonte jam Cœlum in portiones æquales partian-

tiantur: Tamen in hoc erravit Campanus quòd non animadverterit Cœlum non eſſe in domos Aſtrologicas dividendum ratione materiæ, vel ſubſtantiæ: ſed ratione motus quo ſuper horizontem aſcendens, & infra ipſum deſcendens, natum cæteraque Sublunaria diverſimodè afficit atque mutat. Nam ſi ſtaret Cœlum primum quod dividi debet, vel moveretur quidem, ſed eodem ſemper modo natum afficeret, ut ſub Mundi polis accidit, Cœlo ipſo uniformiter gyrante circa natum in horizontis centro poſitum, ſine ullius partis aſcenſu, aut deſcenſu ſupra vel infra horizontem: tunc nulla eſſet domorum diviſio poſſibilis, quia nullus daretur ortus, meridies, vel occaſus, & tamen Cœlum à Terreſtri circulo, vel horizonte diviſum eſſet in duas partes æquales, rurſus diviſibiles in duas vel ſex alias æquales, ſed non à punctis determinatis, quæ ſub polis non dantur defectu meridiani. Non igitur Cœli diviſio ratione ſubſtantiæ facienda eſt, ſed ratione illius motus: quandoquidem ut munus primi motus, eſt ſigna & Planetas per ſingulas domos circumferre, & in illis Aſtrorum influxus diſpergere, ſic munus diviſionis Cœli in ipſas domos, eſt motum illum ſiſtere ad datum momentum temporis, & Cœli quaſi quieſcentis ſtatum in genethliaca figura exhibere: proindeque fictitia tantùm eſt illa Cœli diviſio per circulum verticalem, quam Campanus excogitavit. Verum ſi rationibus experientia conjungatur, ejus falſitas patebit evidentiùs. Nam in mea Geneſi juxta Campani methodum hic appoſita cuſpis 9 erit 2 gr. ♑, ſicque ♄ erit mihi nonæ dominus: at à teneris annis perpetuus mihi adfuit zelus Religionis Catholicæ in cujus ſinu Dei gratiâ natus atque baptizatus ſum, & quam in Gallia, Germania, Hungaria & alibi apud Huſſitas, Lutheranos & Calviniſtas audacter confeſſus ſum, ſine ulla unquam vacillatione aut dubitatione: Atque hæc naturalis & fixa in meam Religionem

Figura meæ Nativitatis ex Campano.

284. 27




propenſio eſt unum ex meæ vitæ inſignibus quæ à ♑ ſigno mobili, vel ejus domino ♄ non potuit proficiſci, etſi hic ♃ conjungatur. Nam ♃ in nona cuſpide dejectus eſſet, ut ♄ in Horoſcopo ex quibus talis inclinatio oriri nequit. At ſi figura ut ſuperius erigatur juxta modum rationalem, tunc ♃ erit dominus nonæ quæ religionis eſt, triplicitate potens in Horoſcopo inclinationum ſignificatore primario: conjunctus Soli qui in nona triplicitate & in H° triplicitate & exaltatione pollet, applicant △ ♂ domini Hi & triplicitatis nonæ, nec non Planetas omnes ☿ excepto in ſuis dignitatibus excipiens, eruntque cuſpides prima & nona in △ partili, quamobrem ſpectatâ naturâ, ſtatu, dominio & connexione ♃ & cuſpidum △ radio, cuilibet Aſtrologo ex præceptis infra exponendis conſtabit, has eſſe cauſas illius inclinationis genuinas. His adde quod in modo Campani non habuiſſem cor Scorpii in octava domo, quæ me perſæpe in mortis violentæ pericula conjecit.

Rurſus in Geneſi Walſteinii Ducis Fridlandiæ cuſpis 8 ex Campano eſſet 14 gradus ♏, ſicque ♂ fuiſſet in ſeptima, ac ſi quiſquam dixerit mortem violentam ſemper fuiſſe ſignificatam à directione medii Cœli ad □ ♂, quamvis ♂ fuerit in ſeptima, attamen quia ſeptima eſt domus hoſtium apertorum, mors ex Aſtrologiæ principiis potiùs ſignificabatur in duello, aut prœlio ab hoſtibus apertis. At proditoriè occiſus eſt ab inimicis occultis, ob ♂ exaltatum in duodecima repertum cum ♀ in octava ſeſe domo viciſſim recipientes. Præterea ♂ in utroque modo reperitur dominus primæ ac proinde

de vitæ ſignificator, ideoque in modo Campani non fuiſſet adeò pernicioſus Aværeta: At in modo rationali eſt omninò lethalis: quia dominus primæ in octava præſertim naturâ maleficus portendit mortem violentam: itaque hac in Geneſi ♂ congruentiùs ponitur in octava juxta modum rationalem, quam in ſeptima juxta Campanum.

Præterea hic exponitur Nativitas Franciſci de Bonne, qui è ſimplici nobili factus eſt Dux Deſdiguieres Franciæ Marſcallus, tandemque Coneſtabilis à Clariſſimo Viro Jacobo Valeſio olim ejus domeſtico, nunc Galliæ Theſaurario Generali in Delphinatu Aſtronomiæ & Aſtrologiæ peritiſſimo erecta, juxta modum rationalem, ſupra quam prædixi tempus mortis ipſius viri, dum ea de re per literas ab ipſo D. Valeſio conſulerer, & in qua ♂ dominus undecimæ & ☉, eſt in undecima cum ☿ Horoſcopi domino receptus domo viciſſim à ♀, atque hoc illi militum, Equitum & Capitaneorum amicitiam, ex iiſque fœliciſſimum ſucceſſum attulit; at juxta modum Campani cuſpis 12. fuiſſet 8 gradus ♉, ſicque ♂ fuiſſet in duodecima & ♄ in ſexta oppoſitione, mutuò applicantes, proindeque carceres, morbos atque ingentia mala ſignificantes, à quibus ipſe natus fuit perpetuò liber: non igitur modus Campani experientiæ congruit.

Nativitas Franciſci de Bonne Conneſtabilis Galliæ.



Sed neque, etiam Horizon circulus Terreſtris, vel Meridianus circulus mixtus dividendi ſunt, cùm è contra hi cæterique poſitionum circuli ſint dividentes, etiam in modo Campani: ſupereſt ergo ut circulus dividendus debeat eſſe merè Cœleſtis. Quamobrem cùm circuli latitudinum, declinationum & coluri ſint etiam dividentes Æquatorem & Eclipticam, quorum ille primum, hæc verò ſecundum motum repreſentant, igitur horum alter erit primariò dividendus: At non Ecliptica ob rationes jam ſæpius dictas. Igitur neceſſariò ſolus relinquitur Æquator primariò dividendus, nec dari poteſt ratio cur ſit abjiciendus, quandoquidem nulla eſt domorum diviſio poſſibilis, niſi ipſe dividatur, ut jam ſuperius dictum erit. Sed hujus diviſionis myſterium paulò altiùs repetendum & clarius aperiendum eſt.

Ad figuram erigendam ſive Cœlum reſpectu Terræ dividendum, natura duos exhibet circulos, Æquatorem qui Cœleſtis eſt, & Horizontem qui Terreſtris, ſeſe bibariam dividentes: ubi enim coincidunt nulla eſt domorum diviſio. Porrò quia Cœlum dividi debet Terræ puncto, ad quod figura erigenda eſt, & non Terra alicui Cœli puncto, igitur non horizon, ſed ipſe Æquator eſt dividendus: non tamen per puncta ſectionum utriuſque circuli, nam ductis per illa circulis, neuter ab his ſubdividetur, non etiam per polos Horizontis vel Æquatoris, ſic enim horizon etiam divideretur qui non debet dividi; ergo Æquatoris ſubdiviſio continuanda eſt per ipſos polos Æquatoris & Horizontis quos Natura indicat. Non enim fruſtra nobis illa puncta ſuppeditat, citraque rationem quævis alia fingerentur: jam verò circulus per illos polos traductus, & meridianus, qui cum horizonte ſecant Æquatorem, vel primi motus circulum, in quatuor partes æquales, quarum ſectionis puncta vocantur Cardinalia: & horum alterum eſt in ortu, alterum in medio Cœli, alterum in occaſu, & alterum in imo Cœli, virtute inter ſe differentia. Atque eorum quodlibet cùm duo alia ejuſdem ſecum naturæ habeat in ipſo Æquatore, illa ſcilicet quibuſcum efficit triangulum æquilaterum, inde fit, ut hæc actualis diviſio quaternaria, virtute duodena-

denarium contineat, non per alia puncta continuandam, quàm per illa in qua duo primi circuli dividentes Æquatorem, quippe horizon & meridianus, ſeſe jam interſecant: unde diviſio hæc jure optimo dicenda eſt rationalis, quòd in omnibus naturam rationemque ſequatur, ipſumque Cœli motum per ſingulas domos diſtribuat æqualiter, ita ut quodvis Æquatoris punctum tamdiu moretur in una domo quamdiu in altera; utcumque Cœlum ipſum inæqualiter dividatur: imò Divinam æmuletur Trinitatem ob Trinum illum circulorum numerum, qui ſunt diviſionis ſupradictæ completum fundamentum.

Porrò circulorum Æquatorem in domos Aſtrologicas dividentium, primarius eſt ipſe horizon, tum quia datur horizon ſine meridiano, ut ſub polis, non autem meridianus ſine horizonte, quòd per hujus polum ille neceſſariò traduci debeat, tum quia figuram Cœleſtem ſolus horizon determinat. Siquidem eidem horizonti unicus competit meridanus, ac eidem meridiano multi convenire queunt horizontes, mutata dumtaxat latitudine loci.

Secundus verò dignitate circulus inter dividentes eſt ipſe meridianus, tum quia ſine meridiano nulla eſt poſſibilis in domos diviſio Cœli, ac nulli dantur alii poſitionum circuli, quin ab horizonte & meridiano dependeant; tum quia ordine ſuccedit horizonti, hic enim Cœlum primò ſecat in duas partes æquales, meridianus verò earum utramque illicò diſpeſcit in duas alias etiam æquales, minutior autem ſubdiviſio fit ab aliis poſitionum circulis. Itaque Horizon & Meridianus ſunt duo primarii totius figuræ Genethliacæ circuli, quos idcirco natura præ cæteris inſigni virtutis privilegio nobilitavit, idque etiam obſervavit & miratus eſt Jo. Francus Offuſius oſor Aſtrologiæ, alioquin vir doctus & ſuptilis, à quo Keplerus multa deſumpſit, cauſam tamen ſe ignorare confeſſus eſt.

Denique cùm ex Cœleſtibus circulis ſolus Æquator Cœlo dividendo ſit idoneus pro Aſtrologicarum domorum diſtinctione: negari nequit quin & univerſalis virtus reſpectu domorum competat, quæ actuali ipſius Æquatoris diviſione determinatur, quod ad ſequentia obiter notandum eſt. His adde quod cùm Ptolomeus lib. 3. Quatrip. cap. 11. velit domum undecimam ſemper aſpicere Horoſcopum Sextili, decimam quadrato, & nonam △: hique aſpectus dumtaxat in Æquatore intelligi queant, etiam intelligit domorum diviſionem ad Æquatorem primò pertinere. Vide Annotationes noſtras in Commentarium Centiloquii, editum à D. de Vilennes, Aphoriſmo 37.

Caput V.

Quo Cœli juxta methodum rationalem dividendi modus accuratior exponitur, & circa methodum ipſam inſignis difficultas ſolvitur, cum nova domorum diviſione per ipſum modum rationalem.

Dupliciter juxta modum rationalem, Cœlum in domos Aſtrologicas dividitur. Nempè per Tabulas domorum, & per Tabulas Aſcenſionum. At quia Tabulæ domorum non ſunt extructæ ad ſingulos gradus altitudinis poli, ſicut ſunt Tabulæ aſcenſionum, idcirco hanc poſteriorem viam hîc tantùm explicabimus, ut accuratiorem.

Itaque ſit erigenda figura meæ Nativitatis anno 1583. die 22. Februarii 20. horis 33′. tempore apparente, Francopoli Belliocenſium, per Tabulas Rudolphinas. Differentia meridianorum eſt 28′. addenda, & æquatio Temporis 15′. Similiter addenda, ex parte ſeptima ſcientiæ longitudinum: proindeque tempus æquatum & correctum eſt 21. hor. 16′. ad quod ex ipſis Tabulis colliguntur vera Planetarum ſingulorum loca. Eſt autem verus locus Solis 4. gr. 19′. 18″. ♓, cujus aſcenſio recta eſt 336. gr. 12′. Datum verò tempus apparens 20. h 33′. converſus in gradus Æquatoris valet 308. grad. 15′. qui cum aſcenſione recta Solis conficiunt 284. grad. 27′. pro aſcenſione recta medii Cœli, cui in Tabula aſcenſionum rectarum competunt 13. gr. 17′. ♑. Huic autem aſcenſioni rectæ ſi addantur 30. gradus, & ſummæ iterum 30. gradus, idque quinquies repetatur, conſurgent 314. gr. 27′. 344. gr. 27′. 14. gr. 27′, 74. gr. 27′, pro aſcenſionibus obliquis domorum orientalium 11. 12. 1. 2. & 3. dividendarum circulis poſitionum per horizontis & meridiani ſectiones traductis, ſupra quos ſigillatim invenienda eſt altitudo poli, per Tabulam domorum rationalem à Regiomontano traditam, atque hîc majoris commoditatis & facilioris explicationis gratiâ appoſitam, cujus talis eſt uſus.

Tabula

Tabula domorum rationalis.

Latitudo Loci	Domus 11. 3	Domus 12. 2		Latitudo Loci	Domus 11. 3.	Domus 12. 2.
Gr.	G. M.	G. M.		Gr.	G. M.	G. M.
1	0. 29	0. 51		31	16. 44	27. 49
2	0. 59	1. 43		32	17. 21	28. 25
3	1. 29	2. 25		33	17. 59	29. 11
4	1. 59	3. 27		34	18. 38	30. 17
5	2. 29	4. 19		35	19. 18	31. 14
6	3. 0	5. 11		36	19. 58	32. 11
7	3. 31	6. 4.		37	20. 39	33. 8
8	4. 2	6. 57		38	21. 20	34. 5
9	4. 32	7. 49		39	22. 2.	35. 2
10	5. 3	8. 41		40	22. 45	36. 0
11	5. 34	9. 33		41.	23. 29.	36. 58
12	6. 5.	10. 26		42	24. 14	37. 57
13	6. 36	11. 18		43	25. 0	38. 56
14	7. 7	12. 11		44	25. 47	39. 55
15	7. 38	13. 4		45	26. 34	40. 54
16	8. 9	13. 57		46	27. 22	41. 53
17	8. 41	14. 50		47	28. 11.	42. 53
18	9. 13	15. 43		48	29. 2	43. 53
19	9. 45	16. 36		49	29. 54	44. 54
20	10. 18	17. 30		50	30. 57	45. 55
21	10. 51	18. 23		51	31. 41	46. 56
22	11. 25	19. 17		52	32. 37	47. 57
23	11. 58	20. 11		53	33. 34	48. 59
24	12. 32	21. 5		54	34. 32	50. 1.
25	13. 7	21. 59		55	35. 32	51. 3
26	13. 42	22. 53		56	36. 33	52. 5.
27	14. 18	23. 48		57	37. 35	53. 8
28	14. 54	24. 43		58	38. 39	54. 11
29	15. 30	25. 38		59	39. 45	55. 14
30	16. 7	26. 33		60	40. 53	56. 13

In columna latitudinis loci, quæratur latitudo loci meæ Nativitatis vel horizontis, quæ eſt 45. gr. 25′. ſi quæ eſſet dumtaxat 45. graduum, haberentur è directo in duabus columnis ſequentibus ad dexteram 26. gr. 34′. pro altitudine poli, ſupra circulos poſitionum undecimæ tertiæ domuum: nec non 40. gradus 54′. pro altitudine poli circulorum duodecimæ & ſecundæ: At quia latitudo loci meæ Nativitatis eſt 45. gr. 25′. Igitur opus erit duplici ingreſſu in Tabulam, & parte proportionali, ut fieri ſolet in Tabulis, & invenientur 26. gradus 45′. pro exacta altitudine poli ſupra circulos poſitionum undecimæ & tertiæ domuum, nec non 41. gradus 19′. pro altitudine poli duodecimæ & ſecundæ.

Igitur in Tabulis aſcenſionum obliquarum ad has latitudines, ſive poli altitudines, quærantur ſuprapoſitæ aſcenſiones obliquæ, & è directo, gradus Eclipticæ eiſdem aſcenſionibus congruentes, facto duplici ingreſſu in Tabulas, & invenientur 1. gr. 38′. ♒ pro undecima domo: 3 gr. 18′. ♓ pro duodecima: 27. gr. 17′. ♈ pro Horoſcopo: 6. gr. 32′. ♊ pro ſecunda, & 27 gr. 24′ ♊ pro tertia domo, quarum domorum oppo-

oppoſitis in parte Cœli occidentali 4. 5. 6. 7. 8. & 9, congruunt Eclipticæ gradus oppoſiti. Atque hic eſt modus figuram accuratè extruendi per Tabulas, omnium optimus àtque facillimus; ſoluſque congruens menti Ptolomei, pro aſpectu domorum 11. 10. & 9. ad Horoſcopum, aſpectibus ſcilicet in Æquatore ſumptis: quo etiam facile eſt diſcernere, qua in domo ſit, centro vel corpore Planeta quilibet. Ut in mea Geneſi altitudo poli ſupra circulum poſitionis domus undecimæ eſt 41. gr. 19′. at ſupra circulos poſitionis ☿ ♀ & ☉ eſt 40. gr. 30′, 40. gr. 56′. & 41. gr. 18′. Ideoque hi Planetæ ☉ excepto non ſunt centraliter in duodecima, ſed ſupra. Circulus poſitionis ♃ & ☽ eſt 41. gr. 24′. & 41. gr. 25′. Ideoque hi duo Planetæ ſunt in eodem circulo poſitionis, ac ferè eodem cum circulo duodecimæ, ſed intra hanc, ſic de aliis. Porrò Planetæ ponantur in figura, juxta ſeriem ſuarum Aſcenſionum rectarum; nam quorum aſcenſiones rectæ antecedunt, ii motu diurno præcedunt.

Verùm quamvis natura hunc dumtaxat modum rationalem nobis ſuppeditet; Ingens tamen circa ipſum difficultas ſupereſt enodanda. Nam etſi Æquator ſit toto Terrarum Orbe diviſibilis à poſitionum circulis, tamen Ecliptica ab eiſdem non ubique dividitur. Sed à circulis polaribus ad Mundi polos ſæpe coincidit cum horizonte, vel altero poſitionis circulo: quippe in latitudine 66. gr. 30′. coincidit cum horizonte diebus ſingulis ſemel, in latitudine 69. gr. 22′. coincidit cum circulo poſitionis duodecimæ domus, & in latitudine 77. gr. 44′. coincidit cum circulo undecimæ, tuncque videtur definiri non poſſe cujus Planetæ dominio ſubſit domus inchoans ab ipſo circulo, aliæ verò nullius Planetæ dominio ſubeſſe videntur, quòd earum circuli nec ſecent Eclipticam, nec cum ea coincidant. Id autem in Aſtrologia erit intolerabile: omnis quippè domus vel ejus ſignificatum, alicujus Planetæ dominio ſubjici debet. Ac in ſumma dantur quidem earum domorum aſcenſiones obliquæ & poſitionum circuli, ſed nulli gradus Eclipticæ eis correſpondentes. Itaque à circulis polaribus ad Mundi polos, methodus rationalis videtur eſſe non univerſalis, ſed tantùm localis, proindeque non ſcientifica, ſed vana vel erronea.

Atqui notandum eſt primò, quod Dodecatemoria ſive ſigna Zodiaci dividuntur circulis latitudinum ductis per Eclipticæ polos; ideoque extenduntur ab uno polo ad alterum, duodecimam totius Cœli partem ſigillatim complectentes. Secundò, quod Luna verbi gratiâ Cancri domina præeſt huic toti ſigno, prout ab uno Eclipticæ polo ad alterum extenditur, & non ſoli arcui Eclipticæ qui ſignum ipſum per medium ſecat, ideoque Planeta alter exiſtens in ♋ extra Eclipticam dicitur nihilominus ſubeſſe dominio ☽, & hæc illius domina eſt: idemque cenſendum de quovis altero ſigno ejuſque domino. Tertiò, quod in medio Dodecatemoriorum per quod tranſit Ecliptica, conſiſtit ſignorum ipſorum maxima virtutis efficacia, unde fit, ut ipſius Eclipticæ maxima ſemper habita ſit ratio, quaſi tota vis ſignorum in ſola conſiſteret Ecliptica. Idque probatur evidenter ex directionibus, quibus conſtat non ſolùm efficacem eſſe directionem ſignificatoris ad Planetam cum latitudine ſpectatum, ſed etiam ad ejus locum in Ecliptica. Imò caput & cauda Draconis tantæ virtutis apud Antiquos, non aliam vim habent, quàm quòd ſint Eclipticæ puncta, unde Luna in ſuis nodis cenſetur fortiſſima.

His poſitis, quandoquidem Æquator à poſitionum circulis dividitur in puncta quæ domorum ſunt initia, inveniantur horum Æquatoris punctorum longitudines, ſive gradus Zodiaci ad quos illa pertinent: ſicque ſignum cujuſque domus, & conſequenter Planeta ipſius ſigni, hoc eſt ipſius domus domini cognoſcentur. Sic autem invenientur illæ longitudines.

Habeantur ut ſuperiùs domorum 6 orientalium aſcenſiones: & quia ex cujuſque domus aſcenſione, datur Æquatoris arcus interceptus inter principium ♈ vel ♎, & punctum aſcenſionis cujuſque domus, cum Ecliptica, & circulo latitudinis aſcenſionem ipſam terminante: Inde fit triangulum rectangulum in interſectione Eclipticæ cum latitudinis circulo, in quo ſemper nota ſunt ipſe Arcus ſupradictus, & angulus ab eodem & Ecliptica comprehenſus, qui eſt maxima Eclipticæ obliquitas, ſeu 23. gr. 30′. Ergò fiat ſemper, ut tangens complementi ipſius Arcus, ad ſinum complementi obliquitatis, ita radius ad tangentem Arcus Eclipticæ, qui ſignum & gradum initii cujuſque domus indicabit.

Sed particulariter nota, quod ſi aſcenſio fuerit minor quadrante circuli, erit cum ipſa operandum, & prodibit Arcus Eclipticæ numerandus ab Arietis principio.


Si aſcenſio fuerit quadrante major, & ſemicirculo minor, operandum erit cum ipſius aſcenſionis complemento ad ſemicirculum, prodibitque complementum ſemi-Eclipticæ ab ♈ ad ♎ numerandæ.

Si aſcenſiò ſuperaverit ſemicirculum, minor tamen tribus quadrantibus circuli, ſeu 270. gradibus, erit operandum cum ejus exceſſu ſupra ſemicirculum, & prodibit Arcus Eclipticæ à principio ♎ numerandus. Si denique aſcenſio ſuperaverit ¾ circuli, operandum erit cum complemento ad totum circulum, prodibitque complementum ſemi-Eclipticæ à ♎ ad ♈ numerandæ. Atque hoc pacto ſemper & ubique, domorum cuſpides habebuntur in ſignis & gradibus, nec non cui Planetæ ſubjiciantur innoteſcet.

His igitur ad praxim reductis in mea Geneſi cujus domorum orientalium datæ ſunt ſuperiùs aſcenſiones, ex calculo prodibunt ſequentia domorum ipſarum initia, nempè qualia in ſequente figura cernuntur. Siquidem Cœli puncta in quibus Æquator & poſitionum circuli ſe interſecant, ad illos Zodiaci gradus pertinent, hique ſunt illorum longitudines.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Figura Meæ Nativitatis erecta juxta Modum Rationalem & Univerſalem.



Atque hoc pacto modus rationalis redditur toti Terræ univerſalis, circa quem duo notatu digna occurrunt. Primum, quod nullum ſit unquam ſignum interceptum in figuræ domibus. Secundum, quod figuræ omnes eodem temporis inſtanti erectæ ſub eodem meridiano, eaſdem habent domorum cuſpides in Ecliptica, quæcunque ſit altitudo poli ſuper horizontem, aut horizontis diverſitas, quia ſcilicet eaſdem habent domorum aſcenſiones, ejuſdem verò puncti Æquatoris eadem & unica eſt longitudo in Ecliptica, ſed in hoc differunt, quod in ſphæra recta partes Cœli in domos diviſi ad æqualitatem propiùs accedant, quò verò ſphæra obliquior eſt, eò Cœli partes inter ſe ſint magis inæquales.

Quoniam verò cujuſque ſigni virtus maximè viget in Ecliptica, ut jam ſuperius dictum eſt: idcirco ubi continget domorum circulos ſecari ab Æquatore ſimul & Ecliptica, erit præcipuè obſervandus ipſius Eclipticæ gradus, pro cuſpidis domino principali determinando, ſi dominium dividi contingat, hoc eſt ſi puncta ejuſdem circuli poſitionis ſecta ab Æquatore & Ecliptica, ad ſigna diverſorum Planetarum pertineant: Gradus igitur Eclipticæ, longitudine reſpondens Æquatoris ſectioni, tunc erit ſolùm ſecundarius vel Prioris Vicarius pro ipſo dominio: Reliquorum verò Cœli punctorum inter Æquatorem & Eclipticam poſitorum in ipſo horizonte, vel altero poſitionis circulo, nulla fiet peculiaris obſervatio, quamvis ipſa etiam Planetarum dominio ſubſint, & ad Eclipticam longitudine reducantur, quippe quòd domorum diviſio tantùm facienda ſit per aliquid determinatum, qualia ſunt puncta ſectionum Æquatoris vel Eclipticæ à circulo poſitionis, non autem puncta illa intermedia. Non inutile tamen fuerit tranſitum Planetarum obſervare, non tantùm in ipſo puncto Eclipticæ interſectæ ab horizonte, vel altero poſitionis circulo, aut in ejuſdem Eclipticæ gradu reſpondente Æquatoris ſecto gradui, ſed in gradibus etiam intermediis, quos dum Planeta decurrit ad effectum proclivis exiſtit, juxta ſignificatum domus ad quam pertinet ipſe poſitionis circulus, maximè cùm verſatur in ipſo circulo poſitionis, minùs verò extra hunc, quamvis ſit in ipſa domo, nam extra hanc ad ejus ſignificatum ſuo ſitu non pertinet. Præterea quoniam Planetæ ſuos in orbem radios projiciunt, utile erit advertere eorum aſpectus ad Æquatoris puncta ſecta à poſitionum circulis, nam hi aſpectus ſunt efficaces.

Tandem quoniam Pars fortunæ etiam nequit extrahi ubique Terrarum penes modos omnes antiquorum, ſic ea modo iſto univerſim eruetur. Aſcenſio Solis auferatur ab aſcenſione Lunæ ſumpta unaquaque in proprio luminaris circulo poſitionis, & reſiduo addatur aſcenſio Horoſcopi, fit arcus Æquatoris, cujus ut ſupra longitudo erit invenienda, & in gradu longitudinis reperto, pars fortunæ collocanda. Sic enim tanta eſt diſtantia partis fortunæ à ☽ quanta ☉ ab H^{o} in gradibus Æquatoris.

Vel metire gradus Æquatoris interceptos inter circulos poſitionum ☉ & H^{1}, & eos adde aſcenſioni Lunæ rectæ ſi fuerit in meridiano, obliquæ ſi fuerit extra, fietque idem gradus Æquatoris qui ſupra.

Porrò

Porrò quod nec ratione, nec experientiâ careat doctrina ſuperior, paucis probandum eſt. Ratio autem hæc eſt: Si Æquatori vis ineſt univerſalis reſpectu domorum Aſtrologicarum, ut oſtenſum eſt in fine cap. 4. ſect. 2. etiam certum eſt ejus conſiderationem non eſſe hic negligendam. Imò Ptolomeus lib. 3. Quadrip. cap. 11, dum vult Horoſcopum aſpici ab undecima ⚹, à decima □, & à nona △, inſinuat omnino domorum diviſionem per Æquatorem, ut jam diximus in fine cap. 4. ſect. 2. At ejus ſinguli gradus longitudine referuntur ad gradus Eclipticæ, ideoque duo utriuſque circuli gradus ſibi correſpondentes ad eundem Planetam dominio pertinent: igitur ex ſexto Æquatoris puncto dato, datur Planeta in ipſa ſectione dominus pro Vicario ſaltem haud contemnendus, imò primatum dominii ſibi vendicans, dum ſolus Æquator ſecatur à circulo poſitionis, vel dum Ecliptica cum aliquo poſitionis circulo coincidit. Atque hoc bellè ſibi quadrat: dum enim Ecliptica cum horizonte coincidit, dici nequit nullum Planetam primæ domui vel Horoſcopo dominari, ſed neque æquum eſt ♄ ♃ ♂ ♀ & ☿ dominantes ſignis à ♑ ad ♋, quæ hemicyclum orientalem conſtituunt, ipſi Horoſcopo æqualiter dominari, cùm in ipſo hemicyclo detur punctum pro vero Horoſcopo, vel nati ortu cæteris efficacius, quippe illud quod eſt in Mundi ortu æquinoctiali juxta domorum cabalam. At in illo puncto Æquator ſecat horizontem, hoc eſt, Eclipticam in principio ♈, cui puncto ♂ dominatur, quamobrem ♂ dicetur ſaltem primarius Horoſcopi dominus ſupra cæteros Planetas, qui etiam eidem hemicyclo orientali dominantur. Si dixerit quiſpiam, quis ergo tunc erit primarius dominus duodecimæ, undecimæ, decimæ, &c: cùm tota Ecliptica ſit in horizonte? Reſpondetur, ille erit dominus unicus, qui præfuerit puncto Æquatoris ſecto à circulo poſitionis domus duodecimæ, undecimæ, decimæ, &c: ſicque tollitur omnis difficultas.

Tandem in ſingulis etiam methodis figuram erigendi ſupra rejectis, idem accidit inconveniens de tota Ecliptica in horizonte, vel altera poſitionis circulo, diviſionem Cœli prohibens, & Planetarum dominia in ſingulis domibus, niſi alius quam Ecliptica circulus dividatur. Et diviſionem punctis ad Eclipticam reductis Planetæ, ut ſupra dominentur: ergo methodus rationalis ut à nobis traditur, cæteris undequaque præferenda eſt.

Quod verò ad experientiam attinet, equidem deſtituimur hic exemplis hominum borealium in quorum genituris Ecliptica fuerit aliquis poſitionis circulus. Sed in mea Geneſi juxta doctrinam hanc ſuperiùs erecta, cuſpides domorum eadem retinent ſigna quæ in methodo rationali ordinaria exceptis ſecunda & octava, quæ hic ſunt ♊ & ♐, illic ♉ & ♏: utraque tamen figura correſpondet egregiè meis accidentibus, nam in ordinaria methodo ☿ eſt mihi dominus ſecundæ in ⚹ ferè partili H¹, & in rei veritate proprio ingenio atque ſcientiâ Deo tamen providenti, lucratus ſum unde hactenus vixerim, ſed tenuiter, quòd ☿ me acriùs ad ſcientias quàm ad divitias comparandas ſtimularit. In hac verò noviſſima methodo ♀ eſt mihi domina ſecundæ: & in rei veritate, cum medium Cœli directione pervenit ad ♀ Illuſtriſſimus D. Mareſcallus Deffiat Supremus Ærarii Regii Præfectus, dedit mihi nec petenti, nec quidem de ſe benè merito pluſquam 800 aureos ſola in homines verarum ſcientiarum cultores propenſione generoſiſſima, & à me debitis ſaltem laudibus hic celebranda. Non ergo fruſtra, ♀, dicetur à me domina ſecundaria domus ſecundæ, & ☿ dominus primarius.

Similiter in ordinaria methodo ſignum igneum ♐ cum corde ♏ fixa violenta, inchoat mihi octavam domum, eſtque ♃ dominus octavæ in duodecima, in ♓ & corde ☉: atque ex tali cuſpide mortis violentæ pericula ſignificabantur, ſed ſignificabantur etiam in noviſſima methodo à ♏ reperta in cuſpide octavæ, quòd ſcilicet ♂ ſim l ſit dominus Horoſcopi & octavæ, atque in ſua dejectione, ejus domina ☽ ♄ juncta in duodecima domo. Itaque igne, ferro, aquis, & equis pluries incidi in violentæ mortis ſtupenda pericula, ut jam ſæpiùs mirer venererque Divinam bonitatem quæ ſola ex illis me, etſi ſemel graviſſimè & periculoſiſſimè vulneratum eripuerit, conſentiente △ ♃ totiuſque cumuli Planetarum, ad ♂ ex ſignis minimè violentis. Igitur uterque tum Eclipticæ, tum Æquatoris gradus à poſitionis circulo ſectus virtute pollet, idque paſſim in aliis genituris quarum omnia nota ſunt accidentia verificabitur.

Poteſt autem doctrina hæc aliunde confirmari ex directionibus, quarum effectibus nihil eſt in Aſtrologia evidentius: at directiones tantùm inſtituendæ ſunt penes Æquatorem & non Eclipticam: imò dum arcus directionis in tempus convertitur, dividi debet per diurnum medium aſcenſionis rectæ ☉, quod eſt habere rationem Æquatoris & non Eclipticæ, ut à nobis alibi fuſiùs exponetur; ergo vim Æquatoris eſſe maximam in Aſtrologia undique convincitur.

Sed nonnulla hic occurrunt annotanda circa Planetarum & fixarum poſitum in figuræ ſpatiis ſive domibus Aſtrologicis, quarum alia cuivis ſphæræ, alia verò obliquæ dumtaxat conveniunt.

Itaque in genere ſtellæ vel Cœli puncta quorum declinatio borealis major eſt complemento latitudinis loci, ea nunquam occidunt, ſed ſemper verſantur ſuper horizontem, ac proinde in domibus ſuperterraneis 12. 11. 10. 9. 8. vel 7. At quorum declinatio auſtralis major eſt complemento latitudinis loci, ea nunquam oriuntur, ſed ſemper verſantur ſub horizonte, ac proinde in domibus ſubterraneis 1. 2. 3. 4. 5. 6. Ex Tabulis autem aſcenſionum obliquarum, patet in ſpecie quænam Eclipticæ puncta ſemper verſentur ſupra vel infra horizontem, ultra latitudinem loci 66. gr. 30′. Reliqua verò Cœli puncta oriuntur & occidunt.

Ad hæc in boreali ſphæra, ſtellæ & Cœli puncta ſuper Terram ſemper gyrantia, quarum declinatio major eſt, gyrationem ſuam abſolvunt intra decimam atque nonam domos ſuperterraneas, & quarum minor, excurrunt ad undecimam & ad octavam, & quarum minima ad duodecimam & ſeptimam; biſque reperiuntur in meridiano intra viginti quatuor horas, altiùs ex parte meridici, & depreſſiùs ex parte ſeptentrionis. Tunc verò ſemper exiſtunt in decima domo, non autem ex parte meridiei in decima, & ex parte ſeptentrionis in quarta. Nam totus ſemicirculus meridiani ſuperterraneus, pertinet ad domum decimam ex antea dictis, ideoque nullo Eclipticæ puncto exiſtente in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

meridiano ſupet Terra & parte meridiei, ſed aliqua exiſtente ex parte ſeptentrionis (quod nempe non occidat) hoc dicetur eſſe in decima cuſpide, ejusque dominus Planeta, erit dominus decimæ primarius: ſecundarius autem decimæ dominus, erit Planeta dominus puncti oppoſiti ſub Terra verſantis, quod correſpondet per aſcenſiones rectas Æquatoris puncto ſuperterraneo meridianum circulum occupanti. Viciſſim verò ſecundarius dominus decimæ erit primarius quartæ, & primarius decimæ erit ſecundarius quartæ. Unde nihil mirum quod experientia teſtetur harum domuum oppoſitarum ſignificata reciprocari, & ex decima judicari de quarta, viciſſimque ex quarta judicari de decima, quibus intellectis nulla orietur mentis perturbatio, quod ex parte boreæ, & non auſtri, primarium quæramus decimæ dominum: quandoquidem Ecliptica, ſuo & meridiani ſuperterranei jure, eò mentem noſtram evocat, ob ſuum in borealibus locis ſitum, valde difformem, à quo difformes etiam producuntur effectus. Eademque eſt ratio de omnibus aliis cæterarum domorum ſemicirculis, inter binas horizontis & meridiani ſectiones interceptis, verſus utraque Mundi extrema boreale & auſtrale, quod ſuperiorem noſtram firmat ſententiam. Si enim domorum nonam & undecimam ſemicirculi ab Ecliptica ſecti prope borealem horizontis & meridiani ſectionem dicuntur ſubeſſe dominiis Planetarum, qui præſunt punctis ſectionalibus Eclipticæ ſine ulla Aſtrologorum controverſia: nulla ratio valida poteſt afferri, cur idem non dicatur pro ſemicirculo meridiani intermedio, qui ab eadem ſecatur Ecliptica.

Denique certum eſt methodos omnes quæ Cœlum dividunt à polis Eclipticæ, vel Æquatoris extra communem horizontis & meridiani ſectionem repertis, eſſe falſas & experientiæ contrarias, ſolamque rarionalem methodum eſſe veram, quæ experientiis perpetuò quadrat. Ideoque ſtellam in quovis puncto meridiani ſuperterranei repertam dicendam eſſe verſari in decima domo, in quarta autem ſi fuerit in oppoſito ſemicirculo.

Hinc patet Regiomontanum difficultatem hanc non animadvertiſſe Probl. 17. ſuarum Tabularum, aſſerens quod ſi alicujus ſtellæ & medii Cœli aſcenſiones rectæ differentes fuerint 180 gradibus, ſtella erit in angulo Terræ, hoc eſt quarta domo: quandoquidem medii Cœli aſcenſio recta perpetuò differt 180 gradibus ab aſcenſione recta ſtellæ repertæ in meridiano ſuperterraneo, infra polum Æquatoris, cùm tamen ſtella ipſa ſit ſupra Terram.

Eſt autem ſedulò notandum aliud eſſe decimam domum vel hujus cuſpidem aut circulũ poſitionis, & aliud medium Cœli. Nam decima vel ejus circulus poſitionis eſt totus meridiani ſemicirculus ſuperterraneus: medium verò Cœli, eſt illius ſemicirculi arcus ad quem aſtra motu diurno queunt aſcendere indeque deſcendere, medians ſcilicet in Cœlo eorum, aſcenſum & deſcenſum ſuper terram: hic verò arcus ſumitur tantùm à polo per Zenith ad horizontem auſtralem pro borealibus regionibus Terræ. Quamobrem quicunque Planeta dirigitur ad medium Cœli, intelligitur dirigi duntaxat ad illum arcum, non autem alterum illi ex parte boreæ reliquum ad ſemicirculum (quos duos arcus ipſe polus ſeparat) vel ad ſtellam in ipſo reliquo poſitam, ſicque Planeta poteſt eſſe in decima cuſpide non exiſtens in medio Cœli.

Igitur tantùm ſupereſſe videtur, ut qua methodo & ordine Planetæ ſtellæque fixæ in ſpatiis, vel domibus Aſtrologicis locandæ ſint doceamus. Primò itaque ab aſcenſione recta ſtellæ aufer aſcenſionem rectam medii Cœli, ſique reſiduum fuerit nullum cum declinatione boreali, vel etiam auſtrali quæ ſit minor complemento latitudinis loci, Planeta eſt in ipſo medio Cœli ſupradicto: Si reſiduum fuerir 180 gradus, cum declinatione boreali quæ ſit major complemento latitudinis loci, Planeta eſt in decima, vel meridiano ſuperterraneo ex parte boreali. Si autem declinatio borealis ſit minor jam dicta, vel auſtralis, Planeta erit in domo quarta, vel meridiano ſubterraneo. Si vero reſiduum fuerit minus 180 gradibus, Planeta eſt in medietate Cœli orientali, vel aſcendente; ſi denique fuerit majus, Planeta eſt in parte occidentali.

Secundo. Ex antea dictis conſtabit an Planeta vel fixa oriatur & occidat intra viginti quatuor horas necne; ſique nec ſemper, nec ultra viginti quatuor horas moretur ſupra vel infra horizontem, tunc ad datam loci latitudinem, cum ipſius Planetæ declinatione ſumatur ejus aſcenſionalis diffeientia ex Tabulis, quæ in ſtellæ boreali declinatione addatur, & in auſtrali detrahatur 90 gradibus, fietque arcus ſtellæ ſemidiurnus. Ideoque ſi ſtella fuerit in medietate Cœli orientali, & ejus à medio Cœli diſtantia minor illo arcu, ſtella erit ſupra Terram in domo 12. 11. vel 10. Si major, infrà, in domo 1. 2. vel 3. Si autem ſtella fuerit in medietate Cœli occidentali, & ejus à medio Cœli diſtantia major illo arcu, ipſa erit infra Terram in domo 4. 5. vel 6. ſi minor, ſupra in domo 7. 8. vel 9. Denique pro quacunque ſtella aut Planeta quem eſſe ſupra, vel infra Terram conſtabit ex ſupradictis, inveniatur circulus poſitionum cuſpidum figuræ, & patebit in quo ſpatio illa fuerit collocanda: ſtellæ autem in eadem domo conſtitutæ, eo ordine collocentur, quo eorum rectæ aſcenſiones, ut jam alibi diximus. Vel ſi majus, penes circulos ſuos & obliquas aſcenſiones, ſicque figura Cœleſtis ubique locorum rectè erigetur. Atque ex ſupradictis patet quod Æquator deſerviat domibus dividendis, Ecliptica vero dominis ipſarum inveniendis.

Obiter tamen notandum eſt, quod omnes figuræ Cœleſtes quæ ſub eodem parallelo eâdem enumeratione horâ exiguntur, durante unâ primi mobilis revolutione, ſunt inter ſe maximè ſimiles, ſi Lunæ locum exceperis. Ideoque eodem die nati ſub eodem parallelo, eâdem numero horâ, iiſdem fatis ſubjiciuntur. At nati ſimul tempore ſub eodem meridiano in diverſis latitudinibus, quamvis habeant omnes Planetas in iiſdem Zodiaci locis, idemque medium Cœli, tamen horum figuræ ſunt inter ſe diſſimiliores, quàm illorum qui eâdem numero horâ naſcuntur ſub eodem parallelo, ut figuras conſtruenti patet.

Vide quæ de vero Thema Cœleſte erigendi modo à nobis dicta ſunt in noſtris Aſtrologicis notis Gallicis contra Marchionem de Vilennes in ſuo Commentario ſupra Centiloquium Ptolomei.

SECTIO

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

SECTIO III.

In quo conſiſtat eſſentia, vel formalis ratio domus Aſtrologicæ.

Caput I.

Eſſentia domus Aſtrologicæ conſiſtit in relatione ſitus ad natum extra Mundi axem poſitum.

Domus Aſtrologica hic duntaxat à nobis ſumitur pro quavis partium figuræ Aſtrologicæ, quâ alicui Terræ loco, vel naſcenti homini totum Cœlum vel Mundanum ſpatium in duodecim partes dividitur, quas domos appellant, inter ſe virtute diverſas, pro diverſo cujuſque ſitu ad id, reſpectu cujus fit diviſio.

Porrò cùm domorum diviſio fiat per relationem ſitus cujuſque domus ad aliquid, hoc non erit Mundi centrum, aut quodvis aliud axis Mundani punctum; nam domorum diviſio fieri nequit abſque particulari meridiano, ut ſectione præcedenti patuit: in centro autem & toto axe Mundi, nullus aſſignari poteſt particularis meridianus, nulla ergo in centro vel axe Mundi poſſibilis eſt domorum diſtinctio. Ergo neque ſub polis, qui ſunt extrema ipſius axis. Homine autem extra centrum & axem conſtituto in ſuperficie Terræ, ut illico fit particulari meridiano indeque ſtatis corporum Cœleſtium ſitibus, ortu, culminatione & occaſu differentibus obnoxius, ita etiam diviſionis domorum, ſive ſituum præbet ſeipſo originem, quatenus extra Mundi axem poſito. Nam linea ducta à Mundi centro per natum, ut ſupra conſtitutum, definit in Cœli punctum quod nati zenith, ſive vertex appellatur, ex quo circulus horizontalis deſcribi concipitur. Et circulus qui per tale zenith & per polos Æquatoris tunc ab horizonte divulſi trajicitur, is nato meridianus eſt, per horum verò ſectiones reliqui poſitionum circuli domorum diviſores extenduntur. Ex quibus patet domus Aſtrologicæ eſſentiam conſiſtere in ſimplici ſui ſitus relatione ad natum, vel ſuperficiei Terreſtris punctum, in quo ille naſcitur, quatenus extra Mundi centrum & axem conſtitutum: ſicque domos Aſtrologicas eſſe ipſi puncto eſſentialiter alligatas ratione ſitus.

Caput II.

An domorum diviſio facienda ſit per Mundi centrum. An verò per nati locum: Et quæ ſit earum cauſa materialis.

Quoniam ex cap. 1. domus Aſtrologicæ eſſentialiter ſunt alligatæ puncto Mundani ſpatii extra Mundi axem, in qua aliquid naſcitur, ſivè homo, ſive brutum: Hinc ſequitur domorum diviſionem faciendam eſſe non per Terræ centrum, ſed præcisè per locum naſcentis: ita ut circulorum figuram dividentium plana, ſeſe mutuò ſecent in ipſo nato in domorum centro conſtituto. Et ratio eſt, quia genituræ figura erigitur, ut ſciatur concurſus virtutis aſtrorum ad illud Mundani ſpatii punctum, in quo naſcitur infans, qui virtutis illius concurſum excipit. At hunc non excipit in Terræ centro, ſed in terreſtris ſuperficiei puncto ubi naſcitur: ergo per hoc punctum facienda eſt domorum diviſio, ipſius nati reſpectu.

Hinc verò ſequitur, quod ſi in ſuperficie Lunæ naſceretur aliquod animal (ut perperam cenſetur à nonnullis) Cœlum eſſet ipſi dividendum circulis tranſeuntibus, non per Mundi, ſive Terræ, neque per ☽ centrum, ſed per ſuperficiei Lunaris punctum in quo naſceretur.

Objicies circulos figuram, ſive Cœlum nato dividentes, ſcilicet horizontem, meridianum & poſitionum circulos, eſſe de communi conſenſu maximos. Ergo tranſeunt per Mundi centrum, non verò per naſcentem puerum.

Reſpondeo. Tales circulos in figura nati non eſſe maximos exactè, (excepto meridiano) ſed à maximis differre, differentiam tamen eſſe prorſus inſenſibilem. Nam ſi ne quidem diſtantia Solis à Terra reſpectu ſemidiametri ſphæræ fixarum eſt ſenſibilis, quantò minùs ſenſibilis erit Terræ ſemidiameter, cùm tota Terra etiam Lunæ inſtar lumine plena, ſaltem ex loco ♃ aut ♄ in inviſibile punctum evaneſcat? Valet autem hæc reſponſio, ad quaſvis alias ſimiles Objectiones, ut quod domorum diviſio fiat in Æquatore per æquilatera triangula, quæ tamen hoc pacto non erunt æquilatera, nec ſingulæ domus diſtabunt inter ſe 30. gradibus Æquatoris, ut ſuppoſuimus cap. 2. ſect. 2. nec Eclipticæ punctum oriens erit partiliter oppoſitum occidenti, ſi quidem in his omnibus differentia eſt prorſus inſenſibilis: ita ut quo ad effectum nihil refert an diviſio domorum fiat per nati locum, vel per Mundi centrum.

Sed hinc ſequitur etiam, quod vera Planetarum loca in Ephemeridibus poſita quæ ad Terræ centrum referuntur, debent per paralaxim corrigi ac reduci ad locum ſuperficiei Terræ, in quo puer naſcitur, ac præſertim Lunæ locus, tunc maximè cùm horizonti vicina fuerit, ob hujus paralaxim unius ferè gradus. Natus enim afficitur radiis Planetarum, ad ſe non autem aliò directis ſeu vibratis.

Tandem ſequitur quod ſi Divina virtute tellus in eam molem excreſceret, ut ejus diameter ſubdupla fieret diametri Cœli, Planetæ verò eadem ratione Cœlum verſus retraherentur, modus quidem agendi Planetarum atque Cœli non variaretur, ſed ſemper in hominem in ſuperficie Terræ naſcentem agerent, ratione naturæ ſuæ domualis, ſitus & dominii. At Æquator à poſitionum circulis valdè inæqualiter divideretur, poſitis ſex domibus ſupra, & ſex infra horizontem per nati locum in Terræ ſuperficiei tranſeuntem; proindeque domorum triplicitates per æquilatera triangula in ipſo Æquatore non conſtituerentur, differentiâ etiam inſigni, contrà genericæ domorum virtutis fundamenta à nobis poſita: quibus deſertis nulla ad ea congrua ſtabiliri queunt. Unde hic etiam Divina elucet ſapientia, quæ Terram (hominis natale domicilium) non ſolùm in ipſo Cœli centro collocaverit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

rit, ſed ipſam reſpectu Cœli, quaſi inſenſibile punctum effecerit, ut fundamenta ipſa ſubſiſterent.

Jam verò quoniam circuli ipſi dividunt ſimiliter Cœlum, Terram, totumque Mundanum ſpatium, definiendum eſt, in quo trium iſtorum primò & per ſe conſiſtat materialis cauſa domorum. Et quidem certum eſt illam non eſſe Cœlum, vel ejus partes circulis poſitionum interceptas, ut plerique opinantur. Nam Cœlum ejuſque partes motu diurno circumaguntur, at domus Aſtrologicæ ſunt immobiles atque fixæ. Nam utcunque Cœlum circumferatur, domus decima in quovis Terræ loco incipit ab ipſius loci meridiano fixo; prima ab horizonte ortivo etiam fixo, & ſic de cæteris: non igitur Cœlum eſt primò & per ſe materialis cauſa domorum.

At quod ſimiliter non ſit globus Terreſtris, ſic oſtenditur. Nam ſi imminente partus tempore, Terra Deo volente annihilaretur ſervata muliere gravida, erga quam Dæmon aliquis obſtetricis vice fungeretur: vel Dæmon ipſe mulierem gravidam in ſupremam aeris, regionem tranſportaret, ibique naſcentem puerum exciperet: is Cœleſtibus influentiis penes domorum virtutem æquè ſubjiceretur, atque cæteri qui in terra naſcuntur, per has enim hypotheſes Cœleſtium corporum modus agendi non immutaretur, ſed in natum influerent pro ratione ſitus ad ipſam: at in his caſibus globus Terreſtris non poſſet eſſe cauſa materialis domorum. Adde quod domorum diviſio fiat per corpus nati primò & per ſe, non autem Terræ.

Itaque ſupereſt, ut domus Aſtrologicæ cauſa materialis, conſiſtat in ſpatio Mundano duobus poſitionum hemicyclis intercepto, continuatis à nati loco ad ſupremam uſque ſuperficiem, quod quidem ſpatium eſt fixum & immobile non ſecus ad horizon meridianus cæteriq; poſitionum circuli ipſum dividentes: nec non Æquator ipſe ſpectatus abſtractè, qui ſitum etiam immobilem ſervat in ipſo ſpatio, & reſpectu circulorum omnium dividentium.

Caput III.

Quotuplex ſit domus Aſtrologica, & quomodo utraque ſit definienda.

IAm ex ſupradictis manifeſtè deducitur duplicem dari in natura domum Aſtrologicam. Nempe primariam & ſecundariam.

Primaria igitur eſt in genere, pars Mundani ſpatii intercepta duobus poſitionis hemicyclis, quorum alter ab horizonte vel meridiano, aut unus ab horizonte, alter à meridiano, diſtat 30 gradibus Æquatoris. Unde cùm globus ipſe in duodecim domorum ſpecies dividatur, quippe vitæ, divitiarum, fratrum, &c: erit in ſpecie primaria vitæ domus, pars Mundani ſpatii exiſtens inter hemicyclum horizontis ortivi & alium poſitionis hemicyclum ſubterraneum, ab horizonte diſtantem 30. gradibus Æquatoris, & ita de cæteris. Pars ergo Mundani ſpatii dicitur ipſius domus eſſe materiale, reliqua ſunt ipſius domus eſſentialis differentia, eſſentiales includens relationes, ſitus quidem ad horizontem & meridianum, tum in hoc exiſtentem natum, quantitatis verò ad Æquatorem, ſicque excludit ſitum & quantitatem reſpectu verticalis.

Quod autem definitum propriè vocetur domus, neceſſe eſt, ut fateantur omnes, qui ut ſciant, qua in domo figuræ Planeta aut ſignum exiſtat, ad quam Mundani ſpacii partem ſuo motu appulerit, aut inter quos diviſionis ſupradictæ circulos poſitionum verſetur, calculo vel inſtrumento explorant, & Planetam quemlibet, aut quamvis Cœli partem ſua circumvolutione domos omnes pervagare concedunt. Dicitur autem domus primaria, tum quia ex jam dictis tantùm cognoſcitur Planetæ domus Aſtrologica ex præcognito ſpatio quod occupat, tum quòd virtus domualis vitæ, divitiarum & cæterorum, ſpatio ipſi primò inſit determinativè, ratione ſui ſitus reſpectu nati, & per ſpacium Cœlo aliiſque corporibus Cœleſtibus effectivè. Inſunt enim ſitibus diverſis, ut in cauſa locali, diverſæ modificationes, à quibus virtus univerſalis corporum Cœleſtium ad hoc potiùs quàm illud agendum modificatur, determinatur, & ad actum particularem reducitur, ut de Sole probatur evidenter, qui idem in ſe & reſpectu punctorum æquinoctii manens, ſola ſitus diverſitate in diverſis ſphæris, ſimul tempore Ver, Æſtatem, Authumnum & Hyemem efficit, rurſuſque ex eodem Sole, cui licet ſemper inſit vis urendi per ſpeculum concavum, non tamen urit ex omni ad ipſum ſitu, ſed oportet aut Solem ferri ad concavi axem, aut concavum ad talem ſitum converti: tum ex Tubo optico, quo niſi in certa vitrorum diſtantia nequimus objecta diſcernere, & ex aliis innumeris quæ neque ex qualibet diſtantia, neque ex quolibet ejuſdem diſtantiæ ſitu idem operantur, vel eodem modo afficiunt.

Probatur autem hac valida ratione, quod virtus domualis inſit primò & per ſe ipſi ſpatio. Nam ſi 27. gradus ♈, eſt vitæ ſignificator quatenus eſt in cuſpide orientis, ergo ipſa cuſpis erit multò magis, ideoque primò & per ſe vitæ ſignificatrix, juxta illud propter quod unumquodque tale, & illud magis. Talis autem vita ſignificatur quale fuerit ſignum Zodiaci, & qualis Planeta, qui primarium vitæ domum occupabit vel ei præfuerit.

Objicies nullum in Mundo dari ſpatium, non vacuum, quia non admittitur à natura: non plenum quoniam plenitudo excludit ſpatium, ergo domus primariæ ſunt merum figmentura.

Reſpondeo: Falſum eſſe plenitudinem excludere ſpacium, quandoquidem ſpatium non differt ab ubi corporeo formaliter; totus verò Mundus implens ſpatium quod occupat non excludit ſuum ubi, ergo nec ſpatium ipſum, quod fruſtra diceretur plenum, ſi non eſſet: Ergo datur ſpatium, & in Mundi ſpatio diverſitas ſitus, & in hac ſitus diverſitate, virtutis diverſitas, ut ſupra expoſitum eſt.

Secundaria autem domus Aſtrologica, eſt in genere pars primi mobilis initio cujuſque rei intercepta circulis poſitionis, alicujus primariæ domus. In ſpecie verò domus vitæ ſecundaria, eſt pars primi mobilis, momento nativitatis intercepta circulis poſitionis vitæ domus primariæ. Hæc igitur definitio tria dicit domui ſecundariæ eſſentialia, quippe partem primi mobilis, ſitum ejus, & temporis inſtans quo ſitum illum accipit.

Quatenus autem dicit partem primi mobilis, exprimit ipſius eſſe materiale, illudque ſeparat, tum à corporibus inferioribus, tum à Mundano ſpatio. Et quia nulla primi Cœli pars determinata, ſemper adhæret horizonti aut alteri poſitionis circulo, ob ipſius Cœli continuum motum; idcirco quælibet

domus

domus ſecundariæ ſpecies abſtrahit à quavis primi Cœli parte determinata: alioquin harum domorum prima quæ dicitur vitæ, ſemper eſſet eadem pars primi Cœli, momento uniuſque nativitatis in eodem horizonte, quod eſt abſurdum, cùm inde neque ſupremum Cœlum, neque Tellurem moveri ſequeretur: pro diverſis igitur revolutionis inſtantibus, quibus in has domos fit diviſio Cœli ſupremi, hujus partes diverſæ reperiuntur interceptæ ab hemicyclis vitæ domus primariæ.

Quatenus verò definitio dicit ipſius partis Cœleſtis ſitum reſpectu horizontis, vel in ipſo nati, & tempus ipſius ſitus, indicat eſſe formale ipſius ſecundariæ domus. Non enim pars ulla primi Cœli habet à ſe, quod ſit hæc vel illa domus ſpecie, utpote vitæ, divitiarum, &c. Cùm ipſius Cœli pars quælibet ſit eodem temporis inſtanti, domus quælibet ſpecie, in diverſis horizontibus, quod ergo unius horizontis reſpectu, pars ea ſit hæc, vel illa domus ſpecie; & altera alterius horizontis reſpectu, id formaliter habet ab ejuſdem nominis primaria domo, cujus poſitionis circulis pars illa intercipitur in utrovis horizonte: primariis enim domibus ineſt primò & per ſe domualis virtus, & per illas ſecundariis, ut dictum eſt ſupra. Prætereà pars Cœli quælibet non talis ſpecie domus conſtituitur, quippe vitæ aut divitiarum per ſui exiſtentiam perpetuam, aut quovis temporis inſtanti intra circulos primariæ domus ejuſdem nominis, cùm nec intra eos ſemper exiſtat, nec quovis inſtanti fiat domus naturalis (hic enim fictitias Cœli diviſiones rejicimus) ſed per ſui exiſtentiam intra eoſdem circulos illo tantum inſtanti quo eſt initium rei alicujus naturalis, cui Cœlum ab ipſa natura per primarias domos dividitur. Non enim Aſtrologus dividit, ſed diviſionem à natura factam inquirit atque contemplatur. Cùm ergo inexiſtentia illo inſtanti, ſit ab ipſa Cœli parte minimè ſeparabilis (quod nunquam dici queat, partem illam eo inſtanti intra circulos illos non extitiſſe) inde fit ut ipſa inexiſtentia ſit eſſentialis ipſi domui ſecundariæ, & hæc extra natalitium quoque ſitum ſuum, nato ſemper eadem ſpecie domus remaneat, quæ fuit momento nativitatis, invariabilis in ſe, ſeu ratione proprii ſitus reſpectu arietis, vel æquinoctii & à qua totaque Cœli conſtitutione eodem momento, ut natus ineſſe dependet, ita & in conſervari, agere, pati & interire, ſicut diximus alibi. Atque hæc eſt ratio, cur Aſtrologi omnes, Solem, verbi gratiâ, tranſire dicant per nati Horoſcopum, ſive primam domum, non quoties motu diurno exiſtit in ipſo horizonte, aut percurrit fixum Mundi ſpacium circulis domus vitæ primariæ interceptum, ſed tantùm quoties motu proprio eam primi mobilis partem peragrat, quæ momento Nativitatis Horoſcopum primarium, aut primariam vitæ domum occupavit. Quod certè exeo verum eſſe patet, quia experientia conſtat Planetas alterare primæ, verbi gratia, domus ſignificata, non diebus ſingulis, etſi iidem primariæ domus primæ Mundanum ſpacium motu diurno percurrant, ſed tantum quo tempore motu proprio ad illam primi Cœli partem deveniunt, quæ Nativitatis horâ eo in ſpatio reperta eſt. Tribus igitur ſupradictis domus ſecundariæ eſſentiam conſtituentibus convenienter explicatis, cuivis in contrarium objectioni facillimum erit occurrere. Siquidem Pico Mirandulano & Alexandro de Angelis dicentibus. Determinatum ſitum Cœli ſupremi partibus accidere & detrahi per motum diurnum, proindeque ſitum ipſum nulli domui eſſentialem eſſe. Reſpondendum, Cœli partem ſpectari, vel in ſe & quatenus Cœli partem, quo pacto ſitus eſt ei merum accidens, vel quatenus domum, quo pacto ſitus eſt ei eſſentialis, utpote per quem ineſſe domus conſtituitur, quo inſtanti eſt initium rei cui Cœlum dividitur. Arguenti verò nullum Planetam eſſe ſimul tempore toti Terræ in eadem figuræ domo, omnem verò Planetam eſſe ſimul tempore toti Terræ in eadem Cœli parte: Ergo quandam Cœli partem non eſſe domum figuræ. Retorquendum, committi ſophiſma à dicto ſecundum quid in præmiſſis, ad dictum ſimpliciter in concluſione; non enim præmiſſæ ſunt de domo figuræ, ex parte Cœli ſimpliciter, ſed de eadem domo, & eadem Cœli parte: quæ igitur deducitur ex præmiſſis, particularis concluſio hæc eſt; ergo eadem pars Cœli non eſt ſimul tempore toti Terræ eædem figuræ domus, quod veritati congruit.

Porrò tam primaria quàm ſecundaria figuræ domus, ideo jure dicitur Aſtrologica, quòd Aſtrologus de primaria ex inexiſtente ſigno vel Planeta, aut ejus dominio ratiocinetur; & de ſecundaria ex ejus ſitu ad horizontem, vel poſitu in hoc, vel illo ſpatio. Ac proinde cùm totum Cœlum, ac totum Cœli ſpatium ſolius hominis gratiâ dividantur in duodecim domos, hinc patet evidenter, totum Mundum ſolius hominis gratiâ factum eſſe.

CAPUT IV.

Quo utriuſque domus Aſtrologicæ, ſcilicet primariæ & ſecundariæ fuſiùs exponuntur differentiæ inter ſe, & convenientiæ.

AMbas maximè inter ſe differre, nec domum Aſtrologicam eſſe primariò aliquam Cœli partem hinc patet, quòd in primis pars Cœli quælibet etiam contracta ad eſſe domus Aſtrologicæ, moveri concedatur ab una domo in aliam, ideoque in revolutionibus Aſtrologi conſiderent, quam in revolutione domum occupet pars Cœli, quæ momento Nativitatis fuit prima aut decima domus: eſt ergo aliquid prius in ratione domus, quavis Cœli parte: ſi autem ſit prius in ratione domus, ergo erit domus, & per conſequens datur domus Aſtrologica prior quavis Cœli parte. Neque dicere proderit, ideo dici moveri ab una domo in aliam, quia motu & ſitu fit ſubinde alia & alia domus, quia cùm Cœli pars nulla ſit ex ſe iſta, vel illa domus, oportet id à quo fit talis, eſſe primariò domum. Et proinde quamlibet Cœli partem motu tantùm fieri aliam & aliam domum ſecundariam. Præterea poſſunt eſſe domus Aſtrologicæ toto etiam Cœleſti Mundo annihilato, ut tantùm ſuperſint Æthereus & Elementalis: hoc enim poſito Planetæ tamen ex una domo ad aliam motibus propriis moverentur, poſſentque ſolſtitiorum tempore, Æquator, ejus poli & per conſequens meridianus exactè detegi, quare & domorum diviſio naturalis ſine primo mobili inveniri. Sique Mundus eo in ſtatu conditus eſſet,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

prodirent à Planetis in hominem influentiæ juxta rationes domorum, quas ſuo motu peragrarent, cùm (ut experientia conſtat) domus non tantùm Cœli partes, ſed etiam Planetas ad ſua ſignificata determinent, domus ergo primario non eſt pars aliqua Cœli, inſuper cujuſvis Terræ loci, poſitionum circuli domuales, fixi exiſtunt; ergo etiam ipſius loci domus, quarum ipſi circuli ſunt termini: non igitur domus ſunt primariò partes primi Cœli, quia hæ continuò moventur. Præterea idem Planeta eſt ſimul tempore toti Terræ in eadem Cœli parte, præſertim carens paralaxi: at non in eadem Aſtrologica domo: non ergo Cœli pars ſaltem primariò eſt domus Aſtrologica. Ad hæc virtus domualis ineſt Cœli partibus, tantùm à ſuo ſitu, initio ortus cujuſque rei, ergo ineſt primò & per ſe ſitui, qui ne quidem ratione à domo primaria ſuperius dicta diſtinguitur, cùm ſit ejus formalis ratio. Denique dum quæritur de aliquo Planeta qua in domo exiſtat, non exploratur ſub qua Cœli parte verſetur: ſed in quo ſitu nati reſpectu, vel inter quos domuales hemicyclos: quod ergo iiſdem primariò & immutabiliter intercipitur, eſt primariò domus. Adde quod Planetarum tranſitus per domos primarias fit motu communi, ſive diurno; at per ſecundarias proprio: ergo ambæ maximè differunt. Dicit autem domus ſecundaria relationem eſſentiæ ad primariam, ut efficientiæ actualis ad natum.

Cæterum hæ ſunt domorum Aſtrologicarum convenientiæ. Primò, Domus omnis Aſtrologica ejuſdem eſt aſcenſionis ubiq; Terrarum, quippe 30 graduum Æquatoris, ejuſdemque aſcenſionis temporis, quippe 30 gradus Æquatoris tanto tempore aſcendunt in obliquiſſima ſphæra, quanto in recta. Secundò, diverſa Æquatoris in ſphæris ſpecie diverſis obliquitas, Cœlum Telluriſque globum diverſa inæqualitate dividit; indeque fit ut eadem ſpecie domus, majorem Terræ aut Cœli partem ſibi vendicet in una ſpecie ſphæra, quàm in altera. Eſt autem eadem ſpecie ſphæra quæ eandem habet ejuſdem poli altitudinem ſuper horizontem, ex quo ſequitur omnes ſub Æquatóre, vel eodem parallelo degentes eandem habere ſpecie ſphæram. At eadem numero ſphæra eſt quæ per ejuſdem poli altitudinem eandemque Terræ longitudinem determinatur, talis enim eſt individua. Cæterùm hoc notatu dignũ eſt, quod ſi in obliquiore ſphæra domus ſunt admodum inæquales, nimirùm ampliſſimæ circa meridianum & anguſtiſſimæ circa horizontem; id à natura reperitur egregiè compenſatum. Siquidem anguſtiores domus ſunt viciniores Zodiaco, indeque efficaciores amplioribus, quarum vaſtitas Planetarum præſentia non illuſtratur, ſed tantùm extremitas circa horizontis & meridiani ſectiones.

Caput V.

Continens duo Problemata circa Figuram Cœli erectam neceſſaria.

Viſum eſt nobis duo ſequentia Problemata hic ſubjungere, quippe quòd eorum uſus in Aſtrologia non rarò neceſſarius eſſe poſſit.

PROBLEMA I.

Quanto arcu perpendiculari, Planeta quiſpiam diſtet ab aliquo poſitionis domorum circulo, invenire.

Magni eſt momenti Problema hoc in Aſtrologia, ut ſciatur an centro vel duntaxat virtutis orbe Planeta conſtitutus circa domus alicujus cuſpidem, ſit intra, vel extra domũ ipſam: quippe Planetæ ſunt ſignificatores ratione domorum in quibus ipſi verſantur. Igitur quia in mea Geneſi ☿ eſt duodecimæ cuſpidi proximus, ſic quæro veram ejus ab ipſa cuſpide diſtantiam.


Sit meridianus I F G, Horizon I H K, circulus poſitionis duodecimæ domus I D K, Æquator F H, cujus polus G, ſecans circulum poſitionis in D. Mercurius A, cum declinatione meridionali A E 13 gr. 57', A quo ad circulum I D K, demittatur perpendicularis arcus A C, vera Mercurii ab ipſa cuſpide diſtantia quæ inquiritur.

Primò, datur aſcenſio obliqua duodecimæ cuſpidis in Æquatoris puncto D 344. gr. 42'. addendo ſcilicet 60 gradus aſcenſioni rectæ medii Cœli: tum aſcenſio recta ☿ in E, 330 gr. 43': ergo datur E D 13 gr. 59'.

Secundò, ex datis F I & F D cum angulo recto ad F, dabitur F D I, complementum altitudinis poli ſupra I D K.

Tertiò, in triangulo D E B, rectangulo in E, ex dictis E D & E D B dantur E B D 42 gr. 35'. & E B 15 gr. 43', ex quo E B ablato A E 13 gr. 57'. ſupereſt A B 1 gr. 46'.

Quartò, in triangulo B A C rectangulo in C, ex datis A B & A B C datur quæſitus arcus A C, 1 gr. 12'. Eſt igitur Mercurius centro extra duodecimum domum, ſed virtute magis in duodecima quàm undecima domo, quòd cujuſque domus robur maximè vigeat in ipſius domus initio, & evaneſcat in fine. Idque profectò ſemper expertus ſum circa doctos & Mercuriales quos ob invidiam potius habui inimicos occultos & damnoſos, quàm amicos & utiles, paucis exceptis invidiâ vacuis & virtute haud vulgari præditis Nobilibus & Magnatibus. Arcus autem A C pro ♀ eſt o gr. 12'. in eadem mea Geneſi.



PRO-

PROBLEMA II.


Datis longitudine & latitudine Planetæ in duodecima domo verſantis, cum arcu directionis ejus ad gradum Eclipticæ Horoſcopantem, gradum ipſum invenire, vel ejus obliquam aſcenſionem.

PRoblema hoc proderit ad rectificandam Nativitatis horam, per directionem converſam Horoſcopi ad Planetam in duodecima pro aliquo accidente, ut morbo, vulnere, carcere, exilio, &c: ſi id fieri nequeat per angulos ad ſequentes terminos.

Sit ergo Horizon EDF, meridianus EGF, Æquator AC cujus polus G, Ecliptica BD, ♄ in H, ejus poſitionis circulus EHF, punctum Eclipticæ D quod quæritur, vel ejus aſcenſio obliqua, ejuſque locus in poſitionis circulo M. Per H, M, & D, concipiantur ducti declinationum circuli HG, MG, DG, ad Æquatorem, eritque NC directionis arcus, ſive tempus accidentis converſum in gradus Æquatoris, & ex G demittatur perpendiculariter ad EHF arcus GP, hicque erit altitudo poli ſupra circulum poſitionis EHF.

Jam ex datis longitudine & latitudine ♄, datur ejus aſcenſio recta: ideoque ſupponatur ejus à meridiano diſtantia ad libitum, & hæc detrahatur ab ejus aſcenſione recta, relinquetur aſcenſio recta medii Cœli, cui addendo 90 gradus fiet aſcenſio obliqua gradus Horoſcopantis D, inveniendi atque ſervandi. Igitur quia datur declinatio ♄, vel arcus HG, & altitudo poli GF, cum angulo HGF, qui eſt complementum ad ſemicirculum diſtantiæ ♄ à meridiano ſuppoſitæ; ergo in trigono HGF dabitur angulus GFH: ideoque in Triangulo GFP rectangulo in P, dabitur GP altitudo poli ſupra circulum EHF, quæ tamen per poſitionum Tabulas citiùs invenietur.

Itaque ad eam poli altitudinem ſumatur aſcenſio obliqua ♄, cui addatur datus directionis arcus NC. Sique ſumma fuerit æqualis aſcenſioni obliquæ gradus Horoſcopantis D, ſumptæ in circulo poſitionis Saturni, ſuppoſita diſtantia ♄ à meridiana vera erit: ſi fuerit minor, diſtantia fuit ſuppoſita juſto miuor, ſi denique fuerit major, diſtantia fuit ſuppoſita juſto major, eritque iteranda ſuppoſitio majoris, aut minoris diſtantiæ ♄ à meridiano, donec ſumma ſit æqualis aſcenſioni obliquæ puncti Horoſcopantis D. ſumptæ in circulo poſitionis Saturni. Hac autem æqualitate data, jam ipſius puncti, vel gradus Horoſcopantis D. ſumatur aſcenſio obliqua ad latitudinem loci figuræ, ex eaque auferantur 90 gradus: & relinquetur vera aſcēſio recta medii Cœli, quæ dabit veram ♄. à meridiano diſtantiam ultimò ſuppoſitam. Ad hoc enim Problema nulla eſt via directa. Similiter medium Cœli dirigetur converſè ad Planetam in domo nona, pro rectificatione.



CAPUT VI.

De quibuſdam domorum, vel Figuræ Cœleſtis diviſionibus.

DOmus figuræ Cœleſtis dividuntur primò in aſcendentes & deſcendentes. Aſcendentes ſunt ſex, nempe 3, 2. 1. 12. 11. 10. quæ etiam vocantur aſcendens figuræ medietas, quòd Planetæ per hanc nati reſpectu aſcendant. Deſcendentes verò ſunt reliquæ ſex, 9. 8. 7. 6. 5. 4. quæ etiam vocantur deſcendens figuræ medietas, quòd Planetæ per hanc à vertice deſcendant.

Secundo dividuntur in quatuor quadrantes. Et primus quadrans continet domos 12. 11. 10. vocaturque orientalis, Vernus, maſculinus, ſanguineus, puerilis. Secundus habet domos 9. 8. 7. diciturque meridionalis, Æſtivus, fœmineus, cholericus, juvenilis. Tertius continet domos 6. 5. 4. vocaturque occidentalis, Autumnalis, maſculinus, melancholicus, virilis. Quartus denique ſibi vendicat domos 3. 2. 1. diciturque Hyemalis, fœmineus, phlegmaticus & ſenilis. Quod intellige juxta Veteres Aſtrologos, ſed videtur abſurdum quod quadrans Æſtivus ſit fœmineus; & prima domus à qua eſt principium Mundanæ vitæ, in quadrante ſenili & non in puerili potiùs collocetur.

Tertio dividuntur in angulares ſuccedentes & cadentes. Angulares ſunt 1. 10. 7. & 4. Succedentes ſunt 2. 5. 8. & 11. Cadentes verò ſunt 3. 6. 9. & 12. De quibus vide Librum 16. cap. 14. Hîc tamen notandum quod domus Cardinales ſuccedentes & cadentes diſponuntur in figura penes motum ſecundum Planetarum, ſeu ab occaſu in ortu: eſtque ſecunda domus ſuccedens, & tertia cadens reſpectu primæ. At per primum motum a b ortu in occaſum, Planeta exiens ex domo prima, ingreditur cadentem reſpectu decimæ, indeque ſuccedentem; non tamen idcirco propriè dicendus eſt cadens, aut ſuccedens, non enim Planetis, ſed domibus hæ appellationes propriæ congruunt: nec opinandum cum nonnullis quod Planeta ſit maximè debilis in domo cadente, ejuſq; robur continuò augeatur dum motu diurno tendit ad angulum ſequentem in quo ſit robuſtiſſimus. Nam ♄ in duodecima fortior eſt pro ſignificatis, vel ſubjectis duodecimæ quæ ſunt morbi, carceres, hoſtes, &c. quàm in decima pro ſubjectis decimæ, præſertim ſi ſtatu Cœleſti ſit pravè affectus: ſic de cæteris.

FINIS LIBRI DECIMI SEPTIMI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ASTROLOGIÆ GALLICÆ

LIBER DECIMVS OCTAVVS.

De Planetarum fortitudinibus & debilitatibus.

PRÆFATIO.

Liber hic de Planetarum fortitudinibus & debilitatibus, inſignis eſt momenti in Aſtrologia, ſed quàm malè, confusè & imperfectè de his locuti ſint Veteres Aſtrologi patebit inferiùs: quodque in hiſce rebus, ut par erat tractandis, potiùs Naturam quam Libros conſuelerimus & ſecuti fuerimus: nec ſolùm in hoc, ſed in cæteris quoque omnibus Libris.

CAPUT I.

Quid & quotuplex ſit Planetarum fortitudo.

PLanetæ fortitudo ejuſque virtus in hoc diſtinguntur, quòd virtus propriè loquendo, naturam Elementalem aut influentialem ſignificet, quâ Planeta ipſe agit, fortitudo autem quantitatem ipſius virtutis denotet. Sic enim duo magnetes æquales mole, quorum unus duas, alter duodecim libras ferri elevabit, virtute quidem conveniunt, quod utrique ſit eadem ſpecie virtus, ſcilicet attrahendi ferrum, at robore ſeu fortitudine differunt, quòd non ſit utrique eadem virtutis quantitas. Itaque Planetæ fortitudo rectè definiri videtur, ſi dicatur, *quantitas virtutis, qua Planeta ipſe agit.*

Eſt autem duplex fortitudo Planetæ, nimirum intrinſeca & extrinſeca. Intrinſeca eſt, quæ menſurat quantitatem intrinſecæ virtutis, quâ ipſe Planeta per ſe agit, atque exprimit quantùm ſit robur, verbi gratiâ, Solis, ſpectati ſecundum lucem, calorem & influentiam quibus per ſe agit. Extrinſeca verò eſt, quæ metitur Planetæ robur ab extrinſecis, quippe ejus ſtatu in Cœlo, ſitu ad horizontem, &c: his enim Planeta non per ſe, ſed per accidens agere dicitur, quatenus ad agendum per ſe, ab his juvatur, impeditur, aut determinatur. Quamvis autem utraque fortitudo ſpectari queat penes naturam tum Elementalem, tum influentialem: attamen hîc noſtri eſt inſtituti fortitudinem duntaxat influentialem attendere, ipſamque exponere.

Porrò de intrinſeca fortitudine veteres equidem generaliter, parcè tamen locuti ſunt, dum Solem & ☽ cæteris omnibus Planetis potentiores eſſe dixerunt, & Planetas ſuperiores inferioribus, at definientes Planetarum ſingulorum fortitudines, intriuſecam, ipſam oſcitantiâ minimè ferendâ omiſerunt, verbi gratiâ, Jovi à ſuo poſitu in proprio ſigno 5. gradus roboris conceſſerunt, à ſuo poſitu in decima domo, alios 5. gradus, ab ejus ☌ cum benefica ♀ aut ſpica Virginis, alios 5. gradus: Ex his verò & ſimilibus extrinſeca duntaxat fortitudo Jovis innoteſcit, non autem intrinſeca. Ac ſi quis dicat, ex eo quod Jupiter, à ſua ☌ cum ♀, roboratur 5. gradibus, ſequi Venerem intrinſecè fortem eſſe 5. gradibus; quæram, cur ergo Jovi nullam hîc vim intrinſecam tribuant? Imò cur in Veneris fortitudinibus ſimiliter colligendis, hanc quoque ♀ intrinſecam taceant? ac in ſumma, cur ſingulorum Planetarum fortitudines internas priùs non determinaverint: quandoquidem ſcire non parum interſit, quantùm ſit cujuſque Planetæ robur internum, ut pateat quantùm ſuo conſortio vel aſpectu, alterum extrinſecè roboret?

Ad hæc quando Planetam quemlibet à ☌ cum ♃ aut ♀ aut fixâ beneficâ primæ notæ, roborari volunt 5. gradibus, ſaltem Jovem ♀ & fixam ipſam interno robore pares efficiunt, cùm tamen nulla ſtella fixa, ulli ex ſeptem Planetis, Mundi hujus Rectoribus primariis, interna fortitudine ſit æquiparanda.

Quod verò ſpectat ad extrinſecam fortitudinem, hæc ab Aſtrologis confusè admodùm imperfectéque tradita eſt: quamobrem utriuſque ratione Aſtrologia hic à nobis reſtituenda videtur.

CAPUT II.

De Planetarum fortitudine intrinſeca.

PLanetarum intrinſeca fortitudo, ſive quantitas virtutis influentialis ipſorum, non præciſè, ſed tantùm conjecturaliter menſurari ac definiri poteſt ab hominibus. Neque definienda vel limitanda eſt penes apparentem Planetarum magnitudinem, ſic enim Solis aut ☽ fortitudo, cæterorum omnium ſimul Planetarum fortitudinem ita ſuperaret, ut hæc illius comparatione, aut nulla, aut minima eſſet, cùm tamen Saturnus in eadem domo atque ſigno cum ☉, hunc plerumque virtute & efficaciâ ſuperet, utriuſque effectibus id atteſtantibus: ſemperque Sol ſive conjunctus, ſive oppoſitus, ſive quadratus ♄, plurimùm turbetur in ſuis effectibus, quod non accideret ſi intrinſeca utriuſque fortitudo, u-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

triuſque apparenti nobis moli proportionalis eſſet. Unde conſtat, Solem alia quidem aſtra lumine & calore ſuperare noſtri reſpectu, pro ratione apparentis magnitudinis, & differentiæ luminis fontalis à reflexo (quod dictum ſit pro Planetis cæteris ac præſertim Lunâ, quæ Solem apparenti mole adæquat, fontali lumine carens, lucem Solis, inſtar Terræ noſtræ reflectit) non tamen influentiâ. Idemque cenſendum de ☽ ipsâ, reſpectu Saturni ♃ ♂ ♀ ☿, qui ut Luna lucem Solis in hæc inferiora reflectunt.

Sed neque definienda eſt quantitas ipſa virtutis influentialis Planetarum, penes majus aut vivacius lumen ipſorum. Sic enim ut Sol ſua luce aliorum omnium aſtrorum lumen occultat, ſic ſuâ influentiâ eorum influentiam occultaret, vel cohiberet: Cùm tamen etiam combuſti Planetæ, ſuam influentiam in hæc inferiora evidenter patefaciant, ut experientia probat, & oſtenſum eſt Sect. 3. Lib. 16. cap. 3.

Quamobrem rectè meo quidem judicio fecerimus, ſi propriam cujuſque aſtri fortitudinem intrinſecam determinaverimus, penes cujuſque ſemidiametrum orbis virtutis: quandoquidem ex cap. 13. Sect. 1. Lib. 16. aſtri influentia in ipſo orbe vigere deprehenditur, non extra, niſi per aſpectus. Et quia aſtrorum fortitudines tum intrinſecæ, tum extrinſecæ, gradibus ſeu partibus quibuſdam determinandæ ac numerandæ ſunt: idcirco hîc dicemus Solem ex ſe habere 18 gradus fortitudinis intrinſecæ, Lunam 12, ♄ 7, ♃ 8, ♂ 6, g. 30′, ♀ 13 gr. ☿ 8, fixam magnitudinis primæ 6, ſecundæ 5, tertiæ 4, quartæ 3, quintæ 2, & ſextæ 1, juxta ſingulorum aſtrorum ſemidiametros orbis.

Objicies inde ſequi Saturnum ♃ ♂ & ☽ inferiores eſſe influentiali robore Veneri & ☿, quod ſanè videtur abſurdum: quoniam cæteris paribus multò majores prodeunt effectus à ♄ ♃ & ♂, quàm à ♀ aut ☿, quamvis his extrinſecè roboratis, illis verò debilitatis contrarium accidere queat.

Reſpondeo. Equidem robur influentiale ☿, majus eſſe robore influentiali Saturni & ♂ extenſivè, ob ampliorem virtutis Orbem, non autem intenſivè. Quia ♄ ♃ & ♂ in ſuis Orbibus virtutis, fortiùs ac intenſiùs agunt, quàm Venus & ☿ in ſuis, ideoque hi minores producum effectus. Atque idcirco cùm hîc pronunciandum ſit de fortitudine Planetæ, juxta intenſionem roboris, non abs re mihi videtur influentiale robur Solis eſſe intenſivè 18 partium, ☽ 15, ♄ & ♂ 12: ♀ & ☿ 8. De his enim exactum ferre judicium nequit mortalis homo: & illa diſtinctione poſita nullum ſequitur abſurdum. Poteſt enim Planeta unus altero eſſe fortior extenſivè, non autem intenſivè, hæc enim duo non ſunt incompatibilia ſimul, ut dictum eſt de ♀, quæ ipſo ♃ fortior eſt extenſivè, non autem intenſivè.

Porrò hæc fortitudo ſequitur naturam & qualitatem aſtri, ita ut fortitudo aſtri per ſe malefici, ſit ad malefaciendum, & benefici pro ſe, ad benefaciendum, niſi Planetæ ſtatus Cœleſtis & determinatio per domum, Planetam ex ſe maleficum, per accidens beneficum effecerint, ut ſi ♄ fuerit in ♒ & △ ☿ ex ♊ in Horoſcopo, pro ingenio: aut ex ſe beneficum, per accidens maleficum effecerint, ut ſi ♀ fuerit in ♏ & quinta domo, læſa □ ♄ ex ♒ in octava pro voluptatum infortuniis.

Caput III.

De Planetarum fortitudine extrinſeca, in genere.

Dictum eſt cap. 1. fortitudinem extrinſecam Planetæ accidere, ab ejus ſtatu in Cœlo, & ſitu ad Horizontem, qui duo fortitudinis extrinſecæ fontes præcipui, in rivulos diverſos diducuntur. Siquidem multiplex eſt Planetæ ſtatus in Cœlo, ob diverſos ejus reſpectus. Ac multiplex etiam ejus ſitus ad horizontem. Præter quos ſtatus eſt etiam alius quidam medius, dum Planeta ſit apogæus, perigæus, diurnus interdiu, nocturnus noctu ſupra Terram, &c: de quibus ſingulis jam agendum eſt, priuſquam ſingulorum qualitas atque robur examinanda ſint, ut quantùm Planeta quilibet à ſingulis ad benefaciendum, vel malefaciendum roboretur, faciliùs deinde cognoſcatur.

Siquidem Planetæ benè affecti in Cœlo, & poſiti in fœlicibus figuræ domibus, diurni interdiu, & nocturni noctu ſupra Terram, benefaciunt, etiamſi naturâ malefici fuerint. Contrario autem modo ſe habentes, virtus eorum propria depravatur, indeque malefaciunt, etiamſi naturâ benefeci fuerint, juxta proportionem boni, vel mali ſtatus. Ac in bono ſtatu vulgò dicuntur roborari, in malo autem debilitari. Cúmque Planetæ nullam patiantur debilitatem intrinſecam, ſed tantùm extrinſecam, quæcunque de extrinſeca eorum fortitudine infra dicentur, à ſimili de extrinſeca debilitate intelligantur, juxta Tabulam in fine Libri hujus apponendam. Eſt autem hic notandum, quod dum dicimus Planetam roborari aut debilitari, vel fortunari aut infortunari, hoc non eſt intelligendum de Planeta in ſe, ſed duntaxat in actione ſua, quæ inde fit major aut minor, vel fœlicior, aut infœlicior. Ut ſi ♃ fuerit in ♋ ſolus, fortiter & fœliciter aget corpore & △ aſpectu. At ſi ibidem fuerit conjunctus ☽, adhuc fortiùs & fœliciùs aget: ſi autem ibidem fuerit ♄ junctus, debiliùs & infœliciùs aget. Nempe ad ejus effectum concurrente ♄ naturâ malefico & depravato in ſigno ♋, ſic de aliis.

Caput IV.

De extrinſeca Planetarum fortitudine ab eorum ſtatu Cœleſti, ratione ſignorum Zodiaci in quibus illi verſantur: Ac primùm quomodo ipſi agant in ſua domo, exaltatione & Triplicitate.

De hoc ſtatu priùs agendum eſt, quia ordine & dignitate prior eſt ipſorum Planetarum ſtatu Telluris reſpectu. Triplex autem eſt ſtatus Cœleſtis Planetarum in genere, ob eorum triplicem reſpectum: nempe ad ſigna Zodiaci, ad ſe mutuò,

ratione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ratione configurationum ſive aſpectuum, & ad luminaria, quatenus reliqui Planetæ ſunt illis orientales & occidentales. Incipiamus à primo.

Quoniam itaque ſignum quodlibet initio creationis determinatum eſt ad naturam alicujus Planetæ, agitque juxta illam: Planetæ verò ſinguli ubicunque verſentur ſemper agunt juxtâ naturas proprias: ergo tam ſigni quàm Planetæ natura perpetuò ſpectanda erit, ut qualis inde conſurgat naturarum mixtio, & quantùm inde Planeta roboretur aut debilitetur innoteſcat.

Porrò Planeta vel eſt in ſua domo, vel in ſua exaltatione, vel in ſua duntaxat triplicate, vel in ſignis contrariis ubi dicitur exul, dejectus, aut peregrinus, vel in ſignis ſimpliciter alienis. Atque in ſua domo dicitur tantùm agere juxta ſuam propriam ſimplicemque naturam, idque duplicata influentiali virtute, quòd ſignum & Planeta ſimul agentes, ſint ejuſdem naturæ influentialis: nec non duplicata Elementali, quòd ſigni natura Elementalis, ſit eadem cum Elementali intrinſeca, vel ex trinſeca Planetæ, quæ etiam occulta vel manifeſta dici poteſt, de quibus actum eſt Lib. 15. Sect. 1. cap. 2. & 3. Cùm autem cuilibet minorum quinque Planetarum duplex domus competat, una quippe ejuſdem naturæ Elementalis cum ipſius Planetæ natura Elementali manifeſta, quæ principalis domus appellatur, altera verò naturæ contrariæ pro ejuſdem Planetæ Elementali natura occulta: Dubium non eſt quin Planeta potentiùs operetur ſecundum naturam propriam beneficam aut maleficam, dum verſabitur in ſua principali domo, quia inde virtus influentialis & manifeſta Elementalis duplicantur. Operatur autem Planeta in ſua domo, fortiter, continuóque, ſaltem in permanentibus à Geneſi, qualia ſunt indoles, ingenium, temperatura, &c: ſed Planetâ extra ſuam domum verſante, is dicitur agere juxta naturam & ſtatum ſui domini, hoc eſt, alterius Planetæ, qui ſigno ipſi dominatur, quod tamen ſic intelligendum eſt.

Non enim Planeta ipſe naturam ſuam, nec ſuum agendi modum intrinſecum mutat, ſed ſemper agit ex ſe eodem modo, hoc eſt, ſecundum propriam ſuam ſimplicemque naturam. Nec vim novam recipit à ſigno, vel ejus domino, alioquin per tranſitum à ſigno in ſignum perpetuis alterationibus ſubjaceret, ſicque à propria natura alienaretur. Nec etiam agit per ſignum, vel ejus dominum, quòd hæc illi non ſubordinentur in agendo.

De ſigno autem in quo Planeta ipſe verſatur, dubitari poteſt an ex ſe agat. Verum ſi ſigna ex ſe non agerent ut ſigna, hoc eſt, ut Cœli partes determinatæ ad naturas Planetarias: Ergo, ut ſigna nullius eſſent virtutis: ſicque non eſſent, vel fruſtra eſſent determinata ad agendum, juxta naturas Planetarum qui illis dominari dicuntur, fictitiúmq; eſſet tale dominium, quæ omnia ſunt experientiæ contraria; ergo ex ſe agunt, ut ſigna, vel Planetarum domus, vel ſi mavis ut Cœli partes Vicariæ ſeptem Planetarum, ſive Mundi Rectorum. Agunt autem juxta eam quam determinatione referunt ſui domini naturam atque ſtatum Cœleſtem terreſtremque; veluti ſi ♈ fuerit in Horoſcopo, & ejus dominus ♂ in decima domo benè affectus, natus erit indole bellicoſus, & militarium dignitatum ambitioſus: non quòd ſignum etiam, vel ejus vis activa mutationem aliquam patiatur, à ſuo domino, vel ejus ſtatu diverſo, ſed quod ſigni natura influentialis primariò ac fontaliter formaliterque inſit Planetæ domino, tantúmque ſecundario & determinativè ſigno ipſi: ab utroque autem recipiatur in ſublunaribus ſubjectis, cum eſſentiali dependentiâ ſigni à Planeta domino, ratione determinationis.

Dicit aliquis. Eodem momento temporis, eundem eſſe ſtatum Jovis, Cœli Terræque reſpectu; ergo ♐ & ♓ tunc acturus eſſe eodem modo, atque idem, cum tamen ♐ dicatur ſignum igneum & calorem influere, ♓ verò ſignum aqueum.

Sed reſpondetur in ♃ eſſe utramque naturam, ſcilicet igneam in maniſeſto ſeu formaliter, aqueam in occulto ſeu eminenter: quarum una nunquam eſt in eodem ſtatu cum altera ratione ſigni in quo verſatur Jupiter. Si enim hic fuerit in ♈, favebit ♐, & ſi in ♋, favebit ♓: ergo ♐ & ♓ nunquam idem efficient ob duplicem Jovis naturam.

Supereſt igitur aſſerendum quod Planeta extra ſuam domum, agit cum ſigno in quo verſatur, & cum domino ejus, juxta ipſius domini ſtatum. Ut poſito ☉ in ♐, Sol agit juxta naturam ſuam propriam, Sagittarius juxta ſuam, & Jupiter Sagittarii dominus juxta ſuam ſuumque ſtatum, in ea ad quæ Sol ſuo ſitu in figura natalitia determinatus eſt, quodque Jovialis virtus recipiatur in Nato, non ſolùm à ♐, primi mobilis parte, ſed etiam à ♃ ipſo juxta ſuum ſtatum, aut denique quod ☉ agit cum ♐, hic cum ♃, & hic cum ſigno in quo verſatur, & hoc cum ſuo domino, &c: ſed cauſæ & connexiones proximiores, remotioribus ſunt efficaciores.

Hinc verò obiter innoteſcit quis Planeta, aut qui Planetæ, ſint in Cœlo, vel univerſo Mundo fortiſſimi quovis tempore. Si quidem ii ſunt qui in propriis domibus ſuis collocati, ſunt plurium aliorum Planetarum domini; ſique duo fuerint in mutuis domibus, & reliquis dominentur, hi etiam erunt fortiſſimi. Cùm verò ſinguli ſunt in propriis domiciliis, ipſi inde ſunt æquè fortes; ſi denique omnes fuerint extra ſuas domos & exaltationes, erunt omnes in Cœlo vel Mundo debiles. Debiliores autem ſi fuerint in ſuo exilio, vel caſu, ex quibus Aſtrologiæ arcana haud vulgaria deducuntur propriis locis exponenda.

Porrò Planeta extra ſuam domum, reperiri poteſt in ſua exaltatione. Atque tunc dupliciter ſpectandus eſt: Primò quatenus alterius dominio ſubjicitur, ut ſuperius dictum eſt. Secundò, quatenus eſt in ſua exaltatione, tunc enim intenſius & efficacius agit in hæc inferiora, quàm ſi eſſet in propria domo, ob ſitum quem obtinet in Zodiaco, virtuti ſuæ maximè proportionatum, unde hæc tunc maximè viget, ſoletque magnos edere atque repentinos effectus, ſive bonos, ſive malos, pro ſua & domini natura atque ſtatu, nec non ſitu iu figurâ, hoc eſt domo figuræ quam occupat, quod eſt fortiter, & quaſi violenter agere.

Ad hæc Planeta extra ſuam domum, vel exaltationem reperiri poteſt in ſua Triplicitate; cui

Vete-

Veteres ac præſertim Arabes omnes, tantùm roboris tribuebant, ut maximam partem eventuum referrent ad Triplicitatum dominos, utcunque ab illis malè poſitos, veluti à nobis oſtenſum eſt Lib. 15. cap. 6. Cæterùm robur à ſola Triplicitate, cæteris remiſſius extat, ac in eo conſiſtit, quod ſaltem Planeta ſit in ſigno ejuſdem ſecum naturæ elementalis, ſcilicet manifeſtæ, vel occultæ, ac in △ ſuæ domus ejuſdem naturæ elementalis, quæ inde etiam roboratur.

Denique ut ſignorum Triplicitates fundantur in elementalis naturæ identitate: ſic dignitates Triplicitatum fundantur in dominio Planetarum, ſuper ſigna Triplicitatum. Unde fit, ut quicunque Planeta eſt in ſua domo, ſit etiam in ſua Triplicitate, non contra: Ac proinde in ſua domo habeat quidquid illi roboris accidere poteſt, ratione Triplicitatis, imò excellentiùs quàm alibi, quòd nempe ſit in loco per quem jus habet in totam Triplicitatem.

Caput V.

Quomodo & quantum Planetæ à ſua domo, exaltatione & Triplicitate, vel his contrariis roborentur, vel debilitentur extrinſecè.

QUoniam Planeta in ſua domo exaltatione, aut Triplicitate conſtitutus, verſatur in ſigno, vel ejuſdem ſecum naturæ, vel ſuæ virtuti proportionato, ubi per conſequens neque natura, neque virtus ejus, impedimentum, aut contrarietatem patiuntur, ſed potiùs auxilium ſocietatemque congruam nanciſcuntur: Idcirco Planeta quivis in talibus locis bene affici indeque roborari fortunarique dicitur. Et quidem roborari ob cauſam jam jam expoſitam: fortunari verò non in ſe, ſed reſpectu inferiorum, quia Planeta omnis natura ſua beneficus, quò meliùs afficitur, eò fortiùs perfectiuſque juxta naturam propriam operatur, prout ſuperius explicatum eſt. Unde rebus Sublunaribus fortunatior beneficentiorque dici ſolet, quòd nempe bonarum figuræ domorum ſibi ſubditarum ſignificata efficaciùs cauſet promoveatque, malarum verò mala validiùs quoque tollat, ſive remittat.

De maleficis autem ♄ & ♂ major videtur eſſe dubitandi ratio. Cur enim à ſimili vis eorum malefica non duplicabitur, dum in ſuis domibus collocabuntur, indeq; in malis figuræ domibus poſiti, longè pejus non afficient, in bonis verò bonum validiùs non tollent, vel impediunt? nam ſi beneficiorum vis benefica duplicatur, eadem ratione maleficorum malefica duplicari debet. Cum tamen conſtet experientia maleficos in ſuis domibus plerumque benefacere in bonis figuræ domibus, minuſque nocere in malis. Dicendum ergo vim eorum quoque duplicari, ſed ipſorum naturam ex ſe non eſſe omninò maleficam, ſed tantùm principaliter. Unde fit, ut tota eorum vi duplicata, etiam quod ipſis ineſt beneficæ naturæ duplicetur. Porrò malum in his Sublunaribus cauſatum, non eſt tantùm à maligna ex ſe Planetarum natura, ſed etiam à debilitatione, vel depravatione virtutis eorum effluentis, quæ accidunt ab eorum poſitu in ſignis naturæ ſuæ contrariis quippè exilio, dejectione, vel alienis ubi peregrini vocantur. Cum ergo malefici in propriis verſantur ſignis, domo, exaltatione, eorum virtus effluens neque depravatur, neq; debilitatur, ſed contra perficitur atque roboratur: quamobrem id quod illis ineſt formaliter naturæ beneficæ, tunc faciliùs erumpit in actum: unde fit, ut malefici ♄ & ♂ inſignia etiam plerumque bona cauſent in ſuis domibus, vel exaltationibus collocati, ſi in congruis figuræ domibus reperti fuerint, ut in decima pro dignitatibus, vel in prima pro animi fortitudine, aut iis dominentur. Ac præſertim ſi beneficorum & maximè Solis & ☽ fauſtis aſpectibus illuſtrentur: ſed vix unquam, ſine periculis magniſque difficultatibus benefaciunt, quod eorum beneficentiam commendat adhuc excellentius propter victoriam, aut ſaltem ſine mediis ac viis iniquis, vel turpibus, ut patet in plurium genituris qui vel immenſas ſibi cumulant divitias, vel malis artibus ad ſupremas evehuutur dignitates. Ad hæc quantumvis bene conſtituti, ſemper tamen ſunt ex ſua natura ad malefaciendum præcipuè proni: idque præſtant, vel innata ſua malignitate, vel quòd ſint in pravis figuræ domibus, iiſve præſint, vel quòd præcipuos bonorum ſignificatores ſitu, dominio, vel Analogia, infauſtis aſpectibus inficiant, vel ſuper ipſos eleventur, ut ſuo loco fuſiùs reponetur. Itaque Planeta omnis in ſua domo, vel exaltatione poteſt inſigniter benefacere, aut malefacere corpore, vel radiis, juxta naturam Planetæ & radiorum.

His autem ut ſupra explicatis, ſubjungendum ſupereſt: Quod Planeta omnis in domo propria, 5 gradibus extrinſecè roboretur à ſigno: in ſua exaltatione, 4 gradibus: & in ſua Triplicitate 3 gradibus, juxta Veterum ſententiam, cui ſubſcribere nobis videtur rationi congruum. Attamen negantes contra illos, quod Planetæ in ſua domo exiſtenti, debeantur ſeorſim 3 gradus fortitudinis ratione Triplicitatis, ob cauſam dictam in fine cap. 4. Atque ſunt hæ Planetarum à ſignis fortitudines eſſentiales nuncupatæ, quòd prodeant à cauſis, formali Planetarum virtuti congruenter ſimilibus, vel proportionatis, ut ſupra explicatum eſt.

Ubi verò Planeta in ſua domo, exaltatione, aut Triplicitate non conſiſtet, neceſſe eſt illum verſari vel in ſuo exilio, vel in ſuo caſu, vel in ſigno ſecum ſympathia aut antipathia vacuo, ubi peregrinus dicitur. Ac in ſuo exilio, ex maligna influxuum ſigni & Planetæ combinatione mixtioneque, utriuſque influxus ita depravatur ob antipathiam, ut inde nonniſi pravus effectus ſit exſpectandus. Agit igitur Planeta in ſuo exilio juxta propriam ſuique domini naturam, ſed depravate, eóque magis ſi dominus ipſe fuerit etiam in ſuo exilio, ſive caſu, vel inimicus Planetæ quem excipit. Poteſt tamen beneficus exul quid boni largiri corpore, dominio, & aſpectu benefico, propter naturam ſuam beneficam, & quia prævalet ſigno, ſed longè minùs difficiliúſque quàm ſi non eſſet in illo pravo ſtatu: quod ſi fuerit exul in domo malefici, ab ejus pravo influxu per dominium, illius beneficus influxus pervertetur deteriùs in utriuſque mixtione, præſertim ob benefici exilium.

At Planeta in ſuo caſu, valdè debilitatur in agendo juxta naturam propriam, contraria de cauſa qua roboratur in exaltatione. A Planeta autem natura benefico, ſed in ſuo caſu exiſtente, in

ſignis effectus de illius natura non erit exſpectandus in bonis figuræ domibus: imò vix ullus niſi aliunde juvetur, ut aſpectu benefico ſui domini, vel Planetæ qui in ſua vel illius domo, aut exaltatione moretur: in malis verò figuræ domibus certò nocebit. Quod ſi Planetæ dejectus, fuerit naturâ maleficus & in domo malefici, ut ♄ in ♈, tunc fiet longè deterior & ad malefaciendum fortior, præſertim in malis figuræ domibus. Aget igitur quilibet Planeta dejectus, ſecundum propriam naturam debilitatam, ſignum quod occupat, & dominium cui ſubjicitur.

Denique Planeta in aliena domo duntaxat peregrinus, nec depravatur, ut in exilio, nec ita debilitatur, ut in ſuo caſu; ſed tantùm remiſſiùs: ſolo quippe defectu connaturalitatis, vel ſympathiæ in ſigno ipſo. Quocirca perperam à vulgaribus Aſtrologis tribuuntur in 5 gradus infortunii, aut debilitatis, non ſecus ac ſi in exilio ſuo verſaretur. Tantum igitur hic advertendum eſt, an ſit in domo amici, vel inimici Planetæ, de quibus actum eſt Lib. 15. cap. 14. Nam Planeta peregrinus in domo amici, vix ullum agendo juxta naturam propriam detrimentum patitur: imò plerumque juvatur, ut ♄ in domo ♃ pro divitiis: at in domo inimici, enervatur aut depravatur, ut ☿ in ♏, aut ♂ in ♊, pro ingenio litigioſo, fraudulento, mendace, &c. Dum autem dicimus Planetam enervari, depravari, pravo aſpectu infortunari & ſimilia, id non intelligatur de ipſo Planeta in ſe, ſed in ſuis affectibus Sublunaribus ob pravum concurſum: idemque à contrario intelligendum cùm dicitur, Planetam roborari atque fortunari.

His verò expoſitis nunc dicendum; quod beneficus Planeta in ſuo exilio, debilitatur 5 gradibus, ejuſque influxus depravatur: in ſuo caſu debilitatur 4 gradibus, peregrinus autem 3 gradibus, præſertim in domo inimici & naturâ malefici. Ac in ſumma quilibet etiam Planeta beneficus, ratione Cœli pravè affectus, naturam inducit maleficam, ſed præſertim exul aut cadens, neque benefaciet radiis etiam beneficis niſi depravatè valdeque tenuiter. At maleficus in ſuo exilio, fit 5 gradibus deterior ad nocendum, nulloque modo benefacit, nec corpore, nec aſpectu, nec dominio: ut ♄ in ♌ & ♋ mortem violentam & probroſam plurimis cauſat: in ſuo caſu ♄ fit 4 gradibus deterior ob ♄ & ♈ nimiam ſiccitatem & malefici ♂ dominium. Mars verò in ♋ nõ fit deterior, ſed tantùm debilior 4 gradibus ad agendum, ut Mihi qui habeo ♈ in Horoſcopo & ♂ in ♋; unde facile iraſcor, facileque compeſcor, ſumque ad ultionem timidus, niſi honoris ratio animum accendat. Sic ☉ in ♎ tantùm debilitatur, ☽ autem in ♏ fit deterior, ob exceſſum humiditatis & malignitatem domini inimici. Eademque eſt habenda ratio in cæteris. Denique maleficus peregrinus aliquando fit 3 gradibus deterior, & aliquando tantùm debilior pro ſigni & domini naturâ, ut jam expoſitum eſt.

Atque ſic de fortitudinibus & debilitatibus Planetarum extrinſecis ratione ſignorum juxta experientiam ipſam philoſophandum eſt, nec promiſcuè putandum cum vulgaribus Aſtrologis quemlibet Planetam in ſua exaltatione (exempli gratia) fortunari 4 gradibus, in ſuo autem caſu totidem gradibus debilitari: ac idem eſſe in Planetis omnibus roborari & fortunari quoad effectus, tum debilitari & infortunari quamcunque Planeta figuræ domum occupet.

Denique non videtur hic omittendum, quod notatur à Cardano, ſcilicet Planetas in propria domo, efficaciùs ſignificare ſupra vitam, corpus, mores, ingenium: in exaltatione fortiùs ſuper honores, dignitates, actiones, & fortunæ mutationes: in Triplicitate verò fortiùs ſuper amicitias & converſationes. Quibus ergo jure hoc addo, dummodo ad talia Planetæ ipſi in figura determinentur. Abſurdum quippe eſt opinari, quod Planeta in octava, primæ non dominans, etſi fuerit in proprio domicilio, ſignificet vitæ, vel ingenio, cum è contrà mortem ſignificet.

Rectius itaque alibi ait, Planetam in ſuo throno, vel ſua domo exiſtentem, ac dominum Horoſcopi, vel genituræ, nato conferre magnam authoritatem, vitamque beatam & tranquillam, tam apud ſuos quàm exteros, ac efficere, ut bona illi contingant cum facilitate. In ſua autem exaltatione, majores ſpecie honores & poteſtates derepentè tribuere; ſed per medias difficultates & mutationi frequentiùs obnoxias. Ac in ſumma ſtatum præſagire egregium & illuſtrem, ſed plerumque turbulentum, præſertim (addo) ſi ♄, aut ♂ infauſtis pulſetur radiis. Denique Planetam in ſua Triplicitate duntaxat efficere, ut natus conſiliis ſuis, precibus, monitis & negotiationibus apud alios fortunetur, hiſque ſit acceptus.

Caput VI.

De Planetarum fortitudine extrinſeca à ſignis ratione ſexus.

VOlunt Aſtrologi quemvis Planetam ſexu formaliter, vel intrinſecè maſculinum roborari in ſigno maſculino, & fœmininum in fœminino: in ſignis autem contrarii ſexus debilitari, vel infortunari; idque indiſcriminatim, in quo tamen ſibi ipſis contrariari videntur.

Nam primò: Singulis Planetis in propria domo verſantibus, tribuunt 5 gradus fortitudinis, & in exilio ſuo, 5 gradus debilitatis. At ☽ domus & exilium ſunt ſigna fœminina determinativè, qualis eſt ipſa Luna formaliter, ſive naturâ propriâ. Huic ergo in ſua domo plures 5 gradibus fortitudinis, & in ſuo exilio, pauciores 5 gradibus debilitatis tribuendi eſſent, cùm tamen totidem gradibus in ♑ debilitari, quot in ♋ roborari ab illis cenſeatur. Idemque de ☉ Planeta maſculo cenſcendum eſt in ♌ & ♒ ſignis quoque maſculis, tum de ♂ in ♈ atque ♎, &c.

Præterea ſingulis Planetis ♄ ♃ ♂ ♀ ☿, duplex domus aſſignata eſt cap. 3. Lib. 15, altera maſculina, & altera fœminina. Sed in utriſque Planeta quilibet dicitur 5 gradibus roborari: imò fortior cenſenſus eſt in ſua domo principali, cum qua ſcilicet convenit qualitatibus elementalibus, cùm tamen ♄ ſit formaliter maſculinus, ejuſque principalis domus ♑ ſit fœmininum ſignum.

Denique Ptolemæus cap. 19, Lib. 3. agens de morbis animæ, damnat in genituris virorum ♀ in ſignis fœmininis, & in genituris mulierum ♂ in ſignis maſculinis: quòd has & illos proniores efficiant ad libidines etiam contra naturam, ſi ad mores determinentur, vel domum 5 corpore dominio, vel ☍ occupaverint. Non ergo identitas ſexus in Planeta & ſigno quod occupat, Planetam ipſum ſaltem perpetuò roborat, vel fortunat.

Ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Ut verò hæ tollantur difficultates. Dico rurſus aliud eſſe Planetam roborari, & aliud fortunari quoad effectus Sublunares: Hæcque duo cautè ſemper eſſe diſtinguenda. Nam ſi ☉ fuerit in ♈, roborabitur ad calefaciendum; ſique in hoc ſigno maſculo junctus fuerit ♂, vehementiùs adhuc calefaciet, non tamen ſalubrius, ob exceſſum. Similiter ſi ☉ maſculus fuerit in ♒ ſigno maſculo, & ♄ quoque maſculus in ♌ quoque maſculo; ab illa prava ☍ malignus prodibit influxus. Cujus adhuc intendetur malignitas, ſi Mars fuerit utrique quadratus ex ♉: fortis igitur admodum erit talis conſtitutio, non tamen fortunata, ſed valde infauſta. Quippè malis conſtitutionibus ſuum eſt etiam robur, & aliæ aliis fortiores exiſtunt. Atque ſic ſupradictus ♂ & ♀ ſtatus in mulierum & virorum genituris, fortem equidem, ſed pravum influit libidinis appetitum.

Dico ſecundò. Quemlibet Planetam univerſim, validiùs & fœliciùs influere ex ſigno, cum quo habet ex ſe formalem convenientiam ſexus: validiſſimè autem ſi in illo præcipuam aliquam ſortitur dignitatem, domum ſcilicet vel exaltationem. Sic ♄ ex ♒ efficaciùs fœliciùſque ſuam effundit influentiam quàm ex ♑ etſi ex ♑ efficaciùs ſuas effundat qualitates Elementales ob convenientiam: ex ♎ verò ſigno maſculo, ubi exaltatur, influet efficaciſſimè. Sic ♀ in ſe formaliter fœminina, ex ♉ influit efficaciùs fœliciuſque, etſi ex ♎ ſigno maſculo humectet copioſiùs. Sexus enim Planetarum intimior eſt influentiis, quam formales, vel actuales eorum qualitates Elementales: nec hæ ſunt cauſa formalis ipſius ſexus, etſi hic per illas cognoſcatur. Ac Planeta in ſua domo ejuſdem ſexus, propriè dicitur eſſe in ſuo gaudio (ut vocant) hoc eſt ſigno in quo præcipuè videtur gaudere, ut ♀ in ♉, ♂ in ♈, ♃ in ♐, ob cauſam ſuperiùs dictam: hæc autem paſſim probantur experientiis.

Atque inde conſtat ♄ ♃ ♂ ♀ ☿, equidem ſemper efficaciùs agere Elementaliter in ſua domo principali, non autem influentialiter, ſi Planeta & ſignum ſexu differant. At ſi Planeta in ſigno quod occupat, exilii aut depreſſionis infortunium patiatur; fœliciùs ſaltem iufluet, ſi ſexu convenerit, infœliciùs verò ſi contrariaretur. Atque ſic ♄ in ♌ fœlicior eſt quàm in ♋, ♃ in ♊, quàm in ♍, ♂ in ♎ quàm in ♉, ♀ in ♏ quàm in ♈. Si denique Planeta fuerit duntaxat peregrinus, ſemper ex conformitate ſexus fœliciorem ſaltem influxum augurabis, quamvis Elementalium qualitatum ratione, aliter interdum ſeſe res habeat: dum nempe ſignum & Planeta ſimul, in aliqua qualitate nimis excedunt. Ut ♀ & ♋ pro humiditate, ♂ & ♍ pro ſiccitate, &c.

Dico tertiò. Ex convenientia, vel diſconvenientia ſexus inter Planetam & ſignum quod occupat, non eſſe pronunciandum de fœlicitate, vel infœlicitate influxus, niſi habita ratione ſexus hominis cujus eſt Geneſis, tum domini ſigni; an ſcilicet ſit amicus, vel inimicus prædicto Planetæ, vel ex ſe beneficus, aut maleficus. Pravum enim eſt in Geneſi mulieris, omnes Planetas maſculinos, eſſe in ſignis maſculinis; ea enim erit quàm par ſit virilior. Ac ſimiliter pravum, ♀ eſſe in domibus ♄ atque ♂: inde enim prodeunt influxus ad libidinem pravi atque turpes, niſi aliunde corrigantur, ſcilicet libero arbitrio rationali.

CAPUT VII.

De extrinſeca Planetarum fortitudine, ab eorum receptione in ſignis Zodiaci.

OMnis Planeta extra propriam domum, dicitur ab alio recipi, quippe domo, exaltatione, vel Trigono. Ut ſi ♃ fuerit in ♎, dicetur recipi domo à ♀, exaltatione à ♄, & Trigono à ♀ ♄ & ☿. Eſt autem receptio præſentiæ & abſentiæ. Præſentiæ eſt, quando Planeta recipiens eſt in eodem ſigno cum recepto: ut ſi ♀ fuerit in ♎ cum ♃. Abſentiæ eſt, quando recipiens & receptus ſunt in ſignis diverſis. In utraque autem plurimùm intereſt attendere, an Planeta ab amico, vel inimico recipiatur; tum an recipiatur in ſignis ſibi congruis exaltatione vel Trigono, an in contrariis. Si enim ☽ in ♋ receperit ♃ ſibi amicum & in ♋ exaltatum, excellens & efficaciſſima erit receptio præſentiæ: ſi autem ♂ in ♏ receperit ♀, admodum prava erit receptio, quæ Veneris influxum valde pervertet.

Præterea receptio abſentiæ mutua eſt, aut non mutua. Mutua eſt, ſi ♃ in ſuarum dignitatum aliqua receperit ♀, & hæc illum reciprocè, quod dupliciter poteſt accidere. Primò, ſi ſe mutuò recipiant ſimilibus dignitatibus, ut uterque domo, vel uterque exaltatione. Veluti ſi ♃ ſit in ♎, & ♀ in ♐. Et hæc receptio omnium validiſſima eſt per ſe, ad benefaciendum aut malefaciendum. Et quidem benefaciendum, ſi neuter Planetarum in ſigno quod occupat infortunetur exilio, vel depreſſione, ſed è contra ſaltem eorum alter domo, vel exaltatione fortunetur, ut ſi ♂ fuerit in ♌, ☉ autem in ♈ ubi exaltatur, ideoque in tali receptione ♂ præpollet: vel ſi ☽ fuerit in ♓, & ♃ in ♋, ubi exaltatur etiam. Ad malefaciendum verò, ſi uterque Planetarum in ſigno quod occupat infortunetur exilio, vel depreſſione; ut ſi ☉ fuerit in ♒, & ♄ in ♌, aut ☉ in ♎, & ♄ in ♈: aut ♂ in ♋, & ♃ in ♑. Ex quibus mutuis receptionibus extremi roboris; aliæ medii roboris facilè innoteſcunt. In quibus nempe aut neuter Planeta in ſigno quod occupat fortunatur, vel infortunatur, aut tantùm alter.

Secundò autem accidit mutua receptio, ſi Planetæ ſe invicem diſſimilibus dignitatibus recipiant: ut ſi ♃ receperit ♀ domo, hæc verò illum exaltatione, vel Trigono. Atque hæc receptio priore multò imbecillior eſt. Eritque etiam benefica, aut malefica, prout uterque Planeta receptus, vel alter ipſorum fauſtè, vel infauſtè poſitus fuerit, ratione domus exaltationis, vel hiſce contrariorum.

Denique omnis receptio abſentiæ, eſt cum benefico, vel malefico aſpectu Planetarum receptorum aut nullo. Et cum benefico, inde benefica eſt, cum malefico, malefica; cum nullo, neutra. Quamobrem poſito ☉ in ♈, & ♂ in ♌, aut ☽ in ♓, & ♃ in ♋, cum △ aſpectu, excellens & benefica erit receptio. At poſito ☉ in ♒, & ♄ in ♌, aut ♂ in ♋, & ♃ in ♑ cum ☍ aſpectu, infœlix & peſſima erit receptio.

Dici poſſet quod ♄ in ♌ oppoſitus ☉ in ♒, commiſcens ſuam cum Sole ☍ reſpectu noſtri, idque prout eſt in ♌, Solis ſtatus minùs inde infortunatur, quàm ſi ♄ eſſet in ♋, & ☉ in ♑. Ideoque ☍ illa cum mutua receptione domus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

minuit pravitatem ☍; eademque eſt ratio de ☍ ☉ in ♒, & ♄ in ♈: tum de □ ♂ in ♋, & ☽ in ♈: ſed reſponderi poteſt quod ♄ non agit in Solem, ſed in nos: influxus autem ♄ ex ♌ peſſimus eſt noſtri reſpectu, ſicut influxus ☉ ex ♒, cùm autem his accedat ☍ ☉ & ♄, quæ etiam prava eſt noſtri reſpectu, potiùs inde augetur quàm minuitur influentiæ malignitas. Poſito autem ☿ in ♓, & ♃ in ♊ cum □ aſpectu, mediæ virtutis & infœlicitatis erit illa receptio: ſed poſito ♂ in ♉, & ☽ in ♑ cum △ aſpectu, receptio erit mediæ virtutis ac fœlicitatis. Ex quibus exemplis de cæteris ferre judicium jam facile eſt, atque diſtinguere, quis Planetarum receptorum ſit fortior ad benefaciendum, aut malefaciendum. In his verò conſiſtit pars haud mediocris ſcientiæ judiciorum.

Dicet aliquis hæc contrariari doctrinæ Veterum, qui nempe volunt omnem mutuam receptionem ſaltem ex domo, vel exaltatione beneficam eſſe: idque variis probari genituris contendet: ut Illuſtriſſimi viri Franciſci de Bonne Coneſtabilis Galliæ, qui habuit Martem in ♉ dominam ☉, & ♀ in ♈ dominam ♋. Ille verò fuit in bellis ſemper fœliciſſimus & ſupremum in militia honorem gradatim adeptus eſt: quod nemo ex vulgaribus Aſtrologis non referret ad mutuam receptionem ♀ & ♂ ex domo, etſi uterque Planeta fuerit exul, & ſine domini aſpectu.

Nihilominus tamen vera eſt doctrina à nobis poſita, vulgaris autem falſa: nec obſtat exemplum propoſitum. Illius enim viri fœlicitas in bellis, & promotio ad ſummam dignitatem alias habuere cauſas, quàm illam receptionem mutuam ♀ atque ♂.

Primò enim ☿ dominus Horoſcopi fuit in ♉ obſeſſus à ♀ & ♂, quod fœlicem ad arma propenſionem ſignificavit, præſertim quòd ♂ præeſſet exaltatione ſeptimæ, tum ſingularem in armis prudentiam, tum etiam honores militares ob ♂ dominum ☉. Secundò, Sol fuit exaltatus in undecima, & ♀ conjunctus, qui Reges amicos & benefactores deſignavit. Tertiò ☽ domina primæ fuit in decima ſub dominio ♃ domini etiam cuſpidis ſeptimæ quæ eſt bellorum, mutuò feréque partiliter applicans △ ♄ domini ſeptimæ in domo ♂: quæ ſignificarunt natum Bellorum causâ ad maximos honores militares evehendum, fœlicemque bellicorum ſuſceptorum exitum ob ♃ ipſum dominum ſeptimæ & decimæ in domo & partili ☍ ♀, quæ exaltatione præeſt medio Cœli, & conjungitur ☉ exaltato in undecima. Atq; hæ ſunt genuinæ, validæ, multæque cauſæ inſignis fortunæ quam natus ipſe adeptus eſt. Illa autem mutua receptio ♀ atq; ♂ dominorum quintæ & undecimæ in undecima, cum ☿ Horoſcopi domino, ac eorum oppoſitiones ad ♄ & ♃ dominos ſeptimæ, quæ etiam eſt conjugii, propenſionem ad Venereas voluptates, ac nuptias impares potiſſimùm ſignificavêre ob utrumque Planetam in ſuo exilio, & ♃ atque ♄ etiam in domibus ♀ atq; ♂ in domo quinta, fueruntque talia manifeſta atque famoſa ob ☉ cum ♀ in ☍ ♃. Itaque tales mutuæ receptiones infauſtæ, diſtinguendæ ſunt à fortuniorum cauſis, quibus interdum commixtæ reperiuntur, ne illis fortunium quod ab ipſis non eſt tribuatur.

Atque ex quam plurimis genituris doctrinæ à nobis poſitæ veritas probabitur. Novi enim tres Nobiles mulieres in quarum primæ genitura, ☉ & ☽ erant domini primæ: ac ☽ fuit in ♉ cum ♂ in undecima, ☉ autem in ♏, cum ♀ in quinta, vix dici poteſt quanto luxuriæ appetitu flagraret, ab illa mutua receptione ♀ & ♂ in ſignis ubi uterque Planeta exul eſt, ac in illis figuræ domibus, & cum luminaribus domini primæ dominantibus. In genitura ſecundæ, ♃ fuit in ſeptima & ♊, ☿ autem in tertia & ♓. Bis nupſit infauſtè & cum affinibus lites habuit. In genitura tertiæ, ♀ fuit domina Horoſcopi in ♈ & duodecima, ♂ autem dominus duodecimæ in ♉ & prima. Quæ conſtitutio plurimos illi morbos concitavit. Quis verò jam dixerit receptiones illas fuiſſe beneficas?

Rurſus in Geneſi Nobiliſſimi viri Joan. De Giam D. De Riſpe ♀ domina medii Cœli fuit in ♈ cum ☉ domino Horoſcopi: & ♂ in ♉ in ✶ ☽ & ♃, nec non △ partili ♄ domini ſeptimæ, quæ eſt bellorum, ut proinde in martialibus ſuſceptis & actionibus fœlix eſſe debuiſſet juxta vulgarem Aſtrologiam: cum tamen in bello fuerit infœlix, tandemque duello miſerè perierit, vulnerato capite globulo ignito, unde illicò expiravit: fuit enim ♂ cum capite Algol partiliter quadratus Horoſcopo, & ♄ dominus ſeptimæ oppoſitus ☽, & quadratus ☉ domino Horoſcopi, nec profuerunt ſupradicta, nec etiam ♃ in ♓ in octava. Ad hæc in Geneſi D. De Hayes ♃ fuit in ſeptimo gradu ♊ in octava cum ♂ domino Horoſcopi, ☿ autem in ♓ & quarta: ac Luna in ſeptima cum capite Meduſæ & Plejadibus, quadrata ☉ domino decimæ exuli in quarta, fuit hic Regis mandato capite truncatus: nec profuit mutua receptio ☿ & ♃ in octava, quod uterque exul eſſet cum mutuo inter ſe □.

Pluribus exemplis hic non eſt opus. Alibi paſſim occurrent advertenti: Doctrinæ autem à nobis poſitæ ratio eſt. Quoniam ♀ in ♈ pravus eſt influxus, & ♂ in ♉ quoque depravatus: vel ♀ in ♏, & ♂ in ♉, etiam cum aſpectu oppoſito. Compoſita igitur inde totalis influentia, nato illam excipienti fauſta eſſe nequit. Dicetur fortaſſis, idem eſſe ac ſi ♂ eſſet in ♈ vel ♏, & ♀ in ♉: ſed hoc falſum eſt; nam ex principiis Aſtrologiæ, quæ ſuppeditat experientia, aliud efficit ♀ in ♉, & aliud in ♈ vel ♏, atque ♂ ſimiliter: nec non aliud directio medii Cœli ad ♀ in ♉, & aliud ad ♀ in ♏; hæc enim directio vix quidpiam boni efficiet, illa verò multùm, ut conſtat experientiis. Igitur in mutuis Planetarum receptionibus, ſupradicta ſedulò notentur.

Caput VIII.

De extrinſeca Planetarum fortitudine ab eorum poſitu ad Solem atque Lunam.

PTolemæus paſſim in aſtrorum judiciis, maximam imò præcipuam rationem habet Solis atque Lunæ: tum poſitus reliquorum Planetarum ad ipſa luminaria: cenſetque ☉ & ☽ eſſe cauſas univerſales omnium effectuum Sublunarium.

Ideoque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Ideoque initio cap. 7. Lib. 2. ait. *Nam Sol & ☽ gubernatores ſunt aliarum ſtellarum, & præcipuæ cauſæ eventuum, & regunt ſtellarum dominia, & dominantium vires confirmant aut languefaciunt.* Idque non abs re dictum videtur: quippe ex Planetis Sol tantùm atque ☽, circa Terram ordinantur; cæteri verò circa Solem, quem unicum in ſuis motibus obſervant, ſicut & Luna ipſa, quique ſuo acceſſu ad Zenith annuo, cujuſvis ſeminis mineralis, vegetabilis & animalis calorem innatum ad generationem excitat, ſtimulatque, ut Verno tempore patet in plantis & animalibus. Unde à pleriſque Sol fons caloris, & Luna fons humoris, vocantur pater & mater cunctorum in his inferioribus genitorum.

Verùm qua ratione Sol & ☽ ſint gubernatores aliorum Planetarum, horumque dominia regant, nec expoſuit Ptolemæus, nec ipſe Cardanus in Commento: nec aliter exponi poſſe video, niſi quatenus Sol nodus ſyſtematis aliorum quinque Planetarum, hos ſuo motu circa Terram defert ſub ſigna Zodiaci. Dum autem deferuntur, quilibet vel Solem præcedit, & dicitur orientalis, vel eundem ſequitur & dicitur occidentalis: fitque interim directus, retrogradus & ſtationarius. Inde verò virtus eorum activa reſpectu noſtri, remittitur, intenditur, vel aliqua ratione modificatur. Atque hoc etiam de Luna dici poteſt cui ♄ ♃ ♂ ♀ & ☿ fiunt quoque orientales, vel occidentales.

Quoniam ergo Sol & ☽ ſunt Telluris ſaltem reſpectu Planetarum potentiſſimi, circa Terram ipſam quam unicè reſpiciunt ordinati, ac liberi, ſive ſoluti. Reliqui verò ♄ ♃ ♂ ♀ & ☿ alligantur Soli, velutque famuli & ſatellites ejus circa ipſum primario gyrant. Certè natura inde ſedulò attendendum indigitat, quis præſertim ſit Solis & ☽ ſtatus Cœleſtis in quovis Themate, & quomodo reliqui Planetæ erga Solem ſuum Choragum, vel potiùs Regem ſeſe habeant, ſitu, dominio & connexione per corpus, vel aſpectum. Tum etiam erga Lunam Solis conjugem atque vicariam in his Sublunaribus: inde enim certum eſt efficaciores, aut languidiores, tum fœliciores aut infœliciores evadere ipſorum quinque Planetarum influxus. Hic autem noſtri duntaxat inſtituti fuerit, exponere quid eorum ſitus ad Solem operetur, & quantùm inde roboris, vel debilitatis accipiant conjicere. Cardanus enim Comm. in text. 14. cap. 3. Lib. 2. Quatrip. arbitratur ſtellas orientales habere adeò diverſos mores à ſe ipſis occidentalibus, ac ſi eſſent non unus Planeta, ſed duo penitus diverſi: quod tamen falſum eſt, quia in utroque ſtatu Planeta agit juxta naturam propriam, etſi diverſimode. Natura enim eſt unica & immutabilis, ſed modi, ſive ſtatus ſunt diverſi. Videamus autem quid Planetis ipſis à ſuo ad Solem poſitu roboris accedat.

Porrò id quæri poteſt, vel ratione naturæ Elementalis Planetarum ipſorum, vel ratione influentiarum. Ac de natura Elementali diximus Lib. 3. ſect. 1. c. 3. De influentiali autem nobis Ptolemæus eſt audiendus: qui Lib. 3. cap. 16. agens de forma corporis, à ſingulis Planetis Soli orientalibus, nobiliorem ſive perfectiorem corporis formam conferri aſſerit, quàm ab occidentalibus: quod aliis etiam bonis rebus homini accidentibus univerſim accommodari poteſt, atque aſſeri, Planetas orientales Soli, cuncta facere illuſtriora magiſque conſpicua, quàm occidentales: præſertim verò cùm è Solaribus radiis emergunt.

Deinde verò Ptolemæus id ipſum diſtinguens ſpecialiùs, ait, Planetas univerſaliter cùm manè Solem antecedunt & conſpiciuntur, hoc eſt, in ſuo ortu matutino, grandia. In prima ſtatione, robuſta & valida, cùm retrogradi fuerint, non apta proportione conformata. In ſecunda ſtatione, imbecilliora, & cum occidunt, ſive Solis radios ſubeunt, dignitate carentia & vitiorum fœcunda, hoc eſt, deformia & læſa pariunt corpora. Capite autem 18 tractans de qualitatibus animæ, inquit. Planetarum poſitus orientales ad Solem, hoc eſt, matutinos ortus, præſertim in horoſcopo, ſignificare liberales, ſimplices, ſibi placentes, fortes, ingenioſos, veloces, & apertos. Matutinas verò, hoc eſt primas ſtationes, & in medio Cœli, facere magnanimos, firmos, robuſtos, perſeverantes, perfectores eorum quæ ſuſcipiunt, conſultos, prudentes, circumſpectos, quique difficile decipiantur. At veſpertinos Planetarum ortus, præſertim in domo 7 ſignificare inſtabiles, imbecilles, impatientes laborum, ſubitos affectus concipientes, litigioſos & conjugiorum appetentes. Denique veſpertinas, ſive ſecundas ſtationes maximè in imo Cœli, & ☿ ac ♀ occaſus interdiu veſpertinos, noctu verò matutinos, ſignificare ingenioſos, laborum patientes, arcana ſcrutantes, Magos, Præſtigiatores, ſomniorum interpretes & ſimiles.

At Capite 19. differens de morbis animæ, circa finem oſtendit quinam Planetarum poſitus ad ☉, ſint quibuſdam animæ vitiis congruentiores, dum ait. Martis & ♀ poſitus ad ☉ orientales & matutinos, conducere ad audaciam & impudentiam in Venereis libidinibus exercendis, quod intellige ſi ♀, vel ♂ fuerit in prima, vel quinta, vel undecima, vel alteri domorum ipſarum præfuerit, quippe talis poſitus non occultandis, ſed propalandis rebus, vel effectibus Planetarum convenit: cui contrariatur occaſus eorum veſpertinus.

Aſtrologi autem Planetis Soli orientalibus 2 gradus fortitudinis tribuunt, & occidentalibus 2 gradus debilitatis: pro Luna contrarium ſtatuentes, quod ſemper intellige ad benefaciendum, aut malè faciendum, pro Planetæ natura ejuſque reliquo ſtatu. Ex quibus patet quomodo, quantùm, & in quo, Planetæ à ſuo ad Solem vel ☽ ſitu extrinſecè roborentur: quodque maleficorum, nec beneficorum orientalitas, fortunata ſemper exiſtat.

Cæterùm quivis Planeta minor Solem præcedens, nec diſtans ſex ſignis dicitur Soli orientalis. Sequens verò ad eandem diſtantiam, occidentalis. De Luna pro ejus ad Solem poſitu orientali, vel occidentali, dic contrarium.

Caput IX.

De Planetarum fortitudine extrinſecâ, ab eorum motu.

Planetæ omnes dum moventur in ſuis Orbitis, fiunt motu veloces, tardi atque medii. Ac præterea ♄ ♃ ♂ ♀ ☿ directi, atque retrogradi.

 Velo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Veloces conferunt ad morum, actionum, vel effectuum quorumcunque ſignificatorum celeritatem: tardi ad tarditatem: medii ad ſtatum medium. Inſuper autem directi, continuationem effectuum & profectionem: retrogradi interruptionem, vel imperfectionem: ſtationarii verò tarditatem, ſed firmitatem atque durationem præſagiunt: atque rationes horum ex ſola petuntur Analogia. Inde autem deprehenditur etiam major aut minor fortitudo atque fœlicitas Planetarum, vel his contraria. Nam beneficus naturâ vel ſignificatione, ſi fuerit velox & directus, eò fortior erit fœliciorque. Tardus autem & retrogradus, erit eò debilior minúſque fœlix. At naturâ vel ſignificatione maleficus, ſe habet modo contrario. In ſtationariis præterea attendendum eſt, an retrogreſſus ſuccedat, ut in prima ſtatione, an autem directio, ut in ſecunda.

Unde conſtat, naturam & qualitatem tum Planetæ, tum effectus ſignificati eſſe advertendam, nec indiſcriminatim eſſe pronunciandum.

CAPUT X.

De Planetarum extrinſeca fortitudine, ab elevatione, vel eminentia unius ſuper alterum.

DE duobus Planetis invicem comparatis, uter eorum ſit fortior, definire ſoliti ſunt veteres Aſtrologi, ab unius ſuper alterum eminentiâ, vel elevatione, quæ multifariam ſpectanda eſt.

Primò. Reſpectu centri Telluris, ſive Mundi. Cùm enim Planetæ in ſuis orbitis delati, nunc fiant apogæi, hoc eſt à Terræ centro diſtantiores, nunc verò perigæi, vel Terræ centro viciniores; volunt Planetam eum qui in ſuo verſatur apogæo, vel ad ipſum aſcendit ſupra mediam ejus à Terra diſtantiam; extolli ſuper eum qui verſatur in perigæo, vel ad ipſum deſcendit: atque hunc inde viribus adeo ſuperare, ut Ptolemæus Aph. 63. Centiloq. juſſerit, in Planetarum conjunctionibus pronunciandum eſſe de conjunctionis effectu, juxta naturam Planetæ ſublimioris. Cur autem in ſua Orbita ſublimior, alteri ſitu etiam ſuperiori præferatur, ratio duplex afferri poteſt. Prima, per Analogiam: ut enim qui ad Regis favorem extolluntur, potentiores fiunt antiquis aulæ Magnatibus, ſæpeque ſtirpis Regiæ Principibus: ſic Planetæ dum evehuntur verſus primùm mobile, hoc eſt primam cauſam Phyſicam, cui in agendo ſubordinantur, viribus creſcunt. Secunda, quòd virtus influentialis Planetarum, quæ Cœleſtis eſt, ac inhærens eorum materiæ Cœleſti quâ conſtant, tunc fiat Cœlo ipſi vicinior. Indeque ſaltem vis eorum influentialis roboretur ac intendatur, etiam ſupra vim Planetæ ſitu ſuperioris; ob proportionatam ſingulorum naturis ſitus diſtantiam à primo mobili. E contrà verò remittitur dum fiunt perigæi.

Secundò. Reſpectu verticis, ſive Zenith. Atque ſic Planeta in meridiano poſitus, ſupra horizontem, vel ad ipſum aſcendens ab Horoſcopo, extolli dicitur ſuper alterum, qui vel fuerit in imo Cœli, vel ad ipſum deſcenderit, præſertim ab occaſu. Quod ſi fuerit eadem utriuſque à meridiano ſuperterraneo diſtantia; qui ſupra horizontem altior eſt, præferetur, ſaltem pro viribus Elementalibus, ad præſentem aeris vel naſcentium temperiem definiendam: quòd ſcilicet vires Elementales, per erectiores ſuper horizontem radios intendantur: Ambobus autem æquè elevatis, aſcendens deſcendenti præpollebit. Ad influentias verò quod attinet, id exiguam parit difficultatem: Tum quia Planetæ ſub terra fortiter agunt ſuis influentiis, ut alibi dictum eſt: Tum quia ♄ & ♃ ex ſuis domibus ad horizontem maximè inclinatis noſtri reſpectu, potentiùs influunt juxta naturam propriam, quam ex oppoſitis maximè elevatis. Imò quivis Planeta in horizonte ortivo efficaciùs influit in nati corpus & animam, quàm in medio Cœli: non enim vis influentiæ menſuratur per radiorum perpendicularitatem, ut alibi dictum eſt.

Tertiò. Reſpectu declinationis. Atque ſic qui ex duobus Planetis borealior eſt, elevari dicitur ſupra minùs borealem, in boreali Mundi parte; & cùm ambo fuerint æquè boreales, qui tendit ad boream ſuperat tendentem ad auſtrum: etſi uterque ad boream tendat, velocior tardiori præferatur, ſaltem pro qualitatibus Elementalibus, & in ſphæra boreali.

Quartò. Reſpectu latitudinis. Nam generatim Planeta omnis quò fuerit Eclipticæ propinquior, eò virtute ſe ipſo, vel alteri remotiori præſtat quoad influentiam, quippe Ecliptica quæ eſt via Solis Planetarum Principis, eſt etiam totius primi mobilis circulus efficaciſſimus.

Quintò. Reſpectu ſignorum Zodiaci. Nam Planeta in ſua domo, vel exaltatione conſtitutus, extollitur potentiâ ſuper alterum in ſuo exilio, vel caſu poſitum, aut etiam peregrinum. Sic ♄ in ♒ elevatur ſupra ♃ in ♍, vel in ♉: Quod ſi ♃ fuerit in ♑: tunc ♄ multo magis viribus illi præpollebit: quia nempe Jovi inſuper dominabitur, caditque ♃ in ♑ Omnis enim Planeta in ſua domo, vel exaltatione elevatur ſuper alterum cui dominatur. Imò omnis Planeta fortior altero, ac in hujus loco dominium ſibi vindicans, ſuper ipſum viribus extolli dicitur. Eſtque modus hic cæterorum potentiſſimus.

Sextò. Ratione aſpectuum. Nam Planeta unus extollitur ſuper alterum, dum hunc radio □ vel ſuo antiſcio inficit, atque huic dexter eſt, vel dum ipſi imperat.

Septimò. Tandem ratione domorum figuræ Cœleſtis. Atque ſic Planeta qui fuerit in angulo, fortior erit altero, in ſuccedente domo, vel cadente poſito. Et qui fuerit in nobiliore angulo, præſtat etiam ei qui fuerit in ignobiliore. Ac rurſus ex duobus Planetis in eodem ſpatio collocatis, cuſpidi vicinior cæteris paribus efficaciùs aget in ipſius domus eſſentialia ſignificata. Sed de his fuſiùs infra.

Porrò quò plures ex ſupradictis modis uni Planetæ accidunt, eò magis ſuper alterum dicitur extolli viribus. Nec tantùm virtutis tale augmentum attendendum eſt in aliquo Planeta, relativè ad alterum ſpectato: ſed etiam abſolutè, ut nempe quantum ſit ejus robur à ſimilibus cauſis extrinſecis pateat.

CAPUT

Caput XI.

De Planetarum fortitudine extrinſeca, à conditione diurna vel nocturna.

VT Planetæ ſunt dupliciter maſculini aut fœminini; quippè formaliter, vel intrinſecè, tum accidentaliter, vel extrinſecè: ita ſunt etiam dupliciter diurni atque nocturni, ſcilicet intrinſecè atque extrinſecè. Hic autem potiſſimùm quæſtio eſt de conditione extrinſeca, vel accidentaria Planetæ à ſuo poſitu ſupra, vel infra horizontem, interdiu atque noctu. De qua & quomodo Planeta inde roboretur, fusè actum eſt Lib. 13. ad quem proinde Lectorem amandamus.

Caput XII.

De Planetarum fortitudine extrinſeca, à mutuis inter ſe aſpectibus.

SUperioribus Capitibus expoſitum eſt, quomodò & quantùm Planetæ roborentur extrinſecè, à ſuo ſtatu Cœleſti, quatenus ipſi ſpectantur quaſi ferales & ſolitarii, hoc eſt, nec corpore, nec aſpectu aliquo inter ſe connexi. Quoniam verò frequentiſſima eſt eorum connexio; indeque oritur eorundem maxima agendi variatio: Aſpectuum autem alios eſſe beneficos, alios verò maleficos aſſeruimus cap. 10. Lib. 16. unde Planetarum aſpectu connexorum influxus proprius roboratur aut debilitatur, tum fortunatur, vel infortunatur: Idcirco jam dicendum ſupereſt, quomodo & quantùm ipſi Planetæ mutuis inter ſe aſpectibus fortitudinem aut debilitatem extrinſecè contrahant, ut robur totius eorum ſtatus Cœleſtis tandem innoteſcat, pro captu intellectus humani, qui ſingula ad amuſſim definire nequit. Multùmque ſe præſtitiſſe putat in adeò ſublimi ſcientiâ, ſi experientiis & rationi conſentanea proferat. Hæc autem ab aſpectibus fortitudo, cunctis hactenus Aſtrologis confusè quidem fuit cognita, diſtinctè verò nulli; ut conſtat ex vulgaribus fortitudinum Tabulis apud Authores, Origanum part. 3. Introd. pag. 140. ubi partili ☌ ♄ & ♂ dat 5 gradus infortunii, partili ☍ 4, & partili □ 3. Partili autem ☌ ♃ & ♀ dat 5 gradus fortunii, partili △ cum ♃ aut ♀ 4: & partili ⚹ 3. Idque indiſcriminatim qualiſcunque & quantuſcunque ſit beneficus, aut maleficus ipſorum Planetarum ſtatus, nullaque hujuſce diſtributionis allata ratione. Quamobrem iſta maximi in Aſtrologiâ momenti, diſtinctiùs nobis explicanda, Phyſiciſque rationibus ſtabilienda ſunt, ut ſequitur.

Primum ergo priuſquam de quolibet aſpectu partili, vel platico feratur judicium, an roboret extrinſecè, vel infirmet, & quantùm: videatur ex cap. 14. Lib. 16. num Planeta ſit verè conjunctus alteri partiliter aut platicè, vel connexus aſpectu nonnullo. Ne ſcilicet Planetam falsò robores, vel infirmes, vel plus æquo.

Secundum. Notetur univerſim, quod ☌ eſt per ſe indifferens: nimirum benefici Planetæ, benefica per ſe, & malefici malefica. Trinus autem ⚹ & ⌗ ſunt per ſe benefici, ſed ☍ □ & ☆ malenci. Oppoſitio autem & □ Planetæ benefici, per ſe non nocent, ſed tantùm per accidens, ſi nempe beneficus ipſe infortunetur extrinſecè: nec à ſimili Trinus, ⚹ & ⌗ malefici, per ſe juvant, ſed tantùm per accidens, ſi nempe maleficus ipſe fortunetur extrinſecè. Igitur boni aſpectus, nil mali per ſe conferunt; & mali, nil per ſe boni: quod ſi ſecus acciderit, hoc erit vel à natura Planetæ, vel ab ejus ſtatu, vel ab utroque.

Tertium. In quolibet aſpectu præter ejus naturã ſex ſequentia ſedulò perpendantur. 1. Natura Planetæ aſpicientis; nam △ Planetæ naturâ benefici, fœlicior eſt Trino Planetæ malefici: & □ malefici, deterior eſt □ benefici. 2. Signum in quo Planeta ipſe verſatur. Nam benefici aſpectus à Planeta verſante in ſua domo, vel exaltatione ſunt fœliciores, & malefici à Planeta verſante in ſuo exilio, vel caſu ſunt infœliciores. 3. Figuræ domus quam ille occupat. Nam aſpectus ex angulo fortior eſt ad bonum, ſive malum, juxta naturam aſpectus: & ex prava domo, ut duodecima & octava, deterior eſt, præſertim ex ſe maleficus. 4. Signum in quod cadit aſpectus. Nam □ ♄ cadens in ♌ exilium ♄, pejor eſt quam incidens in ♉ & △ ♃ cadens in ♋, fœlicior eſt △ cadente in ♏. 5. An ipſe Planeta ſit alteri junctus. Nam junctus benefico, fœliciùs influet per beneficos aſpectus; & junctus malefico, infœlicius influet per maleficos aſpectus. Sic enim in bono, vel malo influendo juvatur, quod de ☌ cum fixis eſt etiam intelligendum. 6. Planetæ aſpicientis dominium in figurâ. Nam dominus Horoſcopi conjunctus quadratus, vel oppoſitus Planetæ malefico natura, vel ſtatu Cœleſti aut terreſtri, vitæ malum portendit, Dominus medii Cœli combuſtus à Sole exule, vel cadente, actiones & honores infortunat: ſic de aliis.

Denique notetur etiam, quod Planetâ quovis exiſtente benefico ſimulque malefico, ſeu fortunato, ſimulque infortunato, naturâ ſcilicet atque ſtatu; Trinus ejus eò minùs, impuriùs difficiliúſque bonum largietur, quò Planeta ipſe fuerit maleficentior. Quadratus autem eò minùs malum conferet, quò Planeta fuerit beneficentior. Atque inde ſæpe aecidit, ut Trini aſpectus maleficorum naturâ, ſtatu Cœleſti, & determinatione, qualis eſt ♄ in ♌ & octava, inſignia plerumque mala cauſent. Quadrata verò beneficorum, bona etiam illuſtria ſine malo largiantur. Quippe ſi beneficus nullum patiatur infortunium, nullo nocebit ſuorum aſpectuum, ſed proderit omnibus: ſi autem maleficus infortunetur undequaque, nullo proderit ſuorum aſpectuum; ſed nocebit omnibus lege contrariorum. Hæc autem & ſimilia ſtatim advertenda ſunt, ut prima fronte ſaltem confusè conjiciatur, quanta ſit fortitudo, tum bonitas & pravitas ipſius aſpectus.

Superioribus ergo ſic expoſitis, cujuſcunque Planetæ fortitudo atque debilitas intrinſeca & extrinſeca, colligantur juxta præmiſſa capita, nullius aſpectus habita ratione: ſitque, verbi gratiâ, totalis fortitudo, ſive bonitas ♃ 12 graduum, debilitas autem, ſive pravitas extrinſeca (non enim eſt intrinſecè pravus) 8 graduum, & ſupponatur eſſe in ♑, conjunctus ♂, cujus totalis pravitas ſit 10 graduum, bonitas autem, vel fortitudo extrinſeca 7 graduum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Jam ſciendum eſt, quod ♃ roborat Martem extrinſecè, non quidem ſua totali fortitudine, ſive bonitate, ſed ſua duntaxat intrinſeca, quæ ex cap. 2. poſita eſt 8 graduum. Hujus autem ratio eſt, quia quæcunque ſunt ♃ extrrinſeca, nempe ſignum ſitus ad ☉, &c: ſunt ei per hypotheſim communia cum ♂, qui ab iiſdem afficitur, quamobrem non erunt in ♂ duplicanda, præſertim quod infortunium ♃ à ♑, ſit fortunium ♂, qui idcirco nullum inde pati poteſt detrimentum ratione ♃, alioquin ab eodem ſimul fortunaretur & infortunaretur, quod fieri nequit, ſimilique de causâ ♃ infortunium à ſua ☌ cum ♂ huic non communicatur à ♃, ſed è contra ♂ per ſuam cum ♃ conjunctionem beatior efficitur. Viciſſim verò Mars ♃ infortunabit ſua duntaxat intrinſeca virtute malefica, quæ prædicto cap. 2. ponitur eſſe 6 graduum 30′. Atque ſic totalis fortitudo, ſive bonitas ♃, erit 12 graduum, & totalis pravitas extrinſeca, cum ♂ ☌, fiet 14 gr. 30′. Totalis autem fortitudo ♂ erit 19 graduum: & pravitas 10.

Hæc autem intelligenda ſunt de partili ☌: quâ ſuppoſita, ejus locus in primo nrobili, non quidem formaliter, ſed tantùm determinativè afficietur utriuſque Planetæ totali fortitudine atque debilitate, vel bonitate & pravitate, veluti utriuſque Planetæ natura afficitur, prout loco proprio fuſiùs exponetur. At ſi ♃ & ♂, platicè tantùm conjungantur; Mars 12 illos gradus fortitudinis intrinſecè ♃, participabit duntaxat pro ratione ſuæ à ♃ diſtantiæ, ad ipſius ♃ ſemidiametrum Orbis, quæ eſt 8 graduum ex cap. 13. Lib. 16. Quamobrem ſi ♂ à ♃ diſtiterit 5 gradibus, dicatur per regulam auream, ſi 8 gradibus ſemidiametri, congruunt 12 gradus roboris, quantùm congruent 5 gradibus ejuſdem ſemidiametri? fient 7 gr. 30′. roboris extrinſeci pro ipſo ♂ dummodo ſupponatur vim ♃ à ſuo centro, ad peripheriam ſui Orbis æqualiter decreſcere: atque ſic de cæteris.

Pro reliquis autem aſpectibus propriè dictis in ſe ſpectatis, ſciendum etiam; quod Planeta quivis naturâ & ab extrinſeco beneficus ſimulque maleficus (ut ♃ in ♊ cum oculo ♉ atque ♂ in octava domo, vel ♄ cum ☿ in ♒ & prima) ſuo quovis benefico aſpectu, totam ſuam communicat beneficentiam internam & externam, etiam acceptam à ☌ cum altero Planeta; pro ratione ipſius aſpectus, vel arcus ſemicirculi quem ſibi vendicat, ad ☌ ſive ſemicirculum qui tribuitur ipſi ☌, juxta cap. 4. Lib. 16. Quippè ☌ eſſe △ fortiorem, ob Planetæ præſentiam in confeſſo eſt apud omnes. Cùm igitur totalis fortitudo ♂ in ejus ☌ cum ♃, ſuperiùs inventa ſit 19 graduum. Et conjunctioni competat ſemicirculus, ſive 6 ſigna, △ 4, ✶ 2, & # 1; ſupputatione facta à ☌ loco. Dicatur per regulam auream, ſi 6 ſignis conveniunt 19 gradus, quantùm debentur 4 ſignis pro △. 2 ſignis pro ✶, & uni ſigno pro #? fient 12 gr. 40′ pro △, 6 gr. 20′ pro ✶, & 3 gr. 10′ pro #. Ratio autem, cur internam ſimulque externam beneficentiam Planeta ſuo conferat aſpectu benefico, hæc eſt. Quia nempe △ Planetæ benefici, per ſe beneficus eſt, pro ratione △ ad ☌, etſi Planeta non fortunaretur extrinſecè. Multò magis igitur erit beneficus, ſi Planeta fortunetur extrinſecè, quandoquidem ob hanc ipſam cauſam Trinus malefici Planetæ, per accidens beneficus extat, ut ſuperiùs notatum eſt. Quippè Planeta quilibet tum ſua ☌, tum ſuis aſpectibus, agit pro ratione ſuæ naturæ, ſui ſtatus & ſui radii, vel aſpectus qualitate. Ergo aſpectus beneficus utramque ſui Planetæ largitur beneficentiam. Atque hæc de beneficis aſpectibus; ſequitur de maleficis, per quos Planeta totam quoque ſuam influit pravitatem intrinſecam ſimulque extrinſecam, ſive propriam & adventitiam, à ſigno poſitu ad Solem, ☌ cum altero Planeta maleficio domo, &c.

Igitur maleficorum aſpectuum fortiſſimus eſt ☍, quam etiam Cardanus Comment. in text. 45. Lib. 3. Quatrip. facit ☍ potentiorem ad interficiendum, & ☍ □, ſubaudi in maleficis & anæretis: nec abs re id cenſuit. Cùm enim ☍ & ☍ ſint in eadem linea diametrali, quæ utriuſque robur malefaciendi, per ſe facit æquale: Conjunctio autem bonum quo pollet cum malo influat, & ☍ ſolum purpurumque malum, rectè ſequitur, quod ☍ ſit ☍ deterior; ideoque non minùs ſaltem effundat influxus malefici, quàm ipſa ☍. Ac proinde cum ♃ ſuperiùs adjuncta ♂ ☍ inventus ſit infauſtus 14 graduum 30′, ejus ☍ erit etiam totidem gradibus prava. Cúmque ut ☍ ita ☍: tribuatur ſemicirculus, ſive 6 ſigna, □ 3, & ☆ 1, facta ſupputatione à loco ☍: per regulam auream invenientur, ut ſuperiùs, 7 gr. 15′. pravitatis pro □ & 2 gr. 25′. pro ☆. Atque ſic de cæteris. Hoc autem etiam intelligendum eſt de partilibus aſpectibus; nam in platicis idem faciendum eſt, quod ſupra pro ☌ docuimus, ſi ſaltem ex his exactus eſſe velit Aſtrologus, quod tamen non puto neceſſarium.

Denique hic notandum ſupereſt, in Planetarum conjunctionibus & aſpectibus, applicationes eſſe defluxibus fortiores. Et aſpectuum ſiniſtros pervalere dextris; ſaltem inter Planetas: nam ſiniſtri ſunt in conſequentia ſignorum, juxta proprium Planetarum motum. Dextri autem in antecedentia, juxta primum motum Planetis extraneum, niſi forſan per accidens in retrogradis. At de aſpectibus ad domorum cuſpides, ad quas Planetæ primo motu deferuntur, dicendum eſt contrarium. Præterea rationem eſſe habendam eorum quæ dicta ſunt cap. 2. & 3. Sect. 2. Lib. 16. ut inde robur aſpectuum ex ſuprapoſitis inventum, ex æquo ſaltem & bono judicioſè minuatur, vel augeatur. Cuncta verò ſuperiùs dicta, ſunt ad robur aſpectuum menſurandam determinandumque maximè neceſſaria. Quibus tamen ſequentia videntur adhuc adjungenda.

Primùm. Benefici Planetæ ſuis aſpectibus bona largiuntur, fauſtis quidem facilè atque amplè, ſi Planeta fuerit bene affectus atque in benefica figuræ domo: infauſtis difficile. Quin etiam pravo aſpectu malefacit, dum cœlitùs fuerit pravè affectus, vel in prava figuræ domo. Tunc enim benefica Planetæ natura, ſuperatur ab aſpectus malignitate & malefico ſtatu, ſive cœleſti, ſive terreſtri, magis autem ab utroque. De Planetis maleficis fiat judicium contrarium. Quippè fortunatus omninò Planeta, naturâ, ſtatu Cœleſti atque figuræ domo, inſignia bona pollicetur, ☌ & aſpectibus ſuis omnibus, præſertim beneficis, in-

fortunatus omninò naturâ, ſtatu Cœleſti, tum figuræ domo, inſignia mala, ☌ & aſpectibus præſertim maleficis: ubi verò Planeta fortunatur ſimulque infortunatur, bona & mala, vel difficultates atque mixturas largitur per aſpectus congruos, pro ratione ſui fortunii ac infortunii. Ratio autem, cur omninò fortunati Planetæ aſpectus, verbi gratiâ ☍, bonum cauſet, iſta eſt. Supponatur directio medii Cœli ad ☍ ♃ omnino fortunati, ipſa non erit ſine effectu, ob robur promiſſoris & ſignificatoris. At non erit malus effectus, tum ob naturam ♃, tum quia ponitur eſſe fortunatiſſimus; erit ergo bonus, ſed non ſine aliqua difficultate ob pravitatem aſpectus. Contrarium autem judicandum erit de directione medii Cœli ad △ ♂ infortunatiſſimi.

Secundum. Planeta vel aſpectus beneficus, ſuccedens benefico, tunc fortunatiorem efficit, ſi præſertim aſpectus inciderit in congruum figuræ locum, à Planeta in loco ſimiliter congruo: at Planeta vel aſpectus maleficus, ſuccedens malefico, hunc deteriorem efficit, præſertim ſi aſpectus in congruum figuræ locum inciderit à Planeta in loco ſimiliter infauſto.

Tertium. In mutuis Planetarum aſpectibus maximè notetur eorum determinatio: nam dominus Horoſcopi poſitus in △ domini decimæ plurimùm inde roboratur, præſertim ſi fuerit hic beneficus atque fortis: at poſitus in □ domini duodecimæ, vel octavæ naturâ malefici & malè affecti, plurimùm infortunatur.

Quartum. Planeta corpore vel eodem aſpectu connexus duobus aliis Planetis, validiùs influit cum propinquiore, niſi ab hoc defluat, ſed in pari ab utroque diſtantiâ, validius influit cum eo cui applicat: & ſi ambo fuerint partiliter uniti, videndum eſt quis eorum prædominetur loco aſpicientis, vel ſignificato magis conſentiat. Is enim vincet.

Quintum. Quò Planeta fuerit ad benefaciendum aut malefaciendum robuſtior; eò erunt aſpectus ejus etiam fortiores.

Sextum. Aſpectus concurrunt cum antiſciis, dum Planetæ ſunt in principio, medio vel fine ſigni: iique ſunt inde validiores, ut □ & antiſcium ex medio ♌ in medium ♉.

Septimum. In obliqua ſphæra, domus eadem figuræ Cœleſtis, poteſt ejuſdem Planetæ duo aſpectus recipere: Quo in caſu vide cuſpidi propinquiorem, & ex ſe fortiorem (ut □ ſextili fortior eſt) tum ſignificatis ipſius domus congruentiorem, & ſecundum hæc judica.

Octavum. Non modo Planetarum ☌ cum fixis primæ notæ ſunt efficaces, ſed eorundem quoque aſpectus, ſaltem præcipui & partiliores: fixæ enim moventur motu proprio ſub ſignis Zodiaci velut Planetæ: nec ſolùm aſpectus cum fixis propè Eclipticam verſantibus, ſed cum remotis. Nam ſi ex Ptolemæo Sol dicitur conjungi fixæ, ſi fuerit cum ipſa in eodem gradu longitudinis, vel eodem circulo latitudinis, etiamſi diſtiterint 60 gradibus. Ergo hæc poſita diſtantiâ, dicentur etiam eſſe in ✶ aſpectu, ſicque ☌ & ✶ ſimul concurrent.

Nonum. Ex Cardani Commento in c.4. Lib.4. pag. 306. Planetæ ſi aſpicientes ex mutuis domibus, vel ex altationibus inſignem effectum ſignificant, bonum quidem benefico aſpectu, & pravum malefico. At ſi unicus fuerit in ſua domo, vel exaltatione, is alteri prævalebit. Si autem fuerint in mutuis exilio vel caſu, fortiſſimi erunt ad pravum effectum, præſertim malefico aſpectu, invalidi ad bonum, etiam benefico aſpectu. At ſi unicus fuerit in exilio, vel caſu, is impediet alterius effectum. Ambo mutuis dignitatibus recepti fortiter effectum inſignem præſagiunt; bonum aut malum, prout bona aut mala fuerit receptio, tum fauſtus vel infauſtus Planetarum ipſorum aſpectus. Si verò unicus ab altero ſit receptus, is obſequitur influxui recipientis, quippe qui illi præſit atque prævaleat. Ambo mutuis debilitatibus recepti, vix ullum ſortientur effectuum ſaltem fœlicem & completum, ut enim mutuis dignitatibus diſſentiunt fiuntque ad aliquid agendum contrarii ac inimici. Si verò unicus ſit receptus alterius debilitate, ab hoc ille impedietur. Planetæ in eodem Trigono ſe aſpicientes conſenſum & conſpirationem ſignificant: in diverſis, diſſenſum & contrarietates hinc inde. Unico autem in ſuo verſante Trigono, res ſignificata claudicabit. Si denique ambo fuerunt peregrini, agentis debilitas, & mediorum ad finem penuria hinc ſignificatur. Omnis autem Planeta ſuo corpore, vel aſpectibus fortunans, vel infortunans, hoc efficit per res & perſonas, quas ipſe naturâ ſuâ ſignificat, juxta Tabulam noſtram de dominio Planetarum, & determinatione ſuâ in Cœleſti figura. Atque in his conſiſtit pars magna ſcientiæ judiciorum.

Porrò in ſupradictis conſiſtit cujusvis Planetæ fortitudo Cœleſtis, ideoque univerſalis, toti Mundo Sublunari communis: & quò ſic Planeta fuerit fortior, eò efficaciùs aget Sublunaria univerſaliter: at particulariter, prout à poſitu, vel dominio in figuræ domibus fuerit determinatus. Atque notandum, quod quia virtus unita fortior eſt diſperſâ: ergo pro nati dignitatibus (verbi gratiâ) melius erit Solem in ♈ & medio Cœli in △ ♃ ex Horoſcopo, quàm medium Cœli ejuſque dominium ſeorſim fortunari. Planeta autem purè fœlix, naturâ, ſtatu Cœleſti & terreſtri, confert tantùm bona, magna & facilè: at purè infœlix, contra.

CAPUT XIII.

De Planetarum fortitudine extrinſeca, à ſuo poſitu in iiſdem præcipuis circulis cum altero Planeta, vel fixa illuſtri.

Circuli præcipui quos hic intelligimus, ſunt latitudinis, declinationis, poſitionis, & paralleli, in quorum altero dum reperiuntur duo Planetæ aut Planeta & fixa illuſtris, dicuntur inde robur extrinſecus aſſumere, ſed præſertim in eodem parallelo, vel poſitionis circulo.

Ratio ſingulorum eſt. Quia duo Planetæ in eodem circulo latitudinis eundem habent longitudinis gradum in Ecliptica, quæcunque ſit eorum latitudo ſeptentrionalis, vel auſtralis: ideoque Sol cæterique Planetæ, Zodiacum motu proprio peragrantes, dum ſua longitudine gradum illum pertranſeunt, conjunguntur ſaltem longitudine ſupradictorum Planetarum locis, quæ inde ad ſuos effectus ſtimulantur.

Planetæ verſantes in eodem circulo declinationis ſeptentrionalis, vel auſtralis, eandem habent aſcen-

ſionem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ſionem rectam : ideoque medium Cœli, ad utrumque ſimul tempore dirigitur. Qua in directione alter Planeta alterius roborat effectum ſi mutuò conſenſerint, ut ♃ & ♀, aut ſpica & ♍ : pro actionum & dignitatum fœlicitate, ♂ in ♉ cum capite Algol pro periculoſo, vel lethali facinore : ſi verò fuerint contrariæ ſignificationis, impeditur, depravatur vel deſtruitur ſignificatum.

Planetæ in eodem poſitionis circulo, eandem habent in ipſo aſcenſionem obliquam : ideoque ſimul diriguntur ad quemvis alium ſignificatorem : de quibus judicandum, ut ſupra ex conſenſu, vel diſſenſu.

Denique Planetæ in eodem parallelo, ſunt in mutuis antiſciis, ac proinde qui ad horum unum Planeta alius dirigitur, ſimul etiam dirigitur ad alterius antiſcium : ſicque ſeſe invicem roborant Planetæ ipſi, aut Planeta & fixa illuſtris, cui non minùs quam Planetæ congruit habere antiſcium, ſaltem ſi ejus parallelus Eclipticam ſecuerit. Sed jam hactenus dixiſſe ſufficiat de Planetarum fortitudine extrinſeca, à ſuo ſtatu Cœleſti, jam de eorum adventitio robore à ſuo ſtatu terreſtri, ſive poſitu in figuræ domibus diſſeramus.

Caput XIV.

De proprio robore & qualitate domorum figuræ Cœleſtis : Nec non Planetarum fortitudine adventitia ab illis deſumpta.

HOc capite ſingularum figuræ Cœleſtis domorum robur proprium nobis occurrit inquirendum, qua de re veteres Aſtrologi plura, ſed confuſa ſibique non conſtantia tradidere ; nimirum ut deinde conſtet, quanta ſit Planetarum fortitudo extrinſeca ratione domorum ipſarum : quantùm enim erit robur cujuſque domus, tantùm Planeta quivis dicetur ab illa extrinſecè vigorari : & domus illæ cæteris dicuntur fortiores in quibus Planetæ fortiùs, vel inſigniùs operantur.

Jam verò Ptolemæus Lib. 1. Quatrip. cap. ult. de domibus ipſis, vel ſpatiis generaliter loquens, ait. Planetas in medio Cœli aut ſuccedente loco, nempe undecimo, efficaciſſimos eſſe : poſteà verò in horizonte & ſuccedentibus locis ſecundo & octavo, ſed præſertim in horizonte orientali ejuſque ſuccedente loco ſecundo. Minùs verò poſſe in imo Cœli, ejuſque ſuccedente loco quinto. Extra verò hæc loca, Planetas omninò languidos eſſe ac imbecilles. Ut proinde ex Ptolemæo Planetæ maximè roborentur in figuræ angulis, minùs in ſuccedentibus locis, in cadentibus autem prorſus languidi ſint, quod tamen experientiæ contrariatur, quandoquidem in nona, duodecima, imò ſexta domo Planetæ inſignes producunt effectus ; juxta domus naturam ; ut quotidiana teſtatur experientia, ſed reluctatur etiam rationi. Nam ♄ in duodecima pravè affectus morbos & hoſtes occultos, & carceres efficaciſſimè debet ſignificare ex Elementis. Cardanus autem in Commento, falſa deluſus opinione à nobis alibi rejecta, quod Planetæ non alia qualitate quàm lumine agant in hæc inferiora, pervertit hanc Ptolemæi doctrinam, & domum undecimam præferr primæ ratione roboris, nonam octavæ, imò quartam ſuæ cadenti ſextæ poſtponit : ejuſque præcipua ratio eſt, quòd in undecima, nona & ſexta Sol efficaciùs illuminet atque calefaciat.

At in fine Comment. ad cap. 12. Lib. 1. aliter ſentit, tam malè ſibi conſtat. Nam ſupponendo quoque quod aſtra lumine agant, domus ratione roboris hoc ordine diſponit 10. 1. 7. 11. 9. & de his, ait, non eſſe dubium, quamvis ſibi vel contradicens, vel confuſionis ſaltem laqueum injiciens, ſpreta luminis ratione, domum deinde primam præferat decimæ, pro vita, animo & corpore, quia (inquit) illa magis propria eſt. Conſequenter verò ponit duodecimam, quam præfert octavæ, quia illa aſcendit : octavæ ſubjicit ſecundam, quod hæc ſit in crepuſculo matutino, & huic ſextam, quod ſit in crepuſculo reſpective. Domos autem 3. 4. 5. negligit, quippe luminis expertes : quamobrem quarta etſi cardinalis, erit omnium ut ſitu ſic robore infima. Quod etiam Cardanus ipſe fatetur in fine Lib. 1. dum ait quartam nihil per ſe ſignificare, hoc eſt, nihil roboris conferre ; ſed ſolùm Planetam dum ibi eſt, vires magnas adipiſci, in quo ſibi rurſus contrariatur : ſi enim quarta domus ſit robore cæterarum infima, nihilque roboris per ſe ſignificet, unde ergo Planeta in quarta vires illas magnas adipiſcetur ? & cur eas non æquè, imò majores accipiet in quinta domo, quæ ſecundum ſe totam ſpectata non minus participat crepuſculum veſpertinum quam ſecunda matutinum ; inſuper autem eſt in △ primæ domus ? Cæteri verò Aſtrologi hac de re aliter philoſophantur, ſed confuſè quoque, nulloque ſibi conſtante fundamento, prout videre licet apud Julium Firmicum Maternum cap. 19. & 20. Lib. 2. Origanum Part. 3. pag. 433. ubi domui octavæ tribuit 4 gradus roboris, ſecundæ tantùm 3, cui etiam parem efficit quintam : at nonæ tribuit 2. ſextæ autem 4. quæ omnia ſunt à ratione multùm aliena. Atque hæc breviter exponere volui, ut quantùm in hac etiam parte manca fuerit Aſtrologia poſteris innoteſcat.

Itaque de domorum proprio robore, ſequentia nobis tenenda videntur. Primum. Domus 4 angulares 1. 10. 7. & 4. cæteris per ſe robuſtiores eſſe, ut conſtat etiam experientiâ Joannis Franci Offuſii Aſtrologiæ oſoris à nobis citati cap. 2. Lib. 16. tum Sect. 2. Lib. 17. cap. 1. nec abs re. Siquidem Mundani ſpatii diviſio pro Cœleſtis figuræ domibus, fit primariò ab horizonte & meridiano ſecantibus Eclipticam vel Æquatorem in 4 quadrantes, ſecundariò autem à poſitionum circulis traductis per mutuas horozontis & meridiani ſectiones, Eclipticam quoque vel Æquatorem dividentibus : ideoque puncta ſectionum ab horizonte meridianoque, ut naturâ, ſic robore primaria ſunt atque præcipua : vulgoque dicuntur Cardinalia : ſed à me, ſuæ Triplicitatis primaria, juxta cap. 5. Sect. 1. Lib. 17. Reliqua verò, ut naturâ, ſic robore ſunt tantùm ſecundaria minúſque præcipua. Proindeque de Planeta quolibet conſiderandum eſt in qua verſetur figuræ Cœleſtis Triplicitate, nimirum vitæ, actionis, conjugii, aut paſſionis : ſi enim fuerit in domo cardinali alicujus Triplicitatis, erit etiam ratione domus omnium fortiſſimus in ipſa Triplicitate.

Secun-


Secundo. Si anguli figuræ Cœleſtis robore comparentur inter ſe, certiſſimum eſſe, quod angulus, ſive cardo Orientis, eſt cæterorum fortiſſimus. Et ratio validiſſima eſt, quia ab ipſo eſt operoſior Cœli effectus, nempè rei, vel hominis productio, ſive ortus ſupra Mundi hujus horizontem, ex cap. 2. Sect. 1. Lib. 17. Adde quod vis ejus nunquam ſuo fruſtatur effectu, fœtum enim ſemper excludit gradus Horoſcopans, & nunquam deficit niſi morte, vel interitu rei: vis autem aliorum angulorum ut medii Cœli pro actionibus, honoribus vel Magiſterio: aut occidentis pro conjugio, &c: nuſquam apparet in pleriſque, quo otioſi, inertes, contempti & cœlibes manent toto vitæ decurſu, aut ſaltem apparet duntaxat per aliquod tempus, nec perdurat toto vitæ nati decurſu. Orientem verò proximè ſequitur angulus medii Cœli, tum occidens, tandemque imum Cœli.

Tertio. Quamlibet domum in his quæ eſſentialiter ſignificat, eſſe cæterarum robuſtiſſimam. Ut quia actiones & dignitates ſunt eſſentiale ſignificatum de imæ domus: hæc ratione dignitatum & actionum erit cæterarum fortiſſima. Similiter quia morbi, carceres, inimici ſunt eſſentiale ſignificatum duodecimæ domus: hæc pro morbis, carceribus, inimicis, erit cæterarum potentiſſima: idemque cenſendum de aliis, quippe domo prima vel Horoſcopo pro vita, moribus, ingenio: domo ſecunda pro divitiis, &c. Ratio eſt, quia quodlibet homini ſignificatum, refertur primò & per ſe ad aliquod & unicum ſpatium, ab eoq; in eſſe dependet, vel per ſignum aut Planetam qui tale ſpatium ſive domum occupat, aut per Planetam domui ipſi dominantem, aut per Planetas domino ipſi connexos, aut domum illam intuentes: in quibus ſingulis occurrit ſemper ipſius domus reſpectus primarius. Ipſa verò domus talis conſtituitur per ea quæ eſſentialiter ſignificat: ergo in his erit cæterarum robuſtiſſima. Nec refert quod in figura dentur 4. Triplicitates domorum ejuſdem naturæ, ut domus 1.9.5. pro Triplicitate vitæ: nam & ſi domus 1.9.5. ejuſdem ſint naturæ genericæ, differunt tamen natura ſpecifica & propria. Quippe prima domus eſt vitæ nati in ſe, nona vitæ nati in Deo, & quinta vitæ nati in Liberis: & earum quælibet pro ſibi eſſentiali ſignificato, reliquis potentior extat; idemque dicendum de cæteris.

Quarto. Pro cæteris ſpatiis attendendum eſſe diviſionem Cœli in duas medietates, quippe aſcendentem, quæ ſpatia ſive domos cõplectitur. 3.2.1. 12.11.10: & deſcendentem quæ reliquas 9. 8. 7. 6. 5. 4: Atque tenendum, quod ex domibus tam ſuccedentibus quàm cadentibus invicem comparatis, illa quæ eſt ſupra Terram, excellit robore ei quæ eſt infra in eadem medietate. Atque ſic ex ſuccedentibus, undecima præfertur ſecundæ; octava quintæ. Ex cadentibus autem duodecima tertiæ; & nona ſextæ; qua de re non eſt dubitandi locus, cùm de communi Aſtrologorum conſenſu reique veritate domus ſubterraneæ cæteris paribus ſint ſubterraneis debiliores: neque hîc dubium movere poteſt prima domus in cujus cuſpide Sol oritur & aſcendit.

In diverſis verò medietatibus, ex ſuccedentibus vel cadentibus ſuperterraneis, præfertur cuſpide ſublimior depreſſiori: idemque cenſendum pro ſubterraneis. Atq; ſic ex ſuccedentibus undecima domus præpollet octavæ, & ſecunda quintæ, quia ſcilicet cuſpis undecimæ ſublimior eſt cuſpide octavæ, & cuſpis ſecundæ, cuſpide quintæ. Eademque ratione ex cadentibus nona præpollet duodecimæ, & ſexta tertiæ. Sic verò perbelle confirmatur ſuperior ſententia Ptolemæi, quod anguli præferendi ſint ſuccedentibus domibus, & hæ cadentibus: idque doctrinæ hujus ſibi conſtantis veritatem maximè arguit.

His præmiſſis quoniam orientis angulum diximus eſſe robuſtiſſimum, tum medium Cœli, occaſum & imum Cœli: & 12 domos ſpecie differentes per ejuſdem naturæ genericæ Triplicitates diſtinximus: ergo primæ domus dentur 6 gradus fortitudinis 2æ 3, 3æ 0 gr. 30′: 4æ 4 gr. 30′: 5æ 2. 30′: 6æ 1: 7æ 5: 8æ 3. 30′: 9æ 2: 10æ 5. 30′: 11æ 4: 12æ 1. 30′; ut patet in appoſita figura, eritque roboris diſtributio conformis ſuperiùs dictis: & Triplicitas vitæ cæterarum baſis, uno gradu fortior ſingulis reliquarum. Hermes autem aphor. 47. convenit nobiſcum pro angulis: at pro reliquis undecimam ſecundæ, hanc quintæ, hanc nonæ, hanc tertiæ, hanc octavæ, ſextam verò & duodecimam ait eſſe peſſimas. Errat autem in ordine, ut patet ex ſupradictis.



Porrò hi gradus fortitudinis, intelliguntur eſſe ad benefaciendum, vel malefaciendum, juxta domus naturam ſpecificam: ſunt enim duo domus per ſe, vel eſſentialiter maleficæ: nimirum duodecima quæ eſt morborum, carcerum, inimicorũ, &c: & octava quæ eſt mortis. Reliquæ verò ſunt beneficæ, hoc eſt bonorum & optabilium ſignificativæ, quamvis per accidens ſexta quæ eſt ſervorum, & ſecunda quæ divitiarum, ſint plerumque maleficæ, ratione ſcilicet oppoſitionis ad duodecimam & octavam: nec abs re, quandoquidem rarus eſt ſervus, qui non ſit inimicus occultus, & divitiæ ſæpè ſunt cauſa mortis: ſed tunc in ſexta & ſecunda oportet eſſe Planetas maleficos, vel harũ dominos pravè connecti Horoſcopo vel ejus domino.

Neque opinandum cum vulgaribus Aſtrologis, Planetam quemlibet in quavis beneficarum domuum fortunari, juxta numerum roboris domus ipſius, falſa quippe eſt doctrina talis: ♄ enim ſtatu Cœleſti infœlix in prima, vel decima domo, fit inde multò nocentior circa domorum ipſarum eſſentialia ſignificata. Cùm igitur Ptolemæus dixit, Planetas in angulis maximè roborari, id intelligendum eſt ad benefaciendum, vel malefaciendum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

dum, alioquin erraret. Siquidem Planeta quamcunq; domum occupans, ibi roboratur penes gradus ipſius domus; ſed ad benefaciendum, aut contra, juxta naturam ſpatii, prout Planeta fuerit ex ſe, vel ſtatu Cœleſti beneficus, aut maleficus. Nec enim per beneficum Planetam, intellige non ſolos ♃ & ♀, ſed quemcunq; Planetam ſtatu Cœleſti benè affectum: ac ♂ & ♄ in tali ſtatu vim acquirit benefaciendi; quàm cum nequeat ad actum reducere niſi in domibus beneficis, idcircò in illis repertus dicetur ab illis fortunari.

Cæterùm objiciet quiſpiam: Rationi & experientiæ contrariari, quod domus cadentes adeò debiles ſint. Rationi quidem, quia nona domus & quinta ſunt in eadem Cœli medietate: nona autem ſupra Terram æquè elevata ac decima: quinta autem ſub Terra juxta quartum: Ideoque nona fortior erit quàm quinta; Experientiæ verò quia à Planetis in duodecima atque ſexta majores plerumque & inſigniores eduntur effectus, quàm ab iiſdem in quinta, vel etiam undecima.

Reſpondeo primò. Idem multò magis objiciendum eſſe Ptolomæo, Cardano & cæteris Antiquis, qui domibus cadentibus vix ullam conceſsêre fortitudinem. Præterea domus quinta eſt ſuccedens, nona autem cadens, nec quælibet domus ſupra Terram, præferenda eſt robore domui infra Terram, alioquin duodecima fortior eſſet quàm quarta cardinalis ejuſdem Triplicitatis, quod abſurdum eſt. Denique qui Planetæ in duodecima, aut ſex inſigniores edunt effectus, ſolent eſſe malefici, vel ſuâ naturâ, vel ſtatu Cœleſti, vel utroque: Jam verò ex conformitate ſpatii vel domus cum natura ſeu qualitate Planetæ in ipſa domo verſantis, longè major emergit effectus, qui ipſi potiùs conformitati quàm domui tribuendus eſt. Atque ſic ♄ in duodecima & ſtatu Cœleſti pravè affectus, magnas minatur calamitates morborum, carcerum, &c: & ♃ in duodecima bene affectus, magnas præſagit divitias. ☉ exaltatus in decima magnos honores, &c: atque ſic de aliis.

Caput XV.

Quodnam ſit cujuſque domus punctum robuſtiſsimum: & quinam ſint proprii domorum limites influentiales: difficultas magni in Aſtrologia momenti.

VEteres qui domorum vim certa quantitate definiverunt, Planetæ in aliqua domo verſanti, totius domus vim attribuerunt, ſive Planeta eſſet in principio, medio, vel fine domus: verbi gratia, quoniam primæ domui 5 gradus fortitudinis conceſsêre, Saturnum in prima domo dixerunt roborari 5 gradibus, ſive eſſet ille poſitus in cuſpide, vel in medio, vel in fine domus ipſius: quod tamen rationi contrariatur, ut infra oſtendetur.

Præterea quamvis domus ſingulæ, propriis poſitionum circulis terminentur, diſtantibus inter ſe 30 gradibus Æquatoris, nihilominus voluêre, ut quinque gradus ultimi, domus præcedentis motu primo, ad ſequentem pertinerent, verbi gratia, 5 ultimi gradus nonæ domus, ad decimam pertineant: ſicque Planeta in 5 gradibus ultimis nonæ, dicatur eſſe in decima. Quod ſcilicet obſervarent, Planetam in illis 5 ultimis gradibus influere juxta ſignificata ſequentis domus. Quamobrem Ptolomæus cap. 11 Lib. 3. in conſideratione domorum apheticarum (quæ in ejus mente tantùm ſunt 1.10.9. & undecima) primam domum ſumit à 5 ultimis gradibus duodecimæ domus, ad 25 gradum ipſius primæ. Hujus verò rei nec Ptolomæus, nec ejus Commentatores propriam rationem attulêre, nec difficultates hinc oriundas removêre. De his ergo jam nobis agendum eſt.

Dico itaque primò: Cujuſvis domus cuſpidem circulo poſitionis deſignatam, eſſe domus ipſius punctum robuſtiſſimum. Ideoque Planetam in alicujus domus cuſpide conſtitutum, in ſuo eſſe robore ſupremo, circa ipſius domus ſubjecta, vel eſſentialia ſignificata: quæ ſunt vita, mores, ingenium pro prima; divitiæ pro ſecunda, &c. Quò autem à cuſpide remotior eſt infra ſpatium ipſum, eò minoris eſt roboris. Hoc autem non modò conceditur ab omnibus, Aſtrologis experientia edoctis, ſed inde maximè convincitur, quòd nullum domus alicujus punctum, ſive præcedens cuſpidem intra quinos gradus, ſive ſubſequens ad 25, dirigatur pro ipſius ſpatii ſignificatis, præter ſolum cuſpidis punctũ: quod efficaciſſimum eſſe conſtat, præſertim in directionibus Horoſcopi pro vita, & medii Cœli pro actionibus Profeſſione & Honoribus. Ut enim cuſpis ipſa eſt finis domus præcedentis & initium ſubſequentis; ſic in ipſa deſinit omnino robur præcedentis, & maximè viget robur ſequentis. Malè ergo veteres totius domus robur conceſſerunt Planetæ, circa domus ipſius quoque finem verſanti.

Dico ſecundò: Rationi & experientiæ contrariari, quod quini gradus antecedentis domus ad ſequentem pertineant: ita ut Planeta in illis poſitus, dicendus ſit verſari in ſequenti domo: nec amplius agere circa ſignificata eſſentialia domus antecedentis: neque id à Ptolemæo fuit unquam aſſertum. Eſt igitur error magni in Aſtrologia momenti, jam à nobis explicandus atque tollendus.

Primum ergo certum eſt, quod eſſentiales domorum limites ſunt tantùm illi duo poſitionum circuli, quibus domus quælibet includitur, & in qua ineſt virtus determinatius Planetarum atq; ſignorum circa ſignificata eſſentialia domus ipſius, ut ſuo loco fuſiùs exponetur. Nec eſt ipſa virtus ſaltem per ſe extra ſpatium, vel domum ipſam: quamobrem Planeta in 5 ultimis gradibus antecedentis domus conſtitutus, non dicetur eſſe in ſequenti domo, nec determinari ſaltem per ſe circa ejus ſignificata eſſentialia.

Nec refert quod ♂, verbi gratia, conſtitutus intra 5 ultimos gradus ſextæ domus, lites & hoſtes apertos ſignificet, quæ ſunt eſſentialia ſeptimæ domus ſignificata. Hoc enim non accidit, quòd ♂ ſit in ſeptima domo, proindeque ad ejus ſignificata determinatus: ſed quia gradus Eclipticæ, vel Æquatoris (quæ ſunt partes primi Cœli, ſive primæ cauſæ Phyſicæ) ſeptimam cuſpidem occupans, ideoque circa talia ſignificata maximè determinatus, ♂ conjunctus invenitur. Ab illa enim cum ♂ conjunctione, certò ſignificantur lites & hoſtes aperti: qui etiam à ♂ diſtante 6 gradibus à cuſpide ſignificarentur (quòd nimirum ejus diameter Orbis in 6 graduum 30′ ex ſuppoſitis) alioquin nullus eſſet effectus ☌ ♂ cum illa cuſpide, vel partibus primi Cœli eam occupantibus, quod opinari eſt abſurdiſſimum principiiſque repugnans. Non autem ſignificarentur à ♃ aut ♀ conſtitutis in loco ♂, ſed potius litium & hoſtium carentia.

Hoc verò adhuc evidentius ſic oſtenditur. Sit ♂ partiliter in cuſpide ſeptima, Sol autem in ſexta domo diſtans à ♂ 12 gradibus: certum eſt quod ♂ ſit Soli conjunctus, vel ſub hujus Orbe virtutis: ac propterea quòd à ♂ in ſeptima domo ſignificentur nato lites & hoſtes aperti: tandemque quod à ☌ ♂ & ☉ denotentur lites inſignes & hoſtes Magnates, fortè etiam Reges aut Principes, nec enim ipſa ☌ inefficax eſſe poteſt, non tamen propterea ſequitur, quod ipſe ☉ ſaltem per ſe determinetur ad lites inſignes, & hoſtes Magnates nato adfuturos, quos ne quidem ſignificaret ſi loco ♂ Venus ſubſtitueretur: ſed quia ♂ ſuâ natura & determinatione in ſeptima domo, talia formaliter ſignificat, eique accidit, ut ſit conjunctus ☉, qui ſemper res magnas & illuſtres ſignificat: inde fit per accidens, ut ☉ ratione ☌ cum ☉ lites in ſignes & Magnates inimicos apertos ſignificet. Igitur ♂ ſuo ſitu corporeo determinatur formaliter circa ſignificata ſeptimæ domus, Sol autem duntaxat accidentaliter ratione ☌ cum ♂ aut cuſpide ſeptima: ſic de cæteris.

Hinc verò tria ſequuntur notatu digniſſima. Primum quod intervallum præcedens ſeptimam cuſpidem, intra quod Planeta ſaltem per accidens & ratione ☌, vel alterius aſpectus, ſignificare poteſt juxta ſeptimam domum, diverſum eſt pro Planetis ſingulis, quia diverſa eſt ſingulorum ſemidiameter Orbis: nec abs re veteres Ægyptiis teſte Proclo, cenſuêre robur cuſpidis cujuſque ſeſe extendere ad gradus 15 ante cuſpidem ipſam, ſi nempè id opinati ſint, non reſpectu omnium Planetarum, ſed tantùm Solis, cujus ſemidiametrum Orbis veteres poſuêre 15 graduum, vel id etiam opinati ſint de aliis Planetis propter Solem, vel Lunam.

Secundò, Planetam circa finem cujuſque domus, determinari circa ſignificata duarum domorum: nempe formaliter circa ſignificata domus quam occupat ſuo corpore, tum accidentaliter circa ſignificata ſequentis, cui platicè duntaxat conjungitur. Et quia eò efficacius determinatur accidentaliter, quò partilior fuerit ☌, eóque debiliùs determinatur formaliter, quò propinquior eſt fini domus quam occupat: hinc ſæpè fit ut accidentalis determinatio formali prævaleat. Et hæc forſan cauſa fuit, cur Veteres antecedentis domus 5 gradus ultimos, ad ſequens ſpatium pertinere cenſuerint. Attamen non inde ſupprimitur aut omnino deſinit formalis determinatio pro antecedenti ſpatio, ſive domo.

Tertiò, Planetam in ſeptima ſimiliter determinari per accidens ad ſignificata ſextæ ratione ☌ cum Planeta in ſexta, ut ſi ☉ fuerit in cuſpide ſeptima conjunctus Planetæ ab eo diſtanti 12 gradibus in ſexta; alioquin domorum limites vim conjunctionum cæterorumque aſpectuum tollerent, quod opinari abſurdum eſt, ac experientiæ contrarium.

Objiciet aliquis Planetam in cuſpide ſeptima centraliter poſitum æqualiter ſe habere ad domos 7 & 6: quia æqualiter occupat ipſas domos ſui Orbis ſemidiametro, ideoque à ratione ſaltem alienum eſſe, quod potiùs dicatur eſſe in ſeptima ad ejuſque ſignificata determinatus quàm in ſexta.

Sed reſpondeo, falſam eſſe conſequentiam. Etſi enim Planeta æquales partes occupet illarum domorum, non tamen æqualiter ab illis determinatur. Nam in ultimis partibus domorum elangueſcit vis earum determinativa Planetarum, omninoque deſinit in ſequente cuſpide. In primis autem partibus domorum viget illa virtus, ſed omnium maximè in cuſpide. Rationi conſonum igitur eſt, quod Planeta in cuſpide ſeptima dicatur eſſe in ſeptima domo, ad ejuſque ſignificata determinatus, potiùs quam in ſexta, circa cujus ſignificata Planeta ipſe ſaltem ſolitarius tunc non ampliùs obſervatur influere. Idemque dicendum videtur de Planeta inter duo ſigna æqualiter conſtituto, quod ſcilicet ad ſequens ſignum pertineat, ejuſque dominio ſubſit punctum ſi Planeta ipſe directus ſit.

Rurſus autem objicietur. In his quæ naturaliter intenduntur & remittuntur, non dari tranſitum à ſummo ad minimum, vel etiam nullum, aut à minimo, vel etiam nullo ad ſummum, niſi per aliquod medium: non igitur vis determinativa domui vel ſpatio competens, ſumméque vigens in ejus cuſpide, ab hac incipiet, nulla ejus parte in antecedenti domo exiſtente, ſed 5 ſaltem gradibus ante cuſpidem incipiet, juxta ſententiam veterum Aſtrologorum.

Sed reſpondeo. Axioma ſuperius verum eſſe duntaxat intra eandem ſpeciem, ideoque à ſumma vi in cuſpide ſeptima, ad ipſam minimam, vel etiam nullam in fine domus ſeptimæ, datur tranſitus per totum medium ſpatium, per quod vis illa ſenſim decreſcit: at vires ſextæ & ſeptimæ domus cæterarumque differunt ſpecie inter ſe, nec mors & vita, ſervi & liberi, hoſtes & amici, parentes & conjux, &c: ſunt ejuſdem ſpeciei in ratione accidentis, quamobrem nil mirum ſi à minima virtute unius ſpeciei, fiat tranſitus immediatus ad ſummam alterius ſpeciei. Idemque obſervatur in ſignis Zodiaci, quòd eorum virtutes, vel naturæ propriæ, ſpecificè quoque differant inter ſe. Unde etſi natura Jovialis langueſcat in fine ♓, & materialis ſummè vigeat in principio Arietis, tamen Planeta in 28 gradu ♓, nunquam dicetur eſſe in ♈, vel ſubeſſe dominio Martis. Simile fieri conſuevit argumentum apud Geometras de tranſitu à minori angulo ad majorem, non tamen per æquale, ob diverſas ſpecies angulorum contractus, ſemicirculi & rectilinei.

Jam verò quod etiam vetus illa opinio contrarietur experientiæ, probari poteſt innumeris nativitatum experientiis: verbi gratiâ in mea Geneſi Mars dominus Horoſcopi (cujus ſemidiameter Orbis eſt 6 gr. 30′,) diſtat perpendiculari arcu à meridiano ſub Terra, duntaxat 4 gradibus 57′. Ideoque juxta Veterem opinionem erit in 4 domo, nec fertur ex eo judicium pro ſignificatis tertiæ, licet in hac exiſtat. At experientia circa me & fratres meos teſtatur contrarium. Quoniam enim aſcendit mihi ſignum imperans, præcipua domus ♂ & exaltatio ☉, eſtque ♂ in tertia formaliter juxta doctrinam noſtram: idcirco non ſolùm fui erga fratres amore propenſus atque liberalis, mea non obſtante paupertate, ſed prætereà Cœleſti jure primus fui inter ipſos eorumque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ſuperior etiam in adoleſcentia, quamvis eorum alter me natu major eſſet: ipſique non ſolum me coluerunt, monitiſque meis pro moribus & Religione paruerunt, ſed mihi etiam vix minùs quàm Parenti diſplicere timuerunt. Denique ex tribus ſororibus, & tribus fratribus, ſolus ſuperſum illis vitâ defunctis. Quæ omnia aliunde proficiſci quàm ex ♂ domino mei Horoſcopi in tertia, nemo principiis Aſtrologiæ imbutus aſſeret. Quoniam verò idem ♂ conjungitur cuſpidi quartæ ſuæ Orbis ſemidiametro, proindeque accidentaliter ad quartæ ſignificata determinatur: idcirco parentes etiam amore & beneficiis proſecutus ſum, ſed maternam hæreditatem in Medicinæ ſtudiis & Doctoratu diſſipavi; paternam verò dono dedi fratri meo natu majori, quod ex meo præcepto, noſtri Patris jam ſenis ac præſertim in morbo quo obiit curam filialem habuiſſet; dum ego peregrinarer. Fuit autem utraque hæreditas bonorum terrenorum, ſive fundorum; quæ certè à ♂ cuſpidi quartæ conjuncto etiam cauſata ſunt, ſicque omninò ac egregiè vivificatur doctrina ſuperior.

Similiter in Genitura Guſtavi Adolphi Regis Suetiæ, ♄ eſt formaliter in octava & accidentaliter in nona, exul in ♌ ſigno igneo, læſus □ ♂ ex duodecima ferè partiliter, ac oppoſitus domino Horoſcopi ferè partiliter etiam. Ergo quatenus in nona, infœlicia lethaliaque ſignificavit itinera longa extra patriam: & quatenus in octava læſus □ ♂ mortem violentam plombo ignito quòd ♄ plumbum ex metallis & ♌ ignem ex Elementis ſignificent; tum etiam ferro propter □ ♂: unde poſt bina vulnera globulis ignitis inflicta, cæſim atque punctim enſibus confoſſus eſt, & verbis etiam indignè tractatus: imò ex parte nudatus ſanguine & pulvere defœdatus vix poſtridie inter aggeres cadaverum reperiri & repertus dignoſci potuit, quem fœdum finem ♄ peſſimè affectus in octava præſagiebat, ut confirmatur ex figura & morte Ducis Montmorantii. Ergo ♄ octavæ & nonæ ſignificat.

Rurſus in eadem genitura Regis Suetiæ ☉ dominus octavæ, nonæ eſt formaliter in prima domo & accidentaliter in ſecunda. Quatenus in prima ſignificat virum illuſtrem atque toto Terrarum Orbe famoſum: quatenus dominus octavæ in prima mortem celebrem & publicam propriâ culpâ, quod ad prœlium arma induere noluerit, multis amicorum precibus exoratus, non enim fuiſſet occiſus ſi fuiſſet armatus, quatenus dominus nonæ in prima, & △ nonæ, longinqua & glorioſa itinera: ſed quatenus in ſecunda ſplendidas arguit divitias proprio marte atque labore comparandas in exteris regionibus ob ipſum ☉ dominum nonæ in △ nonæ: ergo etiam ☉ primæ & ſecundæ ſignificabat. Idemque verum eſſe deprehenditur in aliis genituris, ut ſemper à me obſervatum eſt.

Denique non negat Ptolemæus quinos gradus ante Horoſcopum, pertinere ad duodecimum dominum, ſed illos duntaxat eſſe ſpectandos pro Aphetæ electione, ſi ☉ aut ☽ in illis reperti fuerint, quod ſcilicet ☉ aut ☽ in illis reperti, ſaltem per accidens determinentur, imò efficaciter, circa ſignificata eſſentialia Horoſcopi, cui valdè propinquè conjunguntur, indeque jus apheticum merentur.

Caput XVI.

Quomodo menſurandi ſint illi 5 gradus Veterum, cuſpidem antecedentes: vel ex Me Semidiameter Orbis virtutis Planetæ: & Cardanus hac in parte caſtigandus.

De veterum 5 gradibus cuſpidem antecedentibus, vel ex Me ſemidiametro Orbis virtutis Planetæ cujuſlibet, jure quæri poteſt quâ ratione hæc menſuretur à cuſpide diſtantia. Schonerus æquali domorum diviſioni per Eclipticam addictus, cenſet illos eſſe numerandos in Ecliptica juxta mentem Ptolemæi, ſed Cardanus in Commento ad cap. 11. Lib. 3. fatetur eſſe mentem Ptolemæi, quod illi 5 gradus ante cuſpidem, & 25 poſt cuſpidem, intelligantur de gradibus Æquatoris. Ideoque principium undecimæ domus diſtabit à medio Cœli 25 gradibus Æquatoris. Cúmq; in ſua genitura quam hic exempli gratia proponit, aſcenſio recta medii Cœli ſit 289 grad. 47′. Ergo aſcenſio obliqua illius principii erit 314 grad. 47′. Quo poſito quærit ille graduni Eclipticæ illi principio congruum: & reperit modo erroneo 7 graduum ♒, quod quam ſit falſum manifeſtè patet ex eo quod cuſpis undecima ſit illi octavus gradus ♒. Jam verò ſeptimus & octavus gradus Aquarii in Ecliptica, non diſtant inter ſe 5 gradibus Æquatoris. Ac ſive per rectas, ſive per obliquas aſcenſiones ſumatur diſtantia ſeptimi gradus ♒ à medio Cœli, non invenitur diſtare 25 gradibus Æquatoris, ſed per rectas diſtabit 19 gradibus 38′: per obliquas vero fere 29 gradibus, quod ſcilicet polus Mundi elevetur ſupra circulum poſitionis ſeptimi gradus ♒ ferè 25 gradibus, ideoque aſcenſio obliqua ſeptimi gradus ♒ ſit 318 graduum 25′, quod Cardanus non animadvertit.

Sic autem gradus ille eſſet inveniendus. Quoniam ſupradicti principii aſcenſio obliqua eſt 314 grad. 47′; ergo hujus puncti Æquatoris diſtantis à medio Cœli 25 gradibus cum declinatione nulla, inveniatur circulus poſitionis & altitudo poli ſupra ipſum, in latitudine loci nativitatis, quæ eſt 44 grad. 30′: & reperientur 22 gradus pro ipſa altitudine. Denique in Tabula aſcenſionum obliquarum ad latitudinem 22 graduum, quæratur ſuprapoſita aſcenſio obliqua 314 grad. 47′. Et invenientur ferè 4 grad. 17′ ♒ pro illo principio.

At quia limites illi 5 graduum pro Planetis omnibus à me rejiciuntur, & introducitur illorum loco ſemidiameter Orbis virtutis cujuſque Planetæ; quòd ſcilicet limites illi duntaxat poſiti fuerint ab Antiquis, ratione Planetarum qui paulò ante cuſpidem obſervati ſunt influere, & circa ſignificata eſſentialia cuſpidis ipſius. Influunt autem per ☌ ſuam cum cuſpide, ut à nobis dictum eſt ſuperiùs, quæ conjunctio menſuranda eſt penes ſemidiametrum Orbis Planetæ conjuncti. Idcirco hujus ſemidiametri ſuppoſita quantitate ex cap. 1. erit invenienda Planetæ diſtantia ab ipſa cuſpide. Poteſt autem dupliciter accipi, nempe vel dirigendo Planetam ad cuſpidem & ſumendo directionis arcum pro diſtantia quæſita, vel demiſſo perpendiculari arcu à Planeta, in circulum poſitionis cuſpidis ipſius, eoque arcu ſumpto pro illa diſtantia. Ac certè po-

ſterior

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ſterior hic modus verior eſt & accuratus : quòd ſcilicet vel arcus ille ſit pars dictæ ſemidiametri, vel hæc illius, vel ambo ſint æquales. Quomodo autem arcus ipſe ſit inveniendus, demonſtratum eſt Lib. 17. Sect. 3. cap. 6.

Igitur nobis tantùm ſupereſt Cardanus iterum caſtigandus in fine capitis illius 11. Lib. 3. circa limites ſupradictos. Ibi enim loquens de domibus apheticis, quæ ex Ptolemæo ſunt 1. 10. 7. 9. 11. ait. *Quod ubi domus idonea ſuccedit domui idoneæ, illi 5 gradus ultimi non ſunt auferendi: quia licet non ſint boni ratione domus cujus ſunt pars, ſunt tamen boni ratione ſequentis. Exemplum, 5 gradus ultimi nonæ, licet non ſint boni pro nona, ſunt tamen boni, quia ſunt pars decimæ, domus ſequentis: & 5 gradus ultimi decimæ, licet non ſunt boni pro decima, ſunt boni pro undecima domo, quæ ſequitur: & ita poſſumus conſiderare nonam & decimam abſque detractione illorum 5 graduum. Solùm ergo erunt detrahendi à prima, ſeptima & undecima, quia domus quæ has ſequuntur, quæ ſunt 2. 8. 12. non ſunt apheticæ.* Quibus verbis duo ſignificantur. Primum, quod illi 5 gradus intelligantur duntaxat de 5 domibus apheticis ſupradictis, non autem de cæteris, quod tamen expreſſis Ptolemæi verbis contrariatur, qui illo cap. 11. aufert 5 ultimos gradus duodecimæ pro prima, quippe jungendos ſequentibus 25 gradibus ipſius primæ: cujus per conſequens reſidui 5 gradus, erunt rurſus jungendi ſequentibus 25 gradibus ſecundæ, & ita deinceps, ut quælibet domus conſtet 30 gradibus. Secundum, quod ubi domus aphetæ idonea, ſuccedit idoneæ, non ſunt auferendi 5 gradus ultimi domus antecedentis; *quia* (inquit) *licet non ſint boni ratione domus cujus ſunt pars, ſunt tamen boni ratione ſequentis.* At (inquam) ſi boni ſunt ratione ſequentis, quòd hæc ſit aphetica, cur non erunt boni ratione antecedentis quæ etiam eſt aphetica? ſed quod majus eſt, oſtendemus ſuo loco, Aphetam Ptolemæi & viam ipſum elegendi eſſe figmenta. Ideoque limites domorum accidentales, de quibus hic agitur, non aliquorum tantùm ſpatiorum, ſed omnium causâ ponendi ſunt.

Atque ſic res magni in Aſtrologia momenti nunquam intellecta, jam nobis videtur ſic explanata, ut non modo veritas ejus evidentiſſimè pateat, ſed nulla contra doctrinam à nobis poſitam difficultas proponi queat, quæ facillimè non reſolvatur.

CAPUT XVII.

Qua ratione ſingulorum ſpatiorum robur proprium, ſit eorum partibus diſtribuendum: ſive quomodo ſit cujuſque Planetæ robur à ſpatio inveniendum.

QUoniam ex cap. 15. ſingulæ domus, vel ſpatia propriis ſimilibus eſſentialibus inter ſe diſtinguuntur; & cujuſque domus totum robur debetur cuſpidi, ſenſimque minuitur pro majori à cuſpide diſtantia, ita ut deſinat in fine ſpatii: ergo de Planeta exiſtente intra undecimam domum, ſi quæratur quantùm roboris ei accidat à domo, id invenitur hoc modo.

Sumatur in circulo verticali primario altitudo utriuſque circuli poſitionis terminantis undecimam domum per Campani Tabulam pro diviſione domorum ab illo excogitatam. Altitudinum enim differentia, eſt utriuſque circuli diſtantia, & majori altitudini, hoc eſt cuſpidi undecimæ competunt 4 gradus roboris, quantum ſcilicet eſt robur undecimæ domus, minori vero nihil. Sumatur autem etiam altitudo circuli poſitionis Planetæ, intra domum undecimam exiſtentis: (conſtabit autem an exiſtat, ſi polus fuerit altior ſupra hunc circulum, quàm ſuprà circulum duodecimæ domus) & notentur binæ altitudinum differentiæ, prima circulorum 11 & 12, quæ ſit 28 graduum in Tabula Campani, ſecunda circulorum Planetæ & duodecimæ, quæ ſit 6 graduum, dicaturque, ſi 28 gradibus diſtantiæ numeratis ab altitudine circuli duodecimæ ad altitudinem circuli undecimæ debentur 4 gradus roboris: quantùm debentur 6 gradibus diſtantiæ numeratis ab altitudine circuli duodecimæ, ad altitudinem circuli Planetæ? & reperientur 0 grad. 51'. quod erit robur Planetæ à ſpatio, ſive domo: ſic de aliis.

Verum quia hæc exacta inquiſitio, non adeo videtur neceſſaria, nec adeo magni momenti, præſertim in ſuppoſito domorum robore duntaxat conjecturaliter: ſufficiet proportione etiam conjecturali ex æquo & bono rem abſolvere: atque meminiſſe, quod robur domus cujuſque, creſcit à ſequente cuſpide ad antecedentem: ideoque ut ſuperiùs proportionem inſtitui, non contra.

FINIS LIBRI DECIMI OCTAVI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ASTROLOGIÆ GALLICÆ

LIBER DECIMVS NONVS.

De Aſtrologiæ Elementis, ſive Principiis Judiciariis.

PRÆFATIO.

PRincipium generaliter ſumptum rectè definiri videtur, id quod ſe habet ad aliud in ratione originalis alicujus proprietatis. Quippè quòd omne principium ſit aliquo modo prius eo cujus dicitur eſſe principium. Ac per conſequens cùm hîc ſit nobis agendum de Aſtrologiæ principiis: neceſſe eſt ut hæc priora ſint: ac talia, ut Aſtrologia ex his oriatur.

Jam verò quælibet ſcientia naturalis ipſo Ariſtotele teſte ducit ortum à ſenſibus, vel experientia, quam triplicem eſſe diximus Lib. 10. cap. 2. nempè intellectualem, ſenſibilem, & mediam, ſive rationalem: quæ nec ſolo ſenſu, nec ſola ratione, ſed utriuſque concurſu habetur. Cùm igitur Aſtrologia ſit naturalis ſcientia, etiam ad praxim ordinata, non ſecus ac Medicina, ergo ut hæc fundatur experientiis, ſic illa experientiis fundanda erit. Ideoque ad Aſtrologiam ſcientificè tradendam, quid rationalis experientia nobis ſuppeditet ſedulò veniet attendendum: præſertim quæ circa hominum genituras in quibuſvis aſtrorum ſeſe evidentiùs manifeſtat. Ut enim Aſtronomiæ ſcientia naſcitur ex apparentiis motuum Planetarum atque fixarum ex Terra in Cælo ſpectatorum; ſic Aſtrologia gignitur ex phænomenis, vel effectibus influentiarum eorundem corporum, ſpectatis in hominum hîc naſcentium Thematibus. Utque negans aſtrorum ſitus, vel loca ab Aſtronomis peritis in Tabulas digeſta, relegatur ad inſtrumenta quibus loca ipſa menſurantur: ſic Aſtrologiæ principia negans, ad figuras natorum & horum vitam, vel accidentia relegandus. Ac tandem ut ignem eſſe calidum, vel magnetem attrahere ferrum, nulla ratione, ſed ſolo ſenſu, vel experientia ſenſibili innoteſcit: Ita Solem aliud efficere in ♈, & aliud in ♉: tum aliud in △ ♂, & aliud in ejus ☍: nec non aliud in prima figuræ domo, aliud in duodecima, veritas eſt quæ rationali duntaxat experientiâ innotuit: & quamvis experientia hæc vel hi effectus corporum Cæleſtium ſuas habeant cauſas, vel principia in ipſis corporibus, quæ ſunt formales eorum virtutes, quia tamen hæ per ſe nobis non innoteſcunt, ſed per ſuos effectus, qui ſunt nobis prima principia cognoſcendi virtutes ipſas: Idcircò erunt etiam nobis prima principia diſcendæ tradendæque ipſius Aſtrologiæ.

Cæterùm tria apud Mathematicos exponi ſolent principiorum genera ſcientifica. Nempè Definitiones, Poſtulata, & Axiomata: ex quibus ſcientiæ Theoremata dicuntur. Conabimur igitur hîc illos quantùm Aſtrologiæ materia patitur imitari.

DEFINITIONES.

HIc non eſt opus ſingulos Aſtrologiæ terminos definire, quales ſunt Planeta, ſignum, aſpectus, antiſcium, domus figuræ, domus Planetæ, exilium, exaltatio, caſus & ſimiles, quos jam propriis locis expoſuimus. Sed tantùm ſequentes definiemus propoſito noſtro conducentes, de quibus nondum actum eſt.

DEFINITIO I.

THema Cœleſte, eſt Cœli aſtrorum poſitio, ad aliquod ſumptum temporis momentum, reſpectu alicujus puncti, vel loci ſuperficiei Terreſtris, prout illa poſitio diſtribuitur in totius Mundani ſpatii partes duodecim, quas Thematis domos appellant.

II.

Dominus ſigni, eſt Planeta cujus ſignum ipſum eſt domus propria.

III.

Dominus Planetæ, eſt alter Planeta dominus ſigni in quo verſatur prior Planeta.

IV.

Dominus domus, eſt Planeta dominus ſigni, domum ipſam occupantis.

V.

Dominus Thematis Cœleſtis, eſt Planeta qui in ipſo Themate ſui dominii in præcipua figuræ loca, ſuique ſtatus ratione, Planetis cæteris virtute excellit.

VI.

Significator, eſt cuſpis alicujus domus, vel Planeta, aliquem effectum pro ratione ſitus, vel dominii in Themate ſignificans.

VII.

Agere per ſe, eſt effectum virtute propria producere.

VIII.

Activè determinare, eſt efficientem cauſam ex ſe univerſalem, vel indifferentem, ad aliquam effectus ſpeciem applicare.

POSTU-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

POSTULATA.

PRimum. Figuram Cœleſtem erigi poſſe ex Ephemeredibus, vel Tabulis motuum Cœleſtium, ad quodlibet momentum temporis, pro quovis Terræ loco.

Secundum. Hominem ſenſu & ratione præditum obſervare poſſe in hominum Thematibus natalitiis; an Cœli partes & aſtra quidpiam, tum quid agant in ipſis hominibus: quandoquidem ipſi ruſtici id de Luna Planetarum minimo, tum de pluribus fixis obſervant, etiam rudiori minervâ & ſine Thematibus, in Agricultura.

Axiomata Aſtrologia quorum veritatem prodit experientia rationalis.

Axioma I.

IDem Planeta aliud efficit in una domo figuræ Cœleſtis, & aliud ſpeciem altera. Quod etiam verum eſt de fixis & ſignis Zodiaci.

Hujus Axiomatis veritas conſtat experientiâ rationali, vel obſervatione Aſtrologica, ſive hæc fiat ſimul tempore, ſive diverſis temporibus. Nam eodem momento temporis idem Planeta eſt in omnibus domibus figuræ Cœleſtis, reſpectu totius Terræ. Ut dum Sol Hiſpanis eſt in prima domo, eſt ſimul tempore Hungaris in duodecima: Aſſyriis vel Perſis in undecima: Indis propè Gangem, in decima: Chinenſibus vel Japonenſibus, in nona, &c: ut Aſtronomia docet. Deprehenditur autem ab Hiſpanis agere circa naſcentis tunc hominis vitam, mores, ingenium: ab Hungaris circa morbos, inimicos, carceres: ab Aſſyriis & Perſis circa amicos: ab Indis circa actiones & honores: à Chinenſibus circa Religionem ac itinera nati, atque ſic de reliquis domibus, ſiquidem gens quælibet, judicat de eſſentialibus ſignificatis cujuſque domus, ex Planeta domum ipſam occupante: hi verò effectus ſpecie ſunt diverſi. Ergo idem Planeta aliud efficit, &c.

Diverſis verò temporibus etiam conſtat, quòd quoties naſcente homine Sol reperitur in prima domo, ſive hoc ſit in eodem Terræ loco, ſive in diverſis, Sol ipſe agit circa vitam, mores ac ingenium nati, ſi fuerit in duodecima, circa ejus morbos, inimicos; in undecima circa ejus amicos, &c: ergo verum eſt Axioma pro Planetis, ſimilique experientia probabitur de fixis & Zodiaci ſignis quæ Dodecatemoria vocantur. Ac de his paſſim extant Aphoriſmi Aſtrologorum liberis contenti. Ergo idem Planeta, &c.

Axioma II.

IN eadem figuræ domo aliud efficit Sol per ſe, aliud Luna, aliud Saturnus, &c. Quod etiam verum eſt de fixis & Dodecatemoriis.

Patet experientiâ, nam Sol præſertim ſi fuerit ſolus in prima domo, ac in Leone ſigno ſolari, natum efficit bilioſum, magnanimum, liberalem, celebrem: Luna ſimiliter in Cancro pituitoſum, timidum, inconſtantem: Saturnus ſimiliter in Aquario melancholicum, gravem, prudentem, laborioſum, patientem, & ſic de cæteris Planetis, non ſolum in prima domo, ſed in aliis quoque domibus obſervatis, qua de re in libris Aſtrologorum ſparſim habentur Aphoriſmi, utcunque confuſi & defectuoſi, ut alibi fiet manifeſtum. Ergo in eadem figuræ domo aliud efficit Sol, aliud Luna, &c: ſaltem per ſe & virtute propria.

Idemque dicendum de fixis & Dodecatemoriis. Nam ſpica Virginis in Horoſcopo, vel prima domo placidos mores, cor Scorpii feroces largitur. Leo autem in prima vel altera domo agit, ut Sol, quia agit virtute Solari, ideoque idem ferè efficit atque Sol. Similiterque Cancer idem ferè efficit atque Luna; Aquarius idem ferè atque Saturnus: cæteraque Dodecatemoria idem ferè ac eorum domini, ad quorum naturam determinata fuere initio Mundi, ut à nobis expoſitum eſt Lib. 14. ſect. 1. cap. 5. & probat experientia.

Axioma III.

IDem Planeta aliud efficit ſua conjunctione cum altero Planeta, vel in una domo figuræ, & aliud ſua oppoſitione, aliud ſuo trino, aliud ſuo quadrato.

Id etiam experientia probat, quòd nempè Saturnus ſi Soli fuerit oppoſitus vel quadratus, deteriores aut difficiliores reddat Solis effectus, quàm ſi fuerit in ejus trino, vel ſextili poſitus. Similiter ſi Saturnus fuerit in Horoſcopi trino, non obſtante naturâ ſuâ maleficâ quidpiam boni conferet circa mores, ingenium, atque vitam: at ſi fuerit oppoſitus, vel quadratus Horoſcopo, indubiè circa eadem pravos producet effectus: eademque eſt ratio de cæteris Planetis connexis tam inter ſe quàm cum aliis figuræ domibus, ut de hac re apud Aſtrologos paſſim habentur Aphoriſmi & experientiæ. Ergo idem Planeta, &c.

Axioma IV.

ALiud efficit □ ♄, aut ♂, & aliud □ ♃, aut ♂.

Patet experientiâ □ ♄ & ♂ eſſe prorſus maleficos: non autem □ ♃ aut ♀ ſaltem per ſe: ſimiliter △ ♃ aut ♀ eſt omnino beneficus: non autem omninò □ ♄ aut ♂. Eademque eſt ratio pro cæteris aſpectibus, quod ſaltem per ſe intelligendum eſt.

Axioma V.

IDem Planeta aliud efficit dominus primæ domus; aliud ſpecie dominus domus ſecundæ, aliud ſpecie dominus domus tertiæ: & ſic de reliquis.

Hoc etiam probatur experientiâ. Quod nimirum dominus primæ domus agat circa vitam, mores ac ingenium nati, quamvis ille non ſit corpore in prima domo: dominus ſecundæ circa divitias, & ſic de reliquis. Qua de re Aſtrologorum libri ſcatent experientiis & Aphoriſmis.

Axioma VI.

IDem Cœli punctum ſi fuerit locus Solis in aliqua Geneſi pollet vi vel influentiâ Solari reſpectu ipſius nati quamdiu hîc vivit: ſi fuerit locus ♄ pollet vi Saturnina, & ſic de reliquis Planetis. Similiter idem Cœli punctum, ſi fuerit locus Horoſcopi in aliqua Geneſi, pollet vi ſupra vitam nati: ſi fuerit in medio Cœli, pollet vi ſupra ejus actiones & profeſſionem, atque ſic de reliquis domibus. Eademque eſt ratio eſt de Planetarum aſpectibus.

Patet hujus Axiomatis veritas, experimentis quotidianis directionum ipſorum locorum, atque tranſituum Planetarum per ipſa loca, durante vitâ nati. Siquidem Veneris dominæ quintæ tranſitus per Horoſcopum hominis naturâ libidinoſi, hunc ad libidinem ſtimulat, quoties fit ille tranſitus: & ♂ dominus ſeptimæ tranſiens per Horoſcopum excitat ad jurgia, lites, cædès, &c: homines præſertim naturâ bilioſos, quod pluries non accideret, niſi in Horoſcopi loco vis eſſet circa nati indolem, potens quamdiu ipſe vivit.

Axioma VII.

IDem Cæli punctum quod uni nato eſt locus Solis, poteſt alteri eſſe locus ♄ ♃ ♂ ♀ ☿ aut ☽.

Patet hoc ex motu Planetarum qui ſinguli tranſeunt per ſingula Zodiaci loca, dum hunc percurrunt: ideoque ♄ in unius hominis Geneſi reperiri poteſt in eodem Zodiaci loco, quem tenuit Sol in alterius hominis Geneſi.

Axioma VIII.

QUodlibet agens per ſe, agit tantùm juxta vim & naturam propriam.

Si enim contingat ipſum agere juxta vim alienam, ergo non erit agens per ſe, contra hypotheſim, & definitionem ſeptimam.

Axioma IX.

QUodlibet patiens patitur juxta naturam propriam. Vel quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur.

Nam dum Sol calefacit, lutum indurat, ceram liquefacit, plantæ vegetationem permovet, bruti ſenſum excitat, At hominis inſuper rationem circa ſenſati caloris vim atque naturam indagandam evigilat. Similiterque idem Sol influens in brutum & hominem, utrumque juxta horum naturam propriam efficit. Ac tandem aliud efficiet in Principe, & aliud in Ruſtico, licet eâdem omninò virtute.

Axioma X.

IDem manens idem, ſemper facit idem, in eodem. De quo jam egimus Lib. cap. 15.

Hoc Axioma nobis videtur præcipuum ad Aſtrologiam ſcientificè tradendam, ut evidentiùs infrà patebit; proindeque illius veritas paulò fuſiùs hic erit exponenda. Poteſt autem probari non ſolùm experientiâ, ſed etiam illo univerſaliſſimo & Metaphyſico principiorum principio, impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe. Nam ſi idem non ſemper facit idem in eodem: ergo facit quandoque diverſum. Diverſitas autem effectus poteſt tantùm eſſe, vel à virtute agentis, quæ ſpecie, intenſione, commixtione vel applicatione diverſa ſit: vel à ſubjecto patiente, quod ſpecie, diſpoſitione, vel applicatione ſit diverſum. Quo poſito vel agens non erit idem, vel patiens non erit idem; contra hypotheſim: ergo idem manens idem, ſemper facit idem in eodem. Porrò quod ad hujus principii veritatem non requiratur tam agentis, quàm patientis identitas numerica, inde probatur: quia alioquin idem globus fieri ignitus, agens in duos ceræ globulos homogeneos, æquales mole, ſimiliterque applicatos, produceret in illis diverſos effectus: vel contrà, duo globuli ferrei igniti, æquales & ſimiliter applicati eidem ceræ globulo, in hoc diverſos producerent effectus, quod experientiæ & ratione expugnabit.

Si verò vel agens, vel patiens, vel applicatio aliquantam diverſitatem admiſerint; jam non idem producetur effectus, ſed tantam admittet differentiam, quantam admittunt vel cauſa agens ab agente, vel patiens à patiente, vel utraque ab utraque, vel applicatio ab applicatione. Et hæc eſt cauſa omnium prima, cur gemellis non eodem momento naſcentibus non eadem planè accidentia eveniant, quamvis ſint ambo homines, ab eodem patre & eadem matre geniti, in eodem loco nati: quia ſcilicet conſtitutio Cœli, quæ eſt eorum cauſa productrix, aliquam admittit diverſitatem non exigui quandoque momenti: ut ſi poſito nativitatum intervallo quatuor dumtaxat minutorum horæ, quo Cœli poſitus variatur uno gradu; Saturnus fuerit uni in Horoſcopo, alteri in duodecima domo, vel uni ♃ dominus Horoſcopi in fine, ♄ autem alteri dominus Horoſcopi in primo gradu ♑. Item cur Ruſticus & Nobilis in eodem momento naſcentes in eodem loco, non eadem ſpecie, vel magnitudine habeant accidentia fortunæ, quamvis Cœli conſtitutio, utrique ſit eadem, quia ſcilicet non ſunt idem ſubjectum diſpoſitione, alter enim oritur ex vili, alter ex Nobili genere, nec non ambo ex parentibus ſorte poteſtateque diverſis. Denique cur diverſi homines parentibus, genere temporibuſque diverſis nati, aut ex iiſdem parentibus, ſed diverſis temporibus, diverſa patiantur accidentia: quia ſcilicet tam cauſæ agentes quàm patientes, differentias aliquas ſemper admittunt inter ſe: ad hoc autem quoque refertur ſexuum diverſitas.

Itaque ut Axiomatis veritas meliùs percipiatur, ſic ipſum erit intelligendum: *Idem ſpecie & diſpoſitione activa* (ſub qua concurſus & applicatio comprehenduntur) *ac multò magis ſi etiam idem numero fuerit* (ut ☉ ☽ ♄, &c:) *facit idem ſpecie & intenſione, in eadem ſpecie & diſpoſitione paſſiva.* Quæ explicatio tollit omnem ambiguitatem atque difficultatem, ut infra patebit evidentiùs.

MONITUM.

TEmerarium forſan pleriſque videbitur, Aſtrologiæ judiciariæ demonſtrationes velle Philoſophorum oculis exponere, quandoquidem id hactenus non modò inauditum, ſed etiam impoſſibile creditum fuerit. Attamen conceſſis Axiomatibus ſuprapoſitis, quorum veritas experientiâ rationali patet, ut ignem comburere experientiâ duntaxat ſenſibili: inde profectò deduci queunt Theoremata multa quæ totam Aſtrologiæ ſcientiam ſaltem univerſaliter complectantur. Sit ergo:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

THEOREMA I.

Singulæ domus figuræ Cœleſtis inter ſe virtute differunt, vel proprietate.

NAm idem Planeta aliud efficit ſpecie in prima figuræ Genethliacæ domo, aliud in ſecunda, aliud in tertia; & ſic de reliquis, etiam eodem momento temporis, Axiomate primo. Ergo cùm diverſitas effectus peti nequeat à diverſitate Planetæ, vel ejus ſtatus in Cœlo, qui idem eſt eodem inſtanti temporis, reſpectu totius Terræ, nec à ſpecifica diverſitate ſubjecti in hominum Genituris, neceſſariò petenda erit à diverſa natura & proprietate domorum, in quibus Planeta reperitur, & per quas eidem ſpecie ſubjecto diverſimodè applicatur. Ergo ſingulæ domus virtute differunt: quod erat oſtendendum.

THEOREMA II.

Singuli Planetæ inter ſe natura & virtute differunt: ſaltem influentiali.

NAm aliud efficit Sol in prima domo influentialiter, ut à nobis explicatum eſt c. 5. Sect. 3. Lib. 12. aliud Luna, aliud Saturnus, &c: Axiomate ſecundo: eademque eſt ratio de quavis altera domo, quicunq; ſit ipſorum Planetarum ſtatus Cœleſtis: ergo cum effectus differentia peti nequeat ab ipſa domo quæ eadem eſt Planetis ſingulis: nec ab eorum ſtatu Cœleſti: nec tandem peti queat à ſpecifica differentia ſubjectorum, dum homines ponuntur eſſe ſubjecta: neceſſariò petenda erit à diverſa natura & virtute influentiali ſingulorum Planetarum. Ergo ſinguli Planetæ inter ſe influentiali naturâ differunt: quod hic erat oſtendendum, etſi jam aliter oſtenſum ſit cap. 2. Sect. 3. Lib. 9.

THEOREMA III.

Singula ſigna Zodiaci inter ſe natura & virtute differunt, vel Elementali, vel influentiali, vel utraque.

NAm Leo in prima domo natum efficit temperamento bilioſum & influentiâ Solarem, Cancer temperamento pituitoſum & influentiâ Lunarem Axio: 2. & quamvis ♈ & ♌ faciant temperamento bilioſos, tamen ♈ efficit influxu materiales, & ♌ Solares: ſimiliter quamvis ♈ & ♏ faciant influxu Martiales, tamen ♈ efficit temperamento bilioſos, & ♏ pituitoſos. ♈ autem & ♉ faciunt temperamento & influxu diverſos: atque ſic de aliis. Cùm igitur hæc diverſitas peti nequeat à prima domo quæ eadem eſt ſignis ſingulis: nec à Planetis ſigna occupantibus; quòd ſigna Planetis vacua eandem admittant diverſitatem effectuum, nec tandem à ſpecifica ſubjecti differentiâ, dum homines ponuntur eſſe ſubjecta; ſupereſt, ut petatur à diverſa natura & virtute ſingulorum ſignorum. Ergo, &c.

THEOREMA IV.

Cujuſvis Planetæ aſpectus ſpecie diverſi, differunt inter ſe virtute, vel quantitate virtutis.

NAm aliud efficit Saturnus oppoſitus, vel quadratus Soli aut Horoſcopo, & aliud dum fuerit in △, vel ſextili ipſorum Solis, aut Horoſcopi Axio: 3. Quippe Planeta quivis aſpectibus ſuis quadrato & oppoſito malefacit atque nocet. Trino autem & ſextili benefacit atque juvat penes ſuam naturam, ſaltem in hominum genituris. Oppoſitus verò radius eſt quadrato nocentior, & hic quintili: Ac ſimiliter trinus eſt beneficentior ſextili, & hic dodecatili. Et cùm hi effectus obſerventur eſſe à Planetis per hoſce aſpectus connexis inter ſe, vel cum figuræ domibus, quicunque ſit reliquus aſpicientium Planetarum ſtatus Cœleſtis: neceſſariò aſpectibus ipſis ſunt attribuendi. Ergo cujuſvis Planetæ aſpectus, &c.

THEOREMA V.

Non omnes ſtellæ fixæ ſunt ejuſdem naturæ & virtutis.

NAm ſpica Virginis aliud efficit in prima domo, & aliud cor Scorpii Axio: 2. etiam in eodem ſpecie ſubjecto: ergo ſunt diverſæ virtutis.

THEOREMA VI.

Corporum Cœleſtium vires miſcentur invicem in ſubjecto patiente, ut homine.

NAm Sol aliud efficit in prima domo circa temperamentum, aliud Luna, aliud Saturnus, &c: Axio: 2. Temperamentum verò conſurgit ex concurſu & mixtione diverſarum qualitatum. Proindeque ſi Sol & Saturnus ſimul fuerint in prima domo, temperamentum neque erit ſimpliciter bilioſum à Sole, neque ſimpliciter melancholicum à Saturno, ſed ex ambobus mixtum ab utroque Planeta, & quid medium inter ſimpliciter bilioſum Solarem, & ſimpliciter melancholicum Saturninum. Ergo vires Planetarum Elementales miſcentur in homine pro temperamento. Similique ratiocinio probabitur vires influentiales eorumdem miſceri pro moribus, ingenio, &c: eademque eſt ratio pro aliis domibus atque Planetis: tum fixis & Dodecatemoriis. Conſtat ergo Theorema.

SCHOLIUM.

HInc verò patet non rectè dici, Solem in hoc, vel illo ſigno; ſed potiùs cum hoc, vel illo ſigno, hunc, vel illum producere effectum.

THEOREMA VII.

Idem Planeta idem efficit ſpecie cum eodem ſigno Zodiaci, tam Elementaliter quàm influentialiter.

HOc Theorema dupliciter ſpectari poteſt. Primò univerſaliter, ac prout Planeta & ſignum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

gnum tantùm ſpectantur in Cœlo, ſuas inde vires in Terram univerſaliter ac indiſcriminatim effundentes. Sicque verum eſt Theorema. Nam idem Planeta cum eodem ſigno eſt idem manens idem: ergo faciet idem ſpecie circa idem, Axio: 9. hoc eſt circa Sublunaria univerſaliter ſpectata: hoc eſt eandem vim effundet in ipſa Sublunaria, quamvis in his non idem ſemper producatur effectus, quòd Sublunaria non ſint perpetuò in eadem diſpoſitione paſſiva univerſaliter ſpectata, ut habetur in explicatione Axiomatis 9.

Secundò ſpectari poteſt particulariter. Supponendo idem ſpecie ſubjectum, eandemque ſpecie applicationem ad ipſum, ut ex prima figuræ domo. Nam idem Planeta cum eodem ſigno, ex eadem domo eſt idem manens idem: ergo faciet idem ſpeciei in eodem ſpecie ſubjecto particulari, juxta Axio: 9. Idq; tam elementaliter quàm influentialiter: nam manet ſemper eadē mixtio, ſive idem concurſus virtutum tam Elementalium quàm influentialium.

Theorema VIII.

Nullus Planeta idem efficit cum diverſis ſignis Zodiaci, ſaltem tam elementaliter quam influentaliter.

Nam ſingula ſigna Zodiaci inter ſe virtute differunt Theor: 3. Ac proinde idem Planeta in diverſis ſignis non eſt idem virtute, manens idem: quare nec idem faciet in eodem, juxta Axio: 9.

Theorema IX.

Duo Planetæ non idem ſeorſim efficiunt, cum eodem ſigno Zodiaci.

Nam ſinguli Planetæ inter ſe virtute differunt Theor. 2. Ac proinde duo Planetæ ſeorſim cum eodem ſigno, non ſunt idem virtute, manens idem. Quare nec idem efficient, juxta Axio: 9.

Theorema X.

Idem Planeta, idem efficit in eadem figuræ domo.

Nam idem Planeta ſeorſim ſpectatus eſt idem manens idem: tum etiam ſimiliter affectus ratione ſtatus Cœleſtis, hoc eſt ratione ſigni quod occupabit, & ſuæ connexionis cum aliis Planetis: ergo tum ſeorſim ſpectatus, tum ſimiliter affectus, faciet idem in eodem juxta Axio: 9. Imò quomodocunque ſit affectus, ſemper tamen dicetur idem facere generaliter; nempè quatenus natum afficiet ratione ejuſdem ſpecie accidentis. Planeta ſi quidem in prima domo, ſemper agit circa vitam, mores ac ingenium nati: in ſecunda circa divitias; in decima circa actiones profeſſionem & dignitates, dando, auferendo, negando, perficiendo, depravando, aut generaliter fortunando, vel infortunando, juxta Cœleſtem Planetæ ſtatum, ejuſque vim & naturam propriam. Ergo idem Planeta, &c.

Theorema XI.

Nullus Planeta idem facit ex diverſis figuræ domibus.

Nam ſingulæ domus figuræ Cœleſtis inter ſe virtute differunt Theor. 1. Ideoque idem Planeta in diverſis domibus non eſt idem virtute vel applicatione: quocirca non efficiet idem ſpecie Axio: 9. quamvis enim domus oppoſitæ cenſeantur eſſe quodammodo virtutis ejuſdem, ob eandem oppoſitionis lineam, tamen directio Horoſcopi ad ♃ in ſecunda ſanitatem efficiet, ad oppoſitum verò ♃ ex octava, potius morbum aut vitæ periculum concitabit. De maleficis verò Planetis aliter dicendum eſt, quia tam eorum corpus quàm ☍ prava ſunt: ideoque mors, vel morbus periculoſus, vel vitæ periculum, æquè accidit à directione Horoſcopi ad ♂ in ſecunda, atque ad ejus ☍ ex octava. Quia tamen ☍ Planetæ duntaxat mala eſt: corpus verò etiam malefici, influit quidquid eſt boni & mali in Planeta, ut alibi diximus. Ac prætereà Planeta ex ſecunda & octava, non eoſdem ad reliqua domos projicit aſpectus: Rectè dicitur quod ex diverſis domibus etiam oppoſitus diverſa efficiet.

Theorema XII.

Duo Planetæ non idem ſeorſim efficiunt ex eadem figuræ domo.

Nam ſinguli Planetæ inter ſe virtute differunt Theor. 2. Ideoque ſinguli in eadem domo ſeorſim conſtituti, non ſunt idem virtute, quamvis idem ſit applicatione: non ergo idem efficiunt Axio: 9.

Theorema XIII.

Nullus Planeta idem ſolus efficit quod connexus alteri corpore, vel aſpectu.

Nam ſinguli Planetæ inter ſe virtute differunt Theor: 2. Nec non eorum aſpectus Theor. 4. Ergo Planeta ſolitariè ſpectatus, non eſt idem virtute activa, quod connexus alteri Planetæ corpore, vel aſpectu præſertim quòd vires Planetarum corpore, vel aſpectu concurrentium naſceantur in ſubjecto patiente, ut homine Theor. 6. Ergo nullus Planeta idem virtute efficit, &c.

Theorema XIV.

Idem Planeta idem efficit eodem modo connexus eidem alteri Planetæ, vel eidem cuſpidi.

Nam eodem modo connexus eidem Planetæ, vel cuſpidi, eſt idem manens idem. Ergo hac ratione & per ſe efficit idem Axio: 9.

Theorema XV.

Nullus Planeta idem efficit diverſimodè connexus uni Planetæ, vel cuſpidi, quod connexus alteri.

Nam Planetæ inter ſe & cuſpides inter ſe virtute differunt Theor. 1. & 2. Ergo Planeta connexus uni Planetæ, vel cuſpidi non eſt idem, quod connexus alteri. Ergo non efficiet idem juxta Axio: 9.

Theorema XVI.

Nullus Planeta idem efficit diverſimodè connexus eidem alteri Planetæ vel cuſpidi.

Nam ſinguli aſpectus inter ſe virtute differunt Theor. 4. Ergo Planeta diverſimodè connexus eidem

eidem alteri Planetæ, vel cuſpidi non eſt idem, quare non efficiet idem, Axio: 9.

THEOREMA XVII.

Duo Planetæ non idem ſeorſim efficiunt eodem ſpecie ſuorum aſpectuum.

NAm ſinguli inter ſe virtute differunt, Theor. 2. aſpectus verò ſequuntur naturam Planetarum à quibus prodeunt; aliud enim efficit □ ♄, & aliud □ ♃, Axio: 4. Ergo duo Planetæ per eundem ſpecie aſpectum non magis ſunt idem activè quam ipſimet duo Planetæ, qui inter ſe virtute differunt. Non igitur idem efficient, Axio. 9.

THEOREMA XVIII.

Virtus domorum figuræ Cœleſtis non eſt ex ſe productiva effectuum; ſed determinativa virtutis corporum Cœleſtium ad ſpecies effectuum, cujuſque domus virtuti, vel proprietati congruentium.

HOc Theorema intelligitur de domibus primariis: Sicque probatur, nam domorum ipſarum eſſe materialiter eſt duntaxat Mundanum ſpatium ex cap. 3. Sect. 3. Lib. 18. Cui ſpatio nulla per ſe virtus activa competit: eſſe verò formale conſiſtit duntaxat in relatione ſitus ipſius ſpatii ad Terræ locum in quo quiſpiam naſcitur. Relatio autem ex ſe non eſt activa: ergo virtus domorum figuræ Cœleſtis neque ex parte eorum eſſe materialis, neque ex parte eſſe formalis, activa eſt, vel effectum productiva: ergo producuntur à ſolis corporibus, cúmque non ex ſe, ſed à domibus habeant, quod aliud efficiant in prima domo, aliud in ſecunda, &c: Theor. 1. Ergo id duntaxat habebunt ab ipſis domibus per determinationem activam, juxta cujuſque domus proprietatem, ut à nobis explicatum eſt Lib. 21. Sect. 3. cap. 1.

THEOREMA XIX.

Cujuſque Planetæ influentia eſt in efficienter cauſando ex ſe univerſaliſſima.

NAm Axio. 1. Planeta in prima domo agit circa vitam, temperamentum, mores, ingenium nati, in ſecunda circa ejus divitias, in tertia circa fratres & affines, &c: eſt autem ſimul tempore toti Terræ in omnibus figuræ domibus, ex Aſtronomicis, ubi per conſequens agit ſimul tempore reſpectu diverſorum natorum, circa genera omnia accidentium quæ natis ipſis evenire queunt: ergo vis ejus eſt in agendo & cauſando ex ſe univerſaliſſima.

Idemq; dicendum de fixis atque ſignis, nec ſolum circa hominem, ſed circa omnia alia ſubjecta: ergo, &c.

THEOREMA XX.

Planetæ cujuſvis influentia eſt in ſe unica & invariabilis per motum ſub Dodecatemoriis.

HOc probatur, tum quia influentia & virtus formalis Planetæ, ut dictum eſt lib. 12. Sect. 3. cap. 2. Tum quia ſi eſſet multiplex idem Planeta, non idem influeret cum eodem ſigno, nec idem in eadem figuræ domo, &c: ſed ſublatis etiam cæteris à quibus poteſt effectus ſpecie variari, Planeta ipſe per ſe diverſa efficeret cum eodem ſigno, &c: hoc autē contrariatur Ax. 1. 2. &c: Præterea quoniam idem Planeta aliud efficit in ♈, & aliud in ♉, ſi in egreſſu ex ♈ omni virtute ſpoliatur, & ingrediens ♉ nova virtute induitur, ſequetur Planetas omnes in eodem ſigno eadem virtute indui, ac proinde idem ex eodem ſigno efficere contra Axio. 2. Non ergo eſt variabilis per motum Planetæ ſub ſignis: ergo cujuſque Planetæ influentia, &c.

THEOREMA XXI.

Nullus Planeta influentiam alterius Planetæ cohibet ne effluat & agat in Sublunaria: etſi cohibere queat vim elementalem.

NAm ſi Luna etiam tegens Saturni corpus, hujus influentiam cohiberet: ergo Luna idem ſola efficeret influentialiter, quod Saturno conjuncta contra Theor. 13. ergo, &c. Quod autem unus Planeta alterius vim elementalem cohibere queat, patet evidenter in Eclipſibus Solis præſertim totalibus, in quibus Luna ſui corporis opacitate ac denſitate cohibet lucem & calorem Solis ne ſaltem verſus Terram effluat.

THEOREMA XXII.

Planeta quilibet poteſt aliquid in quamlibet corporis ſpeciem dum hoc naturaliter producitur.

SI enim detur aliqua ſpecies corporis generabilis in quam Saturnus nihil poſſit, Luna verò poſſit: & momento ortus ipſius corporis Luna Saturno conjungatur, non idem prodibit effectus ab iis conjunctis, qui à ſola Luna prodiret, Theor. 13. Ideoque Saturnus erit cauſa diverſitatis: non quidem Lunæ vim cohibendo ne effluat atque agat, Theor. 21. Ergo vim ſpropriam effectui imprimendo qua Lunæ virtus ſimiliter impreſſa intenditur, remittitur aut mixtione alteratur: quamobrem fatendum erit Saturnum poſſe in ipſum corpus contra hypotheſim.

Probatur etiam ex figura ortus cujuſque corporis naturalis, nam Planeta quilibet in ejus Horoſcopo, illud pro agentis & patientis natura diverſimodè afficiet: ergo, &c.

THEOREMA XXIII.

Nullus Planeta poteſt omnia in quamlibet corporis ſpeciem, vel corporeorum effectum: quales ſunt peſtes, ſterilitates, aeris conſtitutiones, bella, &c.

NAm nullus Planeta idem efficit ſolus quod alteri connexus, Theor. 13. Ergo non omnia poteſt in quamlibet corporis ſpeciem. Idque patet in nativitatibus, quod nempè idem Planeta non ſit cauſa & ſignificator omnium accidentium ad duo

duodecim domos ſiguræ pertinentium : hoc etiam ſic aliter demonſtratur. Sit actio in hominem naſcentem à Luna Saturno conjuncta : non idem prodibit effectus qui à Luna ♂ conjuncta, Theor. 15. Quod ſi Luna ponatur omnia poſſe in ipſum hominem: idem poterit ſola quod Saturno conjuncta; & ſimiliter idem ſola quod ♂ conjuncta : ideoque idem conjuncta Saturno, quod ♂ conjuncta, contra Theor. 15 : ergo, &c.

Theorema XXIV.

Non poteſt eſſe duorum Planetarum virtus eadem in aliquid naſcens, ſaltem influentialis.

SI enim ſupponatur eandem eſſe virtutem ♄ & ♂ in aliquod naſcens ; ergo idem poterit Luna in ipſum effectum conjuncta ♂ atque conjuncta Saturno, Axio. 9. Luna enim cum virtute ♄ erit eadem atque cum virtute ♂ : illud autem eſt contra Theor. 15. ergo &c.

Theorema XXV.

Idem Planeta eadem virtute influentiali diverſa ſimul efficit circa idem numero naſcens.

PRimò enim Planeta natum afficiet ratione domus figuræ in qua verſabitur, Axio. 1. Deinde ratione domus, vel domorum quibus dominabitur, Axio. 4. Ac poſtremò ratione domorum, vel in his Planetarum quos ille aſpiciet, Axio. 3. Ergo, &c.

Theorema XXVI.

Nullus Planeta idem efficit influentiali virtute, in diverſis ſpecie ſubjectis, vel etiam numero tantùm differentibus.

NAm quodlibet patitur juxta naturam propriam, vel quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur, Axio. 8. Quoniam igitur Planetæ, bruti & hominis, tum etiam canis & leporis naturæ ſunt diverſæ: ergo idem Planeta ſaltem influentialiter diverſa efficiet in illorum ſingulis : tum etiam in filio Principis & filio Ruſtici, tum puero & puella, ſimul tempore in eodem quoque loco naſcentibus, quamvis eadem virtute afficiantur : igitur nullus Planeta, &c.

Theorema XXVII.

Duo Planetæ ſeorſim non producunt per ſe eundem effectum in eodem patiente, ſaltem influentialiter.

PRobatur primò, quia ſinguli Planetæ naturas habent & vires agendi ſibi proprias ſaltem influentiales, Theor. 2. ac agit quilibet juxta vim & naturam propriam, Axio. 7. Ergo in eodem patiente Saturnus producet effectum Saturninum, & Mars Martialem, qui differunt genere.

Secundò, ſupponatur Saturnum & ♂ idem ſeorſim effecturos in eodem ſubjecto : ergo erit utriuſque virtus eadem circa ipſum patiens; ſi enim diverſa eſſet, non faceret idem, ſed diverſum, Axio. 9. Ideoque idem poterit Luna in ipſum patiens conjuncta ♂ atque conjuncta ♄. Axio. 9. Hoc autem contrariatur Theor. 15. Ergo, &c.

Theorema XXVIII.

Planeta extra propriam domum aliud efficit ratione domus figuræ in qua verſatur, & aliud ratione ſui dominii in altera domo.

ALioquin idem agat ratione utriuſque. Et quia ♂ præeſt duobus ſignis ♈ & ♏ quæ non poſſunt eſſe in eadem figuræ domo : & par eſt utriuſque ſigni ratio : ergo vel ♂ idem manens efficiet diverſa in eadem domo contra Axio. 9. vel efficiet eadem diverſarum domorum dominus contra Axio. 4. Igitur Planeta, &c.

De Sole autem cui unicum eſt ſignum, ſic probatur. Agat idem Sol ratione domus in qua eſt, & ratione alterius cui dominatur. Ergo erit eadem proprietas & vis determinativa domorum, contra Theor. 1. Igitur Planeta extra propriam domum, &c.

FINIS LIBRI DECIMI NONI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ASTROLOGIÆ GALLICÆ

LIBER VIGESIMVS.

De Actione Univerſali corporum Cœleſtium reſpectu ſui, & Sublunarium.

PRÆFATIO.

Hoc Libro incipimus dumtaxat exponere quomodo, & quid agant corpora Cæleſtia, tàm inter ſe, quàm circa Sublunaria. Eſt autem doctrina hæc merè Phyſica, imò totius Phyſicæ primaria, atque Nobiliſſima Ariſtoteli, & vulgaribus Philoſophiæ Scholis omnibus huc uſque ignota, ſed mehercle ſublimis, pulcherrima, ſcituque digniſſima. Quamobrem illam per medias quoque hoſtium acies promovere, explicare, & tutari conabimur, ut quæ ſequentibus Libris ducenda ſunt, pateant evidentiùs, & confirmentur validiùs.

SECTIO I.

De Globi Terreſtris diviſione reſpectu ſignorum Zodiaci.

Caput I.

Globi Terreſtris diviſionem reſpectu ſignorum Zodiaci eſſe valdè antiquam, & cur fuerit excogitata.

QUoniam Globi Terreſtris partes & incolæ diverſiſſimis inter ſe temperamentis & moribus eſſe deprehenduntur, idcirco opinantur nonnulli hoc inde oriri, quòd cùm Cœlum Empyreum ſit immobile, ac Terra in illius centro ſimiliter immobilis, partes Empyrei Cœli, ſuppoſitas ſibi Terræ partes diverſimodè afficiant, quia nempe volunt Cœlum Empyreum eſſe primam cauſam Phyſicam, quæ ex D. Thomâ quodlibeto 6. quæſt. 4. art. 19. per ſuam quietem influit, ſitque ejus proprium influere abſque motu, quatenus eſt ſupremum, attingere quodammodo ordinem ſubſtantiarum ſpiritualium.

Verùm opinio hæc ſtare nequit. Primo, quia inde neceſſariò infertur Empyrei Cœli eterogeneitas non quidem accidentaliter, ut in primo mobili per determinationem activam, ſed formalis; ſublatâ ſiquidem eterogeneitate nulla eſſet ratio, cur pars una Empyrei Cœli diverſam ab aliâ qualitatem effundat. At ſi etiam in Sublunaribus dantur corpora ſimplicia, & homogenea, ut Elementa, & ſimiliter in reliquis Mundi Phyſici regionibus, æthereâ quippe & Cœleſti, ut à nobis oſtenſum eſt Lib. 3. Sect. 1. 2. & 3. Abſurdum profectò videtur arbitrari, quod Cœlum Empyreum corporum omnium ſupremum, Nobiliſſimum, & Divinæ Majeſtatis Palatium, ſic ex naturâ ſuâ eterogeneum, ideoque non corpus ſimplex, ſed mixtum & ſibi ſuperioribus, & inferioribus Elementis, quandoquidem nulla datur eterogeneitas ſine mixtione, vel concurſu diverſorum principiorum; hoc verò fieri nequit ob rationes à nobis allatas pro ſimplicitate, & homogeneitate primi mobilis Lib. 3. Sect. 3. cap. 3. Secundò, quia qualitas alicui Terræ tractui impreſſa ab Empyreo Cœlo, eſſet ipſi tractui perpetua, ſuppoſitâ ſaltem ipſius Cœli, & Telluris immobilitate. Proindeque Hiſpani, qui varias Terræ partes incolunt, in iiſque naſcuntur, eſſent inter ſe moribus diverſi, quod de Judæis etiam toto terrarum Orbe diſperſis dici poteſt. E contra verò Græci jam eſſent eorundem morum cùm ſuis anteceſſoribus tempore Alexandri Magni; quæ omnia contrariantur experientiæ. Hiſpani enim ſunt ubique ſuperbi, & dominandi cupidi: Judæi verò ubique ſordidi, avari, perfidi: at Græci, qui olim rerum bellicarum, & ſcientiarum gloriâ præ cæteri Terræ incolis claruerunt, jam à pluribus ſæculis ſervi torpeſcunt in ſcientiâ, deſidiâque. Tertiò, opinatus eſt D. Thomas inferiora corpora Cœleſtia motu influere, Cœlum autem Empyreum quiete. At influentialiter virtus cuilibet corpori Cœleſti propria, eſt id quo influit, & non ipſe motus, qui dumtaxat eſt influentiæ diſperſivus, ut dicetur in ſequentibus. Quartò Cœlum illud non eſt de hoc naturali Mundo, in quo deprehendimus primum mobile eſſe omnium virtutum & motuum naturalium primam cauſam, quam omnes aliæ cauſæ inferiores determinant, ut poſthac fiet evidentiſſimum, quod de Cœlo Empyreo probari nequit. Cùm ergo tam univerſalis determinatio ſufficientiſſimè convincat, primum mobile eſſe primam cauſam Phyſicam, idcirco nihil ab Empyreo Cœlo huc effluere probabilius eſt.

Veteres autem Aſtrologi, quibus Empyreum Cœlum fuit ignotum, deprehendentes experientiis quàm plurimis magnam in Zodiaco virtutum differentiam, Cœlumque fixarum (quod non multò tempore ante Ptolemæum credebatur eſſe primum mobile) diverſiſſimis conſtellationibus eſſe refertum, quas hominum, quadrupedum, avium, piſcium, ſerpentum, & aliarum rerum nominibus inſignes fecêre; probabiliter con-

conjectati ſunt diverſos naturâ & hominum moribus Terræ tractus ſuam inde ſortiri diverſitatem, & alias Terræ partes aliis Cœli partibus correſpondêre, ac ſubjici, maximè verò partibus Zodiaci, cujus vim in omnes Terræ partes univerſalem, & efficaciſſimam eſſe ſciebant. Itaque venit illis in mentem globum Telluris dividere reſpectu ſignorum Zodiaci, ut ex Eclipſibus, magnis conjunctionibus, & aliis Planetarum congreſſibus corpore, vel aſpectu in ſingulis Zodiaci ſignis, definirent, cui potiſſimum Terræ parti Eclipſis, vel magna conjunctio ſignificaret.

Quis autem primus diviſionem illam inſtituerit, incertum eſt, ac valdè probabile Ptolemæum fuiſſe illius inventorem, ſiquidem ex Cardano Comm. in text. 14. cap. 3. Lib. 2. Quatrip. Ptolemæus hac in diviſione ſecutus eſt eundem ordinem quem in ſuâ ſervavit Geographiâ. His adde quod in conſtituendis quadrantum terræ Dominis, quatenus vult ea ſubjici Trigonis Zodiaci, non Arabum, ſed propriam amplexus eſt de dominis Trigonorum Zodiaci ſententiam. Quodque adaptio artificioſa quadratum ipſorum ad Zodiaci Trigona, horumque dominus, pro gentium moribus, non aliam quàm Ptolemæi doctrinæ, & ingenii ſubtilitatem præ ſe ferre videatur. Igitur diviſio hæc valdè antiqua eſt: an autem ſic vera, & naturalis, ſequenti capite inquirendum.

Caput II.

Supra dictam Globi Terreſtris diviſionem reſpectu ſignorum Zodiaci, merum eſſe figmentum Ptolemæi.

Fatentur omnes Ptolemæum eſſe Aſtrologiæ principem; utque de D. Joannis Apocalypſi dicitur, quot verba, tot in eâ contineri myſteria, idem certè de Ptolemæi quatripartito. Cardanus in Commento paſſim inſinuat. Verùm quamvis pro Aſtronomiâ, imò & Aſtrologiâ à prædeceſſoribus acceptis & proprio Marte illuſtratis, de universâ poſteritate multum ille meruerit: ſufficiet, ni fallor, ſi non Aſtrologiæ ſimpliciter, ſed Aſtrologiæ hactenus excultæ princeps appelletur, quæ nimirum multa continet abſurda, multaque figmenta, qualis eſt inter cætera hæc diviſio; nec propterea maximus vir ſpernendus eſt, nam in ſcientiâ tam ſublimi, abſtruſâ, & artibus Diaboli depravatâ fecit ipſe quod potuit. Ut verò diviſionem ipſam eſſe figmentum evidentiùs pateat, hic apponenda, & explicanda eſt illius diviſionis à Cardano delineata figura, textu 14. cap. 3. Lib. 2. quæ talis eſt.

Supponit Ptolemæus textu decimo Terram dividi in quatuor quadrantes, orientalem, occidentalem, meridionalem, & ſeptentrionalem, dum ait. *Nam cùm habitatio noſtra ſit in uno aquilonari quadrante*, &c. Cardanus autem in Commento textu 9. ſubdividis ex mente Ptolemæi unumquemque quadrantem in tres partes, prima eſt ab Æquatore ad Tropicum circulum, ſecunda à Tropico ipſo ad circulum polarem, & tertia ab hoc circulo uſque ad polum ipſum, tàm ex parte auſtri, quàm ſeptentrionis: atque diviſio hæc univerſalis eſt, & ſingulis terræ quadrantibus communis, ex quâ generaliter tantum de ſingularum Terræ partium conſtitutione, ſive temperie, in calore, frigore, ſiccitate, & humiditate judicium ferre licet pro ipſarum poſitu ad viam Solis.

Ad ſciendum verò particulariter, cui ſigno Zodiaci ſubjiciatur pars terræ quælibet, tum quibus Planetis; Terram ſuo tempore cognitam A B. D C. dividit in alios quadrantes æquales numero triangulis 4, quæ ejuſdem naturæ ſigna connectunt in Zodiaco. Hanc autem vult fieri diviſionem per duas lineas, quarum una G H ducatur ab Herculano Preto per Sinum Iſſicum verſus Ortum, diſtinguens Terræ partem Borealem ab Auſtrali, altera verò F E ducatur à Sinu Arabico per pontum Euxinum verſus ſeptentrionem; ſeparans ipſius Terræ partem orientalem ab occidentali. Inſuper autem dividit quadrantes ſingulos in bina triangula per lineas G E, E H, H F, F G; & triangula ad interſectionem rectarum G E, & E F concurrentia ſive interna, vult differre naturâ à ſibi ſociis æternis, verbi gratiâ, triangulum internum G ☿ E à ſibi ſocio externo G A E.


His conſtitutis vult quadrantem A ☿ poſitum inter ſeptentrionem, & occaſum, ſive ad Borrolyvicum, eſſe primum quadrantem in quo contineatur Europa; oppoſitum verò ad Notapeliotem D ☿, eſſe ſecundum, qui Aſiam complectatur: ac B ☿ qui inter ſeptentrionem & ortum jacet ad Borrapeliotem, eſſe tertium qui Scythiam habeat, oppoſitum verò C ☿ ad Libanotum, eſſe quartum in quo Lybia exiſtat.

Inſuper autem primi quadrantis triangulum externum G A E vult ſubjici trigono ſignorum igneo ♈ ♌ ♐, ejuſque dominis ♂ & ♃ occidentalibus. Secundi quadrantis triangulum externum F D H ſubjici trigono ♉ ♍ ♑, ejuſque dominis ♄ & ♀ orientalibus. Tertii quadrantis triangulum externum E B H ſubjici trigono aereo ♊ ♎ ♒, ejuſque dominis ♃ & ♄ orientalibus, tandemque triangulum C G F ſubeſſe trigono aqueo, ejuſque dominis ♐ ac ♀ occidentalibus.

At pro triangulis internis, poſuit primo ☿ in medio illorum, quòd ipſe ſit naturæ communis. Deinde vero vult triangulum internum primi quadrantis præcipuè regi à ♄ & ♀ occidentalibus. Tum à ☿, tandemque à ♃ & ♂ orientalibus & ſignis ♉ ♍ ♑ qui præſunt quadranti ſecundo, & viciſſim triangulum internum ſecundi quadrantis præcipuè regi à ♃ & ♂ orientalibus; tum à ☿, tandemque à ♄ & ☿ orientalibus ex ſignis ♈ ♌ ♐, qui præſunt quadranti primo, atque ſic de aliis juxta Cardanum in Commento.

Tandem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4



Tandem Ptolemæus facta ſic partium Terræ, ſignorum & Planetarum diſtributione & connexione, ſingularum ſui temporis gentium mores, ritus, atque leges illis quantâ poteſt ſolertiâ accommodat: ita ut pleriſque hæc ex illis neceſſario ſequi viſum ſit, indeq; factum, ut ipſa diviſio huc uſque perdurarit, quod præſertim Cardanus in eâ ſtabiliendâ plurimùm laboraverit.

Verùm quod ipſa diviſio ſit duntaxat fictitia, non autem naturaliter probatur rationibus ſequentibus.

Prima, quod ſi aliqua ſit in natura diviſio Terræ reſpectu Zodiaci, vel hujus reſpectu illius: ergo, ut totius Zodiacus Terræ diſtribuitur, ſic tota Terra Zodiaco diſtribuenda eſt: at Ptolemæus nequidem Terræ partem quintam Zodiaco dividendam aſſumpſit; nec proderit effugium dicendo totam Terram ſuo tempore cognitam diviſiſſe, tum quia id minimè verum eſt, quandoquidem & tota Africa uſque ad caput bonæ ſpei, & India etiam Orientalis fuit habitata Ptolemæi tempore, ut conſtat ex Plinio Lib. 2. cap. 69, ubi recenſet naufragium Hiſpanicarum navium in ſinu Arabico tempore Cæſaris Auguſti, & Indorum appulſum Marinis procellis ad Germanicum Mare, quos Suetiæ Rex, in quorum poteſtatem inciderant, obtulit Quinto Metello Celeri, Galliæ Proconſuli, ſimiliterque probabile eſt jam eo tempore Occidentalem Indiam fuiſſe habitatam, tum quia naturalis ille conſenſus ſignorum Zodiaci & Terræ partium eſt & independens ab incolis, hiſque prior, utpote factus à Deo initio creationis Cœli & Terræ, & per quem ipſi incolæ habuiſſent quod in his, vel illis Terræ partibus tales mores, atque ritus ſortiti fuiſſent.

Secunda, quod Ptolemæus agnoſcens quatuor Terræ quadrantes, & ſuam habitationem in quadrante Aquilonari quem ſuperiùs, diviſu, nullam habuit rationem Phyſicam, cur potius hunc quadrantem, quàm alios ſignis Zodiaci diſtribuerit: at totum Terræ globum dividendo, equidem Æquator illum bifariam diſpeſcat in partes Borealem, & Auſtralem, ſed nullus aſſignari queat particularis meridianus cui ex naturâ competat diviſionem abſolvere in partem Orientalem, & Occidentalem pro totius globi quatuor Quadrantibus, ut ſequenti capite planiùs exponetur.

Tertia, quod quæcunque ad ſupra poſitam diviſionem attinent, lineæ, quadrantes, triangula, eorumque ordo, rectores, & conſenſus, naturali cauſa careant, prorſuſque fictitia ſint. His adde quod cùm domini Trigonorum Zodiaci fuerint à Ptolemæo perperam inſtituti, ut dominus Lib. 15. cap. 6. hinc etiam vana probatur illa diviſio, eóque evidentius, quod Ptolemæus Lib. 1. c. 16. velit Solem & Jovem eſſe dominos ignei Trigoni ♈ ♌ ♐, Martem verò inde excludi. At cap. 2. Lib. 2. præficiat Jovem, & ♂ Triangulo externo primi Quadrantis ſuæ diviſionis, quem vult correſpondere Trigono ♈ ♌ ♐ excludens Solē, quoniam (ut vult Cardanus in Comm.) Sol & Luna non ponuntur domini particulares Triangulorum, quia dominantur omnibus generaliter. Cum tamen ipſe Ptolemæus Solis dominium tantùm agnoſcat in primo & ſecundo Quadrante: ſicut Lunæ dominium duntaxat in tertio & quarto, ſimiliterque Triangulo externo tertii Quadrantis præficiat Trigonum ♊ ♎ ♒, cum dominis ♄ & ♃, etſi ♃ in hoc Trigono nullam habeat dignitatem, eiq; præeſſe velit ♄ cum ☿ cap. 16. Lib. 1. Nec eſt quod quiſpiam dicat ex hoc capite ♃ eſſe familiarem ♄, & ob hanc familiaritatem dominari cum ♄. Nam eodem cap. explicans ſecundum Trigonum ♉ ♍ & ♑ ſtatuit quoque familiaritatem eſſe inter ♄ & ☉, quamvis ſint prorſus inimici, vel contrarii. Cur ergo tertii Quadrantis Triangulo externo potius Jovem, quam Solem præficit cum ♄?

Quarta, quòd Ptolemæus ex illâ diviſione non ſolum deducere conetur hominum temperaturas, conformationes, mores, atque ritus, ſed etiam religiones, ut quod Aſiæ, vel ſecundi Quadrantis populi colant Venerem, Solem, & ♄ & de reliquis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Quadrantibus ſimiliter; cum tamen fictitiæ, ac erroneæ ſint tales Divinitates, nec amplius illis in locis tales Dii venerentur, ſitque perabſurdum falſas religiones Cœlo adſcribere, quæ, vel à Diabolo, vel à particularibus Principum, vel Legislatorum geniis introductæ ſunt, ut infra introduceretur.

His ergo & pluribus aliis cauſis patet, diviſionem globi Terreſtris in ſigna Zodiaci à Ptolemæo inſtitutam merum eſſe figmentum.

Objiciet aliquis gentium mores, atque ritus quadrare illi diviſioni, ergo eſt naturalis conſenſus inter ipſa Terræ loca & ſigna Zodiaci.

Reſpondeo equidem hanc fuiſſe Ptolemæi ſolertiam, quod præcognitis per hiſtoriam Gentium moribus, huic præcognitioni ſuam diviſionem accommodaverit, quantum ipſe potuerit, ut fidem mereretur; an autem ſuæ diviſioni ipſemet crediderit: ego non facilè crediderim. In multis tamen à veritate aberravit, ut dum explicans primum Quadrantem ait Britannos, Belgas, Germanos, Gallos mulierum amore minùs teneri, & pronos eſſe ad libidines alias. Secundi verò Quadrantis incolas Orientales in Mediâ, Perſiâ, Babiloniâ, Meſopotaniâ, Aſſiriâ, maſculorum concubitum odiſſe, quæ refragantur hiſtoriæ veritati, & ſacris etiam codicibus, ubi de Sodomâ, & ſociis Urbibus ſit mentio, & D. Paulus in maſculorum concubitum invehitur. Præterea dum ait, populos Orientales quippe Aſiaticos habere animos viriliores, & fortiores: Occidentales verò quippe Europæos eſſe molliores, & effœminatiores; cujus contrarium hiſtoriis & experientia patet. Denique ſuperſunt adhuc hodie eædem Terræ partes, iidemque Trigoni Cœleſtes, cum tamen jam alii ſint mores, ritus, & religiones illarum gentium. Nihil ergo ſolidi poteſt afferri pro illius diviſionis veritate, & ſtabilitate.

Objiciet alius hæc quidem concedenda eſſe de Dodecatemoriis, at ſaltem Telluris partes ſubjici ſtellatis ſignis, aliiſque conſtellationibus, præſertim per Zenith partium ipſarum tranſeuntibus: conſtellationes enim inter ſe natura, & influxu differunt.

Sed reſpondeo hanc fortaſſis fuiſſe opinionem eorum, qui vera ſigna, ſeu Dodecatemoria ignorarunt: at conſtellationes toto Cœlo expanſæ, nec dividuntur in Trigonos ejuſdem naturæ, nec per ſe ſubjacent dominio Planetarum, ut Dodecatemoria, & quælibet conſtellatio per motum diurnum fit verticalis rationibus quamplurimis, quæ moribus ſunt diverſiſſimæ.

Caput III.

Quomodo Terra Cœli reſpectu naturaliter dividatur, ubi de ſapientia Dei circa obliquum Solis circulum.

Quoniam ſuperiùs patuit particularem Terræ diviſionem reſpectu ſignorum Zodiaci à Ptolemæo traditam prorſus eſſe fictitiam, hic inquirendum eſt, num natura ipſa Terræ globum dividat aliqua inſigni, conſtantique partitione.

At certè id nemo Geographiæ, & Philoſophiæ peritus inficiabitur. Natura enim Æquinoctiali Circulo Terram adeo ſenſibiliter dividit, ut in Terræ tractu ipſi Æquatori ſuppoſito etiam ventus æqualis, & moderatus continuo ſpiret ab Ortu ad Occaſum, qui nihil aliud eſt, quam aeris motus excitatus à primi mobilis motu rapidiſſimo, cuncta ſibi inferiora circumferente ab ortu in occaſum, & cujus rapiditas ſub Æquatore maxima, evidenter communicatur uſque ad Terræ tractum ipſi Æquatori ſuppoſitum, inde ſenſim remittens verſus Mundi Polos, adeo ut ſub Tropicis motus ille non ſit amplius ſenſibilis.

Quod ſi daretur alius in natura circulus æquè certus, ac evidens Æquatorem orthogonaliter ſecans, Terræ globus procul dubio dici poteſt naturaliter ſectus ab illis duobus circulis in quatuor Quadrantes: ac natura nullum talem exhibet circulum, nec in Cœlo, nec in Terra. Quod enim dicitur per Inſulas Aſores, talem ductum eſſe à natura meridianum, ſub quo nempe acus magnetica dirigitur recta in Septentrionem & meridiem, id duplici ratione falſum eſſe deprehenditur. Primò, quia ex relatione Bartholemæi Schouten Batavi (qui totum Terræ globum circumgyravit) ſub longitudine 250 graduum, talis etiam detectus eſt meridianus, nec non alibi ex aliorum nautarum relationibus.

Secundo, quia jam obſervationibus conſtat certiſſimis, acum magneticam variare ſub ſingulis meridianis, nec cum ulla meridiana linea in horizontis plano ducta per exacta Aſtronomiæ præcepta, conſtantem habere convenientiam, aut inclinationem: ſed continuo quamvis lentè variabilem contra opinionem Gilberti Angli Lib. 4. cap. 3. unde jam probabilis eſt conjectura acum magneticam lineæ meridianæ applicatam mirabili & adhuc ignota virtute moveri reciprocè ab Occaſu in Ortum ad aliquam diſtantiam nullibi adhuc obſervatam, ſicque in ſingulis Terræ locis magneticam acum aliquando coincidere cum linea meridiana.

Nullum eſt igitur naturale fundamentum dividendi Terreſtrem globum in quadrantes: & quamvis daretur, tamen ſubdiviſio Ptolemaica ex illis inſtitui minimè poſſet, cùm nulla ſit ratio cur in parte Terræ Septentrionali, quadrans unus ſubjiciatur quibuſdam ſignis, quibus ejuſdem partis quadrans alter non ſubſit, quod ſint ita æquales ſitu, ut unus alterius reſpectu viciſſim Orientalis & Occidentalis exiſtat, amboque ſeſe æqualiter habeant ad ſingula Zodiaci ſigna. Idemque dicendum de Quadrantibus partis terræ Auſtralis. Neceſſario igitur rejicienda eſt Ptolemaica diviſio, & alia, ſi qua ſit, exponenda eſt.

Ad hoc autem notandum, quod cùm Sol ſit lucis, caloris, & vitæ fons, omniumque generationum Sublunarium cauſa principalis, Divina ſapientia ei duplicem motum excogitavit, quibus Terræ univerſa fertilis & habitabilis redderetur: nempe diurnum, & annuum, non enim diurnus Solis motus circa Mundi axem in aliquo Cœli puncto fixo ſufficiebat, quoniam eo puncto in quacunque Cœli parte poſito, nullam tempeſtatum viciſſitudinem toto Terrarum Orbe Sol effeciſſet; ſed ubique ſemper eandem aeris conſtitutionem: ſi ergo punctum illud in Æquatore fuiſſet, Terræ partes utrique polo ſubditæ, vehementiâ frigoris ibi perpetuo regnaturi prorſus incultæ, ſterileſque, ac proinde inhabitabiles forent, cum ex Olao Magno in ſuâ Septentrionis hiſtoriâ ſub Circulo Arctico ſtatim ab Æquinoctio Autumnali glaciês niveſque inci-

incipere ſoleant. Quanto igitur citiùs ſub polo Arctico? ſi verò Sol in aliquo partis Cœli Auſtralis puncto fixo collocatus fuiſſet, ob cauſas ſupradictas, major ſub Boreali polo pars terræ inculta, & inhabitabilis remanſiſſet: ſimiliſque ratiocinatio facienda eſt de Terræ partibus polo Antarctico ſuppoſitis. Neceſſarius igitur fuit alius Solis motus eidem proprius, quo ab Auſtrali ad ſeptentrionalem Cœli partem reciprocè delatus, calorem, & temporum viciſſitudines toti Terræ diſpenſaret.

Si autem motus hic ſub Æquatore, aut huic parallelo circulo aliquo fixus fuiſſet inſtitutus, eadem quæ ſuperiùs, incommoda fuiſſent ſubſecuta; ſi verò ſub circulo magno per Mundi polos tranſeunte, adhuc majora ſequerentur. Sol enim Zenith omnium incolarum terræ permeans, ac ſingulos ipſius Terræ parallelos nimio calore urgens, cùm ad Mundi partem Borealem aſcendiſſet, poloque appropinquaſſet, Tellus ſub polaris diuturniore morâ Solis in vertice quaſi immobiliter hærentis conflagraſſet, dum pars Auſtralis, ac ea præſertim, quæ polo ſubjacet, ob diuturniorem moram Solis abſentis maximéque diſtantis algorem paſſa eſſet intenſione, & duratione intolerabilem, nec iidem incolæ Solis verticalis diuturno ardori, ejuſque tam longæ abſentiæ aſſueſcere potuiſſent. Erat igitur ad Planetarum & præſertim animalium vitam nutritionemque neceſſarium, Solis motum proprium ſub aliquo circulo conſtituere, qui, ut jam ſupra dictum eſt, Æquatori, vel Mundi axi obliquus eſſet. Verùm cur Deus obliquitatem illam inter Æquatorem, & Mundi polos non effecit mediam ſeu 45 graduum, cùm media minuiſſet calorem ſub Æquatore, auxiſſet verò ſub polis, quod toti Terræ convenientius, imò neceſſarium fuiſſe videtur? At ſaltem Philoſophis ſumma inde ſapientia Dei Sole ipſo clariùs elucebit. Ut enim ab aſſuetis non fit paſſio, ita ab inſuetis paſſio major & à viciſſitudine exceſſus utriuſque contrarii, nempe caloris, & frigoris in eodem ſubjecto, hujus celerior corruptio. Cùm ergo poſitâ obliquitate viæ Solis, Terræ partes ſubpolares pluſquam per anni dimidium priventur calore Solis, eique propterea minùs aſſuetæ ſint, quàm cæteræ: Tunc verò urgeat in ipſis intenſiſſimum frigus cui aſſueſcunt; ſi Sol ad mediam inter Æquatorem, & polos diſtantiam aſcenderet, tunc radiorum virtute & continuâ ſuper horizontem morâ longè majorem calorem effunderet, quàm locorum illorum viventia calori non aſſueta ferre valerent; quandoquidem Olaus Magnus initio Lib. 13. Hiſtor. Septent. refert in pleriſque agris Weſtrogothorum, Hordeum ſpatio 36. dierum à ſemine projecto maturum colligi. Reliqua verò ſemina in principio Maji projecta circa medium Auguſti ad meſſem eſſe parata. Fuit ergo viæ Solis obliquitas illorum virtuti paſſivæ, propagationis, & conſervationis gratiâ ſic proportionanda, ut neque Sol ab eis nimiùm recederet, nec ad eos nimiùm accederet, quæ proportio in Eclipticæ obliquitate 23 gr. 30′. reperitur, ſicque motibus diurno & annuo Solis mediantibus, Terra ubique fertilis, & habitabilis extat. Ut enim diurnus ſine annuo non ſuffeciſſet, ita annuus ſine diurno non ſufficeret. Eſſet enim in toto Orbe unicus dies, & unica nox in anno veluti ſub polis; inſuper autem Sol quaſi fixâ ſuper horizontem morâ, terras viæ ſuæ ſubditas conflagraſſet Zenithalis, quas in Cœli parte oppoſitâ frigori per diſtantiam maximam intenſiſſimo, diutiùs expoſitas reliquiſſet. Prætereà quod proprii motus Solis periodus facta ſit 365. dierum 6. horarum, non autem major, aut minor, id etiam Divinæ Sapientiæ argumentum eſt; non enim breviore opus erat, cùm hæc ad terræ fructus ſuppeditandos pro animalium nutritione ſufficeret: duplo autem vel triplo longior non ſuffeciſſet: aliáque Terræ loca nimiâ ardoris diuturnitate oppreſſiſſet, dum oppoſita nimis diurno frigore, viventibus fuiſſent intolerabilia. Summâ ergo veneratione dignam ſupremam illam, ſapientiſſimamque mentem, quæ ſingulis Terræ partibus adeo ſapienter providit, ut ſapientiùs impoſſibile ſit, ipſorum etiam Cherubinorum judicio, qui Divinam Sapientiam adorant in ſuorum operum perfectione.

Quoniam verò generationibus, & Sublunaribus effectibus omnibus abſolvendis (quorum maxima eſt diverſitas) Sol ipſe non ſufficiebat: idcirco ſunt ei dati aſſeclæ, ſive Satellites aut Miniſtri ♄ ♃ ♂ ♀ ☿ præter Lunam: qui quidem ſex Planetæ lucem Solis in hæc inferiora reflectunt, ſed diverſarum inter ſe ſunt naturarum, ac virium: atque tales, ut cum Sole quemcunque effectum natu aliter poſſibilem producere valeant. Idcirco quâ ratione duplex motus, & ſimilis obliquitas Soli fuerant aſſignata, eâdem etiam duplex motus, & ſimilis obliquitas reliquis ſex Planetis conveniebant, ut ſeptem ipſi rectores Mundi & effectuum Sublunarium cauſæ primariæ eâdem ſemitâ diverſis inter ſe motibus propriis inſtructæ incedentes, ſibique corpore & proportionatis diſtantiis diverſimodè occurrentes quemlibet naturalem effectum in his inferioribus poſſibilem in quacunque Terræ parte promovere valerent. Quia vero à majore ♄ ♃ ♂ ♀ ☿ & ☽, inclinatione ad polos nullum, ut in Sole exccedentiæ qualitatis periculum imminebat, eis idcirco ad ſuppolarium commodum fuit conceſſum Orbitarum ſuarum obliquitate ad Eclipticam divagari verſus polos, ab ipsâ viâ Solis, quantùm cuilibet neceſſe eſſe viſum eſt rerum omnium Sapientiſſimo Conditori. Ea autem Zona quæ in primo mobili divagationes includit utrinque, vulgo vocatur Zodiacus diviſus in 12 Dodecatemoria diverſarum virium, ut Lib. 14. Sect. 1. fuit à nobis expoſitum.

Quoniam igitur Deus Mundi hujus Omnipotens ac Sapientiſſimus Architectus, ideo Zodiacum vel Planetarum viam fecit obliquam Æquatori, ut ad Boreales & Auſtrales Terræ partes virtus illorum deferretur: eamq; virtutem pars Terræ Borealis à Zodiaci parte Boreali, & Auſtralis Terræ pars à Zodiaci parte Auſtrali efficaciùs excipere conſtat ex Lib. 9. Sect. 1. cap. 9. Inde deduci videtur, quod etſi tota Tellus toti Zodiaco in univerſum ſubjiciatur, & Cœleſtes mutationes in quavis Zodiaci parte contingentes, in quavis Terræ parte ſuum effectum ſortiri queant, ſaltem quoad influentias, quæ totum Telluris globum penetrant: Tamen Terræ pars Borealis, Borealibus ſignis Zodiaci, Auſtralis verò Auſtralibus potiſſimùm ſubjiciatur, tùm quoad Elementales qualitates, tum quoad influxus, ut ex eodem cap. 9. Lib. 14.

tùm cap. 7. Sect. 2. Lib. 14. nec non cap. 5. Lib. 10. colligere licet & experientiæ adaptare.

Duplicem hic igitur exponemus Telluris naturalem diviſionem, ſed dumtaxat univerſalem. Prima erit reſpectu Zodiaci: Secunda Paralellorum. Quoad primam, Terræ partes ſub Æquatore jacentes æqualiter ſubjiciuntur tàm Boreali, quàm Auſtrali Zodiaci medietati; quippe quòd ad utrumque ſeſe æqualiter habeant. At pars terræ Borealis etſi toti ſubjiciatur Zodiaco influentialiter, magis tamen, vel efficaciùs ſubjicitur Borealibus ſignis: idemque à ſimili dicendum de Auſtrali Terræ parte pro Auſtralibus ſignis.

Quod verò ad ſecundam attinet, hanc admiſit Ptolemæus Lib. 2. Quatrip. cap. 1. etſi non integram: ipſa enim nihil aliud eſt, quàm Terræ in 5 Zonas diviſio reſpectu caloris & frigoris, torridam nempe, duas temperatas, & duas frigidas. In Torridâ quæ eſt inter duos Tropicos ſunt homines magis uſti, corpore nigri, aut fuſci, capillo criſpi, ſtaturâ mediocres & graciles, temperamento calidi, ſicci, vel atrabilarii, moribus feri, ingenio ſubtili, ſed ſunt etiam ibi feræ peſſimæ, & ſerpentes omnis generis, ac aurum & argentum in illis locis abundat, ob copiam caloris metalla perfectè coquentis, & cunctæ gemmarum ſpecies, & aromata omnia. In frigidis, quæ ſunt à circulo Arctico, & Antarctico ad polos Mundi, homines ſunt colore fulvo propter frigus ingens, quod albedinem exurit, ut de Scythis ait Hippocrates Lib. de aëre, locis, & aquis: ingenio obtuſiore, motu tardi & ſtupidi, feriniſque moribus; ob frigus, ſolitudinem, & diuturniores tenebras. Ibi nulli ſunt Leones, Tygrides, Cameli, Elephantes, ut in Torridâ: ſed Alces Rangiferi crudeleſque Lupi, Urſi, & Gulones: ibique nullum naſcitur triticum, nullæ ſunt vites, nullumque aurum & argentum, ſed ferrnm, plumbum & metalla dumtaxat imperfecta. Denique in temperatis, quæ ſitæ ſunt inter Polares circulos & Tropicos omnia ſe habent medio modo in calore, & frigore, & reliquis; ſuntque homines corpore albi, ingenio, viribus, & animo cæteris præſtantiores: ibi generis omnis animalia reperiuntur, nec non Terræ fructuum, ſive in ſuperficie pro animalium, hominumque nutritione, ſive in viſceribus qualia ſunt metalla, & mineralia cujuſvis ſpeciei: ita ut hæ Zonæ ſint partes totius Mundi fertiliſſimæ, proindeque maximè cultæ, & habitatæ, præſertim verò ſeptentrionalis, in qua ſunt præcipua Mundi Imperia, atque regna, & vix pauciores homines, quàm in reliquis Terræ partibus ſimul ſumptis.

Nihilominus quia Elementalium qualitatum combinationes ſunt quatuor, juxta numerum & naturam Elementorum: atq; illas in globi Terreſtris ſuperficie dari neceſſe eſt: ſic ipſe globus juxta rei veritatem accuratiùs mihi videtur dividendus. Ut nempe Zona torrida ſit calida, & ſicca, proindeque naturæ igneæ. Zonæ ſive partes intra polares circulos, ſint frigidæ & ſiccæ, propriam Terræ naturam referentes. Zonæ verò temperatæ, in quibus prævalet humiditas, ſint rurſus dividendæ in duas partes, quarum unaquæque ſit 21 gr. 30′. latitudinis; ita ut parallelus 45 graduum diviſionem illam efficiat. Et pars à circulo Arctico ad hunc parallelum ſit frigida, & humida, & proinde aquea, frigus habens à viciniâ Zonæ frigidæ: pars autem à tropico Cancri ad ipſum parallelum ſit calida, & humida, ideoque aerea, quippe calorem à viciniâ Zonæ Torridæ participans; eſtque hæc pars totius Terræ nobiliſſima, & Imperiis clariſſima, in quâ etiam Adam factus creditur, & Chriſtus ipſe natus eſt. Ille verò parallelus à polo, & Æquatore æquidiſtans, jure temperatiſſimus Terræ tractus cenſebitur: cujus ratione, ut Cardanus Mediolanum ſuam patriam plurimùm extollit: Sic mihi Lugdunum & Francopolim patriam meam ipſi parallelo adhuc viciniorem, quàm Mediolanum commendare licet, Terræ facilitate, ac incolarum formâ, ingenio, probitate, & generoſitate: idemque judicium eſto de Auſtrali Zonâ temperatâ.

Correſpondet autem diviſio hæc non ſolùm naturæ, ſed etiam ordini Elementorum. Quippe Zonæ frigidæ, quæ qualitatibus verè terrea eſt, adjacet aquea, & huic aerea, & huic denique ignea, nempe torridæ pars dimidia ejuſdem lateris, vel è converſo.

Ex his verò ſequitur, quod qui ſiccas Terræ partes incolunt, torridam nempe, & frigidas, ſint brevioris ſtaturæ, & graciliores, ob ſiccitatem illis in locis prævalentem, imò brevioris vitæ: atque hi ſunt ingenio ſtupidi, ob frigus; illi acri, ob calorem, omnes autem feri ob ſiccitatem. Qui autem incolunt temperatas, ſunt procerioris ſtaturæ, & ſucculentiores ob loci humiditatem, maximè verò qui degunt à parallelo 45 graduum verſus circulum Arcticum, ubi propter frigidam, & humidam loci conſtitutionem corpora minùs exolvuntur, & cutis color albior extat: ſuntque ſylvæ & paſcua pluſquàm in aliis Terræ locis.

Quod verò ait Ptolemæus homines in oriente degentes animos habere magis maſculos & firmiores, eamque Terræ partem diurnam, virilem, & dextram eſſe exiſtimandam. Ad occidentem verò degentes effœminatiores eſſe, & molliores, eamque Terræ partem fœmininam, nocturnam, & ſiniſtram; id quidem verum eſt habitâ ratione poſitionum Terræ ad Mundi quatuor angulos ortum, occaſum, ſeptentrionẽ, & meridiem quorum primarius eſt oriens qui maſculinus dicitur, occidens verò fœmininus, ſed diviſiones Terræ in ſeptentrionalem, & meridionalem, vel in orientalem & occidentalem eſſe adeo generales, ut ex his ſolis nihil certi deduci queat pro particularibus Terræ locis: præſertim quòd Terræ pars eadem ſimul ſit orientalis & occidentalis, tum ſeptentrionalis & meridionalis reſpectu diverſarum, nulluſque in Terra ſphæricâ locus orienti, vel occidenti peculiariter aſſignetur. Hic adde quod Ptolemæus, qui vixit in medio Terræ ab ipſo diviſæ ignorare non potuit Europæ populorum ſibi occidentalium; quippe Græcorum, Romanorum, Germanorum, Gallorum, & Hiſpanorum audaciam & fortitudinem; quodque Græci & Romani, Orientales populos Aſiæ ſubjugarunt, ipſamque Ægyptum Ptolemæi patriam, nec non Africam: nunquam autem Aſia, vel Africa Europam ſubjugarunt: atque Hippocrates Lib. de Aer. Aqu. & locis fatetur, Aſianos eſſe timidiores, effœminatiores ac imbelles præ Europæis. Invictiſſimus tamen Tamerlanes Turcarum Imperatorem Bajazethum ad occaſum, & Chinarum

Impe-

Imperatorem ad Ortum debellavit, & captivos effecit in prœlio; unde conſtat Ptolemæum hæc potiùs odio Europæorum, quàm veritatis amore ſcripſiſſe. Atque hæc de Terræ diviſione generali dicta ſufficiant; ex quibus patet, vel niſi generaliter per illam definiendum de particularibus Terræ locis.

Caput IV.

In quo diverſi Nationum mores ex ſuis genuinis, & particularibus cauſis Phyſicis deducuntur: & qua ratione tantùm naturali, ſignis, & Planetis ſingula Terræ loca ſubjici queant, oſtenditur.

QUoniam cauſæ morum ſingularum gentium petitæ à Ptolemaicâ Telluris diviſione in ſigna Zodiaci cum ipsâ diviſione ſuperiùs refutata corruunt: Conſtat autem Nationes ſingulas ab aliis differre ingenio, moribus, legibus, & ritibus: hic videndum, an in Mundo aliqua hujus diverſitatis cauſæ reperiantur. Arbitror autem quátuor aſſignari poſſe, nimirum Terram ipſam, Solem, Zodiacum in ſignorum triplicitates diviſum, & Hominem terricolam: hoc autem capite agemus dumtaxat de Terrâ, Sole, & triplicitatibus, ſequenti autem de homine.

Quod ad Terram attinet, certum eſt alias ejus partes, eſſe Mari, vel ejus finibus adjacentes, alias montanas, & alias planas.

Qui circa Mare habitant, ut plurimùm navigationibus, & Mercaturæ, aut Pyraticæ arti dant operam ob loci commoditatem; ſuntque inconſtantes, ingenioſi, audaces, inſidioſi, deceptores, & aliquantum ferini. Subjiciuntur autem Lunæ pro navigationibus, & inconſtantiâ; Mercurio pro mercaturâ, ingenio & deceptione: tum Marti pro pyraticâ & feritate, nec non eorum ſignis.

Qui regiones montanas habitant, hi ex Hippocrate Lib. de aere, aquis & locis, ad laborem, & viriliter agendum à naturâ præſtant: iiſque feritas & immanitas non mediocriter connaſcitur, quippe ob ſiccitatem. Sunt enim ſicciore temperamento, & ratione aeris atque loci, & ratione laborum quos in ſuis negotiis aſcendendo, & deſcendendo perferùnt: ſubtili ſunt ingenio, ac vigiles, & acres ob aeris ſubtilitatem à frigore Hyberno & Sole Æſtivo: tum etiam corpore hirſuto, vegeto, & fortiter articulato; ſuntque etiam pertinaces, ad iram proclives, & bellis apti, quibus ex cauſis ♄ ♂ & ☿ conveniunt, eorumque ſignis.

Qui verò plana loca incolunt, atque ſalubria, hi ſunt magis ſanguinei, carnoſiores, formoſiores, molliores, ſegniores, voluptatibus indulgentiores, laboribus ineptiores, manſuetiores, liberaliores, diſciplinis aptiores, magiſque ingenui, in quibus cum ♃ ♀ & ☿ quadrant, & nonnihil cum Sole ac eorum ſignis.

Atqui inſalubria plana loca incolunt, qualia ſunt humidiora & ſtagnis, aut paludibus ſcatentia, hi cæteris ſunt humidiores, à pituitæ exceſſu ſtupidiores, ſegniores, ſomnolenti, timidi, pallidi, inculti, variiſque morbis, ſed præſertim catharris, & fluxibus obnoxii; atque ipſis ☽ & ♄ præcipuè dominantur; hoc eſt ſuos influxus iis faciliùs & efficacius imprimunt, præſertim verò Luna ex ſe humida.

Qui denique medio modo ſe habent inter ſupra dictos, quoad natale ſolum, hi etiam in corporis forma, temperamento, & moribus medium tenent. Nam ex Hippocrate Lib. ſupra citato textu 57. iuvenies ferè ſemper formas hominum, & mores regionis naturæ compares, quod eſt notatu dignum, inde enim ſequitur, quod ſi ♄ Luna ex ſignis præſertim aqueis alicujus temperamento præfuerint, qui in locis paluſtribus natus ſit, is multò humidior ab exceſſu pituitæ, ſegnior, ſtupidior, &c. tum fluxibus & catharris magis obnoxius erit judicandus, quàm ſi in altero loco, ac præſertim ſicco natus eſſet, eademque eſt ratio de cæteris.

Sol verò magnam quoque Telluris diverſitatem efficit ſuo ſitu in Cœlo, atque motu ad Mundi axem obliquo. Nam utramque terræ medietatem, Borealem ſcilicet & Auſtralem dividit à Polis ad Æquatorem in quatuor partes, quatuor Elementis naturâ reſpondentes, ut cap. 3. dictum eſt. Igitur in partibus ſuppolaribus frigidis, ſiccis, & melancholicis præſunt Luna, & ♄, eorumque ſigna, ſed Luna, & Cancer efficaciùs in Boreali parte, ac Saturnus cum ♒ & ♑ in Auſtrali. Sunt autem regionum illarum incolæ triſtes, moroſi, timidi, fraudulenti, ferini, malefici.

In Zonis ſequentibus, à circulis, ſcilicet polaribus ad parallelum inter polum, & Æquatorem medium, quoniam ipſæ ſunt frigidæ & humidæ, iis præcipuè dominantur Luna & ♀, eorumque ſigna; ſed Luna effieacius in Boreali, Venus autem in Auſtrali. Atque notatu dignum eſt, quod quia Luna potentior eſt in frigidis partibus ſeptentrionis, idcirco illarum regionum populi præ cæteris Terræ incolis Lunatici, etiam præ cæteris magiâ, præſtigiis Dæmonum, & incantationibus ſunt infames, & periculoſi: præſertim verò in polo Aretico ſunt viciniores, quod nempe Dæmon melancholicos & Lunaticos ſeducat faciliùs, nimirum ad timiditatem & ſuperſtitionem proniores. Diabolus enim Philoſophiæ peritiſſimus, in ſuo cultu promovendo, & perdendis hominibus, eorum propenſiones tum communes, tum particulares diligenter obſervat.

In Zonis ſequentibus ab illo Parallelo medio, vel 45 graduum, uſque ad Tropicos, quoniam ipſæ ſunt humidæ & calidæ, iis præcipuè dominantur Venus ♃ & Sol, ſed ♀ & Sol efficacius in Boreali, Venus autem & ♃ in Auſtrali. Idcirco hæ Zonæ ſunt totius globi temperatiſſimæ, fœcundiſſimæ, fertiliſſimæ, & in quibus hominum mores ſunt moderatiores, excultiores, & ad rerum geſtarum gloriam ac Imperium propenſiores, præſertim verò Borealis, in quâ verſantur domus & exaltatio Solis, nec non Apogæum ab initio Mundi ad ejus conſummationem.

In reliquis denique Zonis, nimirum à Tropicis uſque ad Æquatorem, quia ipſæ ſunt calidæ & ſiccæ, nec abs re vocantur torridæ, iis prædominantur Sol ♂ & ☿ cum ſuis ſignis, præſertim in Boreali; minus autem in Auſtrali, ubi Sol & ☿ ſolum habent jus triplicitatis, Mars verò in Auſtrali potens domo, exaltatione, & triplicitate, ſuam hic efficaciùs expandit feritatem, & malignitatem ob ſigna maligna ♏ & ♑, habent igitur harum Zonarum incolæ à loci naturâ, nec non à ☿ & ♂, quod ſint ingenioſi, aſtuti, deceptores, & maligni, præſertim

verò illi, qui Martem, aut ☿ in primâ domo habuerint in ſignis igneis; & eò magis, ſi conjuncti, quadrati, vel oppoſiti fuerint; ſimiliterque de reliquis Zonis harumque dominis ratiocinandum eſt. Nam quò plures cauſæ ejuſdem inter ſe naturæ conſpirant in eundem effectum, eò major, vel intenſior effectus neceſſariò producitur.

Denique pro Triplicitatibus, vide Cap. 8. Lib. 15. ubi reperies triplicitatem igneam cum ſuis Dominis ☉ ♂ ♃ præeſſe partibus Terræ orientalibus, præſertim verò Borealibus ob ♈ & ♌ in Boreali parte, Aëream cum ♄ ♀ ☿ partibus occidentalibus, præſertim meridionalibus; aqueam cum ♃ ☽ ♂ ſeptentrioni, & Terream cum ☿ & ♀ meridiei, ſed hæc diviſio nimium generalis eſt, ut habetur in fine cap. 3.

Porrò ſuperior locorum Terræ ſubjectio, reſpectu quorumdam ſignorum & Planetarum non eſt eſſentialis, ſed dumtaxat accidentalis diſpoſitio in ipſis locis ad unius ſigni, vel Planetæ potius quàm alterius influxum excipiendum, quippe quò patiens fuerit virtuti agenti magis contrarium, eò vim ipſam excipit difficilius: & aqua tepida potiùs calefit, quàm frigida.

Caput V.

Quod diverſa Terræ loca, vel horum potiùs incolæ, Planetis, & ſignis Zodiaci diverſis etiam ab hominibus per accidens ſubjiciantur, & quomodo.

VT hoc à nobis probetur paradoxum, nonnulla hic præmittenda ſunt.

Primum. Quod nullus homo naturâ ſervus eſt, ſed omnes liberi: tum quia liberum arbitrium eſt homini naturale, tum quia omnes homines habent unicum & eundem Patrem in Cœlo qui Deus eſt. Math. cap. 23. & unum in Terrâ, qui eſt Adam. At quia hominum alii ſunt ſapientes, hique pauci, alii verò inſipientes, ſive ſtulti, hique permulti, libertas autem per ſtultitiam & peccatum amittitur, unde Chriſtus apud Joannem cap. 8, *qui facit peccatum, ſervus eſt peccati:* Contingit inde, ut plurimi fiant ſervi. Porrò non modò æquum eſt, ſed etiam neceſſarium, ut inſipiens ſapienti ſubjiciatur, eique ſerviat. Quippe inſipiens ſe ipſum regere nequit, ideoque ſi ſibi ipſi derelinquatur, nec moderatorem habeat, belluinis cupiditatibus obtemperans, & ſe ipſum, & alios perdet. Quamobrem ipſi etiam melius eſt, ut ſapientis Imperio legibuſque ſubſit: unde non abs re dici ſolet, quod ſapienti lex non eſt poſita (quæ nihil aliud eſt, quàm vivendi modus rationalis, ſeu agendorum recta ratio) ſed ſtulto: idque confirmat D. Paulus, dum ait, lex juſto non eſt poſita; ſic ergo inter filios Noë, Cham, & inter filios Iſaac, Eſau propter ſuam ſtultitiam facti ſunt ſervi fratrum ſuorum: ſicque probabile eſt initio Mundi prava ſtultorum facinora, hominum ſocietati intolerabilia, occaſionem dediſſe ſapientioribus illos in ſervitutem redigendi & legibus ſubjiciendi, indeque Reſpublicas, atque Regna primam duxiſſe originem; naturâ quippe ſapientibus præfecturam inſtigante & ſubjectionem inſipientibus quadam rationali concordiâ legibus ſtabilitâ, quarum Authores, conſervatores, & executores ſunt ipſi ſapientes.

Secundum. Varia eſſe Rerumpublicarum genera ex Ariſtotele Lib. 4. Polit. cap. 7. quæ à Græcis vocantur Monarchia, Oligarchia, Democratia, & Ariſtocratia, à Latinis autem unius Imperium, paucorum Potentia, Status Popularis, & Optimatum Reſpublica: non enim ſylveſtres homines nullo rectore, nulliſque legibus paſſim adhuc errantes in Terrarum nobis ignotarum ſylvis, montibus, & deſertis ferarum more, Reipublicæ nomen merentur.

Tertium. Reges alios ſucceſſione, alios electione, alios tyrannide, vel invaſione ſupremam poteſtatem adipiſci, quam cum perpauci homines recta in Deum & ſubditos intentione queant perſeveranter exercere, ob tam excelſæ dignitatis ſplendorem, quæ præ cæteris Divinam Majeſtatem excellentiùs repræſentat, & hominum mentes frequentiùs ita excæcat honoribus, voluptatibus & potentiâ, ut etiam plures fuerint Reges, ac Imperatores, qui pro Diis haberi, imò coli voluerint, veluti de Nabuchodonozore in Scripturâ ſacrâ refertur: inde fit, ut perpauci reperiantur tanto honore per ſe ipſos digni, permulti verò indigni. Quamobrem præcepit Deus Samueli Lib. 1. Regum cap. 8. ut conteſtaretur contra Iſraelitas petentes Regem inſtar Gentilium, eiſque prædiceret jus Regum Gentilium in ſuos ſubditos, ut à ſuâ petitione deſiſterent. Quod nolentes tandem illis conceſſi ſunt Reges à Deo in punitionem, ut patet ex eodem cap. ac inter Reges 42, qui ſuper ipſos regnarunt tàm in Judâ, quam in Iſraël, tres tantùm boni recènſentur, Eccleſ. cap. 49. David, Ezechias, & Joſias, quorum tamen David ſuâ abutens authoritate adulterium, indeque homicidium perpetravit.

Quartum. Quòd ut Planetæ & ſigna Zodiaci differunt inter ſe naturis, & virtutibus activis, ſic varia Rerumpublicarum genera per ſe differunt ab invicem virtutibus ſeu diſpoſitionibus paſſivis. Quamobrem genus unum ab uno potiùs Planetâ, vel ſigno, quàm ab alio pati aptum eſt, vel uni ſubjici potiùs, quàm alteri.

His poſitis quoniam omne agens efficaciùs agit in propinquum, quàm in remotum, ſive diſtantiâ locali, ſive diſpoſitione paſſivâ, ipſumque paſſum ſibi, quantùm poteſt, adſimilat: hinc fit ut Monarchiæ Soli præſertim tùm ♂ atque ♃ ſubjiciantur, ſiquidem in Æthereo Mundo Sol eſt velut Monarcha reliquos Planetas illuminans, & ſecum circumferens. Hique tres Planecæ præſunt Trigono igneo, Sol domo, exaltatione, & Triplicitate, ♂ autem & ♃ dumtaxat domo & Triplicitate, unde deducitur etiam Monarchias magis eſſe à Sole, tùm à ♂ & ♃, idque confirmatur, tùm Aſtrologicis experimentis, quibus conſtat Solem ex perſonis frequentiùs ſignificare regias: tùm quia in parte Mundi Boreali, primæ ac præcipuæ erectæ ſunt, adhucque vigent Monarchiæ, quòd Solis influxus ſic in illâ parte potentior ob domum & exaltationem Solis in Zodiaci parte Boreali, nec ſolum viri potenter regnarunt in Mundi medietate ſeptentrionali, ſed etiam fœminæ heroinæ, quòd Luna habeat etiam in ipſâ parte ſuam domum, & exaltationem, præſitque Trigono Aqueo fœminino cum iiſdem ♃ & Marte; atque ad Solem, & Lunam refertur authoritas Imperii, ad ♂ robur: & ad ♃ Juſtitia, atque Religio; quæ ſunt primariæ partes artis regnandi. Qui igitur Reges habent

Solem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Solem, ♃ & ♂ feliciter conſtitutos in ſuâ Geneſi, ac eorum aliquem dominantem horoſcopo, vel medio Cœli, aut illis conjunctum, de Regno ipſorum fœlicia erunt auguranda, niſi quid aliud obſtet. Quod verò ad Oligarchiam attinet, quæ eſt paucorum potentia, & opibus eminentium dominatio, hæc ad ♄ præcipuè referenda videtur. Saturnus quippe benè affectus divites, ſapientes, graves, ambitioſos, & præfecturis idoneos efficit, ſed abſtractos & paucis communicabiles. At ſtatus popularis Lunæ præſertim ſubjicitur, quæ motu velociſſima, facie continuò diverſâ, & dominâ ſigni aquei, mobilis, & politici, popularem inconſtantiam non ſecus ac Maris fluxum, refluxumque excitat atque gubernat. Tandem optimatum Reſpublica Jovi præſertim tribuenda eſt, in quâ nempe juſtitia, prudentia, atque leges gubernant, quæ ſunt ipſius ♃ dotes. Mars autem ♀ & ☿ pro bello, voluptatibus, & artibus, ſingulis Reipublicæ generibus aliquando magis, aliquando minùs, aut plus uni quàm alteri favere deprehenduntur: hic ſiquidem noſtri eſt inſtituti primarios dumtaxat ſingulorum generum Rectores exponere.

Porrò conſtat ſingulas etiam Monarchias moribus, ac ritibus inter ſe differre, ac plerumque religione, cujus rei hæc à nobis affertur ratio: nam quia, ut ſuperiùs dictum eſt, omne agens ſibi quantùm poteſt, aſſimilat paſſum, vel in hoc ſuam naturam tranſmittit: Inde factum eſt, ut primi homines, qui in alios electione, vel tyrannide jus, atque dominium aſſumpsêre, ipſiſque leges præſcripsêre, vel in hunc finem urbes conſtruxerunt; ſinguli juxta naturalem ſuam propenſionem, propriumque genium à Cœleſti conſtitutione genethliacâ receptum, leges ipſas condidêre: idque fit adhuc ab his, penes quos eſt ſumma poteſtas: ſique id factum fuerit in regione, ubi calidior, frigidior, aut temperata aeris natura fuerit legi conſentanea, ipſa longè firmior erit: ſique rurſus lex illa ſub congruo Cœli ſtatu ab ipſo Rege fuerit promulgata, lex ipſa patens erit, difficilliméque mutabilis. Sic ergo Rex aut Legiſlator urbem, regionem, aut regnum Planetis & ſignis ſuorum morum, atque dignitatis ſignificatoribus ſubjicit: hæcque ſubjectio conſuetudine ita fit habitualis, ut ipſi urbi, vel regioni connaturalis evadat, dummodo nimis dura, incommoda, aut pernicioſa non exiſtat. Tunc enim ſubditi quantocyus queunt, tyrannidem à ſe excutiunt: violentia enim neque perpetua, neque diurna eſſe poteſt, præſertim apud homines naturâ liberos, qui tyranni, aut ignavi Regis Imperium diu ferre nequeunt: hæc igitur eſt meo judicio potiſſima ratio diverſitatis morum atque rituum inter ſingulares Terræ nationes. Quod enim alii ſunt nigrâ cute, alii albâ, alii olivaceâ, hoc tantùm pendet ab aëris temperaturâ, & ſitu regionis, ut ſuperiùs dictum eſt. Quod autem de Monarchiâ hic diximus, etiam de Oligarchiâ, Democratiâ, & Ariſtocratiâ proportionaliter intelligatur: quippe Legiſlatores omnes Solon, Lycurgus, Plato, & cæteri ſuis in condendis legibus proprium ſecuti ſunt genium, etiamſi omnes bonum publicum & rationem ſequendam ſibi propoſuerint. Nam neque boni, neque rationis eadem fuit apud omnes, ſed propria ſingulorum opinio. Legibus autem, ac moribus ſupra adjeci Religionem: quòd niſi Religio vera hominibus reveletur à Deo, hi vel ſuggeſtæ à Diabolo, vel efſictæ juxtà proprium genium, Martiale, Venereum, &c. ſeſe mancipant, ob eſſentialem mentis humanæ propenſionem ad cultum Divinitatis, & influentialem à proprietate domus nonæ in figura Natali hominis. Unde cùm hic omnem Religionem, vel à Deo, vel à Diabolo, vel ab hominis figmento ortum ducere dicamus, patet quod nullam Religionem ad aſtra primò & per ſe referamus.

Cæterùm, ut ex vero non niſi verum ſequitur, ita ex ſupradictis plura ſequuntur veriſſima.

Primum. Quot ſunt Legiſlatores, tot eſſe legum diverſitates, proindeque populorum mores communes, vel conſuetudines: quippe proprii cujuſque hominis mores à propriâ Geneſi, cum totius nationis communibus moribus minimè ſunt confundendi.

Secundum. Ex cujuſque gentis legibus, ritibus, vel communibus moribus deprehendi poſſe, qui præcipuè Planetæ ipſi Genti dominentur, ſiquidem præcipuè ſubjicitur Planetis, atque ſignis, quibus vis ineſt tales mores influendi, & Planetæ agunt juxta diſpoſitionem paſſivorum.

Tertium. Sub eodem parallelo, vel meridiano diverſos reperiri mores, atque ritus: ut ſub parallelo, vel meridiano Romæ: ſunt ex parte Boreali Germani, Dani, Norvegi, hæretici: ex parte autem Auſtrali, eſt Africa Mahumetana, omneſque moribus & ritibus diverſiſſimi. Sub ejus autem parallelo eſt Hiſpania, Canada, Virginia, California ad Occaſum: ad Ortum verò Aſia minor, ſive Natolia, Media, Perſia, China, populi inter ſe & cum Romanis religione, legibus, & ritibus etiam differentes. Nulli enim Principi hactenus conceſſum eſt, toti alicui parallelo, vel meridiano dominari, & quamvis hoc eſſet, tamen duæ aliæ cauſæ ſuprapoſitæ, quippe Terra & Sol ſuas efficerent morum diverſitates, ut cap. 4. dictum eſt.

Quartum. Communes populorum mores, vel inclinationes ſæpè mutari, vel per introductionem novæ Religionis, vel per invaſionem à tyranno: ut patet ex populis à Turcâ & Hiſpaniarum Rege ſubjugatis, vel per Veterum legum in eodem regno abrogationem, novarumque introductionem, vel per virtutes, aut vitia Regis, vel eorum, qui clavum Reipublicæ tenent: ſi enim regnum aliquod conſpexeris, in quo iniquitas, injuſtitia, furta, cædes, rapinæ, proditiones, aliaque ſcelera paſſim erumpant, impuneque graſſentur; ſtultus ſanè fueris, ſi hæc ab aliquo Planetâ, vel ſigno Zodiaci oriri dixeris, cui regnum ipſum peculiariter ſubjiciatur, nam tale eſt & fit quodlibet Regnum (ſaltem generatim) qualis fuerit Rex voluntate, aut permiſſione juxta Proverbium.

Regis ad exemplum totus componitur Orbis.

Ac ſi Rex fuerit ferè juſtus virtutem remunerando, & ſcelera puniendo, qualis præ cæteris fuiſſe fertur invictiſſimus Tamerlanes: aut tales ſaltem fuerint præcipui ejus Miniſtri; ſubditi etiam inter ſe juſti erunt, virtutiſque ſtudioſi: tum ſpe præmii, tum formidine pœnæ, tum exemplo Regis, cujus præcipuum munus eſt non

quidem imperare, vel dominari, ſed ex D. Paulo ad Rom. cap. 13. *eſſe Miniſter Dei in bonum ſubditorum*, ac eſſe ſubditis exemplum virtutis, ut fuit Chriſtus Rex Regum & Dominus dominantium, nec non prototypus cæterorum Regum juxta illud Axioma Philoſophicum, *in unoquoque genere datur aliquod primum quod eſt norma reliquorum.* At ſi ſubditos publicis latrociniis exhauriri patiatur, hos etiam eâ ratione ad latrocinia, fraudes, in cunctis mercibus deceptiones, omnemque nequitiam excitabit. Quod ſi adulationibus Rex delectetur, aut præcipuus ejus Miniſter, fient Poëtæ, & Romaniſtæ innumeri, totaque Gens illa mendax, ſpe lucri excitata certatim aut Regem, aut Miniſtrum ſupra omnes titulos, omneſq; Cœlos evehet, falſiſque encomiis & prædictionibus bonorum futurorum dementabit, actuſque omnes approbabit, laudabitque. Eademque eſt ratio de cæteris virtutibus & vitiis Principum, vel eorum qui Reipublicæ præſunt.

Ex quibus patet, quàm frequenter per homines ipſos, qui Reipublicæ præſunt, mores communes populorum mutentur: unde ſequitur, hujuſce generis mores, qui à Regum vitiis, aut virtutibus oriuntur, non altas hominum animis radices infigere, ſed eſſe tantùm Regi cuilibet, vel ejus Miniſtris contemporaneos, præſertim ſi illis ſucceſſerint alii moribus contrarii, ut proinde non abs re dici queat, totum Regnum cujuſlibet Regis, vel ejus Miniſtri fato, ſive Cœleſti conſtitutioni ſubjici: non ſecus ac Exercitus ſubeſt fato Ducis; qui ſi fuerit à Geneſi bello fortunatus, tempore prœlii vincet, ſi infœlix, vincetur, & Exercitum perdet: eadem eſt ratio de Navarchâ & ſimilibus; ac per conſequens ex Principis, vel Miniſtrorum natali conſtitutione conjici poſſe de futuris in regno mutationibus, & bonis, aut malis eventibus. At mores qui cauſantur ex parte Solis atque Terræ, ii ſunt firmiores, quòd cauſas, ut ſic habeant perpetuas atque immutabiles; quamvis nihilominus interdum varientur ab hominibus qui nationi dominantur, vel novas leges condunt, vel extraneorum Colonias inducunt. Ad accuratiorem verò generalium effectuum notitiam, omnes ipſæ cauſæ conjunctim perpendæ ſunt.

Hoc tamen notatu dignum videatur: quod Hiſpani, quocunque Rex ipſorum ſuas mittat Colonias, ad ortum, vel occaſum, meridiem vel ſeptentrionem, ſunt ibi ſemper Hiſpani, hoc eſt ſuperbi, arrogantes, imperioſi. Et Northmanni, quoniam à genre perfidâ originem ducunt, fraudis & perfidiæ vulgò inſimulantur. Vaſcones verò jactantiâ ſunt importuni: adeò ut ſi in Vaſconis, vel etiam Hiſpani figurâ Genethliaca ſigna jactantiæ deprehenderis, & æqualia ſigna figurâ Northmanni, dabis Vaſconi, vel Hiſpano libram unam jactantiæ pro unciâ unâ Northmanno. Hi autem mores in natione aliquâ perpetui ortum habent à primâ ipſius Nationis fundatione ſub Imperio, vel regimine Ducum, quibus mores hi fuêre proprii, quique Genti ipſi communes facti ſunt, & habituali ſucceſſione connaturales à longa ſucceſſione Ducum iiſdem moribus affectorum: concurrente præſertim Terræ atque Solis efficientiâ congruâ & ſtabili, ut ſuperiùs fuit expoſitum.

Atque hæc de Terræ diviſione reſpectu Planetarum & ſignorum Zodiaci juxta mentem noſtram dicta ſufficiant.

SECTIO II.

De Corporum Cœleſtium mutua inter ſe actione, anque inde patiantur Sublunaria.

Caput I.

An Corpora Cœleſtia invicem agant influentialiter.

HAſce quæſtiones hactenus à nemine (quod ſciam) propoſitas diſcutere placet, nequid in hac Divinâ Scientiâ intactum à nobis relinquatur, poſteriſque ſaltem cauſam præbeamus, circa illas rectiùs ſubtiliuſque Philoſophandi, ſi potuerint.

Quoniam igitur à nobis oſtenſum eſt Lib. 12, Sect. 1. & 2. duplicem ineſſe corporibus Cœleſtibus vim univerſalem agendi, nimirum per influentias, & Elementales qualitates: erit hoc Capite primo inquirendum, ac definiendum, an ipſa corpora in ſe viciſſim agant influentialiter, hoc eſt ſe ſuis influentiis formaliter, ac inhæſivè inficiant.

Quod verò talis non detur actio, ſic oſtendi poteſt. Aut enim Planetæ, & ſtellæ fixæ ſuas influentias ſibi reciprocè tranſmitterent per lineam ſimplicem emiſſam ab uno aſtro ad alterum, qualiter magnes ſuam ferro formaliter vim communicat: aut per Planetæ agentis ſitum in Cœlo, vel ſpatiis domualibus, reſpectu Planetæ patientis, quod eſt influentiarum maximè proprium ex cap. 5. Sect. 2. Lib. 12. Primum autem dici nequit, nam ſi Planeta unus ſuâ influentiali virtute alterum inficit, ut Magnes ferrum: ergo ſic Planeta quilibet infectus formaliter erit ſingulorum Planetarum atque ſtellarum influentiis, ſiquidem influentiæ ſunt invicem compatibiles in eodem ſubjecto etiam corruptibili, ut homine, quòd nempe ſibi non contrarientur: imò qualitates contrariæ in eodem ſubjecto ſeſe compatiantur: ſic verò nullius Planetæ influentialis natura propria nobis innoteſceret, ob perpetuam naturarum miſcellam in quolibet, non ſecus ac in panno plurium colorum miſcellâ tincto, proprius lanæ color diſcerni nequit. Etenim cujuſque rei natura ex ejus operatione, vel effectu innoteſcit: at effectus, qui nobis videtur eſſe à ♂, forſan eſſet à virtute, vel influentiâ ♃, aut ♄, aut ☽: præſertim quòd influentia ☉ in ♄, poſſit propriam ♄ vim influentialem ſuperare: hoc autem contrariatur Aſtrologorum experientiis, qui proprios ſingulorum Planetarum influxus & effectus facilè diſcernunt. Non ergo Planeta unus aliorum, vel fixarum influentiis formaliter inficitur. Nec dici poteſt Lunam aut ♀ pati ab influxu ☉ aut ♄, non autem per ipſum agere in hæc inferiora: nam ut ferrum calefactum calefacit, & infectum vi magneticâ trahit: ſic ☽ aget per receptam influentiam, ut per lumen, & calorem ☉ illuminat, & calefacit, & ipſe homo juxta propriam conſtitutionem natalitiam, hoc eſt, receptas in nativitate influentias naturaliter operatur: inducendo etiam alios homines ad furta, ſi fuerit ipſe ad furandum propenſus à natura; vel ad homicidia, ſi fuerit occiſor; vel ad adulteria, ſi fuerit adulter; vel ad pietatem, ſi pius fuerit, &c. juxta proverbium,

cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

cum bono bonus eris, & cum perverſo pervertêris; ſiquidem qualitates ex ſe activæ in nullo ſubjecto, cui formaliter inhærent, ſunt otioſæ, præſertim ſi ſubjectum fuerit agens neceſſarium, ut Sol & Luna, non autem liberum, ut homo, qui per liberum arbitrium, poteſt ipſi naturæ, vel naturali propenſioni reſiſtere. Non igitur Planeta unus alterum, ut ſupra formaliter afficit influentiali qualitate.

Quod autem ſecundum etiam dici nequeat, ſic probatur. Nam ſitus agentis Planetæ in Cœlo intelligendus eſt de Cœlo diviſo in partes diverſæ naturæ per determinationem: qualiter reſpectu Terræ diviſum fuit in duodecim Dodecatemoria diverſæ inter ſe virtutis. At initio Mundi nulla talis diviſio facta fuit, vel convenienter fieri potuit reſpectu Planetarum; fieri enim debuiſſet, vel ab unico Planetâ, vel à ſingulis reſpectu aliorum, ut Lib. 4. cap. 4. 5. 6. diximus factam fuiſſe à Sole reſpectu Terræ. Poſteriore modo maxima inde orta fuiſſet confuſio virtutum Cœli diviſi pro quovis Planeta. Priore verò quoniam ille Planeta non fuit initio Mundi in eodem Cœli loco reſpectu aliorum Planetarum: ergo ſingulis Cœlum fuiſſet diverſimodè dividendum, quæ rurſus magna confuſio extitiſſet: ſic enim eadem Cœli pars Planetis ſingulis fuiſſet naturarum diverſarum, & ſignum, quod uni Planetæ fuiſſet Joviale, fuiſſet alteri Saturninum, ob inchoatam diviſionem pro quolibet Planeta à diverſo Eclipticæ puncto deſignato per lineam ductam à centro Planetæ dividentis Cœlum ad centrum Planetæ, cui Cœlum dividitur. Ac prætereâ Cœlum reſtitiſſet indiviſum pro dividente Planeta. Nam qui dividit, non dividit reſpectu ſui, cùm ſui reſpectu non habeat diviſionis initium, ſed dividit alterius reſpectu, ut dum initio Mundi Sol Cœlum diviſit reſpectu Terræ, ab interSectione Vernali Eclipticæ, & Æquatoris, ſub quâ Sol fuit reſpectu Terræ in ipſo Mundi exordio. Planetæ autem agentis ſitus in ſpatiis domualibus reſpectu Planetæ patientis, etiam admitti nequit; quia diviſio Mundani ſpatii in duodecim domos, vel ſignificata vitæ, divitiarum, fratrum, &c. adeò eſt hominis propria, ut nulli Planetæ, vel globo Mundano ſecundum ſe totum, aut ſui partes ſpectato convenire queat. Imò nec generalior diviſio in ortum, vigorem, declinationem, & interitum: cùm nec ullus globus Mundanus, nec ulla ejus pars illis mutationibus per ſe ſubiit, ſuntque omnes Planetæ coævi, atque in ſui productione ab invicem independentes: quod dici nequit de corporibus reliquis, quæ ſubinde generantur: hæc enim in fieri, conſervari, agere, atque dirigi pendent à Planetis. His adde quod cùm ♀ circa ☉ revolvatur, pars ♀ Soli obverſa ſemper haberet Solem in decima domo, aut propè: pars oppoſita illum ſemper haberet in quarta, pars ab illis quadrante diſtans eundem ſemper haberet in horoſcopo, vel ſeptima aut propè has: & ſic de aliis, quod etiam intelligendum venit de ♄, ♃, ♂, & ☿ qui circa Solem ipſum revolvuntur, ſupponendo quod hi Planetæ ſicut Luna, circa propria centra non turbinent: undique igitur probabilius videtur, quod Planetæ in ſe mutuò non agant influentialiter, quod multò magis de Planetis, & fixis inter ſe, tùm ſolis fixis inter ſe venit intelligendum.

Objicietur primò. Planetas ſingulos ſuas in Telluris globum influentias effundere, eaſque in ipſo globo formaliter recipi: ergo etiam Jovem, aut Lunam aliorum Planetarum influentias formaliter recipere.

Reſpondeo, Planetarum influentias per totum Mundum effuſas recipi in ipſis Elementis, Terrâ, Aquâ, Aëre, Igne, & Æthere, ut in ſubjecto effuſionis, non autem ut in ſubjecto inhæſionis, proindéque formaliter: non ſecus ac lux & vis magnetica non recipiuntur in aëre, vel vitro, ut in ſubjecto inhæſionis, ſive formaliter, ſed tantùm ut in ſubjecto effuſionis. At rerum generabilium ſemina, vel corpora viventia in Elementis contenta, recipiunt formaliter ipſas influentias, ut alibi dictum eſt, fuſiuſque infrâ exponetur: ſicque ad ſummum per accidens dici queunt influentiæ recipi formaliter in Elementis ſeminum matricibus. Ut igitur aër non dicitur propriè fieri lucidus à luce, quia aer etiam illuminatus non lucet, ſic Saturnus non fit à Sole formaliter Solaris, etſi influentia Solis in Saturnum effundatur, nec à Luna, Lunaris. Homo autem fit à Sole formaliter Solaris naturæ, vel qualitatis, ſi Sol in ipſius hominis Geneſi fuerit in prima domo, vel hujus Dominus.

Objicies ſecundò. Aſtrologos erigere figuras Univerſales reſolutionum annuarum Mundi, & Lunationum, pro ſingulis Terræ locis, ex quibus judicant de his, quæ ipſis in locis futura ſunt, non ſolùm inter homines, qualia ſunt bella, pax, hæreſes, peſtes, ſed in aere, aquis & terrâ, qualia ſunt pluviæ, nives, grandines, tonitrua, fulgura, diluvia, ſiccitates, ſterilitates, terræmotus, &c. ergo influentiæ recipiuntur formaliter, & inhæſivè in aere, aquis, & terrâ, quandoquidem hæc influentialiter talia patiuntur: idque ex eo confirmatur, quia quæcunque accidunt virtute figuræ Cœleſtis, accidunt influentialiter, etiam ipſa hominum temperamenta, & effectus Aſtrorum in aere per aſpectus, quos Jo. Francus Offuſius ad Elementales qualitates reducere non potuit: tùm portarum apertiones apud Aſtrologos notiſſimæ, ad influentias neceſſariò referendæ ſunt.

Reſpondeo primò. Diſparem eſſe rationem de Terrâ & Planetis: quia erigi quidem poſſunt figuræ Cœleſtes pro Terræ locis, non autem pro Planetis ob confuſionem diviſionis Cœli in ſigna Saturnina, Jovialia, &c ſupra poſitam, quæ ſimilem Dominorum figuræ confuſionem pareret. Nam in figuris Univerſalibus pro Tellure, fiunt judicia ex dominis Cardinum, nec non Solis, Lunæ & cæterorum, idemque dominium etiam præcipuè ſpectatur in apertionibus portarum. Prætereà quæ ſuperiùs dicta ſunt de Venere & Sole pro domibus figuræ, ejus conſtructioni in Veneris globo illuderent.

Reſpondeo ſecundò. In conſtitutionibus tàm univerſalibus, quàm particularibus præter Elementales qualitates Aſtrorum effundi quoque influentiales: atque earum concurſum ad punctum Mundani ſpatii, pro quo figura erigitur, recipi ab his quæ ſunt in illo puncto, penes ſuam aptitudinem, recipiuntur enim & agunt ad modum recipientis, ideoque nec idem, nec eodem modo in omnibus & ſingulis efficiunt. Quippe qualitates Elementales, calor, frigus, humiditas, & ſiccitas recipiuntur formaliter & inhæſivè in omnibus ſubjectis elementaliter alterabilibus, at influentiæ tantùm in influentialiter alterabilibus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

qualia ſunt rerum ſemina & corpora viventia in Elementali regione degentia: aliud autem efficiunt in ſimilibus, aliud in mineralibus, aliud in Planetis, aliud in brutis, & aliud in homine, veluti Sect.4. fuſiùs exponetur. Neque per Mundani ſpatii punctum, intelligitur punctum Mathematicum, ſed Phyſicum, qualis eſt Civitas, vel Regio, cujus reſpectu Cœli figura exigitur pro detegenda qualitate concurſus virtutum Cœleſtium.

Reſpondeo tertiò. Aeris conſtitutiones, diluvia, peſtes, &c. eſſe primò & per ſe ab Elementalibus Planetarum qualitatibus, tùm extrinſecis, tùm intrinſecis, licet per accidens ſint etiam ab influentiis ratione dominii Planetarum in figurâ Univerſalis conſtitutionis. Quod ex eo probatur, quia quicunque ſit Planeta figuræ Dominus, is juxta ſuas & ſigni quod occupat elementales qualitates operabitur circa prædicta: ut ſi fiat Novilunium in ♒ & ♄, Novilunii dominus fuerit in ♓, frigora, & pluviæ, aut nives à ♄, in ſigno Aqueo ſignificabuntur, atque ſic ♂ dominus Horoſcopi facit temperamentum calidum, & ſiccum, ſed per qualitates ſuas elementales: & ita de reliquis, ut alibi oſtenditur. Jam verò pro Planetarum globis, dominia, & ſignorum Trigoni ſine confuſione ſtabiliri nequeunt, præſertim ſi diviſio Cœli in ſigna fiat à Planetis ſingulis, pro Planetis ſingulis: quandoquidem diviſio ab unico Planeta pro ſingulis reliquorum ſine confuſione fieri nequit: non igitur Planetæ in ſe mutuò formaliter agunt per ſuas influentias, indeque deducitur nullos in ipſis globis eſſe incolas corporeos ſaltem ſenſu præditos, quod hi ab Aſtrorum influentiis non confusè, ſed regulariter gubernari deprehendantur in globo Terreſtri.

Objicies tertiò. Maris fluxum, atque refluxum ex nobis eſſe ab influentia Lunæ: ergo hæc influentia reciditur formaliter in Elemento Aquæ, in ipſoque Luna agit influentialiter; ergo eadem influentia recipi poteſt in alio Planeta formaliter.

Reſpondeo, virtutem peculiarem, qua Luna movet Oceanum non eſſe influentiam propriè dictam à nobis definitam Lib. 7. cap. 28. Sect. 3. quod ita definitio convenire nequeat illi virtuti Lunæ, quæ Mare ſemper eodem modo, ſtatiſque temporibus movet juxta vim radii magis, aut minùs perpendicularis: igitur tantùm vocari poteſt influentia, juxta ſecundam definitionem à nobis ibidem traditam; nec ſequetur hanc influentiam recipi poſſe in aliis Planetis formaliter, quia vis magnetica quæ formaliter recipitur in ferro, non recipitur formaliter in ligno, ita ut lignum polleat vi magnetica, ſicut ferrum magnete illitum.

Objicies quartò. Saltem Dodecatemoria in Planetas agere influentialiter, præſertim in ſibi ſuppoſitos, cum ipſa influentialiter in Tellurem agere conſtet.

Reſpondeo, id multò minùs fieri poſſe: tùm ob rationes ſuperiùs dictas de Planetis inter ſe, tùm quia quilibet Planetarum eſt primum principium agendi in ſuo genere: Mars Martialiter, Sol Solariter, ideóque ſic actuatur à propriâ formâ & influentiâ, ut alienæ ſit incapax, non ſecus ac ignis igne remanente eſt incapax frigoris: tùm maximè quia nulla eſt actio ſine paſſione, nec paſſio ſine receptione. Jam verò Planetas nihil à ſignis recipere, Sectione ſequenti fiet evidentiſſimum. Quod verò aſſumitur Dodecametoria in Tellurem agere influentialiter, id negandum eſt, ſi intelligatur formaliter.

Caput II.

An Corpora Cœleſtia invicem agant Elementaliter.

QUæſtio hæc Ariſtotelicis æruginoſam bilem commovebit, quippe arbitrantur nefas eſſe qualitates Elementales in corporibus Cœleſtibus formaliter admittere: at quia utrumque propriis locis jam probavimus, Solemque eſſe globum igneum, vel accenſum, hic ſupereſt aſſerendum corpora ipſa in ſe invicem agere qualitatibus formaliter Elementalibus, ſaltem intra peripheriam Orbis ſuæ virtutis, qualiſcunque ſit inter eos configuratio: proindeque Solem non modò illuminare, ſed potenter etiam calefacere Planetas reliquos, quandoquidem Terram hanc remotiorem quàm ☽ ☿ ♀ & ♂, tùm ex ſe frigidam vehementer calefacit, ipſique Planetæ ſunt corpora denſa & opaca, non ſecus ac Terra, ut conſtat ex Lunæ & Veneris phaſibus conſpicuis, nec non umbris Montium Lunæ. Talis autem calefactio ſic evidentiùs probabitur, nam ſola nubes cohibet, calorem Solis ne ad nos uſque radiis ardentibus effluat, & Sol oriens non acciderit per ſpeculum concavum ob interpoſitos vapores circa horizontem, ut experientiâ conſtat, unde ſequitur quod etſi pars aliqua ipſius caloris nubem penetret, tamen pars ejus major ab ipſa nube, vel aqua, aut glacie, quas ſuſtentat, ſurſum repercutitur pro modulo denſitatis ipſius nubis; ita ut verum ſit aſſerere calorem Solis ad nos emiſſum primò repercuti à nubibus, ſecundò à ſuperficie Terræ, tandemque ultimò ab ipſius Terræ tertia Regione, ut à nobis dictum eſt Lib. 3. Sect. 1. cap. 7. ipſe verò calor circa nubes cohibitus pluviæ, coruſcationis, tonitrui & fulguris per ſe, aut per accidens ſæpè ac diverſimodè cauſa exiſtit, ut proprio loco exponetur: ſi ergo ſola nubes Solis calorem cohibet & repercutit, quantò magis corpora Planetarum denſa & opaca (ut jam ex ☽ & ♀ notum eſt) eundem calorem ſiſtent atque repercutient? hoc ſanè patet in totalibus ☉ Eclipſibus, dum ☽ corpus Solis calorem totaliter cohibens ſuum frigus liberiùs ac ſenſibiliter effundit in hæc inferiora, ut alibi diximus. Cæterùm quod Luna non modò calorem Solis repercutiat, ſed ipſa etiam calefiat ad aliquam ſaltem corporis ſui profunditatem, inde probatur, quòd calor ipſe Solis, Terram hanc, & rupes, & muros, & metalla, & quævis alia quantumvis dura ſolidaque ad aliquam ſaltem profunditatem penetret, cur non igitur Lunam præſertim refertam cavitatibus ingentibus, ubi calor Solis tanquam in vaſtis fornacibus cumulatur, quandoquidem Luna nobis apparet, ut ſpongia, vel pumex, ac ejus naturalis ſitus in æthere, teſtatur eam eſſe leviorem, proindeque minus denſam atque duram, quàm ferrum, aurum, vel Terra noſtra?

Jam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Jam verò ſi ☉ Lunam calefacit, ergo iiſdem rationibus cæteros Planetas calefaciet, ipſumque ♄ ob igneum, intenſiſſimumque Solis ipſius calorem, qui etiam ſupra ♄ potenter vibratur à corporis Solaris magnitudine: tum quia probabile eſt ipſos Planetas Lunæ inſtar eſſe excavatos: at propinquiores Planetas potentiùs calefaciet, alioquin ageret ad infinitam diſtantiam, nec non eundem quoque Planetam efficaciùs, quò huic ille vicinior fuerit.

Porrò quoniam ſola nubes denſior majorem caloris Solaris partem ſiſtit, ac Luna in totalibus Solis Eclipſibus eundem ex toto cohibet, hinc fit ſatis manifeſtum, quod ſi calor Solis non penetrat totum corpus Lunæ Planetarum minimæ, multò minùs reliquos Planetas totaliter penetrabit, ſed ut Terram noſtram ad aliquam tantùm profunditatem penetrat, ita Lunam & Planetas reliquos ad aliquam tantùm diſtantiam penetrabit. Quod tamen non obſtabit quin per proprias qualitates Elementales agere queant, non ſecus ac Terra etſi à Sole calefacta, ſuum frigus in aerem undique ſpargit. Quamvis autem Sol omnes alios Planetas calefacere queat, ipſe tamen à nullo frigefieri poteſt, quia totus eſt ignitus, at ♄ & ☽ poſſunt alios refrigerare, vel temperare ſaltem ſuperficialiter, etiam Jovem & ♂ ipſum, quia non ſunt ignita corpora, ut ☉, alioquin propriâ luce fulgerent, quod jam ex Veneris phaſibus atro ♄ lumine, tum ſcintillationis privatione reſpicitur.

Cæterum ex ſupradictis ſequitur quod ☉, aut ♂ calor, & frigus ☽, aut ♄ ſeſe in æthere intermedio non cohibeant, ſicut diximus Lib. 3. Sect. 1. cap. 10. calorem ignis & aeris cohibêre frigus Aquæ & Terræ, circa mediam aeris regionem, & viciſſim, ne hoc frigus, vel calor ille ultrâ diffundantur. Si enim calor ☉ à ☽ cohiberetur in æthere, ille ad Lunam uſque non pertingeret, eamque non calefaceret, at quò uſque extenditur lumen Solis, eò uſque calor ejus extenditur & ultrâ, cum hic opaca penetret corpora, quæ ſiſtunt lumen Solis, illudque patet etiam ex Sole & Terra, quorum calor & frigus ſeſe in medio aere non cohibent, ſed ☉ calor Terram penetrat, dum ejus frigus foras erumpit, eademque eſt ratio de reliquis.

Denique ſciendum eſt, quod ☉ ſuos Satellites ♄ ♃ ♂ ♀ ☿ duntaxat ſecundum illorum medietatem ſibi obverſam calefacit, non autem per totum eorum ambitum, niſi circa proprium centrum turbinare ſupponantur, quippe quòd hac turbinatione remotâ, eadem Planetæ facies ſit ſemper Soli obverſa, ut eadem ſemper Lunæ facies eidem globo Terreſtri obvertitur. At Lunam Sol per totum circuitum calefacit, non ſecus ac Terram, quia, ſcilicet, circa Lunæ Orbem movetur Sol, ideóque partem ejus ſuperiorem in Novilunio, inferiorem in Plenilunio, & medias in quadraturis calefacit perpendiculariter. Idemque dicendum de ♄ reſpectu ♃, de ♃ reſpectu ♂, &c. Quæ autem hic dicta ſunt de Planetis, à ſimili intelligenda ſunt de ſtellis fixis, quæ etſi propria luce fulgeant: non ſunt tamen ignita corpora, ut Sol, non enim quicquid ex ſe lucet, ignitum eſt, ut patet ex cicendula, putri ligno, &c. cum quorum luce frigus eſt compatibile.

Objiciet aliquis ſi Planetæ agerent in ſe mutuo Elementaliter, dignoſci non poſſent propriæ Planetarum qualitates Elementales, ob hanc enim rationem dictum eſt cap. 1. Planetas in ſe mutuo non agere influentialiter. At ♄ dicitur ab Aſtrologis frigidus & ſiccus, Luna frigida & humida, ♂ calidus, ſiccus, &c. ergo Planétæ non agunt in ſe mutuò Elementaliter.

Reſpondeo, rationem valere pro influentiis, quæ cujuſque Planetæ corpus totaliter penetrant, ſi nempe ipſi formaliter inhærerent, non autem pro calore & frigore, à quibus pars Planetæ duntaxat ſuperficiaria patitur, vel alteratur ſecundum aliquam ſui medietatem, nec totum corpus penetratur, ad quod pars illa rationem habet vix ſenſibilem.

Objicies ſecundo: Globum Terreſtrem repellere ſuo frigore calorem Aeris atque Ignis, uſque ad mediam Aeries regionem, etſi calor ſit qualitas frigore activior: ibique utramque qualitatem cohibêri, ne ultrà effundatur: ergo, vel calor, & frigus Planetarum non ſunt naturæ Elementaris, vel ſe mutuò in æthere cohibêre debent, cujus tamen contrarium ſuperius aſſertum eſt.

Reſpondeo, nihil fieri in Elementis, cujus ſimile non fiat in Planetis. Nam, ut Terræ frigus penetrat Orbem Aeris ad aliquam ejus profunditatem, ubi illud cohibetur: & calor Solis Terram, ſic frigus ♄ penetrat ♂, & calor ♂, ♄. Attamen ſimilis non datur actio reciproca Aeris in Terram, ob hujus denſitatem, quæ ad agendum, & reſiſtendum eſt efficaciſſima, nec non illius raritatem ad agendum & reſiſtendum debiliſſimam, veluti non datur actio reciproca Terræ in Solem per frigus, quod nimirum Terræ frigus ad Solem uſque pertingere nequeat, nec Solis igniti calorem remittere, aut repellere, quamvis pertingeret.

Objiciet tertio: ſi Planetæ agerent invicem Elementaliter, hoc eſt, per contrarias qualitates, ſaltem aliquis Planeta corrumpi poſſet, maximè à Sole, nam contrarietas Elementalis eſt corruptionis principium: illud autem abſurdum eſt & contra experientiam: ergo, &c.

Reſpondeo, corruptionem tantum accidere à contrario prævalente ad gradum uſque corruptionis. Quod ſi eò uſque non prævaleat contrarium, ſequetur duntaxat alteratio in ſubjecto: idque patet non ſolum in auro, atque vitro, quæ ab igne quidem alterari queunt, corrumpi verò non, ſed etiam in homine, qui ad ignem calefieri poteſt citra corruptionem: ſic ergo Sol Terram, Lunam ☿ ♀, &c. alterare poteſt, non autem corrumpere ſaltem totaliter.

CAPUT III.

Quid in tribus Mundi regionibus, Cœlo, Æthere, & Elementis producatur per actionem Elementalem corporis unius Cœleſtis in aliud.

QUamvis calor Solis ſit ex ſe maximè activus, & adhuc eò magis, quod formæ Solis eſſen-

tiali

tiali ſubſerviat in agendo, ab illaque vim agendi recipiat, quod ſolus præſtare non poſſet: tamen, ut calor ipſe receptus in ſilice, marmore, vel vitro nihil generat ob materiam novæ generationi ſaltem naturali ineptam: ſic in Luna, vel ♄ à Sole calefactis nihil generari non inconvenit, imò de Luna valdè probabile eſt nihil in ipſa generari, cùm nullus ex eâ vapor, aut nubes elevari deprehendatur optico tubo, licet per foſſas, quibus ſcatet calorem Solis excipiens, vehementer inde calefiat. De aliis autem Planetis minor eſt dubitandi cauſa.

Nihilominus certum eſt aliquando ſtellas novas in Cœlo, ſæpius Cometas in Æthere, ac frequentiſſimè nubes, vel exhalationes condenſatas, quas dicunt Solares maculas, circa Solare corpus generari, harumque generationum materiam eſſe non poſſe Sublunarem, ſed ex humidis Planetarum corporibus reſolvi à calidis Planetis deindeque à frigidis denſari, ut Lib. 9. Sect. 2. cap. 10. & 11. fuſiùs a nobis dictum eſt, ſpecialius verò de Cœli & Ætheris generationibus dicere, non licet hactenus, defectu obſervationum in tantâ à nobis diſtantiâ; id forſan reſervatur poſteris, ſi tubum opticum ad ſuam perfectionem perduxerint.

At pro Sublunaribus videtur in primis aſſerendum, quod omnes Planetæ propriis qualitatibus Elementalibus poſſunt Terram attingere, qua propter hominem facti ſunt, ideoque à ſapientiſſimo Mundi hujus Architecto poſiti in congruâ ad illud diſtantiâ. Idque de Solis calore maximè conſpicuum eſt, tum de frigore proprio ☽ in Eclipſibus ſuis totalibus. De aliis verò Planetis id non ita patet experientiâ ſenſibili, defectu obſervatorum, quamvis innoteſcat experientia rationali, præſertim in conſtitutionibus Aereis pro ſerenitate, pluviis, coruſcationibus, &c. tum genituris hominum pro temperamentis, ſed accidentales Planetarum qualitates Elementares ab aliis Planetis exceptæ, non agunt in hæc inferiora: nam calor Solis, qui à Tellure ſurſum repercutitur, nequidem pertingit ad mediam Aeris regionem, ubi nives Hyeme & glacies, ipſa quoque Æſtate media, frigore concreſcunt acerrimo. Sic igitur calor Solis a Luna repercusſus vix ad Terram uſque pertingit, etſi Ariſtoteles velit noctes circa Plenilunium eſſe tepidiores ob majorem caloris tunc repercuſſi copiam, & ingentes Lunæ cavitates harumque figuras, efficientes, ut calor ad majorem diſtantiam reflectatur: nam Plenilunia Hyemalia ſunt frequentiùs gelidiſſima, neque tunc Luna ab Horoſcopo ad medium Cœli adſcendens ullum in Thermoſcopo caloris ſignum prodit. Quod ſi calor Solis ad nos uſque non reflectitur à Luna nobis Vicinâ, & Solis inſtar apparenter magnâ, multò minus ab aliis minoribus & remotioribus Planetis reflectitur.

Objiciet: Quiſpiam lumen Solis ad nos uſque reflecti à cæteris Planetis, præſertim verò Luna, ergo & calorem, qui ſi non ſit luminis proles (ut voluêre Picus, & Alexander De Angelis) eſt ſaltem illius comes perpetuus.

Reſpondeo: Antecedente conceſſo negandam eſſe conſequentiam: nam tota lux Solis repercutitur ab ipſa corporis opaci ſuperficie, non autem totus calor, idque patet in globo Terræ, quam pars caloris Solaris verſus Terram projecti ad aliquam uſque profunditatem penetrat, reliquâ ipſius caloris parte ſurſum repercuſſa, lux verò tota in ſuperficie cohibetur. Cùm ergo idem fiat in reliquis Planetis, nihil mirum, ſi caloris pars ab illis repercuſſa non eò uſque reflectatur quò uſque lumen, præſertim verò à quinque Planetis ♄ ♃ ♂ ♀ ☿, indeque patet etiam lucem & calorem eſſe qualitates realiter diſtinctas, cùm à Telluris ſuperficie ſic dividantur, ut calori detur ingreſſus in Terræ penetralia, luci autem omninò denegetur, ſed de Planetarum mutuâ inter ſe actione jam ſit dictum hactenus.

SECTIO III.

De variis agendi modis univerſalibus Corporum Cœleſtium in hæc Sublunaria.

CAPUT I.

De primi Cœli in ſua ſimplicitate ſpectati actione propria.

PHyſicam Aſtrologiâ deſtitutam, humani corporis trunco capite mulctato jure cenſeo comparandam. Ut enim truncus ille cœcus eſt, ſic ſi Aſtrologiam ſuſtuleris, cujus proprium munus eſt Divinam in Naturâ Providentiam, ſeu naturale fatûm in cauſis cœleſtibus ſtabilitum, harumque vires, & effectus circa Sublunaria contemplari; profectò Phyſica in primariis ſaltem effectuum Sublunarium cauſis ita cœcutit, ut Alexander De Angelis Libro primo in Aſtrologos capite duodecimo, probare nitatur: *In rerum procreatione nullas eſſe Cœli partes.* Utque truncus ſine capite, vitâ motuque caret, ſic dempto Aſtrologiæ ſubjecto, corporibus nempe cœleſtibus, vel horum influxu, quod in naturâ ſupereſt, mortuum, ac motus & regiminis expers evadet, unde patet Aſtrologiam ipſam eſſe totius Phyſicæ caput.

Quamvis autem ſæculis omnibus à viris Magnis exculta fuerit, ipſique Moyſes, & Abraham dicantur in Scripturâ periti fuiſſe in Ægyptiorum & Chaldæorum ſcientiâ, quæ alia non fuit, quam ſcientia Corporum Cœleſtium non modo pro motibus, ſed præſertim pro effectibus, quorum gratiâ motus ipſi ſpectantur, & quibus ſcrutandis Chaldæi præcipuè incumbebant. Ipſa tamen ad nos uſque non pervenit niſi valdè depravata, tùm artibus Diaboli veritatis inimici, tum ignorantiâ Scriptorum, qui illam cabaliſticè duntaxat ab antiquis acceptam, figmentis propriis

princi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

principiorum, vel rationum loco conſpurcarunt; adeo ut in hominum ratiocinantium contemptum deriſumque devenerit. Quamobrem ex veritate per talem cabalam ſuperſtite, & in quotidianis experientiis micante, ſcientiam ipſam condere ad Philoſophantium guſtum, opus eſt mehercle perarduum, quodque Divini luminis peculiarem requirit influxum. Hoc igitur influxu à Patre luminum humiliter poſtulato, tantum opus ad ejus gloriam & honorem ſuſcipimus, cum precibus, ut ad finem optatum illud perducere nobis concedat.

Itaque à primâ cauſarum Phyſicarum, nempe Cœlo primo exordiens, atque in mentem revocans jam dicta de ejus ſimpliciſſimâ & mirandâ naturâ Lib. 3. Sect. 3. ac Libro 14. hic nobis primò videtur inquirendum, quæ ſit ejus actio propria. Et quidem quod virtute polleat, quæ aliarum omnium cauſarum Phyſicarum virtutes eminenter continet, oſtenſum eſt cap. 1. Sect. 1. Lib. 14. videtur autem nihil agere primum Cœlum, hac eminentiali virtute in ſe ſpectatâ, ſed tantùm determinatâ ab inferioribus cauſis, cum quibus ipſum concurrit: ſiquidem cuncti naturales effectus fieri deprehenduntur à cauſis Cœlo ipſi inferioribus; quibus ſi primum Cœlum concurrere ſupponatur, ergo aget virtute determinata, & non eminentiali in ſe ſpectata, vel indifferente.

Verùm ſi primum Cœlum illa ſua eminentiali virtute nihil effecerit, ſine concurſu alterius cauſæ inferioris, non correſpondebit primæ cauſæ cauſarum, quippe Deo ejus Archetypo, qui independenter agit & ſine concurſu cauſæ inferioris, cuncta creata ſuæ virtutis verbo ſuſtentans, atque conſervans: imò deterioris erit conditionis quavis cauſa Phyſica, ignis enim calefacit immediatè & per ſe, ſine concurſu cauſæ ſibi inferioris, vel ſubordinatæ; atque Sol calefacit, & illuminat ſimiliter, & magnes ſimiliter ferrum attrahit, ac ſummatim quodlibet agit per ſe juxta vim propriam, independenter à cauſa ſibi ſubordinata.

Præterea virtus ipſa primi Cœli ſuo concurſu cum inferioribus eſt ipſis agendi cauſa, alioquin ſuperfluus eſſet ejus concurſus, ergo ipſa in ſe ſpectata erit magis activa, ergo Cœlum hac virtute aget, non quidem intra ſe, ſed extra: ſi autem quæratur quid illa virtute efficiat: Dico quod ut à Sole lumen & influentia, ab igne calor, & à magnete tractiva virtus effluit, ut oſtenſum eſt cap. 8. Lib. 8: ſic à primo Cœlo in ſua ſimplicitate ſpectato, effluit virtus ipſa ſimpliciſſima, quæ ut Mundi anima, vel ſpiritus, totum Mundum vivificat, movet, atque conſervat: eſtque hæc propria & independens actio primi Cœli, quod primam cauſam Phyſicam jure vocavimus cap. 1. Sect. 1. Lib. 14. tùm propter virtutem illam ſimpliciſſimam, mirabiliterque Divinam, quæ in ſua etiam ſimplicitate omnis generis & ſpeciei producit effectus naturales, prout determinantur à cauſarum inferiorum diverſitate, velut ab equo ad equum generandum, à Sole ad Solariter agendum, & ſic de cæteris; tum quia eſt prima cauſa omnis motus, & influentiæ. Influentiæ quidem, quia nullus Planeta ſine primo Cœlo influit, ut infra patebit: motus verò quoniam ſublato primo Cœlo tolleretur reliquorum corporum motus ad centrum, à centro, & circa centrum Mundi: dices ſuperfuturum adhuc Cœlum fixarum, idemque medium, proindeque futurum etiam motum à medio ad medium & circa medium, ſine primo mobili: ſed probat experientia in Planetis, Æthere, & Aëre, hos non obſequi ſphæræ fixarum ratione motus circa medium, ſed primo Cœlo, cui ipſa etiam ſphæra fixarum hac in parte obtemperat; primæ cauſæ majeſtatem atque potentiam veneramus. Quamobrem reliqua Sublunaria corpora, tùm gravia, tùm levia, quæ ad medium, & à medio naturaliter moventur, virtute primi Cœli per totum orbem diffusâ, ſuos etiam motus dirigere conſentaneum eſt.

Nam quodvis agens particulare agit virtute agentis univerſalis, influentis in omnia agentia particularia, hoc eſt virtute primæ cauſæ; quòd nempe, quorum naturæ ſubordinantur, etiam actiones ſubordinentur: & ſublatâ cauſarum ſubordinatarum primâ, reliquæ deſinant ipſe cauſæ, ut commune eſt apud Philoſophos.

Ex ſupra dictis igitur conſtat primum Cœlum in ſua ſimplicitate ſpectatum tripliciter agere, nimirùm virtute ſua eminentiali in ſe ſpectata, quam per totum mundum effundit, ut ſpiritum quemdam univerſalem rerum omnium ortui, conſervationi, & actioni neceſſarium. Deinde ipſamet virtute quatenus determinata à cauſis inferioribus ad omnis generis effectus producendos juxta vim propriam cauſæ determinantis, quam vim ſi primum Cœlum non contineret eminenter, ejus effectum promovêre non poſſet, cùm nemo det quod non habet. Tandemque ſuo motu, quo & motus inferiores cauſat, & ſui partes diverſas, tùm etiam Planetas conſtituit in ſingulis ſitibus Mundani ſpatii, ortus, vigoris, declinationis, interitus, vitæ, divitiarum, fratrum, &c. ad producendos, vel cauſandos effectus quoſlibet, qui naſcenti præſertim homini cœlitus ſunt adventuri.

Caput II.

De actione primi Cœli, ſpectati quatenus diviſum eſt in Dodecatemoria.

QUod primum Cœlum pollens eminentiali virtute univerſaliſſima, determinatum fuerit initio Mundi ſecundum ſuas partes, ad naturas Planetarias, diviſumque in Dodecametoria vel ſigna duodecim, & quomodo illa determinatio, diviſioque facta ſint, oſtenſum eſt Sect. 1. Lib. 14. hic verò dicendum ſequitur de ejus actione, quatenus ita diviſum eſt.

Ac primò nobis occurrit mirandum, quod ipſum corpus unicâ virtute præditum, eâque ſimpliciſſimâ, per totum corpus ipſum maximè homogeneum æquabiliſſimè diffuſa, nihilominùs per determinationem ſupra dictam in partes diverſarum virium diſpeſcatur. Admiratione verò majore dignum eſt, quod idem corpus ſecundum ſe totum idem dumtaxat efficiat, agens nempe juxta primum caput, at per ſingulas ex ſuis duodecim partibus diverſa: ſicque pars eadem ſimul tempore dupliciter agat circa idem ſubjectum, nimirum quatenus eſt prima causa in ſuo eſſe ſimplici ſpectata, ejuſdem virtutis & rationis cum toto, & quatenus eſt ad hujus, vel alterius Planetæ naturam determinata. Idem autem ſecundum ſe totum, &

diverſa per ſui partes efficere in his Sublunaribus, etiam circa idem ſubjectum, neque Soli, neque Lunæ, nec alteri corpore Cœleſti, ſed primo tantùm Cœlo convenit.

Hoc autem probatur ratione, & experientia, ratione quidem, quoniam cuilibet corpori ſimplici propria eſt agendi virtus, penes quam totum ipſum corpus agit per ſingulas ſui partes. Alioquin ſi in corpore ſimplici, & homogeneo, ut ſic ſpectato, daretur ratio agendi per unam partem potiùs, quàm per alteram, aut aliud agendi per unam, & aliud per alteram ſimiliter applicatam, corpus ipſum eſſet ſecundum partes virtute diverſum, ideóque non homogeneum contra Hypotheſim. Experientia verò, quia pars ea primi Cœli, quæ vocatur Aries, ſi fuerit in horoſcopo, natum efficiet bilioſum, & Martialem; at ſi eundem locum occupaverit Capricornus, natum efficiet melancholicum & Saturninum, etiam Planetis ♂, vel ♄, aut aliis corpore, vel aſpectu abſentibus, ut Aſtrologis notum eſt; ſique Aſtrologiæ ignarus hoc negaverit, curet ſe primò ab ignorantiâ, ſtatimque concedet: Stultus quippe eſt ille, qui quod neſcit, negat impudenter. Jam verò diverſitas effectuum non eſt ab ipſo Mundi ſpatio, quod prima domus appellatur, eſt enim immobile, proindeque idem pro ♈ & ♑, ergo diverſitas erit à diverſa virtute ipſarum partium.

Cur autem neceſſe fuerit primam cauſam ita dividi, hæc mihi videtur eſſe ratio. Nam ſi Sol, verbi gratia, fuiſſet prima cauſa Phyſica, ut placet nonnullis, ergo omnes effectus nato accidentes à Phyſicarum cauſarum coordinatione, nempe vitæ in divitiarum, liberorum, conjugii, honorum, morborum, mortis, &c. eſſent ad Solem, ut primam cauſam referendi: at Sol circa natos non agit niſi prout determinatus eſt corpore, vel dominio, ut ſuo loco demonſtrabitur tàm de Planetis, quàm Cœlo ipſo; ac ſi fuerit in Leone, determinabitur corpore & dominio ſimul ad unum tantùm illorum effectuum, ut tantùm ad vitam, ſi fuerit in prima domo quæ eſt vitæ tantùm: ad divitias, ſi fuerit in ſecunda, & ſic dè cæteris: non ergo reliqui effectus penderent à prima cauſa per ſe, quod abſurdum eſt: unde patet primam cauſam talem eſſe debuiſſe, quæ nos & ſingula circa nos Mundi ſpatia (quæ Lib. 9. Sect. 3. cap. 3. domos primarias vocavimus) circumplecteretur; veluti Deus prima cauſa cauſarum totum hunc Mundum complectitur; ut nempe ſuis ſaltem partibus præſens eſſet ſingulis domibus, ſicque ad omnes effectuum ſpecies determinata omnium cauſa foret. Tale autem eſt primum Cœlum, nos ſuis partibus ambiens, totumque mundi ſpatium, quod in duodecim primarias domos dividitur, & ab his Cœlum ipſum in totidem ſecundarias pro figura Cœleſti.

Porrò ad diverſos effectus cauſandos non ſufficiebat Cœlum diviſum eſſe in diverſas partes à primariis domibus, ſed neceſſe erat diviſum eſſe in partes diverſæ inter ſe virtutis: nam domibus primariis nulla per ſe convenit vis activa, cùm ſint ex ſe ſpatia dumtaxat inania; ſed tantùm vis determinativa corporum Cœleſtium, domos ipſas ingredientium per motum diurnum ad ſpecies effectuum per domos ipſas ſignificatorum, ut proprio loco probabitur. Igitur corpora Cœleſtia ſic determinata; ipſa ſunt quæ propriâ virtute producunt effectus: ſi ergo primum Cœlum non eſſet diviſum in partes diverſæ virtutis, ſequeretur quod quæcunque pars Cœli primam domum occuparet in quolibet naſcente, eundem produceret effectum circa corporis formam, temperamentum, vitam, mores, ingenium, cujus contrarium paſſim teſtatur experientia, ut jam ſuperius de ♈ & ♑ dictum eſt.

Deus ergo humanorum præſertim corporum diſſimilitudinem intendens ab initio ob univerſi pulchritudinem, tum ne ex ſimilitudine confuſio, majoraque mala in ſtatu naturæ corruptæ ſequerentur: ipſi diſſimilitudini non modò Planetarum, ſed primi quoque Cœli partium virtute diverſarum combinationes innumeras ſapientiſſimè præfecit: ita ut rariſſimè duo etiam Gemelli reperiantur, in quibus diſſimilitudo manifeſta ſeſe non prodat. His addo quod niſi daretur illa Cœli partium diverſitas in virtute, ſinguli Planetæ ex quavis Cœli parte eandem Aëris conſtitutionem, eundemque ſemper effectum producerent habitâ ſolum Cœli ratione, cùm tamen conſtet Lunam aliud efficere in ♈ & aliud in ♋, ut infra dicetur, ſitque illa diverſitas prorſus neceſſaria ad diverſitatem effectuum.

His intellectis jam patet Cœlum in hæc inferiora univerſaliter agere duplici, eaque conſtanti virtute; nimirum eminentiali ſuperius expoſita, quæ illi propria & eſſentialis eſt, tum determinatitia per partes ad naturas Planetarum, quæ illi accidentalis eſt, ſed nihilominus perpetua, hoc ſaltem naturæ corruptibilis ſtatu perdurante. Nam poſt diem extremum, ceſſante motu corporum Cœleſtium, cuncta ad ſuam ſimplicitatem reducentur, eaque æterno fruentur: igitur Arietis Dodecatemorium agit eminentiali virtute primi Cœli, quæ ei eſſentialis eſt: tum virtute ♂, ad quam initio Mundi determinata fuit pars illa, ut Lib. 14. dictum eſt: ut per totum hunc Mundum non minus effundat vim ♂ quam eminentialem propriam, neque ſunt duæ virtutes realiter diſtinctæ, ſed unica, veluti animal, & rationale in homine non ſunt duo realiter diſtincta, etſi alius ſit effectus animalis, & alius rationalis: ut ergo generica animalis natura determinatur ad eſſe rationale in homine, & eſſe equi in equo, ſic eminentialis Cœli virtus omnimodè determinabilis, determinatur in ♈ ad naturam ♂, ut Lib. 14 explicatum eſt, & ♈ ut ſic in primâ domo conſtitutus confert temperamentum formaliter bilioſum, atque mores formaliter Martiales, ut experientia probat, quòd nempe omnes ſubalternæ virtutes in ſupremâ eminenter contineantur.

CAPUT III.

De actione Univerſali Planetarum in ſe ſpectatorum, & eorum agendi modo per radios ſuarum virtutum.

PLanetas non eſſe corpora ſimplicia, ſed ex Elementis, Æthere, & Cœlo compoſita dictum eſt cap. 4, & 5, Sect. 3. Lib. 9. Quamque ſit à nobis incomprehenſibilis ac ineffabilis formalis eorum virtus, quæ communi vocabulo influentia

fluentia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

fluentia vocatur, oſtenſum eſt Sect.3. Lib.13.c.1. & 2. quid verò efficiant natura ſua Elementali, Ætherea, & Cœleſti, diximus generatim, ac obiter cap.6. Sect. 1. ejuſdem Libri.

Porro hic aſſerimus quod non ſecus ac primum Cœlum vim ſuam eminentialē univerſaliſſimam, veluti Mundi ſpiritum effundit per totum hunc Mundum, ſic Planetæ ſinguli propriam formalemque virtutem per totum quoque Mundum effundunt, Sol ſolarem, Luna lunarem, Saturnus ſaturninam, & ſic de cæteris. Quamvis enim neque lux, nec multò minùs calor Solis, quibus orbiculariter agit, ad ſphæram fixarum pertingant (ſenſus ſaltem noſtri cenſura) ut à nobis probatur Lib.9. Sect.4. cap. 8. Tamen ipſis influentiis non alii ſunt ſphæræ actualiter limites, quàm ipſum primum Cœlum, ſupra quod aut nihil datur, aut dumtaxat Cœlum Empyreum prorſus immune per ſuam naturam à viribus corporum inferiorum, generationi tantùm & corruptioni deſtinatis: ſunt enim aſtrorum influxus ordinis alterius longéq; divinioris, quàm calor, vel ipſa lux etiam Solis, ut duplici differentia patet utraq; mirabili. Prima quoniam lux & calor Solis eò efficaciùs agunt quò eorum radii fuerint ad horizontem rectiores, ideoque ab ortu ad meridianum circulum intenditur eorum effectus, inde verò ad occaſum remittitur; at influentialis radius Solis æquè potenter agit in ortu, atq; in meridiano circulo, imo habet intenſioris effectûs cauſas prioribus quandoque contrarias, Planeta enim in cuſpide, vel initio 7. 8. 9æ. domus, figuræ Cœleſtis, fortiùs influit in ſignificata ipſarum domuum, quàm in fine, ut Aſtrologiæ experientia notum eſt, quamvis in fine ſit ſuper horizontem elevatior, quam in cuſpide, quippe à cuſpidibus figuræ robur influentiæ majus & ab angulis maximum. Secunda, quoniam Planetæ per lucem & calorem, ſive aſcendentes ad meridianum, ſive deſcendentes, eundem tantùm ſpecie producunt effectum, ubique nimirum dumtaxat illuminant & calefaciunt. At per influentiam in ſingulis domualibus ſpatiis diverſos ſpecie producunt effectus, nempe in duodecima domo agunt circa morbos, in undecima circa amicos in decima circa profeſſionē, & actiones &c. Nec ſolùm ſic agunt radiis corporeis ſed quod mirabilius eſt, dominio in ſpatiis per ſuæ naturæ partes Cœli: Mars enim dominus primæ domus etiamſi fuerit in octava, aget circa vitam proindéque duplicem ſimul tempore ſortietur effectum etiam circa eundem natum, nempe vitæ, atq; mortis, imò duplicem, quadruplicem, &c. ſi aſpectuum effectus adjungantur, quòd Planeta quilibet cum ſingulis domibus aſpectum aliquem conſtituat.

Itaque cùm influentiarum tam mirabiles agendi modi earum naturam omni alteri corporeæ virtuti, vel naturæ teſtentur diſſimilliмam, & plusquam exprimi queat ſpiritalem: nihil mirum fuerit ſi nullos ipſi limites in Mundo præſcripſerimus, præſertim quia influentiæ totum Telluris globum penetrant, quod calori Solis non licet, multóque minùs luci, quæ in ejus ſuperficie ex toto cohibetur, ſimiliterque Sol & Saturnus, imò fixæ ab interpoſitione Lunæ patientes Eclipſim noſtri reſpectu, ſuis influentiis Lunare corpus penetrantes nos afficiunt, ut experientia conſtat, atq; hoc niſi eſſet, inde ſequeretur quòd vel Planetæ ſub Terra latentes nihil in nos agerent contra perpetuam ex figuris Genethliacis exiſtentiam, qua patet ♂ ſub Terra quadratum horoſcopo, aut exiſtentem in ſexta dum fuerit dominus horoſcopi, natum efficere morbis obnoxium, aut ex ſubterraneis locis quadratum octavæ domino præſertim malefico, crudelem, aut violentam mortem inferre, & alia ſimilia, ſive bona, ſive mala: vel ſaltem quod Planetæ in nos agerent per reflexos influentiarum radios ex locis ſaltem ſubterraneis, non ſemel ac Sol calore, & lumine radiis, tum directis, tum reflexis operatur. At Planeta ſubterraneus natum reflexis radiis attingere nequit, nam quo angulo ejus dejectus radius in Tellurem ipſam incidet, eódem reflectetur Cœlum verſus ex opticis: & quo rurſus angulo in Cœli concavum incidet (ſi eo uſque reflexus pertigerit) eodem etiam in aliud ipſius concavitatis punctum reflectetur, & ſic conſequenter, proindeque natum nunquam attinget. Igitur influentiales Planetarum radii totum Telluris corpus penetrant, nec Aquæ, Terræ, Rupium, marmorum, vel metallorum ſolidiſſima denſitate ſiſtuntur, ut lucis, & caloris radii qui hinc radiis influentiarum incomparabiliter craſſiores dicendi ſunt, quamvis lux, calor, & influentia ſint qualitates ſimplices ex ſe abſque materia è corporibus effluentes, ut alibi à nobis oſtenſum eſt: & Planeta quilibet radiis influentialibus tantùm directis agit in ſingula terrenæ ſuperficiei loca, ubi datur idoneum influentiis ſubjectum, quippe naſcens homo, ſine penetratione quidem, ſi Planeta fuerit ſupra horizontem, cum penetratione verò ſi infra, idemque dicendum de radiis ſtellarum fixarum, quod nimirum Sol & Luna tum domini primæ domus, decimæ, & octavæ, ſi ſub Terra jungantur illuſtrioribus fixis, ſive beneficis, ſive maleficis diverſos inde vel inſigniores in natis producant effectus. Sed per qualitates alias, Planetæ agunt radiis, tum directis, ut Sol ſupra Terram eandem illuminans & calefaciens, tùm reflexis, ut idem Sol ſub Terra per Lunam ſuperterraneam illuminans; & (ut placet Ariſtoteli) calefaciens.

Dicet aliquis? ſi lux & calor Solis à Luna reflectuntur in Terram, quidni etiam influentia Solis?

Reſpondeo, hoc eſſe quia lux & calor cohibentur à denſitate corporum occurrentium, ut ſit in Luna, influentia verò non cohibetur, ſed quævis ſolida penetrat.

Ex ſupra dictis patet, quàm mirabilem virtutem, atq; potentem Deus Omnipotens Planetis initio creationis indiderit, quam nempe ut ſupra dictam ſphæræ activitatis vaſtitatem & penetrationem nullus naturalis effectus ſub Cœlo effugere valet, & qualem certè decebat ſeptem illos Mundi Rectores præcipuos, ſpecie ac virtute formali inter ſe differentes. Etſi autem ſinguli quemlibet effectum naturalem attingere valeant, quia tamen ſpecie & virtute formali differunt inter ſe ex cap 2. Sect.3. Lib.9. & ſimiliter diverſa eſt natura Sublunarium rerum, atque effectuum, negari nequit quod Sol, verbi gratia, majorem naturæ habeat affinitatem cum quibuſdam rebus, vel effectibus minorem cum aliis, & nullam, imò contrariam cum aliis, & quia unumquodque agens ex ſe determinatur ad agendum juxta naturam propriam, hoc eſt generandas, conſervandas & perfi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ciendas res ſibi ſimiles, vel affines (quod facile præſtat ob affinitatem) diſſimiles verò, ſive contrarias deſtruendas, vel impediendas (quod difficiliùs efficit ob renitentiam contrarietatis) idcircò inter rerum genera erit aliquod genus, & in quolibet genere aliqua ſpecies, & ex iis quæ ſpeciei cuilibet accidunt, etiam aliquid, quod præ reliquis erit affine Soli, atq; huic affinius, quàm alteri Planetæ: quamobrem ejus potius, quam alterius productio, perfectioque promovebitur à Sole, ac potius à Sole, quam ab altero Planeta, quia nempe Sol ad illud ex ſe determinatur, quatenus ſibi ſimile & analogum: ideoque ſolariter agendo in omnia, vel vim ſuam ſolarem per totum hunc Mundum inferiorem effundendo, illud potius producet, promovebit, ac perficiet, quam aliud ſibi diſſimile: verbi gratia, quoniam Sol eſt calidus & ſiccus, ergo majorem habet convenientiam cum bilioſis, minorem cum ſanguineis, aut melancholicis, & nullam cum pituitoſis: Luna vero è contra cum ſit frigida & humida, majorem habet affinitatem cum pituitoſis, minorem cum ſanguineis & melancholicis, nullam verò cum bilioſis. Quamobrem ☉ maximè, citiſſiméque bilem generabit, promovebitque præſertim in bilioſis, pituitam verò minimè, Luna autem contrarium efficiet.

Eadem eſt ratio de vi ☽ ♄ ♃ ♂ ♀ & ☿ per totum ipſum Mundum effuſa. Atque hæc de univerſali actione Planetarum in ſe ſpectatorum hic ſufficiant: nam quomodo circa particulares effectus determinentur Libro ſequente ubertim oſtendetur.

Caput IV.

De primi Cœli, & Planetarum dependentia in agendo.

POſtquam ſuperiùs de primi Cœli & Planetarum ſeorſim ſpectatorum univerſali actione dictum eſt: Conſtat autem Cœlum ipſum non agere in hæc Sublunaria ſine Planetis, neq; hos ſine illo: hîc occurrit oſtendendum quomodo ab invicem in agendo dependeant: hæc enim doctrina quæ; proximo capite ſequitur, una eſt è præcipuis totius Aſtrologiæ, in ſe ſubtiliſſima, & ad ea quæ ſequuntur, maximè neceſſaria. Itaq; natura Martis (verbi gratia) in ſolo ♂ ejuſque ſignis ♈ & ♏ exiſtente, in his quidem tantùm determinatitiè ex cap. 2. in illo autem formaliter: experientia tamen conſtat, quod ♈ etiam Planetis vacuus, non idem ſemper efficit in prima domo; hoc eſt, nec eandem corporis conſtitutionem, nec eoſdem mores idemque ingenium præſtat, ſed omnia plerumque multùm diverſa, utcunque generaliter materialia. Hæc verò diverſitas non poteſt eſſe ab eodem circa idem: nam idem manens idem, ſemper facit idem circa idem, vel in eodem, ut Lib. 19. demonſtravimus: ſunt autem ♈ & ♂ ſemper iidem ſecundum ſe. Et poſito Ariete, ut ſupra, ſoli Marti poteſt accidere diverſitas ſtatus Cœli, Terræq; reſpectu, hoc eſt, ratione ſigni & domus figuræ in quibus proprio & communi motu verſari poteſt, tum connexionis per corpus, vel aſpectum cum Planetis cæteris: quo ſtatu ♂ ipſe ſubinde mutatur in ſe tamen immutabilis. Ergo diverſitas ſtatus Martis, ſola erit Cœleſtis cauſa diverſitatis effectuum Arietis in horoſcopo. Et per conſequens partes Cœli quatenus determinatæ ad naturas Planetarias, agunt & ratione ipſius Planetariæ naturæ, ad quā determinatæ ſunt initio Mundi, & ratione ſtatus ſui domini: nec tantùm in agendo ſequuntur naturam ſui domini (Martis enim natura eſt ſemper eadem) ſed ejus quoque ſtatum. Ideoq; Cœlum primum, quamvis ſecundùm virtutem propriam agat independenter à Planetis, ut prima cauſa Phyſica, à qua è contra omnes aliæ in agendo dependent: Tamen ſecundùm virtutem accidentariam à prædicta determinatione, pendet ab iiſdem, ut ipſius determinationis fontibus, ſive cauſis, ſimulq; cum cauſis inferiorum effectuum. Planetis enim de Mundo ſublatis, ſignorum periret diverſitas, quorum ſcilicet naturæ diverſæ, ut in eſſe, ſic in conſervari pendent à Planetis. Nec tantum pendent ab illorum natura, ſed etiam ſtatu, ut ſupra patuit. Quamobrem non abs re veteres Aſtrologi tantam ſemper voluerunt habendam eſſe rationem domini horoſcopi, vel Solis, vel Lunæ, vel cujuſvis alterius ſignificatoris, ut qualis eſſet effectus aut ſolius ſigni in horoſcopo, aut Solis & ſigni in quo ipſe verſatur, rectè definiretur, etſi Veteres hujus rei cauſam ignoraverint, vel ſaltem nobis non tradiderint, ad illudque ſola experientia coacti eſſe videantur. Ratio autem eſt, quia etſi ♂ dominus ♈ ſit in ſe ſemper idem, nec mutetur, aut alteretur ſaltem influentialiter, ideóq; ſemper idem ex ſe agat: tamen ejus actio diverſificatur concurſu alieni ſigni, quod occupat, & aſpectuum, quos alii Planetæ cum ipſo conſtituunt. Jam verò quoniam vis Martialis non eſt in ♈ formaliter, ſed duntaxat eminenter tum determinatitiè, quod ſcilicet vis illa eminentialiter fuerit determinata in ♈ ad agendum juxta naturam ♂, hinc fit ut quemadmodum figura Cœleſtis à Geneſi Petri determinata ad agendum circa ipſum, agit juxta naturam & ſtatum ſive conditionem Petri: ſic Aries determinatus univerſaliter ad agendum Martialiter, ſequetur in agendo non ſolùm naturam, ſed etiam ſtatum ♂; & non ſecus ac magnes, vel acus magnetica non convertitur ad quamlibet Cœli partem, ſed tantùm verſus Polarem, ad quam in ſua generatione, ille fuit ſitu determinatus: ſic Aries non alium Planetam obſervat agendo, quàm Martem, ad cujus naturam fuit determinatus ab initio diviſionis Cœli in ſigna: cùm enim ſignum in eſſe & agere ſigni, abſolutè pendeat à ſuo domino, hujus perpetuæ dependentis & identitatis naturæ ratione fit, ut vis ſigni univerſalis, in ſuo concurſu cum vi formali ſui domini, determinetur particulariter ab ipſo domino, juxta ſitum, atque ſtatum ipſius domini.

Hinc patet ratio cur non ſolùm ſit attendendus horoſcopi dominus, ſed etiam hujus domini dominus, qui ſecundarius horoſcopi dominus dici poteſt. Nam quia ſignum horoſcopans agit non ſolum juxta naturam, ſed etiam juxta ſtatum ſui domini: ergo cum ad hunc ſtatum ſpectet, quo in ſigno & ſub cujus Planetæ dominio ſit ille dominus; horoſcopus aget juxta naturam ipſius domini ſecundarii: imò juxta ejus ſtatum, quòd nempe primarius dominus agat juxta naturam, atque ſtatum ſui domini. Sic ſi ♌ aſcendat in H°. & Sol ſit in ♊, natus pollebit ingenio quamvis ☿ nec ſit in prima, nec dominus primæ, ſed quia eſt dominus ☉ domini Hi, & quo erit fœlicior ſtatus ☿, eò magis pollebit ingenio. Eademque eſt ratio in cæteris. Et hoc Veteribus innotuiſſe reperi apud Haly part. 7. de Jud. aſtr. c. 2. ubi vult habendam eſſe rationem hujus domini ſecundarii, quem tamen à nullo alio Veterum commendari deprehendi. Atque valdè notandum quod ſi primarius & ſecundarius domini fuerint benefici & benè affecti, aut ambo malefici & malè affecti, ſemper inſignem effectum bonum aut malum præſagiunt.

At

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

At Planetæ quia ſubſunt primæ cauſæ, cujus virtus totum Mundum penetrat, & quodammodo vivificat, inſuper autem moventur ſub Dodecatemoriis: idcirco viciſſim dependent in ſuis actionibus à primo Cœlo, ut prima cauſa Phyſica, tùm à Dodecametoriis, ut cum cauſis effectuum: veluti duo homines eandem trahentes naviculam, à ſe mutuò in tractione dependent: quoniam enim Aries ſolus in horoſcopo, agit Martialiter, Saturnus autem propria virtute pollet agendi in hæc inferiora, ſequitur quod ſi ♄ fuerit in Ariete, prodibit inde actio mixta ex virtutibus Martis, atque Saturni, quaſi ♄ & ♂ ſimul juncti agerent: non ſecus ac ſi frigus & calor ſimul concurrant, prodibit effectus ex utroque temperatus: ideóque ſi ♄ fuerit in ♑, prodibit actio à duplicatâ vi Saturninâ; quaſi ♄ & ♑ eſſent duo Saturni conjuncti, indeq; fit, ut Planetæ ſinguli in propriis ſignis adeo potenter agere juxta naturam propriam obſerventur, quod ſanè non contigeret, ſi ſignum ex ſe nihil efficeret etiam quatenus ſignum, quod etiam ex eo confirmatur, quia ♂ præſtat ♈ & ♏. Cum ergo natura & ſtatus Cœleſtis ♂ ſint ſemper eadem utrique ſigno, ſequeretur ſaltem quod actio univerſalis utriuſque ſigni in Sublunaria eſſet eadem, contra experientiam; cùm ſemper aliud efficiat ♈ & aliud ♏: etſi utriuſque actio ſit in genere Martialis: & ſtatus ♂, idem ſaltem in ſe reſpectu utriuſque ſigni, quamvis ipſius ſtatus ratione, uni ſigno magis, quàm alteri convenire queat.

Denique Planetæ inter ſe dupliciter dependent à ſe mutuò in agendo. Primùm ratione connexionis per corpus, vel aſpectum. Nam ♄ & ♂ conjuncti aut in quadrato aſpectu, ſunt etiam pro effectu conjunctionis, vel aſpectus, ut duo homines eandem naviculam trahentes, vel calor, & frigus ſimul concurrentes: Secundò ratione dominii. Nam ſi ♄ fuerit in ♈ dominus horoſcopi: non ſolùm dependebit in agendo ab ♈, ut ſuperius dictum eſt, & Aries à ♂ ſuo domino, ejuſque ſtatu, ut prius fuit expoſitum, ſed etiam ♄ quatenus dominus horoſcopi, ubi non eſt Aries, dependebit ſeorſim à Marte, ejuſque ſtatu pro rebus ab horoſcopo ſignificatis, vitâ nimirum, moribus, ingenio, quæ eò deteriùs habebunt quo deterior ♂ ſtatus extiterit. Eademque eſt ratio de Planetis reliquis. Atque hæc vera ſunt tum pro particularibus, tum pro univerſalibus conſtitutionibus: tum etiam abſolutè, hoc eſt conſideratis Planetis, atque ſignis agentibus in hoc Mundo univerſaliter abſque determinatione ad aliquam figuram, vel thema Cœleſte.

Caput V.

An in communi Actione Signi & Planetæ, hic ab illo formaliter aliquid recipiat, quo agat, vel contra.

QUoniam primum Cœlum & Planetæ ſimul agunt in hæc Sublunaria etiam cum reciproca dependentia, ut ſuperiùs expoſitum eſt: & ex ♄, verbi gratia, in ♈ conſtituto, prodit actio mixta ex viribus Saturni, atque ♂; hîc jure quæri poteſt, an Saturnus ſuo tranſitu, vel motu ſub ♈ recipiat aliquid formaliter ab ipſo ♈, per quod ille agat Martialiter, ſimúlque Saturnaliter: an denique neuter ab altero quicquam acceptet, ſed uterque vi propriâ ſeorſim agat. Quæſtio ſanè primâ fronte ſolutionis difficillimæ, quæque meum ingenium haud parùm exercuit.

Cæterùm quod Saturnus vim ſuam Arieti non conferat formaliter, hinc patet, quia ſi Saturninus effectus fuerit à naturâ Saturninâ in ♈ receptâ, & non ab ipſo corpore ♄, ſequitur Saturnum non agere in hæc inferiora; nec ſimiliter Solem ſive Lunam, nobis quàm primum Cœlum ſtupenda differentia propinquiores. Id verò abſurdum eſt, quandoquidem Planetis ineſt formaliter virtus activa, hiſque inferioribus paſſiva; neque in eorum debitâ applicatione quidquam deſideretur. Quamobrem quòd Sol ipſe hæc Sublunaria ſuo lumine & calore non alteret, ſed ſingula ſigna, ſub quibus decurrit, ejus lucem & calorem recipiant, indeque nos afficiant, non Sol ipſe, ſtultum eſt cogitare: quodque de luce, & calore dicitur, etiam de influentia dicendum eſt.

His adde quod primum Cœlum quatenus prima cauſa, debet eſſe formaliter inalterabile, alioquin non eſſet prima cauſa, ſed eſt dumtaxat determinabile, prout ſuperiùs dictum fuit. Præterea Saturnum Arieti virtutem conferre Martialem, & Tauro Veneream, & Leoni Solarem, ſicque de cæteris, dum ſub illa ſigna decurrit, longè abſurdius eſt opinari. Quoniam enim nemo dat quod non habet, ergo ſequeretur Saturnum eſſe cujuſvis naturæ Planetariæ, ideóque nullam habere propriam ſaltem formaliter: inde verò nulla poſſet afferri valida ratio, cur uni ſigno potiùs Solis, quàm Lunæ, vel alterius Planetæ naturam conferret. Quod autem de ♄ dicitur, de quovis alio Planeta etiam intelligendum eſt. Ex quo inſuper deducitur, quod ſinguli Planetæ eſſent inter ſe virtutis ejuſdem, nec unus ab altero virtute diſcerni poſſet, quamvis magnitudine, colore, motuque diſtinguerentur: non ergo ſigna à Planetarum corporibus quicquam recipiunt, horum ſub illa decurſu, quare nec etiam aſpectibus ob eandem rationem.

Objiciet aliquis dictum fuiſſe cap. 4. ſigna in eſſe ſigni dependere à Planetis, ergo ab illis continuò accipiunt ipſum eſſe ſigni etiam cum virtute ipſius ſigni, alioquin ♈ non ageret Martialiter, nec ♌ Solariter, atque ſic de cæteris. Præterea in figuris Cœleſtibus (quoniam totius Cœli virtus quaſi character, vel ſigillum efficientia turgidum imprimitur naſcenti homini) ſi Sol fuerit in ♒ (verbi gratia) paret ea Aquarii, quam Sol viſibili ſua Diametro nobis abſcondit, eſt Solaris virtutis, reſpectu ipſius hominis, quamdiu ipſe vivit, agitque in ipſum virtute Solari inſtar ipſius Solis, ac ratione ſtatus, quem in illa parte ſortitus fuerit ipſe Sol in Geneſi, ut patet ex directionibus ipſorum locorum, vel ad ipſa, ſed præſertim ac evidentiſſimè ex actualibus tranſitibus Planetarum ſub ipſis, ergo pars ipſa vim Solarem recipit à Sole, ac ſi in eadem parte fuerit ☽ pridie, vel poſtridie reſpectu alterius naſcentis, eadem pars reſpectu prioris nati, erit Solaris virtutis, & reſpectu poſterioris, erit Lunaris ſimul tempore, quamdiu uterque vivet, ut hæc proprio loco fuſiùs exponentur.

Reſpondeo, dupliciter dici poſſe Planetarum virtutem recipi à Dodecatemoriis, nimirum formaliter, & determinatitiè: rationes autem à nobis adductæ, quod nihil recipiant, intelligendæ ſunt de receptione formali, at rationes adductæ in objectio-

ne veræ ſunt pro ſolâ receptione determinatitiâ. Itaque primi Cœli partes dupliciter determinantur ad agendum, primò univerſaliter à Sole ad naturas Planetarias: indeque initio Mundi, vel ſaltem creationis Cœli & Planetarum aliorum orta ſunt Dodecatemoria, virtute diversâ per illam determinationem, quæ virtus eſt illis perpetua & univerſalis in totum Terræ globum, durante ſtatu generationis, & corruptionis rerum in ipſo globo, ut oſtenſum eſt Lib. 14. *Sect.* 1. cap. 4. & 5, ſecundò particulariter à Planetis ſingulis per horum decurſum ſub Dodecatemoriis, quæ iterum determinantur ab ipſis Planetis ad agendum, juxta cujuſque Planetæ naturam in res, quæ generantur durante unius Planetæ motu ſub aliquo Dodecatemoriorum: verbi gratia, quamdiu Sol movetur ſub Aquario, determinat ejus partes ſingulas ad naturam Solarem, reſpectu ſingulorum tunc naſcentium, ac eorum durante vita, tum etiam abſolutè reſpectu totius Mundi, nec determinat Aquarium, ut eſt pars primi Cœli, talis enim determinatio eſt prima omnium, & univerſaliſſima initio mundi facta, ſed illum determinat, ut eſt tale ſignum, indeque oritur, ut fœlicior, vel infœlicior ſit Solis ſtatus ratione loci in Cœlo, quod alias eſſe non poſſet. Quod autem de Sole hic dictũ eſt pro particulari determinatione, de quovis etiam Planeta dictum intelligatur.

Objicietur ſecundò. Inde ſequi quod actio ſigni ſit totaliter ab ejus domino, nec ipſum quatenus ſignum quicquam efficiat, hoc autem abſurdum eſt. Nam Arietis & Scorpii idem ♂ dominus eſt, at alius eſt effectus Arietis in horoſcopo, & alius Scorpii, etiam poſito Martis eodem ſtatu Cœleſti, vel ſigillatim poſito ♂ in ♈, & ♏ in prima domo. Nam quibus horoſcopat ♈, hi in promptam & manifeſtam erumpunt iram, nec diſſimulant, & promptam vindictam expetunt, ſuntque audaces, & temerarii, niſi ſtatus ♂ contrarietur: at quibus aſcendit ♏, hi ſunt timidiores, & prudentiores, ad diſſimulandum aptiores, & clàm per inſidias ſuam iram explent ultionibus; ergo ſignum qua ſignum aliquid ex ſe efficit independenter à domino, confirmatur, nam alioquin Marte exiſtente in ♈, non duplicaretur virtus Martialis, & æqualis prodiret effectus à ſigno, & domino disjunctis atque conjunctis contra experientiam.

Reſpondeo. In ſigno duo duntaxat reperiri, quippe virtutem eminentialem omnibus ſignis communem, totique Cœlo propriam qua Cœlum primum effundit infœlicius ſpiritum quemdam univerſalem, ſimplicem, uniformem, atque vivificum, cuilibet naturæ conformem, ad cujuſvis entis naturalis eſſe, & agere neceſſarium, ut diximus alibi: tùm naturam Planetariam. Jam verò priore illa virtute ſignum non agit, ut ſignum; ſed tantùm poſteriore: & hæc duplicatur domini præſentiâ: non quòd ſignum ex ſe quicquam præſtet independenter à domino, ſed quòd hic connaturaliter, perfectéque ſit unitus ſuæ primæ cauſæ ſecundum proprias in ipſa rationes à ſigni determinatione, ut ſupra expoſitum eſt: virtus enim unita fortior eſt quàm diſperſa: unde effectus intenſior, fœliciorque prodit, ut antea dictum eſt: ad id verò quod de ♈ & ♏ in horoſcopo afferebatur: Dico verũ quidem eſſe aliud efficere Arietem, & aliud Scorpium in horoſcopo; non tamen inde ſequi ea ſigna, ut ſigna, quicquam agere per ſe & independenter, quia utriuſque ſigni natura, tum Elementalis, tum influentialis ineſt Marti primò & per ſe, ideoq; formaliter, ſignis verò tantũ ab ♂ per determinationem, ut ſæpius diximus. Et quia ſublato Marte de Mundo, periret ipſa determinatio, quæ fundatur in natura, & exiſtentia Martis, hinc fieri nequit, ut ♈ vel ♏ ſine Marte Martialiter agant. Agit autem quodlibet juxta naturam ♂ intrinſecam, vel extrinſecam, prout ſignum ipſum hanc vel illam ſuis qualitatibus elementalibus æmulatur, & in hoc conſiſtit differentia effectus ipſorum, unde inſuper deducitur majorem eſſe Planetæ, quàm ſigni virtutem, proindeq; efficaciùs eſſe conjungi Marti, quàm eſſe in Ariete, vel Scorpione. Ac præterea ♂ exiſtente in ♏ prævalêre vim calidam, & ſiccam Martis, frigidæ, & humidæ, ergo agunt virtute ſua eminentiali, quatenus determinata ad naturam Martis, quem, ejuſque ſtatum agendo ſequuntur & obſervant, ut Cap. 4. dictum eſt.

Objicies tertiò. Signum ♈, nec ♂, ejus dominum quicquam novi recipere per eorum combinationes cum aliis Planetis, aut ſignis, ſed ipſorum virtutes manêre ſemper eaſdem. Si ergo quoties per combinationem Martis cum aliis Planetis, aut ſignis, ejus vis activa ſuis in effectibus variatur, Aries in agendo ſequitur Martis ſtatũ: ergo toties variabitur vis activa Arietis, quod ſine nova receptione concipi nequit; niſi dicatur Martẽ cui ineſt vis Martialis formaliter, agere pro ipſo ♈, cui illa dumtaxat ineſt determinatitiè; ſed hoc pacto vis activa denegaretur Arieti, quod dici non debet.

Reſpondeo, quod cum effectus Martiales, ut ſic eſſe nequeant ſine formali virtute Martiali, ipſi non erunt per ſe à ſolis ♈, aut ♏, quibus vis illa eſt dumtaxat determinatitiè; ſed erunt ab ipſo Marte cui ſoli vis illa ineſt formaliter, & quo ſublato nulla eſſet formalis vittus Martialis: ille ergo agit formaliter per ♈ & ♏, & hæc ſigna ad naturã Martis determinata, ſunt cauſæ cur ipſe Mars agat formaliter in ſignificata domorum, in quas cadunt ♈ & ♏, his tamen etiam agentibus virtute ſua eminentiali quatenus determinata ad naturam Martis ſed cum dependẽtiâ ab ipſo Marte ratione virtutis formalis, ut ſæpius dictum eſt. Mars autem ſemper agit & ratione ſuæ naturæ, & ratione ſui ſtatus tam Cœleſtis, quam Terreſtris, ergo hinc ♈ & ♏ rectè dicuntur agere ſecundum naturam atque ſtatũ Martis & dependenter ab ipſo, etiam ratione utriuſque ſtatus: nec variatur vis activa Arietis intrinſece per novam aliquam receptionem; ſed tantum extrinſecè quoad effectum pro vario ſtatu Martis, tam Cœleſti, quam Terreſtri, ratione cujus varietatis Mars diverſimodè concurrit cum ♈ & ♏, ut ſuperior cum inferiore. Omnes enim Martiales effectus ſunt formaliter à ſolo corpore Martis ejuſque ſtatu, hoc eſt combinatione cum ſignis, aut Planetis aliis, poſitu ad luminaria & determinatione in figura.

Similiter quod Planeta nihil à ſigno in quo verſatur recipiat formaliter, tribus potiſſimum probatur rationibus. Prima, quia natura Martis non ineſt Arieti formaliter, ſed tantùm determinatitiè, ideoque ſignum ut ſic nihil habet formaliter ex ſe ipſo, quo agat vel immediatè & per ſe, vel mediante Planeta quem formaliter afficiat, ſed tantum agit virtute ſui domini: ſecundum cujus naturam, atque ſtatum operatur; ideoque dependenter

ter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ter ab ipſo, ut ſupra dictum eſt. Nec agit virtute formali ſui domini, ſed eminentiali ſibi propria, quatenus determinata ad naturam ſui domini, in qua determinatione conſiſtit ratio ſigni: ſique ♂ de Mundo tolleretur, periret in ♈ & ♏, virtus Martialis, ut ſæpius dictum eſt: non ergo Planetæ quicquã à ſignis recipiunt. Secunda ratio eſt quia ſi Planetæ ſuo tranſitu ſub ſignis, horum naturas reciperent, & ipſas agerent, illi perpetuò mutarentur formaliter, ac intrinſecè per ſuos ingreſſus in ſigna: & quo inſtanti tranſirent à ſigno aqueo in igneum, mutarentur formaliter à natura aquea in igneam planè contrariam. Atque hoc pacto nullius Planetæ natura propria innoteſcere poſſet, ſicque nulla eſſet Aſtrorum ſcientia: verbi gratia, Martis natura ignea detegi tantum poſſet in ſignis igneis, atqui poſito ♂ in ſigno igneo, & ipſo agente per naturam igneam, diceretur hanc non eſſe ♂ propriam, ſed à ſigno receptam. Tertia, quoniam inde duo ſequerentur abſurda: unum eſt quod ſignum non ageret in nos, quatenus eſt ſignum, ſed tantum in Martem, cùm tamen initio Mundi fuerit determinatum ad naturam ſigni reſpectu noſtri & non Martis, ſit nobis debitè applicatum, & in horoſcopo ſolitarium, in nos agere deprehendatur, ſitque inſuper abſurdum opinari, quod ♈ conferat Marti formaliter naturam igneam, qua dumtaxat determinatitiè pollet ab ipſius Martis natura, quæ ſi non eſſet Marti propria, nulla eſſet primi Cœli determinatio in ſigna; nec proinde ulla ſigna, quia ſcilicet nullum foret eorum fundamentum, quod eſt propriæ naturæ Planetarum. Alterum eſt quod ſequeretur Martem nullam habere vim agendi propriam, quod tamen alienum eſt à quolibet corpore naturali, cui propria natura & formalis virtus agendi à Deo data ſunt; nam ſi propriâ pollet agendi virtute, ergo hac agit, nec ſuperflua eſt: ergo hanc à ſigno non recipit, ut per ipſam agat. His adde quod duo Planetæ diverſimodè agunt cum eodem ſigno, ut experientia docet Aſtrologica, at non habent ab ipſo ſigno, quod diverſa efficiant: quippe quod utrique Planetæ idem tantùm conferre queat, poſito caſu quod conferat: ergo id habent ex ſeipſis, & hæc ratio eſt omnium validiſſima. Non ergo Planetæ quicquam à ſignis recipiunt formaliter, quo agant in hæc inferiora, ut perperam nonnullis viſum eſt. Contra quos Plotinus, Marſilius Ficinus, Picus Mirandulanus, & alii oſores Aſtrologiæ meritò ſcripsêre. Quamobrem jure Pontanus Comm. in Aphor. 45. Centiloquii hic à nobis reprehendendus eſt, dum ait. *Nam cum rerum ſemina in Zodiaco maximè ſint diſperſa, vis inde proveniens Planetas ſic ad ſe convertit, ut quas à ſignis affectiones recepêre in gignendis atque animandis corporibus, eas reddant.*

Quamobrem ſupereſt, ut ſignum & Planeta in ipſo, ſeorſim agant, ac ambo commixtis viribus, ut duo homines trahentes Naviculam; nam Jovem eſſe in domo Martis idem fieri eſt, atque conjungi Marti, quandoquidem pars ea Cœli, quæ vocatur Aries, vel Scorpius, activa eſt Martialiter determinatione, ut ſæpiùs dictum eſt, at Jove & Marte conjunctis neuter mutatur in alterius naturam, ſed ambo connexis viribus agunt: idem ergo dicendum de ♃ in domo Martis.

Objicietur primo, quod ſi Planeta nihil à ſigno reciperet, ergo ſemper eodem modo ageret, nec malè affectus nocêret, quod experientiæ reluctatur.

Reſpondeo, Planetam per ſe quidem modo ſemper eodem agere, nempe juxta propriam naturam, atque virtutem, quæ ſemper eſt eadem, per accidens verò agere diverſimodè, quatenus ſcilicet cum diverſis cauſis agentibus combinatur, ſive ſint Planetæ, ſive ſigna. Quod autem Planeta interdum proſit, & alias noceat, non ei advenit ab aliqua receptione, ſed à benefica, aut malefica propriæ virtutis cum altera cauſa combinatione; ejus enim virtus eſt ſemper eadem, nec mutatur intrinſece, ſeu formaliter, ſed tantum extrinſece, quoad effectus, qui variantur pro diverſa ejus combinatione cum aliis cauſis. Utque Deus & Sol non generant hominem per hominem, ſed cum homine; ſic ſigna non agunt per Planetas, ſed cum his, nec ♃ per Martem, ſed cum ♂. Plerumque tamen dicitur Jovem in ♈ agere Martialiter etiam juxta ſtatum Martis domini Arietis. Cùm propriè loquendo Jupiter agat tantum Jovialiter, & Aries tantum Martialiter juxta ſtatũ ſui domini Martis.

Quod autem ♃ agat tantum Jovialiter in ♈ & non Martialiter, inde conſtat, quòd ♃ neque ex ſe pollet virtute Martiali, nec eam formaliter accipere poteſt ab ♈, ut eſt tale ſignum, cui ineſt illa dumtaxat determinatitiè. Nec tandem à ♂, tum quia Planetæ ſeſe influentialiter non alterant, ut alibi oſtenſum eſt. Tum quia poſſet illam in quovis altero ſigno æquè recipere, ac in ♈, forſanque citiùs & intenſiùs, ob Martis ſitum viciniorem, aut congruentiorem, ſiquidem cauſa agens in aliquod diſtans, validiùs agit in ipſum propinquum quàm remotum, alioquin ipſius agentis virtus eſſet infinita. Nihilominus Jove conſtituto in ♈, hiſque ſic concurrentibus ad agendum, quoniam unus modificat alterius actionẽ, & à ſe mutuò dependent in agendo, idcirco dici poteſt quodammodo Jovem agere Martialiter, etiam juxta Martis ſtatũ.

Circa quod notandum obiter. Quod ſi Jove conſtituto in ♈, Mars etiam fuerit in ♈ Jovi conjunctus, maximam vim habebit Mars in ſignificatis & actione Jovis, ita ut etiam prævaleat ♂, tum deinde ſi Mars ipſe fuerit in ♏. Si autem Mars fuerit in ♊, habebit Mars in actione Jovis vim mixtam Mercuriali, & hæc major erit, ſi ☿ fuerit in ♊, vel ♍. At ſi ☿ fuerit extra ♊ & ♍, nulla erit vis ☿ in actione Jovis. Quod ſi tandem Jove poſito in ♈, Mars ſit in ♓ vel ♐, prævalebit virtus Jovialis Martiali in ♈, & Martialis Joviali in ♓ vel ♐. Eademque eſt ratio de cætéris, atque hæc ſedulò notanda ſunt. Præterea ſi ♃ & Mars ſint ☌ in ♍, alter Planeta ab altero plus dependebit, quàm ab abſente domino ☿: at ♃ in ♍ & △ Marte, vel altero aſpectu, magis dependet in agendo à ☿, quàm à Marte: atque ſic de cæteris.

Objicietur ſecundo, ſi Planeta nihil recipit à ſigno: ergo aget independenter à prima cauſa Phyſica nẽpe Cœlo primo, quod abſurdum eſt opinari.

Reſpondeo, ſignum dupliciter eſſe ſpectándum, quippe Martialiter & formaliter. Primo modo agit, ut prima cauſa, ſive pars primi Cœli, at ſecundo ſeu quâ ſignum, agit, ut cauſa ſecunda, ſive ut Planeta: quia ſcilicet determinatùm eſt ad unam tantùm virtutis Planetariæ ſpeciem, quod non convenit primæ cauſæ, ad omnes per ſe indifferenti. Igitur ſigno agente ſecundum utrumque ſuum eſſe, materiale, ſcilicet

& formale: etiam ſecundum utrumq; ab eodem dependebit in agendo, Planeta ſub ipſo decurrens, ſed diverſimode, quippe à ſigno, ut ſignum eſt, dependentia ſocietatis, ut duo Planetæ conjuncti, vel duo homines trabem eandem portantes. A ſigno autem, ut pars Cœli exiſtit, Planeta dependet, ut inferius à ſuperiori, vel cauſa ſecunda à prima, quæ eſt dependentia Phyſica omnium maxima. Utroque tamen modo Planeta dependet ſine virtutis ad agendum formali receptione, alioquin eſſet inſtrumentum ejus à quo vim agendi reciperet: & non cauſa principalis, quod abſurdum eſt. At ſignum quatenus ſignum dependet à ſuo domino, ut inferius à ſuo ſuperiore, habet enim eſſe ſigni à ſuo domino: ideoque ipſo inferius eſt, ratione ſui eſſe formalis, quod ita dependet ab exiſtentia domini, ut ſi ♂ eſſe deſineret, etiam eſſe formale Arietis & ♏ evaneſceret: ab alio autem Planeta tantùm dependet, ut ab actionis ſocio. Ideoque primum Cœlum, ut prima cauſa in ſe ſpectatum eſt independens, ſed ut determinatum ad naturam Planetariam, eſt dependens, ſicque Deus univerſaliſſimus & ex ſe independens, dum fuit factus homo, etiam dependens factus eſt à B. Virgine Maria, eique ſoli inter creaturas ſubditus ac inferior.

Caput VI.

An Cœlum fixarum ex ſe agat in hæc inferiora, & quomodo.

SUb primo Cœlo Phyſico datur firmamentum quod vulgò dicitur ſphæra fixarum, ob ſtellas ipſi affixas. Polos autem hujus Cœli Divina Sapientia fecit diſtantes 23. gradib. 30′. à primi Cœli polis, ob rationes à nobis dictas Sect. 1. c. 3. hujus Libri: & ſuper hoſce polos fit firmamenti & Planetarum motus ab occaſu in ortum, cujus circulus vocatur Ecliptica, ſub qua Sol perpetuò fertur, obliquè ſecans Æquatorem, velociſſimum primi Cœli circulum: atque hi duo circuli, ſunt omnium circulorum Cœleſtium efficaciſſimi, non ſecus ac motus eorum, quibus mediantibus fiunt omnes naturales effectus.

Obiter verò hic notandum eſt, quod firmamentum ſuo motu non defert ab occaſu in ortum corpora Planetarũ, ſed hoc Cœlum, Sol & Luna circa Mundi centrum ordinata corpora, ſeorſim ſuos motus ab occaſu in ortum abſolvunt ſub primo mobili: at Sol circumfert ſuos ſatellites ♄ ♃ ♂ ♀ ☿, ut Iupiter ſuos. Et idcirco in definiendis horum locis veris neceſſario habenda eſt ratio loci Solis. At pro Lunæ loco vero determinando id non eſt neceſſarium, quòd nempe Sol Lunam non circumferat, neque hæc ab illo in motu magis dependeat quàm ſi Sol ipſe non eſſet: at ſi Sol non eſſet, Luna autem propria luce fulgeret, poſſet ejus motus obſervari & in Theoriam ac Tabulas redigi. Jam igitur etiam poteſt, forſanque ſimpliciùs & faciliùs, quàm via conſueta per motum Solis: & hoc obiter notaſſe ſufficiat.

Cæterùm quoniam ſphæra fixarum eſt ſubſtantiæ ſolidæ & naturæ Cœleſtis, jure quæri poteſt, num ipſa per ſe primum mobile ſeu primam cauſam Phyſicam determinet, quam omnes aliæ inferiores cauſæ activè determinantur. Ad quod reſpondeo, firmamentum non determinare primum mobile ad motum ab occaſu in ortum quo fertur ipſum firmamentum, quia primum mobile neque efficit in aliis, neque patitur in ſe talem motum: nec ipſum generaliter determinare ad virtutem Zodicalem; quia hæc determinatio per ſitum Solis ſub initio Dodecatemorii ♈ & illius inceſſu verſus Boream facta eſt initio creationis Solis: nec ipſum determinare ad varias effectuum ſpecies generales, ſcilicet Solares, Lunares, Saturninas, &c. quia etiam id à Sole & ſuis aſſeclis præſtitum eſt, fitque etiam quotidie à Planetis & fixis: nec tandem ad particulares effectus vitæ, vel ortus, vigoris, declinationis & interitus rerum Sublunarium: quia hæc determinatio eſt per ſe à primo mobili, quatenus proprio motu ſe per ſuas partes, tum Planetas etiam conſtituit in ſingulis figuræ domibus, vitæ, divitiarum, fratrum &c: ergo ſphæra fixarum aliter non determinat primum mobile quàm alii orbes Ætheris, Ignis & Aeris, cum quibus primum Cœlum virtute dumtaxat eminentiali concurrit ad agendum, quatenus prima cauſa Phyſica. Ut igitur Æther determinat vim eminentialem primæ cauſæ ad agendum æthereiter, & homo ad agendum humaniter, ſic firmamentum eandem determinat ad agendum firmamentaliter, ſive ad comproducendos firmamentales effectus.

Etenim, ut ſingulis Elementis ac Ætheri ſua ineſt virtus formalis ac propria Terræ, ſcilicet terrea, Aqua, aquea, &c. ſic firmamento in ſe & ſine ſtellis ſpectato, propriam ineſſe virtutem formalem non eſt ambigendum, nullum enim corpus ſibi propria, vel formali virtute caret. Hæc autem firmamenti virtus nulla in his Sublunaribus effectuum differentia hactenus innotuit: ac proinde vel non eſt influentialis, ſicut nec virtus Ætheris in quo Planetæ moventur, vel ſaltem eſt duntaxat univerſalis & ſimplex, ut vis eminentialis primi Cœli, quæ in ſe ſpectata ſine determinatione ad naturas Planetarum, nullam in Sublunaribus parit effectuum differentiam, non ſecus ac Æther circa Terram mobilis. Igitur firmamentum ex ſe, vel penes propriam ſpectatum ſubſtantiam, mihi videtur ſimplici duntaxat & univerſali virtute agere in hæc inferiora, ſine ulla ex parte ipſius Cœli differentia effectuum. Qualis autem ſit ipſa virtus ejuſque actio nobis eſt incognitum, neque id Aſtrologiæ judiciariæ magis obeſt, quàm neſcire, qualis ſit virtus & actio Ætheris in hæc inferiora, quandoquidem in judiciis nullus admittitur Orbis præter primum Cœlum quatenus per partes determinatum in ſigna diverſarum virtutum; ex quibus tantùm ſignis, tum Planetis, & ſtellis, nec non domualibus ſpatiis judicia omnia deſumuntur.

Caput VII.

De Actione conſtellationum, atque fixarum in hæc inferiora: nec non earum dependentia in agendo à Dodecatemoriis & Planetis.

SUperiori capite dictum eſt firmamentum per ſe, vel propria ſubſtantia non determinare primum Cœlum influentialiter, ſed tantum prima illa & ſimplici determinatione, qua quodlibet agens Phyſicum determinat primam cauſam Phyſicam, nec etiam agere in hæc Sublunaria influentialiter, ſed ſimplici dumtaxat virtute ſibi formali & propria etiam nobis incognita. At de firmamento, prout conſtellationibus & fixis refertum eſt, planè contrarium venit aſſerendum.

Etenim per conſtellationem & fixam, quamlibet determinat influentialiter primi mobilis partem, cui reſpectu Terræ ſupponitur ipſa conſtellatio, vel

vel fixa. Non quidem determinatione perpetua, qualis facta eſt à Sole initio Mundi, ſed temporanea, & tranſitoria, qualis fit à tranſitu Planetarum ſub Dodecatemoriis: hoc eſt determinat tranſitoriè partem ipſam ad agendum juxta vim & influentiam ipſius conſtellationis, vel fixæ: nec non agit in hæc inferiora juxta illorum influentiam: idq; experientiis probatur evidentiſſimis, & frequentiſſimis, non ſolum in Cœli thematibus vel conſtitutionibus univerſalibus, annuarum Mundi reſolutionum & Lunationum, ſed præſertim in particularibus figuris nativitatum hoc adeò clarũ eſt, ut de ipſo dubitare, ſuam ſit in Aſtrologia ſupinam teſtari inſcitiam. Patet enim quod Cœli punctum ſub quo fuit fixa tempore genituræ, retinet vim & naturam ipſius fixæ, nati reſpectu, quãdiu ipſe vivit, etſi viveret mille annis. Atque idcirco Veteres etiam Aſtrologi experientiis edocti, magnam in judiciis rationem habuêre fixarum illuſtriorum, quas regias appellant, obſervantes pro vita, ingenio, & moribus fixas in horoſcopo, vel prima domo ſitas, vel cum domino horoſcopi coaſcendentes in loco figuræ Genethliacæ, vel exiſtentes in eodem poſitionis circulo cum ipſo Domino. Pro actionibus & dignitatibus, fixas in medio Cœli, vel decima domo poſitas, aut Cœlum mediantes cum domino medii Cœli, aut eundem poſitionis circulum ſortitas cum ipſo domino: atque ſic de aliis domibus. Similiterq; in directionibus obſervant fixas in eodem circulo poſitionis conſtitutas cum ſignificatore, cui dum occurrit promiſſor dirigendo, etiam ſtellæ occurrit, unde major ſequitur effectus, quam à ſignificatore ſolitario: tum quæ ſimul cum promiſſore feruntur ad circulum poſitionis ipſius ſignificatoris, indeque rectè judicarunt. Imò ſignificatorum directiones ad fixas illuſtriores ſolitariè ſpectatas, tum illorum ſub has tranſitus, inſignes effectus parere deprehendêrunt. Alii inſuper tam in univerſalibus, quàm particularibus conſtitutionibus, inſpexerunt fixas inſigniores fortem reſpectu Solis ſitum obtinentes, juxta 9. modos Ptolemæi, quos ad tres reducimus, ut nempe Sol & ſtella ſint apud horizontalem circulum, vel ſimul apud meridianum, vel cum unum ex illis aſtris eſt apud horizontem, alterum ſit apud meridianum, aut contra, dummodo ſtella ante Solis ortum, vel poſt ejus occaſum, conſpicua ſit in ortu, occaſu, vel meridiano circulo: ſi enim non videatur ſic, ob impedimentum à ſolaribus radiis, longè minoris virtutis erit. Atque hæc potiſſimum intelligenda ſunt de fixis in Zodiaco collocatis cum quibus Planetæ conjungi queunt corporaliter, tum de iis quæ ſunt regioni Thematis verticales, quippe quæ præ cæteris ſint efficaciores, præſertim cum Thematis angulos fixæ ipſæ occupant, à quibus dirigendo quilibet angulus, ut ſignificator maximè roboratur, hoc eſt majorem ſortitur effectum, ſive bonum, ſive malum, prout ſtella fuerit benefica, vel malefica, veluti proprio loco fuſiùs exponetur & exemplis confirmabitur.

Porrò notandum eſt, quod ex ſtellis fixis quidam in firmamento componuntur aſteriſmi ſeu figuræ, quas vulgò conſtellationes appellant, & figurarum nonnullæ adeò diſtinctæ ſunt, ut naturaliter eſſe, vel naturam unam peculiarẽ componere videantur, quales præ cæteris cernuntur caput Arietis ſtellati, caput Tauri, Pleiades, Gemini, Leo, Scorpius, Sagittarius, Urſa major, & minor, Caſſiopeia, Perſeus, Corona Septentrionalis, Lyra, Cygnus, Delphin, Aquila, Orion, Canis major, Corona Auſtralis, Grus, Triangulum Auſtrale, Crux & aliæ, quæ primo intuitu oculos mentemque ſiſtunt, & firmamentum quaſi in regiones natura diverſas & cæteris inſigniores diſtinguunt, quibus peculiarẽ ineſſe virtutem non eſt ambigendum. Reliquæ verò magis confuſæ ſunt, ſoloque hominum arbitrio confictæ: quales ſunt præ cæteris Cancer, Virgo, Capricornus, Aquarius, Piſces, Cepheus, Hercules, Coma Berenices, Balæna, Lupus & aliæ, in quibus forſan plures figuræ naturales in unam artificialem confunduntur. Præter quas tamen multæ adhuc in Cœlo ſtellæ ſuper fuerunt paſſim diſſeminatæ, quæ in figuras commodè redigi nequivêre ab hominum imaginatione, quas idcircò informes vocavêre.

Cæterùm Aſtrologia non minimũ hinc damnum paſſa eſt, quòd Veteres Aſtrologi conſtellationes Zodiaci cum Dodecatemoriis confuderint, arbitrantes ea non diſtingui, ob ignotum illis primum mobile, ſub quo fixæ moventur, ſic tantùm vocandæ reſpectu ſui Cœli, ſed reſpectu primi mobilis erraticæ, non ſecus ac Planetæ. Atque de Aſtrologorum effectibus judicaverint ex illis conſtellationibus, quas ſub Dodecatemoriis compoſuêre ex fixis Zodiaco ſubſtratis, dum prima Arietis ſtella verſaretur in puncto æquinoctii Verni, quod idcircò vocatum eſt hactenus principium Arietis annis circiter 400 ante domini noſtri Jeſu Chriſti nativitatem, quam Galliſſardi Chronologia cum Hebræis, Beda, Longomontano, Keplero, & aliis Aſtronomis contigiſſe ponunt circa annum 3964. à creatione Mundi: quo tempore vixerunt Herodotus, Socrates, Anaxagoras, Meliſſus, Plato, Ariſtoteles, cæteriq; magni nominis Viri, qui condendis, poſteritatiq; tradendis ſcientiis incubuêre, & quo etiam puto conditam fuiſſe Aſtrologiæ ſcientiam ad nos derivatam. Ipſis autẽ conſtellationibus propriæ Dodecatemoriorum naturæ tributæ ſunt ab illis Aſtronomis, & tam horum, quàm illarum vires invicem confuſæ, & quamvis paulò poſt Tymocharis, tum deinde Hipparchus qui floruit circiter 300 annis ante Chriſtum, tandemque Ptolemæus ſtrenui motus fixarum obſervatores, errorem ſupradictum detexerint, deprehenſo motu fixarum in conſequentia, indeque ſigna ſtellata à Dodecatemoriis diſtinxerint, coacti nihilominùs à natura, ſingulis Dodecatemoriis 30 gradus Zodiaci concedere, quamvis ſigna ſtellata eſſent in hoc valdè inæqualia, tum Dodecatemoria trino aſpectu ſociata ejuſdem naturæ Elementaris conſtituere, quamvis hoc ſtellatis ſignis non congrueret.

Tamen ea fuit inſcitia, vel imprudentia poſterorum, ut circa judicia veterum errorem continuaverint: ſignis quippe ſtellatis vim Dodecatomoriorum circa effectus tribuentes, vel è contra vim ſignorum ſtellatorum Dodecatemoriis, dicentes Dodecatemoria Arietis ſignificare Ovibus; Tauri, jumentis; Geminorum, Hominibus, &c. ob nomina Arietis, Tauri, Geminorum, &c. conceſſa illis conſtellationibus ab antiquioribus Aſtrologiæ Magiſtris, qui etiam conceſſa veritate appellationis comprobata experientiis, ignari fuêre, an talis veritas propria eſſet conſtellationis, vel Dodecatemorii, quòd nempe Dodecatemoria ignoraverint, etſi Trigonorum ſignorum Elementales naturæ ſimiles ab illis per Cabalam receptæ, ſed conſtel-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ſtellationibus non conformes evidenter inſinuent primos Aſtrologos, à quibus ipſa manavit cabala, deinceps neglecta, vel depravata, veram habuiſſe primi mobilis & Dodecatemoriorum cognitionem.

Inter Neotericos verò nequeo non mirari Cardanum magni nominis Philoſophum, Aſtrologum, & Medicum, qui Comm. in Lib. 4. Quadripartiti cap. de Magiſterio cenſet, *Dodecatemoria vim quandam acquiſiviſſe juxta ſimilitudinem loci cum figuris* (hoc eſt ſignis ſtellatis) *quæ illis ſuberant tempore magnæ conjunctionis capitum ♈ & ♎ ſphærarum octavæ & nonæ* (Hanc credidit eſſe primum mobile) *tempore Chriſti*. Nam præter quã quod talis conjunctio fictitia eſt, ſicut & ejus origo, nempe motus titubationis octavæ ſphæræ, ut alibi expoſuimus, ingens etiam ſequetur abſurdum, quod nempe vel ante illam conjunctionem Dodecatemoria virtute carebant, qua jam illa pollêre Cardanus agnoſcit, vel quod ſigna ſtellata ſuo ſub Dodecatemoriis tranſitu his proprias vires formaliter conferunt. Ut verò de Planetarum tranſitu ſub Dodecatemoriis abſurdum id fore oſtendimus cap. 5. ſic iiſdem rationibus erit abſurdum de tranſitu ſtellatorum ſignorum.

Porrò ex ſignorum ſtellatorum confuſione cum Dodecametoriis factum eſt, ut tam conſtellationum quæ naturales videntur, quàm ſingularum fixarum vires maxima ex parte manſerint hactenus incognitæ, cui tamen cognitioni erat ab initio magna contentione animi vacandum: & jam ferè ex illis Dodecatemoriis & Planetis judicia contexere cogamur; quaſi nullæ eſſent fixæ, vel eſſent nullius virtutis, duntaxat paucis illuſtrioribus exceptis, quarũ vis latêre nequit, ob ejus repentinos, ac inſignes effectus, nec video qua ratione tantus defectus poſſit in hoc Mundi ſenio reparari: nam ſi cuilibet fixæ propria eſt virtus influentialis in hæc inferiora (quod negari non poteſt) quis negabit illas cum ſignis & Planetis in eundem effectum concurrentes, illorum ſignificata, vel effectus alterare? Id profectò ingenue fateor, atq; miror, quomodo ea quæ prædicantur futura ex ſolis ſignis & Planetis, non habita ratione fixarum, ſæpe etiam tam fœliciter contingant: nec ita mirum videri deberet ſi non contingerent, præſertim quòd fixæ non ſecus ac Planetæ moveantur ſub Dodecatemoriis, ideoque earum etiam aſpectus ad Planetas admittendi videantur.

Ad hoc autem reſponderi poteſt, equidem fixæ cuilibet propriam ineſſe vim influentialem, ſed duntaxat in majoribus capacem producendi evidentes effectus, vel in Aere, vel in Hominibus. Quod ex eo probatur, quod cuilibet homini ſingulis annis, imò menſibus, vel hebdomadis fiunt directiones ſignificatorum ad fixas ob harum innumeram multitudinem, tum horis ſingulis tranſitus Planetarum per ipſas: nec tamen magni, vel evidentes producuntur effectus, præterquam ab occurſu Planetarum, horumque aſpectuum, vel inſigniorum fixarum. A ſolis autem Planetarum tranſitibus per loca fixarum, nulli ſaltem obſervantur effectus in genituris, nec propterea negaverim minores fixas, ut quartæ, quintæ, & ſextæ magnitudinis nihil omninò efficere, cùm nequidem Jovis ſatellites longè minores, viribus erga nos deſtitui putem. Unde concludendum cenſeo, in Aſtrologia ſaltem homines magis conſpicua cernere, atque prædicere poſſe: Dæmones autem in his omnibus natura perſpicaciſſimos, etiam minutiora. Poteſt etiam dici minores ſtellas, ſi non ſeorſim, ſaltem collectim inſignes effectus edere, ut patet in Pleiadibus.

His verò ſic expoſitis, jam titulo hujuſce capitis ita ſatisfaciendum arbitror, juxta hujus ſcientiæ principia à nobis poſita, & experientiis innixa. Dum aliqua fixa, vel conſtellatio movetur ſub aliquo Dodecatemorio, hoc determinat eodem planè modo, ac Planeta ſub eodem ſigno decurrens, nec propriam naturam, aut virtutem mutat, nec quicquam à ſigno recipit formaliter, quo agat, ut de Planetis dictum eſt, ſed ad plures annos determinat ſignum, quàm ullus Planeta: quoniam fixa quævis in quolibet ſigno moratur per 2118 annos ex Tabulis Rudolphinis, Saturnus autem Planetarum tardiſſimus tantùm per 2. annos cum dimidio: ergo per totum illud tẽpus ſignum aget cum ipſa conſtellatione, vel fixa conjunctis viribus, unde nil mirum ſi nonnullis Aſtrologis ac præſertim Cardano Lib. 4. de Iudiciis Genit. cap. 22. viſum ſit, *jam alias eſſe vires Dodecatemoriorum quàm olim fuerint*, quòd nempè dum ſignum ſtellatum aliquod tranſit ab uno Dodecatemorio in aliud, hujus effectus proprios multum immutet, ob ſuum cum ipſo novum in agendo concurſum, veluti in Planetis accidit. Ac proinde in quovis Dodecatemorio, hæc tria ſpectanda ſunt, natura ſeu virtus Dodecatemorii, natura conſtellationis, & natura Planetæ, ſi aliquis cum illis corpore, vel aſpectu fuerit, ex hiſque tribus judicandum. Quod etſi Alexander de Angelis Lib. 4. in Aſtrologos c. 8. putet impoſſibile ob cauſarum varietatem, idque ſuo more clamitet in Aſtrologiam, hoc tamen ejus inſcitiæ condonandum eſt, quippe qui nec ullam hujus ſcientiæ habuit experientiam, nec quidem Thema Cœleſte ſcivit erigere, ut ex ejus Libro detegitur. Si enim non tam eradicandæ Aſtrologiæ, quàm ejus veritati per experientias deprehendendæ incubuiſſet, agnoviſſet nos his etiam temporibus eaſdem vires experiri à ſingulis Dodecatemoriis, quæ à Ptolemæo, & vetuſtioribus Aſtrologis fuerunt illis cabalâ vel obſervationibus attributæ, etſi jam aliis, quam olim occupentur conſtellationibus: non quòd hæ nihil efficiant, ſed quod in concurſu tàm Dodecatemoria (partes primæ cauſæ Phyſicæ) quam Planetæ (Mundi Rectores præcipui) fixis, & conſtellationibus prævaleant, ideoq; hæ tantùm repentinos, & fugaces effectus excuſent, non autẽ ſtabiles niſi à Planetis ſuſtineantur, ut vulgatum eſt apud Aſtrologos.

Cæterùm conſtellatio, vel fixa quævis dependet à Dodecatemorio, quod occupat, & Planeta, cui conjungitur, tantùm ut ab actionis ſocio, veluti duo homines eandem naviculam trahentes: eſt enim fixa, ut alter Planeta, & viciſſim, nec Planetæ ſunt domini fixarum, quòd hæ dicantur eſſe naturæ ♄ ♃ ♂ ♀, &c, ſicut nec fixæ Dodecatemoriis præſunt, fixa enim non dicitur eſſe naturæ ♂, quòd ad ♂ naturam fuerit accidentaliter determinata: ſed quòd eſſentialiter ſit natura ſimilis Marti: attamen ♂ eſt dominus fixarum in Ariete mobilium non minus, quam Saturni in ♈ mobilis, par eſt enim ratio: atque ſic fixæ in ſuis actionibus dependent à Planeta, cujus ſignum occupant: Planetæ verò nunquam à fixis eo modo. At ſi Dodecametoria ſpectentur, ut ſunt partes primi mobilis, tunc conſtellatio & fixæ illis ſubſunt, ab eiſq; dependent, ut cauſa inferior, vel ſecunda à ſuperiore, vel prima. Ex ſupradictis verò plurimæ difficultates ab oſoribus, & ignaris Aſtrologiæ paſſim objectæ dilucidè reſolvuntur.

CAPUT

Caput VIII.

Corpora Cœleſtia univerſim agentia tripliciter eſſe ſpectanda; & quibus, mediis agant: ubi quid eorum Motus efficiat, oſtenditur.

COeleſtia corpora primò ſpectanda ſunt in ſe, proutque ſe habent in Cœlo, nulla Sublunarium habitâ ratione: atque ſic ſuas in Mundo quaquaverſum vires effundunt; primum quidem Cœlum vim ſuam eminentialem ſimplicem: Dodecatemoria vim ſuam Planetariam juxta ſui Domini ſtatum in Cœlo, Planetæ verò, atque ſtellæ, vires ſuas tum elementales, tum influentiales proprias, hiſque virtutibus repletum eſt totum Cœli concavum, etiamſi nullus eſſet globus Terreſtris, à quo Cœleſtia corpora vires ſuas non accipiunt, nec facultatem illas effundendi.

Secundò, ſpectari debent reſpectu totius globi Terreſtris, & hunc ambientis Aeris, quo pacto vis eminentialis primi Cœli, ut prima cauſa Phyſica concurrit efficienter ad omnes Sublunares effectus, nec non Dodecatemoria, Planetæ, atque ſtellæ: quælibet nempe cauſarum iſtarum per virtutem ſibi propriam: ſic ergo Sol & fixæ propriâ luce omnia ſibi expoſita illuminant, Sol & ♂ proprio calore omnia calefaciunt, Luna & ♄ ſuo frigore omnia refrigerant, quodlibet tamen magis aut minus, prout ex propria natura magis, aut minus congruit cum naturis Planetarum, atque his magis, aut minus reſiſtit; Saturnus enim ſuo frigore minus efficiet in pipere, vel flammulâ, vel Leone, vel etiam Homine ab Elementorum mixtione calido, quam in Solano, vel Bufone, vel etiam Homine ab Elementorum mixtione frigido; atque ſic de cæteris. Tandemque tàm ſigna, quàm Planetæ & ſtellæ ſuis influentiis afficiunt dumtaxat viventia ſingula; ſolum enim vivens & ſemen ex quo generatur eſt capax recipiendi formaliter & inhæſivè corporum Cœleſtium influentias, ut dictum eſt Lib. 12. Sect. 2. cap. 3. Ac Sol & Leo, ſtellæque Solares per influentiam agunt Solariter; Luna, & Cancer, ac Lunares ſtellæ Lunariter; ♄ ♑ ♒ & ſtellæ Saturninæ Saturnaliter, atque ſic de reliquis. Efficaciùs tamen Planeta quilibet influit, & evidentiores producit effectus, circa ea, quæ vel ratione ſuæ ſpeciei, vel ratione propriæ ac individuæ mixtionis, vel ratione Analogiæ alibi à nobis expoſitæ, magis ſunt ſuſceptiva influxus Planetæ ipſius. Cumque magis ſuſceptiva Solaris influxus dicantur Solaria, magis autem ſuſceptiva Venerei influxus, Venerea: hinc fit ut Sol efficaciùs afficiat Solaria, in his Solares effectus producendo, Saturnus Saturnina, & ſic de cæteris juxta datam à nobis tabulam Lib. 13. Sect 3.

Porrò corporibus Cœleſtibus ſpectatis reſpectu globi Terreſtris, accidit alia virtus agendi, quâ carent dum primo modo conſiderantur, nimirum per conjunctionem, vel aſpectum, quòd ſcilicet conjunctiones, & aſpectus ſint tantùm reſpectu globi Terreſtris, ut à nobis dictum eſt Lib. 17. Sect. 1. cap. 3. igitur etiam univerſim agunt in ipſum globum, & in hoc poſita individua, per ſuos aſpectus juxta horum naturam & Planetarum aſpicientium.

Tertiò. Spectanda veniunt corpora Cœleſtia reſpectu ſingulorum quæ producuntur in Sublunaribus, quorum ea quæ carent proprio, & ſpecifico ſemine unde generetur, qualitates dumtaxat Elementales à corporibus Cœleſtibus formaliter recipiunt; & hæc longè nobiliores, quàm quæ ab ipſis communicantur Elementis, ut diximus Lib. 12. Sect. 1. cap. 5. Quæ verò generantur ex ſemine, ac præſertim ſenſu prædita, ut homines, atq; bruta, jam peculiari ratione per influentias afficiuntur à corporibus Cœleſtibus ratione ſitus ipſorum corporum in domualibus ſpatiis, reſpectu viventis hoc in Mundo naſcentis, & circa hoc pars Aſtrologiæ judiciariæ præcipua verſatur.

Media igitur quibus corpora Cœleſtia agunt in Sublunaria, ſunt illorum virtutes tum ſolitariæ, de quibus ſupra, tum per aſpectus, vel conjunctiones commixtæ inter ſe, prout Planetæ, fixæ, ipſaque ſigna ſunt aſpectibus obnoxia.

Verum tamen idem ſemper eſſet Sublunarium ſtatus, nullaque eſſet temporum, vel conſtitutionum Aeris diverſitas, niſi corpora Cœleſtia moverentur, ſtante ſiquidem Sole fixo in eodem Cœli puncto, pars globi Terreſtris perpendiculariter ſubjecta perpetuò torreretur, oppoſita verò ſempiterno gelu premeretur, reliquæ autem ſemper ad Solem eodem modo ſe haberent: & quod dixi de Sole, de aliis etiam Planetis, & fixis, totoque Cœlo ſimiliter intelligendum eſt; ac proinde quoniam Sublunaria moventur à Cœleſtibus, ſi hæc eodem ſemper modo illis applicarentur: idem tantùm ab hac applicatione produceretur effectus & nunquam diverſus: Quamobrem nihil de novo fieri aut generari poſſet per totum ſaltem Terræ globum, quòd generationes, & corruptiones fiant per alterationes contrarias, ab aere & Cœlo, quæ nullibi reperiuntur ob eandem Cœli agentis & globi Terræ patientis applicationem.

Itaque Mundi hujus Sapientiſſimus Opifex corporum Cœleſtibus viribus duplicem motum adjunxit, primum quidem ab ortu in occaſum, quo primum Aſtra, & Dodecatemoria ſpatio 24. horarum circa Terram deferuntur, ut ſuis viribus totum hujus globi ambitum olitoris inſtar irrorent, atque fœcundent, per totumque ipſum ambitum alterationes, & generationes promoveant, ac præterea pro influentiarum effectibus ſpecie diverſis ortus, vigoris, declinationis, & interitus animalium, corpora ipſa cujuſque individui reſpectu conſtituerentur in ſingulis domualibus ſpatiis. Secundum verò ab occaſu in ortum, quo primùm aſtris ab uno Dodecatemorio in aliud tranſlatis, & diverſimodè inter ſe connexis aut configuratis, nova virtutum combinatione, aſtrorum ipſorum univerſalis virtus agendi variaretur, novoſque ſubinde proferret effectus: ac inſuper quodlibet aſtrum toti Mundo æquè deſerviret, hoc eſt tàm ejus parti Auſtrali, quàm Boreali. Igitur motus nihil ipſorum effectuum per ſe producit, cùm ſit dumtaxat novi loci acquiſitivus, ſed corpora Cœleſtia per ſe deferendo, eſt cauſa per accidens & ſine quâ non producerentur ipſi effectus diverſi, ac toto Telluris ambitu.

Quamobrem hìc à nobis rejicitur opinio D. Thomæ 1. 2. quæſt. 109. art. tùm quæſt. 5. art. 8. quòd

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

quòd nempe *motu Cœli ceſſante ignis nequidem calefaceret; & quamvis continuaretur in his inferioribus actio illuminationis à Sole; non tamen continuaretur actio, per quam tranſmutatur materia, quam ſequitur generatio.* Non enim Ignis & Sol habent à motu quod calefaciant, ſed à calore proprio; & Solis ſtantis radius ſpeculo concavo repercuſſus citiùs ureret. Imò datus eſt motus Soli diurnus, ne ſi ſtaret, ſibi perpendiculariter ſuppoſitas Terræ partes combureret, atque corrumperet, debuitque diurnus eſſe velox, nam ſi fuiſſet æquè tardus circa Terram, atque circa ☽, calor Solis fuiſſet nobis intolerabilis, ſimiliterque cæteris Planetis circa Terram motus primus fuit conceſſus, ne diuturniore morâ ſuper iiſdem Terræ partibus has ſuis viribus, quàm par ſit impenſiùs afficerent: Ergo Cœli motus nihil per ſe agit, ſed tantùm diſpergit virtutem activam, vel actionem corporum Cœleſtium, quæ idcirco tantùm per accidens motu agere dicenda ſunt.

Sed rejicitur etiam eorum opinio, qui ceſſante motu Cœli omnem in his inferioribus motum localem ceſſaturum affirmant, ita ut nequidem feſtuca levari poſſet ex Terrâ, ut habet Junctinus Tractatu ſuo de Cometis. Tum quia Sol calefaceret aquam, eamque reſolveret in vapores aſcendentes ſtante Cœli motu, vel calori Solis aut æquæ reſolubili accideret miraculum; tum quia Deus miraculosè quidem cohibuit Cœli motum primum ad vocem Joſue prœliantis adverſus Reges Amorreorum, dicentiſque: *Sol contra Gabaon, ne movearis*: ſed quod durante Solis ſtatione longâ, prœlium fuerit continuatum, non fuit miraculum.

SECTIO IV.

An corpora Cœleſtia, agant in omnia corporum Sublunarium genera, & quo modo.

CAPUT I.

An corpora Cœleſtia agant in Elementa, & quomodo.

HAc de re dubitare, non ſolùm rationi, ſed ipſi quoque ſenſui repugnat: Sol enim ſenſibiliter Aerem, Aquam, Terramque calefacit, & prout majorem, aut minorem in circulo meridiano ſibi vendicat altitudinem, Ver, Æſtatem, Autumnum, Hyememque efficit: ideóque nullus eorum, qui in Aſtrologiam ſcripsêre, veritatem adeò manifeſtam ipſis Agricolis, Nautis & Medicis obſervandi peritiſſimis notiſſimam negare præſumpſit; ſed eam fateri omnes coacti ſunt. De Angelis enim cap. 2. Lib. 1. ſic loquitur. *Principio convenit inter nos & Aſtrologos, magnam eſſe vim Cœli & poteſtatem in Sublunarem Mundum, & corpora ſubjecta, non ſolùm illuminando, ſed calefaciendo, refrigerando, ſiccando, humectando*: aitque circa finem capitis, *adeo conſtantem de actione Cœli in ſubjecta corpora ſententiam omnium ſapientum ſuffragiis* (quorum plurimos ipſe recenſet) *quotidianiſque experientiis eſſe firmatam*: idemq; fatetur etiam Picus Mirandulanus Lib. 3. contra Aſtrol. cap. 4, aſſerens, *corpora Cœleſtia agere in Elementa, totumque Sublunarem Mundum*: & in fine capitis: *in Mundo corporeo nihil fieri ſine Cœlo.*

Similiter Marſilius Ficinus Comm. in cap. 3. Lib. Enn. 2. Plotini, ait, *omnia Cœlo regi, nec ſolùm virtute Cœleſti, ſed etiam ſubſtantiâ, quâ non eſt ipſa virtus*: & Comm. in cap. 3. Lib. 4. Enn. 4. fatetur cum Plotino, *actiones Cœleſtium ad inferiora, non ſolùm fieri per calorem, & aliam Elementis ſimilem qualitatem, ſed per vires quaſdam à notis qualitatibus longè diverſas*, & Comm. in caput ſequens aſſerit: *Cœlum in omnia hæc inferiora agere, neque tantùm corporeis qualitatibus calefaciendo, humefaciendo, vel contrâ; ſed naturalibus quibusdam vegetabilis animæ viribus*, ideoque Comm. in cap. 7. Lib. 1. Enn. 2. inquit: *corporibus Cœleſtibus præter lumen virtutes quoque diverſas eſſe addendas, ex quibus & colores varii in ipſis corporibus, & actiones inde proveniant, non quales ab Elementis, ſed proprietate quadam occultiori, ſcilicet ſpeciali fermè, quaſi ferrum trahitur à magnete*; at Libro de vitâ Cœlitus comparanda, ſe totum Aſtrologiæ ſic immergit, neſcio quo actus Dæmone, ut cunctas etiam Arabum ſuperſtitiones, & nugas admittat: eo pacto teſtificans, ſe quid boni, mali, aut veri & falſi in Aſtrologiâ hactenus traditâ reperiatur, non poſſe diſcernere. Inde à nobis infra reprehendendus, quòd aſtris plus quàm par ſit ipſe tribuat, cum Plotino ipſo, cujus Librum de favore Cœlitus hauriendo commentatur.

Denique Joannes Francus Offuſius Libro ſuo in noſtram (quam vocant larvatam) ſcribere Aſtrologiam & aliam condens pro alterationibus Elementorum, rerumque Sublunarium, admodum ingenioſas tradit methodos propriis (ut ait) experientiis confirmatas, quibus ad quodlibet temporis momentum alteratio Elementorum, ac præſertim aeris in calore, frigore, humiditate & ſiccitate facta à Planetis, ſtelliſque fixis innoteſcat, de quibus methodis quid ſentiendum ſit diximus Lib. 13. Sect. 1. Poſſent enim dumtaxat valêre ad quotidianas aeris mutationes in calore, frigore, &c. non autem ad annuas, vel menſtruas, aut plurium ſaltem dierum, vel horarum.

Cùm igitur de actione corporum Cœleſtium in Elementa, totumque Sublunarem Mundum, adeò luculenta nobis teſtimonia ſuppeditent ipſi adverſarii, ſuperfluum eſſet ad illam probandam diutiùs contra hos contendere. Nec eſt quod quiſpiam Elementalem deneget actionem ♄ ♃ ♂ ♀ ☿, in Sublunaria ob illorum apparentem parvitatem, & effectum ſolo ſaltem ſenſu imperceptibilem; nam Luna eſt Planetarum minima, & tamen validè agit humectando & refrigerando, ut ipſis Ruſticis innoteſcit. Si verò dixerit agere propter viciniam, ſanè cùm vicinia ex ſe careat agendi virtute, neceſſariò dicendum erit Lunam ex ſe pollêre tali virtute, hanc autem in nos ſentiri valdè efficacem ob viciniam. Cúmque Sol à nobis remotior quàm Luna, tamen quàm hæc validiùs ſuo calore nos afficiat: dicendum quod hujus Mundi Sapientiſſimus Architectus Planetarum diſtantias à Terrâ ſic proportionavit, ut ſi viciniores, aut remotiores eſſent, natura hominis

& reli-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

& reliquorum viventium detrimentum pateretur ab exceſſu, aut defectu qualitatum Elementalium, quas ad Terram effundunt.

Supereſt ergo hic definiendum quomodo in regionem Elementarem agant ipſa corpora Cœleſtia. Joannes Francus Offuſius poſtquam proprias cuilibet Planetæ vires Elementales aſſignavit, vult aſtra in Sublunarem Mundum agere per illas qualitates, ratione ſuæ ſuper horizontem altitudinis, moræ, & à Tellure diſtantiæ: qui quidem modus agendi, merè eſt Elementalis, & à nobis acceptatur Lib. 13. Sect. 1. pro præſenti, vel horaria conſtitutione aeris, ſi enim daretur globus ferreus ignitus in aere motu diurno mobilis, ipſe modo ſupra dicto ageret, quippe ratione altitudinis, moræ, & diſtantiæ.

At Alexander de Angelis cap. 3. Lib. 1. vult Cœlum lumine ſolo efficere primas qualitates, nempe calorem per ſe, ut ait cap. 4, reliquas verò ſaltem per accidens, *ut enim* (ait) *lux Solis ſua præſentia & acceſſu gignit per ſe, & intendit calorem, ſic ſua abſentia & receſſu cauſa eſt frigoris. Præterea calor à luce Solari productus, exſiccat ſaltem per accidens, dum humidiores partes extrahit, atque diſſipat, unde quæ relinquuntur, aridiores exiſtunt: ſi verò partes humidiores extractas diſſipare nequeat, ipſæ denuò in rorem vel pluviam recidunt, vel udam caliginem efficiunt: ſicque ſola lux calefacit, frigefacit, exſiccat, & humectat, nimirum per ſe, vel per accidens.*

Picus verò ait Lib. 3. contra Aſtrol. cap. 4. & 5. *Lucem eſſe ſenſibilium, ſeu corporearum qualitatum primam & nobiliſſimam, quæ idcircò debeatur primò, & nobiliſſimo corpori, quippe Cœlo, ipſamque habêre conſummatam corporum virtutem, quodque ipſius proprietas & ſoboles ſit calor Cœleſtis, qui omnes Elementares qualitates, calorem, frigus, humorem, & ſiccitatem eminentia ſimplici contineat.* Dum ergo vult eodem cap. 4. corpora Cœleſtia in Elementa, totumque Sublunarem Mundum agere, tandem per lucem agere intelligit: quippe per ipſam æquè refrigerans, & calefaciens, humectans, & exſiccans, ſed harum opinionum falſitatem fecimus evidentem Lib. 11. cap. 13. ad quod Lectorem remittimus, hic tamen annotantes, quod cùm Picus illo cap. 4. velit calorem ipſum Cœleſtem, lucis ſobolem cum aqua generare aquam, & cum igne ignem, hoc eſt cum cauſis inferioribus eorum formas ſubſtantiales, tum earum proprietates: ſit verò certum quod ille calor non ſit lucis ſoboles ipſo cap. 13: etiam certum eſt quod ſi talia generentur à corporibus Cœleſtibus, neceſſe eſt, ut per alias qualitates à luce, ejuſque fictitia ſobole gignantur; ſicque aliæ præter lucem & calorem in Cœlo qualitates admittantur.

Marſilius verò Ficinus cum Plotino ſupra, vult Cœlum agere in hæc Sublunaria non tantum corporeis qualitatibus, quales ſunt in Elementis, ſed aliis diverſis, quas ſpeciales vocat, & naturales animæ vegetabilis vires, quænam verò ſint ipſæ vires ibidem non exponit: At Comment. in cap. 6. & 7. Lib. 1. Enn. 2. cenſet cum Plotino, *Cœlum eſſe purum ignem*, & Comm. in cap. 6. Lib. 4. Enn. 2. ait, *in Cœlo nihil aliud eſſe noſtris qualitatibus ſimile, niſi calorem, humorem, atque lumen, quodque in anima eſt vita, intellectus & motus, id in Cœlo eſſe calorem, lumen, & humorem*, quem nihil aliud eſſe vult, quàm agilitatem ad motum: ut proinde calor Cœleſtis ſit non ſolum calidus, ſed etiam humidus, hoc eſt liquidus, fluidus, agilis, atque blandus. Igitur in Cœlo ipſo, vel igne cœleſti duo ponit, quippe calorem humidum, atque lucem. Porrò in cap. 5. Lib. 3. Enn. 3. ait: *quod ut fatum dependet à providentia cui ſubſervit; ſic calor à lumine, & quæ facit calor, facit & lumen, neque viciſſim. Mirabiles enim latent in lumine, quæ non ſunt in calore virtutes.* Ex quibus verbis deducitur Marſilium Ficinum velle quod Cœlum agat in hæc Sublunaria illo calore, ac lumine, & calore quidem producere in his inferioribus corporeas, vel Elementales qualitates, lumine verò (quod mirabiles illas continet vires, quas ſuperiùs ſpeciales vocavit) alia efficere, quæ calor ipſe non poteſt, quæque ad cauſas Elementales, puta calorem, frigus, humiditatem, & ſiccitatem referri nequeunt.

In iſta verò Plotini & Ficini doctrina hæc rejicimus, quod nempe Cœlum ſit purus ignis, non enim dantur in Mundo duo corpora ſimplicia ejuſdem naturæ, vel ſpeciei: at in regione elementali datur ignis puri Elementum ex cap. 1. Sect. 1. Lib. 3. ergo non datur in regione Cœleſti. Adde quod cùm primum Cœlum ſit prima cauſa Phyſica, ut probavimus Lib. 4. Sect. 1. cap. 1. ipſum non eſt formaliter ullius naturæ cauſarum inferiorum, ſed omnium, & ſingularum eminenter, quod de puro igne dici nequit. Rejicimus etiam quod aſſerit calorem pendêre à lumine, & quæcunque fiunt à calore, fieri etiam à lumine, non viciſſim, in ipſoque lumine præter vim illuminandi, mirabiles latêre qualitates: contrarium enim oſtendimus, Lib. 13. cap. 13. Tantùm ergo admittimus quod ipſe fatetur, nempe Cœlum agere in hæc Sublunaria qualitatibus Elementalibus, inſuper autem aliis longè diverſis & occultioribus, quod certè fateri quoque fuit coactus Alexander de Angelis Lib. 1. cap. 5. dum ait, *ſe præter lumen Cœleſte* (à quo primas Elementorum qualitates produci putat) *libenter recipere alias ſecretiores, & abditas Cœli vires.* Conveniunt ergo tandem nobiſcum hoſtes Aſtrologiæ (ſibi pluribus in locis contradicentes) quod à corporibus cœleſtibus producantur in hac Elementali regione non modò calor, humiditas, frigus, & ſiccitas, ſed etiam alii effectus, qui à mirabilibus, ſecretioribuſque Cœli viribus proficiſcantur, quæ ab Aſtrologis influentiæ vocitantur, atque nos in Aſtrologia noſtra nihil aliud probare intendimus: id verò qua ratione fiat, clariùs & veriùs ſic à nobis accipe.

Quoniam Planetæ, & ſtellæ ſunt corpora mixta ex Cœleſti, Ætherea, & Elementali materia, ut à nobis oſtenſum eſt Lib. 9. ideóque illis inſunt lux, calor, frigus, humor, ſiccitas, & influentiæ, ergo tripliciter ſpectata, ut habetur cap. 8. Sect. 3. hujus Libri per illas qualitates agent in Elementa, cunctaque mixta Sublunaria: lux quidem dumtaxat illuminando, rerumque viſibilium, quas attingit ſuis radiis, colores, figuras, magnitudines patefaciendo, ipſarumque imagines exprimendo, & oculis imprimendo, quod eſt lucis totale & adæquatum munus à nobis expoſitum Lib. 11. cap. 11. 13. Calor autem per ſe calefa-

ciet, attenuabit, rarefaciet, reſolvet, liquabit, coquet, eterogenea per ſe diſgregabit, ut in ligni combuſtione, & homogenea per accidens congregabit, ſed inſuper humectabit, exſiccabitque per accidens, ut rectè cenſuit ſuperiùs Alexander de Angelis, ſuntque hæc in calore Solis manifeſta: at frigus per ſe frigefaciet, incraſſabit, denſabit, congelabit, & eterogenea congregabit: ſed etiam quandoque humectabit, & quandoque exſiccabit, humida quippe tantùm denſando, vel etiam congelando, atque hæc in Saturni præſertim & Lunæ frigore obſervari queunt. Humiditas verò per ſe humectabit, & emolliet, ſolvetque ſal omne; denique ſiccitas exſiccabit, coagulabit, & indurabit, prout de harum qualitatum effectibus à nobis fuſiùs actum eſt Lib. 3. Sect. 1. cap. 4.

Cæterùm hic ſupereſt à nobis enodanda non levis momenti difficultas. An aſtra, quæ à nobis dicuntur Elementaliter humida, ut ♀ & ☽, tum ſicca, ut ♄ & ☉ ſuo humore, ſuaque ſiccitate agant in hæc inferiora non ſecus ac calore, & frigore conceduntur agere? Quod enim calor, & frigus ſunt qualitates per ſe agentes in diſtans, evidens eſt in calore Solis & ignis, & frigore Telluris in aerem effuſis; at humiditas & ſiccitas non videntur eſſe qualitates per ſe in diſtans activæ, ſed dumtaxat in contiguum, quippe quod humiditas non videatur per ſe effluere poſſe à ſuo fonte ſine materia calore reſoluta, quæ ipſum humectabile contingat, quamvis illud calori & frigori per ſe convenire ſit à nobis oſtenſum Lib. 8. cap. 12.

Ut verò ſolvatur hæc difficultas, notandum primò, calorem, vel frigus nunquam ſolitaria reperiri, ſed ſemper humiditati, vel ſiccitati combinata. Secundo, quod Sol dicitur calidus, & ſiccus, quia de facto ſuis radiis calefacit & exſiccat: tum humidum reſolvendo, ſi huic præſertim liber egreſſus pateat, tum ipſum etiam coquendo, ſi in aliquo vaſe ſigillato clauſum retineatur: nec ipſum Mariæ Balneum in diſtillatione vapores elevaret, niſi ab igne calefieret qui eſt calidus & ſiccus: imò nequidem ab animali vapores elevantur ſine calore ſicco, quia nempe ſunt in animali quatuor Elementa, horumque qualitates; ergo & ignis, ejuſque qualitates calor & ſiccitas, utque calor fugat inimicum frigus, ita ſiccitas humiditatem contrariam, vel reſolvendo, vel coquendo, ut ſuperius dictum eſt. Sol igitur non ſolum hæc inferiora, ſuo calore calefacit, ſed etiam exſiccat ſua, vel radiorum ſuorum ſiccitate, quæ eſt ipſius caloris Comes inſeparabilis: ſicque Saturnus frigore & ſiccitate ſuis, hæc Sublunaria refrigerat, atque exſiccat.

Etſi verò Sol non videatur agere hoc pacto ſine aliquo effluxu materiæ, quia ipſe eſt ſubſtantiæ diſſipabilis, ut probant ejus maculæ, imò radii, qui ſpeculo concavo recepti, flamma, ideoque ſulphur accenſum eſſe videntur, tamen certum eſt & à nobis accuratè probatum Lib. 8. cap. 12. ipſum in nos agere ſine ullo effluxu materiæ, ſaltem ad nos uſque, ut proinde illius radii dicantur à nobis flamma immaterialis; igitur multò magis Saturnum ſine materiæ effluxu, ſed qualitatibus ſimplicibus agere probabilius eſt, tum quia effluxus materiæ non fit ſine reſolutione, & hæc à ſummo ♄ frigore fieri nequit, tum quia ipſe etiam ignis in aperto campo accenſus, valido flante vento calefacit & exſiccat ex parte venti, à quo ignis flamma, & quicquid materiæ poſſet ab igne in illam partem effundi, fugatur cum ipſo aere in partem oppoſitam, ut illo cap. 12. diximus, ad quod Lectorem remittimus.

Similiter quoniam Luna regionem elementarem frigefacit & humectat, idque fieri non poteſt quin ejus radius ſit ſimul frigidus, & humidus, hæque qualitates ſint in ipſo radio ſimiliter inſeparabiles: Effluxus autem materiæ non fit ſine reſolutione, & hæc à ☽ frigore fieri nequit: igitur Lunam ipſam ſine effluxu materiæ, ſed nudis qualitatibus hæc inferiora frigefacere & humectare aſſerimus, quod ex eo cõfirmatur, quia tubo optico nulli vapores ex ☽ elevari deprehenduntur, quamvis eleventur ex Sole, qui tamen ad nos uſque non agit cum effluxu materiæ. Quocirca ſimilibus rationibus, nec Venus, nec reliqua aſtra regionem Elementarem afficiunt cum effluxu materiæ, ſed duntaxat nudis & ſimplicibus qualitatibus per ſuos immateriales radios huc uſque tranſmiſſis. Quod Philoſophis omnibus fuit hactenus ignotum, imò Peripateticæ doctrinæ contrariatur, eſſetque haud parum mirabile niſi vis magnetica ſimiliter ageret indiſtans contra Gaſſendi & aliorum opinionem.

Verum tamen quæ hactenus de aſtrorum actione Elementa ſunt à nobis definita, intelligi debent de propria eorum Elementali actione, quatenus ſcilicet agunt juxta modos Offuſii per Elementales ſuas qualitates, calorem, frigus, humiditatem, & ſiccitatem. Quoniam enim aſtra conſtant natura Elementali, atque Cœleſti, ut à nobis dictum eſt Lib. 13. Sect. 1. cap. 5. atque huic illa non ſolùm connectitur, ſed etiam ad agendum ſubordinatur, atque ſubſervit: ergo aſtra natura ſua Elementali equidem agunt per ſe Elementaliter, at per accidens agunt etiam influentialiter: tum in conſtitutionibus univerſalibus pro aeris temperatura, tum in particularibus pro hominis temperamento: ſique actio Elementalis & influentialis concordent, inſignis ſequetur effectus: ſi verò diſcordent, prævalebit influentialis: quia natura Cœleſtis ſuperior eſt & principalis cauſa, nec non eminenter ſaltem continet qualitates vigenti naturæ Elementali contrarias. Quare & potentior eſt, ſaltem pro effectu permanente, quale eſt hominis temperamentum, aut aeris conſtitutio durante aliqua Lunatione, nam pro præſenti, vel Ephemera conſtitutione aeris, actio Elementalis influentiali prævalêre poteſt, illa enim non altas agit radices, ſicut iſta, in qua tamen ſemper illius erit habenda ratio, dum præſertim diutiùs durat, ut calor Æſtate & frigus Hyeme. Sed aſtrorum natura Cœleſtis, vel influentialis agit duntaxat influentialiter in Elementa, & nunquam Elementaliter, hoc eſt ſecundum vim radii naturæ, vel qualitatis Elementalis, qualis eſt radius caloris Solaris. Agit ergo vis influentialis in Elementa ratione ſitus, vel dominii corporis Cœleſtis à quo effluit in themate conſtitutionis univerſalis, aut particularis, ſicque in Elementis non ſolùm producit qualitates Elementales influentialiter, vel influentiali modo, ſed alias etiam qualitates, vel diſpo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

diſpoſitiones,futurorum effectuum latentia ſemina, ſuo tempore everſura. Atq; hæc de Planetis & ſtellis.

Quod denique ad Dodecatemoria ſpectat, quoniam ipſa non ſunt formaliter calida, frigida, humida, & ſicca, ſed dumtaxat eminenter & determinatitiè, ergo non agent Elementaliter, vel modis Offuſii, ſed tantum influentialiter juxta naturam & ſtatum ſui domini, ut ſæpius dictum eſt. Quod igitur corpora Cœleſtia agant in Elementa & quomodo, jam ſit ſufficienter explicatum ad ea quæ ſequuntur intelligenda.

Caput II.

Quid corpora Cœleſtia univerſim efficiant in Elementari regione.

QUoniam in ſingulis Mundi regionibus fiunt generationes; in Cœleſti quidem ſtellarum novarum, in Ætherea Cometarum, macularum Solis & forſan aliorum nobis ignotorum, tandemque in Elementari, innumerorum propè mixtorum, & meteororum: ergo his in regionibus ſint ſemina illarum rerum neceſſe eſt, ſiquidem nulla eſt generatio ſine ſemine congruo: cuilibet autem generationi Elementale frigus globi Terreſtris eſt inimiciſſimum, ut patet in regionibus ſuppolaribus; Cœleſtis verò calor, ac potiſſimum Solis amiciſſimus, à quo nempe ſolo ſemina ad ſuas generationes excitantur, & promoventur in Terræ viſceribus, & ſuperficie, tum aqua, & aere. Corpora igitur Cœleſtia ſuas in hæc Sublunaria qualitates effundunt tum Elementales, tum influentiales, & per illas agunt in Elementa, ſemina, & corpora Elementaliter & influentialiter, ut à nobis explicatum eſt cap. 1. Per has verò tantum agunt influentialiter, idque duplici modo, primò valde univerſaliter, & per ſe æqualiter reſpectu cujuſvis Sublunaris, ſcilicet ratione propriæ naturæ, ſuique ſtatus in Cœlo tantùm ſpectati, hoc eſt ſigni in quo verſantur, & connexionis cum aliis aſtris: ex horum enim mutatione, aut variatione, tam Elementa, quam mixta mutantur. Hæc enim ſingulis Sublunaribus ſunt æqualiter communia; atq; ſic quoniam non tantum ſtellæ fixæ in firmamento, ſed etiam mixta globi inferioris dividuntur in 7. Claſſes, ſive naturas genericas, 7. Planetarum vel Mundi Rectorum naturis Analogas, ut nempe aliæ ſunt Solaris naturæ, & virtutis, aliæ Lunaris, aliæ Saturninæ, aliæ Jovialis, &c. aliæ verò mixtæ ex Joviali & Martiali, &c. ſubjiciuntur autem & patiuntur hæc inferiora à ſuperioribus, non contra: idcirco ſigna Planetæ, & ſtellæ, dum ſuas influentiales vires univerſim effundunt in hæc Sublunaria, quamvis agunt in ſingula tum ſemina, tum corpora per ſe æqualiter, tamen varios producunt effectus in ſingulos juxta horum naturam propriam, & efficaciùs agunt in ea, quibuſcum aliquam ſortiuntur naturæ affinitatem. Sicque Sol etſi agat in cuncta Sublunaria, movet tamen efficaciùs ea quæ ſunt Solaris naturæ: Luna, quæ ſunt Lunaris, &c. juxta Tabulam noſtram de dominis Planetarum, ac fauſtè, vel infauſtè movet Planeta, pro fauſto, vel infauſto ſtatu ſuo Cœleſti, ratione ſigni, & connexionis cum Planetis cæteris. At ſecundo modo aſtra inſuper influunt particulariter & inæqualiter ratione ſui ſitus reſpectu horizontis, ad quem pertinet conſtitutio univerſalis, aut in quo gignitur, vel naſcitur, id quod particulariter afficiunt, prout ſcilicet verſantur in aliqua domo figuræ cœleſtis: hujus autem modi ſolus homo ſit propriè & adæquatè capax dum naſcitur, quippe quod 12 domorum ſignificationes, vel ſubjecta, ſoli homini naſcenti, nulli autem bruto, multóque minus plantæ convenire queant, etſi ratione ortus, vigoris, declinationis, & interitus ipſi figuræ ſubjiciatur quicquid naturaliter gignitur, aliud magis, ut brutum, aliud minus, ut planta, & aliud minimè omnium, ut metallum, præſertim aurum, vel marmor, quæ per ſe interitui non ſunt obnoxia, quamvis hæc in ſuo ſaltem ortu, vel generatione influentiis quoq; ſubjiciantur, quæ non idem efficiunt in quovis rerum genere.

Igitur ſemina in Elementis Terra, Aqua, vel Aere, ut in propriis matricibus latentia, vel iis commiſſa congruum exſpectant Cœli concurſum, ut ſuas generationes aggrediantur & abſolvant, præſertim verò ſemina Terræ ſuperficiem occupantia, ut plantarum & inſectorum ex putri materia genitorum, atque hic concurſus potiſſimum conſiſtit in Elementalibus Aſtrorum viribus, ideóque veris initio, Terræ ſuperficies plantarum, & inſectorum generationibus luxuriat, calore Solis accedentis, & Terreſtris globi frigus fugantis, aut cohibentis. At animalium ſemina, quibus proprias matrices in ipſis animalium corporibus natura coaptavit, calore nativo tanquam interno Sole fotas, minùs ſubjacent Elementalibus Aſtrorum qualitatibus, quàm prædicta, magis autem influentialibus. Ideóque licet plures animalium ſpecies ſtata habeant ſuarum generationum tempora, plures tamen quovis tempore generant, & pariunt, ac præ cæteris homines. Cunctis tamen neceſſariæ ſunt Aſtrorum vires utræque, ſine quibus nihil in hoc Mundo gigni, aut vivere poſſet: igitur corpora Cœleſtia tam Elementaliter, quam influentialiter agunt in Elementa, ut in aere præſertim obſervatur ex figuris conſtitutionum univerſalium & portarum apertionibus, tum Planetarum aſpectibus quadratis, & oppoſitis, quorum effectus in aere Offuſius in ſua nova ſubtilique Aſtrologia nunquam (ut ipſe fatetur) potuit ad Aſtrorum calorem, frigus, humiditatem, & ſiccitatem reducere. Inſuper autem fovent, excitant, atque movent rerum ſemina ad ſuas generationes, nec non genita conſervant, atque gubernant, quamvis id hactenus non fuerit æquè obſervatum in ſingulis rerum Sublunarium generibus, atq; in primo & ultimo, ſcilicet Elementis, & homine: ſed probatio de extremis convincit de mediis, ſcilicet mineralibus, plantis, atque brutis.

Notandum tamen quod Elementa ſecundum ſe ſpectata non per ſe, ſed tantum per accidens afficiuntur influentialiter à corporibus Cœleſtibus, ut cap. 1. Sect. 2. explicatum eſt: ſiquidem nec generationi, nec corruptioni ſunt ex ſe obnoxia, ut ipſis quoque placet Chymicis: ideoque reſpuunt influentias ortus, vigoris, declinationis, & interitus, quamvis caloris, frigoris, humiditatis & ſiccitatis alterationes admittant: generationes enim à potentioribus, & nobilioribus cauſis proficiſcuntur. Ac præterea notandum, quod rerum ſpecies, ſeu formæ ſpecificæ, non producuntur à corporum Cœleſtium viribus, ſive Elementalibus, ſive influentialibus, ſed inſunt ipſis rerum ſeminibus, nec ſunt aliud quàm ipſius ſeminis ſpiritus, qui à corporibus Cœleſtibus præſertim verò Sole excitatus, congrua ſibi corporis principia, & Elementa adſciſcit, quibus veſtitus in ſcenam Mundanam prodeat. Agit autem in proprium corpus cum Cœlo concurrente, quod ipſi ſemini

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

mini actionis initio vires ſuas quaſi ſigillo imprimit: ſicque verificatur illud Plotini Lib. 3. Enn. 2. c. 12. quod Cœleſtis influxus non facit equum, ſed dat equo nonnihil, idemque cenſendum eſt de ſemine cujuſvis alterius rei juxta doctiſſimi Severini Dani mentem.

Objicies ſi corpora Cœleſtia ſuis influentiis non producunt rerū ſpecificas, vel ſubſtantiales formas (ut à nobis aſſeritur) ergo nec producent proprietates formales, quæ ex illis formis neceſſario fluunt, verbi gratia, non producent in magnete vim ferri tractricem in lapide bezoar, atque auro vim cardiacam, in Bethonica vim cephalicam, in Rhabarbaro vis bilis purgatricem, in vipera vim deleteriam, in equo hinnibilitatem & ſic de cæteris, hæ ſiquidem virtutes tàm neceſſario fluunt ex ſubſtantialibus mixtorum ipſorum formis, ut quomodocunque ſeſe habeat Cœlum in illorum generatione, ipſorum ſingula illis viribus affecta producantur: nihil igitur efficiunt corpora Cœleſtia, & præſertim eorum influentiæ circa illa mixta: Quid enim efficerent?

Ad hanc magni momenti, valdéque notandam Objectionem reſpondeo. Equidem verum eſſe totum antecedens, ſaltem de productione per ſe, quamvis per accidens aſtra dici queunt formas illas & proprietates producere, quatenus cum cauſis ſecundis concurrunt ad productionem mixtorum ipſorum, ſed conſequentiam eſſe falſam. Ad interrogationem verò, quid igitur efficerent aſtra? Reſpondeo. Hæc primò ſemina mixtorum ipſorum ad generationes ſuas excitare & promovere, ut ſæpiùs dictum eſt. Secundò. Suis qualitatibus tum Elementalibus, tum influentialibus concurrere ad illorū temperamenta, cum cauſis inferioribus, & proximis, quæ Aſtrorum vires potentiſſimas vitales, & in Mundo non ſuperfluas, nec otioſas, neque cohibêre, neque reſpuêre, neque ſine illis ſuos effectus complêre queunt. Tandemq; 3. ſuis duntaxat influentialibus qualitatibus, ut divinioribus conferre mixtis ipſis individuales & accidentales quaſdam proprietates: eaque ſibi ſuoq; regimini ſubjicere, vel à primo momento ſuæ generationis, vel ab eo quo ex propriis matricibus Terra, aqua, aere, ovo, vel animalis utero in Scenam Mundanam erumpunt, & mixta ipſa per ſibi tunc impreſſum illius influxus caracterem, regi ab aſtris, quò ad accidentia ſuæ hoc in Mundo Periodi, pro ratione ſuæ naturæ, atq; capacitatis juxta c. 28. & 31. Sect. 4. Lib. 12, ubi de influentiæ definitione, & effectibus actum eſt: patent hæc omnia in homine, cujus neq; formam rationalem, neque viſibilitatem producunt aſtra, ſed ad ejus temperamentum & conformationem concurrunt, ac hora partus ipſi imprimunt ſui influxus caracterem energiticum, quo individualia conferunt infanti accidentia, quibus aſtraliter differt ab aliis hominibus, & Aſtrorum poteſtati, atque regimini ſit obnoxius in moribus, ingenio, vita, actionibus, fortunæ caſibus, morbis, morte & cæteris, ut experientia quotidiana probat. Qua certè Objectionis ſolutione corruunt, vel enodantur quæcunque ab Alexandro de Angelis toto fermè Lib. 1. de Aſtrorum viribus, de arcanis rerum proprietatibus, & ſympathiis & antipathiis, aliiſque ſimilibus, tum à Pico Mirandulano toto fermè Lib. 3. contra Divinam Aſtrologiam afferuntur.

Attamen notandum quod cum Planetæ conſtent natura Elementali & influentiali, ex eorum natura Elementali non tam certò definiri poteſt de diſpoſitionibus aeris, vel natorum temperamentis, quia hæc etiam pendet à cauſis Sublunaribus: at eorum natura influentialis efficaciùs agit in Sublunaria, quia ex ſe carent influentiis, ideoque quod aliquis ſit in divitiis fortunatus, aut violenta morte periturus, quoniam id non pendet à cauſis Sublunaribus, ſed tantum ab influentiis cœleſtibus, hinc ſit, ut de his, quam de illis certior ſit prædictio.

CAPUT III.

An corpora Cœleſtia agant in Mineralia, & quomodo.

QUamvis Alexander de Angelis Lib. 1. c. 12. aſſerat. *In rerum Sublunarium procreatione nullas eſſe Cœli partes*, tamen cap. 5. fatetur poſt Picum, *calorem à lumine Cœleſti procreatum pertingere ad viſcera Terræ præſertim Æſtate, indeque metalla procreare*, qua in doctrina errant circa caloris illius à lumine generationem, quippe quod lux & calor in Sole ſint duæ qualitates natura & effectibus diſtinctæ, ut à nobis oſtenſum eſt Lib. 11. cap. 13. tum quod ſolo calore putent Cœlum ad generationem metallorum concurrere.

Lucius verò Bellantius quæſt. 2. art. 2. ideò cenſet metalla gigni à corporibus Cœleſtibus, quia Elementa concurrunt ad illorum generationem, at non per modum cauſæ efficientis, formæ, aut finis, ſed tantum materiæ: ergo corpora Cœleſtia ſunt efficiens cauſa metallorum, quæ ratio non concludit neceſſario, quandoquidem negari nequit canem gignere alterum canem, ideoque ejus eſſe cauſam efficientem, etſi Elementa, & Sol ad generationem canis concurrant. Ad hoc autem reſpondet Lucius, agens inferius non movêre niſi motū à Cœlo, quod tamen eſt abſolutè falſum. Nam candela accenſa ſtupam ſiccam debiteque applicatam ſine ullo Cœli concurſu non poſſet non comburere. Præterea quomodo & quibus viribus Cœlum agat in mineralia non exponit, quod tamen à nobis inquiritur.

At Georgius Agricola lib. 5. de ortu & cauſis ſubterraneorum, tum alibi paſſim, ait. *Futile eſſe credere, vires efficiendi tam lapides, quam metalla ineſſe in aſtris.* & lib. 4. *ridet addictos ſuperſtitioſi & Chaldæorum decretis, qui volunt ſtellas vim formantem lapides, viſceribus Terræ infundere.* Cui metallicarum rerum magiſtro infra reſpondebimus.

Dico igitur, quod etſi mineralia, qualia ſunt lapides pretioſi, cryſtallum, ſalia, ipſaq; metalla, cenſeantur ab indoctis vita carcere, quia nimirum manifeſta vitæ ſigna in illis non advertūt. Sapientiores tamen Philoſophi, ac præſertim Hermetici, jure optimo vitam illis attribuunt, quia nimirum quodlibet ipſorum ex proprio gignitur ſemine cui vis ineſt corpus ſibi congruum ex principiis, & Elementis fabricare, illudque certis figuris, coloribus, odoribus, & ſaporibus inſignire. Jam verò quæcunque gignuntur ex ſemine viva ſunt: imò metallicarum fodinarum præfecti obſervant metalla vegetare, & argenti fodina Perüana Potozi nuncupata, omnium hactenus inventarum ditiſſima, primò innotuit ex puris argenti ramis, & ſurculis, quæ ſuperficiem Terræ penetraverant, & in ipſum aerem arboris inſtar aſſurgebant, ut refert Acoſta in ſua rerum Indicarum hiſtoria, ac ego ipſe tales argenti puriſſimi virgulas naturales conſpexi: ſicut ergo metallorū ſemen & vita perpaucis innoteſcunt, ita nihil mirum ſi effectus aſtrorum circa illa per paucis cogniti ſint, quòd præſertim nec in mineralibus, nec

in

inPlanetis,vixq; in brutis factę ſint hactenus obſervationes virtutis aſtrorum. Nihilominus etſi concedamus Georgio Agricolæ, non magis ineſſe aſtris vires efficiendi lapides, vel metalla,quàm efficiendi equos,leones,vel homines (quippe quòd unũquodq; horum fiat ex proprio ſemine à propriâ & particulari causâ)hoc tamẽ non impedit quin aſtra ad generationes ſingulas viribus propriis tùm Elementalibus, tum influentialibus concurrant, & de ſuo conferant aliquid, quod à cauſis particularibus fieri nequit, & ſine quo non fieret generatio. Veluti dum prima cauſa,ſive Deus concurrit cum ſecunda,quippe leone ad leonis generationem, quælibet harum cauſarum quod ſuum,vel ſibi proprium eſt,dat effectui,& quod ab aliâ causâ non datur. Hoc igitur modo aſtra dicuntur efficere mineralia horum quippe ſemina excitando,movendo,atq; dirigendo, corporaque ſeminum alterando, ac præparando qualitatibus ſuis, tùm Elementalibus, qualis eſt præſertim calor Solis duas ſuperiores Terræ regiones penetrans, ut à nobis oſtenſum eſt Lib.3. Sect.1.c.7.tum etiam influentialibus, ita ut individuale temperamentum cujuſq; gemmæ, vel metalli, ſit non ſolùm ab Elementalibus,ſed etiam influentialibus Aſtrorum viribus: alioquin omnis actio in hæc Sublunaria erit aſtris deneganda; eritq; falſum quod ab Ariſtotele paſſim recipitur: *Sol & homo generant hominem*: tùm quod ab ipſo Plotino conceditur, *influxum Cæleſtem non quidem equum facere, ſed dare equo nonnihil*, quæ dogmata doctrinæ noſtræ adamuſſim quadrant, qui volumus unumquodque gigni ex proprio ſemine à particulari cauſa; & in generatione Cœlum obſequi ſpiritui ſeminis quoad ſpeciem; ſpiritum verò ſeminis Cœlo quoad individuales quaſdam ſui corporis proprietates, vel accidentia; vide capita 11. & 12. Sect.1.Lib. 12.

Taceo mirabilem ſympathiam 7. metallorum cum 7. Planetis à cunctis ferè Philoſophis & omnibus Chymicis adeo celebratam, ac præſertim auri cumSole præ cæteris manifeſtam,pauciſſimis tamen perfectè cognitam,quam ſympathiam etſi Georgius Agricola ſupra citato loco infirmare conetur,dicens plura eſſe metalla quam 7.quod nempe ſit plumbum album, nigrum, & griſeum,biſemuthum vocatum & veteribus ignotum: tamen ut aurum 24. Karatorum & 18. & 14. Karatorum non dicuntur conſtituere 3.auri ſpecies,ſed unicam,etſi colore maximè differant:ita plumbum album, nigrum, & griſeum non erunt 3, ſed unica plumbi ſpecies.

Objiciet aliquis ſi aſtrorum influentiæ recipiuntur formaliter in mineralibus, ergo in his operarentur influentialiter; at nulla influentialis operatio deprehenditur in mineralibus, ergo in his nulla recipitur influentia formaliter.

Reſpondeo nullam deprehendi,quia nulla fit obſervatio circa ortum mineralium,vel eorum ex propria matrice quippe Terra extractionem; inde tamen non ſequi influentias non recipi in mineralibus. Præterea quoniam quicquid recipitur ad modum recipientis recipitur,& operatur,abſurdum eſſet à metallis eaſdem expetere influentiales operationes, quæ in brutis & hominibus deprehendi queunt. Veluti abſurdum eſſet expetere quod quicquid Solis calor efficit in ligno, id efficeret in vitro: ſiquidem mineralium vita in ſuis fodinis tàm occulta, & natura tàm anguſta & coarctata eſt, quippe contracta dumtaxat ad primum gradum mixtorum Elementalium, ut influxus Cœleſtes ſeſe in illis latiùs explicare, & potentiores effectus proferre nequeant,ſicut efficiunt in ſequentibus mixtorum generibus, quæ quia ſicut excellentioris, & amplioris naturæ, etiam influentialium effectuum capaciora ad hoſque aptiora ſunt.

Nec tamen influentiæ ſunt in mineralibus ſuperfluæ, vel prorſus otioſæ. Quoniam enim ad temperamentum concurrunt ex ſupradictis,ſuamque vim lapidi, vel metallo, vel ſali imprimunt, prout fert cujuſque natura, atque capacitas, hinc minerale individuales aliquas contrahit proprietates,quibus ad quoſdam morbos ſanandos, vel alios uſus humanos redditur aptius,tum in ſuæ generationis initio,tum quando ex Terra eruitur,quamvis hoc in univerſalibus nemo quod ſciam expertus fuerit, ſed quia in plantarum ſeminibus Terræ committendis, illiſque ad morbos ex Terra evellendis,non ſolum Agricolæ obſervant loca Solis, & Lunæ, quos inter Planetas tantum agnoſcunt,ſed magni etiam nominis Philoſophi & Medici rationem habent aliorum Planetarum,haſq; obſervationes fatentur utiliter (quod tamen,ſive influentiarum effectibus accidere nequit) cur ſimile denegabitur mineralibus, quæ etiam ex ſemine proprio generantur, vivunt & vegetant.

Caput IV.

An Cæleſtia Corpora agant in Plantas, & quomodo.

Plantæ non modò vegetant, etiam evidentiùs, quàm metalla,ſed inſuper flores, folia,fructus,& ſemen exterius producunt, quo ſpeciem ſuam in perpetuum naturaliter propagent, hoc verò metallis conceſſum non eſt, etſi enim metallum ſupernaturaliter regeneratum Hermeticâ methodo, aliud ſibi ſimile metallum producere queat, hæc tamen productio, ſive propagatio eſt artificialis, ſolique naturæ impoſſibilis, nec propriè vocatur generatio, ſed tranſmutatio. Itaque plantæ ſuperant metalla naturali propagatione ſpeciei.

Quoniam igitur plantæ generantur ex proprio ſemine, congruo influentiarum ſubjecto, cui dona inſunt plurima coloris, odoris, ſaporis proprietatum ſpecificarum,tum mirabilis ſcientia mechanica,proprium corpus in radicibus, truncis, ramis, foliis, floribus,umbellis fructibus & ſeminibus cõformandi, abſurdumque foret adeò nobilem œconomiam ſolis Elementorum adſcribere qualitatibus,quibus dumtaxat convenit calefacere, frigefacere, humectare, ſiccare,rarefacere,denſare, &c. Aſſerimus corpora Cœleſtia in plantas agere, tum Elementaliter, tum influentialiter,prout congruit naturæ duntaxat vegetativæ, ac plantas Cœleſtem influxum excipere, quo momento,vel ſemen Terræ mandatur, vel potiùs, quo ſeminis ſpiritus à Sole excitatus ſui corpuſculi ſolutionem, indeque formationem ejus aggreditur, vel etiam quo ex Terra ad uſus humanos colliguntur: tunc enim illius influxus caractere à parente Cœlo ſignatæ quaſdam individuales contrahunt proprietates, quibus vel redduntur vegetiores,vel fiunt morbis obnoxiæ, vel animalium nutritioni, aut morbis eorum ſanandis redduntur magis aut minus idoneæ, ac efficaces.

Quod autem res ſic ſe habeat norunt non ſolum Agricolæ,qui in ſeminibus Terræ mandandis, herbis, fructibus, arboribuſque plantandis, tranſplantandis, inſerendis,putandis atq; ſcindendis Solis, ac præſertim Lunæ ſtatum in Cœlo, ſitumque ſupra, vel infra horizontem utiliter obſervant, etſi quandoq; fallantur,quòd cæteros Planetas,& horum cum Sole Lunáque ſyſygias ignorent,harumq; vires,ſed

magis adhuc ſapientiores Medici qui in Planetarum collectione ad morborum curationes, medicíniſque componendis præter Solẽ & Lunam etiam reliquos ♄ ♃ ♂ ♀ ☿ pro colligendarum Planetarum & curandi morbi naturâ diligenter advertunt, an ſint in congruis locis, Cœli Terræque reſpectu. Omitto arcanam circa rem hanc Dæmonum, ſuorumque diſcipulorum Magorum ſcientiam. Quippe hanc apertè veritatem teſtatur ipſe Marſilius Ficinus, inſignis Philoſophus, Theologus & Medicus Lib. de Vitâ Cœlitus comparandâ, ſed præſertim illâ in exhortatione ad Lectorem, quam Libro ipſi præmittit, ubi de talibus medicinis loquens ait. *Ego enim frequenti jamdiu experientia compertũ habeo tantùm intereſſe inter medicinas hujuſmodi, atque alias abſque delectu Aſtrologico factas, quantum inter merum & aquam.* Sed eandem etiam confirmat Eccleſia, quæ ſemper, maximè verò in Tridentino Concilio regulâ nonâ Indicis, Aſtrologiam Iudiciariam influentiarũ Cœleſtium contemplatricem in Agriculturâ & medicinâ approbavit, nec abs re, cùm medicinæ principes Galenus & Hippocrates illam tantopere in hac parte commendarint, ut ipſe Hippocrates medicum ſine Aſtrologiâ potius Lanium, quàm Medicum eſſe dixerit, unde patet quid ſentiendum ſit de vulgaribus Medicis, qui ruſticis imperitiores & imprudentiores in quovis ferè morbo, ſingulis ferè diebus, & quavis hora ſine ullo reſpectu Lunæ novæ, plenæ, aut dimidiatæ, vel ſigni quod occupat, multóq; minus aliorum Planetarum in figuris ægri & morbi, ferro venas aperiunt, & purgantia exhibent frequentiſſimè ægrotantium damno.

Alexander de Angelis Lib.1.cap.11.cujus titulus: Quæ rebus adveniunt, non advenire à Cœlo objicit: *provenire eodem hortulo lactucas plurimas, nullas aliis planè ſimiles in foliorum numero, latitudine, colore, ſapore, thyrſo minus aut magis oblongo, craſſo, obtorto: ſimiliterque in viticulis, vacciniis, liguſtris, ejuſdem ſpeciei herbulis in pratis, ejuſdem ſpeciei piſcibus in eodem lacu, tum inter boves & aſinos maximam reperiri diverſitatẽ. Cur ergo non fatemur* (ait) *horum varietatẽ eſſe à primis cauſis, Terra quippe, gleba, ſemine, ſitu, aqua, parentibus potius quàm à Cœlo?*

Itaque reſpondeo diverſitatem illam eſſe, vel à ſolo Cœlo, vel à ſolis cauſis proximis, vel ab utriſq; ſimul concurrentibus: & concedo non eſſe à ſolo Cœlo. Quamobrem niſi de Angelis conceſſerit, eſſe ab utriſque ſimul concurrentibus, illi probandum reſtat, quod ſit à ſolis cauſis proximis: circa hoc verò ille ſeipſum maximè torquet, ſed fruſtra, quòd nulla ejus ratio concludat, nullamque illi manifeſtam pariat veritatem.

Conatur autem ſeſe per ignem explicare dicens, *vel ignis poteſt à Cœlo impediri ne ſtupam comburat, vel non, primum eſt abſurdum, ſi verò dicatur ſecundum, ergo nihil eſt in effectu, quod à proximis cauſis non proficiſcatur.*

Sed reſponderi poteſt: Equidem Cœlum, quia eſt agens neceſſarium, non autem liberum ignem impedire non poſſe, quin ſtupam comburat, imò hanc juvare in combuſtione, quia ex ipſomet etiam Pico Mirandulano in fine cap.4. Lib.3. *In corporeo mundo nihil fit ſine Cœlo.* Ex eo igitur quod Cœlum (ut vult Picus) adjuvat ignem in hoc effectu, qua in Logica ſequetur nihil eſſe in effectu, quod à proximis cauſis non proficiſcatur? Sanè ſi Cœlum agit & effectus per conſequens, à Cœlo patitur: ergo à Cœlo aliquid recipit quod à cauſis proximis non recipit. Attamen mihi non placet talis reſponſio, quia hîc quæſtio eſt de influentiis, quas negat de Angelis. Itaque dico illum ignis effectum pro negandis influentiis in plantarum, vel brutorum generationibus perperam aſſumptum fuiſſe, quia ad ſtupæ inflammationem non opus eſt influentiis, ſed dumtaxat qualitatibus Elementalibus, nempe vel calore Solis per ſpeculum concavum reflexo, vel calore candelæ accenſæ extra flammam effuſo uſq; ad ſtupam convenienter propinquam; non enim ſtupæ inflammatio eſt generatio, quòd omnis generatio ſaltem propriè dicta, fiat ex aliquo ſemine ad aliquam tendente perfectionem, per aſſumpta ſibique unita corporis principia: in illâ autem inflammatione neque ſemen, neque perfectio, ſed potiùs deſtructio, & principiorum ſeparatio deprehenduntur. Cùm ergo ad ſtupæ inflammationem non ſit opus influentiis, ergo etiam nullo exiſtente Cœlo cauſari poterit à ſolo igne Sublunari contra Picum ſupra citatum, qui in Mundo corporeo nihil fieri ſine Cœlo perperam arbitratus eſt: at metallorum, plantarum, vel brutorum generationes quæ ex horum ſemine ſunt, ſine Cœlo, hujuſque influentiis perfici nequevnt. Ex his verò patet, ad quos effectus corporeos Cœlum ſit per ſe neceſſarium, ad quos verò non; vel ad quos Sublunaria Cœlo ſubordinentur, ad quos verò non.

Porrò de Angelis ſuâ per ignem explicatione ſupra dictâ non ſatiſfactus, iterùm ſic urget. *Sive Cœlum arcana vi agat, ſive lumine, & motu, cùm multifaria ejus efficientia variabilis ſit, quo pacto ſit præcipua ratio eorum quæ perpetuò gignuutur, & uno, definitoque modo?*

Reſpondeo primò. Cœlum agere non ſolùm arcanâ vi, ſed qualitatibus etiam Elementalibus, non autem lumine & motu, niſi dumtaxat illuminando, & tàm lumen, quàm reliquas vires Cœli circa Terram ſpargendo, ut alibi diximus. Reſpondeo ſecundò. Cœlum fieri rationem præcipuam eorum quæ perpetuò gignuntur, quia in generationibus cauſæ Sublunares ſubordinantur Cœleſtibus, ab hiſq; dependent, quoad ſuum eſſe, quoad eſſe ſui effectus, & quoad individuales qualitates, vel accidentia ipſius effectus, etſi non quoad ejus ſpeciem: tàm multiplex igitur dependentia, jure arguit cauſæ á qua eſt, non modò ſuperioritatem, ſed etiam primatum ſive principatum.

Reſpondeo tertiò. Quæ perpetuò gignuntur gigni quidem uno definitoque modo, quoad ſpeciem, quæ eſt à natura ſeminis, cui Cœlum obſequitur quoad ſpeciem effectus, non autem quoad individuales differentias, quas etiam admittit de Angelis inter omnes Planetas, & animalia, & ratione quarum, ſemen Cœlo ipſi plurimùm obſequitur.

Omitto alias ipſius De Angelis rationes eodem cap.11, quæ nec ſibi magis cohærent, quam ſcopæ diſſolutæ, & illum etiam in contradictiones detrudunt, ut dum more ſuo ratiocinans aſſerit. *Cauſas Sublunares ſine influxu Cœli frigus præſtare, quod ſi frigus & calorem & humorem, & reliqua, evanuit igitur,* inquit, *omnis virtus Cœleſtis, omniaque in cauſarum Sublunarium jura redierunt.* Quamobrem capite 12. non veritus eſt titulum præfigere. *In rerum procreatione, nullas eſſe Cœli partes*: ſibi contradicens cap.2. ubi fatetur: *magnam eſſe Cœli vim & poteſtatem in Sublunarem Mundum & ſubjecta corpora*: tum 3. ubi aſſerit: *Cœlum habere facultatem efficiendi calorem, frigus, humiditatem, & ſiccitatem in Orbe Sublunari per lumen.* At nos qui veritatis partes tuêmur, per ipſam à talibus liberamur contradictionibus, doctrinamque tradimus ſibi con-

ſtan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ſtantem, ut capitibus ſequentibus adhuc patebit luculentiùs in brutis & hominibus.

Hic etiam omittendas cenſeo rationes Lucii Bellantii quæſt.2.art.3.quibus probatur equidem plantas Cœlo ſubjici quoad generationem, & conſervationem, quod à Pico Mirandulano nuſquam negatum eſt. Sed an Cœlum agat in plantas Elementalibus, vel influentialibus qualitatibus non diſtinxit, nec de influentialibus hac in parte cogitaſſe videtur, qua de re tamē nobis eſt lis præcipua cū adverſariis.

Objicient alii granorum ejuſdem ſpicæ tritici, vel glandium ejuſdem quercus, vel pomorum ejuſdem pomi non eundem eſſe exitum, nam ex ipſis granis alterum comedetur ab avibus, ex altero fiet panis, & ex altero fiet altera ſpica: eademque eſt ratio de glandibus, atque pomis: ergo tam diverſi exitus ad influentias referri nequeunt, quod per has de illis ratio reddi nequeat.

Reſpondeo, nil mirum eſſe ſi diverſi ſint illorum exitus, quippe quod omnia grana, vel poma non eodem tēpore producantur, ſed alia citius, alia tardius. His verò & illis diverſa eſt conſtitutio Cœli initio ſui ortus, ergo diverſum quoque exitum eſſe par eſt, ſimileque dici poteſt de pluribus granis ſimul tempore in Terram projectis, in quorum ſingulis ſpiritus ſeminis non eodem momento temporis vegetationis opus aggreditur. His adde quod ea quæ particularibus cauſis ſubjiciuntur, novum inde fatum ſubeunt, quo univerſalium cauſarum fatum nonnunquam eluditur, aut modificatur. At plantæ brutis & hominibus, ut bruta hominibus ſubjiciuntur, non contra: ergo plantis multa à brutis, & hominibus accidunt præter genethliacam conſtitutionem: non ſecus ac homini ad Triremes condemnato, ut ſuo loco dicetur.

Denique hoc notandum videtur quod plantarum ortus, ſtatus, declinatio, & interitus ideo corporum cœleſtium viribus tum Elementalibus, tum influentialibus maximè ſubjiciuntur, quia ſuis radicibus humi defixa motu carent, quo ſe velut bruta Cœli, & aeris impreſſionibus noxiis valeant ſurripere, in commodiora, vel ſubterranea loca, ideoq; caloris, frigoris, humiditatis, ſiccitatis, tum ſyderationis injuriis frequenter ſunt obnoxiæ, potiuſque reguntur ab annuis revolutionibus Mundi, tum Eclipſibus, & Lunationibus, quàm à propria genitura. Ex his verò patet, quod ſi ſenſum plantis natura dediſſet, illis utique crudelis fuiſſet, quod motum localem illis non conceſſiſſet, quo ſe urenti Soli ſubtrahere, & in umbroſa loca recipere poſſent.

Caput V.

Quo priuſquam determinetur, an Corpora Cœleſtia agant in bruta & quomodo; nova Doctrina de productione formarum Phyſicarum præmittitur, & explicatur.

QUo natura Sublunaris ſeſe latius explicat per vitæ gradus, eo pluribus ſubjacet accidentibus vitæ: proindeque latius etiam patet corporum Cœleſtium regimini & influentiis, hiſque amplius ſubjicitur. Nam quodlibet genitum Sublunare dependet à Cœlo quoad fieri, eſſe, conſervari, & agere, ut antea probàvimus, ergo quo fuerit amplius ejus eſſe & agere, eo amplius à Cœlo dependebit. Jam vero metalla præter mixtionem ad ſummum vegetationem aliquam ſortiuntur. Et plantæ ſuam inſuper ſpeciem excreto ſemine propagant naturaliter: at bruta præter jam dicta etiam ſentiunt, imaginantur, appetunt, de loco ad locum ſpontè moventur, & quandam quoque rationis umbram poſſident. Quorū omnium ratione quam plurimis accidentibus & caſibus fiunt obnoxia, in quibus à cauſis ſuperioribus ſive Cœleſtibus diriguntur, ut fuſiùs infra dicetur.

Cæterum de brutis, quatenus ad conſiderationem Aſtrologicam pertinent, multa quidem egregia hic dicenda nobis occurrunt, hactenus ignota, ſed prius elucidanda eſſet doctrina de Phyſicarum formarum productione inter omnes Philoſophos huc uſq; adeo controverſa: quomòdo nempe, & à quo formæ ipſæ producantur in mineralibus, vegetabilibus, & animalibus. Quia igitur poſt longis, ſæpiuſq; viis diverſis repetitas mediationes circa rem hanc tandem huic incumbentes capiti, nobis venit in mentem quod jam dicturi ſumus, idcirco illud hic apponendum cenſuimus.

Primò itaque quod vulgò dicitur à Peripateticis formas Phyſicas educi de potentia materiæ, mihi videtur abſurdum. Nam quicquid educitur de aliquo, prius debet eſſe in eo, de quo educi dicitur: ſed forma Phyſica priuſquam educi dicatur de potentia materiæ, non eſt in ipſa potentia: ergo non educitur de ipſa potentia. Major eſt certa, nihil enim educitur de eo, in quo non eſt: alioquin forma quælibet educi poſſet de quolibet ſemine, nec ulla eſſet ratio valida de uno potius quàm de alio, id verò contrariatur experientiæ. Minor probatur, nam vel forma Phyſica eſt actu in potentia materiæ, vel tantum potentia. Primum verò dici nequit, actus enim & potentia ejuſdē ſe mutuo excludunt, & ſunt incompatibiles, ac præterea quoniam ipſa potentia eſt in materia, ergo ante generationem formæ eſſet actu in materia. Sed neq; ſecundum dici poteſt: nam eſſe potentia in aliquo, eſt poſſe eſſe actu in ipſo, ſicq; forma poſſet eſſe actu in potentia materiæ etiam ante eductionem, quod jam rejectum eſt. Non ergo forma Phyſica educitur de potentia materiæ. Nec dici poteſt quod potentia, quam habet materia recipiendi formam, ſit ipſa forma in potentia quæ de hac potentia reducitur ad actum per generationem: ſiquidem potentia quam habet materia recipiendi formam, eſt actualis aptitudo materiæ ipſi eſſentialis, ſed forma in potentia, ſive poſſibilis, nihil eſt actuale, & forma æquè eſt in potentia extra materiam, atque in materia, quòd ejus eſſe poſſibile non ſit à materia. Dicunt verò nonnulli formam Phyſicam educi experientia materiæ, idem eſſe ac dependere in fieri, vel eſſe ab ipſa materia, ſed præterquam quod magna eſt ſignificationis verborum diverſitas: Eductio de potentia materiæ non ſolum dicit dependentiam à materia, ſed qualitatem dependentis & modum productionis formæ, de quo præſertim quæſtio eſt, quemque ſimplex dependentia à materia in fieri, vel eſſe, non explicat. Eſto enim quod forma ſubſtantialis in fieri, vel eſſe, depēdeat à materia, ſemper tamen relinquitur inquirendum quomodo fiat ipſa forma in ipſa materia: an nimirum veniat ab intrinſeco, vel ab extrinſeco, & quomodo, tum à quo, & quid ſit.

Ex his igitur patet quod Peripatetica doctrina de formæ Phyſicæ eductione de potentia materiæ ſit abſurda, nec mirum, cum jam Lib. 8. cap. 8. probaverimus evidenter formæ accidentales, lucem, calorem, frigus, vim magneticam & ſimiles non educi de potentia materiæ, vel ſubjecti in quod introducuntur, ac de his jam ſatis dictum eſt.

Alexander verò de Angelis cum numeroſa, quos recenſet, Philoſophorum caterva lib.1.c.15. opinatur formas ſubſtantiales effici à qualitatibus accidenta-

riis nempe calore, frigore & ſimilibus, ut ſunt inſtrumenta ſubſtantiæ, & duo tantum requirit in inſtrumento. Primum, quod aſſimilet effectum principi cauſæ. Secundum, ut ſit aliquid ipſius cauſæ principis, quæ duo ait reperiri in qualitatibus, accidentariis formam efficientibus. Jam verò primum ſupponitur à De Angelis, nec ullâ ratione probatur, ideoq; paralogiſmus eſt. Imò à nobis negatur, & infra patebit eſſe falſum. Secundum verò etiam univerſaliter negandum eſt, nam malleus non eſt aliquid Fabri eo utentis. Præterea filius generando eſſet Patris ſui inſtrumentum, nam eſt ejus filius, deque ejus ſubſtantiâ eique ſimilem producit effectum, igitur abſurdum eſt naturam inſtrumenti in illis duobus conſiſtere, ſed in eo duntaxat conſiſtit, quod non ex ſe, ſed alienâ vi in ſe receptâ, & actu influente producat effectum, ex cap. 9. Lib. 7. Quamobrem ſi qualitas accidentaria ſupponatur eſſe cauſa inſtrumentalis, ergo non aget vi propria, ſed per receptam à cauſa principali, quippe ſubſtantia (ut vult de Angelis) de hac autem virtute recepta quæro: an ſit ſubſtantia, vel accidens: ſi hoc, ergo rurſus aget inſtrumentaliter: ſicque progreſſus fiet in infinitum. Si illud, ergo ſubſtantia erit in accidente, ut in ſubjecto contra utriuſq; naturam: abſurda eſt igitur opinio, quod formæ ſubſtantiales producantur ab accidentariis qualitatibus inſtrumentaliter. Nec valet comparatio de igne, qua ſæpiùs utitur de Angelis, nam dum aliquid inflammatur, non fit generatio formæ ſubſtantialis; ſed tantùm productio formæ accidẽtalis, quod enim inflammatur eſt oleum, ipſa verò flamma eſt adhuc oleum, ſed accenſum. Nec in ipſo duæ ſunt formæ ſubſtantiales: ergo inflammatio accidens oleo, eſt tantum forma accidentalis. Eò autem abſurdior eſt hæc Alexandri De Angelis opinio, quòd velit cap. 15. Lib. 1. accidentia virtute ſubſtantiæ educere formas ſubſtantiales de potentia materiæ, quod ſuperius oſtenſum eſt, falſum eſſe.

At Philoſophi Hermetici cujuſq; rei vitale ſemen ſpectantes ajunt, *ipſum eſſe quoddam corpus ab Elementis diſtinctum, ab eorumque qualitatibus liberum, in quo cujuſque rei ratio, vel eſſentia continetur, quæ eſt ipſius ſeminis ſpiritus.* De quo ſemine & ſpiritu Ariſtoteles Lib. 2. de gener. animal. c. 3. quaſi extra, vel ſupra doctrinam propriam exſtaticè raptus ſic loquitur. *Sed enim omnis animæ virtus, ſive potentia corpus aliud participare videtur, idq; magis Divinum quam ea, quæ Elementa appellantur. Verum prout nobilitate, ignobilitateve animæ inter ſe differunt, ita & natura ejus corporis differt. Ineſt enim in ſemine omnium quod facit, ut fœcunda ſint ſemina, videlicet quod calor vocatur, idque non ignis, non talis aliqua facultas eſt, ſed ſpiritus qui in ſemine, ſpumoſoque corpore continetur, & natura quæ in eo ſpiritu eſt, proportione reſpondens Elemento ſtellarum.* Quo in loco ſeminis corpus negat eſſe Elementum, & ſpiritum ſeminis calorem vocat, vel calidum innatum, qui non eſt ignis Elementalis, aut quid ſimile, ſed ſpiritus natura ſua Analogus Elemento ſtellarum, ſive Cœleſtis. Hactenus verò dicta recipimus, ut veritati conſona: ſed quæ ſubnectunt Hermetici diſcutienda ſunt.

Quidam enim nolunt formam generare ſibi ſimilem formam in ſemine, ſed ei duntaxat lucis radium includere, ſignatum charactere ſuo ſpecifico, qui radius à Sole, vel calore naturæ excitatus, vel evocatus ſeſe tandem in animam explicet: verùm, vel prior illa forma eſt lux, aut non: ſi primum, ergo generat ſibi ſimilem formam in ſemine, dum ipſi includit radium lucis contra hypotheſim: Si ſecundum, ergo ei non includit ſpiritum lucis: Nemo enim dat quod non habet. Præterea quod lucis radius fiat anima, vel forma Phyſica, abſurdum eſt opinari: nam lux ejuſque omnes radii ſunt accidens, ut docuimus Lib. 11. cap. 2. quod fieri poſſe ſubſtantiam, ſive formam Phyſicam, eſt impoſſibile.

Alii volunt formam ineſſe ſemini tantum potentia, eſſeque ex ſe ſcintillam ignis naturæ, vel radium lucis Cœleſtis, qui è potentia ſeminis per motum generationis in actum educitur à Sole formarum parente, qui continuò influit ſpiritum lucis in hæc inferiora, ſed hi à prioribus parum diverſi falluntur etiam: tum quia ſi id quod è potentia ſeminis educitur, ſit lucis radius: ergo non erit forma, quæ eſt ſubſtantia; tum quia ſi Sol continuò influit ſpiritum lucis in hæc inferiora: ergo potiùs talem inducet ſpiritum in ſemen, quàm educet è ſemine: lux enim non educitur ex diaphano, ſed in ipſum inducitur, nec non in quodlibet aliud, in quod ipſe Sol ſpiritum lucis influit. Marſilius autem Ficinus cap. 37. in Timæum Plat. & Comm. in Lib. 8. Enn. 3. Plot. aſſerit eos falli, qui putant materiales formas eſſe veras ſubſtantias, cùm ſint tantum affectio quædam materiæ inducta deſuper ab occulto principio ſpeciem generante, quam etiam affectionem cum Plotino vocat qualitatem materiæ, vel illas eſſe duntaxat idearum imagines, quibus nec vita, nec generatio convenit, proindeque nihil formale gignere poſſe: quod nempe (ait Marſilius Ficinus) materialis forma ſit formarum ultima, quod autem in aliquo genere poſtremum eſt, nihil gignit in eo. Lib. autem de immmort. anim. cap. 10. ait formam corpoream, quia in eſſe dependet à materia, ergo non eſſe per ſe, nec conſequenter agere per ſe: ergo per formam ſublimiorem à materia liberam, à qua forma ipſa corporea continuò dependet in materia, ut à vultu hominis ejus imago in ſpeculo, & hæc ſublimior forma, ſive eſſentia efficit corporum qualitates, hoc eſt, formas corporeas, vel individuale. Vult igitur Secta hæc Platonica extra materiam, tempus & locum exiſtere idæas, ſpecies, vel naturas rerum immortales, ſempiternas, vitales, rerum inferiorum rationibus ſeminariis refertas, perpetuóque activas: à quibus formæ omnes corporeæ in his inferioribus ſuum eſſe habeant, ſive producantur: ideóque generationes omnes abſolvantur.

Cæterum ſublimis hæc opinio quoque peccat. Siquidem Leonis idæa, ſive natura, à materia, loco & tempore abſtracta, in Deo duntaxat eſſe ponitur à Platone & Marſilio Ficino lib. 11. de immort. anim. c. 4, non autem extra Divinam intelligentiam: ac proinde cum Deus eodem cap. dicatur idæarum exuberans plenitudo, ſitque ipſe indiviſibilis & ſimplicitas abſoluta; hinc ſequitur, quod quælibet idæa in Deo, eſt ipſe Deus, imò quod unica ſit rerum omnium idæa quæ eſt ipſe Deus. Quamvis autem receptum ſit apud Philoſophos, Deum ut primam cauſam concurrere ad omnes effectus, tamen ut prima cauſa non concurreret, niſi darentur ſecundæ: ergo præter Deum dantur etiam cauſæ ſecundæ, quas ut Deus in Mundi creatione ſibi ſimiliores efficeret, pro ſua ſumma & infinitè cõmunicabili bonitate, non ſolum dedit illis eſſe, ſed etiam virtutem intrinſecam communicandi ſuum eſſe, ut conſtat ex Geneſeos cap. 1. dum dixit ani-

ma.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

malibus. *Creſcite & multiplicamini & replete Terram, aquas & aerem.* Tunc enim ad ſibi ſimilis generationem ſuæque ſpeciei propagationem, dedit ſingulis proprium congruumq; ſemen, rationibus ſeminariis & naturali conformationis ſcientia inſtructum: qua mediante & Adamus verum hominem, & leo creatus verum leonem, & bos creatus verum bovem genuêre, quales à Deo creati ſunt, quod tamen falſum eſſet, ſi bovis geniti vel creati forma non eſſet ſubſtantia, ſed materiæ tantum affectio vel qualitas, ut Marſilius Ficinus cum Plotino putant, nec refert quod bos creatus, vel genitus infinitè differt à perfectione ſuæ ideæ quæ Deus eſt: Deus enim alterum Deum facere nequit, at verum bovem efficere poſſe quis negabit?

Itaque Deus ad plantarum & animalium generationes concurrens, ut prima cauſa, ſine qua ſecundæ nihil efficere queunt, equidem efficit quidquid ab illis & ſeminariis rationibus fit: his enim & illis eſt ſummè intimus, ſed tantum ut cauſa univerſalis ex ſe indifferens ad quoſlibet effectus, & ad quoſlibet determinabilis: cauſæ verò ſecundæ concurrunt, ut particulares & propriæ effectuum cauſæ, primam illam vel univerſalem determinantes ad ſibi vel ſuæ virtuti connaturales & proportionatos effectus. Indeq; accidit, ut Deus cum equo non generet bovem, nec cum bove equum, ſed cum equo equum & cum bove bovem. Igitur formæ genitæ ſibi ſimiles generãt, nec opus generationis à ſolo Deo abſolvitur, ut voluit Marſilius Ficin. lib. 11. de immort. anim. cap. 4. dum ait. *Similiter Deus unus, idearum exuberans plenitudo, materiam fluctuantem fingit ſemper ſimulachris idearum.* Nec etiam in generatione, cauſæ ſecundæ, vel particulares ſunt inſtrumenta primæ cauſæ, vel ideæ, ut paſſim volunt Platonici: Inſtrumentum enim non ex ſe & vi propria, ſed aliena virtute concurrit in effectum. Equus autem generans equum, ex ſe & vi ſibi propria concurrit, non autem aliena. Atque circa hoc deceptus Ficinus dixit ſuperius, materiales, hoc eſt individuales formas non gignere, quia opinatus eſt illas eſſe inſtrumenta idearum ſuarum, ideoq; non gignere ex ſe, veluti inſtrumentum ex ſe nihil efficit: ſed ideas per formas ipſas gignere: exempli gratia hunc equum non gignere, ſed ideam equi per hunc equum gignere: quod tamen hic oſtenditur eſſe falſum.

Expoſitis igitur nec non repudiatis Veterũ opinionibus, jam quid circa tam celebrẽ controverſiam ipſe cenſeam aperio latius quam in fine cap. 2.

Certum eſt quod granum tritici projectum in Terram virtute ſeminaria grano incluſa fit ſucceſſu temporis ſpica, quæ alia grana etiam valde numeroſa producit ejuſdẽ prorſus naturæ formæ, vel ſpeciei cum grano projecto, & hic eſt ultimus terminus atque finis grani projecti, nimirum producere ſpicam & per hanc alia plura grana ſibi ſimilia, ad ſui ſpeciei propagationem & multiplicationem, quaſi ſpica ipſa ſit grano projecto medius quidam & congruus naturæ ſtatus, in quo ſolo inſita ſibi virtute ſui propagationem & multiplicationem moliri queat. In hoc igitur naturæ motu, duo cernuntur extremi termini, nempe granum projectum & granum productum, inter quos ſpica ipſa mediat: & in quocunque motu fit tranſitus ab uno extremo ad aliud, medium ab utroque extremo diverſa ratione differt, ſi ipſa extrema inter ſe differant: ut in accretione, dũ planta digitalis altitudinis fit cubitalis, neceſſe eſt ut tranſeat per medium quod neque eſt digitale, neque cubitale, ſed major digitali & minor cubitali: ſimiliterque in alteratione dùm frigidum fit calidum, neceſſe eſt ut tranſeat per tepidum, quod neque eſt calidum nec frigidum, ſed temperatum, ſive frigido minùs frigidum, & calido minùs calidum. Si ergo extrema inter ſe non differant forma Phyſica, nec medium etiam ab ipſis differret forma Phyſica. Medium enim nihil habet ex ſe, ſed quod eſt formaliter, id accipit à priori extremo, idemque reddit poſteriori, ſi ambo formaliter non differant: ideoque medium ipſum idem eſt forma, vel ratione Phyſica cum utrovis extremorum: quoniam igitur granum tritici projectum & productum forma Phyſica non differunt. Ergo ex prædictis conſtat quod grani projecti, ſpicæ, & grani producti eadem eſt Phyſica forma numero.

Idem verò ſic aliter oſtendimus. Glans in Terram projecta fit quercus ſucceſſu tẽporis, quæ unicam duntaxat numero formam quercus habet diffuſam per radices, truncum, ramos, folia & fructus, ſive glandes numeroſiſſimas annuatim productas ex ipſa quercu. Nec enim dici poteſt quodlibet horum non eſſe animatum anima ipſius quercus: tum quia horum quodlibet conformatur, nutritur & vegetat, ideoq; non alia vegetante anima quam ipſa quercus: tum quia glans in Terram projecta virtute ſua ſeminaria conformationem & vegetationem quercus incipit, ipſaq; fit quercus non depoſitione propriæ virtutis, ſive formæ, ſed proprii corporis (quod eſt materiale ipſius glãdis) in quercum organiſatione, & per ſimilium attractionem initiali nutritione quæ eſt vegetatio, vel ſi mavis glans fit quercus, non ſeipſam deſtruendo, ſed potius explicando. Cùm igitur organiſatio & vegetatio ſint ab eadẽ ſeminis virtute, & hæc continuetur in quercu illa abſoluta, ergo vim ipſam in quercu continuari nulla videtur ratione negandum. Præſertim quòd in ipſa quercu novi rami continuò producantur, ideoq; organiſentur & vegetent: at non alia virtute quàm quæ ab initio quercus, hujus organiſationem & conformationẽ inchoavit. Ergo glandis projectæ, quercus, & glandis productæ eadem eſt forma ſpecifica, formaliſque virtus.

Porrò quoniam in qualibet glande producta tantundem eſt formæ glandis ſeu virtutis querci feræ, quantùm erat in prima glande ex qua prodiit arbor tota: igitur hujus primæ glandis forma mirum in modum aucta & multiplicata eſt quantitate, in tota quercu & glandibus productis, & quercus forma perſeverans ab initio eadem numero per æquivalentiam, continuò augetur vel reparatur alimentis, anniſq; ſingulis habet ſuos excretionis vel multiplicationis proximos. Ut autem augmentum & multiplicationem admittit, ita etiam decrementum atque diviſionem. Itaque forma productæ glandis, eſt pars formæ quercus à qua decidit. Eademque eſt ratio de plantis cæteris.

Hanc verò ſententiam cum Pythagoricis & Stoicis approbat Nicolaus Cardinalis de Cuſa Lib. de Venat. Sapientiæ cap. 1. dicens. *Pythagorici ajebant vitalem ſpiritum in ſeminis vapore, corpus in corpore ejus potentialiter ſubſiſtere, quod & Stoici (qui & Zenonii) approbantes, ſubſtantiam fructiferi ſeminis in ſpiritu vaporabili eſſe dixerunt: qui dum in grano aut alio ſemine expiravit non fructificat. Ipſe ſpiritus ſi ſuo carcere ſolvatur, movet ſemen ad novam generationem, & genitum ad varias operationes, qui motus vi-*

ta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ta appellatur. *Ac niſi ſibi ſimili cibo paſcatur, expirat & deficit*. Hæc ille. Ex quibus conſtat quod ſpiritus ſeminis ſit anima geniti, cum hoc moveat ad varias operationes, qui motus vita vocatur.

Idem omnino dici debet de animalium ſemine, ex quo & cujus virtute fit, organiſatur, vegetat & augetur corpus animalis in utero. Quod nempe virtus ſeminis animalis non alia ſit quàm ſubſtantialis forma ipſius animalis: quæ à principio ſimiliter augetur, ſtatiſque temporibus turget in quibuſdam præſertim animalibus, & per ſeminis excretionem dividitur. Idemq; cenſendum eſt etiam de hominis ſemine illiuſque forma corporea, cui ſupervenit ſpiritualis à Deo per creationem; quamque formam corpoream ipſe Deus in Veteri Teſtamento vocat animam carnis: ob quam Judæis interdixit eſum ſanguinis, quòd ſanguis proxima ſeminis materia, jam vim illam ſeminariam nonnihil participet. Atq; hæc fuit etiam Hypocratis ſententia qui paſſim vocat ſemen animatum. Unde Lib. 1. de Diæta inquit. *Si quis animam animæ miſceri neget amens eſto.*

Ex ſupra dictis verò ſequitur omne ſemen eſſe animatum & vivere, etiam actu, ſive ſemen tritici, ſive ſemen ovi, ſive quodvis aliud. Sed quia ſuperior quilibet gradus vitæ corporeæ, includit inferiores; hinc fit, ut granum tritici in ſe tantùm vivat, ut ſemen auri in auro; hoc eſt vita occulta & inconſpicua actionum ſenſibili varietate, niſi hermetica excitetur arte, at in ſpica vivit, vita manifeſta ſibi propria & actionibus diſtincta. Similiter ſemen animalis tantùm vivit in ſe vita occulta, ut metallum in fodinis, at in fœtu vegetante, vita vivit manifeſta, ut planta; in bruto autẽ perfecta vita ſenſitiva: ideoq; vivit pro ratione diſpoſitionis ſui corporis. Unde conſtat ſpiritum ſeminis bruti in generationis opere hunc ordinem ſervare: quod nempe corpus ſuum (hoc eſt materiale ſeminis) priùs diſſolvat, tum dividat organiſetque, deinde in ipſo vegetat alimentis tractis atque tranſmutatis, tandemq; ſentiat: at ſpiritus ſeminis hominis, hoc eſt hujus anima corporea, ſiſtit in vegetatione, ordinaturque ad animam ſenſitivam ſimulq; rationalem extrinſecus venturam, ut infra dicetur. Qua tamen præſente non corrumpitur ipſa anima corporea, ſeu vegetans, nec à ſuo ceſſat munere vegetandi: humanum quippe corpus eodem modo nutritur & vegetat poſt introductam rationalem formam, atq; ante: ideoque ab eadem anima vegetante, quæ per conſequens ratione vegetationis non dependet per ſe ab anima rationali ſuperveniente: ſed ratione durationis in tali corpore: quippe quòd vegetans hæc anima in carnali corpore illico interiret, fœtu in lucem edito, ſi ſolitaria tale corpus nimirum corruptibile regeret. Itaque præſente anima creata, deinceps illi ad agendum ſubordinatur atque ſubſervit.

Hæc autem doctrina de formarum productione, vel Phyſicorum corporum generatione, haud parum affinis eſt ei quam doctiſſimus Petrus Severinus Danus tradit in ſua Idæa Medicinæ Philoſophicæ, juxta Paracelſi & Hypocratis placita de rerum ſeminibus horumque ſpiritibus, per generationes ſucceſſivas in ſcænam mundanam prodeuntibus, de qua alibi diximus: ſed hæc rem ipſam accuratiùs exponere videtur, & communiter recepto Philoſophandi modo accommodatior eſt: in quam tamen non brevis momenti objectiones fieri queunt.

Objiciet igitur quiſpiam. Ariſtotelem ſupra dicto cap. 3. Lib. 2. de generatione animalium: aſſerere, in animalium ſeminibus & etiam cõceptibus nondum ſeparatis, hoc eſt organiſatis, animam non eſſe actu, ſed tantum potentia: ergo falſa eſt doctrina ſuprapoſita, quæ ponit omne ſemen actu animatum.

Reſpondeo primo. Ariſtotelem ſibi contradicere, nam eodem cap. priùs dixit ſemina & conceptus animalium, nihilominus vivere quàm ſtirpes, ideoque habere animam vegetalem. Reſpondeo ſecundo. Veritatem hujuſce rei non eſſe petendam ab Ariſtotele, cujus ingenium non fuit regula veritatis: ſed ab ipſa re. Jam verò organiſatio & ciborum tractio, fiunt ab eadem virtute ſeminis, ut ſuperius dictum eſt. Ac per conſequens ſaltem in brutis, vel virtus ipſa eſt forma ſubſtantialis eadẽ ſpecie cum forma animalis à quo ſemen ipſum decidit, vel eſt ejus formalis proprietas; quandoquidem confert ſpeciei characterẽ: ſi primum habetur intentum, ſi ſecundum habetur etiam: quippe formalis proprietas nunquam eſt ſine forma ipſa: ergo ſemper in ſemine anima eſt actu, quòd illa virtus inſit actu ſemini & non poteſtate.

Objicietur ſecundo. Sequi ex iſta doctrina, equum generantem & equum genitum eſſe eundem numero equum. Nam equus generans habet eandem numero animam cum ſuo ſemine: & equus inde genitus, etiam eandem numero cum illo ſemine: ergo utriuſque equi eadem eſt numero anima; ſive forma, proindeque ſunt unus tantum numero equus, quod abſurdum eſt opinari.

Reſpondeo, ſemen ut eſt in equo generante, eandem numero animam habere cum ipſo equo: at numero diverſam dum ab illo decidit, vel ſeparatur, ut accidit in planta & ſuo ſemine ſeparato. Quamobrem cùm equus genitus eandem habeat numero animam cum ipſo ſemine ſeparato ex quo gignitur: ergo animæ equi generantis & geniti, proindeque ipſi equi numero differunt, ut patet in cæteris omnibus quæ dividuntur.

Objicietur tertio. In animalibus mutuo maris & fœmellæ congreſſu gignentibus ſtare non poſſe doctrinam iſtam: ſi enim maris ſemen animam ipſius maris habeat, & fœmellæ ſemen animam fœmellæ: ergo ſeminibus coitu decidentibus, concurrentibus & commixtis, erunt in mixtione duæ animæ ejuſdem ſpeciei, ſicque animal genitum erit duplex numero animal, ab illis duabus animabus.

Reſpondeo primo. Eandem fieri poſſe objectionem ſi ſemina ponantur animata duntaxat potentia. Reſpondeo ſecundo. Quod ſuppoſita animæ multiplicatione, vel incremento per alimenta ejuſque diviſione per ſemen excretum ab animali, vel planta, ut à nobis ſuperius factum oſtenſumq; eſt, nihil repugnat quin etiam admittatur additio ex duabus numero animabus ejuſdẽ ſpeciei duorum ſeminum diverſi ſexus, in unam numero animã, juxta illud Hypocratis ſuperius citati. *Si quis animam animæ miſceri neget, amens eſto*, quandoquidem ab Authore naturæ inſtitutus eſt ille concurſus ſeminũ diverſi ſexus, ad idem numero animal generandum. Ut enim diviſio eſt quædam ſubtractio, ſic multiplicatio, vel incrementum eſt quædam additio. Sicut ergo ſeminis forma multiplicationem admittit: ſic etiam additionem admittit. In hoc autem conveniunt hæc additio formarum ſeminis maris & femellæ, cùm ſuprapoſita ex alimentis, quòd ex utraque una numero reſultet anima, ſed in hoc differant, quòd illa fiat à concurſu maris & femella ob naturæ inſtitutũ, hæc verò in ſolo mare vel femella. Porrò ſimile omninò accidit

in

in formis accidentalibus, calore, frigore, luce, vi magnetica & ſimilibus; quod nempe intendantur & remittantur, additione & ſubſtractione partium entitativarum: nec non ex duabus numero diſtinctis, ſed in idem numero ſubjectum concurrentibus & effuſis (ut à nobis alibi probatum eſt) eadem tantum numero accidentalis forma reſultet.

Objicietur quarto. Hinc ſequi formas ſubſtantiales Phyſicas eſſe eſſentialiter materiales, ſive aliqua conſtare materia; quòd nempe per alimenta augeri & per excretionem aut conſumptionem, vel reſolutionem, ut in maraſmo diminui ſupponantur. Sic verò materia & forma corporis Phyſici non eſſent ejus principia primò oppoſita, nec verè eſſent principia, quæ neque ex ſe, neque ex aliis fiunt. Hoc autem omnium rectè Philoſophantium menti repugnat, & abſurdum eſt: ſi quidem ut materia ex ſe nihil habet formæ Phyſicæ; ſic forma nihil ex ſe habere debet materiæ: alioquin neutra ex ſe eſſet principium ſimplex, ſed utraque ſeorſim jam eſſet compoſitum, ſive corpus Phyſicum, quod ab omnibus dicitur ex materia & forma componi.

Reſpondeo, illud minimè ſequi: non ſecus ac quamvis formæ accidentales, calor, frigus, &c: etiam in animali per alimenta augeantur ſecundum partes entitativas, & minuantur per excretionem, vel effluxum, ut dum Medici corpus humanum ſumpta theriaca, vel hipocratico vino calefaciunt, & ſanguinis emiſſione refrigerant: tamen nemo dixerit calorem, aut frigus eſſe eſſentialiter materialia: ſi ergo calori & frigori convenit intendi & remitti, hoc eſt partibus entitativis augeri & minui, quidni id multò magis conveniet formis ſubſtantialibus, ſaltem aliquibus?

Objicies quinto. Ergo formæ ipſæ ſubſtantiales erunt entia ſpiritualia, ſi ex ſe omni prorſus materia carere ponantur.

Reſpondeo, illud non ſequi & falſum eſſe: quippe quòd ſubſtantia ſpiritualis ſit indiviſibilis in partes entitativas: ideoque anima rationalis quia ſpiritualis, traduci nequit in generatione hominis, alioquin in deciſione ſeminis divideretur, quod enim traducitur ſemini inſit oportet per quod ſolum traducitur; illæ verò formæ ſubſtantiales entitativè dividantur & augeantur, ut ſuperius dictum eſt.

Tandem objicietur hinc ſequi ſemen hominis eſſe actum animatum forma rationali, ideoque hanc formam traduci à parentibus in liberos, contra Ariſtotelem, qui etiam agnovit ingenuèque faſſus eſt ſupradicto cap. 3. animam hominis rationalem, ſive mentem, eamque ſolam advenire extrinſecus. Tum etiam contra fidem Catholicam, quæ Ariſtotelis ſententiam approbans, determinat ipſam rationalem animam à ſolo Deo produci per creationem, etſi D. Auguſtinus Lib. 3. de Peccat. merit. cap. 10, non audeat definire, an anima rationalis ſit ex traduce, nec ne: deficientibus ad hoc apertis Scripturæ teſtimoniis: & Lib. 5. ad Jul. cap. 3. afferat, carnem & animam, aut utrumque vitiatum ex homine trahi, aut alterum in altero tanquam in vitiato vaſe corrumpi.

Sed reſpondeo, illud minimè ſequi: Nam in homine duplex anima eſt admittenda, ut jam ſupra indicatum eſt. Prima nempe corporea, qua ſaltem vegetat fœtus priuſquam rationali anima informetur, tum ipſa rationalis extrinſecus per creationem à Deo ſuperveniens fœtui formato, ſibique vegetantem illam ſubordinans ad vegetationis continuationem, tum ad generationem (quòd omnis anima ex ſe vegetans ſit etiam ex ſe generans) non autem deſtruens, vel corrumpens ipſam, aut ejiciens. Hoc autem probatur, tum ex Ariſtotele ſupra dicto cap. 3. ubi ait, non ſimul fieri & animal & hominem, hoc eſt fœtum prius eſſe animal quàm hominem, ideoque potiori ratione prius corpus vegetans quàm hominem: tum quia in Veteri Teſtamento pluries fit mentio animæ carnis, ob quam Deus interdixit Hebræis eſum ſanguinis. Itaque in hominis ſemine eſt actu hæc anima carnis hominis, etiam multò magis quàm in ſanguine ex quo fit ſemen: & hæc anima traducitur, non ſolum cum ſpeciei charactere; ſed etiam plerumque cum excellenti ſimilitudine corporea parentum à quibus ſemen decidit, ut quotidiana experientia probat. An autem hæc anima vegetans ſit etiam ſenſitiva à rationali diſtincta, & hanc præcedens; vel an præter rationalem dentur ſeorſim duæ aliæ, major eſt difficultas. Id ſuperiùs aſſerit Ariſtoteles, nec parum D. Paulus, ſcribens contra carnem ſpiritui inimicam paſſim favere videtur affirmativæ: & huic opinioni aliunde contrariari videtur Eccleſiæ praxis, quæ abortivo fœtui aliquod ſignum, hoc eſt, actionem vitæ ſenſitivæ manifeſtanti, baptiſmatis largitur Sacramentum: quod tamen ſacrilegium eſſet, ſi anima rationalis abeſſet: jam verò ſi anima ſenſitiva præcedit tempore rationalem in fœtu, quidni in illa prioritate poterit aliquod ſignum vitæ ſenſitivæ in ſenſu, vel motu edere, quo per conſequens tempore baptiſmus prophanaretur? Poſſet autem ni fallor hæc difficultas ex ſacra Scriptura ita conciliari. Si fœtus maſculus ante diem à conceptione 40, vitæ ſenſitivæ ſignum edat, non baptiſetur, maſculi enim anima rationalis à Deo tantum fœtui infundi cenſetur die 40: & ſignum vitæ ſenſitivæ præcedens, eſt ab anima ſenſitiva ſolitaria, ſed ipſo die 40, & poſtea baptiſetur, ſignis vitæ ſenſitivæ conſpicuis. Idemque à ſimili intelligatur de fœtu fœminino, ſi ante diem 80 à conceptu, vel poſtea vitæ ſenſitivæ ſignum protulerit.

Sed arguet quiſpiam, ſi fœtus eſt animal priusquam homo, ut vult Ariſtoteles, ergo eſt animal irrationale, hoc eſt beſtia: cujuſnam ergo ſpeciei beſtia eſt? ſique Deus animam rationalem illi non infunderet, quid fieret de illo fœtu? nonne tandem naſceretur? Id profectò non videtur negandum, cùm ad nativitatem infantis non concurrat ejus anima prout eſt rationalis. Quodnam ergo eſſet animal? præterea quoniam anima rationalis & illa anima ſenſitiva differunt, realiter ex ſuprapoſitis ab Ariſtotele, dum ait, hominem prius eſſe animal quàm hominem: dum homo moritur quid fit de anima ſenſitiva, ſive beſtiali? an corrumpitur? an ſequitur animam rationalem? vel quo abit?

Has ergo pluresque alias difficultates alioquin inexplicabiles vitabimus, vel facilè ſolvemus, ſi dixerimus in hominis ſemine non aliam eſſe corpoream animam quàm vegetativam, atque hanc ad fœtum ſufficere, quòd virtute vegetratrice & ad ſimilitudinem humanæ ſpeciei formatrice inſtructa ſit: quibus duntaxat & alimentis, fœtus ipſe indiget. Hoc autem debitè diſpoſito, creari à Deo animam ſpiritalem quæ ſit formaliter rationalis & eminenter ſenſitiva; quæ vegetantem ipſam ſibi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ſubordinans in corporis informatione, cunctas deinde in humano corpore operationes, vegetationi quidem per vegetantem animam, ſenſus verò & rationis per ſe abſolvat. Et quia omnis forma Phyſica quatenus ſubſtantia incompleta, inclinationem habet ad materiam non primam, ſed ſibi convenienter diſpoſitam: hinc accidit, ut anima rationalis in ſuo corpore, hoc eſt, ſua carne ſibi complacens animali ſenſualitate, & ſuis carnalibus deſideriis indulgens, fieri dicatur beſtialis, hoc eſt, beſtiis vita & actionibus ſimilis, caroque tunc vocetur, non ſecus ac vocatur ſpiritus; dum ſpreta carne, deſideria ſua carnalia prorſus rationi Deique legi ſubjicit. Quamobrem niſi Deus fœtui animam rationalem daret, naſceretur tantùm maſſa carnis, ut ſæpe videmus naſci fœtus mortuos: dumque ipſe homo moritur, anima vegetativa deſtruitur, ſive corrumpitur, ex ejuſque corruptione, vel decremento vitæ humanæ diutius conſervandæ impari, mors ipſa accidit: poſt quam illa rationalis ſimulque ſenſitiva anima abit in locum ſibi ex propriis actibus deſtinatum, ubi ne quidem poſt reſurrectionem ullus eſt uſus animæ vegetantis, ſed duntaxat ſentientis & rationantis. Sic ergo rejicitur à nobis ſuprapoſita Ariſtotelis doctrina, dum ait, hominem priùs fieri animal quàm hominem, tum alia quæ videtur abſurdior dum aſſerit, equum non ſimul etiam fieri animal & equum: ſi ſaltem Ariſtoteles de prioritate temporis intelligatur.

Nec in hanc ſententiam noſtram dicat aliquis naturæ ordini in vitæ gradibus vegetativo, ſenſitivo & rationali congruentius eſſe, quod hominis ſemen atque fœtus informentur actu anima ſenſitiva, ut bruta, quàm ſimplici vegetativa, ut Planetæ; quandoquidem homo brutis quam Planetis affinior & ſimilior eſt. Nam hominis generatio non eſt merè naturalis: quòd ejus anima, ſive forma non traducatur, vel à natura producatur; ſed à ſolo Deo creatur, quamobrem neceſſe fuit naturæ ordinem interrumpi, quòd anima vegetativa ſufficeret in hominis ſemine, ob cauſam ſuperius dictam.

Superiori verò doctrinæ contrariatur D. Thomas p. p. q. 67. art. 4. ſed rationibus quæ nullius ſunt ponderis. Præcipua eſt, quod inde ſequeretur animam non dare eſſe ſimpliciter: quod libenter concedimus, cum tantum det tale, eſſe qualis ipſa eſt, & non eſſe ſimpliciter. Favent autem nobis Chymici qui elementorum, aut principiorum Chymicorum ex quibus materialiter componimur, formas proprias in corpore noſtro remanere & incorruptibiles eſſe teſtantur, quamvis omnes in generatione mixti concurrant.

Cæterum hîc omittere nequeo, quod ſuperiore doctrina octidui ſpatio profundiſque meditationibus concocta, deinde reſoluta, tandemque ut ſuperius ſcripta: dum occurrentem mihi in Muſæo Librum Julii Cæſaris Scaligeri adverſus Cardanum de ſubtilitate fortuitò aperirem, incidi in ejus exercitationem 6. num. 5. quæ eſt de generatione, ex cujus lectione deprehendi non ſine admiratione, meum ingenium cum ipſius doctiſſimi Scaligeri ingenio conveniſſe ſolo ductu veritatis circa doctrinam iſtam de ſemine actu animato, & animæ diviſione: quod ſanè non exiguo me affecit gaudio, dum vidi me talis doctrinæ ſolitarium aſſertorem non fore, ſed tam illuſtrem ac celebrem habere fautorem. Nihilominus diſſentit à me in duobus. Primò, quòd numero 11. ipſius exercit. 6. concedens geniti animam eſſe partem animæ genitoris, hanc reddit rationem. Dividitur enim ad materiæ diviſionem materialis anima, totaque eſt in ſui parte, quod ultimum ipſe nego, & verbis ejus contrariatur. Nam ſi dividitur ad diviſionem materiæ: ergo ut tota materia non eſt in ſui parte, alioquin hæc eſſet pars & totum, ideoque pars & non pars, ſic tota anima non eſt in ſui parte. Sed ut materia conſtat diverſis partibus entitativis, indeque eſt diviſibilis, ſic anima materialis. Secundò, quod eodem num. 11. Animæ vegetativæ qua vivit fœtus hominis, velit ſupervenire ſenſitivam; tum his abolitis infundi rationalem. Ego verò ſolam vegetativam ad rationalis adventum admittam, eamque remanere, & rationali ſubſervire velim. Conferantur invicem à ſapientioribus utriuſque ſententiæ rationes. Videaturque idem Scaliger exercit. 290. num. 2, circa finem, ubi nolens vegetativam corrumpi à ſequente ſenſitiva, & hanc à ſequente rationali, putat ex utriuſque unam fieri, ac priorem in poſteriore contineri ſicut Trigonum in Tetragono. Qua in parte ſibi contradicit: Nam ſi poſterior priorem continet, ergo vel ex priore & poſteriore, non fit una, vel hoc eſt ſuperfluum, præterquam quod dicendum eſſet etiam qua ratione ex illis duabus altera materiali, altera immateriali fiat una. Arduam igitur hac de re difficultatem excitatam, Scaliger ipſe non ſolvit, quæ tamen nulla eſt in doctrina à nobis expoſita. Sed de animarum, ſive formarum ſubſtantialium productione, jam ſufficienter dictum eſt. Vide tamen adhuc eruditam Panurgi Epiſtolam noſtram de tribus Impoſtoribus.

Caput VI.

An corpora Cœleſtia agant in bruta, & quomodo, ubi de materiæ ad formas præparatione.

Poſtquam ſuperiori capite de formarum origine dictum eſt generatim: jam facilius erit determinare, an corpora Cœleſtia agant in bruta & quomodo.

Dicimus itaque primò, corpora Cœleſtia in brutis, nec materiam, nec formam, nec utriuſque unionem per ſe, ut cauſas ſaltem particulares efficere. Non quidem materiam, quia ſolus Deus illam efficit ab initio Mundi, eſtque ingenerabilis & incorruptibilis: atque ex Ariſtotele Lib. 1. Meteor. cap. 2. hæc in omni generatione Sublunari ſuppeditatur ab Elementis. Non etiam formam: Hîc enim quæſtio eſt de formis generationum Phyſicarum, quarum nulla fit ſine ſemine, jam verò quodlibet ſemen habet in ſe ſuum ſpiritum, qui eſt forma corporis generandi, excepta ſolius hominis forma rationali, ut ſuperiore capite 5. dictum eſt. Quare nec aſtra formæ cum materia unionem efficient, hæc enim jam in ſemine ipſo facta eſt: illud verò ſic confirmatur. Nam aſtra, ut Sol, non habent ex ſe quod ſemen equi producant, potiùs quàm ſemen bovis, ſunt

igitur

igitur hac in parte duntaxat cauſæ ex ſe indifferentes: univerſaliter cum Sublunaribus ad agendum concurrentes & ab his determinabiles: ideoque determinantur ab equo ad productionem ſeminis equi, & à bove ſimiliter, quamobrem equus & bos ſunt ſuorum ſeminum cauſæ particulares, non aſtra. Et quia ſemen equinum ex maris & femellæ coitu deciſum & commixtum in utero equæ, eſt formaliter futurus equus, ut ſupra oſtenſum eſt, patet quod ut equus & equa ſunt ſui ſeminis cauſa efficiens particularis, ita & equi ex illo ſemine oriundi cum vita manifeſtè ſenſitiva, non autem Cœlum ipſum.

Lucius autem Bellantius quæſt. 2. art. 4. contra Picum, ſententiam contrariam amplexus eſt, vanis quibuſdam hallucinatus argumentis ab ipſo non benè digeſtis. Ait enim primò: *animalia non generari à ſolo mare & femella, ſed concurrente Cœlo, qui mares & femellas diſponit & excitat ad coitum.* Verum his etiam conceſſis, non propterea ſequitur Cœlum eſſe cauſam particularem: cùm ut prima & univerſalis cauſa, ex ſuo munere talia præſtet. Ait ſecundò: *Animalia ignorare organiſationem corporum quæ generant: ideoque dirigenda eſſe ab altera cauſa: non ſolùm prima, quippe Deo, ſed alia naturali, ut generatio ſit naturalis.* Verum Bellantius non benè conſuluit Ariſtotelem, qui Lib. 2. de gener. anim. pluribus in locis ſpiritui ſeminis artem conceptum diſtinguendi & organiſandi tribuit, nec Chymicos etiam qui eidem ſpiritui mechanicam mirabilemque ſcientiam conformationis adſcribunt: valdeque deceptus eſt Bellantius, ſi arbitratus eſt Cœlum habere talis organiſationis ſcientiam, pro ſingulis tum animalium, tum plantarum ſpeciebus. Dumque dicit ſe per Cœlum non intelligere ſolum corpus Cœli, vel aſtri, ſed ejus quoque matricem intelligentiam, cui talis eſt ſcientia, hoc ita refutatur. Nam vel organiſatio eſt à ſola intelligentia, ſicque non erit naturalis, vel ab intelligentia per Cœlum, ut per inſtrumentum, ſicque Cœlum non erit cauſa principalis, vel ab intelligentia ſimulque Cœlo vel aſtro, ut cum cauſis ipſius organiſationis, ſed quia hujus ignarum ſupponitur eſſe Cœlum, illa ſoli intelligentiæ erit ſemper tribuenda.

Longè acriùs urget Objectio de animalibus è putri materia genitis, quæ Peripateticas Scholas & Viros doctiſſimos non parum hactenus exercuit, quæque præcipuè videtur Bellantium induxiſſe, ut animalium formas omnes à Cœlo, ut particulari cauſa produci cenſuerit. Quippe ex equino ſtercore ſcarabeos, ex cadavere vermes, ex vaporibus in aerem elevatis ranas, aut bufones, ex quiſquiliis mures, ex humani corporis ſudore, vel fuligine pediculos, & ſimilia ſine patre & matre, vel apparente ſemine gigni, ſunt effectus qui aut Deum in creandis, aut ſaltem Cœlum in producendis hiſce animalium formis ſemper occupare videntur. De Deo autem ad quem rerum Phyſicarum ignari frequentiùs quam par ſit confugere ſolent, id dici non debet. Nam ſi natura ſola nequit illa bruta producere, quid opus eſt illa produci ſupernaturaliter, & Deum continuò ſupplere talem naturæ defectum (ſi defectus dici debet) quaſi nequiverit ipſam condere perfectam, ſufficienterque potentem circa muſicas, vermes, taliaque animalia omnium etiam viliſſima, totoque Terrarum Orbe innumera. Ergo tales formas à Cœlo, vel Sole, ut cauſa particulari produci fatendum eſſe videtur.

Sed reſpendeo primò: Certum eſſe ex antea dictis, nullam fieri generationem ſine ſemine, nullumque ſemen eſſe ſine ſuo ſpiritu quod eſt futuri viventis forma: nec Cœlum, vel aſtra producere ſemina, ut horum particulares cauſas. Nam vel inſunt Elementis, ut naturæ theſauri, initio creationis ibidem à Deo impoſita & abſcondita, congruis temporibus virtute corporum cœleſtium excitanda & in ſcenam mundanamároditura: vel inſunt plantis & animalibus præfectis, quibus Deus cum benedictione dedit proprium ſemen ad ſui ſpeciei propagationem. Atque hæc ſemina vocantur à nobis pura & legitima.

Reſpondeo ſecundò: In natura dari inſuper ſpuria & impura ſemina in excrementis animalium, horumque cadaveribus, tum cujuſque viventis putredine latentia ex quibus cuncta generentur quæ non per ſpeciei propagationem, ſed ex putri materia produci dicuntur. Ipſis enim excrementis, cadaveribus & putredini, aliquid甚 ſupereſt vitalis, ſive ſeminalis ſpiritus; qui ex natura ſua ſemper activus & artifex, ſive corporis naturalis fabricator, dum convenienter excitatur à cauſis extrinſecis, & in congruo loco recipitur, ſpurium ſaltem generationem molitur & perficit, corpus ſibi frabricando in quo vegetet atque ſentiat. Huicque doctrinæ favet Ariſtoteles ipſe, toties citato capite 3. de gener. animal. dum ait. *At verò Solis calor & animalium, non modo qui ſemine continetur, verum etiam ſi quid excrementi ſit, quanquam diverſum à natura, tamen id quoque principium habet vitale*; quod patet evidenter in generatione ſcarabæi ex fumo equino, tum ſimilibus aliis. Hæc igitur eſt origo vermium, muſcarum, arenarum, bruchorum, pulicum, cimicum, pediculorum, &c. quorum nil mirum ſi numerus ſit innumerabilis, cùm excrementorum & cadaverum & putredinis viventium inæſtimabilis quantitas Terræ ſuperficiem occupet. His adde quod dum moriuntur ipſa inſecta, ex eorum putredine alia gigni queunt, ut in bruchis (gallicè *hannetons*) compertum eſt, ac præterea ex hominibus, bobus, equis, aſinis, ſuibus, ovibus, cæteriſque vivis animalibus continuò exhalent fuliginoſa excrementa, quibus ex Ariſtotele ſupra ineſt aliquid vitalis principii; & ex quibus per conſequens ſuperiora gigni queunt animalcula, ut ex pediculis & cimicibus conſtat, quæ ex humano ſudore, vel vapore generantur, utcunque poſtea ſeſe propagant ovorum productione.

Duæ circa rem hanc mihi videntur ſupereſſe quæſtiones enodandæ. Prima, unde ſit in eo ſemine ex quo fit Scarabæus, vis formatrix talis animalis. Reſpondeo, in fimo equino aliquid eſſe ſeminis duntaxat vegetabilis ab avena & fœno, & aliquid animalis, vel equi, cujus ille fimus excrementum eſt. Jam verò ſi ſemina diverſi generis, ut vegetabile & animale miſceantur in matrice congrua, fiet aliquod animal à nobiliori ſemine, ſemper enim natura tendit in id quod eſt perfectius: & fiet animal naturâ conſentaneum

mixtis ſeminibus & matrici, vel loco mixtionis, quippe quòd ſpiritus ſeminis in organiſatione agat juxta diſpoſitionem materiæ ſibi ſubditæ & matricis; non enim ex quolibet ſemine fit quodlibet, nec ex eodem idem in diverſis naturâ matricibus, ut patet dum ex ſeminibus equi, & aſinæ fit mulus. Igitur ex fimo equino fit ſcarabæus, quia etſi ſpiritui ſeminis in ſe ſpectato inſit univerſalis quædam organiſandi ſcientia, quam prodit generationum ſucceſſu, tamen illud ſemen quod in equino fimo latet, duntaxat idoneum eſt in tali loco & tempore ad ſcarabei corpus effingendum, generationis ſymptomate, quod à Severino Dano dicitur tranſplantatio, à me autem ſpuria generatio. Eademque eſt ratio de vermibus, pediculis, muſcis & aliis.

Secunda quæſtio eſt, cur ex putri materia non videantur quotidie gigni monſtra, ſed eadem ſemper animalcula ſpecie? Reſpondeo id eſſe, quia ex iiſdem excrementis & putredinibus, idem tantum ſpecie gigni par eſt. Ut ex fimo equino ſcarabeos, ex humanis excrementis per cutis poros effluentibus pediculos, atque ſic de cæteris. Quamvis interdum etiam ex ſeminum diverſa combinatione, vel accidentaria conſtitutione, inſueta prodeant inſecta, ut papiliones, locuſtæ, tempæ novarum formarum, & in hominibus vermes prodigioſi.

His ergo circa productionem formarum brutorum determinatis, ſatisfaciendum reſtat propoſitæ hujus capitis quæſtioni. Si enim corpora cœleſtia, nec materiam, nec formam brutorum, nec horum unionem, hoc eſt, nec ipſa bruta, ut cauſæ particulares efficiant, quid ergo in brutis efficiunt, ſi tamen aliquid efficiant?

Reſpondeo igitur: Multa equidem inſignia omninoque neceſſaria præſtare. Primò enim Cœlum & Sol cæteriq; Planetæ, ut cauſæ univerſales concurrunt cum particularibus, ut cum equo generante ad equi futuri generationem. Hic verò magis dependet à ſuis cauſis univerſalibus, quàm à particularibus. Ab his enim dependet tantum quoad eſſe hoc, vel eſſe equus, ab illis verò quoad eſſe ſimpliciter, proindeque etiam quoad conſervari. Nam ſine primo Cœlo & Sole nullus equus, nec generans, nec genitus exiſteret, ut cap. 8. lib. 7. dictum eſt: quamobrem non abs re dixit Ariſtoteles, *Sol & homo generãt hominem.* Secundò: Cœlum & aſtra ſpiritum ſeminis in animalibus contentum excitant, indeq; non paucæ animalium ſpecies ſtatutis anni temporibus Veneri debita perſolvunt: non ſecus ac Sol plantarum ſemina univerſaliter excitat ad vegetationem. Tertiò: concurrunt elementaliter & influentialiter ad temperamentum corporeamque fabricam animalis futuri; quamvis enim hanc per ſe efficiat ſpiritus ſeminis, ut ſupra dictum eſt, non tamen ſolus efficit, ſed concurrente Cœlo quod conceptionis momento ſuæ conſtitutionis characterem ipſi imprimit ſemini; unde individuales differentias in temperamento cònfirmatione ſortitur ipſum animal, quas à ſolo ſpiritu, vel etiam materia ſeminis non haberet, unde Plotinus verò dixit. *Sol non efficit equum, ſed dat equo nonnihil.* Quod etſi Alexander de Angelis Lib. 1. c. 9. dicat, *diſplicere ſenatui populoque Philoſophorum*: & concludat, *quod prorſus nihil videatur Cœlum materiæ ſuppeditare quo ad formas ſuſcipiendas præparetur, ſed à Sublunaribus cauſis omnia illi præſtari neceſſe ſit, quæ ad inducendas novas formas ſunt neceſſaria.* Tamen hic contrariatur Magiſtro ſuo Pico Mirandulano, qui Lib. 3. in Aſtrol. cap. 4. ait, *lucem Cœleſtem vitale nonnihil poſſidere, & corpus vitæ capax ad vitam maximè præparare ac diſponere. Quoniam lucem ſequitur ejus proprietas, calor quidem* (inquit) *non igneus, non aereus, ſed cœleſtis, omnia penetrans, omnia fovens, omnia moderans.* De quo calore iterum infra loquitur dicens, quod cum proximis cauſis omnes harum qualitates generet & vegetet, ſicut calor ipſe ſeminalis. Inſuper autem ſibi manifeſtè contradicit: dum cap. 2. aſſerit. *Principio convenit inter nos & Aſtrologos, magnam eſſe Cœli vim & poteſtatem in Sublunarem Mundum & corpora ſubjecta.* In quo enim quæſo conſiſtet vis illa Cœli, & quis ejus erit effectus, ſi nullam in materia alterationem efficiat? Dicetne De Angelis Cœlum equidem alterare materiam, ſed diſpoſitionibus generationi perpetuò contrariis? Reclamat omnis experientia, & Sublunaria non modo Cœli concurſum, ſed etiam motionem exſpectant ad ſuas generationes aggrediendas, ut palam eſt in plantis & animalibus innumeris, tum perfectis, tum ex putri materia productis, dum Sol Hyberno frigore depulſo, illorum calorem innatum excitat. Quocirca rectè dicit Ariſtoteles Lib. 1. Meteor. cap. 2. *De neceſſitate Mundum hunc inferiorem contiguum eſſe ſupernis lationibus, ut inde vis ejus omnis regatur*; cujus tamen contrarium fuiſſet aſſerendum, ſi Cœlum materiam non alteraret, vel duntaxat diſpoſitionibus generationi perpetuò contrariis. Atque hoc non Cœleſtium & Sublunarium conſenſum, ſed perpetuum diſſenſum contra Divinæ ſapientiæ ac providentiæ in Mundi creatione perfectionem infinitam teſtaretur. Itaque, ut peccant quicunque volunt cuncta fieri à cauſis cœleſtibus, nihil autem à Sublunaribus, ſed has tantùm paſſivè, vel inſtrumentaliter ſe habere reſpectu illarum: ſic etiam peccat De Angelis, dum vult cap. 9. *à Sublunaribus cauſis omnia præſtari quæ ad inducendas novas formas ſunt neceſſaria.* Cap. 11. *Quæ rebus adveniunt non advenire à Cœlo.* & cap. 22. *In rerum procreatione nullas eſſe Cœli partes.* Nos verò cum ſenatus Aſtrologorum ſapientioribus, imò cum Ariſtotele ut ſupra, viam mediam, ut veram, ſibi conſtantem, tritamque tenemus. Dicentes quod in mutuo concurſu cauſarum Cœleſtium & Sublunarium, tam hæ quam illæ ſecundum vires proprias concurrunt: ac Cœlum tribuit quod in ſe eſt, quodque ſemen, vel aliæ particulares cauſæ tribuere nequeunt: & viciſſim hæ conferunt quod illud conferre nequit, omnes verò ſimul id totum conferunt quod neceſſe eſt. Quamobrem abſurda eſt ratiocinatio de Angelis c. 12. dum ait: *Si in equi generatione Cœlũ aliquid efficit, quod non ſit à ſemine, vel proximis cauſis, cur ſolum Cœlum non efficit totum equum? vel contra. Si ſemen, aut Sublunares cauſæ aliquid præſtãt, ſine ope cœleſti: cur non & totũ præſtant?* Non enim à parte ad totum neceſſaria eſt concluſio, ſimiliq; ratiocinio concluderetur Deum, ſive primam cauſam cum ſecundis concurrentem nihil efficere, quod nullus ſanæ mentis conceſſerit.

Multa objicit De Angelis ad ſuæ opinionis tutelam, ſed inania, vel ex jam dictis facilè ſolubilia, his duobus exceptis quæ noſtram videntur operam exigere. Primum eſt cap. 9. Lib. 1. *Materia* (inquit) *non momento, ſed aliquo temporis intervallo præparatur ad formas: quamdiu fovendum eſt gallinæ ovum priuſquam excludat pullum? quot dies ſemina*

mina deliteſcunt antequam geminare incipiant? At toto illo tempore non una eſt ſtellarum configuratio, nec una Cœli vis & efficientia. Quo itaque modo aſtra proſequuntur inchoatum materiæ ornatum? Aut qua ratione non diſſolvitur à ſequenti & contraria conſtitutione ſyderum, quidquid priori horoſcopo inchoatum fuerat?

Reſpondeo primo: Ad hujus Objectionis ſolutionem, haud ineptum eſſe vetus adagium. *Quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem teſta diu.* Ideoque ſemen generationis initio virtutis cœleſtis impresſionem excipiens, à qua ut in fieri, ſic in eſſe primò dependet, talem characterem nonniſi cum ipſo eſſe admittere. Reſpondeo ſecundo: Vim illam ſeu conſtitutionem cœleſtem, non tam citò diſſipari etiam inter Planetas, ut putat De Angelis; Luna enim pluſquam duobus diebus moratur in eodem ſigno ☿ ♀ & ☉ per menſem, ♂ duobus menſibus ferè cum dimidio, ♃ per annum, ♄ duobus annis ferè cum dimidio: quibus temporibus Planeta quilibet idem efficit ratione ſigni: & quamvis per aſpectus varientur eorum effectus, ipſi tamen effectus longo tempore durant virtutis ejuſdem, ſi Lunæ aſpectus cæteris celeriores exceperis. Attamen quia ſic totius ſaltem Cœli inſtitutio variatur continuò, præſertim per motum diurnum, hæcque inconſtantia nequit eſſe regula, ſive cauſa conſtantis temperamenti, vel diſpoſitionis materiæ. Reſpondeo tertio: Vim cœlitùs impreſſam generationis initio, hoc eſt, quo momento ſeminis ſpiritus in ſuam materiam incipit agere, vel etiam quo animal abſolutum naſcitur proprioque fato exponitur, remanere eandem in primo Cœlo, ſive prima cauſa Phyſica per determinationem, ut antea ſæpius dictum eſt, infraque dicetur, juxta quam tota animalis periodo perdurantem, vel conceptus temperatur & formatur in utero: vel vivit, agit, patitur ac regitur extra uterum, uſque ad mortem: quaſi quoddam ſit ſpeculum, vel idæa efficax eorum quæ ipſi animali in corpore, vita, actionibus & caſibus futura ſunt. Hujus autem conſtitutionis effectus non diſſolvuntur per contrariam Cœli conſtitutionem à poſitu Planetarum in Cœlo, niſi directiones & revolutiones conſenſerint, ut patet in hominibus & proprio loco fuſiùs exponetur. Hæc autem Aſtrologiæ myſteria ipſi de Angelis ignota fuêre, unde nil mirum quod neſcius quæſtiones quæſtionibus ſuperſtruat.

Secundum quod à De Angelis objicitur iſtud eſt eod. cap. 9. Conſuevere per idem tempus & in eodem loco gigni homines, equi, columbæ, & triticum, quid iis magis diverſum? Hæc autem diſcrepantia cùm non à materia nuda (quæ una eſt omnium Sublunarium rerum) proficiſcatur, nec Cœlo tribui poſſit, cum eodem tempore, & ſub eodem aſtro utrumque ortum ponamus, à proximis equi & tritici cauſis naſcatur oportet. Idemque repetit in fine capitis de fodinis auri, argenti, lapidum, &c. in eodem Terræ loco.

Sed reſpondeo: Hic & alibi paſſim errare De Angelis, quòd omnia à cauſis particularibus, nihil autem à Cœlo fieri contendat, ſibi etiam contradicens. Negabitne Solem ſimul tempore ac in eodem loco ceram liquefacere & lutum indurare? quænam verò ſunt horum diverſorum effectuum particulares cauſæ efficientes in Sublunaribus? Profectò nullæ, ſed ipſe Sol eſt utriuſque effectus cauſa particularis ex cap. 8. Lib. 7. ubi particularis & univerſalis cauſæ veras definitiones tradidimus. Dicamus ergo eodem tempore & in eodem loco gigni homines, equos, columbas & triticum, quia Cœlum in generationibus obſequitur ſemini quoad ſpeciem, ut præcedentibus capitibus jam pluries dictum eſt: hoc tamen non obſtare quin corpora cœleſtia agant in materiam, quippe quæ illis obſequitur quoad accidentales formas, quas ab eis recipit, & non ſolum à cauſis efficientibus proximis, ut de luto & cera ſuperiùs probatum eſt. Quæ autem de materiæ ad formam præparatione à Cœlo, vel cœleſti temperamento in materiam introducto hic fuere dicta, non de ſolis brutis, ſed de quolibet vivente, ipſoque homine dicta intelligantur: ſed ad inſtitutam redeamus expoſitionem eorum, quæ cœleſtia corpora in brutis efficiunt.

Quarto igitur aſtra, viribus duntaxat influentialibus, bruta ipſa influentiali ſuo regimini ſubjiciunt, juxta proprietates domorum Aſtrologicarum, vitæ, morborum, amicorum, actionum itinerum, mortis, &c: prout unaquæque ſpecies horum accidentium ſortita eſt à natura capacitâtem. Bruta enim à Cœlo dependent non ſolum quoad eſſe & conſervari; ſed etiam quoad dirigi, & multò magis quàm homines. Hi enim rationis & libertatis vi, motiones cœleſtes frequenter eludunt ac diſſipant: illa verò motionibus ipſis & appetitui ſenſitivo inde concitato prorſus obſequuntur. Quamvis autem hæc Aſtrologiæ pars hactenus neglecta fuerit, nec Bellantius contra Picum Mirandulanum in brutis vim influentiarum probaverit, aut quiſpiam alius ex Veteribus Aſtrologis, quaſi pars hæc homini ſit inutilis: mihi tamen ſpernenda non videtur tam ad ampliorem hujus ſcientiæ cognitionem, tum quia hæc non rarò in ipſius hominis commodum & utilitatem cederet, præſertim pro equis, bobus, aſinis, canibus & ſimilibus diuturnioris vitæ animalibus domeſticis, ad noſcendos eorum mores, horumque cauſas, & eorundem animalium morbos, mortemque aut naturalem, aut violentam à caſu, ſubmerſione, lupis & ſimilibus cauſis, horumque accidentium tempora prævidenda. Contingunt enim brutis multa ſimilia quæ vulgus imò Philoſophi plerique, ſed Aſtrologiæ ignari, ad caſum, vel fortunam, fictitias paganorum Divinitates referre ſolent, cùm tamen in brutorum ipſorum geneſi cauſam cœleſtem habeant: ſed de his aliâs fuſiùs: hæcque pauca ſufficiant pro reſponſo ad caput 32. Libri 4. Alexandri de Angelis.

Quod autem bruta ſubjici queant influentiis, ratione proprietatis domorum Aſtrologicarum, ſic probatur. Nam propriam ſibi vitam habent temperamentum, atque mores, vel inclinationes; quæ ad primam domum pertinent. Nam nulla ſibi comparant & in tempus futurum ſervant alimenta, ut formicæ triticum, cornices nuces, &c: quæ bona proprio labore parta ad domum ſecundam ſpectant. Habent fratres & ſorores quæ ad tertiam, parentes, qui ad quartam, filios, qui ad quintam, ſervos autem nullum habet brutum, quòd nempe dominium ſit rationalis prærogativa. At conjugia ineunt præſertim volucres per ſeptimam domum ſignificata. Morti ſunt obnoxia, tum itineribus etiam longiſſimis, ut grues, hyrundines: proprias exercent actiones & in eadem ſpecie robuſtiora, aut perfectiora cæteris præeſſe appetunt, amicitias

citias & inimicitias inter ſe contrahunt, morbiſque, captivitati & ſervituti ſunt ſubjecta, ideoque affici queunt ſignificatis domorum reliquarum nonæ, decimæ, undecimæ & duodecimæ: quamvis horum pars maxima ſoli homini adæquatè magisque propriè conveniat.

Porrò de brutis duo hic notanda ſuperſunt. Primum, non omnia ex æquo ſubjici aſtrorum regimini, ſed alia magis, ut perfectiora & diuturnioris vitæ, alia minùs, ut imperfectiora & brevioris vitæ, præſertim quæ ex putri materia generantur, quorum pars major ſolis Elementorum qualitatibus ſuccumbit, ab iiſque corrumpitur.

Secundum. Brutorum alia eſſe ſylveſtria in Terra, aqua & aere, alia verò domeſtica & homini actualiter ſubdita. Sylveſtria proprio duntaxat fato ſubjiciuntur, ab eoque reguntur, vel afficiuntur in vitæ & mortis caſibus præcipuis. Nec enim opinandum eſt quæcunque illis accidunt in ſingulas horas, vel dies, ſingulos cauſari ab aliqua particulari motione, vel directione cœleſti. Nam proprio agunt appetitu, vel inſtinctu juxta particularem hujus inclinationem cœlitus contractam in geneſi, & agunt quandoque moti à Cœlo, quandoque non moti, ſed vi ipſius appetitus, qui in illis neque eſt ſuperfluus, vel otioſus, neque Cœli inſtrumentum. Illis verò ſic impulſis, vel ſponte agentibus, varii caſus à fato genethliaco, tum congruis directionibus, revolutionibus & tranſitibus in vita & morte accidunt, non ſecus ac hominibus liberè agentibus, quod ſaltem intellige de animalibus diuturnioris vitæ. An autem eædem directiones ac revolutiones inſtituendæ ſint pro brutis ac pro homine; proprio loco inquirendum eſt. Bruta verò domeſtica non ſolùm proprio & naturali fato cœleſti, ſed etiam ſibi ab hominibus accidentario ſubjiciuntur, & prævalet accidentarium proprio, non ſecus ac in homine ad triremes condemnato, cui Cœlum fruſtra durante captivitate multa ſignificat & pollicetur. Bruta enim domeſtica omnia, venundationi, & pars maxima trucidationi in ſervitium, vel eſcam hominum obnoxia ſunt. Ideoque cum eorum vita & ſtatus particulariter ſubjaceat hominum voluntati, de his non tam certa fieri poteſt prædictio, atque de ſylveſtribus, ſed multò incertior de bobus, ovibus, porcis, gallinis & cæteris quæ ſub quocunque Cœli ſtatu nata ſunt, ad mortem violentam pro hominum cibo deſtinantur, & ad necem eliguntur. Sed de brutis jam dixiſſe ſufficiat.

Caput VII.

An corpora Cœleſtia agant in homines, & quomodo: & quo ex themate Cœleſti judicent Aſtrologi: an conceptus, an partus.

QUamvis natura hominis latiùs explicetur per vitæ gradus, pluribuſque ſubjaceat accidentibus, quàm quælibet alia Sublunaris; ideoque etiam latiùs pateat corporum cœleſtium influentiis atque regimini, ut ſequitur ex dictis initio cap. 5. Ac inſuper quotquot hactenus fuerunt Aſtrologiæ principes, hujus Divinæ ſcientiæ veritatem, ex obſervatis in humana præſertim ſpecie deprehenderint: Tamen liberum hominis arbitrium non levem hac in parte objicere videtur difficultatem, & propter ipſum ignari oſores Aſtrologiæ, in ſcientiam adeo nobilem præcipuè debacchantur: quaſi privilegio libertatis inde quædam inferretur violentia: hic igitur ſolvenda nobis occurrit hæc difficultas, atque probandum: aſtra etiam in homines agere tum elementaliter, tum influentialiter, indeque non violari hominis libertatem.

Primò igitur ex Ariſtotele Lib. 2. de generatione animalium cap. 3. ex conſenſu omnium Philoſophorum & Theologorum, tum ex fide certum eſt, hominis animam extrinſecus advenire corpori, eſſeque naturæ ſpiritalis ac immortalis, ut à nobis oſtenſum eſt Lib. 2. cap. 26. ſolumque corpus à parentibus & Cœlo propriè & per ſe produci, ad ipſamque immortalem formam diſponi; quamvis totus homo ab iiſdem genitus eſſe dicatur. Ad hoc enim ſufficit, ut vir & fœmina mutuo congreſſu ſemina ſua conferant, horumque in matrice unionem & mixtionem attingant, nihilque aliud per ſe efficiunt: ſpiritus enim ſeminis qui hujus eſt forma vegetativa, corporea & diviſibilis, à parentibus traducta, illico poſt ſeminum mixtionem ſeſe accingit ad corporis organiſationem, tum vegetationem, alimentis à matre in uterum tranſmiſſis: totumque corpus innata ſibi ſcientia perficit; donec corpus ipſum ſpiritali animâ informetur à Deo ſolo, fœtuſque naſcatur: ut proinde in hominis generatione tria ſint puncta præcipua, conceptio, informatio & nativitas: punctum nativitatis ſcitur, conceptionis ſciri poteſt: informationis, neque ſcitur, neque ſciri poteſt citra revelationem.

Quoniam igitur hominis generatio fit ex ſemine, quod eſt proprium ſubjectum influentiarum, quæ totum etiam Telluris globum penetrant: ergo homo in fieri & facto eſſe à corporibus cœleſtibus afficitur, tum elementaliter, tum influentialiter, ut ſuperioribus capitibus præſertim de plantis & brutis ſufficienter probatum eſt: de ipſo autem homine quotidiana confirmatur experientia, in temperamento, moribus, ingenio, morbis, morte, cæteriſque vitæ accidentibus, & convincit ratio. Cùm enim parentes Jovialis formæ & indolis, gignunt infantem formâ & indole Saturninum, ſive melancholicum, hæc natus non habet à parentibus, quippe nemo dat quod non habet, neque hæc etiam habet à ſolo ſemine, nam quidquid habet ſemen, id habet à parentibus. Cùm igitur Sol & homo generent hominem, neceſſariò fatendum eſt, quod talia natus habeat à ſemine, quatenus ſic afficitur à Sole cæteriſque cœleſtibus cauſis. Habet igitur natus à parentibus per ſemen, & Elementis cauſiſque cœleſtibus per vires elementales & influentiales, quidquid ipſum eſt naturaliter, nempe homo & talis homo. A Deo autem ſive prima cauſa concurrente cū ſecundis jam dictis non ſolùm habet, ut ſit homo & talis homo, ſed ut ſit ſimpliciter, ſolus quippe Deus dare poteſt ipſum eſſe.

Porrò à conceptione ad nativitatem, corpora cœleſtia in ipſum fœtum continuo influunt, atque laborant; proindeq; ex conceptionis puncto, ſive momento ſcire tantùm poteſt, ſub quo Cœli ſtatu, vel influxu corporis humani fabrica inceperit, & tempore ſubſequente dum eſt in utero, quibus magnis conjunctionibus & eclipſibus fœtus fuerit ſubditus: ſed ex puncto nativitatis, ſcitur ſub qua Cœli conſtitutione perfectus ſit. Tunc enim natura fœtum excludit numeris ſuis abſolutum, ipſumque cœleſtis efficientiæ tunc vigentis, quaſi ſigillo

ſigna-

ſignatum, proprio exponit fato à cauſis cœleſtibus, in quibus Divina ſapientia ac providentia rerum naturalium univerſale fatum complicavit; ſucceſſivè per individuorum generationes explicandum: & quibuſcum ipſius ſigilli ratione, deinceps natus ſympathicè quaſique magneticè agit ac patitur. Si quidem ante nativitatem ſolum Cœlum agit in fœtum, & hic tantùm patitur: ac poſt nativitatem, natus non ſolum patitur à Cœlo, ſed agit cum ipſo, & plerumque contra ipſum; dum nempe illius infauſtos influxus prævisos ſagaciter & prudenter eludit, ſuiſque pravis inclinationibus vi libertatis reſiſtit. Unde conſtat ex ſola nativitatis, non autem conceptionis conſtitutione cœleſti, de nati temperamento, moribus, ingenio & vitæ accidentibus eſſe judicandum, quòd nempe conſtitutio nativitatis ad rem abſolutam perfectamque pertineat: conceptionis verò ad rem non modò imperfectam, ſed etiam vix inchoatam, cùm ſit tantum in ipſo inchoationis principio.

Quamobrem Alexander De Angelis fallitur cæteroſque fallit, dum Lib. 2. cap. 3. putat Aſtrologos de nati forma, temperamento, moribus, ingenio & futuris accidentibus vitæ, ſententiam ferre ex cœleſti conſtitutione conceptionis, vel aſtris qui conceptui præſunt, cum nullus Aſtrologus in ſuis judiciis rationem habeat illius conſtitutionis: non quod hæc à nobis dicatur inutilis: nam ex Ptolemæo cap. 1. Lib. 3. Quatrip. *Si tempus conceptus ſeu caſu, ſeu obſervatione deprehenſum eſt, magis convenit poſitum ſyderum qui tunc fuit conſiderare in judicandis corporis & animæ qualitatibus.* Ejuſque ratio eſt; *quia ſemen ex illo poſitu contrahit aliquot temperamentum.* Et quamvis dum formatur corpus aut vegetat, fiant aliæ alterationes à Cœlo: nihilominus ſemen ſibi ſimile, vel conveniens nutrimentum attrahens illud commiſcet, atque temperat, juxta eam quam retinet ſimilitudinem qualitatis ab initio ſuſceptæ: at quia illius conſtitutionis tempus vix parentibus ipſis notum eſt, valetq; tantum ex Ptolemæus ibidem ad ea prædicenda quæ egreſſum ex utero præcedunt, quippe corporis conſtitutionem: idcirco utuntur Aſtrologi tempore nativitatis, quod Ptol. vocat *principale exordium vitæ, & conceptionis tempore virtute præſtantius*; maximè vero ad ea prædicenda quæ egreſſum ex utero ſequuntur: quippe quod ex eodem Ptolemæo, *ſimilem vim habeat tempori, vel conſtitutioni conceptionis. Natura enim* (ait) *poſtquam fœtus perfectus eſt, movet eum, ut exeat ex utero tali poſitu Cœli, qui correſpondet illi conſtitutioni, quæ fuit initio conceptus.* Hoc eſt maturo fœtu, natura ſagaciſſima ex tota Cœli revolutione diurna, eligit ad nativitatem momentum temporis, quo Cœli & Planetarum poſitus eſt conſtitutioni conceptus, vel ipſius fœtus temperamento ſimilior & congruentior, ut jam diximus cap. 20. Sect. 3. Lib. 12. ſiquidem ipſius naturæ agendi modo congruentius eſt, fœtum educi ex utero à Cœli conſtitutione temperamento ſimili, quam à diſſimili prorſuſque contraria. Quocirca ex natali conſtitutione fieri queunt judicia non ſolum de nati temperamento, proindeque moribus & ingenio, ut ex cœleſti conſtitutione conceptus, ſi hæc haberetur, ſed etiam de valetudine, vitalitate, cæteriſque accidenibus quæ partum comitantur, vel ſequuntur, quorum efficacem influxum natus haurit & excipit duntaxat momento nativitatis, quo incipit propria vita & non aliena vivere, ac per ſe, non autem per alium, tum proprio fato ſubjici, & ab alieno quippe matris liberari, non autem momento conceptionis. Unde interdum accidit, ut non obſtante ſimilitudine conſtitutionum, conceptus & partus ratione temperamenti, natus ipſe die partus, vel intra biduum, vel octiduum moriatur, non propter illam ſimilitudinem quæ vitæ potiùs eſſet propagatrix, ſed quod natalis conſtitutio præter ſimilitudinem temperamenti, adjunctum habuerit inſigne aliquod infortunium à maleficis Planetis circa vitam, quo nonobſtante naſcendum fuit, quia tunc nullus fuit Cœli poſitus conſtitutioni conceptionis conformior in temperamento pro maturo fœtu excludendo. Veluti ſi figura conceptus temperamentum influat melancholicum, in geneſi verò Capricornus ſit in Horoſcopo, ejuſque dominus ♄ in 7 cuſpide cum ☽ in □ ♂ partili, natalis conſtitutio erit etiam melancholica, ſed lethalis, ob Horoſcopum ejuſque dominum vitæ ſignificatores peſſimè affectos. Quid igitur prodeſt Alexandro De Angelis ſupradicto cap. 3. & ſequente quarto, in Aſtrologiam & Aſtrologos declamare, propter conceptionis thema cœleſte, ex quo de fœtus, vel nati accidentibus nullum reperietur judicium in libris Aſtrologorum? quandoquidem thema illud ignoratur & ex natali conſtitutione ob rationem ſuperiùs dictam rectè judicant Aſtrologi, de temperamento, moribus, & ingenio, ut experientia probat, tum inſuper de accidentibus totius vitæ poſt partum, quæ ad conceptionis figuram minimè pertinent.

Cæterum non videtur hic omittenda ipſius De Angelis non levis impoſtura: quippe ut inſinuet vanam eſſe figuræ natalitiæ conſiderationem Lib. 3. c. 6. ait, Ptolemæum Lib. 3. c. 1. hæc poſuiſſe Aſtrologiæ principia. *Quod omne corporis temperamentum ac conſtitutio, omniſque qualitas quæ puero accidit, pendeat ex hora conceptus. Quodq; ipſa conſtitutio non mutetur à natalitiis, vel aliis quibuſcunque ſtellis: ſed potiùs quidquid ab his ad infantem deſcendit, trahitur in rationem jam conſtitutam, per priores opifices ſtellas, quæ corpus effirmarunt.* Ex quibus poſtea conſtruit ſyllogiſmum adverſus Aſtrologos, quod momentum conceptionis ignorent. Legatur autem locus apud Ptolemæum, cujus mens eademque ferè verba ſuperiùs à nobis relata ſunt, & patebit ipſius De Angelis ingenuitas: ac Ptolemæum nihil eorum dixiſſe.

Fallitur autem inſuper falliſque de Angelis cap. 3. & 4. Lib. 2. contendens Aſtrologos nullam prorſus habere rationem in judicando, cauſarum particularium; ut Regionis, temporis, anni, parentum, &c: nec eos id etiam poſſe. Circa primum ſibi contradicit. Nam citat Ptolemæum Lib. 1. cap. 1. qui talia præcipit eſſe animadvertenda: non quidem ſingula, ſed tantùm præcipua, à quibus nempe cœleſtis impreſſio omnium efficaciſſima juvari, vel impediri poteſt ſenſibiliter, non autem à debilioribus cauſis: & in rei veritate ſapiens Aſtrologus id non omittit: quippe quòd interſit, an quiſpiam natus ſit ex robuſtis & ſanis, an verò ex debilibus, vel morboſis parentibus, nec non an ex biloſis, an ex melancholicis, tum an in zona torrida an in frigida. Cùm enim ad hominis generationem cauſæ Cœleſtes & Sublunares concurrant, utræque profectò ſunt attendendæ, ut

ut quid hæ & illæ nato conferant detegatur. Non autem ſolæ cœleſtes,ut fit à pleriſque Aſtrologis indoctis;nec ſolæ Sublunares,vel proximæ, ſicut de Angelis perperam conatur perſuadere, ut influentias tollat. Circa ſecundum, quod nempe Aſtrologus parentum habitum nequeat habere compertum: hoc probat, *quia ſingulis diebus ac etiam horis mutationes accidunt humano corpori; quis autem* (ait) *illas obſervare poteſt? Et quamvis obſervari poſſe concederentur; num etiam obſervare poſſunt mulierum cibum, potum, ſomnium, vigilias, occultos animi motus, appetitiones, mœrores, lætitiam, timores, curas, ſaltationes, negotia, &c. à quibus pendet fœtus quamdiu in utero materno continetur?*

Huic autem diſcurſui reſpondeo primò. Aſtrologos non judicare de fœtu dum eſt in utero: ſed de nato poſtquam ex utero egreſſus eſt, idque ex figura nativitatis, non autem conceptionis. Reſpondeo ſecundò. Simili ratiocinio ſciri poſſe, an zona torrida ſit calida, niſi præſciatur temperies omnium Terræ locorum à quibus vapores, exhalationes, aut venti ferri queunt ad ipſam zonam; & quali ex materia eleventur, & per quas regiones tranſeant, tum natura omnium mineralium & animalium quæ ipſam incolunt, nec non natura omnium Planetarum & ſtellarum etiam minimarum quæ illam ex Cœlo aſpiciunt. Similiterque ſciri non poſſe cujus temperamenti ſit lactuca, ideoque illâ uti in remediis periculoſum eſſe, niſi ſciatur ad horas ſingulas, quodnam alimentum trahat, qualis ſit aeris circumfuſi Terræque temperies, & reliqua quæ diximus de zona torrida. Sed hæc ſunt abſurdiſſima & Philoſopho indigna: ergo Alexandri De Angelis diſcurſus etiam abſurdus eſt. Nativum enim temperamentum ſaltem quoad ſpeciem eſt immutabile durante vita hominis, bruti vel plantæ, ut fusè probavimus contra ipſum De Angelis Lib. 12. Sect. 3. Accidentarium verò nec ſingulis horis, nec ſingulis etiam diebus mutatur ſenſibiliter, ut ſcitur à Medicis qui longo etiam tempore & plerumque fruſtra laborant, in illo congruis remediis alterando, vel expellendo. Unde à diurnis, vel horariis accidentibus fugacibus nativum, vel etiam accidentarium temperamentum ſenſibiliter immutari non eſt aſſerendum.

Expoſita igitur rationum Alexandri De Angelis vanitate & impoſtura circa cœleſtem figuram conceptionis: hic nonnihil adhuc addendum eſt eorum quæ objicit adverſus figuram nativitatis, ut perſuadeat corpora Cœleſtia in naſcentes homines, aut nihil influere, aut quid influant ſciri non poſſe. Igitur cap. 12. Lib. 3. aſſerit. *Denique docuimus Aſtrologorum ſententiâ, natales ſtellas vim omnem & efficientiam mutari à genitalibus, quas Genethliaci ignorant.* Sed hæc impoſtura jam ſuperius à nobis detecta eſt, quandoquidem Ptolemæus ex genitalibus ſtellis ea tantum prædici poſſe aſſerit Lib. 2. Quatrip. cap. 1. quæ præcedunt egreſſum fœtus ex utero.

Capite autem 7. Lib. 3. ait De Angelis Aſtrologos ignorare veram nativitatis horam, idque communiter aſſeritur argumentis planè frivolis ab omnibus Aſtrologiæ ignaris oſoribus. Cumq; Aſtrologi meritò glorientur de arte vera rectificandi horam nativitatis, nimirum per accidentia nati inſigniora (qua de re alibi fuſiùs ex profeſſo acturi ſumus) De Angelis cap. 7. Lib. 3. ſic arguit in contrarium. *Dicatur à parentibus, Cardanus natus prima hora noctis: hæc hora exiſtimata vocatur ab Aſtrologis non vera, quare aut ſeriùs, aut citiùs ille in lucem venit: ſi dicas citiùs, ſciſcitabor an poſſit quiſquam ſeriùs naſci? ſi poteſt, quare negas Cardanum ſeriùs ortum? ſi non potuit aliquis naſci poſt primam horam noctis, fatendum erit non quolibet tempore naſci poſſe mortales. Si ſeriùs, quæram cur non reſpondens citiùs? & reponam eandem quæſtionem quæ priùs fuit.*

Nonne verò ſibi viſus eſt De Angelis magna gratulatione dignus ob tam ſubtile validumque ratiocinium, à Pico Mirandulano deſumptum Lib 9. adverſus Aſtr. cap. 2? eſt tamen Philoſopho prorſus indignum, non ſecus ac reliqua ipſorum argumenta, in Aſtrologiam, cui quò plus ſtuduere, eò facti ſunt indoctiores, quòd non ut ſcirent ipſam, ſed contra, ut neſcirent eandem, ingenii ſui conatus cunctos adhibuerint.

Itaque reſpondeo. Equidem quolibet temporis momento naſci poſſe aliquem hominem: tamen hunc hominem, ut Cardanum in ſuæ matris utero concluſum, non poſſe naſci quolibet momento temporis, ſed eo tantùm quod illi à natura præſcribitur. Et ratio eſt quia hora partus naturalis, non eſt in arbitrio infantis, aut matris, ut ſcitur ab omnibus, ſed ſolius naturæ, quæ ut ſupra dicebamus, maturo fœtu quocunque, ex tota Cœli revolutione diurna eligit ad nativitatem momentum temporis, quo Cœli & Planetarum poſitus eſt conſtitutioni conceptus. Vel ipſius fœtus temperamento congruentior, ob rationem à nobis appoſitam. Unde patet evidentiùs quanta ſit in natum poteſtas natalis conſtitutionis quæ ipſum foras educit. Præterea De Angelis hic adhuc imponit Aſtrologis quod horam æſtimatam, vocent non veram: cùm tantùm de illius veritate dubitent, arteque ſua examinent an ſit vera necne: reperiaturque non raro eſſe vera, vel uno, aut altero tantùm minuto ab æſtimata differre. Malè ergo concludit De Angelis, Cardanum citiùs, aut ſeriùs natum eſſe: hicque & alibi paſſim oſtendimus ipſum De Angelis, & Picum ejus magiſtrum, cæteroſque oſores Divinæ hujus ſcientiæ, iniquum tuliſſe judicium de rebus ſibi ignotis, utcunque Aſtrologos omnes, ignaros eſſe dixerint. Fateor nihilominus circa momentum nativitatis ad quod figura eſt erigenda, vel à quo, ut verò certoque principio nati fata dependent, non exiguam ſupereſſe difficultatem, de qua Cardanus Comment. in cap. 2. lib. 3. Quatrip. nec ab eo, aut ullo alio ſoluta eſt. Nam tempus nativitatis diſtinguit in 3. momenta. Primum eſt quo infans reſpirare incipit. Secundum (quod vocat principale) eſt cùm ita reſpirat, ut jam poſſit per ſe vivere, nec poſſit ampliùs vivere in utero. Et hoc momentum ait obſervandum eſſe per Aſtrolabium ad figuram erigendam. Tertium denique cùm infans jam tantùm attraxit aeris, ut ſponte ceſſent reſpirare & moveri umbilici arteriæ. Quo in loco Cardanus videtur reprehendendus. Quomodo enim principale momentum ab aliis diſcernetur, ut per Aſtrolabium obſervetur? Id enim, tum alia momenta obſervare eſt Aſtrologo per ipſam reſpirationem impoſſibile. Porrò in omni

partu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

partu (ſaltem naturali) certum eſt, quod ſecundinæ ruptio & aquarum effluvium partum antecedunt; doctique Medici nonnulli volunt admodum probabiliter, ab eo tempore uterum aperiri ac hiare, & infantem reſpirare. Unde ego exiſtimo quod in hoc præcipuo naturæ ſagacis opere, ipſa maturum fœtum per vaſa umbilicalia & placentam, utero adhærentem ſeparet, ut maturum pomum ab arbore. Tuncque fœtus neceſſitate naturali coactus, calcitrando ſecundinam dilaceret, utpote maturo fœtu tenuiſſimam ob dilatationem, ſicque effluant aquæ ſuccedente aere, & fœtus reſpirare incipiens exitum ſibi quærat, ad aerem vitæ cauſam quem præſenſit. Quo autem momento à matre ſeparatur & reſpirare incipit. Tunc proprio fato ſubjici incipit, cùm antea materno potiùs ſubjiceretur. Ideoque ex jam dictis valde probabile eſt, verum figuræ erigendæ momentum eſſe illud quo effluunt aquæ, ſi infans illico egrediatur. Et hoc tempus per Aſtrolabium eſt obſervabile. At ſi inter aquarum effluxum & infantis egreſſum pluſquam quatuor horæ minuta interceſſerint, quibus unus Eclipticæ gradus aſcendit in horiſonte: ſtandum erit momento egreſſus infantis: qui egreſſus (ſaltem naturalis) eſt à congrua Cœli conſtitutione fœtum in lucem educente. Certum enim eſt, & ab omnibus Aſtrologis conceſſum, quod vera nativitatis, ſive conſtitutionis cœleſtis figura: hoc eſt, cujus tempus per aſtra exactè fuit obſervatum, vel quæ per accidentia nati congruentia fuit rectificata: ipſa eſt cui natus pro corporis, animæ & fortunæ accidentibus ſubjicitur, per receptam impreſſionem cœleſtis influxus conſtitutionis illius. Ipſa autem conſtitutio, ejuſque influxus impreſſio, contingit unico temporis momento. Ac per conſequens ſi fœtus reſpirat aerem in utero, ut nonnulli (meo quidem judicio) perperam volunt, impreſſio illa & conſtitutio cœleſtis à qua manat, non erit ab aeris inſpiratione; ſed tantùm à ſeparatione fœtus à matre & ejus exitu in utero; quo momento nemini dubium eſt, fœtum ſuis pulmonibus antea otioſis, aerem influxu cœleſti perpetuò turgidum copioſè attrahere. Ideoque verum nativitatis Thema Cœleſte, erigi debet ad momentum, quo natus in partu naturali exit ab utero: hoc eſt in partu ſpontaneo, non autem accelerato, vel retardato.

Neque enim hic omittendum, quod hora partus accelerari & retardari queat. Acceleratur pharmacis ad hoc idoneis, quibus etiam abortus concitantur. Tum clyſteribus exhibitis juxta Pariſienſium praxin, dum incipiunt tormina partus. Retardatur autem debilitate matris excludere non valentis. Hæc igitur ſingula ſunt advertenda, ne ab obſervata partus horâ deceptio accidat. Sed hæc in figuram nativitatis objecta, à nobis autem, ut par eſt, refutata ſufficiant, quandoquidem patet illa non obſtare, quin concludamus corpora cœleſtia in natum agere, tum elementaliter, tum influentialiter. Jamque ad ea refutanda veniamus quæ propter liberum hominis arbitrium, contra influentias objici ſolent à quibuſdam Philoſophis & Theologis Aſtrologiæ ſimiliter ignaris, quos de Angelis amplectitur.

Igitur ipſe poſtquam Lib. 3. cap. 1. Gentium omnium conſenſu liberum aſtruxit hominis arbitrium, tandem in fine capitis ait, huic conſtantiſſimæ veritati ſyderum ductus & dominatus adverſari. *Jactant quidem Genethliaci* (inquit) *ſalva libertate ſe de futuris eventis dicere: ſed ſuas prædictiones tam firmas ac ratas eſſe volunt, quàm quæ inevitabili neceſſitate eveniunt. Contendentes ſi quid in Aſtrologicis denunciationibus deprnbendatur eſſe falſum, id in Aſtrologum, non in Aſtrologiam referendum eſſe, quaſi nullus poſſit eſſe error in prædicendo niſi in Aſtrologiam peccatum fuerit.*

Sed hæc eſt altera ipſius de Angelis impoſtura, citet enim aliquem Aſtrologum ſaltem Chriſtianum qui illud aſſeruit. Equidem ad hoc citat Ptolemæum, qui Lib. 1. Quatrip. cap. 1. eos redarguit, qui errantes in ſcientiam huic fidem derogant: ſed quod inde velit Ptolemæus nullum eſſe poſſe errorem in prædicendo niſi in Aſtrologiam peccatum fuerit, altera iterum eſt in impoſtura. Ptolemæus enim cap. 2. contrarium ſic aſſerit. *Deinde nec exiſtimandum eſt ſingula hominibus à cœleſti cauſa accidere tanquam prorſus ab immutabili & Divino decreto, & quaſi lege lata de ſingulis, ut neceſſariò eveniant, nec poſſit alia cauſa obſiſtere.* Similiter Author Centiloquii, hæc habet Aphoriſmo 5. *Poteſt qui ſciens eſt multos ſtellarum effectus avertere, quando naturam earum noverit, ac ſe ipſum ante illorum eventum præparare.* Rurſuſque Aphoriſmo 8. *Sapiens anima confert cœleſti operationi quemadmodum optimus Agricola arando expurgandoque confert naturæ.* Quibus ex locis patet, Aſtrologorum principes, multóque magis Chriſtianos Aſtrologos inevitabilem ab aſtris neceſſitatem, in homines præſertim reſpuere, & prædictiones etiam ex arte & legitimè factas poſſe effectu carere. Quamobrem falſum eſt quod ab Alexandro ſubjicitur: *quantùm ſuæ arti certitudinis Genethliaci aſtruunt, tantùm ex liberis voluntatibus detrahant eſſe neceſſe.* Ex eo enim quod de temperamento, moribus innatis, ſive propenſionibus naturalibus, & ingenio certò pronunciant, nihil inde voluntati detrahitur: horum quippe nullum pendet à voluntate, ſicut nec morbi, mors, inopinati caſus & ſimilia. Multóque falſius eſt quod adjungit: *nullum eſſe ambigendi locum, Aſtrologos verbis ſolùm retinere liberum arbitrium, re & factis negare:* hoc enim adhuc impoſturam ſapit, nec eſt ullus ambigendi locus, Chriſtianos Aſtrologos hac in parte fuiſſe Theologis modeſtiores: quòd nempe ex his plures hæretici, liberum hominis arbitrium ſcriptis apertè negaverint, ex illis verò nullus ſaltem, ut Aſtrologus. Nec refert quòd Veteres Ægyptii, Arabes, & Chaldæi religione Turcæ, vel Ethnici, humanæ mentis libertatem negaverint, fatalem ab aſtris inducentes neceſſitatem, contra quos D. Auguſtinus, Baſilius, Chryſoſtomus, Cyrillus, Gregorius & alii ſcripſerunt. Nam tota ferè illorum Aſtrologia, Diaboli malignis artibus depravata, rejicitur à ſagacioribus Aſtrologis, & à nobis paſſim: quod verò retinetur à nobis, non poſſe retineri, niſi eorum exemplo humanæ mentis libertatem penitùs tollamus, ut vult De Angelis in fine capitis, tum Lib. 5. cap. 10. mera eſt inſcitia ipſius Aſtrologiæ. Quæ enim retinentur, non ſequuntur ex falſo eorum dogmate de fatali neceſſitate, & libertatis carentia: ſed diſtincta ſunt, ut verum & falſum in eadem ſcientia, prout eſt ab hominibus con-

condita. Non ſecus ac apud Hæreticos multa ſunt vera, ab hæretico dum convertitur retinenda: multa verò falſa rejicienda & abjuranda.

Nunc diſcutiamus reliqua ipſius De Angelis argumenta, quibus vim influentiarum ſupra homines conatur explodere.

Itaque cap. 1. Lib. 2. ait: *Aſtra non animum ſed corpus afficere, ſi afficiunt.* Jam verò, vel ſcit De Angelis aſtra corpus afficere, vel neſcit. Si primum, negare nequit, quod ſaltem per accidens ac indirectè animam afficiant, quòd hæc in agendo pendeat à corpore, quo ut inſtrumento illa utitur: ſi neſcit, quænam eſt hominis temeritas, de re ſibi ignota ſententiam ferre? Nonne priùs id ſcire debebat quandoquidem ſi aſtra agunt in corpus, ſequitur quod ſaltem per accidens & indirectè agant in animam? Sed Alexander nulla ratione habita actionis per ſe & per accidens, directæ & indirectæ, ſimpliciter & abſolutè pronunciat aſtra in animam non agere: etiam neſcius an corpus afficiant: tam egregius eſt Philoſophus circa vim paſſivam corporis & activam aſtrorum.

Qua igitur fronte citat D. Thomam prima Part. quæſt. 115. art. 4. ubi quærit utrum corpora cœleſtia ſint cauſæ humanorum actuum? Nam Doctor ipſe de hac re determinat omnino ad mentem Aſtrologorum, ut jam à nobis dictum eſt Lib. 7. Sect. 3. cap. 5. Aſſerens primò corpora cœleſtia directè & per ſe agere in corpus: indeque poſtea deducens, quod indirectè & per accidens impreſſiones corporum cœleſtium ad intellectum & voluntatem pertinere poſſunt: in quantum ſcilicet intellectus & voluntas aliquo modo ab inferioribus viribus (hoc eſt ſenſitivis) accipiunt, quæ organis corporeis alligantur. Unde ſecunda 2. quæſt. 95. art. 5. fatetur aſtra poſſe diſpoſitivè inclinare voluntatem, prout imprimunt in corpus & vires ſenſitivas. Et paulo poſt Aſtrologos in multis vera pronunciare, quia plures hominum paſſiones corporales ſequuntur, & ideo actus eorum, ut in pluribus diſponuntur ſecundum inclinationem cœleſtium corporum. Idque omnino confirmat art. 5. ſupradictæ quæſt. 115. dum negat Dæmones ſubeſſe actioni cœleſtium corporum, vel per ſe, vel per accidens, vel directè, vel indirectè, quia ſunt ſubſtantiæ intellectuales à corporibus ſejunctæ: evidenter inſinuans quod ſi corporibus connexæ eſſent, ſaltem per accidens & indirectè dependerent ab aſtris in agendo. Unde conſtat omne vivens corporeum, ſive plantam, ſive brutum, ſive hominem, directè ac per ſe ſubjici impreſſioni corporum cœleſtium, ab hiſque regi juxta toties citatum Ariſtotelis locum Lib. 1. Meteor. cap. 2. *de neceſſitate. Mundus hic inferior contiguus eſt ſupernis lationibus, ut omnis ejus virtus inde regatur*: quod vero naturæ eſt ſpiritalis, ut dæmon vel anima à corpore ſeparata, nullatenus ſubjacet corporum cœleſtium, vel Sublunarium actionibus; quippe quod actio corporea in ſubjecto duntaxat corporeo recipi queat, à quo Dæmon, vel anima ſupponuntur ſeparata. At anima corpori unita, ut in eſſe medio modo ſe habet, ſic in agere & pati medio modo ſe habeat oportet: ergo ſaltem per accidens & indirectè patitur, ob ſuum corpus in quo cœleſtis actio recipitur, & quo tanquam inſtrumento utitur.

Neque hoc ejus libertati officit. Nam ex Ariſtot. 1. Polit. c. 3. Animus habet in corpus dominicum imperium, mens verò in appetitum, civile ac regium. Ideoque quomodocunque corpus, vel appetitus ſenſitivus moveantur ab aſtris, tamen experitur voluntas ſibi vim ineſſe conſentiendi motui ipſius appetitus, vel ipſi reſiſtendi: ſive ad bonum, ſive ad malum ſit ipſe motus: juxta illud Dei ad Cain Geneſ. cap. 2. *ſub te erit appetitus tuus & tu dominaberis illius.* Indeque patet ex duobus appetitibus in homine, rationali & ſenſitivo quatenus tales ſunt, hunc per ſe ſubeſſe fato non illum. At ſi rationalis fiat ſenſitivus, hoc eſt, obſequatur ſenſitivo contra rationis leges, tunc ſubditur fato, ſaltem per accidens: veluti ſi ſenſitivus fiat rationalis, hoc eſt, non propriam, ſed rationis ſequatur motionem à voluntate, liberatur à fato, quæ eſt Plotini doctrina haud rejicienda: ſi verò rationalis repugnet ſenſitivo, tunc nec per ſe, nec per accidens fato ſubjicitur, agitque ex ſe, ut à fato liberrimus. Unde ſequitur appetitum rationalem, ne quidem per accidens, vel indirectè fato ſubjici niſi quatenus contra rationis leges appetitui ſenſitivo obſequitur. Nec tamen inde ſequitur quod repugnans appetitui ſenſitivo nullatenus in agendo dependeat ab aſtris, vel fato, quod Cœleſtium & Sublunarium cauſarum coordinationem complectitur. Nam non repugnaret, niſi caro moveretur: hæc verò movetur ab aſtris, vel objectis Sublunaribus: ergo appetitus rationalis ab his cauſis dependet in ſua actione, ſaltem indirectè & per accidens, vel ut à cauſis ſine quibus non ageret: ſed dependet ſine ſubjectione, quæ duo maximè diſtinguenda ſunt; quidquid enim alteri ſubjicitur, ab hoc dependet, non contra.

Rurſus verò De Angelis Lib. 3. cap. 2. objicit. *Humanas mentes ſyderum poteſtati non rectè ſubjici*: & in fine capitis, ait. *Eum naturis rerum ordinem inditum eſſe, ut præſtantiora dominentur, ignobiliora deſerviant: propterea nihil perverſum, nihil præpoſterum, nil à naturæ conſilio magis alienum fingi cogitative poſſe, quàm humanas mentes cœleſtibus orbibus ſubjicere, hoc eſt, incorporales ſubſtantias corporatis*, &c.

Sed reſpondeo primò. Cur ergo juxta illum ordinem humana mens non impedit motum aſtrorum horumque actionem in hæc inferiora, ſaltemque in ſuum corpus? Reſpondeo ſecundò. Naturæ ordinem in eo conſiſtere, ut inferiora dependeant à ſuperioribus, & particularia ab univerſalibus. Reſpondeo tertiò. Nos non ſubjicere mentem aſtris, ut ait De Angelis; ſed tantum aſſerere quod ipſa ab aſtris dependeat in quibuſdam actionibus: quæ duo ſupra diſtinximus. Reſpondeo quartò. Mentem dici à nobis dependere ab aſtris tantum per accidens & indirectè, in quo nullum eſt inconveniens. Probent De Angelis cæterique oſores aſtrorum, ab his mentem ſic dependere non poſſe in ſuis actionibus. Id certè nunquam efficient, quantumvis clamitent.

Cap. 3. Quærit, *cuinam bono ſit aſtra humanis mentibus dominari, cùm ſic omni ſolertiæ, ſapientiæ, virtutis laude ſpolientur: indeque langueſcat omnis ad virtutem conatus?* &c.

Reſpondeo prorſus inde contrarium ſequi, ſi Cœlum per ſe influat in hominis corpus, indeque ſaltem per accidens & indirectè in animam, quæ eſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

eſt ipſius corporis pars præcipua. Nam quia Cœlum effundit bonos & pravos influxus, ut Deus homines in virtutibus exerceat. Illorum profectò ſolertia, ſapientia atque virtus efferetur laudibus, plurimúmque merebitur; qui vel concurrendo bonis influxibus, vel fortiter reſiſtendo pravis, ipſos in uſum Deo gratum converterit: juxta illud. *Cœlum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Quo certè pacto aſtra non dominantur humanæ menti, ſed contra, vel ſaltem hæc ab illorum dominio ſeipſam liberat.

Cap. 4. Conatur iterum cœleſtes influxus refellere, ex dominatu mentis in corpus. Verum, ut ille dominatus impedire non poteſt, quin aſtra directè & per ſe agant in ipſum corpus, tum elementaliter, tum influentialiter: ſic actio hæc non tollit menti dominatum in corpus, qualis ipſi menti debetur, nec contrarium probare poteſt De Angelis.

Cap. 5. tandem ait: Aſtrorum influentias in hominem, Divinam tollere providentiam, vel ei non congruere. *quid ab ordinis ratione magis aberrat* (inquit) *aut à Dei providentia magis eſt alienum, quàm ſtellas facere authores bonarum malarumque actionum: quæ nec malæ malos, nec bonæ bonos internoſcunt.*

Egregia certè ratio & Alexandro digna. Quaſi verò neceſſe ſit, ut calor & frigus internoſcant quos afficiunt: ipſeque Sol calefacere, Luna verò humefacere niſi quos internoverint? Dicamus igitur quod ut Sol ſuum calorem, & Luna ſuum humorem univerſaliter effundunt in omnes quos ſuis radiis afficiunt: ſic ſtellæ bonos & malos influxus, ſed inter elementales & influentiales vires aſtrorum hoc intereſt, quod aſtra per elementales idem tantum ſpecie efficiant, quemcunque locum occupent ſupra horiſontem. Sol enim in 12. 11. 10. 9. octava, vel ſeptima domo per calorem ſemper calefacit, nihilque aliud efficit. At per influentiam, alium ſpecie producit effectum in prima domo, alium in duodecima, alium in undecima, alium in decima, &c. juxta domorum ipſarum proprietatem, ut pluries alibi dictum eſt. Cùm igitur prima & decima domus ſint inclinationum & actionum: Sol vel alius Planeta ejus tantùm nati actiones afficiet, cui momento nativitatis ille fuerit in ſeptima, vel decima domo, vel his dominabitur, ac bonas, aut malas, vel fœlices, aut infœlices efficiet, prout ipſe Planeta fuerit naturâ beneficus, aut maleficus, & benè aut malè affectus, hoc enim pacto Planetæ influentialiter agunt; non autem per cognitionem corporum in quæ agunt, ut per ſummam Aſtrologiæ inſcitiam opinatus eſt De Angelis. Cujus vanis rationibus, ut ſupra reſolutis, videat inſuper Lector Librum 12. Sect. 1. à cap. 21. ad finem Sectionis circa influentiarum materiam: Atque jam hic aliam Objectionem proponamus majoris momenti, ne fortè adverſarii hanc inani ſtrepitu, in timida ſcrupuloſaque ingenia vibrent.

Objiciet igitur aliquis: Ex ſupradictis ſequi Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſaltem quatenus hominem, non ſolùm directè & per ſe ratione corporis; ſed etiam indirectè & per accidens ratione mentis, vel operationum animæ, obnoxium fuiſſe tum elementalibus tum influentialibus aſtrorum impreſſionibus. Atqui impium eſt hoc aſſerere, ut à pleriſque Theologis objicitur Cardano: qui ipſius Salvatoris noſtri Geneſim erexit, deque ipſa ex aſtris judicavit, circa ipſius mores, ingenium, paſſiones, mortem, &c.

At reſpondeo, Chriſtum non ſolum habuiſſe corpus noſtro ſimile contra hæreſin Eutichianam, ſed inſuper conflatum operatione Spiritus ſancti ex ſemine Virginis Mariæ: quod dictum ſit, tum contra Ariſtotelem quem ſequuntur D. Thomas & alii, aſſerentes mulierem in conceptione ſe duntaxat habere paſſivè, eamque nullum habere ſemen, tum contra quoſdam Theologos qui opinantur Chriſti corpus factum fuiſſe ex puriſſimo ſanguine ipſius Virginis; ac ut audivi à quodam concionatore Monacho, ex quatuor purioribus guttis ſanguinis, quæ tunc repertæ ſunt in corde ipſius Mariæ. Nam in rei veritate mulieres habent vaſa ſeminaria, teſtes, atque ſemen non ſecus ac homines, ut docet Anatome: & conceptio naturalis fit ex concurſu & mixtione ſeminis utriuſque. Virgo autem beatiſſima tempore incarnationis Verbi, erat nupta & ætatis congruæ ad generationem: proindeque non carebat ſemine, quod ſaltem æquè purum, ſanctumque erat, ac pars quælibet ſanguinis in illa contenti. Dico ſaltem, nam in ſanctiſſima Virgine, nihil erat non ſanctum. Adde quod ex humoribus in corpore humano contentis, nullus eſt ſemine perfectior; hoc enim non eſt ultimum alimenti excrementum, ut dicitur ab Ariſtotele & pleriſq; aliis, ſed eſt velut quoddam extractum, non chymicum ſed naturale totius humani corporis, ab ipſa natura virtute mirabili elaboratum, & informatum illo ſpiritu tot laudibus ſupra etiam ab Ariſtotele decantato, qui pollet idæa ipſius corporis, & hoc efformandi ſcientia mirabili; quod dici nequit de ſanguine, ex quo nequidem fieri poſſet conceptio naturaliter. Sed pia ignorantia, hanc introduxit & fovit falſam opinionem, Chriſti corpus ex B. Virginis ſanguine factum fuiſſe, non autem ex ſemine, quaſi ipſius Virginis ſemen fuiſſet quid turpe ac inhoneſtum: cùm tamen Chriſtus in veteri Lege promiſſus fuerit ex ſemine Abrahæ & Davidis, non autem ex horum ſanguine, nec D. Thomas 3. part. quæſt. 31. art. 5. per puriſſimum ſanguinem B. Virginis ad ampliorem digeſtionem perductum per vim generativam, aliud in rei veritate intelligere poteſt, quàm ſemen ipſum quod ex ſanguine ampliùs digeſto producitur per vim generativam. Fallitur autem D. Thomas cum Ariſtotele cui nimiùm fuit addictus, dum ait, Beatam Virginem activè non concurriſſe ad conceptionem corporis Chriſti. nam ſequeretur Matrem non eſſe cauſam efficientem ſui Filii: quo nihil abſurdius, etiam de B. Virgine, ſicut etiam abſurdæ ſunt rationes in contrarium allatæ ex Ariſtotele: quod nempe fœmininum ſemen activo careat generationis principio. Hoc enim merus eſt paralogiſmus Ariſtotelis ejuſque ſequacium: nam mulieris ſemen ſuo inſtructum eſt ſpiritu architectonico ad ſimilitudinem matris, ut frequenter conſpicitur in prole quæ matris refert effigiem, quòd nempe mulieris ſemen, viri ſemini vi activa prævaluerit. Sed de his fuſiùs alibi forſan dicemus, & cur vi activa tam viri quàm mulieris ſemini conceſſa, ſit tamen ſeminum

utriuſque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

utriuſque concurſus naturaliter neceſſarius. Quatuor autem in Chriſti conceptione miracula facta ſunt inſignia. Primum, quod ipſa conceptio facta ſit ex ſolo Mariæ ſemine, virtute Patris Omnipotentis ſemen ipſum ſupernaturaliter fœcundante. Secundum, quod facta ſit in Virgine, hujuſque ſolius concurſu, virtute Altiſſimi ſupplente ſeminis maſculi efficientiam. Tertium, quod Divini corporis organiſatio abſoluta fuerit ipſo conceptionis momento. Quartum, quod eodem momento anima rationalis fuerit unita corpori, uſumque rationis habuerit.

Cùm autem occurrat me hæc ſcribere ipſo die Feſto Annunciationis B. Mariæ, vel Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti anno 1643, lubet hic etiam apponere quid ſentiam de fide ipſius Beatiſſimæ Virginis, circa Archangeli Verba ſecunda. *Ecce concipies in utero & paries Filium, & vocabis nomen ejus Jeſum. Hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur, & dabit illi Dominus ſedem David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Igitur arbitror contra communem ſententiam, Virginem ipſam ex illis verbis non crediſſe, ſibi annunciari incarnationem Filii Dei. Nam ſingula Angeli verba intelligi poterant de ſimplici homine, tamen Heroe Deoque grato, qui regnaturus eſſet ſuper Iſraël: ſi quidem nomine *Jeſu* jam olim vocatus fuerat Filius Joſedech, tum Filius Nave. Quod *Filius Altiſſimi vocabitur*: id cuilibet homini juſto jam olim tribuebatur: *ergo dixi quia Dii eſtis & Filii Excelſi omnes.* Quod *dabit illi Dominus ſedem David Patris ejus*: id multò certiorem reddere poterat Virginem, quod hominis ſimplicis conceptio illi annunciaretur; nam deſponſata erat Joſepho de ſtirpe Davidis. Quod denique *regnabit in domo Jacob in æternum*, &c: id jam olim promiſſum fuerat Iſaac, & ſemini ejus. Ergo ex illis verbis humillima Virgo nec credidit, nec quidem cogitari præſumpſit, ſibi anuunciari myſterium ineffabile incarnationis Filii Dei. Hoc verò evidentiſſimè confirmatur ex ejus reſponſo, dum dixit, *quomodo fiet iſtud quoniam virum non cognoſco?* nullam enim annunciatæ conceptioni objicit difficultatem, quàm quod ipſa virum non cognoſceret, ob Virginitatis votum, unde ſequitur, quod niſi voviſſet nullam difficultatem objeciſſet: proindeque ſi crediſſet ſibi annunciari conceptionem Filii Dei, arbitrata fuiſſet illum per viri copulam generandum, ut cæteri homines generantur: quem modum naturalem & ſenſualem Filio Dei naturæ legibus non aſtringendi indecentem eſſe, Virgo ſapientiſſima ignorare non poterat: tum quòd plures inde Patres habiturus eſſet quod adhuc fuiſſet abſurdius. Hac igitur humili ignorantia ab Angelo animadverſa in ipſa Virgine Maria, quæ de ſua maternitate tam excelſa nihil ex ſe noſſe poterat, ſed ſola revelatione, tertiò locutus eſt, & myſterium multò clariùs ſic explicavit. *Spiritus ſanctus ſupervenit in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit Tibi: ideoque & quod naſcetur ex te, ſanctum vocabitur Filius Dei:* quibus verbis à B. Virgine benè perceptis jam credens ſibi nunciatæ incarnationi Filii Dei, ſeque in humilitatis ſuæ profundum abyſſale demergens: Reſpondit: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum Verbum tuum*: eodemque momento virtus Altiſſimi eam obumbrans Virginem, completum eſt incarnationis myſterium, concurrente B. Virgine ſuo ſemine corporaliter, ſuaque fide, humilitate ardentique amore, ſpiritualiter. Siquidem ſummo amore ſe totam corpore, animâ & ſpiritu tradidit voluntati Patris ad hoc myſterium adimplendum, ſicque non ſolùm materialiter & paſſivè, ſed etiam efficienter ad ipſum concurrit, indeque habuit jus Matris in Chriſtum, quem efficienter concepit, proprio ſanguine ſuo aluit in utero, tandemque peperit. Qui verò alteram tuentur ſententiam non animadvertunt ſe majorem B. Mariæ ignorantiam tribuere, ipſique Virgini atque Deo indecentiorem; quod nempe Deus ex carnali copula naſci voluerit, cui non alia quàm ex aliqua ſanctiſſima Virgine nativitas congruebat. Præterea faciunt ipſam Virginem de ſe nimiùm præſumentem, quòd ex Angeli verbis ambiguis illico ſe fore Dei Matrem crediderit. Sed his in ipſius Virginis ejuſque Filii honorem à nobis hic notatis & Eccleſiæ judicio commiſſis, ad objectionis ſuprapoſitæ ſolutionem redeamus.

Dico igitur: Corpus Chriſti quia noſtro fuit ſimile, conflatum, ſcilicet, ex quatuor Elementis, vel humoribus, & ſemine, etiam noſtri inſtar fuiſſe obnoxium impreſſionibus aſtrorum elementalibus & influentialibus, tum in conceptione, tum in nativitate, ſed cæterorum inſtar hominum illas in nativitate expreſſiùs ſuſcepiſſe ac efficaciùs: quam ſententiam qui credunt impium, ſuam hac in re ſupinam teſtantur inſcitiam: ut fusè probavimus in Præfatione noſtra Apologetica. Factum igitur fuit Divinum illud corpus ſubditum aſtris abſque peccato, non ſolum, ut fuiſſent reliquorum hominum corpora in ſtatu innocentiæ (qua de re diximus Lib. 17. Sect. 1. cap. 8.) ſed etiam Chriſtus illis ſe propria ſponte magis ſubjecit. Nam ut dictum eſt ipſo capite, homines fuiſſent liberi à morbis, morte, litibus, carcere & reliquis, quæ jam in peccati pœnam patiuntur. Chriſtus verò hæc omnia ad noſtram ſatisfactionem & inſtructionẽ perferre voluit. Sed de aſtrorum actione in homines & ipſum Chriſtum jam dicta hic ſufficiant.

Caput VIII.

An corpora Cœleſtia agant in arte facta, & quomodo.

POſtquam capitibus ſuperioribus oſtenſum eſt, corpora cœleſtia in res omnes ſublimiores viâ naturali productas agere, ſupereſt, ut hoc ultimo capite diſquiramus, an eadem corpora agant in arte facta, qualia ſunt domus, civitas, navis, ſtatua, veſtimentum, imago, taliſman dicta, & cætera his ſimilia. Magna enim hac de re inter Philoſophos, Theologos & Aſtrologos viget adhuc controverſia, hic à nobis dirimenda.

Primùm igitur certum eſt, corpora cœleſtia elementaliter agere poſſe in quodlibet arte factum, ipſum calefaciendo, refrigerando, humectando, ſiccando, tandemque ſucceſſu temporis corrumpendo, ſi ſaltem corruptibili materia conſtet, qualis non eſt aurum, vitrum, marmor, &c: hæcque actio à nemine controverti-

tur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

tur, ut proinde tota controverſia ſit de influentiali actione.

Ptolemæus autem Lib. 2. Quatrip. cap. 4. ejuſque commentator Cardanus urbium genituras admittunt, quamvis Cardanus ſuo more ſibi contradicens, in Comm. cap. 1. Lib. 2. Quatrip. circa finem aſſerat: *Res artificioſas voluntariè fieri, & agendi principium verè non habere ab aſtris, quòd* (inquit) *eadem tempeſtate plurimæ naves pereant, quæ tamen diverſis temporibus conſtructæ fuere, dum aliæ ſervantur prudentia & ſcientia gubernatorum.* Tum rurſus Ptolemæus Aphor. 9. 36. 54. & 55. centiloquii cœleſtia probat themata, pro imaginibus & ædificio quovis. Cui conſentit Pontanus in commento. Atque doctrina hæc ab Antiquis ſuperſtitioſis & idolatris Chaldæis ad nos uſque propagata, mirum eſt quot magni etiam nominis Sectatores habuerit, arbitrantes ex illis thematibus initio arte factorum extructis, ſciri non poſſe ſecus ac de naſcente homine, quaſnam virtutes cœleſtes contraxerint, proindeque quibus fatis antefacta ipſa fiant obnoxia, ſed (quod multò majus eſt) opinati ſunt hac viâ poſſe homines ſtatuas, imagines, annulos, & ſimilia ſub congruis Cœli conſtitutionibus fabricare, ſculpere ac celare, quæ virtutem à Cœlo exciperent, quemcunque ipſi vellent effectum producendi, circa ingenium, mores, ſanitatem, morbos, amicitias, odia, conjugia, liberos, divitias, dignitates, &c: hominis cujuſlibet, multaque alia prorſus miranda patrandi, per virtutis à Cœlo acceptæ tranſlationem in aliud corpus. Atque in his pars Magiæ ſuperſtitioſæ non minima conſiſtit: quod quidem Oſoribus Aſtrologiæ in hanc declamandi juſtam dedit occaſionem, ſed hunc errorem expugnandi non dedit ſcientiam.

Dico itaque falſum ac erroneum eſſe, corpora cœleſtia influentialiter agere in arte facta, quatenus arte facta: proindeque ſuperſtitioſum eſſe cœleſtem figuram erigere quo momento arte facta ipſa incipiuntur, qualiacunque ſint, ſive domus, ſive navis, ſive ſtatua, &c: ut de eorum fatis, aut virtute in alterum corpus, judicium feratur Aſtrologicum, vel ut arte factis ipſis virtus aliqua ſupernaturalis concilietur. Hoc autem probatur authoritate, rationibus & experientia.

Authoritas eſt D. Thomæ ſecunda Sect. quæſt. 96. art. 2. ubi negat, *arte facta quorum formæ procedunt ex conceptione artificis, poſſe habere vim naturalem ad agendum: indeque accidere, quod nullam à corporibus cœleſtibus virtntem obtineant, quatenus ſunt arte facta*: ſed hoc D. Thomæ dictum ipſe rationibus non probat. Prima autem rationum in ſuperiorẽ opinionem D. Thomæ authoritati conformis, & capitibus ſuperioribus pluries repetita, eſt, quod ſolum ſemen viventium, hoc eſt, rerum naturalium quæ generantur, ſit excipiendis cœleſtibus influentiis idoneum ſubjectum ſaltem, ut ipſæ influentialiter operentur. Nam influentiæ duntaxat operantur juxta naturam domorum figuræ cœleſtis, ut Sect. 2. Lib. 12. probatum eſt, ideoque Sublunare quodvis naturaliter generabile, quia proprio ſemine conſtat, dum in ſcenam mundanam oriens ſuſcipit impreſſionem cœleſtis influxus, huic ſubjicitur, ab eoque regitur ratione ſui ortus, vigoris, declinationis, & interitus. Bruta autem pluribus aliis ſpecialiùs ſubjiciuntur, ut parentibus, fratribus, liberis, amicis, inimicis, itineribus, &c: ac tandem homo cujus præcipuè gratiâ, Cœlum, aſtra cuncta, totuſque Mundus factus eſt, pluribus adhuc accidentium ſpeciebus ſit obnoxius, per ſuſceptas momento nativitatis influentias, à quibus quamdiu vivit ipſe regitur. At arte factum, ut ſic, neque ſemen habet, neque ab influentiis regitur ratione ſui ortus, vigoris, declinationis & interitus, cùm ejus ortus ſit duntaxat à libero hominis arbitrio dum illud efficit, nullus autem ſit vigor, ſive ſtatus, declinatio, vel interitus pro ſtatuis, vel imaginibus ex auro conflatis, quæ ex ſe ſunt incorruptibiles: quod tamen de ipſo auro, dum ſit à natura dici nequit, cùm habeat ſuum ortum ab ipſa natura aſtris initio ſuæ generationis, ſuumque vigorem dum ad viginti quatuor Karati maturitatem pervenit, vel eam ſaltem quam in fodina propria poteſt adipiſci: plantæ verò dicuntur oriri dum è ſuo ſemine aſſurgentes aeri exponuntur: vigere, dum maturæ ſunt: declinare, dum exſiccantur, ac interire, dum in ipſis virtus vegetativa ceſſat.

Secundò, ſi aſtra agerent influentialiter in arte facto, ergo in quodlibet arte factum, quorum ſingulis momentis Lutetiæ inchoantur & abſolvuntur innumera. Ac proinde quodlibet arte factum, ut ſic, polleret peculiari influxu cœleſti, ſive bono, ſive malo, ad diverſa hominis accidentia, animi, corporis, aut fortunæ. Quamobrem poſſet homo quilibet ſuarum paſſionum, ut iræ, luxuriæ, gulæ, &c: cauſas referre ad ſua veſtimenta, facta ſub dominio Martis aut ♀, cùm tamen quivis luxurioſus, talis eſſe deprehendatur à propria geneſi: & qui pugione excipit vulnus in pectore, hoc non habeat ex fatis thoracis, vel pallii, ſed ex propriis genituræ fatis; atque ſic de cæteris. Unde ſequeretur quod non ſolùm neque domus, neque veſtis, neque culter, &c: emenda eſſent quin priùs ſciretur eorum figura genethliaca, quidque illa ſignificaret: ſed etiam homines & mulieres nudi incedere deberent, metu noxii alicujus fati veſtium, vel ſaltem curare ſingula fieri ſub congruis influentiis, imò ipſa de cauſa ne quidem panem comedere tutum eſſet. Quod ſi quis objiciat idem dici poſſe de pomis, ceraſis, prunis aliiſque fructibus ex arbore ipſa excerptis. Reſpondeo non valere comparationem: Nam Aſtrologi volunt quod influxus pomo impreſſus, agat in ipſum, prout pati poteſt ab influxu cœleſti, ab eoque regi: at ſuperſtitioſi volunt, quod impreſſio cœleſtis facta in imagine, non agat in ipſam imaginem, ſed per hanc agat in aliud. Sique dixerint quod thema cœleſte pro domo, vel navi edificanda agat in ipſam domum, ſive navim, has reddendo variis caſibus everſionis, combuſtionis, vel naufragii obnoxias. Inde patebit doctrinæ abſurda contrarietas, quod nempe Cœlum agat in quædam arte facta, non autem in alia, ut proinde falſum ſit aſſerere, Cœlum agere in arte facta quatenus talia, quod probandum ſuſcepimus. Sique inſuper dixerint tantùm agere in arte facta quibus artifex aliquam intendit conferri à Cœlo virtutem: jam hæc intentio prodit ſuperſtitionem: & quidem ſtultiſſimam, quod nempe artificis intentio ponat in arte facto influentiam, quam Cœlum ipſum per ſe ponere nequit:

quit: quod ne quidem poteſt ipſe Diabolus, omnis ſuperſtitionis author, quantacunque polleat intentione maligna: alioquin efficeret, ut aſtrum ſupernaturaliter ageret.

Tertiò, domus vel navis extruendæ multa ſunt principia temporanea. Primum eſt hominis prima cogitatio de domo conſtruenda, ad quam pertinet univerſa conſtitutio. Secundum eſt decretum hominis de ipſa domo conſtruenda, ad quam pertinet conceptio formæ ipſius domus. Tertium eſt contractus cum Architecto. Quartum eſt prima domus inchoatio materialis, dum ejus fundamenta jaciuntur. Jam verò nullus dicet Cœlum in domum influere ratione trium primarum: quartum autem merè dependet ab hominis voluntate, ita ut jactis etiam fundamentis, vel à propoſito deſiſtere, vel domum aliter conſtrui, vel in alio loco velle poſſit. At Cœlum non influit in ea quæ ſibi (hoc eſt naturæ) non ſubjiciuntur: & quorum neque initium, neque perfectio ab ipſo Cœlo per ſe dependere poteſt. Vana eſt ergo figura cœleſtis ad domos, naves, aliaſque ſtructuras inchoandas.

Quartò, quoniam civitatum partem maximam pagos fuiſſe conſtat, & pagos ab initio fuiſſe unicam domum, à qua nempe incepit pagus, qui deinde factus fuit civitas, ut de Amſterodamo jam prima totius Hollandiæ civitate fertur. Quæro de prima illa domo, an Cœlum in illam influxerit, ut civitatem, vel ut in domum ſolitariam? ſi hoc, ergo corruit influxus ſupra civitatem, cujus illa domus fuit principium: ſi illud, jam poſt aliquod tempus conſtruatur ibidem alia domus. Quæro etiam an Cœlum in illam influxerit, ut in civitatem, vel ut in domum particularem? ſi hoc, ergo ſingulis domibus ſuum erit particulare fatum diverſum à reliquis: atque ſic, vel nullum erit civitatis fatum, vel non erit unicum, cùm tamen civitas conſideranda ſit, ut quid unum; cujus proinde unicum debet eſſe fatum. Si illud, ergo tot erunt civitatis fata quot conſtabit domibus diverſo tempore conſtructis, undique igitur occurrunt abſurditates. Adde quod ſi prima antiquæ civitatis domus evertatur etiam ad fundamenta uſque, ob alia ædificia conſtruenda, ut interdum fieri ſolet; quodnam erit deinceps fatum civitatis, vel quænam altera domus fatum illud impoſterum ſuſtinebit? Ingens profectò in tota civitate contingeret mutatio, quòd novæ Cœli conſtitutioni ſub qua hæc altera domus conſtructa eſt fieret obnoxia. Adde inſuper quod ſi valeret iſta doctrina ſingulæ domus civitatis Pariſienſis jam extructæ, & quæ impoſterum extruerentur; penderent in ſuo particulari fato ab illa prima domo, vel ejus vicaria; quandoquidem cœleſtis conſtitutio ſub qua illa cœpit conſtrui, influit in totam civitatem, cujus ipſæ domus ſingulæ ſunt partes, ideoque ſtante illa domo, dum ipſi à ſuſcepto Cœli influxu accideret mutatio, etiam in tota urbe accideret, hoc enim magis congruit rationi quàm contrarium, ſcilicet mutationem accidere in tota civitate & non in illa domo cui primò impreſſus eſt cœleſtis influxus, vel ejus vicariæ: ſed nihil tale obſervatur in civitatibus, vel pagis: ergo doctrina pro cœleſti influxu in civitates ratione conſtructionis ipſarum, vana eſt & abſurda.

Multò autem abſurdius mihi videtur judicium Junctini circa inſtaurationem Florentiæ Comment. in cap. 7. Lib. 4. Ptolem. pag. 815. ubi ex figura erecta ad momentum quo primus lapis à tribus Epiſcopis benedictus coram univerſo Magiſtratu fuit jactus. Ipſe Junctinus judicat de moribus, ingenio, Religione, divitiis & gloria Florentinorum: quaſi neſciat illam figuram eſſe urbis & non hominum: proindeque cœleſtem influxum recipi debere ab ipſa urbe quæ conditur, ſi recipiendi capax eſſet: aut velit Florentinos habere ſuos mores, ingenium, religionem, divitias, famam, &c: à ſua civitate quæ talia, nec formaliter, nec eminenter habet, ſaltem ex ſe: ſed hæc ei inſunt per accidens à civibus ipſis: poſſuntque adeſſe omnino contraria, civitate in ſuo ſtructuræ ſtatu permanente; ſi nempe Turca illam invaderet.

His adde quod etſi aſtra influerent in conſtructionem urbium, navium, &c: tamen ex urbis, vel navis reſtauratione nihil certi prædici poſſet ignota figura conſtructionis. Vix autem ullius urbis radicale Thema innoteſcit. Unde Cardanus Comment. in Text. 6. Lib. 2. Quatripart. ait, *parum eſſe tribuendum initiis urbium propter tres cauſas. Prima, quia talia initia ſunt ex voluntate hominum & non à natura: & ideo ſunt corrupta. Secunda, quia ſunt maximè incerta: paucarum enim, aut forſan nullius urbis vera origo habetur. Tertia, quia ſæpius augentur, minuuntur, reædificantur & legibus de novo formantur. Et modo vicem ſubeunt ſimplicis civitatis, modò fiunt princeps plurium urbium, modo caput Regni evadunt.*

Quintò, ſi virtus influentialis reciperetur in arte facto, ergo tantùm ageret in ipſo, non autem in altero corpore, in quod à Cœlo non imprimitur, & proinde in quo non eſt, quis enim dixerit aliquid operari, ubi non eſt, cùm id ne quidem ipſi Deo poſſibile ſit? Quod ſi contendant ſuperſtitioſi, tranſlationem fieri virtutis exceptæ in arte facto, ut imagine, ad hominem pro aliqua paſſione amoris, vel odii, vel luxuriæ concitanda, aut ad ſerpentem pro hoc enecando. A quonam, quando & quomodo fit illa tranſlatio? ſanè, ut ad hæc ſingula reſpondeant, multæ nugæ erunt illis fruſtra excogitandæ.

Sextò, ſi ad momentum quo eligitur Cœli conſtitutio ad imaginem cælandam pro ambigendis muſcis, ipſa conſtitutio, prout eſt in Cœlo agens in Terram quàm efficaciſſimè poteſt, muſcas ipſas non ambigit; nonne inſanum eſt opinari, hoc effectum ſtatuam, vel imaginem, in qua fictitiis duntaxat characteribus figura cœleſtis imperfectiſſimè celatur? Diſcent vim cœleſtem ab imagine excipi ob ſimilitudinem quam habet cum figura cœleſti: ſed primò, nonne imago eſt conſtitutioni cœleſti ſimilior, quàm hæc ipſa ſibi? nonne majoris virtutis & efficaciæ? Et tamen ipſa conſtitutio muſcis non nocet, imò has conſervat. Deinde quænam eſt ſimilitudo hujus characteris Saturni ♄, vel hominis ſenis falcem tenentis, cum Planeta Saturno? aut hujus characteris Arietis ♈, cum illa conſtellatione quæ vocatur Aries, vel potius cum Dodecatemorio Arietis vacuo ſtellis? nonne hi characteres ſunt prorſus arbitrarii ad Planetas & ſigna duntaxat ſignificanda, poſſuntque his aliis ſubſtitui ad libitum ſine ullo præjudicio virtutum cœleſtium, quandoquidem inventi characteres nullam habent cum Planetis & ſignis ſimilitudinem.

Septi-

Septimò, ſit quiſpiam natus temperamento moribuſque melancholicus & in fortunæ bonis infœliciſſimus aſtrali conſtitutione: ſi fieri queunt ſtatuæ, vel imagines Aſtrologicæ, quibus evadat ille in fortunæ bonis fœliciſſimus, & temperamento Venereus aut Solaris: ergo univerſa corruet & Aſtrologia judiciaria ex figuris genethliacis, nihilque per has prædici poterit, quòd nempe cuncta nati accidentia in natali themate ſignificata, non ſolo voluntatis imperio, ſed aliis influentiis, per imagines exceptis eludi queant. Deinde ſi Cœlum quomodocunque diſponatur tota nati durante vitâ; hunc nequit alium efficere quam fecit in geneſi, quomodo id faciet imago, vel ſtatua, etiamſi cœleſtem influentiam momento ſuæ fabricæ exciperet, quod tamen ſupra negatum eſt? An ipſa influentia efficacior eſt in imagine quam in Cœlo ipſo, unde natum non immutat? Et quænam præpollebit in homine virtus cœleſtis? An ea quæ ejus ſubſtantiæ impreſſa eſt naſcendo, an ea quæ impreſſa eſt imagini quam in pera, vel collo appenſam geſtat? Ex his igitur & ſimilibus patet quanta ſit inſcitia, imò inſania ſuperſtitioſorum, qui arte factis cœleſtes influxus includere, iiſque ſe mira operaturos pollicentur.

Octavò, ſi cœleſtis influxus ad imaginem allici, & in hac retineri poſſet, ut inde ageret: hoc eſſet, vel ratione materiæ ex qua fit imago, vel ratione figuræ, vel ratione characterum in imaginis fabrica aſſumptorum; ſed neutrum dici poteſt: ergo imagines ſunt duntaxat figmenta ſuperſtitioſa & diabolica. Ac primò de materia patet. Nam tam ex metallis quàm lapidibus & plantis alia dicuntur eſſe naturæ Saturninæ, alia Jovialis, alia Martiæ, &c: ſaltem Analogicè, ut à nobis dictum eſt Lib. 13. Ac proinde ſi in imagine deſideretur influentia Jovis, poteſt indifferenter ſumi metallum, lapis, aut planta, ſive lignum aliquod de natura ♃. His adde quod malefici, ut plurimùm cerâ utantur ad ſuas imagines & ſtatuas, ut conſtat ex Magiæ Libris. Quod autem figura etiam nihil ad hoc inſerviat probatur: Tum quia non requiritur certa figura in ſubjecto, ut influentiæ in illo recipiantur: quandoquidem in naturali generatione recipiuntur in metallis, lapidibus, plantis, piſcibus, quatrupedibus, volatilibus, hominibus, & quibuſcunque inſectis, quorum figuræ ſunt innumeræ inter ſe differentes: Tum quia figuræ & characteres imaginibus oppoſiti, nullam ex ſe vim habent naturalem, ſuntque duntaxat ad libitum confecti ſine ulla ſimilitudine cum Planetis aut Dodecatemoriis, quorum vires ſe excepturos pollicentur ſuperſtitioſi: poſſuntque alii characteres excogitari ejuſdem ſignificationis cum jam inventis. Et diverſæ Nationes utuntur diverſis characteribus eadem corpora cœleſtia ſignificantibus. Tum quia rationes quas pro actione figuræ afferunt, nempe quod figura rotunda ſit ad motum congruentior quàm quadrata: quod clavus acutus lignum facilè ſubintret, non autem obtuſus, quod ſpeculum concavum comburat, non autem planum & ſimilia: nihil aliud probant, quam quod figuræ nihil per ſe agant, ſed ſint tantùm cauſæ per accidens & ſine quibus non ageret principalis cauſa, utens inſtrumento figurato in actionibus, vel operationibus materialibus & mechanicis. Atque ſic acumen clavi non introducit per ſe clavum in lignum, ſed eſt tantùm cauſa per accidens, & ſine qua non introduceretur. Similiter concavitas ſpeculi non comburit, ſed eſt cauſa per accidens & ſine qua calor Solis non combureret, idemque dicendum de reliquis. At in effectibus imaginum ſuppoſitis, quæſtio eſt de immateriali actione per ſe, à naturali aſtrorum virtute, ſive potentia, quæ immaterialis eſt, ut alibi probavimus. Si enim imagines aliquos producunt effectus virtute cœleſti, dicet omnis Philoſophus effectum per ſe produci ab ipſa virtute cœleſti recepta in imagine, non autem ab hujus materia, quæ ex ſe non eſt activa, ſed duntaxat ſubjectum inhæſionis receptæ virtutis: nec ab imaginis figura, vel characteribus: alioquin imago dicenda non eſſet operari virtute cœleſti contra hypotheſim, ergo falſum eſt influxum cœleſtem imaginibus includi, & per has illum operari.

Denique probatur experientiâ doctrinam infundendi vires cœleſtes in arte facta vanam eſſe atque ſuperſtitioſam: ſi enim vera eſſet, quoniam per totam Europam, imò totum Mundum apud aurifabros, ſculptores, excuſores, fuſores, cæteroſque artifices momentis ſingulis, ac proinde ſub qualibet Cœli conſtitutione ex metallis, lapidibus, ligno, &c. inchoantur & abſolvuntur figuræ innumeræ & diverſiſſimæ plantarum, brutorum, hominum, tum etiam corporum cœleſtium, Dæmonum & Angelorum, prout imaginatio ſuggerit, nihil occurreret frequentius quàm aliquod ex talibus arte factis, inſigni aliqua virtute præditum: at nihil tale conſpicitur, & Pictor canem venaticum eximium depingens, potiùs in picturam ſuam etiam vivo cani ſimillimam transferet hujus efficacem induſtriam captandi lepores, quàm poſſit quis in imaginem, vel ſtatuam etiam aſtris diſſimillimam, horum virtutem includere, qua imago, vel ſtatua idem quod aſtra operetur. Ut enim virtus magnetis in ſolo ferro recipitur & operatur: Sic corporum cœleſtium influxus in ſolo rerum generabilium ſemine ſibi congruè expoſito recipitur & operatur.

Quamobrem prorſus explodenda eſt contraria doctrina, præſertim à Jacobo Gaffarello Theologiæ & Juris Doctore, non vulgaris eruditionis atque Lecturæ viro, tradita Libro quem inſcripſit curioſitates inauditæ, circa ſculptarum Perſarum taliſmanicam: ubi approbat, tuetur atque commendat doctrinam illam, exponitque methodum tales figuras conficiendi quas communi nomine Taliſmans appellat. Ipſe enim alicujus virtutis influentialis Taliſman nunquam vidit, nec efficit: de ipſo enim gloriari, illudque palam oſtendere haud omiſiſſet ad ſuæ doctrinæ confirmationem. Quo certè nihil arbitror ipſi poſſe objici efficaciùs ad ſuæ doctrinæ vanitatem probandam, quandoquidem facillimum eſt artem illam experiri, quamque ego à multo tempore expertus eſſem, & cum qua plures Magnates viros & Dominas ſeducere potuiſſem lucri causâ, ſi hujus farinæ vir & nebulo fuiſſem, nec vidiſſem rationi artem illam nimis contrariari, eſſeque facile hinc ad ſuperſtitionem prolabi, & ad artes nefarias, à quibus naturaliter abhorreo. Quamvis olim mihi non parum difficile fuerit illud viris qui-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

buſdam nobilibus perſuadere, qui poſt mortem fortiſſimi Guſtavi Adolphi Suetiæ Regis me Pariſiis convenerant, ut illis exponerem imagines & characteres auro depictos ſuper acinace & damaſcino chalybe, quo ipſe Rex armatus erat in prœlio Lutzenenſi, ubi ab aliquot menſibus occubuerat, quippe cui gladio in ſuis omnibus prœliis plurimum confidebat: Eum autem emerant à quodam milite. Eratque multo ſanguine maculatus, ac ſuper uno latere literis aureis ſcriptum erat à capulo verſus mucronem, Guſtavus Adolphus Rex Suetiæ. Super latere autem altero: audaces fortuna juvat timidoſque repellit; prope mucronem ex una parte erant imago Solis & character Martis, ex quibus plures ſtillabant lacrymæ: ex altera verò magici characteres mihi ignoti, & paſſim tales characteres, cum Planetarum & ſignorum notis diſſeminabantur. Urgebant autem ipſi nobiles, ut hæc omnia illis explicarem, aſſerentes ſe certiores factos fuiſſe me nullam ex ſcientiis ſublimioribus & occultioribus ignorare, ac in Magia præſertim excellere: quæ verba cachinno primùm excipiens, pluries renuentibus credere reſpondi, me quidem naturales omnes ſcientias & Aſtrologiam præſertim excolere, ſed ut verum decet Chriſtianum atque Catholicum: magicas autem maximè deteſtari: nihilominus inſpexi an ex characteribus Aſtrologicis quid eſſet quod vel ejus Natalitiæ, aut Revolutivæ figuræ congrueret, aut conſtitutioni Cœli ſub qua occiſus eſt, ſed nihil inveni. Quamobrem illis nobilibus dixi duntaxat: Tantum Regem fuiſſe deceptum ab aliquo Nebulone, vel Aſtrologo, vel Mago, vel etiam ignaro, qui perpetuas illi victorias per talem gladium obtinendas forſan vendiderat, ſicque ſolere decipi quicunque Diabolo, vel ejus Miniſtris fidem adhibent relicta naturali via prævidendi ex aſtris, qua ut Cæſar in prœlio adverſus Brutum & Caſſium à morte liberari potuiſſet. Rex enim Suetiæ prœlium aggreſſus eſt die ſibi cœlitus infœliciſſima atque lethali, ut ex ejus figura & Ephemeridibus videre licet, & ſuo loco exponemus. Et quamvis Gaffarellus referat tales imagines, pluribus in locis, ut Pariſiis, Conſtantinopoli, Neapoli & alibi viſas eſſe, quæ à combuſtione, muribus, ſerpentibus, ſcorpionibus, muſcis, peſte, &c. præſervarent: tamen facilis & vera eſt reſponſio; tales figuras à Magis operâ Dæmonum fuiſſe factas; non quod Dæmon influxus aſtrorum ipſis incluſerit ad tales effectus patrandos, hoc enim præſtare nequit: ſed quod ipſe ex pacto cum Mago, & ad reliquos homines faciliùs ſeducendos, effectus illos operetur. Nam & ipſe Dæmon quandam hominibus fidelitatis ſpeciem ſervat, ſuis ſtando promiſſis, ad faciliorem eorum ſeductionem majoremque perniciem. Non eſt autem quod hic immorer in ipſius Gaffarelli doctrina ampliùs refutanda: tum quòd ex ſuprapoſitis ſufficienter refutetur, tum quod nullis veris rationibus innitatur, tum quod ad illam confirmandam citet duntaxat Authores etiam inexpertos, & ut plurimùm Aſtrologiæ ignaros. Et quamvis citet Marſilium Ficinum magni nominis Philoſophum, Theologum & Medicum Lib. 3. de vita cœlitus comparanda cap. 16. ubi conſtruendarum imaginum artem approbans, ait. *Itaque ars ſuſcitat inchoatam ibi* (hoc eſt, in materia congrua) *virtutem, ac dum ad figuram redigit ſimilem ſuæ cuidam cœleſti figuræ, tunc ſuæ illic ideæ prorſus exponit, quam ſic expoſitam, Cœlum ea virtute perficit, quâ cœperat, exhibens quaſi ſulphuri flammam.* Nihilominus ipſius Ficini inconſtantia circa Aſtrologiam quam in Libris de vita cœlitus comparanda ſupra modum approbat: in ſuis verò Commentariis in Plotinum condemnat atque rejicit, non obſcurè teſtatur Ficino ipſi de aſtrorum viribus influentialibus non eſſe fidendum. Ac miror quomodo hic probet deliramenta circa aſtrorum virtutes, qui alibi res egregias atque veras improbavit: ſic oſtendens ſe dum Aſtrologiam cum Plotino condemnavit æquum judicem eſſe non potuiſſe. Sed ad Gaffarelli Taliſmanicam doctrinam redeuntes, concludamus vanitatem ejus non efficaciùs probari poſſe, quàm ex ipſius Gaffarelli publica retractione coram ſacræ Theologiæ Pariſienſi Facultate Sorbonica, die 4. Octobris 1629. Quamvis enim illa retractatione videatur illuſiſſe incautioribus illius Facultatis Doctoribus, non exprimens quas opiniones ab aliis relatas, vel ex propria animi ſententia in ſuo Libro expoſitas cum ipſa Facultate improbet, rejiciat atque damnet: tamen quia in ipſo Libro nihil continetur à Religione Catholica magis alienum & ſuperſtitioſum, quàm Doctrina ipſa Taliſmanica, credendum eſt Doctores Sorbonicos talis potiſſimum doctrinæ improbationem ab eo deſideraſſe.

Porrò non exigui momenti Objectio poterit in nos fieri quæ talis eſt. Capite quarto hujus Sectionis admiſimus Medicinas ex aſtrorum obſervatione factas, quas Marſilius Ficinus ait, ſe longa experientia deprehendiſſe, ab aliis abſque delectu Aſtrologico factis non minùs differre viribus, quàm vinum ab aqua: ſed tales Medicinæ, ut ſic, ſunt res arte factæ. Ergo arte facta, ut ſic afficiuntur ab influentiis cœleſtibus contra ſententiam noſtram.

Reſpondeo, circa medicinas, vel remedia ægro exhibenda, vel applicanda, tria eſſe tempora notatu digna. Primum, quo plantæ, vel reliqua ſimplicia ex Elemento cui inſunt viribus aſtrorum expoſita colliguntur: & quia corpora cœleſtia perpetuò in hæc Sublunaria univerſim agunt, tum elementaliter, tum influentialiter, ut diximus cap. 1. tam ratione propriæ naturæ quàm ſignorum in quibus verſantur, nec non connexionis cum aliis aſtris: idcirco non parum intereſt advertere ſub qua cœleſti conſtitutione ſimplicia ipſa colligantur, & quaſi ablactentur, habita ratione morbi & partis corporis cui ſunt applicanda. Secundum tempus eſt compoſitionis, vel præparationis medicamenti, quod ipſius præparationis ratione verè eſt arte factum, ut ſyrupus, aqua ſtillatitia, unguentum, potio, pilulæ, &c: & hoc tempore obſervare aſtra & figuram erigere, dicimus eſſe vanum, quod influentiæ non agant in arte facta, ut ſic. Tertium, tempus eſt exhibitionis, vel applicationis medicamenti, ad quod tum ad venæ ſectionem, membri amputationem, uſtionem & ſimiles chyrurgicas operationes, omnino prodeſt ſpectare Cœli ſtatum præſentem, illumque conferre cum ægroti figura genethliaca & morbi cauſis cœleſtibus ex Aphoriſmis 19. 20. & 21. Centiloquii Ptolemæi. Hoc autem omittere plerumque cauſa eſt mortis ægri, quod nempe aſtra in ipſum quatenus corpus vivum influant: & neceſſaria ſit ad ſanitatem remediorum concordia cum viribus cœleſtibus ad morbum profligandum, non

autem

autem concordia ad ægrum enecandum : ut ſuo loco fuſiùs à nobis ex profeſſo dicetur.

Objicitur iterum. Quod aſtrorum influentiæ omnia corpora Sublunaria ipſamque Tellurem penetrant : ac per conſequens recipiuntur in omnibus corporibus etiam arte factis : ergo etiam agunt in arte facta.

Reſpondeo. Influentias equidem recipi in omnibus corporibus Sublunaribus, ſed non eodem modo; nam in omnibus viventibus recipiuntur per modum formæ perficientis ſubjectum : in mortuis autem arte factis non item. Ideoque inhærent viventibus, arte factis autem ſolum adhærent. Patet utrumque in virtute magnetica, quæ ferrum informat ac perficit, eique inhæret, at aerem, vel lignum, quod penetrat, nec informat, nec perficit, nec ei inhæret, ſed tantum adhæret. Eademque eſt ratio de luce reſpectu aeris & cryſtalli.

Objicietur inſuper. Arte facta, ut urbes, domos, naves, everſionibus, combuſtionibus, naufragiis aliiſque inſignibus cladibus eſſe obnoxias. Cùm hæc autem non habeant ex ſe quatenus ſunt arte facta ſimpliciter, quandoquidem nec omnes urbes, nec omnes domus, nec cunctæ naves iiſdem cladibus ſunt obnoxiæ: Fatendum eſt quod hæc habeant prout ſunt arte facta, cœleſtibus influentiis affecta.

Reſpondeo. Urbes, domos, naves ſupradictis cladibus non eſſe ſubditas, neque ut ſunt arte facta ſimpliciter, ob rationem ſupra poſitam, neque ut ſunt affecta influentiis cœleſtibus, quandoquidem ab his non afficiuntur : ſed duntaxat quatenus ſubjiciuntur hominibus, quibus à propria geneſi talia cœlitus ſignificantur infortunia. Rex enim qui naſcitur infœlix in bello, ſi in bello fuerit aggreſſor, vel aggreſſus, ſuarum urbium & regni diſſipationem cauſabit. Et nauta cui ſignificatur naufragium à geneſi, revolutione & directione, erit cauſa ſubmerſionis navis ſi eo anno navigationem ſuſceperit. Quo pacto arte facta, tantùm per accidens dici queunt ſubdita influentiis cœleſtibus, non autem per ſe.

Tandem objicies. Si aſtra agunt in hæc inferiora, cur non in ſe mutuò, præſertim quod in noſtra ſententia ſint corpora ex elementis mixta, & virtus agentis in diſtans, validiùs agat in propinquum quàm remotum.

Reſpondeo. Aſtra equidem Elementalibus qualitatibus quas habent formaliter poſſe invicem agere, non autem influentialibus, ob tres rationes. Prima eſt, quia influentiæ tantum recipiuntur in his quæ generantur à cauſis influentibus, idque momento generationis & pro ratione ſitus domualis ad genitum : ſed aſtra ſe mutuò non generarunt, quippe ſimul tempore à Deo fuere creata : nec domorum diviſionibus & ſignificatis ſubjiciuntur. Secunda eſt, quia quodlibet non eſt aptum pati à quolibet ſecundum omnes hujus virtutes, ut patet ex ligno quod vis magnetis equidem, ut ferrum penetrat, ſed ferro ſolo inhæret : eademque eſt ratio de influentiali virtute reſpectu hîc generabilium & in Æthere ſempiternorum corporum. Tertia denique eſt, quia Planeta quilibet eſt primum agendi principium in ſuo genere; Sol ſolariter, Luna lunariter, Saturnus ſaturnaliter, &c : ideoque in eo genere perfectum atque ſic determinatum actuatumque eſt à propria forma & influentia, ut cujuſvis alienæ ſit incapax, veluti ignis igne remanente : quod quidem omnino decuit aſtra ipſa, hujuſce mundi Rectores, alioquin nihil ordinatum, ſed in omnia confuſa his inferioribus ſubinde contingerent. Sed de Corporum Cœleſtium actione in hæc Sublunaria, ſive naturalia, ſive arte facta hactenus dixiſſe ſufficiat.

FINIS LIBRI VIGESIMI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ASTROLOGIÆ GALLICÆ

LIBER VIGESIMVS PRIMVS.

De Activa Corporum Cœleſtium, & paſſiva Sublunarium determinatione.

PRÆFATIO.

De Corporum Cœleſtium effectibus circa Sublunaria, Veteres Aſtrologi, ut plurimum judicarunt ex fictitiis fundamentis à natura prorſus alienis, vel ex fundamentis quibuſdam equidem naturalibus, at confusè tantùm perceptis, indeque pejus applicatis. Prioris generis ſunt termini, decani, facies, partes variæ, progreſſiones annuæ, menſtruæ & diurnæ, cæteraque vana figmenta ab Arabibus, Chaldæis, & Ægyptiis introducta. Poſterioris generis ſunt ſignificatores univerſales, quos Cardanus paſſim vocat ſignificatores ſecundum ſubſtantiam, circa quos hactenus potiſſimum occupatæ ſunt mentes omnium Aſtrologorum. Etenim Soli quidem naturale eſt, quod majorem habeat Analogiam cum honoribus, Regibus, Patre, &c: quàm cùm infamia, ruſticis, liberis, &c: Eademque eſt ratio de ♃ pro divitiis, ♀ pro uxore, ☿ pro ingenio, & ita de aliis, ut à nobis explicatum eſt Libro 13. Sect. 3. cap. 3. ſed abſurdum eſt quod inde deduxerunt Aſtrologi; nimirum quod Sol ita ſit Patris, vel honorum ſignificator univerſalis, ut in qualibet geneſi de nati honoribus, vel dignitatibus, tum de Patre (diurna ſaltem exiſtente geneſi) præcipuè judicandum ſit ex Sole ipſo, quamcunque domum occupet, vel cuicunque dominetur, iſque præſertim pro Patris & honorum ſtatu ſit dirigendus, atque ſic de reliquis. Nam corpora cœleſtia ſunt cauſæ univerſales, ex ſe indifferentes reſpectu individuorum ſublunarium: ideoque ab his determinabiles. Et quia ſunt varii determinationum modi reſpectu influxuum, qui ad duo primaria genera reducuntur, nempe ſitum & dominium in figura cœleſti: idcirco cœleſtia corpora per ſuos ſaltem influxus agunt in ſublunaria naſcentia, duntaxat juxta ſpecialem modum quo ab illis determinantur: hoc eſt prout corpore, vel aſpectu ſunt in aliqua figuræ domo, vel alicui præſunt, aut connectuntur domorum dominis, dum natus in hanc lucem emergit. Nec Planeta quilibet quodlibet efficit, aut ſignificat in figura nati, ſed id tantum ad quod illis modis determinatur, ut infra patebit fuſius.

Atque doctrina hæc veritate cogente interſpicitur quidem in veterum Aſtrologorum Aphoriſmis qui de aſtrorum effectibus ſæpe judicant, prout ipſa ſunt in hac, vel illa domo, aut huic, vel illi præſunt, aut domorum dominis connectuntur, ſed adeo confuſa, & figmentis, aut falſis intermixta, ut hactenus in ſua ſimplicitate enitere non potuerit, & quaſi neglecta fuerit. Imò patet ex Ptolemæo Lib. 3. Quatrip. cap. 1. methodum prædicendi per ſtellarum mixturas inter ſe, & cum ſignis & domibus figuræ cœleſtis, (quæ nihil aliud ſunt quam determinationes earum de quibus hic acturi ſumus) veterum eſſe, ideoque fuiſſe illius Prædeceſſoribus uſitatam, Ægyptiis, ſcilicet, Chaldæis, & Arabibus, ut explicat Cardanus in Commento; à quibus Græci Aſtrologiam deſumpſerunt ab Adamo & Noe traditam, ſed jam tunc impuram & depravatam. Ptolemæus autem illam methodum rejicit, non quod dicat ipſam eſſe falſam; ſed duntaxat confuſam, difficilem & propemodum infinitam: magiſque pertineat ad conjecturas ſingularium, quam ad præcepta univerſalia; Cardanus tamen in Commento fatetur quod ſi deſcribi poſſet, longè facilior eſſet. Itaque Ptolemæus ad generalia præcepta à ſe excogitata ſe convertit: ut ſumendo locum Solis pro vita in figura nati, eique totum Cœlum comparando, juxta Cardanum in Commento: idemque facit de aliis ſuis ſignificatoribus generalibus. Attamen frequenter cogitur Ptolemæus, Veteri illa uti methodo, ut dum Soli vel Lunæ comparat dominum medii Cœli, vel Horoſcopi: multoque major eſt confuſio, vel difficultas, vel infinitas, conferre locum Solis toti Cœlo pro vita, ut vult Cardanus in Commento capitis 7. Lib. 2. Quatrip. quam de ipſa vita judicare ex ſtatu Horoſcopi & ejus domini. Itaque vetus illa methodus omnino reſtituenda eſt, ſi veram Aſtrologiam, ab Adamo & Noe poſteris traditam, propriiſque conſtantem principiis ſequi velimus. Ac ego tandem nutu Dei illam à figmentis diſcernens & expurgans, eandem jam, ut primarium Aſtrologiæ judiciariæ fundamentum in ſua puritate trado poſteris. Agens hoc in Libro de variis Corporum Cœleſtium determinationibus, de quibus Veteres nequidem ſomniarunt, & in quibus tamen totam judicandi, vel prædicendi ſcientiam naturalem conſiſtere, planè novo lumine Phyſico patebit ex ſequentibus.

SECTIO

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

SECTIO I.

CAPUT I.

De primi Cœli determinatione formali, vel eſſentiali.

CORpora Cœleſtia eſſe cauſas univerſales fatentur omnes Philoſophi. & ratio eſt, quia cum agentibus principalibus ſibi inferioribus Phyſicos producunt effectus, juxta noſtram cauſæ univerſalis definitionem Lib. 7. cap. 8. Hi verò effectus ſunt ipſis corporibus accidentales, accidit enim Cœlo & Soli, quod producant hominem, equum, pomum, &c: ſupra quos effluit ipſorum corporum formalis effectus, ut dum Sol influentiam Solarem effundit, quod quidem Soli non accidit, ſed ipſi ineſt ab eſſentia, ut homini videre: ita ut Sol etiam in ſpatiis imaginariis extra Cœlum poſitus, non poſſit ſuam influentiam & calorem non effundere, quamvis in nullo inhæſionis ſubjecto recipiatur. Ideoque ad hunc effectum Sol non eſt cauſa univerſalis, ſed particularis, quatenus ſine concurſu inferioris agentis ipſum producit effectum, ſive ejus calor, vel influentia in nullo, ſive in aliquo inhæſionis ſubjecto recipiatur.

Hinc verò patet quod omnis cauſa univerſalis, eſt ex ſe indifferens ad ſuos accidentales effectus, ideoque ad hos determinabilis; non autem ad ſuum formalem effectum: ad hunc enim eſſentialiter determinata eſt ab Authore naturæ, quatenus ipſa eſt tale ens Phyſicum, tali virtute activa dotatum. De hac igitur determinatione formali prius hic nobis agendum eſt, à primo Cœlo incipientes, indeque ad Planetas & fixas progrediemur.

Itaque primum Cœlum ex ſe, vel eſſentialiter determinatum eſt, ad virtutem univerſaliſſimam ſibique propriam producendi quoſcunque naturales effectus, cum aliis quibuſcunque Phyſicis cauſis, in ſingulis Mundi regionibus, Cœleſti, Ætherea & Elementari, qua propterea omnes alias virtutes Phyſicas eminenter contineat, ut à nobis probatum eſt Lib. 14. Sect. 1. cap. 1. Ideoque Cœlum ipſum eſt prima cauſa Phyſica de qua vide cap. 1. Sect. 3. Lib. 20.

Objicies. Si primum Cœlum cæteraque corpora cuncta, excepto Sole & Terrâ annihilarentur: Sol tamen ſuam lucem, ſuumque calorem & influentiam effunderet, terramque illuminaret, calefaceret, in eamque, vel animal in ipſa naſcens influeret, independenter à primo Cœlo: ergo jam Sol eadem efficit independenter à primo Cœlo; non enim Cœlum confert per ſuam præſentiam, ſive exiſtentiam, quod non aufert per ſuam abſentiam, vel annihilationem: non ergo primum Cœlum eſt prima cauſa Phyſica.

Reſpondeo. Equidem verum eſſe, quod tali admiſſa hypotheſi, Sol prædictas qualitates effunderet, ut à nobis oſtenſum eſt Lib 8. cap. 8. Sunt enim Soli formales & in diſtans activæ: imò Terram illuminaret & calefaceret, quia hi effectus non ſunt formaliter cœleſtes, cùm ſint etiam Elementales ignique conveniant. At in Tellurem, vel animal ex hypotheſi in ipſa naſcens non influeret, niſi valde generaliter, non autem ſpecialiter, ut circa vitam, honores, &c: quia nullus eſt ſpecialis influxus actualis niſi per ſitum domualem in figura cœleſti, in qua fundantur omnes influendi rationes ſpeciales, at Sole Terrâque Solis exiſtentibus nulla eſſet figura cœleſtis; etſi motus Solis in orbita ſibi propria circa terram continuaretur: quod nempe domus figuræ non dividantur per Eclipticam, ſeu viam Solis, vel alterius Planetæ, præſertim verò Lunæ Planetæ primarii, de quibus idem quod de Sole dici poteſt: ſed per Æquatorem primo Cœlo proprium, ut à nobis probatum eſt Lib. 18. Sect. 2. cap. 5. Aſtraque per ſe, harum duntaxat domorum ratione influere obſerventur, & non aliarum.

Urgebis. Domos primarias, in quibus primario fundantur influendi rationes, nihil aliud eſſe quam diviſionem totius ſpatii circumſtantis: & in Tellure eſſe, vel concipi poſſe polos & axem, ideoque Æquatorem, per quem ſpatium ipſum divideretur: ſic verò Solis, vel alterius Planetæ influxus eſſet admittendus.

Sed reſpondeo. Activum influxum non eſſe à domibus primariis, quæ nihil aliud ſunt quàm inane ſpatium non activum ex ſe, ſed duntaxat determinativum, ut Lib. 18. Sect. 3. cap. 3. & 4. explicavimus. Atqui experimur Dodecatemoria active influere, tum cum Planetis, tum per ſe, dum ſolitaria verſantur in Horoſcopo, vel aliis domibus: Dodecatemoria autem non ſunt partes immobilis ſpatii cum ipſa ſint mobilia per domos primarias, ſive ſpatia: neque ſunt Terræ partes, quæ etiam eſt immobilis, ideoque polis, axe & Æquatore per ſe caret: ſunt ergo partes primi Cœli à Planetis initio creationis determinati, hoc eſt, primæ cauſæ à ſecundis: cùm ergo jam ſimul influant, ut prima & ſecunda cauſa ejuſdem effectus, ab utraque neceſſariò dependentis; hinc ſequitur aſtra ſine concurſu primi Cœli non poſſe influere ſpecialiter, etſi queant illuminare & calefacere.

Ex dictis verò patet primò. Aliud eſſe calorem, vel influentiam effundere, aliud verò calefacere & influere. Hoc enim requirit ſubjectum caloris & influentiæ receptivum, illud verò non: cùm effuſio fieri poſſit abſente ſubjecto, veluti in ſpatiis imaginariis, ubi virtutem primi mobilis effundi probabile eſt, ſi circa ipſum dentur illa ſpatia. Præterea primum Cœlum eſſe primam cauſam propriam omnis actualis influxus cœleſtis, at duntaxat primam cauſam communem illuminationis & calefactionis, quatenus lumen, calorem, cæteraſque elementales qualitates etiam eminenter continet; alioquin in Dodecatemoria diverſæ naturæ elementalis non eſſet diviſibilis.

CAPUT II.

De formali, vel eſſentiali determinatione Planetarum & Stellarum fixarum.

NOn ſecus ac primum Cœlum ad propriam ſibi naturam agendique virtutem determinatum eſt ab Authore naturæ: ſic ſeptem Planetæ, (quos Libro 9. Sect. 3. cap. 2. & Theor. 2. Elem. natura & virtute inter ſe differre probavimus) ad proprias naturas formaleſque virtutes eſſentialiter determinati fuere. Nempe Sol ad ſolariter agendum, hoc eſt illuminandum, calefacien-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

dum & influendum ſolariter; Luna ad lunariter agendum: atque ſic de reliquis Planetis, tum etiam ſtellis fixis diverſæ ſpeciei.

Quam autem difficile ſit cujuſque Planetæ naturam propriam formalemque virtutem definire: jam dictum eſt Lib. 13. Sect. 3. cap. 1. 2. Hujuſque cognitionis difficultas inde oritur, quòd eadem ſua ſimplici virtute aliud efficiat in metallo, aliud in planta, aliud in bruto, & aliud in homine; imò diverſa efficiat in diverſis hominibus, tum in eodem numero. Ac præterea aliud efficiat cum uno ſigno, & aliud cum altero. Item aliud connexus uni Planetæ, & aliud connexus alteri; ac etiam diverſa diverſimode connexus eidem alteri Planetæ, tandemque aliud in una domo, & aliud in altera, diverſaque diverſarum dominus, ut conſtat ex Elementis. Quamobrem in tot ferèque innumeris combinationibus via detegendi ejus naturam ſimplicem formalemque virtutem, non poteſt non eſſe perdifficilis. Quoniam verò eadem ſimplici virtute agit in quolibet rerum genere & omnibus ſimul, ſi virtus ipſa in aliquo rerum genere, vel ſpecie, ut homine prudenter ſtudioſéque attendatur, poterit nihilominus haud mediocris ejus cognitio inde haberi, ac modus omnium certiſſimus talis erit.

Dum Planeta verſatur in proprio domicilio, ut Sol in ♌, Planetæ natura eſt alteri impermixta, quòd Leo ſit naturæ ſolaris, præſertim verò ſi alteri Planetæ corpore, vel aſpectu connexus non fuerit. Tunc ergo obſervetur quid in ſingulis figuræ domibus efficiat circa naſcentes homines (quod quidem Pariſiis ubi ſingulis horis naſcuntur homines, die unica obſervari poteſt, dum talis fuerit ſtatus Solis) quoniam enim in ſingulis ipſis domibus, diverſos ſpecie producit effectus, omnes tamen ſolares in natorum vita explorandos: ergo illud ſolare quod erit effectibus omnibus commune, dicetur jure optimo eſſe propria natura Solis. Eademque eſt ratio de Planetis cæteris.

Nulla autem via eſt certior iſtâ. Prævifo enim tempore talis ſtatus Solis, aut alterius Planetæ, eſſent obſtetrices plures promovendæ, ut aliquâ die illis ſignificatâ ſtudiosè notarent horas nativitatum. Si enim Sol conſideraretur, dum corpore, vel aſpectu connexus & Planetis cæteris, ex ipſa connexione compoſitus prodiret influxus, qui ideo diſtinctè ignotus eſſet, quia hæc cognitio pendet à cognitione diſtincta ſimplicis influxus quem quærimus. Similiter ſi Sol ſpectaretur in diverſis Zodiaci ſignis, idem eſſet ac ſi diverſis Planetis connexus eſſet, quòd ſigna referant naturas Planetarum: ideoque difficultas eadem recurret: erga via à nobis expoſita cæteris omnibus certior ac facilior eſt. Domus enim primariæ, vel ſpatia, ſive loca figuræ cœleſtis, nec influunt, nec activè concurrunt ad effectus: ſed duntaxat determinant influxum corporum cœleſtium, qui ab ipſis locis nullam miſcellam patitur. Qua autem ratione detegitur natura Solis, eadem omnino detegitur natura Leonis, ſunt enim unica & ſimplex natura: Sol quidem formaliter, Leo autem determinativè ex Lib. 14. Sectio prima, cap. 6. Sic igitur cognoſci poteſt natura cujuſque Planetæ, tam cœleſtis, vel influentialis, quàm Elementalis.

Cæterùm pro Sole & Luna, quibus ſingulis unica domus eſt, nulla hic occurrit difficultas. At pro ♄ ♃ ♂ ♀ ☿ quibus ſingulis duplex domus aſſignatur, difficultas non mediocris emergit pro eorum natura Elementali diſtinguenda; præſertim quod binæ domus hiſce Planetis ſingulis aſſignatæ, initio Mundi determinatæ fuerunt ad naturas elementales contrarias, verbi gratia, Saturni domus ſunt ♑ & ♒, quorum hic calidus eſt ac humidus, ille verò frigidus atque ſiccus. Solentque Aſtrologi paſſim tam in conſtitutionibus aeris univerſalibus, quàm in natorum temperamentis particularibus definiendis effari, quod ♄ in ♑ ſit frigidus & ſiccus, hoc eſt, frigefaciat & exſiccet, in ♒ autem calidus & humidus: ac in ſumma talis ſit ſaltem effectu, qualis eſt natura ſigni quod occupat. Eademque eſt ratio de Planetis reliquis. Quomodo igitur innoteſcet quod ♄ ſit ex natura ſua frigidus & ſiccus, ſi duntaxat refrigeret in ſigno frigido, exſiccet in ſicco, calefaciat autem in calido, & humectet in humido.

Ad hanc verò difficultatem enodandam. Dico primò: Errare Aſtrologos dum in aeris & natorum temperamentis determinandis nullam habent rationem propriæ, ſeu formalis naturæ Elementariæ Planetarum in ſignis poſitorum, ſed Saturnum & ♂ in ♈, eodem gradu effectivè calidos eſſe volunt, ut videre eſt apud Origanum parte 3. cap. 5. & alios, quod tamen eſt contra Theor. 9. Elem.

Dico ſecundò: Signa etiam Solitaria, hoc eſt, Planetis vacua operari, in Horoſcopo, vel alibi conſtituta; & quidem Elementaliter operari juxta naturam ad quam initio Mundi fuere determinata: influentialiter autem juxta naturam ſuorum dominorum. Quoniam ergo ♄ duas habet domos ♑ & ♒, natura Elementali inter ſe contrarias, quarum quælibet influit Saturnaliter: igitur ex ♄ in illis detegitur primò Saturni natura influentialis, quia ex ♄ cum utroque ſigno natura ipſa duplicatur effectivè. Elementalis verò formalis ex eo cognoſcetur, quia cum ♑ intensè frigefaciet & exſiccabit, non autem cum ♒, ſed econtra frigus ejus & ſiccitas remittentur, quod fieri nequit niſi à calore & humiditate qualitatibus contrariis: quamobrem dicetur ♄ extrinſecè, ſeu in manifeſto formaliter frigidus atque ſiccus; intrinſecè autem, vel in occulto duntaxat eminenter calidus & humidus.

Inde verò deduceretur, quod etſi ♄ natura ſua cœleſti, vel influentiali ſit calidus, frigidus, humidus atque ſiccus: Elementali tamen formali eſt tantùm frigidus atque ſiccus. Ac proinde ♒ refert duntaxat ejus naturam influentialem; Caper autem ejus quoque naturam Elementalem formalem: ideoque ♑ continet amplius naturam ♄ quam ♒. Ac proinde ♄ in ♒, minùs quàm in ♑ maleficus eſt. In ♑ enim excedunt noxiæ qualitates Elementales, ſed in ♒ temperamentum, quod ♒ ad naturam aeream Elementalem determinatus ſit. Eademque eſt ratio de cæteris minoribus Planetis.

CAPUT

Caput III.

De præcipuo quodam nimiſque inveterato errore Aſtrologorum.

AD eſſentialem Planetę determinationem pertinet illud quod ab omnibus Aſtrologis hactenus aſſumptum eſt: nempe Solem (verbi gratia) per ſe ſignificare Patrem, Maritum, Reges, Magnates, Famam, Dignitates, Vitam, &c: quod Cardanus paſſim vocitat ſignificare ſecundum ſubſtantiam: ſimiliterque Lunam ſignificare Matrem, Reginas, Plebem, &c: Jovem, divitias, Mercurium ingenium, atque ſic de reliquis, ut videre eſt in veterum Aſtrologorum Libris, qui tales Planetas appellant generales rerum ipſarum ſignificatores, ac eſſentialem hanc ſignificationem faciunt ſuæ prædictionis fundamentum præcipuum; ita, ut ipſos quoque Planetas dirigant pro talibus ſignificatis. Idcirco Ptolemæus Lib. 3. Quatrip cap. 4. ubi de Parentibus, ait. *Sol & ♄ conveniunt Patri ſecundum naturam, ☽ & ♀ Matri: harum ſtellarum ſtatus inter ſeſe & erga alias, ſignificat accidentia parentum.* Similiter Lib. 4. cap. 3. ubi de conjugiis, Lunam pro uxore, & Solem pro Marito ſpectare jubet, eorumque ſtatum, indeque de uxore & Marito prædicere. Tum Lib. 3. cap. 18, ubi de animæ qualitatibus, ait. *Qualitates animæ quæ propriæ ſunt mentis & ratiocinationis, ſumuntur in ſingulis ex ☿ conditione: quæ verò propriæ ſunt moralis partes & virium inferiorum, ſumuntur à luminibus craſſorum corporum, hoc eſt, à Luna & à ſtellis ad eam ☌, aut aſpectu configuratis.* Igitur juxta doctrinam iſtam, omnes huc uſque Aſtrologi de patre judicium ferunt in quavis geneſi ex ☉, vel ♄, de matre ex ☽, aut ♀; de moribus ex ☽, de ingenio ex ☿, quamcunque figuræ domum occupent, vel cuicumque dominentur, ſpectato duntaxat eorum ſtatu cœleſti; & quomodo ſeſe habeant ad reliquos Planetas, juxta ſuperiores Ptolemæi textus, nullaque ratione habita domorum figuræ harumque dominorum.

Quod autem doctrina hæc à veritate multùm aberret, in eaque tradenda Veteres abuſi fuerint virtute Analogica Planetarum, ſic oſtenditur. Primò, quia etſi Planetæ ſinguli naturâ & viribus inter ſe differentes propter communem omnibus quodlibet ſignificandi virtutem ex Theorem. 19. Elem etiam eſſentialem Analogiam habeant cum variis rerum Sublunarium generibus & ſpeciebus, naturæ ſingulorum Planetarum congruentioribus, ut à nobis expoſitum eſt Lib. 13. Sect. 3 cap. 3. verbi gratia, Sol cum vita, Patre, honoribus, &c: tamen quia hæc Analogica virtus eadem eſt cum influentiali, vel eſſentiali virtute Solis, ut eodem cap. dictum eſt; ipſaque Solis influentia in ſe eſt univerſaliſſima ac indifferens; ergo ex hac Analogia Sol per ſe non potius vitam, quàm Patrem, Maritum, vel Regem, ac Honores ſignificabit, etſi ob illam potiùs res ac perſonas illuſtres publicas & claras, quàm viles & obſcuras ſignificet. Proindeque in hac indifferentia ſumi nequit pro uno potiùs, quàm pro altero. Quod ſi ſumatur pro omnibus, ergo Patri, Marito, vitæ Honeribus, &c: vel circa hæc Nato eadem ſignificabuntur, quod non eſſe abſurdiſſimum, & experientiæ contrarium nemo dixerit. Imò Cardanus ipſe Libro de Revolutione capite ſexto, doctrinam iſtam irridere videtur, dum ait. Ptolemæus novam confuſionem impoſuit, quia plurima ſignificata dedit uni ſignificatori: & poſuit Lunam ſignificantem corpus, deinde animi mores, deinde vitam, & uxorem, & matrem, & ancillas, & filias, & ſorores: *Quomodo ergo* (ait Cardanus) *Luna erit diſpoſita illi cui in partu moritur uxor & ipſe longevæ vitæ? & filiæ ejus plures incolumes? & ancillæ fugitivæ? & mater cito mortua, & corpus ſalubre, & intellectus inconſtans & malus.*

Secundò: Dum Ptolemæus, Cardanus, & cæteri volunt in omni geneſi diurna judicandum eſſe de patre nato ex ſtatu cœleſtis Solis, & in geneſi nocturna ex ſtatu ♄, nonne vident abſurdum eſſe arbitrari, quod ex ☉ etiam in ♌ degente & ſtipato, ut ipſe vult Ptolemæus, aut etiam in ☌, vel △ ♃, aut ♀, nullus per totum Terræ circuitum naſcatur puer interdiu, cujus pater ex hac nativitate non futurus ſit fœlix & longævus, vel contra infœlix, citóque moriturus ſi Sol ſit pravè affectus: præſertim cùm ſtatus ille Solis pluribus diebus idem virtute ſpeciali durare queat? imò nonne inſanum eſt opinari, quod tunc ſingulis patribus, eadem ſpecie ſignificentur, vel ſingulis natis eadem à ſuis patribus? id profectò non ſolùm repugnat experientiæ, ſed inſuper vana efficit domorum ſignificata eſſentialia, proindeque vanam domorum conſtructionem. Idemque dicendum eſt de ☿ pro ingenio, quamdiu ſtatus ejus cœleſtis fauſtus eſt, vel infauſtus, dum de ♃ pro divitiis, &c.

Itaque dicendum eſt Planetas ſingulos equidem eſſentialiter determinatos eſſe ad ea ſingula cum quibus Analogiam habent, quæque ob ipſam Analogiam præcipuè promovent, vel ſignificant, juxta cap. 3. Sect. 3. Lib. 13. ſed determinationem hanc (quòd ſit eſſentialis) adeo univerſalem ex ſe ac indifferentem eſſe, ut non magis homini quam bruto ſignificet, qnandoquidem tam in brutorum quam hominum rebus ſuas Analogias ſortiuntur, & ex pluribus hominibus toto Terrarum Orbe ſimul tempore naſcentibus, non magis uni, quam alteri: & cuilibet horum non potiùs vitam quam mortem, Patrem quam Maritum, amicos quam inimicos ſignificare per ſe, niſi ad hoc per ſuum ſitum, aut dominium in figuræ domibus, aut connexionem cum earum dominis determinentur ſpecialiter in figura nati, ut inferiùs exponetur. Dum autem determinantur, ſi contingat eos determinari ad ea quibuſcum Analogiam obtinent, ut Sol ad Parentes interdiu, vel noctu, per ſitum, aut dominium in quarta: ad honores per ſitum, aut dominium in decima: Mercurius ad qualitates ingenii per ſitum, aut dominium in prima: tunc quia univerſalis determinatio per Analogiam, concurrit cum particulari per domos, efficaciter admodum

operantur ratione ipſius particularis determinationis pro benefico ſuo, vel malefico ſtatu. Et quia ſæpe accidit, ut tales ſignificatores particulariter determinentur juxta ſuas Analogias, hinc decepti ſunt veteres Aſtrologi, putantes id eſſe perpetuæ veritatis, quod eſt duntaxat temporaneæ & accidentariæ.

Eorum vero doctrina patet in me falſa, qui natus interdiu habui Solem & ☽ egregiè ſtipatos Mercurio ♀ ♃ ♄ in □ ♂ domini Horoſcopi, ſed in duodecima domo; quorum Luna fuit mihi parentum ſignificatrix, quia domina quartæ & præſertim Matris ob Lunam ipſam fœmineam in ſigno ♓ fœmineo. Et quia immediatè fuit conjuncta ♄, ab eo defluens, nullique applicans, idcirco à Parentibus, ſed præſertim Matre mihi etiam immerito odia atque damna ſignificavit. Sol autem junctus ♃ pariliter, Epiſcopum & Cardinalem Richelium mihi fecit occultos hoſtes ab ☉ in duodecima cum ♄. Talium igitur Magnatum hoſtium damnorumque ab illis fuit mihi duntaxat ſignificator, & non Patris, etſi nativitas eſſet diurna, Pater enim me nunquam odio habuit, nec mihi ſaltem ſponte nocuit. Quamobrem explodantur illæ cauſæ cœleſtes adeo univerſaliter ſpectatæ, & tamen, ut ſic ad aliquid particulare ſignificandum uſurpatæ: quippe quòd univerſaliter ſpectatæ, tantùm univerſaliter ſignificare queant, non autem Petro, vel Joanni quidpiam particulariter.

Objicies primò. Equidem verum eſſe, quod Solis ſeorſim ſpectati ſignificatum ſit nimis univerſale pro Patre: tum Lunæ pro moribus, ☿ pro ingenio, &c: ſed Lunam ex ſe indifferentem ad hos, vel illos mores ſignificandos determinari à ſigno in quo eſt ejuſque dominio: & pro diverſitate ſigni & domini mores diverſos ſignificare. Ideoque Ptolemæum, Cardanum & cæteros præcipere, habendam quidem eſſe rationem Lunæ pro moribus, ſed magis ejus domini: atque ſic de ☿ pro ingenio, &c.

Sed reſpondeo. In hoc etiam erraſſe veteres Aſtrologos. Nam dici quidem poteſt, Lunam diverſa influere ac ſignificare pro diverſo ſigno quod peragrat, & domino cui ſubjicitur: ſed hic influens hæcque ſignificatio ſunt adhuc toti Mundo univerſale, nec Luna in hoc tantùm cœleſti ſtatu ſpectata, magis mores quàm Matrem, uxorem, &c: ſignificat, ut ergo horum aliquod potiùs quàm alterum ſignificet, requiritur determinatio ſpecialis, præſertim & dominium in figura nativitatis, vel connexio cum dominis domorum ad quas res ipſæ pertinent. Nam in rei veritate & principiorum, dominus Horoſcopi applicans ☉. Honoribus Analogo, præſertim aſpectu benefico: Honores nato ſignificat, applicans ♃ divitiis Analogo divitias, applicans ♀ uxori Analogæ, uxorem, eóque validiùs uxorem ſignificabit, ſi ♀ fuerit in ſeptima, vel domina ſeptimæ. Eademque eſt ratio in cæteris; quamobrem maximè attendendum eſt ad Planetas in aliqua domo, vel hujus dominos, an applicent fauſtè, vel infauſtè Planetæ ipſius domus ſignificatis Analogo: & quis ſit hujus ſtatus cœleſtis & determinatio in figura. Inde enim valde vera deducuntur Prognoſtica: & in hoc conſiſtit arcanum Aſtrologiæ eximium. Præterea dum Luna verſatur in Cancro, nullius momenti erit Objectio cùm Cancer & Luna ſint eadem natura, nec Luna tunc alterius Planetæ dominio ſubjiciatur. Adde quod quamdiu ☿ moratur in eodem ſigno, ingenia fierent toto Terrarum Orbe ſimilia, contra experientiam, cum ſingulis etiam horis, imò eodem momento temporis fiant diſſimillima. Itaque ſi ☿ generalis ingenii ſignificator ob Analogiam ſupradictam, fiat etiam in geneſi particularis ſignificator, per ſitum, vel dominium in prima domo ad quam ingenii ſignificatio pertinet, totiuſq; ſtatus corporis & animæ; erit Mercurii influxus pro ingenio efficaciſſimus: aut ſi ☿ Horoſcopo, vel ejus domino connectatur dominio, vel aſpectu, ſic enim etiam ad ingenium determinatur. Et quo pluribus modis ac fortioribus determinabitur, eo influet efficaciùs ad ingenium: ſin minùs, vana erit pro ingenio Mercurii conſideratio. Eademque eſt ratio in cæteris.

Objicies ſecundo. Ptolemæum pluribus in locis, attendere ad ſitum ſignificatorum generalium reſpectu angulorum figuræ: ac per conſequens illos eo pacto ſpecialiter determinatos ſpectare.

Reſpondeo primò. Determinationem illam adhuc nimis generalem eſſe cùm ſint tantùm quatuor anguli in figura, nec eſſe poſſe ſpecialem, quàm per ſingulas domos quæ ſunt duodecim. Niſi autem fuerit ſpecialis, Lunam non potius mores, quàm Matrem aut Conjugem ſignificare. Reſpondeo ſecundò. Neque illud ſemper fieri à Ptolemæo, ut conſtat ex locis ſupra citatis, neque id obſervari ab aliis Aſtrologis, ſed in judicio de ingenio, ſtatim ac primariò attendi Mercurium ejuſque dominum, qualiſcunque ſit ☿ ſtatus in figura: hoc eſt, nulla habita ratione ejus determinationis particularis, quæ poterit eſſe circa liberos, uxorem, vel mortem, quod ſupra rejectum eſt, nec immerito. Nam ſuppoſita domorum diviſione atque ſignificatione, quoties nocte Luna eſſet in ſeptima, eadem prædicenda eſſent de Matre & Conjuge, quod ne quidem fieri debet, etſi Luna domina quartæ, proindeque parentum, Matriſque præſertim ſignificatrix, reperiretur in ſeptima, quòd nempe Luna ſitu corporeo in ſeptima efficacius determinetur ad ſignificatum uxoris quàm Matris: atque ſic de cæteris. Tanto igitur Veterum errore detecto, jam ad corporum cœleſtium determinationes accidentales progrediamur.

Caput IV.

De primi Cœli determinatione accidentali.

Poſtquam ſuperius dictum eſt ſufficienter de Corporum Cœleſtium activa determinatione eſſentiali: ſequitur, ut de eorundem accidentali determinatione tractemus, à primo Cœlo, vel prima cauſa Phyſica ſumpto rurſus initio: ſi priùs hic monuerimus corpora Sublunaria determinare duntaxat activè corpora cœleſtia, ut explicatum eſt Lib. 7. cap. 10. hæc verò paſſivè tantùm determinare Sublunaria, quòd nempe Sublunaria à cœleſtibus recipiant, non contra: quamvis Sublunaria ipſa

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ipſa per impreſſionem receptam deinde agant, ſicque ſaltem ſecundario dicantur activè determinari, quatenus ſunt poſtea cauſæ particulares ſuorum effectuum.

Itaque primum Cœlum accidentaliter determinatur omnifariam in ratione cauſæ efficientis. Primò, ad naturam Planetarum, tum influentialem, tum Elementalem per ſigna Zodiaci. De qua determinatione actum eſt Lib. 14. Sect. 1. Eſt autem determinatio hæc toti Terræ & ſingulis Sublunarium ſpeciebus communis, atque à principio Mundi perpetua & immutabilis, uſque ad finem, dum hoc naturæ ſtatu ceſſante, Cœli ardentes ſolventur, & Elementa ignis ardore tabeſcent, fientque Cœlum & Terra nova, ut prædictum eſt in ſacris Scripturis: proindeque ſequetur alter Mundi ſtatus non ampliùs motui, vel mutationi obnoxius.

Secundò, ad naturam ſingulorum Planetarum & fixarum, per Aſtrorum motum ſub primo mobili: ſiquidem, ut naſcente Mundo, Cœlum determinationem toti Terræ communem atque perpetuam ſortitum eſt: ſic naſcente homine, vel bruto, pars ea primi Cœli ſub qua Sol conſpicitur, quæque dicitur locus Solis apparens, determinatur ipſi nato quamdiu vivit, ad naturam Solarem, à Sole ipſo ſub illa parte conſpecto: ſicque locus ♄, tunc temporis determinatur eidem nato ad naturam ♄, locus ♃ ad naturam ♃, atque ſic de reliquis Planetis atque fixis. Hæcque loca funguntur ipſi nato, vice Planetarum determinantium, ejus vita durante; non ſecus atque ſigna toti Terræ funguntur vice Planetarum dominantium, quamdiu hic Terræ ſtatus perdurabit. Siquidem prima cauſa Phyſica eſt omnimode tam univerſaliter quàm particulariter determinabiles, ut talem cauſam decet: nec ſolum ♄ locus determinatur ad naturam ♄, ſed ejus quoque antiſcium, oppoſitio, & reliqui aſpectus omnes, tam dextri, quam ſiniſtri, ut à nobis fuit expoſitum Lib. 14. Sect. 1. cap. 4. tum Lib. 16. in quibus omnibus remanet vis Saturnina ipſius nati reſpectu, ut conſtat ex directionibus ipſorum locorum, vel ad ipſa: tum revolutionibus & tranſitibus Planetarum per eadem loca: quod quidem eſt admiratione digniſſimum.

Qua ratione autem id fiat definire videtur eſſe difficillimum. Lucius Bellantius contra Picum quæſt. 16. art. 1. opinatur, vim Planetarum imprimi partibus primi mobilis, diuque ſervari. Sed fallitur. Primò, quia Cœlum eſt prima cauſa Phyſica, Planetæ verò ſunt cauſæ ſecundæ. At prima cauſa nihil patitur, aut recipit formaliter à ſecundis. Secundò, Cœlum continuò alteraretur formaliter, atqui eſt inalterabile. Tertiò, vis ♄ remanet in ejus loco radicali, tota nati vita durante: at quoties cæteri Planetæ præſertim verò ☽ durante vita nati tranſeunt per ipſum ♄ locum, illi ſuas eidem loco etiam virtutes imprimendo, ♄ vim impreſſam delerent, ſicque nati reſpectu invalidam efficerent, vel eam ſaltem ita virtutum mixtione confunderent ac depravarent, ut non potiùs ♄, quàm alterius Planetæ naturam redoleret: quod tamen experientiæ repugnat, in ipſa etiam morte nati 100, vel 500. annorum. Quartò, Planetæ ſuo ſub ſigna motu horum vires proprias tali impreſſione deſtruerent, vel omnino depravarent. At pars ſigni Horoſcopans Planetis vacua & ſine aſpectu, purè agit in natum juxta naturam ipſius ſigni. Non ergo vis Planetæ remanet in parte ſigni per impreſſionem.

Keplerus Lib. de Trigono igneo cap. 10. Negat conjunctiones Planetarum vim aliquam imprimere parti ſpheræ fixarum ſub qua coeunt Planetæ ob immanem diſtantiam, quæ vis in illa parte remaneat ad tempus: ſed ait, totam vim conjunctionis conſtare impreſſione quæ fit in naturam Sublunarem ejuſque facultates Divinas, Cœlo nihil conferente præter nudum objectum. Siquidem cap. 8. ait. *Opus conjunctionis non eſſe opus Planetarum conjunctorum, à quibus* (inquit) *tantùm eſt illuminatio & calefactio: ſed eſt opus ipſius naturæ ſublunaris. Nam etſi Planetæ conjuncti moveant naturam ſublunarem, id tamen non faciunt, ut agentia naturalia, virtutem aliquam effundentia; ſed hic movent naturam, ut objecta movent ſenſus: Lux quippe, vel color oculos, ſonus aures, &c: & quale eſt objectum, talis in natura ſublunari eſt & ſenſus.* Idcirco autem non ſolùm animalibus, ſed ſtirpibus ipſique Terræ ſenſum, rerumque duntaxat intelligibilium (quales ſunt ☌ ☍ △ & □ Planetarum) perceptionem attribuit: aitque quod percepta ☌ ☍ □, vel altera figura inter Planetas, inde ſublunaria excitentur ad motus & operationes quæ talium figurarum dicuntur effectus. *Non tamen facultates ſublunares amant promiſcuè figuras quaſlibet* (ait cap. 9.) *ſed in his delectum habent proportionum harmonicarum, à quibus etiam Tellus ſtimulatur excitaturque ad excretionem vaporum concoctorum, cum voluptate ſimili ei quam animal ſentit in ejaculatione ſeminis*, ut ait Libro de nova ſtella Serpentarii cap. 28. Capite autem 10. de Trigono igneo, ait, *quod quoties Planetæ ad ea loca veniunt, quæ naſcenti homini, vel oriebantur, vel Solem Lunamve exceperant. Tunc excitatur hominis natura, ut alacrius incumbat in omnia opera, quæ pro conditione loci & temporis ſunt ipſi homini ſub manibus. Hoc autem aliter fieri non poſſe quàm per impreſſionem characteris totius poſitus Cœli in ipſam hominis facultatem genitricem, altricem, ſenſitivam, animalem.* Ideoque inde fieri putat, ut Cœlo in alia omnia currente, maneat tamen character ejus poſitus, qui fuit in partu. Et quod fit in ſingulis hominibus, credit etiam fieri in facultate, qua Globus Telluris eſt præditus. Hæc igitur eſt Kepleri opinio de locis corporum cœleſtium in primo mobili, eorumque configurationibus.

Sed non exiguam habet affinitatem cum ipſius Kepleri ſomnio de Luna, & à nobis rejicitur. Primò, quia Keplerus nihil eorum probat quæ hic aſſerit, ac præſertim cuivis corpori Sublunari imò Terræ Divinam facultatem ineſſe, quâ præſente objecto cœleſti, ſentiat atque diſcernat ipſum, ac in ſuo corpore operetur juxta objecti ſenſum, cauſa cœleſti nihil operante. Secundò, Keplerus non ſolum efficit facultatem illam rationalem in percipiendis & diſtinguendis figuris cœleſtibus earumque temporibus, ſed etiam ex plurimis figuris in circulo poſſibilibus, concedit illi delectum figurarum ſub quibus corpus ſuum moveat, quod eſt opus agentis liberi, ideoque ad agendum, vel non, ex ſe indifferentis, contra ejus Hypotheſim. Neque dat rationem cur facultas unam potius quàm alteram figuram eligat. Aut ſi dixerit à figuris tantum harmonicis neceſſario excitari, hoc inde falſum probabitur, quia ſi ſolæ figuræ harmonicæ ſufficerent ad movenda Sublunaria, iidem ſemper effectus

prodi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

prodirent ab eadem configuratione, nec referret quinam Planetæ configurarentur eodem aſpectu □, ☍, &c: at aliud efficit □ ♃ & ♂, aliud autem □ ♄ & ♂. Theor. 15. Element. Diverſitas autem effectus non poteſt eſſe à figura, quæ eſt eadem: ergo erit à diverſa virtute Planetarum ♄ & ♃ cum ♂ quadratorum. Tertiò: Perceptio objecti à facultate, non poteſt eſſe ſine aliqua attentione facultatis, ut patet in ſenſationibus. At qua ratione attendunt facultates ruſticorum ad talia objecta, cùm hæc ignorent, neque ſciant quid ſit ☌ ☍ △, &c: aut figura harmonica? imò qua ratione ad eadem attendere queunt cœci atque ſurdi, vel etiam cæteri omnes dum ☌ ☍ & □ fiunt ſub Horizonte? quod ſi facultas etiam ſine attentione excitetur ad iram, libidinem, cædes, peregrinationes, &c: quidni attendens excitabitur efficacius? Atqui Aſtronomi anima ſenſibus & intellectu prædita percipit quidem oculis & organis corporum cœleſtium conjunctiones & aſpectus, nec tamen inde ſtimulatur ac promovetur, ut experiuntur Aſtronomi, potuitque experientia ſcire Keplerus ipſe, alioquin periculoſa eſſet Aſtrorum obſervatio. Præterea duæ eſſent in homine admittendæ animæ, vel facultates percipientes eadem objecta, quarum una attendens ad objecta, eadem perciperet, nec ſtimularetur: altera verò non attendens perciperet, & ſtimularetur, quæ ſunt abſurda & in objectorum perceptionibus inaudita. Adde quod hæc ſecunda facultas, eſſet in homine alia ab intellectu, eóque longè excellentior & divinior, quam tamen Keplerus in Tellure ipſa & Planetis conſtituit. Quartò: Si Cœlum naſcentibus nihil confert, unde, cur, & quomodo fit, ut Petro alia inſit actu & formaliter indoles, alia Paulo? non enim eſt à facultate ſola quæ in utroque eadem eſt, nec à ſola diverſitate ſeminum, ut probavimus Lib. 12 Sect. 1. Ac indoles ſemper eſt conformis figuræ cœleſti nativitatis; ergo imprimitur per effuſionem virtutis realis à corporibus cœleſtibus, quæ in nato formaliter recipitur. Denique eodem planè modo negari poſſet: Solem, vel ignem calefacere Terram, aut hominem: ſed calefactionem eſſe ab illa intrinſeca Sublunaribus facultate Divina, quæ præſente Sole, vel igne, ut objecto, juxta hoc in ſuo corpore operaretur: quidni enim facultas illa ſuum corpus præſente Sole æquè movebit ad calorem, atque ad alium effectuum influentiæ ſolari attributum? Sic verò nulla daretur in Phyſicis cauſa efficiens extrinſeca, quod planè abſurdum eſt. Igitur abſurdum eſt quod ait Keplerus, aſtra nullam vim effundere; ſi enim nulla effunderetur, nulla in natis fieret impreſſio qualitatis activæ, quam indolem appellamus. Et quia dum Planetæ veniunt ad loca radicalia Solis, ☽, aut ♄, excitant natos juxta naturam ☉, ☽, aut ♄, neceſſe eſt illis in locis vim ſupereſſe talium Planetarum à geneſi contra Kepleri opinionem.

Sic igitur Bellantii & Kepleri opinionibus ablegatis: Dicimus, in loco radicali Solis remanere vim ſolarem nati reſpectu, non quidem per impreſſionem, ut cenſuit Bellantius, ſed tantum per determinationem, partemque illam virtute ipſa determinatitiâ agere in natum ipſum ſolariter, idemque dicendum eſſe de quovis altero Planeta. Neque hic quidquam novi dicimus, ſed in eadem tantùm ſimplici doctrina perſtamus de determinatione primi Cœli, vel primæ cauſæ omnimode determinabilis, quæ ſibi undique maximè conſentit.

Cæterum duæ determinationes primi Cœli ſuperius expoſitæ, ipſi accidunt à Planetis & fixis, per quæ aſtra Cœlum ipſum determinatur equidem ad ſpeciales modos agendi juxta naturam aſtri determinantis, ſed duntaxat univerſaliter. Sic enim pars primi Cœli ſub qua verſatur Saturnus, determinatur equidem ad agendum Saturnaliter, ſed non potius pro homine quàm pro bruto, aut potius pro Joanne quàm Petro. Præterea & hoc admiratione dignum eſt, quod hæc determinatio non deſtruat, vel enervet Primam Cœli determinationem accidentalem in ſigna, ſed ambæ ſe compatiantur; verbi gratia, dum ♄ percurrit ♌, ille non tollit, vel ſupprimit Solis per totum ſignum ♌ vigentem, ſed in ipſo loco ♄, ſimul vigent ac inſident vis Solis & ♄, tum plurium Planetarum ſi plures eodem in loco reperti fuerint. Atque inde fit, ut locus Solis in ♌, & locus ♄ in ♒, tum ♃ in ♐, &c: ſint adeo efficaces: quòd nempe ſic in ♌ duplicetur vis Solaris, in ♒ Saturnina, &c: econtra verò quoniam Solis & ♄ naturæ atque vires ſibi maximè adverſantur, hinc fit, ut ex ♄ in ♌ utraque vis impediatur ac depravetur; indeque ob concurſus malignitatem, infauſtus producatur effectus. Denique in aliis non hoſtilibus concurſibus, ut Saturni in ♐, vel ♊ medii prodeant influxus, ut ſingula probantur experientiis. Porrò hæc Cœli à Planetis determinatio temporanea, non ſolum per Planetæ corpus, ſed per ejus quoque aſpectus venit intelligenda.

Tertiò igitur, Cœlum determinatur ad ſpecies ſubſtantiales effectuum, à ſublunaribus ſubjectis patientibus, ut ab hominis ſemine in congrua matrice recepto, ad hominem generandum, eique juxta humanæ ſpeciei capacitatem influendum. Ab equi ſemine ad equum producendum: atque ſic de plantis & mineralibus.

Quartò denique determinatur ad ſpecies accidentium ſubjectis ipſis patientibus congruentium, per ſitum partium ſuarum in figura genethliaca ipſius ſubjecti quod producitur. Ratione cujus ſitus, efficit ſubjectum ipſum, accidentium naturæ ſuæ congruentium diverſimodè ſuſceptivum: quippe ♈ in prima domo efficit bilioſos, audaces, generoſos, &c: ♉ libidinoſos, ♊ ingenioſos, atque ſic de reliquis ſignis tam in Horoſcopo, quàm M. C. & cæteris locis: unde conſtat quod cœleſtia corpora determinantur activè, quoad ſpeciem effectus ſubſtantialis, à ſubjectis patientibus: hæc verò ab illis determinantur paſſivè quoad ſpecies & qualitates accidentium ſibi congruentium. Homo enim à Cœlo patitur, recipitque impreſſionem, quâ his potius quàm illis accidentibus, tum agendo, tum patiendo fit obnoxius. Atque duobus modis ultimis Cœlum determinatur particulariter, duobus verò prioribus duntaxat univerſaliter.

Præterea notandum, quod ſigna amplius & efficacius ſignificant quàm ipſi Planetæ: nam univerſaliter loquendo, Cancer ſignificat ratione Lunæ dominæ ♋, tum ratione ♃ in ♋ exaltati, tum ratione ♂ in ♋ Trigono cratoris: eademque eſt ratio de cæteris. In particulari verò gradus ſigni Horoſcopans natum efficaciùs ſignificat quàm dominus Horoſcopi, vel Planeta in prima domo, ut patet ex Horoſcopi directionibus, proindeque

aſpectus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

aſpectus ad Horoſcopum efficaciores ſunt quam ad Horoſcopi dominium: idemque dicendum de medio Cœli: atque id profectò primæ cauſæ dignitati maximè congruit.

Caput V.

De determinatione accidentali Planetarum atque fixarum in univerſum.

PLanetæ atque fixæ, ut efficientes cauſæ, multifariam determinantur accidentaliter.

Primò quidem à ſignis Zodiaci. Nam Sol etſi neceſſario agere debeat cum aliquo ſigno, cum non poſſit non eſſe ſub aliquo, agantque Sol & ſignum, ut ſocii; eſt tamen ad agendum cum hoc, vel illo indifferens. Igitur per ſuum ſitum ſub uno, ut ſub ♈, determinatur ad agendum cum ipſo, ſicque ♈ & ☉ ſeſe viciſſim determinant, ut duo homines eandem navim habentes. Idemque cenſendum de domino ſigni atque de ſigno. Signum enim agit juxta naturam ſui domini, cum ſint eadem natura. Atque in hoc fundantur omnes illi Aphoriſmi Materni, Stofleri, Ranzovii, & aliorum Aſtrologorum, dum affirmant quid Planeta quilibet agat in alterius Planetæ domo per combinationem virtutum. Circa quod tamen notandum eſt, Planetis ♄ ♃ ♂ ♀ ☿ duplicem eſſe domum, nec Solem idem efficere cum ♒, quod efficit cum ♑.

Secundò, Planeta unus ad agendum determinatur, à congreſſu cum aliis Planetis, aut fixis. Eſt enim ♄ ex ſe indifferens ad agendum cum ♂, aut ♀, vel cum oculo ♉, aut corde ♏. At dum aſtra duo coeunt, ſeſe, ut ejuſdem actionis ſocios, viciſſim determinant. Porro determinatio hæc tam de congreſſu corporeo, quam per aſpectum intelligenda eſt, eâdem utrobique ratione: ſuntque duo ſupra poſiti determinationis modi duntaxat univerſales, ex quibus ſolis nihil particulare concludi poteſt, tantum enim pertinent ad cœleſtem Planetæ ſtatum, qui omnibus Sublunaribus communis eſt & indifferens reſpectu ſingulorum. Attamen hiſce duobus modis Planetæ in agendo tam univerſaliter quam particulariter, aut juvantur, aut debilitantur, aut depravantur, ut fuſiùs infra dicetur. Atque in hoc fundantur omnes illi Aphoriſmi veterum Aſtrologorum dum aſſerunt, quid Planeta quilibet efficiat in alterius Planetæ ☌ ⚹ □ △ & ☍, ſed in hoc errarunt quod ex ſtatu cœleſti abſolutè ſpectato, qui toti Terræ eſt univerſalis ac indifferens, ſpeciales, aut particulares effectus prædixerint, quæ tamen prædictio falſa erit, niſi habeatur ratio ſubjecti patientis, & ſtatus terreſtris Planetarum, per ſitum, vel dominium in figuræ domibus.

Tertiò igitur determinantur Planetæ à ſubjectis Sublunaribus patientibus, ad ſpecies ſubſtantiales effectuum, ut de primo Cœlo dictum eſt, unde illud Ariſtotelis effatum celebre. *Sol & homo generant hominem*: Et Filius Regis aliud eſt ſubjectum à Filio Ruſtici.

Quartò, determinantur ad ſpecies accidentium ſubjectis patientibus congruentium, à figuræ domibus, vel modis aliis, quibus ſubjectis ipſis applicantur. Atque hi duo determinationis modi, ſunt particulares, quòd nempè verſentur circa aliquod particulare, ut Joannem, aut Petrum in eorum geneſi.

Cæterùm Planetæ à figuræ domibus determinantur quadrupliciter. Nempe ſitu ſuo corporeo in ipſis domibus, tum à dignitate, aſpectu & antiſcio. Dignitas verò triplex eſt, quippe dominii in ipſa domo, exaltationis & Trigoni. Ac rurſus Planeta determinatus dominio, vel ſitu corporeo, iterum ſub hac ratione determinatur dupliciter. Primò ab alio Planeta in ſe ſpectato ſecundum ſimplicem Analogiam, ut ſi dominus Horoſcopi fuerit cum ☉, hinc ipſe dominus determinatur ad honores nati. Secundò ab alio Planeta ſpectato, prout hic in figura determinatus eſt. Atque ſic dominus primæ cum Sole domino duodecimæ, morbos & potentes hoſtes occultos nato portendit. De quibus omnibus jam ſigillatim agendum eſt, atque indicandum quæ determinationes cæteris validiores ſint: in his quippe conſiſtunt præcipua Aſtrologiæ arcana, Veteribus, ut par erat non cognita.

Porro in Aſtrologia prius videndum quid Planeta quivis ſignificet ratione ſuæ naturæ ac ſtatus cœleſtis, hoc eſt ratione ſigni in quo verſatur, domini cui ſubjicitur, & connexionis ſuæ cum aliis per corpus, vel aſpectum: quam quid ſignificet ratione ſtatus ſui terreſtris, hoc eſt, prout eſt in hac, vel illa figuræ domo, aut huic, vel illi præeſt. Etſi enim prior ſtatus ſit univerſalis toti Mundo inferiori, ſeu communis omnibus individuis Sublunaribus; ideoque ex ſe nihil Petro potiùs quàm Joanni particulariter ſignificet: Tamen prout idem Planeta ſpectatur ratione poſterioris ſtatus in Genethliaca Petri figura; definiri non poteſt quid ipſi Petro particulariter ſignificet, ratione domus quam occupat, vel cui dominatur, niſi præſciatur quid ratione prioris ſtatus ſignificet. Siquidem ex natura Planetæ ejuſque ſtatu cœleſti, conſurgit mixtio virtutum, in qua prævalet ipſius Planetæ virtus propria, ſed aliis benè, vel malè affecta: juxta quam mixtionem Planeta circa Petrum particulariter operatur, prout in ejus figura determinatur. Igitur ad particulares Planetarum effectus, præſcienda eſt virtus eorum univerſalis à natura propria & ſtatu Cœleſti juvante, vel impediente. Etenim Sol in ♌ beatus △ ♃, abſentibus maleficis, egregiè movet cuncta ſolaria ope Jovialium in toto ſublunari Mundo, nec non in naſcente Petro, prout circa ipſum determinatur. At pravè affectus in ♒ & □, vel ☍ maleficorum: accidit tam univerſalis, quam particularis depravatio in effectibus Solis. Eademque eſt ratio de cæteris, ut jam notavimus cap. 3. Sect. 3. Lib. 20. ſed videtur nobis neceſſarium tres ſequentes præmittere & enodare quæſtiones celeberrimas.

Caput VI.

An Corpora Cœleſtia ſint tantùm cauſæ univerſales.

ID communiter aſſeritur à plurimis Philoſophis: Ac iis præſertim qui in Aſtrologiam ſcripſere, deluſi falſis definitionibus cauſæ univerſalis & particularis, quæ in Scholis tradi conſuevêre. Quoniam vero tales definitiones validis rationibus ablegavimus, & genuinas attulimus Lib. 7. cap. 8. Idcirco juxta definitiones à nobis tradi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

traditas, nodum quæſtionis ſolvimus, tam pro Cœlo quam aſtris, ut ſequitur.

Si primum Cœlum ſecundum ſe totum ſpectetur, eſt tantùm cauſa univerſalis: quia ſic tantum ſpectatur, ut prima cauſa Phyſica univerſaliſſima, virtute ſibi propria concurrens ad omnes cauſarum ſecundarum, vel inferiorum effectus, ut cap. 10. dictum eſt. At cauſa concurrens cum ſibi inferioribus atque ſubordinatis, eſt univerſalis juxta noſtram definitionem.

Si verò primum Cœlum ſpectetur ſecundum ſuas partes, vel Dodecatemoria: jam ſignum quodlibet ut ♈ conſiderabitur, vel penes ſuum eſſe materiale, quatenus, ſcilicet, eſt pars primi Cœli, vel penes ſuum eſſe formale, quatenus, ſcilicet, eſt tale ſignum, hoc eſt, ad naturam ♂ determinatum. Priori modo eſt adhuc cauſa univerſalis, ut ipſum primum Cœlum: at poſteriori dupliciter iterum ſpectari debet. Primò, ut concurrit ad actionem, cum principalibus agentibus ſublunaribus ſibi inferioribus, ut cum homine, vel equo generante. Tuncque prout virtute ſua eminentiali eundem cum homine, vel equo generante producit effectum, eſt ejus cauſa univerſalis ex definitione. At prout effectui, hoc eſt, homini, vel equo genito particulares confert qualitates, quas nec homo, nec equus conferunt, quòd nempe ſint à propria ſigni influentia, ut maligni mores à Scorpione in Horoſcopo: tunc ſignum eſt talium morum cauſa particularis ex definitione. Quippe ſciendum eſt quod Cœlum & aſtra præterquam quod virtute ſua eminentiali continent vires & effectus corporum ſublunarium, habent etiam aliquid ſibi peculiare, quod à ſublunaribus cauſis conferri nequit effectibus. Ideoque ſublunaria indigent cœleſtibus, ut ab iis perficiantur atque regantur, ipſo Ariſtotele id quoque fatente. Secundò ſignum quatenus ſignum ſpectari debet, ut agens cum Planetis, vel ſtellis univerſaliter, ſed duntaxat effundens vires ſuas in totum univerſum, nulla, ſcilicet, habita ratione particularium effectuum in his ſublunaribus. Ac eo pacto ſignum non eſt per ſe cauſa univerſalis, quia non agit cum ſibi inferioribus cauſis, ſed ſaltem ſociis ex cap. 4. & 5. Sect. 2. Lib. 20. agit igitur, ut cauſa particularis, propriam formalemq; virtutem ſuam effundens in totum univerſum: nec refert quod ab ipſa virtute innumeri ſimul tempore ac diverſiſſimi producantur effectus, hoc enim non efficit cauſam formaliter univerſalem, ſed tantùm accidentaliter, ut in definitionibus cauſæ univerſalis & particularis annotavimus.

Objiciet aliquis, omnis cauſa particularis ſubeſt alicui univerſali. At ſignum, ut ſignum nulli ſubeſt cauſæ univerſali: niſi dixeris primum Cœlum cauſam eſſe univerſalem reſpectu ſuarum partium, quod videtur abſurdum, ergo ſignum non eſt cauſa particularis.

Sed reſpondeo primò: Antecedens eſſe abſolutè falſum: alioquin Deus cauſa particularis gratiæ, ſubeſſet alicui priori cauſæ. Et primum Cœlum cauſa particularis ſui influxus, ſubeſſet adhuc alicui Phyſicæ cauſæ ſuperiori, dareturque progreſſus in infinitum in cauſis Phyſicis, contra noſtram hypotheſim de aliqua prima cauſa Phyſica, quæ neceſſario admittenda eſt. Reſpondeo ſecundò: Signum, ut ſignum, eſſe cauſam ſecundam ex cap. 5. Sect. 2. Lib. 20. ergo primæ ſubordinatam, quæ univerſalis eſt. Nec refert quod ſignum ſit pars primi Cœli materialiter ſpectatum, cùm non ſit ejus pars formaliter ſpectatum, vel quatenus ſignum.

Quod verò ad Planetas attinet; de his ferè, ut de ſignis formaliter ſpectatis ratiocinandum eſt: quòd nempè ſigna, ut ſigna, & Planetæ eorum domini, ſint eadem natura, ſeu virtus Planetaria.

Itaque Planeta concurrens ad effectum alicujus cauſæ ſublunaris, quatenus virtute ſua eminentiali eundem cùm ipſa producit effectum, ut ☉ cum homine generans, vel cum Matre pariens hominem, eſt ejus cauſa univerſalis: Sol enim concurrit cum cauſa ſibi inferiore: At prout naſcenti mores confert ſolares, vel ipſum ad famam & honores fortunatum efficit (quæ proculdubio à parentibus præſertim ruſticis, aut mendicis generando, vel pariendo conferri nequeunt) Sol eorum cauſa particularis dicendus eſt: hæc enim ſolus propria virtute, vel influentia præſtat. Similiter ſpectatus, ut agens univerſaliter & duntaxat effundens ſuas vires in totum univerſum, dici debet cauſa particularis ſuorum effectuum, per lucem, calorem & influentiam, dum ad ipſorum effectuum productionem, nulla cum ipſo concurrit inferior cauſa Soli ſubordinata. Siquidem dum hæc Luna, hæc Tellus, vel hic paries à Sole illuminantur, aut calefiunt, ſunt hi particulares effectus, quorum idcirco aſſignanda eſt cauſa aliqua particularis. Cùm autem ipſorum non alia quàm Sol appareat cauſa per ſe ac principalis: ergo ipſe cauſa erit illorum particularis. Eademque eſt ratio de influentia: ac idem dicendum de aliis Planetis atque ſtellis fixis. Quod autem hic aſſeritur de Sole agente ſolitariè, idem quoque aſſerendum de ipſo agente cum aliis Planetis, aut ſignis, quod nimirum Planetæ ſint Mundi Rectores viribus & imperiis diſtincti, ideoque in Mundi regimine ſocii, non autem ſibi ad agendum ſubordinati, ſicut nec Elementa quatuor, proindeque ſibi non inferiores, aut ſuperiores, quamvis Sol cæteros omnes illuminet, iiſque ſuperexcellat.

Objicietur. Saltem quando Sol erit in ♌, aget cum ♌, ut cauſa univerſalis; Leo enim eſt inferior Soli ſuo domino ex cap. 5. Sect. 2. Lib. 20. circa finem, ſive Sol ſpectetur, ut agens univerſaliter in Mundo, ſive ut agens in hoc ſublunare corpus, vel cum hoc agente ſublunari.

Sed reſpondeo. Leonem eſſe inferiorem Soli, non ratione naturæ ſolaris influentialis, quæ eadem eſt in ♌ & ☉: ſed duntaxat quatenus ♌ illam habet à ☉ per determinationem. Jam verò ſuperioritas efficiens cauſam univerſalem, intelligitur de ſuperioritate naturæ: ut nimirum cauſa ſuperior & inferior ſint diverſarum naturarum ſubordinatarum ſimulque concurrentium. Ex his verò infertur quod ☉ & ♌ ſimul agant, ut ſocii ejuſdem naturæ: Sol autem & ♋, ut ſocii diverſarum, quamvis ♌ ratione virtutis ſolaris receptæ per determinationem à Sole, ab hoc eſſentialiter, ut inferius à ſuo ſuperiori dependeat.

Igitur Cœlum & aſtra quandoque ſunt cauſæ univerſales, & quandoque particulares, non au-

tem

tem ſemper univerſales, ut à pluribus opinatum eſt. Lucius verò Bellantius contra Picum art. 6. Cœlum facit cauſam univerſalem, quatenus multos ſimul tempore eoſque diverſos producit effectus cum cauſis ſibi inferioribus, ut cum homine hominem, & cum cane canem. Particularem verò, dum producit aliquos effectus, qui propriâ deſtituuntur causâ particulari, ut in naſcentibus ex putri materia, inquit: ſed in putri materia eſt ſemen, cauſa particularis, vi activa præditum, ut diximus Lib. 20. Sect. 2. cap. 5. 6. Multitudo autem & diverſitas effectuum ſimul tempore, non facit per ſe cauſam univerſam ex ſupradictis.

Caput VII.

An Corpora Cœleſtia ſint tantùm cauſæ Sublunarium effectuum, vel tantùm ſigna, vel utrumque, & qualiter.

AD harum quæſtionum enodationem, præmittendæ videntur definitiones cauſæ atque ſigni. Intelliguntur autem de cauſa per ſe, & ſigno ſenſibili.

Cauſa igitur per ſe, eſt quæ ex ſe producit effectum; idque aut virtute propria, ut Sol Tellurem illuminans, aut virtute aliena, ut Planetæ aſpectus qui quidem per ſe agit, ſed virtute Planetæ à quo ipſe manat aſpectus, ut cap. 9. Sect. 2. dicetur. Signum verò ſenſibile, eſt quod ſeipſum ſenſui, & inſuper quid ſenſui non patens, intellectui cognoſcendum exhibet. Ut hædera ſuſpenſa, quæ ſeipſam ſenſui videndam exhibet, & inſuper vinum in cella venale arguit, ex gentis conſuetudine. Formalis autem ratio ſigni non conſiſtit in eo, quod ſeipſum ſenſui exhibeat (ſignum enim non eſt in ſui ſignum) ſed in eo quod præter ſeipſum aliquid ſenſu ignotum, intellectui patefaciat, cujus dicitur eſſe ſignum. Porrò ſenſibile ſignum triplex eſt, diagnoſticum, prognoſticum, & anamniſticum. Diagnoſticum eſt ſignum rei præſentis, qualia ſunt ea quibus Medici præſentis morbi ſpeciem dignoſcunt. Prognoſticum eſt ſignum rei futuræ, qualia ſunt ea quibus Medici ſalutem, aut mortem ægri conjiciunt. Tum ea quibus Nautæ & Agricolæ futuras tempeſtates ſuper Mari, & ſterilitates, aut fertilitates ſuper Terra præſagiunt. Anamniſticum verò eſt ſignum rei præteritæ, ut cinis eſt ſignum combuſtionis præteritæ, veſtigium Lupi, ſignum eſt illac tranſiiſſe Lupum, & quo iverit: atq; ſic de aliis.

His verò intellectis, dico fuiſſe nonnullos, qui corpora cœleſtia opinati ſunt non eſſe ſigna futurorum in ſublunaribus eventuum, niſi forſan inania atq; fallacia, propter locum illum Hieremiæ cap. 10. *A ſignis Cœli nolite metuere.* At per ſigna Cœli Propheta non intelligit corpora cœleſtia, ſed duntaxat illorum idola lignea, vel aurea à Babyloniis ſummo cultui habita, ut patet ex ſequentibus in textu, quæ quidem idolis non autem corporibus cœleſtibus quadrant. Alii verò prorſus contra opinati ſunt, corpora cœleſtia eſſe tantum ſigna, & non cauſas Sublunarium effectuum, propter veba cap. 1. Geneſ. ubi dixit Deus, *fiant luminaria in firmamento Cœli ut dividant diem ac noctē, & ſint in ſigna & tempora & dies & annos*, &c: atque hujus opinionis omnino videtur fuiſſe Keplerus ſupra cap. 4. refutatus: dum ait, Planetas conjunctos, quadratos, vel oppoſitos, non movere naturam ſublunarem, ut agentia naturalia, virtutem aliquam effundentia: ſed tantum movere facultates vegetabiles & animales ſublunarium, ipſiuſque Telluris, ut objecta movent ſenſus. Cæterùm præter jam dicta adverſus Keplerum, certum eſt quod Sol non eſt ſignum diei, neque anni, ſed cauſa: diem enim & annum efficit. Nec Soli ratio ſigni convenit reſpectu diei quem efficit. Nam ex ſupradictis ratio ſigni in eo conſiſtit, quod ſignum præter ſeipſum, aliquid ſenſui ignotum, patefaciat intellectui, cujus dicitur eſſe ſignum: at dies ſenſui patet, non ergo Sol eſt ſignum diei, nec per conſequens anni, qui conſtat 365. diebus, ſed eorum eſt tantum cauſa.

Igitur neceſſe eſt quod dum ſacra Scriptura inquit, Solem & Lunam eſſe in ſigna: intelligamus quod ſint ſigna aliarum rerum, quam dierum & annorum, ſive temporum: ſupereſt igitur, ut ſint ſigna cæterorum effectuum in his ſublunaribus contingentium. Et hoc quidem concederet Keplerus ſupra, dummodo non eſſent cauſæ eorundem effectuum, ſed ipſamet natura ſublunarium objectivè ſtimulata à ſignis cœleſtibus. Verum ſibi hac in parte contradicit: fatetur enim fieri impreſſionem characteris totius conſtitutionis corporum cœleſtium in hominis, vel Telluris facultatem genitricem, altricem, ſenſitivam, animalem, qui character maneat, & per quem natura hominis & Telluris excitatur ad agendum. Ergo ipſi characteri neceſſe eſt ineſſe vim permanentem excitandi, ſaltem quoties Planetæ directione, vel tranſitu veniunt ad loca principalia conſtitutionis impreſſæ. Ac per conſequens cùm character ille à Cœlo effluat & imprimatur ab eo ipſis facultatibus, ergo etiam vis ejus excitandi effluet, vel effundetur à Cœlo, contra Kepleri ſententiam. Ideoque Cœlum erit cauſa naturalis ipſorum effectuum ſublunarium. Eſt enim cauſa characteris & hic effectuum; ergo & Cœlum: nam cauſa cauſæ eſt cauſati cauſa. Nec proderit dicere Cœlum eſſe quidem cauſam objectivam, non autem effectivam, vel non efficienter concurrere, ſed tantum facultatem: hæc enim, nec omnia poteſt, nec quodlibet, ſed id tantùm ad quod ſit potens: id vero per quod ſit potens, neceſſario eſt quid effectivum, alioquin ejus potentia non eſſet effectiva: ſed ſit potens per impreſſum characterem juxta Keplerum: ergo character à Cœlo effluxus erit effectivus. His adde quod facultas hominis per illum characterem impreſſum debet ſtimulari & excitari, non ſolum ad agendum, vel alacriter incumbendum in omnia opera externa, quæ ſunt illi præ manibus, ut vult Keplerus: ſed etiam ad generandas paſſiones, & morbos, vel caſus, unde & ipſe homo ipſaque facultas deſtruantur, quod quidem hæc inſana, crudelis & proditoriè homicida facultas nobis interna, cum vel ſine attentione percipiens objecta cœleſtia, ſtudioſiſſimè exequeretur; Cœlo, vel aſtris nihil efficientibus, nec homine id ſenſu, vel intellectu prævidente, aut per rationem impedire valente, cum facullas illa intellectu & ratione ſuperior, ab hiſque independens & abſoluta ſit ponenda: quæ omnia ab intellectus & rationis dignitate ſunt prorſus aliena. Ergo conſtat ex ſupradictis corpora cœleſtia eſſe & ſigna & cauſas ſublunarium effectuum: contra Cardanum qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Lib. de Interrog. quæſt. 13, vult aſtra eſſe tantum cauſas, non autem ſigna; qualiter verò ſint, videtur nobis ita diſtinguendum.

Conſtitutio cœleſtis dum homo naſcitur eſt ſignum anamniſticum temperamenti & confirmationis corporis. Quoniam enim iſta præcedunt nativitatem, infans autem editur in lucem à ſtatu Cœli atque ſitu, ſuo temperamento & corporeæ conſtitutioni congruentiore, ut alibi diximus: Igitur ex præſenti figura cœleſti, qualis præceſſerit temperamenti & conformationis textura judicari poteſt: ideoque erit illa eorum ſignum anamniſticum, non tamen cauſa, quatenus præceſſerunt.

Porrò eadem figura cœleſtis, eſt ſignum diagnoſticum temperamenti & confirmationis nati; quatenus hæc perfecta ſunt & abſoluta: tum morum, ingenii, & univerſæ diſpoſitionis nati cœlitus impreſſæ, qua variis vitæ & mortis accidentibus redditur obnoxius. Ratio eſt, quia temperamenti & confirmationis textura præcedens nativitatem, efficaciſſimè perficitur ac determinatur à Cœli conſtitutione, quæ ut congruentior fœtum in lucem educit ex utero, illumque ſibi fataliter ſubjicit: & ab eadem propenſiones appetitus ſenſitivi, qualitates ingenii, & univerſæ fatalis ſubjectionis character, ipſi nato ſigilli inſtar imprimitur, juxta naturam, ſtatum, atque ſitum, ſive determinationem particularem corporum cœleſtium, ut experientia quotidiana probat. Quamobrem figura cœleſtis ad momentum nativitatis, eſt non ſolum eorum ſignum, per quod ipſa cognoſci queunt, ſed etiam eorumdem cauſa per ſe, quatenus corporis temperamentum & conformatio ab illa conſtitutione cœleſti perficiuntur atque determinantur. Inſuper autem mores, ingenii qualitates, & fatalis ſubjectionis ſtatus, ipſi naſcenti corpori noviſſimè imprimuntur, velut forma quædam cœleſtis, qua ſinguli homines inter ſe, corpore, animo, moribus ingenio, & tam ad agendum quam patiendum diſpoſitionibus diſtinguuntur.

Denique eadem figura cœleſtis eſt ſignum prognoſticum futurorum homini naſcenti accidentium à fatali ſubjectione ſupradicta: quòd nempè cœleſtis illa conſtitutio natum ſibi ſubjiciens, ejus accidentia poteſtate contineat, eadem congruis temporibus per directiones, tranſitus & revolutiones productura, ut ſuo loco fuſiùs exponetur. Atq; inde patet, quod figura cœleſtis eſt non modò ſignum diagnoſticum & prognoſticum, ſed etiam cauſa eorũ, quorum eſt ſignum diagnoſticum & prognoſticum, ita ut niſi eſſet cauſa, non eſſet ſignum; & eatenus duntaxat ſignum eſt, quatenus cauſa. Si enim non eſſet cauſa à efficiens, quonam & qua virtute cauſarentur effectivè prorſus conformia ipſi conſtitutioni cœleſti? Ex eo autem quod cauſa eſt, tantúmque agit cauſa juxta diſpoſitionem ſubjecti; hinc ſequitur, quod reſiſti poſſit conſtitutioni cœleſti, ut etiam voluit Ptolemæus Aphor. 5. Centiloquii, dum dixit. *Poteſt qui ſciens eſt multos ſtellarum effectus avertere, quando naturam eorum noverit: ac ſeipſum ante illorum eventum præparare*: proindeque tale ſignum taliſve cauſa minimè ſint inevitabilis neceſſitatis, ut plures opinati ſunt, quorum error etiam ab Eccleſia condemnatur. Patet autem etiam quod eadem figura cœleſtis, eſt ſimul cauſa actualis eorum, quorum ipſa eſt ſignum diagnoſticum, & potentialis eorum quorum eſt ſignum prognoſticum, ut fuſiùs explicabitur, cum de directionibus & tranſitibus: ſed ex ſupradictis etiam deducitur, quod ſi aſtra id faciunt, quod ſignificant; ergo qui Planetæ fuerint mortis ſignificatores, eam cauſare & inferre debent, ſive per directionem, ſive per revolutionem: eademque eſt ratio de cæteris.

Objicies, Martem dominum Horoſcopi in octava pravè affectum, equidem nato ſignificare mortem violentam: at natum non occidit Mars, ut palam eſt; ergo eſt tantum ſignum & non cauſa.

Reſpondeo, Martem non occidere natum immediatè, ſed mediatè. Nam per ſuum influxum nato impreſſum, hunc efficit morti violentæ obnoxium, in quam ipſe natus per illum influxum incidit; ergo Mars eſt cauſa cauſæ mortis ipſius nati.

Porrò ne quemquam terreat fatalis ſubjectio hic à nobis expoſita, legatur caput 24. Sect. 2. Lib. 12. ubi de fato actum eſt. Et quod de Cœlo & aſtris hic aſſeritur in figura particulari, etiam in univerſali figura & revolutionibus, ſaltem pro ſignis diagnoſticis & prognoſticis aſſertum quoque intelligatur, ut proprio loco fuſiùs exponetur.

Poteſt autem etiam quæri; an aſtra ſignificent quæcumque homini futura ſunt, poſt ejus nativitatem?

Ad quod reſpondeo, quod non. Alioquin introduceretur fatalis neceſſitas, nec verum eſſet quod à nobis ſuperius allatum eſt ex Ptolemæo. Itaque aſtra non ſignificant reluctationes hominis per prudentiam & illuminatam divinitus rationem contra vim aſtrorum: ſi enim aſtra ſignificent alicui morbum, aut duellum aliquo tempore, non ſimul ſignificabunt quod nullum erit duellum, aut morbus per hominis prudentiam, occaſiones fugiendo & remediis congruis ſuæ ſanitati conſulendo. Quamobrem dicendum eſt, quod eorum quæ homini poſt nativitatem accidere queunt, alia non ſunt in ejus poteſtate, ut fratres, inimici, mors, fortuita: alia verò ſunt in ejus poteſtate, hoc eſt dependere queunt ab ejus libero arbitrio: ut divitiæ, liberi, ſervi, conjux, lites, duella, itinera, dignitates, ſuſcepta. Nam circa hæc omnia nato extrinſeca, ipſe actu ſeſe liberè determinat, poteſtque ſimpliciter & abſolutè illa, vel reſpuere, vel evitare, etſi ab aſtrorum influxu ad eorum aliqua maximè propendeat.

Jam verò quæcunque nato ab aſtris ſignificantur futura, ad hæc perficienda natum ipſum tam activè quam paſſivè fortiter inclinant, ſive diſponunt, ita ut talis diſpoſitio certiſſimè aſſeverari queat. Et effectuum diſpoſitioni tali congruentium, ii certiùs accidunt, qui non ſunt in nati poteſtate: eorum verò quæ ab ejus voluntate dependent dubius magis eſt eventus. Ut plurimùm tamen ſubſequi ſolet diſpoſitionem aſtralem; tum quod homo ſe ipſum, hoc eſt, ſuas diſpoſitiones, & quæ ſibi futura ſunt vulgò ignoret; ideoque futuris malis occurrere non ſatagat. Tum quod propenſionibus naturalibus reluctari arduum ſit & ſupra naturam: ideoque perpauci hoc certamen aggrediantur, in ipſoque conſtanter perſeverent. Indeque fit, ut prædictiones Aſtrologicæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

gicæ tam frequenter veraces deprehendantur: obſequentibus nimirum cauſis inferioribus & particularibus virtuti ſuperiorum & univerſalium, lege naturæ, quamvis prædictiones ipſæ ſint duntaxat conjecturales: nec de iis quidpiam certò prædicere liceat.

Igitur ex dictis hoc toto cap. 7. colligemus quod vis ſeminis affecta cœleſti influxu momento conceptionis, eſt cauſa efficiens actualis temperamenti & conformationis nati, ipſo momento inceptæ. At figura Cœli momento nativitatis eſt ſignum anamniſticum ipſius temperamenti & conformationis prius introductæ, diagnoſticum præſentis & perfectæ; prognoſticum verò rerum futurarum à tali conſtitutione corporis. Non eſt tamen cauſa præteritorum, vel figuram ipſam præcedentium, ut Patris, Matris, Fratrum natu majorum, &c. ſed duntaxat præſentium & futurorum. Et quidem præſentium, ut temperamenti & conformationis abſolutæ, ingenii, morum, &c. eſt cauſa actualis: futurorum vero, ut liberorum, ac eorum quæ nato accidunt circa parentes, fratres, liberos, ſervos, conjugem, dignitates, divitias, &c. cauſa potentialis ſuo tempore ad actum reducibilis per cauſas actuales, quæ ſi defuerint, vel contrariæ adfuerint (ut dum morbus ſignificatus per remedia congrua impeditur) cauſa ipſa non reducetur ad actum, ſuoque fruſtrabitur effectu. Dicetur tamen cauſa, quia illo tempore, non defuit in nato, vel circa res ejus, ſtimulus cœleſtis ad ſignificatum effectum, ſed cauſa ipſa caruit concurſu actuali, vel fuit impedita; omnino, ut dicitur de gratia præveniente. Ideoque natalis conſtitutio eſt ſignum prognoſticum futurorum nato accidentium, niſi impediantur: tum etiam cauſa ſi acciderint.

CAPUT VIII.

An totum Cœlum concurrat ad quemlibet effectum Sublunarem.

HOc falſo opinati ſunt Picus Mirandulanus, Sixtus ab Hermininga, Alexander De Angelis, & cæteri Aſtrologiæ oſores ignari, contra quos jam ſcripſimus Lib. 10. cap. 3. ſed quæſtio facilè ſolvitur diſtinguendo conſiderationem effectus.

Nam ſi effectus conſideretur ſecundum ſe totum; hoc eſt, tam ſecundum ea quæ inſunt ei actu, ut in homine temperamentum, corporis forma, ingenium, &c. quàm ſecundum ea quæ inſunt ei poteſtate, ut actiones, religio, morbi, &c. vel tam ſecundum ea quæ ſunt ei intrinſeca, ut mores, ingenium, temperamentum, &c. quam ſecundum ea quæ ſunt ei intrinſeca, ut divitiæ, fratres, parentes, liberi, & cætera ſignificata domorum, primâ exceptâ: Certum eſt quod totum Cœlum concurrit ad ipſum effectum in illa totalitate ſpectatum, ſiquidem totum Cœlum dividitur ipſi effectui in duodecim partes, ſive domos pro illius ſubſtantia & ſingulis ſpeciebus accidentium, quorum ipſe capax eſſe poteſt.

At ſi effectus conſideretur duntaxat ſecundum aliquam ſui partem quæ eidem inſit actu, vel poteſtate, aut ſit ipſi intrinſeca, vel extrinſeca, verbigratia, ſi homo conſideretur tantum ratione ingenii, vel divitiarum, vel honorum, vel liberorum, vel mortis, &c. tunc totum Cœlum non concurrit efficaciter ad illam partem: ſed tantum ſigna Planetæ & ſtellæ, quæ corpore, dominio, vel aſpectu eam domum occupant ad quam juxta eſſentialia ſignificata domorum, pertinet pars illa ſecundum quam duntaxat effectus conſideratur, adjunctis etiam Planetis parti ipſi Analogis: ut ſi homo ſpectetur ratione matrimonii, tantum ad hoc efficaciter concurrent Cœli partes & ſtellæ ad matrimonium determinatæ ſitu corporeo, dominio, vel aſpectu, ſicut fuſius exponetur in ſequenti Sectione, non autem totum Cœlum, vel aſtra omnia.

SECTIO II.

De variis ſpeciebus determinationis accidentalis Planetarum, circa particularia Sublunaria.

CAPUT I.

De determinatione accidentali Planetarum per ſitum corporeum, vel dominium in figuræ domibus.

HI duo determinationis modi, ſunt præ cæteris efficaciores, at omnium efficaciſſimus, qui fit per ſitum corporeum Planetæ in aliqua domo figuræ cæleſtis. Idcirco de his prius agendum videtur, poſtea de reliquis.

Igitur quæ fiunt in his inferioribus, cauſantur à ſuperioribus; quippe Cœlo & aſtris, ipſo Ariſtotele teſte, dum dixit, *Mundum hunc inferiorem contiguum eſſe ſupernis lationibus, ut inde vis ejus omnis gubernetur*; & alibi, *Sol & homo generant hominem.* Hoc autem poſito, quoniam hominum oculis & mentibus, corporum cœleſtium ſtatus exponitur contemplandus, poterit ex ejus cognitione haberi prævifio futurorum: ſi enim præteritæ cauſæ cœleſtes & harum effectus perſpecti fuerint, ut Eclipſes, vel conjunctiones Planetarum in eodem ſigno, quid eædem jam, vel impoſterum recurrentes facturæ ſint, rectè conjici poterit. Et cauſæ ipſæ talia futura ſignificare dicentur, quod talia ſint effecturæ. Tantum enim ab effectis ſignificare dicuntur, ſicque nihil efficerent unde & quomodo ſignificare dicerentur? videatur cap. 7. Sect. primæ.

Porrò etſi Planetis ſingulis inſit unica & ſimplex virtus eſſentialis, per totum Mundum ſufficienter diffuſa, qua agit quidquid agit: Tamen virtus hæc dupliciter ſpectanda eſt. Primò, ut eſt in ſe & abſoluta; ſicque univerſaliter ac indifferenter afficit omnes ſpecies & individua rerum Sublunarium, poteſtque aliquid in quolibet, Theor. 22. Elem. Secundò, ut in aliquo patiente recipitur, ad ipſumque refertur: ſicque à patiente ipſo ita determinatur, ut quamvis Sol eadem virtute agat in hominem & Planetam, dum ambo generantur, non tamen idem efficiat in homine atque planta, ob diverſam naturam diſpoſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

tionemque paſſorum eandem virtutem recipientium, quæ ad modum recipientis recepta in diverſis ſpecie ſubjectis, diverſos producit effectus, etſi ſingulis eodem modo applicata.

Rurſus verò etſi virtus illa univerſalis à naſcente homine determinetur, non tamen ſingulos homines, etiam eodem inſtanti temporis naſcentes, afficit eodem modo, quòd nempe non eodem modo determinetur à ſingulis, vel Planeta non ſimiliter applicetur ſingulis: ſed uni ſit in prima domo, alteri in ſecunda, alteri in tertia, &c. vel uni dominus primæ, alteri dominus ſecundæ, alteri tertiæ, &c. unde in ſingulis varii ſpecie producuntur effectus eodem inſtanti temporis, ab eodem Planeta, ut paſſim experientia probat.

Inde verò deducitur, quod Sol à naſcente Petro determinatus, nequeat eſſe cauſa omnium accidentium Petro naſcenti præſentium, aut futurorum: ipſa enim accidentia omnia, non ad unicam domum figuræ cœleſtis, ſed ad omnes duodecim pertinent, ſecundum quas Sol, nec ſitu corporeo, nec dominio, poteſt circa Petrum ſimul determinari: Sol ergo ea tantùm efficit ad quæ determinatur, reliqua vero fiunt à Planetis aliis, juxta cujuſque determinationem. Atque idcirco tota figura cœleſtis equidem agit in natum prout eſt ſubjectum accidentium duodecim figuræ locis eſſentialium, impreſſioneque ſua influentiali ipſum afficit circa ipſa accidentia. Non quidem tota cauſandi quamlibet ſpeciem accidentis, ut voluere Picus & De Angelis: ſed ſingulis ejus partibus ſingulas ſpecies accidentium, prout pars unaquæque Cœli, ad hanc, vel illam determinatur ſpeciem in ipſa figura. Veluti ſi in aliqua geneſi Sol ſit in prima domo, vel ejus dominus, aget in natum circa vitam, mores, ingenium. Sique tunc ♃ ſit in decima, vel hujus dominus, aget circa actiones & dignitates: etſi ♂ ſit in octava, vel ejus dominus, aget circa mortem ipſius nati, atque ſic de cæteris. Et quamvis mors fratrum, liberorum, conjugis, vel alia accidentia illis in nati geneſi ſignificata, ad ipſos magis quam ad natum pertineant, tamen ex nati geneſi, ad hunc ipſa quoque pertinent, quod nempe intereant, vel afficiantur perſonæ ad ipſum natum pertinentes, ut quæ ſunt etiam ejus bona, ut liberi, vel mala, ut inimici.

His præmiſſis jam primò dicendum, quod domus primariæ, cum ſint duntaxat mundani ſpatii partes, naſcenti corpori Phyſica ratione diviſæ, ipſæ nec ſunt effectrices, nec propriè ſignificatrices accidentium, quæ illis attribuuntur eſſentialiter (ſpatium enim ex ſe non eſt activum, cum ſit tantum quid inane) ſed ſunt duntaxat determinatrices, ſive ſignorum, ſive Planetarum, vel fixarum, ad has, vel illas ſpecies accidentium nato congruentium, juxta eſſentialia ipſarum domorum attributa à nobis expoſita cap. 3. Sect. 1. Lib. 14. Ipſis enim ſpatiis ratione ſui ſitus ad Horizontem, vel hominem in ipſo naſcentem, ineſt talis virtus determinativa, quæ domualis virtus à nobis appellatur. Non ergo primum ſpatium propriè vitam ſignificare dicendum eſt, ſed duntaxat circa vitam determinare, ideoque eſſe vitæ: ſecundum verò ſpatium eſſe divitiarum, & ſic de reliquis, nempe determinativè.

Sed neque domus ſecundariæ, hoc eſt, Cœli partes, ſive ſigna, domos primarias occupantia, propriè ſunt ſignificatrices accidentium primariis domibus attributorum, velut, nec Planetæ in illis conſtituti, vel dominantes ſignis ipſis. Corpora enim cœleſtia non aliunde ſignificant res ſaltem præſentes, aut futuras, niſi quia id efficiunt quod ſignificare dicuntur; ex cap. 7. Sect. 1. At ♑, aut ♄ in primo ſpatio, aut idem ♄ primæ dominus, non ſemper vitam efficit, ſive confert, ſed aliquando deſtruit, ſive negat. Et idem ♄ in decima domo, vel ejus dominus, aliquando confert, & aliquando negat honores, vel dignitates. Quamobrem univerſaliter loquendo corpora cœleſtia in primo ſpatio conſtituta, duntaxat propriè dicendi ſunt ſignificare circa vitam, mores, ingenium: in decimo ſpatio, circa actiones profeſſionem, dignitates; atque ſic de reliquis. Quippe quòd primò ſignificent, non quidem ſimpliciter & abſolutè quod natus talia ſit habiturus, ſed ſolùm an talia ſit habiturus, nec ne: hoc enim primò ſignificari poteſt; idque à Planeta in domo, vel ejus dominio horumque ſtatu: deinde ſi habiturus ſit, tum qualia & quanta.

Primò igitur Planetæ ſignificant circa ſpeciem aliquam accidentis, pro ratione ſuæ determinationis. Secundò, an tale accidens nato inſit, vel futurum ſit. Tertiò, quale & quantum ſit, vel futurum ſit: & hæc definienda ſunt penes naturam & ſtatum Planetarum qui ſunt in domibus accidentis, vel iis præſunt; ad quem ſtatum pertinent etiam aſpectus, qui agunt juxta naturam Planetæ aſpicientis. Sol enim ſitu corporeo, dominio, vel aſpectu amicos ſignificans, hos Reges, Principes, vel Magnetes ſignificabit: Saturnus ſignificans morbos, hos ſignificabit Saturninos, atque ſic de cæteris penes tabulam de dominio Planetarum appoſitam Lib. 13. Sect. 3. cap. 3. Idem dicendum de dominis primæ, decimæ, aliarumque domorum, qui ratione ſui dominii idem ſignificant, ac ſi eſſent in ipſis domibus, quòd nempe ſignum agat virtute ſui dominii, ut alibi dictum eſt.

Jam verò quod Planeta in ſeptima domo, ſignificet circa conjugem, hoſtes liteſque; id commune eſt Planetis omnibus à proprietate domus ſeptimæ, vel à determinationis ſpecie: at quod talia natus ſit habiturus, nec ne, tum qualia & quali ſucceſſu, id Planetæ cuilibet particulare eſt: aut per ſe à natura propria (ut ♃ & ♀ in ſeptima, dant conjuges fœliciaque conjugia: ♄ & ♂ negant, vel auferunt, vel impedimenta, aut infortunia conjugiis obtrudunt) aut per accidens à ſigno ſeptimæ, ejuſque dominio; à poſitu ad Solem & connexione cũ Planetis cæteris, ac præſertim cum domino ſeptimæ, aut primæ, tum à dominio ipſius Planetæ in ſeptima poſiti, ſuper alias domos. Nam ſi Planeta in ſeptima fuerit dominus duodecimæ, aliud ſignificabit circa conjugium, hoſtes, lites, quàm ſi fuerit dominus decimæ: eademque eſt ratio de reliquis domibus. Ac de domino ſeptimæ venit à ſimili judicandum, ut de Planeta in ſeptima licet dominus ipſe non ſit in ſeptima, ſemper enim Planetæ agunt juxta naturam propriam, ſuamque determinationem particularem, præſertim verò per ſitum corporeum & dominium: Mars enim in duodecima, vel ejus dominus, dat amicos nobiles & militares, vel amicitias litibus turbat, prout

fauſtus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

fauſtus, vel infauſtus fuerit ejus ſtatus in Cœlo, ♄ in duodecima dat morbos melancholicos, atque ſic de reliquis.

Cæterum uſus invaluit, ut Horoſcopus & Planeta in ipſo, vel ejus dominus dicantur ſignificare vitam: medium Cœli & Planeta in ipſo, vel ejus dominus, actiones & honores, ideoque talium accidentium ſignificatores vocitentur: cùm tamen ex ſupra dictis, propriè tantum circa vitam & actiones ſignificare dicendi ſint, quamvis propriè ſignificare dicantur id, quod circa vitam, vel honores ſignificant, ut ſi ☉ in decima circa honores ſignificans, ratione ſuæ determinationis, etiam horum futuritatem ſignificet, ex ſe ſuoque ſtatu cœleſti, propriè hanc honorum futuritatem ſignificare dicetur, vel honores non utcunque, ſed quatenus futuros, cùm poſſint etiam non futuri ſignificari, cauſæ verò futuritatis, ablationis & negationis, has efficiunt atque ſignificant.

Præterea dum dicitur Horoſcopum ſignificare vitam; ſciendum id intelligi de initio illius partis Cœli quæ primum ſpatium occupat, non autem de initio ipſius ſpatii. Nam ipſe Horoſcopus dirigitur pro vita per aſcenſiones proprias, quæ diverſæ ſunt pro ſingulis Eclipticæ punctis, in eodem primo ſpatio ejuſdem horizontis: at initium illius ſpatii nullas habet aſcenſiones, quippe quòd ſpatium ipſum ſit immobile. Deinde Saturnus, verbi gratia, non diciur transire per Horoſcopum, quoties motu primo Oriens, tranſit per initium illius ſpatii, ſed tantùm quoties motu ſecundo ſibi proprio, peragrat initium illius partis Cœli, quæ primum ſpatium horâ nativitatis occupavit. Denique ſignificatio eſt à cauſa efficiente ſignificatum: at ſpatium primæ domus, vel ejus initium, non eſt effectivum, ſed tantùm determinativum, ſignum verò, vel pars Cœli quæ ſpatium illud occupat eſt effectivum, juxta ſuam determinationem ac naturam propriam. Ideoque aliud efficit ♈ in Horoſcopo, aliud ♉, &c. ſive à radice, ſive per directiones: quippe deterior eſt Horoſcopi in ♎ directio ad ♂, quàm Horoſcopi in ♈. Ex quibus patet adhuc evidentiùs primum ſpatium propriè non ſignificare vitam, nec ejus initium eſſe Horoſcopum: eademque eſt ratio in cæteris.

Secundò dicendum: Corpora cœleſtia prout determinantur ab individuis, ut hominibus, quatrupliciter in hos agere; nimirum dando accidentia circa quæ determinantur, vel ea negando, vel data auferendo (quod inter dare & negare medium eſt) aut data ipſa tanquam nati bona, vel mala diverſimodè afficiendo, fœlicibus quippe, vel infœlicibus caſibus, ut dando liberos, vel eos negando, vel datos auferendo, aut eos fortunando, vel infortunando, durante vita Patris: ſic de conjuge, honoribus, divitiis & cæteris. Unde conſtat quod ablatio pertineat ad datæ rei ſucceſſum: ut cum de datis, vel futuris honoribus quæritur, an ſtabiliter ſint duraturi. Negatio autem alicujus rei, ut divitiarum, non modo nullas nato futuras ſignificat divitias, propriâ parandas induſtriâ: ſed etiam ſi quas à Parentibus ſucceſſione acceperit, harum diſſipationem futuramque paupertatem pertendit. Similiter ſi adfuerint cauſæ quæ denegent fratres: natus non modò nullos fratres ſe juniores habebit; ſed etiam natu majores morientur: ut patet in Geneſi Illuſtriſſimi D. Tronſoni, qui habuit ♂ & ♄ in tertia domo, & fuit ſuperſtes ex duodecima, tum fratribus, tum ſororibus, quorum ipſe junior erat. Quamobrem cauſæ dationis, negationis & ablationis erunt ſedulò advertendæ. Præſertim verò an ſint potentes ad effectum, atque inter ſe diſtinguendæ: idque in ſingulis domibus.

Igitur duo hæc in genere ſunt Planetis omnibus communia. Nempe quod ſignificent circa illa nati, vel rerum ad hunc pertinentium accidentia, ad quæ Planetæ ipſi ſitu corporeo, dominio, aſpectu & antiſcio determinautur: Cùm hac tamen differentia, quod Planeta ſit efficacior ſitu corporeo quam ſolo dominio, plus enim poteſt Planetæ præſentia, quàm abſentis dominum. Deinde quod ſignificent dando, negando, auferendo, vel datum diverſimodè afficiendo: unde Planeta in aliqua domo dicitur etiam ſignificare rebus ad domum ipſam pertinentibus: veluti ♄, aut ♂ in tertia nato portendit fratrum ablationem; ideoque fratribus interitum.

CAPUT II.

De unico Planeta in aliqua figuræ domo.

SI in aliqua domo Thematis Cœleſtis, unicus Planeta fuerit; is principaliter aget circa accidentia nati ad ipſam domum pertinentia, eaque principaliter gubernabit, plus quàm Planetæ dominantes, vel aſpicientes, ſive ſit in proprio domicilio, ſive in alieno, ob rationem ſuperiùs dictam, quod plus poſſit præſentia Planetæ, quam abſentis dominium: quia nempe determinatio per ſitum corporeum, eſt immediata; ideoque omnium efficaciſſima: contra opinionem Bellantii à nobis refutatam capite tertio Sectionis primæ, qua in re nobis favent Garcæus Lib. de Jud. Genit. & Junctinus in Comment. ſuper caput 14. Lib. 3. Quatrip. qui ut refert Origanus Part. 3. cap. 8. pag. 581. volunt, quod Planeta in Horoſcopo, hoc eſt, in prima domo conſtitutus, ſive in ſigno aſcendenre, ſive intercepto fuerit, is principalis morum ſignificator exiſtat, particeps verò ejus dominus. Cui ſententiæ ſubſcribit Origanus: & hæc ſi vera ſit de moribus, quidni ſimile dicetur pro divitiis, conjuge, honoribus, &c. quandoquidem aſtra uniformiter agunt. Si autem Planeta fuerit in proprio ſigno, de ipſis accidentibus erit abſolutè judicandum penes ejus naturam atque ſtatum, tam Cœleſtem, quàm Terreſtrem. Cæterùm, ut ex ipſo Planeta judicium feratur, an ſit collaturus accidentia ipſi domui attributa, an verò ea negaturus, impediturus, ablaturus, vel fœliciter, aut infeliciter affecturus, in primis notanda venit natura Planetæ; tum deinde ſtatus ejus cœleſtis, tandemque ipſius determinationes aliæ, quàm per ſitum corporeum: ex hiſque judicium texendum eſt, quod horum altero prætermiſſo, non niſi mancum & ſæpe falſum eſſe poteſt.

Circa naturam Planetæ, advertenda eſt ejus analogia ſympathica, cum accidentibus domui propria, Sol enim in decima egregios per ſe con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

fert honores, quòd cum his analogiam & convenientiam habeat. Saturnus econtrà per ſe honores denegabit, ob rationem contrariam. Dixi autem per ſe, nam per accidens Sol in decima honores denegabit: ſi nimirum pravè ſit affectus ſtatu cœleſti; ut exul, directus, peregrinus, & quadratus, vel oppoſitus maleficis, tum (quod pejus eſt) ejus quoque dominus ſit pravè affectus: aut ſi contulerit propter ſitum corporeum in decima, & analogiam; id erit cum difficultatibus, impedimentis & infortuniis, quæ eò erunt majora, quò deterior fuerit Solis ſtatus. Econtrà verò ♄ in decima per accidens cauſabit honores, ſi nempe ſit in propria domo, vel exaltatione, Soli Orientalis, velox, directus, ac in △ Solis ☽ ♃, aut ♀, ſimpliciterque ♂ in ſeptima lites, bella, aut duella per ſe concitabit, quæ ♀ per ſe impediet, aut diſſipabit. ♃ in ſecunda conferet divitias, quas Saturnus ſaltem per ſe denegabit, ♂ verò diſperdet. ♄ autem in duodecima morbos malignos, inimicos, & carceres cauſabit, à quibus ♃ per ſe liberabit: atque ſic de reliquis, ut proprio loco ſigillatim exponitur. Siquidem omnis Planeta analogus ſignificato domus quam occupat, vel cui dominatur, illud confert, ſive ſit bonum, ſive malum, congruente præſertim ejus ſtatu cœleſti, niſi aliunde fortiter impediatur. Contrarium autem ipſi ſignificato, illud negat, impedit, aufert, vel infortunat.

Circa Planetæ ſtatum cœleſtem ſciendum generaliter, quod omnis Planeta ſtatu cœleſti benè affectus, ut ſi fuerit in propria domo, exaltatione Trigono, Orientalis Soli, Occidentalis Lunæ, liber à prava connexione cum maleficis, per corpus, vel aſpectum, directus, velox, &c. is univerſaliter toti Mundo cenſetur beneficus, quamobrem erit etiam beneficus cuilibet particulari naſcenti, in quamcunque figuræ domum inciderit, ſi præſertim fauſtis beneficiorum radiis illuſtretur. Non enim bonitas, aut malignitas naturæ, vel ſtatus Planetarum, tollitur, vel immutatur à domibus, ſed duntaxat determinatur Theorem. 18. Elem. quia tamen Planetæ eò ſunt ad agendum efficaciores, quò ſtatus eorum cœleſtis, ipſorum naturæ fuerit congruentior: idcirco maleficorum auctior efficacia ſemper ſuſpecta, imò periculoſa erit pro domibus 7. 8. 12. hoc eſt, hoſtibus, morte, morbis & carceribus, quippe quòd Planetæ naturâ malefici, cum pravis illis accidentibus analogiam ſemper efficacem habeant, ad eaque ex natura ſua propendeant. Ideoque ♂ exaltatus in domo ſeptima Principis Gaſtonis, huic potentes ſuſcitavit hoſtes. Et idem ♂ in ♈ & octava domo Henrici Deffiat, præcipitavit ipſum in mortem violentam, ut forſan alibi uberius exponetur. Igitur ♄ & ♂ bene affecti in bonis domibus bonum, in malis vero malum. Sique fuerint cum Horoſcopo, vel medio Cœli, vel peregrini, vel pravè affecti, nullaque in prima, vel decima dignitate pollentes, ingentia mala cauſabunt, eaque longè majora, ſi etiam primæ, vel decimæ dominos malignis pulſaverint radiis.

At omnis Planeta ſtatu cœleſti pravè affectus, ut ſi fuerit exul, directus, retrogradus, maleficis pravè configuratus, beneficorum radiis abſentibus: is univerſaliter toti Mundo cenſetur maleficus, tum cuilibet particulari naſcenti, in quamcunque figuræ domum inciderit, tam ſitu corporeo quàm dominio, quòd nempe tali ſtatu proprius Planetæ influxus depravetur. Hoc autem deterius erit in Planetis naturâ maleficis, pravus ſiquidem eorum ſtatus, aut turpitudinem vel infamiam, aut mutilationem, vel deformitatem, aut dejectionem à dignitate, vel exilium, aut carceres, vel graves morbos, aut violentam mortem, vel ſimile infortunium efficere ſolet, juxta determinationem Planetæ ſitu corporeo, vel dominio. Ideoque ♄ in ♌ & octava domo Ducis Montmorantii turpem illi mortem violentam ſignificavit.

Denique Planeta mediocriter affectus, ut cùm eſt duntaxat peregrinus, beneficis pravè configuratus, aut maleficis beneficè, &c. is in bona, vel mala cauſando ſe habet medio modo.

Sed notandum quod Planeta quò pluribus modis ſtatu cœleſti benè afficitur, eò ad bona præſtanda propenſior eſt: quò autem pluribus modis malè afficitur, eò ad mala cauſanda pronior eſt. Idque tam univerſaliter quam particulariter, univerſalis enim modus agendi conſurgit ex particularibus: & univerſalis circa particularia determinatur.

His præmiſſis jam dico generaliter, quod beneficus Planeta ſtatu cœleſti benè affectus in aliqua ex domibus figuræ cœleſtis 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 9. 10. & 11. quæ bonæ dicuntur, quod ſint rerum optabilium: Ipſe confert bona illius domus, in qua corporaliter verſatur: eaque ſyncera, copioſa, facilia & perdurantia. Atque ideo in ſecunda confert divitias, ſi præſertim ex ſua natura illas ſignificaverit, ut ♃: ſicque ☉ in decima dabit honores, vel dignitates & gloriam: in undecima amicos Reges, Principes, aut Magnates: ♀ in ſeptima pulchram uxorem fœlixque conjugium: ☿ in prima excellens ingenium: ☉ ♄ & ♃ in quarta, parentes, honoribus & divitiis fortunandos, quod hi Planetæ ob ſatellitium ſint parentibus analogi: atque ſic de aliis domibus. In quibus ſemper videndum quomodo natura & ſtatus Planetæ, congruant domorum ſignificatis.

At beneficus malè affectus ſigno, aut connexione in bonis domibus, aut nihil dat, aut difficilè, vel malis mediis, & tantùm exigua, fucata, depravata, inconſtantia, vel non utilia.

Tandem beneficus naturâ mediocritate affectus, equidem certiùs dat quam pravè affectus: ſed quæ ratione qualitatis, quantitatis & firmitatis, aut durationis ſe habent medio modo.

Econtra vero Planeta maleficus natura, pravéque ſtatu cœleſti affectus in bona domo, ut in decima, non conferet bonum ipſius domus, nempe honores, aut dignitates, ſed potius impediet ne accidant: aut ſi aliunde advenerint, in his cauſabit infortunia, præſertim ♄ naturâ ſuâ honoribus contrarius.

At maleficus benè affectus in bona domo, ut decima, dabit honores & dignitates, præſertim ſi fuerit in ſua exaltatione, quod exaltatio præ cæteris Planetæ dignitatibus, ſit honoribus analoga, nec ſit quadratus, vel oppoſitus Soli, aut Lunæ, honoribus præcipuè analogis, & his malè affectis: in ſecunda conferet divitias, præſertim benè connexus ♃ divitiis analogo. Eademque eſt ratio pro cæteris domibus. Semper autem natura male-

ficus

ficus benè affectus, bona confert imperfecta, aut malis artibus, aut viis difficilibus, aut cum aliquo tandem infortunio, ob ipſam Planetæ malignitatem, quâ ex natura ad malum potiùs quam bonum pronus eſt. Unde non abs re dici poteſt, maleficos benè affectos in bonis domibus, eſſe velut diſſonantias in Muſica, correctas ad conſonantiam efficiendam.

Denique maleficus mediocriter affectus, nihil dat neque tollit, ſed tantum impedit ne accidant bona, præſertim ſi ex natura ſit bono contrarius, ut ♄ in decima honoribus. Atque ſic ♄ ipſe duntaxat mediocriter affectus in ſecunda, nec confert, nec aufert divitias; ſed ſucceſſione collatas parſimoniâ & avaritiâ conſervat: ♂ verò earum diſſipationem prodigalitate, vel ſtultis ac inutilibus expenſis minatur.

Jam verò Planeta beneficus naturâ ſtatuque cœleſti in pravis domibus 8. & 12. harum domorum mala tollit, aut mitigat, nec non ſeptimæ, quæ ob lites & inimicos apertos ipſi tributos, nonnihil malignitatis participat; non quidem ex ſe, ſed ex ſua ad primam oppoſitione, quæ radix eſt litium & inimicorum. Atque idcirco ♃ in duodecima (quæ per ſe morborum eſt) paucis duntaxat, lenibus, curatuque facilibus morbis natum efficiet obnoxium: & liberabit à carceribus, tum etiam hoſtibus occultis, ideoque natum his ſuperiorem efficiet. In octava mortem violentam & turpem arcebit, eamque mitiorem efficiet. Quippe ad morbos atroces fœdoſve, carceres, & mortem violentam, ♃ ex natura ſua & analogia non propendet: eóque minùs, quò ſtatu cœleſti meliùs afficietur. Quippe quod per diverſum ejus ſitum in figuræ domibus, non varietur ejus natura, vel influxus beneficus totius Terræ reſpectu, dum fauſtè conſtituitur, ſed tantum determinetur, ut oſtenſum eſt, 18. Theor. Elementorum; unde Phyſica neceſſitate ſequitur, ut bona promoveat, mala verò temperet ac minuat. Eademque eſt ratio de aliis Planetis naturâ ſtatuque cœleſti beneficis.

At naturâ beneficus Planeta, ſed ſtatu cœleſti male affectus in duodecima, vel octava, aut dominus unius in altera morbos non arcebit, ſed aliquos etiam difficiles conferet, nec mortem violentam impediet, præſertim aliunde ſignificatam, ut conſtat ex Cardinali Richelio, qui ♃ habuit in octava in ♊ cum oculo ♉, & morbo maligno periit, pluries à Chyrurgis dialaniatus, ſumma enim curâ & tyrannide violentiorem mortem evitant: tum ex Henrico Deffiat, cui ♃ fuit in octava cum ♂ & ☉, & capite truncatus eſt, tum ex Domino De Hayes, qui habuit ♃ in ♊ & octava domo, cum oculo ♉ & ♂ domino Horoſcopi, Lunam autem in ſeptima cum capite Meduſæ & Plejadibus quadratam Soli domino medii Cœli: & Regis mandato capite truncatus eſt. Tum in Me qui habui ♃ dominum octavæ, & ♄ in duodecima, & malignos difficileſque morbos paſſus ſum; ex quibus tamen convalui, quia morbi admittunt remedia, non autem Mors, ſed pluries in mortis violentæ pericula incidi, etiam graviter vulneratus.

Denique naturâ beneficus mediocriter affectus, non confert, neque tollit mala, ſed tantum mitigat.

Econtra verò Planeta maleficus naturâ, ſed ſtatu cœleſti benè affectus in figuræ pravis domibus, mala non aufert, hoc eſt, non impedit quin accidant, propter naturæ malignitatem ad mala propenſam, ſed ab iis eripit, vel ea temperat ob ſtatus beneficentiam. Ut patet in Principe Gaſtone, qui in ſeptima habuit ♂ in ſua exaltatione, & ♄ in ♒, magnoſque habuit hoſtes apertos: ſed eorum ſemper evaſit potentiam. Sic Rex Suetiæ habuit ♂ in duodecima, & ♏, nec fuit morboſus, nec incarceratus, nec oppreſſus ab hoſtibus occultis. Quantò igitur magis benefici in pravis domibus benè affecti eorum mala tollent, ſive remittent?

Nota tamen quod Henricus Deffiat habuit ☉ ♃ & ♂ in ♈ & octava domo, & periit morte violenta ob ♂, judiciaria ob ♃, & publica ob ☉: quia hæc combinatio quadrabit infortunio ☿ domini Horoſcopi, ac medii Cœli, à ♄ in decima domui octavæ inimico, ſuoque aſpectu inficiente ☉ ♃ & ♂: unde patet in judiciis Aſtrologicis ad multa eſſe attendendum, quæ omnia hic recenſere nimis longum eſſet.

At natura maleficus malè affectus in prava domo, hujus mala valde promovet, efficitque deteriora, etiam cum turpitudine, infamia ac violentia. Sicque ♄ pravè affectus in duodecima, magnos morbos atque longos, malignos & curatu difficiles cauſabit: tum carceres & hoſtes occultos nocituros. In octava turpem, aut violentam mortem, ut in Duce Montmorancio, qui habuit ♄ in ♌, & octava, ſiquidem Planetæ naturâ maleficâ ejuſque pravo ſtatu concurrentibus, mala toti Mundo portenduntur ab illis, quamdiu ſtatus ille perdurabit: ideoque particularibus naſcentibus multò certiùs, ſi in horum geneſi tales Planetæ ad malum determinentur à pravis domibus. Nec ſtatus ille tantum intelligitur de ſigno, ſed etiam de connexione cum Planetis aliis. Nam ipſe quoque ♄ in propria domo, vel exaltatione fortis, cum ad malum ex ſua natura magis propendeat quàm ad bonum, ſi fuerit in duodecima, vel octava læſus □, vel ☍ ♂, etiam pravè determinati; tunc ad mala inferenda ſit potentiſſimus.

Tandem naturâ maleficus mediocriter affectus in malis domibus, mala non aufert, ſed potiùs confert, minora tamen quam pravè affectus.

Atque hæc de Planetis ſingulis ſecundum naturam propriam ſtatumque cœleſtem ſpectatis, prout eorum quilibet ſitu corporeo verſetur in aliqua figuræ domo. Sed notandum, quod cujuſlibet domus duplex eſt ſignificatum: unum eſſentiale quod ipſi per ſe convenit, ut divitiæ domui ſecundæ, alterum accidentale, quod illi competit ratione domus oppoſitæ, ſicque mors eſt accidentale ſignificatum ſecundæ: ſimiliter eſſentiale ſextæ domus eſt ſervi & animalia, accidentale verò morbi, carceres, hoſtes occulti, atque ſic de reliquis. Jam verò beneficus Planeta benè affectus in malis domibus, harum per ſe minuit eſſentiale malum, bonum autem accidentale promovet; ſicque ♃ benè affectus in octava mitem mortem ratione octavæ, & divitias ra-

tione ſecundæ cui oppoſitus eſt præſagit. Maleficus autem Planeta utcunque ſit affectus, oppoſitione ſuâ portendit ſemper mala, vel impedimenta.

Ex ſupra dictis ergo colligitur, quod mala ſemper cauſantur, vel à malefica Planetæ natura, vel ab ejus infauſto ſtatu cœleſti, quo proprius ejus influxus, aut debilitatur, aut depravatur, aut nimium intenditur, dum influxus ipſe natura ſua maleficus eſt. Bona verò cauſantur à benefica Planetæ natura, vel ejus fauſto ſtatu cœleſti. Ac proinde beneficum Planetam benè affectum, eſſe efficaciſſimum ad bonum conferendum & malum auferendum, aut minuendum, hocque facile præſtare. Maleficum autem malè affectum, ad contraria eſſe quoque potentiſſimum: mala ſiquidem affectio, Planetis quandam malignitatem conciliat, qua maleficorum natura atque virtus deterior efficitur, & beneficorum depravatur. Proindeque Planeta beneficus naturâ & benè affectus ſtatu cœleſti in bonis domibus, harum bona conferet affluenter & facilè: in malis verò liberabit ab horum ſignificatis, vel ea ſuaviter minuet, vel ex ipſis ſperandum bonum afferet, ut ex morbo ſanitatem, ex carceribus libertatem, ex inimicis victoriam, vel mortem ipſam violentiâ & ferocitate vacuam, cùm hæc ob Adami peccatum evitari nequeat. Econtra vero naturâ maleficus benè affectus in bonis domibus harum bona promovebit, ac fortiter; ſi præſertim fœlicibus beneficiorum radiis illuſtretur: in malis verò etiam eripiet à malis, vel ea minuet, præſertim beneficorum fœlicibus radiis adjutus; alioquin ſi tantùm eſſet in proprio domicilio, vel exaltatione, fieret inde ad malum quàm par ſit potentior, ob ſic adauctam, vel roboratam naturam ejus maleficam. Ratio autem ſupradictorum iſta eſt; quòd nempe efficaciſſima Planetarum determinatio eſt quando malefici determinantur ad malum, & benefici ad bonum. In contraria verò determinatione malefici nihil boni conferunt, vel cum periculo, aut difficultate, aut imperfectione: benefici verò exigua mala, vel ſi magna, ab his tandem eripiunt. Ac omnis Planeta benè affectus ſtatu cœleſti cenſetur beneficus præſertim in bonis domibus, magis autem ſi ſit naturâ beneficus. Pravè autem affectus, eſt maleficus, præſertim in malis domibus, m gis autem ſi ſit naturâ maleficus. Non enim à Planeta ex ſe benefico, vel benè affecto, bonum & malum æquè fiunt, alioquin fruſtra diceretur natura, vel ſtatu beneficus. Nec ſimiliter à Planeta ex ſe, vel ſtatu cœleſti malefico bonum & malum æque fiunt, alioquin perperam diceretur naturâ, vel ſtatu cœleſti maleficus. Sed naturâ, vel ſtatu cœleſti benefici, benefaciunt conferendo bonum in bonis domibus, & auferendo malum in malis; naturâ autem, vel ſtatu malefici, malefaciunt conferendo malum in pravis domibus, & auferendo bonum in bonis. Alioquin ſi Planeta ex propria natura, vel eodem ſtatu cœleſti bona conferret in bonis domibus, & mala in malis: nulla ratione dici poſſet ex ſua natura potiùs beneficus quàm maleficus; vel potiùs benè quam malè affectus. Cauſatur autem bonum, non ſolum realis boni exhibitione, ſed etiam ablatione mali, ipſumque malum cauſatur etiam ablatione boni: nõn ſecus ac aufertur bonum cauſatione mali, & malum cauſatione boni.

His igitur intellectis de Planeta in aliqua domo verſante, vel per ſitum corporeum determinato, jam inſpiciendæ ſunt ejus aliæ in figura determinationes. Ac primo Planeta quilibet præter determinationem per ſitum corporeum, poteſt ſimul etiam determinari per dominium: ſique ambæ determinationes fuerint reſpectu domus ejuſdem; ipſe Planeta ad illius domus ſignificata efficaciſſimè determinatus erit: ad ea quidem inſigniter & facilè cauſanda ſi bona ſitu, temperanda verò, vel avertenda ſi mala fuerint. At ſi ambæ determinationes ſint reſpectu diverſarum domorum, ut nempe Planeta ſit in una domo, & alteri dominetur; tunc utriuſque domus ſignificata combinantur, magis tamen propendentia ad ſignificatum domus, quam Planeta ipſe occupat, quia nimirum plus poteſt præſentia Planetæ, quàm abſentis dominium. Quamobrem ſi Planeta benè affectus ſit in ſecunda, & dominetur ſeptimæ, ex conjugio, litibus, aut bellis accident nato divitiæ: ſi fuerit dominus decimæ, contingent ex profaſſione, dignitatibus, & actionibus. Si verò è contrà Planeta malè affectus fuerit in ſecunda, & dominetur ſeptimæ, vel decimæ; accidit contrarium, hoc eſt, ærumnæ ex conjugio, vel litibus & bellis, vel ex actionibus & profeſſione. Non debet tamen Planeta habere dominio determinationem contrariam ei, quam habet ratione ſitus corporei, ut ſi ♂ in prima, ſit dominus octavæ, peſſimum erit pro vita, aut morte, nam vel mors violenta, vel hujus pericula portendentur: eademque eſt ratio de cæteris.

Secundo, Planeta ſitu corporeo determinatus, poteſt iterum determinari ab altero Planeta ſecundum naturam & analogiam propriam ſpectato: idque per conjunctionem, vel aſpectum. Atque ſic Planeta beneficus in decima, cum ☉, vel in △ ☉, honores potentiùs ſignificat, ob ☉ analogiam cum honoribus. In ſecunda & △ ♃, divitias inſignes. Maleficus autem in octava cum ♂, vel in ejus □, vel ☍, mortem violentam, aut crudelem. In duodecima & □ ♄, carceres morboſque malignos: atque ſic de reliquis. Et hoc valde notandum pro certiore & majore effectu, à quovis Planeta determinato.

Tertio, determinari poteſt ab altero Planeta, prout hic ſitu corporeo, vel dominio determinatus eſt, quo pacto Planeta in prima, ſi fuerit junctus domino decimæ, vel in ejus forti aſpectu, aut Planetæ exiſtentis in decima; ille propenſiones nato conferet ad inſignia facinora, & fœlices præſagit actiones, indeque honores & dignitates. Si fuerit junctus domino octavæ, vel in ejus □, aut ☍, vitæ protendit pericula ad mortem violentam. Eademque eſt ratio in cæteris, dum præſertim domorum ſignificata combinari queunt. Atque in his latent præcipua judiciorum arcana: patet verò quantum interſit definire, quæ ſit vera methodus conſtruendæ figuræ cœleſtis, ob determinationes Planetarum à domibus primariis, corporeo ſitu atque dominio. Sed de unico Planeta in aliqua figuræ domo, hæc generaliter hic ſufficiant, quid enim ſinguli in ſingulis figuræ domibus ſpecialiter efficiant, fortaſſis proprio loco fuſius

expo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

exponetur: quæ autem de unico Planeta exiſtente in aliqua figuræ domo dicta ſunt, etiam de ipſius domus domino dictum intelligatur, cum hac tamen differentia, quod efficacior ſit præſentia Planetæ in aliqua figuræ domo, quam abſentis dominium.

Caput III.

De pluribus Planetis in aliqua figuræ domo.

SI plures Planetæ in eadem fuerint domo, hujus ſignificata eſſentialia reguntur conjunctim ab omnibus illis Planetis, & ſinguli conſiderandi ſunt juxta naturam propriam ſtatumque cœleſtem, & determinationes alias, quàm per ſitum corporeum, ut de unico Planeta factum eſt cap. 2. Ac ſaltem ex illa ſpeculatione detegetur, quis ipſorum Planetarum ſit potentior, ad danda, neganda, auferenda, vel infortunanda ſignificata ſuperius dicta: tum an, quantum, & quomodo ab aliis juvetur, vel impediatur, quidque ſinguli circa eadem ſignificata ſimiliter ſint effecturi. Tandemque fiet inde judicium de concurrentium influentiarum miſcella, quanta fieri poterit prudentia, ſed non abſque difficultate, quæ eò major erit quò plures Planetæ fuerint in eadem domo, præſertim benefici & malefici invicem commixti. Nam ubi omnes ſunt malefici, vel omnes benefici, facilius eſt judicium. De his verò notentur ſequentia.

Primum. Pluribus Planetis, ut 3. 4. 5. in eadem domo verſantibus, hæc primâ fronte pro cæteris notandam ſe exhibet. Aliquid enim inſignis præſagit circa ſua ſignificata eſſentialia: & quò plures Planetæ in illa fuerint, eò quid illuſtrius in bono, vel malo præſagiunt. Patet in me qui habui ♀ ☉ ♃ ♄ & ☽ in duodecima domo: & morbis etiam malignis ac difficilibus pluries correptus ſum, pluries incidi in carceris cauſas, quas ſtulta juventus etiam honorabiles cenſet, plusquam decies incidi in violentæ mortis inſignia, pericula, ſexdecies ſervitutem ſubii, quæ eſt incarcerationi, vel captivitati haud parum affinis, pluresque habui inimicos occultos ob invidiam, tum alios Magnates me inique tractantes, inter quos fuit Cardinalis Richelius. Atque hæc omnia cauſavit ♄ in duodecima malis ipſis analogus, ſemper autem evaſi ob ♃ & ♀ benè affectos, quamvis ex violentæ mortis periculis ingenuè fatear me plus quam quinquies Divinâ duntaxat bonitate & miſericordiâ ereptum fuiſſe, ac ſemel prorſus miraculosè dum ſuper equo verſarer in ſupremo lethalis præcipitii & ſubmerſionis periculo: pro quibus collaudent Dominum omnes Sancti ejus, ac ego cum ipſis in æternum, Amen.

Patet etiam in Geneſi Illuſtriſſimi D. Ludovici Tronſoni, qui ☽ ♃ ♀ & ☿ habuit in decima ſub dominio ☉ in undecima. Et pluribus dignitabus à Rege Ludovico XIII. ob egregia ipſius facinora fidelemque dignitatum profeſſionem honeſtatus eſt. Patet iterum in Geneſi Henrici Deſſiat, qui habuit ☉ ♃ & ♂ in 8, & diem extremum inſigni morte, quippe violenta ob ♂, judiciaria ob ♃, & publica ob ☉ terminavit: paſſimque patet in aliis quamplurimis genituris.

Secundum. Pluribus Planetis in eadem figuræ domo conſtitutis; quilibet agit juxta naturam propriam & ſuas determinationes, tam ſeorſim quam ut aliis junctus.

Tertium. Ex pluribus Planetis in eadem domo, ſi quiſpiam fuerit illius domus ſignificatis analogus, vel aliorum dominus, vel unus analogus, alter verò dominus: ipſi præ cæteris erunt attendendi, ut cæteris efficaciores ad ipſius domus bonum, vel malum conferendum, aut illud auferendum. Sic in mea Geneſi ♃ & ♄ erant præ cæteris attendendi: ♂ autem in Geneſi Henrici Deſſiat, quatenus morti violentæ analogus & aliorum dominus.

Quartum. Conſiderandus eſt etiam cuſpidi domus propinquior, is enim in ipſa domo eſt valde potens, ob cuſpidis robur ex cap. 14. & 15. lib. 18. Atque præcipua ſignificatio petenda eſt, vel à domino domus, aut exaltato in ipſa, vel ab analogo, vel à propinquiore cuſpide. Sique hæc omnia eidem Planetæ convenerint, is erit abſolutè potentiſſimus ſuper ipſius domus ſignificata.

Quintum. Pluribus Planetis in eadem domo verſantibus, quorum alii ſint domus ſignificato analogi, alii vero contra (ut ſi ☉ & ♄ ſint ſimul in decima, quorum ☉ eſt honoribus analogus, ♄ autem per ſe contrarius) videndum erit uter eorum ſit fortior ad bonum, aut malum ipſius domus conferendum, vel auferendum, aut impediendum, juxta doctrinam capitis ſecundi, ſemper enim fortior vincet in effectu debiliorem, cujus tamen in bona, vel mala temperando, erit habenda ratio, ut ſi ♄ ſit in ♋ & ☉ in ♌, aderunt honores ob analogiam & fortitudinem ☉, ſed non deerunt in illis infortunia ob ♄ honoribus contrarium pravéque affectum. Si fuerint ſimul peregrini, ut in ♏ nulli inde ſignificantur honores, quantum enim ☉ illos ſignificat, tantundem ♄ illis adverſatur. Etſi aliunde acciderint, ut à △ ♃ ad ☉, erunt tamen infortunia in honoribus à ♄ exſpectanda. Si autem ambo fuerint in ♎ ubi ☉ dejicitur, & ♄ exaltatur: contingent honores ob ♄ exaltatum, quibus ☉ analogiâ magis favet, quam dejectione contrarietur. Similique judicio atque prudentiâ ratiocinandum eſt in cæteris.

Sextum. Frequenter accidit, ut in eadem domo reperiantur duo benefici, vel duo malefici, vel beneficus cum malefico. Dúo benefici ſemper bonum ſignificant, ſive bona conferendo, ſive à malis liberando: eoque efficaciùs, quo ſtatu cœleſti melius affecti fuerint. Duo autem malefici ſemper malum ſignificant, ſive mala conferendo, ſive bona negando, vel impediendo, aut depravando, niſi ambo malefici fuerint fortes in bonis domibus, ut ♄ & ♂ in ♑ & ſecunda domo pro divitiis D. De Chavignii, vel ♂ in ♑ & ♄ in ♒ in ſeptima pro conjugiis Principis Gaſtonis. Sed bonum à maleficis cauſatum, nunquam malo impermixtum eſt. Ideoque in divitiis rapinam, aut avaritiam: in conjugiis conjugum mortem, aut inſignia impedimenta concitabunt, quamvis ipſius domus ſignificatum etiam potenter conferant. De benefico autem Planeta cum malefico in eadem domo, vide quod ſequitur.

Septi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Septimum. Si in bonis domibus, Planetæ benefico ſucceſſerit alius beneficus, bonum valde eſt; eruntque bona ſtabilia. Sin maleficus, malum: bona enim in aliquod malum deſinent, vel impedientur. At in pravis domibus, ſi beneficus benefico ſuccedat, mala non accident, vel erunt mitiſſima. Si benefico ſuccedat maleficus, certò mala contingent de ratione domus. Si beneficus malefico, accident etiam mala, ſed inde liberabitur natus. Si tandem maleficus malefico, mala erunt graviſſima, nec liberabitur. Sed nota quod hic per beneficum, aut maleficum, intelligimus talem, vel natura, vel ſtatu cœleſti, vel determinatione. Atque idcirco beneficus in decima applicans corpore ♄ exaltato, certius honores ſignificat: & Planeta in duodecima applicans domino octavæ, certius morbum cum vitæ periculo portendit.

Octavum. Pluribus Planetis in eadem domo exiſtentibus & horum domino extra; conſiderandum eſt qua in figuræ domo ipſe ſit. Ex hujus enim domus ſignificatis prodibit origo boni, vel mali. Sic in Geneſi D. Tronſoni Sol dominus ☽ ♃ & ♉ in decima, cùm eſſet in undecima præſagivit dignitates amicis mediantibus, iiſque Aulicis, vel Magnatibus.

Nonum. Duo Planetæ in eadem domo poſſunt inter ſe novem modis præcipuis combinari. Nam uterque tripliciter ſpectandus eſt, nempe ratione naturæ, ſtatus cœleſtis, & determinationis in figura: quælibet autem ratio unius Planetæ, poteſt cum triplici alterius Planetæ ratione combinari: ter vero tres ſunt novem. Indeque prodit Aſtrologiæ prædictivæ difficultas.

Caput IV.

De domino unius domus in altera figuræ domo. Ac primò an ſemper combinet ambarum domorum ſignificata.

IAm hic nobis occurrit aggredienda, diſcutienda, elucidandaque materia totius judiciariæ frequentiſſima, & præ cæteris hactenus ignota.

Pro cujus intelligentia notandum primò: Planetam non agere ſine ſigno in quo verſatur, & dependenter ab ipſo, quatenus eſt tale ſignum, ut jam diximus Lib. 20. Sect. 3. cap. 5. Nam agit dependenter ab ipſo, ut eſt pars primi Cœli, vel primæ cauſæ Phyſicæ: ſed hæc pars ab initio Mundi determinata fuit ad aliquam naturam Planetariam, ex Lib. 13. cap. 2. ergo Planeta agit dependenter ab illa parte, ut eſt tale ſignum: idque dependentia ſocietatis, ut jam ſæpius alibi explicatum eſt. Hoc autem confirmatur in hominis geneſi: nam Planeta quilibet determinat verum ſuum locum in Cœlo ad naturam ſuam, prout verſatur in tali, vel tali ſigno, cujus ratione Planeta dicitur benè, vel malè affectus, ejuſque locus ita determinatus, talem tota nati durante vita retinet affectionem ipſius nati reſpectu, veluti locus ☉ in ♒, retinet naturam ☉ pravè affecti. Idque convincunt directores ſignificatorum ad ipſa loca, tum Planetarum tranſitus per eadem: agunt enim Planetæ tranſeuntes, juxta naturas & affectiones ipſorum locorum occurrentium, ut quotidiana probat experientia.

Secundò. Signum in agendo ſemper dependere à natura & virtute formali ſui domini. Nam ab eo dependet eſſentialiter, quatenus eſt tale ſignum: ſique de Mundo tolleretur dominus ſigni cujuſlibet, tale ſignum non ampliùs ageret, ut tale ſignum, ſed tantum, ut pars prima Cœli per ſimplicem & univerſaliſſimam ipſius Cœli virtutem. Quamobrem Planeta rectè dicitur ſuo ſigno dominari, vel præeſſe, tum figuræ domui in quam cadit ſignum ipſum, hoc eſt, ipſius domus ſignificatis eſſentialibus, quæ in fieri ac eſſe dependent ab ipſo domino, ut ab efficiente cauſa. Minùs verò propriè dicitur dominari Planetæ alteri, in ipſo ſigno exiſtenti: quod nempe ſublato Marte de Mundo, Jupiter nihilominus in illa parte Cœli conſtitutus quæ dicitur Aries, non ceſſaret agere natura ſua Joviali, etſi enim ♈ & ♃ ſuas vires commiſceant, tamen quilibet ſeorſim agit penes naturam propriam, ♈ Martialiter, & ♃ Jovialiter: unde ſublato ♂ de Mundo ceſſaret tantùm in ♈ virtus Martialis, non autem in ♃ Jovialis.

Jam verò quoniam Planeta agit non ſolùm ratione propriæ naturæ, ſed etiam ſui ſtatus cœleſtis, qui ſubinde variatur ſigno & connexione cum Planetis cæteris: ergo ſignum in agendo dependet à ſuo domino, tum ratione naturæ, tum prout verſatur in tali ſtatu. Atque hoc etiam probat experientia, quod nempe domino Horoſcopi exule, & in ☌, □, vel ☍, malefici Planetæ, hoc ſit Horoſcopi ſignificatis eſſentialibus peſſimum.

Inde verò ſequitur, quod quia Planeta non agit niſi dependenter, à ſigno in quo verſatur; ſignum verò dependenter à natura & ſtatu ſui domini: idcirco Planeta in alieno ſigno aget etiam dependenter à natura & ſtatu ſui domini: & hoc eſt valde notandum. Siquidem inde fit, ut judicando de ſignificatis Horoſcopi, quæ ſunt vita, mores, ingenium, &c. non ſolùm ſit habenda ratio domini Horoſcopi: ſed etiam ſi hic fuerit in alieno ſigno, erit inſuper habenda ratio domini hujus ſigni, quem ſecundarium Horoſcopi dominum voco, & à quo plerumque dependet præcipua virtus ad effectum, & pars judicii potiſſima, ut in pluribus deprehendi genituris: atque ſic de domino medii Cœli, Solis, &c. Nunquam tamen animadverti virtutis efficaciam extendi ſenſibiliter ad dominum ipſius ſecundarii domini, ne fortè quiſpiam circulum hic nobis obtrudat, ut enim lux quo pluries inflectitur, eo magis debilitatur, ſic de hiſce dominiis cenſendum eſt.

Porrò, ut Planeta conſideratur agens dupliciter, nempe indeterminatè ac univerſaliter totius Mundi reſpectu, nec non particulariter, prout in Themate cœleſti reſpectu naſcentis hominis determinatur: Ita ſignum in actione univerſali ſpectatur, ut dependens à ſolo ſtatu cœleſti ſui domini; atque in actione particulari circa naſcentem hominem, ſpectatur etiam, ut dependens ab ipſius domini ſtatu terreſtri, ſeu determinatione in figura ſupradicta. Atque idcirco ☉ dominus Horoſcopi in duodecima domo, natum ad honores elevat, in octava objicit eundem mortis publicæ periculis, præſertim ſi ibidem lædatur à ♄, vel ♂.

Tertiò. Planetam efficaciùs agere, vel ſignificare circa ea ad quæ determinatur corpore, in figura, quàm circa ea ad quæ tantùm determinatur dominio: quod vulgo dici ſolet, plus valet præſentia Planetæ, quàm abſentis dominium. Sit enim

♑ in

♑ in duodecima domo ſignificans morbos Saturninos, & ♄ in decima. Habet quidem ♑ à ♄ natura ad quam initio Mundi ♑ ipſe determinatus eſt, quod aliquid Saturninum efficiat. At quod morbos, id non habet à ♄, ſed à ſuo ſitu in duodecima, quæ cùm ſit morborum, idcirco ad morbos determinat particulariter ſignum ipſum Saturninum: ſicque ♑ in duodecima morbos efficit Saturninos. Vis autem illos efficiens, non ineſt ♑ formaliter; ſed Saturno domino, à quo ♑ in agendo dependet, ut alibi dictum eſt: ergo magis ineſt ipſi ♄ domino quàm ♑, quod ſi ♄ in decima majorem vim habet circa ſignificata duodecimæ, quàm ♑ in duodecima: ergo in ipſa decima multò majorem habebit vim circa ſignificata decimæ, quàm duodecimæ: nam in decima agit per ſe, & in duodecima per aliud, nempe per ♑. Plus igitur valet præſentia Planetæ quàm abſentis dominium, ſive id intelligatur de eadem domo, ut de ♄ in duodecima, vel tantùm domino duodecimæ extra ipſam, ſive de diverſis; ut de ♄ domino duodecimæ in decima. Eademque ratione dominus primæ in nona cum domino ſeptimæ, potius inclinat ad religionem quàm matrimonium, bella &c: econtra verò dominus primæ in ſeptima cum domino nonæ, potius ad matrimonium, lites, bellaque incitat, quàm ad Religionem.

Eſt tamen prima domus excipienda, cujus ſignificata eſſentialia, nempe vita, temperamentum, &c. ſunt omnium prima & reliquorum accidentium fundamenta, quæ neceſſario ponenda ſunt, ut reliqua ſint. Ideoque ſolo etiam dominio efficacius certiuſque cauſantur & ſignificantur, quàm reliqua ſitu corporeo, adjuncto etiam dominio. Attamen dominus primæ in altera domo, determinat vitam, mores, ingenium, circa ſignificata domus in qua ipſe eſt: eóque validiùs ſi etiam huic domui præſit. Quod vero ad alias attinet, dominus duodecimæ in undecima efficaciùs amicos quàm inimicos occultos ſignificat, & quod inimici occulti fient amici, quam contra: eademque eſt ratio in cæteris.

Objiciet aliquis. Medium Cœli efficacius eſſe pro actionibus & dignitatibus, vel profeſſione, quàm dominum medii Cœli, etiam in decima domo poſiti, ut conſtat ex utriuſque directionibus. Unde pro ſignificatis decimæ directiones medii Cœli duntaxat attenduntur à Ptolemæo ejuſque ſequacibus: ergo ſignum eſt efficacius ſuo domino, ſive abſente, ſive præſente.

Reſpondeo: Medium Cœli non habere illam majorem efficaciam, ex eo quod ſit tale ſignum, vel hujus talis gradus: ſed ex eo duntaxat quod talis gradus decimæ domus cuſpidem occupet, quæ eſt punctum ipſius domus efficaciſſimum, à quocunque gradu, vel ſigno occupetur, ut diximus Lib. 18. cap. 15. ſique Planeta illam occuparet, adhuc efficaciùs ageret quam ſimplex ille gradus: præſertim ſi Planeta eſſet in ſuo ſigno, nam in alieno propter diverſarum virtutum miſcellam forſan debilius ageret juxta naturam propriam, quam per ſuum ſignum ſolitarium.

His præmiſſis jam dicendum eſt, quod domini domorum in ipſis domibus, harum ſignificata inſigniter conferunt, ſi bonæ ſint, ipſique domini ſignificatis præſertim Analogi. Planeta enim in proprio ſigno eſt agendi virtute indiviſus, ſibi unitus, & in ſuis promovendis effectibus, ab alio independens, ideoque fortiſſimus & ſemper ex ſe beneficus. Si verò domus malæ fuerint, ut 8 & 12, ut plurimum à malis ſignificatis liberant, vel ea temperant. Atque hoc etiam plerumque faciunt ♄ & ♂ niſi aliunde infortunentur, connexione cum maleficis, naturâ, vel determinatione, aut ☌, □, vel ☍ luminarium, vel ipſi lædant Horoſcopi, vel medii Cœli dominos.

At Planeta dominus unius domus in altera collocatus, præterquam quod agit circa ſignificata eſſentialia domus cui dominatur, non ſecus ac ſi eſſet in ipſa domo, quamvis debilius; præſagit inſuper combinationem ſignificatorum eſſentialium utriuſque domus, ab illo cauſandam, ſecundum poſſibiles combinationes ambabus domibus ipſique domino, juxta naturam ſuam & Analogiam ſtatumque cœleſtem ſpectato congruentiores. Et ratio eſt, quia ſignum domus cui Planeta dominatur, agit circa ſignificata ipſius domus, dependenter à ſuo domino, ſecundum naturam ſuam ſtatumque cœleſtem ac terreſtrem ſpectato, ut jam ſæpius dictum eſt. Per ſtatum verò terreſtrem, intelligi determinationes ejus in figura cœleſti, antea diximus.

Videtur autem imprimis definiendum eſſe: an Planeta in aliqua figuræ domo poſitus, alterius vero dominus, ſemper combinet ambarum domorum ſignificata eſſentialia: ita ut nihil efficiat ratione ſitus corporei, independenter à ratione ſui dominii, aut contra: id ſi quidem in judiciis momenti eſt maximi.

Hoc autem non eſſe aſſerendum, probatur primò. Nam omnis Planeta ex ſe ſuaque virtute formali activus eſt, independenter à ſigno cui dominatur, à quo nempe formalem vim agendi non accipit, ſed econtra ſignum ipſum à Planeta domino: ergo Planeta poteſt agere determinatione corporis, non agendo determinatione dominii. Et confirmatur ex eo, quod ♄ in duodecima ſemper efficit morbos, carceres aut inimicos. Id verò non habet ex ſe formaliter, quamvis ſit illis Analogus: nam ex ſe eſt indifferens ad vitam, morbos, ſanitatem, divitias, &c: neque id habet à ſuis ſignis ♒ & ♑, vel à figuræ domibus, in quibus ſigna ipſa verſantur: etenim in quacunque domo ipſa fuerint, tamen ♄ in duodecima morbos efficiet: ſupereſt ergo, ut hoc habeat à ſua determinatione per corpus in duodecima, quæ morborum eſt. Ideoque Planeta aliquid efficit corporeo ſitu in figura independenter à dominio in aliis figuræ domibus.

Secundò. Planeta extra proprium ſignum, aliud efficit ratione domus figuræ in qua verſatur, & aliud ratione ſui dominii in altera domo. Theor. 28. Elem. At hi duo effectus non habent neceſſariam ſubordinationem reciprocam, ita ut unus neceſſario involvat alterum, ſunt enim accidentia ſpecie diverſa realiterque diſtincta: ergo, &c.

Tertiò. Si Planeta non poſſet agere corpore, quin ſimul ageret dominio, ergo quoniam ♄ ♃ ♂ ♀ & ☿ dominantur ſinguli duobus ſignis, & par eſt utriuſque ratio: ſequeretur in omni actione particulari horum Planetarum extra propri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

pria ſigna poſitorum, perpetuò concurrere combinationes ſignificatorum eſſentialium 3, 4, aut 5 domorum figuræ, in quibus tam Planeta dominus, quam ejus duo ſigna reperientur. At illud abſurdum eſt & experientiæ contrarium, ut in mea geneſi ♄ eſt mihi morborum ſignificator. Cumque per directiones Soli occurrens circa annum à mea geneſi 8, cauſavit mihi febrem quartanam, aut quando ex directione Horoſcopi ad □ ♄ anno 1616 incidi in longum malignumque morbum: omnino falſum eſt quod ſignificata domorum 9, 10, 11, quibus dominatur ♄, nempe religio, itinera, profeſſio ad tales morbos concurrerint, vel cum ipſis combinationem fecerint.

Similiter in geneſi illuſtriſſimi D. Tronſoni, ♃ fuit in decima, honores præſagiens, & dominus ſecundæ, tertiæ & quintæ: falſum autem eſt quod honores illi acciderint per combinationes divitiarum, fratrum, vel affinium, ac liberorum: ſolo namque ſuo merito dignitates adeptus eſt, ob ſuis conſiliis & artibus à Ludovico XIII. & Domino de Luynes poſtea Conneſtabili liberatam Galliam à tyrannica poteſtate Conchini Marchionis d'Ancre; tunc carens fratribus & liberis, nihilque affinibus conferentibus, aut ſcientibus. Rurſus eidem D. Tronſono ætatis ſuæ anno 18, contingit accidens inſigne valdeque rarum. Pariſienſes conjurati adverſus Henricum Borbonium Navarræ Galliæque Regem ſibi eligunt Patrem ipſius D. Tronſoni (qui fuit Regi à libellis ſupplicibus) in Procancellarium. Ille vero Regis ſervus fidelis, ſed occultus, ſacrum Sigillum accipere noluit. Urgentibus verò Pariſienſibus ac petentibus, ut ſaltem ejus filius Ludovicus Sigillum acciperet, illudque diebus ſigillando deſtinatis deferret in Conſilium, & eo præſente ſigillum litteris hoc indigentibus apponeretur: annuit ipſe Pater periculi metu à conjuratis ſi ſuum tunc proderet animum erga Regem: ſicque D. ipſe Tronſonus anno ſuæ ætatis 18. ſpatio 6. menſium Procancellarii vice functus eſt. Fuit autem ille honos à directione medii Cœli ad ☽ dominam ipſius M.C. quæ huic omnium prima ex Planetis in decima occurrebat. Nihil conferentibus nati religione, vel itineribus, etſi Luna eſſet etiam domina nonæ. Ipſaque ☽ directione venerat ad ♀ dominam Horoſcopi, ferebaturque ad ☿ dominum ☉. Idemque paſſim videri poteſt in aliis geniturarum accidentibus.

Itaque concludendum eſt, Planetam in aliqua figuræ domo, alterius dominum, non ſemper combinare ambarum domorum ſignificata: ſed aliquando agere ratione ſui ſitus corporei, aliquando ratione unius dominii, & aliquando ratione alterius, ſi pluribus ſignis & domibus præfuerit, ut patet ex directionibus Horoſcopi ad ♂ dominum duodecimæ in prima pro morbis, vel ad dominum medii Cœli pro actionibus, vel honoribus. Aliquando verò combinare ſuos effectus ratione propriæ naturæ & ſitus corporei cum ſignificatis unius, aut alterius determinationis per dominium, non autem ſemper cum omnibus ſimul, juxta poſſibiles ipſorum ſignificatorum combinationes, ipſiuſque Planetæ ſtatum. Attamen certò ſignificari combinationem ſignificatorum à ſitu corporeo, cum ſignificatis, à dominio, quandoque futuram, ſi ſaltem combinatio fuerit poſſibilis. Accidit autem interdum, ut Planeta dominus unius domus in altera, principaliter quidem agat ratione ſitus corporei, ac per conſequentiam combinet ſignificata ſitus corporei, cum ſignificatis ratione dominii, ut in geneſi D. Tronſoni ♂ fuit dominus ſecundæ in tertia: ergo principaliter ſignificator circa fratres: at illis ex natura ſua mortem ſignificavit, præſertim cum ♄ in tertia domino quartæ: ergo ab ambobus maleficis in tertia, mortem fratribus nati minitantibus, quorum alter fuit dominus ſecundæ, alter vero quartæ, ſucceſſiones & divitiæ nato ex morte fratrum & ſororum ſignificabantur fortiter, ideoque ex decimo tertio natu poſtremus, cæterorum ſucceſſor ſuperfuit.

Viceverſa ſignum in aliqua figuræ domo abſente domino, agit quidem ſemper ratione naturæ ſui domini ejuſque ſtatus cœleſtis: at non ſemper ratione ſtatus ejus terreſtris, vel determinationis in figura. Alioquin domino medii Cœli in octava collocato, nati actiones & ſuſcepta ſingula cum morte, vel periculo mortis combinarentur: in 12. 7. vel 4. cum ſignificatis duodecimæ, ſeptimæ, vel quartæ, quod experientiæ adverſatur: tum rationi, quod domorum ſignificata ſpecie ac realiter differant, ut ſuperiùs dictum eſt. Tantum ergo prædici poteſt combinatio quandoque futura, non autem perpetua, vel in omnibus.

Caput V.

Quomodo Planeta dominus unius domus in altera, combinet utriuſque domus ſignificata.

POſtquam ſuperiori capite dictum eſt, Planetam unius domus dominum in altera, præſagire ſaltem quandoque futuram combinationem ſignificatorum utriuſque domus. Hic jam dicendum eſt quomodo talis fiat combinatio: qua in re conſiſtit præcipua judiciariæ prudentia: & circa quam occurrunt conſideranda multa, quorum ſaltem principalia hic attingemus.

Primum. Cujuſque domus plura eſſe ſpecie ſignificata, ut primæ vita, ſanitas, temperamentum, mores, ingenium: duodecimæ, morbi, carceres, inimici occulti, amicitiæ ſpecimen falſum exhibentes, ſicque illudentes clamque nocentes: ſeptimæ conjugium, lites, contractus: decimæ actiones, ſuſcepta, dignitates: atque ſic de reliquis, ut alibi fuit à nobis expoſitum: & unamquamque domum eſſe ſignificationis ejuſdem cum ſibi oppoſita, ipſius oppoſitionis ratione, ideoque tantum per accidens: unde experientia conſtat, Martem in duodecima minari mortem, & ♃ in octava præſagire divitias: ♄ in ſexta portendere morbos, vel carceres, ♀ autem in duodecima fortunam in ſervis & animalibus, atque ſic de reliquis. At de domorum dominis non ita ſentiendum eſt. Nam dominus quartæ non influit in ſignificata decimæ, niſi fuerit in quarta, vel præfuerit domino decimæ, vel fortiter connexus ſit decimæ domui, vel ejus domino.

mino. Eademque eſt ratio de reliquis domibus oppoſitis. Et Planeta fortis ſtatu cœleſti fortiter ſignificat domui ſibi oppoſitæ : debilis debiliter. Semper autem ſua oppoſitione contrarietates, vel oppoſitiones ſignificat pro bonis ad domum oppoſitam pertinentibus, ejus verò mala auget.

Quod vero ſpectat ad ejuſdem triplicitatis domos, hæ ſunt etiam notandæ : nam Planeta in prima domo influit in ſignificata nonæ & quintæ, multoque magis ſi præſit nonæ, vel quintæ, atque ſic de cæteris.

Secundum. Prudenter eſſe conjiciendum quænam ſignificatorum eſſentialium ad diverſas domos pertinentium, combinationes ſunt poſſibiles. Nam ex domino quartæ in quinta non erit dicendum, Patrem nati fore ejus filium, hoc enim eſt impoſſibile : ſed ſi dixerimus Patrem nati, hujus filiis benefacturum, aut ſucceſſionem paternam ad nati filios deventuram, & his ſimilia, vel contraria, hæ combinationes ſunt poſſibiles, ac prædici poſſunt ex natura & ſtatu Planetæ domini quartæ domus : ſimiliter dominus ſextæ in ſeptima, poteſt ſervus, vel ancilla fieri conjux, vel nato lites ſtruere : dominus ſeptimæ in octava, poteſt nati conjux, vel hoſtis, ipſi nato mortem inferre, atque ſic de aliis.

Tertium. Inſigni ſagacitate definiendum eſſe, quænam ex his poſſibilibus combinationibus ſignificatorum, ſint naturæ & ſtatui Planetæ, tum ipſius nati conditioni congruentiores. Alia enim congruunt Principi, vel nobili, alia mercatori, vel ruſtico, alia viro ſeculari, alia eccleſiaſtico, alia viro, alia mulieri, alia puero, alia juveni, alia ſeni, atque ſic de reliquis : ſolæ autem congruæ accidere conſueverunt.

Quartum. Omnium domorum ſignificata eſſe nati accidentia, & Planetas determinari ab ipſis domibus ad agendum ſuo ſitu corporeo, dominio, & utroque. Ac proinde quando unius domus dominus, eſt in altera : hoc eſt, Planeta unius accidentis ſignificator dominio, eſt alterius ſignificator corpore, inde fit, ut bina hæc accidentia, tam ſeorſim, quàm invicem combinata, ſignificentur futura : ideòque alias unum, alias alterum, alias autem ambo commixta eveniant. Veluti ſi Planeta dominus Horoſcopi ſit in ſexta & naturâ ſtatuque cœleſti beneficus ; is prout eſt in ſexta præſagit bona circa ſervos ac beſtias nati, ſi fuerit naturâ ſtatuque cœleſti maleficus, portendit contraria. Prout vero eſt dominus Horoſcopi, ſignificat temperamentum, mores ac ingenium nati, ipſius Planetæ naturæ ſtatuique congrua. Prout vero eſt dominus Horoſcopi in ſexta ipſius nati (quem ſignificat Horoſcopus) ſignificatur depreſſio animi ad res ſerviles, tum circa ſervos, beſtias & familiam, amor, ſtudium & occupatio. Ac ſi Planeta ſit maleficus & pravè affectus, natum carceribus, exilio, vel morbis affligendum portendit, ob ſextam duodecimæ oppoſitam, & à ſervis damna & pericula.

Quintum. Planetam dominum unius domus in altera, non ſolum agere ratione domus quam occupat & cui dominatur, ſed etiam Planetarum in hac exiſtentium. Ideoque dominum ☿ in prima domo inventum, præſagire nato ingenium, etſi in ☿ ſit extra primam. Et dominum ☉ in decima, honores : atque ſic de aliis. Quia nimirum Planeta quilibet agit in natum, ratione utriuſque ſtatus ſui domini, nempe Cœleſtis & Terreſtris. Ac proinde ſi ☿ habuerit ſuum dominum in prima domo benè affectum, aget in natum ratione ſignificatorum primæ domus, ac præſertim ingenii, ob analogiam : idque fœliciter, ob dominum ipſum benè affectum. Terreſtris vero ſtatus hic ſolum intelligendus eſt ratione ſitus corporei, & non dominii in altera domo, niſi forſan valde debiliter. Nam alioquin circularis efficacia eſſet admittenda, quam cap. 4. rejicimus. Ac proinde poſita ♀ in domo tertia ejuſque domino ♃ in prima, qui ſit etiam dominus duodecimæ, aget quidem ♀ in natum ratione ſignificatorum primæ, non autem duodecimæ. Aut ſi ♃ ſit in duodecima dominus Horoſcopi & Solis in quarta : aget quidem in natum ratione dominiorum primæ & quartæ, tum ☉ in quarta. At ☉ in quarta agens ratione ſui domini ejuſque ſtatus, non aget circa ſignificata primæ in qua non eſt corporaliter dominus ipſius Solis, ſic de aliis.

His præmiſſis, quoniam prima domus ſignificat natum ipſum ſubſtantialiter, tum accidentia ejus corpori & animo à genethliaca Cœli poſitione contingentia : Reliquarum autem domorum ſignificata, ſunt ejuſdem nati accidentia ipſi intrinſeca : Hinc fit, ut domino primæ in aliis figuræ domibus poſito, vel harum dominis in prima, combinatio ſit reciproca. Veluti ſi dominus primæ ſit in decima, vel dominus decimæ in prima, utrinque nato ſignificantur actiones, Profeſſio, Dignitates : cum hac tamen differentia, quod in primo caſu natus proprio animo & ambitione excitabitur, propriâque induſtriâ laborabit, ad Magiſterium, vel honores adipiſcendos. At in ſecundo, non ita contendet, ſed ei etiam interdum inopino dignitates accident. Similiter ſi dominus primæ ſit in octava, vel dominus primæ in prima, nati mors præmatura utrinque ſignificatur, cujus ipſe, ut plurimum cauſa exiſtet, vel ſe periculis objiciendo ſponte, aut inſciè, præſertim in primo caſu, vel ipſam etiam mortem præcavere nitendo, ut iis accidit, qui ſolius præcautionis gratiâ ſanguinem ſibi detrahi, vel humores purgari intempeſtivè curant. Eademque ratione ex domino primæ in aliis domibus exurgit combinatio vitæ, valetudinis, morum, ſtudiorum, vel ingenii, cum ſignificatis ipſarum domorum, juxta poſſibiles & congruentiores combinationes, pro natura ſtatuque Planetæ : quæ duo præcipuè ſpectanda ſunt, ad determinandum an domorum eſſentialia ſignificata nato futura ſint : tum quam fœliciter, vel infœliciter.

De aliarum vero domorum dominis, in altera domo quam prima, ut de domino ſecundæ in ſeptima ; triplici conſideratione ſic judicandum eſt. In primis Planeta ipſe, prout eſt in ſeptima præſagit bonum, aut malum, circa conjugium, hoſtes apertos, lites & contractus, pro natura & ſtatu Planetæ. Deinde quatenus eſt dominus ſecundæ, bonum, aut malum circa divitias, ob eaſdem rationes. Tandem quatenus eſt dominus ſecundæ in ſeptima ſi fuerit beneficus & fœlix, præſagit divitias matrimonio, litibus, contractibus : ſi vero fuerit infœlix, por-

tendit amiſſionem divitiarum matrimonio, litibus & contractibus. Atque ſic exurgit combinatio fauſta, vel infauſta pro natura & ſtatu Planetæ. At ſi econtra dominus ſeptimæ ſit in ſecunda, ratione ſitus corporei ac dominii, ſignificantur eadem quæ priùs: ſed ratione combinationis, ſi Planeta fuerit beneficus & benè affectus, ſignificatur augmentum divitiarum, frugalitate, vel operâ conjugis, vel in aliorum litibus & cauſis agendis: ſi verò Planeta ſit maleficus & pravè affectus, prædones, hoſtes aperti, vel conjux, divitias nati diripient. Similiter ſi dominus decimæ ſit in duodecima, vel ſignificatum decimæ tranſibit in ſignificatum decimæ, vel contra: ſed quia Planeta validiùs determinatur ſitu corporeo quam dominio; ideoque efficacior eſt Planetæ præſentia, quam abſentis dominium: ergo ex Planeta domino decimæ in dignitates ſuſcepta & actiones nati erunt ipſi cauſa morborum, carcerum, hoſtium, exilii, &c. At ſi econtra dominus duodecimæ ſit in decima, hoſtes, carceres, exilia, &c. erunt nato cauſa honorum, dignitatum egregiorumq. ſuſceptorum, ſi præſertim dominus ipſe fuerit beneficus & bene affectus. Primum patuit in me qui habeo ♄ dominum medii Cœli in duodecima. Secundum patuit in Cardinali Richelio, qui habuit ♀ dominam ſecundæ prope cor Cœli: atque ſic de aliis. Semper advertendo qualiter Planetæ horumque ſtatus, congruant domorum ſignificatis.

Eſt autem ſedulò ſpectandum qua in figuræ domo verſetur Planeta dominus alterius domus. Nam in cardinibus, fortis eſt ad benefaciendum, vel malefaciendum; præſertim in ſuo domicilio, vel exaltatione conſtitutus. Etſi verſetur in domo congrua ſignificatis ſui dominii, ut dominus ſecundæ in quarta, ſeptima, vel decima, eo certiùs ſignificantur divitiæ: nam ex harum domorum ſignificatis, nempe ſucceſſionibus, matrimonio & dignitatibus, divitiæ ſolent accidere: ſi verò verſetur in contraria, ut dominus ſecundæ in duodecima, divitiarum diſſipatio, morborum, exilii, aut carceris causâ portenditur: ut plurimum enim in hiſce combinationibus ſignificatum domus carentis ſuo domino, reducitur, ſive tranſit ad ſignificatum domus, in qua verſatur illius dominus. Veluti domino decimæ in duodecima extante, dignitas nati erit illi infortunio, vel ab ea cadet, aut eam deſeret, ut mihi in Profeſſione Medicinæ accidit à ♄ domino decimæ in duodecima, vel ob acta & ſuſcepta incarcerabitur. At domino duodecimæ in decimæ verſante, hoſtes, exilia, carceres, vel infortunia nati, erunt ei cauſa honoris & dignitatis, ut Cardinali Richelio, à ♀ domina duodecimæ in medio Cœli, virtutis orbe: & in nona corpore. Sicque dominus undecimæ in duodecima convertit amicos in inimicos, ut mihi frequenter: at dominus duodecimæ in undecima efficit contrarium. Similiter dominus decimæ in undecima exiſtente, actiones & dignitates nati, erunt ei cauſa amiçorum: at dominus undecimæ in decima, contrarium præſagit: eademq; eſt ratio de cæteris.

Ex his verò ſequitur, quod ſi idem Planeta duarum domorum dominus, extra illas fuerit, harum ſignificata tranſibunt in ſignificatum domus in qua eſt ipſarum dominus, vel afficientur ab ipſo ſignificato; ſicque dominus primæ & octavæ in ſeptima pravè affectus, natum portendit ab hoſtibus occidendum, aut vulnerandum: eademque eſt ratio de cæteris. Sed ſemper ad ferendam ſententiam natura Planetæ, & analogia cum illorum domorum ſignificatis, cujuſque ſtatus tam Cœleſtis, quam Terreſtris ſunt diligenter advertenda. Nam Planeta pravè affectus, & præſertim naturâ maleficus, nihil valet pro bonis domibus, quas corpore, vel dominio regit, ſed earum bona negat, impedit, vel infortunat. Si autem fuerit in malis domibus, harum quidem mala promovebit, non autem bona domorum quibus dominabitur: ſicque non fiet tranſitus niſi forſan infœlix ſignificatorum dominii in ſignificata corporis.

Objicies ex Sect. 8. Lib. 18. Duplicem eſſe domum figuræ cœleſtis materialiter ſpectatam: quippe primariam quæ eſt ſpatium fixum, & ſecundariam quæ eſt pars Cœli ſpatium ipſum occupans. Cum autem primaria domus ſit ſpatium fixum: ergo decima domus, exempli gratia, non erit domus dignitatum unici nati, ſed erit domus communis honoribus omnium in ipſo horizonte naſcentium, vel erit domus propria honoribus talis horizon is, vel Terræ loci. Idemque dicendum erit de octava domo pro morte, de ſeptima pro conjuge, vel litibus, &c. ac proinde ſi dominus tertiæ ſit in octava, mors inde fratribus ſignificabitur, ſi fuerit in decima, honores illis ſignificabuntur, &c.

Sed reſpondeo: Non eſſe parem rationem nati & fratrum, parentum, liberorum, &c. nam domus octava, eſt tantum domus octava in ipſo horizonte reſpectu primæ, ideoque octavæ ſignificatum, quippe mors, tantum eſt tale ſignificatum reſpectu ſignificati primæ, quippe nati: & non reſpectu tertiæ, vel fratrum. Proindeq; dominus octavæ in octava, ſubit ſignificationē mortis, reſpectu nati, idque à fratribus vel eorum causâ: non autem reſpectu fratrum. At domus decima, eſt octava reſpectu tertiæ: ideoque dominus tertiæ in decima, ſignificat morti fratrum, ut ſæpiùs obſervavi, & ſignificat dignitatibus nati ex parte fratrum: indeque colligi poteſt, quod natus per mortem fratris, ſuccedet dignitatibus ejus, vel ex ejus hæreditate ſibi comparabit dignitatem. Eademque eſt ratio de cæteris.

Rurſus autem attendi debet, cum quo Planeta verſetur alicujus domus dominus. Nam dominus primæ cum ☉ natum inclinat, vel aptum efficit ad converſationem cum Regibus & Magnatibus, tum ad gloriam, famam & dignitates: dominus ſecunda cum ♃ certiùs pollicetur divitias, dominus octavæ cum ♂, violentam mortem, vel ejus periculæ minatur: atque ſic de cæteris, ſpectata domus & Planetæ cum quo eſt illius dominus, analogia. Prætereà in duorum Planetarum concurſu videndum quibus ipſi domibus præſint. Nam ſi dominus primæ fuerit cum domino duodecimæ, vel octavæ, pravum erit pro morbis atque morte: ſi fuerit cum domino decimæ, vel undecimæ, bonum erit pro actionibus, honoribus & amicis; ſimiliter ſi dominus ſecundæ fuerit cum domino decimæ, divitiæ ex actionibus, induſtria & dignitatibus ſignificantur; ſi dominus duodecimæ, fuerit cum domino

octavæ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

octavæ, morbi ferè omnes tum carceres, futuri ſunt vitæ periculoſi: ſed de his adhuc dicetur Libro ſequente.

Cæterùm de octava domo hic ſciendum eſt, quod ejus ſignificatum, quippe mors, cùm nihil ſit reale; etiam nullius rei ſuſceptiva, vel cauſativa eſt, ſed tantum cauſabilis à cujuſvis domus ſignificatis. Et idcirco cujuſvis domus dominus in octava mortem cauſat per ſignificatum ipſius domus cui præeſt, quod ita in ſignificatum octavæ convertitur. Atq; ſic dominus duodecimæ in octava præſagit morbum fore cauſam mortis, vel natum in carcere moriturum: dominus ſeptimæ in octava uxorem, aut duellum: domus decimæ, dignitatem, vel ſuſceptam actionem: dominus primæ in octava, natum ſibi fore cauſam mortis: dominus ſecundæ avaritiam, vel furta, &c. Econtra verò dominus octavæ in aliqua domo exiſtens, mortem paſſivè cauſat ratione ſignificati ipſius domus; ut dominus octavæ in ſeptima præſagit natum mortẽ paſſurum non ab ipſa uxore; ſed cauſâ uxoris, in undecima propter amicum, &c. Cum autem Planeta in octava, duabus aliis dominibus præeſt: videndum erit cum qua faciliùs, vel efficaciùs combinetur octava, ratione ſignificatorum, & cum qua ipſe Planeta in octava melius congruat ad mortem inferendam: atque ex his judicandum.

Caput VI.

De pluribus Planetis eidem domui dominantibus, vel uno Planeta pluribus domibus dominante.

CUm eidem domui unicus Planeta dominatur, ſimplex erit ſtatus ſignificatorum eſſentialium ipſius domus: ſimplicior autem ſi Planeta ipſe fuerit in proprio domicilio; ſimpliciſſimus vero ſi fuerit etiam in ipſa domo, quia tunc nulla fit diſtractio regiminis ipſorum ſignificatorum.

At cum eidem domui plures Planetæ præſunt; tunc quia regimen ſignificatorum ipſius domus, ſubjacet diverſis ſpecie & virtute rectoribus, idcirco eorum ſtatus mixtionem, diſtractionem ac interdum contrarietatem patitur. Ac eo majorem, dum unus dominorum fuerit Planeta beneficus, alter autem maleficus, maximam vero ſi inſuper accidat, ut unus ſit ſtatû cœleſti fortis, alter debilis, & ambo fuerint quadrati, vel oppoſiti.

Cæterum Planeta qui præeſt cuſpidi, præferendus eſt in regimine ſignificatorum ipſius domus; altero tamen non neglecto. Et ratio eſt quia cujuſque domus cuſpis, eſt punctum totius domus efficaciſſimum, ut alibi dictum eſt: cum autem gradus ſigni cuſpidem occupans agat duntaxat virtute ſui domini, ſequitur etiam quod hic alteri præpolleat: præſertim ſi fuerit ſignificatis domus analogus, ſtatu cœleſti fortior, & maximè ſi in ipſa quoque domo fuerit, vel eam, aut Planetam in ipſa forti radio aſpexerit. Hæc ſiquidem omnia ſunt advertenda: an ſint ambo benefici, vel malefici, an vero unus beneficus, alter maleficus: an ſint ambo analogi, vel quis eorum: an ſint ambo fortes ſtatu cœleſti, vel ambo debiles: an verò unus fortis, & alter debilis: an ſint ambo intra domum ipſam, vel ambo extra, vel unus intra, & alter extra. Tum quis præſit cuſpidi, vel ſit ei propinquior, vel huic fortiori radio connectatur, vel Planetæ in ipſa domo. Ex hiſque juxta vincentem pronunciandum.

Denique dum idem Planeta pluribus domibus præfuerit, etiam ſi nullam earum occupet, nihilominus præſagit combinationem ſignificatorum utriuſque domus. Veluti Planeta idem Horoſcopi & medii Cœli dominus, nato actiones, ſuſcepta, artem, vel dignitates pollicetur. Idem dominus ſeptimæ & octavæ vitæ pericula, vel mortem ab hoſtibus, ſi præſertim fuerit maleficus & pravè affectus. Videndum tamen cum qua domo Planeta majorem habeat analogiam, talis enim domus ſignificata prævalebunt. Quod ſi dominus ipſe ſit in altera domorum, de ipſo judicandum erit juxta caput quartum.

Caput VII.

De determinatione accidentali Planetarum, ratione exaltationis & Triplicitatis.

QUod Planetæ in ſuis exaltationibus conſtituti, ſint admodum efficaces ad bonum, aut malum circa ſignificata domorum figuræ, in quibus ipſi verſantur & dominantur, tritum eſt apud Aſtrologos experientiâ doctos: tum quòd Planeta exaltatus, ſua connexione per corpus, vel aſpectum alios Planetas roborat in eorum promovendis effectibus. Sic hic definiendum eſt, an Planeta extra ſuàm exaltationem poſitus, virtutem habeat aliquam reſpectu ſignificatorum domus, in qua exaltationis ejus ſignum collocatur, vel in ſignificata alterius Planetæ, qui ſignum ipſum occupabit, ut ſi ☉ fuerit in decima & ſigno ♋, Jupiter autem extra decimam, hic ratione ♋, in quo exaltatur, poſſit aliquid in ſignificata decimæ, atque ☉, tam prout ☉ eſt corporaliter in decima, quàm prout eſt dominus undecimæ, in qua ♌ reperietur.

Quod autem hoc ſit aſſerendum, conſtat ex Ptolemæo & omnibus Aſtrologis. Ptolemæus enim Lib. 2. Quatrip. cap. 6. pro electione domini Eclipſis, tum cap. 13. pro electione Aphetæ ſumit Planetam qui domo, exaltatione & Trigono fuerit potentior in præcipuis figuræ locis: unde ſequitur quod ſi Planeta ipſe poſſit in ſignificata generalia Lunæ patientis Eclipſin, ratione dominii in loco ☽, etiam poterit ratione exaltationis in eodem loco. Idemque cenſendum quoties in electione domini Genituræ, quæritur quis in præcipuis figuræ locis juxta rationes illas ſit potentior. Imò dum de quolibet Planeta ſciri optatur, quis in ejus loco ex aliis Planetis ſit robuſtior & efficacior.

Itaque etſi in omnibus ferè figuris experientia deprehendam, effectuum cauſas evidentes reddi ſufficienter per Planetarum ſitum corporeum, dominium & aſpectum: ita ut vix ullus ſit ab aſtris effectus, qui ad has cauſas ſufficienter non reducatur: Attamen certum eſt dignitatem exaltationis in alia domo, non ſolùm perſæpe concurrere ad jam dictas cauſas, ſed interdum etiam peculiarem & ſolitariam ſortiri efficientiam. Sic in Principis Gaſtonis geneſi, ♄ in ſeptima, exaltatus in quarta ſignificavit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ficavit uxorem, cujus cauſâ ampliſſimorum fundorum terrenorum, ac duarum etiam Provinciarum factus eſt dominus. Sic mihi ferè perpetua gloriæ exaltationis cupido adfuit à geneſi, non ſolum ob ♂ dominium Horoſcopi in exaltatione ♃, & reliquos omnes Planetas ☿ excepto in exaltatione ♀ dominæ primæ, ſed præcipuè quod ☉ & ☽ ſuas habeant exaltationes in prima domo, quæ eſt morum ac ingenii, unde ad propriam ſupra cæteros exiſtimationem nimium propendeo, ob ingenii dotes, & ſubliminores ſcientias mihi notas: talique propenſioni reluctari perdifficile mihi eſt, niſi ad peccata mea converſus inde confundar, neque hominem viliſſimum & contemptu digniſſimum ſyncerè judicem. Atque ab illis cauſis factum eſt etiam, ut nomen meum Orbi inclaruerit: pluraque ſimilia exempla paſſim occurrunt, ut proinde non inutile videatur, de ſignificatis alicujus domus ferre ſententiam non ſolùm ex Planeta domino ipſius domus: ſed etiam ex Planeta qui in domo ipſa exaltationem ſortitus fuerit, ut ſi ♎ fuerit in Horoſcopo, judicare de moribus ex ♀ & ♄ eorumque ſtatu, atque ſic de aliis. Similiterque ſi ♄ fuerit in ♎, judicandum erit de ♄ effectibus non ſolùm ex eo quod eſt exaltatus, ſed etiam ex ♀ domina ejus, & mutuo inter ambos ſtatu: nam ſi ♀ fuerit bene affecta applicãs ♄ ☌, vel △: ♄ inde efficaciùs agit. Rurſus ſi ☉ fuerit in ♓, aget in ♓ prout ſunt domus ♃, ideoque cum ipſo ♃, ſed etiam aget cum ♓, prout ſunt exaltatio ♀, ideoq; cum ipſa etiam ♀, idque probatur authoritate, ratione & experientia. Authoritas eſt omnium Veterum, qui in aliquo Cœli loco eum Planetam dicunt eſſe potentiorem, qui in illo plures habuerit dignitates domo, exaltatione; & Trigono. Ratio eſt, quia non alia de cauſa per illas dignitates dicitur eſſe potens in ipſo loco, niſi quia ratione dignitatum ipſarum potenter operatur circa ſignificata ipſius loci: ſi enim in illa ſignificata non ageret per dignitates ipſas, perperam diceretur potens in ipſo loco. Experientia denique patet in exemplis ſuperiùs allatis. Attamen cæteris paribus prævalet dominus domus domino exaltationis, ſed ambo ſemper ſpectandi ſunt.

Quod vero ad Triplicitates attinet, Arabes omnia ferè prædicebant ex dominis Triplicitatum, ut conſtat ex eorum Libris: ſed quia de ipſis dominis nulla fuit hactenus certitudo inter Aſtrologos, ut à nobis expoſitum Lib. 13. cap. 6. nihil mirum ſi talia judicia erroribus ſcateant. Ac eatenus duntaxat vera ex iis prædicta ſint, quatenus erroneam Trigonocratorum inſtitutionem Veterum, contingebat congruere cum vera & naturali à nobis tradita cap. 7. ut probari poteſt ex collatione Trigonocratorum à nobis poſitorum, cum figuris Albohali Arabis, in quibus de fœlicitate, vel infœlicitate nati judicat ex dominis Triplicitatis Solis, ſi geneſis diurna fuerit. Ex dominis autem Triplicitate Lunæ, ſi geneſis nocturna extiterit, quod tamen judicium nimis univerſale eſt, & totius Terræ medietati commune, ideoque abſurdum; quanquam ab eo nihil prædicatur per Triplicitates, quod per Planetarum loca, dominia & aſpectus fortiùs evidentiuſque prædici non potuerit.

Ut in prima figura nocturna ipſius Albohali, Luna domina ſecundæ eſt in ſexta cum ♄ ac in ♏, ubi illa dejicitur: Mars autem dominus ☽ eſt ♒ quadratus ipſi ☽ & ♄: quis verò miſerior ſtatus domini ſecundæ fingi poteſt pro paupertate? ergo cauſa paupertatis abſque Triplicitatibus fuit evidentiſſima & fortiſſima. Per Trigonocratores verò à nobis poſitos, etiam paupertas ſignificatur. Siquidem nocttu Luna eſt principalis domina ſuæ Triplicitatis, cum ♂ participe. Jam verò Luna & ♂ ſunt in domibus cadentibus, quippe ☽ in ſexta & ♂ in nona; quod ſufficit pro regula Albohali: ſed addo Lunam dominam ſecundæ dejectam eſſe atque læſam ☌ ♄, & □ ♂, quod multò efficacius eſt.

In ſecunda figura quæ fuit diurna apud Albohali, ☉ eſt in undecima cum ☿ ac in ♒: itaque ex Albohali & Me ♄ & ☿ erant domini Triplicitatis Solis. Erat autem ♄ cum ♂ in ♏ & octava: ideoque ♄ & ☿ erant in domibus ſuccedentibus, unde Albohali concludit maximas provincias, ſummos honores & proſperitatem maximam: quæ profectò ex ♄ & ☿ accidere non poterant, quod eſſent quadrati; ſed ex aliis fortioribus & evidentioribus cauſis, nempe ex ♀ domina ſecũdæ in decima & △ ſecundæ, proindeq; in ſua Triplicitate: tum ex ♃ in in quarta & ſua exaltatione, qui à Luna mutuo recipitur domicilio. Ex ♃ igitur & ♀ tam benè affectis & divitiis analogis, ac in locis congruis pro honoribus, magnæ divitiæ, honores & proſperitates effluxere, quibus non oberant, ſed etiam favebant malefici exiſtentes in △ ♃ & ⚹ ♀, tum in octava, quæ per oppoſitionem ſignificant divitias: & hæc omnia quadrant doctrinæ à nobis ſuprapoſitæ.

Poſſem ex ipſo Albohali, aliiſq; tum Veteribus, tum Neotericis Aſtrologis plura in medium proferre exempla ſimilia: ſed hæc ſint inſtar omnium. Dicamus autem, etiam dominis Triplicitatum vires ineſſe, tum ex illis judicium ferri poſſe, quòd nempe dum in aliquo ſigno accidit aliqua mutatio, hæc quodammodo pertineat ad totam ipſius ſigni Triplicitatem, ob naturæ identitatem, ut diximus Lib. 15. cap. 7. ſigna autem agant juxta naturam & ſtatum ſuorum dominorum, ut ſæpius dictum eſt. Attamen judicium ex domino ſigni multo certius eſt, eo quod fit per dominum Trigoni: quia nempe dominus ſigni, cauſa eſt proximior, & à qua ſignum ipſum in agendo dependet eſſentialiter: dominus vero Trigoni ſimpliciter, cauſa eſt remotior, & à qua ſignum per ſe non dependet. Imò vim aſpectuum longè efficaciorem cenſeo, vi ſimplicium Trigonocratorum, quibus minimas in Aſtrologia vires tribuendas eſſe puto, propter illam nimirum generalem ſignorum ejuſdem Triplicitatis convenientiam in elementari natura, quãvis formalis virtute ſigni, omnino inter ſe differant. Siquidem ♋ eſt ſignum, ſpecie, ſeu formali virtute Lunare, ♏ Martiale, & ♓ Joviale, etſi in genere ſint ejuſdem naturæ aqueæ, ut proinde arbitrer Trigonocratorum conſiderationem plus valere circa temperamenta & conſtitutiones aereas, quàm circa reliqua hominis accidentia.

Itaque determinatio Planetæ unius per dominium circa ſignificata domus alicujus, cæteris paribus vincit determinationem alterius Planetæ per exaltationem circa eadem ſignificata: & hæc determinationem per ſimplicem Trigonocratiam. Attamen pro certo tenendum, quod Planeta quilibet agit circa ſignificata domorum figuræ cœleſtis, ratione ſuarum dignitatum domicilii exaltationis & Trigoni, in quocunque loco ſit ipſe Planeta; & ſive aſpiciat ipſas domos, ſive non. Ratio ſuperiùs allata eſt pro domo & exaltatione, quæ ad unicum Planetam pertinent. Pro Trigonis verò quorum ratione tres Planetæ præſunt eidem ſigno, videndum an figura cœleſtis ſit diurna, vel noctur-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

nocturna, ſicque duo tantùm ſpectandi ſunt Planetæ, quorum unus primario præeſt triplicitate, alter verò duntaxat ſecundario.

Communis tamen eſt opinio, quod Planeta dignitate domus, ſignificet ſuper ſtabilitate rerum, ſive res ſtabiles: dignitate exaltationis, ſuper ſubitaneis & inſignibus mutationibus: & dignitate Trigoni, ſuper combinationibus & ſocietatibus. Ptolemæus autem Aphor. 72. Centil. de Nati educatione judicat ex Trigonocratore Horoſcopi, & de converſationibus ex Trigonocratore Lunæ. Cardanus verò Aphor. 166. Sect. 3. vult, quod Planetæ in diverſis Triplicitatibus exiſtentes, faciunt homines ad omnia magis accommodatos, at in unico Trigono ad pauciora aptiores, ſed in aliqua excellentes: & hoc verum eſt.

Caput VIII.

An Planetæ per ſuas debilitates eſſentiales (ut vocant) nempe exilium & caſum, determinentur in figura nati efficaciter.

Planeta in ſuo exilio, vel caſu conſtitutus dicitur pravè affectus ſtatu cœleſti, hoc eſt univerſaliter atque reſpectu totius Terræ: quippè quòd ſit in ſignis ſuæ naturæ & virtuti contrariis. Ac in exilio vis ejus depravatur; in caſu autem flaceſcit, quaſique torpeſcit. Peregrinatio verò ſimplex, non eſt debilitas eſſentialis: nam neque naturæ, neque virtuti, ſaltem influentiali (quæ eſſentialis eſt) contrariatur. Et Planeta peregrinus nec eſt in ſignis propriis, nempe domo, vel exaltatione, nec in contrariis, ſed in alienis ſimpliciter. Non enim Solem in ♒ & ♎ dicimus ſimpliciter peregrinum, utcunq; in ♒ & ♎ nullam habeat dignitatem, ſed in ♒ exulem, & in ♎ dejectum, quod multò plus eſt, quàm peregrinatio ſimplex. Eſt autem ſimpliciter peregrinus in tota Triplicitate aquea & terrea, tum in ♊; eademque eſt ratio de cæteris. Ac proinde Planeta ſimpliciter peregrinus, ſe habet medio modo inter eſſentialiter benè & malè affectum, quod ſemper intelligendum eſt per ſe: nam per accidens Planeta ſimpliciter peregrinus, poteſt eſſe in meliore & efficaciore ſtatu, quàm alius eſſentialiter benè affectus, quippe per fortẽ & congruam connexionẽ cum aliis Planetis.

Hic verò non quæritur, an Planeta in exilio, vel caſu ſuo poſitus, determinetur circa ſignificata domus figuræ in qua ipſe verſatur, quatenus ſcilicet eſt in ſuo exilio, vel caſu. Hoc enim verum eſſe, nimis evidenter probat experientia: quòd nempe ♄ exul in duodecima, morbos cauſet maligniores, in octava turpiorem mortem: & dejectus in decima, inertem efficiat deſidemque, vel vilem artem conferat, vel dignitates prorſus impediat, vel ex ipſis caſum, aut infamiam cauſet: quæ ♄ ipſe non efficeret, ſi illis in locis exul, aut dejectus non eſſet. Itaque pravum eſt dominium Horoſcopi, vel medii Cœli, exulem eſſe, aut dejectum pro harum domorum ſignificatis. At quæritur, an Planeta determinetur ratione ſui caſus, vel exilii, circa ſignificatum domus quam occupat ſignum ejus exilii, vel caſus, ipſo abſente Planeta?

Ad hoc autem quamvis effectuum cauſas Aſtrologicas, ſufficienter reddi videam, nulla ratione habita hujuſce determinationis: Tamen ſi experientia & ratio conſulantur, deprehendemus ipſam quoque concurrere cum aliis cauſis, imò quid peculiariter efficere. Quod ad rationem attinet, certum eſt, quod omnis Planeta in ſua domo, vel exaltatione conſtitutus in aliqua figuræ domo, is exul eſt, vel dejectus in oppoſita, atque huic ſignificat: oppoſitarum enim domorum ſignificatio eſt quodammodo reciproca, ut antea dictum eſt. Et hoc fefellit Antiquos ipſumq, Ptolemæum; qui putarunt domum ſextam eſſe eſſentialem morborum, & undecimam filiorum, cùm tales habeant ſignificationes duntaxat per accidens & ratione oppoſitionis ad domos duodecimam quæ eſt morborum, & quintam quæ eſt filiorum eſſentialiter & per ſe. Ob hanc igitur cauſam Planeta in propria domo collocatus in ſexta, præſagiet circa ſignificata duodecimæ domus, ſed malè duplici de cauſâ. Primò, ratione oppoſitionis, quæ ex ſe malignus eſt radius. Secundò, ratione exilii, quid enim boni Planeta poteſt efficere, vel ſignificare in loco ubi ejus natura, ſeu virtus depravatur?

Quod vero ad experientias attinet, hæ occurrunt ſæpiſſimè, ſed hic loquar de me ſolo. Habeo ♃ & ♀ in duodecima & Piſcibus domo ♃ & exaltatione ♀, unde ex multis quidem morbis malis & carcerum cauſis evaſi: & hoſtibus occultis, etiam Magnatibus à Sole ſignificatis prævalui, ita ut ne quidem pro ſuo velle ac poſſe mihi totaliter nocuerint: ſed in ſervis fui ſemper infœlix duobus exceptis egregiæ indolis adoleſcentibus ſcholaſticis, præter quos ſingulis ferè menſibus alios mutare coactus ſum, niſi toties mutãdi tædium & patientia, me ipſorũ vitia, vel defectus verè diutius perſuaderet.

Ex quibus ſufficienter patere puto, hanc etiam determinationem non eſſe prorſus negligendam, aut rejiciendam, quamvis effectuum cauſæ ſufficientes aliunde ſuppetant. Ac proinde Martem in ♎ ſpectari poſſe, ut exul eſt, in domo ♀, exaltatione ♄, & Triplicitate ♄ ♀ & ☿: ſic de aliis.

Objicies. Si hæc determinatio eſſet alicujus virtutis & efficaciæ: Certum eſt, quod in prædictionibus, vel judiciis, ſemper eſſet ejus habenda ratio: quod profecto in judiciis ſemper contrarietatem, vel confuſionem pareret. Ergo nullius eſt efficaciæ.

Reſpondeo, ſequelam eſſe falſam. Nam in exemplis ſuperius allatis nulla in ſignificatis deprehenditur confuſio, vel contrarietas; ſuntque domorum oppoſitarum ſignificata compoſſibilia: ergo talis determinatio minimè negligenda; non ſecus, ac determinatio per plures aſpectus dextros atq; ſiniſtros, quæ in Planetis ſingulis ſpectanda eſt: unde patet quàm multa ſint attendenda in quolibet Planeta, dum quid agat ratione ſitus corporei & oppoſiti, tum domus, exaltationis, Trigoni, exilii, caſus, aſpectuum, & ſubjectionis ſui alteri Planetæ, domo, exaltatione & Trigono diſcernendum eſt. Hæcq; omnia judicium difficile reddunt, ſaltem humano ingenio, ſed non impoſſibile, quippe quod effectus ſemper ſequatur naturam atque ſtatum præpollentis Planetæ.

Cæterum etſi poſito ♈ in $H^{o.}$ ille agat circa ſignificata $H^{i.}$ juxta naturam domini ſui ♂, & contra naturam ♀, aut poſito ♌, hic agat juxta naturam ☉, & contra naturam ♄, non tamen propterea dicerentur ♀, aut ♄ agere in ſignificata $H^{i.}$, non enim poſſunt agere, quàm natura propria, quæ nulla eſt, imò potiùs contraria in $H^{o.}$ ſed non ſecus ac ſi ♃ fuerit dominus $H^{i.}$ & in ejus △ augetur effectus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

beneficus △ à dignitate ♃ in H o. : ſic ſi ♄ fuerit exul in H o., & in ejus □, vel ☍, malignitas □, vel ☍ augebitur à contrarietate ♄ in ſigno H i., quo poſito, ut per experientiam veriſſimo, ſequitur omnino quod ipſi ſigno inſit talis contrarietas, ex ſe efficax juxta naturam ſui domini, ſed cum qua non agit ♄ ſine aſpectu: ideoque ad ♄ ſine aſpectu □, vel ☍, non eſſe attendendum pro infœlicibus Horoſcopi ſignificatis: ſic de aliis.

Caput IX.

De determinatione acicdentali Planetarum per aſpectus: & quomodo hæc intelligenda ſit.

QUantæ ſint virtutis Planetarum aſpectus, vel radii, non modo cunctis Aſtrologis experientia notum eſt, præſertim in directionibus, ſed etiam admiratione digniſſimum.

Eſt autem ſciendum, Planetam corporis ſui radio quem conjunctionem vocant, formaliter agere in hæc inferiora, tam ſecundum elementales quam influentiales vires. Aliis vero ſuis radiis ☍ ⛤ △ □ ⚹ ⌗, duntaxat per primi Cœli partes undecim, quæ ab ipſo Planetæ corpore determinantur ad illos aſpectus, ut à nobis dictum eſt Lib. 14. Sect. 1. cap. 4. Igitur partes illæ, ſive loca, ad aſpectus ſpecie diverſos determinata, agunt in hæc inferiora, virtute illa determinatitia, juxta naturam aſpectus quem conſtituunt; attamen dependenter à natura formalique virtute, tum ſtatu Planetæ aſpicientis, prout ſuperius dictum eſt, ſigna agere virtute formali ſui domini, & juxta ſtatum ejus, ſicque Planeta per ſuos aſpectus vim ſuam univerſaliter, hoc eſt, toti Mundo communicat, ſed diverſimodè pro natura, vel ſpecie cujuſque aſpectus: ideoque etiam univerſaliter agit diverſimodè. Per eoſdem verò aſpectus agit particulariter in natum, juxta ſignificata domorum in quas ipſi cadunt aſpectus, vel juxta ſignificata ad quæ determinati ſunt Planetæ, qui penes vulgarem loquendi modum aſpectibus illis afficiuntur. Non enim Planetæ ſe propriè ſuis aſpectibus afficiunt, vel inficiunt, ut dum ☉ dicitur eſſe in □ ♂, ſed accidit □ ♂ incidere in eundem locum cum ☉, & hunc cum illo □, ut ſocio agere in hæc ſublunaria: non ſecus ac dictum eſt Lib. 2. Sect. 2. cap. 5. Planetas agere cum ſignis, ut ſociis ejuſdem actionis. Et quidem beneficorum aſpectuum à beneficis Planetis ſocietas bona eſt: maleficorum à maleficis mala; beneficorum verò à beneficis Planetis, aut maleficorum à beneficis ſocietas eſt mediocris, quod etiam de aſpectibus ad domorum cuſpides venit intelligendum. Igitur duobus illis modis quibus Planeta per ſuos aſpectus agit particulariter, ipſi aſpectus circa particularia determinari dicuntur.

Ex his verò patet, aſpectibus ineſſe vim agendi, ut ſignis; virtute ſcilicet determinatitia, cum dependentia à virtute formali Planetarum; proindeq; ipſos aſpectus agere, vel ſi mavis, Planetam per ſuos aſpectus agere. Imò videtur ſaltem in quibuſdam validius agere per aſpectum quam per dominium; quippe quod experientia probet deterius eſſe Horoſcopum affici □, vel ☍ ♂, aut ♄, quam horum ſubeſſe dominio. Econtra verò melius ſit Horoſcopum eſſe in △ ♃, quam ♃ eſſe dominium Horoſcopi, quod tamen intellige de cæteris paribus; nam ſi ♃ dominus Horoſcopi ſit in medio Cœli, benè affectus ſtatu cœleſti, longè melius eſt, quam ipſum eſſe in octava pravè affectum, & in △ Horoſcopi: Eademque eſt ratio de reliquis. Indeque non abs re deduci poteſt, quod Planeta ſignificet efficacius domui cui opponitur, quàm ipſius domus dominus extra domum illam conſtitutus, ſi præſertim ſit debilis, nec eam aſpiciat.

Adhæc notandum, quod Planetæ aſpectus agit efficacius ratione domus in qua eſt ipſe Planeta, quam ratione domus cui ille dominatur. Sicque ♂ dominus tertiæ in quarta & △ H i. alicujus nati, fecit hunc parentibus dilectum, fratri autem odioſum.

Caput X.

Quod Planetæ per ſuos aſpectus benefaciant, & malefaciant, & quomodo.

QUamvis Planetarum alii ſint naturâ ſuâ benefici, ut communiter cenſentur ♃ & ♀, alii verò malefici, ut ♄ & ♂: non tamen benefici ſuis omnibus aſpectibus benefaciunt; propter diverſam naturam ſeu proprietatem aſpectuum, quorum alii ſunt ex ſe benefici, vel ad benefaciendum apti, alii verò malefici: ergo Planeta quilibet ſuis aſpectibus benefacit ſimulque malefacit, vel bonum & malum ſimul tempore cauſat, quia nempe ſimul tempore beneficos & maleficos radios ex Cœlo effundit. Hac tamen diſtinctione ſervata, quod benefici Planetæ radiis ſuis beneficis ſint proniores ad bonum, & maleficis minus proni ad malum, quam Planetæ malefici. Igitur Planeta quilibet bonum influit aſpectibus △ ⚹ & ⌗ qui ſunt naturâ benefici, & quorum △ eſt efficaciſſimus, ⌗ debiliſſimus, & ⚹ medius. At malum influit ☍ □ & ⛤ qui ſunt naturâ malefici; & quorum fortiſſimus eſt ☍, debiliſſimus ⛤, & medius □. Conjunctio autem, hoc eſt, Planetæ corpus, vel ejus locus in Cœlo, non eſt aſpectus propriè dictus, etſi inter aſpectus illa numeretur, ſed eſt duntaxat aſpectus principium, & ex ſe quoad effectus qualitatem indifferens: nam Planetæ benefici ☌ bona eſt, malefici mala: & hæc in genere dicta ſunt.

Porrò Planeta naturâ beneficus, radiis ſuis beneficis per ſe benefacit facilè & affluenter, bona cauſando in bonis domibus quas aſpicit, & mala impediendo, vel mitigando in pravis: maleficis verò duntaxat difficultates, impedimenta & mala ſuperanda objicit. At per accidens ratione pravi ſtatus tam Cœleſtis quam Terreſtris ipſius Planetæ, hic beneficis radiis parum proderit, maleficis verò multum quoque nocebit, ut in genitura Card. Richelii, bonus ♃ exul in octava vitæ inimiciſſima, & cum oculo octavi fixa violenta; oppoſitione ſua occurrens Horoſcopo vitæ ſignificatori primario per directionem, illum tandem non obſtantibus copioſis ſatellitibus enecavit, & parum abfuit quin violenta morte perierit quam pluries, aut ſummâ curâ, aut fortunio inſigni evaſit. Quamobrem in tali caſu falſum eſt, quod à vulgaribus Aſtrologis dici ſolet, nempe □ & ☍ beneficorum Planetarum nullius eſſe nocumenti.

Econtrà verò Planeta naturâ maleficus, ſuis radiis maleficis per ſe nocet vehementer, mala cauſando in malis figuræ locis, & bona impediendo, vel depravando in bonis: niſi dominetur loco ſui pravi

aſpectus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

aſpectus: tunc enim in beneficis domibus, aſpectus ipſe benefaciet; ſed violenter & cum pravitate, vel infortunio. In maleficis verò deterior eſt, ut ♂ dominus octavæ in ſecunda qui ferè ſemper occidit. At ſuis radiis beneficis bona per medias difficultates comparanda præſagit, ut in geneſi Regis Suetiæ, ♄ dominus ſecundæ, ſuo △ ad ☉ in prima magnas illi divitias ſignificavit, quas bello acquiſivit, ob ☿ dominum ſeptimæ cuſpidis in ſecunda, fuitque in illis comparandis fœliciſſimus ob ♃ ☿ ♀ & ⊕ in ſecunda ſub ipſius ♄ dominio. Attamen ſi maleficorum Planetarum tam Cœleſtis quam Terreſtris ſtatus fuerit infauſtus, hi etiam beneficis radiis maximè lædunt, ut in ejuſdem Regis geneſi ♄ exul in octava & læſus □ ♂ ex duodecima, ſuo ad Solem in prima △ mortem malam ac violentam portendebat, quod præſertim ♃ dominus Horoſcopi atque ☉ applicaret ☍ ♄ & □ ♂. Eſt enim ſemper notanda domus Planetæ aſpicientis, an congruat bono, vel malo domus quam aſpicit. Atque ſic patet eundem aſpectum numero, poſſe eſſe beneficum pro una re, & pro altera maleficum, quod notatu dignnm eſt.

Ad hæc maleficus naturâ & ſigno in pravo aſpectu malefici natura, vel determinatione, fit deterior, in bono aſpectu benefici fit mitior: at beneficus naturâ ſed pravè affectus ſigno, ſi etiam infauſto radio maleficis infortunetur, profecto nocebit.

Cæterum hic ſedulo notandum eſt, quod Planeta ſuis aſpectibus tripliciter afficit. Primò ratione propriæ naturæ; Sol enim afficit ſolariter, Luna lunariter, ♄ Saturnaliter, &c. Secundò ratione ſtatus cœleſtis per ſignum quod occupat, & connexionem cum aliis aſtris: Planeta enim ab hoc ſtatu dependet, ut ab actionis ſociis, veluti ſæpius dictum eſt: ideoque benè affectus proderit, ſaltem beneficis radiis: malè, nocebit, ſaltem maleficis. Tertiò ratione ſtatus Terreſtris, atque hic duplex eſt, nempe ſitu corporeo in aliqua figuræ domo, atque dominio. Semper autem Planeta ſuis aſpectibus afficit ratione ſuæ naturæ & ſtatus cœleſtis; at non ſemper etiam ratione ſitus corporei & dominii ſimul, ſed quandoque ratione hujus, quandoque illius, & quandoque utriuſque ſimul, ut ♃ in prima & △ medii Cœli, natum in ſuſceptis actionibus & honoribus fortunabit, juxta naturam ſtatumq; cœleſtem ipſius ♃: quod ſi præterea ♃ ſit dominus medii Cœli, multò certiùs & ampliùs præſagit in illis fortunium. At ſi inſuper Solem △ aſpiciat in decima, maximam tunc præſagit fœlicitatem. Eademque eſt ratio pro cæteris aſpectibus ſive ad bonum, ſive ad malum. Siquidem in genere Planeta quilibet ſuis aſpectibus ad Planetas, vel cuſpides, vel per directiones occurrendo ſignificatoribus ipſis, horum ſignificata fortunat, vel infortunat per ſua propria ſignificata ratione naturæ ſitus corporei, dominii & naturæ ipſorum aſpectuum. Atque ſic ♂ dominus quartæ & undecimæ in ſeptima △ aſpiciens Solem in medio Cœli, promovebit honores nati per lites, prœlia, conjugem, parentes & amicos. Tum ſi per directiones Soli ipſi △ occurreret. Eademq; eſt ratio in cæteris. Sed præter tria jam dicta, oportet etiam attendere, an Planeta aſpiciat applicando, vel defluendo, ſiquidem applicatio cæteris paribus defluxu eſt efficacior: dumque unus Planeta alteri applicat, hic etiam ſpectandus eſt ratione naturæ & utriuſq; ſtatus, Cœleſtis ac Terreſtris, atque inde judicandum. Sic ergo in genitura Regis Suetiæ, ♃ dominus Horoſcopi in ſecunda applicans ☍ ♄ naturâ malefici atque exulis in octava, læſique □ ♂ mortem violentam ipſi Regi portendebat.

Ex ſupra dictis igitur conſtat, quod Planetæ, ut ſuo ſitu corporeo & dominio in figura cœleſti, bona, vel mala conferunt, vel auferunt: ſic idem quoque ſuis efficiunt aſpectibus, prout hi determinantur. Imò duo Planetæ aſpectum conſtituentes ſeſe mutuò dererminant ad ſignificata domorum in quibus ipſi verſantur. Ut ſi ♃ ſit in prima & △ ☉ exiſtentis in decima, Sol determinabit ♃ ad ſignificata decimæ, ſcilicet ad honores & dignitates, & Jupiter ☉ ad ſignificata primæ, ſcilicet mores & famam, vel gloriam: ſimiliter ſit ♄ in octava & ♃ dominus Horoſcopi in ſecunda ſeſe ☍ aſpicientes. ☍ ♄ ad ♃ fucabit mores Joviales eoſq; inficiet influxu Saturnino. At ☍ ♃ ad ♄ mortem judiciariam præſagire poteſt. Ideoq; idem aſpectus duorum Planetarum inter ſe, ſemper diverſa ſignificat, quod certè non fuit à Veteribus animadverſum, dum nobis aſpectuum effectus tradiderunt. Sed hoc inſuper habent Planetæ, ut ſuis aſpectibus vim ſignificatorum alias inſigniter, & alias mediocriter augeant, minuant, vel depravent, ut ſi ♃ ſit in decima, is erit honorum ſignificator. Si ergo ☉ illum △ beaverit, ejus vis ad conferendos honores maximè intendetur. At ſi ♄ illum □ infortunaverit, vis illa non ſolùm minuetur, ſed etiam depravabitur, & aliquid infauſti portendet in dignitatibus & actionibus. Præterea ex ſignificationibus eſſentialibus Planetarum, eorumq; locis in Themate cœleſti, detegi poteſt natura, vel ſpecies effectus connexionis illorum corpore, vel aſpectu: ut quia ♃ ſignificat prudentiam & ♂ audaciam; ſi ambo ſint conjuncti in domo decima, & cœlitus benè affecti, dominationem magnamque poteſtatem præſagient, hæc enim prudentiâ & audaciâ in ſuſcipiendo & agendo acquiritur: ſi fuerint in ſecunda, ingentes ſignificabunt divitias prudenti rapina comparandas & inſignes expenſas; quodque hic de ☌ dictum eſt, etiam intelligatur de aſpectibus ſaltem fortioribus inter Planetas, ſpectando naturam aſpectuum & Planetarum, horumque ſtatum Cœleſtem atque Terreſtrem.

Objiciet aliquis. Si Planeta omnibus ſuis determinetur aſpectibus, circa ſignificata domorum, in quas illi cadunt: ergo agit circa omnia nati accidentia. Ideoq; etit omnium ſignificator etiam conſiderandus in ſingulis eorum ſpeciebus, vitæ, divitiarum, fratrum, parentum, &c: ac de ſingulis judicandum erit ex ſingulorum Planetarum omnibus aſpectibus, propter ipſius Planetæ ſitum corporeum atque dominium. Atqui hoc in judiciis de Aſtrorum effectibus non poſſet non parere difficultates inextricabiles confuſionemq; maximam, nullo ingenio diſtinguendo. Non ergo Planetæ agunt ſuis aſpectibus, vel omnino incerta vanaque eſt judiciaria.

Reſpondeo, cauſarum agentium duplicem eſſe actionem, unam perceptibilem, alteram imperceptibilem. Solis actio perceptibilis eſt omnibus, ſed actio fixæ ſexti ordinis, nulli homini perceptibilis eſt: nec tamen illam agere negandum eſt. Sic igitur in Aſtrologia, quamvis accidens quodlibet ab aſtris ſignificatum, à Planetis omnibus aliqua ratione dependeat, & à ſingulorum ſingulis aſpectibus, non tamen ex æquo dependet, ſed ab aliis magis, ab aliis minùs, & ab aliis minimè. Jam verò Aſtrologus tantùm ex propriis & validioribus cauſis ipſius ef-

fectus judicat; nempe ex Planeta domum occupante, ad quam tale pertinet accidens, vel ejus domino, horumque ſtatu cœleſti : tum validioribus ad ipſam domum aſpectibus, quales ſunt ☍ △ □ ⚹ quos omnes Antiqui obſervarunt. Duo enim reliqui ☆ & # rarò agunt niſi partiles ſint, quod ſi vis agendi extendatur interdum ad ipſius domus dominum ſecundarium, non tamen ultra progreditur in circulum, ſaltem ſenſibiliter, ut ſupra dictum eſt. Similiterque etſi Planetæ ſinguli domos ſingulas aliquo ex ſuis radiis afficiant, tamen ex pluribus radiis domum eandem afficientibus, fortiores debiliorum vim eludunt ac ſupprimunt. Ideoq; Aſtrologi collectis Planetarum cæterarumq; cauſarum ad aliquid accidens concurrentium fortitudinibus, circa propoſiti accidentis quæſtionem, pronunciant juxta partis vincentis ſuffragia. Quòd tantùm abeſt, ut ſine cõfuſione fieri nequeat, & vana ſit ſcientia, ut in primo etiam intuitu figuræ vera feratur ſententia, evidenti duntaxat animadverſa benignitate, vel malignitate, tum robore, vel debilitate propriarum magiſque principalium ipſius accidentis cauſarum, quæ ſemper vincunt improprias minúſque principales; quamvis præceps judicium nemini unquam ſuaſerim, ſed circumſpectum, ne ſeipſum & ſcientiam infamet.

Caput XI.

De Planetarum connexionibus, vel aſpectibus, inter ſe diverſimode comparatis.

PLanetarum aſpectus multipliciter comparandi ſunt. Primò ratione cuſpidum domorum. Moventur autem Planetæ ad cuſpides per primum motum, hoc eſt, à primo mobili ab Ortu in Occaſum, ideoque ipſorum dextri aſpectus, ſeu præcedentes, ſiniſtris, ſeu ſequentibus ejuſdem ſpeciei efficaciores eſſe vulgo cenſentur: ſed non eſt abſolutè verum, talemq; requirit diſtinctionẽ. Si Planeta □ dextro applicet uni cuſpidi ut medio Cœli, ſiniſtro autem defluat ab altera, ut Horoſcopo, (quod comparativè duntaxat in diverſis figuris intelligendum eſt) dexter erit efficacior: ſi autem dextro defluat à medio Cœli; ſiniſtro autem applicet Horoſcopo, motu primo, ſiniſter erit efficacior: eademq; eſt ratio in cæteris. Sed nota hic per Horoſcopum intelligendum eſſe cuſpidem ipſam, ſive poſitionis circulum qui inchoat primam domum, non autem partem Cœli quæ illam cuſpidem occupat. Nam dum Planeta directus applicat ipſi cuſpidi motu primo, defluit ſimul tempore à parte Cœli illam occupante motu ſecundo, ſive proprio. Hæc autem doctrina in eo fundatur, quod applicatio defluxu ſit efficacior, ſaltem cæteris paribus, quia nempe per applicationem vis aſpectus intenditur, dum hic fit partilior, per defluxum verò remittitur: unde etiam deducitur, quod Planeta antecedens non prævalet ſequenti, niſi huic etiam ille applicet. Idque ſedulò notandum eſt, quando ſupputantur fortitudines Planetarum, ut quis præpolleat detegatur.

Secundò. Comparantur aſpectus, prout ſunt ad Planetas, qui ad ſe moventur motu ſecundo, vel proprio ab Occaſu in Ortum. Ideoque ipſorum aſpectus ſiniſtri dextris ſunt validiores juxta vulgarem ſententiam, quæ tamen hanc etiam poſtulat diſtinctionem. Si ♀ △ ſiniſtro applicet ♂, ſive directè, ſive retrogradè, talis aſpectus fortior eſt △ dextro ♂ ad ♀, hoc eſt, ♀ afficit efficacius ♂ ſignificata tam eſſentialia, quam accidentalia, quam ipſe ♂ afficiat ſignificata ♀. At ſi econtra ♀ △ dextro ♂ applicet, dexter hic erit validior △ ſiniſtro, quo ♂ defluit à ♀ : eademque eſt ratio in cæteris.

Tertiò. Idem ſpecie aſpectus ab iiſdem Planetis comparatur ad ſeipſum prout diverſus eſt Planetarum locus, ut ♂ & ☽ □, non ſemper eundem ſpecie producit effectum, ut opinati ſunt Aſtrologi qui de aſpectuum Planetarum viribus, vel effectibus Tabulas condidêre. Nam aſpectus ille duodecies variari poteſt, per duodecim ſigna Zodiaci, in quibus ♂ & ☽ poſſunt reperiri. At ♂ aliud efficit in ♈, aliud in ♉, idemque de ☽ dicendum eſt : ergo eorum □ quamvis in genere contrarietatem & infortunium portendat, ſpecies tamen infortunii erit alia poſito ♂ in ♎ & ☽ in ♑, alia autem poſito ♂ in ♑ & ☽ in ♎ : particulariter verò alia erit ſpecies infortunii poſito Marte in prima figuræ domo, & ☽ in decima, alia autem poſito Marte in decima, & ☽ in prima, ut hæc patent ex Elementis, eademq; eſt ratio de cæteris : ut plurimùm igitur tales Tabulæ fallaces reperientur.

Quartò: Idem ſpecie aſpectus, vel eadem ſpecie connexio inter duos Planetas comparatur ad ſeipſam ratione victoriæ unius Planetæ ſuper alteram: ut ſi duo Planetæ ſint conjuncti, quadrati, vel oppoſiti, quæritur uter prævalebit? ad quod reſpondendum eſt quatrupliciter. Primò, ratione dignitatis Planetarum. Nam cæteris paribus ☉ & ☽, quia ſunt primarii Planetæ circa Terram primario ordinati, reliquos Planetas virtute ſuperant, & Sol ipſe Lunam. Ex reliquis verò ſuperiores ♄ ♃ ♂, præpollent inferioribus ♀ & ☿. Ideoq; ſignificatum ♀ in □ ♄ poſitæ, validiùs afficietur ab ipſo ♄ □, quàm ſignificatum ♄ à ♀ □. Secundò, ratione ſtatus cœleſtis : nam fortior ſtatu cœleſti, quippe domo, exaltatione, Trigono, poſitu ad ☉, &c. vincet in his debiliorem. Ideoque ♂ ex ♑ quadratus ☉ in ♎, hunc validiùs lædet, vel ejus ſignificata : quòd ♂ ſit in ſua exaltatione, Sol autem in ſuo caſu. Tertiò, ratione ſtatus Terreſtris, nam qui ex Planetis connexis pluribus, vel efficacioribus modis determinatur circa domorum in quas cadunt aſpectus ſignificata, vel his contraria, ipſe prævalebit, ut ſi ♃ ſit in ♐ & Horoſcopo, ille naturâ ſitu corporeo ac dominio determinatur ad vitam. Si ergo fuerit conjunctus, aut quadratus ☽ dominæ octavæ non infortunatæ, ♃ ipſe pro vita prævalebit non obſtante quadrato ☽ ad Horoſcopum, At ſi ♃ exul eſſet in Horoſcopo, & conjunctus ♂ domino octavæ, Mars pro morte inferenda prævalebit, quod naturâ & dominio potenter determinatus ad mortem, maximè lædat vitæ ſignificatorem. Quartò, ratione applicationis & defluxus: Nam Planeta qui alteri applicat in connexione per corpus, vel aſpectum, is in connexione cenſetur fortior, ut cap. 10. dictum eſt. Nihilominus certum eſt, quod ex eo etiam applicatio dicenda ſit defluxu fortior, quia Planeta cui alter applicat, validius afficitur per applicationem quàm per defluxum, ſive ad bonum, ſive ad malum inferendum, juxta naturam aſpectus & Planetæ, hujuſq; ſtatum Cœleſtem ac Terreſtrem. Cæterùm cognito prævalente Planeta, rurſus videndum an pauco, vel multo præpolleat : ſemperque eſt habenda ratio alterius, quòd nempe ambo concurrant circa eundem

dem

dem effectum, ut ejuſdem actionis ſocii, nec enim □ ♄ ad ☉, aut hujus ad illum etiam defluendo inefficax eſſe poteſt: quò autem Planeta fuerit ſtatu Cœleſti ac Terreſtri fortior ad bonum, ſive malum, eò diligentiùs erit notandum in quas domos cadunt ejus aſpectus, illarum enim ſignificata fortiùs afficiet, ſive ad bonum, ſive malum, juxta naturam aſpectus.

Quintò: Duo aſpectus diverſæ ſpeciei, inter ſe comparantur bifariam. Primò, ut ſunt ab unico Planeta. Atque ſic ejuſdem Planetæ oppoſitio eſt per ſe fortior □, & △ fortior ✶. Dico per ſe ac univerſaliter, cùm □ ſit dimidia ☍, & ✶ dimidius △. Nam per accidens & ratione determinationis tam Planetarum, quàm aſpectuum, poteſt eſſe contrarium; ♃ enim dominus Horoſcopi in undecima plus poterit circa nati temperamentum, mores, ingenium ſuo ✶ ad Horoſcopum, quam circa fratres ſuo △ ad tertiam. Et ♂ dominus octavæ in decima, plus poterit contra vitam ſuo □ ad Horoſcopum, quàm ſua ☍ circa parentes, vel hæreditates. Secundò, ut ſunt à duobus Planetis ad eundem ſignificatorem, ut ſi △ ♃ & □ ♂ ſint in Horoſcopo, uter circa vitam & mores nati prævalebit in concurſu, vel mixtione; quandoquidem miſcentur radii, aguntque ut ſocii, vel ut calidum & frigidum concurrentes, ex quibus fit aliquid medium. Ad hoc autem reſponderi poteſt quintupliciter.

Primò, ſimpliciter & abſolutè: atque ſic quia △ eſt primus virtute aſpectus ad benefaciendum, □ autem ſecundus duntaxat ad malefaciendum, quòd nempe ſit tantùm dimidia oppoſitio. Ergo △ ♃ virtute ſuperabit □ ♂, ideoque hic circa vitam minùs nocebit, quàm ille juvare poſſit. Secundò, reſpectivè ad ſtatum cœleſtem ♃ & ♂; nam ſi ♂ fuerit fortis, ut in ♏, vel ♑, ♃ autem debilis, ut in ♊, plus nocebit □ ♂ quàm prodeſſe queat △ ♃. Tertiò, reſpectivè ad ſtatum Terreſtrem, ſive determinationem in figura circa accidens de quo quæritur. Atque ſic ♂ dominus octavæ in □ Horoſcopi plus nocebit vitæ, quàm juvet △ ♃ domini octavæ, aut duodecimæ, quia ut ♃ ſuo △ ad vitam maximè proſit, non ſolum naturâ, corpore, dominio, aſpectu, debet eſſe ad vitam determinatus, ſed etiam liber à ſignificatione morborum, vel mortis, quod tamen non erit, ſi fuerit in octava, vel ejus, aut duodecimæ dominus. Atque eadem eſt ratio de cæteris aſpectibus invicem pugnantibus ad eundem ſignificatorem vitæ, dignitatum, conjugii, &c. Cùm enim concurrentes aſpectus conſentiunt, ſive ad bonum, ſive ad malum, nulla eſt in judicando difficultas. Quartò, reſpectivè ad diſtantiam ſignificatoris; ſicque ex duorum Planetarum aſpectibus ad eundem ſignificatorem, ut Horoſcopum, vel Solem, vicinior ſeu partilior præfertur remotiori ejuſdem ſpeciei; ſi præſertim ille priùs attingat unionem. Quintò, reſpectivè, ad acceſſum, aut receſſum, ſicque applicans præfertur defluenti, ut ſæpius dictum eſt.

Sextò. Comparatur idem ſpecie aſpectus ad ſeipſum prout eſt ab eodem Planeta fœlici, vel infœlici ſtatu cœleſti, dubitari verò poteſt an ♄ ex propria domo, vel exaltatione plus noceat ſuo □, vel ☍, quàm ſi fuerit in ſuo exilio, vel caſu. Solvetur autem dubium comparatione ♃, qui ſi fuerit ſtatu cœleſti fœlix, plus proderit ſuo △ quàm ſi fuerit infœlix: at ſtatu cœleſti infœlix, plus nocebit ſuo □ quàm fœlix, qua de re nullus dubitat Aſtrologus: quidni ergo ♄ infœlix ſtatu cœleſti, plus noſcebit ſuo □ quam fœlix? Ergo ♄ □ ſemper nocebit, ſed magis ſi fuerit infœlix, ut conſtat ex directione medii Cœli ad □ ♄ & ♌ & octava quæ Suetiæ Regem interfecit. Itaque ♃ ex propria domo △ eſt optimus, □ innoxius, vel perparum noxius: at ex exilio △ eſt inutilis, vel perparum utilis, □ verò noxius. Ac ſimiliter ♄ ex propria domo △ benefacit, □ lædit: at ex exilio, △ inutilis, imò malus, □ peſſimus; quod intellige per ſe, & cæteris paribus. Inde verò fiat conjectura de ſtatu medio Planetarum, quando nempe ſunt ſimpliciter peregrini.

Septimò. Comparantur aſpectus ejuſdem ſpeciei, ratione bonitatis, aut malignitatis: ut quamvis omnes □ & ☍ ſint ex ſe mali, tamen pejores ſunt à maleficis ♄ & ♂, & adhuc pejores, ſi Planetæ hi ſtatu cœleſti fuerint infœlices atque depravati: adhuc autem pejores, ſi ad malarum figuræ domorum, vel his oppoſitarum ſignificata fuerint ſitu corporeo, vel dominio determinati; peſſimi verò ſi inſuper primæ, vel decimæ, tum duodecimæ & octavæ dominos, vel Planetas in ipſis domibus exiſtentes, præſertim verò Solem & ☽ affecerint. Sed præ cæteris ☍ diverſarum denominatione latitudinum ſi partiles, ſeu diametrales fuerint, malignæ ſunt, præſertim inter ♂ & ♄, citò enim enecant, dum alter eorum fuerit dominus Horoſcopi. Econtra verò quamvis omnes △ & ✶ ſint ex ſe boni; tamen meliores ſunt à ♃ ♀ ☉ ☽ & ☿: adhuc verò fœliciores, ſi Planetæ ipſi ſtatu cœleſti fœlices fuerint: ſed adhuc fœliciores, ſi ad bonarum domorum ſignificata corpore, vel dominio iidem Planetæ determinati fuerint. Optimi autem ſi inſuper domos bonorum ſignificatrices, vel Planetas in ipſis præſertim ♃ ♀ ☉ ☽, aut ☿ aſpexerint. Igitur ☍ ♄ in ♌, & ☉ in ♒ peſſima: △ ♃ in ♓ & ☽ in ♋ optima.

Octavò. Comparantur conjunctiones & aſpectus, ratione alterius ſequentis, aut præcedentis. Nam ſi benefico ſuccedat beneficus immediatè, bonum certò ac facilè ſignificatur. Si malefico maleficus, malum certò portenditur etiam ſubitaneum: ſi benefico ſuccedat maleficus, bonum apparens in verum malum convertetur, ſi malefico beneficus, accidet contrarium. Eſt autem ſemper advertenda fortitudo ſequentis aſpectus, ab hujus natura & Planetæ, tum hujus etiam ſtatus Cœleſtis ac Terreſtris; quò enim fuerit fortior, eò certiùs & efficaciùs accident quæ ſuperiùs dicta ſunt. Sed inſuper notandus eſt aſpectus, vel Planeta immediatè præcedens. Nam defluens à bono aſpectu ad bonum, fauſtum eſt: à malo ad malum, infauſtum valde, cætera mediocria.

Nonò. Comparantur conjunctiones, vel aſpectus ratione dominorum Planetarum connexorum. Nam dominus primæ cum domino octavæ partiliter, vel hic cum illo, vel ambo applicantes mutuò, eundem producunt effectum, nempe mortem præmaturam. Eſt enim eadem omnino cauſa, tantumq; eſt advertenda domus in qua coeunt. Si enim coiverint in duodecima, mors ex morbo, vel carcere, vel in exilio ſignificatur: ſi in ſeptima, mors erit ex duello, prœlio, vel lite, vel prædonibus, prout dominus Planetarum connexorum, vel aliorum aſpectus ad ipſos (juxta vulgarem loquendi modum) conſpiraverint. Si mutuò defluxerint, accident pericula quæ vitabuntur: ſi denique unus applicet alteri, ut dominus

primæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

primæ Mors natum rapiet, ſive ſua culpa: eademque eſt ratio in cæteris.

Porrò ex dictis hactenus patet, quod cùm de cujuſvis domus ſignificato judicium ferre liceat, ex natura ſigni domum ipſam occupantis; tum ex natura & ſtatu tam Cœleſti quam Terreſtri Planetarum, qui vel ſunt in ipſa domo corpore, aut aſpectu; vel ei præſunt dominio, exaltatione, aut Trigono. Ampliſſimus profectò hinc fiat prædicendi campus, quem ſi humanum ingenium, ut par eſt, valeret excolere, etiam res minimas naturali fato accidentes prædicare poſſet: cum tamen ob intellectus humani imbecillitatem plurimum ſit, circa inſigniores ſaltem non errare. Atque hæc de Planetarum determinatione per corpus, dominium, exaltationem, Trigonum & aſpectus dicta ſufficiant.

Caput XII.

Quænam in quolibet Planeta ejuſque aſpectibus præcipuè ſpectanda ſint, ut verius de ipſis feratur judicium.

Ea ex ſuperioribus capitibus in iſto colliguntur. Itaque in Aſtrorum judiciis de quolibet Planeta primò conſideretur quæ ſit ejus natura propria, nempe an benefica, an malefica. Nam à beneficis plus ſperandum minúſque timendum: A maleficis contra, ſaltem cæteris paribus.

Secundò. An ſit in propria domo, vel aliena: Nam in propria purè agit ac independenter ab alio Planeta, ſaltem ſubjectivè. Si autem alteri Planetæ connectatur, ab eo, ut ab actionis ſocio, diverſæ tamen virtutis dependebit; quòd ſi Planeta fuerit in aliena domo, videndum imprimis cui domino ſubjiciatur, an benefico, an malefico. Deinde, vel in hac domo, ſive hoc ſigno, Planeta ipſe pollebit aliqua dignitate exaltationis, aut Trigoni, vel in ipſa infortunabitur exilio, vel caſu, vel in eodem erit ſimpliciter peregrinus: ſi fuerit exaltatus, potenter ac ſubito aget circa res ad quas determinabitur, quo tempore erumpet in actum: ſi fuerit exul, aut cadens, vel nihil boni conferet, vel depravatè aget, perniciemque afferet: ſi fuerit ſimpliciter peregrinus, debiliter operabitur.

Tertiò. An ſit directus, retrogradus, ſtationarius, velox, tardus, mediocris: ex his enim agit analogicè circa ſua ſignificata, ut alibi dictum eſt fuſius: & Planeta inde roboratur, aut debilitatur.

Quartò. Quæ ſit ejus poſitio ad Solem & Lunam. Nam Orientales Soli & ſupra Terram interdiu, ſimiliterque Occidentales Lunæ ſunt efficaciores, & patentes edunt effectus: in ſitu contrario ſunt debiliores, & obſcuriùs agunt.

Quintò. Quæ ſit ejus connexio cum aliis Planetis. Si enim Planeta fortis nulli alteri connectatur corpore, vel aſpectu, dicetur feralis, agetque puriùs juxta naturam propriam in ſua præſertim domo collocatus; ac omnis Planeta feralis quid inſolitum portendit, bonum aut malum pro natura Planetæ: ut ♄ feralis in prima heremitam, vel monachum. Si autem alicui Planetæ connectatur, vel ille fortis eſt, debilis aut mediocris, dignitatibus aut debilitatibus eſſentialibus, vel eſt ſimpliciter peregrinus: ſi fortis, illuſtris ſequetur effectus: ſi debilis, obſcurus: ſi mediocris, mediocris: & qualitas effectus in bonitate, pravitate, facilitate aut difficultate, erit ſecundum naturam aſpectus. At de Planeta debili, hoc eſt, exule cadente aut peregrino, is ſi fuerit feralis, eo quid deterius inſolitum portenditur: ſi autem connectitur alteri, hic etiam, vel eſt fortis, debilis aut mediocris: ſi fortis, vix ab initio quidquam fiet, in fine tamen proficietur, vel ab initio erunt mala & obſtacula, in fine nulla; malumque deſinet in bonum, præmia ſequentur labores, victoriæ bella, ſanitas morbum, &c. pro ratione determinationis corporeæ ipſius Planetæ debilis; quod tamen intellige de connexione per applicationem fœlici radio: nam infœlici, nihil boni ſignificabitur, niſi cum magnis difficultatibus: ſi debilis, eò majus malum protenditur, aut boni privatio major: ſi mediocris, nullus ferè prodibit effectus ſaltem optandus.

Sextò. An Planeta in aliena domo, ſuo connectatur domino, & quomodo, & quis ſit utriuſque ſtatus. Planeta enim ſuo connexus domino, ab hoc amplius dependet in agendo, eique magis ſubjicitur, nec non efficacius ambo operantur, præſertim ſi fortis & congrua ſit connexio. Præterea ſi Planeta ſit malè affectus ſtatu Cœleſti, vel Terreſtri, vel utroque, ejus vero dominus benè, ſignificabuntur mala & infortunia ab initio, quibus tamen bona & fortunia ſuccedent, ſi præſertim ille Planeta ſuo domino applicet fœlici radio: ſi vero Planeta ſit benè affectus, at ejus dominus malè, bona deſinent in mala, ſpeſque erit inanis: ſi uterque ſit benè affectus, hoc erit optimum, ſive Planeta ſit in bonis figuræ domibus ad harum bona conferenda, ſive in malis, ad harum mala tollenda, vel mitiganda: ſi denique ambo ſint pravè affecti, hoc erit peſſimum, ſive Planeta ſit in pravis figuræ domibus ad harum mala conferenda, ſive in bonis ad harum bona tollenda, vel impedienda.

Septimò. Quibuſnam ſtellis fixis Planeta conjungatur, & quibuſcum oriatur, culminet & occidat, ſtellæ ſiquidem illuſtres, producunt effectus inſignes & inſperatos, ut frequenti experientia conſtat.

Octavò. Ad quid Planeta ipſe in figura cœleſti determinetur corpore, dominio, vel aſpectu, tum ejus dominus ſi fuerit alteri ſubditus. Nam beneficos Planetas ad bona determinari bonum eſt, ut Jovem ad divitias, ♀ ad conjugia & liberos, utrumque ad indolem, vel dignitates, longè autem melius ſi ſtatu cœleſti benè afficiantur. Ad malum autem beneficos determinari, minus malum; quia liberant à malis, vel ſaltem ea mitigant. At maleficos ♄ & ♂ determinari ad bonum, malum eſt, niſi ſint benè affecti ſtatu cœleſti: & hoc non obſtante, ſi Soli, vel Lunæ, vel Horoſcopo, vel medio Cœli quadrentur, aut opponantur, vel illorum dominis, certo mala cauſant, nec etiam conjuncti beneficis omnem exuunt malignitatem, ut patet in mea geneſi, in qua ♂ eſt in △ ♃, & hic junctus ♄; & nihilominus à ♄ & ♂ plurima eaque inſignia mala paſſus ſum, patior & patiar. Sed ipſos ad malum determinari, ut morbos, carceres, lites, mortem, valde pravum: Pejus vero ſi etiam ſint malè affecti. Sol autem & Luna in bonis figuræ locis ſplendida ac illuſtria bona cauſant, præſertim benè affecti, tum bonis ſuis aſpectibus: in malis vero illuſtria mala, præſertim malè affecti, maliſque aſpectibus. Cæterum quilibet Planeta ſimul tempore ad diverſa determinatur; nempe ad

aliud

aliud corpore, ad alia dominio, & ad alia aſpectibus. Et quamvis determinatio corporea ſit ex ſe omnium validiſſima: tamen accidere poteſt, ut determinatio per dominium, vel aſpectum ſit validior, ſi nempe, verbi gratia, domus figuræ in quam cadit aſpectus, vel dominium, ſit ſuis ſignificatis analoga Planetæ domino, vel aſpicienti; non autem illa quam ipſe occupat. Poteſt autem Planeta idem, etiam pluribus modis ad eundem ſpecie effectum, vel huic congruum ſimul determinari: cumq; id acciderit, eo certior & amplior ſignificatur effectus, quam dum ad ipſum unico modo determinatur. Præterea ſi Planeta in aliena domo, ejuſq; dominus mutuò conſpirent naturâ & determinatione corporis, vel dominii, inſignis ſequetur effectus, præſertim ſi ſeſe ad effectum congruenter aſpexerint; ut ſi Planetæ benefici in ſecunda, dominus beneficus fuerit in decima, ſeſeque △ beaverint, vel ſi Planetæ malefici in duodecima, dominus maleficus ſit in ſexta, vel octava ſeſe □, vel ☍ inficientes. Siquidem Planeta quilibet agit tantum juxta propriam naturam, ſtatum cœleſtem & determinationem in figura.

De Planetis autem in prima, vel decima domo, vel harum dominis, præcipuè notandus eſt eorum ſtatus cœleſtis atq; determinatio. Nam pravè affecti ſtatu cœleſti, valde malum pro ſignificatis ipſarum domorum, præſertim ſi applicuerint Planetis etiam pravè affectis, idque infauſto radio: nam ſi bene affectis applicuerint, fœlici præſertim radio malis bona ſuccedent. Pejus autem erit multò ſi inſuper hi, vel illi ad mala determinentur; ut ſi dominus primæ ſit in duodecima, vel octava, aut contra, aut dominus primæ & duodecimæ, aut primæ & octavæ: ſimiliterq; judicandum eſt de Planeta in decima, vel ejus dominio. Atque ex ſola tali conſideratione Planetarum in prima, vel decima, aut earum dominorum, poteſt prima fronte fieri judicium, an geneſis fortunata ſit, vel infortunata: licetque à ſimili de quavis bona domo judicare.

Nonò. An Planeta ſit in domo naturæ ſuæ analoga. Tunc enim juxta naturam ſuam potenter operatur: ſic ♃ in ſecunda magnas largitur divitias, ☉ in decima magnos honores, in prima inſignem famam, ♄ in duodecima morbos malignos, carceres, ſervitutẽ, hoſtes occultos, ♂ in ſeptima hoſtes, lites, duella, ♀ in ſeptima conjugem, in quinta liberos, &c. quod intellige per ſe. Nam ratione ſigni domini, & connexionis, poteſt contrarium accidere: at Planetæ in figuræ locis naturæ ſuæ non analogis, impediunt, ſupprimunt, vel evertunt ſignificata. Sic ♀ in duodecima morbos per ſe impedit, ♄ in decima honores: dixi per ſe: nam ſi ♀ ſit pravè affecta in duodecima, morbos afferet, & ♄ benè affectus in decima honores conferet.

Decimò. An Planeta ſit in angularibus figuræ domibus, aut ſuccedentibus, aut cadentibus. Nam Planetæ in angulis res conſtantes ſignificant, præſertim in ſignis fixis, ut patet ex ♂ & ♀ in prima & decima Cardinalis Richelii, in ſignis fixis: à quibus ſemper animum ad bella, fixamque poteſtatem habuit donec mortuus eſt. In cadentibus autem domibus, ſignisque mobilibus; inconſtantiam ſignificant: in ſuccedentibus mediocritatem.

Quod verò ad aſpectus attinet, ſeptem in quolibet aſpectu conſideranda ſunt. 1. Cujus ſit Planetæ. 2. Qualiter cœlitus affecti. 3. Ad quid determinati corpore dominio. 4. Quiſnam ſit aſpectus. 5. In quod ſignum cadat, & quis ſit ejus dominus. 6. In quam figuræ domum. 7. Circumſtantiæ ante, vel poſt aſpectum. Prout enim aliquod horum ſeptem variatur, etiam variantur effectus aſpectuum.

Similiter ſeptem ſtatus Planetarum reſpectu domorum, harumque dominorum conſiderandi ſunt, ut peculiaria hujus ſcientiæ arcana.

1. Planeta in prima domo & fortis in ea ſigno & connexione cum beneficis, aut fortibus Planetis; fortiter influit in ſignificata ipſius domus, juxta naturam propriam atque ſtatum: eritque natus talis temperamento, moribus, ingenio, &c. ſe ipſo & perſeveranter.

2. At debilis in prima, ſed connexus ſuo, vel Horoſcopi domino; debilius quidem influit: & hoc pro ratione debilitatis Planetæ in prima, ſtatus Planetæ aſpicientis & virtutis aſpectus.

3. Debilis autem in prima, nec connexus ſuo, vel Horoſcopi domino; debiliſſimè influit in primæ ſignificata.

4. Sed Planeta extra primam fortis in prima, ac præſertim dominus primæ, ſi Planetam in prima, vel Horoſcopũ aſpexerit, nati vitam, mores, ingenium, fortiter rapit ad ſignificata domus in qua ille fuerit.

5. Si verò nec Planetam in prima, nec Horoſcopum aſpexerit, idem quoque molietur, ſed forſan non præſtabit.

6. Sed Planeta extra primam debilis in ipſa, ſi dominio, vel aſpectu connexus fuerit domino primæ, vel Horoſcopum aſpexerit, debiliter admodum circa primæ ſignificata influet.

7. Si verò, nec domino primæ, nec Horoſcopo connexus fuerit, nihil circa primæ ſignificata influet, niſi forſan valde obſcurè ratione ſuæ debilitatis in prima, ut exilii, caſus, &c.

Quod autem de prima domo hic dicitur, de aliis à ſimili dictum eſſe intelligatur. Ac proinde nunquam de conjugio, verbi gratia, judicandum, niſi ex Planetis in ſeptimæ, aut dominus ſeptimæ, aut horum dominorum dominis, aut aſpicientibus ſeptimam, vel ejus dominum. Advertendo qualiter hi Planetæ ſeſe habeant dominio, vel connexione cum Planetis conjugi maſculo, aut femellæ analogis: eademque eſt ratio de cæteris.

Caput XIII.

De determinatione accidentali Planetarum unius figuræ natalitiæ, dum reperiuntur in locis Planetarum, vel præcipuorum ſignificatorum alterius figuræ.

Hujus capitis doctrinæ locum præbet 47. Aphoriſmus Centiloquii Ptolemæi, qui talis. *Ingenituris cum malefica in locum beneficæ in alterius genitura inciderit: is qui beneficam habet, ab eo qui maleficam habet, detrimento afficietur.*

Verùm doctrina hæc multò generaliùs extendenda eſt, nec non ex ſuis veris fundamentis diſcutienda & definienda. Etenim arcana excludit maxima, circa mores, ingenium, actiones, fortunia & infortunia duorum quorumcunque natorum, quibus tales accidunt combinationes.

Dico igitur primò, determinationem iſtam eſſe ſpectandam, tam ratione ſignorum, quam ratione Planetarum. Incipiemus autem à ſignis, ut partibus primi Cœli, quod eſt prima cauſa Phyſica.

Itaque

Itaque ſi ſignum primæ domus unius figuræ natalitiæ, fuerit in prima domo alterius figuræ: erit utrique idem aſcendens, idemque dominus aſcendentis, qui dominus ſtatu Cœleſti & Terreſtri poteſt etiam idem eſſe, vel diverſus. Si fuerit idem tam ſtatu Cœleſti, quam Terreſtri (quod rariſſimè continget) erit maximus conſenſus inter natos circa ſignificata primæ domus, & illius in qua ipſe dominus reperitur. Si ſtatus fuerit diverſus, tunc combinanda erunt ſignificata primæ domus, cum ſignificatis domorum in quibus ipſe dominus reperietur in ambabus figuris, habita ratione ſtatus cœleſtis ipſius, pro judicio futurorum utrique nato accidentium.

Si ſignum domus ſecundæ, tertiæ, quartæ, quintæ, &c. unius figuræ, ſit in prima domo alterius figuræ: erit utrique nato idem ſignum idemque dominus ambarum domorum, qui ſtatu Cœleſti & Terreſtri poteſt etiam idem eſſe, vel diverſus: ſi idem, valida & efficax erit combinatio ſignificatorum ipſarum domorum ſecundi, tertii, quarti, primæ figuræ cum ſignificatis primæ domus poſterioris figuræ. Si ſtatus fuerit diverſus, tunc combinanda erunt ſignificata ſecundæ, tertiæ, quartæ, domus primæ figuræ, cum ſignificatis primæ domus ſecundæ figuræ, habita ratione domorum in quibus dominus ipſe reperietur, & ſtatus cœleſtis ipſius in utraque figura. Quod autem dixi de ſigno domus ſecundæ, tertiæ, quartæ, &c. unius figuræ in prima domo alterius figuræ, id etiam dictum intelligatur de ſigno domus ſecundæ, tertiæ, quartæ, &c. primæ figuræ, in ſecunda, tertia, quarta, &c. domo ſecundæ figuræ.

Jam vero de Planetarum combinationibus ſciendum eſt, illas dupliciter eſſe ſpectandas. Primò, dum Planetæ unius figuræ reperiuntur in cuſpidibus, vel domibus figuræ alterius, ac præſertim in Horoſcopo, vel medio Cœli. Secundò, dum Planetæ unius figuræ reperientur in locis Planetarum alterius figuræ.

Igitur ſi unius figuræ Planeta fuerit in Horoſcopo alterius figuræ, erit in primis notanda Planetæ determinatio in figura priore, per domum quam occupat, tum ejus natura & ſtatus cœleſtis. Nam penes hæc tria vim habebit circa mores, ingenium atq; vitam nati cujus eſt altera figura: itaque ſi Planeta fuerit in prima, vel dominus primæ in priore figura, hoc eſt determinatus circa ſignificata primæ, erit inter natos morum, ingenii & inſtitutorum vitæ magnus conſenſus, quippe quod hæc ab eodem ſigno & Planeta cauſentur in utraque figura ſi fuerit determinatus circa divitias, aut ſignificata ſecundæ domus in priore figura, natus cujus hæc figura erit, rem habebit cum altero nato, pro divitiis huic cauſandis, vel conferendis, aut ab eo accipiendis. Si fuerit determinatus circa ſignificata domus tertiæ in figura priore, natus cujus hæc erit figura, alteri affinitate jungetur, vel ratione itineris, aut religionis ſociabitur. Si fuerit determinatus circa ſignificata ſeptimæ, quippe conjugii, vel litium, & fuerint perſonæ ejuſdem ſexus; lites habebunt, aut contractus mutuos: ſi diverſi ſexus, matrimonio inter ſe copulabuntur, aut etiam litibus & mutuis contractibus, vel negotiis ſubjicientur. Si fuerit determinatus circa ſignificata octavæ in priore figura, quoniam ille cujus eſt figura hæc, habet ſuæ mortis ſignificatorem in loco qui alteri nato eſt cauſa vitæ: caveat ille ne ab hoc mortis periculum incurrat. Si fuerit determinatus circa ſignificata decimæ in figura priore, ille cujus hæc erit figura, in ſuis ſuſceptis actionibus & dignitatibus, ab altero nato dependebit, vel ipſo utetur ad talia, vel ipſi pro talibus ſubjicietur.

At ſi Planeta exiſtens in ſecunda domo unius figuræ, repertus fuerit in ſeptima alterius figuræ, ipſarum domorum ſignificata erunt combinanda: nam ſecundum ipſa nati inter ſe afficientur: eademque eſt ratio de cæteris domibus,

Dum autem Planeta unius figuræ reperitur in loco Planetæ alterius figuræ; erit ſimiliter primò notanda determinatio utriuſque Planetæ, in utraq; figura ratione domus: tum utriuſque natura & ſtatus cœleſtis, ſcilicet beneficus, aut maleficus, nec non fortis, aut debilis: & ſecundum hæc ſapienter judicandum, ut ſupra combinando. Nam tota horum judiciorum ſapientia verſatur circa poſſibiles & congruas combinationes faciendas, harumque effectus definiendos.

Sed cito harum combinationum effectus prædicere, eſſe quidem Angelis facile ob ſui intellectus lumen intuitivum & perſpicaciſſimum, miniméque impeditum: at hominibus ratione contraria difficillimum, & ſine frequenti errore impoſſibile. In genere tamen hic dixi, in quo verè talis conſiſtat ſcientia: Tu ſtude in ejuſque praxi quoad poteris perfectus eſſe conator, ut duarum quarumcunque nativitatem conſenſum, aut diſſenſum, & qualem prædicere valeas.

Combinantur etiam Planetæ unius figuræ cum Planetis & ſignificatoribus alterius figuræ per aſpectus, in quibus horum natura benefica, aut malefica, peculiariter venit attendenda.

Tandem circa haſce combinationes nihil referre video, uter natus ſit vetuſtior; quandoquidem id quod per combinationem ſignificatur nato cujus eſt prima figura, æquè illi accidit per natum juniorem ſe, ac per ſeniorem.

Ex ſupradictis verò patet non ſolum doctrinam iſtam longè latiùs patere, quam 47 ille Aphoriſmus Ptolemæi, ſed præterea ipſum Aphoriſmum frequenter poſſe eſſe falſum. Nam ſi quis habuerit Saturnum in ♒ & prima domo, alter autem habuerit Jovem in eodem gradu & prima domo: magnus erit ac fœlix amborum natorum conſenſus in ſignificatis primæ domus: unuſque ab altero potiùs juvabitur quàm detrimento afficietur, prudentiâ, conſilio, gravitate & authoritate.

Caput XIV.

Utrum domus figuræ natalitiæ, ratione ſuorum ſignificatorum eſſentialium, determinent corpora cœleſtia reſpectu ſolius nati: an verò etiam reſpectu aliarum perſonarum.

HIc non eſt quæſtio, an ex nati figura genethliaca, aliæ queant extrahi pro parentibus, conjuge, liberis, &c. ut poſt Ptolemæum Aſtrologi cæteri voluêre, id enim aliâs proprio loco examinabimus. Sed hic tantum quæritur, quod hujus capitis titulo proponitur.

Pro cujus accuratiore intelligentia ſciendum eſt, quod in genethliaca figura, cujuſvis domus eſſen-

tiale

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

tiale ſignificatum, eſt duntaxat ipſius nati accidens primò, & per ſe, & non alterius perſonæ, ut ſignificatum primæ domus, eſt tantum vitæ, morum, ingenii, nati, non alterius: ſignificatum decimæ domus, eſt morborum nati cujus eſt figura, non autem alterius perſonæ: ſignificatum octavæ, eſt mortis nati; non autem alterius, atq; ſic de cæteris. Proindeque Planeta, aut ſignum, aut aſpectus in aliqua figuræ domo, circa hujus eſſentiale ſignificatum determinatur, non quidem abſolutè, vel indifferenter, ſed quatenus ad ipſum natum refertur, ad eumque pertinet: ideoque Planeta in ſeptima ſignificat circa conjugium, lites & hoſtes nati, non autem alterius perſonæ: ergo domus figuræ natalitiæ ratione ſuorum ſignificatorum eſſentialium determinant corpora cœleſtia reſpectu ſolius nati, & non aliarum perſonarum: & cauſæ cœleſtes quatenus determinantur à domibus circa natum, ea tantum efficiunt atque ſignificant, quæ ad ipſum natum pertinent, juxta ſuæ determinationis modum, & in ipſa, vel ſecundum ipſa, quatenus ſunt ipſius nati, in hunc influunt, & non in alteram perſonam, cujus reſpectu non eadem ratione determinantur.

Hinc verò patet quantum errarint Veteres, qui hoc non animadverſo, ex octava domo figuræ nati, deſumunt judicia mortis, parentum, conjugis, liberorum, ſervorum & amicorum, vel inimicorum nati: voluntque, quod ſi, verbi gratia, dominus quintæ ſit in octava, vel ambo domini inter ſe □, vel ☍ radio connectantur; inde mors liberorum ſignificetur. Eademque eſt ratio de domino octavæ, cum domino ſeptimæ pro conjuge; aut cum domino quartæ, pro parentibus, vel quod ſi dominus quintæ ſit in decima, liberis ſignificantur honores, ſi dominus tertiæ fratribus, cum tamen octava & decima ſint tantum mortis & honorum nati, & non alterius perſonæ, ob rationem ſupra dictam.

Dicet aliquis quod in quolibet horizonte ſpatium octavæ domus, eſt communis, vel univerſalis domus mortis, omnibus in ille horizonte naſcentibus, aut degentibus, ut conſtat ex figuris univerſalibus annuarum Mundi revolutionum, Eclipſium, Lunationum, &c. in quibus ſi, verbi gratia, luminare patiens Eclipſin, vel ejus dominus fuerint in octava domo, mortalitas in illa regione ſignificatur: ſi fuerint in ſeptima, portenduntur bella: ergo ex domino tertiæ in octava figuræ natalitiæ, mors fratrum ſignificabitur, atque ſic de cæteris.

Sed reſpondeo: Figuras univerſales à particularibus in hoc differre, quod hæ ſint erectæ ad momentum alicujus effectus particularis, ut naſcentis hominis, & circa hunc ejuſque accidentia quatenus ſunt ipſius nati, totum Cœlum determinetur à ſpatiis, vel domibus primariis: illæ verò erigantur ad momentum alicujus cauſæ univerſalis, ut Novilunii, vel Eclipſis, quatenus cauſa ipſa univerſaliter, vel indifferenter agit in regione, pro qua erigitur ipſa figura. Et idcirco ſi dominus Eclipſis, vel luminare deficiens fuerint in octava, ſignificatur quidem mortalitas fame, peſte aut gladio, pro natura & ſtatu Planetarum, ſed tantum univerſaliter ac indiſcriminatim, nec potius uni perſonæ, quam alteri, ſaltem ex vi domus ipſius. At in particulari figura nati cujuſdam, dominus tertiæ in octava agit in natum ratione ſuæ determinationis, hoc eſt, quatenus eſt in octava, agit & ſignificat circa mortem nati, vel ut veriùs loquamur, agit in ipſum natum ratione mortis: & quatenus eſt dominus tertiæ, influit in natum ratione fratrum: quatenus autem eſt dominus tertiæ in octava, combinat ambas rationes, hoc eſt, influit in natum ratione mortis, ſimulque fratrum: alioquin natus à domorum dominis non afficeretur contra experientiam: ergo à domino tertiæ in octava non ſignificatur mors fratribus, ſed potius nato à fratribus, vel eorum causâ, atque ſic de cæteris. Singula quippe ſignificata domorũ, ſignorum & Planetarum in figura nati ſunt ad natum ipſum reſpectiva primò & per ſe. Siq; octava domus eſſet mortis nati, parentum, conjugis, liberorum, &c: ipſa in particulari figura rationem ſortiretur univerſalem, quod opinari abſurdum eſt: nam eadem ratione prima domus deberet eſſe vitæ, morum, ingenii, non ſolum ipſius nati, ſed ejus etiam parentum, conjugis, liberorum, &c. atque ſic de aliis domibus, quod confuſionem maximam in Aſtrologia pareret, & experientiæ prorſus averſaretur.

Quoniam verò certum eſt quod ex figura nati, multa parentibus, uxori, fratribus, liberis, &c. ſignificantur, quæ illis accidunt: jure quæri poteſt à quanam cauſa cœleſti hæc efficiantur atque dependeant. An ſcilicet, tantum à propria nati, vel ipſorum conſtitutione Cœli natalitia, an ab aliqua utriſque communi?

Lucius Bellantius quæſt. 19. art. 1. contra Picum Mirandulanum opinatur figuras parentum quatenus priores, habere vim cauſæ univerſalis reſpectu figurarum ſuorum liberorum, tanquam poſteriorum: ideoque ab his aliquo ſuarum virium influxu illas determinari circa accidẽtia poſt geneſim futura: non ſecus ac annuæ Mundi revolutiones determinantur à Lunationibus. Aitque ſe noviſſe virum nobilem, domum filiorum malè diſpoſitam habentem, cujus omnes liberi morte violenta periêre. Verum tale commentum equidem plauſibile non ſatisfacit. Primò, quia etſi figuræ patris & filii ratione prioritatis & originis ſubordinarentur, ut cauſa univerſalis & particularis: Tamen de nati fratribus, affinibus, conjuge, ſervis, amicis, &c. idem dici nequit, horumque figuræ talem non admittunt ſubordinationem, vel dependentiam. Præterea exemplum à Bellantio allatum ejus rationem evertit: nam figura patris determinavit è contra, vel figuras liberorum ad mortem violentam, vel ipſos liberos, nec dici poteſt figuras liberorum determinaſſe figuram patris ad mortem liberorum, cum ad talem effectum ipſa patris figura jam eſſet ex ſe determinata: alia igitur ratio quærenda eſt.

Sed nec etiam dici poteſt, quod fratres, vel conjux nati; ab hujus tantum propria figura habeant, quod nato præmoriantur: nam ſaltem in morte naturali, magis dependent à fato proprio, ut cauſa per ſe & immediata, quàm ab alieno & remotiore. Ac ſimiliter quod natus à conjuge, ſervis, vel fratribus in ſua figura ſignificetur occidendus, id non habet à propria duntaxat conjugis, ſervorum, vel fratrum figura cœleſti, nam à ſua etiam id habet, ex hypotheſi, quod in illa tale accidens ſignificetur. Igitur dicendum

 eſt

eſt tales effectus produci à propria horum cauſâ utriſque perſonis communi: quæ quidem non eſt peculiaris quædam figura, ſeu conſtitutio Cœli, ab aliis diſtincta; ſed harum conſenſus reciprocus ad talem effectum, quo ipſe effectus, de potentia communi ad actum particularem reducitur. Quamobrem ideo patris prædicti, violenta morte periêre liberi, quia non ſolum patri id in ejus figura ſignificabatur, ſed etiam in liberorum figura ſingulis mors violenta portendebatur, ex quo conſenſu ſignificatio utrimq; confirmabatur. Similiter ideo natus uxori ſuperſtes erit, quia non ſolùm nato id ſignificatur in ejus figura, ſed etiam in uxoris figura, vel ſaltem ex utriuſque figuræ comparatione patet, quod illa Marito ſit præmoritura: eademque eſt ratio de aliis accidentibus inter diverſa perſonas.

Eſt autem prorſus admirabilis Divina Providentia, quæ incomprehenſibili nobis arcano, genituras conſentientes ad communes effectus ita connectit, vel connecti permittit, ut nato ab hoſtibus trucidando percuſſor non deſit, ut jam alibi diximus, nec infortunatè nupturo, uxor congrua ad tale infortunium: eademque eſt ratio in cæteris.

Verumtamen eſt quidem etiam in figura nati mirabilis alia corporum cœleſtium determinatio circa accidentia parentum, conjugis, liberorũ, &c. ipſius nati, quæ frequènti experientiâ mihi innoteſcit, neq; hactenus fuit animadverſa: quâ nempe dominus tertiæ in decima, præſertim maleficus & malè affectus, mortem fratribus ſignificat, quod decima domus ſit octava reſpectu tertiæ: & ſimiliter dominus quintæ in decima, mortem liberis portendat in eadem ratione, præſertim ſi in duodecima ſit ♄, aut ♂, quod ſcilicet duodecima ſit octava, ideoque mortis reſpectu quintæ, ſed inde ſupra poſita à nobis doctrina potiùs confirmatur, quod ſcilicet domus octava reſpectu primæ, ſit mortis ſolius nati, ut octava reſpectu quintæ eſt mortis liberorum. De his autem fuſiùs alias cum de figuris parentum, conjugis, &c. deductis ex figura nati agemus cum Ptolemæo, cæteriſque veteribus Aſtrologis, ubi doctrinam iſtam experientiarum hiſtoriis illuſtrabimus.

Quod vero attinet ad directiones ſignificatorum univerſalium, quos Cardanus vocat ſignificatores ſecundum ſubſtantiam, quoſque Cardanus & alii dirigunt, ut Solem pro vita & accidentibus Patris, Lunam pro vita & accidentibus matris, &c. illas ſuo loco examinabimus atque refutabimus, ut rationi & experientiæ contrarias.

Objicietur. Lucium Bellantium quæſt. 15. art. 2. contra Picum Mirandulanum, non conſtituere præcipuum ſignificatorem Patris Solem, aut ♄, divitiarum ♃, ingenii ☿, &c. ſed dominos domorum quartæ pro patre, ſecundæ pro divitiis, primæ pro ingenio, &c. Proindeque non omnes ſaltem Aſtrologos circa hæc erraſſe.

Reſpondeo. Equidem Bellantium materiam iſtam paulo attentius examinaſſe, quam ejus anteceſſores, ſed circa eandem ipſum quoque hallucinatum fuiſſe: nam 4 ſpectat divitiarum, verbi gratia, ſignificatores. Nempe ſignum domus ſecundæ, Planetarum divitiis natura analogum, quippe ♃, Planetam in domo ſecunda, & Planetam dominum ſecundæ, qua in re convenit cum aliis Aſtrologis: & hæc quidem rectè. Ait àutem ſignum eſſe non poſſe ſignificatorem primarium ob ejus debilitatem ad agendum (vult enim ſigna ſe habere, ut materiam, & Planetas in ſignis, ut horum formam:) Nec Planetam exiſtentem in tali ſigno, cum hoc illius poſſit eſſe exilium, vel caſus, & Planeta non ſit perpetuo in ſigno ipſo; primarius autem ſignificator, inquit, talis eſſe debeat per aliquid fixum & permanens: nec Planetam divitiis naturâ analogum, nempe ♃, nam, ait, domus figuræ majorem in ſtellis cauſant accidentium diverſitatem, quam ſigna, & vis ſtellarum per hujuſmodi domus maximè variatur, ita ut potiſſima virtutis ſtellarum expresſio, ſit ſecundum domos: unde concludit dominum domus ſecundæ eſſe primarium ſignificatorem divitiarum, tum ♃, deinde Planetam in ſecunda corpore, vel aſpectu, tandemque ſignum ſecundæ domus: & hunc eſſe illorum ordinem ratione virtutis, ſaltem cæteris paribus, cum fieri poſſit, ut primus ordine hic appoſito, ſit adeo debilis, ut ſecundus, vel tertius ſit ei præferendus. Atque talis eſt doctrina Bellantii.

Aberrat autem à veritate. Primò, dum putet ſigna, ut ſigna ſe habere, ut materiam, vel paſſivè potiùs quàm activè, ipſaque à Planetis præſentibus informari reddique ad agendum efficacia, cum tamen ſigna etiam ſolitaria ex ſe agant, ut alibi diximus; & à ſigno quam Planeta in ipſo, minimè tamen domino, diverſæ virtutes effluant atq; commiſceantur ad agendum. Secundò, dum reſpuit Planetam in domo ſecunda verſantem, quia ſignum quod occupat, poteſt eſſe exilium, vel caſus ipſius Planetæ. Nam Planeta in ſecunda domo, non habet à ſigno in quo exiſtit, quod circa divitias ſignificat, ſed à ſuo ſitu in illo ſpatio ſecundæ domus, à quo determinatur circa divitias. Nec refert quod ſignum domus ſecundæ, ſit exilium, vel caſus Planetæ: nam cum Planeta in ſecunda tantum ſignificet circa divitias, ſi fuerit benè affectus ſtatu cœleſti, certo ſignificabit divitias; ſi malè, aut nullas, aut exiguas, aut earum diſſipationem portendet, quamvis ♃ corpore, dominio, vel aſpectu forti ad divitias, vel his congrua, affiniave ſignificata non determinatus, eſſet benè affectus: unde conſtat Planetam in ſecunda, pro divitiarum ſignificatore primario eligendum eſſe. In eoque fallitur Bellantius cum aliis multis, quod pro divitiarum ſignificatore primario, velit ſemper eligendum eſſe fortiorem, aut ſtatu cœleſti beatiorem, quaſi natis omnibus futuræ divitiæ ſignificarentur, contra experientiam: idemque error ab illis committitur circa ſignificatores honorum, conjugii, &c. Tertiò, dum putat figuræ domos majorem in Planetis cauſare accidentalem diverſitatem quam ſigna, &c. Falſum enim eſt à domibus figuræ vires agendi Planetarum variari, potiùs enim à ſignis variarentur, quod tamen non accidit: nam ſignum & Planeta agunt, ut ſocii commixtis viribus; idque univerſim reſpectu omnium Sublunarium: dumque Planeta tranſit in aliud ſignum, cum hujus virtute, vis illius ſimiliter, ad ſimul agendum combinatur. At domibus nulla ineſt vis activa, ſed tantum determinativa virtutis Planetarum, atque ſignorum, ut alibi diximus. Ideoque Planetæ motu primo tranſeuntis à tertia domo ad ſecundam virtus non variatur, ſed hæc eadem ſemper remanens, duntaxat determinatur circa divitias. Igitur primarius divitiarum ſignificator, erit Planeta

in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

in ſecunda, tum dominus ſecundæ, deinde ſignum ſecundæ, tandemque aſpectus ad ſecundam: Jupiter autem extra ſecundam, ſine dominio, vel exaltatione, vel connexione per corpus, vel aſpectum cum prædictis, nullius erit virtutis ſaltem per ſe, pro nati divitiis: dico per ſe: nam ſi fuerit benè affectus in ſeptima per accidens, ſignificabit divitias ex conjugio; ſi in decima, divitias per dignitates, vel artem: atque ſic de cæteris.

Caput XV.

De duplici determinatione ſignificati eſſentialis cujuſque domus figuræ: quippe intrinſeca & extrinſeca.

Domus primariæ determinant corpora cœleſtia activè, ipſa verò corpora paſſivè determinant domorum ipſarum eſſentialia ſignificata, ut jam alibi dictum eſt. Porro cujuſque domus eſſentiale ſignificatum determinatur in genere dupliciter, nempe intrinſecè & extrinſecè. Determinatur autem intrinſecè, ab eo omni quod in domum ipſam cadit, ſive fuerit ſignum, Planeta, vel aſpectus. Sic ♂ in prima domo indolem confert Martialem, ut Cardinali Richelio; ↔ Jovialem, ut B.P. Carolo de Condron, ✶ partialis ☿ ad Horoſcopum Mercurialem, ut mihi: vocatur autem determinatio hæc intrinſeca, quia fit à cauſis cœleſtibus ipſi domui intrinſecis. At quod præter hanc alia fit extrinſeca, inde probatur: quia natus habens ♃ in Horoſcopo, eſt quidem naturæ Jovialis, ſed ſi accidat ♃ etiam eſſe dominum Horoſcopi, tunc erit naturæ Jovialis ſimplicis, vel abſolutæ, hoc eſt, indifferentis ad omnia: ſi autem ♃ dominus Horoſcopi, vel primæ domus, fuerit in decima, erit naturæ Jovialis propenſæ ad honores, ſi in nona, ad religionem & res ſacras; ſi in quinta, ad voluptates, &c. igitur cujuſvis domus ſignificatum eſſentiale, determinatur intrinſecè à cauſis cœleſtibus intra ipſam exiſtentibus, extrinſecè verò à cauſis ejuſdem ſignificati, extra domum ipſam conſtitutis.

Porro intrinſeca determinatio 9 modis accidit. Primò à Planeta in figuræ domo & proprio ſigno, cum aſpectu alterius Planetæ. Secundò à Planeta in domo & proprio ſigno, ſine aſpectu alterius. Tertiò à Planeta in domo, extra proprium ſignum, ſed cum aſpectu ſui domini. Quartò à Planeta in domo extra proprium ſignum, ſed cum aſpectu alterius Planetæ, non tamen domini. Quintò à Planeta in domo extra proprium ſignum, ſine aſpectu alterius. Sextò à ſigno in domo, & aſpectu ſui domini. Septimò à Planeta aſpiciente, ſine dominio in ipſa domo. Octavò à Planeta ſolo antiſcio ad ipſam domum. Nonò à ſolo ſigno in domo, ſine aſpectu, vel antiſcio ad ipſam domum. In his verò 9 modis ſignificatum domus determinatur intrinſecè ad naturam Planetæ, qui domum ipſam occupat, regit, vel aſpicit; eo virtutis ordine qui hic apponitur. Et quilibet modus poteſt eſſe ſimplex, ut ſupra poſiti, vel compoſitus; ſi nempe ſint plures Planetæ, plura ſigna, vel plures aſpectus in eadem domo, quæ omnia proderit advertere atque diſtinguere. Determinatio autem extrinſeca, etiam 9 modis accidit. Primò à domino domus in altera domo, ſed in proprio ſigno, cum aſpectu alterius Planetæ. Secundò à domino domus in altera domo & proprio ſigno, ſine aſpectu alterius: atque ſic de reliquis, ut in determinatione intrinſeca. Et de Planeta domum aliquam aſpiciente ſimiliter ſentiendum eſt. Sed de activa corporum cœleſtium determinatione circa Sublunaria huc uſque dicta ſufficiant.

Ad quæ profectò reduci comperietur, quidquid boni continetur in Libris Veterum Aſtrologorum Arabum, Græcorum & Latinorum, qui divinæ hujus ſcientiæ veritatem ſola traditione ab Adamo ejuſque poſteris acceperunt, nobiſque reliquerunt, ſed ſine principiorum cognitione, ac figmentis, deliriis & vanitatibus plurimis conſpurcatam: ipſa nihilominus veritate eos cogente advertere ad Planetarum ſitus & dominia in domibus figuræ cœleſtis, quorum effectus præ cæteris erant conſpicui, ſed abſque intuitu cauſæ univerſalis ac primariæ, quæ alia non eſt quam determinatio corporum cœleſtium ſuperiùs à nobis expoſita, & à nemine ante nos tradita: non enim agunt corpora cœleſtia niſi prout determinantur circa particularia.

Caput XVI.

Quod nulla ex cauſis Phyſicis Dei modum agendi ad extra perfectiùs imitetur quàm corpora cœleſtia.

De Cœli & Aſtrorum agendi viribus atq; modis, mirabilia profectò dicta ſunt hoc toto Libro, experientiis comprobata. Hoc autem capite coronidis loco oſtendemus, nullam ex cauſis Phyſicis, Dei modum agendi ad extra perfectiùs imitari, quàm corpora cœleſtia, per vim ſuam influentialem.

Ad hoc autem notandum, præter corpora cœleſtia, dari tantùm in Natura quatuor Elementa, vel quæ his æquivalent tria corporum principia chymica, ſal, ſulphur & Mercurium, tum quæ ex ipſis miſcentur corpora Sublunaria, ſive ſint meteora, ſive mineralia, vegetabilia & animalia. At in nullo horum Elementorum, vel mixtorum reperitur virtus, cum influentiali virtute corporum cœleſtium comparanda. Magnes quidem hominum ingenia in admirationem virtutis ſuæ rapuit, hoc præſertim ſæculo quo amplius innotuit; nec quidquam ſcitur in Sublunaribus, agendi virtute admirabilius; ſed quanta ſit inter influentiam corporum cœleſtium & vim magneticam differentia, diximus cap. 6. Sect. 3. Lib. 12. Itaque ſupereſt, ut quia Deus Omnipotentiæ atque Sapientiæ ſuæ characteres corporibus cœleſtibus impreſſit excellentiſſimè, utpote ſuis in natura vicariis, per quos effectuum naturalium fata diſpenſat atque gubernat, tam horum quàm illius agendi vires atque modos invicem conferamus.

Primò igitur, ut Dei virtus agendi, eſt quid ſimpliciſſimum & ineffabile, quod Dei velle nominamus: ſic primi Cœli, vel cujuſvis Planetæ virtus agendi formalis, eſt quid ſimpliciſſimum, & ſaltem nobis ineffabile, ex cap. 2. Sect. 3. Lib. 13, quod ipſius Cœli, vel Planetæ influentia nuncupatur.

Secundò, ut Dei virtus agendi eſt ſimpliciter Omnipotens; ſic virtus primi Cœli & cujuſvis Planetæ eſt ſecundum quid Omnipotens, quippe quod nullus ſit effectus naturalis, ad quem primum Cœlum & Planeta quilibet ſua virtute non concurrat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Tertiò, ut Dei virtuti nulla creatura reſiſtere poteſt: ſic nullum eſt corpus Sublunare, quod influentiali corporum cœleſtium impreſſioni reſiſtere valeat: continuo enim virtus figuræ cœleſtis imprimitur in his Sublunaribus, atque recipitur à ſingulis pro ratione ſubjecti: ipſaque virtus totum Telluris globum penetrat, ut alibi dictum eſt.

Quartò, ſicuti Deus eodem actu voluntatis ſimul tempore efficit quæcunque fiunt: Ita primum Cœlum atque Sol eadem ſimplici virtute influentiali propria, efficiunt ſimul tempore quidquid ab ipſa virtute influentialiter effici poteſt. Idemque dicendum de Luna ♄ ♃ ♂, &c. quibus id commune eſt. Non tamen Sol id efficit, quod eſt Lunæ, aut ♄ proprium & formale: ſed ut Planetæ naturâ ſpecificâ differunt; ita quilibet agit ſecundum naturam propriam in omnia & ſingula quæ fiunt Sublunaria.

Quintò, ut Deus efficit quidquid primum Cœlum, Sol, Luna, ♄, ♃, &c. efficiunt, quippe quod concurrat cum ſingulis, ut prima cauſa ſimpliciter: ita primum Cœlum efficit quidquid Sol, ☽, ♄, ♃, &c. efficiunt, quippe quod concurrat cum ſingulis, ut prima cauſa Phyſica, de qua actum eſt cap. 1. Sect. 1. Lib. 14. Ideoque inter cauſas Phyſicas primum Cœlum Deo maximè aſſimilatur, ut primam cauſam Phyſicam decet.

Sextò, Deus virtute ſua, hoc eſt, ſuo velle, ſimul tempore efficit diverſa genere, ſpecie, & numero: non ſolùm in diverſis ſubjectis patientibus, ſed in eodem, ut homine: quippe vita, actio, conjugium & paſſio, genere differunt, ex domorum cabala: ſed Deus hæc omnia ſimul efficit, in diverſis hominibus & eodem, quippe quod concurrat cum cauſis Phyſicis, eadem ſimul tempore efficientibus: ergo ſimul tempore efficit genere diverſa, in diverſis hominibus & eodem. Cumque in diverſis hominibus & eodem fiant etiam diverſa ſpecie & numero, & Deus concurrat cum cauſis ſecundis illa efficientibus: patet etiam quod Deus ſimul tempore efficiat diverſa genere ſpecie & numero in diverſis hominibus & eodem. At Sol Deum in his omnibus imitatur: nam ſitu corporeo eſt ſimul tempore in ſingulis figuræ domibus, reſpectu non unius, ſed omnium Terræ incolarum, vel in Terra naſcentium: ſicque diverſa genere, ſpecie & numero ſimul tempore efficit, reſpectu univerſorum. Nec tantum hæc efficit corporeo ſitu, ſed etiam dominio & aſpectu. Reſpectu autem ejuſdem, poteſt aliud efficere ſitu corporeo, aliud genere diverſum dominio, & aliud genere, ſpecie & numero diverſum aſpectibus ſuis & connexionibus cum aliis Planetis, eademque eſt ratio de Luna, ♄, ♃, &c. At primum Cœlum cui non competit dominium, vel aſpectus, cùm ſit ſupra hæc, ſuâ ſimplicitate ac eminentiâ efficit omnia ſuo ſitu corporeo univerſo, tam reſpectu omnium, quàm reſpectu ſingulorum: ſed in ſingulis diverſa efficit, pro diverſa ſui poſitione. Attamen ſinguli effectus Cœli in eodem ſubjecto, non ſunt à toto Cœlo, ſed ab ejus partibus diverſas figuræ domos occupantibus. Nam quælibet pars Cœli aliquid efficit in eodem, & totum omnia: ſicut & quælibet pars omnia reſpectu diverſorum.

Septimò, ut Deus agens in natura, ſe habet veluti cauſa univerſalis, & interdum veluti particularis: ita Cœlum atque Planetæ. Dum enim Deus agit cum cauſis Phyſicis per ſuum concurſum, ſemper agit, ut cauſa univerſalis, ex definitione noſtræ cauſæ univerſalis: at dum efficit, ut Sol non luceat ſuper Ægyptum, ſed in Terra Geſſen, tempore Pharaonis; & ignis blandè foveat Hebræos in fornace Babylonis, dum comburit aſtantes miniſtros, hoc efficit, ut cauſa particularis: nulla enim præter Deum aſſignari poteſt cauſa naturalis, illi ſubordinata, quæ id efficiat; ſimiliter Sol cum homine generans hominem, eſt cauſa univerſalis geniti: at Solares mores ipſi influens, per ſitum corporeum, aut dominium in prima domo, eſt ipſorum morum cauſa particularis.

Octavò, ut Deus cuncta quæ efficit, ſuo regimini ſubjicit: ita Cœlum & Planetæ quæcunque efficiunt, ſuo regimini influentialiter ſubjiciunt, cum regiminis ordine ſtatiſque accidentium temporibus, ex definitione influentiæ tradita Libro 12. Sect. 3. cap. 2. cujus videatur explicatio. Atque hæc convenientia Dei & corporum cœleſtium, eſt omnium maxima maximéque miranda.

Ex his igitur hoc in Libro & alibi oſtenſis patet, corpora cœleſtia longè perfectiùs Dei modum agendi ad extra imitari, quàm id efficere valeant quæcunque aliæ cauſæ Phyſicæ. Ipſi ſoli honor & gloria: Amen.

FINIS LIBRI VIGESIMI PRIMI.

ASTRO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ASTROLOGIÆ GALLICÆ

LIBER VIGESIMVS SECVNDVS.

De Directionibus.

PRÆFATIO.

Liber hic totius Aſtrologiæ præcipuus ac diviniſſimus extat. Quo nempe futurorum homini poſt nativitatem accidentium tempora cognoſcuntur: quod eſt prophetiæ naturalis ſupremus apex, & ſcientia præ cæteris omnibus Phyſicis particeps Divinitatis. Verùm quàm difficilis & confuſa fuerit hactenus, teſtantur Veterum & Neotericorum Aſtrologorum ſententiæ plurimùm inter ſe differentes, quòd ipſos Aſtrologiæ vera principia latuerint. Nos verò, quibus hæc principia innotuerunt, univerſam hanc doctrinam ex propriis & evidentibus fundamentis adeo clarè tradimus, contratriis opinionibus & objectionibus validè refutatis, ut nullus ſit impoſterum qui illam in dubium revocare valeat.

SECTIO I.

De definitione, Terminis & diviſione Directionum.

CAPUT I.

Quid ſit Directio apud Aſtrologos; & quomodo vocentur ejus Termini, & quotuplex ſit in genere.

MAteriam aggredimur totius Aſtrologiæ præcipuam, ſed mehercle difficillimam, caligine obductam & ſpinis horridam: quæ ni fallor ſic terruit Veteres Aſtrologos, ut eorum princeps Ptolemæus quamvis interdum de aliis hujus ſcientiæ rebus philoſophetur; tamen circa directiones omni ratiocinio caruiſſe videatur; contentus duntaxat exponere duos directionum modos ſecundum & contra ſucceſſionem ſignorum à nobis inferius examinandos. Nec reliqui Veteres rem iſtam altiùs ſcrutati ſunt quàm Ptolemæus, utcunque fœcundam notionibus eximiis, ſed quilibet ejus tantum prædeceſſoris quem ſibi ſequendum elegit, traditionem amplexus eſt. Siquidem varios directionum modos Antiqui tradidêre, quos recenſet Junctinus Comm. in Ptolem. Lib. 3. cap. 12. pag. 379. & ſequentibus, unde major in Aſtrologiam confuſio introducta eſt. Tandem verò Lucius Bellantius contra Picum Mirandulanum quæſt. 16, & Cardanus Comment. in Lib. 3. Quatrip. cap. 14. tum Libro de Jud. Genit. & alibi; ſubjectum hoc rationibus Philoſophicis diſcutere & excolere cœperunt, ut ſaltem hac in parte nutantem Aſtrologiam defenderent contra ferociores adverſariorum inſultus: ſed de re tanti momenti nimis pauca dixerunt, eaque maxima ex parte veritati contraria, ut patebit in ſequentibus, cum tamen Tractatus hic totius Aſtrologiæ ſit præcipuus, non ſolùm amplitudine doctrinæ, ſed etiam neceſſitate ac utilitate.

Quoniam igitur onus tantum nobis derelictum eſt; hanc Aſtrologiæ partem penitiùs introſpicere, nodos ejus ſolvere, caliginem diſſipare, ſpinaſque evellere pro virili conabimur, tam rationibus, quam experientiis, ut ſaltem poſteris viam aperiamus profundiùs indagandi & clariùs exponendi rerum iſtarum veritatem, ſi quæ dicentur in ſequentibus, illis minus quàm nobis arriſerint. Ego enim in tam arduo ſubjecto mihimet veritatis percupido præcipuè ſtudui ſatisfacere, non ignarus neminem omnibus placere poſſe; cùm Chriſtus ipſe infinita Dei Patris ſapientia, doctrinam ſuam à Scribis & Phariſæis ſperni conſpexerit patienterque ſuſtinuerit.

Itaque Cardanus in Operis peroratione ad finem Aphoriſmorum, ait: *Directionem eſſe deductionem ejus quod eſt in potentia per ſignificatorem & promiſſorem, ad actum per Solis vim.* Sed hæc definitio potiùs dicit effectum directionis, quam quid ſit directio: veluti ſi quis definiverit figuram Cœli genethliacam, eſſe impreſſionem cœleſtis influxus in naſcente puero. Ut enim cœleſtis influxus qui imprimitur momento nativitatis, eſt effectus figuræ Cœli genethliacæ, ſic reductio de potentia ad actum ejus quod per directionem ſignificatur, eſt tantùm effectus directionis propriè dictæ. Nec ea reductio incipit à momento nativitatis; alioquin febre ardente per directionem interiturus anno ætatis 63, eo morbo à nativitate inciperet laborare, iſque ingraveſceret continuo ad annum 63; ideoq; natus nunquam ſanus eſſet. Similiter directione interficiendus, à geneſi inciperet interfici, quæ ſunt valde abſurda, eademque eſt ratio de cæteris. Quod verò Cardanus ait, ſed non probat, reductionem illam de potentia ad actum, eſſe per vim Solis, id infra ſuo loco examini ſubjiciemus: tantúmque hic ſcire ſufficiat ex ſupradictis, definitionem à Cardano traditam, non eſſe legitimam, quamvis in eo cum aliis conveniat, quod duo ſint directionis termini, ſeu limites cum intermedia utriuſque diſtantia, quorum alter ſignificator, alter autem promiſſor appellatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Alii verò omnes cenſent, quod Aſtrologica directio, ſit quædam deductio, ſive progreſſio, quâ terminus unus transfertur, vel transferri concipitur motu primi mobilis ad ſitum alterius, ad annos accidentium nati determinandos. Quod directionum munus hic addo, ob alias progreſſiones ab Aſtrologis excogitatas, ad ipſorum effectuum menſes, dieſque deſignandos, quas propriè non directiones, ſed progreſſiones vocitant, de quibus alibi dicemus. Situs autem alterius termini, eſt poſitionis circulus tranſiens per ipſum terminum, de conſenſu ſapientiorum Aſtrologorum: qui volunt quod dirigere nihil aliud ſit, quàm Æquatoris arcum invenire, qui aſcendit ſuper circulum poſitionis ſignificatoris, vel termini antecedentis, dum ad hunc circulum fertur ſequens terminus motu primi mobilis.

Quoniam igitur à momento nativitatis & durante vitâ & poſt mortem etiam nati, tales directiones ſignificatorum ad ſuos promiſſores fieri ſolent, ut ipſius nati accidentium anni detegantur; per inventionem ſupradicti arcus: & dirigere nihil aliud eſt apud omnes, quàm arcum illum invenire; ſequitur quod directio apud omnes hactenus Aſtrologos nihil aliud ſit, quàm ipſius arcus inventio, quacunque tandem viâ ipſe quæratur, ſive per ſphæræ materialis revolutionem, ſive per Tabulas idoneas.

Verùm doctrinam iſtam paulò altiùs ſcrutantes, ad ejus diſputandam caliginem, dicimus hic, directionem in genere eſſe deſignationem arcus Æquatoris, aſcendentis ſupra circulum poſitionis ſignificatoris, dum promiſſor motu primi mobilis fertur ad illum circulum, vel eſſe Æquatoris arcum interceptum inter duos circulos declinationis, quorum alter tranſit per locum promiſſoris in proprio ſitu, alter verò per eundem locum promiſſoris, dum motu primi mobilis tranſlatus fuerit ad circulum poſitionis ſignificatoris. In ſpecie vero duplicem eſſe directionem, alteram artificialem, alteram naturalem: proindeq; duplicem deſignationẽ ipſius arcus.

Artificialis directio, eſt deſignatio, vel inventio dicti arcus, ſive per ſphæræ materialis revolutionem, ſive per Tabulas idoneas, quam prius docendam ſuſcipiemus. Naturalis vero, eſt deſignatio dicti arcus, deductione promiſſoris ad circulum poſitionis ſignificatoris, per naturalem primi Cœli revolutionem primam, quæ incipit momento nativitatis. Et hæc eſt directio propriè dicta, quæ fuſiùs explicabitur Sectione 3. cap. 2.

CAPUT II.

De rerum à cauſis Cœleſtibus futurarum generibus: tam univerſim, quam in hominum ſpecie: & de quibus futuris pronunciet Aſtrologus.

PRiuſquam directionum doctrinam explicemus latiùs, caput hoc ideo nobis videtur præmittendum, quod juxta definitionem cap. 1. traditam, proprium munus directionum ſaltem naturalium, ſit res à corporibus cœleſtibus nato futuras præſagire, harumque tempora, ſive annos detegere, ut in ſequentibus docebitur. Ac proinde ſuppoſitis jam dictis Lib. 5. Sect. 3. cap. 1. circa rerum poſſibilitatem, contingentiam, & futuritatem, tum Lib. 12. Sect. 3. cap. 24. de Divina Providentia, fato, caſu, & fortuna, jam dicimus,

Rerum à corporibus cœleſtibus futurarum alias eſſe neceſſario futuras, alias tantùm contingenter.

Neceſſario futuræ ſunt, quarum poſitis cauſis, illæ naturali neceſſitate ſequuntur. Atque ſunt ipſæ duplicis generis: aliæ ſiquidem ſunt à ſolo motu corporum cœleſtium, ut æquinoctia, ſolſtitia, conjunctiones & configurationes Aſtrorum, Eclipſes, Novilunia, Plenilunia, &c. Qui motus cum ponatur ab omnibus Aſtronomis regulariſſimus & naturaliter inviolabilis, certum eſt, quod ſi ejus leges exactè innotuerint, illorum omnium vera tempora certiſſimè prædicentur: aliæ verò ſunt etiam ab activis cœleſtium corporum qualitatibus, ut variæ conſtitutiones anni, menſis ac diei, pluviæ, venti, ſerenitates, Cometæ, peſtes, diluvia, fames & ſimilia, quæ ab aſtris cauſantur pro diverſo eorum ſitu in Cœlo, diverſaque inter ſe connexione, nec non diverſo eorum ſitu ad Terræ globum, vel ejus partes. Nam quia horum effectuum cauſæ cœleſtes, nempe conjunctiones magnæ, Solis annuæ revolutiones, Eclipſes, &c. agunt neceſſario, nec illis unquam deeſt objectum circa quod, nimirum ipſe Terræ globus; ergo poſitis talibus cauſis, etiam neceſſario ponentur illarum effectus, niſi cauſis liberis involvantur, qualia ſunt bella, ſectæ, & ſimilia, de quibus infra.

Quod autem diximus de univerſali ſubjecto efficientiæ corporum cœleſtium, id à ſimili venit intelligendum de ſubjecto particulari, ut homine, circa cujus generationem dum agit Cœlum, ejus temperamentum, conformatio, ingenium, ac indoles, ſunt ab aſtris neceſſario, habitâ ratione diſpoſitionis propriæ ſeminis ac uteri. In his enim Cœlum impediri nequit, ne agat juxta diſpoſitionem ſubjecti patientis. Et quamvis effectus cauſæ alicujus cœleſtis particularis, ut ♄, impediri poſſe dicatur ab alia cauſa contrariæ virtutis, ut ☉, tamen quia ☉ æquè à ♄, ac ♄ à ☉ impediri concedendum erit; rectiùs dicetur utrumque Planetam agere, ſed in concurſu, alterum ab altero, vel retundi, vel depravari, quoad effectum qui utriuſque concurſu neceſſario producitur in ſubjecto paſſivo. Eademque eſt ratio de aliis duobus, vel pluribus Planetis in eundem effectum conſpirantibus, qui ſeſe quoad effectum juvant, impediunt, vel depravant, dum circa idem determinantur.

Contingentur vero futura ſunt ea, quorum poſitis cauſis, illa non ponuntur neceſſario, ſaltem in fieri, vel facto eſſe, quod ſcilicet ipſæ cauſæ impediri queant. Ac talia ſunt in genere bella, ſectæ & ſimilia; quorum cauſæ etſi in Cœlo vigeant, talium effectuum ſemina in his inferioribus effundentes: imò etſi rarius fruſtrentur effectu, ob majorem hominum propenſionem ad malum, quam ad bonum: Tamen quia pendent ab hominum libero arbitrio, ut causâ per ſe, & immediatâ; voluntas vero eſt ſuarum actuum domina, idcirco poſſunt eſſe, vel non eſſe, prout voluntas ſeipſam determinabit, vel ad obſequendum influxui cœleſti, vel ad ejus effectus prudenter avertendum: ideoq; prædici queunt tantum conjecturaliter. Nihilominus ex univerſali conſtitutione Cœli ad bella, poteſt tuto prædici bellum in genere: nam univerſalis conſtitutio, non ubique ſuo fruſtrabitur effectu: nec ſaltem alicubi deerunt Principes, aut nebulones ad bella propenſi, præſertim cum tales producat, vel jamdiu productos excitet ac moveat ipſa conſtitutio: ac ſufficiat unus ho-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

mo etiam plebeus ad bellum, Schiſma, ſectam & ſimilia in toto Mundo, vel ejus inſigni parte concitanda: ut patet ex Mahomete, Luthero, Calvino, Attila, & aliis. Eademque eſt ratio de cæteris Cœli conſtitutionibus univerſalibus ad alia vitia, aut virtutes, hoc eſt, generis humani depravationem perniciemque, aut reformationem ac utilitatem: quæ in hoc maximè differunt, quod reformatio alicujus Regni, vel Imperii non ſit hominis plebei ſuſceptum, ſed Regis, vel Imperatoris ad hoc cœlitus afflati, cujus indolem adjuvat authoritas. Rariſſimum verò ſit talem naſci Regem, vel Imperatorem, cui ſaltem accedat educatio indoli congrua, nec Conſiliariorum, vel aſtantium malis artibus decipiatur, aut depravetur.

At in particulari ſubjecto, ut homine, contingenter futura ſunt. Primò, quæ ad mores pertinent, licet hi, ut plurimum ſequantur temperamentum nativamque propenſionem. Dixit enim Deus ad Cain, *ſub te erit appetitus tuus & tu dominaberis illius.* Tum divitiæ, fratres, liberi, ſervi, conjux, itinera, religio, actiones, profeſſio, dignitas, amici, inimici, carceres, morbi: hæc enim omnia hominis voluntati, nec non prudentiæ, vel imprudentiæ ſunt obnoxia. Parentes vero non ſunt futuri cum præcedant, ſed nato futura ab illis, vel cum illis accidentia, ſignificantur. Tandem mors etſi neceſſario futura ſit, tamen ejus qualitas contingens eſt, ac diverſa eſſe poteſt. Nihilominus quæcunque homini naſcenti futura ſignificantur ab aſtris, ut plurimum evenire ſolent duabus de cauſis. Prima, quia homo, ut plurimum obſequitur propenſioni naturali ſibi ab aſtris impreſſæ in geneſi. Secunda quia homo defectu Aſtrologiæ, ignarus ſui fati præſertim infauſti, illud præſentiâ & prudentiâ immutare nequit. Quamobrem Aſtrologia non modo neceſſaria eſt, ſed ſæpiſſimè quoque vera in ſuis futurorum circa homines prædictionibus, utcumque apud ipſos homines ſit tantum conjecturalis, ut Medicina.

His verò intellectis jam dicimus. Quod Aſtrologus quæcumque futura à cauſis cœleſtibus prædicere poteſt, ſed non eodem modo. Nam quæ à ſolo motu corporum cœleſtium futura ſunt, certò prædicit per Aſtronomiæ leges. Quæ vero futura ſunt ab activis eorundem corporum qualitatibus, prædicit judiciariæ legibus, nec adhuc eodem modo. Aliter enim prædicuntur generales eventus, ut peſtes, bella, diluvia, &c. ab univerſalibus Cœli conſtitutionibus manantia: & aliter particulares effectus alicui naſcenti homini poſt geneſin ab aſtris futura, aut ſaltem ſignificata. Hæc enim prædicuntur per directiones & quo ad ſubſtantiam effectus & quo ad tempus: illa vero qualiter prænuncientur, & quo ad ſubſtantiam & quo ad tẽpus, ſuo loco explicabitur.

Porro particularis eventus homini poſt geneſin ſignificatus, certo prædicitur quo ad tempus exiſtentiæ ſignificatæ: ipſum enim tempus dependet à certa & definita diſtantia ſignificatoris à promiſſore: tum certo motu aſtrorum in revolutionibus & tranſitibus Planetarum in genituræ loca, qui pro ipſo eventu directioni congruant. Sed quoad exiſtentiam & ſubſtantiam prædicitur effectus ipſe duntaxat conjecturaliter ab humano ingenio, etſi conjecturâ quæ ſæpius certitudini æquipolleat. Ipſa vero effectus ſubſtantia, ſive natura, tripliciter prædici poteſt. Primò valde generaliter, ut quod natus aliquis mala, vel acerba morte morietur. Secundò ſpecialius, ut quod mors erit violentior. Tertiò ſpecialiſſimè: ut quod natus ſuſpendetur, vel capite truncabitur, vel ab hoſte occidetur, vel ſubmergetur, &c. & quidem prima prædictio ex primis Aſtrologiæ Elementis fieri poteſt. Reliquæ vero majorem merentur gloriam, ſed à quolibet ſuſcipiendæ non ſunt, præſertim ultima: nam præter excellens judicium Theoriâ illuſtratum, etiam expetunt diuturnam, atque multiplicem in propria & aliorum praxi exercitationem: eademque eſt ratio de cæteris. His ergo ſic expoſitis, jam agamus de ſignificatoribus & promiſſoribus effectuum naſcenti homini futurorum.

Caput III.

De rerum ab aſtris homini futurarum ſignificatoribus, eorumque generali definitione ac numero.

Nihil ab aſtris ineſt, vel futurum eſt homini, quod in ejus Themate natalitio non ſignificetur. Quæcunque vero ipſi inſunt, aut futura ſunt, generaliter pertinent, vel ad corpus, vel ad animam, vel ad fortunam ejus. Atque hæc rurſus genera in varias ſpecies diſtrahuntur. Res enim corporis complectuntur temperiem, conformationem, vitam, robur, ſanitatem: tum his contraria, morbos, læſiones, mortem. Res animæ, indolem, mores, ingenium, religionem, artes, ſcientias. Res tandem fortunæ, parentes, fratres, divitias, profeſſionem, dignitates, ſervos, uxorem, liberos, amicos, inimicos, itinera, libertatem, carceres, exilia. Horum igitur in figura genethliaca ſignificatores dari neceſſe eſt, ſi corpus anima & fortuna (quod nullus negabit in Aſtrologia practicus) ab aſtris afficiantur. A quibus ſignificatoribus non ſolum indicetur quid inſit naſcenti homini ratione corporis & animæ ipſo nativitatis momento, ed quid ei futurum ſit poſt geneſin in iis quæ pertinent ad corpus, animam & fortunam: qua de cauſa ſignificatores ipſi diriguntur, ut eventuum tempora præſciantur, ad exercitium prudentiæ circa eorum prævíſionem.

Cæterum inter Aſtrologos non exigua nobis occurrit diſſenſio circa ſignificatores ipſos. Ptolemæus enim Lib. 4. Quatrip. cap. 11. tantum ſumit quinque ſignificatores dirigendos pro cunctis accidentibus nato fututuris: nempe Horoſcopum pro valetudine & peregrinatione: partem fortunæ pro facultatibus: Lunam pro animæ moribus & converſatione: Solem pro dignitate & gloria: tandemque medium Cœli pro cæteris vitæ actionibus & procreatione liberorum. Cardanus autem in Commento non ſolum huic adhæret ſententiæ quam laudat, dicens illos quinque ſignificatores eſſe ſubjecta ſufficientia omnium bonorũ & malorum quæ à Planetis & cuſpidibus nomorum nato queunt accidere, ſed ibidem quoque redarguit Haly, qui ſeptem Planetas, & duodecim cuſpides pro ſignificatoribus dirigendis aſſumebat, quem tamen Schonerus lib. 3. & alii ſequuntur. At Cardanus ſuo more ſibi non conſtans in fine Commentarii ad Lib. 3. evertit Ptolemæi ſententiam; ſiquidem pro ſtatu animæ dirigit Lunam ☉ & ☿, & pro ſtatu corporis Lunam, ☉ & Horoſcopum. Aphoriſmo autem 39. libri 3. dirigere jubet Planetas & fixas, & radios etiam Planetarum ad ſecundam

cundam domum pro divitiis, faciens cuſpidem ipſam divitiarum ſignificatricem, alioquin radii Planetarum eſſent ſignificatores, contra mentem omnium Aſtrologorum: quidni ergo omnes aliæ cuſpides erunt etiam ſignificatrices? Lib. autem de Judic. Genit. cap. 4. dirigit Venerem, ut ſignificatricem ad ☍ ♃ pro ſui matrimonii tempore. Poſtea verò cap. 5. numerat 10 ſignificatores, nimirum 7 Planetas, Horoſcopum, medium Cœli, & ☌, vel ☍ luminarium, quæ geneſim proximè anteceſſit. At cap. 5. & 6. Libri de Revolutionibus, & Aphor. 137. Libri 31, agnoſcit pro ſignificatoribus 12 domorum cuſpides & Planetas 7, quos inter ſe diverſimodè combinat, & rejicit ☌ antecedentem. Quid pluribus opus eſt, ut Cardani de hac re detegatur inconſtantia?

Etſi autem alii alia circa dirigendos ſignificatores eorúmque numerum cenſuerint, tamen communior fuit hactenus inter Aſtrologos Ptolemæi ſententia de ſupra dictis 5 tantum ſignificatoribus, quamvis Sixtus ab Heunninga Aſtrologus Apoſtata, velit in ſuo Libro Aſtrolog. Refut. omnes effectus nato futuros reduci debere ad 4 duntaxat ſignificatores, Horoſcopum, Cœli medium, Solem atq; Lunam, quæ ignorantia inferiùs Lunâ ipsâ opacior oſtendetur, quámque perperam eos ſolos dirigat pro cunctis nati accidentibus. Origanus autem Parte 3. Membro 4. cenſet 5. ſupra dictos Ptolemæi ſignificatores, eſſe quidem principales, omnes tamen Planetas & domorum cuſpides eſſe dirigendas. Hæc igitur de numero ſignificatorum controverſia ad nos uſq; promanavit: nec quiſquam ſuæ opinionis rationes ullas attulit, niſi forſan frivolas, quales Cardanus expoſuit ſupradicto Comm. in cap. 11. lib. 4. Quatrip. pro 5 ſignificatoribus Ptolemæi, dicens. *Nam hæc ſunt ſubjecta omnium bonorum & partium domus. Bona enim quædam animi, quædam corporis, alia fortunæ. Bona animi à Luna decernuntur, corporis autem ab aſcendente, fortunæ principaliſſima à Sole, gloria & dignitates, mediocria à ſorte, minima à Cœli medio. Rurſus conjunctorum, ut filiorum & uxoris, à Cœli medio & à Luna. Igitur cum nihil deficiat, ſufficiet hæc loca direxiſſe.* Sic Cardanus, verùm hæc ratio nihil probat, niſi idem per idem: nempe quod bona animi ſint à Luna, quia talia bona ſunt à Luna, vel ſint prorpia ſignificata ipſius ☽, ùt ait ibidem, atque ſic de reliquis. Quid ergo mirum ſi hæ ſimileſq; rationes ridiculæ, Aſtrologiam ludibrio apud Philoſophos expoſuerint?

Porro quinarius ille dirigendorum ſignificatorum numerus, non parum innititur inveterato Aſtrologorum errori de ſignificatoribus per ſe, vel, (ut loquitur Cardanus lib. de Revol. cap. 5.) ſecundum ſubſtantiam, quem libro 21. Sect. 1. cap. 3. refutavimus. Non enim validior ratio afferri poteſt à Cardano, cur Sol dirigatur pro vita, gloria, dignitatibus, Patre: Luna autem pro animæ moribus, Matre, Uxore; quàm quia ☉ & ☽ ſunt horũ ſignificatores per ſe, vel ſecundum ſubſtantiam, quod tamen ipſe Cardanus minimè probat. Præterea ſi ideo pro illis diriguntur, ob illam rationem: cur ob eandem non dirigentur 12 domorum cuſpides, & 7 Planetæ, quos Cardanus ipſe ſupradicto cap. facit ſignificatores ſecundum ſubſtantiam diverſorum accidentium illis attributorum, ipſorum verò dominos, ſignificatores ſecundum accidens eorundem eventuum? verbi gratia, ſi ideo Luna dirigetur pro uxore, quia ☽ ♀ & cuſpis ſeptima ſunt uxoris ſignificatrices ſecundũ ſubſtantiam, ut cenſet eodem cap. 5. Earum verò diſpoſitores, ſive domini, ſignificatores ſecundum accidens: cur ſimiliter reliquæ domorum cuſpides, tum Planetæ congruentes cuſpidum ſignificationibus, ut ☉ & ♄ pro patre ſive quarta domo, ♃ pro divitiis, ſive ſecunda non dirigentur? Nimiùm igitur patet ex ſupradictis, quàm incerta, confuſa ſibiq; contraria ſit Cardani doctrina circa ſignificatores dirigendos: in qua etiam cum cæteris omnibus Aſtrologis ex eo maximè erravit, quòd nullus eorum hactenus dixerit ſignificatores quos vocat ſecundum accidens: verbi gratia, dominum Horoſcopi pro vita, valetudine, &c. quatenus eſt dominus Horoſcopi: Dominum M.C. pro actionibus & honoribus quatenus eſt dominus M. C. atque ſic de cæteris. Nec ſimiliter Planetas in domibus inventos direxerint pro ſignificatis ipſarum domorum, ut ♀, in decima poſitam, pro actionibus, vel honoribus, ♃ in ſeptima conſtitutum pro ingenio, &c. cum tamen experientia probet illorum directiones eſſe multò certiores pro ipſis effectibus, quam Planetarum ſignificatorum ſecundum ſubſtantiam eorundem effectuum, niſi ad hos corporeo ſitu, vel dominio determinentur in figura. Et hoc quidem ſubolfeciſſe videtur Junctinus Comm. in cap. 12. lib. 3. Ptolemæi pag. 396. ubi poſtquam appoſuit ſignificationes 7 Planetarum ſecundum ſubſtantiam, ſubjungit. *Hæc per ſe ſinguli Planetæ in directionibus ſignificant, & pro eventu harum ſignificationum dirigi ſolent. Interim accidentales ſignificationes aſſumunt à natura domorum in quibus conſtituuntur, & quibus imperant, quæ ex domiciliorum naturis facilè colligi poſſunt.* Verumtamen nunquam Planetas ipſos dirigit ratione ipſarum ſignificationum accidentalium, verbi gratia, ♃ in ſeptima, aut dominum ſeptimæ pro conjugio, &c.

Ut vero explanetur hæc difficultas, priùs definiendum videtur, quid ſit in genere ſignificator apud Aſtrologos. Cardanus ſupra citatus, ait, ſignificatores eſſe ſubjecta bonorum & malorum quæ à Planetis & cuſpidibus domorum nato queunt accidere; ſed ipſe decipitur. Nam bonorum & malorum quæ nato queunt accidere, non eſt aliud ſubjectum quam ipſe natus cui accidunt. Cum autem bonorum & malorum quæ homini accidunt, varia ſint genera, & alia ad vitam ſpectent, alia ad actiones, alia ad amicos, &c. quæ quidem genera ad duodecim domos pertinentia ſunt ſubjecta diverſorum accidentium ſuſceptiva, ut vitæ, ſanitatis & morbi; actiones, fœlicitatis & infœlicitatis: patet etiam quod Horoſcopus vitæ ſignificator, non ſit ſubjectum cui morbus, aut ſanitas accidat, hoc eſt, non ſit ipſa vita, atque ſic de reliquis. Igitur Horoſcopus vitæ ſignificator nullo modo eſt ſubjectum eorum quæ nato accidunt. Quid ergo eſt?

Hic ſanè elucet doctrinæ à nobis traditæ Lib. 21. Sect. 2. cap. 1. & alibi veritas ſolida. Nimirum quod Horoſcopus ideo dicatur vitæ ſignificator, quoniam circa nati vitam ſignificat, quæ vita dici poteſt primæ domus ſubjectum, quod ab Horoſcopo efficaciſſimè repræſentatur. Et Cœli medium dicatur ſignificator actionum, quia circa nati actiones ſignificat, quæ decimæ domus ſubjectum dici queunt à decima domo repræſentatum: atque ſic de reliquis

ſigni-

ſignificatoribus. Unde deducitur quod ſignificator in Aſtrologia, nihil aliud ſit quam ſubſtantia cœleſtis, hoc eſt, pars Cœli, vel Planeta, circa ſpeciem aliquam accidentium nati ſignificans ſeipſo, determinationis ratione: ex quo etiam dicitur ſignificator ipſius ſpeciei, vel ſubjecti, quatenus per directionem afficiendi: quâ quidem definitione excluduntur ſignificatores univerſales, quos Cardanus vocat ſecundum ſubſtantiam, Nos autem analogos; niſi prout in figura cœleſti determinati fuerint. Tum aſpectus qui nos ſignificant ſeipſis, cùm non exiſtant ſeipſis, ſed per Planetas à quibus manant, habentque duntaxat eſſe relativum.

Ex hac vero definitione ſequitur tot eſſe pro directionibus ſignificatores in genere, quot ſunt Planetæ & domus cœleſtes: ſunt autem 7 Planetæ præcipui, & 12 domus cœleſtes, hoc eſt primi Cœli partes, 12 figuræ ſpatia occupantes, quarum virtus potiſſimum viget in cuſpidibus. Igitur, ut volebat Haly, erunt 19 ſignificatores, quamvis ſint tantum 12 ſignificata generalia pro 12 domibus: quibus ſi cum Ptolemæo addatur ⊗, erunt 20 ſignificatores. Ut enim cuſpis decima ſingulariter dirigitur pro ſignificatis decimæ domus, & Horoſcopus pro ſignificatis decimæ; ita cæterarum domorum cuſpides principaliter dirigendæ ſunt pro ſignificatis domorum ipſarum: indeque probari poteſt verus & naturalis modus conſtructionis figuræ cœleſtis, qui qualiscunque ſit, directiones probant primam & decimam domum ſaltem eſſe rectè conſtitutas.

Cæterum per 7 Planetas, non ſunt intelligenda ipſorum Planetarum corpora, ſed eorum loca fixa in primo mobili, ſive partes ipſius primi mobilis ad ipſorum Planetarũ naturam determinatæ momento nativitatis, habita ratione eorum ſtatus Cœleſtis atque Terreſtris, prout Lib. 20. atque 21. uberrimè fuit expoſitum. Et ratio eſt, quia Planetæ ſunt in perpetuo motu, & à momento nativitatis recedunt à locis quæ ipſo momento occuparunt. At Aſtrologus dirigendo non attendit ad errantium Planetarum loca continuò per motum diverſa, ſed duntaxat ad loca momento nativitatis occupat, quæ ſunt fixi directionum termini, & partes primi mobilis à Planetis determinatæ. Siquidem Aſtrologus ad judicium ferendum de rebus præteritis, præſentibus & futuris circa natum per influxum cœleſtem, contemplatur figuram genethliacam, hoc eſt, Cœli conſtitutionem momento nativitatis, ut aliquod Dei, vel naturæ, aut potius Divinæ Providentiæ per cauſas naturales, decretum fixum; in quo naturalibus characteribus nati fata ſunt exarata, ſolis Aſtrologis cognoſcibilia. In eaque conſtitutione veluti fixa & invariabili, tam Cœli, quam Telluris reſpectu, metitur pro directionibus diſtantias etiam fixas promiſſorum à ſignificatoribus. Ergo in conſtitutione genethliaca attendit duntaxat ad Planetarum loca fixa, Cœli Terræque reſpectu, non autem ad Planetarum corpora mobilia: ideoque illa dirigit habitâ ratione ipſorum naturæ, tum ſtatus Cœleſtis & Terreſtris quem momento nativitatis ſortiti ſunt illis in locis: ac per conſequens, ut figura cœleſti Planetæ ipſi determinati fuere; ergo dirigit Solem, ☽ & cæteros Planetas duntaxat, ut cauſas particulariter determinatas, non autem, ut cauſas univerſales quas Cardanus vocat ſecundum ſubſtantiam: quæ profecto Cardani, Ptolemæi & aliorum directiones, ſunt chymericæ & perabſurdæ, ideoq; ſemper erroneæ, niſi talibus cauſis univerſalibus acceſſerit determinatio particularis circa id pro quo diriguntur. Quid enim abſurdius, quam Solem in duodecima domo peſſimè affectum ſigno, & radiis maleficorum, velle pro gloria & dignitatibus nati dirigere; cum ſic affectus planè cõtraria portendat ſua determinatione atq; ſtatu: nempe hoſtes, morbos, carceres, exilia, &c?

Cæterum quamvis 20 tantum ſignificatores admittamus in genere, nimirum 12 domorum cuſpides, 7 Planetas, & ⊗, eſt nihilominus ſciendum, quod Planeta quilibet multiplicem poteſt in eadem figura ſortiri ſignificatoris rationem, nam quot modis circa natum determinari poteſt, totidem quoque poteſt ſortiri ſignificatoris rationem. Poteſt autem Planeta idem eſſe in una domo figuræ, & dominus alterius, vel plurium: ergo erit ſimul tempore ſignificator diverſorum accidentium ad illas diverſas domos pertinentium, ſimulq; pro illis omnibus dirigetur, ut fuſius infra dicetur. Viciſſim vero quælibet ſpecies accidentis ad natum pertinens, vel cujuſque domus ſubjectum poteſt multos ſimul habere ſignificatores: verbi gratia, vita ſignificatur ab Horoſcopo ejuſque domino, tum à Planeta in prima domo ejuſque domino: honores à medio Cœli, ejuſque domino, tum à Planeta in decima domo ejuſque domino: ideoque medium Cœli ejuſque dominus, Planeta in decima, ejuſque dominus pro honoribus & actionibus dirigi debent, ſaltem ſub diverſa ratione, ut ſuo loco explicabitur: eademq; eſt ratio de cęteris.

Eſt autem in his omnibus ſignificatoribus ordo quidam obſervandus. Siquidem ſignum aliquam domum occupans ejuſque dominus, ſunt primarii ſignificatores accidentium ipſius domus, ac principaliſſimus eſt ea ſigni pars quæ cuſpidem occupat & domum inchoat, ut patet ex directionibus Horoſcopi & medii Cœli. Planeta vero qui reperitur in ipſa domo, ſignificat habitum, vel privationẽ ipſius accidentis, juxta ſuam naturam, ſtatum & determinationem: ac ſi plures Planetæ in eadem ſint domo, propinquior cuſpidi, præſertim analogus & fortis, præfertur cæteris in illa ſignificatione, & in ſignificato habitu deſignat ejus qualitatem pro ſua natura: Planetæ autem aſpicientes ſignificant juvamen ad habitum, vel privationem, pro ſua etiam natura & ſtatu & ſpecie affectus: & ex horum omnium miſcella de accidentium ſignificatione pronunciandum eſt.

Caput IV.

De rerum homini ab aſtris futurarum promiſſoribus, eorumq; definitione ac numero.

Promiſſor ſic nobis videtur definiendus. Quod nempe ſit pars primi mobilis, circa ſpeciem aliquam accidentium nati determinata, vel ſecundus directionis terminus, prout aliquid futurum præſagit per ſe, circa ſubjectum à ſignificatore repræſentatum, aut nato ratione talis ſubjecti. Sic ♂ circa vitam ab Horoſcopo repræſentatam, portendit ipſi vitæ periculum morbo, vulnere, morte, vel ipſi nato ratione vitæ.

Per partem vero primi mobilis, intelligitur pars determinata non modo ratione proprii ſitus in figura, ſed præſertim à cujuſvis Planetæ corpore, vel aſpectu determinata, vel ut brevius eloquar, intelliguntur loca corporum & aſpectuum Planetarum in primo mobili, prout in figura genethliaca determinantur. Sicque quoniam ſunt ſeptem Planetæ, quorum cujuſlibet ſunt aſpectus 11, nempe bini ⋕, ✶, □, △, ⛤, cum ☍, ac præterea cu-

juſque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

juſque Planetæ antiſcium, ergo erunt 91 promiſſores!, & cum ⊕ erunt 92.

Cardanus Lib. de Judic. Genit. cap. 5. annumerat ambos nodos, ſeu ☊ & ☋ ☽ ♄ ♃ ♂ ♀ ☿: ſed hæc puncta nullius ſunt efficaciæ, ſeu virtutis propriæ, etſi velint Aſtrologi ☊ eſſe naturæ ♃ & ♀, ☋ vero naturæ ♄ & ♂. Nam virtus ipſa eſſet eadem ubique locorum: jam vero punctum Eclipticæ, quod nobis eſt ☊, ſive nodus aſcendens Lunæ, Auſtralibus eſt nodus deſcendens, & nodus nobis deſcendens, eſt illis aſcendens: ergo ejuſdem nodi ſimul tempore eſſet diverſa virtus univerſalis, quod abſurdum eſt. Quælibet enim pars Cœli, vel quilibet Planeta, aut ejus aſpectus, eſt ejuſdem virtutis univerſalis, ſeu quatenus in Cœlo ſpectatur. Quod ſi dicatur eſſe diverſam reſpectu diverſorum populorum, quatenus idem punctum eſt ſimul tempore aliis aſcendens & aliis deſcendens, quæram qualis ſit virtus capitis, aut caudæ draconis ☽, dum in Zona torrida puncta illa ſunt in ipſo Zenith, ubi nec aſcendere, nec deſcendere dici queunt, nec proinde diſtingui capitis, aut caudæ nomine? Non enim erunt ibi utriuſque virtutis, ergo & ibi & ubique Terrarum nullius ſunt virtutis. Sed quia Planetæ eo deprehenduntur efficaciores, quo ſunt Eclipticæ viciniores, quo autem viciniores ſunt ſuis, vel ☽ nodis, eo ſunt Eclipticæ propinquiores; hoc Aſtrologos fefellit, arbitrantes majorem illam efficaciam eſſe à nodis Lunæ, aliorumve Planetarum per ſe.

Quod verò ad Planetarum terminos attinet, quos tantâ fiduciâ omnes admittunt Aſtrologi in promiſſorum numerum, ut ex directione Horoſcopi ad terminos ♄, aut ♂ etiam mortem violentam Cardanus, Junctinus, & alii poſt Ptolemæum prædicere, vel aſſerere non erubeſcant, quique ſunt numero 60: non eſt opus quod in ipſis refellendis hic immoremur, cum Terminorum vanitas Lib. 15. cap. 13. à nobis ſufficientiſſimè detecta ſit.

An denique domorum cœleſtium cuſpides poſſint eſſe promiſſores, ut nonnullis placet Aſtrologis, ita ut Origanus Parte 3. Membro 4. cap. 1. etiam dirigat Horoſcopum ad cuſpides domorum 2. 3. & 4. inferius cap. 7. diſcutiemus.

Caput V.

De Significatoris & Promiſſoris formali inter ſe differentia: tum aliis eorum differentiis.

Significator & promiſſor in eo conveniunt, quod uterque ſit pars primi mobilis, circa ſpeciem aliquam accidentium nati determinata, ſed in multis inter ſe differunt.

Primò, in hoc formaliter differunt, quod ſignificator per ſe repræſentet ſubjectum directione afficiendum, vel circa quod natus eſt afficiendus: Promiſſor verò ſignificet affectionem à ſe producendam. Semper enim affectio producitur juxta naturam promiſſoris. Inde autem ſequitur alia formalis etiam differentia: quod nempe ſignificator concurrat tantùm ſubjectivè ad effectum directione futurum: Promiſſor verò efficienter, ac ut formam introducens, completæ directionis tempore. Probat enim experientia, quod idem ſignificator, ut Horoſcopus, vel medium Cœli, vel Sol, eodem modo concurrens in directione cum diverſis promiſſoribus ſequentibus, diverſos cauſat cum illis effectus in ſingulis directionibus: Diverſitas autem illa non eſt efficienter à ſignificatore, qui eſt idem eodemque modo concurrens, ſed à promiſſoribus qui ſunt diverſi naturâ, determinatione, & concurrendi modo. Quod inde confirmatur, quia ſinguli effectus aſſimilantur ſuo promiſſori ratione naturæ & determinationis, veluti eadem cera liquefit à calore & coagulatur à frigore. Econtra verò idem promiſſor eodem modo concurrens cum diverſis ſignificatoribus antecedentibus, diverſa tamen efficit in ſingulis directionibus. Diverſitas autem illa non eſt efficienter à ſignificatoribus inter ſe diverſis, quia effectus ſemper eſt juxta naturam & determinationem promiſſoris; ergo eſt tantum ſubjectivè à ſignificatoribus diverſa ſubjecta repræſentantibus: quo pacto idem Sol calore ſuo lutum indurat, ceramque liquefacit, at ſuo influxu aliud efficit in Planeta, aliud in bruto, & aliud in homine ob ſubjecta diverſa in natura & diſpoſitione. Quamobrem Cardanus nobis videtur hic reprehendendus, qui 3 Aphoriſmorum Libro, 26 Aphoriſmo, ait. *Locus ſignificatoris naturam præſtat eventus, ſignificator formam, promiſſor efficientem, & reſpicientes Planetæ auxilia & impedimenta rei futuræ.* Ubi per locum ſignificatoris, intelligitur figuræ domus quæ eſt de materia, vel ſubjecto afficiendo; per ſignificatorem, Planeta exiſtens in ipſa domo: qui quidem à radice formam quandam, vel diſpoſitionem ſubjecto ad quod determinatur, vel nato circa ipſum influit, ſed conſtantem toto vitæ decurſu. Ut ♀ in prima domo, nato mores influit Venereos tota vitâ duraturos: at per directionem Veneris ad ♄ his moribus alia accidit forma, ſive affectio de natura ♄: ideoque forma in directionibus, non eſt à ſignificatore, ſed à promiſſore, qui eſt Planeta, vel radius.

Secundò, differunt, quod non omnis ſignificator poſſit eſſe promiſſor, ut patet de domorum cuſpidibus. Nam has tantum ſubjectivè concurrere in directionibus, nec habere rationem efficientis infra probabitur. Viciſſim autem non omnis promiſſor poteſt eſſe ſignificator, ut patet de aſpectibus, qui alioquin eſſent ad ſe mutuo dirigendi contra experientiam. Hi enim per ſe non ſignificant, cum per ſe non exiſtant, ſed per aſpicientes Planetas. At omnis ſignificator ex definitione ſignificat ſeipſo: itaque ſoli Planetæ poſſunt eſſe ſignificatores & promiſſores. Etenim ſignificant ſubjectum, vel ſpeciem accidentis ad quam corporeo ſitu determinantur, & actualem à radice impreſſionem in nato circa ipſam, ac eatenus ſunt ſignificatores. Inſuper autem præſagiunt aliquid futurum circa ſpeciem accidentis ab aliquo antecedente ſignificatore repræſentatam: ſicque promiſſores exiſtunt.

Tertiò, differunt, quod omnis ſignificator rem aliquam præſentem ſignificet, actuque exiſtentem, nempe radicalem nati diſpoſitionem ab ipſo ſignificatore in geneſi ſuſceptam, circa accidentis ſpeciem, ad quam ſignificator ipſe pro ſua natura ſtatuque Cœleſti ac Terreſtri determinatus eſt: Promiſſor autem, ut ſic, ſaltem in geneſi quid abſens, tantúmque potentiâ exiſtens, proindeque futurum præſagiat.

CAPUT

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Caput VI.

Pro quibus dirigi debeat quilibet ſignificator.

Circa hoc frequentiſſimè hallucinantur errantque turpiter Aſtrologi, doctrinæ Ptolemæi, Cardani, cæterorumque Veterum nimis addicti, cum ſuis ſignificatoribus univerſalibus, quos Cardanus ipſe vocat ſecundum ſubſtantiam; dirigentes, verbi gratia, Solem in qualibet geneſi pro vita, Patre, honoribus, &c. nulla habita ratione determinationis Solis in figura natalitia.

Quod autem Sol non ſit ſub ea ratione dirigendus, probatur ſic à priori. Nam quidquid dirigitur, pro iis tantum dirigi debet, quorum in geneſi ſignificator exiſtit; hoc eſt, quorum ex geneſi poteſt eſſe cauſa: quilibet autem ſignificator habet duntaxat à figuræ domibus, quod in geneſi ſignificator exiſtat: quidquid enim ſignificatur, eſt de alicujus domus eſſentiali ſignificato. Id verò habet Planeta quilibet per ſuam in figura determinationem corpore, dominio, vel aſpectu, ſicque ſit ſignificator particularis reſpectu nati; nec omnia cauſat in qualibet geneſi, ſed hoc in una, & aliud in altera, prout à ſingulis diverſimodè determinatur. Igitur Planeta quilibet pro iis tantum dirigendus eſt quæ particulariter in figura ſignificat. Nam ſublata particulari ſignificatione, nullum effectum habere poteſt univerſalis. Siquidem eſt ſignificatoris determinare promiſſorem ad aliquod genus effectus, quod tamen efficere nequit ſignificator ſpectatus univerſaliter. Sol enim ita ſpectatus non potius vitam quam patrem, aut dignitates ſignificat, ſed hæc omnia, aliaque, divitias, fratres, liberos, conjugem, &c. indifferenter. Unde nil mirum ſi ex talibus directionibus aliud prædici ſoleat, aliud vero plerumque contrarium eveniat; quod imponit Aſtrologiæ, datque adverſariis anſam cavillandi.

Iam vero domorum cuſpides determinantur particulariter ad ſignificata domorum ſuarum; in quibus tamen accidit interdum commutatio. Nam directiones medii Cœli plerumque nuptias, carceres, morbos, ipſamque mortem inferunt per egregia facinora, duella, prœlia, caſus ab alto, & alia, quæ ab hominis actione proficiſcuntur. Nam medium Cœli eſt ſignificator actionum, ideoque boni & mali finis ipſarum. Similiter Horoſcopi directio ad Solem, ☽, & dominum medii Cœli fortunatum, cauſat honores, quorum ipſe Horoſcopus non eſt per ſe ſignificator, ſed ipſius nati: at diximus directionis effectum eſſe, tam à ſignificatore, quam à promiſſore, & utrumque ad ipſum juxta ſuam concurrere determinationem, quod præcipuè notandum eſt.

Planetæ vero multipliciter determinantur: quippe ſitu corporeo, dominio, aſpectu, exaltatione & Triplicitate. Ac ſitus corporeus Planetæ in aliqua domo fortior eſt ejuſdem dominio in altero, juxta illud vulgatum, *plus valet præſentia Planetæ, quàm abſentis dominio*, & hoc fortius eſt aſpectu, &c. ideoque directiones Planetarum pro eorum ſignificatis particularibus ratione ſitus corporei atq; dominii, valdè ſunt efficaces: pro ſignificatis autem ratione aſpectus, exaltationis & Triplicitatis; vix ullius ſint effectus ſenſibilis, ſaltem ſolæ & per ſe. Nec tamen negandum eſt, quod ♂ quadratus Horoſcopo, vel ejus domino, ſignificet circa vitam, probat enim experientia, quadratum ♂ ad Horoſcopum, hujus ſignificata pravè afficere. Imò quia ♂ domos òmnes aſpicit, ergo circa omnium ſubjecta ſignificat, debilius quidem ubi cadunt debiliores radii ⌗ ✶ ⛤, fortius, ubi cadunt fortiores ☍ △ □, ſed fortiſſimè ubi inſuper ipſe ♂ corpore, vel dominio viget. Quamobrem tantum dirigendus eſt pro his quæ corpore, vel dominio ſignificat, non autem pro his quæ tantum aſpectu, ſaltem debili. Nec opus eſt, ut ♂ Quadratus Horoſcopo dirigatur pro vita, cum Horoſcopus ipſe pro vita dirigatur, quatenus □ ♂ læſus; ſpectatur enim ſtatus ſignificatoris. Mars tamen in ſuis directionibus, erit ob illud □ conſiderandus, ut vitæ inimicus, ideoque periculoſior eſſet ejus directio ad dominum Horoſcopi ſequentem.

Porro in ſignificatore ſpectanda eſt natura propria, ejus analogia cum iis quæ ſignificat, tum etiam ſtatus. Leo enim in Horoſcopo aliud ſignificat circa vitam quam ♏, aut ♊, & Scorpius aliud quam ♈, etſi duo hæc ſigna ſint ejuſdem Planetæ. Similiter Sol honorum ſignificator, alios quam ♄ honores ſpecie ſignificat, & ♄ alios quam ♀. Præterea Sol honoribus eſt analogus, ſed eiſdem Saturnus contrariatur præſertim malè affectus. Hæc igitur & ſimilia ſunt in ſignificatoribus attendenda, ut pro quibus dirigenda ſint, & quis inde ſperandus ſit effectus conſtet evidentius.

Objicitur: Cujuſlibet hominis vitam eſſe à Sole, neque id negare poſſe. Ergo illum eſſe in qualibet geneſi vitæ ſignificatorem, ideoque in qualibet eſſe pro vita dirigendum.

Reſpondeo primò: Solem, Lunam & cæteros Planetas eſſe vitæ cauſas univerſales; quia ad viventium omnium generationem concurrunt univerſaliter, ut quatuor Elementa. Dum autem in aliqua geneſi qææritur cauſa vitæ, intelligitur particularis, & in ipſa geneſi ad vitam determinata, non autem univerſalis. Alioquin Luna, ♄, ♂, &c. eſſent in ſingulis figuris æquè pro vita dirigendi atque Sol, quod etiam ut Sol concurrant univerſaliter, id autem eſſet maxima confuſio, quæ nihil quam errores pareret.

Reſpondeo ſecundò: Solem eſſe cauſam univerſalem duntaxat per calorem actualem & ſenſibilem, quem ſolus hic inferioribus communicat, non autem per influentiam, quæ communicatur duntaxat per particularem determinationem ſitu, dominio, aſpectu, &c. quo pacto Planeta ſit cauſa particularis. Effectus autem directionum ſunt tantum ab influentiis: ergo tantum à cauſis particularibus & determinatis.

His vero intellectis jam aliud inquiramus. Supponatur eſſe ☉ in undecima domo, vel dominus undecimæ, quo pacto circa nati amicos determinatus eſt: quæritur pro quibus ſit dirigendus, an pro amicis, ut ſciatur quid illis accidet, an vero pro nato, ut innoteſcat quid ipſi circa amicos eveniet?

Cui quæſtioni reſpondeo: Eſſentialia domorum ſignificata, nempe vita, divitiæ, fratres, &c. conſtitui eſſentialiter per relationem ad natum, quatenus ab illis, vel in illis afficiendum; non autem quatenus ipſa ſignificata ſunt in ſe afficienda. Natus enim eſt unicum ſubjectum quem conſtitutio cœleſtis primario reſpicit, cuique eveniunt cuncta accidentia à Planetis & ſignis, prout in figura deter-

determinantur ſignificata. Et idcirco naſcente Petro unigenito ex mendicis parentibus, non afficiuntur à Cœlo ejus divitiæ, fratres, conjux, liberi, ſervi, &c. ſed ipſe impreſſionem cœleſtem ſuſcipit, quâ circa hæc activè, aut paſſivè determinatur & afficitur: idque benè, aut malè, prout in harum rerum domibus congrui, vel incongrui Planetæ naturâ & ſtatu reperiuntur corporaliter, vel iis præſunt.

Igitur ex directione Solis in undecima, vel domino undecimæ ad △ ♃, benè afficietur natus circa amicos, ſed ad □ ♄, aut ♂ malè. Poterit tamen aliquid boni, aut mali amicis accidere, quia ut dignitates amittantur, ſic amici. Non autem amittuntur quin plerumque iis aliquid mali contingat in vita, fortuna, &c. vel à ſe, vel à nobis, vel ab aliis. Eademque eſt ratio de ♄, aut ♂ in tertia, qui mortem fratrum ſignificat, ſed ſignificatio & directio primò, & per ſe ad natum pertinent, quem in amicis fratribus infortunatum fore portenditur. Magna tamen dignum eſt admiratione, quod virtus figuræ nati ſic alios quoque afficiat, ut qui ♄, aut ♂, aut ambos habuerit in tertia, viſurus ſit mortem fratrum, aut ſororum ſuarum, ſive ſit major, ſive minimus, ſive medius nati, ut patet ex me qui habeo ♂ in tertia, & Nobiliſſimo D. Tronſono, qui habuit ♂ & ♄ in tertia. Dum enim malefici in tertia fratrum privationem nato portendunt, conſequenter illis minantur interitum nato ſuperſtite. Sicque ♄, aut ♂ in ſeptima, conjugis & hoſtium mortem ante nati obitum præſagiunt: ex quibus concludi poteſt, quod etſi quilibet ſignificator, ſive ſit cuſpis, ſive Planeta, duntaxat dirigendus ſit pro iis quæ particulariter ſignificat ratione ſuæ determinationis in figura: idque primario quatenus in illis, vel ab illis, aut circa illa natus afficitur; ſecundario tamen dirigi quoque poteſt pro rerum ſignificatarum ſtatu & futuris accidentibus, ſi præſertim res ipſæ fuerint perſonæ, ut fratres, parentes, liberi, conjux, &c.

Similiter ſit ☉ in duodecima domo. Quæritur pro quibus ſit dirigendus, & quis futurus ſit effectus illius directionis?

Reſpondeo, dirigendum eſſe pro nati hoſtibus occultis, carceribus, morbis, cæteriſque afflictionibus corporeis. Non quatenus in ſe afficiendus primò, & per ſe, ſed prout natus ab illis afficiendus eſt. Cum enim ☉ in duodecima ſit talium rerum particularis ſignificator, ergo promiſſor omnis ad illius circulum tranſlatus producet effectum in nato de genere rerum ipſarum, tam juxta naturam & ſtatum ſignificatoris, quam juxta naturam, ſtatum & determinationem promiſſoris. Atque idcirco Horoſcopus, vel ejus dominus tranſlati ad illum circulum minantur nato morbos, carceres, inimicos occultos. Dominus autem ſeptimæ tranſlatus ad eundem circulum, portendit etiam nato afflictionem corpoream, ſed ex parte conjugis, litis, vel hoſtis aperti. Eademque eſt ratio de ☉ in decima pro actionibus ſuſceptis & dignitatibus.

Sit rurſus ♂ dominus quartæ in ſexta, Luna autem in decima, cujus □ in ſeptima, quæritur quis futurus ſit effectus directionis ♂ ad □ ☽?

Luna in decima eſt actionum nati ſignificatrix, ejuſque □ in ſeptima nato lites & contentiones portendit. Mars autem parentes atque ſervos ſignificat. Tantum igitur combinanda eſt ſignificatio ipſius □ Lunæ in ſeptima cum ſignificatione Martis: igitur nato prædicendæ ſunt lites, ſive contentiones cum parentibus, aut ſervis, aut utriſque; aut animalium causâ, quod nempe directionis effectus ad natum ſit primario referendus: totaque prudentia & ſupremus ſcientiæ gradus verſatur circa ſignificatoris & promiſſoris ſignificationum combinationes faciendas, ut oportet. Multa autem combinari queunt in directione qualibet: quamobrem ſingulæ combinationes poſſibiles erunt disjunctim prædicendæ, niſi ex revolutionis figura pateat, quid præcipuè futurum ſignificetur, tunc enim hoc præcipuè prædicetur.

Caput VII.

Quotuplex ſit directio: an Planetæ & domorum cuſpides contra ſignorum ſucceſſionem dirigendæ ſint: tum quis directionis terminorum dicendus ſit ſignificator, & quis promiſſor, & qua ex cauſa.

Aſtrologi omnes duplicem exponunt directionē. Prima dicitur ab illis directa, ſive ſecundum ſignorum ſucceſſionem, ſive in conſequentia: qua volunt terminum antecedentem ſub ratione ſignificatoris, ferri ad promiſſorem ſequentem. Hoc autem perperam aſſeritur, cum è contra promiſſor, ſive terminus conſequens motu primi mobilis transferatur ad ſitum, ſive poſitionis circulum ſignificatoris, ut habeatur arcus directionis, qui nihil aliud eſt, quam differentia aſcenſionum, ſive rectarum, ſive obliquarum utriuſque termini, ſumptarum in circulo poſitionis termini antecedentis, non autē ſequentis; vel eſt arcus Æquatoris, aut ejus paralleli, interceptus inter promiſſorem ſequentem & circulum poſitionis ſignificatoris, aut inter duos declinationum circulos tranſeuntes per promiſſorem, ſpectatum in ſitu proprio, & in circulo poſitionis ſignificatoris, cujus arcus inventio, dicitur à Nobis artificialis directio. Secunda vocatur ab illis converſa, ſive contra ſignorum ſucceſſionem, ſive in antecedentia, quâ utuntur pro Planetis retrogradis & ⊕. Et qua ſignificator conſequens fertur ad promiſſorem antecedentem, eodem primi mobilis motu, ut habeatur directionis arcus, omnino, ut in prima directione. Siquidem in utraque aſcenſiones rectæ, vel obliquæ ſumuntur in circulo poſitionis termini antecedentis, quod in hunc feratur conſequens motu primo, non contrà. Ac proinde cum in utraque idem ſit motus primi mobilis, eademque ratio inveniendi arcum directionis, non inde duplex directio, ſed unica videtur ſtatuenda.

Dicetur autem aliunde ipſam eſſe duplicem, quod nimirum in directa promiſſor, vel efficiens ſequatur ſignificatorem, in converſa verò procedat, proindeque in directa terminus antecedens ſubeat rationem ſubjecti afficiendi, conſequens vero rationē efficientis, vel afficientis: in converſa autem ſit contrarium.

Sed non exigua hic occurrit difficultas tam de Planetis, quam de domorum cuſpidibus dirigendis: an, ſcilicet, idem terminus ſpectari debeat, tum, ut ſignificator, tum ut promiſſor reſpectu ejuſdem alterius termini ſequentis, vel antecedentis, ſicque ſimul tempore ſubire rationem ſubjecti & efficientis; quaſi ſimul tempore duæ fiant directiones diverſorum effectuum, altera directa termini antecedentis ad conſequentem, altera converſa conſequentis ad antecedentem ipſum?

Quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Quod autem id non ſit admittendum, probatur ratione & experientiâ. Quoniam enim ambæ directiones contingunt ſive complentur eodem momento temporis, quòd ſcilicet idem ſit utriuſque directionis arcus eodem modo ſumptus: ſi una aliud efficit quàm altera, ergo quoties duo quilibet Planetæ, aut Planeta & cuſpis directione concurrunt, vel completur tempus directionis unius ad alterum, duplex ſemper erit efficientia talis concurſus, contra ſolitum cauſarum concurrentium agendi modum; proindeque duo ſemper contingent diverſi effectus totales ſimul tempore, contra experientiam. Si verò una non aliud efficiat quàm altera, ſequetur ſuperfluam eſſe ipſarum alteram, quod etiam abſurdum eſt, & à natura alienum. Non ergo idem terminus directionis ſubit ſimul tempore rationem ſignificatoris & promiſſoris, reſpectu ejuſdem alterius termini ſequentis vel antecedentis: Ac proinde à directione directa ♄ in duodecima ad Horoſcopum vel ♀ in prima, non alius erit effectus, quam à directione converſa Horoſcopi vel ♀ in prima ad ♄ In duodecima, ſed ut eſt unicus ac idem cauſarum concurſus: ſic ex ipſo unicus ac idem prodibit totalis effectus, ipſarum cauſarum naturis, ſtatui, ipſique concurſui conformis ac proportionatus.

Objicies. Inde tolli partis fortunæ, Planetarumque retrogradorum converſam directionem, contra omnes Aſtrologos.

Reſpondeo primò: Nullam eſſe cauſam Aſtrologis, cur ſortem tantùm converſè dirigant; cùm ipſa ſucceſſu temporis moveatur in conſequentia, hoc eſt ſucceſſivè augeatur numero graduum in Ecliptica ſequentium, non ſecus ac Horoſcopus, à quo ipſa dependet: Ideoque illam potiùs dirigendam eſſe ad ſequentes promiſſores, non ſecus ac Horoſcopum ipſum & Planetas directos. Quod verò ad Planetas retrogrados attinet, videntur quidem dirigendi in antecedentia; nimirum ad illos promiſſores, ad quos apparenti motu proprio ferebantur, momento nativitatis; ſi nempe directiones inſtituendæ ſint juxta apparentem motum proprium Planetarum, & non potiùs juxta communem à primo Mobili: ſed occurrit ſemper difficultas ſupra poſita, ſi promiſſor fuerit Planeta directus, cui ut ſignificatori competit eàdem motus ratione directio in conſequentia: nimirum quod ſimul tempore vel duplex ſit directio eorumdem terminorum ad ſe mutuò cum duplici effectu, quod ſuperiùs rejectum eſt, vel quod tunc unica ſit directio cum unico effectu, veluti ſtatutum eſt. Hoc autem poſito, quis terminorum erit ſignificator & quis promiſſor? Vel quis erit pro ſubjecto afficiendo, quis autem pro afficiente cauſa? An Planeta retrogradus? An antecedens directus? Hic profectò circa rem difficillimam rurſum impingimus; quandoquidem nulla videtur eſſe ratio favens uni potiùs quàm alteri termino. Neque dicatur talem non occurrere difficultatem, dum Planeta retrogradus dirigitur ad Planetarum aſpectus antecedentes, quos duntaxat promiſſores eſſe, non autem ſignificatores aſſeruimus Cap. 4. Nam ſi aſpectus antecedens poteſt eſſe promiſſor, reſpectu Planetæ ſequentis; Cur non multò magis Planeta antecedens? At hic eſt etiam ſignificator reſpectu Planetæ ſequentis; ergo ſemper remanet difficultas de duplici ſignificatore ac duplici promiſſore, in eadem duorum terminorum directione.

Augetur autem difficultas à domorum cuſpidibus, quæ ſi converſè dirigantur ad antecedentes Planetas, aut hi directè ad illas, producuntur effectus circa ſubjectum cuſpidis juxta naturam, determinationem atque ſtatum Planetæ antecedentis; ut frequenti moleſtaque experientiâ didici ex meæ nativitatis Themate, quod habet ♀ ☉ ♃ ♄ atque ☾ in 12 domo; quorum directiones ſingulæ ad Horoſcopum, vel hujus ad illos, ſemper malos produxerunt eventus in mea perſona quam Horoſcopus repræſentat: Idemque deprehendi in pluribus aliis genituris tam circa Horoſcopum quàm circa medium Cœli; ut proinde his in directionibus cuſpides tantùm ſubeant rationem ſignificatoris ſive ſubjecti, vel nati in ipſo ſubjecto vel circa ipſum afficiendi, non ſecus ac ſi dirigerentur ad promiſſores ſequentes: Idque alibi propriis exemplis fuſiùs oſtendetur.

Quamobrem tanta difficultas ex jam ſupradictis videtur nobis ſic dirimenda, ut nempe primò dicamus: Uuicam duntaxat eſſe dirigendi viam, quâ ſcilicet terminus ſequens motu primi Mobilis deferri concipiatur ad circulum poſitionis termini antecedentis; quandoquidem hoc fit in omni directione; & utriuſque termini aſcenſiones ſumantur in circulo poſitionis termini antecedentis. Qui autem defertur, ſolus propriè dirigi dicendus eſt, contra vulgarem loquendi modum, à quo propterea deinceps abſtinendum cenſemus.

Secundò. Directionis effectum non eſſe ab unico termino, ſed ab amborum concurſu. Veluti ſi ♂ in ſecunda dirigatur ad Horoſcopum, erit morboſa vel lethalis directio: Morbus autem nec erit à ſolo Horoſcopo, ad quem nempe ſi dirigeretur ♃, carens præſertim dominio in duodecima vel octava, non fieret morbus: nec à ſolo ♂, qui niſi dirigeretur ad Horoſcopum non fieret morbus: Ergo eſt ab utriuſque concurſu. Eademque eſt ratio de cæteris.

Tertiò. Utrumque terminum efficienter non concurrere ad effectus productionem; ſed duntaxat alterum, qui nempe confert ſpeciem effectui, vel hunc ſpecificè determinat. Alius enim duntaxat influit diſpoſitionem in ſubjecto, vel in Nato circa ipſum, ad effectum; An ſcilicet ſubjectum ipſum, vel Natus, talem effectum paſſurus ſit necne. Qui autem efficienter vel activè concurrit, promiſſor vocetur, ſive ſit Planeta, ſive aſpectus, ſive antiſcium. At qui ſubjectivè vel paſſivè concurrit, hoc eſt cujus ſubjectum ſpecificè determinatur ab altero termino, vocetur ſignificator; ſive ſit cuſpis, ſive Planeta, ſive ⊕, quæ à luminaribus & Horoſcopo dependens, mediam inter cuſpides & Planetas naturam æmulatur.

Hoc autem duntaxat intelligendum eſt reſpectu effectus à directione futuri: Nam abſolutè loquendo, tam promiſſor quàm ſignificator, ſunt cauſæ effectrices & ſigna, ex Cap. 7. Sect. 1. Lib. 21. ſignificator enim eſt cauſa efficiens diſpoſitionis ſubjecti in directione: Et promiſſor

eſt ſignum ſive ſignificator formæ vel ſpeciei effectus per directionem producendi. Ut enim cauſæ Cœleſtes dicuntur ſigna effectuum quos producunt: ita ſunt effectrices eorum quæ ſignificant. Hæc enim ſunt reciproca ex illo capite.

Quartò. Domorum cuſpides ſive dirigantur ad antecedentes terminos, ſive ad eas termini ſequentes dirigantur, eſſe tantùm ſignificatrices; concurrunt enim tantùm ſubjectivè; hoc eſt pro ſubjectis ad quæ determinantur, quatenus afficiendis; vel pro Nato circa ipſa. Nec officit quod ☉ in duodecima dirigi queat ad ♀ in Horoſcopo partiliter poſitam ut ad promiſſorem: Nam etſi ♀ & Horoſcopus ſint idem ſitu, non tamen ſunt idem naturâ; nec idem ambo ſimul, quod alterum ſeorſim. Hæc enim tria, prima cuſpis, Horoſcopus, & ♀ in Horoſcopo ſic differunt. Prima cuſpis eſt circulus duntaxat imaginarius, dividens mundanum ſpatium duodecimæ domus à mundano ſpatio primæ, vel primarias domos 12 & 1. Horoſcopus eſt pars primi Mobilis, vel potiùs initium partis ipſius Cœli quæ in primo verſatur ſpatio; cui toti parti vis ineſt in vitam ratione determinationis; major autem ipſi Horoſcopo, ſeu initio, non quatenus eſt punctum, ſed quatenus eſt talis partis initium: ♀ autem in Horoſcopo, eſt ♀ locus ad vitam fortiſſimè determinatus, vel eſt ipſemet Horoſcopus virtute venerea infectus. Idemque cenſeto de ⊕, quæ tantùm ſubit rationem ſignificatoris ſive ſubjecti. Aſpectus autem & antiſcia ſunt tantùm promiſſores vel efficientes.

At de duobus Planetis cum fuerint ejuſdem directionis termini, difficilius eſſe dignoſcere quis eorum ſignificator aut promiſſor exiſtat, ſive fuerint in eadem figuræ domo, ſive in diverſis, quandoquidem uterque ex ſe poteſt eſſe ſignificator & promiſſor in directionibus: De hoc autem nobis ita videtur ſtatuendum. Si fuerint ambo in eadem domo, certum eſt utrumque Planetam circa idem ſubjectum, vel idem genus accidentium Nati, corporeo ſitu eſſe determinatum; ideoque effectum futurum eſſe ipſius generis, ſaltem corporea determinatione Planetarum. Qui verò antecedit, propinquior eſt cuſpidi ipſius domus; ideoque validiùs influit circa ſubjectum ipſum, aut in Natum circa ipſum, partes enim domus antecedẽtes ſequentibus efficaciores ſunt, & cuſpis eſt omnium efficaciſſima: Igitur cæteris paribus antecedens ut efficaciùs circa ſubjectũ determinatus, hoc repræſentabit efficaciùs, vel pro ipſo efficaciùs ſubjectivè concurret, quatenus à ſequentibus terminis afficiendum eſt; proindeque afficietur à ſequente termino per directionem, non contrà; Atque ſic antecedens erit ſignificator, ſequens verò promiſſor. Veluti ſi ☉ & ♂ dominus Horoſcopi fuerint in decima domo Marte ſequente; uterque circa honores futuros ſitu corporeo determinatus eſt, atque diſpoſitionem influit ad ipſos, juxta naturam ſuam atque ſtatum: ſed ☉ cuſpidi vicinior, efficaciùs; proindeque erit principalis terminus directionis, nempe ſignificator, qui ſubjectum, hoc eſt honores ſolares afficiendos vel determinandos ſignificat: Aliter enim honores ſolares ſignificati afficiuntur vel determinantur à ♃, aliter à ♂, aliter à ☿, &c. Igitur ex directione ♂ ſequentis ad ☉ antecedentium in decima, honores ſolares, hoc eſt illuſtres contingent, non cujuſvis naturæ, ſed martiales ſive militares ab ipſo ♂: Atque ſimiliter cenſendum de cæteris. Sic mihi ☉ & ♄ ſunt in duodecima morborum ſignificatores; Sol autem cuſpidi vicinior eſt: Ideoque anno currente 8 à nativitate, ex directione ♄ ad ☉, morbus Saturninus mihi accidit, febris nempe quartana, & quidem ☉ cuſpidi vicinior genus morbi ſignificabat, nempe febrem, Saturnus autem ſpeciem effecit ſive contulit. Eademque eſt ratio in aliis. Dixi autem ſupra, ſaltem corporea determinatione Planetarum; nam aliis determinationibus ut dominio, producetur effectus aut genere diverſus, aut ſaltem in ipſo genere modificatus juxta ipſas determinationes alias. Dixi præterea cæteris paribus: Nam ſi ſequens fuerit dominus ipſius domus, vel ejus eſſentiali ſignificato analogus, forſan efficaciùs ſubjectivè concurret: ut ♄ in duodecima pro morbis aliiſve ſignificatis duodecimæ quibus eſt analogus: quamvis parum aut nihil intereſſe videatur, ſive dixerimus morbos Saturninos à ♄ ſubjectivè repræſentatos, ſpecificari à ☉ per differentiam febris: ſive morbos ſolares inter quos febris numeratur, ſpecificari à ♄ per differentiam quartanæ; cùm hinc febris Saturnina, illinc verò Saturnina febris (quod idem eſt) ſignificetur. Imò videatur potiùs aſſerendum Solem in duodecima ſolares morbos portendere, Saturnum autem Saturninos, ex eorumque concurſu in directione fieri morbum de natura Solis atque ♄, qualis eſt febris quartana. Similiter Sol in decima, dignitates ſolares præſagit, ♂ dominus primæ in decima militares; ergo ex eorum concurſu in directione, honores militares regios vel inſignes præſagiri certum eſt. Eademque eſt ratio in cæteris, quando uterque Planeta, ex ſe ſuoque ſtatu & determinatione, futurum accidens ſignificat de genere illius domus quam occupat: ſi enim ♂ in decima pravè affectus, nec Horoſcopi dominus, potiùs honorum everſionem portenderet; hæc ab illa directione accideret: quod magis adhuc arguit, Planetam ſequentem proprias vices gerere promiſſoris.

At ſi duo Planetæ fuerint in diverſis domibus, ideoque circa diverſa ſpecie ſubjecta determinati, eaque ſubjectivè repræſentantes; major videtur eſſe difficultas definiendi, quis alterum pro ſpecie accidentis directione futuri determinet, vel quis fungatur vice promiſſoris. Verùm ſi ad ☽ in duodecima dirigatur □ ♄ ex prima, erit □ ipſe promiſſor vel efficiens, cùm nequeat eſſe ſignificator ex ſupradictis: Ideoque ☾ erit ſignificatrix, vel ſubjecti afficiendi repræſentativa, reſpecti □ ♄: Cur non ergo reſpectu ipſius ♄, à quo eſt illius □ vis & efficientia ſi ♄ ipſe eſſet in prima. Præterea ſi ponatur ☾ in duodecima, dicendum non eſt quod ♄ ſive ex duodecima, ſive ex prima, ſive ex ſecunda, ad illam dirigatur, idem ſpecie prodeat effectus; ſi quidem ♄ non concurrit per ſuam duntaxat naturam, ſed per ſuam quoque determinationem, quæ diverſa eſt in diverſis domibus: Ideoque pro diverſa determinatione ♂ diverſus erit effectus. Similiter ſi ad ☽ in duodecima dirigantur plures Planetæ; alius ex duodecima, alius ex prima, alius ex ſecunda diverſi

prodi-

prodibunt effectus à ſingulis directionibus, ut experientia probat: Luna autem eſt eadem in ſingulis, hoc eſt ejuſdem naturæ determinationis atque ſtatus; ergo diverſitas effectuum, hoc eſt formæ ipſorum diverſæ, fient à ſingulis Planetis ſequentibus, ob diverſas illorum naturas atque determinationes, ut deducitur ex Elementis; proindeque concurrentes activè, promiſſores vocabuntur ex ſupradictis.

Nihilominus dici quoque poteſt generaliter, quod in concurſu duorum quorumlibet terminorum, quibus ſeorſim nomen ſignificatoris congruere poteſt, prudenter advertendum eſt quodnam ex ſubjectis diverſis quæ ſeorſim ab illis terminis ſignificantur, ſit aptius pati vel determinari ab altero: vel potiùs per quod ex illis ſubjectis naturalius ſit & congruentius Natum pati ab altero ſubjecto; tum circa hoc indicandum. Ut ſi Horoſcopus dirigatur ad ☽ in duodecima, congruentius eſt Horoſcopi ſubjectum, hoc eſt Nati perſonam, vitam, temperamentum, mores, ingenium; pati, affici vel immutari à ſubjecto duodecimæ, hoc eſt morbis, carcere, exiliis, &c. quàm contrarium: ſicque terminus antecedens reipſa erit promiſſor vel efficiens: Idemque cenſendum ſi Mercurius dominus Horoſcopi in nona Nati perſonam dominio ſignificans, ad ♂ in octava dirigeretur; Mars enim mortem ſignificans promiſſoris vices exercebit, Mercurius verò ſignificatoris.

Quintò dicimus. Duplicem admittendam eſſe Planetarum & cuſpidum directionem. Unam quâ termini ſequentes motu primi Mobilis ferri concipiuntur ad circulum poſitionis Planetæ vel cuſpidis antecedentis: Et hæc directio vocatur directa ſive in conſequentia; quòd ſcilicet ſignificator terminos ſequentes reſpiciat. Alteram verò quâ terminus ipſe antecedens fertur ad circulum poſitionis alterius antecedentis termini; & hæc vocatur converſa, ſive in antecedentia. Ac ejuſdem cuſpidis vel Planetæ utraſque directiones ad diverſos terminos ante & poſt eſſe advertendas, non ſecus ac ſi Planeta ſimul tempore ferretur aliquo directionis motu ad terminum antecedentem dum exciperet ſequentem; quòd nempe directiones utræque ſint efficaces, ut experientia probat. Semper tamen in qualibet directione advertendum eſt, quodnam è terminorum ſubjectis diverſis, aptius ſit ab altero pati, ut ſuperiùs dictum eſt; ſique ambo termini in eadem fuerint domo, videndum erit ex ſupradictis quis eorum efficaciùs pro ipſa domo ſubjicietur; ut nempe conſtet quis terminus reipſa ſit promiſſor & quis ſignificator.

Eſt autem hoc admiratione dignum, quod idem promiſſor eodem modo concurrens cum diverſis ſignificatoribus, diverſa tamen efficiat in ſingulis directionibus: Ac diverſitas illa non eſt efficienter à ſignificatoribus, quia effectus ſemper eſt juxta naturam & determinationem promiſſoris: ergo eſt tantùm ſubjectivè à ſignificatoribus; quo pacto idem Sol lutum indurat, ceramque liquefacit calore ſuo. Similiter idem ſignificator ut Horoſcopus vel Medium Cœli vel ♃ in prima, eodem modo concurrens cum diverſis promiſſoribus, diverſos cum illis cauſat effectus in ſingulis directionibus: Diverſitas autem illa non eſt efficienter à ſignificatore qui eſt idem eodemque modo concurrens; ſed à promiſſoribus qui ſunt diverſi naturâ determinatione & concurrendi modo; quod inde confirmatur, quia ſinguli effectus aſſimilantur ſuo promiſſori ratione naturæ, vel determinationis, vel utriuſque: veluti eadem cera liquefit à calore, & coagulatur à frigore.

Objicies. Conceſſa cuſpidum directione in antecedentia & conſequentia, tolli præcipuam certioremque viam rectificandi geneſes per accidentia Nati: Non enim certiùs rectificantur, quàm per inventionem veræ poſitionis angulorum figuræ: Invenitur autem per directiones Horoſcopi aut Medii Cœli ad ſignificatores congruos pro accidentibus præteritis. Jam verò ſi morbus æquè accidit à directione Horoſcopi ad ſequentem Martem in prima, atque ab ejuſdem Horoſcopi directione ad Martis antecedentem in duodecima; dici nequit an Mars præcedat vel ſequatur Horoſcopum; nec proinde quis Eclipticæ gradus Horoſcopet: ſimiliterque judicandum de directionibus Medii Cœli pro honoribus vel actionibus. Non ergo eidem ſignificatori duplex directio aſſignanda eſt. Vis autem directionum in conſequentia eſt omnibus Aſtrologis notiſſima: Ergo ſignificator quilibet tantùm dirigendus eſt in conſequentia.

Reſpondeo primò: Poſſe quidem ex utraque directione morbum accidere, quòd Horoſcopus ſit vitæ & valetudinis ſignificator, quas ab utravis directione malè affici morbus eſt: ſed poſſe quoque ab iiſdem directionibus diverſos effectus produci: quippe à Marte in prima morbum aut vulnus vel uſtionem; à Marte autem in duodecima, morbum, carceres, exilium: quippe quod in utraque directione Mars agat juxta naturam propriam & ſuam in figura determinationem; ad alia autem determinetur in prima & ad alia in duodecima: ſicque à Medio Cœli ad Jovem in decima vel undecima contingent dignitates potiùs ſeculares, niſi Jupiter ſit dominus nonæ; ad Jovem autem in nonâ itinera, vel Eccleſiaſtica profeſſio: A Medio Cœli ad Martem in undecima, honores militares amicorum ope; ſi præſertim Martis ſtatus & determinatio conſentiat; ad Martem autem in octava vitæ pericula, vel etiam mors violenta.

Reſpondeo ſecundò. Geneſin aliquam accuratè non poſſe rectificari per unicum accidens ad Horoſcopum pertinens, verbi gratiâ morbum, ob cauſam in objectione dictam: ſed plura ſemper requiri accidentia, ut ſaltem tuta ſit atque certa rectificatio. Jam verò ſi reliqua accidentia correſpondeant ſuis cauſis juxta rectificationem directionis Horoſcopi ad Martem ſequentem, erit hæc rectificatio vera atque tuta: ſi verò ſuis cauſis correſpondeant juxta rectificationem directionis Horoſcopi ad Martem in duodecima, hæc erit cenſenda verior; non enim correſpondebunt juxta utramque. Non ergo converſa cuſpidum directio tollit vel enervat rectificationem geneſis per plura accidentia Nati præterita; præſertim quod accidentium diebus, Planetarum tranſitus plerumque fiat per cuſpides ipſas, de quibus tunc major eſt certitudo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Objicies 2. Si directiones converſæ cuſpidum & Planetarum valerent, non ſecus ac directæ, ergo dum Horoſcopus converſè dirigetur ad Martem in duodecima anno à geneſi 15; accidet morbus, carcer, exilium, vel quid ſimile de genere ſignificati duodecimæ domus, juxta naturam ſtatumque ♂: ſed anno circiter 345 ſi tandiu vixerit homo, ut ante diluvium; producetur iterum idem ſpecie accidens, vel alius ſpecie dum Horoſcopus dirigetur ad Martem ſecundum ſucceſſionem ſignorum. At quia Mars & Horoſcopus in utraque directione ſe habent eodem modo; nempe Horoſcopus ut ſubjectum, & ♂ ut efficiens vel promiſſor, agens utrobique eâdem naturâ & determinatione; producetur potiùs bis idem ſpecie accidens, quàm alius ſpecie: utrumque vero videtur abſurdum: promiſſor enim id quod ſe facturum ſignificat & pollicetur, ſemel tantùm adimplet.

Reſpondeo. Neutrum eſſe abſurdum vel contrarium actionibus corporum cœleſtium. Dum enim homines vivebant 800 aut 900 annis, neceſſe erat ut Horoſcopus ad eundem promiſſorem pluries dirigeretur juxta ſignorum ſeriem: Quidni ergo duæ directiones ejus ad ♂ in duodecima, eundem ſpecie morbum producerent, nimirum quælibet febrem tertianam, aut etiam ſpecie diverſos, cùm morborum martialium plures ſint ſpecies; aut morbum in prima directione, in ſecunda verò carceres; Quod autem promiſſor ſemel tantùm adimpleat, id quod ſe facturum ſignificat, hoc falſum eſt. Nam quoties directione in antecedentia vel conſequentia ſubinde concurrit cum alio termino ſignificatore, ſemper aliquid novi efficit juxta diverſitatem termini, ſuamque naturam ac determinationem: Ideoque etſi in duodecima corpore duntaxat determinetur circa morbos, carceres, exilia, hoſtes occultos; tamen in his ſuos effectus per directiones ad terminos diverſos mirum in modum evariat. Quid ergo efficiet inſuper ſi ſpectetur ſecundum ſua dominia in aliis domibus? Similiter Horoſcopus vel alius ſignificator, etſi circa ſubjectum quod generice repræſentat ratione domus, vel in Nato circa ipſum, duntaxat unum ac idem influat; tamen hæc impreſſa vis ſive diſpoſitio, eſt quid univerſale reſpectu diverſorum effectuum illius generis, qui à diverſis promiſſoribus produci queunt.

Dicetur quidem à nonnullis ex directione Horoſcopi ad ♂ antecedentem, fieri morbum culpâ Nati; quod Horoſcopus feratur motu primo ad promiſſorem: At ex directione ♂ ſequentis ad Horoſcopum fieri morbum, Nato nihil ſponte propria conferente; quòd Horoſcopus expectet promiſſorem ad ſe venientem, vel hic in illum irruat. Sed inde ſequeretur nihil boni aut mali Nato accidere per Horoſcopi directiones ad promiſſores ſequentes, Nato ipſo efficaciter aut ſponte propria concurrente; quod experientia reluctatur. Etſi enim Horoſcopus, hoc eſt Natus ab illo repræſentatus, ſe habeat ſubjectivè aut paſſivè in directionibus; hoc tamen intelligendum eſt duntaxat, quatenus benè aut malè afficitur juxta naturam & determinationem promiſſorum; non autem quod nihil efficiat, unde talis affectio illi contingat.

Objicies 3. Cuſpis decimæ domus eſt quid immobile. Ergo non transfertur ad ullum terminum antecedentem: ergo non dirigetur.

Reſpondeo. Quod etſi cuſpis decimæ domus vel decima domus ſit quid immobile in ratione ſpatii: tamen pars Cœli culminans eſt mobilis motu primo; Ideoque per hunc transfertur ad ſitum promiſſoris antecedentis; ideoque dirigitur, & objectio ſolvitur.

Caput VIII.

Quo variæ directionum artificialium methodi apud Aſtrologos uſitatæ proponuntur, & falſæ rejiciuntur.

TAntam in Aſtrologia peperit confuſionem diverſitas dirigendi; ut dubitetur adhuc à pleriſque de vera methodo hanc operationem totius Artis præcipuam inſtituendi.

Junctinus commento in cap. 12. lib. 3. Quatrip. à pag. 381, varias exponit circa rem iſtam veterum opiniones, inter ſe pugnantes nulliſque rationibus ſuffultas, quas hîc repetere tædioſum ac inutile foret. Totius verò ſumma diſcurſus in hoc conſiſtit; quòd alii dirigant per gradus æquales: hoc eſt ſumant in Ecliptica longitudinem ſignificatoris & promiſſoris ſine latitudine; tum deinde utriuſque longitudinis differentiam: Hæc enim (ut volunt) eſt directionis arcus tot annis æquivalens, quot erunt gradus in ipſo arcu. Alii verò dirigant per aſcenſiones graduum Æquatoris; eaſque rectas tam pro ſignificatore quàm promiſſore, ſi ſignificator fuerit in circulo recto ſive Meridiano, obliquas verò ſi fuerit in obliquo: hoc eſt Horiſonte vel altero poſitionis circulo intermedio, per ſectiones Horiſontis & Meridiani ducto; quarum aſcenſionum differentia erit directionis arcus. Ait autem Junctinus ſibi videri ſecurius dirigere ſecundum utrumque modum; videlicet & per gradus æquales & per aſcenſiones graduum Æquatoris; ſed quia nullam ſuæ opinionis rationem affert, poteſtque duntaxat unicus dirigendi modus eſſe verus & naturalis; idcircò patet Junctinum tres hîc nobis in re maximi momenti opiniones obtrudere, duas nempe veterum, & ſibi propriam; quarum utra ſit verior adhuc controvertitur: Propria verò Junctini ſeipſam evertit. Nam ſi eadem fiat directio per modum æqualem & per aſcenſiones, quum directionis arcus ſecundum ſingulas erit diverſus ut ferè ſemper accidit, neceſſe erit alteram eſſe falſam; ac errare circa tempus futuri eventus definiendum: quamobrem de ipſo tempore ſemper incertus eſſet Aſtrologus. Itaque ſupereſt examinandum utra ex aliis duabus ſit vera & naturalis, quod ſola ratione & experientiâ definiri poteſt.

Et quidem in rebus ignotis intellectui experientia priùs ſemper conſulenda eſt; cùm nihil ſit in intellectu quod priùs non fuerit in ſenſu: Atque certum ſit falſa non niſi caſu & per accidens cum experientia coincidere, quæ verò ſemper vel ſaltem ut plurimùm experientiæ congruunt, ipſa eſſe vera; ac intellectum movere ad ipſius veritatis indagandam rationem; ut proinde non

abs

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

abs re dici queat, rationem eſſe filiam experientiæ. Jam verò præterquam quod directio per gradus æquales à mente Ptolemæi prorſus eſt aliena; qui vult in omni directione promiſſorem & ſignificatorem differre ſitu; hoc eſt poſitionis circuli; quod tamen non eſſet, ubi darentur duo Planetæ differentes longitudine in ipſa Ecliptica, coincidente cum Horiſonte vel altero poſitionis circulo; ut frequenter accidit ultra latitudinem 66 graduum 30′: probat experientia quod illa ſit etiam falſa; idque facilè patebit ſi quis voluerit cuncta vitæ accidentia hominis ſexagenarii variis caſibus agitati, per ipſam dirigendi methodum ad cauſas proprias reducere: Videbit enim id eſſe impoſſibile. Nec objiciatur quoſdam veterum ut Albumazurem. Alkubitium, Meſſahalam & alios quos Junctinus recenſet, hoc dirigendi modo uſos fuiſſe. Id enim forſan illis accidit, quòd modus ipſe omnium ſit facillimus; alter autem per aſcenſiones longè difficilior, præſertim ſignificatore extra angulos conſtituto; ſive inſtituatur juxta viam Ptolemæi, à paucis hactenus intellectam, ſive per Tabulas aſcenſionum tunc temporis nondum editas. Unde nil mirum quod plerique tantum laborem ſubterfugientes, aut veram dirigendi methodum ignorantes alteram ſint amplexi, cùm Cardanus ipſe circa 3 dirigendi vias à ſe expoſitas; invicem & à Ptolemæi mente diſcrepantes, enormiter aberraverit; ut ex Valentino Naiboda probat Maginus ad finem libri de legitimo Aſtrologiæ in Medicina uſu; quamvis in aſſignandis futurorum effectuum temporibus ſæpius decepti ſint, utcunque promiſſorum numerum Planetarum terminis adauxerint.

Porrò quod falſa ſit hæc dirigendi via, iſta etiam ratio reddi poteſt: quia nempe nequit promiſſor habere per ſuam duntaxat diſtantiam à ſignificatore ſumptam in Ecliptica penes utriuſque longitudinem, quòd producat effectum circa ſubjectum à ſignificatore repræſentatum: ſed neceſſe eſt ut ad talem effectum determinetur: quandoquidem Planetæ non agunt circa particularia, niſi ratione determinationis ſuæ, ut fusè oſtenſum eſt lib. 21. Quod autem determinatio per ſitum corporeum ſit promiſſori neceſſaria, ex eo patet; quia ſive Planeta promiſſor, dominetur loco ſignificatòris, ſive non; ex illius ad hunc directione, effectus ipſe producitur: ergo ratione determinationis per ſitum corporeum ipſius promiſſoris ſimilem ſitui ſignificatoris, reſpectu Horiſontis; ratione cujus ſimilitudinis promiſſor Planeta dum dirigitur ad Horoſcopum, idem efficit ac ſi eſſet in Horoſcopo. Atqui promiſſor ſimilem illum ſitum obtinere nequit, niſi ad ipſum transferatur per motum Æquatoris ſive primi Mobilis; ergo directionis arcus non per Eclipticæ, ſed per Æquatoris gradus erit menſurandus: Æquator enim transfert corpora cœleſtia ad domorum ſpatia antecedentia, non autem Ecliptica: Et ex cunctis cœleſtibus circulis, ſoli poſitionum circuli, ſunt virtutis corporum cœleſtium determinativi, ut evidentiſſimè conſtat ex domorum circulis poſitionum, non autem Ecliptica, vel Æquator, vel latitudinis aut declinationis circuli: quod autem de promiſſore Planeta dictum eſt, etiam de aſpectibus intelligatur.

Quamobrem tam ratione quàm experientiâ dirigendi methodus per gradus æquales Eclipticæ reſpuenda eſt: etſi per accidens contingat interdum eam experientiæ congruere; qua de re dicemus adhuc initio Sectionis ſecundæ.

CAPUT IX.

Quod dirigendi via per aſcenſiones à Ptolemæo tradita, ſit naturalis & vera, ſed hactenus à paucis intellecta.

VIam dirigendi per aſcenſiones jam Aſtrologorum pars maxima ſequitur, ſed quamvis illam Ptolemæo ferant acceptam, tamen circa ejus mentem in varias opiniones divulſi, diverſas etiam dirigendi methodos per aſcenſiones introduxerunt, dum alii ipſis aſcenſionibus, alii verò æquivalentibus horariis temporibus & ſemidiurnis arcubus ipſi Ptolemæo uſitatis, arcum directionis venari contenderunt.

Etſi autem dirigendi methodus per horaria tempora prolixior ſit quàm per ipſis aſcenſiones graduum Æquatoris, nihilominus parum intereſſet quo ex illis duobus modis fieret directio, dummodo idem utrimque prodiret directionis arcus, quo tempus deſignatur effectus directionis, quod unicum eſſe poteſt: At dum per diverſas methodos arcus emergunt pluribus etiam gradibus, hoc eſt pluribus annis differentes; oportet aut veram methodum à Ptolemæo non fuiſſe traditam per horaria tempora; aut non fuiſſe ab omnibus Aſtrologis intellectam. Nec mirum, cùm præterquam quod via illa non parum obſcuritatis involvit, etiam operationum exempla ab Aſtrologiæ Principe allata, diſſentiunt ab ejus doctrina, ut doctè notavit Valentinus Naiboda Comm, in cap. 15. lib. 3. Quatrip-

Porrò conſtat ex ipſo capite, hanc circa directiones fuiſſe mentem Ptolemæi, quod unicus ſit in genere dirigendi modus: Dum ait. *Sanè ſi quis hanc Doctrinæ partem ſecundum Naturam diſquirat; Is ex omnibus nonniſi unum modum quem ſequatur ſibi proponi ſentiet: nimirum ut exploretur, quot Æquinoctialis temporibus locus ſeu corporis, ſeu irradiationis ſequens, ad antecedentis loci in ipſa genitura ſitum perferatur: Eo quòd æquinoctialia tempora æqualiter tranſmittuntur, tam apud Horiſontem, quàm apud Meridianum; quorum amborum reſpectu ſimilitudines locorum capiuntur.* Unitas enim modi hujus univerſalis in eo conſiſtit. Primò quòd ſignificator ſit ſemper in aliquo poſitionis circulo. Non enim ſoli circuli inter Horiſontem & Meridianum traducti per horum ſectiones pro domorum cuſpidibus, ſunt poſitionum circuli; ſed ipſi Horiſon & Meridianus ſunt etiam poſitionum circuli, quippe tranſeuntes per eadem puncta, tum quicunque alii per ipſa traducuntur. Et circulus in quo hæret ſignificator, eſt ejus Horiſon, ſive rectus, ſive obliquus. Secundò, quod circulus quilibet in quo verſatur ſignificator, hoc eſt ejus Horiſon, concipiendus ſit ſe habere ad ſuum Meridianum proprium, veluti Horiſon figuræ vel regionis ad ſuum Meridianum. Tertiò, quòd Æquator omnes poſitionis circulos æqualiter ſive uniformiter pertranſeat: Hoc eſt non plu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

res Æquatoris gradus in una hora elevenrur ſupra unum, quàm ſupra alterum circulorum; non ſecus ac ſi Æquator ipſe circa communes Horiſontis & Meridiani ſectiones revolveretur, ut ait idem Ptolemæus ipſo capite 15. Quartò, quod Æquatoris gradus pertranſeuntes circulum in quo ſignificator hęret, donec locus ſequens ſeu promiſſor, ipſius Æquatoris motu ad illum circulum deferatur, ſint directionis arcus deſideratus, qui eſt diſtantia æquatorea promiſſoris à circulo poſitionis ſignificatoris, non autem à ſignificatore ipſo diſtantia ſimplex: Dum autem delatus eſſe concipitur, dicitur eſſe in ſimili ſitu cum ſignificatore reſpectu Horiſontis figuræ cœleſtis, vel in eodem circulo poſitionis.

Ob has igitur proprietates communes cuilibet circulo poſitionis quem ſignificator occupat, Naiboda hunc dirigendi modum generalem, ait cum Ptolemæo eſſe naturalem. At ego veriorem aſſero rationem, eamque duplicem. Prima eſt, quòd hoc pacto directionum methodus correſpondeat domorum conſtructioni, quæ fit etiam per poſitionum circulos. Secunda verò ac præcipua eſt, quòd promiſſor tranſlatus ad circulum ſignificatoris, eandem ab ipſo ſitu determinationem ſubeat, atque ſignificator ipſe: proindeque agere debeat veréque agat circa ſubjectum domus in qua eſt ipſe ſignificator, non ſecus ac ſi huic in ipſo circulo conjunctus eſſet, ut experientia probat. Quibus profectò de cauſis omnibus, aſſero modum hunc unicum eſſe naturalem; hoc eſt principiis Aſtrologię naturalibus conformem, proindeque verum.

Cæterùm inter omnes Aſtronomos Ptolemæum ſecutos, Regiomontanus hanc generalem viam primus intellexit perfectiſſimè; ad ejuſque praxin Tabulas idoneas compoſuit; nempe declinationum, aſcenſionum rectarum, differentiarũ aſcenſionalium, aſcenſionũ obliquarum ad Poli diverſas elevationes, & Poſitionum: quas omnes directionum Tabulas nuncupavit: Harumq; ultima ut fuit cœteris difficilior, ita etiam utilior uſuſque nobilioris: qua nempe detegitur altitudo poli ſupra circulum poſitionis, vel Horiſontem ſignificatoris; indeque dantur aſcenſiones tam ſignificatoris quàm promiſſoris in illo circulo, quarum differentia eſt arcus directionis. Etenim in genere, directionis arcus nihil aliud eſt quàm differentia aſcenſionum ſignificatoris & promiſſoris în circulo ſignificatoris, dum ſignificator eſt in parce Cœli aſcendente; aut differentia deſcenſionũ ſi fuerit in parte deſcendente: Intelliguntur autem aſcenſiones rectę, ſi ſignificator fuerit in circulo Meridiano; at aſcenſiones vel deſcenſiones obliquæ, ſi fuerit in poſitionis circulo ad Æquatorem obliquo. Exponamus igitur hîc methodum Regiomontani, ut hæc ſit nobis veluti Lesbia quædam regula ad quam cætera conferantur.

Primò igitur ſi ſignificator fuerit in Medio Cœli, ſumit tam hujus quàm promiſſoris aſcenſiones rectas; non omiſſa eorum latitudine ſi quam habuerint: Et detracta aſcenſione recta ſignificatoris, ab aſcenſione recta promiſſoris, relinquitur directionis arcus. Idemque fit ſi ſignificator fuerit in Imo Cœli.

Similiter ſi ſignificator fuerit in Horiſonte ortivo, ſumit tam ejus quàm promiſſoris aſcenſiones obliquas ad elevationem poli ſupra Horiſontem ipſum, non omiſſa eorum latitudine ut ſupra. Et detracta aſcenſione obliqua ſignificatoris ab aſcenſione obliqua promiſſoris, ſupereſt directionis arcus.

Si autem ſignificator fuerit in aliquo poſitionis circulo inter Horiſontem & Meridianum, ſive ſupra ſive infra Horiſontem: priùs quærit altitudinem poli ſupra ipſum poſitionis circulum; eaq; ſemper exacte erit invenienda. Deinde ſi ſignificator fuerit in medietate Cœli aſcendente, ſumit ut ſupra tam ejus quàm promiſſoris aſcenſiones obliquas ad illam altitudinem. & detracta aſcenſione obliqua ſignificatoris ab aſcenſione obliqua promiſſoris, ſupereſt directionis arcus.

At ſi fuerit ſignificator in Medietate Cœli deſcendente; vel ejus loco, dirigit ejus oppoſitum in medietate aſcendente ad oppoſitum promiſſoris, omnino ut ſupra; proditque directionis arcus: vel inventa poli altitudine ſupra circulum ſignificatoris, ſumit deſcenſiones obliquas tam ſignificatoris quàm promiſſoris ad illam altitudinem: & detracta deſcenſione obliquà ſignificatoris à deſcenſione obliqua promiſſoris, relinquitur idem arcus directionis.

Sic igitur ex Regiomontano patet, quod ſit duntaxat unicus dirigendi modus generalis juxta Ptolemæi mentem. Proponamus autem exempla ab ipſo Ptolemæo tradita, ut pateat an ipſe in praxi ſibi conſtiterit.

Supponit igitur Regionem in qua dies maximus eſt horarum 14. hoc eſt in qua polus elevatur 31 gradibus ſuper Horiſontem, ut conſtat ex Tabula quantitatis dierum, qualis regio eſt Alexandria Ægypti. Ac conſtituto principio Arietis in Horoſcopo tanquam ſignificatore, ipſumque prolixè per horaria tempora dirigendo ad principium ♊: vel potius hoc ad illud; reperit directionis arcum eſſe 45 graduum: qui tamen apud Regiomontanum reperitur eſſe 45 graduum 2′; non enim hiſce in exemplis de paucis minutis curat ipſe Ptolemæus.

Poſito autem principio ♈ in Medio Cœli, ad illudque ſimiliter dirigendo principium ♊ per aſcenſiones rectas; ait directionis arcum eſſe 58 graduum, qui tamen ex Regiomontani Tabula eſt duntaxat 57 gr. 48′. ſed hæc ſint exigui momenti.

Dum verò ponit principium ♈ in medietate Cœli, deſcendente extra angulos ut Cœli, culmen occupet gradus 18. ♉. ad illudque dirigit principium ♊; jam in errorem incidit minime tolerabilem, directionis arcum ſtatuens 64 graduum 24. qui tamen ex Tabulis Regiomontani reperitur eſſe 66 grad. 52′: Partim quòd de exacto ad minuta calculo non curet, ut cùm ait o ♊ à gradu 18 ♉ in Medio Cœli diſtare 13 gradibus, etſi diſtantia ſit tantùm 12 graduum 17′. Partim quòd defectu Tabulæ poſitionum ad inveniendam altitudinem poli ſupra circulum poſitionis principii ♈, aliam in exemplo propoſito viam prolixam, confuſam, ac univerſali modo dirigendi non conſentaneam tradiderit: circa quam explicandam plerique etiam viri docti hallucinati ſunt. Hæc autem directio jam fiat per Tabulas Regiomontani ut error pateſcat.

Sit igitur Medium Cœli 18 gradus ♉, cum aſcenſione recta 45 grad 31′. ſignificator o ♈, promiſſor o ♊, & latitudo loci 31 graduum.

Declinatio o ♈, eſt o.

Aſcen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Aſcenſio recta, o.

Diſtantia à Meridiano, 45. 31.

Altitudo poli ſupra circulum poſitionis ex Triangulis ſphæricis, 23 gr. 12′.

Et quia ſignificator eſt in medietate Cæli deſcendente; ergo utamur puncto Zodiaci oppoſito, quippe o ♎ ex ſupradictis, cujus aſcenſio obliqua in circulo poſitionis cui polus elevatur 23 gradibus 12′ eſt 180 graduum: Et aſcenſio obliqua o ♐ oppoſiti o ♊ in eodem circulo eſt 246 graduum 52′: à qua detractis 180 gradibus, ſuperſunt 66 gradus 52′. pro arcu directionis.

Ut verò conſtet evidentiùs de hujus arcus veritate, ipſum denuo examinemus juxta Naibodam, qui Ptolemæi mentem probè aſſecutus ipſam extricavit, utque par eſt explicavit. Et quia ad ipſius Naibodæ methodum requiritur arcus ſemidiurnus tam ſignificatoris quàm promiſſoris; univerſaliter ille ſic invenietur, ſive promiſſor aut ſignificator latitudinem habuerint ſive non.

Cum longitudine & latitudine Planetæ quæratur ejus declinatio in declinationum Tabula apud Regiomontanum vel alibi; & per ipſam ex Tabula differentiarum aſcenſionalium ad altitudinem poli ſupra circulum poſitionis, pro quo quæritur arcus ſemidiurnus, eruatur differentia aſcenſionalis, hæcque addatur quadranti ſeu 90 gradibus ſi declinatio fuerit borealis, detrahatur autem ſi fuerit auſtralis; & fiet aut relinquetur prædicti Planetæ vel puncti Cœli ſemidiurnus arcus. Hoc autem præmiſſo, ſequitur Naibodæ proceſſus ad ſignificatorem extra angulos dirigendum univerſaliter.

Primò. Per 20 problema Regiomontani, inveniatur altitudo poli ſupra circulum poſitionis ſignificatoris.

Secundò. Ad ipſam elevationem ſumatur arcus ſemidiurnus ſignificatoris; iſque addatur ejus aſcenſioni rectæ, ſi fuerit ille in Medietate Cœli deſcendente; detrahatur autem ſi fuerit in aſcendente: & utroque modo fiet aſcenſio recta Medii Cœli reſpectu circuli poſitionis ſupradicti.

Tertiò. Sumatur diſtantia promiſſoris in proprio ſitu, ab illo Medio Cœli, quę dicatur primaria.

Quartò. Sumatur arcus ſemidiurnus promiſſoris etiam ad elevationem poli ſupra circulum poſitionis prædictum; illeque dicatur ſecundaria promiſſoris ipſius diſtantia ab eodem Medio Cœli.

Quintò. Conferantur ambæ diſtantiæ promiſſoris inventæ: tum ſi fuerit ſignificator in medietate Cœli aſcendente tempore geniture; ſecundaria diſtantia auferatur à primaria; hæc autem è contra detrahatur ab illa, ſi ſignificator fuerit in Medietate deſcendente, hoc eſt antecedens ſemper à conſequente; fietque utroque modo directionis arcus. Ut in exemplo ſupra poſito, altitudo poli ſupra circulum poſitionis ſignificatoris eſt ut ſupra, 23 graduum 12′:

Ejus arcus ſemidiurnus in ipſo circulo, 90 grad.

Aſcenſio recta Medii Cœli ad quod refertur circulus poſitionis, 90 grad. Aſcenſio recta promiſſoris, 57 grad. 48′.

Ejus diſtantia in proprio ſitu ab ipſo Medio Cœli, quæ dicitur primaria, 32 grad. 12′.

Ejus declinatio 20 grad. 12′ ſeptentrionalis.

Ejus differentia aſcenſionalis in poſitionis circulo ſignificatotis, 9 grad. 4′; quæ addita quadranti ſeu 90 gradibus (quia ſeptentrionalis eſt) facit 99 gr. 4′. pro arcu ſemidiurno promiſſoris in ſitu ſive circulo ſignificatoris: qui arcus eſt ſecundaria diſtantia promiſſoris ab eodem ſupradicto Cœli medio: Et quia ambæ diſtantiæ ſunt in eadem Cœli medietate reſpectu ipſius Medii Cæli; primaria ſeu minor diſtantia 32 grad. 12′ auferatur à ſecundaria ſeu majore 99 grad. 4′. Et relinquentur 66 grad. 52′. pro directionis arcu omnino ut ſupra.

Maginus autem vir in abbreviandis calculis ſubtiliſſimus, (qui in ſuo libro de legitimo Aſtrologiæ in Medicina uſu, nobis hanc Naibodæ ſententiam excerptam ex ejus Commentariis in Quatripartitum Ptolemæi nondum editis in lucem communicavit) ferè ſimilem excogitaverat dirigendi modum pro ſignificatoribus extra angulos canone 45 ſuarum Tabularum directionum, & talis eſt.

Primò. Venatur ut ſuperiùs altitudinem poli ſupra circulum poſitionis ſignificatoris.

Secundò. Habita aſcenſione recta Medii Cœli figuræ, quæ eſt 45 grad 31′, tum promiſſoris, quæ eſt 57 grad. 48′. ſumit hujus diſtantiam primariam in proprio ſitu, ab ipſo Medio Cœli, quæ eſt 12 grad. 17′.

Tertiò, Sumit ejuſdem promiſſoris diſtantiam ſecundariam ab eodem Medio Cœli, dum tranſlatus intelligitur ad circulum ſive ſitum ſignificatoris, quæ diſtantia reperitur eſſe 54 grad.

Quartò. Quoniam ſignificator & promiſſor ſunt in diverſis figuræ medietatibus Cœli, addit ambas diſtantias, fiuntque 66 grad. 53′. ut a in modis ſupradictis. Quod ſi promiſſor & ſignificator eſſent in eadem Cœli medietate, minor diſtantia eſſet à majore auferenda, ut reſtaret directionis arcus. Diſtantia autem ſecundaria ſic à Magino ſine arcu ſemidiurno accipitur, per Tabulam poſitionum ad latitudinem loci figuræ. Cum declinatione promiſſoris ſumpta in latere Tabulæ & polo circuli poſitionis ſignificatoris ſumpto in fronte, habet in angulo communi ipſam diſtantiam. Atque hic modus facilis eſt ac expeditus.

Concordant igitur ad unguem hi 3 modi; & in eundem ſcopum coincidunt: à quo quiſquis alius aberraverit, ſpurius erit habendus. Proindeque circa doctrinam dirigendi promiſſores, ad ſignificatores in angulis figuræ non conſtitutos, decepti ſunt Aſtrologi non exigui nominis: Quòd vel ſignificatoris & promiſſoris latitudines dirigendo contempſerint, ſine quibus tamen error accidit in cæteris omnibus calculo inveniendis: vel Ptolemæi mentem de unico dirigendi modo generali non benè concipientes, calculis exempli ab ipſo explicati, modo ipſi unico non correſpondentibus, ſeſe diverſimodè intricarint. Inter quos numerantur Cardanus, qui nec Ptolemæum nec Regiomontanum circa doctrinam iſtam intellexit, ut probat Naiboda loco ſupracitato: Tum Origanus, qui ut patet in figura partis 2 pag. 294. etiam contra mentem propriam, vult differentiam aſcenſionum rectarum ſignificatoris & promiſſoris, eſſe directionis arcum: quem prolixo valdeque confuſo calculo figuræ non congruo,

reperit

reperit eſſe 30 grad. 15′. cùm tamen ipſa differentia ſit 43 grad. 44′: & verus directionis arcus ex Regiomontani Tabulis ſit duntaxat 25 gradibus: quæ differentia 5 ferè graduum, à ſupradicto arcu 30 grad. 15′. eſt omnino intolerabilis. Omittimus alios jam minoris famæ Aſtrologos.

Jam verò demus hanc praxin directionis converſæ. Sit ⊕ aut Planeta retrogradus converſè dirigendus, ut ſciatur quo pertingat ejus directio, anno aliquo à nativitate tranſacto. Ab aſcenſione recta ſignificatoris ſive termini dirigendi, aufer annos elapſos à geneſi, uſque ad illum annum, converſos in gradus Æquatoris; & reſidui quære diſtantiam à Medio vel Imo Cœli, prout ipſum reſiduum cadet ſupra vel infra Terram (quod aſcenſio obliqua Horoſcopi indicabit) cum qua diſtantia & ipſius termini declinatione ſupra vel infra Terram juxta ſitum reſidui, ſume circulum poſitionis. Ad cujus polum ſumpta ipſius termini obliqua aſcenſione vel deſcenſione, prout ſupradictum reſiduum inciderit in partem Cœli orientalem vel occidentalem; & ex illarum altera detractis annis elapſis, huic reſiduo congruens Eclipticę arcus in Tabula aſcenſionum poli ſupradicti, erit locus directionis per aſcenſionem aut deſcenſionem obliquam.

Ut ſit ♃ in 27 gradu 10′ ♍ retrogradus, cum latitudine 1 gr. 35′ S converſè dirigendus; & anni à nativitate elapſi atque converſi 30 gr. 26′. ſubtrahe 30 gr. 26′. ab aſcenſione recta ♃ 178 gr. 1′; reſtabunt 147 gradus 35′. Hi verò detrahantur ab aſcenſione recta Medii Cœli, quæ ſupponatur 148 gradibus 39′: & relinquetur 1 gradus 4′. pro diſtantia reſidui à Medio Cœli; quod reſiduum erit ſupra Terram in parte Cœli occidentali: Cum qua diſtantia & ♃ declinatione 2 grad. 36′. Sept. ſumatur altitudo poli ſupra circulum poſitionis in Tabula poſitionum ad latitudinem loci, quæ ſit 49 graduum: & erit altitudo poli 1 grad. Igitur quoniam reſiduum eſt in parte occidentali, ſume in Tabula aſcenſionum obliquarum ad latitudinem 1 gradus, aſcenſionem obliquam ☍♃, quæ eſt 357 gr. 49′: Indeque detrahe 180 gradus, & reſtabit deſcenſio obliqua ♃. 177 gr. 49′. Ex qua iterum aufer 30 gradus 26′. pro annis elapſis, & relinquentur 147 gr. 23′. Quibus addendo 180 gradus, fient 327 gr. 23′, pro aſcenſione obliqua ferè 25 gtadus ♒: Ergo directio converſa ♃ eſt ferè in 25 gradu ♌, hoc eſt in corde Leonis; ſuppoſito nativitatis anno 1625.

Tandem notandum quod cùm vera dirigendi methodus iiſdem innitatur fundamentis quibus vera methodus figuram cœleſtem conſtruendi; nempe poſitionum circulis traductis per interſectiones Horiſontis & Meridiani: Hinc fit ut vera dirigendi methodus locum habeat per totum Telluris globum, exceptis duobus illis Terræ punctis, quæ polis Æquatoris ad amuſſim ſupponuntur, ubi nullus eſt Meridianus, nullaque interſectio ipſius Æquatoris & Horiſontis, ſed coincidentia. Vide quæ circa methodum univerſalem dividendi Cœli in domos Aſtrologicas dicta ſunt à nobis Lib. 17. Sect. 2 & 3.

SECTIO II.

De Significatorum & Promiſſorum latitudine in Directionibus.

Caput I.

An in directionibus habenda ſit ratio tam latitudinis quàm longitudinis ſignificatorum & promiſſorum.

JUnctinus commento in Cap. 12. Lib. 3. Quatrip. pag. 381 & ſequentibus, farraginem exhibet methodorum dirigendi à veteribus uſitatorum, ſibique contrariarum; quę qualem ingenio confuſionem pariant, dum ab ipſo nulla refellitur; nec quæ ex illis verior ſit oſtenditur, ſatis per ſe patet. In nulla autem ex his methodis rationem habet latitudinis aſpectuum Planetarum: ſed è contrà docet quomodo per gradus æquales projiciendi ſint in Ecliptica ſine latitudine, juxta Ptolemæum lib. 1. Quatrip. cap. ult. contra quem ejuſque Commentatorem Cardanum egimus lib. 16. ſect. 1. cap. 6. Capite autem 8 contra Origanum & Regiomontanum diximus, Planetas latitudinem habentes projicere ſuos aſpectus in circulo, in quo ipſi latitudinem etiam ſortiuntur: Et quis ille ſit circulus oſtendimus cap. 9.

Quod autem in directionibus habenda ſit ratio non modò longitudinis, ſed etiam latitudinis tam ſignificatoris quàm promiſſoris, probatur ſic. Nam circulus poſitionis traduci debet per verum locum ſignificatoris; eſt enim verus ſitus ipſius loci; qui non determinatur in Cœlo per ſimplicem ipſius ſignificatoris longitudinem; alioquin idem eſſet verus locus duorum Planetarum in eodem latitudinis circulo poſitorum, quorum unus eſſet in parte boreali Cœli, reſpectu Eclipticæ; alter in auſtrali; quod perabſurdum eſt opinari. Ergo eſt habenda ratio tàm latitudinis, quàm longitudinis ſignificatoris.

De promiſſore autem probatur etiam. Nam ſive promiſſor fuerit Planeta, ſive aſpectus; certum eſt quod verus ejus locus concipitur in directionibus transferri ad circulum poſitionis ſignificatoris. Ipſe verò locus deſignatur in Cœlo per ipſius promiſſoris non tantùm longitudinem, ſed etiam latitudinem, ſi quam habuerit, ut ſuperiùs dictum eſt. Ergo in promiſſore deducendo ad circulum ſignificatoris, obſervanda eſt longitudo & latitudo ipſius promiſſoris. Adde, quod ut volunt Cardanus & alii, ſi ſignificator & promiſſor multùm ab invicem diſtrahantur latitudine; alter in Auſtrum, & alter in Boream, aut exiguus aut etiam nullus à directione prodibit effectus.

Objiciet aliquis. Planetarum latitudinem habentium loca ecliptica, eſſe plerumque in directionibus efficacia. Quod non ſolùm probari poteſt ex pluribus Antiquis, qui nullam in directionibus latitudinis rationem habuêre; ſed ipsâ etiam experientiâ. Et nos interdum id quoque experti ſumus, tam de Planetis quàm eorum aſpectibus, ac pręſertim □: Ergo vel omittenda eſt latitudo, vel duplex dirigendi via erit admittenda,

tenda, nempe cum latitudine & ſine latitudine; non quidem per gradus æquales, quæ ſuperiùs à nobis rejecta eſt; ſed per aſcenſionea Ecliptici loci promiſſoris, ad circulum poſitionis ecliptici loci ſignificatoris.

Reſpondeo, jam ſatis patere ex cap. 6. ſect. 1. lib. 16, & cap. 8. ſect. 1. hujus libri, quod Ptolemæus & cæteri Antiqui erraverint, omittendo latitudines in directionibus. Ad experientiam verò dicendum, quod dum Planeta vel ejus aſpectus eſt in aliquo ſigno, hoc ad ſuam naturam determinat, quatenus eſt tale ſignum. Unde locus ☽ in ♑ dicitur infauſtus, quòd ♑ ſit inimicus ☽, ejuſque exilium, ut jam alibi dictum eſt. Ecliptica autem eſt totius ſigni tractus vel inceſſus efficaciſſimus per influentias; ut conſtat ex eo quod Planetæ quo ſunt Eclipticæ viciniores, eò ſunt efficaciores, & in ipſa Ecliptica efficaciſſimi. Nihil igitur mirum, quod poſt ſigni punctum in quod cadit verus ☽ locus extra Eclipticam, punctum ejus longitudinis in Ecliptica, præ reliquis ejuſdem ſigni punctis validiùs determinetur ad ☽ naturam, cùm Ecliptica ſit via ſolis, cui reliqui omnes Planetæ, & quò ad motum proprium, & quò ad influentias quodammodo ſubordinantur. At ſi illud Eclipticæ punctum ſit virtutis lunaris, ob verum Lunæ locum extra Eclipticam: ſequitur quod verus ipſe locus ſit adhuc majoris virtutis. Nam propter quod unumquodque tale eſt, & illud magis, axiomate Philoſophorum: Ergo directiones cum latitudinibus ſemper erunt efficaciores, quàm ſine latitudinibus, proindeque certiores: ſi tamen revolutio annua cum directione ſine latitudine, convenit, haud temerè prędicetur inde directionis effectus. Ac proinde quoniam directio ſine latitudine, ferè ſemper tempore differt à directione cum latitudine: ſi effectus inceperit à directione quæ tempore præcedit, durabit forſan uſque ad ſequentem, præſertim ſi ſequens fuerit cum latitudine, cujus etiam tempore intendetur vel conſummabitur effectus, ut ab efficaciore, aut ſaltem confirmabitur. Poteſt nihilominus accidere, ut directio ſine latitudine producat unum effectum, & directio cum latitudine alterum: Quocirca utraque ſemper conſideretur, ut cum Revolutione Solis conferatur: quæ enim quadrabit revolutioni, ſuum producet effectum. Atque hæc dicta ſint tam de corporibus Planetarum quàm de horum aſpectibus, par enim eſt utrinque ratio: ſed ſemper plus fidendum directioni cum latitudine ſi aliqua fuerit, quàm ſine latitudine. Et eò certiùs ab utraque ſimul continget effectus, quò minor fuerit inter ipſas differentia temporis.

Caput II.

Quomodo Planetarum aſpectus corrigendi ſint pro directionibus tam penes longitudinem, quàm penes latitudinem.

QUamvis Planetarum loca & aſpectus referri queant ad Æquatorem, atque definiri in Cœlo per eorum aſcenſiones rectas & declinationes; tamen omnes Aſtronomi Aſtrologiæ ductu, illa ad Eclipticam retulerunt, atque deſignarunt in Cœlo per eorum longitudines & latitudines: Id nimirum poſtulante dominio Planetarum in ſigna Zodiaci; ex quo de Aſtrorum effectibus judicant Aſtrologi, & à quo vis influentialis aſpectuum modificatur.

Capitibus autem 6, 7, 8. Sectionis 1. Lib. 16, retulimus ſententias Ptolemæi, Cardani, Blanchini, Schoneri, Regiomontani, Origani & Argoli, de circulo Cœleſti in quo aſpectus Planetarum latitudinem habentium concipiendi ſint; tum de ipſorum correctione prout ad Eclipticam referuntur, atque ſententias illas rejecimus, noſtramque cap. 9 expoſuimus; aſſerentes cujuſvis Planetæ aſpectus concipiendos eſſe in circulo maximo qui ab apparente in Cœlo via Planetæ minùs aberrat, quemque circulum aſpectuum vocavimus: ac methodum Geometricè demonſtravimus, quâ ipſi aſpectus per longitudinem ad Eclipticam cum ſua latitudine referantur. Quam, nec non alias veterum, poſtquam diuturnæ ac frequenti commiſimus experientiæ; vidimuſque noſtram, tum ratione tum experientiâ ipſâ cæteris omnibus excellere, & obſervatis natorum accidentibus accuratiùs congruere; jam aſſerimus Planetarum aſpectus ſecundum ipſam corrigendos eſſe pro directionibus. hoc eſt per ipſam reducendos eſſe ad Eclipticam ratione longitudinis cum latitudine congrua.

Caput III.

Quo proponitur & explicatur Tabula correctionis aſpectuum Planetarum pro directionibus, à nobis conſtructa.

HAnc aſpectuum Tabulam deſumpſimus ex fundamento quod apponitur cap. 9. ſect. 1. lib. 16. Ad eamque conſtruendam & ad praxin reducendam, tria requiruntur præcognita: nempe longitudo & latitudo Planetæ ad datum tempus, cum maxima latitudine boreali vel auſtrali ad quam Planeta ipſe pertingere poteſt, Ephemeridum correctiorum calculo, prout Eclipticę reſpectu eſt in parte Mundi boreali vel auſtrali: quę latitudo maxima, eſt inclinatio circuli aſpectuum ad Eclipticam. Ex quibus primò detegitur verus locus Nodi in quo ipſe circulus & Ecliptica ſe interſecant; deindeque ſingulorum arcuum ipſius circuli, à Nodo numeratorum veræ longitudines atque latitudines, ſub ipſa inclinatione inveniuntur, ut infra docebitur. Ad Tabulam autem condendam uſi ſumus duntaxat ſuppoſitâ ab Aſtronomis inclinatione ipſius circuli pro quolibet Planeta; & ſingulis gradatim arcubus ejuſdem circuli, ut ſit pro Tabula declinationis graduum Eclipticæ.

Tabula

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Tabula correctiones

Exc.	1	æq.	2	æq	3	æq	4	æq	5	æq	6	æq	7	æq	8	æq
	Gr.M.	M.	G.M.	M.	G.M.	M.	G.M.	M.	G.M.	M.	G.M.	M.	G.M.	M.	G.M.	M.
1	0. 1	0	0. 2	0	0. 3	0	0. 4	0	0. 5	0	0. 6	0	0. 7	0	0. 8	0
2	2		4		6		8		10		13		15		17	
3	3		6		9		13		16		19		22		25	
4	4		8		13		17		22		25		30		33	
5	5		10		16	1	21	1	26	1	31	2	37	2	42	3
6	6	0	13	0	19		25		31		38		44		50	
7	7		15		22		29		36		44		51		59	
8	8		17		25		33		42		50		59		1. 7	
9	9		19		29		37		47		56		1. 6		16	
10	11		21		31	1	42	1	52	2	1. 2	3	13	4	24	5
11	12	0	23	0	34		46		58		9		20		32	
12	12		25		37		50		1. 2		15		28		40	
13	13		27		41		54		8		21		35		49	
14	15		29		44		58		13		27		42		57	
15	16		31	1	47	1	1. 2	2	18	3	33	5	49	6	2. 5	8
16	17	0	33		50		6		23		39		56		13	
17	18		35		53		11		28		45		2. 3		21	
18	19		37		56		14		33		51		10		29	
19	20		39		59		18		38		58		17		37	
20	20		41	1	1. 1	2	22	3	43	4	2. 3	6	24	8	45	11
21	22	0	43		1. 5		26		48		9		31		53	
22	22		45		7		30		53		15		39		3. 1	
23	23		47		9		34		57		21		45		8	
24	25		49		13		38		2. 2		27		51		16	
25	25		51	1	16	2	41	3	7	5	33	7	58	10	24	13
26	26	0	52		19		46		12		38		3. 5		32	
27	27		55		22		49		17		44		11		39	
28	28		56		25		53		21		50		18		47	
29	29		58		27		56		26		56		24		54	
30	30		1. 0	1	30	2	2. 0	4	30	6	3. 0	8	31	11	4. 0	14
31	31	0	1 2		33		4		35		6		37		8	
32	32		4		35		7		39		11		43		16	
33	33		5		38		11		44		17		52		23	
34	34		7		41		14		48		22		56		30	
35	34		9	1	43	2	18	4	53	6	27	9	4. 2	12	36	16
36	35	0	11		46		21		57		32		8		43	
37	36		12		48		25		3. 1		37		14		50	
38	37		14		51		28		5		42		19		57	
39	38		15		54		31		9		47		25		5. 3	
40	39		17	1	56	2	34	4	14	7	52	9	31	13	10	17
41	39	0	19		58		38		17		57		36		16	
42	40		20		2. 0		41		21		4. 2		42		22	
43	41		22		4		44		25		16		47		29	
44	42		23		5		47		29		11		53		34	
45	43		25	1	7	2	50	4	32	7	15	9	58	13	40	17

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Aſpectuum Planetarum.

Exc.	1	æq.	2	æq	3	æq	4	æq	5	æq	6	æq	7	æq	8	æq
Gr.	Gr.M.	M.	G.M.	M.	G.M.	M.	G.M.	M.	G.M.	M.	G.M.	M.	G.M.	M.	G.M.	M.
46	0. 43	0	1. 26	1	2. 10	2	2. 53	4	3. 36	7	4. 19	9	5. 3	13	5. 46	17
47	44		28		12		56		40		24		8		52	
48	45		29		14		58		43		28		13		58	
49	45		31		16		3. 1		47		32		18		6. 3	
50	46		32	1	18	2	4	4	50	7	36	9	22	13	9	17
51	47	0	33		20		7		53		40		27		14	
52	47		35		22		9		56		44		31		19	
53	48		36		24		12		4. 0		47		36		24	
54	49		37		26		14		3		51		40		29	
55	49		38	1	27	2	17	4	6	6	55	9	45	12	34	16
56	50	0	39		30		19		9		59		49		39	
57	50		41		31		22		12		5. 2		53		43	
58	51		42		33		24		14		6		57		48	
59	51		43		34		26		17		9		6. 1		52	
60	52		44	1	36	2	28	3	20	6	12	8	4	11	56	14
61	52	0	45		38		30		23		15		8		7. 0	
62	53		46		39		32		25		18		11		4	
63	53		47		40		34		27		21		15		8	
64	54		48		42		36		30		24		18		12	
65	54		49	1	43	2	38	3	32	5	27	7	21	10	16	13
66	55	0	50		45		39		34		29		24		19	
67	55		50		46		41		36		31		27		22	
68	56		51		47		43		38		34		30		25	
69	56		52		48		44		40		36		32		28	
70	56		53	1	49	2	46	3	42	4	38	6	35	8	31	11
71	57	0	53		50		47		44		41		37		33	
72	57		54		51		48		45		43		40		37	
73	57		55		52		50		47		44		42		39	
74	58		55		53		51		48		46		44		42	
75	58		56	1	54	1	52	3	50	3	48	5	46	6	44	8
76	59	0	56		55		53		51		49		48		46	
77	59		57		55		54		52		51		49		48	
78	1. 0		57		56		55		53		52		51		50	
79	1. 0		58		56		55		55		53		52		51	
80	1. 0		58	0	57	1	56	2	56	2	55	3	54	4	53	6
81	1. 0	0	58		58		57		56		56		55		54	
82	1. 0		59		58		58		57		56		56		55	
83	1. 0		59		59		58		58		57		57		57	
84	1. 0		59		59		59		58		58		58		58	
85	1. 0		2. 0	0	59	1	59	1	59	1	59	2	59	2	58	3
86	1. 0	0	0		59		4. 0		59		59		59		59	
87	1. 0		0		3. 0		0		59		59		59		59	
88	1. 0		0		0		0		5. 0		59		7. 0		59	
89	1. 0		0		0		0		0		6. 0		0		8. 0	
90	1. 0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0

Explicatio Tabulæ.

IN fronte Tabulæ ponuntur gradus inclinationis circuli aſpectuum ad Eclipticam pro ſingulis Planetis ♄ ♃ ♂ ♀ ☿ ☽. ab 1 gradu ad 8. Et in prima columna ſiniſtra, ponuntur gradus arcuum ipſius circuli (quem Excentrici nomine deſignamus) incipientium à Nodo qui Planetæ vicinior eſt. In area verò ſecundæ columnæ ponuntur latitudines ſingulorum graduum cujuſque arcus, correſpondentes inclinationi frontali unius gradus: Ac in tertia columna è directo ſingulorum quinorum graduum Excentrici, ponitur æquatio arcuum Eclipticæ, conſortium arcubus excentrici, hoc eſt ab eodem nodo incipientium, in quos ab illis quinis gradibus cadit latitudinis circulus. Eſtque ipſa æquatio, id quo arcus Excentrici vel circuli aſpectuum major eſt conſorte arcu Eclipticæ, vel hic illo minor. Et hæc quidem æquatio creſcit à Nodo ad gradum 45, indeque ſimiliter decreſcit uſque ad quadrantem: ſed ſub inclinatione 1 gradus, ponitur tantùm 0 pro ipſa æquatione, quia hæc non æquivalet uni minuto primo. Eadem eſt ratio pro aliis columnis inclinationis vel latitudinis maximę 2, 3, 4, 5, 6, 7 & 8 graduum in fronte poſitorum.

Uſus Tabulæ.

HUjus Tabulæ uſus poteſt eſſe unus & idem tam pro ☽, quàm pro ♄ ♃ ♂ ♀ ☿.

Sed pro ☽, quia dantur ex Ephemeridibus, vera ejus longitudo, latitudo & verus locus ☊ ejus; ſumatur primò diſtantia Lunæ à ſuo Nodo viciniore, auferendo antecedentis locum in ſignis, gradibus & minutis, à conſequentis loco, ut reſtet minùs quadrante.

Secundò. Diſtantia ipſa, quæ eſt arcus Eclipticæ, ſumatur in Tabulæ parte ſiniſtra, ſub columna Excentrici; ſed decurtata æquatione quæ congruit ipſius Planetæ latitudini, ſumptæ in ipſa Tabula, è directo ipſius diſtantiæ decurtandæ: ſiquidem per hanc diſtantiam decurtatam (quæ eſt arcus Eclipticæ ſupradictus) & ipſius Lunæ veram latitudinem, habebitur in prima columna ſiniſtra arcus Excentrici conſors; augendo nempe arcum ipſum Eclipticæ æquatione, quâ minor eſt arcu Excentrici conſorte: Et in fronte dabitur vera tunc temporis inclinatio Excentrici Lunæ ad Eclipticam; ſumendo partem proportionalem ubi opus fuerit, ſicut fieri ſolet in aliis Tabulis.

At pro ♄ ♃ ♂ ♀ ☿, quorum Nodi borealis verus locus ignoratur ad datum tempus; eorum diſtantia à nodo viciniore, & per illam ipſius nodi locus in Ecliptica, priùs erunt invenienda. Poteſt autem illa diſtantia inveniri per ſolam Tabulam; ſed non abſque labore, ſi maximæ latitudini Planetæ minuta adhæſerint; niſi Tabula fuerit conſtructa ad ſingula ſaltem quina aut dena minuta graduum maximæ latitudinis Planetæ, vel inclinationis Excentrici ad Eclipticam; quem calculi nimis longum laborem ſuſcipere nolui.

Verbi gratia. Data ſit in ſequente Figura, ♂ in E longitudo, ſive locus verus 24 grad. 16′ ☊. & latitudo E D 1 grad. 44′. Sept. aſcend. qualis eſt die 4 Novembris 1648 ex Tabulis Rudolphinis; juxta Ephemerides Durreti ſæpiſſime erroneas; maxima autem latitudo borealis ad quam pertingit ♂ die 11 Februarii 1649 ſit 4 grad. 15′. Reperietur quidem per duas columnas maximæ latitudinis 4 graduum & 5 graduum, quod latitudo vera ♂ 1 grad. 44′, non convenit niſi arcui Excentrici 24 graduum 2′, intercepto inter gradus 24 & 25: quod probat veram eſſe Tabulam, & trigonometrico calculo conſentaneam. Sed hoc prima fronte reperiri non poterit per hanc Tabulam ad ſolos gradus integros maximæ latitudinis conſtructam. Veluti data poli altitudine in gradibus & minutis, cum diſtantia Planetæ à Meridiano, non invenietur prima fronte declinatio ejus in gradibus & minutis per Tabulam poſitionum.

Cùm autem præcipuum hujus Artis conſiſtat in inveniendo exactè illo arcu Excentrici: ſi defuerit Tabula conſtructa ad quinos aut denos gradus latitudinis maximæ Planetarum; conſulo ut ipſe arcus, hoc eſt diſtantia veri loci ♂ in Ecliptica à proximore vero Nodo tum temporis, inveniatur ut oſtenſum eſt Lib. 16. cap. 9: Hoc enim dicto citiùs factum erit ad optatam præciſionem: quippe tantùm dicendo. Ut Tangens maximæ latitudinis ♂ 4 grad. 15′, ad Tang. veræ ejus latitudinis 1 grad. 44′. Ita ſinus totus, ad ſinum 24 grad. 2′. quæ eſt optata diſtantia. Et quia maxima latitudo ſumpta, ſequitur verum locum ♂;



Ergo ab ipſo loco ♂ 24 grad. 16′ ☊, auferatur illa diſtantia 24 grad. 2′, & relinquentur 0 grad. 14′ ☊ pro A vero tunc apparente nodo boreo ♂. Jam vero hæc diſtantia ♂ à nodo 24 grad. 2′. quæ eſt arcus Eclipticæ A E, reducenda eſt in arcum Excentrici, per additionem æquationis congruæ, poſitæ è directo 24 graduum Excentrici, ſub columnis maximæ latitudinis 4 & 5 graduum. Ipſa autem æquatio valet paulò plus quàm 3′. non autem 4′. Additis ergo 3′ cum 24 gradibus 2′, fient 24 grad. 5′. pro arcu Excentrici A D, conſorte arcui Eclipticæ A E, hoc eſt ab eodem nodo incipiente: Arcus enim Eclipticæ minor eſt quàm arcus Excentrici conſors, illa æquatione. Jam reliqua per Tabulam ſunt facillima.

Sic igitur invento imprimis arcu Excentrici conſorte vel pro ☽ vel pro ♂; ab ejus finali termino numerandi ſunt omnes aſpectus in ipſo Excentrico ſecundum proprias rationes; dando ſcilicet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ſicet dodectili 30 gradus Excentrici; ſextili 60; quadrato 90; &c. & ſingulorum finales termini cum ſibi proximiore nodo vel ſequente vel antecedente ſunt conferendi; ut hujus ab illis pateat exceſſus vel defectus. Siquidem ipſi exceſſui vel defectui dabitur congrua æquatio in Tabula; ſemper auferenda pro Eclipticæ arcu conſorte coæquando, deindeque conferendo cum ſibi viciniore nodo, per additionem vel detractionem, ut ipſius aſpectus habeatur verus in Ecliptica locus, cum propria latitudine, ſumenda è directo, ſub columna maximæ latitudinis Planetæ; ex quibus recta vel obliqua ipſius aſpectus aſcenſio dabitur in Tabulis aſcenſionum. Sic autem inventis aſpectibus ſiniſtris ⋕ ⚹ □ △ ⛤, dextri ſunt in diametraliter oppoſita longitudine, eandem ſervantes latitudinem, diverſæ tamen denominationis, ut dictum eſt cap. 9. ſect. 1. lib. 16, Ideoque datis ſiniſtris in longitudine & latitudine, ſciuntur etiam dextri illis ſigillatim oppoſiti: vel datis duobus ⋕, duobus ⚹, & uno □; dantur reliqui oppoſiti.

Exemplum.

VT autem ipſius Tabulæ uſus pateat evidentiùs, inveniamus pro Marte omnes ejus aſpectus, tam in ejus Excentrico vel aſpectuum circulo à nobis expoſito, quàm in Ecliptica, cum latitudine ſingulis congrua. Quoniam igitur ♂ eſt in D, diſtans ab A 24 gradibus 5′. His addantur 30 gradus pro ⋕ ſiniſtro; fientque 54 grad. 5′; qui numerati in columna Excentrici; è directo, ſub latitudine maxima 4 graduum 15′. dabunt 3 grad. 26′. pro latitudine ſeptentrionali aſcendente ipſius aſpectus, cum 4′. æquationis; quæ detracta ex 54 grad. 5′. vel 1 ſigno 24 grad. 5′. relinquentur 54 grad. 1′. vel 1 ſignum 24 grad. 1′. pro arcu Eclipticæ conſorte: quibus addendo locum Nodi A, 4 ſigna 0 grad. 14′; fient 5 ſigna 24 grad. 15′. pro longitudine ipſius aſpectus; ſive 24 grad. 15′. ♍, cum ſupradicta latitudine boreali 3 gr 26′.

Similiter ſupradictæ diſtantiæ Martis 24 grad. 5′. addantur 60 gradus pro ⚹ ſiniſtro, fientque 84 gradus 5′. pro ⚹ ſiniſtro: qui inventi in columna Excentrici, è directo ſub latitudine maxima 4 graduum 15′. dabunt 4 gradus 14′. pro latitudine ſeptentrionali aſcendente ipſius aſpectus, cum æquatione 1′. quæ detracta ex 84 grad. 5. relinquet 84 gradus 4′. vel 2 ſigna 24 grad. 4′. pro arcu Eclipticę conſorte: quibus addendo locum Nodi A. 4 ſigna 0 grad. 14′; fient 6 ſigna 24 gradus 18′. pro longitudine ipſius aſpectus, ſive 24 grad. 18′ ♎.

Rurſus ſupradictæ diſtantiæ Martis 24 gradib. 5′. addantur 90 gradus pro □ ſiniſtro; fientque 114 gradus 5′. quæ ablato ex ſemicirculo ABF, ſive 180 gradibus, relinquent 65 gr. 55′. pro FI: qui inventi in columna Excentrici; è directo ſub latitudine maxima 4 grad. 15′. dabunt 3 gradus 53′. pro latitudine ſeptentrionali deſcendente ipſius aſpectus, cum 3′. æquatione; quæ ablata ex 65 grad. 55′. relinquent 65 gradus 52′ pro arcu Eclipticæ conſorte FK; hoc eſt 2 ſigna 5 gradus 52′: quæ detracta ex loco Nodi auſtrini F 10 ſignis 0 grad. 14′. reſtant 7 ſigna 24 gr. 22′. ſive 24 grad. 22′. ♏ pro longitudine ipſius aſpectus.

Præterea quoniam locus □ in Excentrico eſt I, & FI 65 grad. 55′. ex dictis pro □; igitur ex FI auferantur 30 gradus (quod eſt ipſi I addere 30 gradus pro △ aſpectu ſiniſtro) & relinquentur 35 grad. 55′. pro FQ: qui inventi in columna excentrici; è directo ſub latitudine maxima 4 grad. 15′. dabunt 2 grad. 30′ latitudinis Sept. deſcendentis ipſius △ aſpectus, cum æquatione 4′; auferenda ex 35 gr. 55′, & relinquentur 35 gradus 51′: pro arcu Eclipticæ conſorte FK; hoc eſt 1 ſignum 5 grad. 51′: quæ detracta ex loco Nodi auſtrini F, 10 ſignis 0 grad. 14′. reſtabunt 8 ſigna 24 grad. 23′. pro longitudine ipſius △ aſpectus, cum ejus latitudine RQ ſupradicta. Atque ſic de ⛤ & cujuſvis alterius ſupradictorum Planetarum aſpectibus.

Experientia.

PRima eaque illuſtris aſpectuum ſic correctorum experientia, fuit à me facta in geneſi Sereniſſimæ Reginę Poloniæ, Mariæ Ludoviceæ de Gonzague, cujus dotes corporis, ingenii & animæ quibuſvis elogiis ſuperiores, nec non inſignia vitæ accidentia volumen peculiare merentur. Anno enim 1645 die quinta Novembris, horâ meridianâ nupſit Pariſiis Uladiſlao quarto Regi Poloniæ, qui meritorum ejus famâ percitus, eam ſibi ſponſam optavit. Aſtrologi ſagaciores, hujus accidentis illuſtriſſimi atque præcipui, nullam Cœleſtem cauſam reperiebant; quâ poſitâ cætera vitæ accidentia inſigniora cauſis aſtralibus genuinis adſcribi poſſent. Cùm enim anno 1626 die 12 Octobris, in morbum maximum incidiſſet Pariſiis, in quo fuit à Pariſienſibus etiam Medicis deſperata & Empyrico tradita, qui ipſam morientem in optimam reſtituit ſanitatem uſu antimonii: Equidem conjiciebant Aſtrologi, tale accidens tantùm referri poſſe ad directionem Horoſcopi ſignificatoris vitæ primarii ad □ dextrum Lunæ, pravè affectæ in quarta domo, exaltatione potentis in octava, & immediatè applicantis △ Martis domino octavæ in duodecima; veraque hæc erat ſapientiorum ſententia juxta datam Nativitatis horam: ſed quia vulgari modo Lunæ □ ſumebant in Ecliptica, ut Blanchinus & Regiomontanus, conjugium illud ſublime cum regia Dignitate nullam eo tempore cauſam habebat Cœleſtem: quod in hac ſcientia videbatur perabſurdum, ob accidentis magnitudinem; ut cætera taceam minora, vitæ decurſu præterita. Ego igitur excogitata tunc temporis hac correctione aſpectuum; reperi □ dextrum Lunæ eſſe in 10 gradu 11′ ♎, cum latitudine boreali 4 graduum 38′. cujus aſcenſio obliqua in loco figuræ eſt 190 grad. 34′: A qua detractis 14 gradibus 56′. pro tempore ſupradicti morbi, juxta Naibodæ Tabulam, relicti ſunt 175 gradus 38′. pro aſcenſione obliqua Horoſcopi. A quibus iterum detractis 90 gradibus, relinquuntur 85 gradus 38′ pro aſcenſione recta Medii Cœli: Cui ſi addantur 33 grad. 42′. pro tempore à Geneſi ad diem nuptiarum: fient 119 gradus 20′: Aſcenſio autem recta Veneris eſt 119 gr. 14′: Ideoque nuptię & dignitas regia contigerunt à directione M. C. actionum & dignitatum ſignificatoris primarii, ad ♀ dominam primæ in deci-


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ma in ⚹ Horoſcopi, quæ reperitur in domo ☽ & exaltatione ♃ domini ſeptimæ, in qua etiam ♀ exaltatione pollet; & hæc eſt cauſa utriuſque ſimul accidentis elegans & genuina.

Nativitas MARIÆ LUDOVICEÆ De Gonzague, Reginæ Poloniæ.

85. 38

175. 38.



Latitudines

♄	1.	51.	M.
♃	0.	35.	S.
♂	0.	58.	S.
♀	0.	4.	S.
☿	0.	54.	S.
☾	1.	56.	M.

Prædictæ autem rectificationi confidens Nobilis, virtute clarus, & Cœleſtium ſcientiarum peritiſſimus vir Nicolaus Goulas Dominus de la Motte, Sereniſſimi Principis Gaſtonis, Ducis Aurelianenſis Camerarius nobilis; quem hactenus unicum Pariſiis in Aſtrologia vera diſcipulum admiſi: auſus eſt vivo adhuc Uladiſlao ſcribere Domino Des Noyers amico ſuo ſingulari, ipſius Reginæ à Secretis, in veteri Aſtrologia verſatiſſimo; brevi tempore ipſam Reginam alteri Regi nupturam; quod ♃ dominus ſeptimæ, & ☿ dominus Horoſcopi & M. C. ſimul partiliter juncti in undecima dirigentur anno 1649 ad ♂ dominum ſeptimæ; ſequente directione propinqua Horoſcopi ad ⚹ Solis, in ſeptima exaltationem ſibi vendicantis, & in undecima potentis in propria domo, partiliterque juncti cordi Leonis fixæ regiæ: ſed difficili morbo laboraturam ob ♂ dominum octavæ in duodecima. Et ita accidit: Mortuo enim Uladiſlao anno 1648, difficili longoque morbo correpta, poſt recuperatam ſanitatem nupſit Heroina hæc Caſimiro Uladiſlai fratri, in Poloniæ Regem electo; quem forma & virtutes illius, amore caſto incenderant; fuitque dies nuptiarum 30 Maij 1649. Qua ex prædictione Dominus de la Motte Goulas; laudem inſignem cum admiratione apud ipſam quoque Reginam cum honorario ipsâ Reginâ digno ſibi comparavit. Indeque convincitur non ſolùm hanc geneſim eſſe egregie rectificatam; ſed □ Lunæ correctionem à nobis factam eſſe veriſſimam. Ampliuſque confirmatur ex eo, quòd anno 1629. Gaſto de Bourbon, nunc Dux Aureliæ, ipſam Principem Mariam ſibi matrimonio jungi ardenter optavit, fuitque illius conjugii non levis rumor & apparentia: Tunc autem Horoſcopus præcisè dirigebatur ad ⚹ ♃ domini cuſpidis ſeptimæ, & Mercurii domini M. C. ſed Maria Medicea Regina Mater, & Cardinalis Richelius, illud conjugium impedivêre, qua pollebant authoritate.

Secunda experientia adhuc illuſtrior fuit à me facta in geneſi Chriſtianiſſimi Galliæ & Navarræ Regis Ludovici XIV; quæ per altitudinem Solis Aſtrolabio ſumptam apud Sanctum Germanum contigit hora 23. 15′. diei 4 Septembris anni 1638: Et in figura ad hoc momentum erecta, jamque olim in lucem edita, cum prognoſtico ad Cardinalem Richelium; aſcenſio recta Medii Cœli eſt 152 gradus 47′; ideoque aſcenſio obliqua Horoſcopi eſt 242 grad. 47′: At ex hac figura à nobis correcta, ut infra dicetur, nativitas contigit horâ 23. 11′: Ad quod tempus Thema Cœli tale eſt quale infra ponitur.

Siquidem paſſus eſt duos morbos, nempe febrem die 9 Martii 1644, quam die 12 ſecutum eſt eryſipelas in facie: Tum variolas copioſas atque malignas cum vitæ periculo inceptas die 11 Novembris 1647 per ſanguinis ebullitionem, & erumpentes die 13. Jupiter autem dominus pri-


mæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

mæ in duodecima, quæ morborum eſt, obſidetur □ Saturni atque Lunæ dominæ octavæ, quæ læditur ☍ Saturni: proindeque hi duo morbi orti ſunt ex directionibus Horoſcopi vitæ ſignificatoris primarii, tum Jovis domini primæ, ad □ ſiniſtrum Lunæ in duodecima; quarum prior eſt converſa, poſterior verò directa.

Poſito namque nativitatis tempore æſtimato, nullæ occurrunt aliæ directiones genuinæ, à quibus cauſari potuerint ipſi morbi: At niſi □ Lunæ corrigatur per longitudinem & latitudinem, variolæ quæ fuerunt morbus periculoſior naturæ Saturninæ, nullam per directiones cauſam habebunt, nec per ipſos morbos figura nativitatis rectificari poterit. Utrumque verò fiet ſi □ ipſe juxta methodum noſtram corrigatur. Sic igitur figura ipſa rectificanda eſt penes Caput 6. Sect. 3. Libri 18.

Nativitas LUDOVICI XIV. Galliæ & Navarræ Regis Chriſtianiſſimi.



Latitudines		
♄	0. 37	M.D
♃	0. 55	S. D
♂	3. 20	M.D
♀	0. 23	M.A
☿	0. 47	S. D
☾	2. 36	M.D

Primò inveniatur □ ſiniſter Lunæ correctus per Tabulam ſive methodum ſuprapoſitam; qui erit 5 grad. 42′. ♏ cum latitudine meridionali 4 grad. 17′. ejuſque declinatio erit 17 grad. 30′. meridionalis; atque aſcenſio recta 211 grad. 54′. Proindeque in figura æſtimati temporis, diſtantia ipſius □ à Meridiano erit 59 grad. 7′. & altitudo Poli ſupra circulum poſitionis ejus, erit 48 grad. 30′: Ad quam ſumpta ipſius □ aſcenſio obliqua, erit 232 grad 46′: Cui ſi addatur tempus variolarum reductum in gradus Æquatoris, quod eſt 8 grad. 57′; fient 241 grad. 43′. pro aſcenſione obliqua Horoſcopi: At hæc ex hypotheſi valet 242 grad. 47′; igitur diſtantia □ Lunæ à Meridiano major eſt quàm 59 grad. 7′.

Supponatur ergo eſſe 60 grad. 10′. Ideoque aſcenſio recta Medii Cœli erit 151 grad. 44′. & aſcenſio obliqua Horoſcopi 241 grad. 441′. Poli autem altitudo ſupra circulum poſitionis □ Lunę erit 48 grad. 33′. & aſcenſio obliqua ipſius □ in illo circulo erit 232 grad. 48′. Cui ſi addatur tempus variolarum reductum 8 grad. 57′; fient 241 grad. 45′. pro aſcenſione obliqua Horoſcopi; quanta ſcilicet oritur ex hac ſecunda hypotheſi diſtantiæ □ Lunæ correcti à Meridiano; quæ idcirco vera eſt. Ac per conſequens figura hîc oppoſita vera eſt, & nativitas contigit horâ 23. 11′.

Hoc autem confirmatur. Nam ſic ſtante figurâ, altitudo Poli ſupra circulum poſitionis Jovis erit 47 grad. 22′. ejuſque aſcenſio obliqua 223 grad. 23′. Cui ſi addatur tempus variolarum ut ſupra converſum 8 grad. 52′. fient 232 grad. 20′: Aſcenſio autem obliqua □ Lunæ correcti ſumpta in illo circulo, valet 231 grad. 49′. differens duntaxat 31′. à 232 grad. 20′; ideoque variolæ ab illis duabus directionibus eodem anno concurrentibus prodierunt. Prior autem morbus contigit à directione Jovis ad □ Lunæ in Ecliptica; ut ſupputanti patebit hac rectificatione ſuppoſita: ob cauſam dictam cap. 1. hujus ſectionis; Ideoque morbus fuit levior. Dum autem in conſtitutionibus particularibus vel univerſalibus Cœli, □ Lunæ ut ſupra correctus incidet in Eclipticam ipſam; tunc maximus ab eo producetur effectus: hoc eſt major quàm à □ in Ecliptica non correcto, & major quàm à □ correcto extra

extra Eclipticam, quod de aliis quoque aſpectibus intelligendum eſt.

Tertia experientia etiam illuſtris ac evidens deſumetur ex mea Geneſi, ut ſequitur.

Anno 1652. quem mihi valde infauſtum, morboſum & periculoſum à 3 annis prædixeram, ut pluribus ſcriptis publicis patet, Sereniſſimus Princeps Gaſto Borbonius, Dux Aureliæ, Scientiarum ac præſertim Cœleſtium amantiſſimus; mihi præcepit die 7 Aprilis, Solis eclipſin magnam quæ futura erat die octavo, coram ſe obſervare in Aurelianenſi palatio. Sciebam autem me tum temporis de morbo periclitari, ut amicis Aſtrologis prædixeram: ſed quia in fine Martii & die 4 Aprilis corpus abundè purgaveram pręcautionis gratiâ, tuncque benè valebam, nec fas erat tanti Principis mandato non obſequi; idcirco me id facturum pollicitus ſum. Itaque adii D. Agarratium, qui inſtrumenta ad illam obſervationem domi ſuæ accommodarat, illumque certiorem feci de voluntate Principis, monens ut inſtrumenta in palatium Aurelianenſe transferri curaret. Id verò factum eſt veſperi, & die craſtina in loco congruo, conſtructâ in Aëre libero camerâ tenebroſâ, cum tapetibus & aliis neceſſariis; ſuperfuitque duntaxat quadrans hora ante initium Eclipſis. Tuncque admonitus eſt à me Sereniſſimus Princeps de inſtante Eclipſis initio. Ipſeque cum Sereniſſima Principe & conjuge chariſſima, pluribuſque Magnatibus cameram ingreſſi ſunt. Qua clauſa D. Agarratius ſpeciem Solis tubo optico trajectam excipiebat ſolerter in circulo æquali ſpeciei pedali Solis, deſcripto in chartaceo atque diviſo pro digitis eclipticis accuratè menſurandis: alius vir peritus Quadrante circuli 3 pedum radii egregiè fabrefacti & accuratiſſimè diviſi ad ſingula minuta graduum ſenſibiliter menſuranda, Solis captabat altitudines in Aëre patente. Ego verò attendebam nunc ad ſpeciem, & nunc ad altitudinem Solis, ut de hujus obſervationis præciſione certior eſſem, quæ Principes totumque cœtum maximè oblectavit. Fuit Elipſis 10 digitorum 20′: Et incepit præcisè horâ 9. cum 30′ ante meridiem, deſiit autem precisè horâ meridianâ; ſumpto loco Solis in Ephemeridibus Euhſtadii. Atque omnes Ephemerides & Tabulæ circa ipſam fuerunt haud parum erroneæ; cujus cauſas & remedia dedimus in Aſtronomia noſtra à fundamentis reſtituta. Præ cæteris autem erroneæ fuerunt Tabulæ Philolaicæ Iſmaelis Buillaldi; & erronea etiam ejus obſervatio facta quoque Pariſiis; quandoquidem Soli in fine Eclipſis tribuit duntaxat 48 grad. 40′. altitudinis, cùm tamen noſtro Quadrante accuratiſſimè obſervata fuerit 48 grad. 44′: quæ differentia 4′ eſt intolerabilis inter Magiſtros artis: Et finem Eclipſis adſcribit horæ 11. minut. 50′; cùm tamen, ſuppoſita altitudine Solis 48 grad. 44′; ejus loco 19 grad. 20′. 55″ ♈, declinatione 7 grad. 35′. *Sept.* Et altitudine Poli Pariſiis 48 grad. 51′. exactè obſervata cum illo Quadrante per maximas Solis altitudines; reſolutio Trianguli ſphęrici Solem habeat nequidem dimidio minuto gradus diſtantem à circulo Meridiano. Sed ad propoſitum redeamus.

Poſt Eclipſin prandio leviter ſumpto, volui calculo illius initium ac finem in horis ac minutis definire, ut innoteſceret medium ad quod figura aſtrologica erigenda erat: ſed ſive à calore Solis quem per horas 2½ paſſus ſum detecto capite, ſive à maligno influxu ipſius Eclipſis peculiariter contra me, ſive potiùs ab utraque cauſa, rigor & febris cum ferociſſimo catarrho derepente ſupervenientia, me in hoſpitium meum illico redire coegerunt: ubi ferè per menſem vehementer ægrotavi; cum tanta virium proſtratione & ſurditatis acceſſu, ut adhuc nunc in fine Maij, nec virium recuperatio, nec ſurditatis imminutio à diebus 15 mihi ſenſibiliter appareat: quamvis diæta & remedia ritè inſtituantur, pejoraque verear niſi præcaveam.

Quod autem hæc luminarium ſynodus ecliptica præter calorem Solis, mihi tam gravis morbi cauſa fuerit, inde conſtat: quia in geneſi mea habeo Solem & Lunam in duodecima domo quę morborum eſt; in qua contigit hæc Eclipſis, ſua ☌ lædens meum Horoſcopum, qui eſt 28 grad. ♈: Et in hujus anni Revolutione habeo Solem & Lunam dominos octavæ, quæ eſt mortis, Lunâ domum ipſam occupante cum Saturno, cujus partile □ radicale horoſcopat: contigitque morbus dum ipſe Horoſcopus directione annua eſſet ad ☍ Saturni Revolutionis, indeque ſurditas orta eſſe videtur. Sed nulla fuit vulgaris directio radicalis ad hoc tempus completa; quamvis immineret directio Martis domini Horoſcopi ad ☍ ♄ in ſexta, quæ completur anno 1653, diebus 103 ab initio Revolutionis; quæque etiam periculoſum morbum aliaque plura mala mihi portendit.

At hoc anno 1652, præcisè ad morbi tempus completa eſt directio radicalis Solis ad □ Lunæ ſiniſtrum cum latitudine; quæ directio valde morboſa fuit cum illa Eclipſi ob Solem & Lunam in duodecima radicis. Nam ex Tabula ſuprapoſita ipſum □ eſt in 17 gr. ♊, cum latitudine Septentrionali 1 gr. 2′: cujus aſcenſio obliqua in Polo Solis 41 gr. eſt 53 gr. 8′. à quibus ſi auferantur 345 gr. 1′. pro aſcenſione obliqua Solis, relinquentur 68 gr. 7′. valentes ex Naiboda 69 annos cum 41 diebus, qui additi anno meæ nativitatis 1583, efficiunt annum à Chriſto 1652 cum 41 diebus ab initio Revolutionis, deſinentes in diem 5 Aprilis; morbus autem incepit die 8, quo quid accuratius optari debet? Plures alias experientias præſertim per Lunam hîc afferre poſſem; ſed hæ ſufficiant.

Caput IV.

An Planetarum aſpectus conſiderandi ſint tam in Æquatore, quàm in Ecliptica: Et quid pro directionibus cenſendum ſit de aſpectibus depravatis in Æquatore, per longas aut breves ſignorum aſcenſiones.

CArdanus in Commento ad Cap. 14. Lib. 3. Quatrip. ait; quod Ptolemæus fingit duos aſpectus, unum in Æquatore, alterum in Zodiaco, & nunquam miſcet illos: ſed in Ecliptica

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ca ſumit Planetarum aſpectus ex conſimili gradu & minuto in conſimilem gradum & minutum: In Æquatore verò conſiderat partem Æquatoris interceptam poſitionum circulis terminantibus arcum Eclipticæ qui aſpectnm exactum conſtituit: Et eam in ratione aſpectus comparat cum ipſo Eclipticæ arcu. Sique ambo arcus ſint æquales, non variabitur natura aſpectus in Ecliptica conſtituti; habebitque effectum naturæ ſuæ & virtuti congruum: ſi autem fuerint inæquales, vult Cardanus ex Ptolemæo, naturam aſpectus Eclipticæ alterari; & ſextilem longarum aſcenſionum, Trinumque brevium depravari, vertique in naturam quadrati: ac proinde judicandum eſſe de natura & effectu aſpectus juxta vincentem arcum, hac ſcilicet ratione: ut ſi arcus Æquatoris correſpondens arcui △ aſpectum in Ecliptica conſtituenti, magis accedat ad □ quàm △ aſpectum; dicatur △ Eclipticæ degenerare ad naturam & effectum □: atque ſic de reliquis. Huicque ſententiæ communiter adſtipulantur Aſtrologi.

Cæterùm præterquam quod Cardanus imponit Ptolemæo, qui non ſumit arcum Æquatoris interceptum circulis poſitionum, terminantibus exactum aſpectum in Ecliptica; ſed arcum Æquatoris coaſcendentem ipſi aſpectui, in circulo poſitionis termini antecedentis ipſius aſpectus, ut Lib. 18, Sect. 2. Cap. 5. patet in domorum conſtructione: Doctrina hæc ſibi etiam contrariatur, & à ratione aliena videtur. Nam aſpectus in Ecliptica cùm ſit ſemper exactus ex hypotheſi Cardani, is nunquam cedet aſpectui minùs exacto in Æquatore; præſertim quòd de omnium Aſtrologorum ſententia teſteque experientiâ partiles aſpectus ſint platicis efficaciores: Et circulus Eclipticæ viribus influentialibus circulum Æquatoris longè ſuperet: ex eo manifeſtum quòd ☾ ♄ ♃ ♂ ♀ ☿ eò ſint ad influendum potentiores, quò ſuis nodis, hoc eſt Eclipticæ ſunt viciniores, non autem Æquatori: proindeque ſit idem cenſendum de illorum aſpectibus. At ſi de aſpectu in Ecliprica judicandum eſſet juxta naturam quam ſortitur in Æquatore ex ſupradictis; id profectò eſſet viribus influentialibus præferre Æquatorem Eclipticæ, cui inſunt vires 7 Planetarum, ob ſuam determinationem initio Mundi, ut alibi dictum eſt. Non autem Æquatori, cui tantùm motus diurnus & quæ ex eo ſequuntur conveniunt.

Præterea Planetarum aſpectus projiciuntur in Cœlo (ut vulgo dici ſolet) per motum eorum proprium penes ſuam viam & inceſſum, ſive Planetæ ipſi ſint directi, ſive retrogradi. Dum enim Lnna uno gradu per motum proprium promovetur in conſequentia, etiam uno gradu in conſequentia promoventur ejus omnes aſpectus: Nec projiciuntur vel emergunt in Cœlo per motum communem ſive diurnum Æquatoris: ergo vim ſuam non habent ab Æquatore, ideoque in illo minimè ſpectandi ſunt.

Ad hæc ſi pro aſpectus natura deſumenda circulus uterque ſit attendendus, & eorum arcus ſint inæquales; aut judicandum erit ex ſolo arcu Eclipticæ, ſicque nulla vis erit Æquatori pro aſpectibus contra Ptolemæum: aut ex ſolo arcu Æquatoris, ſicque aſpectus in Ecliptica, nullius ex ſe virtutis erunt, quod erit majus inconveniens, experientiæ prorſus contrarium: aut mixtim ex utroque; dicendo ✱ longarum aſcenſionum, neque naturam habere puri ✱, neque puri □; ſed partim ✱ beneficam, & partim □ maleficam: proindeque non ſimpliciter bonum aut malum efficere ſuo in directionibus occurſu; ſed prout ſunt reliqua concurrentia in Revolutione & tranſitibus. Verùm non inde ſolvitur difficultas. Nam ſemper quæretur quo tempore contingat effectus à tali promiſſore. Contingit autem ex Ptolemæo, dum talis aſpectus in Ecliptica transfertur ad circulum poſitionis ſignificatoris, vel termini antecedentis; non enim obſervat ipſe latitudinem in aſpectibus. Ut ergo ex Ptolemæo effectus ſuum habet tempus ab aſpectu in Ecliptica, ſic ab ejus propria natura benefica aut malefica, ſuam habebit malitiæ aut bonitatis qualitatem; non autem ab Æquatore, cui ut ſuperiùs dictum eſt, nulla vis ineſt influentialis.

Objiciet aliquis. Ptolemæum Lib. 3. Quatrip. Cap. 14. aſſerere ✱ aſpectum tardarum ſive longarum aſcenſionum aliquando interficere, necnon Trinum brevium aſcenſionum; at △ & ✱ ſunt aſpectus natura ſua benefici: Ergo à brevibus vel longis aſcenſionibus degenerant ad Quadrati naturam, ideoque in Æquatore ſpectandi.

Sed reſpondeo primò: Ptolemæum tantùm direxiſſe quinque ſignificatores; nempe ☉. ☽, Horoſcopum, Medium Cœli, & ⊕. Et quidem pro vita aut ſolum Horoſcopum, aut tantùm Solem vel Lunam prout opinatus eſt illos eſſe Aphetas, quamvis ad vitam ſignificandam non eſſent determinati in ipſa geneſi: E contra verò Solem aut Lnnam in duodecima & octava domo non direxiſſe pro vita, etſi ratione dominii in Horoſcopo eſſent particulares vitæ ſignificatores: Qua de re fuſiùs dicemus in Aſtrologiæ praxi, ſi Deus vitam nobis produxerit: Cæteros autem Planetas etſi Horoſcopo dominantes nunquam pro vita aut valetudine direxiſſe. Ideoque nil mirum ſi ignotâ mortis verâ causâ, & fortuitò occurrente ſuo Aphetæ Sextili Martis aut Saturni longarum aſcenſionum; opinatus ſit hanc eſſe cauſam mortis, etſi innocentem, idque ſaltem aliquando, ut ipſe loquitur; præſertim cùm ipſi non conſtiterit de vero Horoſcopi gradu, quem non per Nati accidentia præterita, ſed per animodar inquirere ſolitus erat.

Reſpondeo ſecundò: Etiam Trinos & Sextiles Saturni & Martis eſſe maleficos, ſi Saturnus aut Mars fuerint ad malum determinati in figura: hoc eſt fuerint in 12 vel octava, vel harum domorum domini, præſertim malè affecti, & vitæ ſignificatoribus hoſtili radio infenſi, aut ſuper eos elevati: At nondum mihi licuit experientiâ quoque longâ detegere, tales aſpectus occidere, nullamque præter illos cauſam mortis determinatam adeſſe.

Qua autem ratione volunt Trinos & Sextiles in Ecliptica degenerare, ſaltem quantitate in Quadratos ab Æquatore: eâdem ipſi Quadrati

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

in ſignis brevium aſcenſionum degenerabunt in Sextiles; in ſignis verò longorum aſcenſionum Trinis æquivalebunt. Utque innoteſcat an aliquis Planetæ aſpectus degeneret (ut volunt) ad naturam alterius, nec ne; hoc unico patebit exemplo.

Sit in mea nativitate Sextilis ſiniſter Saturni, qui ex Tabula ſuprapoſita cadit in 12 grad. 22′. ♉, cum latitudine meridionali 3 grad. Altitudo poli ſupra circulum poſitionis Saturni, eſt 42 grad. 50′. In quo ipſius Saturni aſcenſio obliqua eſt 352 grad. 38′; ſed aſcenſio ipſius Sextilis, eſt 28 grad. 40′; à qua detrahendo ipſos 352. 38′, ſuperſunt 36 gr. 2′, pro Æquatoris arcu coaſcendente in circulo poſitionis Saturni: Cùm ergo hic arcus ſit Dodectili quàm Sextili propinquior, dicetur Sextilis Saturni in Ecliptica degenerare ad naturam Dodectilis in Æquatore: proindeque non depravari, quòd ⚹ & ⌗ ſint aſpectus benefici; ſed tantùm vim Sextilis diminui, quòd ⌗ ſit ⚹ debilior. Eademque eſt ratio de cæteris.

Caput V.

An directiones ad Planetarum Antiſcia & Nodos Lunæ ſint efficaces.

Directiones antiſciarum Planetarum efficaces eſſe, probatur hac ratione; nam omne Cœli punctum ad aliquam vim Planetariam peculiariter determinatum, eſt efficax ipſius vis ratione; ut conſtat ex Planetarum veris in Cœlo locis; ſed talia ſunt Planetarum antiſcia ex Cap. 15. Lib. 16. Ergo ſunt efficacia: proindeque dum in directionibus occurrunt ſignificatoribus, producunt effectus juxta naturam, ſtatum & determinationem Planetæ cujus ſunt antiſcia, non ſecus ac aſpectus Planetarum: ſuntque antiſcia tantùm promiſſores ut aſpectus, non autem ſignificatores. Sed experientia id probat evidentiùs, ſive Planeta ſit in Ecliptica, ubi unicum ſortitur antiſcium, ſive extra, unde duo poteſt ſortiti antiſcia in ipſa Ecliptica, ut alibi dictum eſt. Patebit autem ipſa experientia ex Genituris ſuo loco exponendis.

Quod verò ad Lunæ nodos attinet, quoniam Cap. 4. Sect. 1. oſtenſum eſt illos ex ſe nullius eſſe virtutis; hinc ſequitur illos in directionibus nec promiſſoris nec ſignificatoris ſaltem efficacem habere poſſe rationem: Proindeque multùm illos Aſtrologos decipi, qui ipſis vim aliquam promiſſoris effectivam tribuunt: fœliceſque prædicunt eventus, ex deductione Capitis Draconis ad Horoſcopum vel Solem antecedentem, putantes illud eſſe naturæ Jovis & Veneris; infœlices autem ex deductione Caudæ, quam faciunt naturæ Saturni & Martis; idemque cenſendum de cæteris Planetarum nodis.

Caput VI.

An Fixarum & Partis fortunæ directiones ſint efficaces.

Efficaces eſſe fixarum directiones probatur imprimis ratione. Nam ſunt corpora Cœleſtia, influentiali virtute prædita, ſub Dodecatemoriis mobilia, & in Themate Cœleſti determinata omnino ut ipſi Planetæ; quidni ergo ut Planetæ dirigentur? Deinde probat experientia directiones fixarum primæ magnitudinis inſignes & repentinos effectus producere, ut patebit ex Genituris ſuo loco exponendis: Ergo ſaltem Promiſſoris vicem ſubeunt in directionibus; an verò etiam ſignificatoris, nemo hactenus obſervavit: Cur autem id negabitur, cum Planetis aſſimilentur?

Dicet autem quiſpiam, quod ſi fixa admittantur in directionibus, ſaltem ut promiſſores, accident fere diebus ſingulis ipſarum directiones ad aliquos in figura Cœleſti ſignificatores. Quamobrem ſi à fixis præcipuis magni contingunt effectus; cur non à mediocribus mediocres, & à minimis minimi; cum nulla ſtella virtute propria careat, nec in Mundo ſuperflua dici queat? Vide Caput 7. Sectionis 3. Libri 20 ubi difficultas hæc diſcutitur & ſolvitur.

Quod verò ad partem fortunæ attinet, ad quam ſe habet Luna in ratione diſtantiæ Eclipticæ, ut Sol ad figuræ Horoſcopum, aut viceverſa & alternè; equidem videtur mihi admiratione dignum; quod ipſa tam in generali figuræ judicio, quàm peculiariter in directionibus, vim manifeſtam utilitatis aut damni ſortiri deprehendatur, juxta naturam domus quam occupat in figura, Cœleſtemque ſuum ſtatum. Pontanus Lib. 3. de Reb. Cœleſt. Cap. de Parte fortunæ; hujuſce rei rationem aliquam reddere volens, ait quod Sol & Luna generationis authores & quaſi parentes in his ſublunaribus ſe habent ut más & fœmina; materia & forma in corporum principiis, tum dies atque nox in tempore. Luna enim materiam aptat, Sol inducit formam: hic diurnum moderatur tempus, illa nocturnum, Luna corpori præſtat alimoniam, Sol vitalitatem conſervat. Hæc autem pertinet ad Horoſcopum qui Solis juriſdictioni ſubjicitur: Cùm autem Sol & Luna habeant conjuncta tempora, diem & noctem, conjunctivas actiones, materiam & formam, & conjuncta domicilia ♌ & ♋, par eſt in naſcentium genituris, ut ſicut Sol habet Horoſcopum, ſic Luna ſuum ſimiliter habeat Horoſcopum; non plus diſtans ab Horoſcopo figuræ, quàm Luna ipſa à Sole,

Adjiciam ego, quod cùm Sol & Luna ſint ſoli Planetæ primarii circa Tellurem ordinati, idcirco cauſæ inter Planetas primariæ ſublunarium effectuum; quorum in hanc ſcenam mundanam ortus, cùm ad Horoſcopum pertineat; idcirco in generationibus ſingulis, Horoſcopus cum Sole & Luna tam neceſſariam habet connexionem, ut quanta eſt diſtantia Solis ab Horoſcopo figuræ, tanta ſit obſervanda Lunæ diſtantia ab altero in Ecliptica puncto, quod Pars fortunæ, & Lunæ Horoſcopus appellatur: Ac

prout

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

prout Sol præcedit aut ſequitur ſuum Horoſcopum, ſic quoque Luna ſuum. Quidquid ſit ea de re, certum eſt, & pluribus experientiis comprobatum; directiones ipſius ⊕ efficaces eſſe, ut alibi patebit exemplis: Ipſamque ⊕ ſortiri rationem tam ſignificatoris in directionibus quàm promiſſoris.

Objicies primò. ⊕ eſſe merum Cœli punctum, maximè differens ab Horoſcopi puncto, cui ſaltem vis ineſt, quatenus eſt principium partis illius Cœli quæ primam domum occupat: At punctum ⊕ neque eſt pars Cœli neque principium ullius partis Cœli quæ ad figuram Cœleſtem pertineat. Ergo ⊕ nulla vis ineſſe poteſt.

Reſpondeo. Non ineſſe vim parti fortunæ quatenus eſt punctum abſolutè ſpectatum, aut principium partis Cœli ad figuram pertinentis. Sed quatenus eſt proportionalis connexio Solis & Lunæ cum Horoſcopo: qua ratione vis ipſi ineſſe poſt, vel quatenus eſt Cœli punctum à Sole & Luna peculiari modo determinatum.

Objicies ſecundò. Sit ⊕ tale punctum & alicujus virtutis: cur ſignificabit divitias, vel ad has erit determinata, quancunque domum ipſa occupet, & qualiſcunque ſit ejus domini natura, ſtatus Cœleſtis ac determinatio in figura.

Reſpondeo quod etſi Sol & Luna determinentur ut alii Planetæ ad ſignificata domorum in quibus ſunt & quibus dominantur: tamen quia ſunt Planetæ primarii; imò de communi conſenſu parentes ſeu cauſæ univerſales omnium ſublunarium effectuum; ad quos idcirco obſervandus eſt reſpectus orientalitatis vel occidentalitatis cæterorum Planetarum, pro horum particularibus effectibus, omnino videtur concedendum ineſſe Soli atque Lunæ ſaltem ex ſua natura, quandam vim boni tranſcendentalem: ob quam Pars fortunæ ab eis vel ad eorum naturam tranſcendentaliter determinata, etiam utilitatis aut damni, tranſcendentalem ſortiatur determinationem, circa eſſentiale ſignificatum domus ad quod particulariter determinatur ſuo ſitu, juxta ſui domini naturam atque determinationem.

CAPUT VII.

Quod de oblata geneſi non ſit ferendum judicium directionibus non animadverſis.

HAc in parte frequenter hallucinantur Aſtrologi, qui oblatâ figurâ Nativitatis, ex ejus inſpectione ſimplici judicia ſua præcipitant: & ex ſolo ſtatu domorum & Planetarum, horumque determinatione de geneſis fortunio vel infortunio pronunciant: Cùm tamen ſæpe contingat, ut quæ genitura eo modo fœlix apparet, per directionum ſeriem ſit multùm infauſta: Et viciſſim quæ apparet infauſta, ſit per directionum ſeriem valde fortunata. Unicum enim infortunium à directionibus cauſatum, ut exilii vel carceris, poteſt multorum bonorum apparentiam fruſtrare: viciſſimque unicum fortunium apparentiam plurium malorum enervare: quid ergo plura fortunia vel infortunia à directionibus non conſultis ſignificata?

Itaque priuſquam de oblata geneſi feratur ſententia, conſtruatur ſpeculum aſtrologicum, in quo vulgari modo notetur ſeries directionum ſingulorum ſignificatorum ſeorſim. Quod ſi tale ſpeculum, ſufficiens ad judicium lumen non exhibuerit, directiones ſingulæ juxta annorum ſeriem commixtim ordinentur, ut inde conſpecta ſerie accidentium vitæ, de geneſis felicitate vel infelicitate judicium feratur ſapientius & accuratiùs.

SECTIO III.

De motu vel quiete Terminorum directionis; hujuſque menſura.

CAPUT I.

An directio ejuſque effectus fiant per aliquem motum Phyſicum unius Termini ad alterum.

HOc affirmat Lucius Bellantius quæſt. 16. art. 2. contra Picum Mirandulanum: aitque. *Vim impreſſam partibus primi Mobilis à Planetarum corporibus momento nativitatis, motu proprio moveri continuè & per ſe; ita ut illa modò in uno & modò in altero gradu primi Mobilis reperiatur.* Ejus autem ratio ſumitur à veritate directionum & experientia, *quæ* (ait) *apertiſſimè demonſtrat vim illam in quacunque parte intermedia operari per directiones, ubi ipſa offendit ſignificatorem aliquem: quodque ſi non eſſet mobilis, vires impreſſæ* (ſubaudi ſignificatoris & promiſſoris) *nunquam conjungi poſſent, vel una alteram offendere, ut effectum producerent.*

Verùm ut jam ſecretiora hujus Doctrinæ penetralia ingreſſi, illa pro ingenii noſtri modulo patefacere conemur: dicemus quod Bellantius multipliciter decipitur. Primò, dum ait vim Planetarum formaliter imprimi partibus primi Mobilis. Aſtra enim determinant ſua reſpectu noſtri loca in Cœlo ad naturam propriam momento Nativitatis; ut Martem ſuum in Cœlo locum ad naturam Martiam, ſine ulla virtutis impreſſione formali, ut Lib. 20. Sect. 2. Cap. 15. fuſiùs oſtenſum eſt.

Secundò. Dum ait vim illam motu proprio moveri continuè & per ſe ut modò ſit in uno, & modò in altero Cœli puncto. Si enim vires illæ primo Mobili à Planetis impreſſæ moverentur aliquo motu proprio; vel moverentur omnes ad Ortum, vel omnes ad Occaſum, vel ſingulæ ad Ortum & Occaſum ſimul tempore, vel aliæ tantùm moverentur, aliæ verò non: ſi hoc ultimum aſſeratur, dicatur ratio cur vis Solis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Solis impreſſa moveatur, non autem Lunæ aut Saturni. Cùmque nulla poſſit afferri, quinimò id contrarietur experientiæ, quâ conſtat Planetas omnes dirigi cum effectu, patet hoc ultimum eſſe falſum. Tertium verò eſt impoſſibile de motu per ſe quem aſſumit Bellantius: ſuperſunt ergo primum & ſecundum. Jam verò ſi ambæ vires ſignificatoris & promiſſoris ferantur ad Ortum, vel ambæ ad Occaſum; nunquam conjungentur vel ſibi occurrent, ad cauſandum effectum: ſi autem dixeris unam ferri ad Ortum ut vim Solis, alteram ad Occaſum ut vim Lunæ ſequentis Solem; ergo vel nullæ erunt directiones Lunæ ad promiſſores ſequentes verſus Ortum, contra experientiam: vel vis Lunaris ſimul movebitur ad Ortum pro ſequentibus promiſſoribus, & ad Occaſum pro ſignificatore Sole, quod jam diximus impoſſibile. Patet igitur falſitas hujus opinionis. Adde quod vis illa quæ eſt accidens, moveretur localiter à ſe, & non ad motum ſubjecti, ſeu primi Cœli cui dicitur impreſſa; id verò apud Philoſophos abſurdum eſt. Denique motu virtutis Solaris ad Ortum, & Lunaris ad Occaſum ſimul tempore, ambæ vires ſibi occurrerent in medio diſtantiæ promiſſoris à ſignificatore: ſicque directionis effectus duplo citiùs accideret, quàm experientia ferat: ergo Bellantii ſententia undique corruit. Neque talem motum probat directionum veritas, vel quod diverſi effectus contingant ab eodem ſignificatore per diverſos promiſſores ſequentes, & juxta ſuam ſeriem ordinatim occurrentes: cùm hoc ab aliis cauſis eſſe queat ut, infra probabitur.

Regiomontanus in ſuis directionum Tabulis Problem. 25. ait. *Directionem nihil aliud eſſe, quàm movere ſphæram donec locus ſecundus, hoc eſt promiſſor, traducatur ad ſitum primi, ſive ſignificatoris.* Et paulò poſt, *Directionem eſſe motum primi Mobilis, quo videlicet ſignificator traducitur ad ſitum promiſſoris, aut contra* (quod verius eſt:) Indeque opinati ſunt plerique, fieri directionem, hoc eſt ejus effectum produci, per aliquem motum Phyſicum primi Mobilis, quem effectus ipſe terminet. Verùm directio definitur duntaxat à Regiomontano, prout eſt inventio arcus directionis, veluti infra ſubjungit: hoc eſt prout eſt directio artificialis à nobis definita Cap. 1. Sect. primæ. Ac in rei veritate directionis effectus non producitur per aliquem motum Phyſicum ſignificatoris aut promiſſoris, quo nempe durante fiat effectus, & quo finito factus ſit: Si enim effectus directionis Jovis in undecima domo ad Solem in decima accidere deberet per aliquem motum unius horum Planetarum ad alterum; ergo accideret vel ipſo die nativitatis 2 aut 3 horis poſt partum, quando Jupiter motu primi Mobilis veniret ad locum vel circulum poſitionis Solis: vel poſtridie quando Sol eodem motu veniret ad circulum Jovis: vel intra unum aut 2 menſes quando Sol motu proprio veniret ad locum ipſius Jovis: vel intra circiter 10 annos, quando Jupiter motu proprio veniret ad locum radicalem Solis: nullus enim alius motus phyſicus aſſignari poteſt, quo unus feratur ad alterum, qui non ſit fictitius, à quo realis effectus eſſe nequit: Nullo autem ipſorum temporum contingit effectus directionis illius; ſed tantùm poſt annos 30 aut 40 qui deſignantur per arcum vel gradus Æquatoris interceptos duobus declinationum circulis, quorum alter per locum Jovis in ſitu proprio tranſit; alter verò per ejuſdem Jovis locum in circulo poſitionis Solis: Quique arcus invenitur, dum motu Globi Cœleſtis ad Occaſum, Jupiter transfertur ad circulum poſitionis Solis, ut Regiomontanus poſt Ptolemæum voluit: Non ergo directio fit, hoc eſt directionis effectus non contingit per aliquem motum Phyſicum, aut Jovis ad Solem, aut Solis ad Jovem. Quod ſi quis dixerit, effectum non produci per motum Jovis ad Solem, aut contra, ſed per motum virtutis Solis aut Jovis impreſſæ in Cœlo; patet hoc etiam eſſe falſum. Nam præter ſuperiùs dicta contra Bellantium, vis Solis ſemper remanet in loco Solis, ut probant Planetarum tranſitus per locum Solis: Ergo non movetur ex illo loco ad alterum, alioquin ſimul tempore ejuſdemque loci reſpectu moveretur & quieſceret, quod eſt impoſſibile.

Andreas Argolus Medicus & Mathematicarum in Patavino Gymnaſio Profeſſor celebris, in ſua Ephemeridum Iſagoge Lib. 3. Aſtron. Cap. 15. ait, multùm hallucinari contendentes motum in directionibus eſſe fictitium nec verum; cùm realis ſit & primi Mobilis motus concitatiſſimus ab Ortu in Occaſum, patratus tempore emerſionis Nati in hanc Mundi lucem. *Nam* (ait) *in ortu Nati, ſicut ex ſitu & aſpectibus Planetarum, repertoque ſigno in Horizonte in circumvolutione, tunc temporis primi Mobilis remanſerunt impreſſæ in Nati corpore, activæ & paſſivæ qualitates Elementorum, nec non diſpoſitiones diverſæ ex Aſtris productæ, quæ raro vel nuſquam delentur niſi poſt mortem: ſic etiam motus ille ortus, & devolutio promiſſoris ad locum ſignificatoris, eodem tempore realiter abſolutus eſt, & remanſit etiam impreſſus in Nato; effectum ſignificatum producturus pro diſtantia graduum Æquatoris inter ſignificatorem & promiſſorem, ac itineris primi Mobilis ab uno loco ad alium; tribuendo pro quolibet gradu, certum temporis ſpatium experientiâ comprobatum.*

Quæ verba naturalem directionem Capite 1. Sect. 1. à nobis definitam attingunt quodammodo; ſed confusè, nec difficultatem ſolvunt. Etſi enim directio naturalis fiat per motum realem & Phyſicum promiſſoris ad circulum ſignificatoris, ut illo Cap. 1. explicatum eſt; tamen effectus futurus, per illam directionem ejuſve motum non producitur; multóque minùs per directionem artificialem. Aſtrologi verò futuris Nato effectibus reales directiones ſic alligant, ut has ſine illis eſſe nolint: Et morbum aut vulnus accidere dicant, quo anno Mars ad Horoſcopum dirigitur. De directionibus verò ab Aſtrologis

ita

ita conceptis quæritur an fiant per aliquem motum Phyſicum unius termini ad alterum, ut Bellantius contendebat; non autem de naturali directione à nobis definita. Probavimus autem ſupra nullum eſſe motum ipſorum terminorum, quo poſito, ponatur effectus per directiones futurus à geneſi.

Objicies. Si Soli in decima domo ſuccedant 4 aut 5 promiſſores ab ipſo Sole inæqualiter diſtantes, Sol priùs producet effectum cum primo vel proximiore, deinde cum ſecundo, poſtea cum tertio, & ſic deinceps. Ergo vel eſt aliquis motus Solis ad illos, vel illorum ad Solem: Nam ambo termini concurrunt ad effectum, concurſus autem ſine unione eſſe nequit, nec effectus ſine concurſu, ut volebat Bellantius contra Picum.

Reſpondeo. Id quidem ita videri, attamen non eſſe, ob rationes allatas contra ipſum Bellantium. Cur autem & quomodo concurrant termini; & producant effectum ſine illis motibus, dicetur ſequenti capite; hoc enim duntaxat oſtendere ſuſcepimus, quod directionis effectus non accidat per motum realem unius termini ad alterum.

Caput II.

Quomodo quieſcentibus ſeu fixis in Cœlo directionum terminis, earum effectus producantur in Terra, per illorum concurſum in directionibus. Et quomodo harum effectus tandiu in potentia, tandem in actum erumpant.

Hoc certè videtur eſſe Naturæ miraculum: De rei enim veritate, non niſi Aſtrologiæ ignaris dubitare licet: Modus autem humanæ mentis rationem tranſcendere videtur. Quippe certum eſt, directionum terminos, nimirum loca ſignificatoris & promiſſoris, fixa eſſe in primo Mobili, ut teſtantur Planetarum tranſitus per ipſa loca, ſicut dictum eſt Cap. 1. Ac certum ſimiliter, directionis effectum non eſſe à ſolo ſignificatore, aut ſolo promiſſore, ſed ab utriſque concurrentibus ex Cap. 7. Sect. 1: ſed concurſus aſſignari nequit in Cœlo terminis immobilibus: Et hic eſt difficultatis nodus.

Joannes Keplerus Cæſarienſis Mathematicus celeberrimus, qui de cunctis rebus Phyſicis ſententiam ferre voluit; aſſerit Lib. 4. ſuæ Harmon. *Caſus fortuitos, ut quod tegula de tecto delapſa ferit prætereuntem; quod flammis hic interceptus pereat*, &c. *tribuendos eſſe Genio tutelari cujuſque: Et ſi Thema genethliacum continet horum caſuum indicia, oportet huic cuſtodiæ vel tutelæ ex aſtro genethliaco impedimenta provenire & promotiones contrarias. Nec videt qui Cœlum iſta poſſit citra Genios.* Quibus verbis patet Keplerum Aſtrologiæ & Angelicæ naturæ imperitum, de his temerè judicaſſe. Neſcivit enim conſtitutionem Cœleſtem influere in id duntaxat, quod per generationem Phyſicam producitur; & hoc radicaliter affici, quo inſtanti naſcitur: quod de bonis vel malis Angelis dici nequit. Nec præterea ſcivit domorum figuræ Cœleſtis vires eſſentiales, virtutis Planetarum determinatrices; neque Planetarum ipſorum naturam beneficam aut maleficam. Ex quibus accidit, ut ſi ♂ vel ♄ ſint in octava vel domini octavæ pravè afficientes vitæ ſignificatores, accidere ſoleant tales mortes ex domus proprietate & malefica Planetæ natura; hoc igitur ignorans præſertim experientiâ; videre non potuit, qui Cœlum talia poſſit in homines citra Genios; & quod ſibi hac de re venit in mentem protulit.

Poſtmodum verò ſibi non conſtans ait. *Qui pereunt ferro, præcipitio, ſubmerſione, & aliis fortuitis eventibus; videntur à Deo & bono Angelo derelicti ob impietatem, & tyrannidi Satanæ traditi: ſed talem vitæ impietatem Conjectores ex aſtris videre non poſſunt: Non enim in Cœli figura ſcripta ſunt divina auxilia, contra pravas morum inclinationes; multò minùs in Saturni livore & Martis rubore inſcripta ſunt velut in pandectis pœnarum genera peccatis ſingulis debita: Nec ulla eſt connexio naturalis harum rerum cum Cœlo immediata.* Quibus verbis patet primò, hæc accidentia non eſſe tribuenda Genio tutelari, neque huic cuſtodiæ vel tutelæ impedimenta ex Aſtro genethliaco provenire & promotiones contrarias, ut volebat ſuperiùs. Adhæc ſequeretur nemini proborum hominum accidere, ut ferro, præcipitio, ſubmerſione & aliis fortuitis eventibus intereat: ſed quicunque ſic interierit, impium eſſe & Satanæ tyrannidi traditum; quod aſſerere impium eſt, atque ſtultum. Præterea fallitur dum negat Aſtrologos poſſe in Aſtris videre impietatem cæteraſque pravas propenſiones Natorum: hoc enim apud Aſtrologos, nimis commune eſt & experientiâ clarum: quamvis prævidere nequeant divina auxilia, de quibus etiam ipſi non judicant, quòd nempe ſint ſupra Naturam. Inſuper infauſta accidentia mortis, non inſcripta ſunt in Saturni livore aut Martis rubore, ut arguit Keplerus; ſed in eorum influentia & determinatione in figura Nativitatis, quas Keplerus neſcivit. Denique etſi non ſit connexio immediata harum rerum cum Cœlo; eſt tamen immediata per Geneſin connexio Cœli cum Nato, quem Cœlum ad illa patienda determinat efficienter. Nam ſicut Natus activè Cœlum determinat; ita Cœlum paſſivè Natum, ut alibi diximus.

Poſt hæc *dubitat, an hominum Genii, hoc eſt Angeli cuſtodes impediantur ab aſtris naturaliter, ne reſiſtere poſſint poteſtatibus Aëris inſidiantibus; illaque impedimenta prævideantur ex Themate Nati, quod fortaſſe* (ait) *etiam in Genium influxit, non minùs quàm in naſcentis animum: ſicque Angelus cuſtos malum imminens impedire non poſſit.* Quibus verbis iterum ſibi contrariatur, dum ſuperiùs non dubitando aſſeruit, quod ſi Thema natalitium continet indicia mortis violentæ à caſu (ut vocat) fortuito; oportet Genium ſeu Nati cuſtodiam ab aſtris impediri, ſicque influxum ab illis excipere, cui nequeat reſiſtere; quod ſupra rejectum eſt, ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ut Naturæ angelicæ repugnans, eaque prorſus indignum, necnon ejus immutabili beatitudine, prorſuſque inalterabili à cauſis præſertim Phyſicis. Præterea Keplerus dicat quid Thema inſtuat in naſcentis animum & Genium; ſicque rurſus aſſeret quod ſuprà negaverat.

His præmiſſis ait deinde, *quod fœtus in partu propriam vitalem energeticam facultatem concipit actu, cùm à matre ſeparatur; & character Cœli in illum influit eo momento.* Clariùs verò mentem ſuam aperit Lib. de Trigono igneo, ubi *negat ullam à Planetis vim manare in ſigna vel loca Zodiaci: aut per realem impreſſionem ut plerique volunt*, aut per determinationem Keplero ignotam, & à me primò detectam: *ſed in naſcentis pueri facultate naturali & animali, excipi Cœli conſtitutionem, quæ fuit tempore ortus. Et ideo ad omnes Planetarum tranſitus per loca Thematis præcipua, ſeſe commovere facultatem ipſam; quaſi imaginès in anima receptæ, eſſent vera ſydera cum cœleſtibus coeuntia & conſpirantia aut diſſonantia.* Quibus verbis ſibi etiam contrariatur, cur enim facultas ſeſe commovet ad Planetarum quotidianos tranſitus per loca in Cœlo duntaxat præcipua Thematis, hoc eſt per loca Planetarum aſpectuum & cuſpidum ipſius Thematis; & non ad tranſitus per alia loca in Cœlo vacua reſpectu Thematis ejuſdem; ſi in ipſis locis præcipuis nulla ſuperſit virtus à geneſi reſpectu Nati, aut per impreſſionem aut per determinationem? Huic certè quæſtioni non video quidquam ſolidi pro Keplero reſponderi poſſe; nec etiam alteri quæ fieri poteſt, cur ſcilicet facultas aliter ſeſe commoveat Saturno tranſeunte per Medium Cœli Radicis, & aliter per Horoſcopum?

Denique myſterium directionum attingens ait. *Quod facultas ipſa non modò obſervat tranſitus Planetarum, ſed etiam ſucceſſiones partium Cœli, quæ in geneſi Planetas habebant: Ea proportione opera ſua per totam hominis vitam diſpenſans? ut quantò annus die longior eſt, tantò tardiùs ſuum in directione ſignum ſequatur effectus, quàm ſignum in directione partium inſequitur; Ita ut impreſſio hæc Cœleſtis non ſolùm duret quieſcens; ſed etiam durando ſeſe extenſionis motu in longiora vitæ tempora propagat: Nimirum hæc facultas non tantùm circulus eſt, ſed motus etiam circularis & tempus idæale; & diceres cum corpore Nati creſcere tempus motuum characteris genethliaci.* Tandemque ſic concludit. *Mors in Aſtris, in Themate, in directione nulla; nedum variæ mortis formæ: Materia corporis eſt quæ flammam vitæ vel inundans opprimit, vel deficiens deſerit, dum natura directionum tempore ſtimulatur ad peragendum opus ſuum.* Quibus verbis tanti myſterii difficultates non ſolvit, ſed potiùs multiplicat: Dum ait facultatem Cœleſti charactere ſignatam, eſſe circulum, eſſe motum circularem, eſſe tempus idæale: quod nec Keplerus probat, nec ſi probaret, difficultates ipſas tolleret. Dum etiam vult cuncta hominis accidentia eſſe à facultate operi ſuo peragendo attenta; quandoquidem accidentia quæ malè vocantur fortuita vel caſualia, ad ipſam facultatem operi ſuo intentam referri nequeant; cùm ſint omnino extra ejus opus & curam: In ſignificatorum autem directionibus & Planetarum tranſitibus maximè eluceant, ab iiſque cauſentur; ignarâ per ſe exiſtente animâ fatorum talium, etiam radicali conſtitutione informata. Dum inſuper nolens aſtra cauſare mortem, facit Naturam ſuo operi intentam ſui ipſius deſtructricem ac homicidam, quod eſt contra Naturam. Dumque rationem non reddit, cur facultas ſervet in tempore prædictam rationem diei ad annum.

Volui autem hîc paulò fuſiùs recenſere Kepleri mentem circa Aſtrologiam, ejuſque defectus oſtendere; quòd Lib. 4. harm. Cap. 7. *putet poſt conſenſum Hæliſei, Roſlini, & Philippi Feſelij, Philoſophiæ & Medicinæ Profeſſorum* (ut ait) *celeberrimorum, novam hanc Philoſophiam eſſe veriſſimam: Ideoque ſibi omni cura fovendam & educandam eſſe tenellam plantulam, ut radices agat in animis philoſophantium.* Siquidem in Rei veritate Keplerus fuit Aſtrologiæ valde ignarus; ut patet ubicunque de hac ſcientia loquitur, ut jam alibi oſtendimus: Ignaro autem nihil inferenda ſententia injuſtius. Quid ergo & nos hîc etiam dicemus, ne circa tantum Aſtrologiæ myſterium planè muti videamur? Eſto circa ipſum cuilibet ſua philoſophandi libertas.

Dico primò. Domorum cuſpides, Planetas & horum aſpectus, momento nativitatis actu determinari ad aliquid Nati reſpectu, ut fusè ſectione 1. oſtenſum eſt: potentiâ autem ad alia determinari. Sicque Saturnus in prima domo determinatur actu ad Nati temperamentum, valetudinem, mores, ingenium: ſed ſimul etiam determinatur potentiâ ad omnia Nati accidentia ſingulis figuræ domibus antecedentibus repræſentata: Verbi gratiâ, ad morbos cauſandos per ſuam directionem ad Solem in duodecima, ſicque Jupiter in undecima domo determinatur actu circa Nati amicos; potentiâ autem circa honores, quos cauſare deprehenditur ſua directione ad Medium Cœli: quaſi exiſtens potentiâ in Medio Cœli, dum actu exiſtit momento nativitatis in undecima. Similiterque cenſendum de cæteris ſignificatoribus Jovem antecedentibus.

Secundò. Quod Cœleſtis figuræ influxus momento nativitatis, Parti ſenſitivæ Nati imprimitur; non quidem confusè, ſed diſtinctè ac mirabiliter prout ſe habet in illa figura Cœli: hoc eſt ut ſe habet determinatio partium Cœli & Planetarum in ipſa figura; ſic ſe habeat in ipſo Nato illius figuræ character influentialis; in hoc ſervatis virtualiter eodem ſitu, ordine, atque diſtantiis ſignificatorum & promiſſorum, prout reperiuntur in ipſa figura erecta ad talem longitudinem & latitudinem loci natalitii. Proindeque ut figuræ Cœleſtis eſt Nato vitæ principium externum; ita ſit ipſamet in Nato cauſa efficiens, ſimilis interni principii; per ſui characteris impreſſionem in Nato: unde oritur ipſius Nati & Cœli conſenſus ille in agendo & patiendo manifeſtus atque mirabilis.

Tertiò. Quod quilibet ſignificator in figura Cœleſti, hoc eſt cuſpis vel Planeta prout virtute ſua, tam eſſentiali à propria natura, quàm accidentali à determinatione in figura, viget in Nato per ſui Characteris impreſſionem: Eſt quoddam vitæ, actionis, conjugii vel paſſio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

paſſionis principium, ad quod potentiali determinatione referuntur cuncta figuræ loca ſequentia, ſive ſint Planetæ, ſive horum aſpectus: Ut proinde talia circa principium ipſum futura ſint durante vitâ Nati, qualia ſunt ipſa loca, tam per ſe ratione naturæ, quàm per accidens ratione determinationis: Ac futura ſunt eodem ordine temporis, qualis eſt ordo diſtantiæ ipſorum locorum à tali principio: ut ſcilicet qui minùs diſtat ab ipſo principio, citiùs ac priùs reducatur de potentia ad actum; hoc eſt ſuum producat effectum. Quamobrem ſi Horoſcopum vitæ principium ſequantur ☿ dominus Horoſcopi, tum □ ♂ domini octavæ, tum △ Jovis domini nonæ; priùs à directione Mercurii ad Horoſcopum Natus litteris incumbet. Vel alteri diſciplinæ; poſtea verò à directione □ ♂ ad eundem Horoſcopum, ægrotabit periculoſe; tandemque ſi evaſerit, religioni vacabit à directione △ Jovis ad eundem Horoſcopum, ſemper enim attendenda eſt determinatio per corpus & dominium promiſſoris, & non ſolus Planeta, ut fecêre veteres, qui ſuos de directionibus canones nobis tradidêre.

Quartò. Quod cùm figura Cœli momento nativitatis ſit aliquid permanens ac ſtabile, in quo viget cauſaliter ac implicitè tota Nati vita cum ſuis accidentibus; ipſa autem vita & accidentia temporis ſucceſſionem atque ordinem admittant; neceſſarium eſt hujus ſucceſſionis & ordinis aliquam in Cœlo dari cauſam; nulla autem alia eſt quàm ſucceſſio atque ordo promiſſorum potentialiter determinatorum reſpectu ſignificatorum antecedentium; ut ſuperiùs dictum eſt. Potentialis enim determinatio ex ſe tendit ad actualem; ideoque Promiſſores ipſi, hoc eſt Planetæ & horum aſpectus, de hac potentiali determinatione, ad actum reducendi ſunt. Id verò fit per primi Cœli Revolutionem primam, quæ incipit momento nativitatis: Dum enim hac revolutione promiſſor quilibet transfertur ad circulum poſitionis, quem ſignificator quilibet occupavit illo momento, ſicque fit ipſorum directio naturalis à nobis definita cap. 1. ſect. 1: determinatur actu ad effectum quandoque producendum, juxta naturam & ſitum ipſius ſignificatoris: Taliſque directionis virtus pro ſingulis directionibus naturalibus promiſſoris ipſius, ad ſingulos ſignificatores antecedentes, Nato ſucceſſivè per talem revolutionem imprimitur, quaſi ſupplementum natalis impreſſionis univerſalis, quod hujus particularia fata explicat, & ſecundum ſuam ſeriem temporalem efficaciter combinat & ordinat.

Porrò directionis effectus produci nequit ipſo momento nativitatis; quòd tunc promiſſor non ſit actu in ſitu ſignificatoris, ſed tantùm potentiâ: Producitur autem poſt geneſim virtute illius reductionis de potentia ad actum, quæ fit per motum ſucceſſivum: Ac producitur tot circiter annis à geneſi; quot gradibus Æquatoris promiſſor diſtat a circulo poſitionis ſignificatoris ex Ptolemæi mente, quod ſequenti capite ſtudioſiùs inquiretur. Hujus autem doctrinæ ratio fundamentalis eſt, quod virtus determinativa domorum ſive cuſpidum ad diverſas effectuum ſpecies ſit per experientiam Aſtrologis notiſſima; ideoque certiſſima: ſunt autem cuſpides domorum circuli poſitionum, & per quamlibet domum traduci queunt innumeri alii poſitionum circuli. At poſitionis circulus in quem cadit aliquis Planeta aut ſignificator alius momento nativitatis, ab ipſo Planeta vel ſignificatore vim peculiarem ſortitur reſpectu Nati, ratione ſubjectorum ad domum pertinentium quam circulus ille occupat juxta naturam atque ſtatum illius Planetæ; quæ vis ipſi Nato imprimitur ipſo momento nativitatis. Dum ergo promiſſor primâ illâ primi Cœli revolutione, traducitur ad eundem circulum, determinatur ut ſuperiùs dictum eſt: Atque vis hujuſce determinationis quatenus ſucceſſivo motu factæ, Nato ſimiliter imprimitur. Cumque ſic tam in Cœlo quàm in Nato fiat concurſus ac unio virtutum promiſſoris & ſignificatoris, quatenus ſunt ſucceſſivè in illo poſitionis circulo; inde oritur ut tempore deſignato per arcum illius motûs, Nato ipſi accidat aliquid de Natura ſignificatoris & promiſſoris in ſignificatis eſſentialibus ſpatii ſive domus figuræ in qua reperitur circulus ille poſitionis. Atque hęc ſunt ad ſummum quæ de tanto Naturæ myſterio poſt diuturnas ſpeculationes juxta experientiæ veritatem à me dici queunt; quæ ſi alicui non ſatisfaciunt, det ipſe meliora, meamque fallet opinionem. Simile quid habet Galenus circa morbos lib. 3. de diebus decretoriis: Quod nempe erecto Themate ad initium morbi; ab illo fit in Nato ipſius morbi impreſſio, cujus accidentia prodeunt per Lunæ motum ad ſua □ & ☍: vel (ut opinor etiam) per ſuas directiones menſtruas ad illa □ & ☍, aliaque loca figuræ morbi præcipua: frequenter autem accidit ut directio & motus Lunæ, eodem die ſimul concurrant. Ex quibus patet quod accidentia ſive Nati, ſive morborum menſurantur per directiones & motus Planetarum tranſeuntium per loca accidentibus congrua.

Quintò igitur dico. Ideo quieſcentibus ſeu fixis in Cœlo directionum terminis, harum effectus produci in Terris, ſcilicet in homine: quoniam per radicalem influxum figuræ cœleſtis momento nativitatis, & primam Cœli converſionem, factus & Nato impreſſus eſt illorum terminorum concurſus, efficax certo tempore, ut jam ſuperiùs expoſitum eſt.

Sextò. Quod ſuppoſita impreſſione illius concurſus per primam Cœli converſionem à momento nativitatis; ſequitur illum continuari & confirmari per ſubſequentes; quibus etiam quilibet promiſſor deducitur ad circulum poſitionis ſingulorum ſignificatorum antecedentium; ſicque toties confirmari, ut efficacia directionis pro effectu, tandem inde matureſcat & in ſuum actum erumpat: Nimirum poſt tot Solis annuas converſiones, quot ejuſdem Solis ferè diurnas continet arcus directionis: Ideoque citiùs aut tardiùs, prout termini minùs aut magis à ſe diſtant. Unde patet Solem ſuo motu diurno & annuo concurrere ſaltem ad menſuram temporis, quo directionis effectus de potentia reducitur ad actum; non autem influxu ſuo ſeu vi influentiali; ut Cardanus ex Cap. 1. Sect. 1. voluiſſe videtur. Siquidem directionis effectus tantum ſignificatoris & promiſſoris naturam redolet atque deter-

mina-

minationem, non autem Soli, niſi per accidens, ratione determinationis ipſius Solis.

Septimò tandem aſſero: Directionis effectum produci non à ſola impreſſione ſuſcepta momento nativitatis, ut cenſuit Keplerus, neque à ſolo Cœlo, ut vulgo hactenus creditum eſt, ſed ab utriſque ſimul conſpirantibus: Non tamen ſine actuali concurſu Revolutionum annuarum atque menſtruarum, nec non tranſituum, ut dicitur in ſequentibus: Hîc enim duntaxat explicamus modum agendi per directiones.

Objicies: Inde ſequi quod poſt annos 365 totidem diurnis Solis correſpondentes, quibus promiſſor quilibet ſuos effectus adimplet, cum ſingulis totius Zodiaci ſignificatoribus, abſorbta erit vis & efficacia omnium directionum, nulluſque ab his manabit effectus in victuros diutiùs, quales fuere homines diluvium præcedentes, qui ad annos 500 & 600 pervenere, vitâ tam longâ nimiùm abutentes; quoſque tamen dicet Aſtrologus mortuos fuiſſe ex directione alicujus Anæretæ ad aliquem vitæ ſignificatorem: Ergo falſa eſt doctrina ſuprapoſita.

Reſpondeo, non ſequi quod dicitur. Nam ſicut per ſecundum primi Cœli Revolutionem à geneſi, confirmantur directiones primæ, quæ correſpondent primis vitæ annis 365: Ita per tertiam confirmantur directiones ſecundæ quæ correſpondent ſequentibus vitæ annis 365, & ſic deinceps. Indeque fit ut poſt annos 365 à geneſi, redeant effectus ſimiles prioribus per eoſdem promiſſores, ſi natus tandiu vixerit, ut ante diluvium: habita nihilominus ratione ætatis ipſius Nati, cæterarumque circumſtantiarum. Dici etiam poteſt quod cùm vis Cœlo impreſſa per determinationem, tamdiu duret quandiu Natus, nihil obſtat quin poſt 365 annos adhuc redeant ſimiles effectus per directionum recurſum habita ætatis ratione & diſpoſitionis rerum tunc vigentium. Dici etiam denique poteſt quod cùm eadem directio multa ſimul ſignificet, ratione multiplicis determinationis tam ſignificatoris quàm promiſſoris in una revolutione 365 annorum producet unum effectum, & in altera alterum habita ratione, &c: Igitur doctrina ſuprapoſita ſibi conſentit, & experientiæ ſatisfacit, ſine ulla confuſione vel ambagibus, ſed viâ & ratione ſimpliciſſima, quod ipſi nos adhærere facit. De re igitur tam ardua jam ſufficienter dictum ſit hactenus.

Caput III.

De variis Veterum & Neotericorum ſententiis circa menſuram arcus directionis, in tempus convertendi: Et quæ ipſarum nobis videatur verior.

Eſt aliquid in ſingulis ſcientiis, quod intellectus humani teſtatur imbecillitatem, ut in Theologia myſterium Sacroſanctæ Trinitatis; In Phyſica formarum quidditas atque productio; in Geometria circuli quadratura, & in Mechanicis motus perpetuus: ſi quidem in his arcanis ſcrutandis obtunditur acies intellectus: nihil igitur mirum ſi in Aſtrologia ſcientiarum Phyſicarum altiſſima diviniſſimaque reperiatur etiam aliquid, quod mirari potiùs quàm intelligere concedatur. Talis autem eſt menſura, qua directionis arcus in tempus convertitur, ad futurorum hominibus accidentium tempus determinandum. Siquidem non ſine admiratione conſtat experientiâ, quod arcus directionis tot annis circiter æquivaleat, quot gradus Æquatoris continet: hoc eſt effectus à directione ſignificatus, tot circiter annis poſt geneſin contingat, quot ſunt gradus in arcu directionis. Dixi autem circiter, quia de præciſione controvertitur adhuc inter Aſtrologos. De hac igitur menſura aliorum & noſtram ſententiam hîc ſubjiciemus.

Ptolemæus igitur lib, 3. Quatrip. cap. 15. ait. *Convenienter autem pro quolibet gradu ſumet unum annum*: vel ut habet Naiboda, *valentque probabili ratione de temporibus* (hoc eſt gradibus Æquatoris, qui paſſim vocantur à Ptolemæo tempora) *unumquodque annum Solarem unum.* Quibus verbis patet Ptolemæum de menſuræ præciſione non certò, ſed duntaxat probabiliter determinaſſe. Ejus verò ſententiam ad noſtra uſque ſecula Aſtrologi omnes ſecuti ſunt, & eam nonnulli adhuc retinent: Cardanus autem Commento in illud caput, & poſt illum Naiboda cenſuere, unum annum æquivalere, non præciſè uni gradui Æquatoris, ſed 59′ 8″. quantus ſcilicet eſt diurnus Solis motus medius in Æquatore menſurâ geminâ Temporis: unum verò gradum valere unum annum 5 dies & 8 horas; indeque à Naiboda & Magino conſtructæ ſunt Tabulæ, quas infrà ſubjiciemus: atque huic ſententiæ jam ſubſcribit pars maxima Aſtrologorum.

At Nobiliſſimus Tycho Brahæus lib. 1. de nova ſtella pag. 113. rejectis duabus illis ſententiis arbitratur experientiâ doctus (ut ipſe ait) quod motus Solis diurnus, non quidem medius, ſed verus vel apparens ipſo die nativitatis; ſit vera anni menſura pro directionibus figuræ genethliacæ; atque diei pro directionibus annuæ revolutionis. Scripſit autem mihi Clariſſimus D. Longomontanus pro arcano; quod Tycho Brahæus intelligebat motum diurnum aſcenſionis rectæ Solis & non longitudinis. Ac ego qui realibus effectuum temporibus cauſas fictitias aſſignare nequeo; jamdudum idem animo conceperam, quod à Tychone nondum à me viſo conceptum fuerat: quodque ſi Solis diurnus erat anni menſura, congruentius erat id tribuere diurno vero & reali, quàm medio qui fictitius tantùm cenſetur: Et potiùs diurno aſcenſionis rectæ, quàm longitudinis; quòd non Ecliptica, ſed Æquator, ſit naturalis atque ſimpliciſſima temporis noſtri menſura. Quamobrem pro æquatione arcuum directionis in tempus, & contrà, Tabulas ſuper eo fundamento compoſueram.

Keplerus verò in ſua ſportula Genethliacis miſſa, *non attentâ* (inquit) *experientiâ, rationabile putat ſignificatores promovere in conſequentia ſignorum verſus promiſſores, per proportionem naturalem diei ad annum: ſi nimirum pro quolibet anno, adjiciatur locis Solis & Lunæ diurnus Solis, diſtans eodem numero dierum à die natali, quo*

numero

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

numero annorum diſtat annus ab anno natali. Rationes autem ob quas hæc proprio ſit efficax: cur ſcilicet quod fuit die ætatis triceſima, id ſignificet in annum 30, etſi rationes non ſolent reddere, vel rimari Aſtrologi contenti ſuis oraculis: promittere tamen videtur Philoſophia Samia, aut ſi hæc non promet, nulla promet. Sic Keplerus ad verbum. Vult ergo, ut ſi inveniendum ſit quo pertingat directio Solis & Lunæ, annos poſt geneſin 30, ſumantur ex Ephemeridibus loca ☉ die ipſo nativitatis, tum die 30 poſt nativitatem, horâ meridianâ, & & prior locus aufertur ex poſteriore, reſtabitque arcus Eclipticæ: qui additus locis radicalibus Solis & ☽, oſtendit quo pertingant in Ecliptica directiones Solis & ☽ ipſo anno 30.

Tandem Argolùs Lib. 3. Aſtronomicorum cap. 23. ait. *Stultiſſimum eſſe aſſerere, Ptolemæum in aliis minimis alioquin exactiſſimum, in ſcientiâ in hoc viſum fuiſſe, & præciſam nobis menſuram non explicaſſe.* Ideoque Ptolemæi menſuram retinendam cenſet, ratione deſtitutus ad experientiam provocans. Quod ſi accidentia non contingant ad unguem in contactu directionis, cauſatur Planetarum loca nondum haberi exacta: tum ſignificatorũ & promiſſorum robur, aut imbecillitatem; tum Planetarum tranſitus, quæ ſingula effectuum tẽpora accelerare, aut retardare queunt.

De his autem diverſis ſententiis definire quænam ſit verior, ad rationem, vel experientiam pertinet. Et quidem quamvis ratio hac in parte cæcutiat, cur nempe unus ferè diurnus Solis, anno æquivaleat: Ipſa tamen Tychonis & noſtræ menti magis favere videtur, quod nempe realis effectus ad realem cauſam ſit referendus, non autem ad fictitiam, quales videntur eſſe cauſæ Cardani, Naibodæ & Ptolemæi. Quod enim pro Ptolemæo, ait Argolus, non ſatisfacit: tum quia Ptolemæus ipſe non aſſeverat gradum unum eſſe præciſam anni menſuram: tum quia jam pluries à nobis oſtenſum eſt, illum erraſſe in Aſtrologiæ diſciplina: tum demum quia reliquorum ſententiæ ſimiliter excuſari poſſent, ut ab Argolo Ptolemæi ſententia excuſatur. Keplerus verò etſi cauſam realem aſſumat, nempe diurnum verum Solis in Ecliptica diebus ſingulis à geneſi, pro annis ſingulis, diebus ipſis numero correſpondentibus: Tamen aliunde ratio huic adverſatur methodo dupliciter. Primò, quod in directione Lunæ, ideoque aliorum Planetarum, omittat latitudinem, cujus contrarium rectè cenſuit in Præfatione Ephemeridum ab anno 1617. contra Regiomontanum. Secundò, quia hinc ſequeretur, quod per tot dies à geneſi, quot annis victurus eſt natus, Sol adhuc influeret ſuo motu in ipſam nati geneſin: at ſi motu, cur non & ſtatu cœleſti, qui diebus ſingulis variatur per ſyzygias cum Planetis aliis & ingreſſus in ſigna? Et cur non dicetur idem de aliis Planetis, præſertim verò Luna, cujus ſtatus cœleſtis velociſſimè variatur? Atqui radicalis influxus tam per motum, quam ſtatum cœleſtem, naturamque Planetarum, duntaxat imprimitur momento nativitatis, quo influxus ille ſit cauſa actualis eorum quæ ſunt in nato, momento ipſo nativitatis; cauſa verò potentialis eorum quæ ipſi deinceps futura ſunt. Ut proinde ſint explodendi duo illi Aphoriſmi, quos habet Schonerus Lib. 1. cap. 15. ubi ait. *Quod ſi Luna die tertia poſt nativitatem applicat ♂, vel ☿, faciet multa itinera*, &c. Planetæ enim radicaliter ac primario non influunt, præterquam momento nativitatis. Quamvis poſt geneſin ſecundariò influant dupliciter, nimirum per Revolutiones ac Tranſitus: ſed cum reſpectu ad primarium influxum, & dependentia ab eodem: ſed inclinatio ad itinera pertinet ad radicalem influxum, ut & alia quævis. Ex Tychone autem & Keplero, adhuc altera methodus componi poſſet: nempe ſumendo diurnos Solis à geneſi, non quidem longitudinis, ſed aſcenſionis rectæ, illoſque ſimiliter applicando totidem annis poſt geneſin: ſed inde etiam duo ſequerentur abſurda ſuperius repudiata.

Quamobrem in hac dirimenda controverſia, ſola nobis ſupereſt conſulenda experientia rerum Magiſtra à Keplero neglecta: hæc enim methodum cæteris veriorem deteget. Verum alii dirigendo, nec Planetarum, nec aſpectuum latitudines obſervant, qui error eſt maximus. Alii autem obſervant, & conveniunt quidem omnes in latitudine loci Planetæ, ejuſque oppoſitionis; at in longitudine & latitudine reliquorum aſpectuum differunt; cum tamen veritas hac in re unica ſit, illudque inſignem in experientia cauſare poſſit differentiam. Oſtendimus autem ſuprà, quomodo ipſi aſpectus ſecundum longitudinem & latitudinem corrigendi ſint. Atque in eum finem ſuprapoſitam rationalem Tabulam conſtruximus, cui adhærendum cenſemus; quòd pro reliquis ipſis aſpectibus ſit experientiæ conformior, quàm Tabula methodo Blanchini congruens, ſupponendo medium Solis motum diurnum in Æquatore, hoc eſt, medium ejus diurnum aſcenſionis rectæ 59′. 8″. pro quolibet anno, in reductione arcus directionis in tempus, juxta mentem Cardani & Naibodæ. Hæc enim menſura accuratior eſt, quàm illa Ptolemæi & Veterum, qui uni gradui unum annum adſcripſere, & rectè, ut cenſet Argolus. Tychonica autem menſura, à veritate nimis evidenter exorbitat poſt annum à geneſi 30, dum Sol verſatur circa principia ♈ & ♎, ubi diurnus aſcenſionis rectæ eſt tantùm 54′, vel 55′, tum circa principium ♑, ubi pertingit ad 67′; ac ſimiliter Keplerina nimis excedet, aut deficiet, dum Sol percurret illa ſigna, ubi maximos, vel minimos in Ecliptica diurnos ſortietur. Atque hæc laborioſè & quantum potui ſtudioſè obſervavi in pluribus genituris; collatis invicem methodis & menſuris ſingulis. Quod ſi quis idem experiri velit in rectificatione nativitatum, utatur primò accidentibus ad Horoſcopum, vel medium Cœli pertinentibus, quorum veræ cauſæ ſint corpora Planetarum, vel horum oppoſitiones, de quorum latitudine concordant Aſtrologi; & per hæc accidentia rectificentur Horoſcopus & medium Cœli, ſumpta menſura temporis ſecundum aliquem ex ſupradictis Authoribus. Deindeque videat an alia accidentia cauſata à quadratis Planetarum directis ad ipſos angulos, cum aut ſine latitudine, congruant ſuis temporibus juxta menſuram aſſumptam. Modus enim qui accuratius & frequentius quadrabit in directionibus, probabiliter cenſebitur eſſe verior. Et talem illum reperi quam hic expono, ut exemplis proprio loco clarius explicabitur.

Caput IV.

Quo exponuntur Tabulæ Naibodæ & Magini pro converſione temporis in arcus Æquatoris: & contra.

TAbularum hujuſce converſionis veritas eo patet evidentius, quò longius receditur à momento nativitatis, ut poſt anno à geneſi 50, aut 60. Et quia Tabulas in hunc finem à Nobis conſtructas ad Tychonis ſententiam deprehendimus ab ipſa veritate magis aberrare, quomodocunque fiat aſpectuum correctio: Idcirco his ſuppreſſis, ſolas Naibodæ & Magini Tabulas hic ſubjicimus.

Tabula Naibodæ, convertens annos in gradus Æquatoris.

An.	Gr.	M.	S.	An.	Gr.	M.	S.	An.	Gr.	M.	S.	An.	Gr.	M.	S.
1	0.	59.	8	26	25.	37.	37	51	50.	16.	5	76	74.	54.	32
2	1.	58.	17	27	26.	36.	45	52	51.	15.	13	77	75.	53.	42
3	2.	57.	25	28	27.	35.	53	53	52.	14.	27	78	76.	52.	50
4	3.	56.	33	29	28.	35.	1	54	53.	13.	30	79	77.	51.	58
5	4.	55.	42	30	29.	34.	10	55	54.	12.	38	80	78.	51.	7
6	5.	54.	50	31	30.	33.	18	56	55.	11.	46	81	79.	50.	15
7	6.	53.	58	32	31.	32.	26	57	56.	20.	55	82	80.	49.	23
8	7.	53.	7	33	32.	31.	35	58	57.	10.	3	83	81.	48.	31
9	8.	52.	15	34	33.	30.	43	59	58.	9.	11	84	82.	47.	40
10	9.	51.	23	35	34.	29.	51	60	59.	8.	20	85	83.	46.	48
11	10.	50.	31.	36	35.	29.	0	61	60.	7.	28	86	84.	45.	57
12	11.	49.	40	37	36.	28.	8	62	61.	6.	36	87	85.	45.	5
13	12.	48.	48	38	37.	27.	16	63	62.	5.	45	88	86	44.	13
14	13.	47.	57	39	38.	26.	25	64	63.	4.	53	89	87.	43.	22
15	14.	47.	5	40	39.	25.	33	65	64.	4.	1	09	88.	42.	30
16	15.	46.	13	41	40.	24.	42	66	65.	3.	10	91	89.	41.	38
17	16.	45.	22	42	41.	23.	50	67	66.	2.	18	92	90.	40.	47
18	17.	44.	30	43	42.	22.	58	68	67.	1.	26	93	91.	39.	55
19	18.	43.	38	44	43.	22.	6	69	68.	0.	35	94	92.	39.	3.
20	19.	42.	47	45	44.	21.	15	70	68.	59.	43	95	93.	38.	12
21	20.	41.	55	46	45.	20.	23	71	69.	58.	51	96	94.	37.	20
22	21.	41.	3	47	46.	19.	31	72	70.	58.	0	97	95.	36.	28
23	22.	40.	12	48	47.	18.	40	73	71.	57.	8	98	96.	35.	37
24	23.	39.	20	49	48.	17.	48	74	72.	56.	16	99	97.	34.	45
25	24.	33.	28	50	49.	16.	56	75	73.	55.	25	100	98.	33.	53

Vſus.

SUme annos à nativitate in aliqua ex quatuor columnis annorum: & è directo ad dexteram invenies gradus minuta & ſecunda, ſumptis annis æquivalentia, ſic anni 15 valent 14 gradus 47′. 5″. atque ita de reliquis. Omninoque ſimilis eſt uſus duarum Tabularum ſequentium.

Dicet aliquis haſce Tabulas ſupponere diurnum medium aſcenſionis rectæ Solis, pro menſura

ſura cujuſlibet anni. Atqui diurnus ille medius eſt duntaxat artificialis, ſive fictitius, proindeque non poteſt eſſe vera ſeu realis cauſa realis effectus, hoc eſt, realis temporis effectuum, ut pluries etiam à Nobis in Aſtrologia aſſumptum eſt in ſimilibus.

Sed reſpondeo: Inter maximum & minimum diurnum aſcenſionis rectæ Solis, neceſſario dari à parte rei medium ſupra poſitum: non enim fit tranſitus à maximo reali ad minimum, ſine tranſitu per medium, qui per conſequens non eſt fictitius, ut cenſetur. Ac proinde cum maximus & minimus juxta Tychonem, maximè aberrent à veritate, etiamſi in diem natalem incidant; ſequitur, ut omnium medius aberret minimè, quod quidem experientiæ congruit; proindeque pro annorum menſura præ cæteris ſumendus ſit: non autem exactè unus gradus, ut Argolus voluit, & Ptolemæo impoſuit. Neque hic diurnus medius pro menſura arcuum directionis, ſe habet, ut medius motus Planetarum qui ponitur in Tabulis radicalibus. Hic enim merè artificialis eſt, ac tantum ſuppoſitus pro veris, qui diebus ſingulis variantur per verum Planetarum motum. At in directionibus nullus eſt terminorum motus, qui ſingulis annis ſit diverſus, ut oſtenſum eſt capite 1. Sectionis hujus, ſed tantum invariabilis arcus diſtantiæ Æquatoreæ promiſſoris, à circulo poſitionis ſignificatoris: qui arcus annis futuri eventus correſpondens, per rationem diurni Solis ad annum, per hunc potiùs diurnum, quam per alium quemcunque dividendus eſt, ob rationem ſupra poſitam.

Tabula Magini, convertens gradus Æquatoris in annos.

Gr.	An.	Di.	Hor.	Gr.	An.	D.	H.	Gr.	An.	D.	H.	Gr.	An.	D.	H.
1	1.	5.	8	26	26.	139.	4	51	51.	273.	0	76	77.	41.	14.
2	2.	10.	17	27	27.	144.	13	52	52.	278.	8	77	78.	46.	22
3	3.	16.	1	28	28.	149.	2	53	53.	283.	17	78	79.	52.	7
4	4.	21.	10	29	29.	155.	6	54	54.	289.	1	79	80.	57.	15
5	5.	26.	18	30	30.	160.	14	55	55.	294.	10	80	81.	62.	14.
6	6.	32.	3	31	31.	165.	23	56	56.	299.	18	81	82.	68.	8.
7	7.	37.	11	32	32.	171.	7	57	57.	305.	3	82	83.	73.	17
8	8.	42.	20	33	33.	176.	16	58	58.	310.	11	83	84.	79.	1
9	9.	48.	4	34	34.	182.	0	59	59.	315.	20	84	85.	84.	10
10	10.	53.	13	35	35.	187.	8	60	60.	321.	4	85	86.	89.	18
11	11.	58.	21	36	36.	129.	17	61	61.	326.	13	86	87.	95.	3.
12	12.	64.	6	37	37.	198.	1	62	62.	331.	21	87	88.	101.	11
13	13.	69.	14	38	38.	203.	9	63	63.	337.	6	88	89.	105.	20
14	14.	74.	23	39	39.	208.	18.	64	64.	342.	14	89	90.	111.	4
15	15.	80.	7	40	40.	214.	3.	65	65.	347.	23	90	91.	116.	13
16	16.	85.	16	41	41.	219.	11	66	66.	353.	7	91	92.	121.	21
17	17.	91.	0	42	42.	224.	20	67	67.	358.	16	92	93.	123.	5
18	18.	96.	8	43	43.	230.	4	68	68.	364.	0	93	94.	132.	14
19	19.	101.	17	44	44.	235.	13	69	70.	4.	3	94	95.	137.	22
20	20.	107.	1	45	45.	240.	21	70	71.	9.	11	95	96.	143.	7
21	21.	112.	10	46	46.	246.	6	71	72.	14.	20	96	97.	148.	15
22	22.	117.	18	47	47.	251.	14	72	73.	20.	4	97	98.	153.	24
23	23.	123.	3	48	48.	256.	23	73	74.	25.	13	98	99.	159.	8
24	24.	128.	11	49	49.	262.	7	74	75.	30.	21	99	100.	164.	17
25	25.	133.	20	50	50.	267.	16	75	76.	36.	5.	100	101.	170.	1.

Tabula Magini convertens minuta Æquatoris in tempus.

Min.	Dies	Horæ	M.	D.	H.	M.	D.	H.
1	6.	4.	21	129.	17	41	253.	6
2	12.	8	22	135.	21	42	259.	10
3	18.	13	23	142.	1	43	265.	14
4	24.	17	24	148.	6	44	271.	18
5	30.	21	25	154.	10	45	277.	23
6	37.	1	26	160.	14.	46	284.	3
7	43.	6	27	166.	18	47	290.	7
8	49	10	28	172.	23	48	296.	11
9	55.	14	29	179.	3	49	302.	16
10	61.	18	30	185.	7	50	308.	20
11	67.	23	31	191.	11	51	315.	0
12	74.	3.	32	197.	16	52	321.	4
13	80.	7.	33	203.	20	53	327.	9
14	86.	11	34	210.	0	54	333.	13
15	92.	16	35	216.	4.	55	339.	17
16	98.	20	36	222.	9	56	345.	21
17	105.	0	37	228.	13	57	352.	2
18	111.	4	38	234.	17	58	358.	6
19	117.	9	39	240.	21	59	364.	10
20	123.	13.	40	247.	2.	60	370.	14.

Caput V.

An omnium ſignificatorum, aut promiſſorum arcus directionum, eadem communi menſurâ metiendi ſint: & quæ ſit ipſius menſuræ ratio.

CArdanus Libro de Judic. Genitur. cap. 5. pro directionibus diſtinguit effectus qui adhomines pertinent, ab aliis qui ad Imperia, Regna, Urbes, Religiones, cæteraſque Mundi mutationes inſigniores ſpectant. Atque vult quod dum Planetæ diriguntur tanquam promiſſores, in figuris ad initia, Regnorum Urbium, Sectarum, &c. conſtructis, vel ad momenta magnarum conjunctionum; quilibet gradus diſtantiæ promiſſoris à ſignificatore, vel arcus directionis, æquivaleat periodico tempori Planetæ qui dirigitur, quod per conſequens de ipſius quoque Planetæ aſpectibus intelligendum eſt. Atque idcirco pro ♄ promiſſore valeat ex Keplero Lib. 6. Epit. Aſtron. 29 annos Ægiptios 174 dies 5 horas: pro ♃, 11 annos, 317 dies 15 horas: pro ♂, 1 annum 322 dies: pro ♀, 224 dies 18 horas: pro ☿ 87 dies 23 hor: & pro Luna 27 dies 8 horas. Cæterum quamvis hoc dictum ſit ad inſtar Ptolemæi, qui voluit pro hominum mutationibus, gradum unum ipſius arcus, æquivalere uni Solis periodo, ſive anno: tamen nec ſupradictæ proportionis experientiam Cardanus habuit in Imperiis, Regnis, Urbibus, Religionibus; nec illam habere potuit: cum rerum illarum initia ad figuram erigendam exquiſita, tum momenta magnarum conjunctionum homines lateant, vanaque ſit extruendarum Urbium figura, ut diximus Lib. 20. Sect. 4. cap. 4. At in hominibus proportionis experientia eſt notiſſima.

Videtur autem in rebus humanis admiratione dignum, quod quamvis ſignificatorum alii ſint Dodecatemoriorum puncta ſimpliciter & abſolutè ſpectata, quales ſunt Horoſcopus, Medium Cœli, cæteræque domorum cuſpides ſimpliciter duntaxat circa natum determinatæ: alii vero dicantur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

cantur eſſe Sol, ☽, vel alius Planeta: & Planetarum alii ſint primarii, nempe Sol & ☽ circa Mundi centrum, alii vero ſecundarii, ſive ſatellites, nempe ♄ ♃ ♂ ♁ ☿ circa ☉ primarió ordinati: tamen eorum omnium eandem eſſe in directionibus communem menſuram experientia probat, hoc eſt in omnium ſignificatorum directionibus, ſingulos gradus arcuum directionis, valere 1 annum, 5 dies, 8 horas, vel ſingula 59′. 8″. ipſius arcus valere unum annum, juxta ſuperiores Tabulas, quamvis ☽, ☉ & primum mobile, naturâ & à Tellure diſtantiâ maximè inter ſe differant.

Ratio autem id poſtulare videtur. Nam omnes ſignificatores ſunt puncta primi mobilis, vel ex ſe abſoluta, ut quæ ſunt in Horoſcopo, Cœli Medio & aliis cuſpidibus, vel ad naturam Planetarum particulariter determinata momento nativitatis, ut alibi dictum eſt, quandoquidem ſunt vera loca Planetarum horumque aſpectuum, non autem ipſa Planetarum corpora: cum igitur omnes ſignificatores, tum etiam promiſſores ſint in eodem Cœlo, quippe primo mobili, per cujus motum quilibet promiſſor eodem modo transfertur ad circulum poſitionis ſignificatoris; Rationi conſonum eſt, ut eodem quoque modo menſurentur omnes directionum arcus, hoc eſt, per eandem omnibus communem menſuram.

Quæ ſit autem ipſius menſuræ ratio, ſive cauſa, hoc eſt, cur Solis diurnus aſcenſionis rectæ medius uni anno æquivaleat in directionibus, pollicebatur Keplerus ſupra ex Philoſophia Samia, ſcilicet, Muneris Pythagoricis, quibus impensè addictus fuit: ſed hic ingenii luſus in numeris, doctioribus viris non ſatisfacit in Phyſicis, niſi concedatur numeros primas eſſe idæas effectrices omnium rerum, quod tamen prius probandum eſt, probarique nequit.

Cardanus in fine ſeptem Librorum Aphoriſmorum, in ſua Operis peroratione, hanc rationem affert. *Quod cum Sol ſub Ecliptica perpetuo moveatur, hancque in anno percurrat, etiam dum in ejus ſingulis gradibus verſatur, ſemel pro quolibet gradu, motu diurno circumvolvitur; circulo quaſi Æquatori parallelo. Unde ſit, ut ſi concipiatur aliquis Æquator quieſcens, qualem Theologi ponunt, pars illa circumvoluta, virtute Solis vim recipiat univerſam totius Æquatoris: ac proinde cum Sol in quolibet Eclipticæ gradu, totum Æquatorem circumambiat diebus ſingulis, totamque Eclipticam motu proprio in uno anno: hinc ſit, ut quælibet Æquatoris ipſius pars (quæ etiam 365 parallelorum, atque ideo etiam totidem Eclipticæ revolutionum vim ſuſcipit in anno) unam Eclipticæ revolutionem, ſeu annum repræſentet.*

Sed quamvis ſpeculatio hæc ſubtilis eſſe videatur; mihi tamen non ſatisfacit. Etſi enim Sol in quolibet Eclipticæ gradu totum Æquatorem illum circumambiat diebus ſingulis, totamque Eclipticam motu proprio in uno anno: non tamen inde ſequitur, quod ſine probatione concludit Cardanus, nempe quod pars quælibet Æquatoris, 365 revolutionum Eclipticæ vim ſuſcipiat in anno, ideoque annum repræſentet, ſeu annuam Solis in Ecliptica revolutionem, præſertim quod tam Eclipticæ quam Æquatoris diviſio in 360 partes ſit artificialis, non autem naturalis; etſi numerus 360 ſit medius inter numeros dierum $365\frac{1}{4}$ quibus Sol peragrat Eclipticam, & dierum $354\frac{3}{4}$ quibus duodecies cum Luna congreditur. Adde quod nil dicit Cardanus de Sole, quod dici nequeat de quovis alio Planeta, ſed præſertim ♄, qui circumvolvitur in circulis præ omnibus Planetis Æquatori parallelis, ob proprii motus maximam inter Planetas tarditatem.

Ac proinde ſpeculetur circa tantum arcanum quicunque voluerit, & quantum libuerit. Poſt meas ſpeculationes non arbitror quemquam mortalium ſine revelatione, hujus rei cauſam redditurum, quæ omnino ſatisfaciat: ipſaque longè difficilioris inventionis eſſe mihi videtur quam circuli quadratura: ut vero hic etiam aliquid dicamus ex iis quæ nobis in mentem venêre. Revelavit quidem Angelus Prophetæ Ezechieli, dies 390 ex una parte, & dies 40 ex alia, de quibus ipſum alloquitur, intelligendos eſſe de totidem annis; dum ait ille capite 4. *Diem pro anno dedi Tibi*, ut Aſtrologi diurnum Solis pro anno uſurpant in directionibus: ſed cauſam non expoſuit. Similiter Numer. cap. 14. anni 40 pro diebus 40 computantur. Video etiam in natura, diem anno exactè æquivalere; nempe ſub Mundi Polis, ubi dies & annus coincidunt, ac idem ſunt; ſumendo diem pro una revolutione Solis ſupra & infra horizontem: & diurnus Solis, ibi idem eſt quod annuus. Sed primò id accidit in loco, ubi nec figura cœleſtis erigi, nec directiones inſtitui queunt, defectu circuli meridiani. Secundò, diem non ſumunt Aſtronomi pro una Solis revolutione reſpectu horizontis, ſed reſpectu meridiani; quo pacto Solis diurnus eſt tantum annui pars circiter 360^{a}, nec ullus eſt ſub Polis dies Aſtronomicus.

Igitur hac in parte ingenii noſtri tenuitatem agnoſcamus; Dei vero infinitam ſapientiam admiremur ac veneremur: qui quidem omnia fecit in pondere, numero & menſura; ſed ſicut ſibi placuit: minimamque anni partem naturalem toti anno correſpondere voluit in pluribus, ut in revelationibus & natura ſuperius patuit.

CAPUT VI.

An directionum effectus prodeant quo præcisè tempore directionis arcus, menſuræ ſuæ adæquatè correſpondet.

QUæſtio hæc in doctrina directionum non eſt momenti exigui. An, ſcilicet, directionis, V.G. Horoſcopi, ad ♂ pravè affectum in domo ſecunda, poſito arcu 30 graduum, qui ex Tabula Magini ſupra poſita valet 30 annos, 160 dies, 14 horas, hoc præcisè poſt nativitatem tempore morbus, vulnus, aut mors nato accidat: atq; ſic de cæteris.

Probat autem experientia id non ſemper fieri; ſed accidens aliquando menſuræ tempus accuratum prævenire, & aliquando ſubſequi: non unico tantum die, vel menſe, ſed pluribus etiam, imò interdum anno, etſi hoc contingat rarius: idque qualiſcunq; ſumatur menſura ipſius arcus, & quomodocunq; Planetarum aſpectus corrigantur. Nulla enim eſt nativitas in qua omnium directionum effectus, ſuis arcubus ad amuſſim tempore correſpondeant: multumq; fuerit ſi in aliqua geneſi tales duæ, aut tres conſpiciantur directiones: reli-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

quæ verò anticipare, aut retardare magis, aut minus reperientur.

Hujus autem rei quatruplex ratio aſſignari poteſt; & quælibet ſeorſim valida, ideoque plurium concurſus validior. Prima eſt Tabularum Aſtronomicarum defectus, ob quem non habentur in figuris genethliacis vera Planetarum loca ſecundum longitudinem & latitudinem: neque id ſperandum eſt donec Tabulæ juxta principia & fundamenta Aſtronomiæ noſtræ reſtaurantur: cum adhuc hodie inter Keplerum & Argolum ſæpe gradus circiter unus differentiæ reperiatur in loco Lunæ.

Secunda eſt, quod licet virtus directionis nato actualiter imprimatur, per primam Cœli revolutionem, ut explicatum eſt cap. 2, tamen virtus ipſa reſpectu futuri accidentis quod productura eſt, quidpiam exiſtit potentiale, quod rurſus ad actum reduci debet, tempore congruo directionis arcui. Non poteſt autem eo tempore de potentia ad actum reduci, niſi per aliquid actuale: nempe futuro eventui revolutionem congruam, & congruos Planetarum tranſitus corpore, vel aſpectu per idonea genituræ loca; qualia ſunt præ cæteris loca ſignificatoris & promiſſoris, vel his ſignificatione affinia. Atqui non ſemper ipſo præciſo tempore contingunt congrua revolutio, & congrui tranſitus, vel ſi adſit congrua revolutio pro anno, non aderit tranſitus ſimilis pro die correſpondente directionis arcui, ſed vel ambo, vel alterum, præſertim vero tranſitus idoneus præciſum tempus anticipabit, aut ſubſequetur. Quamobrem etiam ſignificatum accidens præciſum tempus præveniet, aut ſubſequetur.

Tertia: Quod natura & ſtatus promiſſorum, aut ſignificatorum, quandoque talem efficiat irregularitatem. Nam ♄ ex ſua natura & Planetæ tardi, retrogradi, occidentales, in domibus cadentibus, ac in ſumma debiles, effectuum retardationem: at ♂ ☿ & ☽, tum Planetæ veloces, directi, orientales, in angulis & fortes anticipationem præſagiunt. Nec ſolum in his ſpectandus eſt promiſſoris ſtatus, ſed an ſit etiam in ſua domo, vel exaltatione, aut in hiſce contrariis ſignis, tum an ſit fauſtè, vel infauſtè connexus Planetis naturâ, vel determinatione beneficis, aut maleficis. Fortis enim promiſſor, ſive ad bonum, ſive ad malum, producit effectum ipſo directionis tempore: imò ſi promiſſorem antecedat Planeta, vel aſpectus ſimilis cum ipſo promiſſore ſignificationis, anticipabit effectus: at ſi promiſſor fuerit debilis, & circa ipſum ſit Planeta, vel radius contrariæ ſignificationis ac prævalens, promiſſor ipſe ſuo fruſtrabitur effectu; ſi vero promiſſorem ipſum ſequantur Planeta, aut radius ſimilis ſignificationis, effectus retardari poterit, uſq; quo ad ipſos ſignificatoris directio pervenerit. Atque hæc ſunt valde notanda in prædictione temporis effectuum in directionibus.

Quarta deniq; eſt, quod Sublunares cauſæ quas movet, aut ſaltem excitat cœleſtis influxus, huic non ſemper ex æquo obtemperent: ſed vel vi libertatis ipſum eludant, vel prudentiâ reſiſtãt, ipſo influxu præcognito, vel materiæ contumaciâ nonniſi lentam diſpoſitionem ſuſcipiant, vel his omnino contraria fiant, Sublunaribus cauſis tantillo excitatis per revolutiones & tranſitus congruos circa directionis tempora, in eventus futuros prorumpentibus.

Objicietur: Doctrinam iſtam evertere nativitatum rectificationem per tempora præteritorum accidentium nati, de qua tantopere gloriantur Aſtrologi. Cum enim certa non ſit per unicum accidens rectificatio, ſed plura requirantur; nec ſingulorum accidentium tempora præciſè adæquentur ſuis directionum arcubus: nulla videtur eſſe ratio, cur unum potiùs quàm aliud ſumatur accidens, cujus tempori præciſè fiat adæquatus directionis arcus: ſicque de Horoſcopi, vel Medii Cœli veritate ſemper erit dubitandi locus.

Reſpondeo: Equidem in his nativitatum rectificationibus, magnâ opus eſſe Aſtrologo prudentiâ, ut verum determinet Horoſcopum, vel Medium Cœli nativitatis, neque hoc fieri à quovis artifice. Primùm verò data accidentia non adſcribat niſi cauſis eorum genuinis, quod ex naturis domorum & Planetarum horumq; ſtatu ſcire potuerit. Deinde pro fundamento rectificationis Horoſcopi, eligat aliquod accidens, quod probabilius conjiciet prodiiſſe à directione ipſius Horoſcopi, ad congruum promiſſorem, ut ſi febris quartana acciderit anno à geneſis 5, Saturnus autem ab æſtimato Horoſcopo diſtet in conſequentia circiter 12, vel 18 gradibus Æquatoris, dirigat audacter Horoſcopum ad ♄, pro tempore illius febris. Poſt hæc videat an Horoſcopo ſic definito, reliqua accidentia data, ſuis cauſis directione congruant, & hoc poſito erit juſta rectificatio: ſin vero differentia prodeat circiter unius gradus, nec per accidentia data poſſit aliter geneſis rectificari: tunc Horoſcopi aſcenſio obliqua erit aliquot minutis augenda, vel minuenda, donec omnium directionum arcus, quo propinquius fieri poteſt, ſuis temporibus correſpondeant: diligenter interim obſervando annos quibus revolutiones & tranſitus datis accidentibus melius congruerint: nam huic tempori præſertim congruus directionis arcus erit ex Tabula aſſumendus: idem cenſendum de rectificatione inſtituta per aliquam Medii Cœli directionem. Nec de ſic facta rectificatione, in qua ſeries accidentium, ſeriei congruarum directionum quadrabit tempore, ullatenus erit dubitandum: hoc quippe ſolum poteſt ſcientia, nec quidpiam ultra. Sed obiter notandum, Aſtrologos in genituris rectificandis in eo decipi poſſe, quod pro rectificationis fundamento ſolent ſupponere duntaxat, vel directionem Horoſcopi pro accidente ad primam domum pertinente, vel directionem Medii Cœli pro accidente ad 10. domum pertinente, cum tamen accidentia illa cauſari queant à directionibus dominorum Horoſcopi, vel Medii Cœli, ut forſan accidit in genituris quæ dicuntur eſſe difficillimæ, aut dubiæ rectificationis. Quamobrem Aſtrologi peritia atque prudentia hic maximè neceſſaria ſunt.

Ex his vero patet, quam demens ſit opinio Sixti ab Hemminga in ſuo Libro Aſtrologiæ refutatæ: ubi vult, aut omnes directiones ad amuſſim quadrare ſuis effectibus quoad tempus, in qualibet genitura, aut vanam eſſe univerſam Aſtrologiam. Sed illius hominis qui tantum authoritatis inter oſores Aſtrologiæ ſibi comparavit, imperitiam cap. 3. & 4. Sect. 5. evidentiſſimè patefaciemus.

Cæterum hic quoque notandum eſt, quod dum alicujus ſignificatoris ad aliquem promiſſorem completur directio: hujus effectus non ſolum po-

teſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

teſt retardari per unum, aut duos annos, donec, ſcilicet, congrua revolutio concurrat, ſed etiamſi effectus producatur ipſo tempore completæ directionis; tamen hujus vis perdurare poteſt, donec eidem ſignificatori alius promiſſor occurrat. Non enim ſignificatorum effectus mutantur, niſi à ſucceſſiva promiſſorum mutatione. Maximè autem perdurat tunc vis directionis quando uni promiſſori ſuccedit alius ſimilis naturæ, aut ſignificationis. Si igitur Horoſcopus dirigatur ad ♂ in ſecunda, ſequente ♄ 4, aut 5 gradibus, natus erit obnoxius morbis & vitæ periculis per plures annos à tempore directionis completæ Horoſcopi ad ♂: imò quouſque tranſacta ſit directio Horoſcopi ad ♄, vel morietur ab ipſa directione Horoſcopi ad ♂, cujus vim & malignitatem intendit ſequens ♄, aut hic tandem malum à ♂ inchoatum morte terminabit. E contra vero ſi Martem ſequatur ♀, aut ♃, præſertim dominus Horoſcopi, vis directionis ſuum producet effectum ab initio, nec perdurabit uſque ad occurſum promiſſoris ſecundi: qui è contra Martis effectum ſi non ex toto, ſaltem ex parte ſupprimet ac temperabit.

Tandem etſi dictum ſit ſupra, quod virtus directionis naturalis impreſſa nato ſit quidpiam potentiale reſpectu futuri accidentis: tamen virtus illa tempore accidentis concurrit actualiter cum aliis cauſis ſibi ſubordinatis, ſcilicet, revolutionibus annuis & menſtruis, nec non tranſitibus, quorum virtus eſt duntaxat actualis. Hoc autem probatur, quia ſola revolutio, ſive Solis, ſive Lunæ, accidenti radicaliter ſignificato congrua, non producet illud accidens, abſente directione, vel hac nondum matura per tempus adæquatum directionis arcui, ut antea dictum eſt: ergo directio concurrit actualiter ad effectum, cum revolutione & tranſitu. Idemque cenſendum eſt de revolutionibus & harum directionibus de quibus ſuo loco dicetur. Præterea notandum quod Planeta, vel Cœli punctum in Horoſcopo eſt actu in Horoſcopo; ideoque actu determinatus ad Horoſcopi ſignificata: ſed Planeta in ſecunda eſt tantum poteſtate in Horoſcopo & per motum diurnum: ideoque tantum poteſtate determinatus ad Horoſcopi ſignificatum. At Planeta in duodecima, neque eſt actu, neque poteſtate in Horoſcopo, ſaltem per motum diurnum, ſed tantum per motum proprium, pertranſivit enim ultra Horoſcopum, vel ſi eſt poteſtate in Horoſcopo, poteſtas illa poteſt tantum actuari poſt 330 annos, quot, ſcilicet, numerantur ab Horoſcopo ſ. ſ. ſ. ad ipſum Planetam. Non ergo à directione Horoſcopi ad ♂ in duodecima prodibit effectus ante annos 330, quod intellige de deductione Martis ad Horoſcopum per primum motum.

Cæterùm ſi ☉ fuerit in duodecima, & Mars in Horoſcopo; poſſitq; à directione ☉ ad ♂ produci effectus. Cur non producetur à directione ♂ in duodecima ad Horoſcopum, vel Solis in duodecima ad Horoſcopum; cum ut ♂, ſive locus ♂ motu diurno fertur ad circulum ☉ in duodecima, ita gradus Horoſcopi? Reſpondeo, quod ♂, ut promiſſor habet rationem efficientis. Gradus autem Horoſcopi, ut ſic, poteſt tantum habere rationem patientis. Arguetur, quod ſi Martis & Horoſcopi ſit idem gradus, quomodo hic gradus erit ſimul efficiens & patiens? Sed reſpondeo, quod erit efficiens ratione ♂ & ſignificatoris in duodecima antecedentis: erit autem patiens, ratione cuſpidis, & reſpectu promiſſoris ſequentis, ſicque ſolvitur difficultas, & doctrina ſibi conſtat, juxta ſuperius dicta.

SECTIO IV.

De Directionum Effectibus.

CAPUT I.

Quam difficile ſit homini, ſpeciem effectus ab aliqua directione ſignificati prædicere.

DUplex eſt Planetarum actio in hominem. Prima eſt radicalis in geneſi, per ipſam conſtitutionem genethliacam, quæ nativitatis momento ipſi imprimitur nato. Altera eſt accidentalis, priori ſuperveniens per directiones, revolutiones & tranſitus Planetarum. Per primam Planeta agit penes totalem ſuam determinationem, ratione naturæ propriæ, ſtatus Cœleſtis, tum etiam Terreſtris: explicitè quidem, pro rebus tunc nato præſentibus, utpote vita, temperamento, conformatione, indole, ingenio, &c. implicitè vero pro futuris, ut dignitatibus, matrimonio, liberis, &c. At per ſecundam Planeta agit explicitè, juxta partiales determinationes ſitus ſui corporei in figura dominii & aſpectus, pro data qualibet ejus determinatione in directionibus, revolutionibus & tranſitibus.


Jam vero hac in directionum doctrina, agitur de ſumma rerum. Nempe qualem effectum directio quævis paritura ſit definire atque prædicere. Nec loquor de particularibus formis effectuum, quas prædicere ſolius eſt afflati numine ex Centiloq. Aphor. 1. ut quod Joannes tali gladio occidetur à Petro, vel in Sequana ſubmergetur: vel Claudiam ducet uxorem, & ſimilia: hæc enim in figura nati non elucent, ſed loquor duntaxat de ipſa effectus ſpecifica forma, veluti an Joannes ſit ab hoſte occidendus, aut ſubmergendus, aut ſuſpendendus, aut comburendus, aut truncandus capite, aut ducturus uxorem, aut dignitatem Eccleſiaſticam, Politicam, vel Militarem adepturus, & ſimilia, quæ ſunt tantum eventuum ſpecies infimæ. Quas prædicendo attingere ex ſola etiam nati figura, quæ tales futuros eventus complicat, non eſt quidem homini impoſſibile, ſed profecto difficillimum, jureque parit Aſtrologo laudem eximiam. Patebit autem difficultas, nullamque gignet admirationem, ſi ejus præcipuas cauſas detexerimus, quæ tales mihi videntur.

Prima igitur eſt. Quod quamvis totum mundanum ſpatium dividatur tantum in 12 partes, vel domos primarias, pro 12 genere accidentibus homini congruentibus, tamen genus quodlibet in varias ſpecies diſtrahitur: ut quamvis domus duodecima ſit tantum in genere, de rebus nato adverſis durante vita; tamen hæ ſunt plures ſpecie: nimirum morbi, carceres, exilia, ſervitutes, hoſtes occulti, & per oppoſitionem ſervi & animalia domeſtica. Similiter quamvis prima domus in genere, ſit tantum vitæ, attamen ad eam pertinent, corporis temperamentum, conformatio, valetudo, mores, ingenium Septima eſt matrimonii, contractuum (qui ſunt negotiatorum conjugia) litigiorum, hoſtium apertorum, atque ſic de reliquis. Quapropter dum duo termini directione concurrunt, & quilibet prout

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

determinatur ; ratione domus in qua eſt, vel cui præeſt : tot ſimul occurrunt ſpecies effectuum, ut quæ producenda ſit diſcernere, etiam conjecturâ ſagaciſſimâ, non minimæ ſit difficultatis. Veluti ſi Horoſcopus dirigatur ad ♄ in prima, dominum duodecimæ, quid efficiet, vel cauſabit ♄ quatenus in prima, & duodecimæ dominus? an triſtitiam? an arcanorum inveſtigationem? an morbos? an carceres? an exilia? ſic de cæteris.

Secunda ratio multo magis confundit ingenium. Nam duorum terminorum directione concurrentium, quilibet concurrit ratione propriæ naturæ, ſitus corporei, dominii, atque ſtatus cœleſtis: ergo ſingula hæc in utroque termino ſpectanda ſunt, & combinanda pro judicio de effectus ſpecie. Nam quamvis directio tot non pariat effectus, quot illorum combinationes fieri queunt; tamen producendus effectus erit ſemper ſecundum aliquam ipſarum combinationum. Ideoq; rectè combinandi, ſeu veram combinationem attingendi peritia, eſt totius judiciariæ arcanum maximum, parſque difficillima, ad quam plurima ex parte ſubjecti & cauſarum cœleſtium ſunt attendenda. Aſſumantur autem, exempli gratiâ, Sol & Luna pro directionis terminis, quibus unica eſt domus, ideoque unicum dominium; hæcque tantum tria, natura, ſitus corporeus, & dominium combinanda ſint, dum Sol dirigitur ad ☽, aut contra: reperientur combinari quadrageſies nonies. Sint enim in Sole A natura, B ſitus corporeus, vel domus figuræ, quam occupat, & C dominium, vel domus figuræ cui præeſt: in Luna autem, D natura, E ſitus, F dominium.



Simplicia A, B, C, cum ſimplicibus D, E, F, combinantur reciprocè vicibus, 9: bina cum ſimplicibus, 18: bina cum binis, 9: terna cum ſimplicibus, 6: terna cum binis, 6: terna cum ternis, ſemel; quarum omnium ſumma eſt 49.

In aliis vero Planetis ♄ ♃ ♂ ♀ ☿, quibus duplex competit dominium, 4. ſpectanda eſſent, & combinationes pluſquam 300 occurrent. Nam illorum 4, ſingula ſimplicia cum ſingulis ſimplicibus combinanda prius eſſent. Tum bina cum ſimplicibus & cum binis; terna cum ſimplicibus binis, & ternis: denique quaterna cum ſimplicibus, binis ternis, & quaternis: idque ſigillatim & reciprocè. Quod ſi his addantur ſtatus cœleſtes Planetarum ſpectandi etiam, quandoquidem pro ſuo quoque diverſo ſtatu cœleſti efficiunt, vel non efficiunt, aut diverſa efficiunt. Ac etiam conſiderentur diverſi ſpecie effectus, in quos generale ſignificatum eſſentiale cujuſque domus figuræ diſpeſcitur: tum quod Planeta quilibet ſignificet domui figuræ cui ipſe opponitur. Tantus occurret numerus combinationum, ut iis examinandis, & ponderandis pro effectus à directione futuri ſpecie determinanda, videatur impar eſſe hominis intellectus, etſi fixarum adhuc ſtellarum conſideratio neceſſaria omitteretur.

Tertia Ratio eſt: Quod accidentia futura, ab hominis libero arbitrio dependentia, (qualia ſunt conjugium, lites, itinera, dignitates, &c.) plerumque voluntatis imperio ſupprimantur ac eludantur. Quia nempe voluntas per ſe fato naturali non ſubjicitur, ſed eſt actionum ſuarum domina, ipſoque fato ſuperior; quod jus habet per ſe duntaxat in naturam corpoream, non autem in rationalem animam, quæ ordinis ſpiritualis exiſtit.

Poſſent adhuc aliæ afferri cauſæ, ſed hæ tres præcipuæ ſufficiant, ad oſtendendum quam ſit arduum definire, an & qualem effectūm ſpecie, directio aliqua ſit paritura. Cum inſuper ſit habenda ratio ætatis nati, & ſexus, & proſapiæ, & legis, vel moris patriæ: ne infanti, aut puellæ, aut ruſtico prædicantur eventus, qui viris tantum nobilibus congruunt, vel à more patrio ſunt alieni. Quamobrem hoc ſolum mihi videtur admiratione dignum, quod humana ſagacitas per difficultatum labyrinthos adeo intricatas, poſſit nihilominus ad notitiam ſpeciei effectuum devenire, & ſatis frequenter. Mihique potius culpandi videntur, qui doctum Aſtrologum ſpernunt ac irrident, ſi à vero aberraverit circa genus & quantitatem effectus ab eo prædicti; quam ipſe Aſtrologus, cui errare contigerit in hac conjecturali ſcientia.

Cæterum quoniam prius determinandum eſt, an propoſita directio ſit effectum aliquem paritura, quam qualem ſpecie pariet: quod, ſcilicet, quæſtio an ſit, præcedat quæſtiones quid ſit, & quale ſit; idcirco ſequenti capite qua arte id cognoſcatur aperiemus.

Caput II.

Quomodo cognoſcatur, an propoſita directio ſit effectum aliquem paritura: & cujus generis ille futurus ſit.

AD hoc conſiderentur ambo termini directionis, nimirum ſignificator & promiſſor: effectus enim eſt à concurſu amborum ex cap. 7. Sect. 1. & ſignificator eſt cuſpis, vel Planeta; promiſſor autem Planeta, vel ejus aſpectus, aut antiſcium, aut ſtella fixa. At in genere ſi ſignificator fuerit Planeta, fiat judicium ex ipſius Planetæ natura propria, & ſtatu Cœleſti atque Terreſtri. Si vero fuerit cuſpis, fiat judicium ex natura cuſpidis & ſtatu domini, tam Cœleſti quam Terreſtri. Quod vero ad promiſſorem attinet, is ſi Planeta fuerit, fiat judicium etiam ex ejus propria natura & utroque ſtatu Cœleſti ac Terreſtri: ſi vero fuerit aſpectus, judica ex natura aſpectus, & Planetæ aſpicientis, hujuſque utroque ſtatu: tum ex domino loci aſpectus, & domo in quam cadit ipſe aſpectus.

At in ſpecie imprimis ſpectetur ſignificator: Nam ex benè perſpecta ejus ſignificatione prædictionis lumen dependet præcipuum. Cum enim ſe habeat in effectu ſubjectivè, & promiſſor effectivè,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ſectivè; efficiens vero agat duntaxat penes naturam & diſpoſitionem ſubjecti, ſequitur hujus diſpoſitionis habendam eſſe rationem præcipuam ad prædictionem effectus. Itaque ſtudioſè exploretur, quid ſignificator ipſe ſignificet, circa id pro quo dirigitur & ſubjicitur. Dirigitur autē pro his circa quę corporeo ſitu determinatur, tum etiam dominio ſi Planeta fuerit, vel pro nato circa ipſa. Quapropter ſedulo notandum, an ratione ſitus corporei & dominii eadem ſignificet, ut dominus decimæ in decima, quo pacto ea fortiter ſignificabit: an vero contraria ſignificet, ut dominus decimæ in duodecima, vel octavæ in prima. Et quid tunc efficacius præſagiat erit apprimè diſtinguendum, tum etiam cum ipſe pluribus domibus præfuerit. Videatur ergo an ſignificator circa talia bonum, aut malum ſignificet. Nempe in bonis domibus bonum futurum, aut boni privationem, vel deſtructionem, aut in ſumma fortunium, vel infortunium: in malis vero domibus, malum futurum, vel ejus privationem, mitigationem, aut reparationem: idque juxta cap. 2. 4. 12. Sect. 2. Lib. 21. ſi ſignificator ipſe Planeta fuerit: aut ſi cuſpis, advertendo cui domino ſubjiciatur; an benefico, aut malefico, eoque congruenter affecto tam cœleſti ſtatu, quam determinatione terreſtri, ad fortunium, vel infortunium ſubjecti, quod ipſa cuſpis repræſentat.

Poſt hæc conſideretur promiſſor, cujus eſt directionis effectum efficienter producere, & à quo per conſequens dependet effectus ipſe principaliter. Et ſiquidem is Planeta fuerit, ex ejus naturâ, analogiâ, ſtatu cœleſti ac determinatione, advertatur an ad bonum, aut malum cauſandum circa ſubjectum pro quo ſignificator dirigitur, concordet cum ipſo ſignificatore, vel non. Si vero fuerit aſpectus, videatur primò an ſit naturâ beneficus, aut maleficus: tum cujus ſit Planetæ, an benefici, vel malefici: tum qualis ſit ſtatus & determinatio ipſius Planetæ juxta capita 10. & 11. Sect. 2. Lib. 21; ac tandem in quam domum cadat ipſe aſpectus: indeque ſpectetur ejus cum ſignificatore concordia, vel diſcordia, ut de promiſſore Planeta jam dictum eſt. Ut enim aſpectus cadens in aliquam domum, agit in huius ſubjectum generale, ratione Planetæ aſpicientis, ejuſque ſtatus cœleſtis, ac determinationis in figura, tum ratione propriæ naturæ aſpectus ipſius: ſic ipſe aſpectus occurrens alicui ſignificatori, concurrit ad directionis effectum per ſuam vim à 5 ſupra poſitis. At tamen diſtinguendi ſunt effectus aſpectuum prout ſi cadunt in domo, & prout occurrunt ſignificatoribus. Nam poſito ♂ in octava, aliud efficit ejus ☍ prout cadit in domum ſecundam, & aliud prout directione occurrit Horoſcopo, ſiquidem in priore caſu diſſipat divitias, at in poſteriore mortem, aut vitæ pericula cauſat. Fieri vero poteſt, ut effectus uterque directionis tempore contingat: eademque eſt ratio in cæteris.

His ergo articulatim examinatis & utrinque libratis, qua decet prudentiâ; ita ut pateat concordia, vel diſcordia terminorum circa aliquod ſubjectum, ut honores & dignitates, ſi in domo decima ſignificator extiterit. Jam ipſi termini, vel ſimul concordabunt pro honoribus conferendis: vel ſimul contra honores ipſos, vel unus faciet pro honoribus, alter contra: vel ambo erunt indifferentes, hoc eſt, uterque partim pro honoribus, partim contra, ita ut dubia ſit victoria, vel tandem unus tantum eſt indifferens; alter autem pro, aut contra. In primo caſu accident honores, vel fortunium circa ipſos, aut in ſuſceptis & actionibus. Veluti ſi dominus Medii Cœli benè affectus & ſequens dirigatur ad ipſum Cœli medium, benè quoque affectum. In ſecundo nulli accident honores, ſed potiùs infortunium circa ipſos, aut in ſuſceptis & actionibus. Veluti ſi ♄ pravè affectus dirigatur ad Cœli Medium, aut Solem in decima pravè affectum. In tertio, quamvis notanda ſit unius ſuper alterum victoria, tamen directionis effectus ſequetur ſtatum promiſſoris: nam ſi ſignificator fuerit pro honoribus & promiſſor contra, nihil fiet, aut duntaxat malum circa honores; veluti ſi ♄ pravè affectus dirigatur ad Medium Cœli benè affectum: Effectio enim eſt à promiſſore, at nemo dat quod non habet. Si autem ſignificator fuerit contra, & promiſſor pro, accidet potius bonum ſaltem mediocre, quod promiſſor ex ſe potens ſit ipſum conferre: niſi ſubjecti diſpoſitio fuerit admodum aliena. Veluti ſi pro milite generoſo & actibus claro, ♂ benè affectus dirigatur ad Medium Cœli pravè affectum, honorem tamen aſſequetur militarem etſi mediocrem. In quarto poterit aliquid boni, & aliquid mali accidere, vel quid ſimul bonum & malum, ſaltem ſucceſſivè, vel quid indifferens, vel nihil: ſi quid autem acciderit, id ſemper erit exiguum, vel mediocre. In quinto denique ſtatu, ſi ſignificator ſit indifferens, & promiſſor pro honoribus, fortunium accidet in honoribus; ſi contra, infortunium. At ſi promiſſor ſit indifferens, & ſignificator pro, quidpiam boni accidet: ſi contra, nihil.

Porro in illa terminorum concordia, vel diſcordia, videndum quanta ſit utriuſque termini fortitudo ad ſignificandum circa directionis ſubjectum. Nam quo fortius ſeu pluribus numeris ſignificaverint, ſive bonum, ſive malum, eo certius & amplius bonum aut malum accidet: veluti ſi ♉ ſit in Medio Cœli, ♂ autē in ♋ in duodecima læſus □ ♄, & dirigatur ♂ ad Medium Cœli, Mars ipſe pluribus numeris potens erit ad infortunium circa honores ſuſcepta, & actiones, quod nempe ſit naturâ maleficus, dejectus in duodecima pravè affectus □ ♄, ac inſuper inimicus Medio Cœli. Si vero uterq; terminus debiliter tantū ſignificaverit, directio vix ullum habebit effectum.

Cæterum occurrit hic difficultas non mediocris. Quoniam enim domus decima in qua ponitur ſignificator, eſt non ſolum de honoribus, ſed præſertim ac primario de actionibus & ſuſceptis nati, quibus etiam honores comparantur: quanam ratione diſcernetur, an fortunium, vel infortunium per directionem ſignificatum, ſit futurum circa honores, vel circa ſuſcepta & actiones, quandoquidem conſtat in eadem etiam genitura, non omnes directiones Medii Cœli, vel ☉ in decima, honores conferre, etſi fortunatæ ſint, tam ratione ipſius Medii Cœli; vel ☉, quam ſingulorum promiſſorum illis occurrentium? ac præterea non ſemper ex præclaris actibus ſequantur honores?

Reſpondeo. Quæcunque ſignificata eſſentialia pertinent ad domum decimam convenire in una ratione generica boni mundani immaterialis circa ipſum agere nati: & hæc in ſpecie, vel eſt fœlicitas in agendis, vel ſimplex gloria atque fama ex præclaris actibus, vel adeptio dignitatis & profeſſionis ad agendum. Ideoque ex ſuprapoſitis ſtatibus ſignificatoris & promiſſoris generaliter tantum ſpectatis, prædici poſſe duntaxat ſupremum genus effectus directionis; quod nimirum ſit futurum aliquod bonum, vel malum, circa

ipſum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ipſum agere nati: non autem an ſit fœlicitas, vel infœlicitas in agendis, an vero adeptio, aut everſio dignitatis: nam infœlicitas in agendis non ſemper evertit dignitatem.

Ad hoc autem diſtinguendum. (quod ſaltem eſt ſubalternam ſpeciem invenire) Primò videndum eſt, an radicalis figura nati per ſe abſtrahat à directionibus, futuras dignitates, vel harum carentiam, aut everſionem præſagiat. Nam directiones tantum explicant id quod in radice complicatur, vel ſuo tempore reducunt ad actum, id quod radicalis figura continet potentiâ: ſicque nihil efficiunt, quod in radice non fuerit præſignificatum à natura, ſtatu & determinatione ſignorum & Planetarum: alioquin nihil referret pro futuris per directiones accidentibus, qualis eſſet figura radicalis; poſſentque operari directiones contra radicalem Cœli conſtitutionem, natique ab ipſa diſpoſitionem, ſicque aſtrorum ſcientia ſibi prorſus contrariari, quod à ratione & experientia prorſus alienum eſt. Poſtquam ergo conſtiterit de honorum carentia, ſive privatione: certum eſt quod directio non habebit effectum circa honores, vel dignitates, niſi forſan conatus fruſtraneos: quamobrem erit effectus potius circa actiones. At ſi vel honorum futuritas, vel everſio ſignificentur, quandoquidem nihil evertitur quod prius non fuerit, ergo poterit directio effectum ſortiri circa dignitates, aut futuras, aut evertendas, aut ſaltem fortunandas, vel infortunandas. Poterit autem aliter & propinquius diſcerni, an futurus ſit effectus bonus, aut malus circa actiones, vel dignitates ex intuitu ſignificatoris & promiſſoris, ut ſequitur.

Si ſignificator fuerit ipſa cuſpis decimæ cui Sol, aut ☽ benè affecti præſint dominio, vel exaltatione; aut ipſa cuſpis fortunetur præſentiâ Planetæ naturâ, vel determinatione benefici benéque affecti, maximè vero exaltati, aut præſentiâ alicujus fixæ regiæ, aut fuerit in △ ☉, aut ☽ benè affectorum, aut ſub dominio Planetæ exaltati & angularis, vel ſaltem in ejus benefico radio, & ſimilia: effectus directionis erit potiſſimum circa honores & dignitates: eóque certius ac excellentius, quò plura ex his ſuffragiis concurrerint: non tamen excluſa actionum fœlicitate.

Similiter ſi ſignificator fuerit Planeta in domo decima, aut dominus Medii Cœli, atque is præſertim ☉, aut ☽ Planetæ primarii, aut ♄, vel ♃, quibus in dignitatis & excellentiæ ſignum, ſatellites adſunt non ſecus atque Soli; & fuerit benè affectus ſigno, præſertim vero exaltatus, aut applicãs luminaribus radio præſertim benefico, aut Planetæ exaltato, aut fuerit dominus Horoſcopi in decima fœliciter affectus, aut cũ fixa regia, aut quid aliud excelſi comitetur ſignificatorem ipſum, veluti doryphoria Planetarum, aut fixarum illuſtrium: erit etiam directionis effectus potiſſimũ circa dignitates futuras forſan per fœlices actiones.

Si vero Planeta fuerit ♂, ♄, aut ☿, qui ſatellitio carent, ſuntque duntaxat ſatellites Solis ſimplices, & vel his, vel Medio Cœli non adſit exceſſus ſignificandi modus, vel excellentiæ ſignificatio, probabilius eſt directionis effectum fore circa actiones ſuſceptaque nati, vel tantum circa artes, & opificia.

Quod verò ad promiſſorem attinet, is ſi fuerit Planeta, ac præſertim ☉ ☽, ♄, aut ♃, ut ſuperius bene conſtituti, aut ipſius ſignificatoris, vel Medii Cœli, vel etiam Horoſcopi dominus exaltatus, aut aliter egregie affectus: aut quivis etiam alius Planeta in excellenti ſtatu, aut fixa regia, directio circa futuros honores ſuum potius ſortiretur effectum. Eſt tamen ſedulo notandum, quod ſi promiſſor fuerit Planeta, ſpecies eventus erit potius deſumenda à natura Planetæ & domo in qua verſatur, quam ab ea cui ipſe dominatur, quippe quod efficaciùs determinetur Planeta per ſitum corporeum, quam per dominium, niſi hæc ultima determinatio aliunde prævaluerit, hoc enim poſito, contrarium accidere poterit.

At ſi promiſſor fuerit aſpectus fortis Planetæ fortis, præſertim verò Solis ☽ ♄ ♃, aut alterius Planetæ exaltati, aut domini ſignificatoris excellenter affecti: directio magis ad honores propendebit.

Si vero promiſſor fuerit ♂, ♀, aut ♄, vel eorum aſpectus, aut Planetarum aliorum, quibus non adſit excellens ſignificandi modus: Directio potius circa actiones operabitur. Revolutio tamen annua nati, nec non ejus ætas honoribus, vel laboribus congrua, vel incongrua, horum diſcretionem etiam adjuvabunt.

Eſt tamen notandum, quod ſignificator excellenter affectus, non ſemper, vel omnibus ſuis directionibus cauſat honores: ſed duntaxat cum promiſſoribus congruis. Idemque dicendum de promiſſore reſpectu ſignificatoris. Unde nil mirum ſi dignitates rarius accidant.

Porro ſuperius dicta de ſignificatore & promiſſore, fortunia præſertim arguunt circa honores, dignitates, profeſſionem, ſuſcepta, & actiones. Infortunia vero præcipuè ſignificabuntur à maleficis promiſſoribus natura, vel determinatione, ut ♄ & ♂, nec non dominis ſeptimæ, octavæ & duodecimæ pravè affectis, ut exilio, caſu, vel aliter: ſicque in directione concurrentibus corpore, vel maleficis radiis, aut etiam iidem Planetæ fortes, pravis radiis concurrentes, idem efficient, quippe Planetæ malefici naturâ, vel determinatione, ſi fortes fuerint, potenter nocent maleficis radiis. Saturnus autem, aut Planeta in 12, quæ eſt hoſtium occultorum, carcerum & exiliorum, aut ejus dominus, præſertim maleficus, maléque affectus, honores, dignitates & profeſſionem potiùs infortunabunt. At ♂ tum domini primæ, quintæ, ſeptimæ, octavæ præſertim, ac nonæ & undecimæ potius actiones. Atq; notandum quod ♄ pravè affectus in decima, non ſolum mala portendit circa actiones, vel honores ſuis directionibus ad ſe ſequẽtes promiſſores congruos: ſed etiam dum ut promiſſor corpore, vel pravis aſpectibus occurrit antecedenti Medio Cœli, aut ejus domino, vel Horoſcopo, aut ejus domino, vel Soli, Lunæ, aut Sorti: atq; ſic de aliis Planetis in altera domo pravè affectis. Nam Planeta id cauſat quod ſignificat ſitu corporeo & dominio juxta naturam ſuam atque ſtatum, non ſolum, ut ſignificator, ſed etiam, ut promiſſor: & hoc quidem modo effectivè, ille autem ſubjectivè per diſpoſitionem influentialem radicitus impreſſam, ut ſæpius dictum eſt.

Sic igitur præſciri poteſt conjecturaliter genus proximum, aut ſubalterna ſpecies effectus, ex aliqua directione futuri. Ad majorem tamen cautelam & Aſtrologiæ decus, in directionibus

Medii

Medii Cœli, vel Planetæ in domo decima, dum dubitatur de genere eventus, non determinetur unicè circa quod ille futurus ſit; ſed prædicatur futurus, aut circa dignitates, aut circa actiones, vel circa alia quæ ad decimam domum pertinent, inſinuando tamen circa quod potius videatur futurus, ſi aliqua lux affulſerit: ſicque vel in uno, vel in altero genere, raro deerit veritas legitimæ prædictionis. Nam ex pluribus generibus præciſè verum determinare, haud cujuſvis eſt intellectus, etſi id poſſit Aſtrologiæ ſcientia: Res enim per ſe eſt difficilis, & in qua humanus ſæpe caligat intellectus: longè autem perſpicacior eſt Dæmonis intellectus, qui hac ſcientiâ multa certò prædicere poteſt, ad quæ homo pertingere nequit. Quamobrem ſapiens Aſtrologus ſi ſuæ & Aſtrologiæ famæ conſulere velit, res futuras duntaxat genericè prædicet, modo ſuperius expoſito: nec aliquam ſpeciem infimam unicè determinabit, niſi adſit evidens teſtimoniorum conſpiratio, & ſubjecti diſpoſitio, vel frequens circa ſpeciem ipſam experientia; advertendo quod dum Planeta in una domo exiſtens dirigitur ad alterum Planetam in altera præſertim domo verſantem, effectus interdum accidit circa ſignificata domorum, quibus ipſi Planetæ dominantur, potius quam earum in quibus verſantur. Ut ipſa teſtabitur experientia, contra vulgatum axioma, plus valet præſentia Planetæ, quàm abſentis dominium.

Quod autem per decimæ domus ſignificata eſſentialia fuit ſuperius expoſitum, à ſimili intelligendum eſt de aliarum domorum ſignificatis eſſentialibus, verbi gratia, de ſignificatis eſſentialibus ſeptimæ domus, quæ ſunt conjugium, contractus, lites, hoſtes aperti, &c. nam ſemper videndum ad quid illorum ſignificator & promiſſor magis propendeant natura, analogia, ſtatu cœleſti & determinatione per figuram. Venus enim magis propendet ad conjugium, ☿ magis ad contractus, ♂ autem magis ad lites, rixas & duella, ſi præſertim hi Planetæ ſint in ſeptima, vel dominentur ſeptimæ, ac ætas his accidentibus congruat. Similiter eſſentiale ſignificatum octavæ domus unicum eſt genere ſupremo, nempe Mors; cujus ſunt duæ ſubalternæ ſpecies, naturalis & violenta. Naturalis autem tot ſunt ſpecies infimæ, quot morbi: violentæ verò ſunt etiam ſpecies quam plurimæ: ab hoſte, à feris, mandato Principis, præcipitio, ſubmerſione & ſimilibus, de quibus in Aſtrologiæ praxi fuſius agendum eſt, atque ſic de reliquis domibus.

Caput III.

Qua arte poſsit Aſtrologus deVenire ad cognitionem ſpeciei effectus, per directionem producendi.

SI genus effectus per directionem producendi, haud facile queat ab Aſtrologo determinari, ut capite proximo dictum eſt: hinc patet ſpeciem infimam unice prædicere, multo fore difficilius, præſertim circa ſignificata domorum 8 & 10, quæ præ cæteris ſpecierum diverſitate luxuriant. Hoc tamen eſſe poſſibile probatur ex eo, quod non alii producantur effectus, quam qui potentia in ſuis cauſis latitabant: quas idcirco quiſquis exacte noverit, effectus ipſos ſpecifice deſignare poterit. Ad hoc autem ſequenti utendum arte mihi videtur.

Primò quæratur genus proximum, vel ſpecies ſubalterna futuri effectus ex capite proximo, quanta fieri poterit mentis prudentia: ut pro Dignitate, vel Profeſſione, an ſignificetur militaris à ♂, aut judiciaria à ♃, aut mechanica, vel doctrinalis à ♀, vel ☿, ſpectatis etiam cæteris ad hoc neceſſariis. Pro morte, an ſignificetur naturalis, aut violenta: atque ſic de cæteris.

Secundò, ſi dignitas ſignificetur, mos Patriæ circa dignitates diſtribuendas advertatur. Nam ſtatus Eccleſiaſticus à ſeculari ſic diviſus eſſe deberet, ut nec Eccleſiaſticis dignitates ſeculares, nec ſecularibus eccleſiaſtica beneficia contingerent. Quippe *diviſum Imperium cum Jove Cæſar habet*, dixitque Chriſtus Pilato, Regnum ſuum non eſſe de hoc Mundo, neminemq; ſervire poſſe Deo & Mammonæ. Atqui Diabolus confuſionis author, illum malis in locis pervertit ordinem, & beneficia conferuntur ſecularibus, præſertim pinguiora Magnatibus: qui titulum Sacerdoti cuipiam ignaro, vel avaro, mercede conducto ferendum committentes, nec de cultu Divino curantes, reditus bonorũ Chriſti quos paſſione ſua pro illo cultu lucratus eſt, inique uſurpant, iiſque nefarie abuntuntur. Econtra verò ſæpenumero Abbates & Epiſcopi, ſpreto Deo & animarũ curâ ſibi commiſsâ, dignitates ſacras proſtituunt, inhiantes ſecularibus, fiuntq; non ſolum Regnorum miniſtri ſeculares; ſed (horrendum dictu) etiam Arcium & Provinciarum Gubernatores, nec non exercituum tam ſuper Terra, quam ſuper Mari Præfecti etiam Generaliſſimi. Neque id contra Turcam, Paganos, aut Hæreticos, ſed cum his potius contra Catholicos: ſicque Chriſti populus ferro, flammis, fame, diriſque latrociniis opprimitur, ejuſque ſanguis paſſim crudeliter effunditur, pro quo ipſi animarum Paſtores indigniſſimi, potius proprium tenentur effundere. Quis verò Aſtrologus monſtra hæc vaticinabitur de viro Eccleſiaſticis dignitatibus inſignito, ex cujus duntaxat depravata voluntate per ſe aſtris non ſubdita, inſatiabilique ambitione illa prodeunt? Eſto enim quod ad talia etiam inclinentur ab aſtris natalibus, quis dicet tales Eccleſiaſticos, nec timore Dei, nec dignitatis ſuæ reverentia, nec mundano pudore cohiberi poſſe, futuroſque pejores ſecularibus.

Præterea dignitates ſic vocatæ ſunt, quod jure naturæ debeantur, ac olim conferri ſolitæ ſint dignioribus: hæcque juſtitia adhuc inter novi Orbis Barbaros auri veneno nondum infectos obſervatur: quippe qui ad ſua bella Duces eligunt, quos ingenii & corporis præſtantia, robur, eloquentia, & præclara facinora præ cæteris commendant, quia nempe æquum judicant, naturæ dotibus inferiores, ſubeſſe ſuperioribus: iniquum autem atque turpe ignavos præeſſe fortibus ac generoſis. Apud Chinenſes vero quorum maximum populoſiſſimumq; Regnum ſumma Politicæ prudentia gubernatur, dignitates omnes à Rege cum ampliſſimis & unicuique congruentibus ſtipendiis gratuito conferuntur: nec niſi dignioribns viris, qui gratuito quoque juſtitiam ex parte Regis diſpenſant. At inter Chriſtianos (proh pudor) talis naturæ ordo inverſus eſt, ac aurum quod dicitur eſſe incorruptibile, ſic jam corrupit omnia, ut nulla ſit dignitas ſecularis, ſive judiciaria, ſive militaris, ſive politica, ſive æraria, nullumve officium etiam viliſſimum, quod turpiſſimè non vendatur: imò ob tam fœdam avaritiam,

ritiam,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ritiam, non ſolum officia, vel dignitates ipſæ in dies multiplicantur, ſed novæ ſint ulla prorſus neceſſitate, imò in Reipublicæ perniciem contra leges, mores antiquos & libertatem introducuntur, immenſoque emuntur pretio, dum è contra Veteribus ſupprimendis, vel numero minuendis incumbere perneceſſarium foret. Sic verò nobilibus, doctis, vel profeſſionis ſuæ peritiſſimis, tum viris virtute præclaris, ferrea ad honores & dignitates janua occluditur, niſi ad hanc aperiendam aurea clavis ſit illis præ manibus: quod quàm ſit turpe & pernicioſum, utinam Reges intelligerent.

Hæc autem paucula expono, multóque plura ſubticeo, quòd Aſtrologo prudenter advertenda ſint: ne ſuper aſtralibus indiciis egregiæ indolis, vel eminentis alicujus ſcientiæ, aut virtutis, vel promiſſarum ab aſtris dignitatum, illico dignitates nato in Gallia prænunciet, niſi natus ipſe ad illas emendas fuerit ex patrimonio, vel aliunde dives. Etſi enim cuncti homines ad dignitates nati, directionũ congruarum tempore excitentur ab aſtris ad illas ambiendas, vel promerendas: rariſſimè tamen in Gallia obtinentur, præterquam ab illis quibus ad ipſas emendas divitiæ ſuppetunt, multóque ſæpius venduntur indignis, vel ignorantiâ, vel flagitiis. Nemini autem dubium eſt, quod talis officiorum venalitas, ſit omnium malorum coram Deo & hominibus deteſtanda ſentina: proindeque fomes inceſſanter ardentis ſuper nos iræ Dei; everſionem Regni præſagiens, poſt ſtupendas ruinoſaſque pœnas iis inflictas, qui ipſam venalitatem introduxerunt & hæreditariam effecerunt.

Similiter in Gallia mors violenta ſaltem ab hoſte aperto, frequentior eſt quam alibi, ob crebra duella & homicidia, quorum propter infamem ac pernicioſam juſtitiæ venalitatem pnnitio rarior eſt: unde impudentior audacia ad occidendum, furandum, cæteraq; ſcelera impunè patranda. At in Italia mors violenta potius ex veneno quam duello timenda eſt. Præterea in judiciaria morte aliud eſt ſupplicii genus in Gallia, & aliud alibi: tum aliud pro Nobili, & aliud pro Plebeo. Hæc igitur & ſimilia ſunt Aſtrologo præſcienda in quovis Terræ loco, ſive regno, ut certius de futuris pronunciet effectibus: ſiquidem certum eſt aſtra in agendo ſequi diſpoſitionem ſubjecti ad quam ſupradicta pertinent.

Tertiò habeatur ratio proſapiæ nati. Alia enim dignitas filio Principis, alia filio Baronis, alia filio Senatoris, alia filio Mercatoris, & alia filio Ruſtici, ab ejuſdem virtutis directione petenda eſt. Nec ætas quoque nati omittatur, ſicut nec vitæ genus: non enim eadem conveniunt puero, viro, atque ſeni: nec eadem Eccleſiaſtico & ſeculari, niſi ordo, ut ſupra dictum eſt, pervertatur.

His vero circumſpectis, jam ad proximiorem cauſam ſpeciei accidentis ex directione futuri deveniendum eſt. Nimirum ad ſignificatorem & promiſſorem, quorum ille ſubjectum afficiendum repræſentat, corporeo ſitu, dominio vel aſpectu oppoſito, propter oppoſitarum domorum mutuam in ſignificando convenientiam: hic vero modis iiſdem futurum effectum ſignificat.

Primò igitur attendatur fortitudo terminorum directionis, quo enim major illa fuerit, eo illuſtrior ſignificatur effectus, qui ſic à minimis, vel mediocribus diſtinctus ex parte Cœli, & cum nati proſopia, indole, profeſſione, valetudine & fama comparatus, ſpeciem ſuam quadamtenus ſaltem prodere jam incipiet.

Secundò. Vide an ſignificator & promiſſor ſignificatione conveniant, aut diſconveniant, & in qua: tam ex natura propria quam accidentali à ſtatu cœleſti & determinatione terreſtri: effectus enim, ut plurimum erit penes illam convenientiam, aut diſconvenientiam, Mars enim præcipuè dominus octavæ & Horoſcopus, maximè pro vita diſconveniunt: tum Medium Cœli & ♄ pravè affectus pro honoribus: at ☉, aut ♃ dominus Medii Cœli occurrens ipſi Medio Cœli, maxima eſt pro honoribus convenientia: eademque eſt ratio in cæteris.

Tertiò. Quoniam promiſſor ex cap. 5. Sect. 1. ſe habet in directionis effectu velut agens & formam futuro eventui conferens, ergo hic præcipuè ſpectandus erit, ad ipſius eventus ſpeciem determinandam. Promiſſor autem, vel eſt Planeta, vel aſpectus: ideoque ſi ex ſupradictis genus futuri eventus conjiciatur eſſe dignitas, & promiſſor ſit Planeta: videatur in Tabula de dominio univerſali Planetarum poſt cap. 3. Sect. 3. Libri 8. quænam ſpecie dignitates congruant ipſi Planetæ, ut earum cauſæ: tum quæ ex ipſis dignitatibus magis conveniat proſapiæ, indoli, ætati & generi vitæ nati. Mars enim occurrens Medio Cœli, cauſat honores militares, Mercurius, Senatorios, vel diſciplinarum profeſſiones, ut mihi. Sed videatur inſuper qua in domo figuræ ſit ♂: nam occurrens Medio Cœli ex undecima, cauſabit honores amicorum ope; ex duodecima per hoſtes occultos nocebit honoribus: tandemque videndum cui domui præſit ipſe ♂: nam dominus ſecundæ aliud efficiet occurrens Medio Cœli, quàm ſi eſſet dominus duodecimæ. Atq; his omnibus perſpectis de ſpecie effectus judicandum eſt. Promiſſor enim ad directionis effectum concurrit, tota ſua ſignificatione completa, etſi ſæpius agat duntaxat ſecundum aliquam partem juxta ſubjecti diſpoſitionem. Si autem promiſſor fuerit aſpectus, vide cujus ſit Planetæ, & quæ ſit natura aſpectus, & in qua domo verſetur Planeta aſpiciens, quibuſque præſit. Et ſecundum hæc judica. Nam beneficus aſpectus benefici Planetæ, facilè conferet dignitatem analogam ipſi Planetæ, penes Tabulam ſupradictam: qui ſi fuerit ☉, aut ☽ præſertim in ſua exaltatione, vel cum dominio in domo decima, dignitas erit illuſtris habita ratione proſapiæ & generis vitæ nati. Si autem maleficus fuerit aſpectus Planetæ benefici, aut dignitas erit minor, aut circa ipſam occurrent oppoſitiones & obſtacula ſuperanda.

At ſi genus eventus conjiciatur eſſe dignitati contrarium, videndum erit quænam contrarietatis ſpecies ſignificetur. Hoc autem indicabunt ſignificator & promiſſor. Nam ſi ſignificator, hoc eſt, Medium Cœli, vel ejus dominus, vel Planeta in decima, fuerint pravè affecti ſtatu Cœleſti ac Terreſtri, ipſique Planetæ naturâ ſint malefici; pravus ille ſignificatoris ſtatus portendit dejectionem à dignitate. Sique promiſſor fuerit Planeta maleficus naturâ in 6. 8. vel duodecima domo: Dejectio erit cum morte, aut exilio, vel incarceratione, idque propter crimina, vel hoſtes occultos. Si mala minora fuerint, accidet tantum dignitatis aut ſuſpenſio, aut ſuppreſſio, aut in ejus exercitio quoddam infortunium, vel oppoſitio.

Quoniam verò in hac varietate perdifficile eſt humano ingenio, ſola figuræ natalis inſpectione, ad amuſſim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

amuſſim definire ipſiſſimam futuri eventus ſpeciem infimam, idcirco exponantur in prædictione omnes eventuum ſpecies, quæ habita ratione proſapiæ, ætatis & conditionis nati probabiliùs ab illa directione oriri queunt: nam una, aut altera ex illis accidet, ſicque honos ſcientiæ ſervabitur. Si vero figura revolutionis ad illud tempus erigatur, inde multo accuratius & certius detegitur, an directio effectum aliquem productura ſit & qualem infima ſpecie. Ad quod maximè proderit diuturna praxis circa obſervationes effectuum aſtrorum in ipſis directionibus, habita ratione proſapiæ & generis vitæ natorum, juxta Centiloquii Aphor. 1: *A Te & à ſcientia*. Etſi enim qui ſciens eſt (hoc eſt, qui ex ſcientia judicat) particulares rerum formas pronunciare nequeat ex eodẽ Aphor. quod nempe ſcientia non verſetur circa particularia: tamen ſpecialem formam effectus, etiam prædicere poterit, ut quod natus erit Dux exercitus, Conſiliarius, Epiſcopus, &c. non autem quod futurus ſit Dux talis exercitus, Conſiliarius talis Parlamenti, Epiſcopus talis Eccleſiæ, &c. ſed proculdubio cum his omnibus auxiliis annuæ revolutionis & longarum obſervationum, tutius ſemper erit ſiſtere in ſubalterno genere, prædicendo duntaxat dignitatem Militarem, Judiciariam, vel Eccleſiaſticam viris conditione idoneis: aut ſingulas ſpecies eventuum ad directionem propoſitam pertinentes, natoque congruentiores exponere: dum ſaltem abſque revolutionum inſpectione traduntur prognoſtica directionum pro tota nati vita. Sic enim raro falſa erit prædictio, cujus veritas ſublimem poſtulat cauſarum notitiam theoricam & practicam, cum inſigni prudentia, imò ſapientia, ob ipſius ſcientiæ ſublimitatem.

Ad majorem vero doctrinæ hujus elucidationem, aliquot exempla hic ſubjicienda ſunt. Supponatur ergo quod promiſſor ♂ dominus duodecimæ dirigatur ex ſecunda domo ad Horoſcopum, qui ſignificat, vel repræſentat nati perſonam, ejuſque vitam, ſanitatem, mores, ingenium. Quæritur quis inde futurus ſit effectus? Primò autem erit malus, quia ♂ eſt naturâ maleficus, ideoque vitæ inimicus. Secundò, quoniam vita, ſanitas, mores afficiuntur: ergo protenduntur, aut mors, aut morbus, aut ira, atque lis: eóque certius ſi Horoſcopus aliunde fuerit pravè affectus, vel huic ♂ inimicus. Tertiò, quia ♂ eſt dominus duodecimæ, ſignificatur quoq; morbus, carcer, aut exilium, quod ſi etiam fuerit dominus ſeptimæ, poſito nempe ſigno ♉ in Horoſcopo, ſignificabuntur etiam lites, duella, & quia ♂ eſt in ſecunda, nec ibi ſignificat divitias, ſed harum potius diſſipationem, ergo nato non accident opes, ſed harum potius diſſipatio: & quia eſt oppoſitus octavæ domui, mortem, aut ſaltem vitæ periculum ſignificat. Ex his autem omnibus dicere quodnam præciſè accidet, haud ita facile eſt: ad hoc tamen duo præcipuè notanda ſunt. Primum, quodnam ex illis fortius ac pluries ſignificetur, tam in radicali influxu, quam ex parte utriuſque termini directionis. Secundum, quodnam in revolutione potius ſignificetur: in qua ſignificatoris & promiſſoris loca radicalia erunt attendenda, nec non ♂ promiſſor, & ♀ domina Horoſcopi. Tum quibus diebus revolutionis ipſius, congruentiores fiant Planetarum tranſitus ad ipſa mala inferenda, ut ſuo loco docebitur. Frequenter autem accidit, ut multa ſimul ab eadem directione ſignificentur, aut inter ſe diſtincta, aut aliqua ſubordinatione connexa. Veluti ex ſuperiore directione poſſunt eodem anno, vel ſimul ſignificari morbus atq; lites inter ſe diſtincta, vel ira, lis, duellũ, vulnus atq; mors, aut carcer, accidentia ſubordinatione connexa. At ſive unicum ex ſupradictis accidentibus ſignificetur futurum ab illa directione, ſive plura diſtincta, ſive plura ſubordinata; quale, aut qualia ſpecie ſint, enunciandum erit ex radicali Thematis ſignificatione, quæ aut carceres, aut mortem violentam, aut horum abſentiam continebit; ex validius ſignificato in directione, ex revolutionis conſenſu, aut diſſenſu. Tum maximè ex ſtatu nati, rerumque, vel negotiorum ejus, ipſo anno. Si etiam habuerit hoſtem apertum, vel ad bellum ſe contulerit, tuto vulnera, aut mortem prædicere poteris, ſi præſertim nativitatis figura ad violentam mortem inclinaverit: atque eadem prudentiâ utendum erit in cæteris.

Sit autem ♃ in undecima, qui dirigitur ad ☉ in decima, quæritur directionis effectus? Sol ex ſua natura eſt honoribus, gloriæ atque famæ analogus, in domo autem decima circa honores, dignitates & actionem determinatus eſt: ac proinde ſi ſtatu cœleſti fortunatus fuerit, illuſtres actiones, gloriam atq; famam, tum inſignes dignitates præſagit. Jupiter autem in undecima ad amicos actu, ad honores vero potentiâ fœliciter determinatus eſt: quamobrem fœliciter combinabuntur ſignificata hæc promiſſoris & ſignificatoris; ideoque directio illa nato cauſabit honores amicorum ope, vel amici nati erunt ipſi cauſa honorum, quod idem eſt. Alioquin natus ſua profeſſione, vel præclaris actibus famaque celebri, multos ſibi conciliabit amicos, aut amici erunt illi cauſa præclarorum actuum atque famæ. Jam vero quoniam Sol concurrit ſubjectivè hac in directione, & tam ſitu in decima quam natura magnos ac regios honores in genere ſignificat, ♃ autem concurrit efficienter: igitur forma, ſive ſpecies honorum ſaltem ſubalterna erit ab ipſo ♃, habita ratione dominii ipſius ♃. Nam ſi fuerit dominus ſeptimæ, dignitas bellica, ut arcis, vel Provinciæ gubernatio, aut exercitus præfectura, aut quid ſimile futurum ſignificabitur. Si fuerit dominus nonæ, dignitas erit Eccleſiaſtica, vel Legatio. Si decimæ, dignitas erit Judiciaria potius quam Militaris, aut Eccleſiaſtica, niſi forſan dominus ſeptimæ, vel nonæ eſſet etiam dominus ♃, vel in ejus forti & benefico aſpectu, aut dominus ♃ eſſet in ſeptima, vel nona. At ſpecies infima effectus, ut quod natus erit Capitaneus, Gubernator arcis &c. aut Eccleſiæ Paſtor, Epiſcopus, aut Conſiliarius, vel Præſes, &c. petenda eſt à nati proſapia, ætate, aptitudine naturali & robore, aut debilitate cauſarum cœleſtium in radice & directione, quandoquidem tanta eſt interdum fortitudo cauſarum ipſarum, ut è ſtercore erigant pauperem, & collocent eum cum Principibus, nutu Dei, cujus providentia naturalis per cauſas cœleſtes præcipuè diſpenſatur.

Sit iterum Luna in domo decima ipſius domus domina, cujus quadratus aſpectus in ſeptima dirigatur ad ♄ dominum quartæ in ſexta. Quis erit probabili ratione hujus directionis effectus? Quoniam directionis effectus eſt temporaliter à motu primi mobilis quo promiſſor fertur ad ſignificatorẽ: eſtque promiſſor ipſe poteſtate determinatus (ob illum

motum, qui rerum ſucceſſivè futurarum menſurat tempora) ad id ad quod ſignificatur actu determinatus eſt. Ergo cum □ ille ſit in ſeptima, ſignificabit infortunia in litibus, contractibus, vel conjugio; & quia eſt à ☽ domina decimæ in decima: ergo infortunia cauſabuntur, vel à potente fœmina, vel ab actionibus & profeſſione nati. Et quia □ ille fertur ad ♄ dominum quartæ in ſexta: ergo infortunium illud in litibus, contractibus, vel conjugio, continget circa ſervos domeſticos, aut ſubditos, aut animalia, aut circa parentes, vel hæreditates; eademque eſt ratio in cæteris. Tota enim prudentia hujuſque ſcientiæ gradus ſupremus verſatur circa combinationes eorum quæ tam à promiſſore, quam ſignificatore præſagiri queunt, fœliciter inſtituendas. Quæ res cùm ſit ex ſe perdifficilis ſi ſolæ ſpectentur cauſæ cœleſtes, erit ſemper adjungenda cõſideratio diſpoſitionis ſubjecti, quippe nati, habita ratione proſapiæ, ætatis, indolis, & vitæ generis, ut jam ſæpius dictum eſt. Tum etiam rerum ac negotiorum ejus, ſi quæratur ſpecialis effectus præſentis, vel imminentis directionis. Cœlum enim agit penes præſentem ſubjecti diſpoſitionem, non ſolum tempore nativitatis, ut ſi filius Principis & filius Culinarii ſimul tempore naſcantur ſub eodem tecto, ſed etiam tempore directionum, quarum virtus eadem in utrumque natum, diverſa tamen in ſingulis efficit ratione diſpoſitionis ſubjecti, ut idem Sol ſimul tempore & eodem in loco lutum indurat, ceramque liquefacit.

Caput IV.

Unde certitudo & intenſio effectuum per directiones ſignificatorum deſumantur.

EX pluribus capitibus deſumuntur. Primò enim ſi ſignificator fuerit fortis, ſive ad bonum, ſive ad malum: hoc eſt, ſi pro bono fuerit Planeta beneficus, ſtatuque cœleſti benè affectus, pro malo autem maleficus, pravè affectus ſigno, conjunctione, aſpectu, &c. Directio ſuum certius & intenſius ſortiētur effectum, hic malum, illic bonum: dummodo ſimilis promiſſor occurrat. Idemque dicendum de cuſpidibus, pro quarum ſtatu cœleſti notanda ſunt natura ſigni, dominus ſigni, & conjunctiones, vel aſpectus cum ipſa cuſpide. Quo autem debilior fuerit ſignificator, vel promiſſor, vel uterque, eo remiſſius operabitur directio, vel nihil efficiet.

Verùm de Planetæ fortitudine, vel debilitate, hæc notanda occurrunt.

1. Planeta beneficus benè affectus ſtatu cœleſti, fortis eſt ad benefaciendum & malum auferendum, vel mitigandum pro ratione determinationis ſuæ, tam radicali, quam directionali, ſaltem corpore & beneficis radiis. Malè autem affectus, debilis eſt, beneficis quoque radiis, ſed ad malum fortior eſt, præſertim radiis maleficis. At maleficus Planeta benè affectus, fortis eſt ad benefaciendum, vel maleficiendum, pro ratione determinationis & naturæ aſpectuum. Malè autem affectus, fortis eſt ad malefaciendum, & bonum auferendum pro ratione determinationis, præſertim corpore & maleficis radiis, beneficis enim prodeſſe nequit. Denique Planeta peregrinus & ſine aliorum aſpectu ſaltem forti, propriè debilis dicendus eſt, tam ad benefaciendum, quam malefaciendum. Operatur autem ratione ſuæ naturæ, & determinationis.

2. Quo promiſſor fuerit fortior, ſive ad bonum, ſive ad malum, etiam effectus major & certior ſperandus eſt; dummodo ad virtute ſimilem transferatur ſignificatorẽ: ac proinde intenſio ac certitudo effectus, ex utriuſq; termini robore depẽdet.

3. Planeta ſignificator, aut promiſſor analogus, vel configuratus analogo, vix unquam ſuo fruſtratur effectu, eoque inſigni, quem etiam facilè citóq; producit. Atque ſic dum ☉ in decima, præſertim bene affectus dirigitur pro honoribus; egregios honores præſagit occurrente congruo promiſſore, vel dum idem Sol in undecima occurrit Medio Cœli bene affecto, vel in quo ☉ ipſe domo, vel exaltatione præſit: nam priore modo, ut ſignificator, poſteriore, ut promiſſor eſt analogus honoribus: idemq; cenſeto, ſi in directione ♃ domini Medii Cœli pro dignitatibus, vel ſuſceptis, ♃ ipſe, vel Planeta promiſſor fuerit in △ Solis. Si autem ☉ ex duodecima dirigatur ad Medium Cœli, cui dominetur ♄ in ſecunda, magni hoſtes occulti magnaque impedimenta in ſuſceptis & agendis ſignificabuntur, ut mihi anno 1634. cum Cardinali Richelio, pro longitudinum ſcientia à me inventa. Tunc enim celebrem famam, nullam vero dignitatem conſecutus ſum, multaque paſſus ſum ab iniquis judicibus & hoſtibus occultis.

4. Si ſignificator & promiſſor fuerint in aſpectu congruo dominorum ſuorum; hoc eſt, benefico aſpectu pro bono affectu, & malefico pro malo: uterque concurret efficacius ad effectum, & hunc majorem producet. Idem fere cenſeto, ſi ſignificator aſpexerit dominum promiſſoris, aut promiſſor dominum ſignificatoris.

5. Si vitæ ſignificator Horoſcopus, vel ejus dominus fuerit valde fortis, ſolus occidet Planeta promiſſor, qui fuerit anæreta determinatione, hoc eſt, qui fuerit in octava, vel octavæ dominus, præſertim naturâ maleficus: ſi fuerit mediocris fortitudinis, dominus loci promiſſoris illius occidere poterit. Si vero fuerit inſigniter debilis, occidet quicunq; naturâ, vel determinatione malefici radius maleficus. Significator autem cenſetur inſigniter debilis, ſi ejus dominus fuerit prave affectus ſtatu cœleſti & determinatione, inſuper autem ſignificator ipſe lædatur à maleficis, ſine auxilio beneficorum. Porro ille promiſſor vim ſ occidẽdi habere cenſetur, qui naturâ præſertim maleficus, hoſtiliter allicit aphetam, non recipiens, neque receptus domicilio. Tum qui contrariatur aphetæ, aut ſua natura, ut ♄ ☉, vel ☽, ♂ & ♄ Horoſcopo, vel ſua determinatione, ut dominus octavæ Horoſcopo, aut ſuo ſtatu, ut ♂ in ♏ validius eſt hoſtis Horoſcopo in ♎. Notandum tamen eſt, quod validus Apheta in ſenio cenſetur eſſe debilis ob ipſam corporis debilitatem. Atque ſic validus honorum ſignificator in pueritia nullius eſſe virtutis exiſtimatur, ob ætatis diſpoſitionem ad honores, niſi ob nati proſapiam, vel mores patriæ depravatos naturalis ordo violetur.

6. Directio ex ſe matrimonium ſignificans, ut ♀ dominæ ſeptimæ domus ad Horoſcopum, vel Medium Cœli antecedens, nullum ſortietur effectum, ſi aliunde ſignificatio ipſa evertatur, aut cœlibatus, aut Religionis ingreſſus ſignificetur: ut mihi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

mihi accidit ex directione Medii Cœli ad ♀ dominam ſeptimæ in duodecima combuſtam cum ♄, & ♃ domino nonæ : eademque eſt ratio de cæteris.

7. Quoniam directiones fiunt per revolutionem primi mobilis, qua promiſſor transfertur ad ſitum ſignificatoris: ergo ſignificator & promiſſor eandem ejuſdemque nominis habentes declinationem, certiores inde majoreſque pollicentur effectus, quia ſic per directionem uniuntur partiliter in circulo poſitionis; contrario autem modo affecti valdeque diſtracti, parum, aut nihil efficiunt.

8. Significatori debili, vel infortunato, ut Horoſcopo, Medio Cœli, vel Sole in decima, & promiſſore malefico forti, peſſimus ac intenſus ſequetur effectus: abſcindens, evertens, aut deſtruens ſignificatoris ſignificatum. Non enim promiſſor omnis abſcindit eo modo, ſed tantum, ac præſertim qui ſignificatori in ſignificato contrariatur.

9. Bonorum ſignificatorem, ſive ſit cuſpis, ſive Planeta, dirigi ad ſuum dominum beneficum, ac fortem, optimum eſt: ad Planetam vero qui ſit exul, aut dejectus in loco ſignificatoris, pravum: & pejus ſi Planeta promiſſor ſit pravè affectus.

10. Si ☉, vel ejus △ dirigatur ad Planetam in decima, aut decimæ dominum antecedentem, aut ♃, vel ejus △ ad Planetam in ſecunda, aut ſecundæ dominum: hic divitiæ, ilhic honores certo ſignificantur, niſi ſtatus & determinatio promiſſorum contrarietur.

11. Si Planeta boni ſignificator fuerit fortis, ejus autem dominus debilis, res initio benè ſuccedet, ſpemque faciet; ſed perfici non poterit. Si autem ſignificator fuerit debilis, ejuſq; dominus fortis, tunc res initio videbitur difficilis, tandem vero facile perficietur. Si autem ſignificator fuerit fortis, ejuſque dominus fortis, res ab initio ad finem erit facilis & egregie ſuccedet; eritque magnus effectus. Si autem uterq; ſit debilis, res nullo modo fiet; neque incipietur: & hoc intelligendum eſt tam de radicali conſtitutione, quam de directionibus ipſius ſignificatoris: in quibus tamen erit habenda ratio fortitudinis & debilitatis promiſſoris juxta Articulum ſecundum. Idem cenſeto de cuſpide ſignificatrice: idemque à ſimili judica de mali ſignificatore.

12. Beneficum Planetam conjungi beneficis ſignificatoribus, horum auget effectus dum diriguntur ad beneficos promiſſores. Nam ſi Planeta conjunctus ſequatur, ſignificatorem diſponit ad effectum, ſi præcedat, confirmat eundem, vel auget. Occurrente autem malefico promiſſore, vim ejus infringit, ac minuit, tutaturq; ſignificatorem vel ejus ſubjectum. At maleficum Planetam conjungi beneficis ſignificatoribus, horum minuit ac eludit effectus: quippe ſequens impedimenta & difficultates objicit, præcedens fruſtrat effectu, vel ipſum evertit, aut aliter afficit infortunio.

13. In omni directione conſideranda ſunt genus, ſpecies, qualitas, quantitas & tempus effectus. Et quidem genus deſumitur à proprietate domus figuræ quam ſignificator occupat, ſive ſit cuſpis, ſive Planeta: ut ☉ in decima regios honores duntaxat in genere ſignificat, prout ſignificator exiſtit in tali domo. Species & qualitas, à natura & ſtatu promiſſoris; quantitas, à robore, vel debilitate promiſſoris & ſignificatoris: tempus denique ab utriuſque diſtantia in gradibus Æquatoris, ut fuit antea expoſitum.

14. In directione Horoſcopi ad ♄ ſequentem, ſi ♄ ipſe fuerit dominus Horoſcopi, nec particularis ſignificator morborum, aut mortis: ſignificabitur tantum morbus, aut vitæ periculum duntaxat univerſaliter, ob ♄ maleficam naturam, nec morbus, aut periculum ſaltem inſignis momenti accidet, quod ♄ præſit Horoſcopo. Si autem ♄ fuerit Horoſcopo inimicus, major morbus, aut periculum grandius ſignificabitur etiam certius, licet tantum univerſaliter. At ſi ♄ nullam in Horoſcopo ſortitus dignitatem, imo potius ipſi inimicus, fuerit inſuper mortis, aut morborum particularis ſignificator, ſua determinatione per corpus, dominium, vel aſpectum oppoſitum, de morbo & vitæ periculo non erit dubitandum: Eademque eſt ratio in cæteris, ſive ad bonum, ſive ad malum: atque hoc ſedulo notandum eſt. Ideoque ſi Medium Cœli fuerit ♍, ♀ dejectio, & dirigatur ad △ ♀, præſertim in ♏, ♀ detrimento, nihil boni pariet ipſa directio, ut experientia mihi notum eſt.

Caput V.

De nonnullis tam univerſim, quam peculiariter notandis circa directiones.

HÆc unico capite complecti ſatius eſſe duxi, quam ſingulorum diverſa inſtruere capita, cum ex dictis hactenus ſingula facile intelligi queant. Primò itaque de directione alicujus ſignificatoris, ut Medii Cœli pro ſuſceptis dignitatibus hæc ſummatim notentur.

1. Medium Cœli quatenus ſimpliciter eſt ſignificator, duntaxat ſignificare circa honores, vel actiones: non autem an honores futuri ſint, vel actiones fœliciter ſucceſſuræ.

2. Dignitatem contingere ab occurſu promiſſoris, dum transfertur ad locum, ſive ſitum ſignificatoris: ideoque promiſſorem per ſe conferre dignitates ipſas quoad ſpeciem.

3. Dignitatem minime conferri à quovis promiſſore qui occurrat Cœli Medio, ſed duntaxat à congruo & potente natura, atque ſtatu, vel affinitate ſignificati: neque hunc etiam perpetuo conferre, ſi nempe Medium Cœli, vel ejus dominus, vel utrumque pravè afficiantur, ad idque ſint inepti. Hinc autem manifeſte deduci, dignitatum futuritatem pendere ab aptitudine Medii Cœli & efficacia promiſſorum ſimul concurrentibus.

4. Medii Cœli ad dignitates aptitudinem ſumi à natura ſigni, natura & analogia domini, aut Planetæ in decima conſtituti: eorumque ſtatu fauſto tam Cœleſti quam Terreſtri, præſertim vero fœlici connexione luminarium, vel Planetarum natura, vel determinatione beneficorum cum ipſo Medio Cœli, ejuſque domino. Similiterque Promiſſoris robur & efficacia ſumitur ab ejus, tum domini & Planetarum aſpicientium natura, ſtatu, ſitu & connexione fœlicibus. At de ſignificatoris & promiſſoris ineptitudine & debilitate ratiocinandum erit à contrario. Probari tamen experientia ordinaria, dignitatem non contingere citra promiſſoris, vel eorum à quibus ipſe ſuſcipit efficaciam, cum Medio Cœli, vel iis à quibus aptum ſit, connexionem, ſive per dominium, ſive per aſpectum, ſive per ſignificati ſimilitudinem, ſive per ſtatus excellentiam. Ut mihi contingit ex di-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ectione ☿ ad Medium Cœli: quâ Regius Mathematum Profeſſor effectus ſum, licet ☿ neque Medium Cœli, neq; ♄ ejus dominum intueretur, vel eis præeſſet: ſed ex eo quod eſſet dominus ſecundæ, proindeq; divitiarum ſignificator, applicans ♀ dominæ ſortis, ac in illuſtri doriphoria Solis, ipſe Orientalis omnes præcederet: ideoque ſtatum habuit excellentem, & ratione divitiarum habuit ſignificati ſimilitudinem cum dignitate & Magiſterio, unde ad victum neceſſaria comparantur. Adde quod inter dignitates Mercurius ex ſua natura, ſive eſſentialiter Mathematicam ſignificat. Nec Planeta ſuis eſſentialibus ſignificatis unquam deſtituitur: ideoque agit tam per eſſentialia quam per accidentalia à ſitu, vel dominio in figuræ domibus penes naturam ſive diſpoſitionem ſignificatoris, cui promiſſor occurrit: idemque cenſendum de quovis altero ſignificatore.

5. Nati proſapia, corporis conſtitutio, mores ac ingenium, ſunt etiam in directionibus maximè ſpectanda: Contingit enim interdum, primam domum adeo fœliciter eſſe conſtitutam pro animi & corporis dotibus, vitaque longa, ut inde certo futurarum dignitatum ſumantur indicia citra Medii Cœli peculiarem aptitudinem: ut in geneſi B. Caroli De Condren, cujus decimam ♂ exul occupabat: Sol autem fuit in prima, ejuſque dominus ♃ in nona & △ ſui domini: ideoque Congregationis Oratorii Jeſu factus eſt generalis, & vir ſcientiis & pietate celeberrimus. Quin etiam domus ſecunda ad idē potens eſt non minimum, ut in me ſupra patuit de ☿ domino ſecundæ: tum etiam nona pro dignitatibus Eccleſiaſticis, Legationibus & ſimilibus: qui enim habuerit primam, ſecundam & nonam fœliciter affectas, vel earum dominos, vix carebit dignitatibus. Quamobrem videndum erit quo pacto Planetæ in his domibus, vel harum domini ſeſe habeant cum Planetis in decima, vel harum dominis, ut in occurſu ſignificatorum & promiſſorum inde ſumpto, quid futurum ſit percipiatur. Quæ autem de ſignificatis decimæ dicuntur hic, de aliarum domorum ſignificatis à ſimili intelligenda ſunt.

Secundò: In quavis directione notabimus, ipſam plerumque multos ſimul effectus eodem anno ſignificare: neque id mirum eſt. Cum enim ſignificator omnis multa ſimul ſignificet, ut Horoſcopus vitam, mores, ingenium: Cœli Medium dignitates, ſuſcepta, actiones, & Planeta quilibet ea ad quæ determinatus eſt corpore, dominio & aſpectu. Promiſſor autem Planeta etiam agat juxta ſignificata ſuæ determinationis per corpus, dominium, & aſpectum, fit ferè ſemper, ut eadem directio multos producat effectus: unde patet tutius eſſe prædicere omnes effectus qui produci queunt à concurſu ſignificatoris & promiſſoris habita totali utriuſque ratione, quam unicum prædicere. Semper autem oportet attendere ad effectum validius ac præcipue ſignificatum, ut is non omittatur certiuſque prædicatur: tum ad revolutionem, ut notetur cui ſignificato ipſa magis faveat.

Tertiò: Interdum accidere, ut eodem anno multæ contingant novæ directiones. Quæ ſi de eodem ſignificato fuerint, ut directiones Horoſcopi & ejus domini pro vita, vel Medii Cœli & ejus domini pro honoribus & actionibus, & inter ſe concordaverint ad bonum, ſive malum, certius eo anno effectus erit exſpectandus: ſi vero diſcordes fuerint, judicandum erit pro evidenter validiore, nihilominus temperata, ratione contrariæ. Eſt autem utriuſque obſervandum tempus exactum: in his enim plerumque talis ordo naturæ cernitur, ut ex unius effectu, alterius ſequatur effectus, ut ex homicidio ab una directione, mors publica, & infamis ab altera: quamobrem prudenter attendendus & prædicendus prioris directionis effectus.

Cum vero directiones accidunt eodem anno diverſarum ſignificationum, ut directiones Horoſcopi & Medii Cœli; videndum an in aliquo poſſunt convenire, ſive ad bonum, ſive ad malum. Idque audacter prædicendum: ſunt etiam ſedulo ſuppetenda tempora, ut pateat an ſicut in temporibus, ita in effectibus eriam diverſis ſpecie, aliqua ſubordinatio reperiri queat, & ſecundum hoc judicandum: quædam enim directiones interdum accidunt eodem anno pro quodam totali effectu, ſubordinatæ, ut directiones Horoſcopi & Medii Cœli pro inclinatione prava, facinore pravo, carcere & morte judiciaria. Atque ſic de aliis, quod ſi nulla inter ipſas reperiatur convenientia ad aliquem totalem effectum, tunc plane diverſa ſignificabunt.

Quartò: Earum rerum quæ poſt nativitatem accidunt, alias ex improviſo evenire, ut duellum, ſubmerſio, caſus ab alto, alia vero pedetentim, ut ſupremæ dignitates. Ad illas unica directio congrua ſufficit: ad has vero plures requiruntur, ſaltem ſi progreſſio à minimo ad maximum per media, inſigne temporis intervallum popoſcerit. Eſt tamen in rebus humanis aliqua primaria directio, à qua multi ſubſequuntur effectus. Ut ſi fuerit directio Horoſcopi ad ♀ pro inchoatione ſtudiorū, non eſt opus novis directionibus ad ſingulos ſtudiorum particulares progreſſus, ut tranſitum ab una claſſe in ſuperiorem. Similiter ſi quis ex directione Medii Cœli ad □ ♂ domini duodecimæ in octava homicidium perpetraverit, nō eſt opus novis directionibus pro ejus incarceratione & violenta morte, quæ illud ſequentur homicidium, ſed illa ſola ſufficiet quæ omnes illos portendit effectus. Eademque ratione ſi quis ex directione Medii Cœli ad ☉ fiat primus Regni Miniſter, quam plurima bona & dignitates aliæ talem conſequentur primam dignitatem abſque novis directionibus. Hoc autem notandum eſt contra illos qui ſingulorum effectuum dari volunt peculiares directiones, nec advertunt ex aliqua primaria, multos effectus ſequi poſſe, in quibus ad ſummum congruæ revolutionis, vel congrui tranſitus vis elucet.

Quintò: Dum multi Planetæ ſunt in eadem domo, proindeque ad idem genere ſignificatum determinati, ut mihi ♀ ☉ ♃ ♄ & ☽ conjuncti in duodecima, & antecedentes diriguntur ad conſequentes; quilibet promiſſor ſuum ſeorſim & pro ſua natura producit effectum. Idemque dicendum de aliis ſignificatoribus, ſive ſint cuſpides, ſive alii Planetæ, qui ad ipſos Planetas in eadem domo poſitos directè, aut converſè dirigentur, ut expertus ſum in mea geneſi ex directionibus Medii Cœli & Horoſcopi ad Planetas ſupradictos.

Sextò: In effectibus neceſſario futuris ab alieno fato, non requiritur particularis directio ad ipſum effectum, ut pro ſucceſſione, quæ filio, vel fratri contingit ex morte patris, aut fratris, non

neceſſa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

neceſſario requiritur directio congrua in geneſi filii, aut fratris ſuperſtitis: ſed ſufficit quod filius, aut frater ſuperſit. Lex enim cujus beneficio ſucceſſionem accipit, eſt illi fatum inferius generale, æquivalens directioni particulari. At in ſucceſſionibus ab aliena voluntate per electionem, aut ſortem dependentibus, ut Imperio, Papatu, Epiſcopatu, dignitate Cancellarii & ſimilibus, congrua requiritur directio. Talia enim nato accidunt à ſuperiori fato; in quo propterea ſit accidentis cauſa neceſſe eſt. Atque hinc detegitur error inſignis eorum, qui Regum Franciæ nativitates corrigere volunt per coronationis tempus: & Patris mortem præſagiunt ex futuri ſucceſſoris directionibus, regno ſuſcipiendo congruis: ut enim mors patris à proprio fato principaliter dependet, & non à fato filii (niſi morte violenta à filio proprio occidendus eſſet) ita patris ſucceſſio eſt adeo certa filio per patris obitum, ut præter hunc nihil filio ad ſuccedendum ſit neceſſarium: ergo nulla directione ad hoc indiget quamvis tunc congrua contingere queat. Siquidem lex ſola ſucceſſionem confert, nullo alio reſpectu habito. Idemque cenſendum eſt de filiorum ſucceſſionibus in parentum venalibus dignitatibus, quibus naturæ & juſtitiæ ordo pervertitur in Gallia, dum filius ignorantiâ, flagitiis, vel utroque modo plane indignus tali ſucceſſione, ſit aut Conſiliarius, aut Præſes, aut alterius ſimilis dignitatis.

Septimò: Proprii, ſive determinati ſignificatores Patris, Matris, Conjugis, &c. diriguntur pro eorum accidentibus, non ſolum cum nato communibus, ut amoris, odii, contractuum, ſed etiam propriis, ut ſciatur quid illis poſt nati geneſin debeat accidere, ab eorum cum nato per geneſin ejus fatali connexione; non enim aliter id ſciri poteſt ex ipſa nati figura. Sed longe certius id ſcietur ex directionibus propriæ figuræ ipſorum Patris, Matris, Fratrum, Conjugis, &c. ſiquidem cujuſvis hominis accidentia magis pendent à propria natali conſtitutione Cœli, quam ab aliena, vel à proprio fato, quam ab alieno, ſive communi: ſed de his fuſiùs infra dicetur.

Octavò: In directionibus ſignificatorum ad aſpectus Planetarum, vide an natura aſpectus congruat cum natura & determinatione Planetæ cujus eſt talis aſpectus, hoc eſt, an aſpectu exiſtente benefico, Planeta aſpiciens ſit etiam naturâ beneficus, ac in bona Cœli domo: an è contra aſpectu exiſtente malefico, aſpiciens Planeta ſit etiam naturâ maleficus in mala figuræ cœleſtis domo, ſiquidem utrinque ſequetur inſignis effectus, in primo caſu bonus, in poſteriore malus. Ideoque ex directione Horoſcopi ad ☍ ♂ in octava, mors erit prædicenda: tunc ex directione Medii Cœli ad □ ♄ in octava, ob ſuſceptum facinus, eritque eo certior & deterior effectus, ſi Planetæ ſtatus cœleſtis fuerit infauſtus: at ex directione Medii Cœli ad △ ☉ in ſeptima, mulieri conjugium excellens, viro inſignis dignitas militaris erunt prædicenda.

Nonò: In accidente ſignificato à ☌ unius Planetæ cum altero Planeta, vel cum Medio Cœli, non eſt prædicendum accidens à directione unius conjunctorum ad alterum, ſi invicem diſtiterint, niſi habita ratione ætatis nati & naturæ accidentis: ne dignitates, aut matrimonium infanti prædicantur: ſæpeque effectus ab illa directione non producitur, ſed ab aliis, quarum hi termini conjuncti ſunt ſignificator, aut promiſſor: ♀ enim domina ſeptimæ ſequens Horoſcopum duobus gradibus, & matrimonium ſignificans, non illud cauſabit duobus annis poſt geneſim.

Decimò: Dum Horoſcopus dirigitur pro ſuis ſignificatis, temperamento, valetudine, vita, moribus, ingenio, de ſingulis prædicendum eſt juxta naturam atque ſtatum promiſſoris. Eademque eſt ratio de cæteris ſignificatoribus, dum his ſucceſſivè occurrunt diverſi promiſſores: nec ſolum ſpectandus eſt ſtatus promiſſoris in radice, ſed etiam in revolutione. Imo ad tempus quo completur directio, ac promiſſor ipſe ſuſcipit dominium in diviſione temporis; ſtatu quoque ſignificatoris non omiſſo. Et hoc valde notandum eſt in omnibus directionibus, ut arcanum ſcientiæ.

Undecimò: Qui habent promiſſores in angulis, experientur eorum effectus in prima parte vitæ, qui in ſuccedentibus in ſecunda, & qui in cadentibus in tertia & ultima. Quod tamen intellige ratione ſignificatorum eſſentialium anguli figuræ proxime antecedentis: & de his qai perveniunt ad ſenectutem.

Duodecimò: Directio Horoſcopi, per accidens cauſat effectus circa ſignificata decimæ, ut dum dirigitur ad dominum Medii Cœli, vel ejus fortem aſpectum, vel dum dirigitur ad maleficum dominum duodecimæ, unde carceres, vel exilium, ex quibus ſequitur dignitatis amiſſio: ſimiliterque directio Medii Cœli per accidens cauſat effectus circa vitam, vel mortem, ut dum dirigitur ad maleficum, dominum octavæ, vel ejus □, vel ☍. Sicque D. de Chavigny ex directione Horoſcopi ad ♂ dominum duodecimæ fuit incarceratus exul & dignitate privatus: Rex vero Suetiæ ex directione Medii Cœli ad □ ♄ pravè affecti in octava, ſimulque ad corpus ♂ in duodecima occiſus eſt: eademque eſt ratio de cæteris.

CAPUT VI.

De figurarum extractionibus ex figura nati, pro aliis perſonis ad ipſum pertinentibus: Tum directionibus ſignificatorum perſonarum ipſarum, illarumque effectibus.

PErſonæ ad natum ex propria geneſi pertinentes, ſunt Parentes, Fratres, Conjux, Liberi, Servi, Amici, Inimici. Pro his vero perſonis Cardanus Comment. in text. 14. cap. 4. Lib. 3. Ptolemæi, docet cum ipſo figuras extrahere ex genethliaca nati figura, per quas de perſonarum ipſarum fatis judicet Aſtrologus. Ac pro Patre vult interdiu ſumi locum Solis in figura nati, & noctu locum ♄. Pro Matre vero locum Lunæ noctu, & ♀ interdiu: ſimiliter pro uxore Lunæ locum noctu, & ♀ interdiu, ſed pro Marito in figura Mulieris locum ☉ interdiu, & ♂ noctu. Atque ex his locis erigi figuras, ipſa loca ſemper in Horoſcopo figuræ collocando. Ut pro Patre in geneſi diurna ſumit locum ☉, quem ponit in Horoſcopo erigendæ figuræ, ex qua & directionibus Solis ipſius, judicat de Patris accidentibus, ſive fatis, non ſecus ac de fatis nati, ex ejus figura judicium fieri ſolet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Porrò Ptolemæus non diſtinxit ad quam elevationem Poli figura ſit erigenda, Cardanus autem ſemper eam erigit ad latitudinem loci nativitatis, in quocunque loco figuræ nati verſetur ſignificator, ſive Patris, ſive Matris, ſive Conjugis, &c. ſed Junctinus commento in idem caput 4. Lib. 3. doctrinam iſtam pluries aſſerens mirabilem eſſe atque veriſſimã; figuras erigit ſingulas ad elevationem Poli ſupra circulum poſitionis cujuſque ſignificatoris, ſive Patris, ſive Matris, &c. Qua in re minus ſaltem errat quam Cardanus, cujus nativitas, cum ſit nocturna, ponit pro figura ſui Patris Saturni locum in horizonte nativitatis ſuæ, cum tamen ♄ eſſet adhuc ſub horizonte, ſcilicet in domo ſecunda figuræ ſuæ natalitiæ, & Lunæ locum ponit etiam in eodem horizonte pro figura Matris, cum tamen Luna jam eſſet in cuſpide domus duodecimæ ſupra horizontem. Jam vero primum mobile non retrocedit ad Ortum, ut Lunam conſtituat in horizonte, dum autem continuato motu per meridiem, occaſum & imum Cœli, illam reſtituit in horizonte; tunc Luna pluſquam 10 gradibus diſtat à loco Zodiaci quem occupavit momento nativitatis. Quod Cardanus ipſe animadvertens, ait. *Dubitabit aliquis quomodo poſſit Patris ſignificator in aſcendente poni cum non ſit: & cum aderit, vel jam adfuit, loca Planetarum ſaltem Lunæ ſenſibiliter ſunt immutata?* Et reſpondet. *Quod ſicut materia poſita eſt in materia; ita & formæ & cauſæ nati & parentis, ſunt alteræ in alteris poſitæ, abſque temporis illa ſucceſſione*; ſed abſurda eſt hæc reſponſio. Primò enim Cardanus dicat, ubinam materia poſita eſt in materia; hoc eſt, ubinam materia eſt ſubjectum materiæ, contra Philoſophiæ principia? Secundò: Etſi formæ & cauſæ nati & parentis eſſent alteræ in alteris poſitæ; inde tamen non ſequeretur, Saturnum pro patre, & ☽ pro matre ponendos eſſe in horizonte, ubi non ſunt momento nativitatis. Imò quia ſunt alteræ in alteris poſitæ ſine ulla temporis ſucceſſione, ut ipſe vult, potius inde ſequitur, illos eſſe ſpectandos in poſitionum circulis, quos occupent ipſo momento nativitatis, quod ſaltem Junctinus obſervavit. Et Cardanus Aphor. 54. Segm. 2. id quidem obiter præcepit ſaltem pro filiis, ſed non obſervavit.

Cæterum tam Junctinus, quam Cardanus poſt Ptolemæum & alios Veteres in hoc potiſſimum errant, quod figuras illas extrahant per tales ſignificatores univerſales, quos Cardanus vocat ſecundum ſubſtantiam, & quorum vanitatem jam toties oſtendimus. Judicia enim deſumpta ex talibus figuris & ſignificatoribus horumque directionibus, non poſſunt non eſſe erronea: tùm ex dictis cap. 13. Sect. 2. Lib. 21. Tum quia inde ſequeretur, quod pro ſingulis viris Lutetiæ eodem die artificiali natis, (quorum non eſt exiguus numerus) eadem omnino prædicenda eſſent de ipſorum matre & uxore per figuram extractam, quarum (ut volunt) interdiu Venus eſt ſignificatrix univerſalis: eadem enim eſſet pro utriſque figura: & pro ſingulis mulieribus natis interdiu, eadem prædicenda eſſent de patre & marito, quorum Sol eſt ſignificator. Hæc autem rationi & experientiæ contrariantur.

Secundò: Si valent hæ figuræ ad judicandum per ſingulas domos de rebus ad Patrem pertinentibus, ut de rebus nati per figuram nati: & ſerviant etiam ad judicandum de Matre, fratribus, conjuge, filiis, &c. ut Cardanus ait ibidem: ergo valebunt ad judicandum de Patre Patris, ſeu Avo nati: ſiq; tam in nati figura genethliaca, quam Patris extracta, Sol fuerit ſub Terra (ut accidit in figura Cardani) ergo tam pro Patre quam Avo, eadem erit figura, per Saturnum in Horoſcopo & eodem etiam poſitionis circulo pro utroque. Quare de Patre ac Avo eadem erant prædicenda, quoad mores, fortunæ ſtatum, mortiſque tempus. Imo de Avo, Abavo, Atavo, &c. uſque ad Adamum ſi viverent, eadem eſſent prædicenda; quia pro omnibus unica & eadem eſſet figura cum ♄ in Horoſcopo, quod opinari perabſurdum extat. Econtra vero per hanc Patris figuram de liberis ejus judicando, non ſolum extrahetur liberorum figura, nati figuræ propriæ contraria, tum liberorum figuræ ex Patris figura genethliaca depromptæ, ſed etiam quæ pro filiis filiorum ad finem Mundi eadem eſſe poſſit, proindeq; illis eadem præſagire, quod etiam abſurdũ eſſe nemo non videt.

Tertiò: Ex figura nati erigendo figuram Patris, & ex hac figura Patris, rurſus figuram filii; & ex hac iterum figuram Patris, daretur circulatio prorſus nugatoria.

Quartò: Quod in mulieris nativitate diuturna, quo anno Pater ejus morietur per directionem Solis ad ♂, eodem etiam Maritus morietur, vel ſaltem quanto tempore poſt mulieris geneſim, morietur Pater, tanto poſt conjugium morietur Maritus, vel iis accident morbi vulnera, &c. quod etiam contrariatur experientiæ. Quod ſi dixeris Patris & Mariti proprias figuras genethliacas eſſe inſpiciendas, an hæ cum illis concordent, aut diſcordent pro morte, morbo, &c. vana erit reſponſio, nam ſi concordent, videtur earum altera eſſe ſuperflua. Nunquid erit propria Patris, aut Mariti? ſi vero diſcordent, nunquid credetur potius hiſce figuris extractis quam propriis, per quas Pater & Maritus propriorum fatorum impreſſionem à Cœlo ſuſceperunt: præſertim cum illa figurarum extractio per ſignificatores univerſales rationabili fundamento careat, ut jam ſæpius dictum eſt.

Et quamvis Cardanus illas figuras probare conetur, nempe figuram ſui Patris facit Cardani, per directionem Lunæ (quam male vult eſſe Apheram in illa figura) ad ☍ Solis pro morte ipſius Patris, in annis 23 poſt ipſius Cardani geneſin: tamen illudit Lectoribus incautis, harumque rerum ignaris. Siquidem aſcenſio obliqua ♄ ad latitudinem loci nativitatis 45 graduum, eſt 57 grad. 33′. ſervata nempe latitudine ♄, quam Cardanus perperam hic omittit. Ex quibus ablatis 90 gradibus, ſuperſunt 327 grad. 33′. pro aſcenſione recta Medii Cœli: quæ detracta ab aſcenſione recta Lunæ cum latitudine, 344. grad. 49′. reſtant 17 grad. 16′. diſtantiæ Lunæ à Medio Cœli: cum qua & Lunæ ipſius declinatione 11. grad. 21′. habetur altitudo Poli ſupra circulum poſitionis Lunæ, 20 graduum. Ad quem aſcenſio obliqua Lunæ eſt 348 grad. 57′. & aſcenſio obliqua ☍ Solis 368 gr. 12′. A qua illam detrahendo, ſuperſunt 19 grad. 15′. pro directionis arcu, non æquivalente annis 20; errat ergo Cardanus pluſquam 3 annis.

At in figura extracta ſuæ Matris Claræ Micheriæ, longe gravius errat, ob Lunæ (quam ponit in Horoſcopo) omiſſam latitudinem, quæ eſt 4 gr. 20′. Merid. Luna enim, hoc eſt, Horoſcopus pervenit ad ☍ Solis, vel Sol ipſe ad Occaſum in annis 9 & non 20, ut voluit Cardanus, pro hiſterica paſſione fere lethali ipſius Matris. Vult autem Solem dirigi ad ☍ Martis in annis 36 à ſua geneſi pro morte Matris, cum tamen pervenerit in annis 43 ad illam ☍. Ex

quibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

quibus patet evidenter, quid de Cardani doctrina, ejuſque probatione ſciendum ſit.

Attamen certum eſt, multa prædici de Patre, fratribus, conjuge, liberis, &c. ex ſola nati figura. Probat enim experientia, quod malefici ♄ & ♂ in tertia, vivente nato, fratres & ſorores præmorituros ſignificent: in quinta liberos, in ſeptima conjuges, &c. imo dominus tertiæ in decima, fratribus, & dominus quintæ in duodecima liberis mortem minantur, ut ſæpius obſervavi, quod, ſcilicet, decima ſit octava reſpectu tertiæ, & duodecima ſit octava reſpectu quintæ, quæ eſt liberorum: idemque à ſimili cenſendum de aliis perſonis. Cum ſigna & Planetæ circa ſingula figuræ natalis ſignificata ad natum relata, determinentur eodem generali modo, à nobis Lib. 21. fusè expoſito: ergo, ut Horoſcopus ejus dominus & Planeta in prima determinantur circa nati vitam, mores, ingenium, & circa hæc ſignificant, nec non pro illis diriguntur: & de Medio Cœli ejus domino & Planeta in decima pro honoribus & actionibus ſimiliter: igitur imum Cœli, ejus dominus & Planeta in quarta, ſimili ratione determinati circa Parētes nati, etiam circa hos ſignificabunt: ac ſi dirigendi ſint, pro illis tantum dirigi debent, non autem pro aliis ad quæ non determinantur. Eademque eſt ratio de fratribus, conjuge, liberis, ſervis, amicis: conſiderando ſemper tres illos ſignificatores ejuſdem rei, cuſpidem, ejus dominum, & Planetam in domo cuſpidis, ſi totidem reperiantur diſtincti ſignificatores, cum obſervatione appoſita in fine capitis 3. Sect. 1. Hæc enim generalis doctrina ſibi & experientiæ maximè conſentit.

Porro dum hi ſignificatores diriguntur, ſive ſint cuſpides, ſive Planetæ, horum quæritur circulus poſitionis, velut eorum horizon proprius, & ſuper hunc altitudo Poli, quaſi ad hunc horizontem figura nova eſſet extruenda. Attamen ſciendum eſt quod ſignificatores ipſi duplicem habent relationem. Unam ad natum, quatenus huic aliqua ſignificant accidentia circa tales perſonas, hoc eſt, in illis, ab illis, cum illis, vel per illas. Alteram ad ipſas perſonas, quatenus his peculiaria ſignificant accidentia, ut honores, divitias, citam mortem, vel his contraria. Ratione prioris, circulus poſitionis duntaxat inquiritur, ut ſciatur arcus directionis inter promiſſorem & ſignificatorem interjectus pro tempore accidentis, nato & tali directione futuri, circa parentes, ſi ſignificator fuerit parentum, aut circa fratres ſi fuerit fratrum, &c. De ipſo accidēte juxta regulas à nobis præſcriptas judicando, ſine ulla domorum figuræ, circulo huic, vel horizonti convenientis conſideratione. At ratione poſterioris, figura ipſa extrui poteſt ad illum horizontem, ut ex ea pateant perſonarum ipſarum accidentia peculiaria, prout infra exponetur.

Sed rurſus quæri poteſt, utrum pro judicio generali de Patris ſtatu plures figuræ ſint erigendæ, & examinandæ? nimirum per cuſpidem quartam, per ejus dominium, aut plures dominos quartæ; nec non per Planetas in domo 4 verſantes, horum unoquoque poſito pro Horoſcopo in ſuo circulo? an vero unico ſit erigenda figura, & per quem ex illis ſignificatoribus? Pluralitas enim figurarum, certo confuſionem pariet, cum & Quadrante & Diametro Cœli inter ſe differre queant: unica autem figura idem tantum ſignificabit Patri atque Matri, vel omnibus uxoribus, vel omnibus fratribus, vel nato circa ſingulas haſce perſonas, quod aliud videtur inconveniens.

Mihi autem hanc difficultatem attentè ſpectanti videtur unicam erigendam eſſe figuram ad generaliter judicandum de ſtatu Parentum, vel fratrum, vel uxorum, vel filiorum: eamque per cuſpidem propriam perſonis ipſis, & non per Planetas dominos, aut in domo propria collocatos.

Ratio eſt quia Aſtrologiæ ſcientia debet eſſe uniformis: atqui de nato non fit generale judicium ex figura erecta per Planetam qui momento nativitatis fuit dominus Horoſcopi, aut in prima domo: ſed duntaxat ex figura erecta per Eclipticæ, vel Æquatoris punctum horoſcopantem momento nativitatis: etſi dominus Horoſcopi & Planetæ in prima, dirigantur pro accidentibus nati ad primam domum pertinentibus, ſicq; valeant non ad univerſale, ſed ad particulare judicium. Idem ergo faciendum eſt pro Patris figura, quæ erigetur per cuſpidem 4 ad judicandum generaliter de ſtatu parentum: Dominus vero cuſpidis ipſius, hoc eſt, Horoſcopi figuræ erectæ, duntaxat erit dirigēdus pro valetudine & vita parentum. Probatur ſecundò: Quia dominus cuſpidis quartæ non habet vim in parentes, niſi ratione ipſius cuſpidis, vel gradus Eclipticæ hanc occupantis: ergo ipſi gradui vis major ineſt circa parentes: Nam *propter quod unumquodque tale, & illud magis*. Probatur tertiò efficaciſſimè: Quia maleficus in domo duodecima figuræ nati, mortem portendit ejus liberis, in undecima parentibus, in decima fratribus, ut ſæpius obſervavi. Hujus autem ratio eſt, quia domus duodecima nati, eſt octava reſpectu quintæ, quæ eſt liberorum ejus, ideoque erectâ figurâ per cuſpidem quintam pro liberis, maleficus ille cadet in octavam: ſimiliterq; domus undecima nati eſt octava reſpectu quartæ: & domus decima, etiam octava reſpectu tertiæ, quod vere arguit figuras perſonarum ipſarum erigendas eſſe per cuſpides ad quas ipſæ perſonæ pertinent, & non per Planetas dominos, in his enim ſimilis ſignificatio non reperietur.

Ad id vero quod ſuperius objiciebatur: Abſurdum eſſe unicam figuram eadem ſignificare ſingulis perſonis ejuſdem ordinis, ut ſingulis uxoribus, liberis, fratribus, vel utrique parenti. Reſpondeo, figuram ipſam non ſignificare ſingulis perſonis ipſis disjunctim, vel particulariter, ſed omnibus conjunctim ac univerſaliter. Significatum autem hoc univerſale determinari à ſingulis conſtitutionibus natalibus perſonarum ipſarum, pro cujuſque ſympathia, vel antipathia cum figura nati, & figura extracta, ſive pro parentibus, ſive pro fratribus, &c. ſique Patris ambæ figuræ, genethliaca nempe & extracta infortunentur, certum erit quod Pater ab illa figura extracta fiet infortunatior, ſic de aliis. Attamen ſexus ſigni, vel Planetæ domum quartam occupantis in figura nati, ſexum parentis præcipuè ſignificati, utcumque diſtinguet.

Inde vero ſequitur, quod ſi eidem Patri plures fuerint liberi, ejus fata liberorum generationem ſequentia promovebuntur, à ſingulorum genituris, prout ſingulæ Patris figuræ ex ipſis genituris extractæ, erunt concordes, aut diſcordes cum figura natali ipſius Patris: atque idem de Matre cenſendum eſt. Tum de nato qui plures fratres, aut plures uxores habiturus eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Cæterum hic nobis dirimenda videtur difficultas totius Aſtrologiæ ni fallor maxima. Utrum nempe figura, vel cœleſtis conſtitutio nati, agat in parentes, fratres, conjugem, &c. quam nec Lucius Bellantius contra Picum, nec Junctinus Libro ſupra citato ſolvere potuerunt. Eſt autem adhuc multo difficilius effari, quomodo nati conſtitutio cœleſtis agat in fratres, conjugem, amicos, ac inimicos: ſiquidem inter has perſonas & natum nulla eſt ſubordinatio naturalis quæ ſaltem inter parentes & liberos reperitur. Junctinus Libro ſupra citato, vult natalem conſtitutionem filii ſe habere, ut particularem, & conſtitutionem natalem Patris, ut univerſalem, quæ convertit in ſe particularem. Aitque patrem gignendo filium, huic imprimere aliquid ſuæ conſtitutionis cœleſtis: idque poſtea cognoſci in nativitate filii. Et ideo nativitatem filii nos ducere in notitiam patris, non ut cauſam, ſed ut ſignum: non enim efficit fata patris, ſed ſignificat.

Verum multas hic accumulat difficultates quarum nullam ſolvit. Primò enim cauſa univerſalis & particularis non ſunt ejuſdem ordinis, ſed illa ſuperioris, hæc inferioris: veluti Sol reſpectu hominis, in generatione alterius hominis, annua Mundi revolutio, reſpectu Lunationum; figura nativitatis, reſpectu revolutionum: at conſtitutiones cœleſtes patris & filii, ſunt ejuſdem ordinis, hoc eſt, neutra alteri inferior, etſi una ſit altera tempore poſterior.

Secundò: Quid ſibi vult Junctinus dicens conſtitutionem Patris, ut univerſalem, convertere in ſe particularem filii? Nulla enim fit converſio unius in alteram, ſed utraque manet id quod ipſa eſt. Quod ſi per convertere intelligit determinare; jam particularis, ſive poſterioris eſt, determinare univerſalem, ſive priorem, non contra: ut patet in Lunationibus reſpectu annuarum Mundi revolutionum, & annuarum nati revolutionum, reſpectu figuræ genethliacæ.

Tertiò: Si Junctinus aſſereret per id quod imprimitur filio, cognoſci patrem, valeret argumentum: Etenim verum eſt quod pater aliquid imprimat filio, ut ejus cauſa efficiens: ſed vult cognoſci patrem, per cœleſtem filii conſtitutionem, in quam nulla facta eſt ab ipſo patre, nec fieri poteſt impreſſio. Non igitur ſolvit quas hic difficultates excitat.

Lucius Bellantius econtra vult figuras poſteriores, ut filiorum, determinare, juvare, impedire, vel modificare figuras priores, ut patrum. Non circa omnia patris fata, ſed circa aliqua, hoc eſt, geneſin ſequentia: quod Junctinus fatetur ſe non intelligere, quomodo id fieri poſſit. At poſtea idem Bellantius planè contrarium aſſerit, vultque effectus ſequentium figurarum juvari, impediri, augeri, vel minui à prioribus.

Quoniam vero neuter ſatisfacit, Nobis conandum eſt nodum hunc ſolvere, ut ſequitur. Cœleſtis conſtitutio patris eſt cauſa patris ejuſque fatorum, ſive accidentium, de communi conſenſu Aſtrologorum, & pater eſt cauſa filii: ergo cœleſtis conſtitutio patris, eſt cauſa filii, juxta vulgare axioma, *quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſati cauſa*. Quamobrem conſtitutio Patris quodammodo concurrit ad liberos, etſi mediante patre. Hoc autem poſito eos ſibi aſſimilabit quantum poterit, hoc enim commune eſt cauſis omnibus: & per hanc aſſimilationem prout eſt in nato, aliqua detegetur licet obſcura ſimilitudo nati cum tali cauſa. At ipſe natus habet immediatè à propria figura quod talis ſit, & manifeſtam cum ipſa figura ſimilitudinem, ut Aſtrologis notum eſt: ergo debet inter patris & filii figuras eſſe aliqua, aut ſimilitudo, aut fatalis connexio; ex qua etiam verus nati pater agnoſcitur: ideoque inter illarum effectus, qui ſunt pater & filius, idque tam in fatis perſonalibus quam extrinſecis. Sed pro filio longe prævalet propria ejus conſtitutio, à qua immediatè ſuſcepit fatorum ſuorum impreſſionem: non ergo hæc à patris conſtitutione convertitur, aut determinatur, ſed contra. Atque ſic puto ſatisfactum eſſe difficultati, ſaltem pro ſubordinatis conſtitutionibus & perſonis, quales ſunt pater & filius.

Verum hoc non ſufficit. Non enim tantum quæſtio eſt de parentibus & liberis, ſed de fratribus, conjuge, ſervis, amicis, inimicis, inter quos & natum nulla eſt naturalis ſubordinatio, & tamen de his fiunt prædictiones veræ ex figura nati. Quid ergo pro his dicendum eſt? Profecto ad aliquid unvierſale recurrendum, quod tam his quam illis accomodetur, ſeu commune ſit.

Dici poſſet à nonnullis quod Deus cujus providentiæ ſerviunt Cœli & omnia, natum edit in lucem per naturales cauſas, eo momento diurnæ revolutionis Cœli, quod aſtrorum poſitu tam in Cœlo quam in figura genethliaca, nati temperamento moribus, ingenio, tum fatis propriis & communibus cum patre, matre, fratribus, conjuge, liberis, &c. magis congruat: ac per conſequens talis conſtitutio ſignificat ipſi nato, parentibus, conjugi, &c. verum conceſſa Divina Providentia, quam nihil eorum quæ fiunt in Mundo ſubterfugit, & Deum agere per cauſas naturales, vel cum ipſis, quæretur ſemper, à qua cauſa naturali & quomodo, nati propria & cum aliis perſonis communia fata cauſentur? Cui quæſtioni congrua reſponſio deſideratur.

Dicetur ab aliis quod conſtitutio cœleſtis eſt ipſi cauſa quod tales habeat parentes, fratres, conjugem, liberos, &c. eumque paſſivè ſubjicit talibus accidentibus. At prout illa conſtitutio refertur ad alias perſonas, ſignum eſt duntaxat quod tales futuræ ſint moribus, vita, fortuna, & conſenſu cum nato, ut genethliaca conſtitutio eſt nato cauſa quod nubat Nobili, diviti, aut pulchræ mulieri: natum enim huic accidenti paſſivè ſubjicit: at quod mulier ipſa Nobilis, dives, aut pulchra ſit, cauſa non eſt figura nati, non enim talem efficit mulierem nato plerumque vetuſtiorem: ergo eſt tantum ſignum. Similiter quod natus habeat amicos Reges & Principes, cauſa eſt ipſi nato ejus cœleſtis conſtitutio: ſed hæc amicos non efficit Reges: ergo horum reſpectu non erit cauſa, ſed ſolummodo ſignum: eademque eſt ratio de cæteris. Quamobrem de conjuge, liberis, ſervis, amicis, videtur non eſſe quærendum ex nati figura quales illi futuri ſint ſexu, forma, indole, fortuna, & cæteris accidentibus ſibi propriis, ſed tantum quales futuri ſint reſpectu nati, ut an ſervi, vel amici, fideles, aut utiles futuri ſint, &c. at ne quidem hoc omnino ſatisfacit. Si enim figura nati ſit ſolummodo ſignum talis futuræ conjugis, vel amicorum: ipſum vero ſignificatum, hoc eſt, tale conjugium, ſit aliquis effectus qui ſua cauſa carere non poteſt, quænam erit ejus cauſa effectrix? Præterea patris natalitia figura non eſt tantum ſignum reſpectu filiorum, quod nēpe ſint tales vita, moribus, & fortuna, ſed eſt etiam cauſa, ut dictū eſt ſuperius: quippe quod pater juxta ſuam ab aſtris ſuſceptam conſtitutionē generet: hic ergo deſideratur adhuc illud univerſale quod omnibus accōmodetur.

Hiſce autem quanta mihi licuit attentione circumſpectus, arbitror tantam difficultatem ſic eſſe enodandam. Nimirum genethliacam nati conſtitutionem in rei veritate illum ſubjicere, tum propriis fatis, vel accidentibus, vitæ, morum, ingenii, actionum, profeſſionis, divitiarũ, &c. tum communibus cum aliis perſonis, juxta ipſius figuræ robur & qualitatem. Fata autem nati propria ſunt ab ejus geneſi primò & per ſe: at communium duplex eſt genus: nimirum propriè communium quæ à nato cum altera perſona participantur æqualiter, ut duellum, amicitia, conjugium, lis, &c. & impropriè communium, quæ à nato cum altera perſona non participantur æqualiter, ut fratrum, parentum, uxoris, vel filiorum mors ante natum, vel infortunium amicorum. Hæc enim accidentia nato ſunt in hoc communia, quod morte parentum, fratrum, conjugis, perdat aliquid: nimirum perſonas ipſas ad ſe pertinentes, ut relata ſecundum eſſe. Jam vero in accidentibus primo genere communibus, ut quod natus pulchram uxorem ducturus ſit, tria ſunt attendenda: nempe natus ipſe, uxor ducenda, & amborum conjugium. Quod natus pulchram ducturus ſit uxorem, cauſa eſt nati geneſis, ipſum huic accidenti efficienter ſubjiciens; quod autem uxor ſit pulchra, hujus non eſt cauſa figura, plerumque poſterior tempore, ſed eſt ſolummodo ſignum: pulchra enim ſit à propria geneſi, ut cauſâ per ſe. At quod ambo nubant, vel liberè, vel invitò, hoc facit conſenſus aſtralis figurarum genethliacarum ad talem effectum, ut jam diximus Lib. 21. Sect. 2. c. 13. neutraque figurarum id ſeorſim efficit, ut enim nato talis ſignificatur uxor, ita viciſſim ipſi uxori ex propria geneſi talis maritus. Quod autem hanc, vel illam numero pulchram uxorem ducturus ſit natus, non patet in ejus figura, humano ſaltem ingenio. Proindeque rectè dicitur in Centiloquio, *quod ſoli numine afflati prædicant particularia*. Quippe Dæmones ſciunt non modo figuram nati, ſeu etiam pulchræ mulieris cum illius geneſi magis conſentientis, & circumſtantias loci, proſapiæ, &c. nec tamen propterea certo ſciunt, an natus hanc ducturus ſit, quippe quod individuorum concurſus arcanæ Dei Providentiæ ſubjiciatur. Sed quia Dæmones ordinariæ Dei Providentiæ, per cauſas ſecundas explicatæ praxin in rebus ſaltem naturalibus diligenter obſervant, inde fit, ut perſæpe ſubtili conjecturâ ad individuorum effectuum prænotionem colliment: ſicque futuri mariti nunquam antea viſi veram ſpeciem, vel imaginem in ſomno, vel ſpeculo, vel aliter repræſentent virginibus, in hunc finem ſuperſtitiones quaſdam celebrantibus, ut inſignis formæ ac ingenii Duciſſa quædam, ſibi accidiſſe mihi narravit: eademque & eſt ratio de cæteris.

At in accidentibus ſecundo genere communibus, ut quod uxor, liberi, aut fratres ſint præmorituri, vel exaltandi: equidem figura natalis perſonæ cui tale bonum, aut malum accidit, cauſa eſt principalis & per ſe illius accidentis; figura vero nati tantum ſignum, vel ad ſummum cauſa per accidens, quatenus nempe natus à propria figura paſſive ſubjicitur talibus accidentibus, in quibus, aut deperdit, aut acquirit aliquid, proindeque fortunio, vel infortunio afficitur circa tales perſonas: cujus paſſivæ ſubjectionis & affectionis in nato, ejus figura eſt ei cauſa per ſe. Quamobrem effectus eſt etiam, ut ſupra à communi conſenſu figurarum, quo hæ in illum influunt: proindeque omnia nato cum aliis perſonis communia accidentia, ſunt efficienter à communi conſenſu figurarum ad illa accidentia. Id vero inde patet, quia quo fortius illa ſignificantur in figura nati, eo certius futura ſunt perſonis ipſis: quod certe arguit nati figuram aliquid influere in effectum communem. Adde quod cum effectus ſit à communi ſignificatione & conſenſu figurarum, neceſſe eſt utramque in illum influere. Ex quibus patet figuram nati ſe habere, ut ſignificatricem & cauſam univerſalem eorum omnium quæ ad natum ipſum pertinent, ſive ſint ei propria, ſive cum aliis perſonis communia: in communibus vero illam determinari à propriis aliarum perſonarum figuris, more cauſarum univerſalium. Atque hæc eſt mea circa difficultatem iſtam ſententia, quâ ſi quis meliorem dederit, lubenter amplectar.

Quæri vero poteſt, an quæ nato ſignificantur circa parentes, conjugem, liberos, ſervos, &c. aut in illis, vel ab illis, vel è contra, quæ perſonis ipſis ſignificantur à nati figura, ſemper futura ſint?

Reſpondeo primò: Eo certius futura eſſe, quo fortius in figura nati ſignificantur, & eo incertius, quo debilius ſignificantur. Secundo: Non ſemper ac neceſſario futura eſſe, ſed tantum, ut plurimum & contingentur. Nam ſignificata non accident, quin dentur illæ perſonæ & ad effectum concurrant active, vel paſſive. Quod vero dentur nulla eſt cauſa neceſſaria, ſed contingens duntaxat: ideoque non neceſſaria, ſed hypotetica tantum & conjecturalis prædictio de his fieri poteſt. Veluti ſi cuipiam ab uxore infortunia fortiter ſignificentur; is ſi uxorem duxerit, talia valde probabiliter patietur, ſic de cæteris. Concurſus autem contingentium, eſt ab arcana Dei Providentia, etiam per cauſas ſecundas, ac præſertim univerſales, quales ſunt cauſæ cœleſtes, particularia Sublunaria ſibi ſubjicientes.

His ita determinatis, jam ſequentes notentur regulæ generales.

Prima: Quoniam ſuperius dictum eſt cuſpidem quartam, ejus dominum, tum Planetas in quarta eſſe parentum ſignificatores: ergo ſi dominus cuſpidis, vel alter Planeta fuerit in ipſa cuſpide, conſurget inde ſignificator unus multo efficacior, ſive ad directiones pro nato, ſive ad figuram novam pro perſonis ipſis, quam ſi cuſpis & dominus ejus diſtinguerentur, & ſeorſim ſpectarentur: *Virtus enim unita fortior eſt quam diſperſa.*

Secunda: Si ſignificatores diſtincti fuerint, pro parentibus, vel uxore, &c. ſingulorum circulus poſitionis erit inveniendus, & directiones ſingulæ pro nato inſtituendæ. Ex his enim & ſpeculo aſtrologico pro aſpectibus, accidentia particularia nati circa illas perſonas, indeq; harum fata propria amplius & evidentius patebunt, at in figuris per cuſpides erectis, ipſarum perſonarum accidentia propria ſcientur, ſaltem generali ratione, in figura nati contenta.

Tertia: Quoniam ☉ & ♄ ſunt analogi Patribus & Maritis, Luna & ♀ matribus & uxoribus, ♃ & ☿ fratribus & liberis, ♄ & ♂ hoſtibus, &c. (quilibet enim Planeta dicitur eis analogus quæ confert, non eis quæ aufert) idcirco proprii parentum, fratrum, &c: ſignificatores per determinationem prout ſe habent ad illos analogos, maximè conferunt ſignificatis ipſarum perſonarum. Indeque forſan factum eſt, ut pro primariis veriſque ſignificatoribus olim ſint habiti: præſertim quod analogi, ſi etiam determinati fuerint, maximos præ aliis edunt effectus, circa perſonas ipſas.

Quar-

Quarta : Cum plures Planetæ fuerint in eadem domo quarta, ſeptima, &c. attende quis illorum ſit fortior in ipſa domo, aut cuſpidi propinquior, aut ejus ſignificato analogus, illumque elige pro principali inter Planetas ſignificatore : Dominum vero domus ne deſpice; hi enim aliis ſunt potentiores.

Quinta : Singuli ſignificatores parentum, conjugis, liberorum, &c. ſignificant duntaxat generaliter pro illis perſonis, & non quilibet ſignificator pro qualibet perſona. Nam eſt tantum unus nati pater, & una mater, quibuſcum naturalem habere poſſit connexionem; & tamen poſſunt eſſe 5, vel 6 parentum ſignificatores, nempe cuſpis, quarta, duo, vel tres domini quartæ & 3, aut 4 Planetæ in quarta. E contra verò poſſunt eſſe 15, aut 20 fratres, aut liberi : nec tot eſſe queunt horum, vel illorum ſignificatores : ergo, ſive unicus ſit parentum ſignificator, ſive plures ſint, generaliter tantum ſignificare queunt; tam nato circa parentes, quam parentibus ipſis, ſaltem prout ad propria perſonarum ipſarum fata referuntur. Quo autem plures fuerint ſignificatores, eo plura ſignificabunt circa parentes, fratres, &c. Attamen Planeta qui ſexu & analogia cum patre magis conveniet, potius ſignificabit patri, & qui cum matre, matri. Eademque eſt ratio de fratribus, liberis, ſervis, &c. in quibus Planetarum & ſignorum ſexus erit admittendus, pro perſonarum ſexu diſcernendo.

Sexta : In figura pro parentibus erecta, non quærentur Patris, aut Matris fata propria per domos ſingulas, in divitiis, fratribus, parentibus, liberis, &c. etſi Cardanus id velit. Nam figura ipſa non eſt unius tantum perſonæ, ſed plurium, nimirum Patris & Matris, ideoque ambobus communis, neutrique propria: quamobrem de fatis ipſorum duntaxat univerſaliter ac promiſcue erit pronunciandum ex illa figura. Præcipue tamen attendendus erit Horoſcopus ejuſque dominus. An, ſcilicet, hic ſit in ſeptima, octava, decima, &c. ipſius figuræ : & ſecundum hoc judicabitur generaliter de parentibus, ut ſit in figura nati, nam ſi in illa figura dominus Horoſcopi, fuerit in quinta; habebunt parentes, vel eorum alter alios liberos : ſi in ſeptima, habebunt lites, vel alter iterum nubet : ſi in octava, morientur ante natũ, &c. neque in ipſa figura fient directiones pro particularibus accidentibus alterius ipſorum parentum, ut conjugio, liberis, dignitatibus, morte, velut in figura nati : id enim eſſet propria & particularia fata eruere ex figura communi, quod ſupra rejectum eſt. Idemque dicendum de conjuge, fratribus, &c. tantum igitur fient directiones ipſorum ſignificatorum, pro nati particularibus accidentibus circa illas perſonas, ex quibus conjectura quadam generali, quid ipſis futurum ſit eluceſcet, ut ſuperius dictum eſt: vel ad ſummum pro accidentibus ipſarum perſonarum duntaxat promiſcuè & univerſaliter, niſi ipſarum diſcretio aliunde innoteſcat, ut ex ſigni, vel Planetæ cuſpidem occupantis ſexu.

Septima: Inter ſignificatores perſonarum, ſcilicet, parentum, conjugis, fratrum, &c. cuſpis eſt primarius ſignificator, ut patet etiam in nato, quem Horoſcopus primario ſignificat. Attamen dici nequit, quod judicandum ſit de ſingulis perſonis ejuſdem ordinis (ut de ſingulis fratribus) ex unico ſignificatore, ſive is fuerit cuſpis, ſive Planeta. Alioquin idem eſſet nato prædicendum à ſingulis ſuorum liberorum, aut fratrum, vel ſi ex figuris extractis prædicerentur fata perſonarum, eadem eſſent fata ſingulorum fratrum, ſive liberorum, aut patris & matris, aut ſingularum uxorum, quod in figura nati non mutentur harum perſonarũ ſignificatores. Hoc autem eſt contra experientiam. Cum igitur figurarum pro parentibus extractarum pluralitas ſuperiùs à Nobis rejiciatur; dicendum ſupereſt, ſingulos parentum ſignificatores, duntaxat generaliter, ac promiſcuè ſignificare utrique parenti : quodque figura nati, & quæ ex hac deducuntur, ſe habent, ut materia, vel aliquid univerſale reſpectu aliarum perſonarum, ſed harum propriæ, ut forma particures. Nati enim figura ſignificat tantum generaliter bonum, aut malum parentibus, conjugi, liberis, &c. ratione ſtatus ſignificatorum; ac generale hoc ſignificatum confirmatur, vel infirmatur à cujuſq; geneſi propria, atque hæc vincit ſi ſibi contrarientur. At ipſi nato ſignificat particulariter quæ ipſi futura ſunt circa illas perſonas, ut ſuperius dictum eſt.

Octava: Omnes directiones ſignificatorum incipiunt à geneſi nati: & non directiones pro conjuge, à tempore quo ducit uxorẽ, directiones pro liberis à tempore quo incipit habere liberos: nam vis directionum imprimitur non Patri, conjugi, liberis, fratribus, &c: ſed nato, per primam revolutionem naturalem & continuam, quæ fit à momento nativitatis. Et ratione illius impreſſionis, omnes directionum effectus, ad natum primo & per ſe pertinent ac referendi ſunt, ut particulares effectus illi contingentes, circa ſubjecta ſignificatorum quorumcunque, ſive patris, fratrum, conjugis, &c. Atq; idcirco dum ſeptima cuſpis dirigitur ante conjugium nato nondum nubili, tantum circa hoſtes atque lites ſignificat, aut circa contractus: at nato nubili, ſignificat an nubet necne, tum circa hoſtes, lites contractus, & per ☍ circa vitam. Poſt conjugium vero dirigitur pro accidentibus circa uxorem, lites, hoſtes, contractus, & mortua uxore dirigi poteſt pro nova uxore: ſed ſemper promovendo cuſpidem ſeptimam, aut ejus dominum per directiones ad alios promiſſores: alioquin ſignificarentur eadem accidentia cum ſingulis uxoribus & æqualibus temporis intervallis à momento conjugii cujuſque, ſi pro ſingulis cuſpis ſeptima, vel ejus dominus dirigendi eſſent ad ſibi proximè ſequentes promiſſores.

Nona : Maximè neceſſarium eſt unicuique, noſſe figuras natalitias eorum, quibuſcum aliqua connexione ſociatur, ſive ſint parentes, ſive fratres, ſive conjux, ſive liberi, ſive ſervi, ſive amici, ſive inimici: ut harum cum ſua figura conſenſum ad bonũ, vel malum, aut diſſenſum intelligat, proindeque quibus fidendum & à quibus ſperandum, aut à quibus metuendum ſit pro ſua ſalute ac utilitate prævideat.

Circa prædicta objici poteſt: Quod directiones ſignificatorum Patris, Conjugis, Fratrum, &c. factæ pro particularibus nati accidentibus circa illas perſonas, debent eſſe æquè certæ, ac directiones Medii Cœli pro ſignificatis decimæ domus in figura nati, aut domini ſecundæ pro divitiis, &c. Eadem enim eſt ratio generalis ſingulorum ſignificatorum figuræ natalitiæ. At directiones Medii Cœli ſunt in ſuis effectibus certæ; ergo & illæ: ſed illæ nequeunt eſſe certæ, quin æque certo ſciantur particularia ipſarum perſonarum fata; ſunt enim his & nato communia: dum enim uxor nati moritur, natus ipſe ſuam amittit uxorem propriam : ergo per directiones ſciri queunt fata particularia perſonarum ipſarum.

Sed reſpondeo, falſum eſſe, quod directiones ſigni-

gni-

gnificatorum Patris, Conjugis, &c. ſint æque certæ in ſuis effectibus, prout perſonas ipſas particulariter, aut communiter involvunt, ac directiones Medii Cœli, pro ſignificatis decimæ domus. Nam parentes habent proprias figuras genethliacas, quibus magis ſubjiciuntur, quam figuræ nati: at ſignificata decimæ domus non habent propriam figuram, aliam à figura nati, ideoque huic magis ſubjiciuntur quàm ipſi parentes, aut conjux, &c. ac præſertim pro accidentibus impropriè communibus ipſi nato, ut pro morte uxoris, vel patris.

Eſt autem ſedulo notandum, quod dum hic loquimur de fatis nati aliarumque perſonarum ad ipſum pertinentium, ut Patris, fratris, conjugis, hoſtium, &c. intelligimus tantum de fatis prædicendis ex directionibus ſignificatorum ipſorum, vel figuris extractis; non autem de aliis quæ generaliter prædicuntur ex Planetis ſignificatoribus perſonarum, quatenus ſunt in hac, vel illa domo figuræ nati, prout ipſius domus ſignificatum refertur ad natum: verbi gratia, dominus quartæ in undecima, ſignificabit parentem præ cæteris perſonis nato amicum: at quia undecima eſt octava à cuſpide quarta, pro qua cuſpide ſi extrahatur patris figura, ipſe dominus reperietur in octava: idcirco patri vitam brevem præſagit. Eſt autem diſtinguendum, quid Planetæ perſonarum ſignificatores ſignificent, prout determinantur tam in figura nati, quam in extracta pro parentibus, conjuge, &c. Poteſt tamen dici, quod dum ipſi Planetæ diriguntur in figura nati, pro iis diriguntur quæ nato ſignificant, tam ratione ſitus corporei, quam dominii; proindeq; in directionibus habetur ratio omnium eorum, quæ ipſi nato peculiariter ſignificare queunt: nec non perſonis ipſis ratione ſuæ determinationis in figura extracta.

Ut vero ſuprapoſitæ à Nobis doctrinæ veritas evidentius pateat, hic aliqua ſubjiciemus exempla nativitatum à Junctino deſumpta, in quibus de parentum qualitate, fortuna & morte perperam judicat ex ſignificatoribus univerſalibus ♄ atq; ☉, Nos autem multo rectius ex ſignificatoribus particularibus, ſive determinatis. Videantur in ejus Libro & capite ſupra citatis ejus figuræ & judicia: hæc vero noſtra ſunt. In geneſi Petri Medicis pag. 154. ♀ fuit domina quartæ in ♒ ſigno maſculino, ejuſque dominus ♄ patri analogus & maſculus, fuit in ♊ ſigno maſculo. Ideoque pater ab eis potius quam mater ſignificabatur, iſque egregiorum morum & illuſtris ob ♀ quæ △ applicabat ♄. At quia ♄ fuit cum oculo ♉ fixa violenta, & in □ Solis, ideo vita brevis patri ſignificabatur.

In geneſi Juliani Medicis eadem pagina. ☉, ☿ & [illegible] ſunt in ♈ & domo quarta, atq; Sol maſculus & analogus cuſpidem occupat exaltatus. Inde vero Pater valde illuſtris ſignificabatur, præſertim quod ☉ eſſet in △ partili ☽: at quia ♂ dominus Solis & quartæ fuit etiam dominus undecimæ, quæ eſt octava à quarta, proindeque dominus octavæ in figura extracta per cuſpidem quartam in ſphæra recta, eſtque ♂ in antiſcio ♄: idcirco vita brevis ipſi Patri ſignificabatur, fuerunt autem hi duo fratres.

In geneſi Laurentii Medicis Ducis Urbini, ♂ dominus quartæ fuit conjunctus ♃ in ♌, quod patrem illuſtrem ſignificavit: adde quod ☉ & ☽ habebant ſuas exaltationes in quarta, erantque in △ inter ſe. Sed quia ♂ fuit etiam dominus undecimæ, ut ſupra, hoc eſt, octavæ in figura extracta ad ſphæram rectam per cuſpidem quartam, quæ eſt parentum ſignificatrix principalis, fuitque ♄ oppoſitus; idcirco vita brevis Patri portendebatur; dico Patri potius quam Matri ob ♈ in quarta, & Martem ejus dominum, maſculos.

In geneſi Catharinæ Medicis filiæ ſupradicti Laurentii, quæ nupſit Henrico II. Galliæ Regi Luna & ♃ domini quartæ ſunt conjuncti, horumque domina ♀ eſt in ♉ cum ☉, ideoque parentum nobilitas indicabitur. Sed quia Mars fuit dejectus in quarta quadratus ☽ & ♃, & oppoſitus ♄ domino undecimæ, Mater ejus tantum uno die ei ſupervixit, & Pater duobus diebus quaſi genitæ prolis pœnam luentes: fuit enim hæc fœmina pravorum morum, ut ejus figura indicat, non obſtante fuco Veneris in Horoſcopo atq; Tauro cum ☉, qui illam valde celebrem effecit: fuitque valde pernicioſa. Utinam Rex Galliæ priuſquam nupſiſſet, doctum Aſtrologum ſuper ejus & ſua nativitate conſuluiſſet: vidiſſet enim mortem violentam ſibi fortiter portendi; tam à propria geneſi, in qua ☉ in prima lædebatur quadratus ♄ & Martis, tum oppoſitione ♃ domini octavæ: ſed etiam in geneſi illius mulieris, in qua ♂ dominus ſeptimæ proindeq; Mariti ſignificator lædebatur oppoſito ♄, & quadrato ♃ & ☽, tum □ ☿ qui fuit dominus ſecundæ, hoc eſt, dominus octavæ in figura extracta pro marito per cuſpidem 7. Quippe horrenda eſt illa figura Catharinæ Medicis, unde nil mirum ſi parentibus & marito infauſta fuerit, & tantus conſenſus figurarum Henrici & ipſius Catharinæ, mortem Henrici juxta ſuprapoſitam doctrinam cauſaverit. Conſulant igitur Aſtrologos ipſi Reges & Principes in matrimoniis contrahendis, bellis ſuſcipiendis, prœliis aggrediendis, & ſimilis momenti rebus, non quidem ignaros, ſed doctrina & experientia claros, fatorumque gnaros, quibus ignotis, errores maximi in Conſiliis Regiis regnique adminiſtratione ſolent accidere, ut propterea laudandum ſit maxime Regis Sinarum potentiſſimi arcanum Conſilium, ad quod nullus admittitur, qui non ſit Aſtrologus, ſed hæc duntaxat obiter dicta ſunto.

In geneſi Octavii Farneſii pag. 156. Luna fuit domina quartæ, ejuſque dominus ♃ in Horoſcopo & in ♈, ac ♀ domina ſolis in △ partili cuſpidis quartæ, ideoque parentes illuſtres ſignificabantur. Sed quia ☽ fuit conjuncta ♄ domino undecimæ, hoc eſt, octavæ in figura extracta per cuſpidem quartam, idcirco illi mors præmatura præſagiebatur, quæ fuit etiam violenta.

In geneſi Franciſci Magni Ducis Florentiæ, Luna eſt domina quartæ conjuncta Veneri in ♓, illæſa à ♂ & ♄ domino undecimæ. Sol autem eſt exaltatus in prima, quæ eſt decima figuræ extractæ per cuſpidem quartam. Hæc igitur geneſis Patri gloriam & Principatum ſignificavit.

Applicet doctrinam ſuprapoſitam aliis genituris quicunque voluerit, reperietque illam veritati conſentaneam. Ex genituris autem hic explicatis & doctrina generali ſuprapoſita deduci queunt hæ regulæ particulares.

1. Sol & ♄ analogi patribus, tum Luna ac ♀ matribus, ſi fuerint in quarta, vel domini quartæ, fortiter præ aliis parentes ſignificant.

2. Si quarta, vel ejus domini fuerint bene affecti, bonum erit parentibus, ſi male, malum, pro vita & fortuna.

3. Pla-

3. Planetæ in quarta, vel domini quartæ exaltati, ac præſertim Sol & ☽, parentum nobilitatem ſignificant: contra vero ſi dejecti fuerint, valde pravū eſt, & ſaltem ſoceros dant conditionis inferioris.

4. Si ♄, aut ☉ fuerint domini quartæ, vel in ejus fœlici aſpectu bene affecti, & exaltato Planetæ applicantes, fortunatum erit, parentibus præſertim ſi ipſe Planeta fuerit dominus domini quartæ.

5. Idem dominus quartæ & undecimæ, ſive octavæ in figura extracta, vel dominus quartæ cum domino undecimæ præſertim malefico connexus, corpore, vel aſpectu malefico, vitam parentum abbreviat. Idemque efficit dominus quartæ in undecima, vel dominus undecimæ in quarta.

6. Dominus quartæ in prima, quæ eſt decima in figura extracta, aut dominus primæ in quarta, præſertim benè affectus, exaltatus & analogus, parentum illuſtrem fortunam & exaltationem præſagit.

7. Quod hic dicitur de parentibus, à ſimili de fratribus, conjuge, liberis, &c. dictum intelligatur. Sique natus nuptias reſpuat, aut unicum fratrem, aut unicam uxorem, aut unicum filium habuerit; fata progenitorum, aut fratris uxoris, aut filii patebunt evidentius atque diſtinctius ex ejus figura natali, quam ſi plures tales perſonas ejuſdem ordinis habuerit. Perſonas autem ejuſdem ordinis voco, quæ ad eandem domum pertinent: ut Pater, Avus, Socer, Avunculus: ad quartam, fratres & cognati, ad tertiam: liberi & nepotes, ad quintam. Quippe has omnes perſonas in tres tantum ordines cenſeo dividendas: ſcilicet, nato ſuperiores æquales & inferiores. Primi ordinis ſunt Pater, Avus, Socer, Avunculus. Secundi, fratres & cognati. Tertii, liberi & nepotes. Atque notandum quod accidentia quæ ex figura nati ſignificantur futura ſocero, vel conjugi, tantum intelligenda ſunt futura eſſe, poſtquam de facto fuerit nati ſocer, vel uxor, atque ſic de aliis affinitate junctis.

8. Coronidis loco hic notandum. Quod erecta figura Patris prout à nobis dictum eſt: ex hac Avi figura non erit erigenda. Nec ex Avi figura, altera Proavi. Tum quia Pater, Avus, Proavus, ad eandem quartam domum figuræ nati pertinent: tum quia Cœli influxus communis nato hiſque perſonis, attingit tantum proximas efficaciter, ſive ſenſibiliter: at in remotioribus evaneſcit.

Caput VII.

An per nati mortem ceſſet influxus cœleſtis ab ejus figura natali, in parentes, fratres, conjugem, liberos, & alias perſonas ad eum pertinentes, eique ſuperſtites.

QUæſtio hæc totius Aſtrologiæ mihi videtur ſubtiliſſima, & momenti non minimi, præſertim circa interrogationes Aſtrologicas.

Videtur autem aſſerendum quod ceſſat ille influxus. Nam momento genituræ nati, nondum ſunt ejus liberi, nec fortaſſis uxor, fratres, & pater mortuus eſſe poteſt: ideoque hæ perſonæ cœleſtem influxum circa ſe non exceperunt, ſed ſolus natus ſuſcepit influxum quod tales habiturus eſſet parentes, fratres, conjugem, &c. & talibus obnoxios accidentibus: proindeque hic influxus ſoli nato inhæret: unde ſequitur quod moriente nato, influxus ille extinguitur, vel deſinit eſſe.

Aliunde vero negandum videtur, quod ille ceſſet. Nam ſi ex nati figura ſignificetur mors violenta uxori quam ducet: & mortuo marito ipſa non ſit amplius morti violentæ obnoxia, tum aliis præſagiis figuræ ſuæ extractæ ab ipſius mariti geneſi: patet quod præſagia illa vana fuerint & ante, & poſt mortem nati, quod tamen non eſt aſſerendum, quandoquidem certum eſt quod figura nati talibus perſonis ſignificet, in qua alioquin fruſtra eſſent domus parentum, fratrum, conjugis, &c.

Sic autem quæſtio hæc paucis mihi ſolvenda videtur, ex jam dictis cap. 6. Dum moritur natus, ceſſat quidem, vel deſinit eſſe influxus ei impreſſus à Cœlo in geneſi, circa accidentia ipſi propriè, vel impropriè communia cum talibus perſonis. At fons illius influxus, hoc eſt, virtus figuræ cœleſtis, remanentis in primo mobili per determinationem, atque agens in natum ejus durante vita, per correſpondentiam cum ſimili figura eidem nato impreſſa, quamvis ceſſet agere circa natum mortuum, non tamen tunc amittit vim ſuam in illas perſonas, quatenus fuerunt ipſius nati, ſed illam retinet, quamdiu omnes ipſæ perſonæ vivunt, quaſi in reliquias ipſius nati, hujus fatorum participes. Et quamvis hæc virtus adeo ſit exigua, ſi comparetur cum virtute propriæ genituræ cujuſlibet ipſarum perſonarum, ut ſi figura uxoris careat ſignis violentæ mortis quantumvis contrarium præſagiat figura mariti, non propterea morietur illa violenter: quippe quod unuſquiſque magis pendeat à proprio fato, quam ab alieno: tamen ſi tam propria uxoris figura, quam ejuſdem figura extracta ex geneſi mariti, ſignificent mortem violentam, illa inde certius violenta morte peribit. Et ſi hoc adhuc illi ſignificetur per figuram extractam à figura ſui fratris, aut alicujus ſuorum liberorum, erit præſagium adhuc magis timendum. Atque hæc ſolutio præterquam quod rationi congruit, ejus etiam veritatem experientia confirmat.

SECTIO V.

Quâ Objectiones in Directionum doctrinam expenduntur atque refelluntur.

Caput I.

Quænam à Pico Mirandulano adverſus directiones Aſtrologicas objiciantur, horumque refutatio.

CUm in Aſtrologia nihil ſit admiratione dignius, quam directionum evidentes effectus, nihil autem cauſarum explicatione & opinionum varietate hactenus fuerit obſcurius, vel intricatius: Mirum profecto eſſet ſi Divinæ hujus ſcientiæ Oſores, partem hanc ſuis dentibus intactam reliquiſſent, quâ & ſpecies & tempora futurorum effectuum prædicuntur, quæque idcirco totius Aſtrologiæ coronis cenſenda eſt. Ac ſi plerique ex Primatibus Aſtrologis, circa directionum doctrinam hallucinati ſint, quid exſpectandum nobis eſt ab ejus ignaris, Pico Mirandulano, Alexandro De Angelis, Sixto ab Hemminga & ſimilibus, ipſam examini ſuo ſubjicientibus & condemnantibus? Nihil ſane præter abſurda jam hic à Nobis refellenda.

Picus

Picus itaque Mirandulanus lib. 7. cap. 7. ſupponit, *Quod ſi Horoſcopus ſit in gradu 15 ♌, ♄ autem in gradu 6 ♍; Vt proinde Horoſcopus diſtet à ♄ 21 gradibus, volunt Aſtrologi primo anno deberi primum gradum illius diſtantiæ in quo eſt Horoſcopus; anno ſecundo gradum ſecundum: atque ſic deinceps: proinde fore ut annus 21 Saturni radiis infeſtetur, & Nato morbi periculum immineat. Hæc eſt* (inquit) *Aſtrologorum poſitio in directionibus. Ex quibus & vitæ ſpatium Ptolomæus, & caſus omnes viceſque fortunæ, Aſtrologorum turba pronunciat.*

Verùm Picus iam hic imponit Aſtrologis, ac præſertim Ptolomæo. Nam illa poſitio in directionibus eſt per gradus æquales Eclipticæ ſine latitudine, contra mentem Ptolomæi ſagaciorumque Aſtrologorum, ut antea docuimus. Præterea falſum eſt quod primum gradum diſtantiæ primo anno tribuant, & de hoc ex illo iudicent, ut vult Picus, tum de ſecundo anno ex ſecundo gradu: ſed duntaxat metiuntur diſtantiam æquatoream nter ſignificatoris & promiſſoris circulos poſitionum interiectam: ſique ipſa fuerit 21 graduum, dicunt anno 21 aut circiter Natum morbo corripiendum, nulla ratione habita graduum mediorum inter utroſque terminos, quorum effectus contingit duntaxat anno 21. Id verò Picus non intellexit.

Poſtea verò contra directionum doctrinam Picus ſic ſuo more inſurgit exclamationibus, defectu rationum. *Quid poteſt levius, quid magis irrationabiliter cogitari? Nam illa primùm ad annos graduum diſtributio poteſtne magis ex libidine fingi? præſertim cùm diviſio ſignorum in 30 gradus tota pendeat ex arbitrio Mathematicorum, quòd numerus ille diviſionibus arithmeticis accommodatior ſit?*

Ad hoc reſpondeo, Diviſionem Cœli in 12 ſigna non fictitiam, ſed naturalem eſſe: ut à nobis oſtenſum eſt lib. 14. ſect. 1. cap. 4. ſignorum verò diviſionem in 30 gradus vel totius Eclipticæ aut Æquatoris in 360, eſſe quidem artificialem pro commoditate calculi: qui ſi inſtituendus fuiſſet iuxta Zodiaci vel Æquatoris diviſionem naturalem à Sole per ſuos 365 diurnos $\frac{1}{4}$, ille nimis fuiſſet incommodus. At cap. 3. ſect. 3. diximus anni menſuram non eſſe gradum integrum: ſed duntaxat medium Solis diurnum, quem eſſe realem probavimus ibidem: tantùmque valere 59′. 8″. quorum 365 $\frac{1}{4}$ valent 360 gradus, in quos ambitus Cœli dividitur: Proindeque diviſionem arcus directionis in annos eo modo non eſſe fictitiam. Quod ſi vlteriùs quæratur, cur Solis diurnus vnus vni anno æquivaleat, videatur caput 5 eiuſdem ſectionis.

Deinde verò ſic iterum exclamat & interrogat. *Quomodo mihi nocere poterit ♄ in 6 ♍ parte ſuppoſitus cum naſcebar, etiamſi demus Aſtrologis 21 ætatis anno ejus influxum ad me pertinere? Nam quando ad me pertinebit, ♄ illic non erit. Et quando ibi erit ♄, pars illa ad me non pertinebit.*

At reſpondeo. Nihil mirum eſſe quod Picus concipere nequiverit, quomodo ♄ in hypotheſi ſupra dicta nocere queat anno à nativitate 21: Nam prorſus ignoravit modum agendi aſtrorum, tam in geneſi quàm per directiones, quem ſuperius fuſè expoſuimus. Non enim neceſſe eſt quod remaneat in loco quem occupavit in geneſi ad hoc vt locus ipſe in natum influat: ſed duntaxat quod in geneſi pars illa Cœli determinata fuerit à ♄ ad ſuam naturam reſpectu nati, habita ratione ſui ſtatus cœleſtis & terreſtris: Quo poſito partis illius influxus Saturninus ad Natum pertinebit; non ſolùm anno 21 à geneſi, ſed toto vitæ decurſu, ut probant planetarum tranſitus per ipſum locum ſive partem. Nec opus eſt quod anno 21 dum producetur effectus directionis Horoſcopi ad ♄ locum radicalem, ♄ ſit ibidem ſubſtantialiter (quamvis hoc eſſet efficacius) ſed tantùm virtualiter per determinationem ſupradictam. Dum verò ait quando ♄ ibi erit, pars illa ad me non pertinebit; quid dicat Picus, ipſe neſcit. Nam pars illa toto vitæ decurſu ad Natum pertinere probatur, ex planetarum per illam tranſitibus. Forſan autem intellexit, quod tunc non erit vigeſimus primus à geneſi annus, ut per illius partis & ♄ influxum producatur directionis effectus. Verùm directionis effectus non producitur à ♄ tranſitu per illam partem, ſed à concurſu Horoſcopi vt ſignificatoris, & illius partis ut promiſſoris; ſive ♄ ſit in illa parte, ſive non ſit; ut antea fuſe explicavimus.

Poſt hæc ait. *Si dicant Aſtrologi quod vt veſtes à peſtilentia infectæ, venenum ad aliquod tempus non admittunt: Ita etiam partibus Cœli evenire, ut receptam à malo ſydere contagionem diu retineant.* Picus reſpondet, *quod ſi cum Philoſophis ſibi ſermo eſſet, iuberet illos meminiſſe, luminis affectionem ſubjecto non inhærere; ſed abire cum corpore à quo diffunditur. Cœleſtium autem omnium impreſſionum, lumen eſſe vehiculum atque fomentum, ut inquit Avicenna in* Meteoris.

Sed reſpondeo. Picum & Avicennam hujus cœleſtis Philoſophiæ ignaros extitiſſe. Non enim à ♄ vis imprimitur Cœli partibus quæ his inhæreat formaliter, ut peſtilentia venenum veſtibus imprimitur. Sed tantùm pars Cœli in qua eſt ♄ momento nativitatis determinatur ad naturam ♄ reſpectu Nati; quandiu vivet ſubditus aſtrorum influentiis. At proinde vis ipſa ♄ ſolùm virtualiter ineſt ipſi parti per determinationem, ut ſæpius alibi dictum & probatum eſt. Cœlum enim primum quatenus cauſa phyſica prima, continet eminenter vires corporum omnium cœleſtium ſibi inferiorum: ad quas cùm ſit ex ſe indifferens, determinatur per partes à ſingulis juxta propriam cujuſque determinantis naturam. Quod verò Picus ait lumen eſſe vehiculum & fomentum omnium impreſſionum, ſive influxuum cœleſtium: Hoc planè falſum eſſe probavimus lib. 11. cap. 13. Vbi de luce contra Picum egimus. Et falſitas inde patet evidenter, quòd planetę & ſtellæ dum ſub Terra verſantur; imò Sol & Luna dum ſuper Horiſontem totales & cum mora patiuntur Eclipſes, nihilominus in Terram & naſcentes homines potenter influant juxta formales ſuas vires naturamque ptopriam, non ſecus ac dum ſuper Horiſontem fulgent, ut cuilibet etiam Aſtrologiæ tyroni ſit notiſſimum. Adde quod planetæ excepto Sole propria luce non ſplendent, ſed Solis tantùm lucem reflectunt.

Pergit Picus hoc modo. *Reſpondeant Aſtrologi, cum ad eundem gradum* (hoc eſt ♄ locum ſupradictum) *tot annis intermedijs* (quippe 21) *aliorum accurſus ſit planetarum; An superventu luminum ſalutarium, inolitum illud virus putent aboleri poſſe vel minui?*

Reſpondeo. Vim ♄ quæ per determinationem ineſt ſupradictæ parti, nec minui nec aboleri poſſe tranſitu aliorum planetarum per eandem partem, quandiu durat ejus efficax determinatio: Durat autem quandiu ſubjectum cujus reſpectu determinationem ſortita eſt, hoc eſt quandiu Natus manet

in rerum Natura, ſubditus ipſi determinationi & aſtrorum influentiis. Dumque Mars durante vita Nati tranſit per ſupradictum Saturni locum; patitur Natus à Martis ratione ſuæ natura ac determinationis in figura Nati, juxta vim loci Saturni quem peragrat, ut fuſiùs dicetur cùm ex profeſſo agemus de tranſitibus. Eademque eſt ratio de cæteris Planetis tranſeuntibus: ſemper ſuperſtite virtute Saturni in illa parte per determinationem, toto vitæ Nati tempore.

Rurſus ſic inſurgit Picus. *Si perdurant in Cœli regionibus à Planetis acceptæ ſuſceptæque qualitates, nec ad exiguum temporis ſpatium conſervantur; non erit in fatis tantummodò obſervandum, quis quo Cœli loco vel anno revolvente vel horâ geniture Planeta inveniatur, ſed qui eadem loca præcedentibus etiam annis peragrarint.*

Sed reſpondeo. Id non eſſe neceſſarium: imò principiis Aſtrologiæ prorſus eſſe contrarium. Nam Planetarum loca geneſin præcedentia non fuere determinata reſpectu Nati, ut locus Saturni ſupradictus: Talis ſiquidem determinatio partium Cœli, fit tantùm momento nativitatis pro ſingulis Planetarum locis, horumque aſpectuum & figuræ cuſpidibus. Valeret autem ratio Pici ſi Planetarum virtutes imprimerentur Cœli partibus, iiſque formaliter inhærerent: id verò minimè fit ut antea docuimus.

Poſtremò (inquit) *Commentum illud dirigendi aliud non eſt, quàm ſubjicere res non ſolùm conſtellationibus his quæ ſunt* (ſubaudi tempore geniturę) *ſed quæ eſſe etiam poſſent. Nam quid aliud eſt dicere Lunam quæ me naſcente hexagoniis radiis à Sole feriebatur; infortunium tamen aliquando ibi parituram ex Quadrato Solis aſpectu, ſub quo illa quidem non fuit cùm naſcebar: ſed fuiſſet ſi pluribus partibus interjectis procul à Sole magis conſtitiſſet: quas partes* (per quas ſcilicet à quadrata radiatione diſtabat) *cùm peregrit, poſt tot annos ab ea, illa calamitas infligetur? At conſtellatio iſta ſub ortu meo non fuit; & ſi poſtea aliquando eſt futura, nihil tamen ad me; cui ſi fatum aliquod eſt, præterita illud Cœli diſpoſitio dedit. Patet igitur quàm abſurda, quàm falſa, quàm inconſona ſit poſitio dirigendi, qua quotidie utuntur Aſtrologi.*

Sed reſpondeo. Picum defectu cognitionis Aſtrologiæ ſe ſe falſitatis nexibus magis ac magis involvere. Primò quia ſupponit in directione, Lunam ſignificatricem, ſeu vim loci illius radicalis, moveri ad promiſſorem □ Solis. Hoc autem falſum eſſe oſtendimus Cap. 1. Sect. 3. Secundò quia falſum eſt Aſtrologos, res ſive Natum ſubjicere per directiones conſtellationibus quæ non ſunt, ſed eſſe poſſunt: quandoquidem illum duntaxat per directiones ſubjiciunt conſtellationibus vel cauſis Cœleſtibus, quæ ſunt momento nativitatis. Nam ſi tunc Luna fuerit in ⚹ ſiniſtro Solis, illam ſequatur quadratus Solis, qui □ datur momento nativitatis, ejuſque diſtantia ab ipſa Luna; quam diſtantiam non peragrat Lunæ vis, impreſſa virtualiter ipſius Lunæ loco, ut producatur effectus directionis Lnnæ ad □ Solis, ſicut opinatus eſt Picus: ſed tantùm neceſſe eſt, ut promiſſor ſive □ Solis transferatur ad ſitum loci Lunæ, per primam à geneſi revolutionem Cœli; factaque ſic in Nato impreſſione formali directionis illius naturalis, hujus effectus producatur tot annis à geneſi, quot gradibus Æquatoris promiſſor diſtat à circulo poſitionis Lunæ; ſicut fuſiùs exponitur Cap. 2. Sect. 3. quod vide.

Patuit igitur hactenus quàm abſurdæ, quàm falſæ & quàm inconſonæ ſunt rationes Pici contra directiones Aſtrologicas; quarum veritatem ipſe nimis acerbè expertus eſt; dum anno ætatis ſuæ 33 poſt elucubrationem ſuorum 12 librorum adverſus Aſtrologos, ſtatim fuit ipſi moriendum ex directione Horoſcopi ad corpus ♂ in ſecunda oppoſitum Lunæ in octava, & quadratum ♄ atquę ♀, ut ipſi prędictum fuerat à Lucio Bellantio Senenſi Medico, Antonio Syrigato Florentino, & Angelo de Cataſtinis Carmelita, veluti refertur à Junctino pag. 540, ubi ponitur ejus figura Cœleſtis: Et quàm egregiè faciléque per doctrinam à nobis traditam ſibique conſtantem, ipſius Pici objectiones ſolvantur.

Caput II.

Quo Alexandri de Angelis rationes adverſus Directiones proponuntur atque refutantur.

De Angelis Lib. 4. Cap. 20 contra directiones Aſtrologicas fortiter inſurgit. Omitto autem quod poſtquam ad imitationem Pici, ſuppoſuit locum ſignificatoris in directionibus moveri ad locum promiſſoris ſecundum quoſdam Aſtrologos; poſtea deſumat ex Cardano Lib. de Judic. genitur. Cap. 6. multa refellenda de directionibus quæ ab ipſo Cardano tantùm intellecta ſunt de Revolutionibus; quod ipſe de Angelis diſcernere neſcivit, Ac venio ad ejus argumenta ſequentia.

Primò ait. *Se concipere non poſſe, quid ſit locus apud Aſtrologos: & contra ipſum arguit à proprietatibus loci ab Ariſtotele definiti; idque pluribus verbis & textibus nullius planè ad rem iſtam momenti.*

Reſpondeo igitur, Alexandrum de Angelis non animadvertiſſe alium eſſe locum aſtri ſecundum phyſicos, & alium juxta Aſtrologos. Nam aſtri locus phyſicus eſt ſuperficies corporis immediatè ambientis aſtrum ipſum, ut voluit Ariſtoteles, contra quem tamen ſcripſimus Lib. 5. Cap. 4. Locus autem Aſtrologicus eſt pars primi Mobilis ſub qua ipſum aſtrum è Terra cernitur, & quam aſtrum ipſum reſpectu Terræ ad virtutem ſuam determinat; ex Cap. 7. ejuſdem Libri 4.

Sed arguit. *Inſaniam eſſe fari, quod ſigna Zodiaci ſint loca Planetarum, qui in illis per oculi errorem videntur: nec minorem. quàm ſi quis dicat Lunam vel ejus orbem, eſſe locum montis, qui è directo ipſius Lunæ conſpicitur.*

Ego autem reſpondeo. Magnam eſſe utriuſque differentiam. Primò quia mons ipſe undequaque ſpectetur ſimul tempore, ab Ortu, Occaſu, Borea, Auſtro, & plagis intermediis; non videbitur è directo Lunæ: Planeta autem ex toto Terræ circuitu videri poteſt in eadem Cœli parte, præſertim parallaxi non obnoxius, & quævis ſtella fixa. 2. Quia aſtrorum locus in Cœlo eſt in-

independens ab oculis, ſolúmque pendet à Natura quam Deus ipſe condidit. Etſi enim omnes homines naſcerentur cæci, velut quidam naſcuntur, nihilominus darentur in Cœlo Planetarum loca reſpectu Natorum; hoc eſt Cœli partes reſpectu Natorum determinarentur à Planetis ipſis. 3. Quia montis locus in orbe Lunæ imaginatus, nullius eſt virtutis. At locus Planetæ in Zodiaco, magnæ; experientiâ teſte.

Poſt hæc quærit *ubi reſideat ipſa vicaria ſyderis poteſtas; quandoquidem aſtrum non remanet in loco quem occupavit genituræ momento.* Poſtquam verò retulit authoritatem Cardani dicentis aphor. 58. ſect. 1. *Impreſſiones à genitura quæ in loco remanent uſque ad tempus in quo perfici debent, eſſe partim in loco, partim in materia*: De Angelis exclamat. *Ergo Cœlum impervium qualitatibus contrariis, iſtam peſtem ſuſcipit? Quomodo contagio hæc tot annis deliteſcit? Cur aut à quo provocatur poſt* 20 *annum?*

Reſpondeo primò. Deceptum fuiſſe Cardanum, Bellantium, & quoſdam alios, in eo quod cenſuerint aſtri vim formaliter Cœlo imprimi, & in eo loco remanere tantùm uſque ad tempus in quo producitur directionis effectus: cùm nulla Cœlo fiat ab aſtris formalia impreſſio: ſed aſtri locus in Cœlo determinetur Nati reſpectu, in quo fit impreſſio formalis totius Cœleſtis conſtitutionis momento nativitatis, pro tota Nati vita, ut à nobis ſæpius dictum eſt. Reſpondeo ſecundò. Falli quoque de Angelis dum opinatur, vim illam corporum Cœleſtium, à qua ſunt directionis effectus, eſſe de genere contrariarum qualitatum, hoc eſt in ejus mente elementalium, cùm influentias ipſe neget atque reſpuat: Illamque vim non deliteſcere, ſed continuò vigere Nati reſpectu, donec is interveniente morte ab aſtrorum influxibus & Cœli dominatu abſolvatur: ut Planetarum tranſitus probant per loca Thematis præcipua ante & poſt directionis tempus exactum. Qui quidem tranſitus ſunt efficaces in Natum, etſi longè debiliùs quàm directiones, præſertim ſolitarii, nec directionibus aut Revolutionibus roborati. Cur autem & à quo provocetur vis ſupradicta poſt 20 annos, legatur Cap. 6. Sect. 3.

Quærit deinde *cur ♄ non perpetuò hujuſmodi vim fundit? Aut cur Cœlum univerſum per quod tranſit non inficit; ſed certam ſolùm Orbis partem quam occupat, aut occupare videtur, ortus & conceptus tempore? Quolibet tempore & quolibet temporis momento homines cùm naſcantur, perpetuò vim ſuam ♄ fundat neceſſe eſt: Totum itaque Cœlum ♄ veneno perfuſum cùm Horoſcopus reperiat, nihil eſt cauſæ cur* 21 *anno potiùs quàm ſequentibus aut antecedentibus ejus efficientia provocetur.*

Sed reſpondeo. Saturnum perpetuò vim ſuam in hæc inferiora effundere; totamque ♄ viam in Cœlo ſimiliter inſici virtute ♄ determinativa ſuperiùs expoſita; non tamen reſpectu cujuſque Nati. Sed eam tantùm partem Cœli determinari reſpectu alicujus Nati, ſub qua cernitur vel cerni poteſt ♄ momento nativitatis ipſius Nati; ideoque directionis effectum prodire à concurſu Horoſcopi cum illa parte & non cum altera.

Objicit inſuper. *Quod ea Zodiaci pars quæ in unius geneſi fuit locus ♄, in alterius natali ſæpe eſt locus ♃, ♂ aut alterius: fatendúmque Planetariis ſi ſibi conſtare volunt, illam ſimul vires ♄, ♃ & ♂ obtinere. Cur ergo adventante Horoſcopo, ♄ potiùs præſtat effectum, quàm alterius Planetæ, difficile fuerit explicare.*

Reſpondeo, difficilè quidem fore Alexandro de Angelis horum rerum prorſus ignaro; nobis autem eſſe perfacile ex principiis à nobis poſitis. Dicimus enim, Cœlum primum eſſe cauſam primam in Natura; eminenter complectentem vires cauſarum Cœleſtium inferiorum; ideoque ab harum ſingulis pro cujuſque natura determinabilem. Ac per conſequens eandem primi Cœli partem determinari poſſe reſpectu unius Nati ad naturam Saturni, reſpectu alterius ad naturam Jovis diverſo tempore, reſpectu alterius ad naturam Martis, &c. Ideoque poſſe partem ipſam in ſingulos agere diverſimodè, ratione determinationis ſuæ reſpectu cujuſque, ſine ulla prorſus confuſione; quippe quòd determinationes ſunt formaliter diverſæ. Unde fit ut cùm in alicujus Nati figura, Horoſcopi directio ad ♄ locum ſequentem completa fuerit, producatur effectus ♄, non autem ♃ aut ♂. Eſſeque multò mirabilius, quod ſimul tempore pars eadem Cœli ad naturam ♄ aut ♃ determinata reſpectu diverſorum ſub diverſis Meridianis natorum; uni ſit cauſa vitæ, alteri divitiarum, alteri fratrum, parentum, liberorum, &c: ratione ſitus diverſi partis ipſius, reſpectu ſingulorum Natorum: Cùm hîc duplex interveniat partis ipſius determinatio; prior ad naturam Saturni quæ pluribus communis eſſe poteſt; poſterior verò ad ſpeciem hujus potiùs quàm alterius accidentis ratione ſitus particularis in figura reſpectu cujuſque Nati: Et tamen nihil eſt in Aſtrologia clarius; non quidem ipſius ſcientiæ ignaris, ſed peritis; unde patet quàm ſit mirabilis vis agendi corporum Cœleſtium, Divinæ virtutis & omnipotentiæ hoc in parte gerens characterem excellentiſſimum.

Itaque dum Alexander de Angelis ſic concludit. *Quid igitur fingi potuit magis inſanum quàm directiones? quid potuit magis delirum cogitari? Locus omnis Planetarum fictitius eſt, fabuloſus motus quò ad illum acceditur, excogitata graduum diviſio, commentitia vis quam Planeta tribuere dicitur loco. Et ex his ludibriis caſus omnes vireſque rerum, vitæ ſpatium, mortis tempus, morborum cauſas, omnia negotiorum momenta pendere credemus? O beata ingenia quibus comminiſci tanta fælicitate licuit? O fæcunda ludibriorum novalia, quibus rerum omnium quæ Mari, quæ Terra fiunt, principia continentur!*

Dicamus duntaxat, inſanum prorſus eſſe de rebus ignotis palam judicare, & exclamationum ridicularum fœcunditate, rationum ſterilitatem propriamque inſcitiam prodere. Noſtram autem de Directionibus doctrinam adeo firmis innixam eſſe fundamentis, ut nihil contra directiones objici queat, quod per ipſam facilè dilucidéque non reſolvatur, ut ſupra patuit.

Caput III.

Quo Sixti ab Hemminga rationes in Aſtrologiam; ac præcipuè in directiones refutantur.

ORigenem, D. D. Ambroſium, Auguſtinum alioſque Patres Religionis zelo commotos, quo potiſſimùm tempore major fuit depravatio & abuſus Aſtrologiæ, in hanc ſcientiam ſibi non ſatis cognitam ſcripſiſſe, excuſandum cenſeo; Deus enim non illos dedit nobis in rerum phyſicarum Doctores, ſed diurniorum; fuitque hac in parte eorum ſaltem intentio recta. At in aliis imperitis qui eandem ſuperbè funditus evertendam aggrediuntur, aut ſcriptis, aut declamationibus publicis, profectò non mediocris eſt dementia, cùm id nihil aliud ſit quàm in Cœlum ſpuere, ſuam publicè teſtari inſcitiam, Deumque gloriâ ſibi debitâ ob conceſſas corporibus cœleſtibus mirabiles dotes fruſtrare velle, dum in talento ſibi non concredito inaniter laborantes, magna ſe prȩſtare putant.

Sed de Sixto ab Hemminga Medico Friſio, qui in Aſtronomiæ & Aſtrologiæ notitia Picum Mirandulanum, Alexandrum de Angelis, cæteroſque tum veteres, tum neotericos oſores Aſtrologiæ longe ſuperavit, plures figuras natalitias erexit, judicavit, & directionum revolutionumque myſteria tractavit, cum diuturna Authorum lectione & collatione, & tamen omnium acerrimè ſcripſit in Aſtrologos, adeo ut ipſi de Angelis modò ſit clypeus, modò haſta ad Aſtrologiam confodiendam, quid aliud dicemus, quàm quod ipſe plus malignitate quàm ignorantia peccaverit, factusque ſit Apoſtata ſpontaneus omnium petulantiſſimus, craſsâ tamen ignorantiâ laboravit, ſed in ipſo malignitas prævaluit, ut paſſim ejus liber Aſtrologiæ refutatæ teſtatur. Idcirco ab Alexandro de Angelis cap. ult lib. 5. vocatur *vir in Aſtrologicis rationibus longè Princeps*, ſicque introducitur loquens de ſeipſo in genitura 22. *Ego verò* (inquit ab Hemminga) *aſtrologicam praxim aggreſſus, longo vſu & exercitio aſsiduo aſſecutus mihi videor experientiam prorſus Aſtrologorum experientiæ contrariam: non fallacem aut dubiam, ſed veram conſtantemque, qua totius eorum doctrinæ fucata veritas apertiſsimæ falſitatis convincitur: Ex innumeris enim geniturarum experimentis didici, nihil omnino ex ſyderum poſitione deprehendi poſſe.* Et in genitura Caroli 5. *Cùm autem longo vſu & experientiâ multâ doctus, rem penitus inſpexiſſem, comperi Aſtrologorum doctrinam cui prius antequam nota eſſet impensè favebam, eſſe impoſsibilem, nulla fide dignam & inutilem.* Quoniam verò ſtultum fuiſſet Philoſopho ac Medico huic ſcientiæ impenſè faviſſe, nulla perſuadente cauſa; credibile eſt, idem Sixto ab Hemminga quod mihi olim accidiſſe, Nempe quod plurium etiam mirabilium experientiarum illectus ſpecimine, voluerit quo pollebat ingenio ipſius ſcientiæ penetralia, hoc eſt principia, rationes & fundamenta ſcrutari: Ac in eo obſtupuiſſe, quòd adeo celebris ſcientia pluribus nugis atque figmentis quàm genuinis rationibus innixa videretur. Nequiens autem verùm à falſo diſcernere, Naturæ adytum reſerare, ſibique ſciendi fundamentum ſtruere congruum; occaſione ſumpta ex Arabum aliorumque Veterum nugamentis adeo nobilem ſcientiam defœdantibus, ſtatuit in eam ſcribere, ipſamque poſteris infamem reddere. Sed profectò ex præcipuis ejus rationibus in Aſtrologiam, nunc referendis, ac refellendis tum argumentandi modo haud obſcurè conjicitur, ipſum diſciplinæ hujus praxim eo fine duntaxat affectaſſe, ut cum maiori ſpecimine probabilitatis, poſſet atrociùs contra ſcientiam debacchari: In rei autem veritate fuiſſe huius ſcientiæ fundamentorum valdè ignarum, ſcriptorem fallacem ac imperitorum deceptorem: Vtcunque in Arabum nugas & quorundam aliorum veterum dogmata falſa rectè lepidèque nonnunquam inſurgat.

Quoniam verò hîc nobis res eſt cum Aſtrologiæ hoſte omnium infenſiſſimo, nec totus ejus liber particulatim diſcuti ac refelli poteſt minori ſumptu, quàm Tomo qui Iunctini Tomum de Aſtrologia circiter adæquet, ob multitudinem geniturarum ad quas provocat, præter 30 à ſe explicatas; tum aphoriſmorum ab Aſtrologis traditorum, contra quæ inſurgit: Idcirco fas eſſe nobis videtur ad manifeſtandum ex ungue leonem, præcipuas ejus rationes exponere, tam in hanc ſcientiam generaliter, quam in directiones particulariter: Reliqua enim omnia quæ obijcit, ex doctrina à nobis tradita facilè refelli queunt.

Itaque primò vult in ſua apodixi; *Quod ſi quæ aguntur vel ſignificantur ab aſtris; Ea non obſcuris quibuſdam conjecturis, ſed certò comprehendi ac præſciri debent.*

At reſpondeo id eſſe planè ſtultum: ſiquidem ipſamet ratione, non modò tollenda eſſet medicina de numero ſcientiarum; ſed etiam ut Aſtrologia planè eſſet reſpuenda tanquam falſa ac inutilis. An neſcit ab Hemminga ſuam Medicinam, ſaltem quò ad praxim, eſſe conjecturalem? Quod autem non ſit reſpuenda probatur, non ſolum authoritate Eccleſiaſtici cap. 38. *Honora Medicum propter neceſcitatem, etenim creavit illum Altiſſimus, &c*: ſed publica etiam utilitate. Aſtrologia enim & Medicina in eo prorſus conveniunt, quòd utriuſque Thoria certa ſit, validiſque fundata principiis, quamvis hæc ab hominibus non perfectè cognoſcerentur, utriuſque verò praxis conjecturâ indigeat, ob varium cauſarum concurſum, ſubjectorumque diverſitatem, & à variis cauſis concurrentibus mutabilitatem. Inde verò facile eſt conjicere Sixtum ab Hemminga tantum fuiſſe Medicum, quantum Aſtrologum; cùm ſcientiam neglexerit, quam ut Medico maximè neceſſariam commendarunt Hipocrates pluribus in locis, & Galenus toto libro 3. de diebus decretoriis.

Secundò vult *Vt Aſtrologi demonſtrent, quod ut quilibet intelligit & ſentit efficaciam Solis & ☾: Ita de reliquis ſyderibus certa pronunciet. Et per reliqua ſidera intelligit etiam minimas ſtellas fixas.*

Reſpondeo. Aſtrologum non minùs vera pronunciare de 12 Dodecatomeriis & 5 minoribus Planetis ♄ ♃ ♂ ♀ ☿, quàm de ☉ atque ☾: Cum de his omnibus pronunciet duntaxat penes eorum ſtatum cœleſtem & determinationem reſpectu Nati: Hæ verò ſunt præcipuæ cauſarum cœleſtium Mundum hunc inferiorem immutantium, fallique ab Hemmingam ſi putet influentiam ſolis notiorem eſſe influentiâ Saturni aut Martis, quamvis lux & calor illius notiores ſint, quàm horum lumen & calor & frigus. Sed de præcipuis quoque ſtellis fixis multa vera pronunciant, vt de Spica Virginis, Capite Meduſæ, Oculo Tauri & aliis ſimilibus. Quod verò ad minimas attinet, vis illarum ſaltem in ho-

mines inſenſibiles extat. Vide quid circa rem hanc dixerimus cap. 4, ſect. 3. lib. 8.

Tertiò vult *in dijudicatione futurorum, neceſſarium eſſe cognoſcere omnes prorſus ſtellas fixas etiam minimas earumque vires: Nec non varietatem virium pro diverſo motu atque ſitu, unde aſſerit judicia aſtrologica neceſſariò falſa eſſe debere; ob ſitus configurationisque fixarum ſtellarum perpetuam mutationem Aſtrologo incomprehenſibilem, qui etiam demonſtrare nequit, minimam fixarum hac in re inutilem eſſe, cum fixa minima ſit 702 maior quam luna.*

Sed reſpondeo 1. Ab Hemmingam non poſſe ſuppoſitam à ſe neceſſitatem demonſtrare; cum ipſa ſit planè falſa. Hoc autem ex eo probatur à nobis evidentiſſimè: Quia ſi ne quidem Aſtrologi de aliquo accidente, ut vitâ, honoribus, coniugio &c: judicant ex omnibus 7 planetis & 12 ſignis: ſed ex iis tantùm quæ circa ipſum accidens determinantur, juxta vera hujus ſcientiæ principia à nobis tradita; quique iudicaret aliter omnino confunderetur atque deciperetur: quantò minus iudicabunt de vita, honoribus, coniugio, vel alijs ex concurſu fixarum omnium etiam minimarum. 2. Sed hic error communis Pico Mirandulano, Sixto ab Hemminga & Alexandro de Angelis quaſi per traditionem, ortum duxit ex eo, quòd perperam opinati ſint, quodlibet Nati accidens pendere à tota (ut ajunt) decreti ſubſtantia; hoc eſt tota conſtitutione natali: quod tamen falſum eſſe oſtendimus lib. 10. contra Picum & de Angelis.

Reſpondeo 2. Non negare Aſtrologos, fixam minimam, hoc eſt ſaltem magnitudinis 6. longè majorem eſſe Lunâ; ſed duntaxat negare, vim earum nobis eſſe perceptibilem inſtar virtutis Lunæ, ob ſtupendam illarum à Terra diſtantiam: Ad cuius centeſimam partem ſi Luna removeretur, nequidem videretur, multòque minùs perceptibiliter in nos ageret. A ſimili enim magnus ignis diſtans à nobis 1000 paſſibus, nihil omnino nos calefacit; cùm tamen candelæ flamma diſtans à manu duobus digitis, eam calefaciet. Nec propterea dicunt Aſtrologi, illas eſſe ſuperfluas vel inutiles; ſcit enim earum uſus Deus, qui ſingulas proprio nomine vocat. Tanta ſiquidem eſt earum à nobis intercapedo, ut duntaxat inſigniorum vis à nobis percipi & diſcerni valeat: Unde aliarum effectus inperceptibiles, jure pro nihilo ſunt Aſtrologis habendi. Quod verò ſpectat ad mutationem configurationis & ſitus inſigniorum: Configuratio ſpectari poteſt reſpectu fixarum & planetarum. Reſpectu fixarum non mutatur configuratio; alioquin non eſſent fixæ & ſemper in eadem inter ſe diſtantia: Mutatur autem reſpectu planetarum, ſed præter coniunctionem cum planetis, nullas cum his habere deprehenduntur efficaces ſyzygias in Cœlo, quamvis reſpectu Terræ habeant ſuos ortus & occaſus potentes & Aſtrologis non ignotos. Situs autem variatur reſpectu Cœli atque Terræ: Cœli quidem ratione motus fixarum ſub Dodecatemorijs, quo pacto ſubijciuntur dominijs planetarum in quorum domibus verſantur, ut ipſi planetæ; ſed ille motus adeo lentus eſt, ut in annis 2000 non mutent dominium. Terræ verò quatenus per illum motum ſimili tarditate attolluntur inſenſibiliter, aut deprimuntur in circulo Meridiano; quod nullius eſt efficaciæ ſenſibilis; quandoquidem major aut minor declinatio planetarum, cauſans majorem aut minorem altitudinem in circulo Meridiano, nullam ſenſibilem effectuum varietatem præſertim ſpecificam per ſe inferre deprehenditur. Atque ad hæc reducitur univerſa fixarum immutatio in configuratione atque ſitu, quæ Sixto ab Hemminga fuit incomprehenſibilis. Non tamen negamus exquiſitionem deſiderari in Aſtrologia fixarum & conſtillationum cognitionem, quòad ipſarum proprias formaleſque virtutes: ſed quot & quanta deſiderantur in Medicina, tota Phyſica, Theologia, ipſiſque Mathematicis purioribus? An propterea tot nobiles ſcientiæ ut inutiles reſpuendæ ſunt? Perfecta cuiuſvis ſcientiæ notitia ad hanc miſeram vitam non pertinet, præſertim poſt Adami peccatum, quod ignorantiâ & malignitate cunctos infecit homines; ſed ad beatam & æternam, in qua videbimus Deum ſicuti eſt, & in hac ſimpliciſſima veritate quancunque veritatem intuitione clariſſima. Interim laboremus omnes inquiſitione veritatis modo noſtræ ſorti congruo; nobiſque ſufficiat quod ſaltem primariæ cauſæ cœleſtes harumque vires, præcipui agendi modi nobis tandem innoteſcant, ut ex hoc opere conſtat; in quo quid ipſi præſtiterimus poſteritas iudicabit.

Quartò. *Ridet Aſtrologos, quod poſt Cometas, Eclipſes & ſimiles conſtitutiones univerſales, applicent ſuccedentes effectus aliquos, ut bella, peſtes, mortes principum ad illas cauſas: Nec ex his tales effectus prædicant in particulari, ſaltem abſque mendacio; ut quod talis Princeps morietur, aut peſtis in tali urbe flagrabit.*

Reſpondeo. Ex locis Cometàrum Eclipſium & cæterarum conſtitutionum univerſalium, duntaxat univerſales extrui poſſe prædictiones: non autem particulares pro Principibus vel aliis; niſi eorum figura natalitia etiam exactè rectificata habeatur. Poſſeque in talibus errorem duplici de cauſa accidere; Primò quòd ob luminarium motus nondum exactè reſtitutos, vera non habeatur hora Eclipticæ conſtitutionis; multóque minùs ſciatur hora generationis Cometarum. Secundò, quòd non habeantur figuræ principum ad amuſſim rectificatæ: hoc enim non eſt cujuſvis Aſtrologi, ſed duntaxat peritiſſimi. Quod verò peſtis hanc potiùs quàm illam urbem invadat; non ſolùm pendere ab univerſali conſtitutione Cœli, quæ ex ſe peſtem ſignificare poteſt; ſed etiam à ſitu & poſitione urbis. Hæc autem omnia non cuilibet nota ſunt Aſtrologo; ſed eſſe cognitu impoſſibilia probari nequit. Si enim ad hanc rem aut Principes conducerent viros idoneos; aut ſi illorum ope non indigi, ſeipſos huic labori devoverent; mira hac in parte fierent; nec ſcientiæ tribueretur quod ſola hominum incuria cauſat.

Quintò. *Vult judicium de Nato pendere ex conſtitutione Cœleſti conceptionis, animationis, partus & aliis intermediis; quæ principia ait ignota eſſe Aſtrologo: ac temperamentū & mores variari ab educatione, exercitiis, conſuetudine,* &c.

Reſpondeo. His nullius jam ponderis objectionibus abundè ſatisfactum fuiſſe ſect. 2. lib. 12. præſertim capitibus 15, 16, 19. adverſus Alexandrum de Angelis; qui eandem hac in re cum Sixto ab Hemminga cantilenam profert. Videantur illa cap.

Sextò. Arguit ex Marſilio Ficino in Plotinum; *quod ſi ex coitu duorum radiorum aliud fiat quàm ab unico radio; ergo multo magis ex coitu omnium Planetarum & omnium fixarum: quò autem plures cauſæ confluunt, tantò judicium difficilius: quia neque omnes cauſæ perfectæ cognoſcuntur ſigillatim: neque ſi omnes cognoſcerentur, ſtatim ſci-*

retur quid novi ſint effecturæ; præſertim ſi habenda ſit ratio cauſarum ſublunarium. Ergo impoſſibilis eſt ſcientia.

Reſpondeo Hemmingam ſemper hærere in illa confuſione, quod ad quamlibet ſpeciem accidentis Nato futuri, Planetæ omnes atque fixæ concurrant; quod ſupra ad objectionem 3 rejectum eſt. Itaque concedimus quidem, quod quanto plures cauſæ, corpore, aſpectu & dominio determinantur circa eandem accidentis ſpeciem; tantò difficilius eſt de ipſo judicare: eſſe autem impoſſibile, non minus falſum eſt, quàm de morbo à complicatis pluribus cauſis morbificis ſententiam ferre. Atque hæc ſunt potiora, ſed nullius momenti argumenta Sixti ab Hemminga in Aſtrologiam univerſam.

Jam videamus quàm multifariam erret circa directiones, quæ ſunt præcipuum veritatis Aſtrologicæ argumentum; in quibus tamen ſe nullam deprehendiſſe veritatem, ſed perpetuam falſitatem profitetur, expoſitis ad hoc 30 nativitatibus varietate caſuum inſignibus, quas per Aſtrologorum decreta & directiones ſuo modo examinat.

Itaque primò judicat de hac Scientia ex nativitatibus, aut nullo modo rectificatis; aut duntaxat per unum vel alterum accidens. Quod tamen non ſufficit ut rectificationi fides habeatur; ſi plura eaque inſignia præceſſerint accidentia, veluti in nativitatibus quas exponit. Inde verò futura ad ſuum tempus prædicere per proprias cauſas, aut accidentia cætera ſecundum tempus ad proprias referre cauſas, prorſus eſt impoſſibile, ſi erratum ſit in illa per unicum accidens rectificatione: Imò Ab Hemminga judicat ex figuris, quæ cum Junctino differunt 10. 15. & pluſquam 10 gradibus in Horoſcopo. Eſt autem probabilius Junctinum celebrem Aſtrologum colligendarumque nativitatum ſtudioſiſſimum, quas expoſuit figuras bona fide tradidiſſe.

Secundò. Si in figuris ab eo ſelectis 2 aut 3 accidentia per directionis ſuis cauſis quoad tempus & ſpeciem effectus quadrare deprehendat, ſed non ad minutum vel arcus directionis, vel temporis; directionum doctrinam putat rejiciendam; & quæſtiones vanas effundit, cur una directio 4 aut 5 minutis Æquatoris, aut uno circiter menſe anticipet effectum, aut altera tantumdem ſubſequatur. Cui futili rationi ſatisfecimus Cap. 3. Sect. 3. quod vide.

Tertiò. Non alias directiones inſtituit, quàm Solis, Lunæ, Horoſcopi & Medii Cœli, pro cunctis Nati accidentibus. Quæ mera eſt inſcitia, licet à Ptolemæo tradita; qui tamen adjungit ſortem, à Sixto ſine ratione rejectam. Non enim ☉. ☽, Horoſcopus & M. C. ſunt ſignificatores determinati ad omnia Nati accidentia; ſed tantùm ad aliqua: Nimirum Horoſcopus circa accidentia primę domus; Medium Cœli ad accidentia decimæ, Sol & Luna verò ad accidentia domorum in quibus ſunt, quibuſque præſunt. Alii autem Planetæ ♄ ♃ ♂ ♀ ☿, aliæque cuſpides, non minùs determinantur circa Natum, quàm ☉, ☽, Horoſcopi & M. C: quamobrem pro iis ſunt dirigendi, ad quæ ſitu vel dominio determinantur: quod adeo planum fecimus Cap. 4, 5, 6. Sect. 7. contra Ptolemæum, Cardanum alioſque veteres, ut hîc alia reſponſione non ſit opus.

Quartò. In directionibus quas ipſe ad Aſtrologiam refellendam inſtituit atque ſupputat; non refert effectus ad propria cauſas; ſed alienas ab effectibus: & ſimiliter cauſas ad alienos effectus. Quid enim aliud efficere poſſet, qui duntaxat dirigit 4 ſignificatores; nec tam horum quàm aliorum quos omittit, determinationes attendit?

Quintò. Maxima pars directionum ab ipſo propoſitarum, ſunt ad Terminos Planetarum; quos mera nulliuſque virtutis figmenta eſſe probavimus Lib. 13. Cap. 13. Quomodo igitur cum his veras potuiſſet inſtituere directiones? ſed omiſſa majori parte ſignificatorum genituræ, promiſſorum numerus figmentis neceſſariò fuit augendus.

Sextò. Si verbi gratiâ, Lunæ directio ad □ ♂ in aliquo Nato, dicatur aliquem effectum produxiſſe; vult ut in quavis alia geneſi eundem producat effectum; nulla ratione habita determinationum ſignificatoris & promiſſoris, in illis diverſis geneſibus, neque proſapiæ, ſexus, conditionis aliarumve diſpoſitioum ſubjecti naſcentis. Ac ſi contrarium poſſit oſtendere in aliqua geneſi; negat effectum ſupradictum à tali cauſa prodiiſſe: Ac præterea quærit, cur idem effectus aut ſimilis non potuerit produci ab aliis cauſis cœleſtibus quas ipſe refert, nulla etiam habita ratione determinationis earum? Hoc autem quid aliud eſt, quàm ignorantiâ circumagi, titubare & cadere in abſurda maxima defectu obſervatæ & in judicium adductæ determinationis verorum ſignificatorum & promiſſorum in ſingulis genituris, proindeque ipſius determinationis vim in Aſtrologia maximam egregiè commendare?

Septimò in univerſali judicio de vita, divitiis, uxore, honoribus, &c. non argumentatur à veris & genuinis illorum accidentium cauſis, per determinationem talibus: ſed præcipuè paſſimque à cauſis univerſaliter analogis, quas Cardanus vocavit ſignificatores ſecundum ſubſtantium. Quæ hallucinatio quanta ſit, fusè oſtendimus cap. 3, 4, 5 & 6. ſect. 1. Quid igitur mirum ſi Sixtus ab Hemminga, tot erroribus implicitus Aſtrologiæ veritatem nec in alienis nec in propria geneſi potuerit apprehendere; cùm præſertim Ptolemæi, Cardani, Leonitii & aliorum dogmata & aphoriſmos non paucos manifeſtę falſitatis plerumq; convinceret?


Cæterùm ad majorem ſcriptoris hujus confuſionem, exponamus hîc genituram ejus & accidentia, quorum cauſas ex ſua figura ab eo etiam rectificata, nunquam invenire potuit.

CAPUT IV.

Quo demonſtratur veritas doctrinæ directionum ſuper figura Sixti ab Hemminga.

EXacta Nativitatis figura, eſt cauſa futurorum Nato accidentium, quoad horum ſpeciem atque tempus: & viciſſim accidentia ipſa ſunt ab illa cauſa: ut proinde hac data, inveniri queant accidentia quò ad ſpeciem atque tempus. Viciſſimque his datis quò ad ſpeciem atque tempus, diſcerni queat exacta nativitatis figura, à quavis altera proxima; hoc eſt exactam ipſam præcedente vel ſequente per aliquod horæ minuta, imò per aliquot horas. Hoc autem non eſt cujuſvis arti-

artificis; ſed in cognitione cauſarum Cœleſtium peritiſſimi, qui nimirum effectus veris ſuis cauſis rectè norit applicare. Et tota induſtria in eo conſiſtit, ut ſumatur aliquod accidens, & per directiones applicetur cauſis, hoc eſt ſignificatori & promiſſori, illud producere ex ſua natura atque determinatione potentibus. Si enim ſtante hac applicatione, reliqua accidentia quoad ſpeciem atque tempus reperiantur per directiones ſimiliter applicata cauſis illa producere potentibus; inventa erit exacta figura Nativitatis: ſin minùs, falſa eſt Hypotheſis primę applicationis, in qua ſignificator debet ſemper eſſe Horoſcopus vel Medium Cœli, quandoquidem iſta quęruntur.



Latitudines

♄	0. 29	M.A
♃	0. 28	S. D
♂	0. 45	M.D
♀	1. 21	S. D
☿	2. 31	S. A
☾	3. 15	M.A

Igitur Sixtus ab Hemminga pro ſuæ genituræ rectificatione, aſſumit morbum anni 1559 die 8 Decembris hora 5 matutina: qui fuit febris acutiſſima, cum pleuritide & inflammatione hepatis, & in quo ferè deſperatum eſt de vita: quem ex mente Aſtrologorum ſupponit cauſatum fuiſſe à directione Horoſcopi ad antiſcium ♂, cujus aſcenſio obliqua in polo figuræ fuit 284 grad. 2′. Et accidentis tempus converſum in gradus Æquatoris ex Ptolemæo 26 grad. 50′. His igitur ablatis ex 284 grad. 2′, ſuperſunt illi 257 grad. 12′. pro aſcenſione obliqua Horoſcopi: unde tempus verum nativitatis emergit 13 hora 6′. 30″. Ut verò hîc confirmetur Horoſcopus, rurſus dirigit ipſum pro morbo ſubitaneo cum animi deliquio & repentina virium exolutione, qui ortus eſt die 2 Decembris 1566 horâ 7, ſubſequente quotidiana febre; ad □ ☿, cujus aſcenſio obliqua fuit illi 290 grad. 25′. tempus autem accidentis converſum 33 grad. 50′. Et facta hujus arcus ab illo ſubtractione, ſuperfuit 257 grad. 35′. pro aſcenſione obliqua Horoſcopi; non autem præcisè 237 grad. 12′. ut ſupra: Quamobrem reſpuit utramque directionem, quod velit ambas in minuto convenire; alioquin negat tales effectus à talibus eſſe cauſis, ullamque Aſtrologiæ fidem habendam eſſe. Adde quod reliquorum accidentium ſuorum cauſas, per directiones nullas invenire queat.

Multifariam autem deceptus eſt Sixtus ab Hemminga, circa ſuam figuram & alias. Primò quod haud parum erronea habuerit loca Planetarum. Nam ♂ eſt illi in 17 grad. 33′ ♑, cùm in Tabulis Rudolphinis ſit tantum in 17 gr. 9′: ♀ autem eſt illi in 17 gr. 25′ ♓, cùm ex Tabulis Rudolphinis ſit tantùm in 13 gr. 41′. Secundò, quia neceſſariam omiſit correctionem aſpectuum. Tertiò, quia converſio temporis in gradus Æquatoris à Ptolemæo deſumpta, non eſt legitima, ut diximus ſect. 3. cap. 3. Quartò, quia 4 tantùm dirigit ſignificatores, Horoſcopum, Medium Cœli atque ☉ & ☽. Quintò, quia fictitiis utitur promiſſoribus, ut pote Planetarum terminis. Sexto, quia prorſus ignoravit diſcernere veras cauſas affectuum, ut his illas applicaret.

Ego autem ſumptis ejus accidentibus horumq; temporibus ex ipſo Ab Hemminga, illorum proprias cauſas ſic invenio; & Aſtrologiæ veritatem oſtendo. Pro fundamento rectificationis ſumo ejus Matrimonium celebratum 2. Auguſti 1563: quod accidens ſimpliciter & per ſe eſt de genere actionis, ideoque pertinet ad Medium Cœli, etſi propenſivè pertineat ad Horoſcopum. Venus autem domina ſeptimæ, fuit uxoris analoga ſignificatrix, & conjuncta ♂ domino Horoſcopi, hoc eſt inclinationum ſignificatori, conjugium evidentiſſimè pollicebatur. Quamobrem pro conjugii tempore, ſic dirigo □ ♀ ad Medium Cœli.

Aſcenſio recta □ ♀ ex Tabula noſtra correcti	195 gr. 4′.
Tempus accidentis converſum ex Tabula Naibodæ	30 gr. 3′.
Subtractione facta ſupereſt aſcenſio recta Medii Cœli	165. 1.

Ideo-

Ideoque verum nativitatis tempus fuit 12 horæ 59′; hoc eſt tantùm 7′. 30″. citiùs quàm poſuerit Ab Hemminga. Sumo autem ejus Matrimonium; quia in homine 30 annorum, dici non poteſt quod non fuerit ſpontaneum & à propenſione, quam à geneſi impreſſerat ♂ dominus Horoſcopi fortis & conjunctus ♀. dominæ domus ſeptimæ. Jam videamus an reliqua ejus accidentia, non minùs congruas habuerint ſuo tempore cauſas Cœleſtes.

Itaque anno 1542. ſub finem Aprilis, primus eum invaſit morbus dierum 12, ex crudirate ortus. Hic verò fuit à directione Horoſcopi ad □ ☉ in domo ♄. qui ſuo antiſcio eſt in cuſpide domus duodecimæ, quæ per ſe morborum eſt.

Aſcenſio obliqua □ Solis	264.	18′.
Aſcenſio obliqua Horoſcopi	255.	1.
Differentia	9.	17′.
Tempus accidentis converſum.	9.	5.

Anno 1544. die 10 Decembris, horâ 3, accidit pleuritis cum delirio & periculo. Fuit autem à duabus cauſis. Altera eſt directio ♃ domini primæ domus, ideoque vitæ ſignificatoris ad ☍ ♄. in octava conſtituti.

Aſcenſio obliqua ☍ ♄ in circulo poſitionis ♃	301 gr.	35.
Aſcenſio obliqua ♃	290.	6.
Differentia	11.	29.
Tempus accidentis converſum.	11.	35.

Altera verò eſt Solis morborum ſignificatoris ob ejus antiſcium in cuſpide duodecima. & □ in Horoſcopo; ad ☿ octavæ dominum: & hæc delirium & periculum vitæ cauſavit: prior verò etiam vitæ periculum ob ♄ in octava.

Aſcenſio obliqua ☿ in circulo poſit. ☉	345 g.	6′.
Aſcenſio obliqua ☉	333.	36.
Differentia.	11.	30.

Et quia ♄ effectus cæterorum Planetarum effectibus diuturniores eſſe ſolent, rurſus alia pleuritis ſed levior accidit à concurſu duarum illarum directionum virtute adhuc ſubſiſtentium, die 14 Jan. 1646. cujus tempus converſum. fuit 12 gr. 48′.

Anno 1551 menſe Auguſto, accidit tumor pedis greſſum impediens; qui duravit per duos annos. Hunc autem morbum longum effecit directio ♄, in ſigno aqueo pravè affecti in octava ad ☽ etiam in eodem ſigno & octava domo: his oppoſitis ♂ domino Horoſcopi & duodecimæ. Saturnus autem ut ſæpe ſolet ferè per annum retardavit effectum, ſed diuturnitate mali retardationem compenſavit ut ejus proprium eſt.

Deſcenſio obliqua ☽ in circulo poſit. ♄	135. g.	51′.
Deſcenſio obliqua ♄	118.	44.
Differentia	17.	7.
Tempus accidentis converſum.	18.	0.

Anno 1555, die 15 Aprilis accidit coliaca paſſio vel diarrhæa unius menſis cum vitæ periculo; quam ſecuta eſt Bulimia per biennium durans. Fuit autem hic morbus à directione ♃ domini primæ; ideoque ſignificatoris vitæ ad ♀ in domo ſecunda & ſigno ♄, conjunctam ♂, domino duodecimæ in ☍ ♄ exulis in octava. ♂ venerem proximè ſequente: quo pacto ipſa ♀ etiam Horoſcopo inimica, erat vitæ multùm contraria, cum præſertim eſſet octavæ oppoſita.

Aſcenſio obliqua ♀ in circulo poſit. ♃	312. g.	5.
Aſcenſio obliqua ♃	290.	6.
Differentia	21.	59.
Tempus converſum.	21.	51.

Bulimia autem per biennium durans fortè accidit ob aliquod erratum in ſuſceptis & factis pro ſanitate recuperanda, aut in exercitiis; in quibus Ab Hemminga utcunque Medicus, fuit infœlix: ob directionem M. C. actionum ſignificatoris primarii ad □ ♄ in 8. correctum noſtra methodo.

Cujus directionis arcus fuit 21. gr. 33.

Anno 1559. die 8 Decembris horâ 5 matutinâ; contigit febris acutiſſima cum pleuritide & inflammatione hepatis, in qua de vita ferè deſperatum eſt. Atque hic morbus fuit à directione ♃ domini primæ, ad ♂ in ſecunda dominum duodecimæ. Non autem à directione Horoſcopi ad ♂ antiſcium ut cenſuit Ab Hemminga; ♃ enim præeſt hepati, & cauſa illa impar eſt effectui.

Aſcenſio obliqua ♂ in circulo poſit. ♃	316. g.	52′.
Aſcenſio obliqua ♃	290.	6.
Differentia	26.	46.
Tempus accidentis converſum.	26.	28.

Anno 1566. die 2 Decembris, accidit morbus ſubitaneus cum animi deliquio & repentina virium exolutione: qui deſiit in quotidianam febrem. Hic verò morbus quàm apprimè quadret directioni ♂ domini Horoſcopi & duodecimæ ad ☉, qui ex ſe præeſt cordi vitaliq; facultati, patet omnibus Aſtrologiæ peritis. At quia ſunt ambo ſub dominio ♄ exulis in octava & domo ☽, etiam in octava, nihil mirum quod effectus hic retardatus fuerit ad hunc annum, quo huic morbo congrua Revolutio contigit: in qua nempe ♄ fuit Soli partiliter oppoſitus, Lunæ verò quadratus; ♂ autem in cuſpide octavæ radicalis; præcedens enim revolutio ex Planetarum ſtatu morboſa non erat. Imò ſi retardatus fuerit uſque ad diem 2 Decembris, quo per tranſitus ☉ ♂ & ☿ erant conjuncti in oppoſito cuſpidis octavæ radicalis, ♄ autem cum ☽ in illorum □ & Cœli Medio.

Aſcenſio obliqua ☉ in circulo poſit. ♂	340. g.	0.
Aſcenſio obliqua ♂	308.	13.
Differentia	31.	47.
Tempus accidentis converſum	33.	17.
Differentia	1.	30.

Retardavit igitur per totum annum quo non fuit Revolutio congrua; & per dimidium ſequentis congruæ. In rei autem veritate talis effectus fuit à tali cauſa.

Anno 1572. die 10 Novembris fit captivus, multaq; damna patitur in divitiis, poſſeſſionibus; aliaque mala cum curis & afflictionibus corporeis. Hęc autem prodierunt à directione ♂ domini duodecimæ & Horoſcopi in ſecunda, ad ☿ dominum octavæ & decimæ, in cuſpide quarta exulem & dejectum. Et hæ cauſæ ſunt evidentiſſimæ.

Aſcenſio obliqua ☿ in circulo poſit. ♂	347. g.	14′.
Aſcenſio obliqua ♂	308.	13.
Differentia	39.	1.
Tempus accidentis converſum	39.	16.

Denique 3 Maij 1577 vi venti incidit in aquam cum magno ſubmerſionis periculo. Qui effectus accidit à directione ♄ exulis in ſigno aqueo & octava domo ad oppoſitum ☉ etiam exulis in ſigno aereo & ♄ domo, ut per ſe patet.

Deſcenſio ☍ ☉ in circulo poſitionis ♄	162.	gr.	19′.
Deſcenſio obliqua ♄	118.		44.
Differentia	43.		35.
Tempus accidentis converſum	43.		37.

Quæ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Quænam precor optari poteſt hac in geneſi major concordantia cauſarum cum effectibus, quò ad genus, imò ſpeciem ac tempus ſupra poſitorum decem accidentium? An illâ viſâ auſi fuiſſent Ab Hemminga, Picus, & De Angelis, vel ipſos non puduiſſet in Aſtrologiam ſcribere ac debacchari? Num indè millies evidentiùs dèmonſtro divinæ hujus ſcientiæ veritatem, quàm ipſi totis ſuis libris oſtendere potuerint ejus vànitatem? Sed uſitato nobis axiomate concludamus, homine ignaro nihil eſſe injuſtius.

Caput V.

Quo non exigui momenti objectiones à nobis proponuntur ac enodantur.

Expoſitis aliorum objectionibus, nonnulla nobis occurrunt paulò ſubtiliores, nec adeo facilis ut priores ſolutionis, à quovis ſaltem Aſtrologo: quæ tamen per doctrinam hactenus à nobis traditam dilucidè enodantur.

Itaque primùm objicio. Coincidat Ecliptica cum Horiſonte ad Poli elevationem 66 grad. 30′; vel cum altero poſitionis circulo ultra ipſam altitudinem; ſitque ☉ in priore caſu conſtitutus in Horoſcopo: Quæritur an ☉ & Horoſcopus ſint duo ſignificatores, an unicus? Et ſi ſint unicus, pro quibus & qualiter dirigi debeat? Si duo, qualiter ſint diſtinguendi; & pro quibus quilibet dirigendus?

Reſpondeo, Horoſcopum & Solem hîc eſſe duos ſignificatores diſtinctos. Nempe eſt Horoſcopus, ſpectatus ratione ſui ſtatus Cœleſtis, qui eſt præſentia Solis ejuſque aſpectuum in Horiſontis partem ortivam cadentium. Horoſcopus enim dirigendus eſt ut ſignificator, quatenus ſic affectus, juxta principia à nobis ſuprapoſita; quòd nempe omnis ſignificator dirigendus ſit ratione ſui ſtatus atque determinationis in figura. Ac præterea eſt Sol, quatenus in Horoſcopo cum ſuis aſpectibus: Sol enim dirigendus eſt ratione ſuæ determinationis atque ſtatus ob eandem cauſam. Quod autem diſtinguendi ſint patet; quia Sol erit dominus quintæ juxta univerſalem noſtram methodum erigendi figuram Cœleſtem, proindeque liberorum ſignificator: Et per conſequens dirigendus non ſolùm pro Nato quem ſignificat; ſed etiam pro liberis: quod Horoſcopo per ſe competere nequit. Eademque eſt ratio in cæteris.

Objicio ſecundo. Sint 2,3,4, vel omnes Planetæ conjuncti partiliter in eodem Eclipticæ puncto ſive gradu. Quis ipſorum erit ſignificator aut promiſſor in directionibus?

Reſpondeo, Conjunctionis locum dirigendum eſſe ut ſignificatorem pro quolibet Planetarum conjunctorum; habita ratione ejus determinationis atque ſtatus Cœleſtis; ad quem ſtatum pertinet illa ☌: obſervando tamen cum quo ſignificatore meliùs quadrabit promiſſor pro effectu ſive ſubjecto à ſignificatore repræſentato. Et hoc intelligendum eſt ſive promiſſor ſit ſimplex, ut Planeta unus, aut unus aſpectus; ſive ſit multiplex, ut duo Planetæ partiliter juncti, vel ſextiles aut □ ſupradictorum Planetarum. Semper enim videndum erit, quis ex promiſſoribus conjunctis magis quadret aſſumpto ſignificatori. Ergo ſi ſignificator ſit ſimplex aut ſolitarius, ut Medium Cœli, vel Sol; & promiſſor multiplex, ut 2.3.4. vel omnes Planetæ partiliter conjuncti, aut plures etiam aſpectus; patet quis magis proprius erit promiſſor: nempe qui cum ſignificatore quadrabit meliùs pro ſubjecto quod repræſentat.

Objicio tertiò. Directionum terminos eſſe duntaxat mera puncta in Cœlo ſpectata. Nam in directione Horoſcopi ſignificatoris, non dirigitur ulla Cœli pars; ſed tantùm Cœli punctum horoſcopans. Similiter in directione Solis ſignificatoris, non dirigitur pars ulla Cœli, ſed tantùm illud punctum quod reſpectu noſtri reſpondet centro Solis. At puncto nulla vis ineſt: Ergo nec ulla etiam vis inerit talium ſignificatorum directionibus.

Reſpondeo. Punctum horoſcopans in directionibus non ſpectari ut eſt punctum formaliter, ſed ut initium partis Cœli quæ verſatur in prima domo & determinatur ad vitam. Ineſt autem virtus toti ipſi parti; major quidem ubi Horoſcopo proximior eſt, ideoque maxima in ipſo Horoſcopo; juxta vulgare axioma *propter quod unumquodque tale & illud magis.* Quod verò ad Solem pertinet, punctum ejus centro correſpondens, non etiam dirigitur ut punctum formaliter; ſed ut medium partis illius Cœli, quam Sol viſibili ſua diametro nobis occulrat atque determinat: Cui quidem toti parti vis ineſt Solaris, ſed maxima in centro. Unde Planetarum Soli conjunctorum, qui ſunt viciniores Soli, conjunctionis vim efficaciùs participant; indeque præ cæteris partiles commendantur conjunctiones. At omnium efficaciſſimè, qui Soli centraliter conjunctus, dicitur eſſe in corde Solis, cenſeturque à veteribus Aſtrologis quaſi Sol alter eſſe; quod tunc omnium maximè naturam Solis ſuperinduat. Quod autem hìc dicitur de ſignificatoribus, etiam dictum cenſeatur de promiſſoribus: ſive ſint Planetæ, ſive aſpectus; in quibus tota etiam Planetæ aſpicientis diameter ejuſque centrum concipienda ſunt.

Objicio quartò. Permultas occurrere directiones etiam inſignes ſine ullo prorſus effectu ill s congruo; ſaltem ad Annum in quem incidunt: Ergo vel varia vel ſaltem admodum manca eſt directionum doctrina, cui præſertim maximè fidunt, ac de ipſa gloriantur omnes Aſtrologi.

Reſpondeo. Directiones ſolas nihil efficere ſine congruis revolutionibus annuis, aut ſaltem menſtruis cum tranſitibus congruis, ob cauſas libro ſequenti exponendas. Cùm ergo non ſemper concurrant directio & revolutio congruæ: nil mirum ſi directio fruſtretur interdum ſuo effectu, aut illum retardet per unum aut duos annos, aut illum præmittat, per totidem temporis, occurrente tunc Revolutione congruo. Hoc verò potiùs confirmat quàm infirmet doctrinam directionum. Adde quod ſi nulla directio effectu ſibi proprio fruſtraretur, fatalis neceſſitas ab Aſtris introduceretur, cùm tamen humanæ prudentiæ ac libertatis vi, multa fiant & evitentur contra Cœleſtes influxus; quod hanc ſcientiam duntaxat conjecturalem efficit. Atq; de directionibus ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei, qui Cœlum, Aſtra, Terramque creavit ac ſapientiſſimè diſpoſuit, hactenus dicta ſufficiant.

FINIS LIBRI VIGESIMI SECUNDI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ASTROLOGIÆ GALLICÆ

LIBER VIGESIMUS TERTIUS.

De Nativitatum Revolutionibus.

PRÆFATIO.

Aſtrologia judiciaria hominibus præſertim deſtinata; verſatur potiſſimùm circa duo genera Thematum Cœleſtium, ad homines ipſos pertinontium: nempe circa Themata Genethliaca & Themata Revolutionum. De prioribus abundè diximus libris 21 & 22; hoc verò agendum nobis ſupereſt de nativitatum Revolutionibus. Hanc autem doctrinam nonnulli Aſtrologi, inter quos Stadius, vanam falſamque crediderunt; nec mirum; quòd propter Tabulas motuum Solis ſuo tempore erroneas, hora Thematis revolutionis Solis à veritate plus quam per 6 horas aberraret interdum: indeque prodiret Thema Cœleſte prorſus erroneum, ex quo nonniſi falſa prædici poterant. Alii verò hoc etiam Tempore quo Solis Tabulæ habentur ad hoc ſufficienter accuratæ, eandem ſine ulla prorſus ratione, ſed ſtolidâ duntaxat inſcitiâ exſibilandam eſſe voluerunt. At cæteri ipſam eſſe veram & experientiis conformem aſſeverarunt; ſed ejus principiorum ignari, de illa ſcripſerunt diverſimodè; eamque erroribus ſcatentem inſignibus, valdeque incompletam nobis tradiderunt. Cùm ergo doctrina hæc ſit totius Aſtrologiæ genethliacæ pars ferè dimidia: totis viribus conati ſumus, ipſam non modò integram completamque, ſed veris etiam fundamentis & experientiis innixam Poſteritati relinquere. Qua in re, an voti facti ſimus compotes, Lector his ſacris initiatus facilè judicabit.

CAPUT I.

Quid ſit Revolutio apud Aſtrologos, & quotuplex.

REvolutio apud Aſtrologos, eſt Planetæ reſtitutio ad eandem Cœli longitudinem, totius Orbitæ propriæ peragratione. Dicitur ad eandem longitudinem; quia quamvis ſint ejuſdem Planetæ revolutiones multimodæ: tamen duo tantùm hîc nobis occurrunt modi conſideratione digni. Primus eſt quo Planeta ad idem Cœli punctum ſecundum longitudinem & latitudinem revolvitur: atque hic modus ad Solem duntaxat pertinet, qui perpetuò movetur ſub Ecliptica; non libratili, ſed fixa, ut Keplerus in Tabulis Rudolphinis jure cenſuit, hoc eſt ejuſdem perpetuò inclinationis ad Æquatorem, quorum ſectionalia puncta ſunt etiam fixa, quidquid Telluris motus aſſertores ſine demonſtratione in contrarium garriant. Ex quibus fit, ut Sol annis ſingulis ad idem Cœli punctum per totum Eclipticæ tractum, ſecundum longitudinem & latitudinem (quæ nulla eſt in Ecliptica) tum etiam declinationum deveniat. Secundus eſt quo Planeta redit quidem ad idem Cœli punctum penes longitudinem, non autem penes latitudinem. Atque hic modus convenit reliquis à Sole Planetis: qui cùm ſuas habeant Orbitas ad Eclipticam inclinatas, idcirco latitudini ſunt obnoxii. Et quia ipſorum nodi moventur in Ecliptica, inde fit ut exceptâ Lunâ, cujus nodi in annis circiter 19 revolvuntur ad idem Eclipticæ punctum, vix unquam ullus ex reliquis Planetis ad eundem Cœli locum penes longitudinem ſimulque latitudinem reſtituatur, ob motum lentiſſimum nodorum ſuorum. Unde patet Solis revolutiones, aliorum Planetarum revolutionibus longè ſimpliciores eſſe ac præſtantiores, tum etiam efficaciores.

Dicitur etiam totius Orbitæ propriæ peragratione, ob ♄ ♃ ♂ ♀ & ☿ retrogreſſiones, quæ Planetam ad eundem quoque Cœli locum penes longitudinem reſtituunt, ſed abſque totius orbitæ peragratione. Sic verò Planeta revolvi non dicitur.

Quoniam verò nullius Planetæ revolutiones ſunt infinitæ, quòd extra Deum nec detur nec dari queat infinitum actu, ergo neceſſe eſt ut fuerit aliqua prima, & hujus etiam aliquod principium; quippe Cœli locus in quo Planeta ipſe initio Mundi à Deo poſitus eſt. Unde duplex jam occurrit Planetæ revolutio conſideranda. Prima reſpectu initii Mundi, quâ Planeta in eundem Cœli locum ſaltem ſecundum longitudinem reſtituitur, à quo motus ejus incipit initio Mundi. Et hæc eſt toti Mundo cunctiſque Terræ gentibus univerſalis, & mundana vocatur. Secunda eſt reſpectu initii vel generationis alicujus viventis, influentiarum ſuſceptivi: quâ etiam Planeta ad eundem longitudine locum Cœli redit, in quo fuit momento ipſius generationis vel nativitatis: Et hæc particularis eſt, ac denominatur à Nato; verbi gratiâ dicitur prima, ſecunda aut vigeſima Cardani, vel alterius Nati revolutio, à momento genituræ.

CAPUT II.

De Planetarum mundanis Revolutionibus.

QUoniam mundana Planetæ revolutio eſt ipſius reſtitutio in eundem locum longitudinis,

à

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

à quo motus ejus incepit initio Mundi ex ſuperiori capite; ignorantur autem loca illa initialia, ſaltem pro ♄ ♃ ♂ ♀ ☿ atque ☽: patet ignotas etiam eſſe horum Planetarum mundanas revolutiones. De Sole autem etiam ambigitur quo in Eclipticæ puncto factus ſit die 4 creationis. Alii enim factum eſſe volunt in principio ♎, alii in principio ♋; ſiquidem conveniunt omnes quod in aliquo Cardinali puncto factus fuerit. Ego verò futilitate rationum ab his & illis adductarum patefacta, ob rationes longè majoris ponderis aſſerui Lib. 2. Cap. 4. Solem in principio ♈ fuiſſe productum; ideoque mundanas ejus revolutiones licet nobis erigere; ſed obſcuræ & duntaxat incompletæ ſignificationis; quòd nempe ſciri quidem poſſit in quovis Terræ loco tempus ingreſſus Solis in principium ♈, ſaltem cum Tabulis juxta Aſtronomiæ noſtræ reſtitutæ leges conditis, indeque revolutionis figuræ erigi; qua patebit quis ſit eo momento tam Solis quàm aliorum Planetarum ſtatus Cœleſtis atque determinatio circa Terræ locum ad quem figura erecta eſt. At quia ignoratur qua horâ illius loci, Sol factus ſit initio Mundi, & quę tunc fuerint aliorum Planetarum loca in Cœlo; neceſſe eſt etiam neſciri initialem illam figuram qua Sol cum Planetis cæteris in hæc inferiora, præſertim verò in locum illum Terræ influere cœperunt, ut hæc cum illa comparetur; ex hac enim ſola comparatione figurarum cum directionibus radicalibus, clara & completa ſignificatio prodire poteſt, ut conſtat ex revolutionibus Nativitatum; de quibus ſi quis judicaverit nulla figuræ genethliacæ habita ratione ejuſque directionum; is prædicendo maximè aberrabit: Prædicet enim magna & fauſta ſi viderit Solem in Horoſcopo vel Medio Cœli Revolutionis, cùm tamen infauſta ſint prædicenda ſi in figura genethliaca Sol fuerit in octava vel duodecima pravè affectus: eademque eſt ratio de cæteris. Igitur ex mundanis revolutionibus Solis, vix ullam prædictionum certitudinem nobis ſperare licet, ratione domorum figuræ vel influentiarum, prout ad ipſum Terræ locum generaliter referuntur; niſi forſan quatenus conferuntur cum particularibus revolutionibus nativitatum; quòd ſemper à generali particulare quodammodo dependeat: quamvis ratione conſtitutionis aereæ revolutiones ipſæ plurimùm ſemper habeant virtutis, ab illa initiali figura quò ad hoc independentis. Sed de his fuſiùs alibi: & hîc iſta ſufficiant, ut pateat quouſque annna Mundi revolutio prodeſſe queat revolutionibus annuis Nativitatum. Si enim annua Mundi revolutio fuerit valde fœlix atque fauſta in ſe ſpectata, hoc erit bonum omnibus particularibus degentibus in loco figuræ; præſertim iis quorum genethliacæ revolutiones, congruent cum illa Mundi revolutione: Contrarium verò dicendum erit ſi tam mundana quàm genethliaca revolutio in malo ac infortunio conſenſerint; quippe Cœleſtis conſtitutio tam generalis, quàm particularis, ſemper quantùm poteſt juxta vim propriam operatur, niſi in agendo à priore dependeat.

Caput III.

De Planetarum genethliacis Revolutionibus, earumque vi ac utilitate.

Quoniam in figura nativitatis ſumuntur vera loca non modò Solis, ſed aliorum etiam Planetarum; & ipſorum quilibet orbitâ ſua peragratâ rediens ad locum ſuum radicalem Nati reſpectu, vim ſuam renovat erga Natum ipſum, ratione determinationis ſuæ in figura genethliaca; profectò neceſſarium fore videretur ſingulorum Planetarum revolutiones erigere ac inſpicere; ut conſtaret quomodo tunc à reliquo Cœli ſtatu annuaque determinatione juvarentur vel impedirentur ad agendum juxta determinationem radicalem: id enim de Sole utiliter fieri conſuevit; quamvis Ptolemæus Cap. 9 & 11. Lib. 2. Quatriparti doctrinam quidem tradiderit erigendæ Solis annuæ revolutionis univerſalis ad 4 puncta Zodiaci cardinalia, non autem erigendæ figuræ particularis pro nativitatibus, cujus ne quidem meminit; unde liceret dubitare an in uſu fuerint tempore Ptolemæi, revolutiones Solis genethliacæ.

Cardanus verò non modò Solis, ſed aliorum etiam Planetarum Revolutiones utiles eſſe; videtur ſubolfeciſſe Lib. de Judic. genit. Cap. 6. ubi loquitur de reverſionibus Planetarum ſingulorum ad ſuum locum radicalem, ſed multifariam errat. Primò dum ait reverſionem Solis ad ſuum locum nihil ſignificare, quia præſupponitur. Si enim nihil ſignificaret revolutio Planetæ primarii ac Principis, cur ejus figura erigeretur judicanda? Et quid ſignificarent revolutiones ſatellitum Solis, de quibus etiam dici poſſet, quod præſupponuntur, dum earum figuræ erigentur? Secundò dum ait quod ☿ reverſio ad ſuum locum parum ſignificat, quia frequenter accidit: Inde enim ſequitur quod reverſio Solis ad ſuum locum plus ſignificet, quia rariùs accidit quàm reverſio Mercurii: Imò ſequetur quod reverſio ☽ omnium minimè ſignificabit, contra Cardani mentem, qui dat illi mediocrem ſignificationem inter reverſiones ☿ ♀ & ♂ ♃ ♄, & contra rei veritatem, ut infra patebit.

Dicetur à pleriſque adhuc ignorari præciſa Planetarum loca momento nativitatis defectu Tabularum Aſtronomicarum, ideoque nec ſciri poſſe quo temporis momento redeant ad ſua loca radicalia, præſertim Jovem & ♄ motu tardiſſimos; ignotâ autem horâ ipſius reditus, figuram revolutionis erigi minimè poſſe.

Verùm hæc objectio cauſam quidem reddit cur id nondum fieri potuerit, non tamen inde ſequitur, id vel prorſus impoſſibile vel inutile eſſe. Ac proinde ſi Planetarum Tabulæ haberentur accuratæ, Planetarum omnium revolutiones erigerentur etiam accuratè, magna certè Aſtrologiæ laude ac utilitate. Cùm autem poſt maximos Aſtronomorum labores, præſertim verò Nobiliſſimi Tychonis Brahæi, pro Sole eò uſque deventum ſit hoc ſeculo, ut motus ejus ad annuas ipſius revolutiones inſtituendas ſufficienter innoteſcat; ſaltem hujus præcipui Planetæ revolutiones jam decet excolere; præſertim quòd experientia probet evidentiſſimè illas eſſe ad cujuſ-

vis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

vis anni ſtatum præſciendum utiliſſimas : nec ampliùs dici poſſe quod ſuo tempore dicebat Stadius, ſe nullam unquam in revolutionibus vim aut veritatem deprehendiſſe, quòd nempe tunc Tabulæ Alphonſinæ ac Prutenicæ in loco ☉ errarent pluſquàm 20 aut 30 minutis, ſicque revolutionum figuræ erigerentur pluſquàm Cœli quadrante erroneæ. Quo certè pacto revolutionum leges manebant quidem veræ in ſe, & reſpectu veræ figuræ; ſed quia hujus loco, dabatur valde erronea, quis in hac veritatem deprehendiſſet?

Porrò quanti fuerint momenti Revolutiones Solis genethliacæ apud veteres, non aliunde meliùs probari poteſt quàm ex Hermete Philoſopho Lib. 1. de Revol. Nativit. Cap. 4, quod totum hîc duxi inſerendum. *Utilitas quidem* (inquit) *cognitionis rerum & effectuum apud homines à Revolutione annorum manifeſta eſt. Omnes enim Babylonii & Perſæ & Indi & Ægyptii tam Reges quàm idiotæ non conabantur aliquam rem tractare in aliquo anno, niſi priùs inſpicerent Revolutionem anni nativitatis eorum. Et ſi inveniſſent annum fuiſſe bonum, tractabant opus : ſi verò contrarium, renuebant. Reges quidem inſpiciebant nativitates Præpoſitorum exercitus, & obſervabant Revolutiones annorum ipſorum : Et ſi inveniebant revolutionem alicujus eorum ſignificare potentiam & victoriam, contra hoſtes mittebant eos : ſi verò contrarium, dimittebant. Et non illorum ſolùm nativitates obſervabant, ſed etiam Legatorum, ſi revolutio anni eorum finem proſperum indicaſſet. Quod ſi proſperitatem ſignificabat, mittebant eos; ſin minùs pro his alios promovebant, quorum revolutiones anni proſperos ſucceſſus indicabant. Similiter & Reges quando in aliquo anno nativitatis eorum in aliquo actu impedimentum videbant, minimè tractabant ipſum. Simili modo tam ipſi Reges quàm idiotæ ex revolutione annorum obſervabant ſibi utiles medicinas, cibos etiam & potus, venditiones & emptiones, & omnia eorum initia, & utebantur iis, demittentes nocitura in illo anno. Argumentabantur etiam tam à propriis nativitatibus quàm ab alienis: viri enim volentes filios procreare, non tantùm proprium obſervabant annum, ſed etiam mulieris: Et ſi utraque figurarum ſignificabat procreationem, concubebant cum eis : Alioquin quærebant alias quarum nativitates filiorum partum ſignificabant. Quare valde utilis & expediens eſt annorum revolutio.* Huc uſque Hermes.

Igitur vis ineſt Planetarum Revolutionibus, eaque inſignis; præſertim verò Revolutionibus Solis. Et in hoc potiſſimùm conſiſtit ipſa vis, quod Planeta toto Orbitæ circuitu peracto rediens ad ſuum locum radicalem, vim ſuam radicalem erga Natum renovet ratione determinationis ſuæ in figura genethliaca : quatenus ex quo Cœli loco ipſum naſcentem primò affecit, ex eodem per revolutiones ſingulas rurſus ipſum afficit, excitatque influentiæ ſuæ ſemina in ipſum naſcentem projecta, ad proprios effectus edendos. Idque ſimili vel diſſimili à genitura ratione, juxta ſimilitudinem aut diſſimilitudinem conſtitutionis Cœli ipſo momento Revolutionis, tum ſtatus Cœleſtis ac terreſtris Planetæ cujus revolutio attenditur. Et quia in cujuſlibet Planetæ revolutione periodica ad ſuum locum radicalem, talis ſimilitudo aut diſſimilitudo ſpectanda eſt, nec non ſtatus cœleſtis aut terreſtris ipſius Planetæ; idcirco in qualibet revolutione periodica, Cœleſtis figura eſt erigenda, in eaque ponenda ſunt vera omnium Planetarum loca: Et ratio eſt, quia Planetæ dum moventur, continuò determinantur reſpectu noſtri, ut conſtat ex eorum tranſitibus : Dum ergo accidit aliqua Planetæ revolutio, aliorum etiam loca in Cœlo & determinationes in figura ſpectari debent, quia pertinent ad ſtatum cœleſtem & terreſtrem Planetæ qui revolvitur : ſed ad illam vim percipiendam experientiâ manifeſtâ, omnino neceſſe eſt ut revolutionis figura habeatur accurata.

Caput IV.

Ad quem locum figura Revolutionis ſit erigenda.

HAc de re veteres nil prorſus determinarunt: communiter verò cum iiſdem Neoterici traditione duntaxat, Revolutionis figuram erigunt ſemper ad latitudinem loci natalitii; ego autem ad latitudinem loci in quo reperitur Natus, ipſo Revolutionis momento. Atque hæc difficultas cùm ponderis ſit in Aſtrologia maximi, ob hominis peregrinationes quibus ad loca à natalitio interdum ambitus Telluris ſexante aut quadrante, aut etiam integra diametro diſſita transfertur, in iiſque Revolutionis tempore reperitur, vel etiam reliquum vitæ tempus peragit: idcirco cur ab aliis hac in re diſſentiamus, ratio nobis hìc reddenda eſt, quæ jam pleriſque Aſtrologorum, nobis Lutetiæ familiarium ex parte communicata, ipſos illico in noſtram pertraxit ſententiam. Poſtea verò in lucem edita in Tabulis noſtris Rudolphinis abbreviatis, fuit ab omnibus approbata.

Certum igitur quod in extruendo Themate natalitio, exactè quæruntur longitudo & latitudo loci in quo nativitas accidit, ut exactus habeatur Cœli poſitus non ipſius loci reſpectu primò & per ſe, ſed naſcentis in loco; indeque cognoſcatur quæ à tali poſitu manat influentia, Nati fata complectens. Igitur Thema Cœli erigitur quidem ad locum nativitatis: non tamen ratione loci, ſed ratione Nati. Quod autem Cœli poſitus non inquiratur reſpectu loci primò & per ſe, ſed Nati, patet inde; quia vel Cœleſtis influxus imprimitur ipſi tantùm loco, vel tantùm Nato, vel utrique. Primum verò dici nequit; quia nativitatis locus eſt duntaxat ſuperficies corporis ambientis naſcentem locatum; vel pars Mundani ſpatii, ſuperficie ipſa incluſum; proindeque merum accidens, quod nequit eſſe ſubjectum virtutis à Cœlo demiſſæ; nec pati juxta virtutem ipſam. Et quamvis locus nativitatis non talis ſuperficiee, ſed domus aut civitas in qua naſcitur infans ab aliquo diceretur; non tamen in his imprimi Cœleſtem influxum natalis conſtitutionis ex eo patet,

quòd

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

quòd non in ipſis, ſed in Nato ſuos influentia natalis ſortiatur effectus: Nec Lutetia omnium Lutetiæ naſcentium fata patiatur; alioquin quænam eſſet à ſingulis Lutetiæ naſcentibus in horas ſingulas mutatio civitatis? Adde quod domus & civitas ſunt res artefactæ influxus Cœleſtis minimè ſuſceptibiles, ut à nobis dictum eſt Lib. 20. Sect. 4. Cap. 8. Si verò utrique Cœleſtem influxum imprimi aſſerueris; vel poterit influxus ſuos effectus adimplere in eorum ſeperatorum utrovis (quod de loco jam refutavimus) vel in utroque, aut tantùm altero quippe Nato, iis ſimul exiſtentibus, ſicque Nato ipſi facillimum erit receſſu à loco Natali, quoſvis effectus futuros ipſius Cœleſtis influentiæ prorſus declinare, quod experientiæ reluctatur; imò implicat, quandoquidem peregrinationes ipſæ à loco Natali, deprehenduntur eſſe ab influxu Cœleſti. Supereſt ergo ut Cœleſtis influxus genethliacæ conſtitutionis imprimatur Soli Nato, qui eam ſecum defert quocunque ſe contulerit: Cùm præſertim videamus plurimos ad longinquas aut ferè continuas peregrinationes Natos, qui in loco à Natali plurimum diſtante totam fermè vitam peragunt, fatis influxus natalitii obnoxii. Ergo Cœli poſitus attenditur primò & per ſe reſpectu Nati, cui locus in hoc nihil per ſe confert, ſed tantùm per accidens.

Hiſce verò poſitis apertè deducitur, quod ſi natalitia conſtitutio Cœli non ad locum natalitium, ſed ad Natum per ſe pertinuerit; idem de conſtitutione revolutiva omnino cenſendum eſt, quæ fruſtra inquiretur reſpectu loci natalitii à quo Natus abeſt; quandoquidem ipſius conſtitutionis influxus (ut de nativitate dictum eſt) ipſi loco non imprimitur; ac revolutio erecta ad locum nativitatis Nato abſente, ſuos tantùm habet effectus in ipſo loco & non ubi eſt Natus: Cujus ratio à priori eſt, quia aſtrorum influxus determinantur per ſitum ad Horiſontem, ſuntque activi ſecundum illum ſitum: Ergo determinati ad Horiſontem ubi non eſt Natus, in eo agent; & non nbi eſt Natus. Sed in quid agent? In id quod tunc ibi naſcetur, aut vivet ſive fuerit planta, brutum, vel homo, & non in Natum tunc alibi exiſtentem. Erit igitur conſtitutio revolutiva reſpectu Nati primò & per ſe inquirenda, quocunque in loco ipſe fuerit momento reditus Solis ad ſuum locum radicalem, conferendaque cum natalitia conſtitutione, quæ Nato impreſſa ipſum perpetuò comitatur.

Hæc autem doctrina ex annuis Mundi revolutionibus toto Terræ circuitu extructis etiam confirmatur. Ut enim in annuo Solis reditu ad ♈ principium, Terræ pars quælibet vel in ea degens Natio particularem reſpectu ſui diſpoſitionem Cœli animadvertit; ita etiam homo in annuo Solis reditu ad ſuum locum radicalem. Validiùs verò ex eo probatur, quia ut ego, ſic quilibet eam experientiæ quadrare deprehendet in Natis à loco natali multùm diſtantibus.

Ad id verò quod objici poteſt inde ſequi, Natum mutatione loci fata natalitia declinaturum, omnemque ſcientiæ certitudinem ſublaturum.

Reſpondetur primò, id multò evidentiùs certiúſque ſequi, ſi natalis conſtitutionis influxum loco natalitio non autem Nato alligaveris, ut ſuperiùs dictum. Secundò, radicalem influxum promoveri vel impediri ab influxu revolutionis in quocunque loco ſive natali ſive extraneo Natus hunc exceperit, quantùm revolutionis virtus ſe ſe extendere poteſt, qua de re dicetur inferiùs. In eoque Dei bonitatem infinitam elucere, quòd homini libero malignos caſus poſt geneſin futuros ab impreſſione radicali; congrua locorum mutatione devitare aut mitigare conceſſerit, dum in loco natali acciderit prava revolutio congruens pravæ directioni: veluti fieri poteſt ut revolutio non congruens pravæ directioni in loco natali; fiat congruens, ſi Natus initio ſive revolutionis repertus fuerit in loco à natali diſtante ubi aſtra ejus reſpectu deteriorem ſitum ſortiantur. Inde verò ſcientiæ certitudo potiùs confirmatur quàm infirmetur, quandoquidem patet inde virtus aſtrorum, tam in geneſi quàm in Revolutione.

Nec etiam objici debet quod doctrina iſta evertit omnem certitudinem prædictionis eventuum ex figura genituræ per directiones: Cùm harum ſignificata confirmentur vel infirmentur à Revolutionibus, quarum themata ignorabuntur, ignoto loco in quo erit Natus, initio ſingularum Revolutionum. Nam directionis ſignificatum non confirmatur à falſo Themate Revolutionis, ſed tantùm à vero, ſcilicet erecto Nati reſpectu. Poteſtque Aſtrologus ex ſola nativitatis figura prædicere omnes eventus futuros à directionibus ſecundum virtutem ipſarum; ſed ſub conditione, quod per vera Revolutionum Themata confirmentur: Qui enim ſecus fecerit errabit. Natus autem ſi fuerit Aſtrologus, ſuæ Revolutionis Thema facilè conſtruet ad locum in quo verſatur initio ſuæ revolutionis: ſi verò non fuerit Aſtrologus, curet conſtrui à perito ipſius loci Aſtrologo, & judicari cum reſpectu ad radicalem figuram & directiones. Nec aliud effici poteſt, cui ſaltem ſit confidendum. Hoc mihi concedere coacti ſunt viri inter Aſtrologos mihi notos judicioſiſſimi, ſed aliqui volebant, revolutiones ad locum nativitatis eſſe quoque ſpectandas, etſi faterentur illas cæteris incertiores eſſe. A quibus dum peterem ad quid prodeſſent hæ revolutiones falſæ, veris habitis? muti reſtabant.

Quod autem ad directiones radicales attinet, hæ alligantur figuræ Natalitiæ Nato impreſſæ, in qua ſignificatorum determinatio potentialis reducitur ad actum juxta Cap. 2. Sect. 3. Lib. 22. quamque Natus ipſe perpetuò geſtat quocunque pergat. Ideoque directiones artificiales fiunt ſemper habita ratione longitudinis & latitudinis loci natalitii; quia ſunt duntaxat expreſſivæ directionum naturalium quas die primo Nativitatis ipſa Natura fecit & Nato impreſſit juxta eandem longitudinem & latitudinem, ut à nobis dictum eſt Lib. 22. Sect. 3. Cap. 2.

Caput V.

Quomodo figura Revolutionis Solis genethliaca ſit erigenda.

Duæ ad hoc viæ præcipuæ nobis occurrunt. Prima per Ephemerides aut radicales Tabulas motuum Solis, ex quibus deſumptus eſt verus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

locus Solis momento nativitatis: aliæ ſiquidem Ephemerides vel Tabulæ errorem inferrent: ſecunda, per particulares Tabulas annuarum Revolutionum Solis.

Ad primam methodum locus Solis radicalis debet eſſe ad minuta & ſecunda accuratè ſumptus. Cùm enim motus Solis horarius medius ſit duntaxat 2′. 28″. error 30″ in loco Solis cauſaret 3 gradus erroris in aſcenſionibus Medii Cœli & Horoſcopi revolutionis; & major error, plurium graduum errorem. Proceſſus verò talis eſt.

Sumantur in ipſius Ephemeridibus duo loca Solis ad horam meridianam, alter major, alter verò minor loco Solis radicali; & detracto minore ex majore, reſtabit motus diurnus Solis verus, valens 24 horas. Auferatur autem etiam ipſe minor locus, ex loco radicali Solis, ut horum differentia pateat. Tum dicatur per regulam auream. Si diurnus Solis valet 24 horas, quantùm valebit jam dicta differentia? Et prodibunt horæ & minuta ipſi differentiæ correſpondentia, numerandaque ab hora meridiana diei cui competit minor locus Solis in Ephemeridibus ſumptus. Sicque habebitur tempus medium revolutionis Solis ad ſuum locum radicalem ſub Ephemeridum Meridiano, pro colligendis Planetarum locis: quod tamen non erit prorſus accuratum; cùm motus Solis pro ſingulis horis non ſit æqualis, ut ſupponit regula aurea. Inſuper verò tempus ſic inventum duplici correctione indiget pro extruenda revolutionis figura. Prima vocatur æquatio temporis ob Solis excentricitatem & Eclipticæ obliquitatem; quàm accuratè tradidimus Lib. 7. Aſtron. reſtit. (malè ſiquidem Longomontanus Lib. 1. Theor. pag. 42. Et Maginus in ſuo ſupplemento Can. 5. dierum inæqualitatem à Solis excentricitate, reſpuendam cenſerunt in revolutionibus Solis) ſicque tempus medium inventum vertetur in apparens ſeu verum. Secunda vocatur correctio temporis per Meridianorum differentiam, neceſſaria quando locus nativitatis non ſubjacet Ephemeridum Meridiano: qua facta per Tabulas locorum ad id congruas, habetur verum tempus Revolutionis Solis ad locum Nativitatis; cum quo ipſa revolutionis figura erigetur, ſi Natus in ipſo loco fuerit; initio revolutionis: ſin autem fuerit in alio ſub diverſo Meridiano, ad hunc erit reducendum tempus inventum pro loco nativitatis, & figura erigenda ad latitudinem & longitudinem loci in quo reperitur natus initio Revolutionis juxta Caput 4. Et hæc accuratè obſervanda ſunt: ſed in Planetarum locis & figuræ cuſpidibus circa minuta ſcrupuloſus eſſe non ſoleo; tantúmque gradus integros appono; quod illud in Revolutionibus ſuperfluum eſſe putem.

Si verò Ephemerides ex quibus deſumptus eſt locus Solis non eſſent continuatæ uſque ad annum Revolutionis; tunc per radicales Tabulas ex quibus deductæ ſunt Ephemerides ipſæ, invenienda eſſent illa duo loca Solis ſuperiùs dicta ad menſem & annum revolutionis, & cum illis omnino ut ſupra operandum. Si verò non haberentur hæ Tabulæ radicales, ſed aliæ; tunc ex his ſumendus eſſet verus locus Solis ad momentum nativitatis; deindeque duo illa loca ad annum, menſem atque diem Revolutionis, & operandum ut ſupra.

Keplerus autem in Tabulis Rudolphinis appoſuit Tabulam ſubſidiariam motuum Solis; cujus ope quærit tempus quo Sol dato Revolutionis anno pervenit ad ſuum apogæum, nec non locum ipſius apogæi: deindeque ſublato apogæi loco, à loco Solis radicali, vel hoc ab illo, antecedente ſcilicet à conſequente, non diſtante ultra ſemicirculum, reſtat anomalia media Solis, qua quæſita in ſupradicta Tabula & adhibita proportionum regula per Logarithmos pro minutis & ſecundis ipſi anomaliæ adjunctis, reperit quantùm tempus medium initiantis revolutionis præcedat vel ſequatur tempus medium apogæitatis Solis, ſub Tabularum Meridiano: ſic autem inventum Revolutionis tempus duplici correctione ſuperiori eget; ac Sol radicalis debet etiam eſſe deſumptus ad minuta & ſecunda ex Tabulis Rudolphinis, aut Ephemeridibus inde deductis.

Ad ſecundam verò methodum, Cardanus Lib. de Temp. & mot errat. reſtit. Cap. 5. Tabulam dedit Revolutionum annorum duplicem, qua nempe pro annis à Nativitate elapſis vel adduntur horæ & minuta ad tempus nativitatis, vel gradus Æquatoris ad aſcenſionem rectam Medii Cœli radicis; ut habeantur vel verum tempus vel aſcenſio recta Medii Cœli Revolutionis. Sed Tabula hæc dupliciter erronea. Primò quia anni exceſſum medium ſupra dies 365, facit tantùm 5 horarum 48. 4″. cum ſit 4″ major ex Tychone Lib. 1. Progymnaſmatum pag. 53. Secundò, quia Cardanus in Revolutionibus Solis nullam habuit rationem ſigni Solis, fecitque annum Tropicum ſemper æqualem, cùm tamen ſit inæqualis pro diverſitate ſigni quod Sol occupat, & à quo revolvitur. Quod cùm Tycho deprehendiſſet, aliam extruxit Tabulam Revolutionum Solis ad initia ſingulorum ſignorum Lib. 1. progym. pag. 108; cujus docet uſum pag. 112. Sed duplicem adhuc patitur defectum ſucceſſu temporis creſcentem. Primò, quòd tantùm ad initia ſignorum conſtructa ſit. Secundò, quòd mediam longitudinem anni adhuc juſtò minorem faciat. Proindeque per ipſam Tabulam invento Revolutionis tempore, per hoc non habeatur ex Tabulis radicalibus vel Ephemeridibus verus locus Solis radicalis ad minuta & ſecunda: ideoque in Revolutionis tempore contingat error aliquot minutorum. Quod cùm pluries deprehendiſſem, ac majorem præciſionem in Tabula Kepleri ſubſidiaria motuum Solis; illâ derelictâ hujus uſum excolui etſi prolixiorem. Siquidem ad Revolutiones maximè intereſt ut tempus earum habeatur accuratiſſimum, quodque ſaltem exhibeat veras aſcenſiones Horoſcopi & Medii Cœli ad ingreſſum Solis in ſuum locum radicalem, propter determinationes Planetarum in figuræ domibus & directiones Revolutionum de quibus infra. Harum igitur loco ſequentes Tabulas hìc apponimus, jam à nobis expoſitas in Tabulis noſtris Rudolphinis abbreviatis, in lucem editis anno 1650: Harum ſi quidem præ cæteris multiplex eſt prærogativa. Primò quod earum uſum neceſſaria non ſit ſcrupuloſa ſecundorum imò minutorum loci radicalis Solis obſervatio. Secundò, quòd accommodatæ ſint ad quemcunque Zodiaci gradum Sol occupaverit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

verit in radice, ex iiſque prętertim verò ſecunda, pateat verus anni exceſſus ſupra dies 365, à quocunque Zodiaci gradu incipiat annus. Tertiò, Quòd invento momento temporis Revolutionis Solis per has Tabulas, & per ipſum tempus quæſito loco Solis in Tabulis radicalibus unde Solis locus radicalis depromptus fuerit ad minuta ſecunda & tertia; ſemper reperiatur idem locus Solis ad minuta ſecunda & tertia, ſi accuratè laboratum fuerit. Quartò, Quòd earum uſus ſit pręaliis omnibus facillimus ut infra patebit.

Tabula motus Apogæi Solis ex Tabulis Rudolphinis.

Anni A Chriſto	Sig.Gr.M.	Anni A.C.	S. G. M.	Anni A.C.	S. G. M.	Anni A.C.	S. G. M.
1000	2.25.28	1300	3. 0.36	1600	3. 5.44	1900	3.10.52
1100	2.27.11	1400	3. 2.19	1700	3. 7.27	2000	3.12.35
1200	2.28.53	1500	3. 4. 1	1800	3. 9.10	3000	3.29.42

Anni expanſi.

An.	G.M.	An.	G.M.	An.	G.M.	An.	G.M.	Anni	G. M.
1	0. 1	23	0. 24	45	0. 46	67	1. 9	89	1.31
2	2	24	25	46	47	68	10	90	32
3	3	25	26	47	48	69	11	91	33
4	4	26	27	48	49	70	12	92	34
5	5	27	28	49	50	71	13	93	36
6	6	28	29	50	51	72	14	94	37
7	7	29	30	51	52	73	15	95	38
8	8	30	31	52	53	74	16	96	39
9	9	31	32	53	54	75	17	97	40
10	10	32	33	54	55	76	18	98	41
11	11	33	34	55	56	77	19	99	42
12	12	34	35	56	58	78	20	100	43
13	13	35	36	57	59	79	21	200	3.25
14	14	36	37	58	1. 0	80	22	300	5. 8
15	15	37	38	59	2	81	23	400	6.51
16	16	38	39	60	3	82	24	500	8.34
17	17	39	40	61	4	83	25	600	10.16
18	18	40	41	62	5	84	26	700	11.59
19	20	41	42	63	6	85	27	800	13.42
20	21	42	43	64	7	86	28	900	15.24
21	22	43	44	65	8	87	29	1000	17. 7
22	23	44	45	66	9	88	30	2000	34.14

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Tabula Revolutionis Solis perpetua accommodata Apogæo

Anomalia vera Solis	Anni completi. 1	2	3	4	5	6	7	8	9
	H.M.S.	H. M. S.	H. M. S.	H. M. S.	H.M.S.	H. M. S.	H. M. S.	H. M. S.	H. M. S.
0	5.48. 2	11.36. 5	17.24. 7	23.12.10	5. 0.12	10.48.15	16.36.17	22.24.20	4.12.22
10	5.48. 4	11.36. 7	17.24.11	23.12.14	5. 0.18	10.48.22	16.36.25	22.24.29	4.12.33
20	5.48. 6	36.12	24.18	12.24	0.30	48.36	36.43	24.49	12.55
30	5.48.10	36.20	24.30	12.40	0.50	49. 0	37.10	25.20	13.30
40	5.48.15	36.30	24.45	13. 1	1.16	49.31	37.46	26. 1	14. 6
50	48.22	36.45	25. 7	13.29	1.52	50.14	38.36	26.59	15.21
60	48.31	37. 1	25.32	14. 3	2.34	51. 4	39.35	28. 6	6.37
70	48.39	37.18	25.57	14.36	3.15	51.54	40.33	29.13	17.52
80	48.49	37.37	26.26	15.14	4. 3	52.52	41.40	30.29	19.17
90	48.58	37.55	26.53	15.51	4.48	53.46	42.43	31.41	20.39
100	49. 7	38.13	27.20	16.26	5.33	54.40	43.46	32.53	22. 0
110	49.16	38.32	27.48	17. 4	6.20	55.36	44.53	34. 9	23.25
120	49.25	38.49	28.14	17.38	7. 3	56.27	45.52	35.16	34.11
130	49.31	39. 3	28.34	18. 6	7.37	57. 9	46.40	36.12	25.43
140	49.38	39.16	28.54	18.32	8.10	57.49	47.27	37.15	26.43
150	49.43	39.26	29. 9	18.52	8.35	58.18	48. 2	37.45	27.28
160	49.47	39.34	29.21	19. 8	8.54	58.41	48.28	38.15	28. 2
170	49.49	39.39	29.28	19.18	9. 7	58.57	48.46	38.36	28.25
180	49.51	39.41	29.32	19.23	9.13	59. 4	48.55	38.45	28.36
190	49.50	39.39	29.29	19.19	9. 9	58.58	48.48	38.38	28.27
200	49.48	39.35	29.23	19.10	8.58	58.45	48.33	38.20	28. 8
210	49.44	39.28	29.12	18.56	8.40	58.24	48. 8	37.52	27.36
220	49.39	39.18	28.57	18.36	8.15	57.55	47.34	37.13	26.52
230	49.33	39. 6	28.39	18.12	7.44	57.17	46.50	36.23	25.56
240	49.26	38.52	28.17	17.43	7. 9	56.35	46. 0	35.26	24.52
250	49.18	38.35	27.53	17.11	6.28	55.46	45. 3	34.21	23.39
260	49. 9	38.17	27.26	16.34	5.43	54.52	44. 0	33. 9	22.17
270	48.59	37.59	26.58	15.57	4.57	53.56	42.56	31.55	20.54
280	48.50	37.41	26.31	15.22	4.12	53. 2	41.53	30.43	19.34
290	48.41	37.21	26. 2	14.43	3.23	52. 4	40.45	29.25	18. 6
300	48.32	37. 3	25.35	14. 7	2.38	51.10	39.42	28.13	16.45
310	48.24	36.47	25.11	13.35	1.59	50.22	38.46	27.10	15.33
320	48.17	36.34	24.50	13. 7	1.24	49.45	37.58	26.14	14.31
330	48.11	36.22	24.32	12.43	0.54	49. 5	37.15	25.26	13.37
340	48. 7	36.13	24.20	12.26	0.33	48.39	36.46	24.52	12.59
350	48. 4	36. 8	24.11	12.15	0.19	48.23	36.26	24.30	12.34
360	48. 2	36. 5	24. 7	12.10	0.12	48.15	36 17	24.20	12.22

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

mobili, juxta Tychones hypotheſes & Rudolphinas Tabulas.

Anni completi.

Anomalia vera Solis	10	20	30	40	50	60	70	80	90
	H. M. S.	H. M. S.	H. M. S.	H. M. S.	H. M. S.	H. M. S.	H. M. S.	H. M. S.	H. M. S.
0	10. 0.24	20. 0.49	6. 1.13	16. 1.38	2. 2. 2	12. 2.27	22. 2.51	8. 3.15	18. 3.40
10	10. 0.36	20. 1.12	6. 1.49	16. 2.25	2. 3. 1	12. 3.37	22. 4.13	8. 4.49	18. 5.26
20	1. 1	2. 2	3. 2	4. 3	5. 4	6. 5	7. 5	8. 6	9. 7
30	1.40	3.21	5. 1	6.41	8.21	10. 2	11.42	13.22	15. 3
40	2.31	5. 3	7.34	10. 5	12.36	15. 8	17.39	20.20	22.42
50	3.43	7.27	11.10	14.54	18.37	22.21	26. 4	29.48	33.31
60	5. 7	10 15	15.22	20.30	25.37	30.45	35.52	41. 0	46. 7
70	6.30	13. 1	19.31	26. 1	32.32	39. 2	45.32	52. 3	58.33
80	8. 6	16.12	24 18	32.23	40 29	4[illegible].35	56.41	9. 4.47	19.12.53
90	9.36	19.13	28.49	38.25	48. 1	57.38	23. 7.14	16.50	26.27
100	11. 6	22.12	33.18	44.25	55.31	13. 6.37	17.43	28.49	39.55
110	12.41	25.22	38. 2	50.43	3 3.24	16. 5	28.46	41.27	54. 7
120	14. 5	28.10	42.15	56.20	10.25	24.30	38.36	53.41	20. 6.46
130	15.15	30.30	45.44	17. 0.59	16.14	31.29	46.44	10. 1 58	17.13
140	16.21	32.42	49. 3	5.24	21.45	38. 6	54.26	10.47	27. 8
150	17.11	34.21	51.32	8.43	25.54	43. 4	0. 0.15	17.26	34.37
160	17.49	35.38	53.27	11.16	29. 5	46.54	4.43	22.32	40 2[illegible]
170	18.15	36.30	54.44	12.59	31.14	49.29	7.43	25.58	44.13
180	18.26	36.53	55.19	13.46	32.12	50.39	[illegible] 5	27.32	45.58
190	18.17	36.34	54.52	13. 9	31.26	49.43	8. 0	26.17	44.35
200	17.55	35.51	53.46	11.42	29.37	47.33	5.28	23.24	41.19
210	17.20	34.40	51.59	9.19	26 39	43.59	1.19	18.38	35.58
220	16.31	33. 2	49.33	6. 4	2[illegible].35	39. 5	23.55.36	12. 7	28.38
230	15.29	30.58	46.27	1.56	17.24	32.53	48.22	3.51	19.20
240	14.18	28.35	42.53	16.57.11	11.28	25.46	40. 4	9.54.21	8.[illegible]9
250	12.56	25.53	38.49	51.45	4.42	17.38	30.34	43.30	19.50.27
260	11.26	22.52	34.18	45.44	2.57.10	8.36	20. 2	31.29	42.55
270	9.54	19.47	29.41	39.35	49.28	12.59.22	9.16	19. 9	29. 3
280	8.24	16.48	25.12	33.36	42. 0	50.24	22.58.48	7.12	15.36
290	6.47	13.33	20.20	22. 7	33.53	40.40	47.26	8.54.1[illegible]	0. 0
300	5.17	10.33	15.50	21. 6	26.23	31.39	36.56	42.12	18.47.29
310	3.57	7.54	11.51	15.48	19.45	23.42	27.40	31.37	35.34
320	2.48	5.3	8.24	11.11	13.59	16.47	19.35	22.23	25.11
330	1.48	3.35	5.23	7.10	8.58	10.46	12.33	14.21	16. 8
340	1. 6	2. 1	3.17	4.22	5.28	6.33	7.39	8.44	9.50
350	0.38	1.16	1.53	2.31	3. 9	3.47	4.24	5. 2	5.40
360	0.24	0.49	1.13	1.38	2. 2	2.27	2.51	3.15	3.40

Uſus Tabularum.

PRima Tabula dat locum Apogæi Solis ad annos collectos & expanſos poſt nativitatem Chriſti, qui intelliguntur eſſe completi.

Itaque ſit inveniendus locus Apogæi Solis ad annum à Chriſto completum 1582. Primùm pro annis 1500 ſumantur in Tabella annorum collectorum è directo annorum 1500, 3 ſigna 4 grad. 1′. Deinde in Tabula annorum expanſorum è directo annorum 82. ſumatur 1 grad. 24′: hæc ſumpta addantur, fientque 3 ſigna 5 grad. 25′. pro loco Apogæi Solis ad ſupradictum tempus. Quod ſi ad annum completum & aliquot menſes quæratur Apogæum Solis, utendum erit Tabulis radicalibus, vel ſumenda erit pars proportionalis motus annui apogæi, qui eſt 1 minutum 2″. ſicque locus apogæi ad diem 22 Februarii 20 hor. 34′. anni 1583 pro mea geneſi eſt 3 ſigna 5 grad. 25′. 45″. Atque ſic de reliquis.

Secunda verò Tabula dat horas minuta & ſecunda, ſingulis annis addenda horæ nativitatis, ut habeatur tempus exactum, quo Sol revertitur ad ſuum verum locum radicalem hoc modo.

Aufer annum currentem radicis ſeu nativitatis, ab anno currente Revolutionis, ſicque reſtabunt anni à nativitate completi. Deinde à vero loco Solis radicali, aufer apogæum Solis radicalem; reſtabitque anomalia vera Solis in radice; ſervanda ad ſingulas revolutiones: quam quæres in parte ſiniſtra Tabulæ, annos autem à nativitate complstos quæres in fronte, facto duplici ingreſſu tam pro anomalia, quàm annis ſi opus fuerit: Et in angulo communi reperies horas, minuta & ſecunda, quæ addentur tempori radicis, & fiet tempus revolutionis; verum quidem ſi tempus radicis fuerit verum; æquale verò, ſi æquale. Hujus verò Tabulæ probatio certa eſt, quia ſi cum invento revolutionis tempore medio, colligatur locus Solis ex Tabulis, quæ radicalem Solis locum dedere; invenietur idem locus Solis ad minutum & ſecundum uſque, quod eſt præciſionis Tabulę certiſſimum judicium.


Cæterùm ſi horarum ſumma exceſſerit 24, hæ abjicientur, ſoluſque exceſſus retinebitur numerandus ab hora meridiana quotæ diei nativitatis, niſi annus revolutionis fuerit primus poſt biſſextilem; tunc enim dies unus detrahendus erit à radicalibus; ſicque habebuntur dies, hora & minutum incipientis revolutionis. Ratio autem detractionis eſt, quia anno biſſextili dies, unus fuit ſuperadditus, qui anno ſequente ſuperabundaret in quotis niſi detraheretur.

Ut ſit inveniendum tempus accuratum meæ revolutionis incipientis anno 1645, quo hęc ſcribebam.

Ab anno 1645 aufer nativitatis annum 1583, & relinquentur anni 62 completi.

Deinde à verò loco Solis in radice 11 ſig. 4 gr. 19′. aufer apogæum Solis radicalem 3 ſig. 5 grad. 25′. 45″. Et relinquetur anomalia vera Solis in radice 7 ſig. 28 gr. 54′. 25″. hoc eſt 238 grad. 54′. 25″. quam quæres in latere ſiniſtro Tabulæ, annos autem completos 60 & 2. ſumes in fronte, facto duplici ingreſſu pro ipſa anomalia, è directo anomaliarum 230 grad. & 240. Et ſumpta parte proportionali pro 8 grad. 54′. 25″. ut moris eſt; dabitque Tabula in angulo communi 25 horas 5′. 28″. hoc eſt abjectis 24 horis, 1 horam 5′. 28″. Jam verò tempus hoc 1 hor. 5′. 28″. addatur tem-

298. 9.



pori

pori vero radicis 20 horis 34′, fientque 21 hor. 39′. 28″. pro vero tempore incipientis revolutionis Francopoli loco nativitatis. At quia fui Lutetiæ hac incipiente revolutione, Lutetia verò occidentalior eſt Francopoli 12 miuntis horæ, ergo à 21 hor. 39′. 28″. aufer 12′. & relinquentur 21 hor. 27′. 28″. pro vero tempore incipientis revolutionis Lutetię, cum quo figuram eriges pro Lutetia, ut fieri ſolet pro figuris nativitatum; habebiſque verum gradum aſcendentem ipſo revolutionis momento; ac erit figura ut paginâ præcedente.

Quod ſi tantæ præciſionis certam optes probationem, quoniam verus locus Solis radicalis deſumptus fuit ex Tabulis Rudolphinis, extructis ad Meridianum Uraniburgi 40 minutis horę orientaliorem Meridiano Lutetiæ; ergo horis 21. 27′. 28″. adde 40′ horæ, fientque 22 horę 7′. 28″. temporis veri Uraniburgi; quod rurſus ad medium reduces per noſtram dierum æquationem, quę in ſupradicto loco Solis eſt 14′. 40″. horæ, addenda tempori apparenti, ac fient Uraniburgi 22 horæ 22′. 8″. temporis medii diei 21 Februarii, anni 1645; quia nempe hic annus eſt primus poſt biſſextilem, ideoque dies unus detrahitur è radicalibus 22; ſicque tempus incipientis revolutionis Uraniburgi erit anno 1645, die 21 Februarii 22 hor. 22′. 8″ tempore medio: ad quod ſumendo locum Solis ex Tabulis Rudolphinis, invenientur 11 ſigna 4 gr. 19′. 10″. prorſus ut in geneſi. Eademque eſt ratio in cæteris.

Quod verò ſpectat ad ⊗ in figura revolutionis collocandam, Origanus Part. 3. Introd. pag. 779. aufert locum Solis in radice à loco Lunæ radicali, & reſiduo addit Horoſcopum revolutionis in ſignis, gradibus & minutis; ac ſumma determinat locum ⊗ in revolutione. Quo pacto ipſa ⊗ in ſingulis revolutionibus eſt ferè ſemper in eadem figuræ domo, quam in geneſi occupabat: hujuſque novæ methodi pro loco ⊗ in revolutione nullam Origanus rationem affert.

Fallitur autem Origanus. Nam ſi omnes Planetę ac præſertim luminaria domum figuræ mutant ſingulis revolutionibus, cur ⊗ ſtabit ſemper in eadem domo; præſertim cùm in nativitatibus ipſa moveatur reſpectu Horiſontis ortivi, ut Luna reſpectu Solis; ideoque ſemper ſit eadem diſtantia ſortis ab Horoſcopo, quę Lunæ à Sole, aut viceverſa? Adhæc ⊗ dicitur eſſe Horoſcopus Lunaris, ad quem ſe habet Luna in ratione diſtantiæ, ut Sol ad Horoſcopum figuræ aut viceverſa: id verò eſſe nequit per methodum Origani. Tertiò probat experientia, quod ⊗ ſumpta more Origani non ſit efficax, ut ſumpta more conſueto in nativitatibus. Ergo ⊗ in geneſi & revolutione debet eodem modo inveniri atque determinari.

Cæterùm invento Revolutionis momento per has Tabulas, ſi huic addideris 5. horas 49′, habebis tempus accuratum ſequentis Revolutionis ſub eodem Meridiano: aut ſi aſcenſioni rectæ Medii Cœli præcedentis revolutionis addideris 87 gr. 15′. fiet aſcenſio recta Medii Cœli ſequentis, ſine errore ſenſibili, uſque ad 3 aut 4 revolutiones ſequentes.

Caput VI.

An in Revolutionibus corpora Cœleſtia circa Natum rurſus determinentur, & quomodo.

Quod in Revolutionibus corpora Cœleſtia rurſus determinentur circa Natum, probatur ratione & experientiâ. Ratione quidem quia non ſolùm corporibus ipſis ſubjicimur momento nativitatis, ſed etiam toto vitæ decurſu, ut conſtat ex tranſitibus Planetarum per genituræ loca. Semper autem agunt in nos & universa hæc ſublunaria ratione ſuæ naturæ, ſtatus Cœleſtis & ſitus ad Horiſontem; quod eſt determinari ad agendum reſpectu noſtri: ideoque tam primum Mobile qnàm Planetæ de novo determinantur noſtri reſpectu in Revolutione non ſecus ac in geneſi. Quod ſi quis dixerit inde tantùm probari, quod ſemper determinentur, non autem potiùs momento Revolutionis quàm altero pręcedente vel ſequente. Reſpondeo non quidem potiùs determinari uno momento quàm altero, cùm ſemper determinentur; ſed tameu efficaciùs uno momento quàm altero, ut cùm revolvuntur ad ſua loca radicalia vel tranſeunt per genitura loca, vel luminarium revolutionibus famulantur. Quocirca ad tempus efficacioris illius determinationis multùm confert Cœleſtis conſtitutio, cujus idcirco utilis eſt inſpectio ad prognoſin. Experientia verò idem omnino confirmat, quâ conſtat Revolutiones ſingulas in Natum agere, ratione determinationis corporum Cœleſtium in ipſa Revolutione: ut patebit exemplis infra ponendis.

Quomodo autem determinentur ſic venit intelligendum. In genethliaca conſtitutione totum Cœlum per ſuas partes atque Planetæ omnes determinantur abſolutè circa omnia Nati accidentia tam præſentia quàm futura; non quidem ſeorſim, ſed collectivè: Hoc eſt nec Cœli pars quælibet, nec Planeta quilibet determinatur circa omnia Nati accidentia; ſed omnes Planetæ omneſque Cœli partes ſimul, circa omnia Nati fata, quibus adæquatur & correſpondet figura ipſa radicalis, quæ fata ipſa virtute continet, illaque primò ſignificat. Nihilominus tamen cujuſque Planetę determinatio radicalis, eſt pro tota Nati vita univerſalis ac potentialis cauſa eorum omnium, quæ ab ipſo Planeta per directiones, revolutiones & tranſitus accidere queunt.

At in revolutione Solis annua, totum Cœlum & Planetæ omnes determinantur duntaxat circa accidentia Nati futura durante ipſa revolutione, cujus figura ipſis accidentibus adæquatur. Nec determinantur abſolutè ut in geneſi, ſed tantùm reſpectivè ad figuram Nativitatis, ſaltem efficaciter ad inſignes effectus: ſiquidem etſi tam Cœli partes quàm Planetæ de novo determinentur in Revolutione circa Natum ratione ſignificationis domorum in quibus reperiuntur, aut quibus præſunt, aut quas aſpiciunt; tamen perpetuò retinent ſuam determinationem radicalem; & juxta ipſam operantur in Revolutione.

tione. Ut ſi ♂ fuerit in octava radicis, non ſolùm ejus locus radicalis, ſed ipſe quoque ♂ erit ſemper in Revolutionibus ſingulis ſpectandus, ut anæreta vel mortis ſignificator radicalis: & hæc ejus radicalis determinatio erit ſemper in Revolutionibus ſingulis combinanda cum nova determinatione quam in revolutione ſortitur; vel ratione domorum figuræ, vel ratione ſtatus Cœleſtis. Siquidem revolutiva determinatio ut ſpecialis pro anno, contrahit ac per ſe actuat radicalem, quam ſupra diximus pro tota Nati vita univerſalem eſſe. Ut ſi ♂ ex octava radicis venerit in Revolutione ad Horoſcopum radicis, Nato mors timenda erit, aut morbus aut aliud vitæ periculum: ſique inſuper fuerit in ſeptima revolutionis, lites, vitæ pericula aut mors ab hoſtibus apertis, aut conjuge pro certo erunt metuenda. Ac ſignificabitur etiam morbus aut vitæ periculum, ſi ♂ ex octava radicis venerit ad Horoſcopum revolutionis: multóque magis ſi ipſe Horoſcopus fuerit locus ♂ radicalis, & ipſe ♂ in Horoſcopo. Eademque eſt ratio de Cœli partibus. Ut ſi Horoſcopus radicis venerit ad octavam revolutionis, aut cuſpis octava radicis ad Horoſcopum revolutionis, utrinque aut morbus aut vitæ pericula portenduntur. Sic de cæteris.

Quæri verò poteſt quænam determinatio nova ſit prior & efficacior in Revolutionibus; an loci ♂ radicalis, an ipſius ♂ ſpectati etiam cum ſua ſignificatione vel determinatione radicali? quandoquidem tam locus ♂ radicalis qui fixus eſt in eodem Cœli puncto, quàm ipſe ♂ continuò mobilis in Cœlo, in ſingulis revolutionibus diverſam ratione figuræ determinationem ſortiuntur.

Sed reſpondeo. Determinationem loci radicalis ♂, priorem eſſe & efficaciorem: ideoque priùs eſſe ſpectandum in Revolutionibus, habita ratione ſtatus utriuſque loci in revolutione, tam Cœleſtis quàm Terreſtris, & aſpectus inter ipſos. Sique ♂ redierit ad ſuum locum radicalem, fortiſſima erit eorum determinatio in Revolutione ob unitatem loci atque ſtatus. Eademque eſt ratio de aliis Planetis & ſignificatoribus. Et hoc patet ex loco radicali Solis in ejus revolutionibus, ubi determinatio ejus eadem eſt cum loco Solis mobilis, & idem utriuſque ſtatus in revolutione, tam Cœleſtis quàm Terreſtris, ratione ſigni atque domus figuræ, ambo enim loca ſunt unus & idem locus.

Porrò præterquam quod Planetæ in Revolutione determinantur de novo circa Natum ratione ſignificationis domorum in quibus reperiuntur: ipſi etiam circa Natum ipſum, determinant Cœli partes quas occupant, non ſecus ac in geneſi: & hæ ſi jam à radice determinatæ fuerint, vel ad cuſpides figuræ, vel ad Planetarum aut horum aſpectuum loca, fortis & efficax erit talis determinatio revolutiva, pro ratione naturæ ac virtutis ipſius loci: ſi verò non fuerint à radice determinatæ, ſed à determinatis alienæ vel platicè disjunctæ, debilis erit talis determinatio, niſi Planeta determinans vel à ſuo ſitu in figura, vel à connexione cum aliis roboretur.

Veluti ſi ♂ ex octava radicis, vel ejus dominus venerit in Revolutione ad locum domini Horoſcopi radicalis, vel ad ejus □ ſaltem platicè; vitæ pericula aut morbi ſignificantur: ſi autem nulli loco figuræ radicalis ſaltem platicè connectatur, debiliter tantùm determinabit partem Cœli quam occupat, debiliterque operabitur; niſi ♂ inciderit in Horoſcopum, vel duodecimam, vel octavam revolutionis, aut fuerit quadratus, conjunctus vel oppoſitus domino Horoſcopi revolutionis; in his enim caſibus ſortitur ♂ determinationem ſuæ radicali conformem vel affinem, ideoque efficacem.

Quamobrem Cœleſtium corporum determinatio revolutiva ſemper attendenda eſt cum reſpectu ad radicalem, quæ fundamentalis ac univerſalis eſt pro toto vitæ decurſu; vim agendi conferens revolutivæ, ut prima cauſa ſecundæ, quæ tamen primam determinat quo ad ſpeciem. Sic ergo revolutiva Planetæ determinatio contrahit ad aliquam ſpeciem, generale ejuſdem ſignificatum à radicali determinatione. Sique revolutiones abſolutè & ſine tali reſpectu agerent in Natum ſaltem inſigniter; natale fatum quotannis à revolutionibus inverteretur, hæque poſſent ſupra & contra natalem figuram, cui per conſequens nulla fides haberi poſſet, contra evidentiſſimam experientiam.

Præterea hoc notandum eſt, quod determinatio radicalis durat totâ Nati vitâ: quia totâ Nati vitâ contingunt effectus à Planetarum tranſitibus per Horoſcopum Medii Cœli ☉. ☽. & alia genituræ loca; ſed revolutiva determinatio durat tantummodo quandiu ipſa Revolutio; hoc eſt anno pro Solis revolutione: nec tranſitibus Planetarum per loca revolutionis vim habent ultra ipſius Revolutionis tempus. Neque hoc impedit quin Revolutio producat effectus, toto vitæ reliquo tempore duraturas: quia talis erit vis & effectus revolutionis ipſius, ut nempe quid inſigne vel ſtabile producat.

Denique in Revolutionibus Solis ſpectatur primariò Sol ipſe cum ſuo ſyſtemate ſive ſatellitibus, ſecundariò autem Luna. Sol tamen non determinatur niſi ratione domus figuræ, quia eſt in eodem ſuo loco radicali; ſed attenditur ejus ſtatus à ſuis ſatellitibus & Lunâ, qui determinantur ratione ſigni, domus & ſtatus.

CAPUT VII.

An figura Revolutionis Solis poſſit contra aut ſupra figuram genituræ: Vel aliquid in geneſi non ſignificatum: doctrina rationibus & 25 figuris expoſita.

QUæſtio hæc magni admodum momenti extat, ne Revolutionibus plus æquo tribuatur: atque idcirco quid de ipſa ſentiamus, non ſolùm ratione, ſed pluribus etiam experimentis aperiendum eſt.

Aſſe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Aſſerimus autem quod Revolutio, per ſe nequit effectum producere, quem genituræ figura non præſignificaverit. Cùm enim Cœleſtis influxus horâ nativitatis Nato impreſſus & in ipſo concretè ſpectatus, ſit actu cauſaliter quidquid ineſt actum ipſo Nato dum editur, ratione conſtitutionis corporeæ, temperamenti, valetudinis, indolis, ingenii: potentiâ verò quidquid eidem Nato futurum eſt naturaliter, ſaltem quoad inſignes mutationes in corpore, animo & fortuna: Rectè ſequitur, nihil Nato futurum eſſe alicujus momenti illis in rebus, quod conſtitutio genethliaca non fuerit potentiâ. Ergo nihil per ſe revolutio efficiet ſaltem inſigne, quod ipſa conſtitutio non præſignificaverit. Quod autem geneſis ſit potentiâ quidquid Nato futurum eſt momenti alicujus circa corpus, animum & fortunam; id evidentiſſimè probatur ex directionibus & revolutionibus, Nati fata explicantibus: nam ſine aliqua directione aut revolutione congrua figuræ natali, nulla fit mutatio ſaltem inſignis; & ſingulæ mutationes inſignes, ſuas habent directiones aut revolutiones radicali figuræ congruas à quibus cieantur. Directiones verò ſuas in Nato vires imprimunt ipſo die nativitatis, ut diximus Lib. 22. Sect. 3. Cap. 2. Ideoque ad ipſam genituram pertinent, quæ per conſequens erat ipſa mutatio potentiâ.

Confirmatur autem doctrina hæc, quoniam alioquin nulla genituris poſſet haberi fides, ſi genitura matrimonium, prolem aut dignitates negante, talia à ſequentibus revolutionibus contraria ſignificationis conferri poſſent, quandoquidem nullus eſt homo adeo miſer & infœlix ex genethliaca Cœli conſtitutione, cui fœlices & congruæ ad illa accidentia revolutiones non aliquando contingant ſi ad ſenium pertigerit: illud autem experientię contrariatur.

Cardanus ipſe Lib. de Revolut. Cap. 3. his aſſentitur, dum ait. *Quod ſi in aliqua genitura non adſint conjugii ſignificata; nulla poterit efficere revolutio ut illud eveniat.* Et nihilominus poſtquam Lib. de Judic. genit. Cap. 6. dixit, *Naturam Revolutionum ſequi naturam geniturarum quoad Judicium*, Capite deinde 7. judicat de duabus ſuis revolutionibus 34 & 35 & omnium domorum ſignificatis, omnino ac ſi eſſent duæ figuræ Nativitatis, nulla etiam habita ratione figuræ ſuæ natalitiæ neque directionum. Quod quidem à ratione alienum eſt, ob naturalem dependentiam revolutionis à Genitura & directionibus; equidem talem, ut ſine his nulla vis inſit Revolutionibus ſaltem ad inſignem effectum. Quia tamen revolutio ipſa 34 modo rationali erecta, & juxta noſtrum methodum per determinationes Planetarum ratione ſitus corporei & dominii judicata, rectiùs etiam congruit accidentalibus, quæ Cardanus eo anno dicit ſibi contigiſſe, quàm judicata Cardani methodo; ne quis propterea Cardanum ipſum hac in parte ſequetur confidentiùs quàm par ſit; dicendum hîc nobis eſt, equidem de Revolutionibus judicandum eſſe ut de genituris: hoc eſt per ſignorum & Planetarum determinationes in figura, ratione ſitus corporei, dominii & aſpectus: Temerarium tamen ac erroneum eſſe, de Revolutionis figura judicare non habita ratione figuræ natalitiæ; cùm huic illa in vi, ſignificatis & effectibus ſubordinetur, & ab ipſa dependeat: Proindeque revolutio cauſare quidem poſſit, quidquid ſignificat conforme figuræ genethliacæ, ad quam directiones quoque pertinent; non autem quod ſignificat contrarium. Ut ſi ſignificet matrimonium, & geneſis cœlibatum. Non fiet matrimonium, quamvis de hoc futurus ſit ſermo, & ejus aliquæ diſpoſitiones ſe prodant. Revolutio enim non conſentiens radici, incipiet quidem aut agitabit, quod fortiter ſignificabitur; illud verò non perficiet: ſive conſiderata fuerit reſpectivè ad geneſin; ſive abſolutè: Et hæc doctrina eſt præcipuè vera in iis quæ non à ſola Nati voluntate pendent, ſed etiam aliorum. Vide objectionem in fine Capitis appoſitam.

Et quia doctrina hæc maximi præcipuique eſt pro Revolutionibus momenti, ipſam aliquot exemplis & experientiis illuſtrare atque confirmare videtur neceſſarium. Primò igitur accipiemus Revolutionem illam 34 Cardani; in qua per Tabulam ſuperiùs appoſitam aſcendit 5 gradus ♉, non autem ſeptimus, ut Cardanus per ſuam Tabulam invenit; & de qua ſic more noſtro judicium feremus. Vide genethliacam Lib. 17. Sect. 2. Cap. 2.

Dicit igitur illo anno ſibi fuiſſe perfectam ſanitatem: ſed cum aliquo timore. Ratio eſt quia ♃ in radice fuit in Horoſcopo ob ſuam latitudinem, & in revolutione & radice idem ferè eſt Horoſcopus, quem occupat Luna in Revolutione, △ ♀ fortunata, quæ domina eſt ipſius Lunæ à maleficis libera. Debuit ergo Cardanus eo anno eſſe ſanus, quamvis Luna eſſet in duodecima radicis, ubi morborum erat ſignificatrix, quia nempe erat ſub dominio Jovis, ad cujus locum radicalem ipſa venit in Horoſcopo revolutionis ac △ ♀. Timor autem fuit à □ ♄ ad ☽ in Horoſcopo; quam etiam in radice □ pulſabat: eratque directio Horoſcopi ad locum ☋ in Ecliptica.

Secundò. Paſſus eſt diſſipationem ſubſtantiæ ratione quærendi dignitatem: & tamen etiam extraordinariè lucratus eſt ex Aſtrologia & Medicina. Ratio primi eſt quia in radice habuit Jovem in Horoſcopo & Martem in cuſpide ſecunda ſignificatorem diſſipationis divitiarum: in revolutione verò ♃ eſt in decima dejectus, & ♂ exul in ſexta, quadratus Jovi & conjunctus Mercurio domino ſecundæ. Igitur quatenus ♃ fuit in prima radicis, & in revolutione tranſlatus eſt ad decimam, præſagit eo anno honorum & dignitatum ambitionem; ſed quia dejectus eſt in □ ♂ exulis, qui fuit in cuſpide ſecunda radicis, & conjungitur Mercurio domino ſecundæ in ſexta revolutionis, irritos conatus & diſſipationem ſubſtantiæ causâ dignitatis portendit. Ratio ſecundi eſt quia ♂ in radice & revolutione præeſt exaltatione Medio Cœli & Jovi in Revolutione; at Mercurius dominus ſecundæ applicat ♂ in aſpectu □ ♃ & △ domus ſecundæ radicis & revolutionis: hoc ergo fuit potens ad lucrum ex arte.

Ter-

Tertiò. Aliquis ex conſanguineis ſe intromiſit pro Cardano ejuſque dignitate, ratio eſt, quia ☽ domina tertiæ radicis & revolutionis, fuit in Revolutione in loco radicali ♃ & ſua exaltatione, in △ ♀: Et ♃ qui exaltationem habet in ipſa tertia fuit in decima Revolutionis. Inde igitur ſignificata fuit Nato, conſanguineorum opera pro ejus dignitatibus.

Quartò. Bona immobilia difficulter conſervata ſunt, parumque abfuit quin aliquid ex eis venderetur. Ratio eſt quia ☽ domina quartæ in utraque figura læditur in Revolutione □ ♄ exulis, qui in radice fuit in ſecunda. Mater autem fuit incolumis ob ☽ dominam quartæ exaltatam in Horoſcopo & △ ♀ ſuæ dominę.


Quintò. Uxor concepit filiam, quæ in utero infirmitatem contraxit. Ratio eſt quia in radice ♀ domina Horoſcopi conjuncta erat ☉ domino quintę in ſexta. In Revolutione verò eadem ♀ domina Horoſcopi & ☽ fuit in quinta, in △ Horoſcopi, atque ☽ libera etiam à maleficis, quod Cardano prolem ſignificavit: Et ☿ dominus ♀ fuit in ſexta applicans ♂ exuli, quod filiæ infirmitatem illam pręſagiebat.

Sextò. In ſervis & animalibus paſſus eſt impedimenta & permutationes. Ratio eſt, quia ☿ dominus ſecundæ & ſextæ radicis, fuerat in ſexta radicis in ſigno mobili & aſpectu ♄ ex ſecunda. In revolutione verò ☿ eſt rurſum dominus ſecundæ & ſextæ in ſexta in eodem ſigno mobili applicans ♂ domino duodecimæ.

Septimò. Accidit nocumentum uxori, quia ♂ & ♃ domini ſeptimæ in radice & revolutione, ſunt pravè affecti in ipſa revolutione: Luna autem etiam per ☍ ad ſeptimam ſignificatrix uxoris læditur □ ♄ pravè affecti. Præterea hoſtes aperti timore Principis depreſſi ſunt ac impediti à viris juſtis ne nocerent. Ratio eſt quia ♂ dominus cuſpidis ſeptimæ eſt exul in ſexta & □ ♃ in decima, ubi Principes & Magiſtratum ſignificat. Adde his ☽ in Horoſcopo & △ ♀, quę Natum ſervavit illęſum.

Revolutio 34 Cardani.

289. 30.



Octavò. Habuit eo anno plures dignitates, ſed vitiatas & cum modica gloria, potiúſque cum impedimento hoſtium apertorum & occultorum. Ratio plurium dignitatum eſt, quia ♃ qui fuit in Horoſcopo radicis, reperitur in decima Revolutionis in aſpectu ☉ ☿ atque ♂ conjunctorum, eorum ac Lunæ & Horoſcopi domina ♀ exiſtente orientali Soli. Quod autem hæc fuerint vitiata cum modica gloria & hoſtium impedimento, ratio eſt quia ♃ erat dejectus in □ ♂ exulis in ſexta, ubi ſignificat inimicos tam occultos per ☍ ad duodecimam, quàm apertos, quia pręeſt ſeptimæ.

Et

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Eſt autem notandum quod Medium Cœli tunc fuit directione in △ dextro ♄ ſui domini, cujus aſcenſio recta ex me valet 31. grad. 24′. Et ſine hac correctione, nulla erat directio ad dignitates.


Conferat nunc qui voluerit judicia noſtra cum Cardani judiciis loca ſuprà citato; videbitque primò, quod in Revolutionum judiciis ſemper ſit habenda ratio genituræ. Secundò, Quàm rationabiliter & dilucidè procedant judicia per ſolas ſignorum & Planetarum determinationes in radice & revolutione, juxta noſtram methodum: & quàm completè phœnomenis, hoc eſt effectibus Aſtrorum, ratione probandis ſatisfaciant. Tertiò denique quàm ſuperflua imò abſurda ſit hac in parte admiſſio ſignificatorum illorum quos Cardanus vocat ſecundum ſubſtantiam, ex quibus potiſſimùm ipſe judicat, & ex quibus duntaxat error & confuſio oriri queunt in judiciis; ut convinci poteſt ex ipſomet Cardano in fine Cap. 6. Lib. de Revol. dum Luna ſupponitur ex Ptolemæi mente ſignificatrix ſecundum ſubſtantiam corporis, vitæ, morum, uxoris, matris, ancillarum, filiarum & ſororum. De quibus omnibus ex eodem Lunæ ſtatu in figura, erit per ipſam ſaltem ☽ idem pronunciandum.

Porrò in re tanti momenti probanda, ſufficere non videtur unica Revolutio: itaque alias hîc adjungemus.

Prima erit revolutio 38; magnanimi & invictiſſimi Regis Suetiæ Guſtavi Adolphi, qua durante occiſus eſt; & ſua etiam morte fuit ſuo exercitui victoriæ cauſæ ad erſus imperatoris Ferdinandi exercitum cui præerat Albertus, Dux Megapolitanus Fridlandiæ & Sagani, Wallſtein communiter appellatus: cujus revolutionis figura notatu digna taliseſt. Vide genethliacam Lib. 17. Sect. 2. Cap. 2.

183. 41.

273. 41.



Primùm ergo Horoſcopus hujus revolutionis inceptæ Moguntiæ, ex Tabula locorum Kepleri fuit idem cum radicali: & ☉ in prima cum ♀ & ☿ dominis decimæ & ſeptimæ in △ ♃ domini Horoſcopi atque ☉, qui ☉ fuit in △ partili ♂ in nona, cui ☉ ipſe præeſt: Pars autem fortunæ in decima & ✱ ſuæ dominæ ♀, ut proinde revolutio hæc fortunatiſſima videretur, & à periculo mortis naturalis & violentæ prima fronte prorſus libera. Et quidem eo anno multa pręclarè geſſit inter extraneos, præſertim adverſus. Comitem de Tilly exercitus Cæſarei Præfectum, quem debellavit & occidit, nec non Bavariæ Ducem, cujus Terram ſubjugavit. Tandem verò die 16 Novembris 1632. mane, in prælio contra Walſteinum, primo congreſſu, duplici ictu globuli plombei igniti occiſus eſt, quod ad certamen iturus arma induere quantumvis monitus noluiſſet, fatali imprudentiâ: quid enim imprudentius, quàm tantum tantique ponderis Regem ſe ſe nudum talium globulorum grandini exponere. Princeps tamen imperio digniſſimus Chriſtiano, ſi Catholicus extitiſſet.

Tantæ

Tantę verò cladis ſigna in ipſa revolutione eminebant, ſiquidem ♃ dominus Horoſcopi, in radice & revolutione, eſt in ☍ radicali Medii Cœli, & □ radicali ☿ domini ſeptimæ: quod in ſuſceptis & agendis, tum in bellis aliquod inforfortunium portendebat. Venus autem domina Medii Cœli radicis erat in prima revolutionis cum corde Scorpii fixa violenta, junctaque ☿ domino ſeptimæ Revolutionis, quid etiam ſiniſtri ac violenti præſagiens in ſuſceptis bellis atque vita. Luna verò domina octavæ in utraque figura exul erat in domo ♂, ſigno violento, ad violentam mortem diſponens.

Attamen hæc omnia ad talem mortem nimis erant debilia, oportuitque aliud concurrere longè atrocius. Hoc autem fuit locorum ♄ & ♂ in genitura permutatio inſignis in Revolutione. Si quidem in Genitura ♄ erat exul in ♌ & octava domo cum corde Leonis; læſus □ ♂ ex ♏ in duodecima: Ac ♄ erat partiliter oppoſitus ♃ domino Horoſcopi, Mars verò eidem ♃ quadratus: Atque hæc violentam mortem valide portendebant. In revolutione verò ♄ reperitur in loco radicali ♂, & Mars in loco radicali ♄: ideoque ♂ in ☍, & ♄ in □ radicali ♃ domini Horoſcopi, in utraque figura: unde mors violenta fortiter eo portendebatur anno; quo præſertim directio Medii Cœli perveniebat ad □ ♃ & ♄, nec non ad corpus ♂; qui in geneſi erant mortis violentæ ſignificatores. Ac die necis fiebant tranſitus ♄ ♃ ♂ atque ☉ etiam horrendi, ut ſuo loco fuſiùs exponetur: Directio autem Medii Cœli eſt de actionum ſucceſſu, qui plerumque (ut hìc) eſt ipſa mors violenta.

Inde verò conſtat quod hæc revolutio, vim non habuit ex ſe mortem ac præſertim violentam ipſo anno ſignificandi (nihil enim hac in figura in ſe ſpectata lethale cernitur) ſed duntaxat per reſpectum ad figuram nativitatis.

Secunda erit revolutio 57 Cardinalis Richelii incepta Ambiani in Picardia, cujus figura talis eſt.

Nativitas Joan. Armandi Du Pleſſis Cardinalis Richelii.

230 58.



Latitudines

♄	2. 47.	M.
♃	0. 6.	M.
♂	0. 19.	M.
♀	4. 7.	M.
☿	0. 50.	S.
☾	3. 45.	S.

Revolutio.

332. 24.




Hac in Revolutione aſcendebat ſignum nonæ radicis, ideoque longum iter ſignificabatur, præſertim quòd ☽ domina Horoſcopi eſſet in prima radicis & loco radicali ♂. Adde quod hic ♄ dominus nonæ eſt in decima; ideoque hoc anno duxit Regem Ludovicum XIII. in Comitatum Ruſcinonenſem, illique fuit hoc iter fortunatum in ſuſceptis bellicis obſidione capto Perpiniano ob ♄ dominum ſeptimæ in decima in mutua receptione domus cum ♃, in △ Horoſcopi nec non ☽ dominæ Horoſcopi; ſed in eo itinere de vita bis maximè periclitatus eſt. Primùm morbo: Secundò conjuratione ad ejus necem facta, utrumque verò hoc anno ſignificabatur, quo nempe complebatur directio Horoſcopi ad ☍ ♃ in octava, ubi infortunabatur ſigno, ☌ oculi Tauri fixæ violentæ, & □ ☉ domini Medii Cœli ex ſigno ipſi ♃ adhuc inimico: In hac autem figura Luna Horoſcopi domina, erat infortunata in loco radicali ♂ multipliciter; quippe loco ipſo radicali ♂, in ſigno violento & ſua directione; quadrata ♃ in octava partiliter; tum ♀ dominæ duodecimæ in radice & revolutione: ♂ autem dominus ☽ & primæ radicis, ☉ dominus ♀ ac decimæ radicis, & ☿ dominus duodecimæ revolutionis & octavæ radicis, erant in quarta partiliter juncti, atque læſi ☍ ♄ domini octavæ, qui in radice ſextam occupabat dejectus & retrogradus: ♀ autem domina Horoſcopi, radicalis applicabat ☍ ♃, anæretæ in revolu-

volutione atq; radice: atque ♄ in radice occultos, in hac autem revolutione apertos hoſtes ſignificabat. Ob has igitur cauſarum vitæ, mortis, dignitatum, ſuſceptorum, & hoſtium combinationes peſſimas ac violentas: periculosè ægrotavit morbo ſæviſſimo in quo etiam pluries à Chyrurgis brachio dextro laniatus eſt, id portendente ♃ qui in radice erat in ♊ cum fixa violenta, cui ſigno brachia peculiariter ſubjiciuntur in Microcoſmo: neque ab hoc morbo convaluit omnino, perduravit enim uſque ad ejus mortem quæ ſequente revolutione accidit: at mortem violentam à conjuratis, evitavit fugiens celerrimè Narbona ubi decumbebat, urgebatque periculum tam in mora à conjuratis, quam in fuga à ſtatu morbi.

Priuſquam Pariſiis diſcederet optavit ſcire quid de ſua valetudine atque vita ſentirem eo in itinere, non quidem per ſe (quem ab annis 4 non videram ob denegatam mihi remunerationem ſcientiæ longitudinum à me inventæ, utcunque ſuo ſcripto eam mihi pollicitus fuiſſet) ſed interpoſito Magnate ſibi fidiſſimo, & mihi amico, ſcilicet Illuſtriſſimo D. Comte de Chavigny, qui ad tertiam uſque vicem meum ea de re judicium petiit, quod libenter recuſaſſem ſi potuiſſem: at ipſius Magnatis obſtrictus beneficiis, & pro honore Aſtrologiæ tandem reſpondi Cardinalem eo in itinere cum vitæ periculo ægrotaturum.

Diſceſſit Pariſiis die 30. Januarii hora ſecunda poſt meridiem, qua aſcendebat ♋ ſignum nonæ radicis, ut in figura revolutionis: & Luna Horoſcopi domina: erat in octava ☉ partiliter juncta in ♒ & ♄ Novilunii dominus erat in Medio Cœli, læſus □ ♂ ex ♓ in domo ſexti, ac locus radicalis ♃ anæretæ fuit in cuſpide duodecima, quæ morborum eſt, ipſe vero ♃ in ♒ & nona domo. Quæ hora diſceſſus erat etiam peſſima pro morbo & vitæ periculo, fuitque à me obſervata, non ſine admiratione quod omnes cauſæ tam egregie undique concurrerent.

Tertia erit revolutio quinquageſima octava ejuſdem Cardinalis Richelii in qua ipſe tandem mortuus eſt, qui bellis per totam Europam excitatis pluribus hominum millionibus, ferro, flamma, fame, peſte, aliiſque modis, cauſa mortis extitit. Et cujus revolutionis figura talis eſt.



Incepta eſt hæc revolutio dum adhuc ægrotans rediret ex obſidione Perpiniani, & 4 diebus elapſis à principio revolutionis diſceſſit Lugduno, poſtquam inſcio Rege & renuente, amputari juſſit capita duobus Magnatibus, Henrico D Effiat Regi Chariſſimo, qui contra ipſum Cardinalem conſpiraverat, & Franciſco Auguſto Thuano, Conſiliario Regio in ſanctiori conſilio, conſpirationis conſcio, quorum admirandæ geneſes alibi exponentur.

Hæc autem revolutio iter etiam ſignificabat, quod ♂ dominus primæ radicis ac in ipſa prima deveniſſet ad nonam revolutionis in △ partili ☉ domini Medii Cœli radicalis, qui reperiebatur in prima revolutionis, ideoque reditus ille fuit pro ægroto ſatis fœlix, ſed valde inſignis ejuſque modus nulli mortalium eo uſque uſitatus. Quippe in nullis diverſoriis uſque ad civitatem Pariſiorum hoc eſt per leucas circiter 200, per januam ingrediebatur: ſed murus erat deſtruendus & pons erigendus, quo à 12 Viris machinam in qua jacebat portantibus, per pontem ipſum & murum effractum, recta ad cubiculum ſibi paratum introduceretur, cum illa machina nequiens per viam graduum ad cubiculum ſibi paratum aſcendere. Quam ſuperbiam atque faſtum itinerando ♂ in nona in △ partili ☉ in prima ac ✶ ☽ atque ♃ in ſeptima ſignificare potuit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4


Mercurius autem qui fuerat dominus octavæ radicis, erat in revolutione dominus anni, quippe dominus Horoſcopi ☉ ac Medii Cœli, ſed in duodecima domo, læſus □ ♂ domini octavæ, qui reperitur conjunctus capiti Meduſæ, quod quidem morbum lethalem eo anno portendebat: præſertim quod ☉ dominus duodecimæ & ☿ eſſet in prima læſus oppoſitionibus ☽, ♄ domini ſextæ, cujus locus radicalis eſt in octava, tum ♃ qui fuerat infortunatus in octava radicis, eratque particularis anæreta; ad cujus ☍ Horoſcopus radicalis hoc anno 1642. pervenerat. Propter quas cauſas & quia hæc prava revolutio alteri pravæ ſuprapoſitæ ſuccedebat, adhucque perdurabat morbus malignus anni præcedentis in corpore cacochymo vigiliis, curis variiſq; paſſionibus extenuato, prædixi pluribus amicis ex hac revolutione mortem: quæ accidit die 4. Decembris hujus anni 1642: idque morbo. Non enim figura radicalis mortem violentam fortiter ſignificabat, ſed tantum ejuſmodi mortis pericula, quæ pluries evitavit: nullus enim Tyrannus, terribili ſatellitio, curru Tabulis ferreis munito, & aliis ſimilibus, ſibi ſtudioſius cavit à morte violenta quam Richelius Cardinalis, qui illam valde metuebat domique foriſque.

Quarta erit revolutio quadrageſima prima, Nobiliſſimi D. Ludovici Tronſoni, Viri ingenio, doctrinâ, probitate, generoſitate, prudentiâ, affabilitate aliiſque virtutibus inſignis: cui ob liberatam Galliam à tyrannide Marchionis Dancre tota Gallia plurimum ſemper debebit. Fuit enim hoc in periculoſiſſimo ſuſcepto Regi Ludovico XIII. à Conſiliis arcanis, cum D. D. Luynes (qui poſtea fuit Coneſtabilis) & de Marſillac, ejuſque artibus & prudentiâ res ſucceſſit fœliciſſimè hac durante revolutione. Poſt cujus necem cunctis ordinatis in domo Regia & extra, ex talium Virorum conſiliis; Rex ipſe D. Tronſonum in ſuo retinuit ſervitio, eumque eodem anno duabus egregiis dignitatibus honeſtavit; quippe à ſanctioribus ſecretis & ſanctioribus conſiliis.

Hæc autem ſignificabantur in ipſa revolutione. Nam ejus Horoſcopus fuit Medium Cœli radicis, ac ☽ cum ☉ domini decimæ radicis dominabantur primæ revolutionis, erantque inter ſe in △ aſpectu: & ☉ erat exaltatione potens in Medio Cœli & loco ⊕, quæ fuit in Medio Cœli, ☽ autem domina Horoſcopi erat in ſua exaltatione in decima, ejuſque domina ♀ juncta ☉. Atque hæc nato exaltationem à Rege pluresque honores ac dignitates inſignes præſagiebant: præſertim quod directio Medii Cœli radicis eſſet hoc anno ad corpus ☉ domini decimæ, ac ☽ ♃ & ♀ in decima, cujus ☉ dominus ☿ erat in revolutione in loco radicali ♃ & ♀, cum ♃ △ aſpectu ex ♐: ♀ autem venerat viciſſim ad locum ☿ radicalem, qui in revolutione reperitur mutuo receptus domicilio à ☉: & hæc quidem admodum egregia & valida erant.

Nativitas Illuſtriſſimi D. Ludovici Tronſoni, Regi à ſanctioribus Conſiliis & Secretis.

120. 4




Latitudines.

♄ 0. 56. S.
♃ 0. 52. S.
♂ 5. 7. M.
♀ 1. 16. S
☿ 3. 1. M
☽ 4. 59. S.

Revolutio.

6. 5.




At ♂ dominus Medii Cœli dejectus in duodecima atque quadratus ipſi Medio Cœli, & : tum Luna domina Horoſcopi & ♂ læſa ☌ ♄, domini octavæ in decima: ex ſuſceptis & actibus carcerem & mortis pericula minabantur. Quæ profecto accidiſſent ab ipſo Marchione Dancre penes quem erat ſumma poteſtas, ſi conſpiratio ipſi tantillum innotuiſſet: ſed ♂ fuit in ⚹ ☽ ſuæ dominæ, & ♄ in △ ☉ atque ♀ ſuæ dominæ, ☿ autem dominus ☉ fuit in △ ♃ ex ♐ in quinta. Hæc ergo diſſipaverunt noxiam vim maleficorum, & in ingenio ac amicis natum fortunaverunt. Occiſus autem fuit ipſe Marchio Dancre die 24. Aprilis 1617.

Quinta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Quinta erit revolutio quinquageſima prima ejuſdem Nobiliſſimi D. Ludovici Tronſoni, Regi Ludovico XIII. à ſanctioribus Secretis & Conſiliis, ac Ærario Regis Præfecto fideliſſimo, cunctis Aulicis ob inſignem probitatem cæteraſque virtutes eximias ac ingenium excellens, nec non officia frequentiſſima cariſſima. Cui cum Rex de omnibus rebus ſupra cæteros quantumvis Magnates Aulicos confidere pluries dixiſſet Cardinali Richelio, in primi Miniſtri dignitatem noviſſimè evecto; illumque contra Cardinalis voluntatem bis ad ſecretiora conſilia admiſiſſet: Cardinalis tunc illi blandiens: Virum autem tantæ probitatis & erga Regem fidelitatis ferre nequiens, tandem Læſæ Majeſtatis crimine falſo & iniquè ſuppoſito, nec non falſis litteris commercii ac intelligentiæ cum Hiſpanis, ipſum curavit detuli apud Regem: qui decipi facilis, non ſolum calumniatoribus nimis credebat, ſed nec ab illis accuſatos (utcunque falſo) audire volebat, diſtractus nempe atque deluſus à calumniatoribus, vel eorum fautoribus. His ergo Cardinalis artibus, ab Aula expulſus eſt; etiam æger Nannetæ, & dignitatibus ſpoliatus, anno 1626. die 2. Auguſti; manſitque exul ab Aula ſine ulla dignitatum ſuarum compenſatione, uſque ad mortem Cardinalis, cui 4 tantum diebus ſupervixit. Rex autem ejus audita morte teſtatus eſt Tronſonum ſibi fuiſſe optimum & fideliſſimum ſervum, nec ſe recordari cur à ſua Majeſtate receſſiſſet. Illud vero exilium cum jacturis dignitatum quas pro benemeritis de Rege ipſo totaq; Gallia habuerat, fuerunt ipſi D. Tronſono totique ipſius familiæ infortunium & damnum maximum. Hæcque omnia ſcivi ab ipſomet, qui per annos 30 mihi fuit amiciſſimus, & cui eo anno caſum à dignitate prædixeram ex revolutionis figura hic appoſita; quam prædictionem Vir optimus, ſibi nullius culpæ conſcius & Regi admodum dilectus, deridebat.

69. 35




In hac igitur revolutione ☿ fuit dominus anni, quippe dominus Horoſcopi Medii Cœli, ☉ & ☽, nec non ⊕, iſque in prima domo fortiſſimus: in radice vero erat in domo decima, dominus quoque ☉ & ⊕; eratque ☉ dominus decimæ quæ eſt actionum & dignitatum: ideoque quia ☿ domina Horoſcopi radicalis fuit domina nonæ revolutionis in Medio Cœli radicis, ſignificabatur iter longum hac in revolutione, & multa etiam difficilia pro Rege negotia fœliciſſimè tractavit, præſertim vero inter Regem ipſum & Principem Condæum abſentem ab Aula, qui pro interlocutione cum Cardinali Richelio, nulli Aulico præterquam D. Tronſono ad ſe miſſo confidere voluit, ob technas ipſius Cardinalis. At ☉ & ☽ domini decimæ radicis in duodecima revolutionis infortunati ☌ ♄ in ipſa duodecima ſiti, ingens malum de natura ♄ & duodecimæ domus, quippe caſum à dignitate ac exilium portendebant, etiam maximè ærumnoſum ob ⊗ cum ♄; & ab hoſte occulto magnæ poteſtatis qui ſe fingebat amicum ob ☽ & ☉ dominos undecimæ in duodecima, qui fuit ipſe Cardinalis, cujus artibus ab Aula expulſus eſt. Adde quod ♃ qui in radice fuerat honorum ſignificator in decima lædebatur in revolutione ☍ ♂ valde potentis: erant autem ♄ & ♂ à radice honoribus infeſti, quod ♋ dejectio ♂ & ♌ exilium ♄ eſſent in decima. Idcirco hæc paſſus eſt in fine hujus revolutionis, ſequente altera etiam peſſima eſt in fine hujus revolutionis, ſequente altero etiam peſſima, in qua ☉ erat in decima domo læſus ☌ ♄ & ♂: Morbus autem longus & lentus quo vexatus eſt eodem anno patet ex ☉ & ☽ conjunctis ♄ in duodecima quæ eſt morborum domus.

Objicies. Nulla in geneſi apparet ſignificatio hujus exilii & caſus à dignitate, ſed omnino contrarium: ergo revolutio hæc efficit quidpiam à geneſi non ſignificatum.

Reſpondeo: Saturnum potentem exaltatione in duodecima radicis, fuiſſe honoribus inimicum, quod ejus exilia eſſent in domo decima cum dejectione ♂ in Medio Cœli: ac ♄ & ♂ in tertia protendiſſe infortunium aliquod inſigne in itinere. Proindeque vigentibus ♄ & ♂ directionibus pro infortuniis circa dignitates & itinera, illud accidens ſat ſignificatū fuiſſe ex figura genethliaca. Hic vero patet, determinationes Planetarum ratione exaltationis, dejectionis, exilii & oppoſitionis domorum efficaces fuiſſe, ut aſſeruimus lib. 21. Sec. 2. c. 7. 8.

Sexta erit revolutio ſexageſima ſeptima ejuſdem D. Tronſoni, in qua extremum naturæ fatum paſſus eſt. Hanc verò jam præceſſerat revolutio ſexageſima ſexta valde prava, in qua nempe ☉ dominus Horoſcopi lædebatur ☌ ♂ & ☍ ♄ in octava: Venus autem domina Horoſcopi & octavæ radicalis erat in duodecima cum ☽ in ♋; & Horoſcopus eo anno devenerat ad □ ☉: ideoque de morbis & morte metuendum erat. Et quidem ægrotavit febre per tres ſeptimanas, vir alioquin raro morbis obnoxius, ſed quia ♀ & ☽ benefica erant in duodecima liberæ à pravis maleficorum radiis evaſit. At illi pravæ revolutioni altera prava ſuccedens, ipſum è vivis ſuſtulit, ut in Cardinali Richelio accidit.

III. 20




In hac igitur revolutione ♀ & ♂ ſunt adhuc domini primæ, & ♀ domina Horoſcopi & octavæ, ut in radice: eſtque ♀ juncta Horoſcopo in antiſcio ♄, & ♂ in octava cum capite Algol; quod malignum eſt, ac mortem propria culpa portendit: ambo autem luminaria læduntur ☍ ab ambobus maleficis ♄ & ♂, ac ☿ dominus octavæ radicis & duodecimæ revolutionis læditur quadratis ☽ & ♂ pravè affectorum, vigente adhuc prava directione Horoſcopi ad □ ☉.

Idcirco die ſecunda Octobris veſperi poſt lotionem tibiarum calidiore aqua, rigor accidit cum duplici tertiana, quo tempore ☽ fuit in loco radicali ♂; Mars autem & ♀ partiliter oppoſiti ex cuſpidibus ſecunda & octava, fuitque ♂ in cuſpide octava radicis in 18 gradu ♉. Proceſſu vero temporis duplex tertiana degeneravit in duplicem quartanam, & hæc in hydropem, unde fatis conceſſit; Vir neſtoreis annis digniſſimus, optimuſque ac fideliſſimus, conjux Nobilis Claudiæ De Seve, forma, ingenio, doctrina, pietate, omnibuſque virtutibus heroicè præditæ, amboque optimi parentes ſexendecim liberorum, quorum adhuc novem benè nati ſuperſunt: & ambo animæ Cœlo dignæ.

Septima erit revolutio octuageſima quarta Coneſtabilis Deſdiguieres, in qua mortuus eſt, & cujus ecce figuram revolutivam. Vide radicalem Lib. 17. Sect. 2. cap. 2.

Hac




Hac in revolutione ☽ eſt domina duodecimæ ac Horoſcopantis gradus, Sol autem dominus reſidui primæ domus: ac ☽ jam erat domina primæ radicis, ejuſque □ ſiniſtrum radicalem in duodecima, hic ♂ occupat: Saturnus vero dominus octavæ radicis & revolutionis eſt hic in ☍ ☽ radicali, quadratus ♂, ac in antiſcio ☉ domini primæ, qui jungitur ♀ & ☿ dominis duodecimæ radicis: & Sol applicat ☍ ♃ domini octavæ: ideoque morboſa, & ſeni lethalis fuit hæc revolutio, qua obiit 28. Septembris anni 1626. Junior vero evaſiſſet.

Cæterum ne quiſpiam dicat doctrinam iſtam in una, aut altera alicujus nati revolutione veritati conſonam apparere, non autem in ſingulis veram eſſe; quandoquidem nimis longum tædioſumque foret eam confirmare ſingulis revolutionibus ſuprapoſitarum perſonarum: Placet hic eam ſtabilire pluribus meis revolutionibus, in quibus quidpiam inſignis mihi accidit: Aſtrologicæ namque veritates in inſignioribus accidentibus magis elucent. Ac viſa revolutionum & accidentium ſucceſſione in eodem nato, locus erit admirationi, potius quam objectioni in doctrinam ſuprapoſitam.

Prima ergo erit revolutio mea vigeſima tertia, quæ mihi fuit peſſima, peperitque mihi duo accidentia, valde inſignia: nempe die 9. Julii 1605. duo periculoſiſſima vulnera propter famoſam mulierem: alterum paulo infra cor, alterum in medio femoris ſiniſtri, ambo valde profunda, ex quibus totus ferè ſanguis meus effuſus eſt, ita ut dum prima apponerentur remedia, coactus fuerim, non obſtantibus Medici & Chyrurgi diſſuaſionibus, bibere pluſquam 6 vini cyathos ad Lypothimiæ ſubinde redeuntis prohibitionem. Et quod occiſus non fuerim, ingenue fateor me hoc debere ſoli Divinæ bonitati. Secundum accidens fuit diſceſſus meus ex patria (poſtquam ex vulneribus convalui) in Provinciam, ne forte deterius malum mihi accideret: figura autem revolutionis fuit qualis infra ponitur: Radicalis autem habetur Lib. 17. Sectione ſecunda, cap. 2.

Ad judicandum autem de hac revolutione, habita ratione figuræ natalitiæ, notandum eſt, quod propter ♀ dominam primæ radicis conjunctam ☉, domino quintæ, & ♃ domino octavæ in domo duodecima cum ♄ domino Medii Cœli, idque in ♓ exaltatione Veneris: tot mala, infortunia, magnaque vitæ pericula mihi propter mulieres acciderunt in juventute, ut jam illa recogitando ſtupeam, multoque plura & forſan deteriora mihi accidiſſent, niſi Deus Opt. Max. mei miſertus fuiſſet, ab eiſque me liberaſſet, & Aſtrologia circa 35 meæ nativitatis annum, quo huic ſcientiæ ſtudere cœpi, infauſtæ & mihi per experientiam periculoſæ illius conſtitutionis monuiſſet. Quo ſuppoſito, jam primò patet, omnes Planetas hac in revolutione verſari in domibus 5. 7. 8. 9. ad quas duo illa ſuperius dicta pertinent accidentia.

Deinde ☉ in duodecima radicis ſignificavit hoſtes occultos, eoſque mihi ſuperiores ob naturam, vel analogiam ☉; & in revolutione ipſe dominus duodecimæ, & Horoſcopi in ſeptima portendebat tales hoſtes occultos fore apertos, quodque in horum inciderem poteſtatem: ſed ♄ dominus decimæ radicis in duodecima, hoſtes occultos etiam mihi ſuperiores ſignificabat, in revolutione vero quia eſt dominus ſeptimæ apertos ſignificat mihi nocituros, quod præſertim ♀ dominus primæ ſit in octava læſus □ ♄, & locus radicalis ♀ in cuſpide ſeptima revolutionis.



Præterea ♀ domina primæ radicis in quinta revolutionis, cum mulieribus converſationem præſagiebat, ſed cum periculo, quod ♀ eſſet in □ Horoſcopi radicalis conjuncta ♃ domino ſeptimæ & octavæ revolutionis, qui fuerat etiam dominus octavæ radicis ♀ junctus, corde ♏ fixa violentiſſima cuſpidem octavam radicis occupante. Ac præterea ♄ dominus ſeptimæ cuſpidis in revolutione eſſet conjunctus quintæ cuſpidi, cujus □ applicabat ☿ dominus primæ in octava peſſimè affectus.

Itaque vulnera ingenſque vitæ periculum portendebantur à ☿ domino primæ in octava, cujus locus radicalis eſt in cuſpide ſeptima, læſo ☌ ♂ domini Horoſcopi radicalis in octava, & □ ♄ domini quintæ & ſeptimæ, ♂ & ♄ etiam inter ſe quadratis: tum à ♀ domina primæ radicis in quinta revolutionis conjuncta ♃ domino octavæ in utraque figura.


Denique longum iter poſt ſupradicta præſagiunt ☽ in nona revolutionis partiliter ſuper Horoſcopo radicis in □ ♀ dominæ nonæ & decimæ, & △ ♄, domini nonæ & decimæ radicis, qui reperitur in cuſpide nona radicis. Quadrant igitur optimè hi effectus figuræ revolutionis prout refertur ad radicalem.

Secunda erit revolutio mea trigeſima incepta, dum eſſem auditor Medicinæ Aquis Sextiis in Provincia anno 1612 (nam ſtudiis decennio intermiſſis ea monitu Illuſtriſſimi Protopræſidis in Aquenſi Senatu Guillelmi Du Vair, mei tunc in Mathematicis diſcipuli, anno ætatis meæ 27. repetii) eo igitur anno 1612. ex ſuperflua compotatione cum duobus Helvetiis, meis in Philoſophia condiſcipulis, nimioque exercitio corporis in meridiano Solis ardore, durante Eclipſi ☉ quæ accidit in 30. Maji: incidi in febrem continuam die ipſo, quæ degeneravit in lentam & longam 6. menſium cum cachexia, ictero & hydrope, ita, ut à Medicis deſperatus, poſt exhibitum etiam ab illis antimonium præparatum, Algarot dictum, hi tandem conſuluerunt mihi natale ſolum repetere ſi poſſem. Quod iter longum aggreſſus pedes cum illis Helvetiis mihi amiciſſimis, in patriam redeuntibus, & primis diebus confectis duabus tantum leucis; tali exercitio, aeris mutatione, & vini albi generoſi uſu, ſudores copioſiſſimi & noctu præſertim tædioſiſſimi eruperunt pluſquam menſis ſpatio, qui me ab illo morbo liberarunt, planè mutato colore capillorum in ruffum cum æthiopica criſpitudine, qui deinde paulatim naturalem colorem & ſtatum reſumpſere. Fuit autem figura, qualis infra ponitur.

In qua poſitio Cœli non multum diſcrepat à radicali, atque ☉ & ☽ qui fuere morborum ſignificatores in radice, hic ſunt quadrati amboque læſi à ♄ præcipuo in radice morborum ſignificatore ob analogiam ejus & ſitum in duodecima, quippe Sol ☌ & ☽ □, eſtque dominus quintæ cum ☿, tam in radice quam revolutione, quem ☿ primæ dominum, ♄ etiam ☌ lædit. ♃ autem dominus duodecimæ & octavæ radicis & revolutionis, tum ☉, ♄ & ☿ eſt in quinta retrogradus, & Horoſcopo quadratus, at ☽ eſt in ſeptima cum corde ♏ conjuncta octavæ cuſpidi radicis. Hæc igitur omnia conſpirarunt in valde magnum periculoſumque morbum.

Morbus accidit magnus ob ☉ & ☽ læſos à ♄: ex compotatione & ludo violento in ☉ ardore, ob ☉ & ☿ dominos quintæ, quæ eſt voluptatum, læſos à ♄, & ♃ ipſorum, tum duodecimæ & octavæ dominum in quinta, longum, ob ♄ periculoſum ob ☽ cum fixa violenta & cuſpide octava radicis in ſeptima revolutionis. Iter vero ſignificatum eſt à ♂ domino Horoſcopi radicis in nona revolutionis exaltati cum △ Horoſcopi, cujus ♂, ♑ radicalis eſt in cuſpide nona: fuitque iter ſalutare ob ♀ dominam primæ radicis & revolutionis quoque exaltatum in ⚹ ♂ & Horoſcopi, atque liberam à ♄ malefico. Igitur hi duo Planetæ domini primæ radicis, & liberi ab infauſtis ♄ radiis rectè ſe habuerunt; & vitam Deo volente conſervarunt cum amicorum auxilio, quod ♀ eſſet do-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4



domina primæ in undecima, non ſecus ac ☉, ♄ & ☿ in undecima ſub dominio ♃ in quinta morbum à ludo & compotatione cum iis amicis ſignificarunt.

Tertia erit revolutio mea trigeſima prima incepta, dum eſſem Francopoli anno 1613; quo Doctoris Medicinæ gradum conſecutus ſum Avenioni, die nona Maji: fuit autem figura talis, ut ſequitur.

In qua ☉ extat dominus Horoſcopi habens exaltationem in Medio Cœli, fuitque Medium Cœli, ipſe Horoſcopus radicalis (quod notatu dignum) in □ ♀ dominæ ⊕ & primæ in radice, hic autem dominæ decimæ, in decima domo radicis. Ac ♂ dominus Medii Cœli, fuit in □ partili ☽ radicalis, ſub ☿ dominio, & in ejus △, ſed in □ ♄ domini decimæ radicis, qui eo anno revolutionem ſuam compleverat, & in octava occupat ☽ locum radicalem, cui in radice conjungebatur in ✶ Medii Cœli: ipſa vero ☽ eſt in nona ſcientiis deſtinata in △ Horoſcopi, & ✶ ☿ qui partiliter opponitur Horoſcopo ex ♒, tum in antiſcio ♃, qui ♀ decimæ dominam △ beat, ei in radice conjunctus, ejuſque dominus.



Tunc igitur fuit multiplex ac inſignis combinatio ſignificatorum radicalium, tam perſonæ quam dignitatum: & in hac figura Horoſcopus radicalis eſt in Medio Cœli, ejus dominus ♂ in domo & △ ☿ benè affecti, ☉ potens in Horoſcopo & Medio Cœli, ☽ in nona immediatè applicans ⚹ ☿ domini ♂ qui præeſt Medio Cœli, tum ♃ qui præeſt ☉: hæc omnia (inquam) honores ac dignitatem fortiter præſagiebant, eamque Mercurialem, ob ♂ dominum Medii Cœli in domo, & △ ☿ benè affecti, & ☽, ⚹ ☿ applicantem: inſuper autem faciebat ♀ domina decimæ in □ Medii Cœli, & △ ♃ domino ☉: tum ♄ dominus Medii Cœli radicalis, qui anno ipſo redierat ad ſuum & ☽ locum radicalem, in ⚹ Medii Cœli radicalis, & ♀ in revolutione, cui & ☿ præerat. Quamobrem factus ſum Doctor Medicus, quæ dignitas eſt potiſſimum de natura ♂, ♄ & ☿.

At quia ♂ fuit, hic læſus □ ♄, & ♃ dominus ☉ fuit etiam læſus ☍ ♄ & □ ♂, ipſeque ☉ læſus ☌ ♄ & □ ♂ non mihi fuit fortunata dignitas illa, ſaltem quoad lucrum, ob ♂ in ſecunda radicis in □ ♄: ideoque poſtquam per annos 12 Medicus fui domeſticus duorum dominorum, qui me de ipſis optimè meritum ingratiſſimè tractarunt, abjeci ſervitutem & Medicinæ praxim.

Quarta erit revolutio mea 33. incepta dum eſſem Pariſiis anno 1615; unde profectus ſum in Hungariam diſcendi & divitiarum causâ. Fuitque circa hæc fœlix iter: ſed eo durante ſepties in pericula mortis violentæ incidi; præcipue vero quater in maxima vitæ pericula, ſemelque prorſus miraculosè liberatus ſum à morte violenta, omnino inevitabili, die prima Januarii 1616. hora prima 30′. poſt meridiem, horrendo quippe in aquas ad ſtuporem vortiginoſas præcipitio jam incepto, cum equo cui inſidebam. In quod periculum à muliere ſaga conjectus fueram; quod pridie apud ipſam ego & duo juvenes mercatores hoſpitari & pernoctare noluiſſemus: fueruntque hi etiam ipſo die in alia pericula conjecti, minora quidem, ſed cum malo eis inflicto; alter enim in fluvium durante gelu rigidiſſimo, decidit ex equo, idque noctu: alter autem ab equo raptus & violentiſſimo curſu per vepres, foſſas & ſepes traductus eſt, cum magno vitæ diſcrimine; dum ſocio ab aqua extracto equum vellet conſcendere, oportuitq; retrogredi ad pagum uno milliari Germanico diſtantem quem præteriveramus juxta ſagæ vaticinium, quæ illis diſcedentibus dixit, eos non ituros ipſo die, quo putabant, futurumque eis infortunium antequam aliud hoſpitium ingrederentur. Meum vero periculum fuit longe majus, ſed ſine ullo prorſus malo: verè enim miraculosè liberatus ſum: nec ego, nec equus, nec quiſquam mortalium poterat me, vel equum à præcipitio incepto & morte liberare: hoc autem mihi accidit ex Hungaria redeunti.

Altera autem vice dum noctu natarem in Rheno voluptatis gratia, die 7. Julii 1615. hora 10. 30′. aut circiter; exploſa fuit in me catapulta ex trium paſſuum diſtantia à mercatore Colonienſi naviculam noſtram cuſtodiente, qui opinabatur Latrones Rhenum tranaviſſe, naviculam deprædandi causâ, ut ſæpe accidit: parumque abfuit quin alter enſe me transfixerit; natando enim petebam naviculam noſtram qua Moguntiam aſcendebamus, quamque tunc arrepturus eram. Et clamabant quidem omnes in me lingua Germanica, ut in prædonem, ſed linguæ ignarus eram, putabantq; me ictu catapultæ occiſum, aut lethaliter vulneratum fuiſſe, meoque audito clamore ac lingua, longe fugit mercator ille, ſed ſumma Dei bonitate ne quidem fui læſus. Alia vero pericula fuerunt propter mulieres, lites, duella & alia, horretque ſemper animus quoties illorum omnium reminiſcor, quamvis ſumma Dei Clementia ſemper illæſus, ſolaque elapſorum periculorum magnitudine territus evaſerim: Pro quo ſit ipſi Deo à cunctis cœlitibus & paupercula anima mea ſempiternus honos & gratiarũ actio, Amen. Fuit autem hujus revolutionis figura talis.

197. 14.



Pro qua notandum quod multa eaque longa itinera mihi in radice ſignificata fuerunt à ♃ & ♄ dominis nonæ cum ☉ & ☽ in domo cadente & △ ♂ domini Horoſcopi: tum mortis violentæ pericula ab eodem ♃ domino octavæ cum ♄ & luminaribus, tum corde ♏ in cuſpide 8: & præſertim aquis ob omnes Planetas, ☿ excepto in ſignis aqueis. In hac igitur figura ♄ dominus nonæ & Medii Cœli radicis in tertia revolutionis ejuſque locus radicalis in cuſpide 3: tum ☿ dominus nonæ revolutionis applicans □ ♃ domini Horoſcopi revolutionis & nonæ radicis, nec non ſigna nonæ & decimæ radicis in prima revolutionis, ac ☽ in nona radicis & prima revolutionis ſignificarunt longam illam peregrinationem, idque diſcendi & divitiarum cauſa, quod ipſe ☿ dominus nonæ eſſet in ſecunda ſub domino ♄ in ♒ ſigno ſuo radicali, namque fuiſſet ☿ in radice dominus ſecundæ ac tertiæ in △ partili Horoſcopi & ♒.


Fœlix autem fuit iter & cum honore apud Magnates exteros ob ipſum ☿ liberum à maleficis radiis, in ⚹ ♄ ſui domini & △ Medii Cœli, in quo fulget ſpica ♍, & ♀ dominam ipſius Medii Cœli in ſua exaltatione & loco radicali cum ☉ in ⚹ ☽, liberam quoque à maleficis in domo ſecunda cum ☿ atque ☉, unde ex Profeſſione Medicinæ ſatis lucratus ſum, præſertim quod ⊕ eſſet in Medio Cœli cum Spica ac in △ ☿ in ſecunda, & ob famam miſſus ſum ad Illuſtriſſimum Cardinalem de Forgach, quem ægrotum tractabat in Hungariæ montanis Joannes Rulandus Medicus, Martini filius: & à Magnatibus pluribus donis honeſtatus ſum.

Periculo autem ſignificata ſunt. Primò, quod Horoſcopus revolutionis eſſet □ ☽ radicalis in octava. Secundò, quod ♃ dominus Horoſcopi eſſet ſub dominio ♂, ambo in ſignis aqueis, ipſeque ♂ dominus Horoſcopi radicis eſſet cum Herculè fixa violenta conjunctis cuſpidi octavæ, atque dejectus in □ ♄ quoque dejecti. Tertiò, quod ☽ domina ♂ & octavæ eſſet exul in prima etiam læſa □ Saturni & ☍ ♂. Quartò, quod Medium Cœli revolutionis læderetur □ ☽ & ♂ & ☍ ♄. Atque hæc omnia erant admodum prava.

Mars in ſeptima conjunctus cuſpidi octavæ cum Hercule in ſigno aqueo ſignificavit pericula mortis violentæ ex litibus, duellis & ſuper aquas: ♄ dejectus in ſigno igneo ♂, occupans aqueum in radice ſub deminio ♃ domini octavæ, portendebat ſuo ad ♂ □ pericula in aquis, igne & ferro; ♀ domina quintæ & decimæ revolutionis juncta ☉ domino octavæ in □ ♃ domini octavæ radicis, pericula voluptatis & mulierum cauſa. Ex quibus ſatis patet, quam ſtultè tunc ſecutus ſim nativas & revolutivas ab aſtris impreſſas propenſiones pravas, magnis certe cum periculis, quæ ſapientius forſan declinaſſem, ſi tunc Aſtrologiæ peritus fuiſſem, natura enim corrupta efficacius revocatur à pravis propenſionibus, timore temporalis mortis quam æternæ, ac præſertim durante juventute.

Quinta erit revolutio mea trigeſima quarta, in qua magnus, malignus longuſque morbus mihi accidit die decimi ſexti Aprilis 1616 fuitque figura talis.

284. 27




Radicali figuræ quàm ſimillima eſt iſta quoad Cœli poſitum, ut trigeſima quarta Cardani ſupra poſita, ♀ autem domina primæ radicis & revolutionis, ex duodecima radicis migravit ad Medium Cœli revolutionis, & radicis, ejuſque dominus ♄ eſt in duodecima radicis & revolutionis conjunctus Horoſcopo radicis; ac ♀ applicat □ ♄ dejecti: Luna vero migravit ex duodecima radicis, ubi conjungebatur ♄ ad primam revolutionis, ubi applicat □ ♂ in undecima, qui etiam ſua ☍ lædit ☉ dominum quintæ radicis & revolutionis in duodecima.

Cum ergo tunc etiam Horoſcopus radicis dirigeretur ad □ ♄, magnus atque potens adfuit cau-

cauſarum conſenſus ad efficiendum talem morbum, unde inſignia paſſus ſum infortunia.

Sexta erit revolutio mea trigeſima nona incepta apud S. Ebrulfum in Nortmannia anno 1621. In qua menſe Octobri curſoribus equis me contuli Montem Albanum, quam Urbem Rex Ludovicus XIII. obſidebat infortunatiſſimè, factuſque ſum Medicus ordinarius Ducis à Luxemburgo, fratris Conneſtabilis De Luynes, penes quem erat ſumma poteſtas: Dignitate ipſa mihi procurata à Nobiliſſimo D. Tronſono tunc prope Regem & Luinæos fratres valde potente, quod in Aula promovere me cuperet, ideoque ſuis me litteris accerciviſſet. Sed conditio illa non mihi fuit fortunata; Terramque colui ſterilem & ingratam. Fuit autem figura talis.

I. 14.




Iter cauſatum eſt à ☉ & ☽ dominis primæ in nona: Dignitas à ♂ domino Horoſcopi radicis & Medii Cœli revolutionis fortis, in △ ☉ & ☽: Amici curâ & benevolentiâ ob ♃ dominum ☉ & ☽ in undecima, ac illorum ✶: Infortunium verò portendebatur à ⊕, læſa □ ♃ & ♂, tum ☍ ☿ cujus dominus ♄ erat in duodecima.

Septima erit revolutio mea quadrageſima ſeptima incepta Pariſiis anno 1629. quò inſigni favore Sereniſſimæ Reginæ Mariæ Mediceæ factus ſum Regius Mathematum Profeſſor. Id pro me poſtulante Eminentiſſimo Cardinali Beruleo qui me ſua benevolentiâ dignabatur. Quippe tunc prævidens ex directione Medii Cœli meæ nativitatis ad cumulum meum Planetarum, futuram mihi brevi aliquam dignitatem, nec eam ſperandam eſſe à Domino meo Duce Luxemburgo, poſt inſignia ſervitia ipſi à me per octennium reddita, etiam cum magnis vitæ meæ periculis: quod nempe circa gratitudinem aliquam ejus voluntatem multipliciter exploraſſem; audacter decrevi illum deſerere, etiam amicis diſſuadentibus: paulóque poſt hæc dignitas mihi ſeſe obtulit. Revolutionis autem figura talis eſt, ut in Pagina ſequenti.

In qua aſcendit locus radicalis ♂ qui fuit dominus mei Horoſcopi radicalis, cum exaltatione in Medio Cœli radicis. Cumulus autem Planetarum meæ nativitatis, vel ejus locus, eſt in Medio Cœli revolutionis, cui ☉ ipſe conjungitur, illæſus à maleficis. Hæc autem honorificam dignitatem fortiter eo anno præſagiebant, cum fama & nominis celebritate, ſed adſunt pro eodem effectu alia notatu non indigniora. Nam directio Medio Cœli radicis eo anno partiliter venerat ad ☿ in ♒, qui ante Planetas omnes Solem præcedebat: in hac vero figura reverſus eſt ☿ ad ſuum gradum radicalem ex Tabulis Rudolphinis, cum ☽ domina Horoſcopi in 9 domo ſcientiis dicata, & ambo ☉ applicant in △ ♄ eorum domini exaltati, qui fuerat dominus decimæ radicis; id ergo fuit eximium: unde nil mirum ſi non obſtantibus quibuſdam virorum magnorum oppoſitionibus cuncta juſſu Reginæ fœliciſſimè ſucceſſerint, præſertim quod ♀ domina primæ radicis & undecimæ revolutionis eſſet conjuncta ♃ domino ☉ & Medio Cœli; eſtque hic obiter notandum quod hoc anno, tum annis 1613 & 1621, quibus adeptus ſum dignitates, ♀ domina meæ ⊗ fuit in ♑ & □ Horoſcopi mei radicalis, aut juncta ♃, aut in △ ♃.

Octava erit revolutio mea quinquageſima ſecunda incepta Pariſiis, anno 1634: inſignis certè tam poſitu Planetarum quam eventu. Hujus enim initio revolutionis nimirum die 30. Martii coram 8 Commiſſariis mihi datis à Cardinali Richelio, Galliæ primo Miniſtro, & pluſquam 300 Viris Magnatibus Aulicis, Regi à ſanctioribus ſecretis, aut conſiliis, Præſidibus, Conſiliariis,

340. 14



riis, Nobilibus, Religioſis, Mathematicis & aliis, longitudinum ſcientiam à me inventam perfectè demonſtravi in Armamentarii Regii Aulâ majore: rem ſcilicet litterariam & ſcientificam, pro qua invenienda magnum præmium ab Europæ Regibus conſtitutum & promiſſum fuerat, quod de nulla re alia unquam factum fuiſſe legitur. Et in actione tam celebri ſex circiter horarum, invidiam Commiſſariorum Mathematicorum (quas mihi amicos putabam) ac in meum honorem inſidias adeo fœliciter ſuperavi, ut meas demonſtrationes approbare coacti fuerint, ſententia ſua publicè lata coram tam illuſtri cœtu.


Tranſactis verò 10. diebus Commiſſarii Mathematici Paſchalius, Mydorgius, Beaugrandus, Boulengerius & Herigonus, juſſu Cardinalis Richelii iterum convenêre, ut ex 4. Articulis circa doctrinam ipſam ſibi exhibitis ab ipſo Cardinali, jam prius diſcuſſis & judicatis, rurſus de doctrina ipſa judicium ferrent. Cumque ſoli, me nec vocato, nec audito, priori ſuæ ſententiæ alteram planè contrariam in re Mathematica temerariè impudenterque tuliſſent, eamque oſtendiſſent Cardinali, juſſu ejuſdem illam typis mandarunt illico, ut omnibus nota fieret, quod ipſi (Deo volente) confeſſi ſunt in ſuo monito ad ipſum Cardinalem tali ſuæ ſententiæ adjuncto. Sicque ab illis Commiſſariis proditus & à Cardinali Richelio fraudatus promiſſo præmio, de illa ſecunda ſententia provocavi ad celebriores Europæ Aſtronomos quibus ſcripſi librumque meum transmiſi, qui omnes ſuis ad me reſponſis primam ſententiam approbarunt, ſecundam verò falſitatis & iniquitatis unanimiter condemnarunt; etſi hoc durante vitâ Cardinalis mihi prorſus inutile fuerit, prout hæc omnia patent in Aſtronomia noſtra reſtituta: & ♄ in mea geneſi dominus undecimæ in duodecima falſos ac invidos amicos & revera inimicos occultos, ratione determinationis & analogiæ palam mihi ſignificaverat.

In hac autem revolutionis figura, occurrit prima fronte ſpectaculum cœleſte notatu non indignius quam in figura natali. Quippe ambo luminaria & 3 Planetæ ſuperiores ♄ ♃ ♂ mutuis ☍ & □ ſe & [illegible] infeſtantes, etiam ex 4 figuræ angulis qui in radice conjuncti erant in duodecima domo cadente. Quod quid aliud in genere mihi portendebat, quam magnos & publicos hoſtes, contentiones celebres, oppoſitiones ingentes, & fortunæ detrimenta, prout hæc omnia ipſo anno mihi contigerunt? ut in figura Paginæ ſequentis.

In ſpecie verò aſcendebat ☍ radicalis 5 illorum Planetarum ♀ ☉ ♃ ♄ & ☽, quos habui in duodecima radicis, illorumque loca fuerunt in ſeptima revolutionis. Et hoc magnas oppoſitiones ab inimicis occultis eaſque apertas mihi præſagiebat. Sol autem dominus duodecimæ in cuſpide ſeptima, cum jam fuiſſet in duodecima radicis, Magnatem inimicum occultum hoc anno fore apertum ſignificavit; iſque fuit Cardinalis ipſe, publicâ erga me injuſtitiâ. At ♃ dominus ☉ & ☽ ſuper omnes Planetas elevatus in domo ☿ benè affecti; ingenii ſolertiam atque prudentiam in ſuſcipiendis & agendis cum fœlicitate præſagivit: præſertim quod ♀ & ☿ domini decimæ eſſent conjuncti in △ ♃. Ideoque actio mea proceſſit fœliciſſimè, tum quæ illam ex parte mea ſecuta ſunt: ut patet in Aſtronomia reſtituta. Attamen □ ♂ & ☍ ♄, atque ☽ ad ♃ & [illegible], contentiones, detractiones, calumnias, convitiaque atrociſſima & falſiſſima per invidos, nebulones, & infames adverſum me publicè concita-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4


57. 14



citarunt, actionemque meam injuſtitiâ fraudeque infortunandam ſignificarunt: Præmii autem proprio labore lucrati fruſtrationem & fraudem ab inimicis occultis & apertis ſignificavit ♂ retrogradus in cuſpide ſecundæ & □ ☋, atque ♄ domini ♀ & ☿ qui præerant decimæ, atque ſecundæ, præſertim quod ♂ in geneſi dominus duodecimæ & ſeptimæ occultorum apertorumq; hoſtium, nec non contentionum mihi ſignificator fuiſſet, ♄ autem occultorum. Mirè igitur quadrat revolutio hæc, hujus anni accidentibus.

Nona erit revolutio mea ſexcenta: in qua die 2. Novembris, accidit mihi febris longa & lenta cum ſtupenda bilis evacuatione: ac deinde tumore & dolore lienis, quæ tandem ſoluta eſt urinæ profluvio tam longo & copioſo, ut carnibus inde nimium colliqueſcentibus, de maraſmo non parum timuerim atque morte. Erat autem figura talis.


35. 59



In qua notanda ſunt ambo luminaria, quæ in geneſi fuerunt morborum ſignificatores, quod eſſent in duodecima, in revolutione vero ☽ domina cuſpidis duodecimæ eſt ſuper octava cuſpide radicis, quæ eſt mortis. ☉ autem dominus Horoſcopi conjungitur octavæ cuſpidi revolutionis, ac ♄ ad ſuum locum radicalem reverſus in octava, pravè admodum afficit ſua ☌ ☉ & ſuo □ ☽: ♃ autem dominus octavæ eſt oppoſitus Horoſcopo, & ♂ dominus Horoſcopi radicalis reperitur partiliter in ☍ ſui loci radicalis. Quæ omnia, ſed præſertim ♄ ex octava lædens ☉ & ☽ dominos duodecimæ & primæ morbum longum, difficilem & periculoſum ſignificarunt; ejus verò ſolutionem, ob ♃ & ♀ oppoſitos Horoſcopo revolutionis in ⚹ Horoſcopi radicalis, & mutuam receptionem domus ♃ cum ♄ in ſigno aqueo, qui hoc anno directione devenerat ad □ ſiniſtrum ☽. Atque notandum quod tam in hac revolutione quàm in illa anni 1612. ☽ reperitur conjuncta octavæ cuſpidi radicis, in □ ♄ qui Soli conjungitur: fueruntque hi duo morbi magni, longi & periculoſi.

Decima erit revolutio mea ſexageſima ſecunda, incepta Pariſiis anno 1644, cujus figura talis eſt.

210. 44.



In qua ♂ dominus Horoſcopi radicalis reperitur in prima exaltatus, mutuoque domicilio receptus à ♄ in ⚹ ♀ & □ ♃. Atque dominus extat Medii Cœli, ubi reperitur △ radicalis cumuli mei Planetarum, qui ſeptimam radicis occupabat quæ de litibus exiſtit; ac locus radicalis ♂ eſt in ſeptima revolutionis, & Pars fortunæ ſuper ipſo loco. Proindeque ♂ fuit hac in revolutione fortiſſimus ad magnanimitatem audaciamque conferendam pro rebus arduis & litibus ſuſcipiendis fortunæ causâ.

Hac igitur inſpecta revolutione mortuo Cardinali Richelio, à quo vivente promiſſam remunerationem arcani longitudinum à me inventi nunquam habere potui, illam apud Conſilium Regium poſtulare decrevi, diſſuadentibus amicis omnibus etiam Magnatibus, quod in ipſo Conſilio, Cardinalis Richelii, genius, ejuſque fortunæ ſocii, ac ſatellites potenter adhuc ſubſiſterent, ideoque aſſerentibus me nihil effecturum.

Nihilominus poſtulationem meam narratoriam quanta potui arte compoſui, ut evidentiſſimè pateret injuſtitia in me perpetrata à Cardinali Richelio, quem conſtabit excitaſſe Commiſſarios meos, ut ſuam in me ſecundam ferrent ſententiam, primæ ac veræ prorſus contrariam: Neque id ſine pudore Galliæ cerni poſſet. Deinde typis illam mandavi quadraginta tribus paginis contentam menſe Septembri, poſteaque diſtribuere cœpi quantum decenter potui: nec poſt tot expenſas jam fruſtra factas adhuc centum libras hoc in negotio alacriter exponere recuſavi. Quicunque vero narrationem illam inſpexerunt, etſi olim Cardinali Richelio addictiſſimi, nihil in ipſa, aut reprehenſione, aut repulſa dignum animadvertere potuerunt, ſed petitionis meæ juſtitiam omnes confeſſi ſunt. Non tamen eo anno cauſam ad Conſilium Regium deferre ſtatui, ſed duntaxat eam eventilare, animos præparare & amicos comparare, quod etiam fœliciter ſucceſſit ob ♂ & ♃ dominos undecimæ, quorum ♂ erat in prima exaltatus: ♃ autem applicabat Horoſcopo radicali. Proindeque in Deum & Aſtra ſperare cœpi me aliquid ſequente anno effecturum.

Inſuper autem eodem anno fui ab Iſmaele Builaldo ſine cauſa diffamatus in ſua Aſtronomia Philolaica, circa temporis æquationem. Idque præſagiebat ☽ domina ſeptimæ in octava & ſigno Mercu-


Mercuriali oppoſita ☉ & inimica Horoſcopo, tum ♄ dominus Horoſcopi dejectus in ☆ ☽: & quadratus loco radicali ♂ in ſeptima. Sed ♂ dominus Medii Cœli exaltatus in prima & ⚹ ♀ exaltatæ, victoriam mihi ſignificabat, ideoque talem injuriam, non modo fortiter, ſed etiam fœliciter repuli in fine Aſtronomiæ noſtræ reſtitutæ.

Denique ☉ ☿ & ♀ in ſecunda in △ Medii Cœli atque ⊕, tum ♃ dominus ſecundæ, ac potens in loco ⊕ applicans Horoſcopo radicis, cauſarunt mihi hoc anno ſatis lucri ex Aſtrologia, habuique mille libras pro judicio nativitatis cujuſdam Sereniſſimi, veréque Magnanimi Principis, cujus nomen perclcarum hic a me omittitur. Nunquam tamen ex Aſtrologia lucrum quæſivi, ſed potius fugi, quoties ſine offenſa, vel amicorum, vel Magnatum potui recuſare laborem: ut ſcilicet totum meum tempus in Aſtrologiæ Theoria condenda inſumerem.

Undecima erit revolutio mea ſexageſima tertia, incepta Pariſiis anno 1645. cujus figura talis eſt.

Hac in revolutione ♀ reperitur iterum in fine ♑, ſcilicet □ Horoſcopi radicalis, ut annis 1613, & 1629, ac in △ ♃, ut ipſo anno 1613: ideoque bonum aliquod prima fronte ominabatur, ut fecit illis annis. At hoc anno multo magis, quod nempe ipſa ſit domina Horoſcopi in Medio Cœli, cum in radice eſſet domina primæ & ⊕; ♃ autem dominus ☉ ſit in prima radicis, Horoſcopo revolutionis, & △ ♀ ſuæ dominæ. Ex his enim ſignificatur fœlicitas magna in ſuſceptis & agendis, ac circa dignitates, & divitiarum augmentum. Sol autem dominus quintæ radicis & revolutionis in undecima cum ☿ in ⚹ ☽ atque ♃ amicos ſolares, nimirum Principes & Regni Miniſtros, tum etiam Mercuriales & doctos ſignificant, eorumque favorem ob ♃ dominum ☉ in Horoſcopo, ac △ ♀ & ☽. Denique ♃ & ♂ domini ſeptimæ radicis & revolutionis, alter in Horoſcopo, alter in cuſpide ſecunda, lites divitiarum causâ ſignificant, nec infœlices, quod ♃ & ♂ non lædantur à ♄, ſitque ♂ in ſuo antiſcio radicali.

298. 0




Igitur de hac revolutione benè ominans, inſignem curam ac operam impendi, hujus initio anni, ut cauſa remunerationis meæ anno 1644. fœliciter incepta ad Conſilium Regium deferretur, & quovis modo terminaretur, ut quam citius fieri poſſet, illius negotii curis, faſtidiis ac impenſis liberarer. Viſis ergo Sereniſſimis Duce Aurelianenſi, Principe Condæo, Regni Miniſtris, Cancellario, aliiſque Magnatibus, qui omnes in re tam juſta opem ſuam mihi lubenti animo polliciti ſunt, tandem accidit, ut die 8. Aprilis, in ſanctiori Regis Conſilio explicatâ causâ; fuerit mihi data annua penſio 2000 librarum ſupra beneficium Eccleſiaſticum primò vacans, cum 1000 libris mihi numerandis ex Ærario Regio. Et hoc quidem parum fuit pro remuneratione Arcani longitudinum à me inventi (pro quo magnum valde præmium promiſſum fuerat) nec non Aſtronomiæ à me funditus reſtitutæ: ſed ſaltem id omnium liberrimo conſenſu factum eſt, & hac in re promptiſſimum fœliciſſimumque ſucceſſum expertus ſum: fuitque mihi præmium illud honorificum non obſtante invidiâ Commiſſariorum ſuperſtitum aliorumque inimicorum occultorum. Tenuitatem verò remunerationis ſignificavit ♄ dominus nonæ, decimæ ☽ atque ♀ in duodecima dejectus cum

cum ⊗ in ☐ ☽, quæ præerat ſecundæ cum ☿ exule, cadente, combuſto & retrogrado. Spes autem mihi facta eſt, penſionem meam brevi fore aſſignandam ſupra beneficium aliquod, priuſquam hæc fœlix revolutio finiatur. Idque etiam fœliciſſimè contigit.

Ex ſupradictis igitur undecim revolutionibus meis ſatis ſuperque conſtat, annuas Solis revolutiones quatenus ad radicalem figuram referuntur eſſe maximè efficaces. Quoniam vero illæ ſunt de rebus duntaxat præteritis; lubet hic addere revolutionem meam ſexageſimam ſeptimam, quæ incipiet anno 1649. & cujus talis eſt figura.

287. 27



Anno 1649. die 25. Maji hora decima quarta Pariſiis Luna totalem in noſtro horizonte patietur Eclipſin in 5 gradu ♐ ☐ radicali ☉ & ♃ qui in mea geneſi morbos & mortem ſignificant. Et poſt Eclipſin immediatè applicat ☌ ♄ morborum quoque ſignificatoris in radice, qui tunc reperitur in partili ☐ radicali ☽, quæ fuit etiam in geneſi morborum ſignificatrix: ideoque mortem potenter mihi minatur iſta Eclipſis; præſertim quod fiat in cuſpide octava radicis, ubi reperitur cor Scorpii fixa valde violenta, ac in loco revolutionis quem ♄ ☍ & ♂ ☐ lædunt.

Hujus autem revolutionis initio ☉ dirigitur ad ☐ ♄ in Ecliptica & ♃ dominus ☉ ac duodecimæ & octavæ radicis & revolutionis, dirigitur cum ☽ ad idem ☐ cum latitudine: ac ♄ in revolutione reperitur in loco directionis, læſus ☐ ♂ in ſexta. Luna autem in loco radicali ♂, ideoque peſſimæ ac lethales ſunt etiam iſtæ directiones.

Tandem ſuprapoſita revolutionis figura eſt etiam peſſima. Sol enim læditur ☐ ♄ & ☍ ♂, quorum hic eſt in ſexta, ille in ☍ cuſpidis octavæ. ♀ autem domina Horoſcopi damnata eſt in duodecima domo: idque in ☍ ♃ domini duodecimæ & octavæ radicis & revolutionis, qui reperitur in domo ♀ & exaltatione ♄: nec non in ☐ ☽, quæ eſt in loco radicali ♂, in tertia, cum qua figuræ malignitate Cœli ſitus ſimilis eſt radicali, quod hic adhuc deterius eſt.

Hæc igitur omnia ad meam mortem potentiſſime conſpirant, poſtque tot vicibus evaſum mortis violentæ periculum, figura hæc quid violentum adhuc minatur. Ferro, veneno, igne, vel aqua, fiat voluntas Dei, ipſeque miſereatur mei, Amen. Fallor enim ſi tam fortem conjurationem evaſero, utcunque Aſtrologus & Medicus, tantam malorum influxuum procellam ſuperare conatus fuero. Cavebo tamen quantum potero à morbis, & caſibus violentis, præſertim à conſanguineis, aut ſervis ob ♂ & ♃ in 6 & ♀ dominam ſextæ infortunatam in 12 cum ☍ ♃ & ☐ ☽ & tertia. Quot & quanta vero mala peperit hæc revolutio, vide in Tabulis Rudolphinis à me abbreviatis, paginis 108. & 109.

Cæterum quoniam exempla ſuperiora ſunt tantum de rebus naturalibus, vel ſecularibus: atque mihi indigno familiaritas interceſſit cum Reverendiſſimo Patre Carolo de Condren, quondam Generali congregationis Oratorii Jeſu, Viro ſcientiarum omnium peritiâ, pietate, morum innocentiâ & ſanctitate notiſſimo, qui callebat Aſtrologiam, pro cujus etiam defenſione ſcripſit, huncque meum laborem pluries approbavit, ad ipſumque abſolvendum, ut Deo honorificum excitavit: ut cunctis pateat non ſolum nobis ineſſe à natura propenſionem ad res Divinas, ſive Religionem, quæ ad nonam figuræ domum pertinere dicitur ab Aſtrologis, ſed nos in multis quoque rebus voluntariis circa Religionem, pietatem,


cæteraſque virtutes ſtatuto tempore ab aſtris excitari, non minus quam ad ambitionem rapinas, cædes, fornicationes, impietatem, cæteraque vitia, prout bona, vel mala fuerit cujuſq, nati conſtitutio cœleſtis: Adhuc exponam aliquot revolutiones Solis ipſius B. Patris ad religionem & pietatem egregie nati, circa eccleſiaſticam ejus vitam, ut os iis occludatur, qui in rebus religionis, ſeu Divinis nullas eſſe volunt naturæ partes: quaſi Deus naturam rebus ipſis contrariam ſibique inimicam condiderit, & non potius velit totam naturam, præſertim vero aſtra (Mundi Rectores corporeos Deo ipſi ſubordinatos) hominem excitare atque movere ad ſui cognitionem, amorem atque cultum. Inſunt igitur homini etiam Ethnico pietatis ac Divini Cultus cogitationes à natura, quibus ſi Divina gratia ſupervenerit, natura inde non deſtruitur, ſed perficitur potius. Utque Diabolus aſtrorum pravos in hominem influxus attendit, quo ipſum in peccata & violentæ mortis pericula efficacius præcipitet ſuggeſtionibus ſuis, veluti teſtantur hominum geneſes in quibus talia ſemper accidunt ſub infauſtis afflatibus; quidni è contra Deus, quo tempore Cœlum congruè ac fœliciter influit, hominem peculiari ſuo ac ſupernaturali concurſu per prævenientem, indeque per eam quam vulgo dicunt efficacem, rectius vero ſanctificantem gratiam commovebit, ſicque natura gratiæ ſubſerviet, & gratia naturam perficiet, huicque ſe accommodabit, cum Deo libuerit?

Prima igitur erit revolutio ejus vigeſima prima, incepta anno 1608, qua Vir Dei vitam decrevit ducere religioſam, Mundo ejuſque vanitatibus ſpretis, ut Deo ſanctiùs liberiúſque famularetur. Fuitque ejus revolutio talis, cum figura genethliaca.

Nativitas R. Patris Caroli De Condren, Præpoſiti Generalis congregationis Oratorii Ieſu Chriſti.


Revolutio.

184. 0



Latitudines.
♄ 2. 4. M.
♃ 1. 4. S.
♂ 1. 47. S.
♀ 3. 1. S.
☿ 1. 34. M.
☽ 5. 1. S.

132. 53.




Hac in revolutione reperiuntur 4 Planetæ in tertia domo, quæ Religionis eſt, ut nona cui opponitur: nempe ☉ dominus Medii Cœli, conjunctus cuſpidi tertiæ, qui fuerit in prima radicis dominus nonæ, ☿ dominus nonæ radicis, ♀ domina Medii Cœli radicalis, quæ reperitur in loco radicali ☿ cum ipſo ☿, & ♀ locus radicalis eſt in prima revolutionis; tum ♄ dominus tertiæ radicis, exaltationem habens in Medio Cœli radicis, ☿ autem eſt dominus cuſpidis nonæ revolutionis: atq; ☿ & ♀ ſunt in △ ♃ domini ☉ & cuſpidis tertiæ, qui in radice fuerat dominus Horoſcopi in nona domo. Denique ♂ qui fuerat in decima radicis, jamque eſt dominus Horoſcopi, eſt in ſuo antiſcio radicali, in ✶ ☿ ♀ & ♄, nec non △ nonæ, ac ☽ domina nonæ eſt in △ ☉. Potentes igitur inter ſe combinantur ſignificatores propenſionum, Profeſſionis, & Religionis tam in radice, quam hac revolutione: ſuntque ♀ & ☿ juncti ♄ ſub ejus dominio, qui Eremitis, Monachis, Religioſis & vitæ contemplativè addictis eſſentiali analogia præeſt: ac proinde fuerunt cauſa naturalis, atque valida, cur eo anno Vir Dei propenſus fuerit atque decreverit religioſam inire Profeſſionem. Mars autem dominus quartæ radicis, quadratus in revolutione ☉ domino primæ magnas contrarietates & impedimenta ex parte Patris ſignificavit, quæ etiam tunc acciderunt.

Secunda erit ejuſdem R. Patris revolutio vigeſima quinta, quæ incepit anno 1612, qua ordinibus Subdiaconatus & Diaconatus fuit initiatus, cujuſque talis extat figura.

In


122. 38



In qua fit rurſus potens combinatio ſignificatorum Perſonæ ejuſque propenſionum cum ſignificatoribus dignitatis, ſive Profeſſionis, nec non Religionis. Nam ☉ & ☿ domini nonæ in radice, repeRiuntur iterum in tertia domo, etiam partiliter juncti in □ partili ♃ ſui domini, qui ad ſuum locum radicalem rediit in nona radicis: ſuntque ♃ & ☿ mutuo recepti domicilio. Erat autem in radice ☉ dominus nonæ in prima. In revolutione vero eſt dominus decimæ in tertia: adhæc ☽ domina nonæ revolutionis eſt in Medio Cœli radicis, ejuſque domina ♀ rediit ad ſuum locum radicalem partiliter in prima revolutionis. Hæc igitur maximè conſpirabant ad dignitates Eccleſiaſticas: non quidem ſplendidas & cum poteſtate in ſubditos, quod luminaria ſint in domibus cadentibus, atque ☿ dominus nonæ, & ☉ dominus decimæ lædantur □ ♄ & ☍ ♂: ♃ autem □ ♂ & ☍ ♄, ſed duntaxat Religioſis communes ob ♄ □ ad ☉ & ☿ ejuſque ☍ ad ♃, ♄ præſertim peregrino in □ ♂.

Tertia erit ejuſdem R. Patris revolutio vigeſima ſexta, qua ad Sacerdotii dignitatem evectus eſt, fuitque figura talis.

210. 8.



In qua ☿ dominus nonæ radicis, & ♀ domina Medii Cœli radicis ac nonæ revolutionis, reperiuntur in prima, & domibus ♄ exiſtentis in ☍ radicali ♃: ♃ autem dominus Horoſcopi radicalis & ☉; tum hac in revolutione dominus ♄, nec non ♂ qui præeſt Medio Cœli reperitur in nona cum ſpica ♍, ſub domino ♀ in prima applicans △ ☽ in domo ♄ quoque poſitæ: ac ☉ & ♂ ſunt in ⚹ ♃ & ☽. Hæc igitur maximè conſpirarunt ad propenſiones Religionis cum dignitate Eccleſiaſtica, ſed abſque poteſtate in ſubditos; tantúmque communi cuilibet Religioſo, ob ♄ dominum ☿ ♀ & ☽, in □ ☉ & ♂ domini Medii Cœli.

At in rei veritate tunc temporis & ſemper, ejus animus fuit duntaxat propenſus ad vitam religioſam, abſque ulla prorſus ambitione poteſtatis in ſubditos, quam in ſe averſabatur, malens omnino ſubjici, quam præeſſe: idque habuit à ♄ & ♂ in geneſi, quorum hic fuit exul in decima dominus ☽ in duodecima, ille vero retrogradus in ſexta dominus ☿ qui præerat nonæ, applicans △ ♃ in ☍ ☽ quamvis Sol dominus nonæ in prima ejuſque & Horoſcopi dominus ♃ in nona fortunatus △ ☿ ſui domini, magnam in Eccleſia dignitatem illi quandoque futuram bene ominati ſint: eamque tandem invitus habuerit; quippe Congregationis Oratorii Jeſu cui ſe dedit, Præfecturam generalem, quam deponere pluries fruſtra tentavit: oblatos autem Epiſcopatus & Archiepiſcopatus à Rege & Cardinali Richelio ſtrenuè ſemper recuſavit.

Quarta erit ejuſdem R. Patris revolutio vigeſimanona, qua ſe dedit ac devovit Congregationi Oratorii Jeſu, ut purius ac fructuoſius Deo ſerviret, fuitque figura talis.

112. 28



In qua ☉ & ☽ præſunt decimæ, eſtque ☽ in tertia radicis, & Sol in tertia revolutionis, invicem quadrati. Fuit autem ☉ in prima radicis ſignificator nati ejuſq; propenſionum, tum etiam religionis, quod eſſet dominus nonæ radicis. Deinde in tertia revolutionis quæ religionis eſt ratione ☍ ad nonam, 4 Planetæ reperiuntur, quippe ☿ dominus nonæ radicis, qui devenit ad Horoſcopum radicis, conjunctus cuſpidi tertiæ revolutionis, Sol de quo dictum eſt, ♃ dominus Horoſcopi radicis qui fuit in nona radicis, ac ♀ domina Medii Cœli radicis & Horoſcopi revolutionis, in quo reperitur ſpica ♍: ſuntque ♃ & ♀ ſuper loco radicali ☿ domini nonæ radicis & revolutionis cum ⊕ in domo ac △ ♄, ac etiam △ ♂, qui reperitur in loco radicali ♃, & ejus partili △ in revolutione.

Hic igitur potenter iterum combinantur ſignificatores propenſionum Profeſſionis & Religionis. Ac ſpica ♍ fixa famoſa & beneficentiſſima pro moribus in Horoſcopo & Horoſcopi domina ♀ cum ♃, & ☉ in tertia extraordinariam pietatem ac Religionis cultum hoc anno influxerunt, inclinaruntque natum ad vitam religioſam quæ pietatem maximè profiteretur, qualis præ cæteris eſt omnium voce Congregatio ſupradicta, quam ipſe B. Pater elegit: favitque pietati ac humilitati ♀ in △ ♄ cum mutua receptione domus, ♃ conjuncta.

Quinta erit ejuſdem B. Patris revolutio quadrageſima prima, qua poſt obitum Eminentiſſimi Cardinalis Berulæi, Congregationis Oratorii Ieſu Generalis, ipſe Pater abſens in Lotharingia electus eſt ſucceſſor ipſi Cardinali in Generalatu, nonobſtantibus artificiis quibus electionem illam à ſe divertere conatus eſt: fuitque figura talis.

In

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4


82. 8



In qua horoſcopat □ partilis ☉ ferè que locus radicalis ♃ qui fuerat in nona: ac ♃ dominus ☉ & Horoſcopi radicis, nec non ☿ dominus nonæ radicis ſunt conjuncti in quarta, ferè partiliter ſuper loco radicali ☿: eſtque ☿ dominus Horoſcopi, ac nonæ & decimæ revolutionis: & horum dominus ♄ eſt in ſua exaltatione cum ſpica ♍ in △ Medii Cœli, ubi ſortitur Triplicitatem. Sol autem dominus nonæ radicis eſt in cuſpide 4, applicans △ ☽ dominæ decimæ in ⚹ ♄: ac ipſa ☽ applicat △ ♃ & ☿ qui præeſt ipſi ☽. Quamobrem cum ☉ ♃ & ☿ ſint in 4, quæ ratione ☍ ad decimam dignitates ſignificat, & [illegible] in nona, inſignis dignitas hoc anno ab illis præſertim, tum cæteris jam dictis præſagiebatur: eaque Eccleſiaſtica, quod ☉ & ☿ eſſent domini nonæ, & ♃ in ipſa nona radicis; iis adde quod ♀ domina Medii Cœli radicis & nonæ revolutionis, redierit hoc anno ad ſuum locum radicalem in ⚹ ☽, tum ♃ & ☿: ergo in hac revolutione congrua, etiam abſens & invitus, ſui ordinis Superior Generalis electus eſt.

Sexta erit ejuſdem B. Patris revolutio quinquageſima tertia, qua extremum naturæ fatum paſſus eſt febre continua, fuitque figura talis.

51. 38



In

In qua ♃ dominus Horoſcopi radicis atque ☉ in prima, eſt dominus octavæ revolutionis ejuſque dominus ♄ in ſexta, quam occupabat in radice, oppoſitus ☽ in duodecima, eſtque in ſuo & ☽ □ radicali: Mercurius autem dominus Horoſcopi revolutionis applicat ipſi ♃ domino octavæ dejecto: at Sol dominus octavæ radicis in prima, eſt in revolutione dominus duodecimæ in quarta, læſus □ ♂ domini duodecimæ radicis & octavæ revolutionis in qua verſatur. Luna vero domina octavæ in decima radicis, reperitur in revolutione in ſuo antiſcio radicali, oppoſito cuſpidi duodecimæ, ſub dominio ♄, cum in radice fuiſſet ſub dominio ♂. Omnia igitur hac in revolutione potenter conſpirabant ad morbum cum vitæ periculo. Quamobrem cum ☉ in prima radicis eſſet Apheta, & hoc anno dirigeretur ad □ ☽ dominæ octavæ in duodecima radicis dejectæ, atque ♄ in revolutione eſſet in loco directionis & domo 6: die 30. Decembris 1640. incidit in febrem, & 6. Januarii 1641. obdormivit in domino Vir verè ſanctus, qui deinceps meus ſit apud Deum pius interceſſor in Cœlo: Amen.

Sed hæc hactenus ſufficiant ad aſtrologicè demonſtrandum ab effectis, quod revolutiones ☉ ſemper agunt juxta figuræ radicalis ſignificata; non autem quid ſaltem inſigne contra, vel ſupra. Idque non ſolum in rebus naturalibus, mortalibus & ſecularibus; ſed etiam ſpiritualibus & eccleſiaſticis, pro quibus, ut ſupra patuit, Cœlum fuit convenientiſſimè & efficaciter diſpoſitum, tam in radice, quam in revolutione.

Objicies. Si nihil poteſt revolutio contra, vel ſupra Geneſis directa; ergo hæc fatalem inducent neceſſitatem: nec verus erit Aphoriſmus 5. Centiloquii: *Poteſt qui ſciens eſt multos ſtellarum effectus avertere*, ſcilicet malos à geneſi ſignificatos; unde D. Thomas deduxit quod *ſapiens dominabitur aſtris*. Quod ſi hos avertere poteſt, cur non poterit bona à geneſi negata favente ſaltem fortunata revolutione conſequi? Ergo revolutio poteſt ſupra, vel contra geneſin.

Reſpondeo: Revolutionem non poſſe per ſe quid ſaltem inſigne efficere contra, aut ſupra radicalem influxum, ob rationes ſæpius dictas, & quia illius influxus influxu radicali debilior eſt, ideoque huic cedit: at poſſe per accidens, ſi revolutionis influxui acceſſerit fortis determinatio voluntatis (quæ naturali fato ſuperior eſt) in iis ſaltem quæ ſunt in ejus poteſtate, ſed effectus ſine magna contrarietate non accidet, neque erit completus, ſed imperfectus, vel degener, vel infauſtus ob renitentiam radicalis influxus. Ut ſi geneſis neget conjugium nato, & revolutio polliceatur; eſt in voluntate nati ſcortum, vel ancillam ſibi longe inferiorem ducere, at non ſibi æqualem, aut divitiis & ſtirpe ſuperiorem. In his igitur & ſimilibus radicalis figura fatalem inducit neceſſitatem, non quidem omnino immutabilem, qualis eſt Divina Providentia, ſed mutabilem ab humana voluntate, cum difficultate ac imperfectione, ut dictum eſt. Sicque verus eſſe poteſt Aphoriſmus 5. Centiloquii, & quod ex eo deducitur in objectione. Vide caput 24. Libri 12. ubi de Dei Providentia, fato, fortuna & caſu à nobis diſſeritur, & doctrina hæc magis adhuc elucidatur.

CAPUT VIII.

An ex ſola revolutione Solis, annuus nati ſtatus ſufficienter cognoſci queat, omiſſis aliorum Planetarum revolutionibus.

Aſtrologorum quidē mos eſt de annuo nati ſtatu ex ſola revolutione Solis judicare, omiſſis aliorum Planetarum revolutionibus. Verum non exigua circa hoc difficultas occurrit à nobis enodanda. Nempe an alterius Planetæ revolutio neceſſaria ſit, ad annuum nati ſtatum perfectius cognoſcendum?

Arbitrantur plurimi Solem eſſe virtutum omnium cœleſtium fontem, à quo virtutes derivantes reliquorum omnium Vires ad agendum excitant. Lunam verò earundem virtutum eſſe diſpenſatricem: non modo Solarium, ſed aliorum quoque aſtrorum. Cui ſententiæ Cardanus adſtipulans Lib. de Revol. ait. *Quod qui ambo luminaria habet impedita, nunquam egregium aliquid nanciſcetur, habebit enim omnia quaſi vitiata, etiam optimè diſpoſitis aliis Planetis.* Et Lib. de Mutat. Aeris. *Non eſt poſſibile, ut effectus aliquis in hoc Mundo fiat, vel in temporum mutationibus, vel in vitæ hominum curſu & fortuna, quin Sol & ☽ eadem hora & horæ momento ſint in aliquo loco principali ſignificante effectum illum, vel connexo ſignificatori ejuſdem rei per radium ad unguem oppoſitum, vel quadratum.* Unde non erit difficile ſupradictis perſuadere, Solis revolutionem pro ſuis aliorumque Planetarum annuis effectibus ſufficere.

Verum opinio ſupradicta de virtute ☉ & ☽, rationi & experientiæ contrariatur. Nam ſinguli Planetæ inter ſe differunt ſpecie, ideoque formali virtute ex Lib. 9. Sect. 3. cap. 2. ſuntque particulares fontes virtutum influentialium ſpecie diverſarum, Sol quidem ſolaris, Luna lunaris, ♄ Saturninæ, &c. ideoq; 7 præcipui Rectores Cœleſtes, Mundi hujus inferioris. Quamobrem à ☉ non prodibit virtus Saturnina, etiam contraria naturæ ☉: nec Sol virtute propria ♄ vim excitabit, cum Planetæ non agant in ſe mutuo influentialiter, ex cap. 1. Sect. 2. Lib. 20. ſed Planeta quilibet agit virtute propria in hæc inferiora & ſinguli eodem modo. In mutuo autem concurſu ad aliquid efficiendum per determinationem, ſeſe viciſſim juvant, vel impediunt, ut alibi dictum eſt: unde potius dici nequit Solem excitare vim ♃, quam ♃ excitare vim ☉, ſed tanta eſt virtutis Solaris potentia præ cæteris, ut quoties Sol cum altera Planeta concurrit dominio, vel aſpectu, aut ☌, majores prodeant effectus, quam ſi ipſe alter Planeta cum alio concurreret: unde orta eſt opinio illa, quod ☉ ſit fons virtutum omnium cœleſtium: & Planetarum aliorum vires ad agendum excitet. Idemque de ☽ dici poteſt, quam propterea virtutum Planetarum diſpenſatricem eſſe autumati ſunt. Non igitur unius tantum Solis revolutio ſufficere videtur ad annuum nati ſtatum perfectè cognoſcendum. Idque confirmatur ex cap. 3. ubi etiam ex mente Cardani aſſeruimus, aliorum quoque Planetarum revolutiones efficaces ac utiles eſſe.

Eſt autem differentia inſignis inter revolutiones ☉ & cæteras, ſaltem ♄ ♃ ♂ ♀ & ☿: Hi enim ſunt tantum ☉ ſatellites, ei ſubditi, ejuſque

motui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

motui alligati, quos Sol ipſe circumfert quocunque pergat, in ipſorum medio ſemper conſtitutus, quaſi centrum Orbitarum ipſorum. Quo certe ſyſtemate natura docet Solem eſſe veluti Regem Planetarum illorum, & cauſam illis ſuperiorem, maximè univerſalem; illos vero ſubordinari ☉, ut cauſas minus univerſales, propriis dotibus Soli in ſuis effectibus univerſalibus ſubſervientes: proindeque illorum vires atque ſtatum ad completum ☉ ſtatum quodammodo pertinere, ut ſtatus ſatellitum ♃ ad ♃. Quamobrem revolutio Solis erat etiam univerſalior: & cum in hac non tantum Solis ipſius, ſed ſuorum quoque ſatellitum ſtatus ſpectetur tam in ſe, quam reſpectu Solis ipſius, ejus vis & ſignificatio ſeſe extendet ad omnia accidentium nati genera, quippe vitæ, divitiarum, fratrum, parentum, &c. quæ ipſo revulutionis anno accidere queunt, at revolutiones ♄ ♃ ♂ ♀ ☿ ad ea tantum accidentia, quæ propria, ſeu particulari ſua determinatione, corpore, vel dominio ſignificarunt in figura nativitatis. Et hoc nota.

Hoc vero inde confirmari poteſt, quia ſi in revolutione ☉, quiſpiam ſatellitum ejus redierit etiam ad ſuum locum radicalem, is de communi Aſtrologorum conſenſu efficaciſſimus exiſtimatur eo anno, ad ea promovenda quæ in radice præſagivit: ut evidenter patet in ♄ revolutionibus, quæ quia rariores, & Planetæ omnium ſupremi, etiam inſigniores producunt effectus, juxta ipſius Saturni determinationem radicalem, indeque roboratur ipſa revolutio ☉, quod nempe genethliacæ conſtitutioni reddatur conformior, ſimulque plures concurrant Planetarum revolutiones. Ex quibus ſequitur, quod etſi revolutio ☉ ſit in omnia nati accidentia univerſalis, ut ſupra fuit expoſitum, tamen cum ejus ſatellites ad ſua loca radicalia redierint, utile fuerit figuram revolutionis ipſorum erigere ſi fieri queat, ipſamque contemplari, ut ex ea certius judicium fiat, de iis quæ radicitus ſignificarunt determinatione ſua particulari.

Quod vero ad ☽ attinet, quoniam ipſa ſicut ☉ eſt Planeta primarius Soli ipſi nullatenus alligata, ſed ſicut ipſe ☉ circa Tellurem ordinata, & maximæ poſt ☉ virtutis in hæc inferiora, quibus eſt Planetarum omnium viciniſſima. Profecto ſicut Solis annuæ revolutiones ſunt inſignis virtutis ad annua nati accidentia cujuſcunque generis prævidenda; ſic rationi ſaltem omnino congruit, ut Lunæ revolutiones menſtruæ ad ſuum locum radicalem, non mediocri virtute polleant circa menſtrua nati accidentia. Sol enim & ☽ ex Geneſi cap. 1. facti ſunt *in dies, & menſes, & annos*; atque ☉ (ut patet in natura) eſt moderator annorum, Luna vero menſium: ſicque neceſſaria mihi videtur conſtructio hujus figuræ revolutivæ. Hæc enim longe naturalior eſt quam illa Cardani, qui Lib. de Revol. cap. 2. vult erigi figuram revolutionis ☽, quoties illa ſingulis menſibus revertitur ad locum quem ipſa occupavit in revolutione ☉. Si enim Planetarum revolutiones inſtituendæ ac erigendæ ſunt, eæ ad ſua loca radicalia erigi debent, ut fit in ☉ ipſo: Sol enim eſt primum in genere Planetarum, quod eſt norma reliquorum in modo agendi per influentias: Et ipſa vox revolutionis evidenter indicat reditum Planetæ ad fixum aliquem locum, qualis eſt locus radicalis; non autem mutabilem, qualis eſt Planetæ locus in revolutione Solis. Et hoc inde confirmatur, quia locus Planetæ radicalis determinatus eſt radicaliter circa natum pro Planeta ipſo, & non alius; ac tota vita nati, viget in ipſo loco ipſius Planetæ virtus principaliter, & per ipſum locum, in aſpectuum locis. Ut ergo in revolutione ☉ hic non alium Cœli locum circa natum determinat, quam radicalem: ita nec Luna, nec alii Planetæ ſuis revolutionibus alium in Cœlo locum circa natum determinare debent, quam radicalem, quem ſuis etiam revolutionibus de novo determinant, & determinationis radicalis vim nato impreſſam à geneſi, de novo excitant, ad ſignificata ſua radicalia producenda, juxta ſuum in revolutione ſtatum, tam cœleſtem quam terreſtrem.

Quoniam igitur Sol regit annos, ut cauſa ſuperior & univerſalior, & Luna menſes, ut cauſa inferior minúſque univerſalis: neque id muneris eſt aliorum Planetarum, ut conſtat in ipſa natura: ergo regimen illud fieri per eorum revolutiones neceſſe eſt, Solis quidem annuas, & Lunæ menſtruas.

Porro duplex eſt Solis annua revolutio. Prima eſt revolutio, ſive reditus ☉ ad principium Arietis, quod fuit primus ejus locus radicalis reſpectu totius Mundi. Et hæc ſi in Cœlo tantum ſpectetur, eſt cauſa toti Mundo Sublunari univerſalis. Si vero ad aliquem Terræ locum per figuram erectam referatur; fit quidem ipſi loco particularis cauſa, ſed tamen adhuc univerſalis reſpectu ſingulorum exiſtentium in ipſo loco, ſive ipſa Urbe, vel Regione: ad quos ſingulos univerſalis illa conſtitutio per ſe ex æquo pertinet. Secunda vero eſt revolutio Solis ad illud Zodiaci punctum quod occupavit initio genituræ, vel ortus alicujus rei particularis, ut hominis: Et hæc eſt tantum cauſa particularis reſpectu ipſius rei, pro iis quæ ipſi annuatim accident, nullatenus ex ſe pertinens ad reliqua individua, quæ ſunt in eodem loco, vel eadem Urbe. Vide Librum vigeſimum tertium cap. 3.

Similiter duplex eſt menſtrua Lunæ revolutio. Prima eſt vera ☌ ☉ & ☽, diciturque revolutio ſynodica, quæ eſt, vel toti globo Terreſtri univerſalis, vel alicui regioni, aut civitati particularis, ut ſuperius dictum eſt de ☉. Secunda vero eſt revolutio, ſive reditus ☽ in illud Eclipticæ punctum, quod ipſa occupavit tempore ortus, vel genituræ alicujus rei particularis, ut hominis: diciturque revolutio periodica, quæ eſt tantum cauſa particularis reſpectu ipſius hominis, nullatenus ex ſe pertinens ad reliqua individua ejuſdem loci, vel civitatis. Etenim rationi congruit, ut quia prima ☉ & prima ☽ ſunt cauſæ univerſales, illa ſcilicet pro anno, & hæc pro menſe, ſecunda autem Solis & homini particularis pro anno, ergo ſecunda Lunæ ſit etiam homini particularis pro menſe: Atque duplex hæc revolutio, ſive duplex iſte menſis, ſynodicus nempe & periodicus maxime conſpicuus in natura, quippe ſynodicus & univerſalis in Maris æſtu, periodicus vero & particularis in morbis acutis.

Neque objiciatur Lunam in geneſi habere ſuum particulare ſignificatum, ad quod ipſa determina-

ta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ta eſt; ideoque non poſſe fieri ejus revolutionem pro quolibet ſignificato in geneſi: Nam idem etiam objicietur de ☉, & tamen falſo, ut experientia conſtat. Solis enim revolutio oſtendit anni ſtatum, ſive fœlicitatem, vel infœlicitatem pro quolibet figuræ natalis ſignificato, magis tamen pro iis quæ ex determinatione propria in radicali figura ſignificavit: ergo de Luna idem cenſendum eſt.

Id autem muneris tantum pertinet ad ☉ & ☽ Planetas primarios, & non ad alios qui ſunt duntaxat ſecundarii minúſque univerſales. Sed quod revolutio ☽ ad ſuum locum radicalem ſit valde efficax, patebit exemplis infra ponendis: unde patebit error Cardani, qui Lunæ locum in revolutione Solis, arbitratus eſt majoris eſſe virtutis toto anno, quam locum radicalem. Ac notabitur etiam, quod revolutiones ☽ non agunt ſupra, vel contra figuram genituræ; ſed conformiter ad hanc, ut probatum fuit de revolutionibus Solis capite ſeptimo.

Caput IX.

Quomodo figura revolutionis Lunæ ſit erigenda.

PRimò requiritur accuratus ☽ locus radicalis, quem tamen Aſtronomicæ Tabulæ, nondum nobis ſuppeditant, nec ſuppeditabunt donec conſtruantur juxta principia Aſtronomiæ à Nobis reſtitutæ: atque pudendum eſt hac in Mundi ſenecta reperiri adhuc inter celebriores Aſtronomos, differentiam fere unius gradus in Lunæ motu, ut patet ex Ephemeridibus Argoli: quæ differentia magnum cauſat errorem in erectione figuræ revolutionis ☽, quod nempe unus gradus ſit ferè motus duarum horarum in ☽; quo tempore fit magna mutatio in figura Cœli. Quia tamen probabile eſt, non totam illam differentiam, ſed ejus tantum partem eſſe exceſſum, vel defectum à vero ☽ loco; ſemper cum hoc etiam errore erit utile, figuram revolutionis ☽ erigere: ideoque eo utilius, quo minor erit error in ☽ Tabulis.

Secundò ad annum, menſem atque diem in quem incidit erigenda revolutio ☽, quæratur ex Ephemeridibus, vel Tabulis, ex quibus ☽ locus radicalis deſumptus eſt, qua hora & momento, Luna redeat ad ſuum locum radicalem in Ecliptica, non habita ratione ejus latitudinis radicalis ad quam ipſa non redit; ſed notando ejus latitudinem momento revolutionis, pro Luna ipſa menſtruè dirigenda: ſicque habebitur tempus medium revolutionis ☽ ad ſuum locum radicalem, quod dupliciter corrigendum erit, deindeque figura erigenda, ut factum eſt capiti quinto, pro prima methodo erigendi revolutionem Solis. Sicut enim figura revolutionis Solis erigenda eſt ad locum in quo eſt natus initio revolutionis ipſius: ſic omnino de revolutionibus Lunæ cenſendum eſt. Par enim eſt utrinque ratio, quamvis natus toto tempore revolutionis Solis peregrinetur ab Oriente in Occidentem.

A ſingulis enim revolutionibus tam Solis, quam Lunæ, novam recipit impreſſionem, quæ per totam revolutionem durat. Utque revolutio Solis actuat cauſas potentialis radicis: ſic revolutio Lunæ actuat cauſas potentiales radicis & revolutionis Solis: & ſimiliter, ut revolutio Solis ſeſe accommodat, vel refertur ad figuram radicis, in quocunque Terræ loco natus verſetur: ſic revolutio ☽ ſeſe accommodat ad figuras radicis & revolutionis Solis in quocunque Terræ loco ſit natus momento revolutionis Lunæ.

Caput X.

Quo per effectus, vis Revolutionum Lunæ oſtenditur, in pluribus genituris.


VT doctrinæ hic à Nobis expoſitæ de periodicis ☽ revolutionibus veritas pateat, illam aliquot etiam exemplis oſtendere ac probare videtur neceſſarium: liberum relinquentes cuique ipſam pluribus examinare; ſi quidem expertus ſum vix ullum inſignem effectum in hominis vita contingere quem congrua revolutio ☽ proximè non præceſſerit.

Prima igitur erit revolutio ☽ ad ſuum locum radicalem in geneſi Guſtavi Adolphi Regis Suetiæ, quæ necem ejus proximè anteceſſit atque ſignificavit: & cujus figura in ſequenti Pagina notatu quoque digna.

Hac in revolutione incepta prope Norimbergam, ☽ dominatur ſeptimæ, quæ eſt bellorum ac prœliorum, & opponitur octavæ: Lunæ autem ac Horoſcopi radicis & utriuſque revolutionis dominus ♃, eſt in ſuo □ radicali oppoſitus ♄ domino primæ, qui reperitur in □ radicali ♃ & radicali loco ♂: quæ loca jam in radice & Solis revolutione ſuis □ & ☍ infortunaverat, & conjungitur ipſi ♂, qui cum corde Scorpii eſt in Horoſcopo radicis. Sol autem dominus octavæ tam radicis, quam utriusque revolutionis eſt in domo ipſius ♂ in Medio Cœli, cum ♀ domina ♃ & ☿, ſed exule: fuerat autem ☉ in prima radicis & revolutionis annuæ, atque hic horoſcopat ejus locus radicalis: ideoque hic eſt ſignificator perſonæ, morum, actionum & mortis.

Omnia hæc prœlium illuſtre ſignificabant ob locum ☉ radicalem in Horoſcopo, ipſumque ☉ in Medio Cœli, ac ejus dominum ♂ cum Horoſcopo radicali; ſed infauſtum & lethale, ob ♃, ☽ & Horoſcopi dominum læſum ☍ ♄ in radice & hac revolutione; & quod ♄ anæreta radicalis jam eſſet in loco peſſimo applicans ♂ in Horoſcopo radicali cum corde ♏; Sol autem dominus octavæ in Medio Cœli ſub dominio ♂ & ☽ domina ſeptimæ, quæ prœliorum eſt, in ſecunda. Eſtque notatu dignum, quod ☉ hic partiliter venit ad locum ☽ in revolutione annua, in qua erat ☽ octavæ domina: ♃ venit ad ☍ ♄, & ♄ ad □ ♂ in eadem revolutione. Occiſus


287. 27



ciſus fuit die 16. Novembris 1632, circa horam nonam matutinam.

Secunda erit revolutio ☽, in qua mortuus eſt Cardinalis Richelius, die 4. Decembris 1642. fuitque figura talis.

35. 28




In qua ☽ quæ fuerat in quinta radicis, & domina Horoſcopi revolutionis annuæ ☉ rurſus in quinta, jam reperitur domina duodecimæ in octava, conjuncta partiliter ♄, qui fuerat dejectus in

in 6 radicis, ac dominus octavæ revolutionis annuæ: in hac autem revolutione eſt rurſus dominus quintæ, & ♀ in ipſa, dominæ ♂ & Medii Cœli. Jupiter autem tam in radice, quam in hac revolutione eſt dominus quintæ in octava applicans ♄ & loco ☽. Ad hæc Sol dominus Horoſcopi & duodecimæ hujus figuræ, qui ☿ erat domini duodecimæ in prima revolutionis annuæ, reperitur in ſuo □ cum fixa violenta læſus □ ♃ domini octavæ, tum ♄ & ☽ in octava. Ac tandem ☿ dominus octavæ radicis & primæ hujus revolutionis, reperitur in quinta exul atque læſus iiſdem □: fuerat autem dominus Horoſcopi in duodecima revolutionis annuæ: & ♃ anæreta radicalis venit jam ad ſuum □ radicale in cuſpide quinta radicis & octava hujus figuræ.

Tanta igitur tamque multiplex occurrit combinatio ſignificatorum primæ, duodecimæ, quintæ & octavæ, ut morbus lethalis jam ab annua revolutione ſignificatus, hac menſtrua acciderit, priore quo diu languit nondum curato, ortus (ut ferunt) ex quintæ ſignificatis; cui rumori ♀ domina Horoſcopi & ☿ dominus octavæ radicis, hic in quinta reperti, ☿ valde læſo, non parum atteſtantur: fuitque talis morbus febris repentina, accenſa ipſo die revolutionis ☽ ob ejus partilem conjunctionem cum ♄, in domo ♃ exaltatione ♀.

Tertia erit revolutio ☽ in qua Nobiliſſimus Vir D. Tronſonus malis artibus Cardinalis Richelii, qui ſe ejus amicum eſſe ſimulabat, exul ab Aula factus eſt, cum dignitatum ſuarum amiſſione: fuitque figura talis.

98. 24




In qua ♀ domina Horoſcopi, & ☽ domina Medii Cœli radicis & hujus revolutionis læduntur ☌ ♂: eſtque ♀ ob eſſe à maleficis in undecima, quorum ♂ præeſt ſeptimæ, & ♄ eſt in duodecima, ambo autem inimici decimæ radicis & hujus revolutionis: unde nato à falſis amicis mala ac infortunia portendebantur in dignitatibus cum exilio ob ♄ in duodecima, cujus dominus ☿ erat in decima, ſed ☍ radicali ♂, partiliter quadratus ⊕. Cardinalis volebat ipſum incarcerari ob crimina falſo ſuppoſita: ſed noluit Rex, ac ♃ in Horoſcopo radicali & prima hujus revolutionis cum ipſum D. Tronſonum à graviori malo liberavit, & vitam ægro etſi maximè afflicto ſervavit, infortunium autem accidit die 2. Auguſti 1626.

Quarta erit revolutio ☽ præcedens obitum ipſius Nobiliſſimi Domini Tronſoni, cujus figura extitit ut in Pagina ſequenti.

In qua ☽ eſt in domo duodecima, læſa □ ♂ exulis & domini octavæ, nec non ☉ in quarta, qui etiam Lunæ quadratur dominus duodecimæ. ☿ autem dominus Horoſcopi, in quo reperitur locus radicalis ipſius ♀, eſt exul in quarta læſus □ ♄, atque ♃ domini octavæ, qui repe riuntur in ſeptima, ♄ octavæ cuſpidi juncto: hæc vero mortem ex morbo minabantur; ideoque obiit die 8. Decembris 1642. hora circiter nona matutina.

Quinta erit revolutio ☽ præcedens obitum invictiſſimi Conneſtabilis Deſdiguiers, cujus figura ſubſequitur.

48. 39.




In qua aſcéndit ☋ radicalis ☿ domini duodecimæ radicis: ac ♂ dominus Horoſcopi, eſt cum ♄ domino octavæ radicis & annuæ revolutionis; atque ♄ & ♂ cum ☉ opponuntur ☽, quæ fuerat domina primæ radicis, ideoque præcipua vitæ ſignificatrix: ac proinde ambo Luminaria hîc peſſimè habent, cùm præſertim ♄ ☉ & ♂ ſint in □ ♂ annuæ revolutionis. ♃ autem dominus ☽ eſt in duodecima cum ♀ domina cuſpidis octavæ; & ☿ dominus ☉ & octavæ, eſt in loco quem ☽ in revolutione ☉ occupavit. Omnia igitur ad morbum mortemque vergebant, ideoque 28 Septembris 1626 mortuus eſt, vir in bello & militaribus dignitatibus fortunatiſſimus. Cœpit autem ægrotare die 21 Auguſti, ac præceſſerat Revolutio Lunæ, in qua Sol fuit in 17 grad. ♌, hoc eſt □ radicali tam ♂ quàm ♄: quibus hac in revolutione conjungitur.

135. 17.




Sexta erit revolutio ☽ anni 1605 proximè antecedens diem vulnerum periculoſiſſimorum anno ipſo mihi inflictorum, cujus talis fuit figura terrifica.

195. 20.



In qua aſcendit ſignum octavæ radicis, eſtque ♄ in Horoſcopo; ♃ autem dominus Horoſcopi, eſt oppoſitus octavæ cuſpidi, ☉, ☿, ♀ atque ♂, exiſtentibus in ſeptima domo, quæ eſt hoſtium apertorum; eſtque ♃ ipſe dejectus: ☽ verò eſt domina ♂ ♀ ☿ atque ☉, necnon octavæ cum ☉: eſtque in □ Horoſcopi & ♄, cui in radice jungebatur in duodecima. Hæc autem ab inimico primùm occulto, deindeque aperto, vulnera cum inſigni vitæ periculo portendebant: ideoque mulieris cauſâ, quòd ſignum primæ radicis, eſſet in quinta ejuſq; domina ☿ partiliter juncta ♂ in ſeptima ſuper loco radicali ♂: Jamq; fuiſſent ♀ in quinta & ♂ in octava revolutionis Solis: at quia ♃ dominus Horoſcopi non fuit læſus à maleficis; ☽ autem domina octavæ fuit in ⚹ ♃ & △ ♀, ſupererat ſpes aliqua vitæ, licet ☽ l[illegible]deretur □ ♄; & ☉ ☌ ♂: ideoq; miſerante Deo conſervata eſt vita, ſed quaſi miraculosè. Et contigit hoc infortunium 9 Julii 1605. horâ circiter octava 20'. poſt meridiem.

229. 52.




Septima

Septima erit revolutio ☽ proximè antecedens diem 30 Maij 1612. quo die in morbum valde periculoſum incidi, ut dictum eſt in revolutione ☉ illius anni: fuitque figura ut in pagina præcedente.

In qua aſcendit quadratus Horoſcopi radicalis; & ♄ dominus duodecimæ & primæ conjungitur ☽ partiliter, cui in revolutione ☉ quadrabatur; ſuntque ♄ & ☽ cum ♂ oppoſiti octavæ, & in □ ☿ domini octavæ: quod quidem morbum cum vitæ periculo portendebat. ♃ autem ♄ & ☽ dominus rediit partiliter ad ſuum locum in Revolutione Solis, ubi morbum ex ludo & computatione ſignificavit, idemque confirmat in hac figura, ubi applicat ⚹ ☿ domini octavę exiſtentis in quinta quæ eſt voluptatum, in □ ♄ domini Horoſcopi & duodecimæ: Sole domino ♃ exiſtente partiliter in ☍ loci, quem occupavit ☽ in revolutione Solis, idque cum fixa violenta: hæc igitur ☽ revolutio congruebat cum revolutione ☉, pro morbo ſupradicto.

Octava erit revolutio ☽ proximè antecedens diem 9 Maij 1613, quo gradum Doctoratus in Medicina conſecutus ſum: fuitque figura talis.

18. 53.




In qua Cœlum diſponitur ut in revolutione ☉, eſtque ☉ dominus Horoſcopi exaltatus in decima, cum ☿ domino ⊕ atque ♃ domini ☽: reperiuntur autem ☉ & ♀ ſuper Horoſcopo radicalis & Medio Cœli revolutionis annuæ: & hoc dignitatem fortiter præſagiebat: Quòd præſertim ♄ & ♂ potentes in Medio Cœli radicis rediiſſent ad ſua loca radicalia in hac revolutione, eſſetque ♂ dominus Horoſcopi, radicis & Medii Cœli, utriuſque revolutionis in △ ☽ ſuæ dominæ, quæ eſt in nona ſcientiis dicata cum ♄ domino Medio Cœli radicis, & applicabat ☍ ♃ ſuo domino. Ergo hac revolutione menſtrua Doctoris gradum conſecutus ſum in Medicina, de natura ♄ ♂ & ☿ ob ♂ dominum Medii Cœli atque ☉, ob ♄ in nona conjunctum ☽ dominæ ♂: Et ob ☿ dominum ⊕ in decima: etiam cum multo honore. Sed ♃ dominus ☽ exul ac ☽ & ♄ oppoſitus; & tam ♃ quàm ♄ quadrati ⊕: non utilem Doctoratum ſtabilemque profeſſionem ſignificarunt, præſertim quòd Medium Cœli eſſet ſignum mobile, ejuſque dominus ♂ in ſigno quoque mobili eſt in duodecima domo.

Nona erit revolutio ☽ præcedens periculum inſigne quod mihi accidit in Rheno natanti die 7 Julii 1615. hora circiter 10 cum 30′ poſt meridiem, fuitque figura notatu digniſſima, ut in pagina ſequente.

In qua nempe ☽ eſt in cuſpide ſeptima Horoſcopo oppoſita; & Sol hujuſque & Medii Cœli dominus ♀ in Medio Cœli ſunt in □ Horoſcopi, atque ☽ Sole in octava exaltationis jus ſibi vindicante: hoc autem vitæ periculum portendebat: ſiquidem ☽ in ſeptima aut mortem violentam aut ejus pericula concitare ſolet, fuit autem exploſa in me catapulta à tribus ad ſummum paſſibus, & enſis vibratus, dum voluptatis cauſa in Rheno natarem, ut dixi in revolutione Solis: Ac magnam in voluptate periculum ſignificabatur à ♄ domino quintæ in octava, & ſigno igneo ♂, tum ab ipſo ♂ domino ♄ & octavæ, qui reperitur in quinta radicis & duodecima revolutionis, portendentibus violentæ mortis periculum ferro, ignitove globulo plombi: Ac ſignifica-


37. 42.



batur in aquis itinerando, quod ☽ ♀ domina nonæ, hujus revolutionis, & ♃ dominus nonæ radicis in tertia hujus figuræ, eſſent in ſignis aqueis: ſed quia erant in △ aſpectu; ac præterea ♃ & ♀ erant in ⚹ Horoſcopi, cujus dominus ☿ fuit fortis ac liber a maleficis ♂ & ♄, ſicut ambo luminaria: Idcirco annuente Deo clementiſſimo, in tanto periculo ſervatus ſum, etiam illæſus: hîcque apparent ſalutis cauſæ, quæ nullæ reperiuntur in Revolutione Solis.

Decima erit revolutio ☽, qua durante horrendi ex alto præcipitii in torrentis vortices ex equo periculum ſubii, die 1 Januarii 1616 horâ prima, cum 30 circiter minutis, fuitque figura talis.

331. 11.




In

In qua aſcendit ſignum octavæ revolutionis Solis, in qua aſcendebat ſignum octavæ radicis: Et Horoſcopus eſt locus ☌ in ipſa revolutione, cui adhæret fixa violenta Hercules dicta. Luna autem domina Horoſcopi, eſt in nona longis itineribus dicata; & quadratur ♃ ♀ & ☿ exiſtentibus in octava radicis & ſexta figura hujus, circa Horoſcopum revolutionis ☉. Hæc igitur mortis periculum in itinere minabantur, ♄ verò dominus ſextæ, ſeptimæ, octavæ & nonæ, erat in decima partiliter quadratus Horoſcopo, cadens in domo ♂; ideoque caſum ab alto ſignificabat; ac ejus dominus ♂ erat in ſexta ſuper ☍ ſua radicali, conjunctus ☉ & quadratus ♄ octavæ domino, periculum ab animalibus & præſertim equis portendens ob naturam ipſius ♂ & ♄ in domo ♂: ideoque hoc menſe Lunari, rediens ex Hungaria, caſu curſoris equi me vehentis, periculum incurri lethalis ex alto præcipitii, in torrentem horrendè inter grandia ſaxa undis & vorticibus ſpumantem: A quo certè vel DEUS OPT. MAX. vel cuſtos Angelus me liberarunt, ut dixi in Solis revolutione: Non enim id potuit contra ſupradicta ſolus ☽ △ ad Horoſcopum, qui erat locus ♂ & cuſpis octava in Revolutione Solis: quadrabant igitur ☽ ♄ & ♂ effectui; nullaque naturalis cauſa ab incepto præcipitio me liberare poterat.

Undecima erit revolutio ☽, qua inſigni favore Sereniſſimæ Reginæ Mariæ Mediceæ litteras Profeſſoris Regii in Mathematicis diſciplinis, obtinui à Rege Ludovico 13, die 3 Auguſti, Anno 1629. fuitque figura talis valde notanda: & negotium ſuſceptum die 30 Junii.

227. 0.




Aſcendit ſignum decimæ radicis, ac ♄ Horoſcopi, dominus eſt in ſua exaltatione cum ſpica ♍, prope cuſpidem nonam ſcientiis dicatam; Sol autem ac ♀ partiliter juncti in ſeptima horumque domina ☽, fuerunt in △ Medii Cœli, cujus & Horoſcopi radicalis dominus ♂, jungitur ⊗ radicali, in △ ⊕ hujus figuræ, cui præeſt ☿ in ſigno ☉ & domo ſeptima cum ☉, eſtque ♂ in ✶ partili ☽, tum ☉ & ♀, ſuæ dominæ, & ☽ in ✶ partili Horoſcopi; quem etiam ♂ △ partili beat, in ipſo exaltationem ſibi vendicans.

Hæc autem omnia fortiter honorem & dignitatem regiam præſagiebant, cum inſigni favore amicorum; qui fuerunt R. P. de Condren, qui mihi quaſi invito & repugnanti perſuaſit ipſam petere dignitatem, & pro me hac de re allocutus eſt E. Cardinalem

Berulæum potentem apud Reginam; à quo diligebar, qui pro me allocutus eſt Reginam, cui jam Aſtrologiæ causâ innotueram: ac ipſa Regina dignitatem pro me petiit à Rege, quamvis ipſius Reginæ à ſanctioribus ſecretis ei exponeret ſe jam eandem dignitatem pro altero viro docto petiiſſe. Hic autem favor ſignificabatur à ♃ domino undecimæ atque ☽ in prima domo, & ☽ ipſa in ✶ partili Horoſcopi domina ☉. Quamobrem volente imò affectante Reginâ Matre: res tam citò & fœliciter peracta eſt ut ego ipſe id mirarer: Præſertim quòd Rex tunc temporis ferè 150 leucis abeſſet Pariſiis, & Cardinalis Dela Rochefocault Magnus Galliæ Eleemoſinarius à quo admittuntur Profeſſores Regii, proceſſui Reginæ ut extraordinario reluctaretur: quod inſinuabat ☉ in ſeptima & ♄ conjunctus cuſpidi nonæ in □ partili Horoſcopi atque ☉.

Duodecimæ erit revolutio ☽ qua durante publicè demonſtravi, coram 8 Commiſſariis & pluſquam 300 Viris tam Magnatibus, quàm doctis Scientiam longitudinum, magno cum honore atque laude; ſed poſtea inſignis injuſtitia in me perpetrata eſt à Cardinali Richelio & meis Commiſſariis; fuitque figura talis, etiam valde notanda.

56. 23.



In qua nempe Cœlum eſt eodem prorſus modo diſpoſitum ut in revolutione ☉: Aſcenditque ☍ cumuli radicalis Planetarum, qui reperitur in ſeptima domo litibus & contentionibus deputata: In qua reperitur ☽ læſa ☍ ♄ in prima: & ♃ dominus ☽ eſt in decima læſus ☍ ♄ in quarta; hique 4 Planetæ non tantùm ſe ☍ ſed □ etiam mutuò inficiunt ex 4 figuræ angulis: quod quidem magnos hoſtes, contentiones celebres, & oppoſitiones ingentes portendebat; omnino ut in revolutione ☉, præſertim quòd ♄ quadrato applicaret ♀ dominæ Medii Cœli. Erat autem ♀ in ſua exaltatione & ☿ dominus decimæ ac primæ erat ☉ junctus, quod famam & laudem ſignificabat, ac in mutua receptione domus cum ♂ in prima, quod ingenii acumen & ſolertiam tum animoſitatem præſagiebat: ſed ⊗ erat in duodecima ſub dominio ☉ in octava hujus figuræ & duodecima revolutionis; quod inimicum occultum Magnatem & fortunæ damna portendebat. Atque hæc ſingula in hac revolutione menſtrua contigerunt.

Decima tertia erit Lunæ revolutio præcedens duntaxat 3 horis morbum longum difficelemque quo correptus ſum die 2 Novembris, 1642. figura talis eſt, qualis in proxima pagina ſequetur.

In qua primò aſcendit ☍ radicalis Martis; ipſeque præeſt Soli domino octavę in Medio Cœli, quem ☍ radio infortunat ex ♉, ubi ♂ exulat; Luna verò obſidetur à ♃ domino octavæ, radicis & Saturno cui partiliter applicat; quod jam ſæpius obſervavi peſſimum eſſe in revolutione Lunæ, cùm præſertim Saturnus eſt mortis aut morborum ſignificator à radice: ſunt autem ♃ ☽ & ♄ conjuncti in ſecunda, hoc eſt ☍ octavæ domui, quod ad hoc malitiam conſtitutionis adauget. Ergo nil mirum ſi morbus ferè cum tali conſtitutione cœperit, fueritque longus ob ♄: imò difficilis; quòd nullus Planeta hujus conſtitutionis temperare potuerit malignitatem, eò quòd omnes vel in radice, vel in hac figura, vel in utraque fuerint morborum, vel mortis ſignificatores, vel utriuſque.

Decima


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

217. 15.



Decima quarta erit revolutio ☽, qua durante datum mihi fuit in Sanctiori Conſilio Regio pręmium, pro inventione mea arcani longitudinum, fuitque figura talis.

331. 11.




In qua aſcendit △ cumuli radicalis Planetarum quorum locus eſt in decima domo, ubi reperiuntur ♀ ☿ & ☽ domina Horoſcopi. Et in Medio Cœli eſt locus radicalis ☿ domini ⊗. Quæ quidem in ſuſceptis & agendis famam, fœlicitatem & divitias præſagiebant; idque Reginæ, Principum & Regni Miniſtrorum favore ob ☽ dominam Horoſcopi in decima cum ♀ exaltata partiliterque juncta ☿ domino ⊗: Tum ob ☉ exaltatum in undecima cujus dominus ♂ eſt in prima; ☉ & ☽ domui ſecundæ dominantibus. Et idcirco die 8 Aprilis ſequentis, cauſa mea de petitione præmii ob inventam à me longitudinum ſcientiam & Aſtronomiam reſtitutam,

tam, fuit in Reginæ Conſilio coram Principibus Regnique Miniſtris judicata, & omnium conſenſu præmium mihi conſtitutum, ſed exiguum; quod ♃ dominus ☽ ac decimæ in duodecima cum ⊕ videbatur portendere, nec non ☋ ipſa in □ ♀ ♀ atque ☽.

Decima quinta erit revolutio præcedens obitum B. Patris Caroli de Condren, cujus figura talis extitit valde notanda.

180. 38.



In qua Cœlum prorſus ut in radice fuit diſpoſitum atque ☉ & ☽ domini octavæ radicis & hujus revolutionis, fuerunt in prima & duodecima ut in radice, ſed ambo læſi; ☽ quidem □ ♄ fortis, cui in radice fuerat oppoſita; & ☉ □ ♂. Hæc autem morbum lethalem adeo validè portendebant, ut vix poſſet validiùs. quandoquidem in radice & hac revolutione ☽ erat ſignificatrix morborum & mortis; Sol autem vitæ & mortis, nec prodeſſe potuit ♃ dominus Horoſcopi cum ♀, quia fuit dejectus & octavæ oppoſitus, nec Horoſcopus fuit ullis fœlicibus radiis roboratus. Idcirco obiit die 6 Januarii 1641 hora circiter 6 matutina.

Sed ſuprapoſita exempla ex pluſquam 100 valde inſignibus, quæ in medium proferre poſſem ſatis ſuperque ſint, ad evidentiſſime probandum revolutiones ☽ magnis pollere viribus; præſertim quòd ingenuè fatear, me tales revolutiones de induſtria non effinxiſſe, aut inter varias non arridentes elegiſſe; ſed quaſcunque erexi proximè antecedentes aliquod inſigne accidens, tales ſemper ipſum accidens fortiter ſignificare deprehendi; ut facile conjici poteſt ex 8 revolutionibus meæ ☽. Unde patet quanti in Aſtrologia momenti futuræ ſint Tabulæ, præter quas pluſquam 30 alias exponere poſſem, Lunares accuratæ; quæ fortaſſis Revolutiones accidentibus, adhuc congruentiores nobis ſuppeditarent, ſi jam haberentur.

Caput II.

An Solis & Lunæ revolutiones genethliacæ, ſint in quartas diſtribuendæ, harumque figuræ inſpiciendæ pro ſignificatis accidentibus ab ipſis Revolutionibus.

CArdanus Lib. de Revol. Cap. 2. poſt erectam figuram annuæ revolutionis ☉; vult deinde ſingulis menſibus erigi figuram revolutionis ☽, dum hæc revertitur ad eundem locum in Ecliptica, quem illa occupavit in figura Solaris revolutionis. Inſuper autem vult, per ſingulos illius menſis quadrantes erigi figuras, dum Luna motu proprio venerit ad loca quadrata & oppoſitionem illius ☽ loci: Et tam has quàm illas figuras eſſe attendendas: illas quidem ut fiat judicium de menſe & primo quadrante ipſius menſis; haſce verò ut fiat judicium de reliquis quadrantibus. Cùm autem hæ revolutiones ☽ à nobis rejiciantur, illa verò probentur quæ fiunt ad ☽ locum radicalem, quæritur an hæ quoque in quartas vel hebdomadas ut ſuperius ſint dividendæ?

Dico autem, quod ſi revolutiones ☽ per quadrantales figuras ſubdividendæ ſint, idem multò magis faciendum erit de revolutione Solis genethliaca. Et quidem in Solis revolutione mundana Ptolemæus, Lib. 2. Quatrip. Cap. 9. fatetur, *Quod illud principium capi oporteat in qualibet ☉ converſione, à reditu in locum unde exierat,*

ut

ut res ipſa docet cum effectu ipſo, tum etiam nomine, quod notatu dignum eſt pro revolutionibus ☽ aliorumque Planetarum tam mundanis quàm genethliacis. At quia circulus nullum ex ſe principium exhibet; & vel ut Ethnicus ignoravit Mundi creationem, ac Solis poſitum creationis initio incerto Zodiaci puncto, à quo exivit ſeu moveri cœpit: idcirco animadvertens in ipſo Zodiaco 4 puncta virtutis præcipuæ, nimirum principia ♈, ♋, ♎, ♑; quæ ſunt locus radicalis ☉ initio Mundi, ejuſque □ & ☍; atque neſcius quodnam illorum Solem primò exceperit, aſſumpſit illa 4 principia, ad quæ juſſit erigi figuras, pro quartis mundanæ revolutionis ☉. Quod certe videtur non fuiſſe facturus, ſi primum locum ☉ in Zodiaco, unde moveri cœpit, cognoviſſet. Utens enim quatuor principiis, ignoravit primum à quo cætera vim accipiunt, quippe radicalem: nec potuit non pervertere eorum ſubordinationem, & de illis præpoſtere judicare, ſaltem in effectibus influentialibus. Igitur à ſimili revolutiones ☉ genethliacæ non videntur in quartas dividendæ: ac per conſequens à ſimili etiam revolutiones Lunæ non erunt ſubdividendæ.

Attamen probatur experientiâ, vim magnam ineſſe figuris quartarum non modò revolutionis mundanæ ☉; ſed etiam revolutionum ☽ ſynodicarum: Ergo revolutiones ipſæ in quartas ſubdividendæ ſunt; ideoque à ſimili revolutiones genethliacæ, ob ſupradictam cauſam, quod priora ſint exemplaria atque regula poſteriorum.

Ad hoc autem primò reſponderi poteſt, tam in univerſalibus quàm particularibus revolutionibus Solis & ☽, vim illam quartarum attribuendam eſſe potiſſimum tranſitui ☉ & ☽ per loca quadrata & oppoſita eorum locis radicalibus. Hi enim aſpectus ſunt inſignis in circulo Cœleſti virtutis per determinationem. At quia ☉ & ☽ dum in ſuis locis radicalibus extarent, determinarunt alia ejuſdem circuli puncta pro ſuis aſpectibus ☆ △ ✶ & #, non videntur erigendæ figuræ ſubdividentes revolutionem, potiùs pro aſpectibus naturâ maleficis □ & ☍, quàm pro beneficis △ & ✶; præſertim cum Cardanus lib. de Revol. cap. 13. aſſerat morem Ægyptiorum fuiſſe ſingulis menſibus figuram erigere, pro reditu ☉ ad ſimilem gradum & minutum cujuſque ſigni, in quo fuit Sol in genitura. Qui profectò mos Ægyptiorum adhuc ſapit veterem Aſtrologiæ cabalam à primis parentibus; quâ Planeta quilibet ſuo ſitu in Cœlo, loca Cœli 12 & non plura determinat ad ſuam naturam, juxta vim ac ſpeciem ſuorum aſpectuum, ut diximus Lib. 16. Sect. 1. Cap. 4.

Secundò reſponderi poteſt: Revolutiones ☽ ſynodicas non eſſe Nato particulares, nec alligatas ad aliquod radicale principium genethliacum; ſed eſſe toti Terræ communes atque vagas, ſicut etiam ipſarum quartas, quæ non contingunt in locis à loco Synodi quadrante vel ſemicirculo diſtantibus, ſed in diverſis. Harum tamen conſiderationem etiam conferre ad Natorum particulares revolutiones, quatenus particulare univerſali ſubordinatur, ſuntque ☉ & ☽ cauſæ univerſales primariæ, ac velut pater & mater ſublunarium effectuum; ſemper agentes ſuis viribus & ſyzigiis univerſaliter, in quodlibet ſublunare, juxta ejus diſpoſitionem vel duntaxat elementalem, vel etiam influentialem ab impreſſione radicali.

Verùm quia neutra reſponſio enervat objectionem de virtute quartarum revolutionis mundanæ ☉ & ſynodicæ ☽; eſtque homo Microcoſmus qui ſuis tam ☉ quàm ☽ revolutionibus ſubjicitur, ut Capitibus 7, 8 & 9, fusè probatum eſt: concludendum videtur, quod ad certiorem accuratioremque accidentium Nato futurorum cognitionem, Revolutiones genethliacæ ☉ & ☽ ſint in quartas diſtribuendæ; & figuræ quartarum judicandæ habita ratione ſuorum principiorum, quæ ſunt figura genethliaca, & figuræ revolutionum ☉ & ☽ genethliacarum: hinc enim conjici poterit evidentiùs, quæ in quarta ☉ & ☽, accidentia à geneſi & revolutionibus ſignificata prodibunt. Atque modus hic judicandi de particularibus temporibus, verum ſaltem habet in Natura fundamentum atque congruum primis ſcientiæ principiis, ſcilicet efficacem determinationem locorum ☉ & ☽ horumque aſpectuum, & ſtatum Cœli quo Sol & ☽ ad ea loca deveniunt ſuo tranſitu, qui ab ipſo ſtatu fit magis aut minùs efficax. Nec inutile fuerit etiam, figuras erigere pro bonis in geneſi ſignificatis, præſertim à luminaribus; ad momenta temporis, quibus illa reperiuntur in ſuis Trinis radicalibus aut Sextilibus. Sed quia loca quadrata & ☍ cæteris ſunt efficaciora; idcirco figuræ erectæ ad tranſitus per ipſa loca erunt principalioris conſiderationis, cæteris non neglectis.

Porrò figuræ quartarum, Trinorum & ſimiles eodem planè modo erigendæ ſunt, quo ipſæ revolutiones: Cùm autem ad hoc deſiderentur adhuc Tabulæ luminarium accuratiſſimæ, ne fortè contra doctrinam optimis ſtabilitam principiis, erroneæ figuræ à nobis obtrudantur, ab exemplis, ſuperſedendum cenſemus, monentes, quod ſicut Revolutiones non agunt contra Nativitatis præſagia; ita nec quartæ contra Revolutionum ſuarum ſignificata: Poſſe autem revolutionem ☽ congruam revolutioni ☉, effectus ab ambobus ſignificatum producere, in quarta revolutionis ☉ non conſpirante; ac præſertim in quarta ipſius revolutionis ☽ congrua: ſemper enim cauſa fortior vincit debiliorem, duo autem uni prævalent.

Si quis tamen contentus eſſe voluerit figuris revolutionum ☉ & ☽, quæ figuris quartarum priores ac potentiores ſunt; non ſecus ac Planetę locus potentior eſt loco ſui aſpectus; & quarum vis ſuperiùs fuit evidentiſſimè comprobata: illum arbitror minùs confuſionis pluſque veritatis in judicando reperturum. Inde verò ſequetur, ſingulas ſaltem ☽ revolutiones examinandas eſſe, niſi annuæ revolutionis directiones, aliquas Lunæ revolutiones præcipuè judicaverint; ut congruentiores ipſarum directionum effectibus, tam ſtatu Cœleſti, quàm tempore; tunc enim alię revolutiones ☽ non erunt ad eoſdem ſaltem effectus examinandæ: Nam certum eſt, congruos concurſus revolutionum ☉ & ☽, eſſe futurorum homini effectuum cauſas efficaciſſimas, cùm præſertim figura radicalis ejuſque directiones conſentiunt, ut infra dicetur.

Carda-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Cardanus verò Lib. 2. Revol. Cap. 4. erecta revolutione ☽ ad locum quem occupat in revolutione ☉ menſibus ſingulis: erigit deinde figuras quartarum pro ſingulis hebdomadibus, quibus ☽ pervenit ad quadrata & ☍ illius loci. Poſt hæc verò ſingulis diebus cujuſque quadræ erigit figuram horoſcopante gradu, qui fuit Horoſcopus ipſius quadræ. Tandem ſignificatoris vel promiſſoris locum obſervat, quâ ſcilicet horâ deveniet per motum diurnum, ad Horoſcopum aut Medium Cœli, aut cuſpidem ſeptimam. Jamque judicat de anno effectus ex figura revolutionis Solis prout ſimilis aut diſſimilis eſt ſignificatione cum radicali figura & directione radicali: De menſe ex figura revolutionis ☽ prout quadrat radici & revolutioni ☉: De hebdomada prout figura quadræ, congruit radici & revolutionibus ☉ & ☽. De die ex figura diei: & de hora ex poſitione loci ſignificatoris aut promiſſoris in Horiſonte vel Meridiano. Sed revolutio ☽ methodo Cardani, à nobis ſuperiùs rejecta eſt; de cæteris ad diem & horam effectus prædicendum, agemus infra & libro ſequenti.

Caput XII.

An revolutiones ſine directionum concurſu poſſint aliquid circa Natum.

AD quæſtionem hanc non exigui ponderis enodandam ſciendum eſt, Revolutionem in genere cauſæ efficientis futurorum Nato accidentium eſſe quid medium inter radicalem figuram (ad quam directiones pertinent) & tranſitus Planetarum de quibus agendum erit proprio loco. Nam radicalis figuræ ejuſque directionum influxus eſt momento nativitatis quid tantùm potentiale, reſpectu futurorum à geneſi accidentium: Tranſitus verò ſunt cauſæ duntaxat actuales, quæ per ſe producunt ipſos effectus. At revolutio eſt partim actualis & partim potentialis. Actualis quidem, quatenus conſtitutionis radicalis vel directionis potentiam proprio influxu actuat; non enim radicalis conſtitutio vel directio, agit ſine revolutione congrua. Potentiales vero quatenus ipſa revolutionis figura ſive conſtitutio, eſt quidpiam toti anno univerſale ac potentiale, quod ſaltem per tranſitus Planetarum ad actum reducitur. Ut enim effectus omnes conſtitutionis radicalis non contingunt ipſo die nativitatis, ſed tota durante vitâ per directiones & revolutiones ſucceſſivè prodeunt: Ita non omnes effectus revulutionum tam ☉ quàm ☽ contingunt ipſo die revolutionis, ſed per congruas directiones annuas vel menſtruas, tum per congruos tranſitus Planetarum erumpunt, durante anno vel menſe ut infra exponetur.

His intellectis dicendum videtur, Primò, quod directio radicalis nihil efficit contra ſignificatum figuræ radicalis, etiamſi conatus irritos excitare queat, congrua præſertim accedente revolutione. Patet enim experientiâ, quod ſi radicalis figura martialem indolem & matrimonium, aut divitias, aut liberos fortiter negaverit, nulla directio radicalis quidquam eorum confert, ut jam alibi dictum eſt: Alioquin nulla eſſet radicali ſignificato habenda fides, ſicque nulla eſſet Aſtrologiæ ſcientia, contra experientiam. Vide Cap. 2. Sect. 4. Lib. 22.

Secundò. Quod directio radicalis etiam radicali figuræ congrua, nihil efficit abſque revolutione congrua. Cùm enim ipſa directio ad radicalem figuram pertineat, & tam hujus quàm illius vis pro futuris accidentibus ſit duntaxat potentialis, neceſſe eſt ut reducatur ad actum per aliquid actuale, quod proximè erit ipſa revolutio, quæ media eſt inter directiones radicales & tranſitus Planetarum. Non enim ab uno extremo fit progreſſus ad aliud, quàm per medium; nec forma ſive actus particularis qui eſt à tranſitibus, introducitur ſine præviis diſpoſitionibus, quas ipſæ revolutiones cum ſuis directionibus efficiunt, ut ſequenti capite dicetur: Non ergo ſoli tranſitus ſufficiunt ad reducendum potentiale directionis radicalis in actum, & multò minus potentiale geniture in inſignibus ſaltem mutationibus; etſi Cardanus Lib. de Revol. Cap. 8. in fine aſſerat, *Non negari tranſitum de genitura ad diem ſine anno, ſi diei ſignificatio fuerit valida.* Hic enim ſibi contradicit in eodem Cap. dum ait *impoſſibile eſſe, ut quis plus cognoſcat diem quàm annum.* Atque idcirco dum completur aliqua directio radicalis, ac ejus ſignificato non congruit, vel (quod majus eſt) etiam fortiter contrariatur annua revolutio, retardabitur ſignificatus effectus, uſque ad revolutionem congruam uno vel duobus annis ſubſequentem, dummodo contraria ejuſdem ſignificatoris directio radicalis non interveniat, quæ priorem ſupprimat: quandoque verò priori illius directionis effectus accelerabitur à congrua revolutione ☉, uno ſaltem anno tempus directioins antecedente. Si autem revolutio ☉, ſignificato directionis fortiter non contrarietur, vel etiam parumper congruat, poterit tamen ſignificatum prodire à congrua fortique revolutione Lunæ, ſi præſertim directio radicalis fuerit ipſius ☽, vel ad hanc aut ejus aſpectus congruos.

Tertiò. Revolutionum unam eſſe primariam, alias verò Secundarias: ſi Primaria, eſt ipſa radicalis figura, quæ in rei veritate eſt prima Nati revolutio, tam Solaris quam Lunaris. Cùm ergo hujus revolutionis ſimilitndo cum radicali figura ſit maxima, quippe identitas; propter hanc effectus ab ipſa radicali figura fortiter ſignificatus citòque futurus, à ſolo tranſitu Planetarum congruo produci poterit, etiam primo anno ipſius Nati; dummodo Nati ætas ſit illius effectus capax, qualis eſt morbus, caſus ab alto, mors, tranſlatio in aliquam provinciam & ſimiles; concurrente nonnunquam ſecundaria ☽ revolutione. Secundariæ autem revolutiones, ſunt aliæ omnes à radicali figura, & hanc conſequentes: In quibus quia deeſt tanta ſimilitudo & accidit alteritas, idcirco etiamſi revolutio ſecundaria magnam cum radicali figura ſortiatur ſimilitudinem ſignificati pro aliqua ſpecie accidentis; tamen tranſitus ad hanc ſpeciem congrui, inſignes ſaltem vix cauſabunt mutationes vel effectus ſine directionibus radicalibus, alioquin nulla eſſet habenda fides rectificationibus geniturarum per directiones radicales pro accidentibus præteritis, quæ tamen deprehenditur certiſſima; ſed ſufficeret anno accidentis præteriti, ſcite ſimilitudinem revolutionis cum radice, quæ ſimilitudo compati

poteſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

poteſt cum Horoſcopo figuræ radicalis, etiam pluribus gradibus immutato. Adde quod ignoto Nativitatis præciſo tempore, ſciri nequit tempus revolutionis; nec proinde ſupradicta ejus ſimilitudo. Attamen figurâ nativitatis exactè conſtitutâ, vel per obſervationem horæ, vel per rectificationem ope directionum; Revolutio figuræ Natali conformis, non carebit effectu, etiam ſine radicalibus directionibus congruis, quæ ſingulis annis non concurrunt cum Revolutionibus radicali figuræ conformibus. Prodibit igitur effectus à directionibus annuis, vel menſtruis, vel tranſitibus congruis, ſimul concurrentibus pro inſigni effectu, aut ſeorſim pro modico.

Ex ſupradictis ergo concluditur, quod tam radicalis figura quàm directiones radicales nihil efficiunt futurarum mutationum ſine congruis revolutionibus ſive ☉ ſive ☽. E contra verò ſecundaria revolutio etſi radicali figuræ ſimilis, vix quidquam ſaltem inſigne perficiet abſque radicalibus directionibus congruis; quamvis irritos conatus vel ad futurum effectum diſpoſitiones aut quaſdam leves mutationes cauſare queat, pro majori aut minori ſimilitudine cum radicali figura & robore ſignificatorum. Imò etiam quid inſigne cauſari queat à duabus revolutionibus ☉ aut Lunæ immediatis, id fortiter ſignificantibus. At ubi radicalis figura, directio radicalis & revolutio ☉, ſignificatione & tempore conveniunt; procul dubio contingit atque perficitur ipſo anno ipſius directionis effectus, niſi quid potentiùs obſtet, ut voluntas in actionibus liberis.

Objicies ſi directiones radicales eſſent tantùm aliquid potentiale, reſpectu futurorum accidentium, ſequeretur quod accidentis anno nihil actualiter influerent; ideoque omnis actualis influxus pro accidente anni, eſſet à revolutionibus & tranſitibus. Hoc autem dici nequit; ſiquidem revolutiones & tranſitus ut plurimùm non operantur ſine directionibus radicalibus, quod indicium eſt evidentiſſimum directiones ipſas etiam actualiter influere, & ad ipſo accidentia efficienter concurrere; alioquin accidentia non eſſent efficienter à directionibus ipſis, quod abſurdum eſt opinari. Non ergo ſunt tantùm aliquid potentiale.

Reſpondeo, nos ſuperiùs dixiſſe, quod directiones radicales momento nativitatis, erant duntaxat quid potentiale reſpectu futurorum ab illis accidentium; non ſecus ac infans eſt tantùm quid potentiale, reſpectu ſibi futuræ prolis; & vis ſeminis in grano tritici, quid potentiale eſt reſpectu ſpicæ producendæ. At Cap. 2. Sect. 3. Lib. 22. diximus vim ſeu efficaciam directionis radicalis per Cœli converſiones à geneſi, maturari in ipſo Nato, ac tranſire de potentia remota ad proximam ſuam producendi effectum. Qua in re tantum indiget excitari & ad ipſum actum reduci à revolutione Solis congrua. Non ſecus ac grano in Terram projecto, vis ejus ſeminis excitatur ab eodem ☉, & reducitur ad actum generationis ſpicæ; ad quam nihilominus vis ipſa ſeminis efficienter concurrit; idque à ſimili de directionis vi intelligendum eſt. Quo pacto conſtat revolutionem ſemper eſſe quid medium inter directiones radicales & tranſitus, in genere cauſæ efficientis futurorum Nato accidentium.

Caput XIII.

Quo pluribus exemplis probatur concurſus directionum radicalium, cum Revolutionibus Solis.

Revolutionum doctrina tanti momenti extat, ut exemplis illuſtrari ad majorem certitudinem indigeat, quod in ſtudioſorum gratiam præſtare non gravabor, expoſitis hoc Capite directionibus radicalibus, quæ revolutiones Solis Cap. appoſitas comitatæ ſunt.

Itaque Guſtavus Adolphus Rex Suetiæ occiſus fuit in prælio, anno 1632. ob directionem Medii Cœli ad □ ♄ pravè affecti in octava; □ ♃ infœlicis in ſecunda; & corpus ♂ in duodecima. Etenim Medium Cœli eſt primò & per ſe ſignificator actionum & ſucceſſus ipſarum ſive boni ſive mali; qui plerumque eſt ipſa mors, præſertim in duellis & præliis ſuſceptis, ut pluribus aliis exemplis confirmari poteſt, at concurſus trium promiſſorum ſupradictorum pro violenta morte quam geneſis ſignificabat, tam validè funeſtus erat, ut fatum prope videretur inevitabile.

Aſcenſio recta □ ſiniſtri ♄ cum latitudine	232.	gr.	44.
Aſcenſio recta Medii Cœli	195.		22′.
Differentia	37.		22.

Qui converſi per Tabulam Naibodæ, adæquant tempus mortis. Aſcenſio recta ♂ fuit 233. grad. 5′. excedens 21 minutis; & aſcenſio recta □ dextri ♃ fuit 232 gr. 0′. deficiens 44 minutis: ideoque ipſæ 3 directiones in eundem annum incidunt.

Mors Cardinalis Richelii accidit à directione Horoſcopi vitæ ſignificatoris primarii, ad ☍ ♃, qui in octava domo exul & cum fixa violenta, fuit ejus interfector: Pluribus per totam Europam ferro, flammis, ſanguine, fame, peſte, & cadaveribus horridam, idem contra Cardinalem deprecantibus, quod olim Brutus poſt cladem Philippicam noctu aſtra intuens, contra Antonium, ex Apiano.

Jupiter ut ferias qui horum eſt cauſa malorum.

Aſcenſio obliqua ☍ ♃ Pariſiis	275.	gr.	57′.
Aſcenſio obliqua Horoſcopi	220.		30.
Differentia	55.		27′.

Qui valent ex Naiboda 56 annos 101 dies: incidit autem in morbum à quo non convaluit, Anno 1642 æſtate, hoc eſt anno à geneſi 56. cum 331 diebus; & mortuus eſt 4 Decembris 1642. tranſitus 57 annis cum 86 diebus: cum prava admodum Revolutione tam ☉ quàm ☽; ad quas uſque directionis effectus totalis, ſumma curâ Medicorum & Chyrurgorum retardatus eſt.

Nobiliſſimus dominus Tronſonus ob benè merita de Rege & Gallia duabus dignitatibus fuit à Rege Ludovico XIII. honeſtatus Anno 1617, inter Aprilem & Auguſtum. Idque cauſavit directio Medii Cœli ad ☉ dominum decimæ, tum ☽, ♃ & ♀ in decima.

Aſcenſio recta ☉	160.	20′.
Aſcenſio recta Medii Cœli	120.	4.
Differentia ſeu directionis arcus temporis congruens	40.	16.

Par-

Paulo poſt verò nempe Anno 1618 die 19 Februarii duxit Uxorem Nobiliſſimam Claudiam de Seve, formâ, ingenio, virtutibus atque dote eminentem, quo tempore Sol dominus decimæ atque ☽: (quæ præerat Medio Cœli) dirigebatur ad ✶ ſiniſtrum ipſius ☽: eſt autem Sol etiam dominus ♀ quæ præerat Horoſcopo. Et tam Sol quàm Luna jus exaltationis habebant in ſeptima. Prædixi autem ipſi D. Tronſono diem hujus matrimonii ferè anno priuſquam de uxore ducenda deliberaſſet.

Idem Nobiliſſimus D. Tronſonus anno 1626, die 2 Auguſti ab aula ejectus & dignitatibus ſuis ſpoliatus eſt pravis artibus Cardinalis Richelii. Tuncque temporis ☉ dominus decimæ directione pervenerat ad □ ♂: & ♄ dominus quartæ potens in duodecima venerat ad ☍ ☽ in Ecliptica, quæ præerat Medio Cœli: Erantque ♄ & ♂ decimæ inimici, ac proinde honoribus & dignitatibus infauſti.

Aſcenſio obliqua □ ♂ in Ecliptica	203.	14′.
Aſcenſio obliqua ☉	154.	53.
Arcus directionis	48.	21.
Tempus accidentis converſum	49.	10.

Aſcenſio obliqua ☍ ☽ in Ecliptica	324.	40.
Aſcenſio obliqua ♄	275.	14.
Arcus directionis	49.	26.

Idem nobiliſſimus Vir obiit, die 8 Decembris 1642. ex duplici tertiana, quæ degeneravit in quartanam. Idque accidit à directione Horoſcopi ad □ Solis.

Aſcenſio obliqua □ ☉	274.	23′.
Aſcenſio obliqua Horoſcopi	210.	4′.
Arcus directionis	64.	19.
Tempus morbi.	65.	6.

Priore anno adhuc ægrotaverat febre tertiana, eratque revolutio valde prava, ſed convaluerat: At ſuccedente revolutione anni 642. adhuc prava: funeſtus accidit effectus ab illis duabus revolutionibus & directione: incepit in una, & completus eſt in altera.

Coneſtabilis Deſdiguieres obiit menſe Septembri 1626. à directione ☽ ad ſuum □ ſiniſtrum in Ecliptica. Erat enim ☽ principalis Apheta, quia erat domina primæ. Et ſequebatur ⛤ ♄ domini octavæ.

Lunæ polus fuit	14.	4′.
Aſcenſio obliqua □ ſiniſtri ☽	70.	13.
Aſcenſio obliqua ☽	348.	10.
Arcus directionis	82.	3.
Tempus morbi converſum	82.	14.

Mars autem in revolutione ☉ fuit in loco directionis ferè partiliter, etiam quadratus ♄ octavæ domino.

Quod verò ad mea ſpectat accidentia, præter febrem quartanam, qua correptus ſum anno currente octavo à mea geneſi, ortam ex directione ☉ ad ♄: tum magnum, ſpontaneum ac infœlix iter Pariſios, menſe Octobri 1603 à directione ♃ domini nonæ ad □ dextrum ♂ cum latitudine: Periculoſiſſimè vulneratus ſum mulieris cauſâ die 9 Julii 1605; ob directionem Horoſcopi ad □ ſiniſtrum ♀ ſine latitudine. Siquidem ♀ domina primæ; ideoque morum & vitæ ſignificatrix, applicabat ☌ ☉ domino quintæ tum ♃ domino octavæ. Et quadrata ☉ & ♃ ſequebantur quadratum ♀, cujus vide ſtatum in revolutione Solis & ☽.

Aſcenſio obliqua □ ♀ Francopoli	36.	43′.
Aſcenſio obliqua Horoſcopi	14.	36.
Arcus directionis	22.	7.
Tempus accidentis converſum	22.	3.
Arcus directionis ad □ ♀ cum latitudine	22.	31.

Eodem quoque anno ♂ dirigebatur ad □ ſiniſtrum Horoſcopi & directionis arcus eſt 22. 0.

Anno 1612. die 30 Maij incidi in longum & periculoſum morbum durante magna Solis Eclipſi; quo tempore ♃ & ☽ morborum & mortis ſignificatores dirigebantur ad Horoſcopum; Horoſcopus autem ad 9 gradum ♊ in quo facta eſt illa Eclipſis: & cum morbo accidit magnum iter, ob ♃ dominum nonæ,

Aſcenſio obliqua Horoſcopi in polo ♃ & ☽	15.	57.
Aſcenſio obliqua ♃ & ☽ ſubtrahenda	346.	37.
Arcus directionis	29.	20.
Tempus converſum	28.	51.
Vel aſcenſio obliqua 9′ gradus ♊ Francopoli	43.	17.
Aſcenſio obliqua Horoſcopi	14.	36.
Arcus directionis	28.	41.

Anno 1613 die 9 Maij factus ſum Doctor Medicus à directionibus Medii Cœli ad dodectilem partilem ♄ ſui domini, qui tunc etiam dirigebatur ad ☊: Tum à directionibus ♃ & ☽ ad Horoſcopum. Quoniam enim ♃ & ☽ potentes in quarta à loco ♂ qui præeſt Horoſcopo, fuerunt conjuncti ☉ & ♄ domino Medii Cœli. Idcirco non modò morborum, ſed etiam honorum fuere ſignificatores. Adde quod dirigebantur etiam eodem tempore ad ✶ ♀ cum latitudine.

Aſcenſio obliqua Horoſcopi in polo ♃ & ☽	15.	53.
Aſcenſio obliqua ♃ & ☽ ſubtrahenda	346.	35.
Directionis arcus	29.	18.
Tempus converſum	29.	46.
Arcus directionis ♃ & ☽ ad ✶ ſiniſtrum ♀	30.	9.

In revolutione ☉, ♃ & ☽ fuere in mutuis antiſciis; Horoſcopus radicis in Medio Cœli Revolutionis, & ♀ in cuſpide ſeptima, applicans △ ♂ domino Medii Cœli: ideoque quadrabant omnia.

Anno 1614. fatali quadam neceſſitate veni Pariſios, & factus ſum Medicus ordinarius Reverendiſſimi Claudii Dormii, Epiſcopi Bononienſis ſive Morinenſis, qui me reluctantem compulit ad ſtudium Aſtrologiæ, cui plurimum ipſe credebat. Atque tunc Sol directione pervenit ad Horoſcopum. Nam ☉ ☽ ♄ & ♀ in domo ♃ domini nonæ, eique conjuncti cum ♄ domino

quo-

quoque nonæ, idque in domo duodecima, quæ eſt cadens, ſuis ad Horoſcopum directionibus & morbos & itinera & pericula mihi concitavere; nec non ſervitutes varias.

Aſcenſio obliqua Horoſcopi in polo ☉	16.	10′.
Aſcenſio obliqua ☉ ſubtrahenda	345.	1.
Arcus directionis	31.	9.
Tempus converſum	31.	12.

Anno 1615. ſuſcepi magnum iter in Hungariam: & in varia incidi vitæ pericula ingentia, in aquis, litibus, duellis, luxuria; eo autem anno Horoſcopus dirigebatur ad □ ♄ in Ecliptica, & ♀ ad Horoſcopum: vide revolutionem ☉.

Aſcenſio obliqua □ ſiniſtri ♄ Francopoli	46.	9.
Aſcenſio obliqua Horoſcopi ſubtrahenda	14.	36.
Arcus directonis	31.	33.
Tempus periculi in Rheno converſum	31.	54.
Arcus directionis ♀ ad Horoſcopum	31.	34.

Anno 1616, menſe Aprili correptus ſum magno malignoque morbo, quo tempore Horoſcopus directione pervenerat ad □ ſiniſtrum ♄ cum latitudine: Ipſe ♄ cum ☉ tranſibant ſuper Horoſcopo radicali, & ♀ per loca ♄, atque ☽.

Aſcenſio obliqua □ ♄ Francopoli	48.	7.
Aſcenſio obliqua Horoſcopi ſubtrahenda	14.	36.
Arcus directionis	33.	31.
Tempus converſum	32.	42.

Anno 1621, menſe Octobri curſoribus equis longum emenſus iter receptus ſum à Duce Luxemburgi fratre Coneſtabilis De Luynes in Medicum ordinarium. Tuncque ☉ directione pervenerat ad ⚹ dextrum ♂ in Ecliptica. Et ♃ dominus ☉ ad ⊕.

Aſcenſio obliqua ⚹ ♂ in Polo ☉	23.	4.
Aſcenſio ☉ obliqua ſubtrahenda	345.	1.
Arcus directionis	38.	3.
Tempus converſum	38.	5.
Arcus directionis ♃ ad ⊕	37.	55.

Anno 1629. menſe Auguſto data mihi fuit dignitas Profeſſoris Regii in Mathematicis: & receptus fui die 4 Septembris: Hoc autem accidit à directione Medii Cœli Profeſſionis & dignitatum ſignificatoris ad ☿ dominum ſecundæ domus.

Aſcenſio recta ☿	330.	50′.
Aſcenſio recta Medii Cœli ſubducenda	284.	36.
Arcus directionis	46.	14.
Tempus converſum	45.	47.

Anno 1634. die 30 Martii publicè demonſtravi longitudinum ſcientiam, eamque in lucem edidi, in fine menſis Julii ſequentis: Ejuſque approbatio à celebrioribus Europæ Aſtronomis fuit à me in lucem edita initio anni 1636; quæ mihi tranſmiſſa fuerat anno 1635. Tunc verò nominis mei fama per totam fermè Europam diffuſa eſt. Hoc autem ſignificabat illuſtris directio Medii Cœli ad ☉; quæ non dignitatem & fortunam inſignem; ſed duntaxat nominis celebritatem, & ſupremæ potentiæ inimicum occultum mihi concitavit.

Aſcenſio recta ☉	336.	14.
Aſcenſio recta Medii Cœli ſubtrahenda	284.	36.
Arcus directionis	51.	38.
Tempus demonſtrationis	50.	22.
Tempus editionis ſcientiæ longitudinum	50.	42.
Tempus approbationis & famæ	51.	38.
Tempus editionis ipſius approbationis	52.	14.

Hæc igitur omnia egregia ac inſignia fuerunt ab ipſa directione Medii Cœli actionum & ſuſceptorum ſignificatoris ad Solem in domo duodecima.

Anno 1642. die 2 Novembris accidit mihi febris longa & lenta cum ſtupenda bilis evacuatione. A directione Horoſcopi ad ♂ in Ecliptica. Nam anno 1637 quo completa eſt directio Horoſcopi ad ♂ cum latitudine, multi caſus violenti mihi contigerunt etiam cum vitæ periculo, à morſu canis, à lite cum bajulo meo vicino nequiſſimo, qui ebrius me aggreſſus eſt propter canem; ab inſultu militum in meam domum, ſcortorum conſilio, fueratque in revolutione annua ♂ in 6 gradu ♈ □ ſui loci radicalis, dominus ſextæ, oppoſitus ♃ domino ſeptimæ in quinta, ♀ autem & ♄ potentes in quinta erant conjuncti in octava in □ ♂. Quæ omnia mirè quadrabant.

Aſcenſio obliqua ♂ Francopoli	72.	44.
Aſcenſio obliqua Horoſcopi	14.	36.
Arcus directionis	58.	8.
Tempus initii revolutionis Solis	58.	9.
Tempus accidentis die 2 Novembris	58.	49.

Anno 1644. poſtulandam ſuſcepi in conſilio Regio remunerationem meam pro inventione meâ ſcientiæ longitudinum & Aſtronomia reſtituta: Et alias lites habui contra Bullialdum & vicinum vilis conditionis: Hæc autem concitarunt directiones Medii Cœli actionum ſignificatoris ad ♄ in duodecima jus exaltationis ſibi vendicantem in cuſpide ſeptima, quæ eſt litium: directio ♂ domini Horoſcopi & ſeptimæ jus habentis exaltationis in Medio Cœli, ad ☍ ☉, quæ directio auxit animum ad litigandum contra injuſtitiam Cardinalis Richelii: Et directio ♄ ad □ ☽ in Ecliptica; quæ mihi agenda ſuppeditavit adverſus viles & plebeos homines.

Aſcenſio recta ♄	344.	30.
Aſcenſio recta Medii Cœli ſubducenda	284.	36.
Arcus directionis	59.	54.
Tempus initio revolutionis annuæ	60.	7.
Arcus directionis ♄ ad □ ☽	60.	3.
Arcus directionis ♂ ad ☍ ☉	60.	48.

Unde nil mirum ſi in litibus multifariam hoc anno fuerim occupatus. Vide revolutionem Solis.

Anno 1645. 8 Aprilis data mihi fuit in Sanctiori Regis conſilio, penſio 2000 librarum ſupra beneficium eccleſiaſticum, cum 1000 libris ex Ærario. Tuncque viguerunt tres directiones ad hoc congruæ, nempe ♂ ad oppoſitum ☉ ad ☍ ♃ domini nonæ, fuitque ♂ in cuſpide ſecundæ & ♃ in Horoſcopo revolutionis annuæ: tandemque Partis fortunæ ad △ ☽ in Ecliptica.

Arcus directionis ♂ ad ☍ ☉ ut ſupra	60.	48.
Arcus directionis ♂ ad ☍ ♃	61.	27.
Arcus directionis ⊕ ad △ ſiniſtrum ☽	61.	16.
Tempus initio revolutionis annuæ	61.	7.

Multa alia etiam inſignia præſertim verò mala mihi contigerunt, quorum directiones & revolutiones mirè quadrant effectibus: ſed ſupraposita ſufficiant ad probandum, quàm potenter aſtra diſpenſent hominibus, futuros ipſis eventus, quàm que difficile ſit hos evitare, niſi Mundo & ſibi prorſus renunciando. Quò enim quiſpiam pluribus vinculis Mundo alligatur; eò ampliùs 7 Mundi rectoribus Planetis ſubjicitur.

Jam veniamus ad Revolutiones B. Patris Caroli De Condren. Ipſe ergo currente anno ætatis 21, qui incepit menſe Decembri 1608. decrevit religioſam ducere vitam. Quo tempore præceſſerant ferè per annum duæ directiones, nempe ♃ domini Horoſcopi in nona ad ♂ in decima: Et Medii Cœli ad ⚹ ☉ domini nonæ, at tunc complebatur directio valde notanda Horoſcopi, inclinationum ſignificatoris præcipui ad ☉ dominum nonæ in prima.

Aſcenſio obliqua ☉ in polo nativitatis	293.	58.
Aſcenſio obliqua Horoſcopi ſubtrahenda	274.	0.
Arcus directionis	19.	58.
Tempus initii revolutionis 21	19.	43.
Arcus directionis Medii Cœli ad ⚹ dextrum ☉	18.	47.
Arcus directionis ♃ ad ♂	18.	47.

Anno 24. à nativitate completo poſtquam ex Lectura Rusbrochii & Thauleri (ut ipſe mihi dixit) de integra & perfecta ſui in Deum reſignatione decreviſſet, ordinibus ſub-Diaconatus & Diaconatus initiatus eſt. Devotionem hanc naturaliter excitante (abſit ut à Deo ſupernaturalem motionem denegemus) directione ☉ domini nonæ in prima ad △ ſiniſtrum ♃ domini Horoſcopi in nona, quæ fuit valde potens ad talem effectum directio.

Aſcenſio obliqua △ ſiniſtri ♃ in polo ☉ cum latitudine	315.	22.
Aſcenſio obliqua ☉	292.	2.
Arcus directionis	23.	20.
Tempus completæ revolutionis 24	23.	39.

Anno currente 26. hoc eſt die 17 Septembris 1614. fit ſacerdos, quod quamvis eſſe queat continuatio effectuum directionis ☉ ad △ ♃: Tamen initio hujus anni 26. ☿ dominus nonæ atque ♃ in nona, attigit directione antiſcium Partis fortunæ, cujus dominus ♂ extat in domo Profeſſionis & dignitatum.

Aſcenſio obliqua ⊕ antiſcii, in polo ☿	335.	22.
Aſcenſio obliqua ☿ ſubtrahenda	311.	4.
Directionis arcus	24.	20.
Tempus incipientis anni 26.	24.	38.

Anno currente 29. B. Pater ſe dedit ac devovit Congregationi Oratorii JESU: idque cauſavit directio ♂ domini ⊗ in decima ad ♀ dominam Medii Cœli; Marte & ♀ mutuò receptis domicilio, & ♀ juncta ⊕.

Aſcenſio obliqua ♀ in polo ♂	217.	46.
Aſcenſio obliqua ♂	190.	10.
Arcus directionis	27.	36.
Tempus incipientis anni 29.	27.	36.

Anno currente feréque completo 41 à geneſi, hoc eſt Novembri 1629. eligitur Generalis ſui Ordinis, ſcilicet Congregationis Oratorii JESU in Gallia; poſt obitum eminentiſſimi Cardinalis Berulæi menſe Octobri. Tunc verò Cœli medium directione pervenit ad ⚹ ſiniſtrum ♃ domini Horoſcopi in nona domo: ♃ ad ♀ dominam Medii Cœli in Ecliptica: Et Horoſcopus ad ☿ in Ecliptica dominum ♃ & nonæ.

Aſcenſio recta ⚹ ♃ in Ecliptica	224.	54.
Aſcenſio recta Medii Cœli ſubtrahenda	184.	0.
Arcus directionis	40.	54.
Tempus electionis	40.	20.
Arcus directionis Medii Cœli ad ⚹ ♃ cum latitudine	41.	9.
Arcus directionis ♃ ad ♀ in Ecliptica	41.	7.
Arcus directionis Horoſcopi ad ☿ in Ecliptica	40.	45.

Denique anno incipiente 53. Vir ſanctus febre mortuus eſt. Hoc verò accidens effecit cum revolutione Solis, directio ☉ domini octavæ in prima; ideoque aphetæ ſimulque anæretæ, ad □ ſiniſtrum ☽ dominæ octavæ in duodecima dejectæ, ideoque morborum & mortis ſignificatricis pernicioſiſſimæ. Hujuſque mortis etiam diem prędixi.

Aſcenſio obliqua □ ☽ in Ecliptica & polo ☉ 47. 30′	343.	55.
Aſcenſio obliqua ☉ ſubtrahenda	292.	2.
Arcus directionis	51.	53.
Tempus mortis	51.	17.
Arcus directionis ☉ ad □ ☽ cum latitudine	50.	53.

Quam plurimis aliis exemplis doctrinam ſupraposítam confirmari poſſem, niſi calculi faſtidio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ſtidio deterrerer, & cuique liceret ejus veritatem paſſim experiri: Quocirca hactenus hìc appoſita ſufficiant. Moneatur autem lector obiter, in calculis ſuprapoſitis poſſe reperiri errorem aliquot minutorum; vel in altitudine poli ſupra circulos poſitionum, vel in aſcenſionibus: quòd Planetarum Tabulis etiam Rudolphinis quas ſequor nondum accuratis, de ſumma præciſione in omnibus non magnopere curaverim ob calculi tædium: ſed error ad gradum dimidium excurrere nequit, quod doctrinæ probandæ ſufficit. Forſan cum Tabulis accuratioribus cuncta quadrabunt accuratiùs; aut etiam calculo ad majorem præciſionem reducto.

Objicies. Nos in ſupradictis directionibus aliquando uti tempore occidentis, aliquando verò tempore incipientis revolutionis, qua durante contingit accidens. Id verò contrariatur rectificationi veri temporis geniturarum: quæ ſupponit directionis arcum æqualem tempori converſo accidentis: ſeu directionem non modo annum ſed diem quoque accidentis indicare. Et ratio eſt, quia directio non potiùs annum quàm ejus partem indicare poteſt.

Reſpondeo, Directionem equidem per ſe indicare annum annique partem ſive diem. ſed quia non operatur ſine congruis revolutionibus & tranſitibus; idcirco ab his anticipatur vel retardatur effectus. Neque id obeſt rectificationi temporis genituræ, nulla enim genitura per unicum accidens rectificatur directione, quæ illius diem indicet; ſed per plura. Et præciſa tempora à directionibus indicata, ſic ad verum nativitatis tempus accommodanda ſunt, ut ab eo nec plus nec minùs quàm par ſit exorbitent, ſed inter hæc illud ſit quaſi medium: quod eſt arcanum in rectificationibus non ſpernendum.

Caput XIV.

Quid in genere Revolutiones efficiant: Et quid circa effectuum tempora notandum ſit univerſaliter, ac particulariter.

Revolutionum conſtitutiones Cœleſtes, in genere novam efficiunt in Nato impreſſionem, per ſuam cum radicali figura aut radicalibus directionibus ſimilitudinem; quo ipſius radicalis figuræ aut directionum, vis potentialis ad actum reducitur; ſi non finalem aut particularem (quod tranſitibus Planetarum per congrua genituræ loca præcipuè convenit) ſaltem medium & ſpecialem. Ipſeque Natus activè aut paſſivè excitatur, movetur, proximéque diſponitur ad effectus, eo anno prædictæ ſimilitudini congruos. Hoc autem inde probatur, quia cùm radicalis figura & directiones ſint tantùm quid potentiale reſpectu futurorum Nato accidentium, inefficax vanaque erit hæc potentialis cauſa, ſi deſit ei correſpondens actualis qua reducatur ad actum; quæque Natum influxus ſuſceptivum proximè diſponat: Revolutiones autem ſunt actualis hæc cauſa. Dixi autem Natum influxus ſuſceptivum; quia 7 reperiuntur inter alia, quæ impediunt ne Natus aſtrorum influxum ſuſcipiat, quippe Mors, morbus, carcer, clauſtrum, exilium, peregrinatio, ſervitus; quorum altero exiſtente præſignificati eventus tempore, atque ambobus incompatibilibus, ut carcere cum præſignificata peregrinatione, omnino impedietur peregrinatio, ſaltem libera, niſi accidat ſolutio carceris. Neque hìc voluntatem cenſemus annumerandam, quam in liberis effectibus, aſtrorum influxus etiam potentiſſimos frangere ac eludere poſſe alibi diximus.

Igitur abſentibus prædictis impedimentis, vel ipſorum ſolutione fortiter ſignificata; Revolutio per proximam Nati diſpoſitionem, reducit ad actum, quidquid ratione ſignificationis figura radicalis commune habet per ſimilitudinem cum ipſa revolutione; modò tempus effectus in radicali figura præſignificati, incidat in annum ipſius revolutionis, aut circa; quod directionum calculus prodit. Quamobrem erectâ revolutionis figurâ, advertantur quæ directiones in revolutionis ipſius annum incidant, præſertim recentes vel inſtantes, quæ ſuum effectum nundum ſortitæ ſunt. Nam quibus harum ſimilis erit revolutio, hoc eſt ſimilia ſignificaverit; illæ ſuos producent effectus; dummodò radicalis figura conſentiat: Hoc eſt non ſignificet longam vitam aut celibatum, dum revolutio atque directio mortem aut conjugium præſagierit, tunc enim loco mortis tantùm morbus, & conjugii loco tantùm conatus irriti aut vani amores ſignificabuntur à directione & revolutione. Ut mihi accidit à directione Medii Cœli ad ♀ dominam ſeptimæ, quæ vanas duntaxat matrimonii cauſavit apparentias, quòd ♀ combuſta in duodecima cum ♄, celibatum mihi præſagiret: qui ſtatus fuit ſaltem cauſa ſine qua non; ſcientiarum Cœleſtium reformationi fœliciter incubuerim; tantum enim opus totum poſcebat hominem.

Hinc verò deducitur ratio, cur omnes anni, etiam viro clauſtrali vel incarcerato ſint diſſimiles in eventibus. Id enim ex eo pendet quòd revolutiones omnes inter ſe ſint diſſimiles, tum annis ſingulis directiones 7 Planetarum & 12 cuſpidum in genitura: unde ſit ut ob ſimilitudinem ſignificationis ſupradictam, Revolutio hujus anni hoc actuet de præſignificatis genituræ, & revolutio anni ſequentis aliud, & ita conſequenter, pro ratione ſtatus vel diſpoſitione Nati.

Porrò hæc ſignificationis ſimilitudo poteſt modo quintuplici contingere. Primò, Quòd in utraque figura genituræ & revolutionis, Cœlum & Planetæ omnes eodem modo diſponantur: Atque hæc eſt maxima ſimilitudo equidem poſſibilis, rarò tamen contingens: Secundò, Quòd Cœlum eodem quidem modo diſponatur, non autem Planetæ: vel contrà, Planetæ quidem, non autem Cœlum. Tertiò, Quòd

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

multi Planetæ ad ſua loca radicalia revertantur. Quartò, Quod Planetarum locis in revolutione tranſpoſitis, ſaltem ad genituræ loca veniant, quorum ratione eadem quæ genitura vel directiones ſignificent. Quintò, Quod facto de revolutione ut de genitura judicio, ratione Cœleſtis atque terreſtris ſtatus Planetarum; idem particularis effectus ab utraque figura ſignificetur, vel idem à directione & revolutione, ex ſuperioribus verò revolutionum diſſimilitudines ſatis indicantur.

Circa effectuum tempora, hæc univerſaliter notanda ſunt. Primum, quæ ſit natura Planetæ ſignificatoris vel promiſſoris. Planetæ ſiquidem naturâ tardi ♂ ♃ & ♄, tam in radice quàm in revolutione tardiùs ſuos edunt effectus, velociores ut Luna, & Mercurius citiùs; hoc eſt hi anticipant, illi verò retardant verum tempus effectuum; mediocres verò ut ☉ & ♀ ſe habent medio modo. Hoc autem intelligendum eſt cæteris paribus, & abſentibus aliis cauſis, quæ vel tardorum effectus accelerent, aut velociorum retardent. Secundum, quis ſit modus vel qualitas motus Planetarum. Nam aucti curſu & directi, accelerant effectus horumque finem: diminuto verò & retrogradi retardant. Ideoque qui Planetas inferiores habuerit motu diminutos & retrogrados, tardè finiet quod citò inceperit, qui motu auctos & directos, citò perficit quod citò inceperit. At qui ſuperiores motu auctos & directos; citò perficiet quod tardè inceperit: qui verò motu diminutos & retrogrados, tardè finiet quod tardè inceperit. Tertium, quis ſit Planetæ poſitus ad Solem; nam Soli orientalis citiùs, occidentalis tardiùs ſuos edit effectus. Quartum, quis ſit Planetæ ſitus in figura. Nam in cardinibus præſertim prima & decima domo, citiùs: in domibus cadentibus, tardiùs. in ſuccedentibus autem medio modo operantur. Atque hæc tam in geneſi quam in revolutionibus advertenda ſunt; nam ſi Planeta qui dirigitur, fuerit tam in geneſi quàm in revolutione, motu auctus, directus, orientalis, & angularis, idemque promiſſori contingat, velocitas effectus inde fortiter ſignificabitur; tarditas verò vel impedimenta ſi contraria prorſus modo ſeſe habeant: In mixto autem ſtatu, res fiet ſecundum præpollentem.

Quod verò ad particularia tempora ſpectat; ipſa deſignantur primò & per ſe à directionibus radici conſentientibus; quæ annos deſignant effectuum. Secundò à revolutionibus Solis; quæ quidem non per ſe & virtute propria effectuum annos indicant, ſed per ſuam cum directione & radicali figura ſimilitudinem. Tertiò à revolutionibus Lunæ, quatenus etiam ratione ſimilitudinis congruunt revolutioni Solis, directioni radicali atque radici. Hæc enim ita ſubordinantur in agendo, ut poſterius nihil poſſit contra priora vel ſuperiora. Hoc eſt ☽ revolutio nihil poſſit contra revolutionem Solis; neque hæc contra directionem radicalem, neque hæc contra figuram genituræ, poſteriora enim vim agendi ſumunt duntaxat à ſimilitudine ſignificati cum prioribus. Ideoque rectè Cardanus ait Lib. de Revol. Cap. 8. *Conſiderationem menſis difficiliorem eſſe quàm anni*: quippe quòd in definiendo accidentis menſe, non ſolùm figura menſis, ſed etiam anni & geneſis ſint attendendæ; ſicque impoſſibile ſit accidentis menſem meliùs quàm annum cognoſcere. Hoc autem inde probatur, quia directiones radicales interdum ſuos retardant effectus ad unum aut duos annos, defectu congruæ revolutionis Solis: quâ temporis duratione dici nequit non accidere Lunæ revolutiones, etiam plures directioni radicali conſentientes: at cum ſola directione non agunt, etiam conſentiente figura radicis; quòd certè ſignum eſt, ipſas ſolas radicalis directionis potentiæ actuandæ non ſufficere, proindeque revolutionibus Solis in agendo ſubordinari.

Etſi autem quævis Lunæ revolutio poſſit aliquid actuare de radice & Solis revolutione, ratione ſimilitudinis: tamen præcipuus aliquis effectus à radicali directione ſignificatus, cui favebit revolutio Solis, erumpet à Lunæ revolutione, quæ effectum ipſum fortiùs ſignificabit; niſi tranſitus congruentiores & efficaciores incidant, in Lunæ revolutionem debiliorem, quæ fortiorem antecedat, ſique revolutio Solis debiliter ſignificaverit; hujus vim à Lunæ revolutione ſuppleri neceſſe erit; hoc eſt debiliter à Solis revolutione ſignificatum, adimpleri à fortiori revolutione Lunæ.

Cum his verò eſt habenda ratio ſubjecti actionis aſtrorum, ut hominis; An ſcilicet & quantùm propriis vel accidentariis diſpoſitionibus correſpondeat, aut reluctetur efficientiæ corporum Cœleſtium. Ac circa hæc omnia debet occupari judicium ſapientis Aſtrologi.

Caput XV.

An revolutionibus Solis & Lunæ, directiones propriæ ſint aſſignandæ: & qua ratione, ac menſurâ temporis.

Directiones genituræ, quas radicales appello, ſe habent eodem modo: & ipſarum unica eſt ac eadem communis menſura pro ſignificatoribus omnibus; hoc eſt cuſpidibus & Planetis omnibus ut experientia teſtatur in effectuum annis definiendis: quippe diurnus medius aſcenſionis rectæ Solis, qui eſt 59′. 8″; Æquatoris, valet unum annum in ſingulorum ſignificatorum directionibus radicalibus, ut dictum eſt Lib. 22. Sect. 3. Cap. 5. At præter illas directiones radicales quæritur hîc, an revolutiones ſuas etiam habeant directiones proprias, quibus dies anni effectibus deſtinati detegantur: & quæ ſit in his menſura temporis?

Cardanus Lib. de Revol. Cap. 13. ait. *Dirigunt multi partes principales in revolutionibsu annuis, dando ſingulis partium æqualium diem unum aut paulo plus. Et quamvis rationi videatur inniti hoc, propter Solis motum: attamen experimento hæc res non concordat.* Commen-

mendatur tamen iſta methodus ab Alchabitio & pluribus aliis ; ejuſque tale eſt fundamentum. Dividitur annus 365 dierum 6 horarum , per 360 gradus Æquatoris , & quotiens 1 dies , 0 hora , 21′. convenit uni gradui ; duplum quotientis duobus gradibus , triplum tribus , &c: penes Tabulam directionum annuarum infra poſitam : Cujus uſus eſt ex illis Aſtrologis . ut ſumatur diſtantia ſignificatoris à promiſſore in revolutione , per gradus æquales Eclipticæ , nulla ratione habita latitudinis , vel poſitionis circuli , vel aſcenſionum : ipſaque diſtantia quæratur in Tabella graduum infra poſita : Nam dies è directo poſiti , numerati ab initio revolutionis cum adjacentibus horis & minutis , erunt præciſum tempus futuri à tali directione accidentis. Ut ſi fuerit illa diſtantia 80 graduum , habentur è directo 81 dies 4 horæ 0′. pro correſpondente accurato tempore numerando à revolutionis initio. Quod ſi gradibus diſtantiæ minuta adhæſerint , utendum erit ſecunda Tabella pro minutis. Has igitur Tabulas hîc apponemus , cum prioris converſa.

Viceverſa numerentur dies ab initio revolutionis uſque ad diem , quo contingit aliquod accidens : Et numerus graduum correſpondens in Tabula numero dierum , addatur Horoſcopi , aut Medii Cœli , aut alterius ſignificatoris gradui : & patebit Eclipticæ locus ad quem ſignificator eo die pervenit annua directione.

Tabulæ directionum pro revolutionibus Solis.

Prima.

Grad.	Dies	Ho.	Mi.
1	1	0	21
2	2	0	42
3	3	1	3
4	4	1	24
5	5	1	45
6	6	2	6
7	7	2	27
8	8	2	48
9	9	3	9
10	10	3	30
20	20	7	0
30	30	10	30
40	40	14	0
50	50	17	30
60	60	21	0
70	71	0	30
80	81	4	0
90	91	7	30
100	101	11	0
200	202	22	0
300	304	9	0
360	365	6	0

Secunda vel converſa.

Dies	Grad.	Mi.
1	0	59
2	1	58
3	2	58
4	3	57
5	4	56
6	5	55
7	6	54
8	7	53
9	8	53
10	9	51
20	19	43
30	29	35
40	39	27
50	49	18
60	59	11
70	69	2
80	78	54
90	88	46
100	98	37
200	197	17
300	295	53
365	360	0

Tertia vel minutorum gradus.

Minuta Gr.	Dies	Horæ	Minuta
1	0	0	24
2	0	0	49
3	0	1	13
4	0	1	37
5	0	2	2
6	0	2	26
7	0	2	50
8	0	3	15
9	0	3	39
10	0	4	4
20	0	8	7
30	0	12	11
40	0	16	14
50	0	20	18
60	1	0	21

Cæterùm qui genus hoc directionis commendarunt, ſegniùs quàm par erat ipſum experti fuêre; nam ego paſſim illum falſum reperi, ſicuti Cardanus: nec mirum. Si enim directiones radicales per gradus æquales falſæ ſunt: Et eæ tantùm veræ quæ fiunt per aſcenſiones rectas vel obliquas in circulis poſitionum, non neglecta latitudine Planetarum & aſpectuum: Cur non idem erit dicendum de directionibus revolutionis, cum aſtra uniformiter agant, & prædictionum viæ debeant eſſe naturales, non autem fictitiæ, qualis eſt illa ratio per gradus æquales?

Itaque Cardanus Lib. de Revolut. Cap. 13. ad dies effectuum, annua durante revolutione detegendos, aliam directionum formam commentus eſt, ope trium Tabellarum infra poſitarum. *Luna* (inquit) *redit ad congreſſum Solis in diebus* 29 *horis* 12 *minutis* 46 *ſecundùm Ptolemæum: igitur pro quibuſlibet partibus* 12, *minutis* 11, *ſecundis* 26. *quibus elongatur à Sole in die; revolutio una firmamenti peragetur. In partibus igitur* 12. *minut.* 11. *ſec.* 26. *eſt vis totius circuli, quem* ☽ *peragit in elongando ſe à Sole in diebus* 29 *horis* 12 *min.*46. *Igitur ſicut cuilibet parti Solis* (hoc eſt diurno medio Solis) *datur totus circulus Solis; ita cuilibet parti Lunæ* (hoc eſt diurno medio elongationis Lunæ à Sole) *dabimus dies* 29. *horas* 12. *min.* 46. *circuitum Lunæ: & ſecundùm hoc conſtituit hanc Tabulam.*

Tabula

Tabula directionum ſecundum Lunam. Ex Cardano.

Grad.	Dies	Ho.	Mi.
1	2	10	8
2	4	20	16
3	7	6	24
4	9	16	32
5	12	2	40
6	14	32	48
7	16	22	56
8	19	9	4
9	21	19	12
10	24	5	20
20	48	10	40
30	72	16	0
40	96	21	20
50	121	2	40
60	145	8	0
70	169	13	20
80	193	18	40
90	218	0	0
100	242	5	20
200	484	10	40
300	726	15	0

Tabula Menſium ac Dierum Anni.

Menſes	Communes Dies	Biſſextiles Dies	—
Januarius	31	31	31
Februarius	59	60	28
Martius	90	91	31
Aprilis	120	121	30
Majus	151	152	31
Junius	181	182	30
Julius	212	213	31
Auguſtus	243	244	31
September	273	274	30
October	304	305	31
Novemb.	334	335	30
December	365	366	31

In hac autem Tabula condenda menſis Lunæ ſynodicus, hoc eſt 29 dies 12 hor. 46′. reductus in minuta & ſecunda dierum, quæ ſunt 106315″. dividitur per elongationem Lunæ à Sole diurnam, hoc eſt 12 gr. 11′. 26″. Et quotiens 2 dies 25′. 21″. hoc eſt 2 dies 10 horæ 8′. datur uni gradui, ejus duplum, duobus gradibus, &c. ſic deinceps.

Sic autem utitur Tabula illa directionum in revolutionibus Solis. Primò, ſumit exempli gratiâ ſignificatorem vitæ in figura revolutionis: quippe Horoſcopum, Solem, Lunam. Secundò, inquirit Anæretam ſeu vitæ abſciſorem in geneſi, vel in revolutione Solis: dirigitque more ſolito Regiomontani vitæ ſignificatorem ad Anæretam per aſcenſiones circuli poſitionis Aphetæ: & invento directionis arcu quærit hunc in prima columna ſuprapoſitæ Tabulæ directionum ſecundum Lunam, per plures ingreſſus ſi opus fuerit: & è directo habentur dies, horæ & minuta, quibus numeratis ab initio revolutionis Solis, continget effectus illo die in quem numeratio deſinit. Et ſi huic tempori addatur tempus elapſum ab initio Januarii, quod excerpi poteſt ex Tabella menſium etiam ſuprapoſita; habebitur tempus accidentis, ab initio Januarii numeratum.

Ut autem de ipſo effectu atque die Cardanus fiat certior, conſiderat Tabellam alteram menſium Lunæ ſynodicorum, quam vocat Tabulam elongationis Lunæ à Sole; ac inſpicit an tempus accidentis numeratum ab initio revolutionis Solis, idem ſit dierum numero. cum tempore alicujus ipſorum menſium in Tabula poſito, vel non. Ac in utroque caſu proximè minùs tempus in Tabula poſitum addit ipſi tempori accidentis ab initio revolutionis Solis numerato: & quęrit per Tabellam menſium ſuprapoſitam, in quem diem, horam & horæ minuta ab initio Januarii cadat illud tempus: ad quod erigit figuram revolutionis menſis per diſtantiam Lunæ (ut vocat) & prout hæc figura ſe habet ad figuram revolutionis Solis, fiuntque Lunæ tranſitus per illius figuræ loca, die accidentis ſupra invento, indicat an ipſo die accidens futurum ſit necne. Hanc autem methodum Cardanus, ait cæteris eſſe certiorem & validiorem pro vita, eamque duobus exemplis confirmare nititur, quæ diſcutere ac refellere nimis tędioſum eſſet. Sed apponamus ejus Tabellam elongationis Lunæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Tabula elongationis Lunæ à Sole.

Menſes	Dies	Ho	Mi.
1	29	12	46
2	59	1	32
3	88	14	18
4	118	3	4
5	147	15	50
6	177	4	36
7	206	17	22
8	236	6	8
9	265	18	54
10	295	7	40
11	324	20	26
12	354	9	12
13	383	21	58

Cæterùm talem Cardani methodum reſpuimus ob 3 præcipuè cauſas. Prima eſt, quoniam dum ait quod ſicut cuilibet parti ☉, hoc eſt diurno medio Solis, datur totus circulus; hoc eſt tota periodus Solis, ſive annus unus pro directionibus nativitatis: ita cuilibet parti ☽, hoc eſt diurno medio elongationis ☽ à ☉, ſive 12 gradibus 11′. 26″. dabimus 29 dies 12 hor. 46′. circuitum ſive periodum ſynodicam ☽; confundit menſuras directionum genituræ, tum revolutionis ☉ & ☽, ſiquidem Lunæ diurnus menſi duntaxat applicandus eſt ejuſque partibus, non anno vel ejus partibus: At Cardanus pro menſura arcus directionis in revolutionibus annuis ſive Solis, utitur diurno Lunę ſynodico.

Secunda. Quia dividendo totum circulum per diurnum medium Lunę ſynodicum, habetur ipſe menſis ſynodicus, ſive 29 dies 12 hor. 46′. At dividendo menſem ipſum per illum diurnum, ut facit Cardanus pro ſuæ Tabulæ conſtructione; habetur quidem tempus congruens cuilibet gradui, appoſitum in Tabella; ſupponendo quod in ipſo menſe percurrantur tantùm 12 gradus 11′. 26″ ſed hæc hypotheſis falſa eſt: quam ergo veritatem deducet inde Cardanus?

Tertia. Per ipſam Tabellam directionum, quam applicat annuis revolutionibus ☉. ſignificator poteſt tantùm abſolvere circulum in diebus 872, & non in annua revolutione; quod infra patebit abſurdum. Igitur hæc Cardani methodus ableganda eſt.

Ut verò hujuſce Capitis quæſtionem maximi certè momenti diſcutiamus atque ſolvamus, notandum eſt quod figura genituræ indicat totius vitæ Nati ſtatum ab ipſa geneſi uſque ad mortem: figura revolutionis Solis indicat annuum Nati ſtatum: & figura revolutionis Lunæ periodica indicat menſtruum Nati ſtatum. In qualibet autem revolutione, Cœlum determinatur reſpectu Nati, non ſolùm actu ratione diſpoſitionis novę, quam tunc Cœlum ipſum Nato imprimit; ſed etiam potentiâ, ratione futurorum illâ durante accidentium, ut in geneſi. Non enim tota vis revolutionis annuę Solis, ſuum ſortitur effectum ipſo die revolutionis, ſed ſucceſſu temporis anni. Sic de menſtrua revolutione Lunæ pro menſe. Ergo quod eſt in illis potentiale debet ad actum reduci, aut per directiones revolutivas, aut per tranſitus Planetarum ſuper loca congrua geniturę ac revolutionum ☉ & ☽, aut per utrumque ſimul: etenim ſi accidens die quadam adveniens, ſupponitur eſſe ab aſtris, oportet adeſſe Cœleſtes cauſas actuales, quæ illud die ipſo produxerint, eaque magis aut minùs inſignes, prout majus aut minus fuerit ipſum accidens. Hîc tamen meminiſſe oportet eorum quæ dicta ſunt in fine Captis ultimi Sectionis 3. Libri 22; circa virtutem potentialem & actualem cauſarum Cœleſtium ordine ſubordinationis antecedentium.

Jam verò quod ad directiones attinet, hoc imprimis pro certo tenendum eſt, quod ſi hæ in revolutionibus admittendæ ſint; ſignificator debet in quavis revolutione ſive Solis, ſive Lunæ, totum Zodiacum per directiones percurrere; ſicque annuè & menſtruè revolvi per directiones contra Cardanum Aphor. 84. Segm. 1. Et ratio eſt, quia cùm plures revolutiones ſibi ſuccedant, earum directiones confundi minimè debent; ſed quælibet revolutio propriis explicari actuarique directionibus, non autem alterius revolutionis. Hoc autem aliter fieri non poteſt, quàm ſi in Solis annua revolutione, diurnus medius Solis, ſit menſura cujuſque diei ipſius anni: & in menſtrua revolutione periodica Lunæ, hujus diurnus medius periodicus, ſit menſura cujuſque diei menſis periodici pro ſignificatoribus ſingulis. Idemque cenſendum pro Revolutionibus periodicis ♄, ♃, ♂, ♀, ☿. Directiones autem nativitatis, non aſtringuntur circulo exactè completo; cùm Nati vita olim plus, jam verò minùs extenſa ſit quàm tempus quo ſignificator cenſetur integrum decurrere Zodiacum per directiones radicales, in quibus medius Solis diurnus eſt menſura unius anni. Itaque ad directiones revolutionum Solis, utemur Tabulis primis hoc in capite poſitis, ad revolutiones verò Lunæ, utemur eis quæ hîc apponuntur: Non quidem per gradus æquales

ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ut fecêre veteres, ſed hoc modo pro revolutione Solis.

Dirige ſignificatorem quemlibet, ad quem libuerit promiſſorem viâ Regiomontani à nobis expoſitâ in directionibus natalitiæ figuræ: & inventus directionis arcus, ingreſſu multiplici ſi fuerit opus, quæratur in prima Tabula directionum pro revolutionibus Solis. Nam è directo dies occurrent numerandi ab initio revolutionis Solis, ut ſciatur quo die anni illa directio compleatur: Viceverſa numerentur dies ab initio revolutionis uſque ad diem quo contingit aliquod accidens, & numerus graduum correſpondens in Tabula numero dierum, addatur aſcenſioni rectæ vel obliquæ ſignificatoris: Tandemque ſumma quæratur in Tabula rectarum vel obliquarum aſcenſionum, congrua altitudini poli ſupra circulum poſitionis ſignificatoris. Et patebit Eclipticæ locus ad quem ſignificator eo die pervenit annua directione. Eâdem prorſus ratione inſtituendæ ſunt directiones menſtruæ, ex Tabulis directionum, pro revolutionibus Lunę, & utrarumque exempla apponuntur ſequenti Capite.

Ac notabis quod directiones revolutionum æquè ſunt reales, ac geniture directiones: utque hæ ſunt duplices, nempe naturales & artificiales, veluti diximus Lib. 22. Sect. 1. Cap. 1; ita & illæ. Et naturalium realitas conſiſtit in motu primi Mobilis, die nativitatis aut revolutionis qui realis eſt, & à quo ſuum ortum ipſæ habent, ut eodem loco dictum eſt. Pręterea notabis quod niſi revolutiones Solis & Lunæ erigantur ad locum in quo reperitur Natus initio revolutionis, accidet error plerumque inſignis in accidentium diebus definiendis per directiones pręſertim annuas; quippe quòd Horoſcopi revolutionum in locis nativitatis & revolutionis, multis plerumque gradibus inter ſe differant.

Tabulæ directionum pro revolutionibus Lunæ periodicis

Prima.

Grad.	Di.	Ho.	Mi.	S.
1	0	1	49	10
2	0	3	38	20
3	0	5	27	30
4	0	7	16	40
5	0	9	6	30
6	0	10	55	0
7	0	12	44	10
8	0	14	33	20
9	0	16	23	10
10	0	18	13	0
20	1	12	26	0
0	2	6	39	0
40	3	0	52	0
50	3	19	5	0
60	4	13	18	0
70	5	7	31	0
80	6	1	44	0
90	6	19	57	0
100	7	14	10	0
200	15	4	20	0
300	22	18	30	0
360	27	7	48	0

Secunda vel converſa.

Di.	Grad.	Mi.	Sec.
1	13	10	35
2	26	21	10
3	39	31	45
4	52	42	20
5	65	52	55
6	79	3	30
7	92	14	5
8	105	24	40
9	118	35	15
10	131	45	50
20	263	31	40

Tertia pro Horis.

Ho.	Grad.	Mi.	Sec.
1	0	32	56
2	1	5	53
3	1	38	49
4	2	11	46
5	2	44	42
6	3	17	39
7	3	50	35
8	4	23	32
9	4	56	28
10	5	29	25
11	6	2	21
12	6	35	18

Pri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Primæ autem Tabulæ uſus eſt, ut quæratur directionis arcus in columna graduum multiplici ingreſſu dum opus fuerit, & è directo patebit tempus ab initio revolutionis Lunæ. Eadem eſt methodus pro ſecunda & tertia Tabula pro diebus & horis.

Præterea de revolutionum directionibus, idem cenſendum erit quod de radicalibus dictum eſt, in fine Capitis 12. Nimirum quod ſint aliquid potentiale, indigens causâ merè actuali, qua reducatur ad actum: quales ſunt tranſitus congrui Planetarum. Etſi enim directiones revolutivæ diem effectus indicent per proportionem diurni Solis vel Lunæ ad totum circulum pro anno vel menſe (quandoquidem radicales directiones non modò annum, ſed diem etiam accidentis proportionaliter indicare ſupponuntur in Nativitatum rectificationibus.) tamen ut in directionibus radicalibus retardatus annus accidentis, ſi non adſit revolutio congrua Solis; & hac data retardatur vel acceleratur dies ab ipſa directione indicatus, ſi huic non adſit aliquis congruus Planetarum tranſitus, ſed paulo poſt aut paulò ante; idem dicendum eſt de directionibus revolutionum ☉ & ☽.

Duo hîc objici queunt. Primum quod ſi annuæ directiones in revolutione Solis, diem accidentis indicant: Revolutionis Lunæ, ac multò magis directiones menſtruę erunt ad illud ſuperfluę: proindeque has aut illas eſſe vanas.

Sed reſpondeo. Idem dici poſſe de directionibus radicalibus, quę ſui effectus diem indicant, nec illum producunt ſine revolutione congrua & tranſitibus congruis, ut experientiâ conſtat. Similiter igitur annua directio radicali conformis in ſignificato, etſi diem anni indicet quo proditurum eſt accidens; tamen dies ipſe indiget confirmari aut congrua revolutione menſtrua, ejuſque directionibus, aut ipſis tranſitibus congruis, aut utriſque. Neque tamen neceſſe eſt ad effectus productionem, ſimul concurrere revolutiones annuas & menſtruas, harumque directiones & tranſitus; cùm nequidem id fieri poſſit niſi rariſſimè: ſed ſufficit præcipua concurrere; pręſertim verò directionem radicalem, revolutionem annuam & tranſitus quæ ſimul conſpirent. Hunc enim concurſum experientia probat efficaciſſimum eſſe: ſi præſertim accedat congrua directio annua. Cum autem periodicæ revolutiones Lunæ deprehendantur virtutis non exiguę, dici poſſet ab aliquo Revolutionem Solis directioni radicali congruam, duntaxat annum accidentis indicare: Revolutionem in ipſo anno congruentiorem, indicare menſem; & tranſitus congruentiores diem, ſine ullis revolutionum directionibus: Atqui directiones revolutionis tam annuę quàm menſtruæ, ſunt etiam virtutis eximię, ut infra patebit exemplis: Ergo in judicium advocandæ ſunt; tandemque ultimò Planetarum tranſitus per congrua figurarum loca. Advertendo tamen, ad effectum non neceſſariò requiri congruentiorem totius anni revolutionem Lunæ, cum tranſitu congruentiore, ſed ſufficit utrumque prioribus cauſis ſaltem congruere: ſubjecto præſertim ad effectum jam ex ſe diſpoſito, ut homine decrepito ad morbum lethalem.

Objicietur ſecundò. Quod ſi ad diem effectus oporteat inſpicere radicales directiones, revolutionum figuras, harumque directiones & tranſitus Planetarum per trium figurarum loca, nempe radicis & revolutionum Solis & Lunæ, quę ſunt in figuris ſingulis plurima: Profectò nullum occurret accidens in cujus diem non incidant plures cauſæ ad talem effectum producendum probabiliter potentes; forſanque plures ad illum impediendum. Imò fortiores ſæpius cauſæ accidentis, in illos dies incident quibus ipſum non apparebit: quod certè hanc ſcientiam arguet non modicę vanitatis.

Reſpondeo primò. In prædictionibus vitæ generalibus, pauca eſſe advertenda, eaque generalia ex ſola radicali figura. In prædictionibus annuis, plura: quòd nempe prædictio annua fiat per revolutionem Solis; Hęc autem tantùm ſignificet per relationem ad figuram genituræ; ideoque ambæ ſint ad prædictionem annuam jungendæ & conferendæ. At in prædictionibus menſtruis & diurnis plurima eſſe ſpectanda, tum generalia ex figuris nativitatis & revolutionum, tum particularia ex directionibus & tranſitibus, quæ dependent ab illis ſibi prioribus. Ut enim aſcendendo verſus generalia & univerſalia, cognitio fit gradatim ſimplicior: Ita deſcendendo verſus particularia aut ſingularia fit magis compoſita: quippe quòd figuræ poſteriores dicant reſpectum ad ſuperiores, ratione loci Planetarum, non contrà. Indeque patet ratio cur difficilius ſit cognoſcere diem accidentis quàm menſem, & menſem quàm annum: quippe quòd diei cognitio ſupponat cognitionem menſis; & hęc cognitionem anni.

Reſpondeo ſecundò. *Si* prædictionum leges hactenus traditæ ſerventur, non ſecuturum inconveniens quod objicitur. Hoc eſt ſi quęlibet cauſæ concurrentes non aſſumantur promiſcuè, ſed duntaxat congruentes effectui à radicali directione ſignificato: Tales enim paucæ ſunt; & earum ſufficiens concurſus non ita frequens, ut in dies ſingulos vel etiam menſes incidat: unde ſuperioris objectionis vanitas detegitur.

Denique notandum eſt directiones ſive Nativitatis, ſive Revolutionum indicare potiſſimùm tempus inchoationis vel præparationis effectuum. Tranſitus verò potiſſimùm fieri, quo tempore erumpit effectus, ut nuptîæ. receptio in dignitate, morbus, mors & ſimilia. Siquidem ut plurimùm diebus effectuum congrui tranſitus adeſſe ſolent, qui ſi abfuerint, effectus cauſantur etiam interdum à ſyzygiis congruis Planetarum: hę etſi in Cœlo ſpectatæ, univerſaliter operentur in toto Mundo; tamen quia agunt juxta ſingulorum paſſorum diſpoſitiones

&

diſpoſitiones & pro ſuo ad Horiſontem ſitu; idcirco paſſum congrua revolutione diſpoſitum, poterit interdum à ſyzygiis affici, urgente ſcilicet diſpoſitione paſſi, in abſentia congruorum tranſituum. Ubi verò effectus eſt ſubitaneus, veluti dum quis præcipitatur vel ſubmergitur, aut à prædonibus occiditur; vel directio & tranſitus ad diem accidentis conſpirant, vel directio duntaxat annum aut menſem generaliter indicat, tranſitus verò diem ipſum. Atque hîc etiam ſedulò adverte in directionibus annuis & menſtruis quis ſit ſtatus Cœleſtis tam ſignificatoris vel hujus domini, quàm promiſſoris; quo tempore completur eorum directio, ut de hac certiùs judices.

Caput XVI.

Quo pluribus exemplis probatur veritas directionum revolutivarum, in Solis & Lunæ revolutionibus.

POſtquam ſuperiori capite à nobis admiſſæ ſunt directiones in Revolutionibus Solis & ☽, per aſcenſiones rectas vel obliquas inſtituendæ, ut directiones radicales; atque Tabulas expoſuimus ad directionis arcum menſurandum: ut jam earum vis ac certitudo ad particularia effectuum tempora detegenda experientiis comprobetur; aliquot exempla videntur hîc apponenda. Præmonentes quod harum directionum ſignificatores, ſunt ſemper vel Horoſcopus, vel Medium Cœli, vel aliquis Planetæ locus in figura revolutionis, cujus directiones inſtituuntur: præſertim verò Solis & Lunæ: Promiſſores verò ſunt loca vel ipſius revolutionis, vel alterius præcedentis figuræ, ſed frequentiùs loca genituræ, & revolutionis ipſius.

Præterea notandum eſt, quod ſi in directione radicali retardatur vel acceleratur annuus ſignificati effectus, ob neceſſarium concurſum congruæ revolutionis Solis, quæ ſemper non adeſt ad præciſum tempus directionis radicalis: Et dato utriuſque cauſæ concurſu, in eodem anno, retardatur vel acceleratur dies effectus, ob neceſſarium concurſum vel congrui tranſitus, vel alterius Cœleſtis cauſæ actualis: idem profectò cenſendum eſt de directionibus revolutivis, quæ non ſecus ac radicales ſunt tantùm quid potentiale: dicimus autem alterius Cœleſtis cauſæ actualis; quia non ſemper diebus effectuum vel inſignium mutationum contingunt tranſitus congrui Planetarum, per figurarum radicis aut revolutionis loca; etſi hoc rariſſimè accidat. Quamobrem in effectibus qui ſunt ab aſtris, neceſſe eſt dari adhuc alias Cœleſtes cauſas actuales, quæ de potentia reducere queant in actum, figuras & directiones geneſis & revolutionum. Tales autem ſunt congrui tranſitus Planetarum per loca directionum, præſertim genituræ ad diem ſive tempus particulare accidentis: Ac potiſſimùm ſyzygiæ Planetarum iiſdem in locis: ut mihi accidit die 30 Maij 1612. à luminarium coitu cum inſigni Solis Eclipſi, ſuper gradu directionis Horoſcopi radicalis; tum aliæ quoque ſyzigiæ Planetarum congruorum inter ſe, maximè verò in domibus congruis. Ut ſi adfuerint directio & revolutio congruæ pro morte, & dominus Horoſcopi cum domino duodecimæ vel octavæ præſertim malefico, conjungantur in prima vel octava: aut apponantur ex ſecunda & octava: (ut accidit initio morbi quo nobiliſſimus D. Tronſonus obiit) vel quadrentur ex duodecima & octava radicis: Tunc mortem inferre poterunt, aut morbum, aut vitæ periculum; ob cauſam expoſitam in fine Capitis 15. ſic de aliis.

Quicunque verò effectus circa homines, non incidunt in cauſas ſupradictas; ii vel ſunt à ſola voluntate; vel ab aliis ſolis ſublunaribus cauſis, vel ab utriſque ſimul. Etenim vel omnia quæ Nato accidunt à cauſis naturalibus, ſunt efficienter à ſolis aſtris; vel à ſola ipſius Nati voluntate; vel à ſolis aliis cauſis ſublunaribus: Aut ſunt aliqua à ſingulis impermixtis; aut denique omnia vel aliqua à ſingulorum inter ſe combinatione. Primum dici nequit; nam fatalem inducit neceſſitatem quæ ſupprimit libertatis uſum; facitque Deum & Naturam per ſe authorem mali; & contrariatur experientiæ, quâ probatur multa contingere, quorum nulla cauſa Cœleſtis, niſi forſan fictitia aſſignari poteſt. Secundum ſimiliter dici non poteſt; tum quia dum quiſpiam ex improviſo occiditur, ejus voluntas ad effectum nihil per ſe confert, & quilibet multa patitur contra propriam voluntatem, nec facit quæcunque vult: Tum quia probatur evidentiſſimis experientiis, aſtra vim inſignem ſibi vendicare circa plurima magni momenti, quæ hominibus accidere ſolent: quæ ratio tertiæ quoque cauſæ contrariatur. Quartum verò dici poteſt: Nam quædam ſunt efficienter à ſolis aſtris; ut dum quis ſolus præcipitium aut ſubmerſionem inopinatò nemineque impellente patitur: Quædam à ſola voluntate, quæ cum ſit ex ſe aſtrorum influxibus ſuperior, poteſt ſeipſam determinare ac agere contra ipſos influxus, aut ſine ipſis, & quædam etiam ab aliis cauſis ſublunaribus ſolitariis; ut morbus à nimio aëris frigore, calore, ſiccitate, vel humiditate; aut morbi qui ab aſtris imminet ſuppreſſio, à purgante medicamento: vel dum in eodem prælio occiduntur plura hominum millia, quibus ſingulis aſtra mortem ex geneſi eo die non minabantur. Quintum denique dici debet ac frequentius eſt. Nam aſtra ad virtutes & vitia natum inclinant; & voluntas in his aut illis ut plurimùm obſequitur influxui ſive propenſioni, præſertim cùm etiam aliæ cauſæ ſublunares concurrunt; etenim voluntas ſpectanda eſt quaſi media inter aſtrorum influxus & ſublunares cauſas: Et quamvis ipſa ſit ſuorum actuum domina, nec in his quæ à ſe dependent cogi poſſit, vel ab aſtris vel à cauſis ſublunaribus, imò nec à Dæmonibus; poteſt tamen ab his & illis inclinari, excitari, allici ac tentari, & his vel illis obſequi; ſed duntaxat liberè ac pro arbitrio. Et idcirco in

libe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

liberis ſaltem effectibus aſtra interdum ſuo fruſtrantur effectu; poſſuntque plura contingere à voluntatis imperio contra aſtrorum decreta, juxta Aphor. 5. Centil. Ptolemæi & D. Thomam dicentem, quod *ſapiens dominabitur aſtris.* Imò contra motiones aliarum cauſarum ſublunarium & Dæmonis tentationes. Quin etiam aliæ cauſæ ſublunares quæ à Ptolemæo vocantur fatum ſecundum ſive inferius in Natura, ſæpe reluctantur fato ſuperiori ſive Cœleſtibus influentiis, quarum effectus ſupprimitur carcere, exilio, clauſtro, morbo, *&c.* ſupradictis. Si ergo voluntas cum aliis ſublunaribus cauſis ſe ſimul opponant cauſis Cœleſtibus, multò efficaciùs earum coercebuntur effectus. At ſi è contra cauſæ Cœleſtes cum ſublunaribus ſimul in Nati voluntatem inſultent per appetitum ſenſibilem, ut venereus influxus cum præſente ſcorto, aut martialis influxus cum hoſte præſente, *&c*: profectò Natus vix evadet ſine ſupernaturali auxilio, & voluntas peccato vel hujus fomite debilitata ad malumque prona ſuccumbet. Idemque de virtutibus cenſendum eſt.

Hæc autem à me præmittuntur ne quis putet accidentia cuncta eſſe ab aſtris, & ſciat quouſque vis aſtrorum ſeſe extendit. Tum ut intelligat, quod Nato per revolutiones & directiones congruas diſpoſito; ſi deſit cauſa Cœleſtis actualis, quæ directionum & revolutionum potentiam actuare poſſit: ipſam interdum actuari à Solis cauſis ſublunaribus, ſive liberè ſive neceſſariò agentibus, tunc concurrentibus. Patiens enim per fortes directiones & revolutiones diſpoſitum, facilè tranſit in actum à levi etiam actuali cauſa conſpirante ſive Cœleſti, ſive ſublunari; vel ſive influentiali ſive elementali: ut iis accidit, qui ad catarrhos diſpoſiti, ſi ſe tantillùm calori Solis vel humori Lunæ expoſuerint, catarrhis illico laborant. Quocirca præcipuè notandum eſt quo tempore Natus magis diſponitur; à directionibus & Revolutionibus conſpirantibus: tunc enim effectus imminent.

Denique ſciendum quod dies eventus à directionibus, debet potiſſimùm inquiri per directiones revolutionis ☉. Et eo probabiliter invento, erigenda eſt figura revolutionis ☽, in quam dies ipſe cadit: ſique à pluribus ejuſdem rei ſignificatoribus in revolutione ☉, plures dies indicentur, erunt ad ſingulos erigendæ revolutiones ☽ ut fortior eligatur; hæ ſiquidem ſubordinantur figuræ & directionibus revolutionis ☉, non ſecus ac ipſa figuræ & directionibus radicalibus. Quo pacto vitabitur labor erigendi 13 revolutiones ☽ pro anno; tum periculum fallaciæ ab aliqua ☽ revolutione; quandoquidem eventus in unica accidit, qui tamen à pluribus ſignificari poſſet. Attamen ſi revolutio ☉ non reperiatur congrua directioni & figuræ radicali; fruſtra quærentur directiones revolutionis ipſius. Idemque dicendum de revolutione ☽ minimè congrua, poſtquam data fuerit congrua directio, in congrua revolutione ☉; ſed jam ad exempla vel experientias accedamus. Monentes obiter quod etſi in his revolutionibus & directionibus Planetarum latitudines omittamus ob ipſarum directionum velocitatem, melius tamen erat illas non omittere, ut de diebus eventuum certiùs conſtet, vel etiam de horis.

In revolutione ☉ Guſtavi Adolphi Regis Suetiæ, incepta anno 1631, qua durante occiſus eſt die 16 Novembris 1632; ſcire lubet quænam directiones vitæ hoſtiles viguerint.

Ab initio hujus revolutionis ad finem anni 1631, ſunt 12 dies, 6 horæ, quibus ſi addantur 305 dies ab initio Januarii ad finem Octobris in anno biſſextili 1632: Ac inſuper 15 dies, 21 horæ, à fine Octobris vel principio Novembris uſque ad horam 9 matutinam, diei 16 Novembris, qua occiſus eſt; conſurgent 333 dies completi & 3 horæ. Quod tempus ex ſecunda & tertia Tabula directionum ſuprapoſitis pro directionibus Solis: facto multiplici ingreſſu in Tabulas ipſas, pro numeris quos continent, valet 328 grad 35′: Qui ſi addantur obliquæ Horoſcopi aſcenſioni in revolutione ☉ 273 gradibus 41′: fient 242 gradus 16′: quibus in polo figuræ ipſius revolutionis congruunt 14 gradus ♏; fuit igitur tunc directio Horoſcopi, primarii vitæ ſignificatoris in ſigno ♏: In quod cadebant in radice locus ♂, □ ♄, ex octava, & □ ♃ domini Horoſcopi radicalis ex ſecunda; tum directio radicalis Medii Cœli; ac etiam locus ♄ & □ ♂ in revolutione. Igitur directio Horoſcopi revolutionis ☉ jam cadebat in peſſimum, ſignum peſſiméque affectum: ac præcisè in □ radicalem ♀ dominæ Medii Cœli.

Porrò à 241 gradibus auferantur 90 gradus, & relinquentur 152 gradus 16′. pro aſcenſione recta gradus ad quem pervenit directio Medii Cœli revolutionis, qui eſt ultimus gradus ♌: In quo ſigno reperiuntur locus ♄, □ ♂, & ☍ ♃ in radice: Nec non □ ♄, & locus ♂ in revolutione ☉, quem ipſa directio duobus tantùm diebus præterierat. Ac per conſequens directio Medii Cœli actionum & ſuſceptorum ſignificatoris primarii, erat etiam in peſſimo loco. Sol autem dominus octavæ in prima radicis & revolutionis, directio fuit in ſecundo gradu ♐ propè Horoſcopum, quem cor ♏ fixa violenta occupabat.

Similiter in revolutione ☽, qua durante Rex ipſe occiſus eſt: ab initio hujus revolutionis inceptæ die 24 Octobris 1632. hora 0. min 4′. uſque ad horam mortis numerantur 22 dies 21 horæ: qui ex ſecunda & tertia Tabula directionum pro revolutionibus ☽ valent 301 gradus 25′. Qui ſi addantur aſcenſioni obliquæ Horoſcopi revolutionis ☽ 299 gr. 20′, fient 240 gradus 45′: quibus in polo figuræ revolutionis ☽ congruunt 14 gradus ♏: fuit igitur directio hujus Horoſcopi, in eodem peſſimo loco ubi fuit directio Horoſcopi revolutionis ☉. Porrò à gradibus 240. 45′. auferantur 90 gradus, & relinquentur 150 gradus 45′. pro aſcenſione recta gradus ad quem pervenit directio Medii Cœli atque ☉ domini octavę radicis & utriuſque revolutionis, qui eſt 28 gradus ♌, □ partilis ♄, hac in revolutione, incidens in octavam domum. Igitur directiones Horoſcopi & M. C. utriuſque revolutionis mirè conveniunt

&

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

& concurrunt in peſſimis ac lethalibus figurarum locis. Et directionum aliæ nondum attingunt, aliæ vero prætergrediuntur vera loca promiſſorum anæretarum; aliæ vero attingunt exactè ipſo die mortis. Ac ſaltem omnes ſunt intra orbem virtutis anæretarum; quod etiam patebit in aliis ſubſequentibus exemplis: & hoc ſufficit in his directionibus ob cauſam initio capitis oppoſitam. His enim ſuperveniens actualis cauſa cœleſtis die mortis, quippe tranſitus Planetarum, quem proprio loco exponemus, productus eſt effectus.

At viceverſa ſi lubeat ſcire, quonam die revolutionis ☽, Medium Cœli perveniat directione ad 28 graduum ♌ □ ♄ in octava. Ab aſcenſione recta 28 gradus ♌ 150 gradibus 11', aufer aſcenſionem rectam Medii Cœli 209 grad. 20': & relinquentur 300 gradus 51'. pro directionis arcu: qui ex prima & tertia Tabula directionum pro revolutionibus ☽ valet 22 dies, 20 horas: quo tempore numerato ab initio revolutionis ☽ occiſus eſt ipſe Rex: ſic de aliis. Jamque tradita dirigendi methodo, alia exempla brevius exponamus Lectori relinquentes examen calculi ex Tabulis ſuprapoſitis.

In revolutione ☉ Cardinalis Richelii anno 1642. in qua mortuus eſt die 4. Decembris circa meridiem: Ab initio revolutionis ad mortem, ſunt 85 dies, 7 horæ: & Horoſcopus ipſo die pervenit ad 12 gradum ♏ ferè ☍ ♂ domini octavæ: Sol vero dominus duodecimæ in prima, ideoque morbi & vitæ ſignificator, dirigitur ad 20 grad. ♏: ſicque illa deficit 4 diebus ab ☍ ♂, hæc autem diebus 4 prætergreditur locum totius figuræ pro vita periculoſiſſimum.

At in revolutione ☽ inchoata die 29. Novembris, hora nona, min: 58. numerantur uſque ad horam mortis 3 dies, 14 horæ. Et Horoſcopus tunc directione pervenit ad 25 grad. ♏, locum radicalem ♀ domini octavæ, ac ☍ ☽ & ♄ in revolutione ☉, cum horis 10 ante mortem, perveniſſet ad ☍ etiam ♄ & ☽ conjunctorum in octava revolutionis ☽: & hæc ſunt valde notanda.

In revolutione ☉ nobiliſſimi D. Tronſoni anno 1625. qua durante ab Aula expulſus eſt cum dignitatum ablatione die ſecundo Auguſti 1626. Ab initio revolutionis uſque ad accidens ſunt 334 dies 6 horæ. Et Medium Cœli dirigitur ad 12 grad. ♉ ferè radicale □ ☽, dominæ Medii Cœli radicis & decimæ revolutionis.

At in revolutione ☽ quæ incepit anno 1626. die 23. Julii, 22 hor. 26'. numerantur uſque ad tempus accidentis 9 dies, 1 hor. 40'. Et pervenit directio Medii Cœli ad 10 grad. ♏, fere alterum radicale □ ☽, & □ ipſius ☽ ☉ & ☍ conjunctorum in revolutione ☽, quæ quadrata ipſo die directio Medii Cœli percurrebat: Sole & ☽ dominantibus decimæ domui: ergo valde congruunt ambæ directiones Medii Cœli tanto infortunio.

In revolutione ☉ anno 1642, qua durante obiit ipſe D. Tronſonus 8 die Decembris ſequentis circa horam 9 matutinam. Ab initio revolutionis ad accidens ſunt 98 dies, 3 hor. 16'. Et Horoſcopus pervenit ad 28 grad. ♐; qui fuit locus radicalis ♄, & □ radicis & revolutionis ejuſdem ♄ in ipſa revolutione.

At in revolutione ☽ quæ incepit die 13. Novembris, 11 hor. 58'. uſque ad horam obitus numerantur 23 dies 9 horæ, Et Horoſcopus pervenit ad 22 gradum ♋, oppoſitionem radicalem ♂, qui in geneſi quadrabatur Horoſcopo, & in hac revolutione fuit dominus octavæ in octava revolutionis Solis.

In revolutione ☉ anno 1626. qua durante obiit Conneſtabilis Deſdignieres die 28 Septembris ſequentis, ab initio revolutionis ad mortem ſunt dies 170. Et Horoſcopus pervenit die mortis ad 8 gradum ♐ fere □ ſiniſtrum ♄ domini octavæ in ipſa revolutione, ſequente □ ♂.

At in revolutione ☽, quæ incepit die 5. Septembris hora vigeſima ſecunda, ſunt uſque ad diem mortis 22 dies. Et pervenit Horoſcopus ipſo die ad 11 gradum ♍, fere locum ☉ in hac revolutione & ♄ in revolutione ☉, ſequentibus ♄ atque ♂ conjunctis ☉, quorum etiam loca Horoſcopus ipſe eo die directione pertranſibat. Erat ergo lethalis utraque directio.

Jam meas inſpiciamus revolutiones ſaltem lunares, atque his correſpondentes ſolares, quas ſuperius appoſui. Igitur in revolutione ☉ anni 1605, qua durante duobus periculoſiſſimis vulneribus confixus ſum die 9 Julii circa horam octavam veſpertinam. Ab initio revolutionis ad tempus accidentis numerantur 136 dies, 4 horæ 38'. Et pervenit tunc Horoſcopus ad 8 grad. ♐ fixam violentam in cuſpide octava radicis, & □ dextrum cumuli mei Planetarum ex duodecima domo, ſed præſertim ☉ ♃ & ♄ dominorum quintæ, octavæ & decimæ. Sol autem dominus Horoſcopi, ac duodecimæ pervenit ad 16 gradum ♊, quadratum ſiniſtrum ☽ radicalis.

At in revolutione ☽ qua contigit accidens, incepta die 5. Julii, 6 hor. 7'. ſunt ad horam vulnerum 4 dies 2 horæ. Et tunc pervenit directio ♃ domini Horoſcopi ad 15 grad. ♈, ideoque percurrebat ipſo die quadrata ♂ ♀ ☿ atque ☉ exiſtentium in domo ſeptima, quæ eſt hoſtium apertorum. Directio autem Medii Cœli actionum ſignificatoris, cujus & quintæ domina ♀ erat in ſeptima partiliter juncta ♂ in loco radicali ♂ pervenerat ad 11 grad. ♐ □ radicalem ♄ in octava radicis, quam domum ♄ tunc pertranſibat:, eratque in Horoſcopo revolutionis ☽, huic quadratus. Cuncta igitur ad mortem, vel ſaltem vulnera periculoſiſſima conſpirabant.

In revolutione ☉ anni 1612. qua 30. Maji ex ludo violento in ☉ ardore & compotatione incidi in valde magnum, longum & periculoſiſſimum morbum: ab initio revolutionis ad accidens ſunt 96 dies, 3. horæ. Et tunc pervenit directio Horoſcopi ad 16 grad. ♌, fere locum ♃ retrogradi in domo ☉ & quinta revolutionis. ♃ ipſo exiſtente domino duodecimæ & octavæ quod maximè quadrat effectui.

At in revolutione ☽ quæ incepit 23. Maji 11 hor. 16'. ab illius initio ad initium morbi, ſunt 6 dies, 12 hor. 44'. Et tunc pervenit directio ad 10 gradum ♊, cuſpidem quintam & □ ſiniſtrum cumuli mei Planetarum, præſertim vero ♄, imò □ ♄ & ☽ hujus revolutionis, quæ ipſa directio eodem die pertranſibat. Et facta eſt magna ☉ Eclipſis in loco directionis tam hujus Horoſcopi, quam Horoſcopi radicalis

In revolutione ☉ qua Medicinæ Doctoratum conſecutus ſum die 9. Maji anno 1613. Ab initio revolutionis numerantur dies completi 47 hor. 20 min. 42. Et tunc pervenit directio Horoſcopi ad 7 grad. ≏ ☍ ☽, & □ radicale ♂ qui præeſt ☽ & Medio Cœli hujus revolutionis. At ipſum Medium Cœli pervenerat ad 8 grad. ♋, locum radicalem ♂ partiliter: & △ ſiniſtrum cumuli mei Planetarum: atque ♂ erat dominus Horoſcopi radicalis qui reperitur in Medio Cœli hujuſce revolutionis, quæ ſunt valde notanda.

Sed in revolutione ☽ quæ incepit die 15. Aprilis 23 hor. 37′. ſunt ad 9. Maji, hoc eſt 8 diem completum 22 dies 0 h. 23′. Et pervenit tunc directio Horoſcopi ad 1 gradum ♊ quadratum partilem ♀ in radice quæ fuit domina [illegible] ſequentibus □ ☉ ♃ ♄ atque ☽: ſors vero directione pervenit ad 25 grad. ♓ quem hac in revolutione occupabat ♄ dominus Medii Cœli radicalis.

In revolutione ☉ anni 1615. qua die ſeptima Julii hora decima pomeridiana ingens vitæ periculum ſubii natans in Rheno. Ab initio revolutionis ad accidens ſunt dies completi 133. horæ 20. Et tunc pervenit directio Horoſcopi ad 29 gradum ♊ ferè ☍ ☽ dominæ octavæ, peſſime affectæ in prima domo.

At in revolutione ☽ quæ incepit die 26. Junii 13 h. 10′. numerantur ad horam accidentis 9 dies 20 h. 50′. Et pervenit directio Horoſcopi ad 23 gradum ♐ ferè ☍ ☉ domini duodecimæ & ♂ qui præeſt octavæ & ferè △ ♄ in octava. Directio autem Medii Cœli actionum ſignificatoris pervenit ad 26 gr. ≏ ☍ ♄ domini quintæ in octava ubi reperitur in domo & aſpectu ♂ ferè ſuper Horoſcopo radicis.


In eadem revolutione ☉ periculum præcipitii lethale ſubii die 1. Januarii 1616. circa horam ſecundam pomeridianam. Ab initio revolutionis ad horam accidentis ſunt 311 dies 13 h. 16′. Et pervenit directio Horoſcopi ad 10 gradum ♏ ferè △ ♄ in radice.

At in revolutione ☽ quæ incepit die 25. Decembris 5 h. 16′. ſunt ad horam accidentis 5 dies 20 h. 44. Et pervenit Horoſcopus ad 16 grad. ♍. ☍ radicalem ♄ atque ☽ in ſexta radicis: ♄ exiſtente domino octavæ in decima hujus revolutionis, in domo & □ ♂: ☽ autem in nona. At Medii Cœli directio, pervenit ad 12 gradum ♊, quadratum ſiniſtrum partilem ejuſdem ♄ in radice: hæc autem ad lethale præcipitium maximè concordabant. Cumque hoc periculum mihi cauſatum fuerit à ſaga quæ pridie ſocios meos ſuis artibus peſſimè affecerat, fatendum eſt quod ſi Diabolus ſagis ſerviens, utitur interdum in ſuis actionibus concurſu aſtrorum, commodam profecto in meam perniciem exſpectaverat ab aſtris occaſionem uſque ad diem craſtinam; niſi ſumma Dei bonitas miraculosè me liberaſſet.

In revolutione ☉ anni 1629, quâ Regii Mathematum Profeſſoris dignitatem mihi conferri voluit ac ſtudioſè curavit Sereniſſima Regina Mater Maria Medicea, numerantur ab revolutionis initio uſque ad 30. Junii quo negotium hoc ſuſcepi, ac per E. Cardinalem Berulæum dignitatem ipſam à Regina petii 127 dies. Tuncque pervenit directio Medii Cœli ad 14 grad. ♋, △ ſiniſtrum ♄ ac ☽ radicales, quæ ☽ hac in revolutione erat domina Horoſcopi in nona & loco radicali ☿ cum ipſo ☿, Sol autem cingebatur ad 10 gradum ♋, △ ſiniſtrum ♄ domini Medii Cœli, & locum ♂ dominum Horoſcopi in radice, ipſeque gradus horoſcopabat in figura revolutionis.

At in revolutione ☽ incepta die 13 Junii 0 hor. 54 ſunt ad diem 30. Junii dies 17. Et tunc pervenit directio Medii Cœli ad 17 grad. ♒, △ quippe ♀ domini Horoſcopi, ☿ domini ☉ huic & ♀ conjuncti, tum ♄ domini Medii Cœli radicis exaltati in prima hujus revolutionis, nec non [illegible] partilem ☽ dominæ Medii Cœli. Omnia ergo erant egregia ad fœliciter ſuſcipiendum. Ac certe res fuit ſuſcepta & promota ſucceſſu fœliciſſimo, vide hanc figuram revolutionis Lunæ.

95. 14.



Hac

Hac in revolutione ☿ præeſt Horoſcopo, quem △ intuetur: & Luna Medio Cœli, quod etiam △ aſpicit: ſuntque ambæ à maleficis liberæ ac in gaudii & ſcientiarum domibus: ideoque Reginæ & dominarum favore ac ope fœlicitatem & gaudium in ſcientiarum dignitatibus mihi præſagiebant: Tum etiam ope Magnatum Eccleſiaſticorum, ob ☉ ☿ & ♀ in nona, in △ ♃ domini ☽ qui eſt in quarta. Præſertim quod ♄ dominus Medii Cœli radicis & ♃ in revolutione ſit in prima exaltatus, in ſuo antiſcio radicali, & conjunctus ſpicæ Virginis, in △ ☉ ☿ & ♀, tum etiam ♃: Luna autem ſit in □ ☉ ☿ & ♀ qui fauſtus eſt: Ac ♂ dominus Horoſcopi radicalis ſit in ipſo Horoſcopo fortis in ⚹ ☉ & ⊕ conjunctorum in nona. Omnia igitur ſeſe habebant valde fœliciter, pro dignitate. Et idcirco ſucceſſus fuit admodum fœlix.

In ſequente autem ☽ revolutione, quæ incepit die 10. Julii 7 hor. 48′. ſunt ad diem 3. Auguſti, quo litteras Profeſſoris à Rege obtinui, 23 dies. Et directio Medii Cœli pervenit ad 19 gradum ♍. △ ♂ domini Medii Cœli & locum ⊗ in ☍ ☽.

In revolutione ☉ anni 1634. qua die 30. Martii hora 1. poſt meridiem, arduum ſuſcepi ac illuſtre facinus, demonſtrandi publicè longitudinum ſcientiam à me inventam, ſunt ab hujus revolutionis initio ad horam actionis meæ dies 35 completi. Tuncque directio Medii Cœli, actionum ſuſceptorumque ſignificatoris pervenit ad gradum 1 ♋. △ ſiniſtrum partilem ♀ in radice, dominæ ♋ in prima, ſequentibus △ ☉ ♃ ♄ domini Medii Cœli cum ♂ domino Horoſcopi in figura ipſa radicis. Et fuit hæc directio valde egregia, tantoque ſuſcepto fœliciter glorioſéque peracto congruentiſſima.

At in revolutione ☽ incepta 27. Martii 3 hor. 20′. ſunt ad horam uſque actionis meæ 2 dies 20 hor. 40′. Et pervenit directio Medii Cœli ad 4 grad. ♋. △ partilem ☉ & ♃ in radice, ac platicum reliquorum Planetarum: quo nihil fœlicius & directioni Medii Cœli in revolutione ☉ conformius optari poterat; præſertim quod directio ipſa eſſet etiam ad □ partilem ☿ domini decimæ, in qua erat ♃ hac in revolutione, ☿ applicante ☉ exaltato.

In revolutione ☉ anni 1642. qua periculoſo correptus ſum morbo die 2. Novembris: hoc ipſo die Sol dirigebatur ad 27 grad. ♏, □ dextrum ♃ domini octavæ ☉ & ♄: & Horoſcopus radicalis repertus in nona domo revolutionis, dirigebatur ad ♂ revolutionis, hoc eſt ☍ Martis radicalis.

At in revolutione ☽, hæc applicabat ♄ partiliter ipſo die morbi, ideoque ad ipſum dirigebatur.

In revolutione ☉ anni 1645: qua currente data mihi fuit penſio 2000 librarum in Sanctiori Regis Conſilio die octavo Aprilis; ſunt ab ejus initio ad 8 Aprilis 44 dies 2 hor. 33′. & tunc pervenit directio Horoſcopi ad 10 ♋, △ ferè radicalem ♄; domini Medii Cœli radicis & revolutionis, necnon ferè locum radicalem ♂ domini Horoſcopi radicis: Medium autem Cœli pervenit ad 10 gradum ♓ ferè locum radicalem ejuſdem ♄ & △ radicalem ♂: ita ut hæc directio fuerit ad cumulum Planetarum, illa vero ad △.

At in revolutione ☽, quæ incepit die 25. Martii 21 hor. 42′: ſunt ad diem accidentis 12 dies 2 h. 18′. Et pervenit directio Medii Cœli ad 8 grad. ♌ △ ☉ in undecima domo hujus revolutionis: Sol autem directione pervenit ad 16 grad. ♍ ☍ ☽, & viciſſim ☽ ad 3 grad. ♍ ☍ ☉ & ♃ in radice.

Tandem in revolutione ☉ incepta die 15 Decembris 9 hor. 50′. anni 1640, qua durante B.P. Carolus de Condren obiit die 6. Januarii 1641. hora fere 6. matutina. Ab initio revolutionis ad diem obitus ſunt 20 dies 14 hor. 10′. Tuncque directio Horoſcopi pervenit ad 17 grad. ♍ locum ♃ radicalem, qui fuit dominus octavæ in ipſa revolutione, ſequentibus □ ☉ domini octavæ radicis & 12 revolutionis, tum ☍ ♂ domini octavæ in octava revolutionis & domini duodecimæ radicis. Solis autem directio pervenit in revolutione ad ♃ dejectum & dominum octavæ: & ☽ directio ad 23 grad. ♒ □ radicalem ♄, ejuſque fere locum in revolutione.

At in revolutione ☽, quæ incepit die 10. Decembris 18 hor. 50′. ſunt ad horam mortis 20 dies completi. Et pervenit directio Horoſcopi ad 26 grad. ♍, □ radicalem ☉ aphetæ in radice & hac revolutione, partilemque ☍ ♂ hac in revolutione dominum duodecimæ atque ☽ in duodecima quæ præerat octavæ cum ☉. Omnia ergo ad mortem conſpirabant.

Quid pluribus opus eſt? in quibuſcunque figuris à me tentatis tam evidenter mihi patuit vis revolutionum ☉ & ☽, nec non directionum ad illas pertinentium via à me detecta & ſuperius expoſita, atque ex ſuprapoſitis adeo manifeſta eſt; ut cum non poſſit à ſagacioribus Aſtrologis denegari, jam calculi tædio fractus, hic de his dicendi finem faciam.

Non tamen hic videtur omittendum quod figuris Quartarum tam anni, quam menſis nullæ ſunt directiones aſſignandæ: quandoquidem ex ſuprapoſitis exemplis ſatis patet, directiones revolutionum, ſive Solis, ſive Lunæ vigere tota ſolari & lunari periodo, & non duntaxat prima quarta ipſius periodi: ac proinde alias excludere in ipſa periodo: alioquin ſi quælibet quarta proprias haberet directiones, non vigerent tota perioda quæ ad revolutionis figuram pertinent, vel perpetua eſſet admittenda confuſio directionum. Unde patet figuras Quartarum eſſe tantum ſpectandas, ut ſtatum Cœli ad efficaciorem tranſitum Solis aut Lunæ per loca ſuorum aſpectuum.

Præterea obiter notandum moneo, inde convinci quam falſa & erronea ſit doctrina nova Didaci Pritti Peluſienſis in ſuis Theſibus Aſtrologicis, ubi non ſolum reſpuit circulos poſitionum in erigendis figuris & dirigendis ſignificatoribus: ſed inſuper revolutiones tam annuas quam menſtruas, quarum nullam prorſus rationem habet, in ſuis judiciis. Pollicetur ſuæ doctrinæ demonſtrationes quæ expectantur, non ut demonſtrationes veritatis (ut facile conjicio ex ejus theſibus) ſed ut hallucinationis ſuæ demonſtrationes; quas ni fallor ſupprimet factus ſapientior.

Caput XVII.

De Domino Revolutionis.

Poſt erectam figuram conſtitutionis cœleſtis, ſive hæc ſit univerſalis, ut in mundanis revolu-

 tionibus

tionibus Solis, vel Eclipſibus, ſive ſit particularis, ut in nativitatibus hominum earumque revolutionibus: Aſtrologi primò quærere ſolent, quis Planetarum ſit illius conſtitutionis dominus, vel cæteris potentior. Verum id diverſimodè quærunt atque definiunt; cum tamen debeat omnium eadem eſſe ratio, quod aſtra uniformiter agant: idque Ptolemæus cenſuiſſe videatur, Lib. 2. Quatrip. cap. 6. & 11. ubi in conſtitutionibus revolutionum ☉ & Eclipſium, eodem modo figuræ dominum jubet eligendum; etſi de domino genituræ ac revolutionum ejus, nullam fecerit mentionem. Non enim aſtra aliter agunt in conſtitutionibus univerſalibus, & aliter in particularibus: ſed in his determinantur duntaxat circa particulare, quippe natum; in illis vero circa quid univerſalius, quippe regionem, vel civitatem: & utrumque ſubjectum afficiunt, prout elementali, vel influentiali aſtrorum actioni, vel utrique ſubjicitur, & pati aptum eſt. Quod enim recipitur, ad modum recipientis recipitur.

Videtur autem nobis hoc in loco diſtinctio quædam ponenda inter dominum anni & dominum revolutionis. Dominus anni duplex ponitur à pluribus Aſtrologis, qui etiam Arabum aliorumque Orientalium nugas, pro arcanis ſolum ſcientiæ filiis (ut voluere) tradendas, ſaltem maxima ex parte reſpuunt, nempe univerſalis & particularis.

Univerſalis traditur à Ptolemæo Lib. 4. cap. 11. ex comparatione Planetarum, juxta ſuum ordinem noſtri reſpectu in Cœlo ſpectatorum, ad hominis ætates, etiam juxta ſuum ſpectatas ordinem naturalem. Aitque primos nati quatuor annos, ſeu infantium generaliter ☽ ſubjici, ab eaque regi, quod ipſa ſit primus ordine Planeta reſpectu noſtri. Decem annos ſequentes, ſeu pueritiam regi à ☿ ſequente ☽ in ipſo Planetarum ordine: 8 ſequentes annos, ſeu adoleſcentiam à ♀ gubernari, ſequentes 19 à ☉, ſequentes 15 à ♂, ſequentes 12 à ♃, & vitæ reliquum à ♄. Sed Ptolemæus nullas reddidit rationes ſuæ diſtributionis annorum quæ ſibi cohæreant veroque fundamento innitantur, nec ejus etiam commentator Cardanus. Planetæ ſiquidem moventur in ellipſi, non autem in epicyclis quos ſuppoſuit Ptolemæus; quippe revolutiones eorum in propriis orbitis abſolvuntur motu prorſus elliptico, in Æthere fluidiſſimo. Præterea dominium, ſive regimen pueritiæ, competeret non ☿, ſed ♀, hujus enim orbita occurrit nobis ſecunda, & ☿ tertia ſurſum aſcendendo, quia circa ☉ revolvuntur, eſtque ☿ Soli vicinior ipſa ♀ quod Ptolemæo ejuſque Sectatoribus in Mundi ſyſtemate non innotuit. Denique diſtributio illa ejuſque rationes, prorſus abſurdæ fuiſſent tempore primorum hominum, qui vivebant pluribus annorum centenariis, primoque centenario completo adhuc juvenes erant. Ergo & nunc cenſeri debet fictitia, ſaltem ratione diſtributionis annorum, quandoquidem Planetæ, nec ſuas vires, nec ſuas motuum periodos, nec ſuos agendi modos mutavêre. Adde quod brutorum & Planetarum ætatibus accommodari nequit. Et tamen quoad corpus & vitam afficiuntur ab aſtris, & ſuas habent diverſas ætates, non ſecus ac homines. & alia diutiſſimè vivunt, ut cervi, corvi, balenæ, quercus: & alia breviſſimè, & alia mediocriter, ut cuivis notum eſt.

Attamen certiſſimum exiſtit, diverſas inter ſe nati ætates analogas eſſe naturis diverſis Planetarum: nempe pueritiam ☽ ob humiditatis exceſſum, adoleſcentiam ☿ ob ingenii motum atq; culturam; Juventutem ♀ ob libidinis & generationis cupidinem, primam virilitatem ☉, propter honorum ambitionem quæ tunc accenditur: ſecundam ♂ ob labores, primam ſenectutem ♃ ob prudentiam ex rerum experientia, nec non conſilium; tandemque ſecundam, ſive ſenium quod reliquum vitæ complectitur, ♄, ob frigus ætatis, tarditatem motus, ſolitudinem, morbos, &c. Ac de brutorum Planetarumq; ætatibus à ſimili cenſendum eſt. Sed hæc analogia innuit dominium duntaxat generale, quo Planetæ agunt in ſingula ſubjecta pro ratione diſpoſitionis ipſorum, ideoque facilius & efficacius in ſibi ſimilia: quo pacto decrepitus homo aptior eſt affici influxu ♄, quam ♀. Et Planetæ ſinguli agunt in ſingulas ætates, prout hæ ab illis pati ſunt aptæ.

Quamobrem etiam cenſeo rejiciendam Arabum artificiolam annorum nati diviſionem per ſeptenaria, ſingulorumque ſeptenariorum regimen à Planetis ſingulis, quos dominos ſeptenariorum, vel Alfridarias vocavêre, ſeptenariorum annis ſingulis alterum Planetam dominum præficientes, quem Alfridariæ participem dixere. Nam præterquam quod non ſervatur ordo Planetarum, ut ſuperius dixi contra Ptolemæum, caret etiam diviſio hæc fundamento naturali: utcunque Cardanus (referente approbanteq; Origano) geniturâ 34 & 39, eas magni faciat, aſſeratque ſe eas experimento & ratione inveniſſe. Quod enim ad earum probationem affert, nihil aliud eſt quam analogia Planetarum & ætatum à nobis ſupraposita, indeque dominium valde generale, circa quod malè ratiocinatur Cardanus. Et ideo tantum dici meretur figmentum ingenioſum ab Arabibus inventum & expoſitum, qui talium fuere locupletiſſimi: à Cardano autem male approbatum. Si enim, ut ipſe vult, Alfridaria filiorum ſit à 28 anno uſque ad 42. quibus ♂ & ♃ dominantur: cur non erit potius ab anno 14 ad 28, quibus præſunt ♀ atq; ☉ generationi congruentiores quam ♂ & ♃? Imo cur non erit ſimiliter ab anno 77, ad annum 91, quibus iidem Planetæ ♂ & ♃ præſunt?

His ergo dictis de domino anni tam univerſali quam particulari, jam ad revolutionis dominum accedamus, qui eſt Planeta potentior in figura revolutionis, quique propter aſtrorum in agendo uniformitatem, non aliter inquiri debet quam dominus genituræ.

Videatur ergo, ut in geneſi, quis Planetarum ſit potentior dominio, exaltatione, Trigono & aſpectu in præcipuis figuræ locis, quæ ſunt ☉, ☽, H, Medii Cœli & ⊕: Is enim erit primarius revolutionis dominus. Sed in revolutionibus ☉ præcipua erit habenda ratio loci ☉, & in revolutionibus ☽ præcipua ratio loci ☽. Quod ſi duo, vel tres Planetæ circiter æque potentes reperiantur, eligatur ille qui ſtatu cœleſti ac terreſtri prævaluerit, hoc eſt, qui fuerit in propriis dignitatibus eſſentialibus, Orientalis ☉, velox, directus, cum aliorum forti aut multiplici aſpectu, præſertim verò ☉, aut ☽ in hujus vel illius revolutione, nec non in præ-

præcipuis figuræ angulis : ſic enim affectus aget efficacius : Præſertim vero ſi ex figura genethliaca contingat ipſo anno aliqua nova fortiſque directio ad talis Planetæ corpus, vel aſpectum, ipſiuſq; Planetæ ſtatus in revolutione directioni congruat : tunc enim erit illo anno fortiſſimus, ſaltem ad ea quæ directione ipſa ſignificantur. Quod ſi cæteris paribus alter ipſorum Planetarum ſit in propriis dignitatibus, alter vero in angulo primæ, vel decimæ domus, etſi exul, vel dejectus, hic nihilominus erit eligendus, ut fortior ſtatu terreſtri, ſeu determinatione, qua potiſſimum afficit. Natus enim tum in geneſi, tum in revolutione æquè poteſt ſubjici figuræ domino malefico, ac domino benefico : & æquè benè affecto, ac malè affecto, ab eoque pati pro ipſius natura atque ſtatu. Alter vero Planeta inferioris, ſed proximioris potentiæ, aſſumatur pro ſecundario revolutionis domino.

Et quia Horoſcopus præeſt corpori, vitæ, moribus, ac ingenio, Medium vero Cœli ſuceptis, actionibus & Profeſſioni ; ideoq; præſunt præcipuis rebus hominis, à quibus cætera fere omnia non parum dependent : idcirco horum angulorum domini erunt præcipue attendendi ; tum Solis in hujus revolutione, & ☽ in revolutione Lunæ. Nam quamvis ☉ & ☽ non conſiderentur à nobis penes ſignificationes univerſales illis tributas ab antiquis, ſed tantum prout determinantur in figura, non ſecus, ac ♄ ♃ ♂ ♀ ☿. tamen & in geneſi & in revolutionibus illorum loca ſunt pro electione domini potius ſpectanda, quia ſunt Planetæ primarii circa Tellurem primario ordinati, & primariæ inter Planetas potentiæ, ut experientia probat : quorum uni quippe Soli regimen annorum à natura tributum eſt, Lunæ vero menſium, non autem ulli aliorum Planetarum, qui ☉ tantum Satellites exiſtunt, ac velut Miniſtri in regimine Sublunarium.

Denique in electione domini præferendus erit Planeta potens domo, potenti exaltatione, & hic duntaxat Trigono potenti. Ac inſuper præferendus erit Planeta in prima domo, hujus abſenti domino : quia plus valet præſentia Planetæ, quam abſentis dominium, etſi vis Planetæ præſentis, non prorſus excludat, vel cohibeat vim domini abſentis, ſed huic tantum prævaleat. Tandemque præferendus erit Planeta locum cui præeſt aſpiciens, non aſpicienti, præſertim ſi dominio præſit : nec non exiſtens ſupra Terram, exiſtenti ſub Terra.

Atque hæc ſingula de electione domini revolutionis ☉, aut ☽ validum habent in natura ratione & experientia fundamentum, quod dici nequit de figmentis Arabum & Indorum à nobis rejectis, qui verarum cauſarum cognitione maxima ex parte deſtituti, tot falſas excogitarunt, ut nullus eſſet effectus, cujus, aut veram, aut fictitiam rationem reddere non poſſent : ſicque ludentes circa numeros ſignorum, Planetarum, graduum Eclipticæ, dierum anni ac menſis, & horarum diei, nec non circa eorum ordinem, vel ſeriem ; Divinam hanc ſcientiam maximè depravarunt, cauſis plane chymericis, quarum non paucas commendat Hermes Lib. 2. de Revol. cap. 1. refutatione noſtra prorſus indignas, quod circa tales nugas tempus noſtrum minimè ſit impendendum.

Cæterum hic quæri poteſt, cur Sol non ſit ſemper ac ſolus anni dominus, quandoquidem annus eſt tantum à Sole, & annua revolutio, ſit revolutio ☉, qui eſt Planetarum omnium potentiſſimus ?

Reſpondeo : Solem quamvis ex ſe agat, tamen agere juxta naturam ſigni quod occupat, & naturam ſtatumque ſui domini, ſicut alibi diximus. Cum ergo in revolutione Solis quæratur præſertim quid ipſe ſit effecturus, idcirco ad ejus dominum præcipue attendendum eſt, ob illam cauſam : ipſeque in anni dominum aſſumendus eſt, etiam cuivis alteri præferendus ; non quidem pro totius figuræ, vel anni effectibus, niſi etiam præſit locis ☽, Horoſcopi Medii Cœli & ⊕, vel horum majori parti, ſed duntaxat pro effectibus à Sole ſignificatis. Cumq; ipſius domini ſtatus ſingulis annis varietur, & ſit interdum fauſtus, interdum vero infauſtus : idcirco non ſolum in geneſi, ſed in ſingulis revolutionibus ☉, hujus dominus ejuſque ſtatus ſedulo erit advertendus. Dum vero Sol in radice repertus fuerit in ♌ propria domo, tunc quia nulli alteri Planetæ ſubjicitur, erit ipſemet ſuarum revolutionum primarius valde potens dominus. Idemque à ſimili cenſendum de revolutionibus Lunæ.

Caput XVIII.

De Legibus univerſalibus judiciorum, in nativitatum revolutionibus tam ☉, quam ☽.

QUamvis ex dictis toto Libro 21. circa cœleſtium corporum determinationes, tum præſertim ex capitibus 6 & 7 hujus Libri, ſatis pateat quomodo ſit de revolutionibus judicandum, ſaltem generaliter : quia tamē præter univerſales judiciorum leges genituris & revolutionibus communes, doctrina revolutionum proprias etiam ſibi vendicat, tum univerſales, tum particulares ; idcirco univerſales hic nobis adjungendæ videntur, ne in tanti momenti doctrina Theorica quidpiam deſideretur : Particulares vero dabuntur in Aſtrologia practica, ſi Deus illam condendi tempus nobis concefferit. Univerſalium igitur præcipuæ, ſunt ſequentes, ex quibus minus præcipuæ à ſolerti Aſtrologo facile detegentur.

1. In revolutione nihil prædicendum ſaltem inſigne, niſi fuerit ſignificatum à radice, vel directionibus ejus, ad tempus revolutionis ipſius. Et viceverſa de radicali directione nihil prænunciandum, niſi conſenſerit annua revolutio. Nam ſi ☉ in decima radicis dirigatur ad △ ♃ bene affecti (quæ eſt illuſtris & ex ſe fœlix directio) in revolutione vero anni per directionem indicati, Sol fuerit in duodecima quadratus ♄, vel ♂, ſine fœlici aſpectu ♃, qui etiam pravè afficiatur ; nil proderit directio ☉, tantúmque accident irriti conatus pro honoribus cum impedimentis, & forſan quoque infortuniis circa honores : ſic de cæteris. Generaliter vero ſpectandum in omni revolutione, tam ☉, quam ☽, quomodo ſeſe habeant Planetæ ipſo die, ad loca genituræ : nam ſi bene bonum, ſi male malum, in affecta ſpecie accidentis vitæ, divitiarum, honorum, &c. habita ratione determinationis Planetarum ipſorum, tam radicalis quam revolutivæ.

2. Revolutionis cum genitura ſimilitudo ſignificationis, promovet genituræ ſignificata. Diſſimilitudo autem ſupprimit, aut retardat, aut minimè complet, aut depravat. Et idcirco quidquid à revolutione perficitur, in geneſi quidem præſignificatur. At quidquid in geneſi præſignificatur ali-

quo anno, non perficitur à revolutione ipſius anni, defectu prædictæ ſimilitudinis, quæ actuat genituræ ejuſque directionum potentiam in ſignificatis. Quamobrem rectè monet Cardanus, nunquam eſſe pronunciandum de directionibus radicalibus niſi inſpecta revolutione anni quem indicat directio, imò etiam quandoque immediatè præcedentis, aut ſequentis: alioquin optimus quoque falletur Aſtrologus.

3. Quo figura revolutionis, ſive Solis, ſive Lunæ fuerit radicali ſimilior in ſignorum & Planetarum poſitu: eo efficacius promovebit genituræ ſignificata, ſive bona, ſive mala, ac ea præſertim quæ ſimili directione ſignificabuntur. Non enim ut Origanus & plerique alii cenſent, fauſta ſemper eſt, ingenſque bonum pollicetur iſta ſimilitudo, ſed tantum idem quod genituræ figura ſignificat, ſive bonum, ſive malum. Alioquin Planetæ non agerent prout determinantur: & maleficus nativitatis influxus, à ſimili malefico corrigeretur, aut planè mutaretur, quod experientiæ & naturæ repugnat. Hæc autem major ſimilitudo (ſaltem in ſignorum poſitu) acquiri, aut vitari poteſt peregrinatione nati ad loca Terræ congrua, pro tempore revolutionis, ac præſertim ☉, ut jam dictum eſt cap. 4. Et hoc eſt arcanum ſcientiæ haud contemnendum. Præ cæteris autem obſerventur illæ revolutiones in quibus idem Eclipticæ gradus reperitur in Horoſcopo, qui fuit in Horoſcopo radicis: tunc enim quilibet Planeta iiſdem figuræ domibus præeſt in revolutione, quibus præerat in radice: quod ſine aliquo inſigni effectu à geneſi ſignificato non ſolet accidere, cum etiam vis ſignificati ſignorum eo anno duplicetur, ſaltem in loco nativitatis, & circa.

4. Fortiter ſignificatum à geneſi, vel directione radicali, reduci poteſt in actum, ſeu perfici à debili Solis revolutione ſignificationis ejuſdem: ideoque multo magis à valida. Non autem perficietur à debili revolutione Lunæ. Et viceverſa debiliter ſignificatum à geneſi ejuſve directione prodire poteſt in actum à forti revolutione Solis ſignificationis ejuſdem, vix autem à forti revolutione Lunæ. At debiliter ſignificatum in geneſi, vix prodibit in actum à debili Solis revolutione ſignificationis ejuſdem: nequaquam vero fiet à debili revolutione Lunæ: quia fortis renitentia fati ſecundi, hoc eſt, cauſarum ſublunarium ad effectum paſſivè, vel activè concurrentium fortis diſpoſitio contraria ſi adfuerit, debilem eludit cœleſtem influxum. In omnibus ergo ſignificatis anno aliquo, diſpoſitio fati ſecundi ſtudioſe eſt attendenda. Et nati circa ipſa ſunt interrogandi, ut quo vergant eorum ſuſcepta, actiones & paſſiones detegatur: indeque prædictio ſagacius inſtituatur, poſt revolutionis virtutem ponderatam.

5. Oppoſitis ſignis in radice & revolutione aſcendentibus, malum eſt ac turbulentum, pejus autem gradibus oppoſitis, præſertim in revolutione ☉. Cum enim revolutio, aut promoveat, aut cohibeat effectus nativitatis, tantúmque promoveri queat à figurarum ſimilitudine: patet quod hæc contrarietas ſitus tam Solis, quam Cœli totius, cohibebit radicalem influxum ne in actum erumpat, præſertim vero bonum: tantúmque irritos conatus afferet circa bona illo anno à directionibus ſignificata, cum multis contrarietatibus, damnis, anxietatibus, morbis, vitæque periculis. Et ratio eſt, quia tunc ſigna determinantur ad ſignificationes radicali contrarias. Sicut enim pravæ mutationes & detrimenta accidunt in Magno Mundo, ſive natura univerſa, dum Leo ſignum naturæ Solaris determinatur ad contrariam Saturninam per Saturni motum in ♌: & ipſius quoque ♄ virtus ibi depravatur: ita etiam dum revolutionibus, imo & tranſitibus Planetæ & ſigna determinantur ad ſignificata radicalibus contraria, aut ipſi Planetæ contrario modo ſunt affecti: pravæ mutationes & infortunia ſunt in Microcoſmo, ſive nato exſpectanda. Si tamen ♃, aut ♀ fuerint in prima revolutionis, ſine dominio in octava, aut duodecima radicis, aut revolutionis: mala in primæ domus ſignificatis eſſentialibus, ab illa contrarietate indicata, tollentur aut mitigabuntur: imo in conjugio, litibus, & contractibus continget fœlicitas aliqua & lætitia, ſi præſertim ſeptima radicis fuerit benè affecta, & directiones congruant; quod nempe domus quælibet radicis ſuæ oppoſitæ ſignificet. At ſi quid mali ex genitura & directionibus eo anno ſignificetur, præſertim in morbis, litibus, hoſtibus apertis, fueritque ſeptima radicis pravè affecta, & pravi Planetæ in prima revolutionis: mala ipſa eo anno accident. Idemque à ſimili cenſendum de ſignis oppoſitis in radice & revolutione culminantibus, tum de aliis etiam cuſpidibus.

6. Si revolutionis Horoſcopus fuerit △ Horoſcopi radicalis, bonum eſt pro ſignificatis primæ domus: ſi fuerit □, malum. Non tamen ex his ſolis, de bono, vel malo ſignificatorum primæ domus ſimpliciter pronunciandum eſt: ſed utriuſque Horoſcopi Planetarum etiam ſtatus in revolutione ſpectandus eſt, præſertim vero dominorum H[i]. radicis & revolutionis, cum directione Horoſcopi radicalis ejuſque domini. Idemque à ſimili cenſendum, de Medio Cœli radicis & revolutionis.

7. Signum aſcendens in revolutione, in quo extiterat aliquis Planeta in radice, ac præſertim ipſius Planetæ locus horoſcopans in revolutione: afficit natum in ſignificatis primæ juxta naturam, ſtatum determinationemq; ipſius Planetæ in radice ac revolutione. Eademque eſt ratio de Medio Cœli revolutionis, & aliis cuſpidibus. Atque ſi in revolutione ☉ Horoſcopus fuerit locus radicalis ♄, aut ♂ in octava, vel domini octavæ; erit à morte cavendum eo menſe quo in revolutione ☽, idem fuerit Horoſcopus, vel ea quarta qua idem etiam fuerit, cæteris conſpirantibus.

8. Cujuſlibet ſigni effectus à genitura ſignificatus, accidit circa ſignificata domus figuræ, quam tale ſignum occupat in revolutione: ſi præſertim directiones radicales congruæ ſint. Sicque ſignum primæ radicis in duodecima, vel octava revolutionis, morbos, carceres, hoſtes, mortem, aut vitæ pericula minantur, ſi radix ejuſq; directiones conſenſerint: in undecima amicos præſagit: in decima circa ſuſcepta, actiones, dignitates, &c. ſignum ſecundæ radicis in ſeptima revolutionis, divitias ex matrimonio, litibus, contractibus, aut expenſas & damna in iiſdem juxta ſtatum ſeptimæ ac domini ejus, tam in radice, quam in revolutione. Non enim ſignificatio ſtatus boni, vel mali ſeptimæ revolutionis, evertit ſignificationem ſtatus ſeptimæ radicis, aut agit contra ipſam ex cap. 7. Eademque eſt ratio in cæteris.

9. Pla-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

9. Planeta quilibet in revolutione licet agat juxta naturam domus quam occupavit in radice, tamen evidentius agit penes naturam domus, quam occupat in revolutione, ſive ☉, ſive ☽. Id probatur ex Sole ipſo, qui in omnibus ſuis revolutionibus eſt in eadem domo radicis, cum tamen ſingulis annis ſuos variet effectus: quippe quod ſignificatum radicale ☉ à figuræ domo, ſpecificetur ac determinetur ad ſignificatum domus quam ipſe Sol occupat in revolutione: ſimiliterque probabitur ex ☽ in ejus revolutionibus. Ergo ſi ♂ ex ſecunda radicis venerit ad quintam revolutionis, ſignificabit eo anno prodigalitatem, vel impenſas in voluptatibus. E contra vero ſi ♃ ex quinta radicis venerit ad ſecundam revolutionis: ex liberis, vel ameſiis, vel ludis & voluptatibus divitiarum incrementa præſagiet: etſi vero idem dici queat, de domino ſecundæ radicis in quinta revolutionis, aut contra: quia tamen plus valet præſentia Planetæ, quam ejus abſentis dominium: Ergo ſi in geneſi dominus ſecundæ fuerit in quinta, in revolutione vero fuerit in duodecima: dicendum erit quod ex voluptatibus ægrotabit, vel quod propter ipſas, aut expenſas in ipſis incarcerabitur, ſicque trium domorum 2.5. & 12. ſignificata combinantur. Non enim ſemper neceſſe eſt combinari omnium domorum ſignificata. Eademque eſt ratio in cæteris. Attamen notandum quod revolntionibus combinandæ ſunt determinationes Planetarum ratione ſitus corporei ac dominii in ipſa revolutionis figura, juxta doctrinam Sectionis 2. Lib. 21. ſed ſemper cum aſpectu ad eorundem Planetarũ determinationes in radicali figura etiam combinatas. Et hoc eſt cõbinationes radicales cum revolutivis cõbinare, quod qui ſagacius fecerit, certius judicabit.

10. De quovis Planeta in revolutionis figura, prius advertatur ad quam radicis domum ipſe devenerit, tum deinde ad quam revolutionis. Nam radicalis figura tempore, virtute, & univerſalitate prior eſt revolutiva: & hæc ut inferior ac particularis, illam ut ſuperiorem & univerſalem determinat. Ideoque prius aſpiciendum quomodo ſeſe habeant Planetæ ad figuram radicis, quam ad figuram revolutionis. Hoc autem inde probatur, quia ſi ♄ in radice fuerit anæreta, & in revolutione venerit ad Horoſcopum radicis; vitæ periculum nato imminet, in quacunque domo revolutionis fuerit ipſe Horoſcopus. Hæc vero domus periculi ſpeciem judicare poteſt: ut ſi Horoſcopus ipſe venerit ad quintam revolutionis, quia ibi novam ſuſcipit determinationem ad voluptates, periculum erit à voluptatibus, vel earum cauſa. Si autem Horoſcopus radicalis & ♄ in ipſo, venerit ad octavam revolutionis; mors ſignificatur ſubitanea, aut violenta, vel ingens vitæ periculum improviſum, ob duplicatam ♄ vim anæreticam, & vim aphæticam Horoſcopi ſubjugatam dupliciter. Ac per conſequens de quovis Planeta in revolutione, hæc ordine advertantur. Primum, quæ ſit ejus natura. Secundum, quis ſtatus cœleſtis in radice. Tertium, ad quid determinatus in radice, corpore ac dominio. Quartum, ad quam domum figuræ radicalis devenerit in revolutione. Quintum, quis ſit ſtatus ejus cœleſtis in revolutione. Sextum, ad quid determinatus ſit in revolutione, corpore ac dominio. Septimum, quomodo radicalis & revolutiva determinatio combinari queant, penes ſuam conformitatem, contrarietatem, aut diſſimilitudines. In his enim conſiſtit arcanum revolutionum præ cæteris maximum.

11. Planeta quilibet ſua quovis anno adimplet ſignificata radicalia, præcipuè juxta domum illam, quam occupat in revolutione. Ideoque de ejus effectibus judicandum eſt, ex utraque illius determinatione, radicali, ſcilicet, ac revolutiva: tum ex ejus ſtatu cœleſti ac terreſtri in utraque figura. Et videndum ex quo & in quod mutatus ſit à radice in revolutione, ratione ſigni, domus, dominii & connexionis. Notando, quod ejus ſignificatum radicale ſpecificatur ac determinatur à ſignificato revolutionis. Atque idcirco dominus primæ radicis, vel Planeta qui fuit in prima radicis, ſi venerit ad qnintam revolutionis, ac præſertim ♀, inclinabit ad voluptates, ſi venerit ad decimam, ac præſertim ♃, cauſabit honorum ambitionem: eademque eſt ratio de aliis.

12. Planeta ex una domo radicis migrans in aliam revolutionis, in hujus ſignificata non influit ſimpliciter & abſolute, ut in radice; ſed mixtim & dependenter à ſuis ſignificatis in ipſa domo radicali. Et utrumque ſemper ſpectandum eſt, quatenus primò & per ſe pertinet, ſive refertur ad natum; non autem ad alias perſonas. Ideoque Schonerus & alii falluntur, aſſerentes quod Planeta ex undecima radicis, migrans ad octavam revolutionis ſignificat mortem amicorum nati. Nam octava domus in figura particulari nati, ſive radicis, ſive revolutionis, non eſt domus mortis amicorum nati, vel pro omnibus generaliter; ſed eſt tantum domus mortis ipſius nati, ut expoſuimus alibi. Proindeque talis Planeta determinatur circa mortem nati, huicque potius ſignificabit mortem, aut vitæ periculum ab amico. In conſtitutionibus vero univerſalibus domus octava eſt domus mortis generaliter. Melius autem dicetur, quod ſi Planeta in undecima radicis venerit in revolutione ad ſextam radicis, quæ eſt octava ab undecima radicis, aliquis amicus nati morietur: ſi præſertim ipſe Planeta fuerit in revolutione male affectus. Ad hæc Planeta ex undecima radicis migrans in octava revolutionis, non idem ſignificat quod Planeta ex octava radicis migrans in undecimam revolutionis. Nam prior modus ſignificat amicum per ſe concurrere ad mortem nati, præſertim ſi fuerit Planeta maleficus; poſterior vero accidere amico, ut per accidens ac præter intentum ſit cauſa mortis nati. Poteſt tamen etiam ſignificare evaſionem à morte per amicorum favorem, vel auxilium: ſimiliter Planeta ex undecima radicis veniens ad ſeptimam revolutionis ex amico facit inimicum apertum, aut amicorum cauſa lites excitat; vel eorum opera dat conjugem, aut lites componit. At Planeta ex ſeptima radicis veniens ad undecimam revolutionis: ex hoſte aperto facit amicum, vel lites amicorum ope componet. Semper autem eſt attendenda Planetæ natura; & in his exemplis quomodo ille ſe habeat cum utroque Horoſcopo, præſertim vero radicis. Quod autem hic dicitur de Planeta in ſeptima, poteſt etiam dici de dominio ſeptimæ.

13. Planeta in revolutione revertitur, vel tantum ad ſignum, vel tantum ad figuræ domum quæ occupavit in radice, vel ad utrumque ſimul, vel ad neutrum. Si tantum ad ſignum, producet effectum à radice ſignificatum, juxta domum quam occupat in revolutione. Si tantum ad ſimilem domum, producet effectuum ſuum radicalem à domo, pro ratione ſigni ac domini ejus in revolutione, nec non domus radicalis quam ſignum

ipſum occupavit, hique ambo caſus ſunt fortes, ob duplicatam vim Planetæ, vel à ſigno, vel à domo: At ſi venerit ad ſignum ſimulque domum, hic caſus eſt omnium fortiſſimus, & plerumque producet effectus unde non ſperabantur; quod influxum majori dignum admiratione reddit. Si vero Planeta ad neutrum redierit, videndum an redeat ad ſuum oppoſitum ſigno & domo, quod eſt peſſimum, minus vero ſi tantum redierit ad alterius oppoſitum. Si autem venerit ad ſuum △, fœlicia ſua promovebit ſignificata radicalia: ad □ vero, contra. Eſt tamen habenda ratio naturæ ac ſtatus cœleſtis & terreſtris Planetæ, in utraque figura. At ſi Planeta nequidem ad ullum ex ſuis aſpectibus radicalibus devenerit, ipſe circa radicalia ſua ſignificata omnino debilis erit, quamvis circa alia quidpiam poſſit.

14. Planeta in revolutione veniens in locum radicalem alterius, combinat ſignificata radicalia utriuſque Planetæ, eaque ſpecificantur, vel determinantur à ſignificato domus revolutionis, in qua eſt ipſe locus. Eſt tamen notandum quis ipſorum Planetarum ſit eo in loco potentior, tum an ſint amici, vel inimici, naturâ & determinatione radicali, hoc eſt ſimilia, vel contraria in radice præſagierint. At Planeta in revolutione veniens ad aſpectum radicalem alterius, ſive bonum, ſive malum; afficitur, ſeu fortunatur, vel infortunatur in his quæ in revolutione ſignificat, ratione utriuſque determinationis ſuæ, quippe radicalis & revolutivæ, ab ipſo aſpectu juxta ſpeciem ejus & naturam Planetæ aſpicientis, hujuſque determinationem radicalem. Ideoque ſi dominus Horoſcopi radicalis, venerit in revolutione ad duodecimam domum, in □ ♄ domini octavæ radicis; morbus lethalis, aut cum periculo vitæ hinc portendetur. Et ſi ♀ ex ſeptima radicis venerit ad quintam revolutionis, in △ ♃ domini Horoſcopi radicis; nato uxorato liberi ex conjuge ſignificabuntur: ſic de aliis.

15. Planeta exiſtens in radice in malo aſpectu alterius, ſi in revolutione venerit ad ejuſdem malum aſpectum radicalem, nec fuerit inter eos receptio domus, vel exaltationis, hoc erit valde malum, minus vero ſi acceſſerit receptio: ſi autem venerit ad ejuſdem bonum aſpectum radicalem ſine receptione, nihil inde boni ſignificatur; cum receptione, parum, cui vix fidendum. At ſi Planeta exiſtens in radice in aſpectu benefico alterius, venerit in revolutione ad ejuſdem maleficum aſpectum radicalem cum mutua receptione, ingens bonum per medias contrarietates ſignificatur; ſi determinatio ſit ad bonum; ſi nulla ſit receptio, malum accidet, quæcunque ſit determinatio Planetarum.

16. Planetæ in radice conjuncti, ſi revolutionis figura denuo conjungantur, aut ſimiliter configurentur, promovebunt effectus radicales, ſive bonos, ſive malos à ſua radicali connexione ſignificatos; juxta ſignificata domorum revolutionis, quas occupabunt. Si diſſimiliter configurentur; hoc eſt, in geneſi △, & in revolutione □, vel ☍ ſe aſpiciant, aut contra; & nulla ſit inter eos receptio domus, vel exaltationis, mutatio ad △ nihil proderit, ad □ vero nocebit. At ſi fuerit inter eos receptio, præſertim mutua; mutatio ad △ erit potens ad bonum; ad □ vero vix nocebit.

17. Planetæ ſtatus cœleſtis ſi fuerit idem in genitura & revolutione, ut ſi in utraque figura fuerit in ſua domo, exaltatione, directus, velox, Orientalis ☉, Occidentalis ☽, liber à radiis, in fœlicibus aliorum aſpectibus, diurnus interdiu ſuper Terram, &c. erit admodum efficax ad ſua ſignificata radicalia eo anno conferenda; ſi præſertim ejus directio & determinatio in revolutione conſenſerint. Contrarius autem ſtatus ex toto, admodum malus eſt, ac turbulentus pro iiſdem ſignificatis: præſertim ſi à ſtatu benefico radicis, facta ſit mutatio ad ſtatum maleficum revolutionis. Partim vero ſimilis & partim contrarius, ſecundum partem vincentem pronunciandum inſinuat.

18. Planeta in radice & revolutione ad idem ſignificatum determinatus, hoc indubiè ipſo anno producet, ſi ejus directio conſenſerint, vel alia ſimilis, vel congruæ ſignificationis. Abſque directione, aut nihil, aut parum efficit.

19. Si duo Planetæ ad diem, vel ſimile determinati fuerint in radice; in revolutione autem coiverint, vel fuerint in aſpectu congruo, & congruis figuræ locis, etiam pro certo ſuum anno ipſo producunt effectum, ut ſupra.

20. De quolibet Planeta etiam videndum in revolutione atque radice, an eidem domino ſubjiciatur, an vero diverſis. Nam ſi hoc acciderit, obſcurior erit magiſque confuſa prædictio de ejus effectibus: eritque attendendum an ipſi domini diverſi, ſint inter ſe amici, vel inimici, natura, connexione ac determinatione in revolutione: ac ſecundum hæc judicandum.

21. In revolutionibus ☉, Sol ipſe præcipue ſpectandus eſt, & quæ à radice ſignificavit: nam propter maximam ſuam præ cæteris virtutem, ſemper aliquid ſingulis annis efficiet juxta ſuam determinationem radicalem, etiam ſine novis ejus directionibus. Patet in me qui habeo ☉ in duodecima cum ♃ ☽ & ♄, & ſemper habui in cunctis meis ſuſceptis magnas oppoſitiones, vel à Magnatibus, vel à dominis quibus ſervivi, vel à rebus publicis, ut bellis, peſte, novis legibus, aulæ ſtatu & ſimilibus. Idemque dicito de Luna in revolutionibus Lunæ. Cum autem ♄ pertranſibit motu proprio ſignum Lunæ vel oppoſitum, timendum erit à revolutionibus ☽, ob ♄ conjunctionem, vel ☍ præſertim partilem, etiam ipſo die revolutionis; ſique ♄ fuerit morborum, vel mortis ſignificator, Luna autem vitæ, timendum erit valde ipſo menſe à moribus, aut morte, congrua præſertim concurrente radicali directione: eademque eſt ratio in cæteris. Præterea ex ☉ & ☽ revolutionibus, eæ præ cæteris ſunt diligentius attendendæ, quæ concurrunt cum directionibus radicalibus ipſorum luminarium: ſi enim ſignificato convenerint, ſuos indubie producent effectus.

22. Qui plures habuerit Planetas in eadem genituræ domo, per totam vitam multa patietur in ſignificatis illius domus. Quia ſingulis annis Planetæ illi in revolutione agunt juxta ſuam determinationem radicalem: ideoq; ſive ab uno, ſive ab altero, ſemper aliquid accidet ex illius domus ſignificatis. Patet in me qui habeo ♀ ☉ ♃ ♄ & ☽ in 12ª, nulloque anno mihi deſunt aliqua ex illius domus ſignificatis, aut ſufferenda, aut ſuperanda.

23. In

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

23. In revolutione ☉, vide quomodo ſeſe habeant ſignificator & promiſſor novæ directionis, præſertim fortis, quæ in ipſum annum incidit, aut circa, nec ſuum adhuc produxit effectum. Nam ſi fuerit ſignificator in loco promiſſoris, aut venerit ad ejus bonum, aut malum aſpectum, juxta bonitatem, vel malitiam ipſius directionis, & fuerit ibi promiſſor corpore, vel aſpectu congruo, complebitur ipſo anno directionis effectus. At promiſſore abſente corpore, vel radio, minùs erit efficax directio. Erit autem etiam valde efficax, ſi Planeta promiſſor in revolutione fuerit in ſuo loco radicali, ſignificator autem in ejus radio directioni congruo: tum ſi uterq; redierit ad ſuum locum radicalem ſine aſpectu, ſed videndum eſt primò an in revolutione determinationem ſortiantur ſimilem radicali, vel ſuæ directioni.

24. De domino anni, ſive revolutionis ☉ generaliter judicandum eſt, ex ejus natura, tum ſtatu, tam cœleſti, quam terreſtri in utraque figura. At ſpecialiter, Dominus anni in utroque Themate beneficus & fortis, fœlicia promovet ſignificata illius anni in univerſum, ſed ea præcipue, quæ ratione utriuſque figuræ & ſuæ directionis ſignificat. Ad hæc revolutionis mala mitigat, præſertim ſi malorum ſignificatores in revolutione, amico radio intueatur, vel iiſdem dominetur. At dominus anni in utroque Themate maleficus naturâ, vel determinatione ac infortunatus, illius anni cuncta promovet infortunia, ſed illa præſertim quæ ratione ſuæ determinationis in utraque figura ſignificaverit: & cuncta revolutionis bona impedit, ſi præſertim bonorum ſignificatores hoſtili radio intueatur. Idem cenſeto de Domino menſis, ſive revolutionis ☽.

25. Dominus revolutionis, ſive ☉, ſive ☽, ſi fuerit combuſtus, mala minatur in his quæ ex utroque Themate ſignificat. & res occultas, aut agendas, aut ſufferendas, præſertim à Magnatibus.

26. Si dominus revolutionis, ſive ☉, ſive ☽ fuerit etiam dominus geniture, is erit fortiſſimus, ſive ad bonum, ſive ad malum, idem dicito de domino revolutionis ☽, ſi fuerit etiam dominus revolutionis ☉.

27. Si dominus revolutionis venerit ad locum, vel aſpectum radicalem alterius Planetæ: judicandum erit, ut lege decima quarta, ſed efficacior erit influxus domini revolutionis.

28. In qualibet revolutione magna eſt habenda ratio ſeorſim tam domini Horoſcopi, quam domini Medii Cœli, tum ☉ atque ☽, quippe advertendo quæ ſit ſingulorum dominorum natura & determinatio in utraque figura, ad quæ loca radicalia redierint, & quis ſit eorum ſtatus revolutione, ac præſertim cui Planetæ applicent, & quomodo, & ad quid hic determinetur.

29. Si quæ domus figuræ radicalis, boni ſignificatrix benè afficitur, etiam in revolutione bene afficiatur, non tamen à Planetis in radice ad contrariam ſignificationem determinatis; recte eo anno ſe habebunt illius domus ſignificata: ſi autem male afficiatur in revolutione, præſertim à Planetis in radice ad contrariam ſignificationem determinatis, iiſque maleficis: male ſe habebunt illius domus ſignificata. Econtra vero ſi domus figuræ radicalis, mali ſignificatrix, etiam male afficiatur in revolutione: accident mala illius domus ſignificata: ſi bene afficiatur, mala non accident, aut mitigabuntur.

30. Duarum revolutionum Solis, ſeſe immediate ſequentium notandus eſt conſenſus, vel diſſenſus, non ſolum univerſalis, ſed etiam particularis, tam inter ſe, quam cum directionibus radicalibus. Nam univerſaliter, prava ſuccedens univerſaliter pravæ; certò minatur infortunia univerſaliter. Particulariter vero, morboſa ſuccedens morboſæ, morbos certo portendit: ſi præſertim directiones conſenſerint. Quod enim una non potuit, vel tantum inchoavit, altera perficiet. Eademque eſt ratio de particularibus aliis ſignificatis.

31. De nulla revolutione judicandum, niſi inſpecta radicali figura, ejuſque directionibus ad annum revolutionis ipſius. In omni tamen revolutione, diligenter attende ad id quod ipſa præcipuè ſignificat: hoc enim præcipuè promovebit, ſi fortiter ſignificetur. Et maxima pars contentorum in ſuprapoſitis legibus, patent in revolutionum exemplis antea expoſitis.

CAPUT XIX.

Compendioſe complectens generalia in revolutione ſpectanda, cum judicii directorio.

QUæ capitibus ſuperioribus prolixè dicta ſunt, hic paucis contraximus.

Igitur attende primò. An in figura revolutionis, ſive Solis, ſive ☽, Cœlum ſit diſpoſitum, ut in radice: An vero Horoſcopi ſint oppoſiti, vel in △, aut □: & in quas domos revolutionis tranſlata ſint ſigna à domibus radicis.

Secundò. An figuræ revolutivæ cuſpides, ſint loca, vel aſpectus radicales Planetarum, tum quorum, natura, determinatione & ſtatu: nec non quibus natura, & qualibus ſtatu ac determinatione dominis ſubjiciantur in ipſa revolutione.

Tertiò. De quovis Planeta adverte in revolutione, in qua domo radicis extiterit, & quibus præfuerit præſertim dominio. Tum quid inde & ratione ſui ſtatus cœleſtis in ipſa radice præſagierit.

Quartò. An redierit ad ſuum locum radicalem, vel an ad ejus aliquem aſpectum. An vero ad locum, vel aſpectum radicalem alterius Planetæ, & quomodo hi ſeſe habeant inter ſe, naturâ, connexione & determinatione in utraque figura.

Quintò. Qua in domo radicis exidat, & ad quam revolutionis venerit; & quibus præſit: & qua in domo revolutionis ſit ejus locus radicalis, & quomodo hic afficiatur in revolutione.

Sextò. Cui domino ſubjiciatur, & quomodo ſeſe ad illum habeat, tam in radice, quam revolutione.

Septimò. An ſtatus ejus cœleſtis in revolutione, ſit idem cum radicali, vel huic contrarius, & quantum, vel in quibus diverſus.

Octavò. An in revolutione eandem cum radicali, vel huic ſimilem ſortiatur determinationem. Atque hæc præcipue advertantur in ſignificatoribus & promiſſoribus directionum anno currente completarum.

Nonò.

Nonò. An domus eadem, ut decima, vel octava in utraque figura eoſdem effectus præſagiat, vel ſaltem affines, aut contrarios.

Decimò. An directiones faveant, vel contrarientur ſignificatis revolutionis, tam in genere, quam in ſpecie, vel quibus ſpecie.

Undecimò. Collige ſignificationes cujuſque Planetæ ab ejus natura, ſtatu cœleſti, atque determinatione in figura radicis: & eam collectionem ſemel accuratè factam ſerva, ad ſingularum revolutionum judicia. Idemque fac in annuæ revolutionis figura. Tum vide in quo radicalia & revolutiva ſignificata conveniant, ac diſconveniant inter ſe, & cum ſignificatis à directione ipſius Planetæ, ſi quæpiam nova tunc compleatur: & juxta ipſarum ſignificatorum combinationem judica de ipſius Planetæ effectibus in illa revolutione, & hoc habe pro arcano.

Duodecimò. Conſpirantibus ad eundem genere, vel ſpecie effectum figuris radicis & revolutionis annuæ, cum directione radicali, elige conſentientem & congruentiorem in revolutione directionem; & ad ejus tempus inſpice revolutionem Lunæ, quæ ſi etiam conſenſerit, effectus illo menſe continget: ac eo die, quo ipſa Lunæ revolutio congruam ſuppeditabit directionem, præſertim cum tranſitu congruo. Forſan vero tutius erit, ſingulas anni revolutiones Lunæ conſtruere, ut congruentior eligatur, præſertim ſi magni momenti effectus exſpectetur.

Ex his vero patet, judicium in Aſtrologia perdifficile eſſe: præſertim cum effectuum ſpecies & accurata tempora ſunt definienda. Atque ad hoc requiri non ſolum inſignem ingenii perſpicuitatem atque ſagacitatem, ſed etiam fœlicitatem, quam vel ſolus Deus, vel bonus genius, vel aſtra genitalia, naturæ quodam impetu, largiuntur. Sed patet etiam prius eſſe judicandum de revolutione ☉, quam erigantur revolutiones Lunæ, cum hæ tantum quærantur conformes in ſignificato revolutioni Solis, quatenus hæc conformis eſt ſignificato radicis ejuſque directionis. Si enim revolutio Solis non congruat ſignificato radicis ejuſque directionis, vix quidquam proderunt revolutiones Lunæ, niſi effectus fortiter ſignificetur à radice ejuſque directione & ſimili quoque revolutione Lunæ, hoc eſt, quæ idem fortiter etiam ſignificet.

Caput XX.

De cautela non exigui momenti in Revolutionum judicio ſervanda.

NE Aſtrologi animus terreatur multitudine directionum inſtituendarum tam in revolutione Solis pro Horoſcopo, Medii Cœli, & Planetis omnibus ad loca figuræ radicis & revolutionis ipſius ☉, quam in revolutionibus Lunæ ad loca radicis, & revolutionum, tum Solis, tum ipſius ☽, ſciendum eſt illarum partem maximam nullum ſaltem inſignem effectum in anno parere, ſed tantum aliquas. Non enim tot in anno contingere queunt inſignes effectus quot occurrent directiones à revolutionibus Solis & ☽ (ut cæterorum Planetarum Solis tantum Satellitum, revolutionis ad ſua loca radicalia omittam, quas inutiles, aut ſupervacaneas eſſe non puto, ſed ſaltem minoris efficaciæ, minúſque univerſales ſignificatione, quam revolutiones Solis & Lunæ) quæ vero magnos, vel inſignes effectus producere nequeunt, forſan quotidianis minoribus ad quos non advertimus, vel quos parvi pendimus producendis deſerviunt: idque multo certius, quam fictitiæ horæ Planetariæ, ex quibus nonnulli falſo putant prædici poſſe quotidiana accidentia, etiam ad horas ſingulas. Ita ut ſi omnes ſupradictæ directiones inſtituantur, & dies in quos incidunt inquirantur, ſciri queant omnia & inſignia, & exigua accidentia, quæ per totum annum ab aſtrorum influentiis eventura ſint, niſi fatum ſecundum, aut humana voluntas ſeſe oppoſuerint. Cum enim certa experientia conſtet, inſignes effectus produci à majoribus & potentioribus cauſis, cur produci non poterunt exigui à minoribus & debilioribus juxta ſuam in figuris determinationem? Nulla certe ratio valida poteſt in contrarium afferri. Atque idcirco ſi quis ab initio anni omnes illas directiones ſupputaverit, & dies anni in quos ſingulæ incidunt ordinatim & ſecundum ſuam ſucceſſionem diſpoſuerit, habebit fere ſingulis diebus, aut ſaltem ſæpiſſimè, unde aſtrorum ſtupendas vires amirari queat. Sed hæc minutiora homines quidem, non autem Dæmones latent.

Et quia de minimis non curat Prætor, ut vulgò dici ſolet; nec homines propter illa conſulunt Aſtrologos, ſed tantum pro majoris momenti accidentibus, ſive inopinatis, ſive conſulto ſuſceptis, circa vitam, dignitates, conjugium, itinera, &c. Idcirco videat Aſtrologus quolibet anno, quinam inſigniores effectus in ſpecie, vel genere ſignificentur à directionibus radicalibus ipſo anno: & utrum revolutio Solis illam ſignificationem confirmet: Hoc enim poſito, effectus advenient eodem anno. Ideoque in revolutione ☉ videatur quænam directiones talibus ſpecie, vel genere accidentibus congruentiores ſint: ab his enim tales effectus producentur. Ut ſi morbus ſignificetur à directione Horoſcopi radicalis ad □ ♂, fiant directiones Horoſcopi revolutionis ad corpus, vel pravos aſpectus ♂ tam in radice, quam in revolutione, vel etiam ♄, aut ☉ & ☽, ſi præſertim fuerint in pravis domibus radicis, aut revolutionis, vel eis dominentur: nam Horoſcopus revolutionis determinatur ipſo anno circa vitam uati, ut Horoſcopus figuræ radicalis pro toto vitæ tempore: & inter ipſas directiones eligatur fortior, ut congruentior, & termino directionis radicalis propinquior: ab hac enim præcipuè producetur effectus. Itaque invento die anni in quem illa incidit, videatur an dies cadat in revolutionem ☽ congruam. Hoc enim poſito producetur effectus ipſe menſe per congruam directionem revolutionis ☽, ac præſertim hujus Horoſcopi, congruo præſertim accedente tranſitu. Idemque erit faciendum pro reliquis majoris momenti effectibus à radice ejuſque directionibus ſignificatis, ſicque vitabitur labor immenſus omnium directionum, ad quem devenire nos cogit particularium effectuum cognitio.

Vice-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Viceverſa ſi die quopiam aliquid inſoliti, vel novi contigerit, prius notata ejus ſpecie per quam refertur ad aliquam ex 12 domibus figuræ, & factis directionibus in revolutione Solis & ☽ congruis ad illud tempus, detegetur à qua cauſa prodierit, quam interdum tranſitus non ſuppeditant.

Quod ſi quis ad quemcunque diem ſcire velit, qualiter Cœlum ei influat pro valetudine, ſeu vita: hoc ita inveniet. Primò dirigat Horoſcopum radicalem ejuſque dominum pro die ipſo, hoc eſt, videat quo pertingat illorum directio ad diem ipſum. Secundò dirigat ſimiliter Horoſcopum revolutionis annuæ ejuſque dominum pro die ipſo. Tertiò dirigat ſimiliter Horoſcopum revolutionis ☽ in quam dies ipſe cadit, ejuſque dominum: & loca ad quæ pertingunt directiones revolutivæ ſpectentur non ſolum in figuris revolutionum ſed præſertim in figura radicis. Quartò, videantur ex Ephemeridibus, quinam tranſitus Planetarum fiant ſuper figuras revolutionum, ſed præſertim radicis. Et ſecundum hæc judicabit longe certius quam hactenus factitatum fuerit. Notando tamen quod Planetæ in prima, octava & duodecima, & harum domorum domini ſignificant etiam per accidens, circa valetudinem atque vitam: quorum idcirco directiones, ut ſupradictæ inſpiciendæ erunt, ſi nihil deeſſe velis ad certius judicium. Idemque faciendum erit pro actionibus & dignitatibus per directiones Medii Cœli, ejuſque domini in figuris radicis & revolutionum, &c. ad diem quo quidpiam egregii, vel ardui ſuſcipere natus voluerit.

Duo tamen hic notanda ſunt. Primum, quod aliquando contingit effectus etiam inſignis, ſine ulla directione radicali, per revolutionem Solis ad ipſum effectum congruam & validam, ejuſque directionem congruam ad loca radicis & revolutionis Solis: accedentibus Lunæ revolutione congrua, hujuſque directione cum tranſitibus, nec repugnante imo conſentiente figura radicali.

Secundum, non eſſe ad quemlibet effectum etiam inſignem neceſſarias omnes ſupradictas cauſas ſibi ſubordinatas, ſcilicet, radicem, ejus directionem congruam, revolutionem Solis ejuſque directiones congruas: Revolutionem ☽ ejuſque directiones congruas, nec non congruos tranſitus: ſed aliquas ex ſubordinatis ſufficere cum radicali figura, quæ effectum ſaltem in genere ſignificet. Siquidem nihil (ſaltem influentialiter) accidit, à radicali figura alienum, tranſitus autem, ut actuales effectuum cauſæ, ſunt ad ipſos producendos admodum efficaces. Sed de his hactenus dicta ſufficiant.

FINIS LIBRI VIGESIMI TERTII.

ASRTO-

ASTROLOGIÆ GALLICÆ

LIBER VIGESIMUS QUARTUS.

De Progreſſionibus & Tranſitibus.

PRÆFATIO.

Doctrinam de Progreſſionibus annuis, menſtruis & diurnis ſignificatorum Genituræ à Ptolemæo traditam in Quatripartiti capite ultimo; & à Cardano ejus commentatore cæteriſque omnibus Aſtrologis approbatam, longè ab Aſtrologia noſtra ablegavimus in Tabulis Rudolphinis à nobis abbreviatis, tractantes de Revolutionibus Solis & Lunæ, quarum directiones loco progreſſionum ipſarum aſſumendas eſſe diximus. Et quamvis hujuſce commutationis rationes omnes ibidem non expoſuerimus: tamen quæ pauca à Nobis dicta ſunt, adeo rationabilia grataque viſa ſunt Aſtrologis ſapientioribus, ut citra controverſiam ab illis recepta ſint. At hoc in Libro, & Libro 23. qui eſt de Revolutionibus ipſis earumque directionibus, tota res fit rationibus & experientiis adeo clara & manifeſta, ut de ipſa nullus ſupereſſe videatur ambigendi locus. Quod verò ad Planetarum tranſitus attinet ſuper Genituræ & Revolutionum loca, quos Veteres Aſtrologi minimæ virtutis inter ſuos temporum diviſores eſſe conſueverunt: iis profecto non minimam, ſed maximam vim ineſſe circa Sublunaria quæ particulariter afficiunt non ſolùm aſſerimus, ſed etiam probamus validis rationibus & experientiis. Quod ſanè fateri cogetur Lector omnis, Aſtrologiæ Studioſus, cui luminis cœleſtis natura quidpiam in ſua geneſi largita fuerit.

SECTIO I.

De Progreſsionibus.

CAPUT I.

Cur Veteres Aſtrologi Progreſsiones introduxerunt.

CUm Ptolemæus cæterique Veteres Aſtrologi, quinque duntaxat ſignificatores dirigerent pro vitæ nati cunctis accidentibus, nempe Horoſcopum, Medium Cœli, ☉, ☽, & ⊗, omiſſis ♄ ♃ ♂ ♀ ☿, neque illis ſufficerent: cenſuerunt multiplicandum eſſe numerum promiſſorum, quos temporis totius vitæ nati diviſores eſſe voluerunt. Ideoque corporibus 7 Planetarum & eorum aſpectibus, 60 alios promiſſores adjunxêre: nimirum 5 terminos cujuſque ſigni ipſis ♄ ♂ ♃ & ☿ adſcriptos, quorum vanitatem alibi deteximus. Atque ſic promiſſorum exceſſu, ſignificatorum defectum compenſantes, effecere, ut nullo anno quid inſigne accideret, quod ab aliqua directione radicali cauſatum dici non poſſet, ſeu verè, ſeu falsè.

Verum quia non ſufficit accidentis annum prævidere ac prædicere: ſed præcipuè expetitur cognitio diei ipſius accidentis, ne toto anno inquietudine cœca, natus circa illud fruſtra occupetur: deerantque Veteribus naturales viæ quibus ad illud arcanum pervenirent: Hi ad minutiorem temporis diviſionem progreſſiones introduxêre ſignificatorum, per gradus æquales: de quibus agit Ptolemæus cap. ult. Lib. 4. Quatrip. vim ad uſum earum exponens, ad dies effectuum detegendos. Hæc eſt igitur ratio introductionis progreſſionum, ſive proceſſuum. Cardanus autem in Commento, duas tantum rationes habet, quibus Ptolemæi doctrinam hac in parte commendet. Prima eſt, *quod exiſtimandum ſit illum opinionem hanc accepiſſe ab Ægyptiis, nec ei fuiſſe ignota egregia vaticinia Thraſybuli de Tyberio, Sullæ ejus filii de Nerone & Caligula: Aſcletarionis de Domitiano & ſeipſo: cum ipſe Ptolemæus fuerit Vir diligentiſſimus & locupletiſſimus: ſi autem nota fuerint, haud dubie illorum viam ſecutum fuiſſe eamque tradidiſſe.*

Ad hoc autem reſpondeo. Ptolemæum Lib. 1. cap. 9. rejicere doctrinam Ægyptiorum de terminis, & amplecti Chaldaicam, etſi utraque vana ſit, ut ſuo loco oſtendimus. Atque in fine capitis cum quoque rejicere plures alias ſignorum diviſiones à populis illis Orientalibus traditas, quod eſſent ſine ratione Phyſica ad oſtentationem (ait) excogitata: ideoque nobis quoque licere progreſſionum doctrinam rejicere, ſi rationi Phyſicæ non innitatur, cumque Ptolemæus nullam ejus rationem habeat, æquè poterat illam reſpuere atque eorundem Ægyptiorum doctrinam de terminis, aliaque ipſorum figmenta; quod verò ſpectat ad illa veterum vaticinia, tum recentiorum Franciſci Mariæ Ferarienſis, & Paridis Cereſarii Mantuani: probat Cardanus eos prædixiſſe dies eventuum per ſolas progreſſiones æquales, nullamque aliam fuiſſe prædicendi viam Aſtrologis ipſis cognitam, ſi quidem ſuas prædicendi methodos poſteris non tradiderunt, nec illam exemplis illuſtrarunt.

Secunda

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Secunda Cardani ratio eſt. *Quod omnia quæ hic ſiunt, à Cœlorum motibus & conſtitutione pendent: & quod omnia quæ in Cœlo inæqualia eſſe videntur, ad æqualitatem referuntur. Igitur cum revolutio Solis inæqualis ſit, non poterit eventus rerum in annis ad illam referri, ſed ad directiones & proceſſus per ſigna.*

Atqui reſpondeo. Cardanum maximè decipi, dum arbitratur rerum eventus non eſſe à motu inæquali Solis & Planetarum, qui apparet in Cœlo; & eſt verus atque realis: ſed eſſe ab eorum æquali motu, qui duntaxat futitius eſt, ac in intellectu; non autem in rerum natura: quandoquidem Planetarum motus æqualis hoc tantum fine excogitatus eſt, & in Tabulas redactus, ut eo mediante & proſtaphæreſibus, ſciatur verus ipſorum locus, à quo ſolo ſunt ſublunares effectus.

Caput II.

Quot fuerint inventi Progreſſionum modi.

PRogreſſiones in eum tantummodo finem confictæ ſunt, ut eorum ope dies accidentium in anno detegerentur. Dum autem humanus intellectus rationis lumine deſtitutus ad figmenta ſibi laxat habenas, mirum eſt quantum in hiſce luxuriet, ut patet in iſta progreſſionum doctrina: in qua ad ejuſdem accidentis diem inveniendum, excogitatæ ſunt triplicis generis progreſſiones: nimirum annuæ, menſtruæ ac diurnæ, aliæ aliis velociores, ne, ſcilicet, dies eventus unum genus eludens alterum ſubterfugeret: ſunt autem progreſſiones (ut volunt) quædam locorum genituræ inambulationes, quibus ſignificatores ſub Zodiaco deferri ſecundum ſignorum ſucceſſionem concipiuntur. Quippe Cœlum circa natale ſchema triplici modo ſpectandum eſt. Primò quidem, ut eſt in ipſo natali ſchemate diſpoſitum; ac ita immobile permanet. Secundò, ut eſt quidem eodem etiam modo diſpoſitum; ſed præterea per directiones & has progreſſiones movetur, ſupra natale ſchema immobile. Ac tertiò denique prout tam Cœlum, quam Planetæ, ordinario motu, quippe proprio & communi naturaliter delati, pertranſeunt Cœlum primo & ſecundo modo ſpectatum. Porrò directiones fiunt primo motu ſuper polos Æquatoris, qui motus realis eſt, atque verus, ut diximus Lib. 22. Progreſſiones autem fieri quidem concipiuntur ſuper Eclipticæ polos æquali motu, at nullo fiunt vero, ſeu reali motu, quippe quod nec ullum Cœlum, nec ullus Planeta tali motu feratur, ut patebit inferius.

Siquidem annua progreſſio eſt motus, quo ſignificator quilibet ſingulis annis æquali motu percurrit præcisè 30 gradus Zodiaci: ut ſi hora nativitatis Horoſcopus fuerit 7 gradus 15′. ♈: anno ſecundo incipiente Horoſcopus ipſe progreſſione hac erit in 7 gradu, 15′. ♉, atque ſic deinceps. Ideoque hac progreſſione ſignificator quilibet ſingulis diebus pervadit 4′. 56″. ſeu 296″. Eclipticæ: qua menſura ſciri poteſt per Tabulam ad hoc extructam, quo in loco Eclipticæ verſetur ſignificator diebus anni ſingulis per hanc progreſſionem.

Menſtrua autem progreſſio, ſive profectio, ſive proceſſus, eſt motus multo velocior. Siquidem Solarem annum tropicum dividi volunt in 13 partes æquales, quas menſes perfectionales appellant, quorum quilibet continet 28 dies, 2 horas 17′. & primo horum menſium dicunt, ſignificatorem percurrere primum ſignum perfectionis annuæ: ſecundo pervadere ſignum ſequens, & ſic deinceps: ideoque in anno Solari percurrere 13 ſigna; indeque fieri, ut ſignificatores annua & menſtrua progreſſione delati, ſingulos annos per idem Cœli punctum utraq; progreſſione incipiant atque finiant. Percurret autem ſignificator hoc motu ſingulis diebus 1 gradum 4′. 4″. & habetur etiam ad hoc Tabula in uſum ſupra dictum.

Denique diurna progreſſio eſt omnium velociſſima: in qua nempe menſis profectionalis rurſus dividitur in 13 partes æquales, quæ dies profectionales vocantur, quorum quilibet continet 51 horas 52′. ferè. Et primo horum dierum à momento geneſis, aut revolutionis, ſignificator (ut volunt) percurrit ſignum primi menſis perfectionalis; ſecundo die, ſignum ſecundi menſis, atq; ſic deinceps. Indeque fit, ut in principiis ſingulorum menſium perfectionalium, idem ſit Cœli punctũ profectioni menſtruæ atque diurnæ cujuſq; ſignificatoris, qui hoc motu percurrit ſingulis diebus 13 gradus 52′. 52″. de quo etiam habetur Tabula.

Porrò motuum Tabulas earumque uſum hic appoſuiſſemus, ut ſciretur quo die ſignificator quilibet, ad aliquem promiſſorem deveniat, progreſſione annua, diurna, aut menſtrua, vel viceverſa ad quem promiſſorem deductus ſit progreſſionibus illis quilibet ſignificator die poſito: ſed hæc paſſim habentur apud Regiomontanum, Schonerum, Junctinum, Origanum, & alios Aſtrologos. Inſuper autem nobis ſtatutum eſt oſtendere progreſſiones illas vanum eſſe figmentum, à quo potius Aſtrologiæ Studioſus mihi videtur avocandus, quam in ipſo erudiendus, cum mei jactura temporis.

Caput III.

Progreſſiones annuæ, menſtruæ, ac diurnæ Veterum, ſunt merum ingenii figmentum.

ALioquin erunt motus reales, Cœlo & Planetis ſingulis communes, quandoquidem volunt figuræ cuſpides & ſingulos ſignificatores Planetas, motibus talibus progredi: at neq; Cœlum, neque Sol, neque Luna, neque alii Planetæ talibus à parte rei feruntur motibus æqualibus, ut omnibus Aſtronomis notum eſt, & obſervationibus convinci poteſt. Primum enim Cœlum non movetur ſuper Eclipticæ polos in ſignorum conſequentia. Et quamvis ſphæra fixarum ſic moveatur, attamen ſuum motum primo Cœlo non communicat, ut Horoſcopus, Medium Cœli, & Planetarum loca in primo mobili ſpectata, ferantur ipſo motu: ad hæc ſphæra fixarum proprio motu promovetur tantum per unum gradum ſecundùm ſignorum ſequelam in annis circiter 71: progreſſionum vero tardior, ſcilicet, annua, in unico annuo percurrit gradus 30. Quod vero ad Planetas attinet, hi quidem moventur ſuper Eclipticæ polos, ſed omnes inæqualiter noſtri reſpectu propter excentricitates & orbitarum inclinationes ad Æquatorem: ergo Veterum progreſſiones ſunt duntaxat merum ingenii figmentum.

Cardanus doctrinam Ptolemæi hac in parte mordicus ſuo more conatur defendere, & pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

greſſiones iſtas velut arena commendare tribus rationibus; quarum duas priores refutavimus cap. 1. tertia vero hæc eſt textu 85. *Quod annua progreſſio concordat cum revolutione Solis & motu ♃, & menſtrua cum revolutione ☽ ac denique diurnæ cum ſpatio, quo ☽ in uno ſigno moratur.*

Verum hic hallucinatur & confunditur. Nam progreſſionis annuæ tempus, quippe annuum, aſſimilat periodo motus Solis, aut tempori quo ♃ moratur in ſingulis ſignis. Atqui nec ♃ præciſè percurret unum ſignum in anno Solari, vel anno menſurando à natura præfectus eſt, nec Sol durante ſua periodo percurrit unicum ſignum. Ac præterea dum annua progreſſio hinc aſſimilatur toti periodo Solis, illinc vero duodecimæ parti periodi Jovis (quæ eſt non minima confuſio) incertum relinquitur, an talis progreſſio vires agendi ſumat à Sole, vel à vigeſima quinta, vel ab utroque: ergo vanæ ſunt hac in parte Cardani rationes.

Similiter menſem perfectionalem 28 dierum 2 hor. 17′. comparat Lunæ revolutioni. Aitque menſem illum eſſe medium inter menſem Lunæ periodicum 27 dierum 8 horar. & menſem ſynodicum 29 dierum 12 horar. ſed hoc eſt falſum, nam illorum dimidium eſt 28 dierum 10 horar. non autem 28 dierum 2 hor. 17′. ut Cardanus poſuit.

Denique diem profectionalem 51 horar. 52′. comparat cum temporis ſpatio quo ☽ in uno ſigno permanet, cum tamen hoc ſit pluribus horis majus, ſive Lunam ſpectes in menſe ſynodico, ſive in periodico.

Dicet aliquis inter has progreſſiones & tempora realia motuum Planetarum ſupra dictorum, non eſſe valde magnam differentiam; & ideo illas admitti poſſe. Verum quis motus vero motui Solis ſimilior eſt loco, vel tempore quam ejus motus medius in tabulis univerſalibus appoſitus planéque fictitius? & tamen nemo dixerit effectus Solis reales, eſſe ab ejus medio motu, qui nullam vim habet extra intellectum, ſed duntaxat ad calculum, pro inveniendo vero motu Solis à quo ſunt ipſi reales effectus. Tandem non eſt quæſtio an progreſſiones aliquam habeant affinitatem cum temporibus motuum Solis ♃, aut ☽; ſed an aliqui ſignificatores, hoc eſt primum Cœlum & Planetæ, verè ac realiter moveantur illis progreſſionum motibus æqualibus ſuper Eclipticæ Polos, quod nemo ſanæ mentis dixerit. Dicat ergo neceſſe eſt, tales motus duntaxat fictitiè tribui ſignificatoribus ipſis: ideoque ex tali fictitio motu fictitios tantum & non reales effectus oriri poſſe. Sunt ergo tantum ſubtilis ingenii ludus in numeris ſine ratione & ad oſtentationem, ut dicebat Ptolemæus ſupra de aliis Ægyptiorum & Chaldæorum figmentis: proindeq; ab Aſtrologia vera rejiciendus. Et ſubtilitas in eo eſt, quod tam ingenioſè providerint, ut ſingulis annis initio revolutionis annuæ, progreſſionis annuæ, menſtruæ, & diurnæ ab eodem Zodiaci puncto inchoarent. Taceo quam ridiculum ſit opinari quemlibet ſignificatorem ſchematis natalitii, quadruplici motu progredi in ipſo ſchemate, ſcilicet motu directionis radicalis, tum progreſſionis annuæ, menſtruæ, ac diurnæ.

Poſſet inſuper quæri, cur in progreſſionibus æqualia tempora menſurentur arcubus æqualibus Eclipticæ: in directionibus vero arcubus temporis inæqualibus: cum eſſe debeat menſura temporis uniformis, & ſolus Æquator, ſit vera, ſimplex, uniformis, atque naturalis menſura temporis? tum cur in directionibus obſervatur latitudo Planetarum, non autem in progreſſionibus? ſed neque his, neque aliis multis quiſquam rationi conſentanea reſpondebit.

Neque nobis obtrudat aliquis, nos ad præciſa effectuum tempora in anno determinanda, loco progreſſionum induxiſſe revolutionum directiones annuas & menſtruas. Id enim fecimus, quia videbatur nobis perabſurdum effectibus realibus cauſas aſſignare fictitias. Quamobrem arduo certè labore conati ſumus veras & naturales cauſas detegere, quæ non ſolum realibus inniterentur fundamentis & rationibus veris, ſed inſuper experientiæ correſponderent. Quod quam verè ſit à nobis præſtitutum pluribus exemplis & calculis, Lib. 23. probavimus, & univerſa poſteritas grato animo experietur. Quod autem directiones annuæ & menſtruæ à nobis aſſumptæ ſint quoad motum reales, non ſecus ac radicales, oſtenſum eſt cap. 15. Lib. 23. menſuram vero temporis ratione detectam, probat experientia in ſupradictis exemplis: & hæc cuncta confirmat uniformitas agendi corporum cœleſtium per figuras & directiones ſibi ſubordinatas, quibus ab univerſalibus ad particularia tam in effectuum ſpecie, quam eorum tempore pervenitur.

Forſan dicetur directiones annuas, jam Veteribus fuiſſe uſitatus, ut ex Cardano annotavimus initio cap. 15. Lib. 23. Tum revolutionis Lunæ à nobis aſſumptas, ut patet ex eodem Cardano Lib. Revol. cap. 12. dum ait: *Luminaria in ſuis revolutionibus redire ad ſuum locum.* Proindeque nos nihil hic novi introducere de quo gloriari poſſimus.

Sed reſpondeo primò, Cardanum Lib. Revol. cap. 13. reſpuere annuas directiones Veterum, nec eorum erratum detexiſſe, nec remedium eidem excogitaſſe, nos autem utrumque præſtitiſſe cap. 15. Lib. 23.

Reſpondeo ſecundò, Cardanum cap. 12. equidem locutum fuiſſe de reditu ☽ ad ſuum locum radicalem in revolutionibus menſtruis, ſed has revolutiones haud bene perſpectas neglexiſſe, tum quia ibidem de earum veritate dubitans ait (*ubi reditus menſium fieret à genitura*) & paulo poſt (*ſi Luna hoc modo conſideretur*) tum quia cap. 13. alias Lunæ revolutiones tradit & approbat, quas juſtis de cauſis Lib. 23. cap. 15. rejecimus: adde quod nemo ante nos directiones in revolutione menſtrua & menſuram temporis id ipſis directionibus tradidit: unde ipſarum veritas hactenus manſerat occulta & inculta, neque id facimus, ut inde gloriemur, ſed ut veritati ſerviamus, & Dei gloria referatur.

Longè difficilior videbitur eorum ſubjectio, qui afferent, progreſſiones annuas, menſtruas, & diurnas adeo frequentibus Aſtrologorum experientiis confirmari, ut eas rejicere temerarium ſit, ac non leve, aut inſipientiæ, aut ignorantiæ ſymbolum: præſertim quod à Ptolemæo traditæ ſint plurimique æſtimatæ ab ejus commentatore Cardano, qui circa Aſtrologiam præ cæteris omnibus philoſophatus eſt, eaſque in annorum judiciis paſſim uſurpat.

Sed reſpondeo. Similiter objici poſſe, non minus frequentes Aſtrologorum experientias, de Planetarum terminis à Ptolemæo traditis, quos vaniſ-

ſimum

ſimum eſſe figmentum oſtendimus Lib. 15: c. 13. Ad hæc Cardanum circa annorum judicia non ſibi conſtare. Nam Lib. de Judiciis Genit. cap. 6. judicat de accidentibus anni pro ſemetipſo ex ſola figura revolutionis, ſine directionibus & progreſſionibus: at Lib. Geniturarum, ad finem Quadripartiti, judicat de ſuæ nativitatis annis currentibus 53. 54. 55. & 56. ex ſolis directionibus, & progreſſionibus, & ingreſſibus; hoc eſt Planetarum locis, initio revolutionis Solis; nulla habita ratione figuræ ipſius revolutionis, quod alibi vetuit: tam malè ſibi conſtat: ſicque Aſtrologiam vanam & ridiculam efficit, dum ſic indifferenter ea utendum eſſe profitetur. Deinde in genitura ſecunda ad finem quadripartiti, etſi velit progreſſiones annuas tantum referre ad loca nativitatis; tamen de menſtruis & diurnis fatetur, ſe incertum eſſe, an ad loca radicis, vel revolutionis annuæ ſint referendæ. Quod dubium arguit Cardanum in earum uſu fortuitam duntaxat obſervaſſe veritatem. Quoniam verò in fine judicii ſuæ nativitatis ponit ſibi contigiſſe accidens inopinati ac dolorifici morbi anno 1553. die 20. Novembris hor. 2. min. 30. poſt meridiem, ad quod momentum figuram erigit, nec cujuſquam alterius diem ſic determinat: placet judicium ejus de illo accidente hic exanimi ſubjicere.

Primò ait, ſe antea ſcripſiſſe quod illo anno benè valeret ideoque ſibi fuit falſus Propheta: quod quidem miror. Nam Sol in ſexta domo geneſis non ſecus ac Luna in duodecima domo, ſunt illi morborum ſignificatores: dirigitur autem Sol eo anno ad 22 gradum ♐ oppoſitum ♄ juxta Cardanum, non autem ad 18 grad. 51′. ut malè ſupputavit. Præterea in revolutione illius anni à nobis erecta & hic appoſita, ☿ & ☽ ſunt domini octavæ: eſt autem ☿, in duodecima & ſigno Aqueo ♂, Luna autem in ſexta, ac uterque læſus à ♂ in prima domo, cujus locus radicalis & Lunæ quadratus erat in octava

147. 31




cuſpide ipſius revolutionis. Ergo ex his palam ſignificabatur morbus violentus & cum periculo, vel timore mortis, ut accidit. Sed fortaſſe Cardanus revolutionis figuram non inſpexerat, nam aliquando judicat de anno ex revolutione, & aliquando ſine ipſa, ut ſupra diximus. Tantum ergo morbum illum attribuit progreſſionibus menſtruis Horoſcopi & ☽ ad ſuas oppoſitiones die ipſo, & Planetarum tranſitibus per genituræ loca ad momentum initiantis morbi, cujus figura ſubſequitur.

In qua quidem Horoſcopus eſt oppoſitio radicalis ♀ & ☿, qui cum ☉ erant in ſexta morborum ſignificatores: & hoc quidem pravum erat, ſed deterius cum directione ☉ ſupra dicta, cum ♄ eſſet in duodecima, pertranſitus vero ☽ fuit in ſuo □ radicali, & loco radicali ♂, oppoſita Soli in octava: ac Sol & ☽ infortunantur □ ♄ tranſeuntis per ☽ locum radicalem, in □ radicali ♂, ac duodecima figuræ domo, quæ per ſe morborum eſt. Hi ergo tranſitus erant peſſimi, & cum illis figura quoque peſſima, quod hic obiter duntaxat notandum volo, alias fuſiùs explicandum, cunctaque congruentia maximè morbo, qualem Cardanus ipſe paſſus eſt cum periculo, vel ſaltem metu mortis, ob ☉ & ♂ dominos Horoſcopi, quorum ille eſt in octava læſus □ ♄ ex duodecima, hic verò læditur □ ♃ domini octavæ ex domo ſexta.

Figura Morbi.

284. 1



Quod vero ad illas progreſſiones ſpectat, quærerem imprimis, cur diem effectus voluerit indicari à progreſſionibus menſtruis potius quam annuis, cum annuæ priores & potentiores ſint ad particularia etiam tempora definienda, ut vult Cardanus ipſe Lib. de Revol. cap. 8, non ſecus ac menſtruæ diurnis prævalent? præterea cum ejuſdem Lib. cap. 13. dies eventuum inveſtiget per directiones revolutionum à ſe excogitatas & à me refutatas Lib. 22. cap. 15. ſi directiones illæ videbantur ipſi veræ, quid opus erat progreſſionibus? aut ſi hæ ſunt veræ, quid illis directionibus erat opus? patet alterutrius methodi ſuperfluitas, & confuſio inde pro judiciis oriunda. Cæterum in exemplo Cardani Horoſcopus annua progreſſione, tunc erat in 10 grad. 46′. ♍ diſtans adhuc ab ☍ Lunæ radicali pluſquam 10 diebus; Luna vero erat in 16 gradu ♋: cum 18′, ubi nihil reperiebatur; proindeque non convenientibus annuis progreſſionibus tempori, Cardanus aſſumpſit menſtruas multo velociores, quæ fortuito convenere. Et hoc egregium fortuitum (qualia plerumque contingent) eos fallere poteſt qui neſciunt has progreſſiones, nullo reali fundamento niti, & eſſe triplicis generis, alias aliis velociores; adhuc autem magis ignorant alias eſſe cauſas reales, quippe revolutionum Solis & Lunæ directiones à nobis expoſitas, quæ particularia ipſa effectuum tempora, ſi non exactè ad diem & horam, ſaltem circa deſignant, ut jam patebit in hoc Cardani morbo, ſiquidem quoniam in figura revolutionis annuæ ☿ & ☽ ſunt ex ſupradictis morborum ſignificatores atque mortis, ergo circa morbos agent, juxta promiſſores annua directione illis occurrentes. Mercurius autem ex Tabulis Rudolphinis fuit in 6 gradu ♏, cum latitudine 3 grad. 8′. Merid. & altitudo poli ſupra circulum poſitionis ejus, fuit 44 gr. 30′. ideoque aſcenſio obliqua 228 grad. 45′. quæ detracta ab aſcenſione obliqua ☍ ♄ in radice exiſtentis per Tabulas Rudolphi in 20 gradu 20′. □ cum latitudine 1 gr. 28′. Merid. (quæ aſcenſio in altitudine ſupra dicta valet 282 grad. 45′.) relinquit 54 grad. pro directionis arcu: qui ex Tabula directionum annuarum valet 55 dies: fuerunt autem ab initio revolutionis ad morbum dies 57.

Similiter Luna ex Tabulis Rudolphinis reperitur in 10 gtadu 33′. ♉ cum latitudine 4 grad. 36′. Merid. ac polus eſt ejus poſitionis circulo altus 44 gradibus, ideoque aſcenſio obliqua ☍ ☽ eſt 230 graduum, quæ detracta ab ☍ radicalis ♄, aſcenſione obliqua 282 grad. 12′. relinquit 52 gradus 12′. pro directionis arcu: valente dies 53.

Igitur directio ☽ ad locum radicalem ♄, præceſſit morbum 3 circiter diebus, & directio ☿ ad ejuſdem ♄ ☍: præceſſit morbum, 2 tantum diebus: Directiones autem ☿ & ☽ ad locum & ☍ ♄ in Ecliptica fuerunt adhuc propinquiores effectui. Quamobrem hæ omnes ſimul morbum in nato ſuis influxibus ſeminarunt, vel ejus latentia ſemina excitarunt, ipſumque Cardanum ad imminentem effectum proximè diſpoſuerunt: Tandem vero à ſupervenientibus ſupra dictis tranſitibus, morbus de potentia ad actum reductus eſt, ac de repente quaſique violenter erupit, ob tranſituum fortitudinem ac malignitatem, præſertim ex congruo Planetarum ſitu in figura eruptionis morbi: ſunt enim tranſitus cauſæ duntaxat actuales, ideoque actuantes, ſeu formas effectuum inducentes, ſicque fit in omnibus aliis rebus: natura enim univerſalem habet operandi modum, cui cuncta ſubjiciuntur.

Omitto

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Omitto quod in figura periodicæ revolutionis ☽, quæ 7 diebus morbum anteceſſit, erecta ex Ephemeridibus Pitati quibus utitur ipſe Cardanus in figura morbi ſupra poſita: idque ad Lunæ locum radicalem 11 graduum 42′ ♓, ut ipſe ponit in ſua genitura: Luna & ♄ ſunt conjuncti in Horoſcopo, & □ ♂ domini octavæ: ac Horoſcopus cum ☽ & ♄ diriguntur menſtruè ipſo die morbi ad □ dextrum loci radicalis Solis, qui in domo 6 radicis erat morborum ſignificator, quæ directio erat valde morboſa.

Cæterum patebit evidentius progreſſionum vanitas, cuicumque illas experiri voluerit, ſumptis duntaxat genuinis ac propriis effectuum ſignificatoribus, quorum inſtituantur progreſſiones ad promiſſores congruos; videbit enim illas non niſi raro ac fortuito effectibus ipſis congruere, nec ſemper omnes, ſed nunc annuam, nunc menſtruam, nunc diurnam: quod dici non poteſt de revolutionibus earumque directionibus à nobis Lib. 23. expoſitis: quarum veritatem in aliis quibuſvis exemplis quilibet experietur. Ac proinde cum fortuitus ſit duntaxat progreſſionum concurſus ad effectuum tempora, nec reali fundamento innitantur: illas ab Aſtrologia jure cenſemus eliminandas.

Nec eſt quod quiſpiam cauſetur, annuam directionem, cujus diurnus eſt 59′. ferè æqualem eſſe menſtruæ profectioni, cujus diurnus eſt 64′. 4″: ſimiliterque directionem menſtruam, cujus diurnus eſt 13 grad. 10′. 35″. ferè adæquari diurnæ progreſſioni cujus diurnus eſt 13 grad. 52′. 52″; proindeque non eſſe magnam differentiam inter directiones noſtras, & progreſſiones Veterum. Nam primò ſignificator annua directione tantum percurrit in anno Solari tantum Zodiacum adæquatè: at progreſſione menſtrua percurrit adæquatè 13 ſigna, ſine alia ratione, quàm quod ipſarum Authori placuerit, progreſſiones annuas & menſtruas ſingulis annis ab eodem Zodiaci puncto incipere: ſimiliter directione menſtrua ſignificator percurrit in menſe periodico totum adæquatè Zodiacum: at progreſſione diurna pervadit in menſe perfectionali 13 ſigna, ea tantum de cauſa, ut in principiis menſium perfectionalium ſingulorum, idem ſit Cœli punctum menſtruæ & diurnæ profectioni cujuſque ſignificatoris: quia ipſarum inventori ſic innumeris ludere placuit. Secundò, directiones fiunt naturali modo penes circulos poſitionum: progreſſiones vero tantum fictitio & æquali in Ecliptica: & quia hæ progreſſiones ſunt tantummodo duodecima parte velociores noſtris directionibus, atque hæ procedunt inæqualiter, illæ vero æqualiter: nil mirum ſi quandoque veras cauſas mentiantur, præſertim in annorum & menſium initiis Adde quod eadem loca Solis & ☽ in Eccliptica diriguntur in revolutionibus Solis & ☽ quæ per progreſſiones menſtruam & diurnam promoventur, quippe loca Solis & Lunæ radicalia. Tertiò tandem, quia ad directiones annuas & menſtruas, eliguntur dirigendi ſignificatores, in figuris duntaxat revolutionum Solis & ☽. Ad progreſſiones vero ſumuntur ſignificatores in ſola figura nativitatis: ergo maximè differunt directiones à nobis aſſumptæ, à progreſſionibus Veterum: de quibus hactenus dicta ſufficiant.

SECTIO II.

De Planetarum tranſitibus ac ſyzygiis.

CAPUT I.

Quanti facienda ſit doctrina de Tranſitibus Planetarum.

ETſi doctrina hæc, in Aſtrologiæ Theoria ſit ordine poſtrema: quippe quæ ſit de cauſis cœleſtibus omnium ultimis & particularibus effectuum homini contingentium: non eſt tamen ultima nobilitate: ſi quidem cæteras omnes antecedentes complectitur, & ipſarum corona eſt, pulcherrimis notionibus fulgida, ut in ſequentibus oſtendetur. Quod non intelligentes plerique, tranſitibus inter cauſas cœleſtes minimum virtutis conceſſêre ad effectuum productionem; arbitrantes eos eſſe duntaxat, vel à directionibus, vel à progreſſionibus quas Sectione prima rejecimus: nec attendentes quod effectui cuilibet particulari prout tale eſt à cauſis cœleſtibus, cauſa cœleſtis debetur particularis actualis, quales non ſunt genituræ ſchema ejuſque directiones, nec revolutiones harumque directiones, quæ reſpectu futurorum ſaltem accidentium, ſunt cauſæ potentiales ſibi ſubordinatæ, ut diximus Libris 22. & 23. ideoque aliæ aliis ſuperiores ac univerſaliores, tendentes ordinatim ad aliquam particularem quæ tota ſit actualis, à qua reducatur ad actum id quod in illis potentiale eſt. Talis autem cauſa, eſt Planetarum tranſitus per congrua loca figurarum tam radicis quam revolutionis, ut fuſius infra dicetur.

Porrò doctrinam iſtam commendat Ptolemæus ipſe in fine capitis ultimi Quatrip. aſſerens vim decreti, hoc eſt actualem aſtrorum vim, effectuum productricem tunc eluceſcere, cum fiunt congrui tranſitus Planetarum, vel ☉, aut ☽ radiationes, per annua & menſtrua ſigna: hoc eſt, quæ à ſignificatoribus annua, aut menſtrua progreſſione occupantur. Cardanus autem in Commento vult etiam ſubintelligi progreſſionem diurnam ab eodem Ptolemæo traditam. At quia progreſſiones illas rejecimus, ut vanas, & quandoque duntaxat mentientes annuas & menſtruas directiones à nobis introductas, ut diximus Sect. 1. cap. 3. idcirco hæ illis jure optimo anteponendæ ſunt. Abſurdum quippe eſt opinari ſignificatorem quemlibet figuræ natalitiæ, quadruplici motu progredi in ipſo ſchemate, ſcilicet motu directionis radicalis, tum progreſſionis annuæ, menſtruæ & diurnæ, ſed de his jam ſatis. Tantum hic intendimus oſtendere, quod Ptolemæus ipſe vim inſignem in tranſitibus deprehenderit, dum fiebant per congrua, vel contraria genituræ loca: atque ſic concludere, quod tranſituum doctrina plurimi ſit facienda: viſque inſit inſignis tranſitibus ſeptem Planetarum corpore, vel aſpectu: ſed præſertim Solis & Lunæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Caput II.

Qua via priſci Aſtrologi virtutis aſtrorum notitiam obſervando ſint aſſecuti.

PLacet hic imitari Alkimiæ Principem ſapientiſſimum Iſaacum Hollandum Lib. 20. Operum Mineral. ubi à cap, 98. doctiſſimè vias exponit quibus Veteres Chymici ad tranſimitatoriæ artis perfectam coguitionem erigendo ratiocinandoque devenêre.

Sciendum igitur eſt Aſtrologis antiquis Philoſophiæ lumine illnſtratis innotuiſſe; non modo Cœlum eſſe cauſam actualiter effectricem eorum quæ jam fiunt in Sublunaribus; ſed etiam potentialiter effectricem eorum quæ futura ſunt, quandoquidem non niſi Cœlo concurrente fieri queunt. Species autem futurorum accidentium, ut calor, frigus, inundatio, ſterilitas, peſtis, bellum, & ſimilia, non fiunt à quolibet aſtrorum concurſu atque ſitu, experientia teſte; ſed tantum à certo & determinato: qui cum in eſſe dependeat ab ipſorum aſtrorum motu, definito tempore menſurando, inde ſequitur, ex qualibet Cœli conſtitutione ſaltem eminus conjici poſſe, quo tempore tale aliquod accidens futurum ſit: ſi quo tempore congruus ad illud producendum contingat aſtrorum concurſus, menſuremus.

Cum igitur Veteres à diverſo Planetarum ſitu in Zodiaco, diverſis inter ſe & cum fixis cõbinationibus, diverſoq; ipſorum totiuſq; Cœli ad horizõtem ſitu, omnia hæc inferiora mutari cernerent, ac inſigniores præſertim mutationes contingere circa tempora magnarũ conjunctionum, annuarum revolutionum Ecclipſium & Lunationum: viſum eſt ipſis figuras cœleſtes erigere ad illarum conſtitutionum momenta, ex earumq; ſpeculatione imminentium, aut brevi futurarum mutationum, ſpecies, cauſas & tempora inquirere. Et quidem obſervando experti ſunt, ſpecies & cauſas eventuum pendere à natura ſtatuque cœleſti ac terreſtri Planetarum conſtitutioni prædominantium: Tempora vero determinari per diſtantiam ipſorum dominorum à locis præcipuis ipſius conſtitutionis, vel à ſe invicem. Proindeque ipſius conſtitutionis effectus non apparere ipſo conſtitutionis momento, niſi forſan rariſſimè, dum ſcilicet nulla eſt talis diſtantia, quandoquidem in fieri pendent à tempore ob illam diſtantiam, ſed tantum eorum ſemina ſyderum influentiis involuta, tunc in Sublunaris naturæ matricem ejaculari, citò aut tardè in lucem proditura, prout major, aut minor erat prædicta diſtantia. Ac eo tempore prodire, quo conſtitutionis domini, longis obſervationibus deprehenſi, per ejus præcipua loca proprio motu tranſibant, aut ſibi applicabant, etſi Planetæ qui loca illa tenuerant ipſius conſtitutionis momento, longè abeſſent ab eiſdem, ipſo tẽpore tranſituum: indeq; tranſituum vim plurimum admirati ſunt.

Hæc autem cum adverterent in univerſalibus Cœli conſtitutionibus & mutationibus Sublunarium, etiam de particularibus cogitare cœperunt. Cumque cæteris omnibus præcellere ſcirent hominem, in cujus præcipuè gratiam Cœlum ipſum Terraque creata ſunt; ipſi homini ad ſui conſervationem, morborumque, vel accidentium aliorum prævifionem maximè intereſſe judicarunt, noſcere ſub qua Cœli aſtrorumque poſitione naſceretur. Cœlo enim poſito cauſa generationis & corruptionis Sublunarium, ratione maximè congruit quemlibet hominem alterari, aut etiam corrumpi à conſtitutione contraria illi, à qua fuit generatus, quandoquidem ut quodlibet à ſimili conſervatur, ſic à contrario deſtruitur.

Erecta igitur cœleſti figura ad nativitatis momentum atque locum: primò ex ipſa corporis nati conſtitutionem, tum an hæc ſana foret, aut morbis obnoxia didicerunt: poſtea vero quibus morbis & quo tempore quæſierunt. Et quidem morborum, tum aliorum effectuum ſpecies & cauſas ex naturis Planetarum & ſignorum, eorumque ſitu in figura invenerunt: at in morborum, vel aliorum vitæ accidentium temporibus definiendis longe altius deſudarunt. Non enim ut in conſtitutionibus univerſalibus, ſimplices Planetarum tranſitus per præcipua figuræ natalitiæ loca, producebant ſemper accidentia ſignificata, ſed tantum aliquando, idque raro, ſi enim ſoli tranſitus ſufficerent, quandoquidem Luna duodecies in anno, ☿ ♀ & ☉ annis ſingulis ſemel, atque ♃ ♄ & ♂ pluries in vita pertranſeunt cuncta genethliacæ figuræ loca: quoties tranſitus redirent, toties quoque revertentur accidentia ab illis ſignificata, quod tamen fieri non deprehendebant. Pro re tamen certiſſima tenuerunt, accidentia ſignificata produci non poſſe, niſi per actualiter concurrentem influxum congruum ſuæ cauſæ efficientis: quare ſagaciter opinati ſunt, Planetarum tranſitus congruos, eſſe quidem prorſus neceſſarios, ut actuales influxus ad productionem ſignificatorum eventuum; hos tamen producere minimè poſſe, niſi concurrente aliqua cauſa, certo quodam tempore, quod tamen per diſtantiam ſignificatoris eventus, ab hujus aliquo promiſſore determinaretur: ut enim ab illorum naturis & ſtatu tam cœleſti quam terreſtri ſpeciem eventus: ita hujus tempus determinatum ab eorundem inter ſe diſtantia pendere non dubitarunt.

Tandem vero diuturnis obſervationibus didicerunt, diſtantiam illam menſurari in Æquatore, per Solis medium motum diurnum ipſius circuli reſpectu, qui eſt 59′.8″: ita ut quot mediis motibus diurnis Solis, promiſſor motu primi mobilis, ſeu in gradibus Æquatoris, diſtaret à circulo poſitionis ſignificatoris, ad quem ipſo motu primo pergebat hora nativitatis: totidem annis effectus ex ſignificatoris & promiſſoris concurſu ſignificatus poſt nativitatem retardaretur. Proindeque æquatio annorum nati, cum diurnis Solis in illa diſtantia interceptis, cauſa eſſet illa tardior, quam cum tranſitibus congruis concurrere neceſſe foret.

Poſt hæc autem adjunctis annuarum nati revolutionum ſpeculationibus, ad inſtar annuarum mundi: ſibi demum virtutis aſtrorum, in hæc inferiora ſcientiam univerſam compararunt. Non enim vetuſtiores Aſtrologi natorum annuas revolutiones erexiſſe videntur, cum de his Ptolemæus nullam faciat mentionem: Talis igitur fuit progreſſus Veterum in virtutis aſtrorum cognitione, circa generales & particulares effectus.

Caput III.

An omnium Planetarum tranſitus per genituræ loca ſingula ſpectandi ſint, & ſub qua ratione.

GEnituræ loca duplicis ſunt generis: aliæ enim ſunt ſignificatorum, nempe loca 7 Planetarum, 12 cuſpidum & ⊕: alia vero promiſſorum, nempe loca 7 Planetarum, aſpectuum & antiſciorum. Quilibet enim Planeta in geneſi, ſimul eſt ſignificator & promiſſor ſub diverſo reſpectu, nempe ſignificator eorum ad quæ actu determinatus eſt ſitu corporeo & dominio: promiſſor vero eorum ad quæ poteſtate determinatus eſt per directiones ad ſignificatores antecedentes.

Quoniam igitur conſtitutio genethliaca ejuſq; directiones ſunt nati reſpectu quid potentiale ad ea ipſi nato futura, quæ tam à ſignificatoribus, quam promiſſoribus indicantur. Talia enim futura non tranſeunt de potentia ad actū, vel de eſſe futuro ad exiſtentiam actualem, citra concurſum cauſarum actualium; quas Aſtrologi frequentiſſimis experientiis obſervarunt, eſſe tranſitus Planetarum, agentium penes ſuæ ſignificationis radicalis, cum ea locorum per quæ tranſeunt combinationem: omnino ſequitur quod cum omnes Planetæ proprio motu pertranſeant ſingula geniture loca, & cum ſingulis combinari queant, etiam omnium tranſitus per ſingula genituræ loca ſpectandi ſunt: nec ſolum corpore, ſed etiam aſpectu.

Eſt autem notandum, quod ſicut directionum effectus ſunt à primo motu: ideoq; illorum tempus menſuratur per aſcenſiones promiſſoris in ſitu ſignificatoris: ità effectus tranſituum ſunt à motu ſecundo, ſive proprio Planetarum tranſeuntium, ideoque tempus effectuum à tranſitibus, menſurantur per motum proprium Planetarum tranſeuntium.

Cæterum Planeta tranſiens non ſub quavis ratione ſpectandus eſt: ſed 3 præcipuè ſunt in ipſo attendenda. Primum, quæ ſit ejus natura propria: non enim ſcire ſufficit, quod Planeta tranſiens ſit natura beneficus, aut maleficus; ſed ſcire oportet an ſit ♃, aut ♀, an vero ♄, aut ♂: quippe quod alia ſit natura propria ♃ & alia ♀: tum alia ♄, & alia ♂, quilibet autem juxta naturam propriam agat. Secundum, quæ ſit ejus determinatio radicalis: nam ſecundum hanc præcipuè operatur in tranſitu. Ideoque ♂ ad mortem, vel morbos in radice determinati, periculoſus vitæ, vel ſanitati tranſitus eſt, per vitalia figuræ loca. Tertium, quis ſit Planetæ tranſeuntis ſtatus cœleſtis ipſo tranſitus tempore: quippe an congruus, vel incongruus radicali ſuæ ſignificationi, hujuſque combinationi cum ſignificato loci per quem tranſit. Tum an fortis, vel debilis: congruus enim & fortis pro bono, vel malo, fortiter aget, incongruus nihil, præſertim debilis.

Neque illa 3 in ſolo Planeta tranſeunte ſunt attendenda: ſed etiam in Planeta, vel cuſpide domus, per cujus locum fit tranſitus, ipſo tranſitus tempore. Ut enim ſigna ab initio mundi determinata ad naturas Planetarum agunt dependenter à ſtatu ſuorum dominorum, ut diximus Lib. 20. Sect. 3. cap. 2. 4. ſic loca Cœli in radice particulariter à Planetis determinata agunt in natum, hujus vita durante, dependenter à ſtatu Planetarum determinantium: ideoque ♃ tranſitus per Horoſcopum radicis, quo tempore, ♀ ipſius Horoſcopi domina fuerit exul retrograda, & maleficis ♄, aut ♂ radiis percuſſa, parum prodierit, vel etiam nihil.

Inde vero deducitur hoc valdè notandum: nempe quod ſi figura fuerit erecta per modum æqualem, vel alium falſum: neceſſario accident errores, à prædictionibus per tranſitus: quia ſcilicet gradus Planetarum & cuſpidum cenſebuntur eſſe in una domo figuræ, cum revera ſint in altera, & ideo aliter determinati in radice, quam putet ille qui figuram falſo modo erexerit.

Caput IV.

An in ſingulis geniture locis, vis aliqua ſuperſit à geneſi, ad futura vitæ accidentia.

QUamvis hac de re jam dixerimus Lib. 20. Sect. 3. cap. 5. tum Lib. 21. Sect. 1. cap. 4. quia tamen nihil eſt in Aſtrologia, quod hominis ingenium æquè ſuſpendere valeat præ admiratione: quam quod Planeta tranſiens per locum, qui fuit aliqua è cuſpidibus genethliacæ figuræ, præſertim Cardinalibus, aut quem aliquis Planeta tennit ipſa hora nativitatis, agat ſecundum ipſius loci, aut Planetæ particularem in radice ſignificationem; licet ipſo tranſitus momento alter Planeta qui locum ipſum occupavit, ſit abſens. Hujus autem effectus ratio, præcipuum fundamentum eſt doctrinæ tranſituum Idcirco ne quid in ipſa deſideretur hic apponemus quod ſupereſſe videbitur ad clariorem intelligentiam virtutis ipſorum tranſituum: id enim Libris illis 20. & 21. promiſeramus.

Itaque talis effectus non inde oritur, quod in ipſo Cœlo formaliter impreſſa ſuperſit prius locati Planetæ virtus: aut univerſalis totique Mundo communis à propria forma, aut particularis, à particulari Planetæ ſitu in figura, reſpectu naſcentis hominis. Non univerſalis, nam per totum Zodiacum quem ipſe Planeta peragrat, eodem modo ſupereſſet: proindeque inutilis eſſet ipſorū locorum pro tranſitibus obſervatio, nam æquè in uno atque altero Zodiaci puncto idem effectus ſuccederet, quippe quod ſingula puncta Zodiaci, virtute tali eſſent æqualia: id vero experientiæ repugnat. Sed nec etiam particularis ſupra dicta: nam cum omnes Telluris incolæ, Planetam eundem habeant eodem momento temporis in eodem Cœli puncto: nec tamen in ſingulis hominibus tunc naſcentibus idem efficiat Planeta: ſed in hoc agat circa vitam, in alio circa divitias, &c. ſequeretur eidem Cœli puncto formaliter imprimi ipſius Planetæ virtutes omnes, ſeu modos particulares omnes, quos hominis reſpectu exercere poteſt: ideoque virtutem ipſam impreſſam, non eſſe particularem, ſed univerſalem: quippe quod omnes particulares æquivaleant univerſali. Quamobrem ſi tranſitus operetur juxta virtutem hanc formaliter impreſſam, ex ipſa nulla erit ratio, cur à tranſitu ſequatur effectus in hoc homine potius circa vitam, quam circa divitias, aut honores, &c. ſed aliunde erit inquirenda: vide

caput 5. Sect. 3. Lib. 20. ubi fusè oſtenſum eſt, Cœlum à Planetis nihil formaliter recipere, vel Cœlo nihil à Planetis formaliter imprimi: Res autem ſic ſe habet.

Primum Mobile, eſt prima ac univerſaliſſima cauſa omnium effectuum naturalium. Hi verò non ſunt à ſolo Cœlo, quod ex ſe ad nullam effectus ſpeciem determinatum eſt: ſed ſunt etiam à Planetis: à quibus Cœlum ipſum determinatum eſt univerſaliter in ſigna initio Mundi, & quotidie particulariter determinatur, tam per proprium motum circa Terram, quam per proprium motum Planetarum, ut diximus Lib. 21. cap. 4. Nec ſunt etiam à ſolis Planetis, Mars enim aliud efficit in ♈, aut cum ♈, & aliud in ♉: ſunt igitur naturales effectus à mutuo Cœli & Planetatum concurſu. Primatus tamen efficientiæ ipſi Cœlo debetur, quatenus cauſæ in Phyſicis omnium primæ à nobis oſtenſæ Lib. 14. Sect. 1. cap. 1. ut enim Deus effectivè concurrit cum quolibet agente creato, velut prima cauſa cauſarum, ſine qua nihil fieri poteſt: ita primum Mobile (Imago Dei nobiliſſima) concurrit cum quolibet agente naturali velut prima cauſa Phyſica, qua ſublata, ipſo etiam remanente Sole cum cæteris Planetis, univerſa natura tabeſceret, ob ipſius Cœli formalem virtutem, animæ vel ſpiritus inſtar totum Mundum corporeum, penetrantem, vivificantem, atque conſervantem.

Porrò etſi dentur in his inferioribus ſubjecta paſſiva ſpecie & cæteris paria: non tamen primum Cœlum idem ſemper efficit in ſingulis; non ergo manet idem ſingulis: nam *idem manens idem, efficit idem in eodem*; manet autem idem ſingulis natura, ſeu formali virtute: ſunt enim primi Cœli natura & virtus immutabiles: quia eſt prima cauſa, nulli alteri efficientiæ ſubdita, at non manet idem ſitu partium, hic enim continuo variatur ipſius Cœli continuo motu, fitque diverſus ſingulis ratione partium. Diverſitas igitur ſitus ipſius Cœli reſpectu ſingulorum hominum momento geneſis, erit cauſa ex parte primi Mobilis, diverſitatis effectuum in ipſis hominibus, quorum nempe alter in geneſi habet ♈ in Horoſcopo, alter ♉, &c.

Idem dicendum de quolibet Planeta, qui eodem momento temporis idem eſt ſingulis ſublunaribus ſubjectis, natura & univerſali virtute, ſitu vero diverſus iiſdem: unde natura ejus univerſalis diverſimodè determinata per ſitum reſpectu ſingulorum naſcentium, diverſos etiam eodem inſtanti temporis producit effectus in ſingulis. Inſuper autem primi Cœli partem ſub qua è terra conſpicitur ad ſuam naturam, virtutemque tam eſſentialem à propria natura, quàm accidentalem à ſitu reſpectu nati determinat, tanta efficacia, ut ea pars ipſius Cœli ſub qua Sol conſpicitur, ſit ipſi nato tota durante vita quaſi Sol alter, ſimiliterque determinatus ratione domus figuræ, ut fuit ipſe ☉ in geneſi: unde non immerito dici poteſt, in ea conſtitutionis cœleſtis impreſſione, quam natus excipit in partu, Planetam eſſe quaſi medium quoddam proportionatum inter Cœlum & natum, utrumque connectens.

Quoniam igitur primum Mobile & quæ ſub eo moventur aſtra pro ſuæ determinationis diverſitate reſpectu ſingulorum natorum diverſos pariunt effectus in ſingulis: omnino ſequitur, quod qualis eſt unuſquiſque corpore, ingenio, moribus, & fortuna, talis emerſit à virtute & determinatione corporum cœleſtium ſui reſpectu momento geneſis: Hujuſque conſtitutionis cœleſtis ſuſcepta impreſſione, natus eam contrahit ſympathiam & antipathiam cum Cœlo, indeque cum natura univerſa, ut quemadmodum ipſius nati productio, ſic conſervatio pendeat ab illa conſtitutione, quatenus conſiſtit in corporum cœleſtium tali ſitu nati reſpectu: beneque deinceps à Planetarum proprio & communi motu afficitur. Undeque ſequitur quod ipſius nati alteratio & corruptio, erunt à contraria conſtitutione, vel corporum cœleſtium ſitu.

Poteſt autem contrarius ſitus tripliciter accidere. Primò, ut ſit idem Cœli ſitus, Planetarum vero contrarius: hoc eſt ſuper horizontem nati, idem aſcendat gradus, vel ſignum Zodiaci, quod aſcenderat in geneſi: at omnes Planetæ ſint in oppoſito locorum ſuorum radicalium. Secundò, ut Planetæ ſint in Cœlo diſpoſiti velut in geneſi: Cœlum autem modo prorſus oppoſito. Tertiò, ut tam Cœli quam Planetarum ſitus, ſit planè contrarius radicali: atque hic eſt omnium peſſimus. Totidem vero modis ſubcontrarius accidere poteſt totidemque affinis. Cœli enim ſitus, reſpectu ſolius horizontis attenditur, at Planetarum etiam reſpectu ipſius Cœli, ſub quo propriis motibus revolvuntur.

Cum igitur homo naſcatur in medio decem ſituum inter ſe virtute differentium quos dixêre domos, per quas cœleſtia corpora influunt cuncta accidentium genera homini naturaliter convenientia, ut diximus Lib. 18. Sectionis 1. cap. 2. & 3. videndum eſt in cujuſque hominis geneſi, qualiter primum Cœlum ſitibus ipſis dividatur, & quæ ſint loca, tum diviſionum illius, tum Planetarum in ipſo. Nam quales fuerint pars Cœli, ſive Dodecatemorion, tum Planeta corpore, dominio, vel aſpectu occupans unamquamque domum, talem natus excipit potentiam activam, aut paſſivam ad accidentia per domum illam ſignificata, tantamque ſympathiam cum tali conſtitutione cœleſti, ut quoties in ipſa contingit aliqua mutatio, toties etiam nato accidat mutatio in re, vel accidentis ſpecie, per illam domum ſignificata: ſi ſaltem conſtitutionis mutatio, fuerit congrua directionibus & revolutionibus, de quibus dictum eſt ſupra. Accidit autem mutatio in locis illius conſtitutionis dupliciter. Primò, à primi Mobilis motu, qui loca ipſa quotidie circumfert per ſingulos ſitus. Secundò, à proprio Planetarum motu, quo Luna ſemel ſingulis menſibus, ☿ ♀ & ☉, ſemel in anno, ♂ ſemel in duobus, ♃ ſemel in duodecim, & ♄ ſemel in triginta annis, loca illa ſingula pertranſeunt. Sola autem ſitus mutatio reſpectu Terræ vel à primo mobili, nullius eſt ad mutationes Sublunares efficaciæ, quia naturæ univerſæ vim agendi non variat. Poſito enim eodem ſemper ſitu inter ſe aſtrorum natura univerſa motu Cœli diurno non obſtante vim agendi non muta-

mutaret: ideoque manens eadem, ſemper idem efficeret. At variatione ſitus Planetarum reſpectu Cœli ab eorum motu proprio, accidit in natura univerſa, virtutis agendi diverſitas; ab illa enim variatione ſitus contingunt Planetarum ſyzygiæ inter ſe & cum fixis; nec non eorum tranſlationes à ſigno in ſignum, per quas cœleſtia corpora agunt diverſimode in cuncta hæc Sublunaria duntaxat univerſaliter: Planetis continuo determinantibus reſpectu ſingulorum naſcentium, primi Mobilis puncta, ſub quibus è Terra conſpiciuntur.

Dum vero Planeta unus illo motu tranſit per Cœli punctum, jam à radice determinatum reſpectu nati, ad alterius Planetæ naturam, aut ejus aſpectum, aut cuſpidem; ſicque Planeta tranſiens ſuccedit in alterius locum radicalem, turbatur inde conſtitutio radicalis ipſius nati tam cœleſtis, quam impreſſa, ob contractam ſympathiam, non ſecus ac turbaretur natura univerſa, ſi aliquo 7 Planetarum ſublato, alius naturæ alterius de novo conditus in illius locum ſubſtitueretur: præſertim ſi magna ſit contrarietas, aut naturarum, aut ſignificationum radicalem Planetæ tranſeuntis & ejus per cujus locum radicalem tranſit. Planeta enim quilibet à momento nativitatis proprio motu circumductus in Zodiaco, retinet reſpectu nati quamdiu hic vivit ſignificationem ſuam radicalem, ſive accidentalem ex radicali determinatione virtutem: & penes hanc continuò agit in natum: inſenſibiliter quidem dum tranſit per loca geneſis vacua, hoc eſt, quæ nec ſunt cuſpides, nec loca Planetarum, aut aſpectuum in conſtitutione radicali: ſenſibiliter vero dum tranſit per hæc loca, vel cuſpides; præſertim ſi tranſitus ſit inſignis & adſint congrua directio atque revolutio, ut fuſius infra dicetur. Tunc enim a tali tranſitu effectus à geneſi directione & revolutione ſignificatus, reducitur de potentia ad actum: commotis à tranſeunte Planeta cauſis activis, aut paſſivis ipſius effectus nato intrinſecis, tum extrinſecis in natura univerſa, hoc eſt in Cœlo vel Sublunaribus, ita ut nato quidpiam accidat de genere ſignificati pertinentis ad locum per quem fit tranſitus. Dum vero aliquis Planeta tranſit per ſuum locum radicalem, eo modo erumpit effectus ab illo radicaliter ſignificatus.

Præterea dum Planeta unus tranſit per Cœli aliquod punctum jam à geneſi determinatum: videndum eſt an ambæ determinationes, ſcilicet Planetæ tranſeuntis & puncti radicalis determinationes, ſint ſimiles, vel in eundem effectum conſpirantes, cum ſtatu congruo Planetæ tranſeuntis: hoc enim poſito, ſtatim producetur effectus, juxta ſignificatum loci, vel Cœli puncti à radice determinati per quem fit tranſitus: at ſi determinationes fuerint contrariæ: quippe quod Planeta tranſiens, aut ſua natura, aut ſuo radicali ſignificato contrarietur radicali determinationi loci per quem fit tranſitus, tum damna, impedimenta, infortunia ſignificantur. Ac malefico Planeta tranſeunte per bonum locum, malum irruit in bonum: ſed benefico tranſeunte per malum, bonum incidit in malum.

Quod autem Planetæ tranſeunti non ſufficiat ad effectum, eſſe in proprio, vel alterius ſitu reſpectu Terræ per primum motum, ſed omnino neceſſe ſit illum eſſe in proprio, vel alterius loco reſpectu primi Cœli: hinc patet evidenter, non modo Cœlum ipſum eſſe primam & efficaciſſimam cauſarum omnium Phyſicarum, cum cæteris omnibus concurrentem, ſed inſuper ipſi loco per quem fit tranſitus vim ſupereſſe a geneſi, futurorum nato effectuum congruo tempore effectricem. Alioquin nulla eſſet ratio cur Mars dominus octavæ tranſiens per Horoſcopum, vel locum domini Horoſcopi corpore, vel aſpectu malefico, potius cauſaret morbum, aut vitæ periculum, quam tranſiens per quemvis alium Zodiaci gradum. Cum enim effectus deprehendantur eſſe à tranſitibus congruis, oportet ut his vis inſit ad illos. Ad tranſitum vero duæ cauſæ cœleſtes concurrunt; nempe Planetæ tranſiens & locus, ſive pars primi Cœli per quem fit tranſitus. Virtus autem productiva effectus non eſt ab alterutra cauſa ſeorſim ſpectata: alioquin, vel Planeta ſemper & ubique talem effectum producere poſſet, vel ſemper ab ipſo loco; aut ſaltem per tranſitum cujuſvis Planetæ fieret; quorum utrumque falſum eſſe probat experientia. Eſt autem ab utriuſque cauſæ concurſu, ipſa etiam experientia teſte; ergo neceſſe eſt, ut ipſa virtus inſit incomplete utrique cauſæ ſeorſim ſpectatæ, complete vero ambabus ſimul concurrentibus: unde patet etiam utramque cauſam concurrere ad productionem effectus, penes determinationem ſuam radicalem, quæ per conſequens adhuc quoque viget in tranſeunte Planeta, quod eſt notatu digniſſimum.

Cæterum dictum eſt ſuperius, natum à ſuſcepta impreſſione cœleſtis conſtitutionis momento genituræ, contrahere ſympathiam & antypathiam cum Cœlo, indeque cum natura converſa: quod eo uſque extendi velim, ut intelligatur etiam cum ſingulis natorum conſtitutionibus genethliacis, & per has cum natis ipſis; imò cum rebus omnibus Sublunaribus corporum cœleſtium regimini ſubditis. Nam frequens ſit obſervatio, quod in ſignificato quopiam particulari accidente à cauſis potiſſimum externis; permultæ cauſæ etiam inter ſe diverſæ ſimul concurrunt, motibus ſive modis plerumque diverſiſſimis: quarum nec una quidem ſuperflua ad effectum exiſtit. Sed omnes ita neceſſariæ, ut earum aliqua deficiente, effectus produci non poſſe videatur: ut patet in morte Julii Cæſaris, Henrici IV. Galliæ Regis, Guſtavi Adolphi, Regis Suetiæ, & innumeris caſibus aliis, qui non fortuito (ut ignari opinantur) ſed providentia fatali eveniunt, & homines in admirationem rapiunt. At ab unica directione, etiam cum revolutione & tranſitu congruo in unius hominis geneſi, tot cauſas mutuo in ipſum effectum conſpirantes ſimul moveri & coire ad idem tempus, ſive nati per conſtitutionem propriam miranda ſympathia, vel antypathia cum natura univerſa, ut ſuperius intellecta, pluribuſque cum nativitatibus aliorum hominum, videtur eſſe naturaliter impoſſibile; cum non appareat alia ratio naturalis.

CAPUT

Caput V.

An omnes tranſitus per genituræ loca ſint efficaces, aut qui duntaxat: & quomodo naturam noſtram moveant ad effectus.

QUod omnes tranſitus per genituræ loca efficaces non ſint, probatur evidentiſſimè ex Sole & ☽ Planetis primariis, atque primariæ inter cæteros virtutis, Sol enim ſingulis annis, & ☽ ſingulis menſibus per omnia genituræ loca tranſeunt; nec tamen ſingulis annis multoque minus ſingulis menſibus nato accidunt effectus, ſaltem conſpicui, penes ſingulas genituræ ſuæ ſignificationes. Requiritur ergo concurſus cauſæ illius tardioris de qua dictum eſt cap. 2. nimirum directionis & revolutionis congruæ tranſitui: effectus enim ſunt à mutua conſpiratione cauſarum: non ſecus ac cauſarum diſſenſus, vel contrarietas eoſdem impediunt, ne quid ſaltem inſigne & completum producatur. Quamobrem etſi Planetæ motu proprio per genituræ loca tranſeuntes, ſemper agant cum ipſis locis quidquid poſſunt tam ratione propriæ naturæ, quam ratione determinationis ſuæ radicalis: ideoque ♀ tranſiens per Horoſcopum ſola ſua natura ad voluptates & jocos excitet, efficacius autem ſi fuerit domina morum vel quintæ, tamen ſine directione & revolutione congrua, vel ſaltem harum altera genituræ conformi, nullam inſignem in nato cauſabit mutationem: ſed hoc tantum fiet à tranſitibus, cum quibus congruæ directiones & revolutiones concurrunt.

Quomodo autem naturam noſtram ipſi tranſitus moveant, Keplerus definire voluit, aſſerens Planetas cæteraque corpora cœleſtia, movere hominis naturam non efficienter, ſed duntaxat objectivè. Et poſtquam confeſſus eſt quod in naſcentis pueri facultate naturali & animali excipitur Cœli conſtitutio quæ fuit tempore ortus per impreſſionem ab ipſo Cœlo factam in facultate: vult inde quod ad Planetarum tranſitus per genituræ loca præcipua, facultas ſeipſam commoveat, quaſi imagines in anima receptæ momento partus, eſſent vera ſydera cum cœleſtibus coeuntia, & conſpirantia, aut diſſonantia; quippe vult facultatem continuo intentam eſſe obſervationibus motuum corporum cœleſtium, ut ſecundum hos per totam hominis vitam opera ſua diſpenſet, quæ ſunt futura ipſi homini accidentia: ſed opinionem Kepleri refutavimus Lib. 21. Sect. 1. cap. 4. 7. tum Lib. 22. Sect. 3. cap. 2. ad quæ loca Lectorem remittimus.

Dicimus autem quod omnia viventia utuntur duplici Phyſico cibo, nempe materiali quo veſcuntur, & ſpiritali quo reguntur, ſpiritalis vero non alius eſt quam Aer, quatenus cœleſtibus influentiis imprægnatus, quem per reſpirationem homines cum cæteris animantibus hauriunt copioſè. Cœleſtes vero influentiæ variantur ſenſibiliter, cujuſque hominis reſpectu, prout Planetæ in ſingulorum genituris tranſeunt per præcipua ſchematis natalitii loca, concurrente præſertim congrua directione & revolutione. Inde verò fit, ut qui tunc Aer illis influentiis imprægnatus hauritur, moveat hominis appetitum ad hæc, vel illa agenda, aut patienda. Sic enim in partu per aëris primam inſpirationem influxus conſtitutionis cœleſtis nato imprimitur, per ipſumque generaliter afficitur; tam pro accidentibus eo inſtanti præſentibus, quam pro durante vita futuris.

Objicies, ſequerentur omnes qui tempore talis tranſitus reſpirant eundem aerem, ſimiliter moveri ad agendum, vel patiendum: cum tamen id repugnet experientiæ, non ſolum in eadem regione, vel urbe, ſed etiam domo, ergo doctrina hæc abſurda eſt.

Reſpondeo. Non ſequi quod objicitur: veluti ex tranſitu ♂ per eundem gradum Zodiaci, non ſequitur omnes homines ſimiliter affici: ſed eos tantum qui ratione Thematis ſui natalitii ſympathiam, vel antipathiam habent cum ♂ & illo gradu. Ut ſi alicui nato gradus ipſe ſit Horoſcopus, & Mars dominus octavæ, aut duodecimæ, talis natus afficietur morbo, aut vitæ periculo, non autem alius qui cum tali gradu, & ♂ non contraxit ſympathiam, vel antypathiam vitæ morborum, aut mortis, quamvis pro omnibus ſit in ipſo gradu. Eadem igitur ratio eſt de aere, qui per illum ♂ tranſitum afficitur. Ipſe enim aer non eſt contrarius cunctis illum reſpirantibus, ſicut ♂ per illum gradum tranſiens, non eſt illis omnibus contrarius, etſi ejus univerſalis influxus omnes attingat. Indeque patet quod eundem reſpirantes aerem, poſſunt per ſympathiam cum corporibus cœleſtibus in ipſum aerem perpetuo agentibus, interdum eodem modo, & interdum diverſis, aut etiam contrariis affici.

Caput VI.

An Planetæ tranſeuntes, determinent loca ſuorum tranſituum: vel ab his determinentur, & quomodo.

PLanetæ proprio motu delati ſub primo Mobili, ejus partes activè determinat ad ſuam naturam reſpectu Sublunarium; & viciſſim determinantur à Cœlo, vel ejus partibus, aguntque, ut ſocii velut dictum eſt Lib. 21. Sect. 1. cap. 5. In tranſitibus ergo rurſus Planeta tranſiens & locus per quem tranſit ſeſe mutuo determinant circa natum; non quidem ſimpliciter, ſed reſpectivè ad priores ſuas in geneſi determinationes: verbi gratia, ♂ dominus octavæ tranſiens per loca Horoſcopi ac ejus domini, hæc determinat non ſolum ad naturam Martiam (quæ ſimplex eſt determinatio) ſed ipſa etiam determinat ad mortem, aut vitæ periculum: quia ſcilicet Mars per ſuam in radice determinationem, vim mortis erga natum contraxit. Non poteſt autem vim hanc efficacius in natum exercere quam tranſeundo corpore, vel hoſtili radio, per loca figuræ radicalis ad vitam determinata, qualia ſunt Horoſcopi ejuſq; domini; loca enim radicalia dum tranſitu determinãtur ad ſignificata radicalibus contraria, tunc nato de mutatione in ſignificato radicali timendum eſt: & quia ♂ dum agit per tranſitum, tunc vim ſuam

nato

nato influi actu, idcirco jure periculoſus cenſetur ille tranſitus: in quo Horoſcopus vitæ ſignificator, ad mortem determinatur à ♂, & viciſſim ♂ anæreta determinatur ab Horoſcopo circa vitam.

Similiter quia ♂ non ſolum propriam & eſſentialem virtutem, ſed aſcititiam quoque à radicali determinatione ſecum perpetuo defert, eſtque indifferens ad ſupra dictam vim læthalem exercendam hoc, vel illo modo, & circa hoc, vel illud genus accidentis, ut actiones, lites voluptates, &c. Idcirco dum per horum ſignificatores tranſit, corpore, vel noxio radio; determinatur à ſingulis circa modum, aut ſignificatum generale, quibus aut mors, aut vitæ periculum accidere poteſt. Ideoque dum tranſit per Horoſcopum, determinatur ad exercendam vim lethalem, aut morbificam, mediante temperamento, moribus, vel ingenio, dum tranſit per medium Cœli, mediantibus actionibus, ſuſceptis, vel dignitate, ut Centurionibus accidit milites ſuos ad prœlium ex officio deducentibus, atque ſic de aliis.

CAPUT VII.

An Planetarum tranſitus ſpectandi ſint per Revolutionum loca.

HOc aſſerimus, tum experientiâ, tum ratione: Experientiâ quidem, quoniam infra pluribus exemplis & obſervationibus probabitur, quod Planetæ diebus ſuorum effectuum tranſibunt per congrua revolutionis loca. Ratione vero, quoniam in revolutionibus Cœlum & Planetæ de novo determinantur reſpectu nati ad genera effectuum à figuræ domibus ſignificatorum, ut diximus Lib. 23. cap. 6. atque ſunt cauſæ partim actu partimque poteſtate, ut in geneſi: nempe actu, eorum quæ nato cœlitus imprimuntur ipſa revolutionis hora, qua Planetæ actualiter influunt: poteſtate vero, eorum quæ ab ipſa impreſſione ipſi nato, durante anno, vel menſe futura ſunt. Id vero quod Cœlum ipſique Planetæ ſunt poteſtate in revolutione, debet ad actum reduci à cauſa merè actuali; quales ſunt tranſitus Planetarum: ergo hi etiam per præcipua revolutionum loca ſunt attendendi, ſed præcipuè in revolutione Solis. Ac præſertim diebus quibus complentur directiones aliquæ revolutionum: at efficaciores ſunt tranſitus per genitura loca.

CAPUT VIII.

An ad productionem effectuum omnium homini contingentium, tranſitus congrui Planetarum, cum directionibus & revolutionibus neceſſarii ſint, & quo tempore.

EFfectuum, ſive mutationum homini accidentium quædam ſunt inſignes, quæ nati ſtatum inſigniter mutant corpore, animo, vel fortunâ; ut conjugium, morbus periculoſus, duellum, &c. aliæ parvæ, ut ira, convivium, incontinentia, &c. aliæ vero mediocres, ut litigium, brevis morbus ac tutus, &c. in quibus omnibus eſt habenda ratio conditionis, & diſpoſitionis nati. Siquidem latroni publico milliones impune furanti, furtum decimum millium pro re parva cenſetur: in ſupremo prope Regem poteſtate conſtituto, quotidiana quæ accidunt fortunæ incrementa, parva ſunt, quæ mediocris conditionis homini magna eſſent. Ad rixas & duella propenſo etiam duellum non erit in eo inſignis mutatio: eademque eſt ratio de cæteris, quæ ſunt ab indole, vel profeſſione nati. Jam vero ad exiguas mutationes, præſertim indoli, aut profeſſioni conformes ſolus tranſitus ſufficere poteſt, idque frequenter experientia patet; eas enim à leviori cauſa produci par eſt, à magna vero produci alienum à proportione cauſæ & effectus, & idcirco ♀ tranſiens per luxurioſi Horoſcopum, ſola ſua natura natum ad ludos, jocos, & voluptates provocare poteſt: ſed efficacius ſi fuerit domina primæ, vel quintæ, ſimiliterque ♂ per Medium Cœli militis generoſi tranſiens, hunc ad aliquid militare aggrediendum accendet, præſertim magiſterii dominus. Mediocres autem mutationes ſaltem revolutionis conſenſum etiam poſtulant: at magnæ requirunt inſuper congruæ directionis concurſum. Præterea effectuum homini accidentium, alii ſunt momentanei, ut præcipitium, vulnus, improviſum, dignitas inſperata & inopinatè collata: alii ſunt diurni, ut diaria febris, alii verò plurium dierum, vel menſium, ut morbus ad mortem, lis ad duellum, furtum ad patibulum, amor ad nuptias intra dies, vel menſes aliquot terminanda. In his autem & aliis omnibus effectibus à Cœlo manantibus congrui tranſitus intervenire ſolent, ut experientia probat: ergo ipſos ex parte cauſarum Cœleſtium neceſſarios eſſe conſtat, veluti cauſas actuales, ſine quibus ipſæ etiam cauſæ potentiales futurorum effectuum in radice & revolutione, non reducuntur ad actum.

Porrò in momentaneis & diurnis effectibus, tranſitus congrui fiunt ipſis diebus effectuum; ſi non partiles, ſaltem à partilitate parum differentes; quippe quod prope partilitatem vis tranſitus ſit magna, in ipſa vero ad gradum partilitate, maxima. At in effectibus plurium dierum, vel menſium, quoniam non fit inſignis in nato mutatio à cauſis cœleſtibus ſine concurſu actualis cauſæ; congrui tranſitus ſunt in horum effectuum principiis neceſſarii: ſæpe vero accidit etiam congruus tranſitus in fine, ut die mortis, nuptiarum, dignitatis tandem obtentæ poſt multas oppoſitiones &c. atque hic confirmat & roborat priorem tranſitum in effectus principio, ejuſque complet effectum: interdum vero ſolus tranſitus in principio ſufficit ad effectum, ob robur benefici, aut malefici influxus, quem nato imprimit ad agendum, aut patiendum, nec apparet congruus in fine tranſitus, ut die mortis a longo morbo. Atque hoc ſæpe fallit Aſtrologos circa vim tranſituum, dum ipſo die mortis nullum vident fieri congruum tranſitum, ſaltem inſignem, attendunt enim præcipuè ad diem quo completur effectus, cum tamen potius attendendum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

dum ſit ad diem quo incepit, non idcirco neglectis ſubſequentibus congruis tranſitibus pro inquiſitione diei quo finietur, aut complebitur effectus.

Attamen notandum etiam quod tranſitus initio revolutionum, maximè ſunt efficaces, quoniam, ſcilicet, concurrunt cum univerſali conſtitutione: & hanc quatenus actuales cauſæ ſtatim reducunt de potentia ad actum, ita ut non ſit opus alia actuali cauſa, præſertim vero Lunæ revolutione. Quod ergo tranſitus congrui ſint directionibus & revolutionibus neceſſarii, & quando præcipuè, patet ex ſupra dictis.

Caput IX.

Poſita directione inſignem effectum præſagiente, cujuſnam Planetæ tranſitus ſit ad effectus productionem neceſſarius, & per quem locum, ut tranſitus ipſe dicatur congruus.

Quæſtionem hanc arduam ſic enodare conabimur. Certum eſt effectum directionis accidere, quo anno ipſa completur, ſi revolutio congruat: nec tamen id fieri ſine actuali influxu à congruo tranſitu: quæritur autem quem Planetam ad effectus actualem influxum tranſire conveniat? an ſignificatorem, an promiſſorem, an vero alterum? tum per quem locum? an ſignificatoris? aut promiſſoris? an vero alterius?

Pro quo notandum primò. Quemlibet Planetam proprio motu ſub Zodiaco, circumferre utramque ſuam virtutem: ſcilicet eſſentialem à propria forma, & accidentalem à determinatione ſua reſpectu nati in figura genituræ: ſcilicet eſſentialem perpetuo; accidentalem vero tam diu ſervat & circumfert, quamdiu vivit ipſe natus. Quinimo quia Planeta quilibet determinatus eſt ad aliquid, circa ſingulos homines in toto Telluris orbe viventes, circumfert reſpectu ſingulorum vim illam ad quam reſpectu cujuſque fuit in radice determinatus, quamdiu vivit unuſquiſque, ſine ulla tot virtutum accidentalium confuſione: vinculum autem connexionis cujuſque hominis cum cœleſtibus corporibus per conſtitutionem genethliacam, morte diſſolvitur: & totum hoc eſt mirabile, ſi quidpiam ſit in univerſa natura mirabile, & Dei modo agendi circa particularia ſimillimum.

Secundò. Quatuor eſſe loca præcipua in genituræ figura, quibus vis ineſt directionis effectum producendi, quippe loca ſignificatoris & promiſſoris ipſius directionis, tum dominorum utriuſque: ſignificatorem vero plerumque non eſſe Planetam, ſed cuſpidem, ut Horoſcopum, vel Medium Cœli, cui tranſire non convenit, ſed ejus domino.

Tertiò. Planetas vim ſuam à determinatione radicali circumferentes, ſecundùm hanc fere ſemper agere nati reſpectu, data occaſione in proprio motu per tranſitum in congruis figuræ locis. Aliquando vero etiam agere ſecundum ſuam vim duntaxat eſſentialem; nihilominus determinatam ad ſignificatum radicale loci, per quem Planeta ipſe tranſit: ut ♀ tranſiens per Medium Cœli, præſertim à maleficis libera, fortunat actiones & ſuſcepta, etſi in radice nullam habuerit horum particularem ſignificationem. Et hoc pacto Planeta quilibet tranſiens ſubit rationem promiſſoris, quia, ſcilicet, activè determinatur ad ſignificatum radicale loci per quem tranſit, agitque circa illud: quod eſt de ratione promiſſoris.

Quartò. Planetam ſub actuali influxu per tranſitum, excitare, aut nati, aut cauſarum externarum potentias activas & paſſivas ad effectum.

His intellectis, dico univerſim: ad directionis effectum, neceſſarium eſſe tranſitum, qui ſignificatione ipſi directioni concordet. Hoc eſt quod ſi directio ſignificet morbum, aut dignitatem, etiam tranſitus morbum, aut dignitatem ſignificet. Concordat autem tranſitus ſignificatoris Planetæ per ſuum locum radicalem corpore, vel aſpectu directioni congruo, potentique; ſed magis concordat ejuſdem tranſitus per locum promiſſoris corpore, vel aſpectu, ut ſupra: ſimiliterque valde congruit tranſitus promiſſoris Planetæ per ſuum locum radicalem, ſed magis adhuc congruit ejus tranſitus per locum ſignificatoris. Dum vero tam ſignificator, quam promiſſor ſimul tempore pertranſeunt ſua loca radicalia propria, vel ſunt viciſſim alter in alterius loco, aut coeunt, vel apponuntur, aut quadrantur, aut trino ſe aſpiciunt ex uno ipſorum, juxta directionis qualitatem, hoc proculdubio eſt omnium validiſſimum.

Quoniam vero ſignificator in directionibus, vel ejus radicale ſignificatum ſubit rationem ſubjecti, promiſſor vero rationem cauſas agentis, priuſque fit tranſitus per ſignificatorem, quam per promiſſorem, quia hic ſequitur, ille vero antecedit, fit manifeſtum in primis, quod Planeta tranſiens per ſignificatorem, ſubjectum ſaltem actu diſponit ad agentis efficientiam: per promiſſorem vero tranſiens, cauſam agentem excitat ad effectum: ſi igitur ſignificator tranſiverit per ſuum locum radicalem: à duplici ejus circa idem ſubjectum determinatione, radicali, ſcilicet, & tranſitiva: duplicabitur virtus ſignificatoris circa ipſum ſubjectum, hujuſque diſpoſitio ad effectum: qui erumpet præſertim à ſubjecti cauſa interna, ut à nati propria virtute, aut vitio, aut temperamento, &c. unde nil mirum ſi quo anno fit aliqua inſignis directio Solis, fauſta, vel infauſta, ipſo die revolutionis Solis, quo Sol tranſit per ſuum locum radicalem, aliis ingens bonum, aliis vero ingens malum acciderit, præſertim cum Sol in ipſa revolutione eſt in cardine & congruo Cœli ſtatu, ſicut legitur de Imperatore Carolo V. cui pluries diebus ſuarum revolutionū inſignes fœlicitates contigerunt.

Similiter ſi promiſſor tranſierit per ſuum locum radicalem, etiam inde duplicabitur vis ejus & ſignificatio radicalis: tum actualis, tum potentialis, quo anno directione fit actuale: ideoque duplicabitur vis cauſæ agentis; quæ cum tranſitu ipſo excitetur in actum: inde plerumque ob robur efficientis producitur effectus ſine ulla ſubjecti diſpoſitione, ſed à cauſa externa; ut dum quis ex improviſo occiditur, vel dignitatem conſequitur.

Dum

Dum verò ſignificator tranſit per promiſſoris locum aut contra, utraque augetur & excitatur potentia, ſcilicet paſſiva ſubjecti & activa efficientis: quia tunc uterque Planeta ad ſignificatum utrumque, ſuo tranſitu determinatur; proindeque certiùs & efficaciùs perficitur effectus, quàm antea. Eſt tamen tranſitus promiſſoris per locum ſignificatoris omnium efficaciſſimus, pro efficientis robore, & effectus productione: quia promiſſor bis circa idem agendum determinatur, directione ſcilicet ac tranſitu: quibus ſi acceſſerit congruus promiſſoris ſtatus in revolutione, magnus ſequetur effectus. Et notandum, quod dum ſignificator tranſit per promiſſorem, ſubjectum ſeſe exponit afficiendum cauſæ activæ: At contrà dum promiſſor tranſit per locum ſignificatoris, cauſa activa ſeipſam applicat ſubjecto, illudque interdum ex improviſo afficit.

Minores fiunt effectus, dum promiſſor & ſignificator tranſeunt per loca ſuorum dominorum, vel hi per loca illorum, niſi aliunde effectus intendatur: cùm enim circa idem plura ſemper determinentur: ut circa vitam Horoſcopus, ejus dominus, & hujus domini dominus, &c: Prima cauſa eſt omnium efficaciſſima: Secunda minùs, tertia adhuc minùs, quarta nullius efficaciæ ſaltem ſenſibilis, ut jam alibi dixi. Advertendo quod dominus promiſſoris, hujus vices gerit, & dominus ſignificatoris ſimiliter. Ubi verò fiunt tranſitus non per corpus, ſed per aſpectum Planetæ: eſt habenda ratio naturæ aſpectus, & domus in quam cadit, quamque Planeta tranſiens perambulat: effectus enim erit fauſtus vel infauſtus, aut faciliis vel difficilis ad erumpendum pro natura aſpectus; & plerumque ob ſubjectum & ſignificatum ipſius domus. Ut ſi ♄ dominus octavæ radicis, directione occurrit Soli aphetæ, & per hujus □ tranſiverit in duodecima domo; cavendum eſt Nato à morbo lethali: quippe à morbo ob ♄ tranſeuntem per □ aphetæ in duodecima domo, lethali verò, quia ♄ eſt anærera naturâ ſuâ & determinatione ob dominium in octava.

Porrò non ſolùm erumpunt directionis effectus à tranſitu ſignificatoris, promiſſoris, vel domini alterutrius per aliquem ex 4 locis ſupradictis: ſed etiam ab eorumdem tranſitu, per alia loca ſignificationi directionis congruentia. Ut ſi ☽ Horoſcopi domina dirigatur ad ſequentem ♂; hic verò per Horoſcopi vel ☉ in prima locum tranſiverit: aut ſi Horoſcopus ipſe dirigatur ad ♂ & dominus Horoſcopi tranſiverit per locum ♄ domini octavæ, morbi & vitæ pericula portenduntur. Imò directionum effectus emergunt etiam à tranſitibus aliorum Planetarum congruæ ſignificationis per eadem 4 loca. Ut ſi Sol dominus decimæ dirigatur ad ♀ dominam ſecundæ; Jupiter verò dominus nonæ per Solis locum tranſiverit, honores & divitię ex dignitate eccleſiaſtica, aut legatione ſignificantur: nam divitiarum, ſplendoris, dignitatis eccleſiaſticæ & legationis ſignificationes, inter ſe ſunt affines.

In omnibus autem tranſitibus attendendum eſt ad ☉ & ☽ Planetas primarios, & cæteris univerſaliores: quomodo ſcilicet tempore tranſitus ſeſe habeant ad 4 loca ſupradicta, & tranſeuntem Planetam: tum advertendi etiam ♃ & ♀ pro bonis effectibus: nec non ♄ & ♂ pro malis; habita ratione determinationis radicalis, ſingulorum: Inde enim vel promptiores vel intenſiores producuntur effectus. Ex quibus patet Planetarum tranſitus multipliciter ad directionis effectum congruos eſſe poſſe.

Caput X.

Quo pluribus exemplis vel obſervationibus tranſituum virtus & actualis efficacia comprobantur.

OBſervationes innumeras hîc inſerere poſſem admiratione digniſſimas, circa virtutem tranſituum à me factas, & ab aliis Aſtrologis veteribus & neotericis. Sed quia geneſes ad quas illæ pertinent, etiam apponendæ eſſent: idcirco ſatiùs videtur ampliorem probationem differre ad particularem librum de Judiciis geniturarum aliquot ſelectarum, quas ad confirmationem Aſtrologiæ Theoricæ à nobis traditæ, methodo noſtra judicare decrevimus ad numerum forſitan 100, eaſque ad finem Aſtrologiæ noſtræ practicæ apponere, ſi Deus ad hoc vitam conceſſerit: Et hoc capite virtutem ipſam probare duntaxat exemplis geniturarum & revolutionum lib. 23. expoſitis, circa accidentia de quorum diebus nobis conſtat.

Itaque Guſtavus Adolphus Rex Suetiæ, occubuit in prælio Luthzenenſi, die 16 Novemb. 1632, horâ circiter 9 matutina. Fuitque directio Medii Cœli radicalis ad 25 gradum ♏ □ ♄ ex octava & corpus ♂ in duodecima, tum □ ♃ domini Horoſcopi ex ſecunda. Directio autem Medii Cœli in revolutione ☉, fuit ad 29 grad. 40′. ♌ locum ♂ in ipſa revolutione, & □ ♄: Tandemque directio Medii Cœli, in revolutione ☽ fuit rurſus ad 28 grad. ♌ in octava □ partilem ♄ in illa revolutione. Fuerunt igitur tres illæ directiones in peſſimis figurarum locis & prorſus concordes pro morte violenta.

Die verò necis ♀ domina Medii Cœli radicis & revolutionis ☉, quæ in revolutione ☽ reperitur in decima exul in ♏ domo ♂, tranſibat per 9 gradum ♐, prope Horoſcopum radicis & revolutionis ☉, ac partiliter per ſuum locum in ipſa revolutione cum corde ♏. Saturnus verò promiſſor in illis directionibus, erat in 1 grad. ♐, loco ♂ in revolutione ☉, applicans hujus revolutionis Horoſcopo radicali, necnon ♀ conjunctus; Mars autem erat in 19 gradu ♐ □ ☽ radicali, applicans loco radicali ☉, qui cum ☽ præerat octavæ radicis & revolutionis ☉, defluens tunc à ♀. At Sol dominus octavæ in tribus ſupradictis figuris, & apheta in radice & revolutione ☉, tranſibat per 25. gradum ♏ locum radicalem ♂ partiliter, & □ ♄ atque ♃ in ipſa radice: Jupiter verò dominus Horoſcopi radicalis & revolutionis in iiſdem figuris, erat tranſitu in 20 grad. ♉ ſuo & ♄ □ radicali; necnon ☍ loci radicali ♂. Hi ergo omnes tranſitus cum figuris & directionibus erant maximè lethales: ſed omnium peſſimus fuit tranſitus Solis aphetæ. Atque hîc non ſolùm concurrunt tranſitus ſignificatoris, quippe ♀ dominæ Medii Cœli: & ♄ cum ♂, ſuis □ & corpore promiſſorum; ſed etiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

alii congrui ut Solis aphetæ, & ♃ domini Horoſcopi.

Conneſtabilis Diſdiguieres cœpit ægrotare, die 21 Auguſti 1626. quo fiebat novi lunium in 28 grad. ♌. Ideoque Luna defluxerat eo die à □ ♂ & ♄ ad ☉; erat autem ipſa domina Horoſcopi radicalis, & dirigebatur ad ſuum □ ſiniſtrum, cum eſſet apheta, ſequente ⚹ ♄: Ac die incipientis morbi, ♄ dominus octavæ in radice & revolutione ☉, erat in 17 gr. ♍ ☍ radicali partilique ☽: Mars verò dominus ♄ fuit in ejus loco in revolutione ☉, Sol autem & ☽ fuerunt in △ ♀ radicalis, ſed quia hæc erat domina duodecimæ exul in ♈, prodeſſe non potuit, præſertim ſola adverſus infauſta ſuperiùs dicta.

Mortuus eſt autem die 28 Septembris, quo ☽ fuit in 5 gr. ♑, pravè affecta □ ♂ & ☉ conjunctis in 5 gr. ♎, loco ipſius ☽ in revolutione ☉; Venus autem domina duodecimæ radicis, in duodecima revolutionis ☉ erat in 13 gr. ♏ applicans ☍ ♂ & loco ♄ radicalibus: quod ſat funeſtum; cùm præſertim in ultima revolutione ☽, ipſa ☽ maximè fuerit afflicta ☍ ☉ ♄ & ♂ ferè partiliter: unde ſenex lethalem eo menſe ſuſcepit impreſſionem.

Cardinalis Richelius ab acuta febre ſuperveniente morbo longo quo nondum perfectè curatus erat, tandem moritur die 4 Decemb. 1642. quo Horoſcopus radicalis dirigebatur ad ☍ ♃ in octava. Eoque die ♀ domina duodecimæ Horoſcopi & octavæ radicis, tranſibat per 29 gr. ♑ □ ipſius Horoſcopi: ♃ autem per 11 gr. ♓, □ ſuum radicalem: atque hæc de ſignificatore & promiſſore. Inſuper autem in revolutione ☉, ☽ ♄ & ♃ conjuncti erant in ☍ ☉ in ſeptima, ſed in revolutione ☽, ♄ ♃ & ☽ fuere juncti in octava in □ ☉ & ☿ domini octavæ radicis: fuitque ♄ partiliter ☽ conjunctus; quod eſt peſſimum pro vita in revolutionibus Lunæ; ſed erat peſſimo pejus, quòd talis ☌ fieret in octava: Lunâ exiſtente dominâ duodecimæ. Præterea ♂ dominus primæ radicis ipſo die mortis erat in 2 gr. ♉ ſua ☍ radicali: & ♀ dominus octavæ radicis, redierat ad ſuum locum radicalem partiliter: & ♄ fuit in loco ☽ radicali partiliter. Tot igitur cauſis cœleſtibus atrociter conjuratis oppreſſus eſt; qui nulli terreſtri ſe poſſe ſuccumbere putabat. Hic verò non modo concurrunt tranſitus congrui ſignificatoris & promiſſoris, qui ſunt ♀ & ♃: ſed etiam tranſitus congrui aliorum Planetarum; qui ſcilicet erant aut vitæ aut mortis ſignificatores, naturâ, vel determinatione vel utraque.

Dominus Tronſonus cœpit ægrotare, die 2 Octobr. Anni 1642: quo directio Horoſcopi radicalis fuit ad □ ſiniſtrum ☉: ipſo autem die ♀ domina Horoſcopi, & octavæ fuit in cuſpide ſecunda radicis, & ♂ in cuſpide octavæ, oppoſiti partiliter atque quadrati loco ☽ radicali, quæ tunc fuit in ☍ radicali ♂; & hic in revolutione ☉ erat oppoſitus, ſed in revolutione ☽ quę morbum immediatè præceſſit, erat quadratus ipſi ☽, & Saturnus Soli appoſitus; quæ fuerunt valdè prava: obiit autem die 8 Decemb. quo ♀ in 2 grad. ♒, & ♂ in 2 grad. ♉ rurſus fuere quadrati partiliter, quod eſt valde notandum: ac rurſus ☽ applicabat ☍ radicali ♂: Sol autem erat in 17 gr. ♐ applicans loco radicali ♄, ac tunc ejus □ infortunatus: quæ omnia erant valde prava, mortemque minantia.

B. Pater Carolus de Condren fit ſub-Diaconus, die 24 Maji 1613: quo anno ☉ in prima dirigebatur ad 17 grad. ♑ △ ſiniſtrum ♃ domini Horoſcopi in nona. Ac eo die Sol dominus decimæ cum ☽ in revolutione ☉ tranſibat per 4 grad. ♊ △ Medii Cœli radicalis ac ☽ in ipſa revolutione, quæ fuit in 5 grad. ♎, loco ipſius Medii Cœli; Jupiter verò fuit in ſuo loco radicali partiliter. Ejuſque dominus ☿ fuit in 23 grad. ♊ ☍ radicali ☉: Venus autem domina Medii Cœli fuit in 17 grad. ♉ △ partili ipſius ♃: erant igitur omnes hi tranſitus inſignes & congrui ad dignitatem eccleſiaſticam.

Die autem 17 Septembris ſequentis fit Diaconus. Tuncque ☉ fuit in 25 grad. ♍ in nona, □ ſuo radicali partiliter, ♃ dominus ☉ fuit in Medio Cœli radicis: At ♀ domina ipſius Medii Cœli, fuit in loco radicali ♂ in decima cui ipſa dominabatur: ideoque hi etiam tranſitus egregiè congruebant.

Anno 1614 die 17 Septembris fit Presbiter, quo die ☉ qui fuit in prima radicis, & ☿ dominus ♃ in nona radicis conjungebantur partiliter in ipſa domus nona in □ partili ☉: Luna autem tranſibat per ♃ & eorum oppoſitum: & hæc maximè congruebant.

Anno 1617 die 17 Junii, ſtatuit ingredi congregationem Oratorii JESU, quo anno ♂ in decima radicis dirigebatur ad ♀ ſuam dominam: eratque ipſo die in 15 grad. ♍, loco radicali ♃: & Sol in 26 gr. ♊ ſuo ☉ radicali.

Anno 1642 die 6 Januarii, vir ſanctus ſanctè obiit circa horam 6. matutinam; quo anno Sol apheta in prima domo radicis dirigebatur ad □ ſiniſtrum ☽, quæ in duodecima lædebatur ☍ ♄. Cœpit autem ægrotare die 29 Decembris 1641; quo ipſa ☽ tranſibat per Horoſcopum, & ♂ partiliter per locum ☽ radicis: ♄ verò in octavo grad. ♓ quadratus Horoſcopo radicali. Die autem obitus ♄ fuit partiliter in □ Horoſcopi radicalis. Ac ♂ dominus ☽ erat in 6 grad. ♐ ferè ipſo Horoſcopo radicali, applicans □ ♄: tandemque Luna fuit in ☍ radicali ♃ domini Horoſcopi: quæ omnia interitum portendebant ipſo die, uti prædixeram.

Anno 1605. die 9 Julii horâ circiter octavâ veſpertinâ vulneratus ſum ob mulierem. Tunc verò Horoſcopus radicalis dirigebatur ad □ ſiniſtrum ♀; ſequentibus □ ☉ domini quintæ & ♃ domini octavæ, quibus ipſa ♀ conjungebatur. Ac eo die ♂ dominus Horoſcopi radicalis, ♀ domina primæ, ☉ dominus quintæ, & ☿ dominus ſextæ, conjuncti erant in loco radicali ♂, ac △ radicali ♄, domini Medii Cœli in duodecima: Ipſe verò ♄ tranſibat per domum octavam radicis, in □ radicali Lunæ: quæ omnia quadrabant effectui ejuſque circumſtantiis atque cauſis ſublunaribus.

Anno 1612 die 30 Maji magno longoque morbo correptus ſum. Tunc autem Horoſcopus dirigebatur converſè ad Lunam atque ♃ morborum & mortis ſignificatores: Directè verò dirigebantur ad 9 gradum ♊, non procul a ☿: ipſo autem die facta eſt magna Eclipſis ☉, in ipſo gradu, erantque ☉ & ☽ morborum ſignificatores

in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

in geneſi: ac ♄ etiam præcipuus morborum ſignificator, fuit in ☽ loco radicali, cui in præcedente revolutione ☽ conjunctus fuerat partiliter, & hoc erat peſſimum, ac lethale, vel ſaltem periculoſiſſimum, ut jam ſupra pluries notatum eſt. Mars verò dominus Horoſcopi radicalis fuit in 6 grad. ♈ in duodecima quadratus ſuo loco radicali, & ♃ dominus octavæ, fuit partiliter in ſuo loco revolutionis ☉ in quinta. Ab his ergo excitatus eſt morbus magnus, longus, & in quo à Medicis de vita deſperatum eſt.

Anno 1613 die 9 Maji, Doctoratum Medicinæ conſecutus ſum: quo anno Medium Cœli dirigebatur ad □ ⊗, & dodectilem partilem ♄, domini Medii Cœli; ipſe verò ☉ dirigebatur ad ⊗. Inſuper autem Horoſcopus converſè dirigebatur ad ☽ necnon ♃ dominum ☉ & ♄, qui præeſt Medio Cœli.

Ipſo autem die effectus, ♃ fuit in ☍ ☽ radicalis & △ Medii Cœli: Sol erat in prima radicis in ✶ radicali ☽, ac △ Medii Cœli, in quo tunc erat ipſa ☽: ideoque ☉ ☽ & ♃ erant in △ inter ſe per ſyzygiam: ♄ autem in dodectili partili Horoſcopi, & ♀ domina ⊗, erat in 29 grad. ♈ prope Horoſcopum ipſum radicalem.

Anno 1615 die 7 Julii, incidi in periculum mortis violentæ à catapulta in me exploſa ex tribus paſſibus, in Rheno, in quo voluptatis gratiâ noctu natabam: quo anno Horoſcopus radicalis dirigebatur ad □ ♄ in Ecliptica directè & ad ♀ converſè. Die autem ipſo veſperi, ♂ dominus Horoſcopi, fuit in 10 grad ♍ ferè ☍ ♄: & ♄ in 27 grad. ♈ Horoſcopo radicali. ♀ autem fuit in 17 grad. ♌ ☆ Lunæ in domo quinta, ubi quincunces cadunt ♀ ☉ ♃ ♄ atque ☽, unde & quia ☉ dominus quintæ eſt in duodecima cum ♄ & ♃ domino octavæ, voluptates ferè ſemper mihi fuerunt circa vitam aut valetudinem periculoſæ. Denique ☽ erat in cuſpide octava cum corde Scorpii: ergo tranſitus erant valde pravi.

Anno 1616 die 1 Januarii, aliud ſubii periculum præcipitii ex equo & ſubmerſionis horrendum: Quo die ♂ dominus Horoſcopi radicalis atque Sol, erant juncti in ☍ radicali ♂ prope Medium Cœli, Luna erat in ♊, quadrata ♄ & ☽ radicalibus: ♃ & ☿ erant in octava radicis in altero □ ♄ & ☽ radicis, ideoque Lunæ ipſi per ſyzygiam oppoſiti.

Eodem anno 1616 die 16 Aprilis incidi in magnum malignumque morbum, quo tempore Horoſcopus dirigebatur ad □ ♄ cum latitudine. Die autem ipſo Sol ☽ & ♄ tranſibant per Horoſcopum ipſum; Mars dominus Horoſcopi fuit in 6 grad. ♈ ſuo □ radicali; ut die 30 Maji 1612. quo in alium incidi morbum valdè malignum, de quo ſupra. Venus autem fuit in 16 grad. ♓ loco radicali ☽ & ♄.

Anno 1629 factus ſum Profeſſor regius in Mathematicis amicorum ope. Quo anno Medium Cœli dirigebatur ad ☿ dominum ſecundæ in undecima. Negotium autem ſuſcepi die 30 Junii, quo ♄ dominus Medii Cœli fuit in ſuo Antiſcio & exaltatione cum ſpica ♍; Mars dominus Horoſcopi radicalis fuit in 10 grad. ♉ loco ⊗, Sol fuit in 9 gradu ♋ loco radicali ☉: Venus domina primæ & ⊗ fuit in 4 gr. ♋ △ ſuo radicali atque Solis & ♃, prope locum ♂; Luna autem fuit in 12 grad. ♏ △ ♄ & ☽ radicalis in ſeptima: & ſuſceptum ſucceſſit fœliciſſimè. Litteras autem meæ dignitatis habui regio ſigillo munitas, die 3 Auguſti ſequentis, quo ♄ fuit ut ſupra: Mars dominus Medii Cœli in revolutione Solis, fuit in 4 grad. ♊, quadrato ☉ & ♃ radicali: ☿ autem fuit in ☍ radicali ☉ & ♃.

Anno 1634. die 30 Martii, facta eſt à me publica demonſtratio ſcientiæ longitudinum. Tuncque Medium Cœli dirigebatur ad Solem. Die autem ipſo, ♄ ipſius Medii Cœli dominus erat in 21 ♐ ☍ ☉ in revolutione ☉ & ♃ in 24 ♊ ipſius ♄ ☍, & ferè antiſcio radicalis ♂; ipſe verò ♂ potens exaltatione, in Medio Cœli radicis, fuit in 13 grad. ♍ ☍ radicali ♄ & △ radicali ipſius Medii Cœli: Sol verò & ☿ fuerunt in 10 grad. ♈ □ radicali ☉; tandemque ☽ fuit in Horoſcopo radicali. Teſtantur quidem omnes Aſtronomi, me ſcientiam illam perfectè demonſtraſſe. Sed Cardinalis Richelius, perfidia & proditione Commiſſariorum meorum, me promiſſo præmio iniquè fraudavit: quòd ominabantur oppoſitiones & quadrata in tranſitibus ſuprapoſitis.

Anno 1642 die 2 Novembris, longo ac difficili morbo correptus ſum, à directione Horoſcopi ad ♂ in Ecliptica. Et eo die incepit revolutio mea Lunæ, in cujus figura aſcendebat ☍ radicalis ☉: & ♄ dominus Horoſcopi fuit conjunctus ☽ ferè partiliter in domo ſecunda. Luna enim applicans ♄, hunc intra duas horas aſſecuta eſt, quo tempore morbus incipiebat ſaltem inſenſibiliter: nam horâ duntaxat poſt meridiem ferè tertia, per rigorem erupit ſenſibiliter. At Lunam in ſuæ revolutionis figura partiliter conjungi vel opponi ♄: jam ſæpius diximus eſſe valdè infauſtum, quantò igitur magis tunc etiam incipiente morbo? hic ni fallor cauſatus eſt ab illa conjunctione.

Caput XI.

De exacto eventuum tempore per tranſitus: & an latitudo ſit in his obſervanda: doctrina Thematibus Cæleſtibus comprobata.

Aſtrologiæ judiciariæ ſupremus apex, unde hujus ſcientiæ major admiratio & Aſtrologi celebrior fama oritur, eſt exàctum tempus eventuum, ad diem & horam prædicere: quod non ſolùm mihi, ſed pluribus etiam veteribus Aſtrologis pluries accidit, ut teſtantur Hiſtoriæ: eritque poſteris multò familiarius, ob univerſam Aſtrologiam; ſed præſertim doctrinam iſtam per directiones & revolutiones, necnon tranſitus jam longè puriùs & accuratiùs traditam, quàm fuerit unquam antea. Poteſt autem illud tempus multifariam conjici ac innoteſcere ut ſequitur.

Primum ergo: Dum directionis promiſſor & ſignificator Planetæ, redeunt ad ſua loca radicalia, completæ directionis anno: vel unus tranſit per alterius locum corpore vel radio congruo, vel ambo conjunguntur in altero locorum: tunc imminet effectus à tali eorum tranſitu: Duplicatur enim tunc vis determinationis radicalis ipſorum, ejuſque virtus. Imò Planetæ omnes dum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

tranſeunt per ſuam ☍ & □ radicis; excitant ad actum ſignificata ſua radicalia, ob vim illius crucis in Cœlo, quam Joannes Francus Offuſius ſcribens in Aſtrologiam non potuit non admirari & fateri.

Secundò. Si aliquo Planeta per alterius locum tranſeunte partiliter, accidat ut ambo conjunctione vel congruo fortique radio commiſceantur in Cœlo per ſyzygias: aut ſaltem Planeta tranſiens ſimiliter connectatur cum domino loci per quem tranſit: tunc producetur effectus à tali tranſitu, ſi directioni congruat: ſic enim ſignificator & promiſſor ſeſe mutuò juvant & excitant.

Tertiò. Si ad directionem Horoſcopi radicalis, ad ♄ octavæ præſertim vel duodecimæ domus domini corpus, □, vel ☍, accedat eodem anno ipſius ♄ tranſitus, per Horoſcopum, □, ☍, ſed præſertim corpore: Morbus aut vitæ periculum pro certo timenda ſunt: Maximè verò ſi ♄ tranſitui acceſſerit ipſum à ♂ aut luminaribus, in ſexta, octava aut duodecima potentibus hoſtiliter aſpici, aut cum his corporaliter jungi. Tunc enim peſſimè afficitur Horoſcopus & Natus per conſequens actuali influxu maleficiorum circa vitam. Eademque eſt ratio in cæteris, nam hîc & alibi ſæpiſſimè ex particulari caſu doctrinam tradimus univerſalem.

Quartò. Quando beneficus Planeta fuerit in Medio Cœli radicis, vel ipſius Medii Cœli dominus benè affectus: & in congrua directione ac revolutione, tranſiverit ipſe Planeta per Horoſcopum radicis, vel locum domini Horoſcopi benè affectus, & cum ipſo domino benè configuratus: tunc Nato in ſuſceptis actionibus vel dignitatibus aliqua fœlicitas accidet: Ad hæc enim tam Medium Cœli quàm Horoſcopus ſimul actu determinantur, aut potiùs ipſe Natus per Horoſcopum & Medium Cœli. Eademque eſt ratio in cæteris.

Quintò. Habenda eſt ratio ſtatus Nati, dum vigentibus directione & revolutione, ad fauſtum vel infauſtum accidens conſpirantibus, imminent validi tranſitus congruentes. Nam ſi quis litem habuerit duello obnoxiam, anno minacis directionis & revolutionis, fueritque maleficus in octava radicis: quo tempore dominus Horoſcopi radicis tranſibit per locum illius malefici, vel ejus oppoſitum, duellum accidet & occidetur, niſi periculi conſcius ipſum proclivitate naturæ prudenter ſuperata vitaverit: eademque eſt ratio in cæteris.

Sextò. In Planetarum tranſitu per loca radicalia, videndum ad quid in radice determinati ſunt Planeta tranſiens & locus per quem fit tranſitus. Nam ſi ambo determinati ſunt ad bonum idem ſpecie, ut duo benefici Planetæ in prima vel decima: aut ad bona diverſæ ſpeciei, ut dominus Horoſcopi & dominus ſecundæ vel Medii Cœli: Tunc tranſitus corpore vel radio benefico unius, per locum alterius erit opportunus fœlici effectui: veluti dum Sol in decima radicis tranſibit corpore vel △ per locum ♃ in prima: ſi autem fuerint determinati ad malum idem ſpecie, ut duo Planetæ in octava, vel duodecima, præſertim malefici: aut ad mala diverſæ ſpeciei, ut dominus octavæ, & dominus duodecimæ; vel unus ad bonum, alter ad malum; tunc tranſitus corpore vel radio malefico unius, per locum alterius, erit opportunus pravo effectui: Tranſitus autem radio benefico erit infidus; quòd Planetæ ad mala determinati, ſæpiùs noceant quàm proſint radiis beneficis, præſertim naturâ malefici: ut è contra ♃ & ♀ ad bona determinati, etiam □ vel ☍ proſunt, etſi non abſque difficultate. Atque ex ſupradictis & aliis ſimilibus dies eventuum prævideri poteſt, quæ res eſt haud parum facienda.

Septimò. Ad effectus à tranſitibus, non ſolùm requiritur ut fiant congrui in Cœlo tranſitus Planetarum: ſed etiam ut fiant in congruo ſitu ad Horizontem vel Nati reſpectu: tunc enim duntaxat ſuos producunt effectus: Atque inde accidentium hora detegi poteſt. Ut tranſitus ♄ per Horoſcopi gradum, eâ præſertim horâ timendus eſt, qua ♄ cum illo gradu oritur in Horizonte quem tunc Natus occupat; & ejus tranſitus per Medium Cœli, qua horâ ♄ Cœlum mediabit: & ejus tranſitus per locum Solis, qua horâ ♄ fuerit in circulo poſitionis radicali Solis: ac timenda eſt etiam hora, quâ ♄ fuerit in ſitibus oppoſitis; quod tamen præcipuè intelligendum eſt de ♄ locorum ipſorum ſignificatis ex determinatione radicali contrario. Nec ſolùm timendus eſt ♄ tranſitus per Horoſcopi radicalis gradum, dum motu diurno erit in Horizonte ortivo; ſed etiam cum eodem motu pertranſibit ſpatia primæ, ſeptimę, octavę & duodecimę domorum, quę ſunt vitę inimica. Eademque eſt ratio de aliis tam bonis quàm malis tranſitibus corpore vel aſpectu congruo.


Inde verò deſumi poteſt ratio, cur Lunæ tranſitus etſi frequentiſſimi ſunt, tamen raro operentur; quia ſcilicet ob velocem ☽ motum raro admodum accidere poteſt, ut cùm tranſit per ♄ locum, primum Cœlum ſe habeat ad Horizontem vel Natum, ut horâ nativitatis.

Et quia modus hic eſt unus è præcipuis ad horam effectus detegendam, ex 1000 obſervationibus quas in medium proferre poſſemus, placet hîc ejus aliquot duntaxat exempla ſubjicere circa genethliacas figuras, quarum habentur revolutiones, lib. 23. Et quarum tempora effectuum, nobis ad horam uſque cognita fuere. Sic enim circa eaſdem figuras oſtenſa virtute directionum, revolutionum & tranſituum, doctrinæ à nobis poſitæ veritas patebit evidentiùs: quam cuilibet in aliis paſſim experiri licebit.

Igitur Guſtavus Adolphus Rex Suetiæ prælium incepit contra Imperiales circa horam 9 matutinam diei 16 Novembris 1632, & in ipſo congreſſus initio occiſus eſt. Tunc autem fuit Cœli figura ut in pagina ſequente.

Nempe Cœlum diſpoſitum ut in geneſi, revolutione Solis, & ferè revolutione ☽, quod eſt notatu digniſſimum. Venus domina Medii Cœli ſignificatoris in directione lethali, fuit in Horoſcopo vitæ ſignificatori primario cum fixa violenta, obſeſſa à ♄ & ♂ anæretis in ipſa directione; qui 3 Planetæ ipsâ horâ oriebantur; Marte applicante loco radicali Solis domini octavæ, exiſtente partiliter in loco radicali ♂ & □ radicali ♄ in duodecimæ domo, oppoſitus ♃ domino Horoſcopi, ♄ ♀ atque ♂, Lunâ autem etiam domina octavæ exul in △ partili ♃ & oppoſita octavæ. Talis igitur hora erat peſſima, ac porten-


187.38.



tendebat actionem ſive ſuſceptum bellicum lethale, quo die lethales tranſitus fiebant.

Cardinalis Richelius extinctus eſt die 4 Decembris 1642 horâ circiter meridianâ: fuitque figura talis.


250. 30.



In qua Horoſcopus eſt ☍ Horoſcopi revolutionis ☽: & Horoſcopus radicalis, in lethali directione ſignificator, fuit in octava in □ ♀ ſuæ dominæ ex duodecima, quæ hac in figura erat domina octavæ cum ♂, cujus □ applicabat: Jupiter autem promiſſor anaræta ſua ☍, fuit in prima in ſuo □ radicali, & conjunctus ♄ domino duodecimæ ac Horoſcopi, in □ ☉ & ☿ domini octavæ radicis, qui tunc erat cum Sole in ſuo □ radicali: Mars verò vitæ ſignificator in geneſi, tranſibat per ſuam ☍, exul & oppoſitus octavæ cum ☽, quibus ♀ præerat ex duodecima: omnes igitur Planetæ in illius mortem eâ horâ conſenſerunt.

B. Pater Carolus de Condren, obiit die prima Januarii, anno 1641, horâ circiter ſextâ matutinâ; fuitque tunc figura Cœli, ut in pagina ſequente.


192. o.



In qua Cœlum diſponitur ut in geneſi & revolutione Lunæ, Sol ſignificator in lethali directione, eſt dominus octavæ in prima læſus □ ♂ domini duodecimæ radicis, & hujus figuræ, tranſeuntis per ſuam ☍ radicale: Luna autem □ ſuo anæreta, reperitur in octava læſa ☍ ♄ exiſtentis partiliter in □ ſiniſtro radicali ipſius ☽. Tranſitus ergo & Planetarum ſitus erant ipsâ horâ peſſimi.

Nobiliſſimus D. Tronſonus ipſi R. Patri amiciſſimus, obiit die 8 Decembris 1642: horâ circiter nona matutina, ſub tali figura.


209. o.



In qua ♀ domina Horoſcopi & octavæ radicis, proindeque ſignificatrix in lethali directione, reperitur in prima læſa □ ♂. Sol verò promiſſor & hac in figura dominus octavæ reperitur in duodecima cum ☿ domino octavæ radicis: qui tranſit per locum ♄ radicalem, amboque læduntur □ ♄ domini Horoſcopi exiſtentis in ſecunda cum ♃ domino duodecimæ, ☉ & ☿: erant ergo tales tranſitus & Planetarum ſitus vitæ hoſtiles, cùm etiam Luna tunc occideret.

Ego vulnera periculoſſima excepi die nona Julii 1605 horâ circiter octavâ cum 24′ veſpertinâ; fuitque figura ut ſequitur.

234.42.




In qua Horoſcopus radicis, ſignificator in directione, eſt oppoſitus octavæ: & Horoſcopat ☍ cuſpidis quintæ: ♀ autem ſuo □ promiſſor, eſt in ſexta applicans ⊙ domino quintæ radicis, & conjuncta ♂ & ☿ ſuper loco radicali ♂. Eſt autem ♂ dominus Horoſcopi radicalis, oppoſitus Medio Cœli, & ☿ dominus ſecundæ & ſextæ radicis, oppoſitus quintæ in ipſa radice; hîc verò ♀ eſt dominus quintæ & octavæ applicans ♂ domino Medii Cœli; ſuntque ☿ ♂ ♀ & ⊙ in ☍ ♃ domini octavæ radicis, cadentis & retrogradi in duodecima. Denique ♄ eſt in octava radicis, hîc oppoſitus quintæ. Ergo tranſitus & ſitus Planetarum, vulnera minabantur & mortem à ſignificatis quintæ causâ mulieris: ſed Deus mei miſertus eſt, cui ſit à meipſo æterna gratiarum actio. Amen.

Die 7 Julii 1615. circiter 10 horâ 20′ veſpertinâ, maximum in Rheno ſubii periculum occiſionis & ſubmerſionis, fuitque figura talis quæ ſequitur.

In qua Horoſcopus ſignificator in directione prava illius anni reperitur in prima domo; & ♄ ſuo □ promiſſor, tranſit per ipſum Horoſcopum: Aſcenditque locus radicalis ♄ in ſigno aqueo, cui partiliter opponitur ♂ dominus Horoſcopi radicalis. Jupiter autem dominus Horoſcopi eſt in

260. 20.




octava in ſigno etiam aqueo ſub dominio ♂ in △ ☽ & ☿ ex quinta defluentium à loco radicali ♂ in ſigno etiam aqueo: ac ☽ domina ⊙ & ☿ eſt in octava cum corde Scorpii: Denique ♀ domina pri-

primę radicis, reperitur in quinta radicis & ſexta hujus figuræ, in □ ♃ domini octavæ radicis in octava hujus figuræ: omnia ergo ſitu erant & determinatione peſſima. Laus DEO: Amen.

Die 1 Januarii 1616 hora ferè 2 pomeridiana, horrendum prorſus mortis periculum ſubii à caſu ex equo præcipitio & ſubmerſione, fuitque figura talis.


311. 33.



In qua Horoſcopus tunc vigentis & minacis directionis ſignificator, erat in duodecima hujus figuræ, cui applicabat ♄ ſuo □ promiſſor, hac in figura dominus octavæ: Mars autem dominus ipſius Horoſcopi radicalis erat tunc in octava cum ☉, ſuper oppoſito radicali ♂, idque in □ ♄ pravè affecti ſigno atque domo. Hujuſque figuræ Horoſcopus erat □ ſiniſter ♄ radicalis, in quo reperitur ☽, oppoſita ♃ domino octavæ radicis, hanc quoque domum pertranſeunti. Quæ omnia ad ingens periculum erant congrua, & quia illud periculum ſagæ maleficio paſſus ſum. fatendum eſt diabolum opportunitati horarum ex aſtris etiam ſtudioſè invigilare, ſuaſque pravas artes naturali fato quod invertere nequit accommodare callidè ad hominum perniciem: ſed ſummâ DEI miſericordiâ, & boni mei Angeli fideliſſimâ cuſtodiâ prorſus miraculosè liberatus ſum: pro quo laudet anima mea dominum in æternum: Amen.

Die 2 Novembris 1642. circiter hora pomeridiana, corripuit me febris cum rigore, unde morbus longus ac difficilis: fuitque figura talis.

262. 3.



In

In qua aſcendit locus ♄ & ☽ radicis, erantque ☽ & ♄ morborum ſignificatores in geneſi, hîc partiliter juncti inter ſe; platicè autem juncti Horoſcopo & ♃ domino octavæ radicis: tantumque duabus circiter horis Lunæ revolutio præceſſerat. Mars verò dominus primæ erat exul in cuſpide ſecunda & oppoſitus ☉ in octava, cui ipſe ♂ præerat: Ac ☉ & ♃ erant in △ aſpectu, ſed noxio ob eorum determinationem ad morbos atque mortem; fuit igitur infauſtus & ad morbum congruus hic ſtatus atque ſitus Planetarum.

Atque hæc de exacto tempore eventuum à tranſitibus ſufficiant, ex ipſis enim reliqua omnia ad hanc materiam pertinentia facilè intelligi vel deduci queunt.

Quod verò ſpectat ad Planetarum tranſeuntium latitudinem: Dico non eſſe multùm neceſſarium ipſam obſervare ſaltem in levioribus Planetis quorum tranſitus celeres ſunt: Quòd præſertim ſi directiones ad gradus longitudinis promiſſorum ſæpiùs validæ ſunt, ut ex ſupradictis patuit; quidni etiam tranſitus, quos ad effectum non eſt neceſſe partiles eſſe? Attamen quò partiliores fient tranſitus, eò efficaciores erunt, quò minùs partiles, eò debiliores. Ideoque ſi ♂ cum latitudine meridionali 3 graduum tranſiverit per ☍ ☽ cum latitudine boreali 5 graduum, talis tranſitus erit virtutis exiguæ, cui verò ſunt extra orbem virtutis Planetarum, nullius ſunt virtutis conſpicuæ.

CAPUT XII.

An Planetæ agant in Natum per ſyzygias ſuas extra geniture loca per quæ tranſitus fieri ſolent: Ac quomodo, & quando.

PLanetæ non ſolùm tranſeundo per Geniture loca, producunt effectus circa Natum, vel res ad ipſum pertinentes: juxta ſuam determinationem radicalem, ut ſuperiùs dictum eſt. Sed etiam agunt per ſyzygias mutuas extra ipſa loca, ſeu in locis figuræ vacuis: non tamen extra determinationem illam, ſed penes ipſam. Verbi gratiâ, quo die dominus Horoſcopi & dominus octavæ conjungentur, etiam in locis figuræ vacuis: morbus aut vitæ periculum accidet: ſimiliter quo die dominus Horoſcopi & Medii Cœli conjungentur, aut fuerint in △ aſpectu; accidet Nato fœlicitas in ſuſceptis actionibus vel honoribus.

Cæterùm ex his ſyzygiis non ſemper ſequuntur effectus, ſed tantùm aliquando ſupplent tranſituum defectum; ſi nempe in ipſis duo advertantur, à quibus redduntur efficaces. Primum ut Planetæ conſtituentes ſyzygiam, ſint pravè configurati & affecti pro malo effectu à directionibus & revolutionibus præſignificato: & fauſtè pro bono. Secundum, ut fiant in domo vel domibus figuræ radicalis effectui congruis. Si quidem Planetæ agunt per ſyzygias, juxta domum vel domos figuræ radicalis, in qua vel quibus ſyzygia accidit, & naturam ſeu qualitatem ſyzygiæ. Contingit autem effectus à ſyzygia, ipſo die ſyzygiæ, & ſæpe ipsâ horâ, ſi hac nempe Planetæ ſyzygiam conſtituentes & diurno motu circumducti reperiantur in congruo ſitu ad Horizontem: hoc eſt congruis domibus figuræ Cœleſtis, quæ tunc erigeretur. Ratio autem cur tales ſyzygiæ ſint efficaces & quomodo, iſta eſt, quia Planetarum corpora ipſa ſunt cauſæ locorum Cœleſtium in figura radicis, quatenus determinatorum ab ipſis Planetis, quorum loca eſſe dicuntur. Ipſique Planetæ etiam circa Natum determinati fuere in radice ad hoc vel illud genus accidentis, juxta ſuum in figura ſitum corporeum atque dominium: ſuamque erga Natum vim ex determinatione tali retinent, eamque circumferunt efficacem in Natum quandiu ipſe vivit, ut Cap. 4. diximus. Ergo inde fit, ut dum Horoſcopi & octavæ domini per ſyzygias ſibi occurrunt, etiam extra loca radicalia; nihilominus agant in Natum ipſum juxta ſyzygiam ipſam ac determinationem radicalem: ambas enim pro effectu congruere decet.

CAPUT XIII.

De tranſituum aphoriſmis ſive legibus præcipuis.

QUi Aſtrologiæ Theoriâ pollet innumeros particulares aphoriſmos condere poteſt: quia particulares dependent ab univerſalibus per Theoriam præcognitis. Nos ergo hîc tantùm præcipuos quoſdam univerſales aphoriſmos apponemus, quorum cognitione alii tum univerſales, tum particulares ad tranſitus pertinentes facilè deducentur. Sit ergo

Primus. Tranſitus ♄ ♃ & ♂ aliorum Planetarum tranſitibus ſunt efficaciores. Nam hi cæteris tardiores, diutiùs morantur in locis per quæ tranſeunt: præſertim ſi fuerint ſtationarii; ideoque ex ipſis locis efficaciorem in Nato faciunt actualem impreſſionem. Indeque ſequitur Lunæ tranſitus (ſaltem ſolitarios) eſſe minimæ omnium virtutis: alioquin frequentiſſimi eſſent eorum effectus, contra experientiam: Saturni verò omnium maximæ, præſertim ſtationarii aut retrogradi.

2. Effectus cujuſlibet tranſitus, oritur ex combinatione actuali, ſignificatorum radicalium Planetæ tranſeuntis, & loci per quem fit tranſitus; habita ratione naturæ & analogiæ Planetarum.

3. Tranſitus Planetarum extra geniture loca; quippe 12 cuſpides, 7 Planetas, ⊕, & horum aſpectus & antiſcia; nullius ſunt erga Natum efficaciæ. Ut enim ab his pendet eſſe Nati, ita & omnes ejus mutationes. Quandoque tamen ſyzygiæ Planetarum in locis figuræ vacuis, ſunt efficaces, ut diximus Cap. 12.

4. In tranſitibus notandus eſt locus corporeus Planetę tranſeuntis: Nam ♂ tranſiens per cuſpidem 7 in ☍ Horoſcopi, certiùs lites portendit, ratione ſui loci corporei, quàm morbum ratione ſuę ☍ ad Horoſcopum.

5. In

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

5. In omni tranſitu notandus eſt ſtatus Cœleſtis Planetæ tranſeuntis quo tempore tranſit; An ſcilicet congruat vel contrarietur effectui à tranſitu ſignificato. Inde enim Planetæ tranſeuntis energia intenditur aut remittitur. Eſtque notanda ejus latitudo radicalis & ipſius tranſitus.

6. Durante effectu ab aſtris cauſato per directiones & tranſitus, diligenter obſervandus eſt motus ☽ & Planetarum qui illius effectus cauſa cenſentur, & quomodo in radicali figura promoveantur per tranſitus de loco ad locum ſimilis aut diſſimilis ſignificati: tum etiam quomodo motu proprio applicent per ſyzigias luminaribus & Planetis ſimilis aut diſſimilis ſignificati, naturâ vel determinatione. Inde enim ſucceſſus & finis effectuum detegi poteſt.

7. Tranſitus ☽ per loca figuræ ad initium morbi erecta; ſed præſertim per ſua □ & ☍, ſunt magnæ virtutis, ut experientia conſtat, & oſtendetur dum in praxi Aſtrologiæ tractabimus (ſi DEUS ad hoc vitam nobis conceſſerit) de uſu Aſtrologiæ in Medicina; quid ni ergo in figura erecta ad initium alterius rei aliquo tempore durantis, efficaces erunt tranſitus ☽ & Planetarum aliorum, qui rem ipſam ſignificant, per ipſius figuræ loca? Et hoc quidem facit ad doctrinam electionum: ſed ſi habeatur genituræ figura, hujus præcipuè habenda erit ratio in tranſitibus.

8. Quoniam Planetæ omnes tam directione quàm tranſitu agunt juxta ſuam determinationem radicalem, atque naturam propriam: in geneſi autem determinati ſunt ad rem aliquam, ut vitam: vel ad ejus contrarium, ut morbos & mortem; vel neque ad vitam, neque ad mortem, ſed ad rem aliam: ut dignitates; ergo in directionibus & tranſitibus, promiſſor Planeta determinatus ad vitam, & beneficus & bene affectus, deveniens ad vitæ ſignificatores, ſed præſertim Horoſcopum, vitam roborat: Determinatus ad contrarium, vitæ nocet, vel eam deſtruit; ſed ad horum neutrum determinatus, neque juvat, neque nocet, ſeu nihil (ſaltem inſigne) circa vitam operatur. Similiter Planeta tranſiens per Medium Cœli ad honores aptus Naturâ & determinatione radicali; honores conferet: Determinatus autem ad contraria, ut carceres, exilium, mortem, præſertim naturâ maleficus & pravè affectus, vel Medio Cœli inimicus, eoſdem evertet, vel ipſis multùm nocebit, vel ne contingant impediet; ſed ad neutrum illorum determinatus, nihil (ſaltem inſigne) cauſabit circa honores, actiones vel ſuſcepta: etſi leve aliquod accidens circa eadem concitare queat, juxta ſuam naturam vel determinationem radicalem: Quippe dignitatem conferre vel evertere, major eſt effectus quàm dignitati aliquod leve bonum vel malum accidens dignitati inferre. At majores effectus, ſunt a majoribus cauſis, & minores à minoribus, quales ſunt ad rem aliquam non determinatæ. Eademque eſt ratio de aliis rebus.

9. In tranſitibus non ſecus ac in directionibus, quo pluribus modis Planeta ad Medium Cœli deveniens, determinatus fuerit ad honores, fueritque in meliore ſtatu, tam in radice quàm tempore directionis & præcipue tranſitus: eo efficaciùs & ampliùs Natum in ſuſceptis & actionibus fortunabit. Veluti ſi Sol vel ♃ fuerit dominus Medii Cœli in radice: Et in ætate dignitatibus congrua dirigatur ut promiſſor ad Medium Cœli: quo die anni completæ directionis tranſibit per ipſum Medium Cœli, corpore vel aſpectu congruo benè affectus, conſentiente præſertim revolutione, inſignem cauſabit fœlicitatem in dignitatibus vel ſuſceptis, quatenus ad honores multipliciter determinatus: quippe naturâ ſive analogiâ, dominio, directione & tranſitu congruo, cum ſtatu beatifico. At è contrario, quò pluribus modis Planeta per Medium Cœli tranſiens determinatus fuerit contra honores, eò efficaciùs Natum circa honores & ſuſcepta infortunabit. Veluti ♄ in duodecima radicis, inimicus Medio Cœli quod ſignum Leonis occupet, directione ac tranſitu perveniens ad ipſum Cœli Medium, pravè affectus in radice, & tempore directionis ac tranſitus. Eademque eſt ratio de cæteris ſignificatis.

10. Si duo Planetæ iidem vel affines ſignificatione, aut analogica, ut Sol & ♃ pro honoribus, ♄ & ♂ pro morbis: aut ſignificatione ex radicali determinatione: aut utraque, ſimul tempore tranſiverint corpore vel aſpectu congruo, per eundem locum, ejuſdem vel affinis ut ſupra ſignificationis: tunc duplicabitur ſignificatio & virtus eorum ad effectum; proindeque ipſius effectus magnitudo. Tranſeuntium tamen ☌ in ipſo loco, validior eſt aſpectibus; Preſertim ſi fuerit ☌ luminarium, vel alterius ipſorum cum altero Planeta. Et hic aphoriſmus experientiis multis clarus eſt. Ideoque ſedulò notentur ☌ ☉ & ☽ in gradibus maleficorum figuræ natalitiæ vel eorum oppoſitis, præſertim cùm ambo luminaria vel alterum dominabitur primæ; maleficus verò in cujus gradu fit ☌, fuerit morborum vel mortis ſignificator, vel inimicus Horoſcopo: Tales enim ☌ certò morbos aut mortem ſignificant, cum directione congrua: & effectus incipit ipſo die ☌: ut ſæpe expertus ſum. Similiter ☌ dominorum Horoſcopi octavæ radicis in octava radicis, & præſertim in loco Planetæ exiſtentis in octava cum directione lethali, lethalis eſt tempore ipſius ☌. Ac in ſumma valde notandæ ſunt ☌ duorum Planetarum aut plurium ſuper loco alterius Planetæ; videndumque ad quid determinati ſunt ipſi Planetæ, ut de eventu rectum feratur judicium, & hæc ſimiliter applicari queunt conjunctionibus factis in locis bonorum vel malorum aſpectuum.

11. Duorum Planetarum ut ſupra ſignificatione affinium, tranſitus ſimul tempore per diverſa loca, Planetis ipſis inter ſe naturâ vel ſignificatione radicali affinia (qualiter loca domini Medii Cœli & domini ſecundæ domus dicuntur inter ſe affinia ſignificatione, tùm loca domini duodecimæ & domini octavæ) ſeſe invicem roborant ad intenſiorem effectum. Duo enim congrui tranſitus validiores ſunt unico.

12. Si fuerit cumulus Planetarum in aliqua domo, Planeta tranſiens per illum cumulum, aget penes ſuam & cujuſque Planetæ naturam atque determinationem, dum per ſingulorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

loca tranſibit, & ex tranſituum ſucceſſione accidentis producendi ſucceſſus detegetur, vel alia quæ ipſum comitabuntur accidentia.

13. Luminaria corpore vel aſpectu congruo, Planetæ tranſeunti copulata, etſi à tranſitus ſignificatione analogica vel radicali ſint aliena: vim tamen tranſitus intendunt: quantò igitur magis intendent ſignificatione affinia?

14. Locorum radicalium per quæ fiunt tranſitus, debet attendi ſtatus in revolutionibus. Nam ſi locus radicalis ♄ ſit in octava: & ♄ fuerit in duodecima revolutionis præſertim pravè affectus pravéque loco ſuo radicali configuratus: quo die dominus Horoſcopi tranſibit per ipſum locum radicalem, aut morbus, aut vitæ periculum accidet: maximè verò ſi tempore tranſitus Mars, aut ♄, aut aliquod luminare locum illum pravè aſpexerint. Nec ſolùm debet attendi ſtatus loci per quem fit tranſitus; ſed etiam Planetæ tranſeuntis. Si enim Mars tranſiens per Horoſcopum radicis, fuerit in octava vel duodecima revolutionis, etiam pravè affectus; peſſimus erit ejus per Horoſcopum tranſitus.

15. Tranſitus Planetarum conjunctorum ſuper gradu directionis radicis, etiam vacuo; hoc eſt qui non ſit locus radicalis Planetæ vel cuſpidis; non caret effectu, imò erit inſignis effectus, ſi tranſitus ille fuerit luminarium conjunctorum, ac præſertim cum Eclipſi.

16. Virtus actualis à tranſitu Lunæ, durat per 6 horas ante & poſt partilem tranſitum: in aliis verò Planetis per diem unum ante & poſt, de communi conſenſu Aſtrologorum: quod partiles aſpectus ſupra platicos maximè commendat. Attamen quandiu Planeta ſuo virtutis orbe tegit locum per quem tranſitus fieri dicitur, vim habet efficacem ad producendum tranſitus effectum, præſertim Planetę velociores, ut Lunæ: qui effectus ſæpe citiùs aut tardiùs producitur quàm ferant limites ſupra poſiti: quòd ſimplex tranſitus ex ſe impar effectui, neceſſarium poſtulet concurſum aliarum cauſarum etiam actu influentium, qui citiùs aut tardiùs accidit. Atque notandum quod futurus effectus pendet à tranſitu, non ſolùm quò ad ſuum tempus actuale, ſed etiam quò ad naturam ſuam, modum & circumſtantias: Tranſitus enim omnia hæc actuat; ideoque etiam ex tranſitu prævideri queunt. Dum autem pravo tranſitui, alius pravus per eundem locum immediatè brevi temporis intervallo ſuccedit, durante congrua directione radicali & revolutione Solis: ut ſi tranſitui ♄ domini duodecimæ per Horoſcopum ſuccedat tranſitus ♂ domini octavæ, per ipſum Horoſcopum corpore □ vel ☍: id erit lethale. Et à ſimili judicabis de cæteris ſignificationibus.

17. Si Planeta beneficus, fuerit in Medio Cœli radicis, vel hujus dominus: & in congrua directione radicali aut Revolutione Solis, vel ☽ pro honoribus ipſe beneficus tranſiverit per Horoſcopum radicis, vel hujus domini locum; præſertim bene affectus & configuratus potenter domino Horoſcopi per ſyzygiam: tunc Nato fœlicitas accidet in dignitatibus vel ſuſceptis.

CAPUT XIV.

Quomodo ex hactenus traditis prædici queant eventus ab aſtris futuri, quo ad ſpeciem, annum, diem atque horam.

HOc capite, breviſſimo duntaxat compendio repetemus, quæ circa rem iſtam dicta ſunt Libris 22, 23 & 24.

Primò igitur habeatur figura nativitatis exactè rectificata, cum veris Planetarum locis, præſertim vero Solis & Lunæ.

2 Ex cap. 9. ſect. 1. cap. 3. ſect. 2. & cap. 3. & 4. ſect. 3. lib. 22. inveniatur annus directionis completæ cujuſque ſignificatoris ad promiſſorem aliquem.

3. Ex cap 2 & 3. ſect. 4. ejuſdem libri detegatur ſpecies ſignificati futuri accidentis à qualibet directione.

4. Ex cap 4 & 5. lib. 23. Ad annum ſupra inventum erigatur figura revolutionis Solis, tum ex cap. 12. determinetur ex concordia vel diſcordia figuræ radicalis, directionis & revolutionis annuæ Solis, an ab illis tribus ſit eo anno effectus aliquis expectandus, vel non, præſertim ſpeciei ſupra detectæ.

5. Facta hypotheſi quod ſit expectandus effectus, & ejus ſpecie ut ſuperiùs detecta; inſtituantur in revolutione annua, congruorum ſignificatorum directiones, ex cap. 15. lib. 23. tam ad loca ipſius revolutionis, quàm præcipuè radicis effectui ſignificato congrua; indeque dies anni patebunt, quibus effectus ipſe probabiliter ſit expectandus.

6. Ex cap. 9. lib. 23 erigantur ☽ revolutiones immediatè præcedentes tempora, à congruis directionibus in revolutione Solis indicata. Et ſiquidem harum revolutionum valde quadret ſignificato effectui: inſtituantur per cap. 15. directiones congruorum in ipſa ſignificatorum ad promiſſores congruos, ſed præſertim ad loca in radice congrua. Etenim quæ tempora directionum in ambabus revolutionibus convenerint ad diem uſque; eo die pollicentur effectum. Et directio in revolutione Lunæ, horam quoque indicabit, ut videre eſt cap. 16. lib. 23. in eventibus quorum data eſt hora: Ac eò certius, quò plures directiones in utraque revolutione in idem tempus conſpiraverint, congruentes effectui.

7. Quod ſi ipſo quoque tempore fiant tranſitus congrui Planetarum, ex cap. 5, 7, 8 & 9. hujus libri; de effectu ſignificato ad diem indicatum, vix erit dubitandum: ruſuſque hora ex tranſitibus & Planetarum ſitu ad Horizontem detegi poterit ex 11 capite. Atque hic in futuros eventus prædicendo proceſſus, eſt omnium maximè naturalis, genuinus ac certiſſimus.

Forſan verò nonnullis brevior videbitur, magiſque arridebit proceſſus iſte. Si revolutio Solis congruat directioni radicali, conſideretur in Ephemeridibus per dies ſingulos revolutionum Lunæ, qualis ſit ipſius ☽ & Planetarum ſtatus cœleſtis comparatus ad radicalem figuram & directionem radicalem. Et quo die ſtatus iſte deprehendetur congruentior ipſi directioni, erigatur figura revolutionis Lunæ: nam ſi tempora congruarum directionum in ambabus revolutionibus Solis & ☽, convenerint ad diem uſque: erit de die & horâ ut ſuperiùs ferenda ſententia. Ob-

Objicies. Proceſſum hunc detegendi totius anni ſtatum, verumque tempus effectuum, eſſe non modò prolixiſſimum: ſed etiam confuſione pleniſſimum. Nam præter directiones radicales, ſunt adhuc inſtituendæ directiones revolutivæ tam annuæ quàm menſtruæ: Et tam angulorum, quàm ſingulorum Planetarum: Non ſolùm per ſingula radicis, ſed etiam revolutionis loca, in totum Zodiacum diſſeminata. Cùm autem ſint 10 ſignificatores, Horoſcopus Medii Cœli ☊ & 7 Planetæ, ac horum 4 præcipui aſpectus ☍ △ □ ✶, quorum △ □ & ✶ duplicantur à dextris & ſiniſtris; ergo quilibet ſignificator in revolutione dirigi poteſt ad 56 loca duntaxat aſpectuum, pro 7 Planetis in unica figura; ideoque fient in ipſa 560 directiones pro 10 illis ſignificatoribus, tantùm ad aſpectus Planetarum; quibus ſi addantur 63 directiones ipſorum 10 ſignificatorum ad corpora Planetarum, conſurgent 623 directiones in unica figura inſtituendæ; quæ ſit revolutio Solis: Cúmque directiones revolutionis Solis inſtituendæ ſint pro ipſis 10 ſignificatoribus tam per loca radicis quàm revolutionis Solis; ergo duplicando 623: fient 1246 directiones in revolutione Solis ſupputandæ. In qualibet igitur revolutione ☽ tam ratione ſui quam revolutionis Solis & figuræ radicalis fient 1869 directiones: ideoque pro 12 revolutionibus ☽ in anno 22[illegible] directiones; quibus addendo 1246 pro Sole, fient in toto anno [illegible]32[illegible]4 directiones pro revolutionibus Solis & Lunæ duntaxat ad ſuum diem determinandæ, nec non judicandæ, ut adjunctis tranſitibus etiam numeroſiſſimis, totius anni ſtatus innoteſcat. At ſi ex tanto & tam confuſo labore Dœmon aliquis ſe rectè ac ſcientificè extricare valet, nullus eſt homo, qui id poſſit. Proindeque doctrina hæc aut vera non eſt, aut fatendum Aſtrologiam judiciariam eſſe homini incomprehenſibilem, ideoque ab eò relinquendam.

Sed reſpondeo primò. Lupum ſolere fieri ſemper majorem, quàm reverâ ſit: & Aſtrologiam equidem eſſe ſcientiarum phyſicarum difficillimam, juxta illud vulgatum; *Difficilia, quæ pulchra:* Non tamen propterea ab homine deſerendam, ſed ingenio potiùs avidiore inſequendam.

Reſpondeo ſecundò. In veteri ſeu vulgari Aſtrologia, quæ admittit progreſſiones annuas diurnas & menſtruas; tum revolutiones Solis & ☽ à Cardano traditas, vix pauciores occurrere operationes; ſi ſingula in ſuperiore ſenſu minutim examinanda ac diſcutienda ſint: Et revolutiones ſeorſim vel abſolutè judicandæ, ſine reſpectu ad geneſin, ut fecit ipſe Cardanus Lib. de revolutionibus, ac præſertim admiſſis Planetarum terminis.

Reſpondeo tertiò. In revolutionibus Solis & ☽, 10 illos ſupradictos ſignificatores non eſſe dirigendos; ſed tantùm præcipuos; nempe Horoſcopum Medii Cœli ☉ in revolutione Solis & ☽, in revolutione Lunæ. Neque id ſemper eſſe neceſſe; ſed poſtquam deprehenſum fuerit ex radicali directione in annum aliquem incidente, & conformi revolutione Solis; novum aliquem effectum præſertim inſignem in bono vel malo, expectandum eſſe; ſi directionis ſignificator fuerit cuſpis ut Horoſcopus; etiam revolutionis Horoſcopus erit dirigendus. Si fuerit Planeta: idem Planeta erit in revolutione dirigendus. Semper tamen multùm proderit in utraque revolutione Solis & ☽, 4 ſupra dictos ſignificatores dirigere, Horoſcopum Medii Cœli ☉ atque ☽ ob Nati maximam ab ipſis dependentiam in eſſendo, agendo & patiendo; ſive nova compleatur directio radicalis eo anno, ſive non: Non enim annus novæ directionis radicalis expers, eſt etiam Nato actionis aut paſſionis expers. Adde quod directio ſignificatoris radicalis priùs completa, ad aliquem promiſſorem, durat virtute uſque ad occurſum alterius promiſſoris. Niſi hic à priore pluribus diſtet gradibus. Proderit autem etiam ipſum Planetam in revolutione ſive Solis ſive Lunæ dirigere; nec non enim qui in ipſa revolutione determinationem ſortietur conformem ſignificato directionis radicalis. Ut ſi ſignificetur morbus vel dignitas, proderit dirigere Planetam, qui in Revolutione reperietur in 12 domo vel 10: præſertim ſi in radice fuerit etiam in 12 vel 10, aut dominus ipſius domus. Cæterùm qui ſignificator dirigetur in Revolutionibus, pro accidente duntaxat à geneſi, vel etiam à nova aut proximè elapſa directione radicali ſignificato; non erit dirigendus ad omnia geneſis aut Revolutionis loca, ſed tantùm ad ea, hoc eſt ad eos promiſſores, qui ex ſua natura & determinatione in geneſi vel revolutione erunt potentiores magiſque congrui ad ipſum accidens ſive bonum ſive malum producendum. Dumque diebus qui ab ipſis directionibus annuis & menſtruis indicantur, contingent congrui tranſitus: ipſis diebus erúmpet effectus. Atque hic Aſtrologo in cauſarum & effectuum congruentia perito, paucis erit opus directionibus ad totius anni ſtatum, hoc eſt præcipuas Nati eo anno mutationes ab aſtris manantes cognoſcendum.

Quoniam verò certum eſt, numquam effectus ſaltem ab aſtris accidere, ſine actuali concurſu tranſituum congruorum: vel ſaltem rariſſimè à ſyzygiis ut explicatum, Cap. 12. Brevius erit ex Ephemeridibus annotare Planetarum tranſitus per genituræ loca, congruentiores accidenti ſignificato; ſive bono, ſive malo. Tum perſpicere an ex revolutione Solis aliqua directio congrua incidat in aliquem diem unà tranſitibus indicatorum: idque eminus conjiciendo, ex comparatione diſtantiæ promiſſoris à ſignificatore, cum diſtantia diei indicati, à primo die revolutionis; priuſquam res calculo definiatur: Nec ſumendo in revolutione Solis ſignificatorem & promiſſorem diſtantes 200 gradibus, pro tranſitu qui fit die 60 ab incepta revolutione Solis. Quo ſuppoſito, ſi etiam in Lunæ revolutione, diem ipſum tranſitus proximè antecedente, aliqua directio congrua incidat in idem tempus: tunc de effectu non erit dubitandum. Et hoc eſt ſcientiæ ſecretum, nihilominus patens, in figuris hoc Libro & Lib. 24 expoſitis. quo fretus ſagax Aſtrologus per denſiſſimam directionum ſylvam ſupra objectam tramite recto incedet.

Ne verò hac in nova doctrina Tyrones deterreantur à tam optatæ veritatis inquiſitione: duos hic in eorum gratiam ſupradictus proceſſus ordinata methodo exponemus.

Pri-

Primò. Dirige ſignificatores Revolutionis annuæ præcipuos Horoſcopi; Medii Cœli, ☉, ☽ & Planetam, cujus eo anno completa eſt inſignis aliqua directio radicalis, tum eorum dominos ſi opus eſſe videatur: & directionum ſingularum arcus ſecundum ſeriem aſcenſionum diſpone in prima columna Tabulæ pro ipſo anno extruendæ, quæ ſpeculum annuum jure dicetur.

Secundò. Vide quoto die à principio revolutionis annuæ, incipiat quilibet menſis, & quotâ horâ, ſeu quæ ſit diſtantia temporis à principio Revolutionis ad principium cujuſque menſis. Ac nomina menſium cum ipſo quoto die ac hora apponito è regione ſupradictorum arcuum, ejuſdem proximè numeri cum ipſo quoto cujuſque menſis, in altera columna ejuſdem Tabulæ, ſicque jam patebit quænam directiones annuæ incidant in ſingulos menſes.

Tertiò. Erectis revolutionibus pro toto anno, diſpone ſimiliter in columna tertia ſupradictæ Tabulæ, tempus ipſarum, hoc eſt menſem, diem, atque horam initiantis revolutionis: ſicque ſimiliter patebit; quænam directiones annuæ incidant in Lunæ ſingulas revolutiones.

Quartò. His apparatis, ſumatur quælibet directio annua cujuſvis ſignificatoris, congrua directioni radicali; hoc eſt ſumatur ejus arcus in prima columna Tabulæ; & reducatur in tempus per primam & ſecundam Tabulam directionum pro revolutionibus Solis. Cap. 15. Lib 23. (niſi malueris ſtatim ab initio ſingularum directionum annuarum arcus, reducere in dies, horas, & minuta Revolutionis annuæ, quæ ſingula tempora ordinatim diſpoſita, concipientur incepta à principio Revolutionis annuæ) ſique numerus temporis idem ſit cum numero initiantis alicujus menſis, directio illa cadet in principium ipſius menſis: ſi fuerit diverſus, ab hoc auferatur numerus proximè minor initiantis menſis, ſumptus in columna ſecunda: & relinquetur quotus dies & hora ipſius menſis, quo talis completur directio annua.

Quintò. Ab hoc invento tempore, aufer tempus proximè inceptæ revolutionis Lunæ in columna tertia. Et relinquetur differentia utriuſque temporis; quæ ex Tabula ſecunda & tertia directionum pro revolutionibus ☽, dabit arcum Æquatoris; qui additus aſcenſioni rectæ vel obliquæ Medii Cœli, aut Horoſcopi, aut ☉ aut ☽ in figura revolutionis Lunæ: oſtendet in Tabulis aſcenſionum Regiomontani, quò pertingat directio menſtrua alterutrius ipſorum ſignificatorum. Si ergo tunc compleatur directio conformis directioni annuæ: ac denique fiat etiam congruus Planetarum tranſitus; eo tempore ſive die; continget effectus à directione radicali ſignificatus: qui tamen etiam contingere poteſt à tranſitu congruo cum unica directione annuæ vel menſtruæ revolutionis cougruæ: Imò à ſolo tranſitu cum directione radicali & congrua revolutione Solis aut Lunæ: præſertim ſi tranſitus ſit inſignis atque fortis. Sed quo plures cauſæ concurrunt, eò certiùs & efficaciùs producitur effectus; idem fiet ſi libuerit pro ſingulis directionibus annuis, ſive nova ipſo anno compleatur directio radicalis, ſive non: Atque ſic diſtinctè patebit anni ſtatus, ſi de ſingulis rectum feratur judicium.

Alter & brevior proceſſus talis eſt abſque Tabula præcedente. Sumpto in Ephemeridibus die tranſitus, qui congruat ſignificato directionis radicalis efficacis, hoc eſt congruæ ſignificato radicali geniture: Numera in diebus completis, tempus à principio revolutionis annuæ; ad diem ipſum: illudque verte in gradus Æquatoris per ſecundam & tertiam Tabulam directionum pro Revolutionibus Solis; & talem arcum adde aſcenſioni rectæ vel obliquæ ſignificatoris congrui, electi in figura revolutionis Solis: & ſummam quære in Tabulis aſcenſionum rectarum vel obliquarum: & patebit an tunc ipſe ſignificator pertingat ad promiſſorem congruum in geneſi vel revolutione Solis. Hoc enim poſito, magna eſt probabilitas de futuro effectu, die ipſo. Ad majorem verò certitudinem, numera ſimiliter tempus à principio revolutionis menſtruæ proximè antecedentis diem ſupra ſumptum, uſque ad diem ipſum: illudque verte in gradus Æquatoris, per ſecundam & tertiam Tabulam directionum, pro revolutionibus Lunæ. Et talem arcum adde aſcenſioni rectæ vel obliquæ ſignificatoris congrui, electi in figura revolutionis Lunæ; & ſummam quære in Tabulis aſcenſionum ut priùs; atque patebit an tunc etiam ſignificator ipſe pertingat ad promiſſorem congruum in geneſi vel revolutione Lunæ. Quo poſito de effectu futuro die ipſo, maxima eſt probabilitas.

Quod ſi plures tranſituum dies ſic ſe habuerint, judicandum erit pro validiore. Etſi enim effectus à directione radicali fortiter ſignificatus unico die accidat, non pluribus: tamen hæc in difficillima ſcientia ſcopum primo telo attingere, humano ingenio perdifficile eſt, non tamen impoſſibile; atque ad hoc requiritur continuum praxeos exercitium, cum haud vulgari ſolertia ingenii, quæ diſcernere valeat, quis totius anni tranſituum, aptior potentiorque ſit actuare directionis radicalis potentiam; ut labor abbrevietur.

Cæterùm non arbitror opus eſſe monere, quod ſi dirigendi ſignificatores verſentur in medietate Cœli deſcendente, arcus Æquatoris de quibus ſupra, erunt addendi, ſignificatorum ipſorum deſcenſionibus obliquis, ad eorum directiones: vel (quod eſt faciliùs) dirigendus erit per aſcenſiones, locus diametraliter oppoſitus ipſi ſignificatori, & habebitur directionis locus diametraliter oppoſitus: id enim ex directionum doctrina ſatis notum ſupponimus.

Tantùm igitur monemus, quod cùm doctrina huc uſque à nobis tradita, pro directionibus, revolutionibus & tranſitibus, ſit naturalis ac uniformis, in geneſi & revolutionibus, earumq; directionibus: tum etiam vera, ut luculenter oſtenſum eſt exemplis expoſitis lib. 23. Huic ſoli erit incumbendum; neque labori parcendum pro totius anni revolutionibus lunaribus, dum præſertim nova ejus anni completur directio radicalis, aut hæc determinationem in radice ſortitur, quæ ſit momenti præcipui. Nam vel pro quavis directione annua, vel pro quovis tranſitu congruo, proderit ſemper Lunæ revolutiones, ejuſque directiones conſulere. Atque inde conſtat particulares eventus, eorumque exquiſita tempora nonniſi cum magno labore ab Aſtrologo prædici poſſe:

quippe quòd particulares effectus dependeant non ſolùm ab univerſalibus cauſis, ſed etiam à particularibus, ad quas deſcendendum eſt pro ipſis particularibus effectibus.

Objicies 2. Ex doctrina à nobis ſuprapoſita prædici non poſſe futura Nato accidentia. Siquidem figura radicalis & directiones ejus non agunt ſine revolutionibus tam ☉ quàm ☽, & Planetarum tranſitibus per illarum 3 figurarum loca ex ſupradictis; atqui revolutiones ſunt erigendæ ad locum in quo verſatur Natus tempore cujuſque revolutionis ſive ☉, ſive ☽, ex cap. 4 & 9. lib. 23; qui locus præſciri nequit à geneſi. Imò vix pręſciri poteſt uno anno ante tempus, cujuſque revolutionis ☉: ergo in prædicendis futuris Aſtrologia inutilis eſt atque vana.

Reſpondeo primò. Objectionem tantùm concludere pro Natis qui procul peregrinantur, non pro illis qui remanent in loco natali, quales ſunt pręſertim mulieres: vel prope locum ipſum.

Reſpondeo 2. Ex geneſi & directionibus radicalibus cognoſci poſſe, An Natus ſit peregrinaturus & quo tempore: ad quod uſque revolutiones erectę pro loco natali erunt ex uſu.

Reſpondeo 3. Itinerum alia eſſe longa, & alia brevia. Quæ non excedunt 50 leucas Gallicas à loco natali, vix ſenſibiliter mutant influxum revolutionum in loco natali erectarũ; niſi inde prodeat Horoſcoporum differentia, quę 2 gr. excedat. At pro revolutionibus incipientibus, Nato longius diſtante, pręſertim in ſigni differentiâ; illæ ad locum in quo ipſe eſt, ſunt erigendæ: ſicque futura ei anno ipſo accidentia pręſcientur. Atq; notandũ quod revolutio ☉ erecta ad locum in quo eſt Natus, valet pro toto ipſo anno, quamtumvis longè illo durãte peregrinetur, ſecum enim defert influxum de novo impreſſum initio revolutionis ipſius; non ſecus ac toto vitę decurſu defert influxum à geneſi ſuſceptum tanquam illo ſignatus: ſed revolutiones ☽ erigentur ad locum in quo tunc erit Natus. Sicut enim ſe habent revolutiones ☉ ad geneſin quam actuant, ſic ſe habent revolutiones ☽, ad revolutionem ☉, quam ſimiliter actuant. Inde verò Aſtrologiam inutilem aut vanam eſſe dici nequit. Præſertim quòd annis ſingulis Natus conjicere queat, & multò magis ſingulis menſibus, ubinam erit tempore proximè ſequentis revolutionis Solis aut Lunæ. Qui verò ſecus fecerit, & de ſingulis Nati accidentibus toto vitæ decurſu, ſententiam tulerit ex ſola geneſi ejuſque directionibus, aut adjunctis etiam revolutionibus erectis ad locum duntaxat Nativitatis, ipſo Nato tunc procul abſente: is pro certo decipietur in multis; atque magis aut minus pro figurarum revolutivarum diſcrepantia in locis illis diverſis. Non enim aſtra influunt in Natum niſi ubi eſt. Sed de his hactenus dicta ſufficiant.

Caput XV.

De præcipuis quibuſdam prudentiæ regulis in ferenda ex aſtris ſententia ſervandis ab Aſtrologo.

ASTrologia judicaria quò ad Theoriam eſt ſapientia qua in phyſicis ſcientiis nulla datur ſublimior, divinior, hamanoque ingenio dignior, quò ad praxim verò, tanta requiritur prudentia & circumſpectio circa ſingularem hominem de quo ferendum eſt judicium; circa Cœleſtes cauſas, à quibus in eſſe, conſervari, mutari & corrumpi dependet: circa locum in quo verſatur; circa perſonas quibuſcum ipſi accidit rem habere bonam vel malam: & circa alia diverſimodè combinanda: ut nec Medicinæ, nec Juriſprudentiæ, nec Politicę prudentię in ferendis judiciis, de rebus pręſentibus aut futuris, cum illa conferri mereatur. Quamobrem non abs re Cardanus poſtquam Aphor. 25. Lib. 1. dixit. *Difficile eſt judicare per ea quæ ſcripta ſunt; longè difficilius artem ipſam tradere; difficillimum autem artem ipſam invenire*; rectè concludit Aphor. 34. *Eſt igitur Aſtrologia, ut pulcherrima, ſic laborioſiſſima & difficillima.*

Nil ergo mirum ſi dum judiciaria ab ignaris & ſycophantis factitatur, ſæpiſſimè ludibrio exponatur, præſertim ſciolorum in illam ſibi prorſus ignotam ſtultè debacchantium: cùm etiam interdum accidere queat, virum in hac ſcientia, à nobis etiam purè ac verè tradita peritiſſimum, decipi in ſuis judiciis: aut quòd non omnia ad judicium pertinentia exactè circumſpexerit vel ponderaverit: aut quòd omnibus etiam rectè ponderatis, cõcluſiones non ſint abſolutæ neceſſitatis, præſertim in rebus voluntati ſubditis. Utque me aliquotiea erraſſe (deluſum pręcipuè veteri doctrinâ) non inficior: ſic ingenuè teſtor ſemper deprehendiſſe, errores meos accidiſſe, aut quòd à doctrina jam à me tradita declinaſſem, adhuc minùs quàm par fuiſſet ipſi confidens: aut quòd à prudentiæ regulis à me in praxi animadverſis aberraſſem. Quocirca ne quis jam à nobis traditâ Aſtrologiâ probè inſtructus, in eoſdem ſcopulos impingat: pręcipuas quaſdam prudentię regulas, Aſtrologo in judiciis neceſſarias hîc ſubjungere utiliſſimũ fore diximus.

Prima. De oblata genituræ figura cujus tempus accuratum tibi certò non conſtabit vel aſtrorum obſervatione, vel rectificatione per Nati accidentia; nihil certò pronuncia: ſed tantùm ex hypotheſi quod figura ſit vera, ideoque dubiè. Dato autem vero genituræ tempore, equidem de Nati corpore, inclinationibus ac ingenio, certò pronunciare licet; de actionibus verò & fortunæ caſibus, dnntaxat probabiliter & conjecturaliter.

2. Rogatus de erigenda & judicanda figuræ genitura pro aliqua perſona; de hac inquire locum nativitatis, ſtxum, genus, an habeat utrumque parentem vel neutrum, vel qualem; an fratres vel ſorores, ſi priores natu vel poſteriores, an nupſerit vel eccleſiaſticæ vitæ ſe addixerit; an liberos habeat: quæ ſit ejus profeſſio; tum quis fuerit ſtatus ejus præteritus, & quis ſit præſens. Nam circa hæc certior factus, tuum perfectiùs noſces ſubjectum ejuſque diſpoſitionem ad Cœleſtis influxus atque vires pro futuris accidentibus. Etſi enim multa illorum ex ſola figura devinare poſſis: tamen quia tantùm ab Aſtrologo quæruntur futura, ſatius eſt ad laborem evitandum petere præterita atque præſentia; horum enim cognitio ad futurorum notitiam haud parum prodeſt. Et in hac conjecturali ſcientia, undiq; ſunt comparanda certitudinis fulcra. His adde quòd datum nativitatis tempus, ſit per accidentia præterita rectificandum.

3. Accidentia corporis & animi, multò magis ſubjiciuntur Cœleſtibus cauſis, quàm fortunę accidentia. Hoc enim & à propria Nati, & ab aliena vo-

luntate & potentia, tum à legibus & aliis inferioris fati diſpoſitionibus pendent. Ideoque in fortunę accidente fortiter etiam ex radice, directione & revolutione ſignificato; vide quis ſit Nati ſtatus: nam ſi fuerit liber & ſui juris, erit extrinſecè capax cujuſvis fortunæ accidentis, ſive boni, ſive mali: ſin autem fuerit exul, incarceratus, clauſtralis, ſervus, æger, impotens: inde impedientur fortunę accidentia cum tali ſtatu incompatibilia, quandiu ſtatus ipſe durabit, vel ejus cauſa. Sed hac ſublata, etiam ſine directione accidet fortunæ mutatio. Atque ſic quicumque Cardinalis Richelii tyrannica poteſtate oppreſſi ſunt, & in exilium aut carceres miſſi, ſola ejus morte nacti ſunt oppreſſionis ſuæ finem, & priſtinos honores recuperaverunt. Ipſius verò Cardinalis ſervi ſuos in illius curia honores amiſerunt. Quocirca in prædicendo habenda eſt ratio cauſæ fortunii & infortunii ſingulorum; alioquin error accidere poterit, ſi ex ſola Nati figura prognoſis inſtituatur.

4. Amor & odium perturbant Aſtrologi mentem ac judicium in prædictionibus, ne ſingula circumſpiciat, & ęqua lance ponderet; efficiuntque ut minuat maxima, nimisq; augeat minima. Itaq; Aſtrologus ſolo veritatis amore debet occupari: tunc enim mens ejus perfectiùs diſponitur, ad divinam illam motionem atque lucem excipiendam vel explicandam, quæ in vaticiniis requiritur.

5. Aſtrologi conſilium ſive judicium multo certiùs eſt circa res pręſentes, ut morbũ, dignitatis ambitionem, conjugii contractum, litem, &c: quàm circa res futuras: nam in his & illis videt quidem æqualiter ſtatum cauſarum Cœleſtium; ſed in rebus pręſentibus videt Nati & fati inferioris diſpoſitionem, quam non videt in rebus futuris nisi obſcurâ forſan conjecturâ.

6. Particulare fatum ſive particularis cauſa, ſuccumbit univerſali ex lege naturæ, quâ fortior ſuperat debiliorem. Ideoque multi in eadem navi ſimul ſubmerguntur, multique in eodem occiduntur prælio, his caſibus à propria geneſi non obnoxii, vel citra directionem & revolutionem congruam. Quis enim dixerit omnes qui ſunt in eadẽ navi, & ſubmerguntur eâdem horâ, habere geneſes, directiones, & revolutiones ad id genus mortis, eodemque tempore? At forſan ſi non adſunt omnes cauſæ, adſunt aliquæ, huic geneſis, illi directio, alteri revolutio, & alteri tranſitus; idque ſufficit in communi vel publico periculo; à quo per conſequens multò magis cavere debet, qui pluribus ex cauſis ſimul concurrentibus, erit ipſi obnoxius: ſed vix probabile videtur ex 200 hominibus in eadem navi ſimul naufragio pereuntibus, nullũ ex propria geneſi immunem eſſe ipsâ horâ à cauſa ſubmerſionis. Pereunt igitur maligno fato Nautæ, vel Præfecti exercitus, cui ſe ſubjiciunt: hi verò ſunt cauſæ univerſales navigationis & prælii.

7. Ex ſola nati figura nil unquam (ſaltem certò) aſſeveres de accidente illi cum altera perſona communi; ut lite, pace, amicitia conjugio, &c: nec de accidentibus ad alias perſonas pertinentibus, ut parentes, fratres, conjugem, liberos, ſervos, amicũ, inimicum, niſi inſpectis perſonarum ipſarum figuris natalitiis. Nam accidentia communia pendent à fato communi & cuilibet propria, ſaltem magis à ſibi proprio. Quamobrem etiam ſobrie confides figuris ex Nati figura extractis pro aliis perſonis, ut diximus Lib. 22. Sect. 4. Cap. 6. quamvis hæ arctam etiam ac mirabilem, cum Nato ſympathiam habeant, ut ibidem oſtenſum eſt.

8. De quopiam accidente judicaturus, ut de ingenio, moribus, divitiis, honoribus, &c: inſpice figuræ domum ad quam illa pertinent accidentia: ſcilicet primam pro ingenio & moribus, ſecundã pro divitiis, &c: Ac etiam affines ſignificatione, quales ſunt 2 & 10. pro divitiis & honoribus, 8 & 12. pro morbis & morte; nec non earũ oppoſitas; atque de accidentibus ipſis judica ex ſignis & Planetis domos ipſas occupantibus corpore vel dominio, tum etiam forti aſpectu: nec non ex Planetis naturâ analogis accidenti: ſpectato ſingulorum Planetarum ſtatu Cœleſti ac terreſtri; tum Nati genere & profeſſione.

9. Priuſquam judicium feras de quovis accidẽte futuro, ſive ſeni, ſive juveni; vide an Natus victurus ſit uſque ad tempus ipſi accidenti congruũ, directionibus & ętate: Nam ſi vita deſit vana erunt cætera ſignificata, ut dignitates, nuptiæ, liberi, &c: quamvis in geneſi fortiter ſignificentur. Et circa hoc multi magni nominis Aſtrologi plerumq; decepti ſunt; vel inadvertentiâ, vel quòd verum Anęretam ſeu vitæ abſciſſorem non agnoverint: qui non ſolùm per directiones ſignificatorum vitæ: ſed præſertim per concurrentes revolutiones congruas ☉ & ☽ harumque directiones etiam, determinari debet, in figura genituræ exactè rectificata.

10 Cave in judiciis & prædictionibus, ne deſcendas ad particulare accidens, præſertim ex ſola Nati figura; ſed ſubſiſte in genere vel ſpecie accidentis; ut diximus Lib. 22. Sect. 4. Cap 2 & 3.

11. Prima fronte infœlicem dices genituram, in qua ♄ aut ♂ aut ambo ſunt in eodem gradu cum ☉ & ☽, vel horum alter ab illis obſidetur; vel infortunæ ſingulæ, ſingulis junguntur luminaribus: vel cùm ☽ ſub radiis ☉, ♄ aut ♂ conjungitur: opponitur vel quadratur: vel cum Planetæ omnes ſunt in 6, 8 vel 12: vel ♄ & ♂ ſunt in angulis, ☉ autem & ☽ in cadentibus; vel cùm ☉ & ☽ ſic cadentibus, cæteri Planetæ ſunt retrogradi; vel cùm ☉ ☽ ♃ & ♀ ſimul infortunantur. Quamobrem in talibus genituris cavendum, ne temerè bona pollicearis.

12. Sol in 1, 10, atque 9. magnam gloriã & honores eximios conferre ſolet ſpecialiter, niſi aliũde magna adſit contrarietas. Dum ergo illum in talibus domibus conſpexeris, judicium ne præcipites; ſed eorum ſtatum Cœleſtẽ attende ac domini Horoſcopi; & ſi nihil obſit, egregia prædicito.

13. Si tres videris Planetas in ignea Triplicitate & præſertim Solem, cum aliquo ex ſuperioribus Planetis: magnam gloriam & potentiam Nato prædicere poteris, ſi eorum determinatio conſenſerit; præſertim ſi idonea concurrerit proſapia. Si autem Mercurium in Triplicitate aerea cum tribus aliis Planetis deprehenderis; ingenii ſublimitatem tutò polliceberis.

14. Multi Planetæ in eadem domo præſertim cum Sole aut Luna aut ambobus, ſemper quid extraordinarium in exceſſu præſagiunt, circa ipſius domus eſſentialia ſignificata: ut mihi accidit.

15. Nativitates inſigniores ac heroicæ, non ſunt à ſolo fortunarum influxu: ſed validis etiam miſcentur infortunarum influxibus: unde accidunt lites, bella, tum victoriæ: quibus geneſes redduntur illuſtriores.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

16. Geneſes in quibus gradus magnæ ☌, proximè antecedentis horoſcopat vel culminat, vel occupatur à Sole aut ☽, aut dominio Horoſcopi vel Medii Cœli: inſignem Nati ſublimitatem præſagiunt, ſi alia conſenſerint; præſertim ſi illa ☌ facta ſit cum mutatione Triplicitatis.

17. In prædicenda Nati profeſſione maxima requiritur prudentia. Pendet enim vel à voluntate parentum; vel à Nati propria indole; vel etiam à legibus & conſuetudine Patriæ, ut in Chyna, ubi abſque regio privilegio non licet liberis deſerere profeſſionem Patris. Porrò in Gallia ubi fit dignitatum omnium turpiſſimum commercium, Nobiles ſuos liberos armis deſtinare ſolent, ac etiam interdum Eccleſiæ, raró Senatui ob immenſum pretium dignitatum ipſarum: At Senatores communiter deſtinant liberos ſuos Senatus, ob venalem quoque ſucceſſionem hereditariam: frequenter Eccleſiæ ob licitum commercium, rariùs armis. Mediocres verò, ac genere infimi homines, ſua ſorte contenti non ſunt, exceptis ſimplicioribus: ſed quò fuerint animo vel ingenio valentiores, aut pecuniâ potentiores, eò ampliorem ambiunt; in armis, Senatu, Eccleſia, ærario, prout cujuſque propendet indoles. Itaque non ſemper ex Planetis in decima, vel ejus dominis, de profeſſione pronunciandum eſt, ſed maximè eſt habenda ratio ſignificatorum Indolis ſive morum, hoc eſt Planetarum in prima, vel hujus dominorum: præſertim ſi fuerint cum luminaribus aut domino decimæ; Natos enim ſæpè ad Profeſſionem juxta naturam ſuam potenter determinant. Nec ſolùm Nati profeſſionem eligunt indoli ſuæ conſentaneam: ſed ipſi quoque parentes liberorum indolem ut plurimùm obſervare ſtudent, ut eas congrua profeſſione beent. Ergo in profeſſione prædicenda, erit indolis non modica habenda ratio; qua de re veteres nil dixêre. Cúmque conſtitutio corporis, & character faciei ſint etiam ab aſtrorum impreſſione; haud parum proderit ex ipſo charactere profeſſionis conjecturam ſumere ad majorem certitudinem, viri enim militares Eccleſiaſtici præſertim verò monachi ac moniales, ut plurimùm inſigniuntur charactere profeſſioni ſuæ congruo.

18. Nato & adjacentibus in inferiore fato congruè diſpoſitis ad aliquem effectum futurum; is major produci poteſt à levi cauſa Cœleſti; quàm à forti cauſa Nato ut ſupra non diſpoſito vel contra nitente. Atque ſic in Juvene intemperante, violentis exercitiis addicto, æſtate, ac in bello, levis directio morbifica, magnum ac periculoſum morbum concitare poteſt, quem fortior directio non concitabit in ſene intemperante, ſibique prudenter præcavente. At in ſene intemperante, & morti obnoxio, ſi qualiſcunque accidat morboſa directio cum ſimili revolutione, noli vitã vel evaſionem polliceri, præſertim ſi à Medicis imperitis tractetur. Hi enim Mercurii artes omnes præ cæteris æmulantur, & hominum animas Charonti tradunt, Medicinæ ignorantiâ ex his corporibus expulſas.

19. In judicio generali figuræ genethliacæ habenda eſt ratio directionum; an conſentiant & in ætate congrua; ſed multò magis in directionum judicio habenda eſt ratio figuræ natalitiæ; an ipſis directionibus concordet: quod nempe directio ſine conſenſu genituræ nihil efficiat, ut alibi diximus.

20. Aliquo accidente in geneſi etiam fortiter ſignificato, attende ſedulò in figura ad cauſas illius contrarii. Ut ſi luxuria ſignificatur, attende ad cauſas Cœleſtes caſtitati analogas: ac vide an ad mores per ſitum & dominium in prima determinati ſint, aut per connexionem cum Planetis in prima, vel domino primæ; & cauſas ambas pondera, ac pro fortiori cum temperamento judica. Idemque facies pro quibuſvis aliis accidentibus, tam in radice, quàm directionibus & revolutionibus.

21. Maxima hujus artis prudentia, pro arcano tenenda; eſt de rebus evidenter fortiter & ſine valida contrarietate cœlitus ſignificatis audacter pronunciare, niſi rei ſignificatæ obſit in inferiore fato ingens aliquod impedimentum ſtabile, ut ſacerdotium reſpectu matrimonii aut dignitatis militaris (etſi meo tempore viderim Cardinales, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Abbates, proh nefas! primis etiam dignitatibus militaribus in bellis adverſus Catholicos inſignitos) aut caſtratio reſpectu prolis generandæ & ſimilia. De rebus autem obſcure, tenuiter, aut cum inſigni contrarietate, aut cum exigua contrariorum differentia ſignificatis, dubie duntaxat prædicere; & contrarietatem exponere; probabiliter tamen pro fortiori parte juxta hujus exceſſum concludendo.

22. Cauſis inter ſe contrariantibus pro aliquo accidente, ut pro morte, an futura ſit naturalis aut violenta. Pro dignitate, an futura ſit militaris vel eccleſiaſtica, & ſimilibus; fortitudinem attende cauſarum contrariarum; nec concludas pro unica parte, ſi cauſæ fuerint utrinque fortes velut in æquilibrio. Sed conclude pro ambabus ſucceſſivè, vel pro earum miſcella. Veluti in morte Cardinalis Richelii, quæ partim fuit violenta ob ferrum ſæpius admotum, & partim naturalis, à ſuperveniente febre, qua tandem extinctus eſt: cujus generis contrarietas ex ♃ in octava; ſed exule & cum fixa violenta in □ luminarium. Atque ſic multi in pueritia promoventur à Magnatibus parentibus ad dignitates eccleſiaſticas, qui deinde propriæ indolis ſtimulo excitati dimiſſis dignitatibus illis, nubunt, & judicarias aut militares ambiunt. At ubi pars una debilis valde fuerit; conclude tantùm pro altera.

23. In prædictione de futuro accidente, multò magis attendendum ad cauſas Cœleſtes accidẽtis, quàm ad Nati ſtatum præſentẽ, & ſecundum illas judicandũ. Neſcitur enim (niſi forſan obſcura valde conjectura) qualis tunc futurus ſit Nati ſtatus: videntur autem cauſæ Cœleſtes ipſius accidentis futuri; quæ Natum eiq; adjacentia in inferiore fato ſua virtute diſponent ad futurum accidens. Qui verò ſecus fecerit, proculdubio pluries decipietur.

24. Cave ne determines unquam præciſum tempus accidentis à radice, directione radicali & annua revolutione ſignificati, quin priùs conſulas directiones annuas & menſtruas: harum enim eſt, præciſum tempus determinare; & ſine his tranſitus Planetarum etiam congrui ſæpe fallunt, cum his verò vix unquam.

25. Ad famam inſignem conſequendam, & Aſtrologiæ gloriam altè promovendam, habeas multas nativitates ſelectas; non modò mediocrium & infimorum hominum; ſed præcipuè Regum, Principum & Magnatum utriuſque ſexus exactè extructas & rectificatas. Dumque ex ipſa radi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

radicali figura, directione radicali, & revolutione Solis, illuſtre bonum aut malum fortiter ſignificari conſpexeris, juxta doctrinam à nobis traditam, ſine contrarietate quæ ſit alicujus momenti; ipſum bonum vel malum audacter eo anno prædicito; aut ſoli perſonæ cujus extat figura, aut etiam pluribus aliis præſertim aulicis, ſi periculum abſit. Quinimò diem ipſum accidentis ex Cap. 14. ad majorem gloriam inquirito, & indicato: Nec tales omittas occaſiones, ſed illis potiùs ſtudioſè invigila. Hoc ſæpiſſimè & facillimè facere potui, nec tamen effeci, quòd aliis occupationibus diſtentus illis occaſionibus non attenderim: indeque elapſa occaſione ſæpe dolui; non tam propter lucrum inde ſecuturum, quàm propter gloriam & Aſtrologiæ laudem. Sed re penitius inſpecta viſum eſt mihi id non ſine divina providentia accidiſſe. Si enim attendiſſem, utque facile erat, prædixiſſem, præſertim de Magnatibus aulicis: non ſolùm fama illuſtrior evaſiſſet; ſed inſuper mandatis ac precibus figuras erigendi ac judicandi adeo fuiſſem obrutus Pariſiis, ut hoc opus a me numquam abſolvi potuiſſet; quod ut tandem perficerem, & ad Dei gloriam publico prodeſſem, Aſtrologiæ practicæ lucrum particulare perſæpe recuſavi, etiam multis Magnatibus utriuſque ſexus, ob penuriam temporis. Sed ſcientiâ jam purè traditâ, doctus Aſtrologus qui meum hac in parte ſequetur conſilium, hujus inſignem utilitatem cum gaudio frequenter experietur.

26. Si ♄ in nona exul in ♋ ſigno mobili & conjunctus [illegible] in figura genituræ fuerit, portendens infortunium ac dedecus in longis peregrinationibus vel extra patriam: profectò id aliquando continget, niſi Natus ſibi ſedulò caverit; quem idcirco ſcire decet ſe tali infortunio obnoxium eſſe: Accidetque infortunium per revolutiones præcipuè, juxta naturam domus in qua ♄ fuerit. Talem habuit conſtitutionem radicalem D. Princeps Sereniſſimus Condæus, per plures annos ſemper victor ac fortunatus in bello: at in revolutione anni 1646, habens directionem Medii Cœli, radicalis ad □ ♂, & ♄ in cuſpide ſeptima revolutionis annuæ, retrogradum in ♉ ſigno terreo, & quadratum ipſi Medio Cœli radicis; profectus in Hiſpaniam anno 1647, & obſidens Leridam fuit coactus ſolvere obſidionem, non obſtante △ ☉ ad ♄, & ♃ ac ♀ in nona revolutionis, ſicque in bellis extraneis cauſavit infortunium: quamvis ab eadem revolutione fuerit fœliciſſimus anno 1646, in obſidione urbis Dunquerque in Flandria. Igitur in his miſcendæ ſunt ſignificationes boni & mali, nec pro unica tantùm parte judicandum. Eademque eſt ratio in cęteris.

27. Ultima ac prima, ideoque omnium maxima Aſtrologi prudentia eſt meminiſſe, Prædictionem futurorum eſſe opus, quo nullum in Natura divinius: Mentemque requirere Deo unitam & expoſitam; cum precibus ut mentem ipſam illuminet pro veritate dignoſcenda. Anima enim paſſionibus & peccatis obruta cæca eſt, huicque ſapientiæ ſic inepta, ut doctus etiam Aſtrologus in Judiciis facilioribus hallucinetur, fiatque ſæpe ridiculus; quid ergo faciet in difficilioribus & obſcurioribus, in quibus multa ſibi contraria ſignificantur?

FINIS LIBRI VIGESIMI QUARTI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ASTROLOGIÆ GALLICÆ

LIBER VIGESIMVS QVINTVS.

De Conſtitutionibus Cœli Univerſalibus.

PRÆFATIO.

Poſtquam ſuperioribus Libris de particularium Cœli conſtitutionum, hoc eſt Thematum genethliacarum, judiciis ſufficienter actum eſt; jam ſequitur, ut de altera Aſtrologiæ Parte, quæ verſatur circa Conſtitutiones univerſales, etiam mentem noſtram aperiamus. Complectitur autem pars iſta doctrinam pulcherrimam, ampliſſimam & momenti maximi; de qua veteres Aſtrologi diverſimodè ſcripſerunt; ſed confuse, imperfectè ac erroneè, defectu veræ cognitionis principiorum hujus nobiliſſimæ ſcientiæ: Ita ut haud parum nobis difficile fuerit, perlectis eorum amplis Tractatibus, doctrinam iſtam in aliquam methodum redigere hac ſcientiâ dignam. Quòd tamen ex principiis à nobis antea poſitis, DEO favente præſtitimus; veterum detectis & ablegatis erroribus; ut in ſequentibus Lectori docto patebit, non ſine maxima ingenii voluptate; dum veros ac mirabiles agendi modos corporum Cæleſtium hoc in libro contemplabitur, lumine hactenus abſcondito illuſtratus.

SECTIO I.

CAPUT I.

Circa quæ verſetur doctrina de univerſalibus Cœli conſtitutionibus.

CONſtitutio particularis Cœli ea dicitur, quæ circa particulare aliquod determinatur: ut circa naſcentem hunc hominem vel equum; ad eumque refertur. Unde ſequitur quod Cœli conſtitutio univerſalis ea ſit appellanda, quæ ad nullum particulare determinata eſt; ſed particularia multa univerſaliter afficit atque reſpicit, ut totam regionem vel urbem. Hanc verò doctrinam exponit Ptolemæus Lib. 2. Quatrip. ſed breviter: cùm tamen ex Cardano, initio comm. in 1. Caput *ſit magis ardua & longè majoris operis quàm doctrina de uno homine ſingulari.* Et rationem affert ipſe Cardanus, *quòd longè minorem cognitionem habeamus de generalibus conſtitutionibus quàm de ſingularibus*: ſed quid præcipuè ignoremus ipſe non animadvertit. Vult tamen cognitionem de generalibus, eſſe magis neceſſariam quàm de particularibus: quoniam ex Ptolemæo Cap. 2. Lib. 1. *Hominibus multa accidunt propter generalem conſtitutionem, non ex propria particularis naturæ qualitate; ut quando propter magnas Aeris converſiones ſeu mutationes quæ difficulter caveri poſſunt, totæ gentes intereunt: ut ſit in arboribus, peſtilentia; aut diluviis: cùm ſemper inferior cauſa ſuccumbat majori & validiori.* Hæc Ptolemæus.

Cæterùm veteres Aſtrologi doctrinam de conſtitutionibus univerſalibus inchoarunt à motu abſidum Planetarum, mutatione excentricitatis Solis, & variatione obliquitatis Eclipticæ; hiſque cauſis univerſalibus, quaſi in Natura primariis, vires maximas tribuerunt immutandi regna, imperia, Religiones, &c: ſed abſurdè.

Primò enim nulla datur mutatio excentricitatis Solis vel aliorum Planetarum; nullaque variatio obliquitatis Eclipticæ; ut cum Keplero in Epit. aſtron. Copern. & Tabulis Rudolphinis diximus in Theoriis Planetarum: Taliaque figmenta fuerunt in Aſtronomiam introducta, defectu cognitionis principiorum Aſtronomiæ fundamentalium, à nobis in Aſtronomia reſtituta traditorum. Quomodo enim hactenus ſciri potuit an mutetur excentricitas Solis, cùm ipſa Solis excentricitas adhuc ignoretur, ob adhuc ignotam Solis parallaxin; ſine qua vera Eclipticæ obliquitas, nec verus locus Solis, nec hujus excentricitas ſine maxima & minima à Tellure diſtantia ſciri queunt? Quamobrem patet Solis excentricitatem, tum Eclipticæ obliquitatem, potius ab Aſtronomis circa illas diſſentientibus, quàm à Natura variari.

Secundò. Nonne ridiculum eſt cauſis omnino fictitiis vel ſaltem incertis nimirum revolutioni centri orbitæ Solis in circello circa Mundi centrum, non minorem virtutem adſcribere, quàm Monarchias Mundi maximas erigendi, evehendi, deprimendi, deſtruendi? Idque ſine experientiis niſi forſan frivolis, ſicut fecit Georgius Joachimus Rheticus, cui ſubſcribit Origanus, loquentes de Romanorum & Turcarum Imperiis, quaſi ad has potiùs quàm alias Monarchias Chynenſium, Perſarum, Tartarorum, Mexicanorum, Peruvianorum & cæteras, determinata eſſet ipſa revolutio?

Tertiò. Virtus omnis influentialis inhæret tantùm primò & per ſe alicui corpori Cœleſti, ſive ſit Planeta, ſive fixa, ſive Cœlum ipſum. At prædicti Aſtronomi tantam vim collocant in puncto, vel hujus imaginaria revolutione; etiamſi ſub ſignis Zodiaci fieri, cum horum influentiali concurſu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

curſu conciperetur: quod tamen à vera Philoſophia prorſus eſt alienum: igitur ex 3 cauſis univerſalibus ſupradictis duo jam à nobis rejiciuntur; quippe excentricitatis Solis & obliquitatis Eclipticæ variationes, quarum una alteram ſupponit minimè probatam.

Quod verò ad motum abſidum attinet, certum eſt illum dari, & in Luna quidem evidentiſſimè, quippe quòd ejus apogæum ſingulis annis promoveatur ferè 41 gradibus ſub Zodiaco: ſed obſcurius in aliis Planetis quorum velocius aphelium quod eſt Mercurii, nequidem duobus minutis annua im promovetur. Tardius tamen aphelium quod eſt Jovis, ſingulis 1000 annis promovetur 13 gradibus 6′. ex Tabulis Rudolphinis. Quod ſanè ſufficienter convincit, omnium Planetarum abſides revolvi; tantus enim error Tabularum, cum obſervationibus compati minimè poſſet.

Nihil autem in univerſa Natura videtur admiratione dignius iſtis abſidibus, earumq; motu ſub Zodiaco. Certùm enim eſt primò. Quod Sol & Luna videntur aliquando Terræ viciniores, & aliquando remotiores, proindeque Terram non eſſe in centro orbitarum ☉ aut ☽ Linea verò connectens Terræ centrum cum centro orbitæ ☉ aut ☽, utrinq; continuata ad peripheriam orbitę, & ſphęram fixarum ſeu primum Mobile, vocatur linea abſidum ☉ aut ☽, in cujus extremitatibus dum Sol aut Luna verſantur, dicuntur eſſe in ſumma vel ima abſide, ſeu apogæo vel perigæo; eademque eſt ratio de ♄ ♃ ♂ ♀ & ☿ reſpectu Solis. Secundò certum eſt, quod lineæ abſidum ☉ & ☽ ſe ſecant in Telluris centro, quod proinde eſt nodus orbitarum ☉ & ☽, quaſi ☉ & ☽ pertineant ad ſyſtema Terræ: Lineæ autem abſidum ♄ ♃ ♂ ♀ & ☿ ſatellitum Solis, ſe mutuò ſecant in ipſo ☉ centro, quod eſt etiam nodus orbitarum ipſorum ſatellitum ad ſyſtema Solis pertinentium; ut teſtantur obſervationes Aſtronomicæ. Similiterque dici poteſt lineas abſidum ſatellitum ♃ interſecari in centro ♃.

Inde verò concludit Keplerus in Epit. aſtron. Copern. Solem eſſe fontem motus Planetarum per ſuam revolutionem circa proprium axem, quam tamen opinionem refutavimus in Theoriis Planetarum, in ſolutione famoſi Problematis de Telluris motu & quiete, tum Lib. 3. Aſtrologiæ Gallicæ: at qua vi & quomodo moveantur abſides, neque dixit, nec per illum Solis motum explicari poteſt, cùm abſis ♄ ex ejus mente celeriùs moveatur quàm abſides ♃ & ♂ Soli propinquiorum, quàm ſit ipſe Saturnus.

Cùm igitur nullum hactenus viderimus Aſtronomum aut Philoſophum; qui nobis hac in parte ſatisfaciat; nec ipſe circa rem hanc quidquam certi habeam; ſatius eſſe puto, divinam hoc in opere ſapientiam modeſto ſilentio venerari, quàm aut falſa aut dubia exponere. Etſi enim concederetur Deum infinitè potentem ac ſapientem hanc Mundi machinam feciſſe à principio interno naturaliter mobilem; & in Terra, Sole atque Jove, nodis orbium ſupradictis conſtituerentur motuum fontes: tamen quomodo hinc Planetæ horumque abſides circumvolvantur explicare, ſuperat propriam hominis intelligentiam. Si verò Cœlos & Planetas à principio externo ſcilicet intelligentiis cum Ariſtotele, Theologis, probabiliorique ſententia moveri aſſeruerimus; ſemper obſcurum relinquitur, qua ratione motus ille diſpenſetur Cœlis, Planetis, horumque abſidibus; videturque denegari omnipotenti ſapientiæ Dei, quod ſicut artifex machinam conſtruit artificialiter mobilem; ſic Deus Mundi machinam conſtruere potuerit naturaliter mobilem. Ego verò id minimè nego, qui omnipotentem Dei ſapientiam credo & adoro: At quia nec Cœlum, nec aſtra moventur proprii boni gratiâ; ſed hominis, propter quem totus ipſe Mundus conditus eſt, ut jam alibi diximus; ceſſabitque Cœleſtium corporum motus, quo momento Deus hominum generationi finem imponet; probabilius videtur, quod ſicut unuſquiſque noſtrum ex Theologis & ſacra ſcriptura, peculiarem habet cuſtodem Angelum; inſuper autem Epiſcopi atque Reges, tum hujus Terræ provinciæ atque Regna, alios rectores Angelos generales; nulla ratio valida videtur afferri poſſe quo minùs concludatur univerſum hunc Mundum ejuſque globos ſingulos ab Angelis motoribus regi; cùm in ratione efficientis cauſæ motricis localiter, nihil fieri poſſit ab anima corporea, quos ab intelligentia fieri nequeat, niſi naturam ſpiritualem corporea inferiorem vel imbecilliorem eſſe diximus. Nec refert quod modum quo id intelligentiæ præſtent explicare nequeamus, cùm intelligentiarum vel Dæmonum agendi modi ſint nobis ignoti; nec intelligentiæ videatur opus eſſe habenis materialibus ad regendum Solis currum ejuſque ſatellites, ſicut illis opus habet auriga ad regendos equos ſui currus; utque formica ab Elephante, ſic intelligentia ab intelligentia differre queat robore, tum etiam cognitione.

Verùm non inde ſolvetur difficultas de abſidum motu: Non enim ſat eſt Angelos præfici Planetarum globis qui hos regulariter moveant (quod fieri poteſt immotis abſidibus) ſed inſuper quæritur quomodo & à quo ipſę moveantur abſides. Harum enim motus aliter concipi non poteſt; quàm ſi concipiatur centrum ellipſis à Planeta proprio motu deſcriptæ, moveri circulariter & æqualiter circa alterum ipſius ellipſis focum. Veluti poſita Tellure foco altero ellipſis Lunæ, circa Terram ipſam volubiliter ordinatæ; & poſita invariabili diſtantiâ centri ellipſis Lunæ à Terræ centro (quæ centra connectens linea, dicitur abſidum linea) ex motu centri ipſius ellipſis circa Terræ centrum conſurget motus lineæ abſidum Lunæ, imò totius ellipſis; forſanque Ætheris quem includit, ſervata ſemper eadem figurâ elliptica. At quamvis hoc fieri certò ſciam ex phœnomenis, quomodo tamen & à quo id fieri poſſit ingenuè fateor me neſcire, nec ei invideo qui hac in parte omnibus ſatisfaciet.

Eadem oritur difficultas circa motum nodorum ♄ ♃ ♂ ♀ ☿ ☽, qui valde differt à motu abſidum, quæ celeriùs moventur quàm nodi, prout ab anteceſſoribus noſtris obſervatum eſt, præſertim in Luna: ut proinde nodorum & abſidum motus, ab eodem principio eſſe nequeant.

Conceſſo igitur abſidum motu, definiendum ſupereſt, an ab ipſo aliqui in Terris univerſales producantur effectus. Cardanus Aph. 37. Lib. 1.

ait.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ait. *Mutationes abſidum regna, regiones, & religiones mutant.* In ſpecie verò de mutatione abſidis Solis ait Aph. 129. Lib. 5. *Abſis Solis ab ♈ ad ♋, inhabitabilem reddit auſtrinam partem, borealem autem habitare facit. A ♋ ad ♎, benè habitabitur borealis, & auſtrali dominabitur. A ♎ ad ♑, auſtrina habitabitur, ſed boreali parti minimè imperabit, A ♑ ad ♈, imperabunt auſtrales borealibus quaſi deſolatis.* Hæc Cardanus, qui non minimum ex ſuis figmentis hîc inſeruit, non modò omni ratione deſtitutum, ſed etiam experientiæ contrarium; dum partem Mundi auſtrinam duntaxat efficit habitabilem, cum apogæum Solis movebitur à ♎ ad ♑, hoc eſt poſt ſequentes ab hinc annos 5044; & tamen à tot jam ſeculis refertiſſima eſt incolis in utroque hemiſpherio: ac inſuper durationem Mundi extendit ad annos pluſquam 20000; quæ ſunt prorſus abſurda.

Præterea vis influentialis inhæret tantùm primò & per ſe alicui corpori Cœleſti, non autem puncto vel lineæ, ut jam ſuperiùs dictum eſt: Ergo &c: Neque dicendum vim influentialem ſummę vel imę abſidis ineſſe puncto Cœli in quod deſinit abſidum linea continuata. Nam ſi quæratur à quonam vim talem habeat illud punctum, dicendum erit ab abſide, cui tamen illa non ineſt; at nemo dat quod non habet. Præterea punctum Cœli in quod deſinit abſidum linea continuata, eſt prorſus indiviſibile, at nulla virtus activa, præſertim phyſica, ineſſe poteſt indiviſibili puncto. Aliter ſe res habet in Planetarum locis & aſpectibus in primo mobili, tum domorum cuſpidibus: Nam locus Planetæ eſt pars Cœli, quam Planeta nobis occultat ſuo corpore, adhuc orbe virtutis (ut vocant) amplificata, cui æqualis in Cœlo pro aſpectibus ſingulis determinatur ab ipſo Planeta cui virtus ineſt formaliter: Et cuſpis eſt initium domus Cœleſtis, cui etiam virtus ineſt per determinationem. At abſidis linea in merum duntaxat atque ſimplex deſinit punctum, cui nulla virtus ineſſe poteſt nec formaliter, nec per determinationem. Non ergo Planetarum abſidibus vel harum locis in Cœlo ulla virtus activa in hæc ſublunaria ſaltem per ſe, tribuenda eſt: proindeque nec ejus motui; motus enim Cœleſtium non eſt per ſe activus, ſed tantùm per accidens, quatenus vim mobilis ſpargit; abſidi autem mobili nulla vis ineſt ut patuit.

Objicies. Conceſſo motu lineæ abſidum Lunæ, certum eſt variari ſitum ellipſis Lunæ reſpectu primi Mobilis ſive Dodecatemoriorum atque Terræ: Ita ut maxima & minima Lunæ à Terra diſtantia in 9 annis totum percurrat Zodiacum, ſeu fiat in ſingulis Zodiaci ſignis: At hoc fruſtra fieri & ſine aliquo inſigni effectu proprio reſpectu Terræ, propter quam eſſe Planetarum motus pluries diximus, non eſt opinabile. Eademque eſt ratio de cæteris abſidibus.

Reſpondeo. Si ab abſidis motu aliquis prodire queat peculiaris effectus, ipſum per ſe non eſſe adſcribendum abſidi vel ejus motui; ob rationes ſuperius allatas; ſed duntaxat maximæ aut minimæ diſtantiæ Planetæ à Terra ſub hoc vel illo ſigno, ratione cujus diſtantiæ, Planeta ipſe efficaciùs aut debiliùs agit in Terram cum tali ſigno: quod ſcilicet Planetâ non agente ad infinitam diſtantiam, fortiùs agat elementaliter & influentialiter in propinquius quàm in remotius. Sed horum effectuum nullæ hactenus factæ ſunt obſervationes in Luna; multóque minùs in aliis Planetis fieri queunt, quandoquidem linea Solis abſidum, à Mundo condito huc uſque tria tantùm ſigna & ſex gradus peragravit: Ergo vana ſunt quæ de effectibus ipſarum abſidum, huc uſque tradita ſunt ab Aſtrologis, præſertim quòd major aut minor Planetæ à Terra diſtantia, ſpeciem effectus variare non poſſit, alioquin continuò variaret; ſicque Aſtrologiæ judicia penitus everteret. Tantúmque concedendum quod Planeta in ſua minori à Tellure diſtantia, efficaciùs in ipſam Tellurem agat cum ſigno quod occupat, quàm in ſua majori à Tellure diſtantia: ſicque per ipſam diſtantiam intendatur aut remittatur Planetarum virtus, in hæc inferiora, nunc ſub hoc, nunc autem ſub altero ſigno.

Quod verò ſpectat ad orbem magnum ejuſque revolutionem annis 360 ſingulis, pro univerſalis cauſa eaque potentiſſima magnoque Naturæ myſterio ab Albumazare excogitatum, & à pleriſque receptum; puderet me hîc immorari in refellendis nugis & figmentis, quibus ille ſtabilitur, adeo futilibus; ut ſi cujuſcunque ratio petatur ab Albumazare vel alio, is planè ſit irrationalis.

Conſtat igitur ex ſuperiùs dictis, veteres Aſtrologos perperam opinatos fuiſſe, cauſas hactenus expoſitas vim activam, eamque univerſalem effectibus ſortiri in hæc inferiora: proindeque doctrinam de conſtitutionibus univerſalibus, non verſari circa tales cauſas. Oſtendemus autem inferiùs, illam verſari duntaxat circa annuas Mundi Revolutiones, Synodos ☉ atque ☽; necnon conjunctiones aliorum Planetarum, tam inter ſe, quàm cum luminaribus: De quibus ſigillatim dicemus in ſequentibus; poſtquam de univerſali corporum Cœleſtium agendi modo quædam præmiſerimus.

CAPUT II.

De corporum Cœleſtium agendi modo univerſali.

DE hoc agendi modo fusè actum eſt Libro 20. Sect. 2, 3 & 4: ac præſertim Cap. 2. 3. 8. Sect. 3. pro Planetis; de quibus præcipuè hoc Libro agendum eſt: unde ſummatim duntaxat excerpemus, quæ hîc ad noſtrum inſtitutum facere videbuntur.

Itaque diximus ibidem primò. Quod ut primum Cœlum vim ſuam eminentialem univerſaliſſimam velut ſpiritum quendam effundit per totum hunc Mundum: ſic Planetæ propriam formalemque virtutem per totùm quoque Mundum effundunt, tum elementalem, tum influentialem, idque eodem radio: Sol ſolarem, Luna lunarem, &c.

Secundò. Septem Planetas eſſe diverſæ naturæ; & quemlibet efficaciùs agere in ſublunaria ſibi naturâ, temperamento, moribus, ætate, regione, dignitâte, &c: magis analoga ſeu affinia; eaque faciliùs afficere, movere, intendere ac producere. Sol igitur in hiſce ſublunaribus Sſolaria

præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

præcipuè afficit, movet, intendit, producit atque perficit, Luna lunaria; Saturnus ſaturnina, &c: quæ in ſingulis rerum generibus patent ex Tabula noſtra de dominio Planetarum, Lib. 13. Sect. 3. Cap. 3. quæ verò ſunt contraria, vel temperant vel deſtruunt, præſertim ſi Planetæ ſint fortes ad hunc effectum, & ſubjecta quæ patiuntur debilia.

Hinc verò ſequitur quod dum Sol in Cœlo pravè afficitur, ☌ ☍ vel □ ♄ aut ♂. tunc ſolaria ſive Soli analoga in his inferioribus pravè quoque afficiuntur: ſi autem ille benè afficiatur, hæc quoque benè habebunt. Atque ſic de Lunaribus, Saturninis, Jovialibus, &c: ſubjectum autem analogum patiens, conſtabit ex ſitu vel dominio Solis in figura erecta ad momentum ejus ☌ ☍ vel □ cum malefico pravè afficiente. Sic de aliis.

Tertiò. Generationes & corruptiones in his inferioribus, tum diverſitatem effectuum ejuſdem etiam ſpeciei, cauſari non ſolùm à communi Planetarum motu circa Terram; ſed præſertim à proprio eorum motu in Zodiaco, & variis ipſorum inter ſe ſyzygiis: Dum enim per duos illos motus diverſimodè combinantur, cum ſignis Zodiaci & figuræ domibus, tum inter ſe per ſyzygias; virtutum miſcellam conficiunt, atque pariunt quamcunque generationum & effectuum diverſitatem. De his autem ſufficienter actum eſt Lib. 21. Sect. 2. quatenus ad figuras non ſolùm particulares ſive genethliacas, ſed etiam ad univerſales pertinent; Eſt enim eadem pro utriſque doctrina; quòd nempe Planetæ benè affecti ſtatu Cœleſti, ac præſertim naturâ benefici fœliciter agant juxta figuræ domum quam occupant; hoc eſt bonarum domorum bona promoveant, & malorum mala temperent vel cohibeant: Planetæ autem pravè affecti ſtatu Cœleſti, ac præſertim naturâ malefici, planè contrarium efficiant.

Quartò. Planetas nunquam ſolos agere, ſed perpetuò cum ſignis Zodiaci. Cum his verò agunt elementaliter per totam Terram, ratione ſuæ naturæ, & ſigni, & domini: Nam actio elementalis aſtrorum non diverſificatur per domos figuræ, niſi ſecundum magis & minùs, quę ſpeciem effectus non variant, ut alibi diximus; & Planeta ſemper ibi fortiùs agit elementaliter, ubi magis eſt perpendicularis. Quod verò agat ſciri poteſt univerſaliter, ut quod ♄ in ♑ per totam Terram frigefaciat & exſiccet, ratione naturæ propriæ atque ſigni; ideoque frigus ac gelu intendat hyeme, ac potiſſimùm in Zonis frigidis, ſed præcipuè in auſtrali cui tunc perpendicularior eſt. Contrà verò calorem minuat æſtate per totam Terram, magis autem in parte auſtrali: ideoque frigefaciendo noceat naturis frigidioribus, præſertim in Zonis frigidis, tum plantis & animalibus quibus calor ad vegetationem & vitam eſt neceſſarius: Temperet autem calidiora, quibus nocet calor intenſus; Mars autem in ♌ prioribus contrarium efficiat. Atque ſic de reliquis.

Sed agunt etiam influentialiter per totam Terram, ratione ſuæ naturæ, & ſigni & hujus domini, ejuſque ſtatus Cœleſtis ob cauſas alibi à nobis expoſitas; nam virtus elementalis & influentialis eodem radio tranſmittuntur in hæc inferiora, quamvis agant diverſimodè. Quid verò agant ſciri quidem poteſt in genere; ut quod à ♄ in ♑, prodeat influxus maximè Saturninus circa omnia ſublunaria, tam in genere quàm in ſpecie & individuo ſpectata; iſque proſit etiam quibuſdam, aliis verò noceat. A ♄ in ♐ prodeat influxus mixtus ex ♄ & ♃ natura, &c: ſed quid in ſpecie agat ♄; ut an influat circa vitam, mortem, conjugia, bella, regna, &c: hoc determinari non poteſt aliter quàm per erectionem figuræ Cœleſtis; ſine qua ſpectando ♄ duntaxat in Cœlo, is dicendus eſt agere influentialiter circa illa omnia ſimul; pro diverſa ejus applicatione, ad ſingula Terræ loca.

Quintò. In figuris univerſalibus erectis ad aliquem Terræ locum, ut regionis vel regni alicujus metropolin; ſingulas figuræ domus ſortiri univerſalem rationem, eorum quę domus ipſæ naturâ ſua ſignificant. Non enim eſſe poſſunt unius naturæ in figuris particularibus nativitatum, & alterius in univerſalibus; cùm ſit utrobique eadem diviſio ejuſdem mundani ſpatii; in qua rerum ſublunarium ortus, vigor, declinatio & interitus conſpiciuntur; illic quidem particulariter, hîc verò univerſaliter. Quamobrem prima domus in figuris univerſalibus erit quidem pręcipuè de vita & temperamento plantarum, brutorum & hominum in illa regione orientium, ſive naſcentium ſub univerſali conſtitutione, vel ipſa durante: ſed præterea eorum etiam priùs Natorum, qui regionem ipſam incolent, vel per eam tranſibunt durantibus effectibus conſtitutionis ipſius. Si quidem conſtat illos qui duntaxat tranſeunt per regionem peſte, bello, famę, vel immodica Aëris intemperie afflictam, hiſce malis obnoxios fieri, horumque participes. Duodecima erit de morbis, hoſtibus occultis, carceribus & miſeriis corporeis ipſi regioni communibus, ſecundum cujuſque individui patientis naturam & diſpoſitionem. Undecima, de amicis & confœderatis. Decima, de Honoribus, Magiſtratu, Regno, ſuceptis, actionibus earumque ſucceſſu. Nona, de Religione, itineribus, Legationibus. Octava, de morte. Septima, de conjugiis, litibus atque bellis, atque ſic de reliquis. Ac proinde ex præcipuo conſtitutionis univerſalis loco in figura, ejus dominis eorumque ſtatu Cœleſti ac terreſtri, fiet judicium de illarum domorum ſignificatis.

Sextò. Vetuſtiores Aſtrologos de mutationibus univerſalibus in Aëre, Aqua, Terra, Populis, Regnis, &c: multos olim aphoriſmos tradidiſſe ex Planetis in ♈ ♉ ♊ &c: qui forſan tunc veri erant à concurſu Dodecatemorii & conſtellationis illud occupantis, tunc ignoto fixarum motu: At quia conſtellationes moventur ab ♈ in ♉ ♊, &c: & conſtellatio quæ tempore Ptolemæi & vetuſtiorum erat in ♈, jam requiritur in ♉, & ſic de cæteris, nil ſanè mirum fuerit ſi tales aphoriſmi jam falſi deprehendantur; utpote non convenientes neque ſoli conſtellationi, neque ſoli Dodecatemorio, ſed utriſque ſimul, qui concurſus nunquam redibit. Quocirca priùs ſunt definiendi effectus Planetę in dodecatemoriis ſimplicibus ex propria Planetæ & dodecatemorii natura; tum obſervandæ fixarum & conſtellationum vires propriæ & illis adjungendæ; ut ex illorum trium concurſu conjiciatur effectus. Sic verò Planetarum in dodecatemoriis effectus, ſemper

erunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

erunt iidem ac immutabiles per ſe, atque duntaxat variabuntur per acceſſum novarum fixarum ſeu conſtellationum in ipſis dodecatemoriis, aut per ſyzygias ipſorum Planetarum inter ſe.

Porrò fixarum & conſtellationum propriæ vires elementales ac influentiales ſedulò obſervantibus innoteſcent, dum ſingulis menſibus atque annis Sol & Luna tum etiam cæteri Planetæ illis applicabunt & conjungentur, aut cum iis orientur, culminabunt, vel occident: Præcognitâ enim Planetarum vel ſignorum naturâ (de qua inter ſe conveniunt Aſtrologi) notandum erit quid ſtella fixa aut conſtellatio addat vel minuat per ſui concurſum; id enim erat ab admixta ejus virtute propria, quæ eo pacto innoteſcet. Verum Cardanus in Commento Cap. 3. Lib. 8. qui eſt de viribus fixarum, hîc obiter caſtigandus eſt: Cenſuit enim cum Haly *fixarum vires ad Terram non deferri, quòd ab hoc longiùs remotæ ſint: ſed eas lumen Solis ad nos reflectere, quod imbutum viribus ſtellæ, dum illa præſertim exoritur nocte, minimè nativis* (hoc eſt ad nos directis) *impedita radiis Solis, maximos, repentinos & celeres effectus producit in his inferioribus.* Falſum eſt enim quod lumen Solis ad fixas uſque pertingat, ut demonſtravimus Lib. 9. Sect. 4. Cap. 8. Ideoque falſum illud reflecti à fixis, quæ ſic propria luce non fulgerent; cùm tamen ex illa demonſtratione ſequatur contrarium. Ac tandem falſum quod fixę propriam vim per lumen Solis tranſmittant aut per alios Planetas: Nam cùm lumine proprio fulgeant ex ſupradictis; ſi poſſunt lumen ſuum ad hæc uſque inferiora vibrare, multò magis vim influentialem, quæ adhuc ipſo lumine ſubtilior eſt, ipſumque totum Terræ globum penetrat.

Caput III.

De universalium Cœli conſtitutionum ſubordinatione, atque dependentia.

NOn abs re factum eſt ut contra methodum Ptolemæi, particulares conſtitutiones nativitatum, præmiſſa ſint à nobis univerſalibus: Nam ut dicebat Ariſtoteles primo phyſicorum, particularia ſunt quò ad nos priora & notiora univerſalibus; & hæc priora & notiora in ſe particularibus. Verbi gratiâ, hic homo à quolibet etiam ruſtico vel puero facilè ſenſu cognoſcitur; at univerſalis homo, nonniſi à Philoſopho & per abſtractionem intellectualem cognoſcitur. In ſcientiis autem inveniendis progrediendum eſt à nobis notioribus ad notiora in ſe; nam univerſalia cognoſcuntur ex particularibus.

Ut ergo in particularibus hominum conſtitutionibus datur figurarum ſive conſtitutionum Cœleſtium ſubordinatio atque dependentia: & prima omnium eſt radicalis figura, à quo dependent, cuique ſubordinantur revolutiones Solis, & utriſque revolutiones Lunæ, tota durante vitâ Nati, qui microcoſmus vulgò nuncupatur; ſic in conſtitutionibus Mundi univerſalibus datur dependentia & ſubordinatio. Et prima elementalis Mundi conſtitutio univerſalis, eſt Cœli ſtatus ad illud momentum temporis per ſingula terræ loca, quo Cœleſtium corporum viribus tum elementalibus, tum influentialibus, fuit expoſitus ipſe Mundus elementalis. Ignoratur autem illud momentum illaque conſtitutio, quamvis nonnulli conceptu planè chymerico, illam definire voluerint, non ſecus ac Julius Firmicus Maternus ſuas tradidit fictitias figuras genethliacas Alexandri magni, Achillis, Homeri, Terſitis, &c: auſu non ſolùm ridiculo ſed etiam ſtulto; cùm eorum natalem horam, nec diem, imò nec annum certò ſciverit. Similiter autem præcisè neſcitur à quot annis Mundus hic conditus fuerit, cùm de hac re Chronologi inter ſe diſſentiant non modo annorum centenariis, ſed etiam millenariis: Et multò minùs quota fuerit hora per ſingula Terræ loca; tum quis fuerit ſitus Planetarum in Cœlo, ſaltem excepto Sole, quem in ♈ principio poſitum fuiſſe validis rationibus oſtendimus Lib, 2. Cap. 4. His autem ignotis ignoratur prima ſeu radicalis conſtitutio Cœli, reſpectu cujuſvis Terræ loci, à qua ipſius loci propria fata, hoc durante Mundo præcipuè ac primarò dependent; ut fata Nati quandiu vivit, ab ejus radicali figura: cuique conſtitutioni ſubordinantur omnes aliæ ad ipſum locum erectæ; nempe revolutiones Solis, conjunctiones luminarium, &c: quæ explicant atque diſpenſant illius radicalis conſtitutionis fata ad ipſum locum pertinentia, cum reſpectu dependentiæ ad ipſam radicalem conſtitutionem, ut fit in nativitatibus particularibus: Aſtrologica enim ſcientia tam in univerſalibus quàm particularibus debet eſſe uniformis; alioquin particularia ex univerſalibus concludi ſeu deduci non poſſent, nec univerſalia ex particularibus colligi.

Ut ergo in Natorum figuris dantur figura radicalis, directiones, revolutiones & tranſitus; ſic in figuris univerſalibus dantur eadem. Ac in radicali figura Mundi, reſpectu cujuſvis Terræ loci, directiones inſtituendæ ſunt, ut in figuris nativitatum, cum eadem menſura 59′. 8″. &c: pro quolibet anno. Nam ſi Adamus ejuſque Filii ac nepotes, vixiſſent uſque ad finem Mundi; eadem tunc fuiſſet atque nunc eſt menſura pro directionibus: & ſingulis 360 annis ſignificatores abſoluta directionum revolutione ad ſua principia radicalia rediiſſent, novam revolutionem inchoaturi: quòd ambigendum non eſt accidiſſe primis hominibus qui 800 & 900 annos vitæ ſuperarunt. Sic ergo directiones radicalis figuræ Mundi, reſpectu cujuſvis Terræ loci ſingulis 360 annis ad ſua principia radicalia redeunt: Et hoc eſt forſan verus ille magnus Orbis annorum 360, de quo Albumazar Aomar, & cæteri veteres multa figmenta ob ejus ignorantiam tradiderunt; aſſerentes illum incepiſſe à ☌ ♄ & ♃ in ♋, quæ per annos 279, præceſſit diluvium, & hujus cauſa naturalis extitit; quæ ſunt meræ nugę, ut oſtendimus Lib. 2. Cap. 32.

Cæterùm non ſecus in Adamo aliiſque primis hominibus, peracto directionum primo aut ſecundo circuitu, non eadem omnino redire poterant accidentia, quæ in primo circuitu contigerant, ob diverſum Cœli ſtatum currentem in ſecundo circuitu diverſaſque Nati revolutiones; quamvis quædam ſimilia acciderent ob directionum identitatem: ſic in quolibet Terræ loco judicandum eſt per reſpectum ad radicalem ſuam

Mun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Mundi figuram: quo pacto iſte magnus Orbis in ſingulis Terræ locis aliquos ſortitur effectus.

At quia nobis deeſt illa Mundi figura radicalis pro quolibet Terræ loco; vixque tantum nobis licet erigere figuram Revolutionis annuæ Mundi pro ipſo loco; hinc fit ut in prædicendis ſingulorum Terræ locorum, Regionum atque Regnorum fatis, non minùs cæcutiamus, quàm qui ex vero loco Solis præcognito in alicujus Nati figura, ignotis autem anno & die nativitatis; ideoque figurâ radicali ejuſque directionibus, vellet ſingulis annis de ipſius Nati fatis præſagia inſtituere, illaque pro veris exponere. Secus autem ſe res habet in hominum nativitatibus, in quibus datur figura radicalis, quæ eſt certum judiciorum fundamentum pro ſequentibus Nati revolutionibus. Ideoque de particularibus hominum fatis multò certiùs quàm de univerſalium conſtitutionum effectibus judicari poteſt.

Nihilominus cùm omnis revolutio ſemper agat prout & quantùm poteſt, in illud ſubjectum cujus reſpectu erigitur, quatenus eſt figura in ipſum particulariter patens, ad ipſumque determinata: Non tamen agat in ipſum ſimpliciter & abſolutè, ut diximus Lib. 23; ſed per reſpectum ad figuram radicalem, quam in conſtitutionibus univerſalibus ignorari ſupponimus; nec certius nobis adeſt fundamentum generaliter, in aliquo Terræ loco futura, quolibet anno prædicendi: idcirco annuam Mundi revolutionem in quolibet Terræ loco, dicimus eſſe fundamentum ſolidius, quod nobis ſuperſit ad ea prædicenda, quæ annuatim ipſi Terræ loco futura ſunt à Cœlo: Ipſique omnes alias conſtitutiones univerſales, nempe tam luminarium quàm aliorum Planetarum, cum luminaribus & inter ſe ☌ ☍ □ cæteraſque ſyzygias ſubordinari, quæ nimirum nihil aliud ſunt quàm explicatio & diſpenſatio fatorum ipſius Terræ loci à radicali & annua conſtitutione. Etſi enim tam luminarium quàm aliorum Planetarum cum luminaribus & inter ſe conjunctiones ſint quædam peculiares cauſæ univerſales atque principia actionum Cœli in hac inferiora: tamen id non ſunt ſimpliciter & abſolutè; ſed per reſpectum ad radicalem (quæ neſcitur) vel annuam loci conſtitutionem mundanam.

Hoc autem patet ex omnium Aſtrologorum praxi, qui de novilunio aut plenilunio non pronunciant ſimpliciter & abſolutè; ſed per reſpectum ad annuam Revolutionem; cujus effectus cùm proculdubio durent uſque ad ſequentem revolutionem; de quolibet novilunio ſimpliciter & abſolutè pronunciare non licet, abſque tali reſpectu. At multò evidentiùs patet in genethliacis particularibus; ubi in quavis ☽ revolutione habenda eſt ratio qualitatis atque ſtatus Revolutionis Solis. Si enim hæc fuerit valdè mala, certò accidet in anno aliquid mali ſignificati; quamvis etiam figura radicalis non conſentiat; ſed minùs quàm ſi conſentiret. Idemque à pari dicendum eſt de valdè bona revolutione: Ergo ſi revolutio ☽ concordet cum revolutione ☉, adhuc certiùs continget effectus revolutio ☉, in ipſa revolutione ☽: non ſecus ac dum revolutio ☉ cum figura radicali concordat. Quamobrem ipſi etiam revolutioni ☽ per ſe vim aliquam ineſſe fatendum eſt; ſed cum reſpectu, primario quidem ad radicalem figuram, ſecundario autem ad figuram revolutionis Solis; ut proinde hæc illius Vicaria dici queat. Idem igitur cenſendum eſt in conſtitutionibus univerſalibus, de figura radicali Regionis, Revolutione mundana Solis & lunationibus: Aliæ ſiquidem conſtitutiones univerſales, nimirum revolutiones mundanæ ſive radicales ☽ ♄ ♃ ♂ ♀ ☿, ignorantur non ſecus ac momenta verarum conjunctionum ♄ ♃ & ♂. Sed ſcitur tempus revolutionis Solis, quæ inter omnes alias conſtitutiones virtutis & efficaciæ primatum ſibi vendicat. Quòd nempe Sol magnitudine & virtute ſuperet omnes alios Planetas, ac ♄ ♃ ♂ ♀ & ☿ ſint tantùm ejus ſatellites, ideoq; inferiores. Luna verò reſpectu ☉ ſe habet duntaxat ut fœmina reſpectu viri in generatione prolis.

Objicies primò. Ptolemæus Cap. 9. Lib. 2. Quatrip. Cardanus in Commento, & cæteri Aſtrologi, judicant de Mundi annua revolutione vel ejus quartis per reſpectum ad proximè antecedens novilunium aut plenilunium, à quibus dependere volunt ipſam Revolutionem: ergo hæc illis luminarium ſyzygiis ſubordinatur, non contrà.

Reſpondeo. Revolutionem Solis non dependere à novilunio præcedente, ut à cauſa ſuperiore, vel priore, virtutis aut dignitatis ordine; ſed tantùm ut à cauſa initialiter diſponente. Nam quia ſuperiùs dictum eſt, luminarium & aliorum Planetarum ☌ eſſe peculiaria principia actionum Cœli in hæc inferiora, & vim unius ☌ durare uſque ad proximè ſequentem; inde accidit ut dum de annua Mundi revolutione fit judicium, habeatur in prognoſi ratio novilunii immediatè præcedentis, quatenus eſt cauſa initialiter diſponens ac præparans naturam ſublunarem, ad effectus annuæ Mundi revolutionis ſubſequentis; quæ eſt omnium Conſtitutionum univerſalium primaria. Quod ſi novilunii præcedentis pauci dies ſupereſſent, ut 4 vel 5. illud vim non habebit in futura revolutione ☉, quòd nempe vis ejus ſit exhauſta. Sola autem novilunia ſpectanda cenſemus, non autem plenilunia; quia Quadraturæ ☉ & ☽ eſſent etiam inſpiciendæ, cùm horum quoque erigantur figuræ ab Aſtrologis, nec ſit major ratio de illis quàm de iſtis, quod tamen veteribus nuſquam fuit uſitatum. Nec opus eſt ſingulis anni quartis attendere ad novilunia proximè antecedentia; ſed tantùm initio anni, quòd nimirum quartæ duntaxat per modum Tranſitus operentur reſpectu annuæ Mundi revolutionis, ut jam alibi dictum eſt; nec ſint conſtitutiones primariæ. Qui tamen initio anni & ſingularum quartarum ſpectabit non ſolùm immediatè præcedens novilunium; ſed inſuper ☍ & □ Solis & ☽, quæ occurret inter ipſum novilunium & ingreſſum Solis in cardinale punctum; is forſan accuratiùs judicabit: quòd ſcilicet ☍ & □ ad ipſum novilunium pertineant. Neque opinandum eſt quod novilunium præcedens ☉ ingreſſum in ♈, vim habeat ſupra totum annum, vel hujus primam quartam; cùm vis activa ipſius novilunii duret tantùm per menſem ſynodicum; ſed tantùm vim habet in anni principium, ut cauſa diſpoſitiva ſublunaria ad effectus revolutionis Solis: Et idcirco utriuſque thematis effectus proprii ſunt inter ſe diſtinguendi, & eorum affinitas vel con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

contrarietas notanda, pro combinatione ipſorum initio anni. Quod ſi inter ingreſſum ☉ in ♈ & novilunium proximè antecedens, occurrat Synodus ☉ cum altero Planeta, præſertim ♄ ♃ ♂; hæc erit magnæ virtutis per totum annum: quia periodus harum Synodorum annum excedit.

Ad hæc autem ſi quis arguat; quod poſita ſubordinatione conſtitutionum univerſalium, ſi ingreſſus ☉ in ♈ pendet, utcunque à præcedenti novilunio, & hoc à præcedente ☉ ingreſſu in ♈, ut conſtitutio menſtrua ab annua, dabitur progreſſus in infinitum. Dicendum erit in ultimo anni novilunio deſinere vim annuæ revolutionis; proindeque hanc in illo non ampliùs eſſe ſpectandum, niſi forſan valdè debiliter, quod ſufficit ad ſiſtendum progreſſum in infinitum. Quod verò attinet ad præcedentes Synodos ☉ cum ♄ ♃ ♂, quoniam hæ pluſquam anno durant, habenda erit ratio ipſarum & annuæ revolutionis in qua inceperint, ut de currente annua revolutione rectius feratur judicium, combinando utriuſque anni ſignificata: Quod certè inſignem peritiam Aſtrologiæ, ſummamque prudentiam exigit.

Objicies ſecundò. Ptolemæum Lib. 2. Quatrip. Cap. 1. Eas conſtitutiones ſive cauſas vocare univerſales, quæ potentiores ſunt ad plura movenda, ut totam Regionem: In quam agentes ſecundum vim ſuam, dicuntur effectum univerſalem producere. Nimirum ſingula Regionis individua afficiendo penes cujuſque diſpoſitionem. Capite autem 3. ait Primam & efficaciſſimam cauſam univerſalium effectuum, eſſe Eclipſes ☉ & ☽. Tandemque Cap. 9. agens de annua converſione Solis & ejus quartis, cenſet has cauſas minùs univerſales quàm ſint Eclipſes: proindeque ex ſupradicto Cap 1. eas ſubjici ac ſubordinari Eclipſibus.

Reſpondeo. Ex Cap. 8. Lib. 7. Cauſam univerſalem per ſe eam dici, quæ cum ſibi inferioris naturæ vel dignitatis cauſa principali, producit effectum. Ut dum Sol & homo generant hominem, Sol eſt cauſa per ſe univerſalis; quia ſublunare corpus eſt naturâ inferius Cœleſti: & Sol agens cum ♄, eſt cauſa per ſe univerſalis dignitate. Nam Sol eſt primarius Planeta non dependens à ♄; hic verò ejus ſatelles, ab eo dependens etiam in motu proprio, ac dominio in ſigna Zodiaci, ut alibi dictum eſt.

Per accidens verò cauſa dicitur univerſalis quæ ſimul tempore multos producit effectus; ut Sol ſimul tempore liquans ceram & lutum indurans eodem calore: vel quæ duratione ſua complectitur durationes plurium aliarum cauſarum ejuſdem generis ſive naturæ, ut revolutio Solis annua, quæ complectitur tempora plurium revolutionum Lunæ periodicarum & ſynodicarum; non ſecus ac revolutio ſynodica ♄ & ♂. Ex duabus verò cauſis inter ſe comparatis, ea eſt accidentaliter univerſalior quæ ad plura extenditur. Ut cauſa totam afficiens regionem dicitur univerſalior eâ, quæ unicum ipſius regionis afficit hominem; & quæ longiori tempore durat, etiam cenſetur univerſalior.

Jam verò nihil aliud eſt Eclipſis quàm novilunium aut plenilunium, ſed in Ecliptica; ideoque majoris virtutis, quàm extra Eclipticam accidens. Quælibet autem novilunii figura ad aliquam regionem erecta, æquè latè extenditur ac altera, & virtute durat uſque ad ſequens Novilunium, ut fuſiùs infra dicetur: Ergo Solis Eclipſis non eſt cauſa univerſalior, quavis alterâ ſynodo luminarium, neque naturâ, neque dignitate, neque duratione, neque extenſione ſupra Telluris ſuperficiem. Aut ſi quandoque Synodus Ecliptica diutiùs duret, vel ampliùs extendatur, quàm Synodus communis, id erit reciprocum: hoc eſt aliqua Synodus communis diutiùs durabit ampliúſque extendetur, quàm Synodus Ecliptica, ut inferiùs explicabitur. Sed mundana revolutio Solis complectitur tempora duodecima Synodorum Solis & Lunæ, in quibus etiam plures ſingulis annis contingunt Eclipſes: Ergo annua Solis revolutio eſt ſaltem duratione univerſalior cauſa, quàm Eclipſis quælibet: Hæc enim eſt tantùm pars Mundanæ revolutionis Solis, totum autem eſt parte univerſalius. Dixi ſaltem duratione, quoniam revolutio Solis mundana ad aliquam regionem erecta, non etiam extenditur latiùs ſupra Terræ ſuperficiem, quàm Synodus Solis & Lunæ. Malè igitur Ptolemæus præfert Eclipſes revolutionibus annuis Mundi vel earum quartis, quoad univerſalitatem cauſæ, ac hæ perperam dicentur Eclipſibus ſubordinari.

Objicies tertiò. Saltem revolutionem Synodicam Saturni & Jovis eſſe cauſam univerſaliorem annua Solis revolutione & Synodis luminarium. Nam unica revolutio Synodica ♄ & ♃ aut ♄ & ♂ multas complectitur duratione revolutiones Solis, pluresque Synodos Solis & Lunæ.

Reſpondeo. Revolutionem Synodicam Saturni & Jovis, aut Saturni & Martis, reſpectu annuæ revolutionis Solis, eſſe quidem per accidens cauſam univerſaliorem durationis ratione: At revolutionem Solis eſſe per ſe cauſam univerſaliorem durationis ratione: at revolutionem ☉ eſſe per ſe cauſam univerſaliorem, ratione virtutis & dignitatis. Nam ☉ eſt Planeta primarius atq; princeps, & prima cauſa Planetaria omnium effectuum ſublunarium, ad cujus primarium & univerſalem ſtatum pertinent ipſi ♄ ♃ ♂ ♀ ☿, qui ſunt Solis aſſeclæ, quos hic perpetuò circumfert, ut Rex ſuos ſatellites ac miniſtros. Quamobrem eorum motus revolutiones & ☌, tantùm cenſeri debent eſſe partes revolutionum Solis. Attamen ea Solis revolutio, in qua accidet ☌ ♄ & ♃ præ cæteris magnos producet effectus; quòd hi ſint inter Planetas ſecundarios maximè virtutis & authoritatis, in cujus ſignum etiam aſſeclas habent: ſed ea ☌ erit dependens ab ipſa revolutione Solis mundana.

His ergo præmiſſis, jam de ſingulis ipſis cauſis univerſalibus ſeorſim agamus, initio ſumpto ab annua Mundi Revolutione.

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Caput IV.

Quomodo annua Mundi revolutio, in quovis Terræ loco erigenda ſit: nec non figuræ quartarum ipſius anni.

QUanti ſit momenti Aſtronomiam reſtituere ex ſuis veris fundamentis, quæ prius ignota tradidimus in Aſtronomia noſtra reſtituta, hic evidenter patebit. Cum enim ignoretur à nobis figura Mundi radicalis, reſpectu cujuſvis Terræ loci: ergo conſtitutionum univerſalium tota quò ad nos certitudo, præcipuè innititur annuæ revolutioni Solis ad principium ♈, qui fuit locus ejus radicalis initio mundi. De vero autem momento temporis ingreſſus Solis in illud punctum per ſingula Terræ loca annis ſingulis, adhuc ita dubitatur; ut quamvis à Nobiliſſimo Tychone Brahæo Veterum craſſus error ſumma cura egregiè correctus fuerit; tamen propriæ Tychonis Tabulæ Solares atque Rudolphinæ ad eundem Uraniburgicum meridianum extructæ ex iiſdem hypotheſibus, adhuc inter ſe aliquando minutis aliquot horæ differant: quod ſcilicet Keplerus Tychonis hypotheſes adhuc limaverit. Plus tamen diſſentiunt Tabulæ Lansbergii & cæteræ. Atque hic error commnnis eſt mundanis & genethliacis revolutionibus Solis: nec verum certumque habebitur remedium, donec detegantur vera Solis parallaxis veraque obliquitas Eclipticæ methodis in Aſtronomia noſtra expoſitis.

Interim autem quoniam fieri poteſt, ut non tota illa differentía, ſed ejus tantum pars, ſit exceſſus, vel defectus à vero momento temporis, illius ingreſſus Solis (quod errorem ſaltem exiguum in erectione figuræ ejuſque vi & directionibus pareret) ſic invenietur ad unguem tempus ingreſſus Solis in principium ♈, per Tabulam revolutionum Solis perpetuam appoſitam. Lib. 23. c. 5. quam omnibus aliis præferendam cenſeo.

Ex Tychonicis fundamentis à Keplero limatis, anni tropici quantitas media eſt 365 dierum 5 hor. 48′. 57″. 36‴. ut patet cap. 7. Præceptorum in Tabulis Rudolphinis. Atque idcirco juxta calculum & Tabulam ipſam perpetuam, Sol anno 1600. ingreditur 4 puncta Zodiaci cardinalia Uraniburgi, hiſce temporibus mediis.

		D.	H.	M.	S.
Principium	♈ Martii	19.	18.	31.	50.
	♋ Junii	20.	22.	31.	16.
	♎ Septembris	22.	12.	53.	32.
	♑ Decembris	20.	23.	26.	20.

Jam autem quæritur verum tempus Æquinoctii Verni, hoc anno 1646. Pariſiis.

Ex Lib. 23. cap. 5. ſumatur in Tabula prima, motus apogæi Solis anno 1600, qui eſt 3 ſigna 5 grad. 44′. Atque hic detrahatur, ex vero loco Solis exiſtentis in principio ♈, qui eſt o ſign. o grad. o′. Et relinquentur 264 gradus 16′, pro vera Solis anomalia tunc temporis, ſcilicet æquinoctii Verni ipſius anni 1600; quam quæres in latere ſiniſtro Tabulæ revolutionum Solis eodem capite, annos autem 46 elapſos ab anno 1600, in fronte, cum ingreſſu duplici, ut ibidem docetur pro revolutionibus nativitatum: & in angulo communi (non omiſſa parte proportionali) reperientur 3 horæ 37′. 46″. quæ additæ tempori ingreſſus Solis in ♈, ſuprapoſito 19 die Martii 18 hor. 31′. 50″. conficiunt 22 hor. 9′. 36″. pro tempore medio quo Sol eſt in principio ♈ Uraniburgi: ad quod ſumentur loca ☽ & aliorum Planetarum ex Ephemeridibus, vel Tabulis Rudolphinis: & à quo detractis 8′. pro æquatione temporis juxta Tabulam noſtram veræ æquationis temporis appoſitam Libro 17. Sect. 2. cap. 5. reliquentur 22 hor. 2′. pro tempore vero: & iterum inde detractis 45′. pro Meridianorum differentia inter Uraniburgum, & Lutetiam (quam Keplerus malè poſuit 40′.) reſtabunt 21 horæ 17′. pro vero tempore Lutetiæ, ad quod figura erigitur, ut moris eſt pro nativitatibus; & emerget talis figura.


319. 15




Cujus temporis præciſionem per Tabulas experiri ſi volueris: Ad ſupradictum tempus medium Uraniburgi, annum ſcilicet 1646. Martii 19 dies 22 hor. 9′. 36″. colligantur medii motus longitudinis & apogæi Solis; & detracto loco apogæi à loco longitudinis, per reſiduum quod eſt anomalia media ſumatur æquatio centri Solis ex Tabula æquationum Solis juxta Tychonis hypotheſes traditam à Magino in ſuo Ephemeridum Supplemento: & invenietur locus Solis præcisè in ipſo Arietis initio: quod ex nullis aliis Tabulis fieri poteſt. Quippe ſciendum eſt Tabulam Revolutionum perpetuam, fundatam eſſe ſupra quantitatem anni Tropici ſuprapoſitam, medios Solis motus Kepleri, & Tabulam Æquationum centri Solis à Magino traditam à Tychonis fundamentis.

Quod verò ad figuras quartarum attinet, quas Ptolemæus vult erigendas eſſe, ad totius anni ſtatum accuratiùs cognoſcendum Lib. 2. Quatrip. cap. 9. dum ☉ ingreditur ſigna ♋ ♎ ♑: diximus cap. 11. Lib. 23. Quod in Solis atque ☽ revolutionibus genethliacis, non improbemus harum in quartas ſubdiviſionem. Etſi enim harum vis præcipuè tribuenda ſit tranſitui Solis & ☽ per ſuorum locorum radicalium □ & ☍, quibus aſpectibus præ cæteris vis ineſt maxima: Tamen conſtat experientia virtutem inſignē ipſis ineſſe quartarum figuris; quippe quæ Cœli ſtatum exhibent momento tranſitus ipſius: ratione cujus Cœli ſtatus, ipſe tranſitus fortiùs, vel debiliùs, fœliciùs, vel infeliciùs, ac diverſimodè operatur, tam elementaliter quam influentaliter. Quamobrem in conſtitutionibus univerſalibus, ſcilicet annuis Mundi revolutionibus, tum ſynodis luminarium, etiam quartarum figuras erigendas eſſe cenſemus, ſaltem ut ſecundarias à primaria dependentes.

Erigitur autē figura introitus Solis in principium ♋ ♎, vel ♑ eodem prorſus modo, quo figura ingreſſus in principium ♈ ſuperius expoſito. Atq; ſic pro tribus illis quartis habebuntur figuræ ſequentes: ad quarum tempus medium Uraniburgi collectis mediis motibus longitudinis & apogæi Solis, ſumptaq; æquatione centri Solis, ut factum eſt ſuperiùs, invenientur etiam exactiſſimè ipſa initia ♋ ♎ & ♑: ſed hic obiter monendum, quod Cardanus Commento in cap. 10, Lib. 2. Quadripartiti, cenſet non poſſe erigi figuras ingreſſus Solis in puncta cardinalia, quod illius ingreſſus hora neſciatur: ideoq; de ipſis ingreſſionibus tantum judicat ex ſtatu cœleſti Planetarum & figura ☌ vel ☍ luminarium immediatè præcedentis. In quibus omnibus errat ipſe Cardanus. Primò quia falſum eſt horam neſciri ſufficienter ad erigendam figuram ingreſſus. Secundò, quia judicium de ingreſſu Solis ex ſtatu cœleſti Pla-







neta-

netarum, eſt commune toti Terræ, nec determinatum ad locum figuræ ☌, vel ☍ luminarium. Tertiò, quia cujuſvis Novilunii & Plenilunii vis & efficacia extenditur duntaxat uſque ad proximè ſequens Novilunium, ut infra oſtendetur. Quartò, quia ☌ & ☍ luminarium ſubordinantur atq; dependent in ſuis effectibus, ab ingreſſu Solis in ♈ ♋ ♎ ♑: His igitur ignotis, latebunt effectus ☌ & ☍ luminarium.

Caput V.

De Planetarum revolutionibus tam ad ſuum locum radicalem initio Mundi, quam ſynodicis inter ſe eorumque ſyzygiis, nec non effectibus in genere.

HOc capite doctrinam aggredimur hactenus incultam: & ſine qua tamen Aſtrologia tam univerſalis, quam particularis nonniſi confusè valdeque imperfectè intelligi poteſt: nec ſciri qua ratione 7 Planetæ ſuis motibus & ſyzygiis inter ſe, hæc inferiora gubernent. Ejus autem veritas compulit Veteres Aſtrologos obſervare ſynodicas revolutiones Solis & ☽, tum ſuperiorum Planetarum ♄ ♃ & ♂. Has enim revolutiones deprehenderunt eſſe cauſas præcipuas mutationū in hoc inferiori Mundo contingentium. Et quidem ad Solis & ☽ ſynodos figuras erexerunt, quod horum Planetarum motus cæteris notiores eſſent; non autem ad ſynodos ♄ ♃ & ♂, quod tardior eorum motus, horam veræ ſynodi reſpectu noſtri, humano denegaret ingenio, ſaltem pro ♄ & ♃ ſynodo. At tam de his, quam de illis conjunctionibus adeo confuſa, imò falſa tradidere, ut in cœleſtium luminum ſcientia ab illis tradita, intellectus non niſi tenebras offendat. Ex iis vero quæ ipſis Veteribus experientia innotuerunt, & quæ lumine naturali ex Aſtrologiæ principiis à me poſitis deducuntur, doctrina ſequens eruitur, qua mediante ipſa luminum cœleſtium ſcientia humano ingenio ſaltem univerſaliter illuceſcet.

Dico igitur primò. Septem Planetas ☉ ☽ ♄ ♃ ♂ ♀ ☿ ſuis motibus ſub Zodiaci ſignis: revolutionibus ad ſua loca radicalia initio Mundi, tum revolutionibus ſynodicis atque ſyzygiis inter ſe, eſſe cauſas omnium mutationum Sublunarium. Nam ſublatis Planetis, nullæ in Mundo Sublunari mutationes acciderent. Quippe Cœlum ſingulis diebus ſemper eſſet idem vel eodem modo affectum eidem Terræ: *At idem manens idem, ſemper facit idem in eodem.* Quæ enim mutatio contingeret à motu fixarum tardiſſimo, etiam per longiſſima annorum intervalla eſſet inſenſibilis. Sol autem ſua revolutione ſub Zodiaco, efficit Ver, Æſtatem, Autumnum & Hyemem in anno: & hoc tempus illi datum eſt à Divina Sapientia ad ſuorum effectuum circa Terram periodum ſingularem. Luna vero revolvitur ſub Zodiaco menſis ſpatio: & hoc etiam tempus ipſi datum eſt ad proprios effectus circa Tellurem periodicè renovandos: atque ſic de reliquis ♄ ♃ ♂ ♀ ☿. Singuli enim Planetæ ſuis in Zodiaco revolutionibus ad idem radicale punctum in quo poſiti fuerunt initio Mundi, idem tantum per ſe queunt efficere, quod ſcilicet revolutiones ipſæ ſint ex ſe æquales. At dum diverſimodè inter ſe combinantur, producunt diverſitatem effectuum. Non ſecus ac ex combinatione 23 litterarum omnes voces omneſq; diſcurſus conficiuntur: & ex diverſa combinatione quatuor qualitatū elementalium, diverſa quoque temperamenta. Quod autem revolutiones Planetarum ad propria loca radicalia initio Mundi ſint valde efficaces, ſuppoſita combinationum diverſitate inter Planetas; probatur tum ex Mundana Solis revolutione, quæ eſt norma reliquarum, tum ipſius Solis annua revolutione in nativitatibus. Et ratio eſt, quia in ipſo loco radicali, Planetæ vis radicalis renovatur: ab eoque incipit revolutio non ſolum motus, ſed etiam propriorum Planetæ effectuum circa Terram, qui non abſque ordine diſpenſantur. In omni autem ordine datur aliquod primum, quod eſt locus radicalis Planetæ initio Mundi. Idemq; à ſimili dicendum de revolutionibus nativitatum. Quod denique revolutiones ſynodicæ Planetarum horumque ſyzygiæ ſint maximæ virtutis in hæc inferiora, probatur evidenter tam ex ſynodis & ſyzygiis Solis & ☽, quarum effectus ipſis quoque ruſticis conſpicui ſunt, quàm ex conjunctionibus ♄ ♃ & ♂, quibus tota antiquitas maximos effectus adſcripſit.

Dico ſecundò. Quod cum in Aſtrologia univerſali, ſeu quæ verſatur circa conſtitutiones univerſales, ignorentur loca radicalia Planetarum initio Mundi (excepto Sole) ideoque illorum revolutiones periodicæ ad ipſum locum, magno ipſius Aſtrologiæ quoad nos detrimento. Nulla certè nobis ſolidiora judiciorum univerſalium fundamenta ſuperſunt, poſt mundanam Solis revolutionem nobis ſaltem cognitam, quam mutuæ Planetarum inter ſe revolutiones ſynodicæ atque ſyzygiæ, quas inſignis eſſe virtutis in hæc inferiora dictum eſt ſuperius, & experientia probat.

Dico tertiò. Duorum quorumvis Planetarum ſynodicam revolutionem, propriam habere vim & proprios effectus, mixtos ex utriuſque Planetæ natura & ſigni in quo ſit ſynodus. Aliud enim efficit ♄ cum ♃, & aliud cum ♂: & illorum conjunctio aliud in ♈ & aliud in ♉, &c. ex Libro Principiorum. Et ipſam vim ejuſque efficaciam durare uſq; ad proximè ſequentem ſynodum eorumdem Planetarum, quamvis eorum effectus ac impreſſio, ſi ſaltem valida fuerit, non modò per totum illud tēpus, ſed etiam ultra durare queant. Idque patet evidenter in ☉ & ☽ ſynodis, quorum vires & effectus ſingulis Noviluniis renovantur ob mutationem ſigni atque domini, in quo ſequens accidit Novilunium: ſi verò Sol patiatur Eclipſim, non ſolum intenſiores, ſed etiam menſe diuturniores producentur effectus, ob cauſæ magnitudinem, atque vim extraordinariam.

Dico quartò. Synodicas revolutiones Solis & ☽ eorumque ſyzygias, eſſe omnium circa Terram efficaciſſimas. Quod ☉ & ☽ ſint Planetæ primarii, circa Terram primario ordinati, alii vero Planetæ dumtaxat Satellites Solis. Cum quibus idcirco Lunam congredi minoris eſt virtutis, ſaltem per ſe, quam cum Sole ipſo congredi. Tum quod Sol ſit Planetarum maximus & potentiſſimus, Luna vero ob Telluris vicinitatem, ejuſdem ſit apparentis cum ☉ magnitudinis. Unde uterque Planeta præ cæteris maximè activus eſt in Tellurem ipſam.

Dico quintò. Inter duorum Planetarum ſyzygias (in quibus ☌ ipſorum comprehendimus) aliquem

quem eſſe ordinem & dependentiam: proindeque aliquam eſſe primariam, ad quam reliquæ referantur. Eam vero eſſe ipſam ☌, ſive ſynodum; hæc enim eſt independens, cæteræ vero ab hac dependent, ut à ſuo principio, à quo dum divelluntur ambo Planetæ, contingunt cæteræ ſyzygiæ, ut per ſe patet.

Dico Sextò. Ex jam dictis ſequi, quod ſynodus, hoc eſt ſynodi thema cœleſte, poteſtate contineat effectus ab ipſa ſynodo ad proximè ſequentem oriundos. Atque hos explicari tam ab ipſa ſynodo, quam à reliquis ſyzygiis amborum Planetarum ⚹ □ △ ☍ inter ſe prout ſubordinantur ſynodo, ſive ☌, à qua ipſi effectus inchoant, ad eamque, ut ſuum principium referuntur, ut revolutionis ſynodicè vim propriam ad actum reducant.

Dico ſeptimò. Durante revolutione ſynodica duorum Planetarum, ut Solis & ☽ inter ſe, ſyzygias ipſorum tam inter ſe, quam cum aliis Planetis, præſertim in ſynodi themate poteſtatem habentibus, pertinere per ſe ad effectus revolutionis ipſius. Non autem ſyzygias duorum aliorum Planetarum, ut ♄ & ♃ inter ſe, niſi forſan per accidens, quatenus dum fit ſyzygia ♄ & ♃, hi ſyzygiam quoque efficiant cum ☉, aut ☽, vel alter, aut uterque ipſorum poteſtatem, vel dominium habeat in ipſa ſynodo Solis & ☽.

Dico octavò. Inde ſequi, quod idem Planeta cum ſingulis aliis, multos genere diverſos ſimul tempore producat effectus. Tum quia eadem numero duorum Planetarum ſyzygia ad plurium revolutionum effectus ſimul tempore pertinere poteſt: tum quia tam ♄ omnium tardiſſimus, quam Luna omnium velociſſima, ſimul tempore cum ſingulis aliis ſynodicè revolvuntur & configurantur. Alius autem eſt effectus ♄ cum ♃, & alius cum ♂, aut ☉. Et quia ſunt tantum 7 Planetæ præcipui ☉ ☽ ♄ ♃ ♂ ☿ ♀, hinc fit, ut quilibet 6 revolutionibus diverſæ naturæ atq; virtutis, ſimul tempore ſit obnoxius: utpote ☽ revolutionibus ſynodicis cum aliis ſex Planetis, atque ſic de reliquis. Proindeque ſemper 42 revolutiones ſynodicæ Planetarum in Cœlo ſpectandæ ſint. Planetarum autem alii celerius revolvuntur, ut ☽, præſertim cum ♄: alii tardius, ut ♃ cum ♄: igitur non ſolum in anno à ☉, ſed etiam in menſe à ☽ multæ accidunt revolutiones ſynodicæ cum aliis Planetis, eorumque ſyzygiæ diverſarum virium. Attamen ſciendum eſt, quod Planetæ velociores propriè dicuntur revolvi cum tardioribus, non contra: & ♄ propriè dicetur revolvi cum ſtellis fixis: & hæ cum fixis punctis primi Mobilis: & hæc puncta diurno motu mobilia, cum fixis punctis Cœli empyrei, quod prorſus eſt immobile, & ultra quem non datur progreſſus.

Dico nonò. Multiplicitatem virtutum à ſynodicis omnium Planetarum revolutionibus eorumq; ſyzygiis, totque diverſarum commixtionem virtutum, eſſe humano ingenio totaliter incomprehenſibilem: ſatque ipſi eſſe, ſi majora, vel evidentiora diſcernat. Nec ſingulas ſynodos idem efficere in ſingulis horizontibus Terræ, ſed aliud in uno, & aliud in altero, juxta diverſam applicationem ad ſingulos horizontes totius Terræ, & diverſos ſynodorum particulares dominos. Quamvis enim conjunctio Solis & ☽ horumque ſyzygiæ ſint communes omnibus Terræ horizontibus, nihilominus non eſt per totum Terræ circuitum idem Novilunii dominus, ut poſthac dicetur; à quo tamen juxta naturam propriam ejuſque ſtatum, variantur effectus Novilunii: ergo illa virtutum multiplicitas ſuum ſortitur effectum, non ſolum univerſalem in omnibus horizontibus, ſed etiam particularem in ſingulis.

Dico decimò. In ſingulis quidem Thematibus cœleſtibus, offerri conſtitutionem, aut univerſalem, aut particularem judicandam: ſed hactenus fuiſſe duntaxat judicatam, prout ipſa præſens occurrit, & ſine reſpectu revolutionum ſynodicarum currentium: cum tamen plurimum interſit in Solis Mundana revolutione advertere, cui ſaltem Planetæ ultimò conjunctus fuerit Sol, & in quo ſigno: hoc eſt quæ tunc currat ejus ſaltem ultima revolutio ſynodica: an cum ♄, an cum ♃, &c. hæc enim præ cæteris currentibus eſt efficax; præſertim ſi ♄, aut ♃ in ipſa revolutione Solis dominium ſortiatur. Et idcirco Veteres in Solis revolutione annua, Novilunium, aut Plenilunium proximè antecedens obſervare ſolebant: Similiterque in Novilunio plurimum interſit advertere, cui Planetæ Luna fuerit conjuncta immediatè ante ipſum Novilunium & in quo ſigno: Idemque de Planetis ſignificatoribus ſingulis obſervandum ſit in genituris: verbi gratia, ſi ♄ fuerit dominus Horoſcopi, ideoque ſignificator eorum quæ tribuuntur Horoſcopo, & ultimò coiverit cum ☽, hæc autem fuerit domina ♄ in figura genethliaca; major erit vis Lunæ in ſignificata Horoſcopi, quam ſi duntaxat eſſet domina ♄, qui præeſt Horoſcopo: atque ſic de cæteris.

Dico undecimò. Quod ſuppoſita in Planetis vi determinatitia partium primi Cœli, quæ ſunt vera loca & aſpectus ipſorum Planetarum; quæque vis in figuris nativitatum aliiſque erectis ad Solis annuam revolutionem Mundanam, Novilunia, morborum initia, &c. eſt evidentiſſima, & à nobis fusè probata Lib. 21. Sect. 1. cap. 4. negari nequit, quod in ☌ duorum Planetarum, loca primi Cœli in quæ cadunt ipſa ☌ ejuſque □ & ☍, efficaciſſimè determinentur ad naturam Planetarum conjunctorum, ſintque loca ipſa eò inſignioris virtutis, quod non ab unico Planeta, ſed à duobus ſimul determinentur. Atque doctrinæ huic favet ipſe Ptolemæus in fine cap. 5. Lib. 2. etſi determinationis arcanum fuerit ipſi ignotum. Ait enim; *intenſiones & remiſſiones effectuum Eclipſis judicari ex ☌ quæ fient in illo loco ubi fuit Eclipſis, aut in aſpicientibus eum locum*; quod eſt locis ab utroq; luminari determinatis virtutem adſcribere.

Dico duodecimò. Quod quadraturæ & oppoſitiones luminarium ſyzygiales in Ephemeridibus appoſitæ, vim non habent ratione determinationis partium primi Cœli à luminarium præcedenti ☌. Luna enim in prima □ ephemeridibus appoſita (quæ luminis quadratura dici poteſt) 6 vel 7 circiter gradibus prætergreſſa eſt □ ſiniſtrum præcedentis ☌ ☽ & ☉: in ☍ prætergreſſa eſt circiter 12 vel 13 gradibus veram ☍ præcedentis ☌: & in ultima quadratura ſyzygiali; prætergreſſa eſt circiter 21 gradibus verum □ dextrum ipſius ☌; quæ ſunt differentiæ valde inſignes. Quia tamen vim elementalem & influentialem deprehen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

henduntur habere in hæc Sublunaria; ideoq; ad ipſarum tempora ſolent omnes Aſtrologi figuras erigere, ex eiſque futura prædicere: nec dici poteſt vim illam eſſe à luce Solis quam Luna repercutit in hæc inferiora, quod nempe luci ſola vis inſit illuminandi: non autem quidquam aliud per ſe efficiendi, ut à nobis oſtenſum eſt Lib. 11. cap. 13. neceſſariò fatendum eſt, vim ipſam eſſe à partili aſpectu □, vel ☍ luminarium inter ſe, qui ex ſe eſt efficax in hæc ſublunaria, non ſecus ac ſyzygiæ reliquorum Planetarũ tam cum ☉ & ☽ quam inter ſe; quas cap. 3. diximus eſſe peculiares cauſas univerſales & principia actionũ in hæc inferiora.

Dico decimo tertiò. Ambas ☍ ſupradictas in ſynodica revolutione ☉ & ☽, alteram determinationis, alteram ſyzygiæ ſimplicis: tum ambas duplices □ eſſe obſervandas, ut efficaces, circa proprios effectus ipſius ſynodicæ revolutionis. Majorem tamen vim eis ineſſe quæ ſunt per determinationem: nam ſyzygiæ luminarium inter ſe, operantur quidem in nativitatibus, juxta determinationem ipſorum in radicali figura nati, & domos figuræ in quibus accidunt ſyzygiæ, ut patet in obſervatione diurnorum effectuum: at efficacius frequentiúſque operantur tranſitus ipſorum luminarium per loca □ & ☍ ſuis radicalibus locis, ut experientia docet. Ideoque vis major ineſt aſpectibus □ & ☍ determinatione, quam □ & ☍ ſyzygia ſimplici. Quod autem dicimus pro figuris genethliacis, à ſimili cenſendum eſt pro Noviluniis, aliiſque primariis conſtitutionibus univerſalibus; quales ſunt ſynodicæ revolutiones ☉ ☽ ♄ ♃ ♂ inter ſe reſpectu ſuarum □ & ☍ ſyzygialium. Conjunctiones enim Planetarum ſunt prima, ſive radicalia principia, reſpectu quorum cæteræ ipſorum ſyzygiæ ſunt attendendæ, ut jam ſuperius dictum eſt. Principiis autem radicalibus vis ineſt inſignis Cœlum efficaciter determinandi, ut patet ex genituris. Quamobrem tranſitus utriuſvis Planetarum conjunctorum per loca in ☌ determinata, eſt efficax, atque reducit de potentia ad actum vim ſynodicæ revolutionis, pro ratione ipſius tranſitus. Id vero probatur in Solis Mundana revolutione. Attenduntur enim tranſitus Solis per principia ♋ ♎ ♑ loca quadrata & oppoſita loci revolutivi ipſius Solis, pro reliquis tribus anni quartis, Æſtate, Autumno & Hyeme. Nec effectus conſtitutionis Mundanæ revolutionis Solis ſupprimuntur per quartarum conſtitutiones, Novilunia cæteraſque ſynodicas revolutiones luminarium cum aliis Planetis, ſed duntaxat explicantur, intenduntur, remittuntur, ac moderantur, pro figurarum, ſive conſtitutionum ſubordinatarum conſenſu, aut diſſenſu cum primaria, & inter ſe, quantum id concedi poteſt primariæ ipſi; hoc eſt Mundanæ Solis revolutioni ſolitariæ, hoc eſt radicali figura Mundi deſtitutæ. Similiter Lunæ tranſitus per □ & ☍ loci Novilunii, non ſupprimunt effectus conſtitutionis Novilunii; ſed explicant, intendunt, aut remittunt & moderantur, pro figurarum conſenſu atq; diſſenſu. Ad quod etiam concurrunt cæteræ ſyzygiæ ☉ & ☽. Eademque eſt ratio de aliorum Planetarum ſynodicis revolutionibus. Sed præcipuæ cauſæ univerſales ſunt revolutio Mundana Solis, & ſynodi Solis & ☽, quod hi ſint Planetæ primarii. Quod verò attinet ad revolutiones ſynodicas Solis ☿ & ♀, hæ in alias ſyzygias ⚹ □ △ ☍ non explicantur: quod ♀ & ☿, maxima elongatio à ☉ ad ⚹ uſque partilem non excurrat: nec maxima ♀ & ☿ ab invicem diſtantia in Zodiaco noſtri reſpectu, uſque ad □ partilem. Attamen in eorum conjunctionibus loca ☌ □ & ☍ efficaciter in Cœlo determinantur, non ſecus ac aliis Planetis: quod probatur ex eorum, aut aliorum Planetarum tranſitibus per ipſa loca in figuris genethliacis. Et hoc adhuc confirmat efficaciam majorem in aſpectibus ex determinatione, quam in aſpectibus ſyzygia ſimplici, quandoquidem his carere poteſt revolutio ſynodica, non autem illis.

Dico decimo quartò. Quod cum in Solis & ☽ ſynodis, Sol in tribus tantum menſibus attingere poſſit □ ſiniſtrum loci Novilunii: Tum vero ipſius Novilunii virtus deſierit: idcirco non Solis, ſed tantum Lunæ tranſitus eſſe ſpectandos per loca determinata Novilunii, durante ipſius ☽ ſynodica revolutione. Idemque à ſimili cenſendum de quolibet velociore Planeta reſpectu tardioris, niſi contigerit alios Planetas in ipſa ſynodo potentes tranſire corpore, vel aſpectu per ipſa loca.

Dicò decimo quintò. Ambas ☍ & □ ex determinatione & ſyzygia ſimplici in ☉ & ☽ ſynodica revolutione, pertinere ad effectus ipſius revolutionis ſynodicæ. Et de ☍ & □ ex determinatione id patet evidenter, quia dependent formaliter ab ipſo Novilunii loco, ut referuntur ad ipſum. De ☍ & □ ex ſyzygia ſimplici id etiam probatur: quia alioquin nulla eſſet primaria ſyzygia, nullaque inter ſyzygias ſubordinatio, nec effectus unius Novilunii durarent uſque ad alterum: ſed tantum uſque ad proximè ſequentem ſyzygiam: quæ agens independenter à Novilunii themate, nec non cæteræ, omnia confunderentur: quippe quod in □ ex ſyzygia dentur duo loca, nempe ☉ & ☽ à ſe invicem independentia: omnis autem qualitatis principium debet eſſe aliqua unitas ad confuſionem vitandam, quippe revolutionis ſynodicæ locus. Eademque eſt ratio in cæteris. Feretur autem judicium tam de tranſitibus per aſpectus ex determinatione, quam de ſyzygiis ſimplicibus ex figuris erectis ad ipſorum momenta. Dando primatum tranſitibus, niſi ☉ & ☽ ſyzygia ☍ ſit Ecliptica.

Dico decimo ſextò. Aſpectus ex determinatione & ſyzygias ſimplices, agere univerſaliter in totam Terram, & particulariter reſpectu cujuſq; loci: ac eos ſic ſe habere, ut tranſitus per aſpectus ex determinatione inchoent, vel diſponant effectus, ſyzygiæ verò perficiant: aut tranſitus efficiant, ſyzygiæ verò confirment, aut evertant, pro diverſa tam harum quam illorum virtute. Atque hoc præſertim intelligendum eſt de tranſitibus & ſyzigiis ſimilibus, revolutionis ſynodicæ Lunæ cum Sole: in qua tranſitus ac ſyzygiæ ſimiles fiunt eodem die, nec duobus differre queunt: at in aliis revolutionibus ſynodicis, ut ☉ & ♂, in quibus ☉, vel ♂ tranſeunt per □ ſiniſtrum loci ☌, intra 3, aut 4 menſes: ſyzygiam verò □ dextri vix complent in 9, aut 10 menſibus, quamvis effectus à tranſitibus & ſyzygiis ad eandem ſynodicam revolutionem pertineant; ſæpius tamen ſunt inter ſe diverſi, non autem connexi: ita ut poſterior ſit interdum perfectio, aut confirmatio prioris, interdum autem everſio. Ac

præſertim cum dominus loci in quo facta eſt ſynodus, aut dominus conſtitutionis ipſius ſynodicæ, nullam habuerit in ſyzygiæ locis, vel ſyzygiali conſtitutione poteſtatem dominii, vel exaltationis. Igitur aſpectus ex determinatione & ſyzygiæ ſunt in eadem ſynodica revolutione duorum Planetarum attendendæ.


Caput VI.

Quomodo figura cujuſvis ſynodi Solis & Lunæ, nec non figuræ quartarum menſtruarum ſint erigendæ.

POſtquam de Planetarum ſynodicis revolutionibus dictum eſt in genere cap. 5. jam ſequitur, ut de Lunæ cum ☉ revolutionibus ſynodicis agamus: tum quod inter cæteras præcipuæ ſint: tum quod harum duntaxat vera tempora ſaltem, quam proximè innoteſcant; tum demum quod effectus annuæ Mundi revolutionis de qua actum eſt, cap. 4. vel ejus quartarum dependeant à Novilunio, aut Plenilunio immediatè præcedente, ut capitibus 4. & 5. aſſeruimus. Non eſt autem hic noſtri inſtituti, ex Tabulis radicalibus methodum oſtendere, qua momentum temporis medii, quo vera celebratur luminarium ſynodus exactè reperiatur: tum quia Tabulæ ipſæ hic eſſent apponendæ extra propoſitum; tum quia nondum optatam adeptæ ſunt præciſionem. Itaque donec accuratiſſimæ exſtruantur Tabulæ juxta fundamenta à nobis tradita in Aſtronomia reſtituta, ſufficiet monere Lectorem, ut ex Ephemeridibus pro ☉ & ☽ motu accuratioribus habitis, videat quo tempore medio contingat Novilunium cujus figuram erigere cupit, ipſum enim tempus apponitur in pagina ſyzygiarum. Deinde ad ipſum captis in pagina ſiniſtra Ephemeridum, veris locis Planetarum, per gradum veri loci ☉ reducat tempus illud medium in apparens, juxta Tabulam noſtram Æquationis dierum, ſicque habito vero tempore Novilunii ſub Ephemeridum Meridiano, poſtea reducat illud Meridianum loci pro quo figura eſt erigenda, ut fieri conſuevit: tandemque ad hoc tempus ultimo reductum, erigatur Novilunii figura, ut moris eſt pro aliis quibuſcunque figuris ad latitudinem loci.

Exempli gratia: Tempus medium Novilunii immediatè præcedentis ingreſſum ☉ in principium ♈ hoc anno 1646. ponitur ab Origano ex Tychone, die 16 Martii 20 hor. 21′. ſub Meridiano Francofordiæ ad Oderam, ad quem Ephemerides Origani conſtructæ ſunt. Ad hoc igitur tempus ſumantur vera loca ☉ & ☽ ex iiſdem Ephemeridibus ſecundum Tychonis calculum: & reperietur Sol in 26 gradu 57′. 19″. ♓, Luna autem in 26 gradu 57′. 43″. ♓, proindeque eſt Novilunium, non tamen Eclipticum, quia tunc latitudo Lunæ eſt plus quam 3 gradibus meridionalis, ideoque triplo major ambabus ſemidiametris Solis & ☽ ſimul ſumptis. Et quia Sol exiſtit in 27 grad. ♓, ergo in Tabula noſtra Æquationis temporis, expoſita in Tabulis noſtris Rudolphinis abbreviatis, 9′. erunt detrahenda ab illo tempore medio 20 hor. 21′. & relinquentur 20 horæ 12′. veri temporis Francofordiæ: quæ cum ex Origani Tabula locorum ſit orientalior Pariſiis 54′. horæ; ergo his detractis ex 20 hor. 12′. relinquentur 19 horæ 18′. temporis veri Pariſiis. Ad quod erecta figura talis eſt quæ ſequitur: in qua tamen alii Planetæ ponuntur ex mente Kepleri, qui eorum loca verius habet, quam Origanus ex Tabulis Prutenicis. Quod autem ſpectat ad Novilunii tempus, hoc ponit Keplerus duobus tantum horæ minutis tardius quam Tycho.

286. 43



Eodem planè modo ſunt erigenda themata cœleſtia ad ſyzygias □ & ☍ ipſorum luminarium, quorum tempora quoque media ponuntur in Ephemeridibus: ſed Themata tranſituum Lunæ per loca □ & ☍ ex determinatione in Novilunio, erigentur eodem penitus modo, quo Revolutio-

nis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

nis figuram pro Luna conſtruendam eſſe docuimus Lib. 23. cap. 9. ſumendo nempe loca quadrata & oppoſita loco Novilunii, quaſi eſſent loca Lunæ radicalia, ad quæ ipſa ☽ eſſet revolvenda.

Ut in figura ſuprapoſita, Solis & ☽ ☌ facta eſt in 26 gradu 57′. ♓, cujus loci □ ſiniſter eſt in 26 grad. 57′. ♊; ad quem Luna pervenit die 23. Martii, & ſciendum qua hora Pariſiis. Operando autem, ut præcipitur eodem capite juxta Tychonis calculum apud Origanum, invenies 6 hor. 56′. temporis medii ſub Meridiano Francofordiæ: Pariſiis verò 5. hor. 55′. temporis apparentis, facta ſcilicet æquatione per Tabulam noſtram, & reductione ad Meridianum Lutetiæ. Eademque eſt ratio de ☍ & □ dextro.

Caput VII.

De Luminarium Eclipſibus, & quid circa ipſas peculiariter notandum ſit.

Quamvis luminarium Eclipſes ſunt duntaxat præcipuæ partes revolutionis Lunæ cum Sole: nimirum Eclipſis Solis Novilunium, & Eclipſis Lunæ Plenilunium, de quibus actū eſt cap. 6. Quia tamen in Eclipſibus quid peculiare notandum occurrit, non commune cæteris Lunationibus: tota autem Antiquitas cum Ptolemæo ejuſq; ſequacibus Cardano & aliis opinata eſt Eclipſes eſſe cauſas univerſales in hæc inferiora omnium primas & potentiſſimas; ideoque in earum tradenda doctrina ſtudioſius laborarunt. Priuſquam ad alia tranſeamus, quæ nobis circa conſtitutiones univerſales dicenda ſunt: opportunum videtur hic noſtram de Eclipſibus mentem breviter aperire, atque oſtendere quantum circa illas Veteres hallucinati ſint, & cum his ferè omnes Neoterici adhuc hallucinentur.

Fateor igitur, homines motuum cœleſtium imperitos, non penitus abs re fuiſſe ab initio territos, videntes interdiu lumen Solis deficere, noctu verò lumen Lunæ etiam totaliter, diemque fieri noctem. Hoc quippe portentum in natura non parum horroris incutit cauſarum ignaris. Putantque adhuc Sylveſtres Canadenſes, tunc vel inſigni langore affici luminare deficiens, vel ei grande periculum imminere, indeque toti Mundo inferiori. Proindeque ſi quid inſigne contingat poſtea, ut peſtis, bellum, fames, inundatio & ſimilia, communiter cenſent homines id tali portento, ut eorum cauſæ imputandum eſſe. Qui verò Aſtronomiam ab initio excolendam ſuſceperunt, mira quidem ſagacitate ipſorum phœnomenon cauſas detexerunt; quippe interpoſitionem ☽ inter ☉ & nos in Solis Eclipſi & interpoſitionem Terræ inter Solem & ☽ in Eclipſi Lunæ: ſed de inſigni Sublunarium mutatione ab Ecclipſibus, ut cauſis in hæc inferiora omnium potentiſſimis communiter receptam opinionem retinuerunt: putantes cum omnibus Veteribus Philoſophis, imò ad mea uſque tempora Neotericis, Solem, Lunam, cæteroſque Planetas atque fixas, per ſuum lumen, efficere, quidquid agunt in his Sublunaribus. Facta enim hac hypotheſi neceſſariò ſequebatur, imminutâ in partialibus, aut ex toto intermiſſa in totalibus deliquiis actione luminaris deficientis, hæc Sublunaria vehementer pati ac immutari; quippe quod Sol & ☽ ſint primariæ cauſæ cœleſtes effectuum Sublunarium. At quia Lib. 11. luce clarius oſtenſum eſt, lucem duntaxat illuminare & nihil aliud agere, Libro autem 12, Soli præter lucem ineſſe calorem actualem, omnibus vero aſtris proprias ſigillatim influentias quæ Telluris corpus penetrant, vixque minus afficiunt ex locis ſubterraneis, quam ſuperterraneis: jam de Eclipſibus nobis aliter philoſophandum eſt, rebus in natura potius quam in Libris Authorum ſpectatis. Sed præmonendus eſt Lector, eos ſtudioſè falli, qui opinantur Aſtrologos ſpectare duntaxat Eclipſes luminarium, quatenus ſunt privatio lucis ipſorum in his Sublunaribus: cum ipſas Eclipſes tantum ſpectent quatenus ſunt luminarium conjunctiones, vel oppoſitiones, per quas Sol & ☽ validius ſuas effundunt influentias, quam per aliam quamcunque ſyzygiam. Itaque Aſtronomi & Aſtrologi obſervant idem momentum temporis quo media fit Eclipſis: illi ut videant an Tabulæ motuum ſint accuratæ: hi verò ut ex erecta ad illud momentum figura cœleſti, videant quos effectus in his inferioribus paritura ſit Eclipſis, non ratione luminis deficientis de quo docti non curant Aſtrologi, ſed ratione influentiæ. His igitur prænotatis,

Dico primò. In Eclipſibus Solis ſuperretraneis, nos quidem privari luce & calore Solis, ex toto quidem ſi Eclipſis ſit totalis: ex parte vero ſi ſit partialis. Et hoc quamdiu durat Eclipſis: at nos ipſius Solis influentia minimè privari; aut ſaltem non magis quam dum Sol ſub Terra verſatur, quæ ſingulis noctibus efficit nobis Solis Eclipſin totalem cum plurium horarum mora. Ut enim Solis ſubterranei influentia, Terram penetrat, prout conſtat ex figuris noctu natorum: ita Solis ſuper Terra Eclipſantis influentia, denſum & opacum Lunæ corpus penetrat; quod neque lux, neque calor Solis penetrare valent. Luna enim per tubum opticum cernitur ſub diſco Solis atramento nigrior, ut oculorum meorum detrimento didici: at in Eclipſibus Solis ſubterraneis ſaltem totalibus, hemiſphærium Terræ ſuperius magis ab Eclipſi afficitur, quam à ſuperterraneis. Ratio eſt, quia Solis influentia non eſt virtutis infinitæ; ideoque ſi poteſt globum Terræ penetrare, non poteſt niſi debilius Terræ & Lunæ globos ſimul trajicere. In his igitur Eclipſibus ſaltem totalibus, patimur ob immutatam erga nos Solis influentiam. Et hoc eſt forſan cauſa cur ab annis circiter 30, tot bella omniumq; malorum genera graſſentur in hoc hemiſphærio Terræ, quem Europa mediat. Nam eo durante tempore permultæ Eclipſes totales, aut ferè totales Solis, factæ ſunt in oppoſito hemiſphærio, ut videre eſt apud Origanum, qui ſuperterraneas & ſubterraneas ſtudioſè notavit ac ſupputavit, cum tamen vix duæ inſignes in hoc hemiſphærio factæ ſint.

Dico ſecundò. In Eclipſibus Lunæ nos quidem privari luce & calore Solis à Luna reflecti ſolitis. Ex toto quidem ſi Eclipſis ſit totalis, ex parte vero ſi fuerit partialis, & ſolum quamdiu durat Eclipſis. At nos influentia & viribus elementalibus Lunæ non magis privari quam ſi nullam pateretur Eclipſin: quippe quod inter ipſam & nos nihil interponatur quod vires ejus elementales, aut influentiales obrundere valeat. Et hoc

verum eſt (ſaltem pro influentia) tam de ſubterraneis, quam ſuperterraneis Eclipſibus Lunæ. Unde conſtat à Solaribus deliquiis naturam Sublunarem magis affici, quàm à Lunaribus, ob imminutam in illis influentiam Solis erga nos. Atque in deliquiis omnibus, Lunæ influxum prævalere influxui Solis, magis autem in deliquiis Lunæ.

Dico tertiò. Ex dictis jam patere, Veteres multum hallucinatos fuiſſe, putantes in Eclipſibus ceſſare actionem luminaris deficientis in hæc inferiora: quod ſcilicet arbitrarentur luminaria ſolo agere lumine: ideoque perperam opinatos fuiſſe, alterum ex minoribus Planetis poſſe in Mundo fungi vice luminaris deficientis. Præ cæteris autem erravit Cardanus Comment. in cap. 5. Lib. 2. Quatrip. text. 26. dum concludit, *vim deliquii conſiſtere in luminis defectu*: poſtea vero conſiderans luminis defectum eſſe tantum privationem, quæ agens cauſa eſſe nequit; alio modo ſed æquè falſo concludit: *In deliquiis non auferri lumen Solis aut Lunæ, ſed immutari, & affectum externa qualitate concutere & immutare Sublunaria*: falſóque ait, *Lunam ex ſe lucidam eſſe ac diaphanam, ita ut Venus per ipſam videri poſſit*: cum (ut vidi & ſuperius dixi) Luna in Eclipſi Solis atramento nigrior appareat, quam tamen lux Solis, multo efficacius quam lumen Veneris penetraret.

Dico quartò. Ideo ab Eclipſibus luminarium, Terram ejuſque incolas validius affici, quam à reliquis ſynodis, vel ☍ Solis & Lunæ, quia virtus unita fortior eſt. At in Eclipſibus radii Solis & Lunæ uniuntur in eandem lineam (aut ſaltem quam proximè) quæ ab illis in Terram dirigitur: Terraque reperitur in Solis deliquio intra conum, qui ab utroque luminari, ut baſi deductus, Terram ipſam ſuo ambitu ſtringit. In Lunæ autem deliquio reperitur intra columnam cujus extrema ſunt diſci Solis & Lunæ. Adde quod in omni Eclipſi ambo luminaria ſunt ſub Ecliptica, ubi virtus Zodiaci maximè viget. Inde vero ſequitur quod Eclipſis quo fuerit major longioriſque durationis, eò majores producit effectus: quippe quod in majoribus Eclipſibus radii centrales Solis & Lunæ magis uniantur in eandem lineam, quæ Terram permeet: diutiúſque uniti maneant.

Dico quintò. Ptolemæum cæteroſque Veteres Aſtrologos ad noſtra uſque tempora, rurſus maximè hallucinatos fuiſſe circa Eclipſes in hiſce duobus. Primùm in definiendis Terræ locis ad quæ pertinent effectus cujuſvis Eclipſis. Voluerunt enim ipſos ad eas Regiones & Provincias perinere, quæ ſubjiciuntur ſigno in quo facta eſt Eclipſis, vel aliis ejuſdem Trigoni, juxta Terræ diſtributionem à Ptolemæo factam duodecim Zodiaci Dodecatemoriis. Cum autem diſtributionem illam merum eſſe figmentum oſtenderimus Lib. 20. Sect. 1. cap. 2. patet eos erraſſe in aſſignandis Terræ locis in quibus contingunt effectus Eclipſis. Quod ex eo ampliùs confirmatur; quia Eclipſis, ut quævis altera Lunatio, eſt cauſa univerſalis per totum Terræ circuitum univerſaliter activa: ſed in quolibet Terræ loco particulariter activa, juxta particularem ipſius Eclipſis atque totius Cœli poſitum reſpectu ipſius Terræ loci. In quo tamen Eclipſis frequentius nullum ſortietur effectum ſecundùm Veteres; quod ipſe locus non ſubjiciatur ſigno in quo fit Eclipſis, nec aliis ejuſdem Trigoni. Hæc autem hallucinatio eſt intolerabilis, & ab Aſtrologicis principiis alieniſſima.

Dices Ptolemæum pro locis particularibus & Urbibus advertere ad loca luminarium & cardines figuræ cœleſtis, ſub qua Urbes ipſæ conditæ ſunt, aut ad Medium Cœli in genituris Principum, qui ipſis Urbibus dominantnr. Ac ſi hæc familiaritatem, ſeu convenientiam habeant cum locis luminarium & cardinum in figura deliquii, effectus ad ipſas Urbes pertinere.

Sed reſpondeo. Corpora cœleſtia non influere in artefacta, ſaltem per ſe, ut probavimus Lib. 20. Sect. 4. cap. 8. Proindeque corruit à fundamentis illa de Urbibus doctrina, quamvis de Urbium radicali figura conſtaret, de quarum tamen vix ulla conſtat. Quod vero ſpectat ad Medium Cœli Principum, equidem data familiaritate ſupradicta, quod ſcilicet fiat Eclipſis in Medio Cœli figuræ natalitiæ Principis: aut quod in utraque figura natalitia & Ecliptica idem ſit Medium Cœli; ſignificabit Eclipſis circa actiones & particularia Principis fata. Sed quæ ad ipſius Urbis cives, nec non Terram, Aquam, & Aerem attinent, ut peſtes, ſterilitates, &c. inde non prævidebuntur, niſi forſan per accidens, quatenus Principe ad bella paſſivè, vel activè determinato: à figurarum ſimilitudine, peſtes & ſterilitates ex bellis ipſis oriri queunt. Hæc vero ad Aeris conſtitutionem nihil conferunt, ſaltem caloris, frigoris, hnmiditatis & ſiccitatis.


Secundum in quo errarunt Veteres, fuit in definiendis rebus in quas potiſſimum aget Eclipſis, per formam atque naturam conſtellationis in quo fit Eclipſis. Dicentes quod ſi conſtellatio fuerit humana, ut ♊ ♍ ♒ homines afficientur: ſi beſtialis, ut ♈ ♉ ♋ ♌, &c. afficientur beſtiæ ſimilibus nominibus ſpectatim appellatæ. Nam hæc nomina Dodecatemoriis propriè non conveniunt, quæ propriè tantum vocanda ſunt nominibus Planetarum illis dominantium, quorum naturas referunt. Stellatæ vero conſtellationes, quoad appellationem, formam atque naturam quatenus nomini conſonam, ſunt duntaxat mera figmenta & fabularum ſubjecta, à quibus Aſtrologia vera purganda eſt, non ſolum in Eclipſibus, ſed aliis etiam conſtitutionibus univerſalibus, in quibus ſimilia figmenta pro veris cauſis aſſumuntur ab imperitis. Atque hæc de Eclipſibus Solis & ☽, quæ etiam applicari queunt Eclipſibus aliorum Planetarum, dum hi quandoque à ☽ occultantur. De cæteris autem quæ circa Eclipſes inquiri ſolent, ut quomodo ſit eligendus ejus dominus, quando incipient, quamdiuque durabunt ejus effectus & ſimilia; quoniam hæc ſunt communia cæteris conſtitutionibus univerſalibus, de his infra proprio loco agemus univerſaliter.

Et quia ad annum 1646. à nobis aſſumptnm pro exemplo dicendorum hoc in Libro, Eclipſis Lunæ totalis cum mora, ideoq; virtutis inſignis, præceſſit ingreſſum Solis in principium ♈, facta ſcilicet die 30. Januarii 18 hor. 5′. temporis apparentis Lutetiæ, penes obſervationem Gaſſendi Regii Mathematum Profeſſoris meique collegæ: idcirco ejus thema cœleſte hic apponendum duxi.

CAPUT

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

225. 23



CAPUT VIII.

De magnis conjunctionibus ♄ ♃ & ♂, earumque intervallis.

HOrum Planetarum conjunctiones inter ſe, ob duas potiſſimum rationes magnæ vocantur: nempe quod rarius accidant, quam aliorum Planetarum conjunctiones: & quod majores producant effectus in his Sublunaribus. Prima quidem ratio certa eſt, ut conſtat ex Tabulis motuum. Secundam vero probare contendunt Aſtrologi nonnulli, ex hiſtoriis rerum præcipuarum in Mundo geſtarum, quas his ☌ applicare nituntur. Et quidem ſi conſideremus quod ♄ & ♃ ſua etiam Solis inſtar habeant ſyſtemata, ſive ſatellitia, negari nequit, quod ſaltem poſt luminaria Saturnus & ♃ ſint Planetæ præ cæteris magnæ virtutis & authoritatis in Mundo: proindeque eorum ☌ □ & ☍ magnas in Sublunaribus poſſint concitare mutationes etiam univerſales. Quoniam igitur famoſæ ſunt apud Aſtrologos horum trium ♄ ♃ & ♂ ☌ inter ſe; etſi ad harum momenta non poſſint erigi themata cœleſtia, ob exiguum illorum motum diurnum, dum præſertim verſantur circa ſuas ſtationes; nihilominus de ipſis ☌ nonnulla hic proponemus notanda, quæ etiam proderunt ad certiùs de illis prognoſin inſtituendam.

Igitur harum ☌ penes aliquos ea dicitur maxima, in qua ipſi 3 Planetæ conjunguntur inter ſe, quod rariſſimè accidit. Magna, in qua tantum Saturnus & ♃. Media in qua tantum ♂ & ♃. Minima vero in qua tantum ♂ & ♄ coeunt, hæc enim omnium frequentiſſima eſt. At ſecundum alios ea ☌ maxima vocatur, in qua ♄ & ♃ conjunguntur in ſigno contrariæ prorſus naturæ elementalis, ei in quo præceſſit illorum ultima ☌. Ut ſi præceſſerit ☌ ipſorum in ſigno Aqueo, & immediatè ſequens fiat in ſigno igneo, hæc dicetur eſſe maxima. Media eſt, in qua ♄ & ♃ conjunguntur in ſigno partim ejuſdem, & partim contrariæ naturæ ei, in quo præceſſit eorum ultima ☌. Ut ſi præceſſerit ☌ ♄ & ♃ in ſigno aereo, & immediatè ſequens fiat in igneo. Minima denique eſt in qua iidem Planetæ conjunguntur in ſigno ejuſdem naturæ, in quo præceſſit ultima ipſorum ☌. Ut ſi præceſſerit in ♐, & immediatè ſequatur in ♌, quæ ſigna ſunt ejuſdem naturæ igneæ. Unde patet quod hi Aſtrologi, ſolos ♄ & ♃ ſpectant pro magnis ☌. Accidit autem eorum minima ☌, in annis 19 & circiter 319 dies, juxta ipſorum Planetarum motus medios, ut deſumpſit Origanus ex Tabulis Prutenicis. Media in annis 198 & circiter 265 dies. Maxima verò in annis 794 & circiter 331 dies. Etſi verò utraque appellatio ſuis non careat rationibus, attamen prior mihi videtur naturalior atque verior. Tum quia in poſteriore aſſumuntur tantum ♄ & ♃ excluſo ♂, ad magnos effectus cum ♃, aut ♄, aut utriuſque valde potente. Tum quia ♄ & ♃ prima ☌ quæ accidit, vel in Mundi creatione, vel poſt hanc, dici non potuit maxima, media, aut minima, ratione ſignorum, quandoquidem primam ☌ nulla præceſſit alia. Ac tantum ſequentes ſic appellari queant per comparationem ad proximè antecedentem.

Cæterùm de hiſce magnis ☌ tria ab initio notanda ſunt. Primum quod effectus ipſis ☌ attributi; non producuntur à ☌ mediis ipſorum Planetarum, hoc eſt ſupputatis juxta medios motus: ſed tantum à ☌ veris, hoc eſt completis juxta veros motus. Tum quia, ut jam alibi diximus, medii motus & loca media Planetarum, ſunt tantum res fictitiæ, ideoq; nullius virtutis realis & activæ, ſed duntaxat ab Aſtronomis excogitatæ, ad inve-

niendos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

niendos veros motus & vera loca Planetarum in primo mobili reſpectu noſtri, unde in nos agere deprehenduntur, & non ex mediis ubi non ſunt reſpectu noſtri. Tum quia non ſolum in aliis conſtitutionibus univerſalibus, ſed etiam in genituris hominum, non attenduntur pro effectuum cauſis loca media Planetarum, ſed tantum vera; tam in directionibus, quam in tranſitibus. Loca enim media Planetarum, duntaxat reſpectum habent ad centrum orbitæ Planetæ in quo non eſt Terra. Atque hinc non levis error accidere poteſt: nimirum quod ☌ ſecundum medios motus ſit in uno ſigno, & ſecundum veros in alio, & ſub alio Planetæ dominio. In eoque pluries decipi potuerunt Aſtrologi, qui rerum in Mundo geſtarum hiſtoriam talibus ☌ applicant, habita duntaxat ratione mediarum, non autem verarum.

Secundum. Conjunctiones ♄ ♃ & ♂ inter ſe, dupliciter agere in Sublunaria. Nimirum elementaliter, habita ratione propriæ naturæ elementalis Planetarum conjunctorum & ſigni in quo fit ☌: & influentialiter, habita ratione propriæ influentiæ ipſorum Planetarum atque ſigni: & utramque naturam eſſe attendendam circa elementa & quævis mixta, tam imperfecta, ut meteora, quam perfecta, ſcilicet mineralia vegetabilia & animalia.

Tertium. Conjunctiones ♄ & ♃ Planetarum ſtipatorum, efficaciores eſſe, majoreſque effectus parere, quam ☌ ♄ & ♂, aut ♃ & ♂: præſertim dum fient in ſignis naturæ prorſus contrariæ iis in quibus immediatæ ☌ ipſorum Planetarum præceſſerint.

Caput IX.

Quomodo univerſalium conſtitutionum Domini generaliter ſint eligendi.

QUoniam univerſalium conſtitutionum effectus præcipuè dependent ab ipſarum dominis, hoc eſt Planetis ipſi conſtitutioni dominantibus, vel in ipſa potentioribus: patet evidenter quod in prædictione ipſorum effectuum maximus error accidet, ſi conſtitutionis dominium alicui Planetæ falsò tribuatur: proindeque electionem veri domini Conſtitutiones, eſſe momenti hac in doctrina præcipui. Priuſquam verò ejus methodum aperiamus, quædam videntur hic nobis præmittenda.

Primùm, in omni conſtitutione univerſali eſſe aliquod principale punctum conſttiutionis ipſius, præ cæteris attendendum. Et hoc quidem facilè dignoſcitur, ſi conſtitutio fuerit periodica revolutio Planetæ, ad ſuum locum radicalem creationis, aut revolutio ſynodica duorum Planetarum. In his enim datur unicum tale punctum præcipuè ſpectandum, nempe Planeta qui revolvitur, ejuſque locus in Zodiaco.

At in ſyzygiis, nempe ☍ □ △, &c. duorum Planetarum, vel tranſitibus per loca in univerſali conſtitutione determinata, conſiderandi occurrunt duo Planetæ ſyzygiam conſtituentes, eorumque loca, vel locus determinatus ejuſque ☍ □, &c. per quæ fit tranſitus, una cum Planeta tranſeunte.

Dubitari verò poteſt: an uterque Planeta, ſive locus ſit attendendus, an tantum unicus & quis. Plerique enim volunt in ☍ ſyzygiali ☉ & ☽, præcipuè ſpectandum eſſe Planetam qui fuerit ſupra Terram, vel in Horoſcopo: & in □ etiam illum Planetam qui fuerit ſupra Terram. At ſi ambo fuerint ſupra Terram, aut ſub Terra, eum qui principaliorem domum, vel angulum occupat. Præfertur autem Horoſcopus Medio Cœli, & hoc Occaſui, & hic imo Cœli. Pluribus autem Planetis de dominio pariter contendentibus, eum præferunt qui in loco Lunæ prævalet: altero tamen ei adjuncto, ut minus principali dominio.

Arbitror autem in ſyzygiis, Planetam leviorem eſſe principaliter ſpectandum, ſive ſit ſupra Terram, ſive ſub Terra, ſaltem pro influentialibus effectibus: & in tranſitibus Planetam tranſeuntem. Nam tam levior quam tranſiens, ipſe eſt qui revolvitur, vel periodicè, vel ſynodicè, & cujus revolutionis effectus inquiruntur. Ergo is præcipuè ſpectandus eſt: non tamen neglecto altero Planeta cum quo fit ſyzygia, aut per cujus locum determinatum corpore, vel aſpectu fit tranſitus. Notando quod Planeta tranſiens in revolutione ſynodica, tranſit per loca determinata ab utroque Planeta qui ſynodum fecit, ideoque validius eſt ille tranſitus.

Secundùm, in conſtitutionum univerſalium thematibus, quatuor angulos ſemper eſſe ſpectandos, tanquam ortum, vigorem, declinationem & interitum in genere, rerum Sublunarium. Sed inter ipſos angulos præcipuè ſpectandos eſſe Horoſcopum & Medium Cœli, omnium verò maximè Horoſcopum, quippe qui dat eſſe effectibus ab ipſa conſtitutione manantibus, vel eorum ſemina in naturæ matricem ejaculat, & præ cæteris temperamento Aeris præeſt.

Tertiùm, velle omnes Antiquos, præter punctum in conſtitutione primarium de quo ſupra, angulum ſequentem ſecundum ſignorum ſeriem, eſſe principaliter attendendum, inter quatuor figuræ angulos. At cum punctum illud primarium ſit ſemper Planeta, ſi hic directus fuerit, ſpectetur ille angulus ſequens, niſi ſaltem platicè antecedenti Planeta jungatur. Ratio eſt, quia per angulum non eſt intelligendum domus angularis ſpatium, vel ejus cuſpis: ſed intelligendus eſt gradus occupans ipſam cuſpidem ad quem Planeta fertur, & quem motu directo attingere poteſt, non autem gradum cuſpidis antecedentis. Si tamen huic gradui Planeta ipſe platicè jungeretur etiam defluendo, hic angulus ob Planetæ conjuncti præſentiam ſequenti præpolleret. At Planeta exiſtente retrogrado, ut in ♄ ♃ ♂ ♀ ☿ ſynodicis, aut periodicis revolutionibus accidere poteſt, præferatur angulus antecedens ſequenti, ob eandem rationem, ni ſaltem ſequenti Planeta platicè jungeretur. Nec ſolus cuſpidis gradus ſpectandus eſt, ſed pars quoque Cœli domum ipſam angularem occupans & Planetæ in ipſa.

Quartùm, Planetam qui eſt primarium conſtitutionis punctum, ut Sol in ejus mundana revolutione, Sol & Luna in horum ſynodo, Luna in ſyzygiis quadraturarum ad Solem, vel in ejus tranſitibus per loca in ſynodo determinata; ſpectan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ctandum eſſe penes naturam propriam, ſignum quod occupat, dominum cui ſubjicitur, & utriuſq; ſtatum tam cœleſtem quam terreſtrem. Angulos vero figuræ, prout ſunt tale ſignum, talis Planetæ, ac in tali ſtatu tam cœleſti, quam terreſtri, ut ex his omnibus exactum feratur judicium.

Quintùm. Conſtitutionem univerſalem non diſtingui ſignificatione, vel effectu per totum Terræ circuitum, ratione puncti primarii, ejus domini, hujuſque ſtatus cœleſtis: ſed duntaxat ratione angulorum figuræ, ſive poſitionis puncti primarii totiuſque Cœli, reſpectu horizontis, & ratione ſtatus terreſtris dominorum conſtitutionis. Hujus enim vis & effectus per totum Terræ ambitum variantur; ideoque pro quolibet horizonte hæc præcipuè ſpectanda ſunt. Punctum enim primarium, ejus dominus, hujuſque ſtatus cœleſtis toti Terræ ſolùm univerſaliter & ſine diſtinctione ſignificant. Reliqua verò conſtitutionem univerſalem determinant circa ſpecies effectuum ad cujuſque horizontis domos pertinentium: & differentes pariunt effectus, pro diverſitate Horoſcoporum quibus ſingula Terræ loca inter ſe differunt, etiam ſub eodem Meridiano conſtituta.

His poſitis, jam qua ratione aliquis Planeta dominium ſortiatur dicendum eſt. Primò juxta Ptolemæum, Cardanum & Veteres Aſtrologos. Secundò autem juxta mentem noſtram. Itaque ex Ptolemæo Lib. 2. Quatrip. cap. 7. & Cardano in Commento: Ratio dominii Planetæ in Conſtitutione univerſali, ut Eclipſi, ſumitur à conjunctione ipſius Planetæ cum puncto Conſtitutionis primario, aut illius aſpectu ad ipſum punctum, aut poteſtate in ipſo puncto per domum, Trigonum exaltationem & Terminum. Et hæc ordine virtutis exponuntur: ita ut conjunctio præpolleat aſpectui, & aſpectus dignitati. In conjunctione autem & aſpectu præfertur applicans defluenti, & inter aſpectus validior eſt ☍, tum □ inter inimicos Planetas, & △ inter amicos, tandemque ⚹ & antiſcium. Inter poteſtates verò primatum ſibi vendicat domus, tum Trigonus, deinde exaltatio: terminus autem reliquis cedit, quem etiam merum eſſe figmentum alibi oſtenſum eſt. Atque hæc fuit Veterum ſententia circa rationem domini in puncto Conſtitutionis primario: qui inſuper ipſi puncto, hoc eſt Soli in ejus annua revolutione, vel Eclipſi, Lunæ in ejus ſyzygiis, vel Eclipſi, &c. vim nullam tribuerunt ad Conſtitutionis effectus, ſed totam dominis ipſius Conſtitutionis, quos in deliquiis opinati ſunt vices gerere luminaris deficientis, ejuſque virtutem excipere, præſertim conjunctione, vel aſpectu, ac ipſam in Sublunaria effundere: quaſi Luna lumine deficiens, deficeret etiam influentiâ: hæcque nihil aliud eſſet quam lumen illud accidentarium à Sole receptum, aut tale Eclipſi, vel ſubtractione luminis: influentia Lunæ migraret in corpus domini conſtitutionis. Planetam verò combuſtum, aut ſubterraneum, dixerunt eſſe dominii incapacem ob ejus debilitatem. Tum ſi fuerit exul dejectus, vel in prava domo figuræ, aut in cadente: tantúmque fortiores in figura Planetas ad dominium aſſumendos eſſe voluerunt, quod tamen eſt à ratione alienum. Nam in revolutione Solis, vel ſynodis Solis & ☽, Sol & Luna agunt juxta naturam atque ſtatum ſui domini, ſive bonum, ſive malum; nec alter Planeta poteſt ad hoc ſubſtitui; ſed hoc non impedit quin Planeta alius in conſtitutione fortiſſimus, inſignes etiam producat effectus, ut pars conſtitutionis ejus minus præcipua. Et quoad cardines Ptolemæus ſumit Planetam qui fuerit in cardine ſequente primarium punctum, vel ei prædominabitur: ac ſtellam fixam illuſtrem quæ aſſiſterit præcedenti cardini, ex hiſque judicat. Cardanus autem in Commento, hujus electionis rationem reddit, quod Planetæ moveantur ab Occaſu in Ortum, hoc eſt in conſequentia; fixa verò in præcedente cardine, ſit Orientalis Soli: quæ ratio nulla eſt; nam fixa movetur etiam ab occaſu in Ortum, Planeta verò in antecedente cardine, eſt Orientalis Soli, in annua ejus revolutione, vel deliquio. Quocirca ratio à nobis ſupraposita de illis angulis videtur probabilior.

At ex Aſtrologiæ principiis à nobis poſitis longè aliter determinandum eſſe cenſemus. Nam primario conſtitutionis puncto primarium effectuum cauſam adſcribimus: nec in ipſis Eclipſibus luminare deficiens lumine, etiam virtute, in hæc inferiora deficere, & alterum ejus vices gerere aſſerimus: ob rationes cap. 7. expoſitas: ſed præcipuè Sect. 3. Lib. 16. ubi agitur de Planetis combuſtis. Præterea quamvis ex cap. 2. Sect. 2. Lib. 20. Planetæ ſe elementaliter afficiant, ſaltem calore, vel frigore: & Luna à Sole calefacta, nobis in Plenilunio aliquid caloris Solis reflectat; hoc tamen eſt inſenſibile, quantò igitur minus erit ſenſibile in aliis Planetis à Sole calefactis, ut dicitur cap. 3 ipſius Sect. 2? At influentialiter Planetæ non agunt in ſe invicem ex capite primo ejuſdem Sectionis, proindeque nec unus ab altero vim influentialem excipit, ut eam in hæc Sublunaria effundat: nec per conſequens unus gerit vices alterius neque influentialiter, neque elementaliter. Sique aliquis Planeta vices alterius gerere poſſet elementaliter, ille eſſet potiſſimùm Luna nobis omnium viciniſſima: quam idcirco in cunctis aliorum Planetarum revolutionibus dominam eſſe foret aſſerendum; ſed perperam ob ſuperius dicta de calore Solis à Luna reflexo.

Itaque Planeta ille præcipuus dicetur conſtitutionis dominus, qui in loco primarii puncti, & hunc ſequente, vel antecedente cardine (prout antea fuit expoſitum) potentior erit domo, connexione per corpus, vel aſpectum, exaltatione & Trigono. Inter connexiones autem præferetur quæ per corpus, ſive conjunctio, ei quæ per aſpectum; & applicans defluenti. Inter aſpectus verò validior eſt ☍, tum □ in conſtitutionibus maleficis, & △ in beneficis.

Præfertur autem à nobis Planeta potens domo, Planetæ connexo, contra Cardani mentem. Tum quia falſa eſt ejus ratio, *quod radii ſint magis res ſecundum naturam, quam poteſtas*; quæ in ejus mente videretur eſſe quid fictitium: tum quia diverſitas effectuum manantium ab eiſdem ſpecie conſtitutionibus univerſalibus, ut ſynodis ☉ & ☽ petitur primò & per ſe à diverſitate ſignorum in quibus illæ contingunt, & Planetarum ſignis ipſis dominantium horumque ſtatu. Non enim poteſt eſſe ſynodus quin ſit in aliquo ſigno, & ſub aliquo domi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

domino: at poteſt eſſe ſine connexione cum aliis Planetis per corpus & aſpectum; ergo quoad ſpecificationem, vel determinationem ex parte Cœli, primario dependet à ſigno ejuſque domino. Sol igitur & Luna coeuntes in ♓, agunt ex ſe quidem juxta propriam naturam; ſed agunt cum ♓ ſigno, quod agit duntaxat juxta naturam ſtatumque ſui domini ♃, ut fusè alibi oſtenſum eſt. Proindeque dicere quod ☉ & ☽ agunt cum ♓, idem eſt ac dicere quod agunt juxta intrinſecam naturam ſtatumque ♃, vel cum ♃ ſic ſpectato, qui eo pacto ſpecificat atque determinat proprios effectus ☉ & ☽ coeuntium. Quod ſi luminaribus alter Planeta, ut ♂ conjungeretur in ♓, hic quidem in agendo proprias vires, Solis & ☽ viribus propriis commiſceret, ſed ut ☉ & ☽ ageret cum ♓, hoc eſt juxta naturam ſtatumque ♃, ſicque ♃ ſemper eſſet Planeta in illa ſynodo præcipuè ſpectandus ad primariò determinandos conſtitutionis effectus ex parte Cæli. Si autem Planeta conjunctus aliud ſignum occuparet, ejus dominus fieret particeps dominii conſtitutionis, ſed debilior quam ſi eſſet in ♓, vel proprio domicilio: ſique inſuper non eſſet in eadem figuræ domo cum puncto primario, adhuc debilior & obſcurior eſſet ejus dominatio in effectus ſynodi. Igitur diverſitas effectuum ſynodi ex parte Cœli, primariò petitur à ſigno in quo fit ſynodus, ejuſque domino, & hujus ſtatu cœleſti; ac tantum ſecundariò à Planetis puncto principali connexis.

Neque hic valebit Objectio, quod plus valeat præſentia Planetæ, quam abſentis dominium. Nam hoc quidem verum eſt de Planeta ſpectato pro effectibus ad quos ratione domus figuræ determinatur, ut oſtenſum fuit Lib. 21. Sect. 2. cap. 4. non autem de Planeta ſpectato reſpectivè ad punctum primarium conſtitutionis univerſalis, ut hujus effectus ex parte Cœli primario ſpecificetur. Etenim Planetarum effectus dupliciter ſpecificantur, ſive determinantur: nimirum ex parte Cœli, & ex parte Terræ. Priore modo determinantur ad ea ſpecie accidentia, quæ congruunt ſignis in quibus ipſi Planetæ verſantur, ac horum dominis eorumque ſtatui cœleſti: ut ſi Sol fuerit in ♐, proprii effectus Solis determinabuntur cœlitus ad naturam ♐, atque ♃ penes hujus ſtatum cœleſtem. Poſteriore modo determinantur ad ea ſpecie accidentia, quæ pertinent ad figuræ domos, in quibus ipſi Planetæ reperiuntur, aut præſunt. Ut ſi ☉ fuerit in ♐ & decima domo, determinabitur vis Solis primariò ad agendum Jovialiter, vel cum ♃, & ſecundario ad agendum circa actiones, Profeſſionem & Honores, vel Dignitates: atque ſic de cæteris.

Quod autem in prima ſpecificatione, quippe cœleſti, effectus conſtitutionis univerſalis primario ſpecificentur à ſigno ejuſque domino, non autem à Planetis conjunctis: ſic etiam probatur. Si enim in ſynodo Solis & ☽ in ♊, effectus ejus ſynodi non ſpecificantur cœlitus à Sole potius quam à ☽, profectò ſi illis partiliter quoque adjungatur ♂, non etiam hujus ſynodi effectus ſpecificabuntur potius à ♂, quam à ☉, vel ☽; par eſt enim utrinque ratio: Ergo effectus ☌ ☉ & ☽ ſpecificabuntur cœlitus primariò, duntaxat à ſigno ejuſque domino, qualificabuntur autem à ♂ conjuncto penes naturam atque ſtatum cœleſtem ♂ præſertim ſi Luna ♂, ſive alteri Planetæ conjnncto applicet immediatè. Nec inde ſequetur quod in revolutionibus mundanis ☉, effectus ſemper iidem ſpecie futuri ſint ex parte Cœli, quia fiunt ſemper in ♈ ſub dominio ♂: nam ſingulis annis non eſt idem ♂ ſtatus cœleſtis penes quem ♂ ipſe agit. Nec reliqui Planetæ ſunt in eodem ſtatu cœleſti tam inter ſe, quam cum primario conſtitutionis puncto. Idemque cenſendum de revolutionibus nativitatum. Quod ſi hæc de Planeta conjuncto perſuadet ratio, multo magis de ejus aſpectibus perſuadebit, cum tamen Cardanus velit ſupra ex Ptolemæo, Planetam per ſuum ✶ ad punctum ſynodi primarium, plus poſſe circa effectus ſynodi quam per ſuum dominium: idque manifeſtæ repugnat experientiæ in nativitatibus, quod nempe ſi Horoſcopus ſit in ♉ & ✶ ♄, natus futurus ſit potius Venereus moribus, quam Saturninus: quodque mores ſpeciei Venerei, tantum aliquo ♄ influxu inficiantur & qualificentur. Inde vero etiam rejicitur eorum opinio, qui volunt in ☉ & ☽ conjunctionibus illum eſſe primarium conſtitutionis dominum, cui Luna primo applicat Adde quod per totum Terræ ambitum idem eſſet dominus talis conſtitutionis, proindeque univerſalis, at ſimul etiam quæritur particularis cuilibet Terræ loco.

Porrò ſi idem Planeta fuerit dominus puncti primarii & ſequentis, vel anteccedentis cardinis, ipſe erit valde potens: ſi autem fuerit inſuper connexus corpore, vel forti radio, ipſi puncto primario, vel cardini, adhuc erit potentior. At potentiſſimus erit, ſi fuerit adhuc in cardine cum ipſo puncto primario, præſertim in Horoſcopo, vel Cœli medio, qui duo cardines ſunt ſemper potentes in omni conſtitutione.

Si vero idem Planeta non fuerit in utroque loco cæteris potentior, ſcilicet in loco puncti primarii, vel cardinis, præferetur quidem potentior in puncto primario quippe dominus ſigni, ſed ei aſſociabitur ille Planeta, qui in utroque loco ſimul reliquis prævaluerit, habita ſemper ratione dominorum Horoſcopi Medii Cœli, quorum ſemper magna eſt poteſtas. At pluribus Planetis dominationem ſibi æqualiter arrogantibus ob æqualem reſpectum ad utrumque locum, præferetur aut cardinalior, aut ſtatu cœleſti fortior, aut congruentioris conditionis, aut matutinus Soli, aut veſpertinus Lunæ, in horum revolutionibus, vel ſyzygiis: cæteris autem paribus, ſuperterraneus ſubterraneo ſemper præferetur, quod ſubterranea vis interpoſitione Terræ minuatur.

Ad hæc ſi duo Planetæ ſimul dominentur, & ſint in mutuis dignitatibus, vel forti radio ſe aſpexerint, ſimulque primarium punctum, aut cardinem præcipuum, ii fortiter agent. Vide quæ à ſimili diximus Lib. 23. cap. 17. De Revolutionibus Nativitatum.

Denique præter Planetas aſſumentur etiam ad conſtitutionis dominatum duæ ſaltem ex illuſtrioribus fixis, quarum una aſſideat antecedenti cardini, altera autem ſequenti punctum primarium, parum diſtantes ab ipſis cardinibus, & quæ ſint cum puncto primario ſimul in Meridiano,

aut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

aut ſimul in horizonte, aut alterum in Meridiano, & alterum in horizonte; alioquin debiliores erunt. Sique Planeta dominus conſtitutionis, fuerit etiam dominus fixæ ratione ſigni, eamque forti radio aſpexerit, ſecundum longum, latum, vel aliter: ipſa erit multò fortior, ſi præſertim fuerit de natura ipſius Planetæ domini. An autem eligendæ ſint duntaxat in Zodiaco, an vero etiam procul diſtantes, non video fuiſſe ab Aſtrologis definitum. Etſi autem arbitrer abſolutè loquendo, propinquas Eclipticæ remotioribus efficaciores eſſe, ſi præſertim Planetis conjunctæ fuerint: tamen habita ratione locorum, quæ loco thematis ſunt verticales, aut prope, cæteris mihi non videntur poſtponendæ. Non enim ſine neceſſitate Deus totum Cœlum ſtellis fixis diſſeminavit, imò circa Polos (ubi vis Planetarum debilius agit) illuſtriores fixas collocavit, ut hæ quodammodo ſupplerent vices Planetarum dum præſertim omnes ſub horizonte latent. Quod ſi fixæ illis in angulis ſpectandæ ſint: ergo multò magis Planetæ in iiſdem.

Caput X.

Prædictorum applicatio, & dominorum electio in figuris ſuprapoſitis.

QUamvis figuræ ſuprapoſitæ, ſint particulares loco ad quem erectæ ſunt, ſcilicet Pariſiis: tamen ſunt univerſales, ſive communes cunctis degentibus circa civitatem ipſam, ad diſtantiam quæ eadem ſigna in angulis figurarum retineat, eoſdemque figurarum dominos; ſic enim totum illud Regni, vel Regionis ſpatium, eidem virtuti conſtitutionis ſubjicitur, ſolaque diverſitas effectuum in illo ſpatio oriri poteſt à diverſa conſtitutione propria partium ipſius ſpatii.

Itaque in ſuprapoſita figura annuæ Mundi revolutionis, ſive ingreſſus Solis in principium ♈, Sol naturæ igneæ ingreditur ſignum igneum & ſuam exaltationem atque Trigonum in undecima figuræ domo. Mars verò eſt dominus puncti primarii, ſive ☉, eſtque in ſuo Trigono, Orientalis ☉, & angularis in decima. Mercurius autem eſt dominus ſequentis cardinis, ſcilicet Horoſcopi, Trigono potens in Medio Cœli, etiam Orientalis & angularis in decima: ſuntque ambo conjuncti in ♓ ſigno Aqueo: & eorum dominus ♃ eſt in angulo ſequente, ac mutua receptione domus cum ☿, applicans □ Solis & △ ♂ & ☿: ſunt igitur ♂ ☿ & ♃ valde potentes in hoc Themate; ſed primatum ſibi vendicat ♂, & ☿ ♃ præpollet ob ejus ☌ cum ♂. Nam ſi ☿ in ♓ ſubeſt dominio ♃, agitque dependenter à ♃, hic viciſſim ſubeſt dominio ☿. Quoniam vero ♂ immediatè & partiliter applicat ⚹ ♄ potentis in Medio Cœli & Horoſcopo, quique eſt in ſuo trigono: idcirco ♄ nonnihil etiam poteſtatis in hac conſtitutione uſurpabit. Tandem oculus Tauri fixa illuſtris de natura ♂, partiliter exiſtens in Horoſcopo ob ſuam latitudinem, ſola inter fixas dominium exercebit.

In figura ingreſſus ☉ in o. o. ♋, Sol prope Medium Cœli ingreditur ſignum Aqueum, cui præeſt Luna domo, & ♃ exaltatione atque trigono, interdiu ſupra Terram exiſtens; ideoque uterque præeſt Soli & ſequenti cardini, ſuntque ambo angulares, nempe ♃ in Medio Cœli, cardini ſequente, & Luna in Horoſcopo, atque etiam inter ſe quadrati, tum ambo cum fixis illuſtribus; ac denique ☽ in △ ☿ ſui Trigonocratoris. Jupiter autem in ⚹ ♂ ♄ ac ♀: ſunt igitur ambo valde fortes in ipſa figura, prævalet tamen ♃ in ♋, quia eſt in ſua exaltatione quæ vires intendit Planetæ exaltati, atque in ſuo Trigono interdiu ſupra Terram. Hoc tamen non impendit quin agat cum ♋, & Cancer penes naturam ſtatumque ☽: ideoque multò magis ☉ in ♋ aget cum ☽ juxta ipſius naturam atque ſtatum. Mercurius verò & Arcturus in Horoſcopo propria natura atque ſtatu concurrent cum effectibus ☽, Mars autem ♄ & ♀ ac ſtellæ in decima cum virtute ♃, qui in hac aſſociatione prævalebit ☽.

In figura ingreſſus Solis in o. o. ♎, Sol in 2 domo ingreditur ſignum Aereum, cui præeſt ♀ domo & Trigono noctu ſuper Terram, & Saturnus exaltatione, rettogradus in ♉ ſuo trigono. Sol autem in mutua receptione domus cum ♀ applicat ⚹ ♃ potentis in locis ☽ atque ♂. At angulo ſequenti præeſt ♂ in domo ☽, quæ ipſi ♂ △ applicat ex occaſu, & ♓ domo ♃. Mars autem & Luna ambo in ſuo Trigono noctu ſupra Terram, mutuo ⚹ applicant ♄ retrogrado, qui mutuò defluens à □ ♀, immediatè applicat ⚹ ♂, ſuntque ♄ & ♂ elevati ſupra cæteros Planetas. Itaque multis ex capitibus ♄ hac in figura præpollet ♀, quæ peregrina in ♌ & domo duodecima ſine aſpectu ad ☉, vel alios Planetas excepto ♄ à quo defluit mutuo □, cenſenda eſt virtutis exiguæ in hac conſtitutione: ac proinde ♄ & ♂ ſibi mutuò applicantes prævalebunt cum corde Hydræ de natura ♄ in Horoſcopo, & Pleiadibus cum Medio Cœli & ♄.

In figura ingreſſus Solis in o. o. ♑; Sol ingreditur ſignum Terreum in domo 7, ac ♄ præeſt loco ☉ & ſequenti cardini: tum etiam Horoſcopo cum ☿, cui etiam præeſt ♄; qui inſuper reperitur in △ ☉ & ☿, & in ⚹ ☽ atque ♃ quibus mutuò applicat; ſed prius ac immediatè □ ♂. Sol autem immediatè applicat ☍ ☽ in ♋, & hæc mutuò ☌ ♃: ſuntque ♄ ♃ & ♂ retrogradi; & ♄ ſuper omnes Planetas elevatus ſi ☿ exceperis. Itaque ♄ hac in figura præcipuus dominator exiſtit ſine ulla controverſia. Luna autem cui Sol ☍ applicat, non exiguam in effectibus vim ſortietur, cum ☿ Trigonocratore diurno Solis exiſtente ſupra Terram in ſuo etiam Trigono.

In figura Novilunii capitis 6, ♃ præeſt domo & Trigono interdiu in loco ſynodi, ſed exul eſt ſub Terra. ♀ autem præeſt exaltatione loco ſynodi, & angulo ſequenti qui eſt ipſe Horoſcopus, cui præeſt domo & Trigono, ipſaque eſt angularis juncta Horoſcopo in propria domo. Ergo ♃ & ♀ præſunt huic Novilunio cum aliqua participatione ♄ exiſtentis in Horoſcopo, Lunaque partiliter applicat □ ♃ ſui domini, ut proinde ♃ & ♀ de prædominio viribus paribus certare videantur: ſed ♀ mihi videtur prævalere.

In figura Eclipſis Lunæ capitis 7, Sol eſt dominus loci ☽, cum Trigonocratore ♂. Et ♄ eſt dominus loci ☉ & Horoſcopi cum Trigonocratore ☿. Mars autem præeſt domo & Trigono

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ſequenti angulo, quippe Medio Cœli, tum Horoſcopo exaltatione, in qua ipſe reperitur, applicans □ ſui domini ♄. Igitur ♂ & ♄ præſunt huic Eclipſi, mutuo domicilio recepti, & quadrati, ſed ♂ prævalet.

Quod vero ad magnas conjunctiones attinet, qualis eſt ultima ☌ ♄ & ♃ facta die 24. Februarii 1643. in 25 gradu ♓ ex Tabulis Rudolphinis, quæ immediatè præceſſerat in 7 gradu ♌ menſe Julio anni 1623. ideoque jam maxima nuncupatur. Ignoto ☌ momento ad quod figura erigi queat, illius vim determinans circa particulares horizontes, dici poteſt duntaxat, quod ♃ ſit ejus dominus univerſalis per totum Terræ circuitum ac omnium potentiſſimus, quippe quod ipſa ☌ contingat in domo ♃, in ⚹ ☽ ex ♉ & ♂ ex principio ♊; ſintque ♂ & ☽ trigono potentes in loco ☌.

Similiter autem procedendum eſt in aliis quibuſvis conſtitutionibus univerſalibus ad earum dominos definiendos. Cæterum hæc ſunt intelligẽda de conſtitutionibus ſimplicibus. Nam pro conſtitutionibus compoſitis quales ſunt ingreſſus Solis in 4 puncta cardinalia, ad quas vult Ptolemæus nec immeritò habendam eſſe rationem Novilunii, aut Plenilunii immediatè præcedentis ingreſſum Solis, ſicque ad duas figuras attendi pro qualibet anni quarta: videndum erit quis Planeta fuerit in utraque figura potentior, aut ſi plures fuerint, qua ratione inter ſe ſunt affecti in ſingulis figuris: præſertim dum Novilunium, aut Plenilunium fuerit Eclipticum, ideoque majoris virtutis; ut ſaltem rectius feratur judicium de principio effectuum ipſius ingreſſus, ut jam dictum eſt cap. 3. Quod ſi Solis revolutio, vel hujus quarta ſimul cum Novilunio, aut Plenilunio inceperit, tunc erit independens & valde fortis. Eademque eſt ratio de aliis conſtitutionibus univerſalibus.

Caput XI.

In quæ Terræ loca univerſalis conſtitutio ſit actura.

Ptolemæus Lib. 2. Quatrip. cap. 4. ex conſtitutionibus univerſalibus nullam priorem & in Sublunaria efficaciorem eſſe aſſerit Eclipſibus Solis & Lunæ, ac ſtatu aliorum Planetarum præſertim ♄ ♃ & ♂ ipſo tempore Eclipſium penes ipſorum ſtationes, vel aſpectus & dominia in locum Eclipticum. De ipſis autem Eclipſibus 4 inquirit. Primum. Cui regioni, aut urbi portendat Eclipſis. Secundum. Quando incepturi & quamdiu duraturi ſint ejus effectus. Tertium. Quos effectus ſpecie paritura ſit, nempe an famem, an bellum, &c. Quartum. Quis ſit modus eventuum, ut in ſignificatione belli quis futurus ſit victor. Igitur circa hæc 4. erroneam eſſe Ptolemæi doctrinam oſtendetur inferius. Etſi Cardanus initio Commenti in cap. 4. afferat illam ſubtiliſſimè à Ptolemæo traditam fuiſſe, atque rationibus exquiſitiſſimis & abſtruſiſſimis, ſed à nullo expoſitorum ante Cardanum ipſum intellectam. Primum autem examinabimus hoc capite, reliqua ſequentibus.

Dicit igitur Ptolemæus adſtipulante Cardano, Eclipſin portendere regionibus quæ ſubjiciuntur ſigno, vel Trigono in quo facta eſt Eclipſis, juxta ſignorum diſtributionem in omnia Terræ loca. Iis verò præcipuis, ſeu Metropolitanis Urbibus, quæ initio ſuæ conſtructionis habuerunt luminare deficiens in ſigno ipſo, vel hoc ſignum in Horoſcopo figuræ conſtructionis, aut ſi conſtructionis tempus atque figura ignorentur: quæ reguntur à Principibus, vel Dominis, in quorum figura geniture, vel ſucceſſionis in Regno, vel electionis ad Regnum, ſignum Eclipticum occupat Horoſcopum, vel Medium Cœli.

Sed iſta doctrina de dominio ſignorum in Regiones & Urbes, jam à nobis refutata eſt cap. 7. Tantúmque ſupereſt hic emendandus Cardanus dicens in Commento: *Quod ubi concordat civitas cum conſtellatione,* (hoc eſt univerſali conſtitutione, ut Eclipſis themate) *& non concordat Regio per trigona ſaltem ſigna, tamen continget effectus. In hominibus autem etſi concordaret geneſis propria, & non concordaret civitas in qua eſt homo, nihil erit. Et propter hoc credo* (inquit) *quod Eclipſis illa in ♉ in parte Horoſcopi mei anno 1539. nihil egerit, quia non concordabat cum civitate Mediolani, ubi ego eram, vel habitabam, vel prope.*

Hæc autem à veritate ſunt aliena. Tum quia concordia illa Regionis vel civitatis cum Eclipſi jam ſuperius rejecta eſt. Tum quia hac conceſſa, ut civitas eſt pars Regionis, ſive regni: ita homo pars eſt civitatis: ergo ſi contingat effectus in civitate ſine concordia Regni, ita continget in homine ſine concordia civitatis. Adde quod ſi præter concordantiam Eclipſis cum hominis geneſi, neceſſaria ſit etiam concordantia cum civitate, ut vult Cardanus ſuo exemplo: ergo in graſſante peſte concordabit civitas cum omnibus genituris hominum qui peſte corripiuntur; quod perabſurdum eſt opinari, nec enim poteſt cum ſingulis concordare: ſicut neque navis in ſuæ fabricæ figura, cum ſingulis qui in illa ſubmerguntur: ſed res ſic ſe habet. Singuli degentes in civitate peſti obnoxia ab univerſali prava conſtitutione cœleſti tunc vigente, & non ratione concordiæ ipſius conſtitutionis, cum figura conſtructionis ipſius civitatis; de peſte per moram in illa civitate periclitantur. Ac ii maximè quos ipſa conſtitutio particulariter quoque affecerit: ſi nempe contingat Eclipſis in eorum Horoſcopo, vel aliis vitæ ſignificatoribus, & directionem, aut revolutionem lethalem, vel morboſam eodem anno habuerint. Minus ii quibus horum tantum alterum accidit: omnium verò minimè quibus neutrum accidit, vel quibus econtra fœlix aliqua contingit Horoſcopi directio, cum revolutione ſalubri, ut ipſi Cardano: cui quidem facta eſt Eclipſis ☉ ſuper 8 gradu Tauri, cum habeat 7 gradum in Horoſcopo. Sed eodem anno Horoſcopus ipſe dirigebatur ad △ ♀, ſuæ & loci Ecliptici dominæ, eratque revolutio valde ſalubris, ut patet cap. 7. Lib. 23. Et hæc Cardanum ſalvaverunt, qui ipſa quamvis evidentiſſima non advertens, cauſam ſibi finxit diſcordiam ſuæ genituræ cum figura ſibi ignota conſtructionis Mediolani.

Præcipuæ verò rationes cur doctrina Ptolemæi aberret à veritate, ſunt primò. Quod omnis Eclipſis ſit duntaxat Lunatio, omniſque Lunatio ſubordinetur annuæ Solis revolutioni Mundanæ, ab eaque dependeat, ut oſtenſum eſt cap. 4. Ergo annua Solis revolutio Mundana, eſt conſtitutio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

num univerſalium prima & efficaciſſima; non autem Eclipſis, niſi ut eſt pars ipſius revolutionis Solis. Secundò: Quod ex conſtitutionis univerſalis figura erecta ad aliquem locum particularem, ut Lutetiam; perabſurdum eſt inquirere ac definire, quid illa ſit effectura in Chyna, vel America. Cum cœleſtis conſtitutio agat ſuo univerſali influxu; duntaxat prout determinatur localiter per figuram erectam, ut fusè oſtenſum eſt Lib. 21. Sect. 2. Ideoque ex figura erecta ad Lutetiæ horizontem, quæri tantum debeat, quid illa ſit effectura Lutetiæ, aut circa; quouſque non mutatur, ſed idem manet figuræ dominium? At non in Chyna, ubi ejuſdem conſtitutionis effectus ſimiliter erunt definiendi per thema cœleſte erectum ad Chynæ locum: ſine quo themate, nec particulares conſtitutionis domini, nec per conſequens ejus particulares effectus in quocunq; loco ſciri queunt, ut ex cap. 10. patet. Tertiò: Quod ex Lunationibus communibus, in quibus ſcilicet nulla contingit Eclipſis, & figuris ad illas erectis, nec Ptolemæus, nec ullus alius Veterum Aſtrologorum, quæſiverit quos effectus illæ ſint producturæ in regionibus extraneis longéque remotis à loco figuræ erectæ: ſed tantum quos in ipſo loco producturæ ſint, vel in elementis, vel in plantis, vel in animalibus, vel in hominibus. At Eclipſis ☉ quid aliud eſt quam Novilunium? Et Eclipſis ☽ quam Plenilunium in ipſa Ecliptica, vel ſine latitudine, quæ ſaltem excedat ſemidiametros ☉ & ☽? An igitur dicendum quod Lunationes cum nulla, aut tali latitudine ſignificabunt extraneis regionibus, cum majore autem ſoli figuræ loco? Abſit, ſed duntaxat dicendum, quod Lunationes ſine latitudine, vel cum Eclipſi ſunt efficaciores, & effectus pariunt inſigniores: ſine Eclipſi verò ſunt minùs efficaces ubique locorum pro ratione localis ſuæ determinationis per Cœli thema horizontale, vel figuram erectam ad horizontem loci. Et hoc quidem commune eſt omnibus Planetis ab Ecliptica divagantibus, ut quo propinquiores ſunt Eclipticæ, eo ſint efficaciores, & in ipſa Ecliptica efficaciſſimi: indeque falsò ortæ ſunt fictitiæ virtutes capitis & caudæ Draconis Lunæ: quo autem ſunt ab Ecliptica remotiores, eo ſunt debiliores.

Nihilominus in cunctis cōſtitutionibus univerſalibus, ſcilicet annuis revolutionibus, eclipſibus &c. quarum figuræ erigi queunt, ſcire poterimus quibus nationibus ipſa conſtitutio præcipuè ſignificet hoc modo. In Eclipſibus vide quæ gentes, vel Urbes præcipuè habeant luminare deficiens, vel dominum loci Ecliptici, in Horoſcopo, Medio Cœli, vel Occaſu: Illis enim conſtitutio Cœli præcipuè ſignificat, pro ratione ſignificatorum eſſentialium anguli. Neque hoc ſcire erit inutile Regibus, dum magna Eclipſis magnos portendit effectus; quippe erigendo figuram pro illis locis.

Ad hæc ſi conſtitutio ſignificaverit bella, ob dominium ♂ in puncto primario; vide quæ gentes habeant, aut luminare deficiens, aut ♂, ad bella determinatum in ſeptima, quæ eſt bellorum, aut in decima, quæ eſt actionum. Nam ipſis bella activè, aut paſſivè certius ſignificantur, quam aliis. Quibus fuerit in duodecima, morbos, vel exilia portendet: quibus in octava, peſtes, mortalitatem: atque ſic de aliis. Et hoc eſt de arcanis ſcientiæ. Nam Planetæ agunt ubique locorum juxta ſuam determinationem, & non aliter: ſed de his hæc ſufficiant. Vide tamen caput 8. Libri 15.

CAPUT XII.

De temporibus eventuum à conſtitutionibus univerſalibus futurorum.

De his temporibus, quatuor ſunt nobis inquirenda. Primum, quamdiu durabunt effectus conſtitutionis univerſalis, ut revolutionis annuæ Solis, Eclipſis, &c. Secundum, quando incipiunt. Tertium, quando intendentur, aut remittentur. Quartum, quando finient, ſeu quando ipſa conſtitutio ceſſabit per ſe agere.

Ptolemæus cum Cardano cap. 6. Lib. 2. Quatrip. cæteriſque Veteribus de his ita ſentit pro Eclipſibus quas præcipuè ſpeculatus eſt.

Primò: Figuram Cœleſtem erigit ad tempus apparens mediæ Eclipſis, hoc eſt veræ ☌, vel ☍ luminarium. Secundo: Supputat quot horis æquinoctialibus tota obſcuratio duret. Tot enim annis (ait) durabunt effectus ab Eclipſi Solis, & tot menſibus effectus ab Eclipſi Lunæ. Tertiò: Conſiderat ſitum loci Eclipſis Solis, reſpectu cardinum figuræ, & ait, quod ſi locus fuerit in Horoſcopo, effectus incipient primo quadrimeſtri poſt Eclipſin: eruntque vehementiores in primo triente totius durationis. Si autem locus fuerit in Medio Cœli, incipient effectus ſecundo quadrimeſtri, eruntque intenſiores in ſecundo triente durationis. Si denique locus fuerit in Occidentali cardine, incipient effectns tertio quadrimeſtri, & vehementiores erunt in tertio triente totius durationis effectuum. Particulares autem intenſiones & remiſſiones indicabuntur ex conjunctionibus & aſpectibus Planetarnm Eclipſi dominantium, cùm inciderint in locum Eclipticum, vel figuræ cardines, dum præſertim ipſi Planetæ ſunt in ſuo ortu matutino, aut veſpertino, vel in ſuis ſtationibus. Atque hæc eſt Ptolemæi ſententia.

Quoniam verò locus Eclipſis rarò incidit in ipſos cardines, ſic per diſtantiam ipſius loci ab Horoſcopo, inveniri volunt præcisè tempus initii effectuum Eclipſis Solis. Primò habeatur quantitas diei, ex Tabula vulgari quantitatis dierum. Secundò videatur quot horæ numerentur à cardine Orientis uſque ad medium Eclipſis hoc modo. Si medium Eclipſis fuerit poſterius tempore Ortu Solis, ſubtrahe tempus initii diei à tempore mediæ Eclipſis: ſi verò medium Eclipſis præcedit tempore Ortum Solis deficientis, contrario modo horas & minuta mediæ Eclipſis ſubtrahe ab initio diei, vel noctis, & relinquetur tempus inter medium Eclipſis & Ortum Solis; quod pro tertio numero pones in Regula Aurea, ſive proportionum. Pro ſecundo dies anni 365: & pro primo quantitatem diei, & emerget numerus dierum quo poſt Eclipſin effectus incipient. Qui vehementiores erunt circa initium medium, aut finem durationis ipſorum, prout media Eclipſis fuerit Orienti Medio Cœli vel Occaſui vicinior. Similiterque in Lunæ Eclipſi per quantitatem noctis operandum eſt; detracto tempore initii noctis, à tempore mediæ Eclipſis, ut ſuperſit ter-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

tius numerus, primus verò erit quantitas noctis, & ſecundus 365. ut ſupra.

Eſt autem in primis oſtendendum, quod hæc doctrina Ptolemæi, aliena ſit à veritate rationibus ſequentibus. Primò, quod ad effectuum durationem ſpectat, Aſtrologus duntaxat aſſentiri debet rationi, vel experientiæ, quæ nunquam propria ratione caret, quamvis interdum nobis ignota, vel obſcura. Sed Ptolemæus aliiſque Veteres, nec rationem, nec experientiam exhibent, qua probetur horas durationis Eclipſis pro Sole annos, pro Luna verò menſes ſignificare. Ergo doctrina hæc mihi videtur reſpuenda. Quantum autem ſit à ratione aliena hinc patebit. Nam mundana quævis revolutio Solis, ſuos complet effectus ipſa durante revolutione, etiam juxta doctrinam Ptolemæi. Ergo idem ſentiendum eſt de omnibus revolutionibus tam periodicis quam ſynodicis Planetarum aliorum, Sol enim eſt norma cæterorum. Deinde ſi ſuppoſuerimus Solis Eclipſin in Occaſu durare per horas 3, ideoque ejus actualem efficaciam durare per 3 annos, ultra retardationem ejus effectuum, dum fit in Occaſu. Ergo cum ſingulis annis plures fieri queant Eclipſes tam Solis quam ☽, non mediocris accideret confuſio circa vires & effectus omnium Eclipſium quæ contingent in 3 annis, dum plures agent ſimul tempore, quod non poterit non accidere, nec ullus ſaltem humanus intellectus diſcernere valebit quinam effectus ſint à prima, tertia, quarta, quinta, &c. ideoq; nec ullius vis & effectus perſpicuè ſaltem cognoſcetur. In illaq; confuſione omnis Eclipſium Aſtrologica ſcientia evaneſcet: ſicque abſurdum erit de illarum virtute & effectibus quidquam aſſerere, quod nullus concedet Aſtrologus. Simileque dicendum erit de Lunæ totalibus Eclipſibus; præſertim circa occaſum contingentibus. Ad hæc omnis Eclipſis ſubordinatur in agendo revolutioni mundana Solis, ut cauſa partialis totali, vel minus univerſalis, univerſaliori. At revolutio Solis ſuos complet effectus ſingulis annis. Ergo effectus Eclipſis non extenduntur ultra mundanam revolutionem Solis, in qua accidit ipſa Eclipſis, niſi Lunatio finierit intra ſequentem revolutionem Solis. Præterea ſi horæ durationis in Eclipſi Solari valent annos, & in Luna tantum menſes: Cur Ptolemæus initia effectuum eodem tempore determinat, nec citiùs accelerat effectus ab Eclipſi Lunæ, quam ab Eclipſi Solis, dum hic & illa deficiunt in Occaſu? Hoc eſt ſi in Solis Eclipſi quantitatem diei tribuit anno, cur in Eclipſi Lunæ, quantitatem noctis non tribuit menſi, ut æqualitas utrinque ſervetur ? Nonne effectus Lunæ citiores ſunt effectibus Solis?

Quod verò attinet ad tempus initii eff. ctuum, certum eſt quod ubi Sol & Luna non occidunt intra 24 horas, corruit methodus Ptolemæi, ad definiendum tempus quo Eclipſis effectus incipient. Non igitur ille modus eſt univerſalis, totique Terrarum Orbi communis: ſed tantum localis, proindeq; non ſcientificus. Ad hæc in mundana Solis revolutione & Lunationibus non Eclipticis, tempus initii effectuum non determinatur à Ptolemæo per diſtantiam luminaris ab Horoſcopo ſuperius expoſitam. Cur igitur id fiet in Eclipſibus, quæ nihil aliud ſunt quam Lunationes? Præterea abſurdum eſt, & contra doctrinam ipſius Ptolemæi, negare ullos Eclipſis effectus contingere, cum lumen deficiens & dominus Eclipſis ſibi corpore, vel aſpectu occurrerint, vel loco Ecliptico, vel angulis figuræ præcipuis, quod ſtatim poſt Eclipſin accidere poteſt. Non ergo effectuum initia ſunt ab illa tantum diſtantia. Denique fiat Eclipſis ☽ in occaſu; incipient ejus effectus duntaxat circa finem anni ab ipſa elapſi. At interim poteſt alia Eclipſis ☽ fieri non in ortu: ergo poſterioris effectus, præcedent effectus prioris, contra ordinem temporum quibus eadem Luna deficiens fit cauſa diverſorum effectuum. Vel confundetur intellectus indiſcernendis ipſarum Eclipſium effectibus, dum continget (ut ſæpe fieri poteſt) illas ſuos effectus ſimul inchoare atque finire. Sed multo magis dum in occaſu totalis fiet Eclipſis Solis cujus efficientia tantum deſinet anno quarto poſt Eclipſin: quandoquidem in annis quarti poſſunt accidere plus quam duodecim Eclipſes, ſive ☉, ſive ☽, & ſive ſupra, ſive infra Terram (etſi has Ptolemæus inefficaces eſſe perperam aſſeruerit) quarum pars maxima ſimul tempore aget in hæc Sublunaria. Quod certè convincit evidenter, aut nullam eſſe ſcientiam de Eclipſium effectibus, aut aliam eſſe à doctrina Ptolemæi.

Itaque dicimus primò. Cujuſvis conſtitutionis univerſalis efficaciam vigere atque durare, uſque ad proximè ſequentem ejuſdem ſpeciei. Atque idcirco efficaciam revolutionis mundanæ Solis, vigere uſque ad proximè ſequentem revolutionem, ſive ingreſſum in o. o. ♈. Neque hoc ab illo Aſtrologo controverſum eſt: & efficaciam cujuſq; ſynodi Planetarum, ſive ſint ambo luminaria, ſive horum alterum cum aliis Planetis, ſive aliorum Planetarum inter ſe, durare uſque ad ſimilem ſynodum immediatè ſequentem: nec ſaltem per ſe ultra extendi; & hoc multis rationibus probari poteſt.

Prima eſt. Quia ſi concedatur unius Novilunii vim efficaciam durare per annum, aut plures annos, prout vult Ptolemæus de Novilunio Ecliptico circa occaſum contingente: introducetur cõfuſio maxima circa vires & effectus quorumcunque Noviluniorum, nec de illis quidquam certi licebit definire, niſi perſpectis diſtinctiſq; viribus Noviluniorum antecedentium & ſubſequentium; quod humano intellectui foret impoſſibile. At confuſio illa non admittitur à Ptolemæo aliiſve Aſtrologis, qui nequidem de uno Novilunio judicant ex antecedente & conſequente. Cum tamen judicent de mundana Solis revolutione ejuſque quartis ex proximè antecedente Novilunio, aut Plenilunio, quippe quod hujus vis non ceſſaverit ante Solis ingreſſum in puncta cardinalia. Ergo cujuſvis Novilunii vis & efficacia durat tantum uſq; ad proximè ſequens Novilunium, nec hujus efficaciæ commiſcetur: alioquin in prædicta revolutione ☉ ſequens Novilunium eſſet etiam attendendum.

Secunda eſt: Quia in ſynodo ☉ & ☽, maximè uniuntur vires ipſorum quæ ſunt inter cœleſtes præcipuæ, præſertim verò in Eclipſibus, ipſo fatente Ptolemæo: ergo ipſo momento fortiſſimè agunt in hæc Sublunaria, ſuæ ☌ influxum per communem radium circulando, qui eſt ſemen effectuum ab illa ſynodo futurorum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

rum. Quis enim Philoſophus, vel Aſtrologus, ſuppoſita vi aſtrorum in hæc inferiora, negabit à Sole & Luna conjunctis prodire influxum ipſorum quatenus ſunt conjuncti: quandoquidem ex Elementis Aſtrologiæ, aliud efficiunt conjuncti, aliud quadrati, & aliud oppoſiti, aut ipſum influxum omnium potentiſſimum nihil agere? Quis enim ipſius influentiæ cohiberet effluxum in hæc inferiora, quandoquidem nihil datur in Cœlo potentius Sole & Luna conjunctis præſertim centraliter, ut ipſe fatetur Ptolemæus, in Terra verò non reperitur niſi potentia paſſiva reſpectu corporum cœleſtium? Ergo Novilunia & præſertim Ecliptica, agunt in hæc Sublunaria, ab ipſo Novilunii momento, nec eorum effectus in Sublunari Mundo per plures menſes, vel etiam annum retardantur. Cumque de ſingulis Noviluniis etiam non Eclipticis idem dicendum ſit, proculdubio, aut admittenda erit confuſio circa vires & effectus Noviluniorum, eritque de quolibet judicandum ex antecedentibus & conſequentibus contra praxim omnium Aſtrologorum; aut aſſerendum quod unius ſynodi efficacia, durat tantum uſque ad proximè ſequentem ſynodum: quamvis nihil vetet ejus effectus continuari à ſequente ſynodo ſimilis virtutis, ut cohiberi queunt à ſynodo virtutis contrariæ, ſed ſemper ſynodus quævis agit durante ſua periodo penes efficaciam propriam.

Tertia eſt: Quia in aliis conſtitutionibus univerſalibus, ſcilicet annuis Mundi revolutionibus, earumque quadrantibus, tum in Noviluniis, aut Pleniluniis non Eclipticis, &c. Ptolemæus earum effectum, nec retardat, nec prolongat intra tempora ſimilium conſtitutionum ſequentium: ſed cap. 10. 11. 12. oſtendit quomodo judicandum ſit de ſingularium effectibus durante cujuſque periodo. Ergo retardationem & prolongationem ſupradictam in Eclipſibus introduxit abſque ulla ratione, cum ſint duntaxat Lunationes ſine latitudine, quæ quia cæteris efficaciores debēt è contra ſuos effectus citius producere. His adde, quod in Eclipſibus Solis, nihil à reliquis Noviluniis alienum, vel novum accidit, quam privatio lucis & caloris Solis reſpectu Terræ per aliquot horas. In Lunæ autem Eclipſibus, privamur duntaxat ejusdem Solis lumine à Luna reflexo: ſed præterquam quod lumen nihil ex ſe efficit quam illuminare; illa tam luminis quam caloris ſubſtractio nequit nobis majores ex ſe effectus producere, quam eorumdem ſubtractio, dum ipſa luminaria ſub Terram latentia nobis eclipſantur per interpoſitionem Terræ: cum tamen ipſi Eclipſi quotidianæ & longè plurium horarum, imò dierum in ſuppolaribus regionibus nulli attribuantur peculiares effectus. Atque inde patet fons erroris Veterum, quod nempe opinati ſint cum Ariſtotele, corpora cœleſtia quidquid efficiunt in his Sublunaribus, per lumen efficere. Hoc enim jacto fundamento, ſequebatur Solis & Lunæ Eclipſes multum diverſæ virtutis eſſe à reliquis Noviluniis, aut Pleniluniis, in quibus Solis & Lunæ lumen non deficit, ideoque de illis aliter eſſe judicandum. At falſum eſt diverſæ virtutis eſſe ob lucis privationem, quamvis ſint majoris ob ambo luminaria in Ecliptica, eorumque centralem unionem. Atque inde deduco, quod tota vis influentialis Eclipſis, quatenus eſt Eclipſis, hoc eſt vis Eclipſis major quam alterius Lunationis, conſiſtit duntaxat in coitu, vel oppoſitione ☉ & ☽ in Ecliptica. Ideoque quod Eclipſes ſubterraneæ vix minus ſunt efficaces noſtri reſpectu quam ſuperterraneæ, ut jam notavimus cap. 7. Non igitur ob privationem lucis in Eclipſibus harum effectus ſunt diverſi ſpecie ac duratione ab effectibus aliarum Lunationum, nec retardantur, aut in plures menſes, vel annos prolongantur: quamvis magnus aliquis effectus ab aliqua Eclipſi ſuſcitatus, vel productus, pluribus menſibus, imò annis perdurare queat, non amplius actu concurrente efficacia, ceu virtute ipſius Eclipſis præteritæ, niſi velimus confuſionem virtutis Lunationum etiam non Eclipticarum in eodem Terræ loco factarum admittere.

Atque hactenus dicta intelliguntur non ſolum de Lunationibus, ſed etiam de annuis Mundi revolutionibus, magnis conjunctionibus, &c. ſed notandum eſt quod Eclipſis Solis majoris eſt virtutis quam Eclipſis Lunæ. Non quod in hac privemur duntaxat lumine accidentali ☽, & in illa proprio lumine Solis: ſed quia duorum Planetarum ☌ eſt efficacior eorumdem ☍. Ac præterea quod efficacia Eclipſis Solis duret uno menſe, hoc eſt uſque ad proximè ſequens Novilunium. Efficacia autem Eclipſis Lunæ, durat tantum per dimidium menſem, hoc eſt etiam uſque ad proximè ſequens Novilunium: quia ſcilicet ☍ valet duntaxat ad effectus dimidiæ periodi totius revolutionis ſynodicæ cujuſcunque.

Dicimus ſecundò. Conſtitutionum univerſalium effectus incipere, quo momento ipſæ fiunt. Tunc enim earum influxus, ſive ſemen ejaculatur in Sublunarem matricem, quæ concipit effectus cauſis illis cœleſtibus congruos, eoſq; idoneis temporibus parit. Poſita enim cauſa cœleſti potentiſſimè activa, potentia paſſiva Sublunarium, & utriuſque applicatione debita, non poteſt naturaliter impediri cauſæ agentis effectus.

Dicimus Tertiò. Etiam ex mente Ptolemæi, effectus ipſos oriri ac prorumpere, cum fiunt applicationes & conjunctiones Planetarum conſtitutioni dominantium, in puncto ejus primario, vel in ☍, aut □, aut in eodem Trigono, vel in ſequente cardine & Horoſcopo: aut quando luminaria accedunt ad illa puncta, cum aſpectu dominorum conſtitutionis, aut applicant corpore, vel aſpectu ipſis dominis, aut ſimul oriuntur, vel occidunt, aut cum puncto primario conſtitutionis. Ac præſertim cum domini revolutionis annuæ Solis ejuſque quartarum, corpore, vel aſpectu congruo atque forti, occurrunt dominis lunationum ſubordinatarum. Tunc ſiquidem prodeunt, vel remittuntur, vel intenduntur effectus.

Sed inſuper erumpunt à directionibus luminarium, vel angulorū præſertim Horoſcopi ad promiſſores congruos, tum etiam dominorum conſtitutionis univerſalis. Inſtituentur autem directiones in Mundana revolutione Solis, omnino, ut in revolutionibus Solis pro nativitatibus juxta cap. 15. Lib. 23, & per eandem Tabulam. At directiones revolutionum Lunæ ſynodicarum, inſtituentur per Tabulas ſequentes, correſpondentes menſi Lunæ ſynodico medio, eodē prorſus modo, quo directiones pro revolutionibus periodicis Lunæ, per Tabulas appoſitas ſupradicto cap. 15. Lib. 23.

Tabulæ directonum pro Lunæ Revolutionibus ſynodicis.

Prima.

Grad.	Dies	Horæ	Min.
1	0	1	58
2	0	3	56
3	0	5	54
4	0	7	52
5	0	10	50
6	0	11	48
7	0	13	46
8	0	15	44
9	0	17	42
10	0	19	40
20	1	15	20
30	2	11	0
40	3	6	40
50	4	2	20
60	4	22	0
70	5	17	40
80	6	13	20
90	7	9	0
100	8	4	40
200	16	9	20
300	24	14	0
360	29	12	0

Secunda vel converſa

Dies	Grad.	Min.	Sec.
1	12	11	27
2	24	22	54
3	36	34	21
4	48	45	48
5	60	57	15
6	73	8	42
7	85	20	9
8	97	31	36
9	109	43	3
10	121	54	30
20	243	49	0

Tertia pro horis

Horæ	Grad.	Min.	Sec.
1	0	30	27
2	1	0	54
3	1	31	21
4	2	1	48
5	2	32	15
6	3	2	42
7	3	3	9
8	4	3	36
9	4	34	3
10	5	4	30
20	10	9	0

Quod ſi attendatur figura Novilunii cum locis in ea determinatis, ut cap. quinto inſinuatum eſt: fiant directiones, ut pro Lunæ revolutionibus periodicis.

Dicimus tandem cujuſvis conſtitutionis univerſalis actualem efficientiam deſinere quo momento alia ſimilis incipit, nec ultra proprios limites extendi; quamvis effectus ſub una conſtitutione inceptus, à ſimili proximè ſequente continuari, intendi & perfici queat ob conſtitutionum ipſarum convenientiam in virtute & ſignificatione. Idque frequenter patet in conſtitutionibus nativitatum particularibus, quod nempe ſi morboſa revolutio Solis, morboſæ ſuccedat: morbus in priore exortus, in poſteriore interficiet. Sed hoc eſt à poſteriore revolutione; quæ ſi ſalubris contigiſſet, morbus in priore exortus ad ſanitatem terminatus fuiſſet. Eademque eſt ratio de aliis accidentibus, ut divitiis, matrimonio, dignitatibus, &c. Quare idem quoque fit in conſtitutionibus univerſalibus. Aſtra enim tam in his quam in illis conſtitutionibus agunt uniformiter: alioquin ex particularibus effectibus, nunquam deduci, vel concludi poſſet effectus univerſalis, ſive communis pluribus particularibus; ſicque nulla eſſet Aſtrologica ſcientia. Ideoque erumpente bello, peſte, aut inſigni Aeris intemperie, inſpiciatur revolutio Mundana Solis, aut Eclipſis immediatè præcedens pro ortu ipſius accidentis; ſequentes vero pro ejus intenſione, remiſſione, vel deſitione, his cum illis comparatis.

Objici poteſt. Quod ſi ♄, aut ♂ fuerit præcipuus dominus conſtitutionis univerſalis, ut Eclipſis: tantum incipient ejus effectus, quando ipſe dominus motu proprio deveniet corpore, vel aſpectu ad Eclipticum locum, vel ſequentem cardinem. Cum autem tardiſſimus ſit motus ♄, tum ♃ & ♂, præſertim circa ſtationes: ſi corpore, vel aſpectu longè abſit à loco Ecliptico, vel cardine ſequente; ne quidem incipient effectus in ipſa Lunatione, ſed fortè poſt duas, aut tres Lunationes.

Reſpondeo:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4


Reſpondeo: Sive poſitis ſupradictis, ſive non poſitis, neceſſe non eſſe, ut effectus Eclipſis incipiant per applicationem ♄, aut ♃ ad locum Eclipticum, vel ſequentem cardinem motu proprio, cum incipiant ipſo die Eclipſis, ut dictum eſt ſupra, ac potenter valdéque manifeſtè ſi dominus Eclipſis aſpexerit locum Eclipticum partiliter, aut ſequentem cardinem, vel eorum alteri ſit conjunctus. Ipſos vero effectus è Sublunari matrice emergere, vel augeri, aut per directiones ſupradictas, aut per applicationem ſupradictam ſi fieri queat ipſamet Lunatione: ſin minus, ſufficere applicationem Solis, aut ☽ ad locum Eclipſis, ſequentem cardinem, & dominum præcipuum Eclipſis, quicunque is fuerit, quas applicationes Luna motu celerrima citiſſimè adimplet. Idemque dicendum de aliis conſtitutionibus univerſalibus.

Acrius autem urgebit qui objecerit, Cardanum Libello de Interrog. exponere Eclipſin Lunæ, factam in 11 gradu 11′. ♓ anno 1523. die 25. Auguſti, hora 15 min. 15 poſt Meridiem Mediolani: Horoſcopante 15 gradu ♌, ac Luna ♄ conjuncta in octava domo. In qua diſtabat Luna ab Horoſcopo 8 horis 48′, noxque tunc fuit 11 horarum 6′. Atque vult Cardanus inde deduci 9 menſes pro retardatione effectuum ipſius Eclipſis, qui numerati à die Eclipſis cadunt in principium Maji 1524. quo tempore ſæviſſima peſtis orta eſt Mediolani, totoque in illo Ducatu, quæ Mediolani interfecit 30000. hominum, in toto autem Ducatu 100000; duravitque $3\frac{1}{2}$ menſibus ſicut Eclipſis duraverat $3\frac{1}{2}$ horis; cum tamen nulla alia Italiæ loca tunc peſte laborarent. Ergo Ptolemæi doctrina de initio & duratione effectuum in Eclipſibus, vera eſt inſigni experientia, noſtra autem falſa.

Reſpondeo primò: Cardanum errare in calculo. Nam ſi tempus nocturnum 11 hor. 6′. valet 365 dies, ergo 8 horæ 48′. diſtantia ☽ ab Horoſcopo valebunt 289 dies, qui ſunt 9 menſes 19 dies; qui numerati à die Eclipſis, cadunt in diem 11 Junii, & non in principium Maji.

Reſpondeo ſecundò. Longè probabilius eſſe, quod cum ♃ eſſet dominus Eclipſis in mutua receptione domus cum ♄, quem Lunæ conjunctum Mars ex ♏ △ afficiebat, quo die facta eſt maxima ☌ ♄ ♃ ♂ ipſiuſque ☽ in 11 gradu ♓, ubi contigerat Eclipſis ipſius ☽, ſcilicet die 5 Februarii 1524, tunc peſtis ſemina ejaculata ſint: quæ germinare cœperint die 19 Februarii, dum facta eſt ſynodus Solis & ♄ in ipſo loco magnæ ☌: & Luna fuit in ipſo die oppoſita ☉ ♄ ♃ ♂ ♀ & ☿, qui omnes erant in ♓. Radices verò profundas egerint à revolutione Solis ipſo anno 1524, cujus ecce Planetarum loca ex Schonero, ſed tempus & figuram ex Tabulis noſtris Rudolphinis abbreviatis: quod Schoneri tempore motus Solis non rectè innoteſceret.

123. 45



In qua figura Sol inſigniter ſtipatus, eſt in 6 domo applicans ♂: Venus autem domina Horoſcopi & ſimul octavæ, reperitur etiam in ſexta, exul & conjuncta ☿ domino ☽ in octava. Hæc autem omnia annum morboſum in regione figuræ indigitabant. Ac tandem fructus nempe peſtis eruperit à directione Solis in ipſa revolutione ad 11 gradum ♊, quadratum partilem loci in quo facta eſt ipſa ☌ maxima, cui □ Luna ipſa applicabat in ipſa figura, quæque directio complectur initio Maji: finita eſt autem peſtis medio Auguſti, quo tempore Sol directione attigit 11 gradum ♍, ſcilicet partilem ☍ ipſius maximæ ☌. His ergo ſic ſe habentibus, cur alias cauſas illius peſtis quæremus, quam ſupradictam ☌ maximam ♄ ♃ & ♂ aliaſque ſequentes jam expoſitas, cum

ad talem effectum ſufficientiſſimæ fuerint, nec non evidentiſſimæ per directiones Solis pro initio & duratione peſtis? Cum igitur Cardanus hanc unicam ſuæ & Ptolemæi doctrinæ experientiam prodat, etiam pluſquam uno menſe mancam circa tempus initii peſtis, cui tamen doctrinæ fortiter contrariantur rationes à nobis ſuprapoſitæ: dicendum potius videtur caſu contigiſſe, ut Ptolemæi doctrina utcunque convenerit cum noſtra rationibus optimis fulcita, & experientiæ ad unguem uſque conſona pro initio & fine peſtis.

Cur autem ipſa peſtis graſſata ſit in ſolo Ducatu Mediolanenſi, non videtur petendum à ſigno aſcendente, vel in Eclipſi, vel in magna ☌, vel in Solis annua revolutione. Nam ſignum illud potuit eſſe commune pluribus aliis locis in Gallia & Italia; & Planetæ potuerunt eſſe in iiſdem domibus; nec etiam videtur petendum à ſigno in quo fit conſtitutio univerſalis, ſive ſit Eclipſis, ſive magna ☌, ſive annua revolutio, ut Cardanus cenſet cum Ptolemæo: ſaltem ſigna illa abſolutè ſpectando: ſed potius petendum videtur à particulari temperie & conſtitutione loci in quo producitur effectus, ratione cujus conſtitutionis, ipſe locus cum ſigno ipſo particulariter convenit, vel cum ejus domino, ut à nobis dictum eſt cap. 4. Lib. 20. ad eorumque effectus præ cæteris diſpoſitus eſt: ſiquidem corpora cœleſtia, ut & aliæ cauſæ Phyſicæ, ſemper agunt juxta ſubjectorum diſpoſitionem.

Caput XIII.

De effectuum à Conſtitutionibus univerſalibus manantium quantitate.

HÆc in Eclipſibus præcipuè determinanda eſt per Eclipſis magnitudinem, ex qua Ptolemæus malè durationem efficaciæ ipſius Eclipſis deduxit. Quo enim major fuerit Eclipſis, eò majores portendit effectus: Non propter luminis privationem, ut antea dictum eſt. Sed quod Solis & Lunæ ſynodus, vel ☍ fiant Eclipticæ viciniores, in qua major exiſtit vis Planetarum.

In genere verò, Dominus puncti primarii cujuſvis conſtitutionis, aut ſequentis cardinis, eiſdem conjunctus, vel forti radio copulatus, ſtatu cœleſti fortis, & angularis in figura, magnos pollicetur effectus citóque apparituros: contrario modo affectus, pravos; medio, medios.

Si fuerit unicus Planeta dominus conſtitutionis, aut duo ejuſdem ſignificationis & naturæ beneficæ, vel maleficæ, præſertim fortes: ſignificantur majores effectus ac evidentiores, quam ſi plures fuerint diverſæ naturæ & ſignificationis. Quolibet enim agente juxta naturam & determinationem propriam, unus impedit, vel minuit effectus alterius, & vis unita fortior eſt diſperſa.

Dominus conſtitutionis ſupra Terram, Diurnus interdiu, Nocturnus noctu, & fortis, & Soli Orientalis, aut Lunæ Occidentalis, inſignes pollicetur effectus: ſub Terra verò minores.

Saturnus ♃ & ♂ domini conſtitutionis, majores cæteris paribus edunt effectus, quam ♀, aut ☿: quia virtus illorum major eſt. Omnium vero maximi fient, ſi Sol, aut Luna fuerint domini conſtitutionis & inſigniter benè, vel malè affecti. Vires enim Solis & Lunæ ſunt Planetarum maximæ.

Stellæ fixæ magnitudinis primæ in angulis Horoſcopi, Medii Cœli & Occaſus, magnos præſagiunt effectus, ac præſertim ſi Regioni verticales fuerint, & occupent angulum proximè ſequentem punctum conſtitutionis primarium.

Conſtitutiones univerſales quæ contingunt in ſignis cardinalibus, reliquis paribus cæteras vincunt effectuum magnitudine; quod ſigna illa ſint mutationum fontes præcipui in prima cauſa Phyſica: & ſint etiam exaltationes Planetarum præcipuorum: & quæ fiunt in Horoſcopo, vel Medio Cœli, aut his in locis ſuos habent dominos. Eæ magnos edunt effectus in loco figuræ.

Caput XIV.

De effectuum à Conſtitutionibus univerſalibus productorum qualitate in genere.

HOc capite nihil aliud inquiritur, quam utrum univerſalis Conſtitutio, ſit fauſta, vel infauſta. Id autem multis ex capitibus definiri poteſt.

Primò enim malefici Planetæ dominantes puncto Conſtitutionis primario, pravéque affecti ſtatu cœleſti, mala ubique portendunt: ſed graviora iis in locis, in quibus etiam præerunt angulis figuræ præcipuis, aut in ipſis fuerint. Graviſſima verò in iis locis, in quibus inſuper ſuo ſitu ac dominio in figura, determinabuntur ad mala. Ut ſi fuerint in domo 4. 6. 7. 8. vel 12. Econtra verò benefici Planetæ dominantes puncto conſtitutionis primario benéque affecti ſtatu cœleſti, bona ubique præſagiunt: ſed majora iis in quibus etiam præerunt angulis figuræ præcipuis; maxima verò iis in locis, in quibus inſuper ſuo ſitu ac dominio in figura determinabuntur ad bona. Ut ſi fuerint in domo 1. 2. 5. 7. 9. 10. 11. At ſi conſtitutionis totale dominium ad duos Planetas pertinuerit, quorum alter ſit natura beneficus, alter verò maleficus: ex utriuſque natura, ſtatu cœleſti, determinatione ac robore, miſcenda erit qualitas eventuum.

Secundò: Conſtitutiones univerſales in quibus fixæ violentæ dominantur, ut oculus Tauri, cor Scorpii, caput Meduſæ, &c: malignæ ſunt: in quibus vero præſunt fixæ illuſtres beneficæ, ut ſpica Virginis, Arcturus, Caſtor & Pollux, &c. futura bona præſagiunt.

Tertiò: Si luminaria, vel domini conſtitutionis primò applicuerint Planetis beneficis benéque affectis, & ad bonum determinatis: Bona ſignificant: ſi maleficis, malè affectis, atque ad malum determinatis: mala portendunt, pro natura Planetæ cui ſit applicatio, & determinatione.

Quartò: Triplex eſt ☌ ſynodica Planetarum, ratione ipſorum naturæ. Nempe benefici cum benefico, malefici cum malefico, & benefici cum malefico. Prima eſt bona, ſecunda eſt mala, & tertia media. Sed habenda eſt ratio ſtatus cœleſtis & terreſtris ipſorum Planetarum.

Quintò: Triplex eſt tam bonitate, quam malitia ☌ duorum Planetarum ratione ſigni. Prima bonarum eſt, cum alter Planetarum fortunatur in ſigno ☌, alter autem infortunatur, ut ☌ ♃ & ☿ in ♓. Secunda eſt, cum alter fortunatur, alter autem eſt peregrinus. Ut ☌ ♄

&

& ♃ in ♓. Tertia eſt quando uterque in ſigno ipſo fortunatur. Ut ☌, ☉ & ♂ in ♈, aut ☽, & ♃ in ♋. Prima malorum eſt cum uterque Planeta eſt in ſigno ☌ peregrinus, ut ☌, ♃ & ☽ in ♎. Secunda cum alter infortunatur, alter verò peregrinus eſt, ut ☌, ☉ & ☽ in ♒. Tertia cum uterque in ſigno ☌ infortunatur, ut ☌, ☉ & ♂ in ♎, vel ♄ & ♂ in ♋. Eſt tamen in his etiam habenda ratio inimicitiæ, vel amicitiæ, ſive ſympathiæ, vel antipathiæ Planetarum. Nam ☌, ☉ & ♂ in ♎ peſſima eſt: quia ☉ & ♂ ſunt inimici & uterque pravè affectus in ♎: idemque dicendum de ☌, ♄ & ♀ in ♈. Eademque oppoſitionibus Planetarum applicari queunt, in quibus duo ſigna ſpectanda ſunt. Videndo nempe an uterque ſit fortunatus, vel infortunatus in ſigno quod occupat: an verò alter fortunatus, alter infortunatus, aut denique an uterque peregrinus. Poteſt autem circa oppoſitiones inſignis oriri dubitatio, verbi gratia. An deterior ſit ☍ Solis & ♂ poſito ☉ in ♈ & ♂ in ♎: quam ſi ☉ ponatur in ♎, & ♂ in ♈. Arbitror autem hanc eſſe deteriorem. Nam pravus ♂ influxus nimis roboratur in ♈, & beneficus ☉ nimis debilitatur in ♎: cujus contrarium melius eſt. Sed in ☍, ☉ & ♄ ex ♌ & ♒, melius eſt Solem eſſe in ♌ & ♄ in ♒. Nam in ♒ natura ♄ mitigatur, quæ in ♌ nimium depravaretur. Præterea cum Planeta omnis in propria domo, ſit Mundo beneficus, ergo melius eſt Planetas ſibi opponi ex propriis domibus, quam contrariis: ideoque in oppoſitionibus ♂ & ♀ ex propriis ſign s, melius eſt ♀ eſſe in ♉, vel ♎, quam in ♏, vel ♈, ubi naturam ♀ nimium depravari experientia probat. Eademque eſt ratio in cæteris Planetis & aſpectibus □ atque △, ubi duo ſigna occurrunt conſideranda.

Sextò. In ☌ Planetarum videndum quis eorum prævaleat. Prævalere verò poſſunt natura, ſtatu cœleſti, & ſtatu terreſtri. Natura Sol prævalet ſuis ſatellitibus atque Lunæ: hæc verò ſatellitibus Solis, Statu cœleſti, ſi ♄ & ♀ conjunguntur in ♉, Venus prævalebit, & qui tunc naſcentur erunt turpiter libidinoſi. At ſtatu terreſtri ſi ☉ & ♄ conjungantur in decima domo, prævalebit Sol pro Honoribus ob ſuam cum iis analogiam: ſi verò conjungantur in octava, vel duodecima, prævalebit ♄ ob ejus analogiam cum morte atque morbis: ſicque bona, vel mala qualitas effectus innoteſcet. Eademque eſt ratio in cæteris. Et quia jam poteſt ſciri hora ☌ ☽ cum Planetis omnibus: ergo ſi ad ipſius ☌ tempora figuræ exigantur, poterunt ex iis non ſpernanda deduci tam univerſalia, quam particularia cuivis loco prognoſtica: & hoc notandum pro arcano.

Septimò. Si ♄, aut ♂ fuerint domini conſtitutionum & perigæi, erunt deteriores quam apogæi. Nam quo Telluri viciniores erunt, hanc eo deterius afficient. De ♃ autem & ♀ perigæis contrarium cenſeto: nempe quod beneficentiores ſint & ad generationem efficaciores.

Octavò. Si planeta cujus eſt conſtitutio univerſalis, ut Sol in revolutione mundana, fuerit dominus Horoſcopi, vel Medii Cœli, is eo anno, vel ſaltem ea anni quarta fortiſſimè aget juxta naturam propriam, ad quam tamen Veteres non attenderunt, ſed tantum ad dominos ☉ & Cardinum præcipuorum: in quo certè non leviter peccarunt. Quoniam enim omnes Planetæ differũt inter ſe natura & agendi virtute, ac ſemper agit quilibet juxta naturam & vim agendi propriam: nunquid erroneum eſt in revolutione Solis non advertere quid Sol natura, ſeu virtute propria: & ita de cæteris?

Caput XV.

De quibuſdam particularibus notandis circa naturas & actiones Planetarum in conſtitutionibus tam univerſalibus, quam particularibus.

PLanetæ ſunt influentialiter calidi, frigidi, humidi, ſicci, à materia cœleſti quâ ſunt compoſiti; quæ cum ſit in illis unica, etiam datur in ſingulis æqualitas illarum qualitatum influentialium ex parte materiæ cœleſtis. At præterea ſunt etiam ex Elementis inæqualiter compoſiti: & in Sole prævalet Ignis, in ♄ Terra, &c. ut expoſitum eſt Lib. 9. Sect. 2. Quamobrem ſunt etiam Planetæ ſinguli alicujus Elementaris naturæ prævalentis, ut Sol calidæ ſiccæ, Luna frigidæ & humidæ, &c. & utraque materia Elementalis & cœleſtis datur Planetæ congruenter ac proportionaliter juxta formam ſuam ſubſtantialem, quæ in ipſis eſt primum agendi principium tam Elementaliter quam influentialiter quæque innoteſcit per naturam Elementalem, influentiali contrariâ evidentiorem, huicque cùm ſibi ſimili influentiali prævalentem. His autem præmiſſis ſequentia quæri poſſunt.

Primum. Cur in Planetis ſupponendo peculiarem naturam Elementalem à prædominio materiæ Elementalis, ut in ♄ frigidam, ſiccam à prædominio Terræ: ipſa natura prævalens in ♄ non impedit, vel cohibet effectum contrariæ influentialis?

Reſpondeo. Contraria propriè dicta, ſub eodem genere verſari. At calida natura Elementalis & frigida influentialis, ſeu eminentialis, non ſunt ſub eodem genere: ergo non ſibi contrariantur formaliter: proindeque ſunt compatibiles in eſſendo & agendo. Attamen quia duo uni prævalent, idcirco Planetæ vis activa, conſtans ex Elementali natura & ſimili influentiali: prævalet alteri ſimplici, vel Solitariæ influentiali. Sicque ♄ in ſe ſpectatus, ſaltem magis refrigerat & exſiccat, quam calefaciat & humectet. Ideoque in conſtitutionibus, tam univerſalibus, quam particularibus potius attenditur natura Elementalis Saturni, quam ei contraria influentialis, quæ à me dicitur ejus natura influentialis minus præcipua, altera verò influentialis, dicitur magis præcipua, ob conſimilem Elementalem annexam, à qua indicatur præcipua influentialis cujuſque Planetæ.

Secundum. Poſito ♄ in ſigno igneo, aereo, aqueo, vel terreo, quid efficiet?

Reſpondeo. In terreo ad Elementalem naturam frigidam atque ſiccam determinato, maximè refrigerabit & exſiccabit, ac præſertim in ♑ ad ♄ naturâ determinato. Tunc enim duplex fit cõcurſus naturæ frigidæ ſiccæ, præter eminentiales ♄ & ♑: nimirum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

rum Elementalis ♄, & determinatitia ſigni. In Aereo autem non prævalebit ſigni natura determinatitia, Elementali ♄; ſed hanc duntaxat plurimum temperabit. In ſigno autem igneo, ♄ intenſius exſiccabit, remiſſius verò frigefaciet. Sed in Aqueo intenſius frigefaciet, remiſſius verò exſiccabit: imò Æſtate vapores intenſiori frigore cogendo, per accidens humectabit, & interdum etiam diuturnas cauſabit pluvias. Eſt tamen notandum, quod ſi Mars, verbi gratiâ, ponatur in ♋; ex eorum combinatione plus caloris & ſiccitatis effluet, quam frigoris & humiditatis. Nam ſigna ſunt tantum calida, frigida, humida, ſicca determinatitiè: Planetæ verò tales ſunt formaliter; ideoque ♂ calidior & ſiccior eſt, quam ſit ♋ frigidus & humidus. Et inde quoque deducitur quod ♂ ſuam naturam & influentiam magis participet, quam Aries, vel Scorpius. Eademque eſt ratio de aliis.

Tertium. Quomodo ſimul agunt ambæ naturæ Elementalis & Influentialis in Planetis ſingulis?

Reſpondeo. Influentialis agit duntaxat influentialiter, hoc eſt, ratione ſitus, dominii, & aſpectus in domibus figuræ: Elementalis verò non ſolum agit Elementaliter per ſe, hoc eſt, juxta rectitudinem, vel obliquitatem radiorum cadentium ſupra horizontem; ſed etiam per accidens influentialiter; quatenus Elementalis natura in Planetis ſubordinatur propriæ ipſorum formæ ſubſtantiali, eiſque ſubſervit ad agendum tam Elementaliter, quam influentialiter. Atque ♂ ſub Terra, poteſt calefacere ſupra Terram influentialiter, ratione dominii in Horoſcopo, vel loco conſtitutionis univerſalis. Quamvis autem utraque natura agat ſeorſim quantum poteſt: tamen effectus ſolius Elementalis per ſe agentis, validam conſtantemque non efficit impreſſionem in natura Sublunari: at effectus naturæ influentialis, aut ſolitariæ, aut ſibi ſubordinantis Elementalem, diuturnus eſt atque fixus: tam in particularibus geniturarum, quam univerſalibus conſtitutionibus. Ideoque ſolus ejus effectus ab Aſtrologis futura prædicentibus ſpectari ſolet.

Quartum. Quænam ipſarum naturarum ſuos certiùs ſortitur effectus?

Reſpondeo. Quod effectus naturæ Elementalis, tam in conſtitutionibus Aereis, quam in natorum temperamentis, ferè non minus pendent à Sublunaribus cauſis particularibus, quippe ſitu loci, anni quarta, propria ſeminis craſi, &c. quam à natura Elementali Planetarum: ideoque de his effectibus minùs certa eſt prædictio. At effectus naturæ influentialis, ut quod aliquis futurus ſit fortunatus in divitiis, honoribus, conjuge, &c. aut quod ſit violenta morte periturus, & ſimiles; quia hi non pendent à cauſis Sulunaribus ſupradictis, cum accidant quovis tempore, loco & cujuſvis conditionis hominibus: idcirco multò citiùs prædici queunt atque ſolent.

Quintum. Cur Planetæ ſingulis diebus fixas in natorum geniturís, ac horum totâ vitâ diuturnas imprimunt qualitates atque temperamenta ipſis natis: Non autem in Aere, vel tota Regione?

Reſpondeo. Quia natus à ſua radicali conſtitutione cœleſti non immutatur ab una natura in alteram; ſed tantum fit qualis eſt. Ad hoc autem ſufficit quælibet Cœli inſtitutio particularis. Sed ad Aerem, vel Regionem immutandam ab uno ſtatu in alterum, major vis Cœli requiritur: proindeque hoc tantum effici poteſt ab univerſali conſtitutione, quæ talis mutationis ſemina effundit in Sublunaria.

Sextum. Cur ♄ magis refrigerat & exſiccat cum ♑, quam calefaciat & humectet cum ♒, vel in ♒: quandoquidem ♒ non minus refert naturam calidam & humidam ♄, à materia cœleſti ex qua ipſe ♄ componitur, quam ♑ frigidam atque ſiccam?

Reſpondeo. Id eſſe, quia ♄ eſt inſuper Elementaliter frigidus & ſiccus, ut ♑, non autem calidus & humidus, ut ♒: eaque natura Elementalis frigida ſicca congruit præcipuè ejus formæ ſubſtantiali; quæ eſt principalis cauſa actionum Saturni. Agit ergo in ♑ vi duplicata, non autem in ♒.

SECTIO II.

CAPUT I.

Quo nonnulla præmittuntur notanda, priuſquam de effectuum à conſtitutionibus univerſalibus manantium generibus, vel ſpeciebus prognoſis inſtituatur.

TAnta reperitur confuſio inter Aſtrologos circa illam prognoſin, tantaque farrago Aphoriſmorum & ſententiarum invicem pugnantium, ut qui ſine lumine naturali, ingenioque ad Philoſophiam nato labyrinthum adeo inextricabilem ingreſſus fuerit, nonobſtante ſtudio quovis tota vita ignorantiæ tenebris manet involutus. Nec mirum id cuiquam videatur: longè ſiquidem diverſa eſt hæc Aſtrologiæ pars ab ea quæ hominum nativitates atque fata contemplatur. In hac enim ferè tantum, vel ſaltem præcipuè ſpectantur qualitates influentiales aſtrorum, quatenus à figuræ domorum, ſive ſpatiorum eſſentialibus ſignificatis determinantur, circa hunc hominem naſcentem: juxta quam determinationem aſtra regulariter agunt, ut obſervatur in nativitatibus. At in illa ferè tantum, vel ſaltem præcipuè ſpectantur qualitates Elementales aſtrorum atque ſignorum, quatenus totam aliquam afficiunt Regionem in Aere, Aqua, Terra, Plantis, Animalibus & Hominibus. Atq; vis corporum cœleſtium ſaltem pro Elementalibus effectibus, aliter hac in parte determinatur circa Regionem, quam in altera circa natum. Nam pro nati temperamento, tantum attenditur prima domus, ſcilicet ſigna & Planetæ in ipſa, domini ejus & aſpectus ad ipſam. At pro Aeris tẽperie, vel ſtatu, attenduntur principaliter locus primarius conſtitutionis in quacunq; figuræ domo verſetur, tũ ipſius loci dominus (quæ ambo toti Terræ communia ſunt:) nec non domini angulorum antecedentis, ſed præſertim conſequentis locum ipſum primarium qui conſtitutionem ipſam circa Regionem Elementaliter determinant. Unde fit, ut ex his præcipuè dominis eorumque ſtatu, de futuris in ipſa Regione effectibus Elementalibus calore, frigore, humiditate,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

tate, ſiccitate, ventis, ſterilitate, fœcunditate, morbis, &c. Aſtrologi unanimiter pronuncient, quamvis hæc à natura Regionis ejuſque ſitu, nec non Anni quarta non parum quoque dependeant: unde fit, ut doctrina de Conſtitutionibus univerſalibus longè ſit difficilior ac incertior, quam doctrina de Nativitatibus. Adde quod hæc ab omnibus excolatur lucri, aut voluptatis gratia, ſed illa à pauciſſimis, qui cæco duntaxat aſſenſu fortuitóque judicant ex Veterum præſertim verò Arabum decretis, quæ ſinguli Aſtrologiæ Magiſtri per cabalam ad nos uſque deduxerunt, nullo hactenus invento qui Veterem illam doctrinam ad rationis & experientiæ incudem, ut par eſt revocare ac illuſtrare tentaverit. Quamobrem non exiguum munus hic à nobis ſuſceptum eſt, illam ſcilicet explanare. Et quidem quæ prima Sectione ſunt à nobis poſita, rectæ rationi videntur maximè congruere. Ad ea verò quæ hac in Sectione ſequuntur meliùs percipienda, nonnulla hoc capite ſunt nobis præmittenda.

Primum. Tres à me viſas fuiſſe methodos præſagiendi de Aeris ſtatu, ex quo multa ſequuntur in Terram, Aquam, Plantas, Bruta & Homines.

Prima eſt Joannis Franci Offuſii Germani, per altitudines Planetarum eorumq; moras ſupra horizontem, aliaſque obſervationes; de quibus egimus Lib. 13. cap. 2. & 3. tum lib. 16. cap. 2. Atque oſtendimus ipſius methodi utilitatem & imperfectionem ab ipſo etiam Offuſio notatam.

Secunda eſt Kepleri, qui arbitratus eſt Tellurem eſſe quoddam animal, non modò ſenſu præditum; ſed tali ingenio, ut quæcunque fiunt in Cœlo ſyzygiæ Planetarum, has illico in ſeipſo percipiat ab iiſdem ſtimulata. Ex eoque ſtimulo æſtuet ac ſeipſam moveat ad excretionem vaporum & exhalationum in ipſa contentarum quæ ſunt communis materia omnium meteorum in Aere apparentium. Ideoque in ſuis Ephemeridibus ab anno 1621. ad 1630. in reddendis cauſis mutationis Aeris, nullam habet rationem conſtitutionum univerſalium, nec Thematis cœleſtis ad ipſas erecti, nec diverſæ naturæ ſignorum Planetarum, vel fixarum: ſed quæcunq; prodeat Aeris mutatio, illam tribuit ſyzygiæ Planetarum, tunc inceptæ quæcunque illa ſit, & quorumcunque ſit Planetarum, aut pluribus ſimul tempore concurrentibus. Et quidem ad hoc valet ipſa methodus, quoniam diebus ſingulis nova fit aliqua ſyzygia, ſive Lunæ cum aliis Planetis, ſive horum inter ſe: ideoque nullus eſt tam ignarus, cui methodus hæc prima fronte non ſit in praxi facillima. Sed cum Aeris mutationes ſint maximè differentes ac inter ſe contrariæ: certum eſt quod ex futura ſyzygia Keplerus ſua methodo non prædixiſſet, qualis mutatio ſecuta fuiſſet. Ut ex eo patet quod anno 1623. ex ☌ ☉ & ♄ in 9 gradu ♌ vult cauſatam fuiſſe ſiccitatem & magnos Æſtus. Anno 1624. ex ☌ ☉ & ♄ in 22 gradu ♌, tonitrua, fulgura, imbres. Anno 1625. ex ☌ ☉ & ♄ in 6 gradu ♍, Æſtus, tonitrua, fulgura, imbrem largiſſimum. Anno 1626. ex ☌ ☉ & ♄ in 19 gradu ♍, ſerenitatem, &c. ubi eidem ſyzygiæ in eodem ſigno & eadem anni quarta contrarii ſtatus Aeris tribuuntur. Non igitur Kepleri methodus pro Aeris ſtatu prædicendo ſcientifica, vel utilis dici poteſt. Hoc autem confirmatur duabus rationibus. Prima eſt. Quoniam ſi ſyzygia quælibet nihil aliud efficit quam ſtimulare; & ſufficiat Terram ſtimulari à quavis ſyzygia, ut ex ſe æſtuet & excernat quod habet excernendum; patet quod futurarum mutationum diverſitas non erit petenda à ſyzygiis, ſed à variis Terræ diſpoſitionibus intrinſecis quæ ignorantur, ſicque nulla per ſyzygias prædictio fieri poterit, qualis mutatio futura ſit. Secunda. Quoniam experientia certiſſima conſtat ex nativitatibus, tum ex Lib. 19. quod naturæ Planetarum ſunt inter ſe diverſæ, ſicut & naturæ aſpectuum: ergo nec quælibet ſyzygia quorumvis Planetarum eodem modo Terram ſtimulabit, nec per conſequens quaslibet mutationes efficiet. Nec univerſa ſingulæ ſyzygiæ quorumvis Planetarum eandem cauſabunt mutationem: ſed quælibet aget circa idem ſubjectum, quippe Tellurem, juxta naturam & virtutem propriam Planetarum & aſpectuum, ſicque ſingulæ diverſos producent effectus, ex eadem etiam Telluris diſpoſitione: quod qui negaverit, ſuam in Phyſicis inſcientiam propalabit. Adde quod ſi exorta quælibet Aeris conſtitutio, tantum pendet objectivè à quavis ſyzygia, cur accidit illa in uno Terræ loco potius quam altero ſupra, vel infra horizontem, cum ſyzygia ipſa ſit toti Terræ communis? Si quis dixerit futurum effectum in Terræ loco diſpoſito, & ubi eſt aliquid excernendum: quandoquidem ille locus eſt ignotus, ergo nulla pro loco particulari prædictio poſſibilis erit. Præterea quænam ſyzygia efficiet ſerenitatem & tranquillitatem Aeris; cum tunc dici nequeat Terram aliquid excernere, quod ſerenitatem efficiat? Videantur quæ contra hanc Kepleri opinionem diximus Lib. 21. Sect. 1. cap. 4. 7. tum Lib. 22. Sect. 3. cap. 2.

Tertia denique methodus eſt Ptolemæi aliorumq; Veterum Aſtrologorum, per Conſtitutiones univerſales eorumque, dominos, cui ideo adhæremus, quod primis hominibus Aſtrologia vera innotuerit, & poſteris per Cabalem relicta ſit, utcunque artibus Diaboli & hominum figmentis ridiculis paſſim depravata, ut notum fecimus in doctrina nativitatum. Proindeq; corrigenda corrigendo, præferenda ſit opinionibus Offuſii & Kepleri, virorum Aſtrologiæ veræ (ut alibi diximus) ignarorum & etiam inter ſe diſcordantium.

Secundum. Confuſionem & contrarietatem in Veterum decretis ex eo introductam fuiſſe, quod Dodecatemoria primi Mobilis non illis innotuerint ante Ptolemæi tempora: ſed opinati ſint conſtellationes Zodiaci eſſe vera ſigna quæ dicuntur eſſe domus Planetarum, horumque dominio ſubjici. Unde factum eſt, ut conſtellationibus ſub Dodecatemoria reptantibus, & horum illarumq; viribus inter ſe pugnantibus, decreta contraria inde prodierint, dum unus Aſtrologus Dodecatemorio tribuit, quod erat à Conſtellatione, vel ſigno Stellato; & viceverſa: ſicq; de eodem Planeta in eodem ſigno contrariæ ſententiæ reperiantur.

Tertium. Veteres Aſtrologos de Aereis conſtitutionibus confusè admodum judicaſſe. Siquidem pro Aeris caliditate, frigiditate, gelu, pluviis, ſiccitate: indeque in Terra ſequentibus ſterilitate, peſte, bellis, &c. judicant de horum ſingulis, ex magnis conjunctionibus, annuis revolutionibus, Eclipſibus, Lunationibus & eorum

quartis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

quartis ſeorſim ac diverſimodè, quaſi aliter judicandum foret de una conſtitutione, & aliter de altera, ut paſſim videre eſt in ſumma anglicana. Cum autem de ſingulis conſtitutiouibus univerſalibus eodem modo ſit prædicendum (ſalva ipſarum ſubordinatione) quod ſcilicet aſtra in omnibus conſtitutionibus univerſalibus uniformiter agant, nimirum per conſtitutionis dominos juxta eorum naturam atque ſtatum. Idcirco ad prædicendum an futura ſit pluvia, vel ſerenitas, non eſt opus id definire per ſingulas conſtitutiones; ſed tantum ſcire oportet quales effectus præſagiat omnium prima conſtitutio univerſalis, quippe Mundana Solis revolutio; & an poſteriores ei congruant, vel contrarientur, & quæ prævaleat; indeque judicandum. Notando quod annus habet 3 quartas ſubordinatas primæ, vel ingreſſui Solis in o. o. ♈; & quælibet quarta plures Lunationes ſubordinatas quartis, ſed præſertim primæ, & quælibet Lunatio 4 quartas, quarum 3 ultimæ ſubordinantur ſynodo Solis & Lunæ.

Quartum. In confeſſo eſſe apud omnes Veteres, quod Planetæ in ſignis, hoc eſt Dodecatemoriis agunt univerſaliter, hoc eſt per totum Telluris ambitum juxta ſuam & ſigni in quo verſantur naturam, tam elementalem, quam influentialem. Ideoque in ſigno igneo calorem & ſiccitatem formalem ♂ valde intendi, in aqueo valde remitti: in aereo temperari ejus ſiccitatem, & in terreo temperari calorem, ſed augeri ſiccitatem. Similiterque ♄ in ſigno aereo maximè temperari: in terreo augeri frigus ejus atque ſiccitatem; in igneo augeri ſiccitatem, remitti frigus, & in aqueo augeri frigus, remitti ſiccitatem, atque ſic de cæteris. Quod tamen non ſic eſt intelligendum, ut Planeta à ſigno, vel hoc ab illo quidquam recipiat: ſed quod à concurſu Planetæ calidi cum ſigno igneo, major calor effluat in hæc inferiora, à concurſu Planetæ calidi cum ſigno frigido, temperies in calore, atque ſic de reliquis: ut diximus Lib. 20. Sect. 3. cap. 5. Idemque fit in natorum temperamentis. Itaque in omni conſtitutione univerſali videndum quomodo naturæ Planetarum & ſignorum ac dominorum concordent, vel diſcordent. Nam qualis erit concurſus, ſive cauſa cœleſtis, talis erit ejus iufluxus univerſalis in omnia hæc Sublunaria, cujus tamen varii ſunt effectus pro diverſo ſitu & natura locorum, diverſaque anni parte. Idem enim calor ceram liquefacit & lutum indurat: & Sol magnos imbres alicubi cauſat plus vaporum elevando calore ſuo, quam poſſit ſua ſemper horizontem mora reſolvere: dum alibi ſerenitatem cauſat, reſolvendo id totum quod ſuo calore elevat. Terra enim eſt naturæ vas, in quod ſeu matricem elementa ſingula, ſemen proprium ejaculantur à corporibus cœleſtibus alterata atque mota, Sol autem eſt naturæ ignis vivificus, qui uterum Terræ calefaciens atque fovens, primas generationes in Terra, ſcilicet vaporem & exhalationem efficit, ac pro caloris vigore & Terræ natura copioſas. Ex vapore autem & exhalatione, vel ut Chymicis placet Mercurio & ſulphure reliqua gignuntur. Ac proinde falſum eſt quod à pleriſque aſſeritur: Conjunctionês quorumcunque Planetarum factas in ſignis igneis calefacere & exſiccare; in aqueis refrigerare & humectare. Sic enim Planetæ non agerent juxta naturam propriam: ſed tantum juxta naturam ſigni in quo ſunt, quod eſt à natura, ratione & experientia prorſus alienum. Verumtamen accidit interdum quod calida cauſa cœleſtis refrigeret, ut dum Sol Æſtatem efficit in Zona torrida: quia enim copioſiſſimos ibi vapores elevat ſuo ardenti calore. quos ſua ſuper horizontem breviore mora reſolvere nequit: idcirco per Æſtatem imbres ſunt ferè continui in illa Zona, & Æſtas cæteris anni partibus frigidior: ſed hoc frigus eſt à Sole duntaxat per accidens & non per ſe. Similiterque Saturni, aut Lunæ frigus intenſum, Hyeme conſtringendo poros ſuperficiei terreſtris, cauſa eſt per accidens, quod Terræ prima regio calidior & humidior fiat. Eademque eſt ratio in cæteris, quæ ad prognoſin ſpectanda eſt: habita ſcilicet ratione loci & quartæ anni pro effectibus ſaltem Elementalibus. Nam pro influentialibus quatenus determinatis ad ſignificata domorum, nulla eſt habenda ratio loci, vel anni quartæ, nec per accidens prodeunt effectus contrarii viribus corporum cœleſtium eo pacto determinatis, nam ♄ in duodecima ſemper & ubique morbos minatur.

Quintum. Non ſufficit advertere quod punctum conſtitutionis primarium, aut Planeta quilibet ſit in ſigno igneo, vel aqueo: ſed inſuper advertendum in cujus Planetæ domo verſetur. Tum quia Planeta aliud efficit in ♋, aliud in ♏, & aliud in ♓, ſcilicet ſemper agens penes naturam ſui domini: tum quia effectus conſtitutionis univerſalis præcipuè ſequuntur naturam domini puncti primarii, de communi conſenſu Aſtrologorum.

Sextum. Proprias Planetarum naturas juvari, aut impediri ab aliis cauſis extrinſecis præter ſigna & ſyzygias, ſcilicet à ſuo poſitu ad ☉, vel ☽, à conditione congrua, vel incongrua, à ſitu ſupra, vel infra horizontem, mora ſuper eundem, nec non à Tellure diſtantia. De quibus fuſè actum eſt Lib. 13.

Septimum. Ab eadem conſtitutione univiverſali, ut ingreſſu Solis in ♈, aut novilunio, aut ☌ ♄ & ♃ in hoc, vel illo ſigno, & ſub hujus, vel illius Planetæ hoc, vel illo modo affecti dominio: hoc eſt ab eadem conſtitutione univerſali cœlitus tantum ſpectata, prodit equidem cœleſtis influxus idem per totum Terræ ambitum: ſed qui diverſos parit effectus, tam pro diverſo ſitu atque natura partium Globi terreſtris, quam pro diverſa poſitione puncti primarii conſtitutionis in figura cœleſti: quippe ſupra, vel infra horizontem, in angulis, vel extra angulos, & diverſis dominis tam angulorum, quam puncti primarii. Per hæc enim ipſa conſtitutio univerſalis determinatur circa ſingulos horizontes, ut pariat ſpeciales effectus congruentes naturis ac ſtatui dominorum, poſitioni puncti primarii reſpectu horizontis, naturæ loci & quartæ anni, quæ ſingula ſunt ad prognoſin advertenda. Unde patet quam fallax ſit judicium ex univerſali conſtitutione cœlitus tantum ſpectata, vel ex ſolo ſtatu cœleſti Planetarum non habita ratione horizontis, ut paſſim habetur in Aphoriſmis Veterum Aſtrologorum.

Octa-

Octavum. Conſtitutio univerſalis humiditatem vel pluvias ſignificans, bona eſt in uno Terræ loco, ſcilicet arenoſo, mala in altero, ſcilicet paludoſo: item bona eſt in una anni quarta; ſcilicet æſtate niſi ſuperfluat, mala hyeme: item bona frugibus Terræ quibus convenit, mala quibus non convenit. Hæc autem omnia inſigni ſagacitate, & agriculturæ notitiâ ſunt diſcernenda.

Nonum. In quavis conſtitutione univerſali, multi Planetę in ſignis igneis ſiccitates; in aqueis aquas; in aereis ventos; & in terreis gelu, aut nives grandineſque præſagiunt. Eſt tamen habenda ratio Planetarum ſignis ipſis dominantium; an ſcilicet elementali natura concordent cum ſignis aut diſcordent: concordantibus enim intenditur ſignificatum, & diſcordantibus remittitur: tum ſimiliter habenda eſt ratio naturæ loci & quartæ anni, ut ſæpius dictum eſt.

Decimum. Ad prædicendum ex conſtitutionibus univerſalibus, ſciendum quis Planeta ſit dominus anni præcipuus, quis dominus quartæ anni, quis dominus menſis ſive Lunationis: tum quæ ſit ſingulorum natura tam elementalis quàm influentialis; nec non quæ ſit natura ſignorum in quibus verſantur, & fixarum dominantium, & quomodo ſingula determinentur in figuris. Et facta omnium miſcella, ſecundum prævalentem virtutem judicandum erit de futuris effectibus elementalibus & influentialibus, habita ratione loci & quartæ anni ſaltem pro elementalibus, ut dictum eſt ſuperiùs. Atque in hoc tota conſiſtit ſcientia.

Undecimum. Cæteris paribus eligendus eſt pro primario conſtitutionis univerſalis domino ille Planeta, qui magis concordat cum anni quarta: ut ♂ aut ☉ pro æſtate, ♄ pro hyeme. Et ♄ dominus quartæ hyemalis frigus portendens illud aere efficiet, præſertim in Terræ locis borealioribus. Eademque eſt ratio de cæteris.

Duodecimum. In conſtitutionibus univerſalibus non modò prævidendum, an aer futurus ſit ſerenus, turbidus, medius, an calidus, frigidus, humidus, ſiccus, an ſalubris vel inſalubris, & quibus viventibus; ſed præſertim quales flaturi ſint venti; nam ex ventis præcipuè pendet Aeris temperatura. Qui enim flant à partibus Terræ frigidioribus ut ſuppolaribus, refrigerant, qui à calidioribus, ut ab Æquatore calefaciunt: qui à Mari, nubes & aquas vehunt: qui à longo Terræ tractu, ut nobis à Tartaria, exſiccant atque ſerenant. Ventum autem diebus aliquot perſeverantem, eſſe Aeris motum conſequens ipſius Aeris rarefactionem in locis calidioribus, quique motus interdum augetur rarefactione & reſolutione nubium, aut vaporum & exhalationum, quas ipſe Aer concitatus vehit; patet ex vento in Zona torrida perpetuo, ab Ortu in Occaſum; qui nihil aliud eſt, quàm motus Aeris cauſatus à motu diurno primi Cœli, ut alibi diximus. Ventus autem horarius, aut momentaneus qualis eſt qui nymbum præcedit, eſt tantùm à diſſolutione nubium & pluvia confertim cadente, quaſi à flabello. Porro difficillimum eſt prædicere, quis ventus perflare debeat: quippe quòd dum Aer rareſit, vel vapore elevantur in Aerem (unde hunc cedere ac moveri neceſſe eſt ad partes raritate debiliores) ejus motus in hanc potiùs quàm aliam partem, plurimùm dependeat à cauſis ſublunaribus vigentibus in loco, unde eſt principium motus; unde nil mirum ſi prædictiones meteorologicæ ſæpè fallant.

Decimum tertium. Planetas conſtitutionis univerſalis dominos, ejuſque primarium punctum, tum cæteros in ipſa conſtitutione Planetas, agere in hæc ſublunaria influentialiter juxta rationes domuales penes ſuam determinationem in figura: cum hac tamen differentia à figuris nativitatum: quod ſcilicet domus prima in figura Nati, ſignificet duntaxat particulari vitæ & ſanitati Nati: at in figura conſtitutionis univerſalis, ſignificet generali vitæ & ſanitati omnium in Regione figuræ viventium. Domus ſeptima in figura Nati, ſit conjugiorum & contentionum particularium Nati: at in figura conſtitutionis univerſalis, ſit de conjugiis ipſius regionis in genere, tum contentionibus & bellis toti Regioni communibus. Atque ſic de aliis; ſumendo ſcilicet in conſtitutionibus univerſalibus generaliter, quod in nativitatibus ſumitur tantùm particulariter, vel ſolius Nati reſpectu. Nam eadem ſunt rationes domuales, vel eadem domorum ſignificata eſſentialia in figuris generalibus & particularibus; ſed in his conſtitutio eſt tantùm particularis, ideoque particulariter ſignificans; in illis verò conſtitutio generalis eſt, ideoque generaliter ſignificans. Similiterque videndum erit quibus figuræ domibus, Planeta dominus ſigni pręſit, & quas fortiori radio aſpiciet, indeque univerſali ratione judicandum. Vide quid circa hæc dixerimus, in fine Cap. 5. Sect. 2. Lib. 21.

Decimum quartum. Hinc deduci quod Natorum ii faciliùs magiſque afficiuntur à conſtitutionibus univerſalibus, quorum genethliacæ figuræ magis concordant in domorum ſignificatis, cum figuris conſtitutionum univerſalium: & afficiuntur penes ſignificata domorum concordantium. Ut ſi domus decima conſtitutionis univerſalis concordet, cum domo decima figuræ natalitiæ aut Revolutivæ Nati; hic eo anno vel menſe afficietur, in ſignificatis decimæ juxta naturam & qualitatem influxus figuris ipſis communis.

Decimum quintum. Quoniam nobis venti Meridionales ſunt calidi, Boreales frigidi, Orientales ſicci, & Occidentales humidi: ex eorumque exortu ſequuntur ut plurimùm in Aere calor, frigus, ſiccitas, & pluvia: idcirco ſi præſciri poſſit quis ventus ſit flaturus, ſcietur etiam futura conſtitutio Aeris ſaltem ut plurimùm: quamvis autem articulo 12 dixerimus, id difficillimum fore ob ſublunares cauſas à quibus id ſæpe dependet: tamen certum eſt, quod ſi univerſalis conſtitutio nobis borealibus ſignificaverit frigus & ſiccitatem, non flabunt meridionales venti ab illa conſtitutione: ſi ſignificaverit calorem & humiditatem, non flabunt boreales, &c: ideoque ex conſtitutionibus univerſalibus, venti flaturi ſic præſciri queunt: ſed ex ipſa conſtitutione univerſali etiam præſciri poteſt an futura ſit ventoſa necne; & qualem ventum præſagit: igitur conferendo inter ſe qualitates elementales & ventum, quæ pręſagit ipſa conſtitutio univerſalis; futura

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Aeris conſtitutio in calore, frigore, pluvia, ſerenitate & vento, inde præciſiùs determinabuntur.

Decimum ſextum. Futurorum à cauſis univerſalibus effectuum, alios certè prædici poſſe; qui ſcilicet nullâ vi naturali, vel artificiali impediri queunt: ut Eclipſes. Alios tantùm conjecturaliter, ut ventos, pluvias, &c: Quia licet hi neceſſariò à ſuis cauſis producantur; neſcimus tamen combinationes illarum cauſarum, tam activarum quàm paſſivarum; & an futura ſint, & quomodo: nec ſcimus an aliæ cauſæ ſint impeditura ſuo concurſu & combinatione cum prioribus. Ideoque de his conjecturales tantùm prædictiones fieri queunt; etiam incertiores prædictionibus de figuris Natvitatum. Unde nil mirum eſt quod Tycho Brahæus Genethliacam Aſtrologiam potius excoluerit, non autem ejus vanitatem deriſerit, ut falſo illi imponit Gaſſendus in ejus vita: tantúmque conqueritur Tycho, quod Ars ipſa nondum eſſet ſuo tempore rectè conſtituta.

CAPUT II.

De differentia inter revolutiones periodicas & ſynodicas Planetarum, quoad earum efficientiam:

INitio Mundi Sol totiuſque Cœli ſtatus, totam Tellurem tota virtute ipſius ſtatus affecit; ſed diverſimode, pro diverſo reſpectu ipſius Cœli ſtatus, ad ſingula Terræ loca; vel pro diverſa determinatione Cœli, à ſingulis Terræ locis per Thema Cœli erectum. Et in quolibet Terræ loco Thema Cœli ſignificavit univerſaliter, quidquid ipſi loco, durantibus Cœli motu atque Terrâ accidere poteſt; tam elementaliter, quàm influentialiter. Ideoque in annua Mundi revolutione pro quolibet Terræ loco, Sol ex ſe ſuaque revolutionis figurâ, renovat ſignificationem illam univerſalem; agendo tam elementaliter in Aerem, Aquam, Terram & mixta ſublunaria, quàm influentialiter in omnia ſignificata domorum figuræ; habito reſpectu radicalis figuræ dicti loci, ac præcipuè domus quàm Sol in ipſa figura tenuit: & hoc intelligitur durante anno ipſius revolutionis. Similiterque cenſendum de Lunæ revolutione periodica ad ſuum locum radicalem initio Mundi; durante menſe ipſius revolutionis, attamen etiam cum reſpectu ad currentem Solis revolutionem. Hæc autem omnia oſtenſa ſunt à nobis eſſe vera in periodicis revolutionibus Solis & Lunæ pro Nativitate hominis, qui eſt Microcoſmus, in quo & in magno Mundo Planetæ agunt uniformiter. Nec aliter videtur opinandum de revolutionibus periodicis aliorum Planetarum ad ſua loca radicalia initio Mundi. Sed quia loca radicalia Planetarum ignorantur Sole excepto; idcirco nobis tantùm ſuperſunt eorum revolutiones ſynodicę attendendæ.

Itaque quod attinet ad revolutiones ſynodicas Solis & Lunæ, Planetarum in Mundo primariorum; hæ quoque & totius Cœli ſtatus momento ipſius revolutionis, totam Tellurem afficiunt univerſaliter pro ratione ipſorum Planetarum coeuntium & ſigni in quo fit ſynodus, & reliqui ſtatus Cœleſtis: ſed diverſimode pro diverſa determinatione Cœli à ſingulis Terræ locis; habita ratione radicalis determinationis, præſertim Solis & Lunæ, tum aliorum Planetarum initio Mundi, vel momento quo Planetæ omnes conditi fuere, Terraque viribus eorum expoſita; quæ determinatio ignoratur, ob ignotum Cœli Thema tunc temporis pro ſingulis Terræ locis: tum etiam habita ratione figuræ Cœleſtis, initio annuæ revolutionis currentis, qua ſcitur; idque durante ſynodico menſe. Quod autem jam dixi de revolutionibus ſynodicis Solis & Lunæ inter ſe, etiam intelligendum eſt de eorum revolutionibus ſynodicis, cum cæteris Planetis, & horum inter ſe; ſemper obſervata ſubordinatione conſtitutionum univerſalium, de qua dictum eſt, Cap. 3. Sect. 1.

Jam verò nativitates hominum, ſubjiciuntur efficientiæ vel influxui conſtitutionum univerſalium; hoc eſt revolutionum periodicarum & ſynodicarum, ut alibi diximus. in quibus præcipuè ſpectandum eſt, quomodo primarium conſtitutionis punctum afficiat figuram nativitatis, ejuſque revolutionum currentium, ipſa durante conſtitutione. His verò præmiſſis jam ad ſpeciales effectus conſtitutionum univerſalium deveniamus.

CAPUT III.

De effectuum à conſtitutionibus univerſalibus manantium generibus vel ſpeciebus. Ac primò, de effectibus mundanæ revolutionis Solis.

QUi veriùs de hiſce rebus philoſophati ſunt, 4 tantùm cauſas ſive conſtitutiones univerſales propoſuerunt advertendas: nempe magnas conjunctiones, luminarium Eclipſes, mundanam revolutionem Solis, & ſynodos Solis & Lunæ: volentes hîc ſervari magnitudinem cauſarum, penes ordinem raritatis ipſarum; cùm tamen Solis revolutio Mundana rarior ſit Eclipſibus, quæ pluries accidunt ſingulis annis, ſive ſupra, ſive infra Horiſontem; & ratione virtutis ac dignitatis præferenda ſit conjunctionibus magnis, etſi non ratione durationis propriæ, ut dictum eſt, Cap. 3. Sect. 1. Proindeque duas tantùm agnoſcimus primarias conſtitutiones univerſales; ſcilicet mundanam revolutionem Solis, & ſynodicas Solis & Lunę revolutiones, quarum efficaciores ſunt Eclipticæ. Quod enim attinet ad ☌ magnas ♄ & ♃, cæteraſque revolutiones ſynodicas aliorum Planetarum, tam inter ſé quàm cum luminaribus; hæ tantùm ſpectari debent, ut partes mundanæ vel annuæ revolutionis Solis, tum revolutionis menſtruæ ☉ & ☽ ob cauſas expoſitas, in fine Cap. 3. Sect. 1. De quibus tamen ſeorſim agemus ſuo loco; ſed à mundana Solis revolutione, videtur nobis incipiendum.

Itaque primò erigatur figura annuæ Mundi revolutionis ad propoſitum locum, ex Cap. 4. Sect. 1.

Secundò. Eligantur domini anni ex cap. 9 & 10. Sect. 1. Et quidem ſi ♂ fuerit in ♈ cum ☉, vel in ♏, præſertim in angulo, ipſe erit dominus anni po-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

potentiſſimus; & effectus anni erunt ſolares in genere, ob ☉ ipſum qui revolvitur, ſed ad naturam ♂ fortiter determinati; proindeque maxima ex parte martiales ſpecie. Si autem ♂ non fuerit in his ſignis, ſed verbi gratiâ in ♐; quoniam ☉ in ♈ agit cum ♂, & Mars in ♐ cum ♃ ſuo domino; ergo ♃ erit in revolutione ☉ dominus anni præcipuè ſpectandus cum ♂, ad detegendam ſpeciem præcipuam effectuum ☉ in anno. Sique ♃ fuerit in ♈ vel ♏, Mars inde fiet dominus potentior, Jovique prævalebit ad effectus annuæ Revolutionis, vel ipſius ☉ determinandos: quia ut ♂ agit penes naturam ſtatumque ♃, vel cum ♃ in tali ſtatu; ita viciſſim ♃ agit penes naturam ſtatumque ♂; qui inſuper dominatur ☉ non autem ♃. Erunt tamen ambo valde fortes ob dominium utriuſque reciprocè unitum, nec ulteriùs diſtractum. At ſi alius Planeta ♂ non dominans fuerit in ♈ Soli conjunctus; ille ♂ cedet quoad dominium: quia ipſemet agit penes naturam ♂ vel dependenter à ♂. Attamen ſuis qualitatibus afficiet futuros effectus ipſius anni; ut jam à ſimili inſinuatum eſt Cap. 9. Sect. 1. Atque hæc de dominio puncti primarii Revolutionis Solis.

Quod verò attinet ad angulorum dominium, fiat electio domini, ut de puncto primario factum eſt, atque oſtenſum ſupradicto Cap. 9. Et ſimiliter pro fixis ſtellis conſtitutioni dominantibus obſervetur doctrina eodem Cap. tradita; in quo ſcilicet omnia quæ ad conſtitutionis dominos eligendos requiruntur ſufficienter exponuntur. Atque notandum eſt, quod in Solis mundana revolutione (exempli gratiâ) haud parum proderit non ſolùm noſſe quis Planeta cujuſque anni quartæ ſit dominus præcipuus; ſed etiam quis omnibus quartis ſimul præcipuè dominetur: hujus enim effectus toto anno apparebunt; ac in ea præſertim anni quarta in qua ipſe prævalebit: aliorum verò effectus, in quadris quibus præcipuè præſunt conſpicientur.

His expoſitis, jam de effectibus revolutionis mundanæ Solis (quam pro exemplo omnium conſtitutionum univerſalium aſſumimus) judicium ferre doceamus. Ac primò dicamus & illa judicandum eſſe elementaliter & influentialiter: hoc eſt qualem in Aere producat temperaturam, Aquæ & Terræ non mixtis corporibus univerſim communicabilem; tum quales in hominibus producat effectus influentiales juxta domorum ſignificata.

Temperatura Aeris quæritur aut præſentanea, initio revolutionis ipſius, aut futura durante ipſa revolutione.

Præſentanea ſciri ac determinari poteſt viâ Offuſii, de qua Lib. 13. Sect. 1. actum eſt: Aſtra enim virtute ſua elementali extrinſeca agunt juxta illum modum, ſaltem ratione altitudinis atque moræ ſupra Horiſontem: ideoque ſingulorum Planetarum etſi non dominorum anni, colligenda erit virtus elementalis propria, ut oſtenſum eſt in illo Offuſii modo à nobis correcto: ſed præcipuè eorum qui fuerint angulares in figura & ſupra Terram: Non etiam omiſſis illuſtrioribus fixis ſtellis angularibus; ac præſertim cum ☉ ☽, aut dominis conſtitutionis orientibus vel occidentibus; ab his enim præſentanea conſtitutio Aeris cauſari poteſt, non autem plurium dierum.

At futura Aeris temperatura, durante ipſa revolutione vel ejus quarta, pendet ab Aſtrorum influxu. Corpora enim Cœleſtia non modò producunt elementales qualitates juxta ſua radii inclinationem & perpendicularitatem ad Horiſontem, ut ſuperiùs in Offuſii Modo; ſed etiam virtute influentiali ut alibi diximus, dum ſcilicet in figura conſtitutionis univerſalis dominium aut vim aliquam ſortiuntur. Non enim inſignes ac diuturnæ mutationes in Aere & ſublunaribus, fiunt à Planetis diebus ſingulis; ſed duntaxat à conſtitutionibus univerſalibus, quæ potentiores ſunt & rariùs accidunt. Igitur ſive pro ſtatu Aeris durante revolutione Solis, ſive pro hominium generalibus fatis juxta domorum ſignificata, ferendum erit judicium ex dominis ipſius mundanæ revolutionis Solis. In quibus tria ſemper concurrunt attendenda, ſcilicet natura propria, ſtatus Cœleſtis, & ſtatus Terreſtris, de quibus ſigillatim agendum ſequitur.

Caput IV.

De Planetarum Anni dominorum ſpecialibus effectibus à natura propria.

QUod ad naturam Planetæ ſpectat, à qua manant proprii ejus effectus, conſulenda eſt Tabula de dominio univerſali Planetarum, appoſita Libro 13. Sect. 2. Cap. 3. Ex qua patebit quid Planeta quilibet in ſingulis rerum generibus ex propria natura, vel cum ipſis analogia præſtet. Aut ſequendus erit Ptolemæus, Lib. 2. Quatripart. Cap. 7; qui ſingulorum Planetarum effectus, dum ſolitarii nec aliis permixti, dominantur univerſali conſtitutioni, præ cæteris Aſtrologis doctè & congruenter exponit, & cujus potiſſimùm doctrinæ Tabula ſuperior correſpondet. Ideoque ipſa Ptolemæi verba hîc apponenda videntur, quibus etiam ex Haly, Cardano & aliis Aſtrologis addentur à nobis nonnulla veriora.

Saturnus ergo (inquit Ptolemæus) cùm ſolus dominatur, generaliter cauſa eſt corruptionum ex frigore, & propriè in hominum corporibus morbos diuturnos, tabem, conſumptionem quæ oritur ex catharris, humorum perturbationem, fluxus, quartanas febres, exilia, inopias anguſtias, luctus, pavores; interitus maxime ſenum efficit; & eas quæ reliquæ ſunt morbis affligit, adeo ut contagium ad homines perveniat qui iis utuntur. In aere frigus horrendum excitat, glacioſum, nebuloſum & peſtilens: Aeris turbationes, denſas nubes, caligines, copioſas nives non utiles, ſed damnoſas, & unde ſerpentes hominibus nocituri naſcuntur. In fluviis & mari communiter ſævas tempeſtates & naufragia, difficiles curſus, penuriam & interitum piſcium. Ac in Mari peculiariter receſſus Aquę deſtituentis alveum & refluxus: in fluviis verò exundationes & aquarum corruptionem. In Terra fructuum caritatem, penuriam

& vaſtitatem, maximè neceſſariorum ad victum, ſeu per erucas & locuſtas, ſeu per diluvia & imbres, ſeu per grandines; eò uſque ut homines fame & ſimilibus malis pereant.

Eſt tamen habenda ratio ſigni in quo verſatur, anni quartæ, climatis, & temperamenti hominum. Nam in ſignis frigidis, anni quarta frigidiore & Climate frigido, frigus immane concitabit; & frigidis temperamentis plurimùm nocebit: at in ſignis igneis vel aereis, anni quarta calida, & climate calidiore, Aerem temperabit, & naturis calidioribus utilis erit.

Jupiter cùm ſolus dominatur, generaliter incrementa efficit. Cúmque eventus ad homines pertinent, gloriam, fertilitatem, tranquillitatem & pacem ſignificat: Auget rem familiarem, corporis & animi bona fovet, beneficia & dona Regum promittit, & gubernatores ipſos gloriâ ornat, ac in genere bonorum cauſa eſt. Animantium verò quæ uſibus humanis ſerviunt multitudinem ſignificat; & exitium contrà iis quæ nocent hominibus. In Aere autem bonum temperamentum, ſalubre, ventoſum, humidum, alens res Terrâ naſcentes; navium curſus juvat, fluminum mediocria incrementa & frugum copiam & his ſimilia efficit.

His adde quod cùm ſit moderatè calidus & ſiccus, ſerenitatis eſt author, & ventos ſerenantes ac ſalubres præſertim ſeptentrionales excitat, nec non caloris & frigoris exceſſus temperat.

Mars verò ſolus dominium nactus, generaliter corruptionis cauſa eſt, propter ſiccitatem. Et cùm eventus ad homines pertinent, ciet bella, ſeditiones inteſtinas, captivitates, excidia urbium, populi tumultus, Principum iras, & propter eam cauſam ſubitas neces. Præterea & febres tertianas, ſanguinis eruptiones, morbos acutos, violentos, interitus juvenum, violentiam, injurias, incendia, homicidia, rapinas, lattocinia. In Aere verò æſtus, ventos calidos, peſtiferos & tabificos; fulminum jaculationes, turbines, ſiccitates. In Mari verò ſubita naufragia propter ſtatus turbulentos, & fulmina & ſimiles cauſas. In fluminibus verò aquas abſorbet, fontes deſiccat, & lymphas corrumpit. Frumenta & res Terrâ naſcentes diminuit, & vel propter æſtus antequam invehantur, vel invectas incendiis perdit.

His adde quod cùm ſit ♂ intensè calidus & ſiccus, ſi fuerit in ſigno igneo, æſtate, & clima calidius extiterit, graviùs nocebit, ac præſertim naturis calidioribus, & faciet æſtus, coruſcationes, tonitrua, fulgura, grandines: & in ſignis pluvioſis ac cum ſtellis pluvioſis vel tempeſtuoſis præſertim cum pleiadibus, pluvias ac tempeſtates validas concitabit.

Venus cùm ſola dominatur, generaliter ſimilia ♃ efficit, cum venuſtate quadam. Peculiariter verò hominibus gloriam, honores, lætitiam, ubertatem annorum, placida conjugia & numeroſam ſobolem, gratiam in amicitiis & congreſſibus, incrementa facultatum, mundiciem in victu, comitatem & reverentiam Religionum tribuit: præterea & bonum habitum corporis, & familiaritatem cum Principibus. In Aere verò temperatos ventos, humidas & fœcundas conſtitutiones, bonam tempeſtatem & ſerenitatem; fœcundos imbres, navigationes fœlices & lucroſas, fluminum exundationes, copiam jumentorum, & fructuum Terrę abundantiam.

His adde quod cùm ſit moderatè calida valdeque humida, non abs re pluviarum mater dicitur, præſertim ex ſignis aqueis, tum ex ♒, dum nullus Planeta ſiccus ipſa aſpicit.

Mercurius cùm ſolus dominatur, generaliter illius ſtellæ naturæ ſe accommodat cui jungitur: ſed celeres motus ſignificat. In humanis negotiis celeritatem, induſtriam & calliditatem ad ea quæ agenda ſunt. Inſidiator in latrociniis, furtis, & in piratica. Facit difficiles anhelitus, junctus maleficis, & morbos ſiccos, & quotidianas febres, tuſſes, anhelationes, tabem, & mutationes in ceremoniis, Religionibus, reditibus regiis, inſtitutis & legibus, juxta naturam ſtellæ cui jungitur. In Aere cùm ſit ſiccus & celer, & circa Solem prope volvatur, ventos ciet inordinatos, celeres, ſubitò mutabiles, tonitrua, fulmina, hiatus, Terræ motus, & fulgura. Et his cauſis interdum exitialis eſt animantibus & plantis. Cùm eſt occidentalis diminuit flumina; cùm eſt orientalis auget.

Hîc notandum occurrit quod Ptolemæus cæterique Aſtrologi, Mercurium faciunt naturæ verſatilis faciléq; mutabilis in aliam naturam; quam recipit vel à ſigno in quo verſatur, vel à Planeta quovis altero, cui corpore vel aſpectu connectitur. Quod ſi eſſet, cur Ptolemæus illi tribuit peculiares effectus, qui nulli Planetæ alteri conveniunt? Itaque de Mercurio idem cenſendum quod de ſingulis aliorum Planetarum: nempe quod unuſquiſque propriam habeat naturam & virtutem fixam ac immutabilem, ſecundum quam ex ſe agit. Neq; ipſa natura in aliam mutatur, vel à ſigno vel à Planeta connexo; ſed ☿ agit cum ſigno in quo verſatur, & Planetis quibus connectitur, ut cum ſuæ actionis ſociis, veluti de Planetis omnibus diximus, Lib. 20. Sect. 3. Dici tamen poteſt quod ejus natura ſit talis, ut nulli aliorum Planetarum ſic contrarietur, ut eorum effectus ſupprimat; ſed omnibus ſe accommodat, omneſque in propriis actionibus adjuvat, ab iiſdemque viciſſim in ſuis adjuvatur effectibus, qui ſunt celeritas, mobilitas, ſolertia, ars, ſcientia, calliditas, vafricies, &c: ut proinde à propria in aliorum naturam mutari cenſeatur.

Poſthæc verò ſubjungit Ptolemęus. *Talis eſt ut dixi, natura cujuſq; Planetæ per ſeſe: ſed mixti aliis, pro varietate ſignorum & aſpectuum & poſitionum ad ☉, convenienter mutant actiones; & ex commixtione naturarum variæ qualitates exiſtunt. Cùm autem impoſſibile ſit ſingularum mixtionum qualitates exponere, & omnes configurationes recitare, quarum tanta eſt varietas; hæc conſideratio ſingularum Mathematici ſagacitati & prudentiæ relinquatur*: & hoc quadrat aphoriſmo primo Centiloquii.

Cæterùm neminem moveat, quod ſuprapoſitos Planetarum effectus, non pro annua Mundi revolutione tradiderit, ſed pro Eclipſibus, quas primam & efficaciſſimam cauſam univerſalium in ſublunaribus effectuum eſſe perperam cenſuit, Cap. 3. Lib. 2. Quatrip. Nam Cap. 9. ubi de Anni quartis agit, & Cap. 11. ubi de menſtruis ſive communibus ☌ ☉ & ☽, non alium ab Eclipſibus judicandi modum tradit; ſed vult erigi Thema

Cœ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Cœleſte, & dominos ejus eligi, indeque judicium ferri, ut pro Eclipſibus. Ac in rei veritate non aliter agunt domini anni, quàm domini Eclipſium vel Lunationum communium: ſed ſi ♂ (verbi gratiâ) fuerit dominus Anni, Eclipſis, & Lunationis communis; eadem ſpecie faciet in his ſingulis conſtitutionibus, ſi idem fuerit ejus ſtatus Cœleſtis & Terreſtris, & cætera conſenſerint: quamvis longè majores ac intenſiores effectus de ſua natura producere queat ſi in eodem anno fuerit dominus mundanæ revolutionis Solis, & plurium Lunationum etiam cum Eclipſi, pręſertim ſe immediatè conſequentium.

Major difficultas apparet in eo, quod Ptolemæus in Conſtitutionibus univerſalibus, excludat ☉ & ☽ à dominio. Indeque forſan Julius Firmicus Maternus, Arabum figmentis & nugamentis in ſua Aſtrologia paſſim luxurians, eadem luminaria excluſit à dominio Genituræ, quaſi (ait Pontanus) *ipſa dedignentur ad particulare miniſterium & quaſi famulatum deſcendere: ideoque illud committant Planetæ ſubminiſtro, in cujus finibus ſive terminis Sol interdiu, Luna verò noctu invenietur:* quę doctrina prorſus vana eſt ob finium figmentum, atque ſimilis ſtultæ opinioni veterum Philoſophorum, qui dicebant Deum non curare de rebus ſublunaribus; ſed earum regimen commiſiſſe intelligentiis, & aliis cauſis ſibi inferioribus. Alii autem Aſtrologi, Solem & Lunam ad conſtitutionis univerſalis dominatum admittunt; eorumque effectus recenſet Origanus Part. 3. Introd. Cap. 3. Cur autem admittant, & à Ptolemæi mente recedant, nec ipſi, nec Origanus rationem afferunt. At ex principiis & doctrina hactenus à nobis traditis, difficultas ſic enodabitur.

Certum eſt & à cunctis receptum Aſtrologis, Solem & Lunam proprias ſibi habere naturas, domos, exaltationes & Triplicitates, ſecundum quas agunt prout determinantur in omni Conſtitutione ſive univerſali ſive particulari, non ſecus ac reliqui Planetæ: ergo quacunque ratione hi ad dominatum Conſtitutionis admittuntur, eadem Sol & Luna etiam admitti debent: idque eò potiori jure, quod ☉ & ☽ ſint Planetæ Principes ac Primarii, ut ex Ptolemæo quoque ſupracitato convincitur, & univerſa teſtatur Aſtrologia, veluti pluribus locis à nobis inſinuatum eſt: nullaque ratio ſupradicta validior fingi poteſt quâ excludantur & Princeps ſuis ſatellitibus cedat. Si enim afferatur comparatio Regum, cum quibus Sol manifeſtam habet analogiam; quique ſui Regni adminiſtrationem ſuis ſubditis committunt. Dico hac etiam admiſſa comparatione inter res phyſicas & politicas, verum Regem & eo nomine dignum (qui nempe regendi ſcientiam & praxim habeat) non modò bella præliaque ſua, exercituum ſuorum Præfectis committere; ſuam Juſtitiam Senatui; & res arcanas majoriſque momenti ſuo Cancellario atque Secretiori Conſilio: ſed ipſum etiam dum res poſtulat præliis, Senatui, & Conſilio perſonaliter intereſſe: ac ſua Majeſtate, regnandi peritiâ, magnanimitate, ęquitate, atque prudentiâ, non ſolùm imperando, ſed etiam exequendo plus efficere, quàm Præfectus quivis, aut Senatus aut totum Conſilium: ſicque verè ſolemniter, & glorioſè ſuo Regno dominari; non autem ſolâ nominis larvâ ut accidiſſe audivimus Regibus ignavis, ignaris, effœminatis & agendi incapacibus; qui Regni adminiſtratione per ſe fungi impotentes, eandem ſubditis derelinquerunt; nec curant de his quæ acta ſunt in populi perniciem & ipſius Regni ruinam. A ſimili igitur dum Sol Rex Planetarum & ſublunaris Mundi tam per ſe quàm per ſuos aſſeclas rector potentiſſimus, vigilantiſſimus & ęquiſſimus à Deo inſtitutus, præpollet in Thematibus Cœleſtibus, ipſemet propria virtute Conſtitutionis effectus præcipuè moderatur. Dum autem ejus aſſeclæ in dominio præpollent, Sol plus per ipſos quàm per ſe diſpenſat effectus. Sed ſemper aſſeclę Solis Majeſtatem atque potentiam venerantur agendo; tum quia ab eo motum accipiunt; tum quia pro vario ipſorum ad ☉ vel ☽ poſitu, ſuam agendi virtutem variant. Differentia autem effectuum à dominio luminarium & aſſeclarum in hoc pręſertim conſiſtit, poſt naturæ & virtutis diverſitatē; quòd dum ☉ aut ☽ pręſunt, effectus ſint majores, illuſtriores & celebriores, quàm ſi Planetarum aliorum quiſpiam dominetur: & inter homines, præcipuè pertineant ad Papas, Imperatores, Reges, Reginas, Principes, Magnates, Regna, Reſpublicas & Univerſita es.

Cæterùm nonnulla ex Ptolemæo hîc annotanda ſunt. Primum. Nomine Saturni, non intelligi ſolum Planetam ♄; ſed naturam Saturninam in genere, quę communis eſt tam ♄, quàm ſtellis fixis & ſignis Zodiaci de natura ♄: ideoque advertendum eſſe, an natura Saturnina per talia corpora in univerſali conſtitutione prævaleat. Idemque cenſendum de ♃ ♂ & Planetis cæteris.

Secundò. Mixtiones dominorum conſtitutionis univerſalis intelligendas eſſe, non ſolùm cum aliis Planetis; ſed etiam cum fixis & Dodecatemoriis, in quibus Planetæ dominantes verſantur, vel quibus conjunguntur.

Tertiò. Ex mente Ptolemæi, *Solem & ☽ in conſtitutionibus univerſalibus eſſe præcipuas cauſas eventuum, & regere ſtellarum dominia, & dominantium vires, aut confirmare aut languefacere.* Cardanum autem in Commento hoc ita explicare; *quod ſcilicet luminaria in Eclipſibus* (de quibus tunc agit Ptolemæus) *ſignificent affectionem hujuſque magnitudinem pro Eclipſis quantitate: & luminaria comparari poſſe igni in fornace accenſo; qui nihil aliud ſignificat, niſi quod poſſunt fieri multa illius ope. Et quod ſi eſt magnus poſſunt fieri magna, ſi parvus, parva: non tamen an debeant coqui lateres, aut liquefacere vitrum, aut purgari argentum, &c: Hæc enim pertinent ad 5 Planetas; ſcilicet definire qualitatem eventus.* Quod autem vera non ſit explicatio inde probatur. Quia Cardanus nullam eo pacto differentiam ponit inter Eclipſes ☉ & ☽, quoad eventus vel affectionem; atque videtur velle eandem ſignificari affectionem ab utroque luminari Eclipſin patiente, quæ in eo tantùm conſiſtat, ut deficientis luminaris ope multa fieri poſſint; non dicendo an aliquid, tum quid utrumvis luminare præſtet; cùm tamen ☉ & ☽ inter ſe naturâ differant, quod Cardanus negare nequit; ideoque ſemper differant effectibus, ſive in Eclipſi ſive extra; & ſemper utrumque propria ſibi virtute agat, non ſecus ac ignis propria virtute coquit lateres, aut liquefacit vitrum, aut purgat argentum. Præterea nullam ſic differentiam ponit ex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

parte luminarium inter effectus ab eorum ☌ ecliptica, & effectus ab ☍: quod tamen ipſarum ſyzygiarum naturæ adverſatur; nec Sol Lunæ conjunctus, idem efficit qnod oppoſitus. Deinde quod ab eodem igne coquantur lateres & liquefiat vitrum, qui ſunt duo effectus contrarii; contrarietatis ratio peti nequit ab igne agente qui idem eſt, eademque vi utrumque efficit; ſed à ſubjectis patientibus: Malè ergo Cardanus ipſis ſubjectis comparat 5 Planetas, qui in Eclipſium effectibus non ſe habent ut cauſæ patientes ſed efficientes, dum Eclipſi dominantur.

Itaque nobis videtur potiùs eſſe dicendum. Quod ut ex Cap. 2. Sect. 2. Lib. 13. & Tabula de dominio univerſali Planetarum ſupradicta, Sol & Luna proprias habent virtutes formales, & proprios formales effectus, ab aliorum 5 Planetarum effectibus differentes: Tum propria rerum genera, quibus ipſi præcipuè præſunt, vel naturâ vel analogiâ, præter univerſale dominium in hæc ſublunaria: ita Sol & Luna in ſuis revolutionibus periodicis ad ſua loca radicalia initio Mundi, vim ſuam renovant circa univerſa hæc ſublunaria, ac præcipuè propria ſibi rerum genera; ſed dependenter ab aliis Planetis, dum univerſali ipſorum luminarium conſtitutioni præſunt. Ideoque Sol equidem activè determinat circa ſuos effectus alios quinque Planetas, indeque eorum dominia regere non abs re dicitur à Ptolemæo; ac vires eorum auget vel minuit pro ipſorum ad Solem poſitu: ſed ſuorum effectuum qualitatem ab illis mutuatur; quæ diverſa eſt pro dominantis Planetæ diverſitate. Idemque de Luna dicendum eſt. At in ☌ & ☍ Solis & ☽, cum vel ſine Eclipſi, combinanrur genera rerum vel propriorum effectuum univerſalium Solis & ☽, ut maris & fœminæ: ad quam combinationem alii quinque Planetæ dominium conſtitutionis adepti, etiam determinantur; quaſi circa illa genera, totumque ſublunare Solis & Lunæ imperium agere juſſi: vel quaſi Sol & ☽ ſuam vim ſuoſque effectus illis regenda diſpenſandaque committerent: quod Planeta quilibet efficit juxta propriam naturam, vim atque ſtatum: ut fit inter Regem & Duces vel præfectos ſuorum exercituum, quorum alii benè, alii malè, ſed quilibet juxta propriam vim ac genium agit; vel ſimiliter inter dominum atque ſervos. Quæ explicatio menti Ptolemæi & experientiæ conformis, rem de qua agitur clariùs elucidat. Indeque patet evidenter Solem & Lunam in conſtitutionibus univerſalibus, ſemper ſe habere ut Planetas primarios, ſive Principes ut Cardanus loquitur, & primario agere juxta naturam propriam; reliquos autem duntaxat ut ſatellites, ſive ſecundarios; quod ſyſtemati Copernicano contrariatur. Atque hæc de effectibus à natura dominorum Anni.

Caput V.

De Planetarum anni dominorum ſpecialibus effectibus à ſuo ſtatu Cœleſti: Ac primò ratione ſigni in quo illi verſantur.

IN Planetæ ſtatu Cœleſti, 4 præcipuè ſpectanda ſunt. Nempe ſignum in quo verſatur, ejus connexio cum aliis Planetis, poſitio ad ☉ atque ☽, nec non motus.

Circa primum, veteres nobis tradiderunt vaſtiſſimam aphoriſmorum ſylvam de Planetarum effectibus in ſingulis ſignis; quorum magna pars infida eſt, nec congruit experientiis: præterquam quod alii aliis contrariantur. Et hoc inde ortum eſt, quòd ſigna ſtellata cum Dodecatemoriis eo tempore ignotis confunderent, vel effectus genuinis ſuis cauſis non adſcriberēt; ut paſſim fit adhuc in Nativitatibus, ab his qui vera Aſtrologiæ principia nondum didicêre. Eſt autem receptum ab omnibus Aſtrologis atque certum, quod miſcendæ ſint qualitates Planetarum, ſignorum & ſtellarum. Indeque judicandum habita ratione Climatis ſive loci & anni quartæ. Atque hoc pro ſtabili fundamento ſupponendum eſt; quo deficiente non apparet quodnam aliud ſubſtitui queat, nec qualiter ſcientificè judicandum ſit. Adde quod huic fundamento præcipuè quadrat non minima pars aphoriſmorum à veteribus acceptorum. Quippe Dodecatemoriorum virtute, fixarum virtutem ſuperante; aut fixis in agendo ſequentibus naturam Dodecatemoriorum, ut fit à Planetis omnibus.

Verùm hoc in loco quidpiam occurrit notatu digniſſimum. Nempe quod diviſio ſignorum in Ignea, Aerea, Aquea & Terrea, videtur Ptolemæo fuiſſe ignota. Nam etſi Lib. 1: Quatrip. Cap. 9. agens de naturalibus proprietatibus ſignorum 12, ea dividat in Tropica, Æquinoctialia, firma, & bicorporea (quæ diviſio meliùs explicatur per ſigna mobilia, fixa, & communia) Cap. autem 10. ea dividat in maſculina & fœminina; & Cap 10. Lib. 2. agit de particulari vi & natura ſignorum ad Aeris conſtitutiones variandas: Tamen neque his in locis, neque Cap. 16. Lib. 3. ubi agit de forma & temperamento corporis, nec alibi; mentionem ullam facit ſignorum, ut in ſe ſunt hujus vel illius naturæ elementalis: Tantúmque illo Cap. 10. Lib. 2. determinat ſignorum naturas per ſtellas fixas, quæ ſuo ſeculo vel circa, deprehenſæ ſunt in Dodecatemoriis, quorum eſſe vix illo ſeculo innoteſcere cœpit, propria verò natura multò magis latuit. Unde nil mirum ſi illius temporis Aſtrologi, deprehenſo fixarum motu lentiſſimo in conſequentia, opinati ſint eſſe quędam ſigna quæ non habent opera ex ſe, & opera eſſe ſtellarum fixarum quæ ſunt in eis: & quodlibet ipſorum nominari, ſecundum quod Sol operatur in eo; ut ex Haly Firminus notat in ſuo Repertorio Part. 1. Cap. 1: quod eſt evidenter aſſerere, ſigna illa ex ſe nullius eſſe virtutis. Sed poſteri hoc eſſe falſum deprehenderunt; & falſitatem in hoc opere paſſim oſtendimus.

Nec mirum etiam ſi Ptolemæus ſuos Prædeceſſores Aſtrologos ſecutus, non aliter ſignorum naturas, quàm per fixas illis incluſas definiverit, & quodlibet ſignum non ejuſdem eſſe naturæ, ſed diverſarum in principio, medio & fine dixerit, ob diverſas fixas in principio, medio & fine: rurſuſque partem ſigni borealem ab auſtrali virtute diverſam fecerit: quod de Dodecatemoriis dici nequit, quorum ſigillatim eadem eſt per ſe ſimplexque natura, per totum ſignum expanſa. Inde verò aliud etiam malum in Aſtrologia ſucceſſit;

nimi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

nimirum quod confundendo Dodecatemoria cum Conſtellationibus ſub illa lentè reptantibus, neque harum neque illarum propriæ vires innoteſcere poterant. Proindeque nil mirum ſi ex hoc ignorantiæ fonte, aphoriſmorum ſtupenda, ſed incertæ veritatis farrago effluxerit.

His accedit quod poſt Ptolemæum detectâ Dodecatemoriorum elementali naturâ, iiſque per Trigonos diviſis in Ignea, Aerea, Aquatica & Terrea, ut fecit Albohazen Haly Part. 1. Cap. 1. Alkindus, & Arabes alii, ſtellas fixas Zodiaci diviſerunt in 28 ſpatia æqualia, quodlibet 12 graduum 52′. quæ vocarunt manſiones Lunę, durante ejus ſynodica revolutione cum Sole; initio facto à prima ſtella Arietis, quæ hoc anno 1648 reperitur in 28 gradu 18′. Dodecatemorii ♈: & cuilibet manſioni propriam naturam ad imitationem Ptolemæi aſſignarunt: illarumque manſionum Tabulam tradiderunt. Volentes quod dum Planetæ ac præſertim Luna verſantur in ipſarum aliqua, ipſi agant in hæc inferiora, juxta naturam elementalem ipſius ſpatii ſive manſionis; hoc eſt fixarum manſionem illam occupantium. Sed cùm Ptolemæus ſigna feciſſet ſitu conſtantia, dum ait alia eſſe tropica, alia æquinoctialia, inde accidit ut hæ manſiones Lunæ ſint per ſigna Zodiaci ambulatoriæ ſecundum motum fixarum.

Circa hanc verò manſionum Tabulam arcani inſtar habitam, non deeſt etiam diffidendi cauſa. Primò, quia ex pluribus Tabulis hujuſcemodi quas vidi, nulla eſt manſio calida aut frigida; ſed tantùm ponuntur humidæ, ſiccæ aut temperatæ; quod tamen non concordat Ptolemæo, qui plures ſignorum partes æſtuoſas agnoſcit, etſi nullas frigidas: nec veritati congruere poteſt, cùm plures ſint fixæ calidæ, humidæ, frigidæ, ſiccæ; vel de natura ſingulorum Planetarum; quorum alii ſunt calidi ſicci, ut Sol & ♂, alii calidi & humidi, ut ♀; alii frigidi ſicci, ut ♄ & ☿; & alii frigidi & humidi, ut Luna; ipſo quoque fatente Ptolemæo. Secunda, quia Ptolemæus ignota Dodecatemoriorum natura, non potuit ſciviſſe naturas Conſtellationum ſive fixarum: ideoque manſionum naturæ ab eo deſumptæ (quæ Lunæ potiùs quàm alterius Planetæ manſiones dici nequeunt) non potuetunt eſſe veræ. Sique Deus Optimus Maximus nobis vitam dederit, breves animadverſiones exponendi in textum Quatripartiti; patebit evidenter, quid ſentiendum ſit de tanti nominis Libro, cujus ſingula verba Cardanus adeo devotè veneratus eſt; & cujus fundamenta præcipua jam pluries à nobis juſtè fuerunt condemnata.

Interim verò quid in tantis difficultatibus nobis agendum incumbit? Nunquid particulares aphoriſmos de Planetarum effectibus univerſalibus in ſingulis ſignis Zodiaci cum Tabula manſionum Lunæ qualia ſunt nobis à veteribus tradita, etiam trademus poſteris? Certè cum à meo ſit alienum Genio evidenter incerta exponere; malimque hac in parte, Aſtrologię defectum propalare, ut quod ab Anteceſſoribus noſtris non eſt effectum, poſteri ſuis curis & obſervationibus ſupplere conentur; obſervando ſcilicet veras ac proprias fixarum naturas: Generales tantùm aphoriſmos ſupradicto fundamento innixos, circa rem hanc tradere nobis videtur tutius; quorum veritatem nullus Aſtrologus legitimis ſcientiæ principiis initiatus, in dubium revocare aut ſaltem evertere queat. Hi ſiquidem aphoriſmi non parum etiam proderunt ad fixarum naturas detegendas. Quoniam enim Dodecatemorii natura eſt eadem in principio, medio atque fine; dum accidet Planetam præſertim conſtitutionis dominum, in aliquo Dodecatemorio jamdiu verſantem, novi quidpiam in hæc inferiora producere citra connexionem per corpus vel aſpectum cum altero Planeta ad effectum cōgruo, vel cum aliquo loco ipſius conſtitutionis: tutò dici poteſt ipſum effectum eſſe à fixis, quibus prior Planeta conjungitur, aut cum quibus oritur, culminat, vel occidit: præſertim ſi adfuerit aliqua primæ aut ſecundæ magnitudinis. Nec propterea diſſuademus Aſtrologiæ candidatis experientiam aphoriſmorum à veteribus traditorum; ut quam veritatem contineant, deprehendant atque notent; dummodo labyrinthea confuſione, & frequenti contrariorum aphoriſmorum occurſu non deterreantur. Itaque

Primò. Si Planeta dominus anni fuerit in proprio ſigno, potenter aget juxta naturam propriam: ac ſi Planeta convenerit naturâ ſuâ extrinſecâ cum ſigno, potentiùs aget elementaliter juxta naturam ſigni: alioquin potentiùs aget influentialiter juxta naturam ſigni. Ideoque Mars in ♈ plus calefaciet & exſiccabit elementaliter; in ♏ verò plus refrigerabit & humectabit influentialiter; ipſius ♂ natura communi utrobique vigente. At Sol Planeta unicæ naturæ, dum fuerit in ♌, tantùm per ſe calefaciet & exſiccabit, tam elementaliter quàm influentialiter. Atque ſic de cæteris.

Secundò. Si Planeta dominus anni non fuerit in proprio ſigno, aget cum natura ſigni in quo verſatur, & domini ipſius ſigni, qui ſi fuerit in eodem ſigno, ut poſito ♄ domino anni in ♓ cum ♃, hic potenter concurret per ſe & ſuum ſignum ad eventus eo anno futuros. Si autem fuerit in alieno ſigno ſed ejuſdem Triplicitatis, ut poſito ♃ in ♋ vel ♏; adhuc etiam potens erit ejus concurſus, ob eandem ſignorum naturam & trinum aſpectum Planetarum: at ſi fuerit in ſigno diverſæ naturæ à priori, ſed in propria domo; ut poſito ♃ in ♐, dum ♄ dominus anni eſt in ♓; fortiter adhuc concurret; imò pręvalebit ♄: at ſi in ſigno diverſæ naturæ peregrinetur; ut poſito ♃ in ♉ vel ♊; tum virtus ♃ in effectibus anni erit imbecillis, ideoque effectus Saturni minores.

Tertiò. Quando Planeta dominus anni eſt in alieno ſigno, non ſolùm eſt habenda ratio hujus ſigni, ſed ejus quoque domini: non enim idem efficiunt ♊ ♎ & ♒, quamvis ſint ejuſdem Triplicitatis: quia pertinent ad 3 diverſos Planetas. Videndum ergo cujus Planetæ ſit illud ſignum, & quæ ſit ejus natura, & quis ejus ſtatus, ut pateat an effectibus propriis domini anni faveat aut contrarietur.

Quartò. Quando dominus anni eſt in ſigno alieno, & hujus dominus in ſigno ſimiliter alieno abſque receptione mutua: eſt quidem habenda ratio hujus ſecundi ſigni, ſed non ejus domini; virtus enim dominii ultra ſecundum terminum evaneſcit, nec viget circulariter.

Quintò. Saturnus in omnibus ſignis aqueis

non

non dat aquas, ſaltem ſemper, etſi ad pluvias naturâ ſuâ propendeat ob frigiditatem: ſed eſt habenda ratio ſtatus ☽ ♂ & ♃ dominorum ♋ ♏ & ♓, qui juvant vel impediunt ſuâ naturâ atque ſtatu; ac præſertim ſi Saturnum aſpiciant. Eademque eſt ratio de cæteris, ſaltem juxta judiciorum leges rationales.

Sextò. Accidit interdum ut Planetæ contraria propriis naturis operentur per accidens. Verbi gratiâ quod ☉ in ♌ pluvias cauſet ſerenitatis loco; dum ſcilicet plures attrahit vapores, quàm reſolvere queat; vel ob ejus ardorem inſignem, cum morâ quàm par ſit breviore ſuper Horiſontem; vel ob regionem vaporibus nimis abundantem, quos Sol omnes diſcutere nequit, etiam cum longiore mora: vel ob aſpectum Planetæ pluvioſi naturâ aut ſtatu Cœleſti.

Septimò. Quilibet Planeta in ſignis naturæ ſuæ extrinſecè congruentibus, juxta ipſam naturam agit. Ut ☉ ♃ & ♂ in ſignis igneis per ſe calefaciunt, ♄ in Aqueis & Terreis frigefacit, Luna in Aqueis humectat.

Octavò. Ex domino Anni ejuſque ſtatu Cœleſti videndum quæ præcipuè qualitas conſurgat; & quid in ſublunaribus efficere queat, in Aere, Aqua, Terra, & mixtorum atque viventium generibus, habita ratione loci & quartæ anni.

Nonò. Qui effectus ſupradictis cauſis non congruent, nec erunt à ſyzygiis vel tranſitibus ad ipſos efficacibus; cenſendi ſunt fieri à fixis cum quibus domini anni verſantur, aut oriuntur, culminant vel occidunt: vel apud quas fiunt novilunia, Eclipſes, magnæ ☌, cæteræque conſtitutiones univerſales.

CAPUT VI.

De Planetarum anni dominorum ſpecialibus effectibus ratione connexionis ſuæ cum aliis Planetis & fixis.

PLanetæ pro diverſa inter ſe connexione per corpus vel aſpectum, diverſos effectus in his ſublunaribus producere, tum univerſales in conſtitutionibus univerſalibus, tum particulares in thematibus geniturarum particularibus oſtenſum eſt Lib. 19. & alibi. Nec de hoc ullus dubitat Aſtrologus; imò nec Philoſophus ullus (niſi forſan valde ignarus rerum Cœleſtium) dubitare poteſt. Nam globus Terreſtris ex ſe ſemper idem eſſet, nec ullas mutationes pateretur, niſi à cauſis extrinſecis nempe corporibus Cœleſtibus cauſarentur. Sique Planetæ unico tantùm motu annuo circumferrentur in eadem ſemper inter ſe diſtantia ut fixæ; nulla ex parte Planetarum dari poſſet ratio, cur ſingulæ anni quartæ ſingulis annis diverſæ forent: cauſa verò pateret cur æquales eſſe deberent. Cùm ergo in rei veritate ſint inæquales, nec ulla æſtas ſit proximè antecedenti vel ſequenti omninò ſimilis, nec anni ſimiles: neceſſariò fatendum eſt eorum diſſimilitudinem cauſari à diverſis motibus & inter ſe combinationibus Planetarum. Hoc igitur ſuppoſito jam dicamus ex veteribus Aſtrologis quid Planeta quilibet aliis connexus efficiat; qua in re ſic inter ſe concordant, ut doctrina hæc à prioribus ad poſteros manuatim tradita eſſe videatur.

Sed hîc quinque prænotanda ſunt. Primum ſeptem tantùm eſſe diverſas connexiones legitimas Planetarum, ſcilicet ☌ ⋕ ✱ □ △ ☍ ☆, quarum in natura fundamentum à nobis oſtenſum eſt, Lib. 16. Sect. 1. Cap. 4. Reliqui autem aſpectus à Keplero & aliis Aſtrologiæ ignaris introducti & approbati, à nobis itidem ut illegitimi rejiciuntur.

Secundò. Quamvis omnes hæ connexiones ſint efficaces in hæc ſublunaria; veteres tamen Aſtrologos tres duntaxat expoſuiſſe hac in materia conſtitutionum univerſalium; nempe ☌ □ & ☍; quippe quòd hæ reliquis ſint potentiores ob cauſam à nobis jam antea dictam; ſcilicet quòd uno Planetarum conjunctorum exiſtente in Thematis angulo, alter etiam in angulo reperiatur: quod quidem utriuſque Planetæ robur intendit, ideoque amborum connexionem efficit validiorem.

Tertiò. Conjunctionem eſſe connexionum validiſſimam & efficaciſſimam: non ratione luminis ut cenſuit Maginus in ſuarum Ephemeridum introductione, cum aliæ connexiones non ſint abſque lumine Planetarum connexorum; ſed quòd vis unita fortior ſit diſperſâ: at in ☌, maxima eſt Planetarum unio quæ eſſe poteſt: ſunt enim in eadem linea, & eodem Cœli loco reſpectu Terræ. In ☍ ſunt quidem in eadem linea, ſed non in eodem Cœli loco. In □ & cæteris, nec ſunt in eadem linea, nec in eodem Cœli loco. Proindeque poſt ☌, fortior eſt ☍, tum □ ob cauſam ſupradictam.

Quartò. Veteres in conſtitutionibus ſaltem univerſalibus, eoſdem effectus attribuere his 3 connexionibus ☌ □ & ☍; quod tamen Aſtrologiæ elementis contrariatur. Et quamvis ♄ & ♃ ☌ □ vel ☍ eandem materiam ſublunarem movere queant, à ratione tamen alienum eſt, quod illam eodem modo vel ad eundem terminum moveant; & ♄ idem efficiat, vel eodem modo agat conjunctus ♃, atque quadratus vel oppoſitus; præſertim in rebus humanis, in quibus □ & ☍ maleficorum ſolent infortunia concitare.

Quintò. In ſequentibus aphoriſmis habendam ſemper eſſe rationem quartæ anni. Ver autem calidum eſt & humidum, Æſtas calida ſicca, Autumnus frigidus ſiccus, Hyems frigida & humida: ideoque alia anni quarta magis favet cauſis caloris, alia magis cauſis frigoris; alia magis cauſis pluviæ, & alia magis cauſis ſiccitatis. Sed his prænotatis jam ſequuntur veterum ſententiæ, ex eorum ſparſis aphoriſmis ut ſequitur à nobis collectæ.

Saturni & ♃ ☌ □ & ☍ ob tarditatem motus ipſorum, per plures dies ante & poſt eorum ☌ exactam, mutationes in Aere concitant ſecundum naturam ſuam & ſigni quod occupant. Siquidem in ſignis Igneis calorem, ſed præcipuè ſiccitatem gignunt. In Aqueis magnas pluvias atque peſtes; in Aereis multos ventos atque procellas: in Terreis frigora, gelu, denſas nubes & turbidum Aerem. Particulariter autem vere humidum ac turbidum aerem, æſtate grandines & tonitrua; Autumno ventos ac imbres, Hyeme turbidum tempus, nives atque gelu. Sed ſemper advertendum uter Planeta in ☌ loco prævaleat, non ſolùm dignitate dominii, exaltationis

vel

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

vel Trigoni; ſed etiam naturâ tam elementali quàm influentiali. Nam ♄ in ſignis terreis ac præſertim ♑ prævalebit ♃: tum etiam in aereis ac præſertim ♒: ſed in igneis ac præſertim ♐, ♃ prævalebit ♄, tum in aqueis ac præſertim ♓. Planeta autem prȩvalens in ☌ loco, prævalebit quoque in mutationibus, ſive ad Aerem, Aquam, Terram, ſive ad homines ipſos pertineant. In □ autem & ☍ videndum quis fortior ſit in ſigno quod occupat, tum quis ſupra Terram & angularis exiſtat. Ac ♃ prævalere bonum eſt; Saturnum verò malum: idemque cenſendum eſt de Planetis aliis.

♄ & ♂ ☌ □ ☍ ſimiliter agunt habita ratione ſigni. Et in igneis magnas deſtruenteſque ſiccitates generant: in aqueis imbres & nymbos cum grandine. In aereis validos ventos, procellas, fulgura, tonitrua, coruſcationes & Aeris corruptionem. In Terreis frigus intenſum, gelu, nives, & in ♑ fulmina. Particulariter autem verè cauſant pluvias ac tonitrua, Æſtate tonitrua & grandines, Autumno pluvias & turbidum Aerem. Hyeme verò frigoris remiſſionem.

♄ & ☉ ☌ □ ☍ Aerem refrigerat, præſertim in ſignis frigidis, & pluvias grandineſque parit: tum ventos validos & corrumpentes in ſignis aereis, ac præſertim in ♒ atque ♎. Particulariter autem vere frigus & pluviam, æſtate grandines & tonitrua cum remiſſione caloris; Autumno pluviam atque frigus; Hyeme verò tempus humidum, turbidum atque nives.

♄ & ♀ ☌ □ ☍. Imbres & frigora gignit præſertim in ſignis aqueis, ubi etiam grandines cauſat, & in ♍ inundationes. Particulariter autem vere pluvias & frigus, æſtate pluvias ſubitas, autumno pluviam frigidam, & hyeme pluvias atque nives; ideoque ♄ & ♀ congreſſus ferè ſemper eſt pluvioſus.

♄ & ☿ ☌ □ ☍. In ſignis humidis aerem turbidum & pluvias efficit, in igneis ſiccitatem parit, in aereis ventos validos, & in terreis frigus atq; gelu; ut plurimùm verò ii congreſſus frigora Terræ fructibus noxia gignunt. Sed particulariter Vere ventos ac pluviam, Æſtate ventos & grandines; Autumno ventos fortes, Hyeme ventos atque nives, ideoque ſemper vel ſaltem ut plurimùm ventos.

♄ & ☽ ☌ □ ☍. Frigus gignit, nebulas, pluvias, & interdum grandines præſertim in ſignis aqueis. Particulariter autem vere aerem efficit turbidum ac humidum; æſtate humidum ac frigidum, tum etiam grandinoſum; Autumno nebuloſum: Hyeme verò valde frigidum, nebuloſum, atque nivoſum.

♃ & ♂ ☌ □ ☍ in ſignis igneis parit æſtus & ſiccitatis exceſſum, in aqueis pluvias cum coruſcationibus, tonitruis, fulmine: in aereis gratas ſerenitates; in terreis ſiccitatem; particulariter autem vere & autumno turbidum aerem efficit atque ventoſum: Æſtate calorem, tonitrua ac tempeſtates; Hyeme verò frigus minuit. Sed videndum uter Plancta prævaleat. Jupiter enim prævalens ſalubris eſt ac fertilis: Mars autem inſalubris & corruptivus.

♃ & ☉ ☌ □ ☍. Jucundam & gratam ſerenitatem, calorem temperatum ac ventos ſalubres cauſat, præſertim in ſignis aereis: & in humidis fœcundas pluvias; in igneis calorem auget, præſertim in ♌: & in terreis exſiccat & ſerenat. Particulariter autem Vere & Autumno ventos, Æſtate tonitrua & fulmina, Hyeme verò remiſſionem caloris gignit.

♃ & ♀ ☌ □ ☍ Jucundam ſerenitatem & Aeris tranquillam temperiem efficit. In ſignis autem aqueis nubes & ſalubres pluvias, illæque connexiones ut plurimùm fertiles ſunt præcipuè congruo tempore contingentes, cauſantque fructuum copiam. Ac ſi ♃ prævaluerit, potiùs ſerenitas efficitur, ſi ♀, pluviæ.

♃ & ☿ ☌ □ & ☍. Ventos movet ut plurimùm ſiccos, præſertim in ſignis igneis & aereis. Idque quavis anni quarta,

♃ & ☽ ☌ □ ☍, ut plurimùm ſerenitatem & Aeris temperiem quovis anni tempore cauſat; ventoſque propitios; ac interdum nubes albas toto Cœlo ſpargit.

♂ & ☉ ☌ □ ☍. agit ſecundam naturam ſignorum, ſed ut plurimùm cum vehementia: in aqueis verò concitat imbres, tonitrua, fulgura, grandines, præſertim æſtate, & cum nocumento In igneis caloris & ſiccitatis exceſſum viventibus nocuum. In aereis ventos urentes, & in terreis pluvias minuit. Particulariter autem vere & autumno ventos & ſiccitatem, æſtate calorem magnum, tonitrua, fulgura, grandines; & hyeme frigoris remiſſionem cauſat.

♂ & ♀ ☌ □ ☍. In ſignis humidis aquas profundit: in aliis verò ſignis ſerenitatem ac temperiem & paucas pluvias efficit. Particulariter autem vere & autumno pluvias largitur, etiam ipſo die ſi fiat ☌ in ♏; æſtate ſerenitatem & paucos imbres, hyeme frigoris rsmiſſionem.

♂ & ☿ ☌ □ ☍ in ſignis igneis præſertim ♌ caloris & ſiccitatis exceſſum nocuum: in aqueis imbres: in aereis validos ventos & cum impetu vagantes; quòd uterque Planeta ſit impetuoſus. Autumno grandines & ventos nymbiferos efficit. Hyeme & vere cauſat nives, æſtate tonitrua, grandines.

♂ & ☽ ☌ □ ☍. In humidis ſignis pluviam excitat: in igneis ferè ſemper ſiccitatem, ſed interdum nubes croceas & rubras Cœlo ſparſas, quandoque pluvioſas: in aereis coruſcationes, tonitrua & grandines præſertim æſtate: & quandoque Iridem Solarem atque pluviam.

☉ & ♀ ☌ in ſignis humidis pluvias largitur: & vere, autumno ac hyeme in ſignis igneis & aereis ſerenitatem.

☉ & ☿ ☌ in aereis ſignis ventos, in aqueis pluvias, & in igneis ſiccitatem cauſat.

☉ & ☽ ☌ □ ☍ agit penes naturam ſignorum & dominorum. Et ideo interdum ſiccitates, interdum pluvias, interdum ventos, & interdum tranquillitatem parit. Cæterùm ☌ æſtate, calida cenſetur; hyeme frigidiſſima: ☍ verò ſe habet modo contrario, niſi ♄ interturbet.

♀ & ☿ ☌. agit quidem juxta naturam ſignorum: ſed ad imbres magis propendet, & parit inundationes dum accidit tempore ☌ □ vel ☍ ☉ & ☽.

♀ & ☽ ☌ □ ☍ propendet ad pluvias mites, imbres atque nives, parit tempus nubiloſum & caliginoſum, & calorem minuit.

☿ & ☽ ☌ □ ☍ agit juxta naturam ſignorum,

ſed

ſed magis propendet ad ventos, & tempus citò variat ob motus velocitatem.

Cæterùm prædictæ Planetarum connexiones, majorem vim habent ad ſupradictos effectus, quando Luna Planetas alios connexos, ſua etiam ☌ □ vel ☍ affecerit. Cùm autem non duo tantùm, ſed 3 aut 4 Planetæ ſimul, erunt ☌ □ vel oppoſiti; eò majores effectus ſignificantur, magiſque commixti: qui tamen ex ſuprapoſitis ſimplicibus connexionibus conjici poterunt, niſi quis malit ſummam anglicanam conſulere, ubi aphoriſmorum ingentem farraginem offendet. Et cùm plures Planetæ ſimul verſantur in eadem Triplicitate, potenter agunt juxta naturam ipſius Triplicitatis. Quippe in ignea exceſſum caloris & ſiccitatis effundunt, indeque morbos & ſterilitatem: in aqueis nocuam pluviarum copiam: idque præſertim malum ♂ & ♄ efficiunt.

Quoniam verò maxima eſt Lunæ poteſtas in hæc ſublunaria ob ejus minimam inter Planetas à Terra diſtantiam; ſedulò notandæ ſunt ejus applicationes ad alios Planetas in ejus Synodis, cum Sole præſertim immediatè præcedentibus ipſius ☉ ingreſſum in puncta cardinalia. Nam applicans ♄ hujus effectus proprios promovebit in elementis & hominibus, atque ſic de ♃ ♂, &c: prçterea lumine creſcens & applicans Planetis directis, ſerenitatem largitur, ſed pluvias ſi applicet retrogradis.

Cæterùm connexiones Planetarum non modò intelligendæ ſunt inter ſe mutuò, ſed etiam cum ſtellis fixis; ac præſertim iis quæ ſuâ magnitudine vel naturâ, vel particulari ſocietate (ut Pleiades, Scorpius) deprehenduntur efficaciores ad hçc ſublunaria alteranda. Pro quibus aut generaliter conſules Tabulam ſequentem 28 manſionum Lunæ, ex Ptolemæi aliorumque veterum Aſtrologorum mente conſtructam, & ad hoc ſeculum accommodatam; aut particulares tuas experientias inſigni judicio factas; quod forſan tutius erit. Prima autem Lunæ manſio, correſpondens experientiis veterum de ſtellis fixis, incipiet anno 1660 juxta Tychonem à 28 gr. 28′. ♈; ubi ponitur prima ſtella conſtellationis Arietis, quæ eſt auſtralis in prçcedenti ſive dextro cornu. Conveniunt enim Stoflerus, Gauricus, Pitatus, aliique Aſtrologi manſionem primam incipere à ſtellis, quæ ſunt in cornu dextro Arietis: & quales tradiderunt naturas manſionum, tales hîc apponimus; monendo quod natura cujuſque manſionis ei competit à ſtellis quas includit, ut ipſi volunt; quod tamen falſum eſſe nonnunquam experieris. Ac prçterea quod non eſt major ratio, cur Lunæ motus per has manſiones ſpectetur, quàm motus aliorum 6 Planetarum ☉ ♄ ♃ ♂ ♀ & ☿; cùm ſtellæ fixæ concurrunt ad eorum actiones, non ſecus ac ad actiones Lunæ: ſed verendum ne adhuc ignoretur vera natura cujuſque manſionis, ob nondum bene cognitas naturas fixarum.

Tabula manſionum Lunæ.

1	parum ſicca	28.28 ♈	15	humida	28.27 ♎
2	temperata	11.11 ♉	16	frigida humida	11.11 ♏
3	humida	24. 3 ♉	17	humida	24. 3 ♏
4	frigida humida	6.55 ♊	18	ſicca	6.55 ♐
5	ſicca	19.47 ♊	19	humida	19.47 ♐
6	temperata	2.39 ♋	20	temperata	2.39 ♑
7	humida	15.31 ♋	21	humida	15.31 ♑
8	parum humida	28.23 ♋	22	temperata	28.23 ♑
9	ſicca	11.15 ♌	23	humida	11.15 ♒
10	humida	24. 7 ♌	24	parum frigida	24. 7 ♒
11	parum frigida	7. 0 ♍	25	ſicca	7. 0 ♓
12	humida	19.50 ♍	26	parum ſicca	19.50 ♓
13	temperata	2.43 ♎	27	humida	2.43 ♈
14	parum humida	15.35 ♎	28	temperata	15.35 ♈

Denique ad certitudinem & magnitudinem effectuum à ſuprapoſitis congreſſibus Planetarum tam inter ſe quàm cum fixis, plurimùm facit Planetarum connexorum poteſtas in ſignis connexionum. Si enim conjunguntur in ſigno, ubi uterque Planeta poteſtatem habeat domus, vel exaltationis, uterque Planeta fortiter aget ut ☉ & ♂ conjuncti in ♈, ♄ & ♂ in ♑, ♃ & ☽ in ♋. Si unicus ſit potens, is in effectibus prævalebit, præſertim ſi alter in ☌ loco infortunetur: ut dum

♄

♄ & ♃ conjunguntur in ♑, ♄ & ♂ in ♈. In □ autem & ☍: Si uterque Planeta ſit potens in ſuo ſigno, uterque fortiter aget, ideoque magni effectus erunt ab utroque Planeta expectandi. Ut ſi ♃ ſit in ♋ & ♄ in ♎ vel ♑: ſi autem unicus ſit potens in ſuo ſigno, is prævalebit, multóque magis, ſi alter in ſuo ſigno infortunetur, ut ſi ♃ ſit in ♋ & ♄ in ♈; aut ☉ in ♈ & ♂ in ♋. Sed de his hactenus dicta ſufficiant.

Caput VII.

De Planetarum anni dominorum ſpecialibus effectibus, à ſuo poſitu ad Solem atque Lunam.

PLanetæ à ſuo poſitu ad ☉ atque ☽, vocantur orientales & occidentales: & in utroque poſitu apparent directi, ſtationarii & retrogradi: vult autem Albumazar Lib. 4. major. Introd. differ. 7; tum Alkindus in Epiſtola ſua Cap. 1. cum pleriſque aliis veteribus Aſtrologis, nec Planetas, nec Stellas fixas, nec Signa eſſe natura ſua calida, frigida, humida, ſicca: nec per ſe generare, nec corrumpere, ſed hæc omnia fieri à Planetis motu ſuo in Epicyclo proprio, nec non ſua directione, ſtatione & retrogreſſu, tum appropinquatione vel elongatione à Zenith. Ideoque paſſim apud Aſtrologos pars effectuum ſublunarium maxima, refertur ad Planetas prout aſcendunt vel deſcendunt ad epicycli ſui partem ſuperiorem vel inferiorem. Atqui doctrina hæc multis ex Capitibus planè ac evidenter falſa eſt. Primò. Quia Sol ipſe eſt verus ac ferventiſſimus ignis, ejuſque radii ſunt mera flamma, ut per ſpeculum concavum videre licet. Secundò, quia jam ex ſyſtematis Mundi accuratiore contemplatione, nulli dantur Epicycli pro motu ♄ ♃ ♂ ♀ ☿, ſed tantum Excentrici vel Orbitæ ſimplices ellipticæ, in quibus ipſi moventur. Tertiò. Quia motus non eſt ex ſe activus; ſed tantùm virtutis activæ Planetarum diſtributivus, ut jam alibi diximus. Sique effectus non eſſent à virtute Planetarum, ſed à motu ipſorum in Epicyclis vel Orbitis, iidem eſſent effectus ſaltem ſpecie à ♄ ♃ & ♂; tum ♀ & ☿: quia eaſdem habent motuum affectiones, etſi aliis alii celeriores. Ejiciatur ergo ab Aſtrologiæ ſcientia, tam abſurda opinio; experientiis Planetarum atque ſignorum, tum eorum naturis propriis à nobis expoſitis planè contraria; tantúmque retineatur id quod negari non poteſt; ſcilicet Planetas quò fiunt Terræ viciniores, eò efficaciùs agere in Terram, & ea præſertim loca, quibus ſunt verticales: quò autem fiunt remotiores, eò inefficacius agere. Ut jam nobis alibi probatum eſt; ſcilicet virtute propria.

Cæterùm quod ad Planetarum ſtatum orientalem & occidentalem attinet, videatur, quid de his cenſuerimus, Lib. 13. Sect. 1. Cap. 3; tum Sect. 2. Cap. 1: ſiquidem rationi & Planetarum agendi modo congruit, ut aliter agunt Solis ortum præcedentes, quàm ſequentes: utque dum primùm liberantur à ſolaribus radiis, evidentiùs, potentiùs ac puriùs ſecundum naturam propriam operentur, quàm dum in illos radios incidunt ab eiſque abſorbentur. Ac ſaltem elementalis calor immenſus Solis cohibet vel temperat frigus elementale Saturni, ☿ atque ☽; Martis verò atque ♃ calorem intendit, voluntque Aſtrologi, quod ſi omnes Planetæ ponderoſi, nempe ♄ ♃ & ♂ ſint orientales, multam ſiccitatem pariant, præſertim æſtate: omnes autem occidentales, multam humiditatem & pluvias, præſertim hyeme. Similiterque agit Luna cum ♄ ♃ ♂ ♀ ☿ intendendo, vel remittendo effectus à propriis ipſorum naturis. Quid verò ab Antiquis & præſertim Albumazare Libro magnarum conjunctionum fuerit de hoc Planetarum ſtatu nobis traditum, hîc etiam apponimus.

De Planetis in ♈.

SAturnus in ♈ ſub radiis Solis, Aerem efficit tenebroſum, denſaſque nubes & catarrhos ab humore frigido. Orientalis tamen bonam conſtitutionum Aeris cauſat; occidentalis ventos frigidos, ſtationarius tonitrua & fulgura.

♃ in ♈ ſub radiis pluvias gignit; orientalis ſerenitatem; occidentalis rores & nebulas: ſtationarius fructuum copiam.

♂ in ♈ ſub radiis, ſerenitatem efficit; orientalis turbat Aerem; occidentalis pluvias cauſat; ſtationarius fulgura, tonitrua.

♀ in ♈ ſub radiis humiditatem parit; orientalis tonitrua & pluvias; occidentalis ventos; ſtationaria, humiditatem.

☿ in ♈ ſub radiis tempeſtuoſus eſt; orientalis ſerenus; occidentalis benè temperatus; ac ferè ſemper ventoſus.

De Planetis in ♉.

SAturnus in ♉ ſub radiis. temperiem Aeri conciliat, ſed colli morbos parit: orientalis ſanitatem affert, occidentalis ſiccitatem; ſtationarius tonitrua, turbationem Aeris, denſas nubes.

♃ in ♉ ſub radiis temperatus, orientalis fructuum ac præſertim ficuum copiam; occidentalis imbres; ſtationarius ubertatem atque ſanitatem efficit.

♂ in ♉ ſub radiis, Aerem tranquillum efficit; orientalis ventos movet, occidentalis ſerenat; ſtationarius ex ſiccat.

♀ in ♉ ſub radiis, tonitruoſa; orientalis ſana atque fertiiis, occidentalis ſicca & ſerena; ſtationaria, mediocris in omnibus.

☿ in ♉ ſub radiis, tempeſtuoſus, orientalis humidus & inconſtans; occidentalis temperatus.

De Planetis in ♊.

SAturnus in ♊ ſub radiis, ſiccus; orientalis bonæ eſt complexionis, occidentalis ſiccus; ſtationarius, morboſus.

♃ in ♊ ſub radiis, tum orientalis, occidentalis & ſtationarius, eſt temperatus, ſaluber & fœcundus.

♂ in ♊ ſub radiis morboſus, orientalis rixas liteſque movet; occidentalis & ſtationarius calorem & ſiccitatem multiplicat.

♀ in ♊ ſub radiis exſiccat; orientalis temperat, occidentalis, flat; ſtationaria eſt mediocris,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

☿ in ♊ ſub radiis ventos excitat, tum etiam orientalis: occidentalis bonum rerum ſtatum præſagit, ſtationarius eſt inſtabilis.

De Planetis in ♋.

SAturnus in ♋ ſub radiis dies obſcuros, ventos validos, & tempeſtates in Mari efficit: orientalis temperatus eſt; occidentalis Mare aptum navigationi reddit: ſtationarius chronicos morbos parit.

♃ in ♋ ſub radiis, mare tranquillum efficit, orientalis, occidentalis & ſtationarius, temperatus, ſaluber & fœcundus eſt.

♂ in ♋ ſub radiis comburit, orientalis lites ſuſcitat; occidentalis morbos: ſtationarius calefacit & exſiccat impensè.

♀ in ♋ ſub radiis, tranquillum efficit Aerem; orientalis, occidentalis, & ſtationaria, temperat, ſerenat & fœcundat.

☿ in ♋ ſub radiis, ventos & in Mari procellas cauſat; orientalis temperiem & ſanitatem, occidentalis tranquillitatem.

De Planetis in ♌.

SAturnus in ♌ ſub radiis ventos ſiccos & rheumata cauſat. orientalis temperat; occidentalis exſiccat; tum etiam ſtationarius.

♃ in ♌ ſub radiis, ventos ſalubres cauſat; orientalis ad honores vel divitias elevat: occidentalis omnia temperat; ſtationarius morbos diminuit & ſanitatem reſtituit.

♂ in ♌ ſub radiis, Magnatum morbos portendit: orientalis rerum deſtructionem; occidentalis ſiccitatem: ſtationarius morbos.

♀ in ♌ ſub radiis, ardorem cauſat; orientalis temperiem, fertilitatem; occidentalis pecudum morbos: ſtationaria nocet mulieribus.

☿ in ♌ ſub radiis flatuoſus; orientalis ſapientes promovet & aerem ſerenat; occidentalis ſuffocat: ſtationarius morbos excitat.

De Planetis in ♍.

SAturnus in ♍ ſub radiis morboſus eſt; tum etiam ſtationarius: orientalis exſiccat: occidentalis aerem turbat.

♃ in ♍ ſub radiis, tum orientalis, occidentalis & ſtationarius, temperiem, ubertatem, ſanitatem & gaudium cauſat.

♂ in ♍ ſub radiis morboſus eſt: orientalis lites & bella parit: occidentalis homines ſuffocat, ſtationarius exſiccat.

♀ in ♍ ſub radiis exſiccat: orientalis humectat; occidentalis temperat, ſtationaria mulieres impedit.

☿ in ♍ ſub radiis, proceiloſus: orientalis, humidus: occidentalis, ſiccus; ſtationarius nocet hominibus mercurialibus.

De Planetis in ♎.

SAturnus in ♎ ſub radiis morboſus præſertim oculis: orientalis ventos frigidos ſiccos: occidentalis turbat aerem: ſtationarius quartanas febres generat.

♃ in ♎ ſub radiis; tum orientalis, occidentalis & ſtationarius, temperatus, ſaluber & fœcundus.

♂ in ♎ ſub radiis, exſiccat; orientalis turbat aerem & tonitrua cauſat, occidentalis pluvias; ſtationarius ſiccitatem.

♀ in ♎ ſub radiis, humida eſt; orientalis inconſtans, occidentalis temperata, ſtationaria mulieribus nocet.

☿ in ♎ ſub radiis ventoſus, procelloſus; orientalis humidus & fœcundus; occidentalis temperatus, ſtationarius nocuus.

De Planetis in ♏.

SAturnus in ♏ ſub radiis, refrigerat; orientalis ventos boreales excitat, occidentalis congelat: ſtationarius aerem turbidum efficit.

♃ in ♏ ſub radiis pluvioſus, orientalis temperat & piſces auget, occidentalis ſerenat: ſtationarius tranquillum aerem efficit.

♂ in ♏ ſub radiis humidus; orientalis ventoſus; occidentalis tranquillus; ſtationarius tonitruoſus & fulminoſus.

♀ in ♏ ſub radiis, tum orientalis, occidentalis & ſtationaria, pluvias excitat, ſed plus orientalis. Et in quovis ſigno ſub radiis, & ſtationaria cenſetur à pleriſque pluvioſa.

☿ in ♏ ſub radiis, tempeſtuoſus; orientalis pluvioſus, occidentalis ſiccus; ſtationarius inconſtans.

De Planetis in ♐.

SAturnus in ♐ ſub radiis, pluvioſus aut nebuloſus: orientalis frigidus; occidentalis ſiccus; ſtationarius morboſus.

♃ in ♐ ſub radiis, bonum rerum ſtatum efficit; orientalis ſerenat; occidentalis multas pluvias cauſat: ſtationarius proſpera hominibus ſignificat.

♂ in ♐ ſub radiis exſiccat: orientalis bella movet: occidentalis morbos multos: ſtationarius paſſim nocet.

♀ in ♐ ſub radiis pluvioſa eſt: orientalis temperata: occidentalis ventoſa & frigida: ſtationaria mediocris.

☿ in ♐ ſub radiis valde aquoſus, orientalis temperatus: occidentalis ſiccus: ſtationarius litteratis nocuus.

De Planetis in ♑.

Saturnus in ♑ ſub radiis ventos auſtrales excitat: orientalis boreales; occidentalis frigus & gelu; ſtationarius turbidum aerem.

♃ in ♑ ſub radiis, humidus; orientalis ſtatum congruum; occidentalis pluvias: ſtationarius tranquillitatem.

♂ in ♑ ſub radiis nubes generat; orientalis exſiccat; occidentalis calefacit: ſtationarius temperat.

♀ in ♑ ſub radiis frigida; orientalis pluvioſa: occidentails frigida: ſtationaria temperata.

☿ in ♑ ſub radiis pluvioſus; orientalis obſcurat aerem: occidentalis pluviam largitur; ſtationarius inconſtans eſt.

De Planetis in ♒.

SAturnus in ♒ ſub radiis frigidus: orientalis pluvioſus: occidentalis periculoſus in mari & aquis: ſtationarius nubiloſus, nivoſus & glacioſus.

♃

♃ in ♒ ſub radiis congruum rebus ſtatum: orientalis ſanitatem, occidentalis multam pluviam: ſtationarius utiles pluvias.

♂ in ♒ ſub radiis ſiccitatem; orientalis & occidentalis ventos atque procellas: ſtationarius pericula in Mari.

♀ in ♒ ſub radiis nebuloſa: orientalis pluvioſa: occidentalis calida & flatuoſa: ſtationaria, humida.

☿ in ♒ ſub radiis nivoſus: orientalis pluvioſus; occidentalis, gelidus & turbulentus: ſtationarius, aerem turbat.

De Planetis in ♓.

SAturnus in ♓ ſub radiis nubiloſus nivoſus: orientalis bonum ſtatum, occidentalis, pluvioſus, ſtationarius, inæqualis.

♃ in ♓ ſub radiis, tum orientalis, occidentalis & ſtationarius, bonum rerum ſtatum, ſanitatem, & piſcium copiam largitur.

♂ in ♓ ſub radiis piſcibus nocet; orientalis fulgurat atque tonat; occidentalis exſiccat, ſtationarius, morbos efficit.

♀ in ♓ ſub radiis frigida ac gelida eſt: orientalis congruè temperata: occidentalis aquoſa, nivoſa, ventoſa, ſtationaria, inconſtans.

☿ in ♓ ſub radiis tempeſtuoſus & pluvioſus: orientalis & occidentalis tranquillus & congruè temperatus: ſtationarius inconſtantiam Aeris cauſat.

Cæterùm ex ſuprapoſitis aphoriſmis plures reperientur, quorum non poterit reddi ratio, vel ex parte mixtionis qualitatum Solis & Planetæ: vel ex parte ultimæ Tabellæ Cap. 3. Sect. 1. Libri 13. Itaque conſulatur experientia, habito reſpectu quartæ anni: & diſtinguendo ſagaciter effectus Planetarum, qui his per ſe conveniunt, ab iis qui per accidens: nam Sol per ſe Terram calefacit & exſiccat: per accidens verò pluviis irrigat & refrigerat; dum vapores omnes quos attrahit reſolvere nequit, ob exiguam ſuam moram ſuper Horiſontem, vel impedimenta ab aliis cauſis. Atque ſic dę reliquis.

CAPUT VIII.

De Planetarum Anni dominorum ſpecialibus effectibus à modo ſui motus.

PLanetæ ſinguli circa Solem ordinati, diverſimode moveri deprehenduntur: ſcilicet directè & retrogradè; inter quos binos modus apparent ſtationarii: & in utroque aliâs celeriter, aliâs tardè, aliâs autem mediocriter ferri viſuntur. His autem modis ſui motus, agunt influentialiter & elementaliter. Et quidem influentialiter per analogiam, ut à nobis explicatum eſt Lib. 13. Sect. 3. Cap. 3. Nam directi & veloces ſignificant progreſſum rerum humanarum ad quas determinati ſunt; eumque celerem celeres, tardumque tardi, medium mediocres. Retrogradi verò interruptionem progreſſus rerum ipſarum, vel averſionem ab eis, vel ipſarum deſtructionem. Et denique ſtationarii præſertim in ſignis fixis, firmitatem, conſtantiam & durationem rerum ipſarum, Elementaliter autem agunt præcipuè juxta ſuam à Tellure diſtantiam, per naturam propriam.

Eſt autem certum primò. Quod Planeta ſtationarius, valde eſt activus ſecundum naturam propriam & locum Cœli in quo ſtat: hoc eſt Dodecatemorion in quo verſatur, & ſtellas fixas apud quas ipſe ſtat: hæ namque Planetæ virtutem ſua ☌ particulariter determinant, ad actionis ſocietatem; imò potenter ob moram ſtationis. Indeque detegi poteſt vera ipſarum fixarum natura, ſi ignoretur, & hoc nota.

Secundò. Quod dum Planeta in prima ſtatione incipit regredi, tunc invertit atque perturbat præteritas ſuas actiones vel effectus, à ſocietate ſigni & fixarum, uſque ad finem regreſſus: & dum rurſus incipit dirigi, eaſdem renovat atque perficit: ſemper habita ratione anni quarta, & viciniç Sol per ☌ vel ☍.

Tertiò. Quod in medio regreſſus, ♄ ♃ & ♂ opponuntur Soli reſpectu Terræ, ſibique mutuò occurrunt, quaſi invicem ex oppoſito pugnaturi: at in medio directionis, Sol conjunctione illos attingit atque ſuperat. Venus autem & ☿ in medio directionis & regreſſus Soli conjunguntur reſpectu noſtri, ſed in directione Solem ſuperant, & ab eo ſuperantur in regreſſu.

Quartò. Quod Planetæ calidi ♃ ♂ & ♀ dum fiunt retrogradi, quia tunc viciniores ſunt Terræ; idcirco calore ſuo elementali vapores quidem elevant, ſed ſolo ipſo calore proprio nequeunt reſolvere. Ideoque jure dicuntur pluvioſi; ac præcipuè ♀ omnium minimè calida & maximè humida. Planetæ autem frigidi ♄ & ☿, dum fiunt retrogradi, quia tunc viciniores ſunt Terræ, idcirco potentiùs denſant vapores aliunde elevatos, unde pluviæ: ideoque meritò dicuntur etiam pluvioſi. At quando Sol reperitur cum Planetis retrogradis ♀ & ☿, aut opponitur aliis ♄ ♃ & ♂; tunc potiùs ſicci & ſereni ſunt quàm pluvioſi. Nam Sol calore proprio reſolvit, quod ab aliis reſolvi non potuit; ſive interdiu à ♀ & ☿, ſive noctu à ♄ ♃ & ♂; niſi Solis ſuper Horiſontem mora brevior quàm par ſit obſtiterit; ut in Zona torrida æſtate, & apud nos hyeme. His præmiſſis ſequuntur aliquot aphoriſmi de directione & regreſſu Planetarum.

Primò. Omnes Planetæ retrogradi ſunt ex ſe pluvioſi: præſertim in ſignis fœmininis, & maximè in aqueis, & manſione humida, vel apud fixas pluvioſas; ac potiſſimùm ♀ & ☿. Idque quadrat jam ſupradictis.

Secundò. Quò plures fuerint Planetæ ſic diſpoſiti, eò certiùs pluviam prædicere licet: & ſi tres ſic reperti fuerunt in ♋ ♏ & ♓ ſibique applicantes, inundatio portenditur.

Tertiò. Multi Planetæ retrogradi in boreali parte Zodiaci, pluvias & ventos in Mundi parte boreali præſagunt: & retrogradi in auſtrali, pluvias & ventos in parte auſtrali. Ratio eſt quia ♄ ♃ & ♂ retrogradi in parte boreali, habent Solem in parte auſtrali; qui per conſequens brevem moram facit ſuper Horiſontes Borealium: & retrogradi in auſtrali, habent Solem in boreali, qui breves dies efficit in auſtrali.

Quartò. Planetæ directi potiùs ſiccitates efficiunt atque ſerenitates. Quia naturâ calidi paucos vapores elevant; frigidi verò debiliores ſunt ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

vapores denſandos ob ſuum à Tellure receſſum. Nihilominus agunt quantùm poſſunt juxta naturam ſuam, ſignum, ſtellas, & anni quartam.

Quintò. Planetæ retrogradi in Cœli parte meridionali tempore æſtatis apud Boreales; his tonitrua, fulgura, fortemque grandinem efficiunt: ſed Autumni tempore pluvias.

Sextò. In his omnibus eſt habenda ratio poſitionis Planetarum ipſorum ad ☉. Nam ſive directi ſive retrogradi; effectuum varietatem aliquam ſortiuntur, prout ad ☉ ſunt orientales vel occidentales, juxta Tabellam Capitis 3. Lib. 13. Sect. 1.

Plures alii habentur aphoriſmi apud Alkindum Cap. 2; ſed quorum nullas habet rationes validas ſibique conſtantes; imò, qui Aſtronomiæ contrariantur. Nam ipſi aphoriſmi potiſſimùm intelligendi ſunt de Planetis ♄ ♃ & ♂ retrogradis. At Alkindus eos pluries ponit retrogrados in eodem Quadrante Zodiaci cum ☉: ut cùm ait. *Quando Planetæ retrogrediuntur à capite ♋ ad ♎, & fuerit Sol cum illis in eadem quarta.* Tum & *fuerint retrogradi à ♎ ad ♑, & fuerit Sol cum illis*, &c: cùm tamen Saturnus non incipiat retrogredi priuſquam à Sole diſtet pluſquam Quadrante circuli, ſitque inter quadrantem & trientem: Jupiter verò diſtet triente, & Mars ultra trientem; proindeque nullus eorum poſſit eſſe retrogradus in eodem Zodiaci quadrante cum Sole.

Caput IX.

De Planetarum anni dominorum ſpecialibus effectibus à ſuo ſtatu Terreſtri, vel poſitu ad Horiſontem.

IN Planetarum anni dominorum ſtatu Terreſtri, hæc attendenda veniunt. Primò. In qua figuræ domo verſetur dominus Anni: ſub qua ratione continetur, an ſit in angulo, an in ſuccedente, an verò in cadente. Secundò. Quibus præſit domibus. Tertiò. Quas efficaciùs aſpiciat, nimirum oppoſito vel quadrato radio.

De primo fusè agit Haly Cap. 7. Lib. 8. & poſt ipſum Origanus Cap. 3. Part 3. ubi de ſingulis Planetis anni dominis definitur, quid in ſingulis domibus efficiant: non autem de ſecundo & tertio. At qualiter de primo, ſecundo & tertio judicandum ſit, ſaltem pro effectibus influentialibus, ſufficienter à nobis dictum eſt, Lib. 21. Sect. 2. tum Cap. 2. hujus Sectionis; ut proinde ſit omnino ſuperfluum, quæ illic generaliter decreta ſunt, hîc denuo particulariter repetere: ſed duntaxat addendum vel potiùs recordandum, Planetas in angulis efficaciores eſſe ad ea quæ ſignificant, dummodo ſit fortis ad bonum vel malum, vel ad quamvis qualitatem Aeris, eorum ſtatus Cœleſtis, hoc eſt cæteris paribus: in cadentibus verò debiliores ſunt, & in ſuccedentibus mediocres, juxta communiter acceptam Aſtrologorum ſententiam; quæ potiſſimùm vera deprehendetur pro effectibus elementalibus. Nam pro influentialibus Saturnus in nulla figuræ domo pravam, turpem, aut difficilem mortem efficacius ſignificat, quàm in octava domo poſitus, quamvis hæc non ſit angularis. Et ♃ in nona pro itineribus, pietate & eccleſiaſticis dignitatibus fœlicior eſt, quàm in quavis alia figuræ domo, cæteris quoque paribus, quamvis nona ſit cadens: & in ſecunda maximè fortunat pro divitiis. Eademque eſt ratio de reliquis.

Cæterùm pro elementalibus effectibus conſtitutionis univerſalis, ac præcipuè temperatura in Horiſonte figuræ regnatura, durante ipſa conſtitutione; rationi congruere videtur, ut ſicut in nativitatibus ſit judicium de temperamento Nati, ex prima domo ejuſque ſtatu Cœleſti; hoc eſt ſigno illam occupante, ejus domino, & Planetis ac fixis in ipſa corpore vel aſpectu: ita in conſtitutione univerſali de Regionis temperatura judicetur; notando quale ſignum aſcendat: nam prout fuerit aereum, aqueum vel terreum; aereæ, aqueæ vel terreæ qualitates præcipuè producentur, & Aer, Aqua vel Terra præcipuè afficientur in ſe, & ſuis fructibus vel incolis. Neque hic modus ſpernendus eſt; cùm præſertim plures veterum Aſtrologorum apud Haly, de regionis univerſali temperatura judicaverint ex ſolo ſigno aſcendente, in figura conſtitutionis univerſalis.

Porrò hic cavendum eſt ab errore Cardani, qui Commento in Text. 56. Lib. 2. vult quidem cùm Ptolemæo & rectè, binas eſſe figuras inſpiciendas pro Solis ingreſſu, in ſingula 4 puncta cardinalia ♈ ♋ ♎ ♑. ſcilicet 4 pro illis ingreſſibus Solis, & 4 pro noviluniis aut pleniluniis immediatè præcedentibus: ſed propria opinione & ſine authoritate Ptolemæi, cenſet equidem erigendas eſſe figuras pro noviluniis aut pleniluniis ipſis, quoniam horum tempus exquiſitè ſcitur; at pro ingreſſibus Solis, non poſſe figuram erigi, quòd tempus non adeo exquiſitè ſciatur; cùm tamen exquiſita cognitio temporis Lunationis, præcipuè pendeat ab exquiſita cognitione motus Solis ad ipſum tempus: ideoque tempus ingreſſus Solis exquiſitiùs ſciri debet, quàm tempus Lunationis; quòd figura ingreſſus Solis in ♈ ♋ ♎ ♑ ſit præcipua ad ferendum judicium de anno ejuſque quartis. Vide finem Cap. 4. Sect. 1.

Præterea textu 58. duos effectus attribuit ☌ vel ☍ præcedenti Solis ingreſſum in punctum cardinale: ſcilicet proprium, qui tantùm extenditur uſque ad ingreſſum ☉, & generalem qui incipit ab ipſo ingreſſu ☉, verbi gratiâ, in principium ♈, uſq; ad proximum ingreſſum in ♋; atq; ſic de reliquis: ſed perperam: virtus enim revolutionis ſynodicæ ☉ & ☽ durat uſque ad ſimilem revolutionem proximè ſequentem, ut alibi docuimus; nec ceſſat per ingreſſum Solis in cardinale punctum: alioquin nulla ejus eſſet habenda ratio in ipſo Solis ingreſſu. Nam ejus duntaxat eſt habenda ratio, quia Solis ingreſſus accidit durantibus effectibus ac virtute ipſius ſynodi; cujus virtutis vel effectuum reliquiæ, pertinent ad ipſum ingreſſum, quatenus cum hujus virtute concurrunt: ſed proxima ſequente ſynodo deſinunt, nec extenduntur, uſque ad ingreſſum Solis in aliud cardinale punctum.

Fallitur præterea Cardanus ſupradicto Commento in Text. 56. Lib. 2. dum vult quod ſi inter Solis ingreſſum in quodvis cardinale punctum, verbi gratiâ, principium ♈, & eclipſim immediatè præcedentem accidat ☌ vel ☍ ☉ & ☽, figura eclipſis etiam à pluribus menſibus præterita, erit primò ſpe-

ſpectanda, ut præcipuæ virtutis in anni quarta: *quia* (inquit) *ſi poteſt ſupra totum annum, multò magis ſupra anni quartam, cui proximior erit.* Secundum verò locum quò ad robur tribuit figuræ ingreſſus Solis; & ultimum figuræ novilunii vel plenilunii Solis ingreſſum proximiùs antecedentis. Cùm enim Eclipſis ſit tantùm lunatio, efficientia ejus actualis ultra propriam periodum non extendetur, ut à nobis dictum eſt Cap. 7. Sect. 1. Ideoque figura ingreſſus erit primariò conſiderando.

CAPUT X.

De effectibus quartarum Revolutionis mundanæ Solis.

QUamvis revolutio mundana Solis ſit cauſa generalis ac primaria effectuum totius anni; & quartarum themata Cœleſtia, tantùm agant ut ſunt tranſitus Solis per □ & ☍ principii ♈, idque cum reſpectu ad Thema revolutionis ipſius: quia tamen Cœli conſtitutio & Solis ſtatus tam Cœleſtis quàm Terreſtris ad illum tranſitum, evidentiùs manifeſtat qualis & quanta ſit vis illius tranſitus, pro anni parte in quam incidit, ad promovenda vel impedienda ſignificata mundanæ revolutionis Solis, vel quidpiam novi moliendum: ac inſuper cardinalia Zodiaci puncta ſunt mutationum invicem contrariarum principia, ſive cauſæ reſpectu ſublunarium. Idcirco erectis figuris pro qualibet anni quarta neceſſariis; ſcilicet pro ingreſſu ☉ in principium ♋ ♎ aut ♑; tum pro novilunio aut plenilunio immediatè præcedente, juxta Cap. 4. & 6. Sect. 1: inveniantur earum domini juxta Cap. 9. Ac ſi ambarum figurarum idem Planeta dominus extiterit, ipſe in tota quarta erit potentiſſimus. Si verò diverſi Planetæ ambabus figuris præfuerint; eorum vires à natura propria & ſtatu Cœleſti Terreſtriq; miſceantur; atq; videatur quomodo in figura ingreſſus ☉ ſint inter ſe affecti; tum an ſua naturâ ſint inter ſe amici vel inimici; ut ex his pateat num ſe adjuvent aut impediant: indeque feratur judicium ut de figura mundanæ revolutionis ☉, evitando Cardani errores cap. 9. expoſitos, tum etiam ſequentem. Quippe vult cum Ptolemæo quod ſi ☍ ☉ & ☽ immediate præceſſerit ☉ ingreſſum in cardinale punctum; omnes menſes illius quartæ incipiant ab oppoſitionibus ☉ & ☽: hoc autem abſurdum eſſe inde liquet, quoniam ut anni ſunt à Sole, ſic menſes ſunt à revolutione ſynodica Lunę cum Sole; ipſaque ſynodus eſt principium primarium ac independens, non autem ☍ ☉ & ☽, quæ agit per reſpectum ad thema Cœleſte ſynodi præcedentis, ac per modum tranſitus; ſi non per locum ipſius ☌ luminarium, ſaltem per loca aliorum Planetarum & angulorum in ipſo themate. Adde quod juxta mentem Ptolemæi & Cardani, menſium ordo atque tempus pluries in anno turbarentur & poſſet dari menſis 15 tantùm dierum, quod aliud abſurdum eſt: nec vis unius ſynodi duraret uſque ad proximè ſequentem, quod tamen fieri jam pluries probatum eſt.

Itaque in omni quarta mundanæ revolutionis, primariò ſpectetur novilunium immediatè pręcedens; ſecundariò autem vel ☍ vel □, quæ occurret inter novilunium, & Solis ingreſſum in cardinale punctum, ſique occurrat □ inter ☍ & Solis ingreſſum, erit □ ad judicium anni quartæ oppoſitioni præferenda. Nam ambæ □ & ☍ ſubordinantur quidem per ſe ☌ independenti; at nec ☍ ſubordinatur per ſe primæ □, nec ſecunda □ oppoſitioni: ideoque agunt ſeorſim juxta propriam vim, cum dependentia à conjunctione. Quamobrem ingreſſus ☉ in punctum cardinale, non minùs dependet ab immediata □, atque ab immediata ☍, in ratione principii diſpoſitivi rerum ſublunarium ad effectus, vel mutationes cauſandas ab ipſo ingreſſu, quamvis oppoſitio ſit potentior.

Cæterùm quamvis luminarium ſynodus dicatur hîc independens, hoc tamen duntaxat intelligitur, quod ſit independens ab alia ſyzygia luminarium in menſe ſynodico; non autem quod ſit abſolutè independens; ſiquidem primariò dependet à præcedente ingreſſu ☉ in ♈ principium: quælibet enim ſynodus luminarium eſt pars totius anni; hujus effectus pro ſuo modulo diſpenſans ac promovens. Nec propterea ſequetur dari progreſſum in infinitum, quòd ingreſſus Solis dependeat etiam ab alia priore ſynodo: nam ſynodus immediatè præcedens ingreſſum ☉ in ♈, cùm ſit finalis ſynodus anni præcedentis, tam exiguæ virtutis eſt circa hunc annum, quem terminat & cujus deſinunt effectus, ut potiùs cenſendo ſit pertinere ad ſequentem, quem ſuis effectibus inchoat; proindeque ceſſet progreſſus in infinitum. Veluti ſi ingreſſus ☉ in ♈ accidat, die ultimo immediatè præcedentis revolutionis ſynodicæ ☉ & ☽; quoniam tunc exhauſta eſt atque ceſſat vis ipſius revolutionis, potiùs erit habenda ratio ejus, quæ cum ingreſſu Solis in ♈ incipit, vel hunc uno aut altero die ſequitur, præſertim cùm Ptolemæus & experientia teſtentur triduo ferè ante novilunia horum effectus inchoari; & vis cujuſque domus figuræ Cœleſtis, in cuſpide maxima, continuò decreſcat uſque ad cuſpidem domus ſequentis, ubi omnino deſinit.

Porrò hîc non videtur omittenda regula Eudoxi, cujus meminit Plinius circa finem Cap. 47. Lib. 2. Hiſt. Natur. & quam Origanus approbare videtur, Part. 3. Cap. 4. nempe ſingulis quadrienniis redire eaſdem vices non ventorum modo, verùm etiam reliquarum tempeſtatum magna ex parte: quòd ſcilicet ſingulis quadrienniis, figuræ ingreſſus Solis in puncta cardinalia ſint ferè ſimiles, ſingulæ ſingulis pro eodem cardinali puncto: proindeque Sole & fixis reſpectu Terræ ſimiliter poſitis, ab his iidem effectus recurrere debeant. Sed præterquam quod reliquorum Planetarum ſtatus Cœleſtis ac Terreſtris multùm variatur; accidit etiam differentia 48′ horæ inter duo proxima quadriennia; quę valent 12 gradus Æquatoris, pro differentia aſcenſionis rectæ Medii Cœli, vel aſcenſionis obliquę Horoſcopi; unde poſitio Cœli ſatis inſigniter etiam variatur; forſanque Planetarum in angulis figuræ dominium: unde nil mirum ſi ſingulis quadrienniis etiam immediatis parva tempeſtatum aliorumque effectuum, ſimilitudo in ſingulis anni quartis deprehendatur. At major deprehendi poteſt ſingulis 120 annis, quia tunc ſal-

tem redit idem Medium Cœli, proindeque idem ſtatus Terreſtris fixarum, atque Solis, quibus maxima eſt ſuper hæc inferiora poteſtas; ſed reliquorum Planetarum ſtatus uterque ab anno primo valde differt, ut patet in Ephemeridibus.

Caput XI.

De effectibus revolutionis ſynodicæ Lunæ cum Sole, & Quartarum illius.

SI nobis conſtaret de vero Lunæ loco, quem occupavit initio ſuæ creationis; ejus revolutio ad ipſum locum, nobis eſſet periodicus ac verus Lunæ menſis: & Thema Cœleſte ipſius revolutionis, eſſet præcipua & genuina cauſa menſtruorum effectuum generalium; ut à ſimili patuit in Lunæ revolutionibus periodicis pro nativitatibus. At de loco illo certi non ſumus, etſi probabiliſſima ratione cenſuerim, Lib. 2. Cap. 10. Solem atque Lunam vero motu centraliter junctos fuiſſe in principio ♈, ipſo die ſuæ creationis: rejecta opinione Kepleri, qui in Tabulis Rudolphinis arbitratur illos fuiſſe conjunctos in 28 gradu ♊: proindeque licet periodicas Lunæ revolutiones mundanas ad principium ♈, attenta mente ſpectare ſuadeam, ut obſervetur an aliquos habeant generales effectus, etiam majores quàm revolutiones ejus ſynodicæ: quia tamen nobis ſuperſunt ipſæ revolutiones ſynodicæ Lunæ cum Sole cunctis notiſſimæ Aſtrologis, imò etiam ruſticis; ex quibus de menſium effectibus generalibus veræ prædictiones fieri ſolent: idcirco de his duntaxat agemus hoc capite, menſes ſingulos inchoando à novilunio, ſive ☌ ☉ ☽, ut ſyzygia primaria ac independente, veluti ſuperiùs explicatum eſt.

Itaque ex Cap. 6. Sect. 1. erigatur figura conjunctionis Solis & ☽; cujus inveniantur domini ex Cap. 9. Deindeque fiat ipſius figuræ judicium, juxta propriam naturam dominorum, eorumque ſtatum Cœleſtem ac Terreſtrem, ut factum eſt in revolutione annua ejuſque quartis. Siquidem unus ac idem eſt de omnibus judicandi modus habita ratione ſubordinationis, proindeque toties eadem repetere non eſt opus. Similiterque procedendum erit in Quartarum judicio, in quibus anguli & Planetæ, præſertim domini non erunt abſolutè ſpectandi, ſed cum reſpectu ad figuram novilunii, à quo dependent ipſæ quartæ, quodque per ſe eſt menſis Lunaris principium. Quæ enim quarta habebit cum ipſo novilunio majorem convenientiam ratione angulorum dominorum & tranſituum, ipſa majores edet effectus, validiúſque novilunii ſignificata promovebit, ipſa durante quarta. Sed de Lunationibus & harum quartis explicemus jam hîc locum Ptolemæi in Quatripartito, quem Cardanus appellat totius voluminis difficillimum.

Igitur Ptolemæus Lib. 2. Text. 63. apud Cardanum, poſtquam de quadrantibus revolutionis annuæ Solis, ſive anni quartis mentem ſuam aperuit, ſubjunxitque doctrinam de menſtruis noviluniis ac pleniluniis; deinde particularium tempeſtatum Aeris, tertiam cauſam afferens; *in hanc* (inquit) *cadunt configurationes Solis & Lunæ particulares, non ſolùm interlunii & plenilunii, ſed etiam horum mediæ, id eſt quadratæ. Ubi animadvertendum eſt, ante tres ferè dies, omnium ferè tempeſtatum ſignificationes exiſtere ſolere; aut etiam poſt tres nonnunquam exæquati itineris Lunaris erga Solem.* Quibus verbis diverſimodè explicatis à Lucio Bellantio & Junctino, qui volunt ea intelligi de figura 16 laterum pro aſpectuum conſideratione, tum à Cardano, Naiboida & Magino, qui cenſent eadem intelligi de figura 8 laterum: vult ipſe Cardanus, non ſolùm obſervandas eſſe ☌ ☍ □ Lunæ cum Sole; ſed etiam illis interjectas medietates; quòd Luna in illis medietatibus conſtitura, judicare ſoleat quas mutationes ſit effectura, cùm ad proximè ſequentem ☌ ☍ aut □ devenerit, aut quæ à proximè antecedente ☌ ☍ vel □ ſint expectandæ. Sed quantùm aberrent à mente Ptolemæi & rei veritate, facile probabitur ex ipſo Ptolemæo: qui per diem tertium ante vel poſt exæquatum iter Lunæ ad Solem, non alium intelligit, quàm eum ſolum quo Luna ante conjunctionem ultimò apparet, vel poſt ☌ primò conſpicitur, hoc eſt, quo occidit vel oritur heliacè: qui dies frequentiùs extat tertius ante vel poſt ☌, quàm quartus, ſecundus aut primus; fuitque ſemper apud antiquos etiam ruſticos principaliſſimæ contemplationis ad judicandum de totius menſis præcipuo ſtatu. Et quod hæc ſit mens Ptolemæi ex eo conſtat, quia Lunare iter exæquatur Soli duntaxat in novilunio, quo nempe Luna Solem attingit. Præterea quamvis hoc in loco, velit advertendas eſſe quoque figuras triangulas & ſexangulas Lunæ cum Sole, tamen figuræ octangulæ, vel ſexdecangulæ non meminit: quippe quòd Lib. 1. Cap 12. enumeratis omnibus figuris ſeu aſpectibus in Aſtrologia conſiderandis, oppoſitione, trino, quadrato, & hexagono, ait deinde; *Plura aſpectuum aut figurarum diſcrimina ſeu differentias apud Aſtrologos non recipi*, ob rationes quas ibidem enumerat. Ergo Cardanus cum aliis aberravit à mente Ptolemæi: & quæ per figurarum 8 laterum probare nititur in morborum decurſu, ſine tali figura meliùs probari queunt, ut in praxi Aſtrologica Deo dante dicemus.

Ex ſupradicti verò loci genuina explicatione ſequitur, in Lunæ occaſu & ortu heliaco reſpectu noſtri, ſtudioſè attendendum eſſe ad ipſius Lunæ ſtatum Cœleſtem & Terreſtrem: ac præſertim cum quibus fixis & conſtellationibus exiſtat, & quam occupet manſionem: nec non quę tunc emergat Aeris conſtitutio. Vulgo enim cenſetur, quod qualis eſt Luna tertia ante & poſt novilunium, talis eſt tota: hoc eſt toto durante menſe quoad Aeris diſpoſitionem. Nec id ſine cauſa dicitur; tum quia tunc Luna fere eſt in dodectili Solis, qui aſpectus eſt efficax & primus, quem ipſa poſt ☌ cum ☉ efficit: tum quia ſi aliorum Planetarum, imò & fixarum ortus & occaſus heliaci, ſunt inſignis virtutis ob eandem rationem, quantò majoris debet eſſe ortus & occaſus heliacus Lunę, Planetæ primarii & nobis viciniſſimi?

Cæterùm de Lunationibus harumque quartis, ſequentes notentur Aphoriſmi.

1. Si Planetæ domini ☌ vel ☍ præcedentis ingreſſum Solis in punctum cardinale, fuerint natu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

naturâ calidi, & in ſignis calidis, & corpore vel aſpectu connexi, cum Planetis vel fixis natura calidis, aut partiliter aut applicatione; ac fuerint etiam in quarta figuræ calida; & anni quarta fuerit naturæ calidæ; ingens calor producetur ipsâ anni quartâ, & præſertim ejus initio. Eademque eſt ratio de aliis.

2. Lunationes menſtruæ earumque quartæ, augent vel minuunt temperaturam quartæ anni in qua contingunt, penes ſuam naturam & qualitatem. Ideoque nec ex ſola anni quarta ferendum eſt judicium de tota ipſa quarta niſi inſpectis Lunationibus menſtruis: nec etiam de Lunatione poteſt exactum fieri judicium niſi ſpectatâ generali naturâ anni quartæ, ex ejus figura & præcedente novilunio.

3. Magnę mutationes non fiunt ſine concurſu ♄ ♃ aut ♂ dominio in figura, aut connexione per corpus vel aſpectum cum Sole vel Luna. Nec calamitates accidere ſolent, niſi prædominantibus infortuniis.

4. Lunatio contingens in prima vel decima domo, ac præſertim in ſigno mobili, ſubitos ac celeres habet effectus: eoſque magnos ſi ♄ ♃ aut ♂ Lunationis cardini præfuerit, majores verò ſi Lunatio fuerit cum eclipſi: incipientque effectus apparere ipſo die Lunationis.

5. Planetæ directi ac veloces ſerenitatem cauſant, ſtationarii ventos, retrogradi aquas.

6. Serenitas cauſatur præſertim à ☉ ♄ ♃ & ♂. Imbres verò à ☽ ♀ & ☿. Ideoque ſerenitas cum magno calore & frigore compatitur: imbres verò nunquam cum magno frigore.

7. Æſtate plures aut validas decet eſſe cauſas frigoris, tum hyeme caloris, ut præter naturam anni quartę inſignes ſortiantur effectus.

8. Studioſè obſervandus eſt Planeta, cui Luna vel dominus Lunationis primò applicat. Aer enim ſæpius mutatur penes ejus naturam, atque ſtatum tam cœleſtem quàm Terreſtrem, habita ratione anni quartæ: ſique ♂ applicet, grandines & tonitrua erunt expectanda, niſi natura anni quartæ obſtiterit: ſi ♄, pluviæ, frigus; ſi ♃, ſerenitas, &c: ſæpius verò accidet mutatio in defluxu quàm in applicatione, & ratio eſt, quia mutatio vel effectus applicatione concipitur, vel generatur; defluxu verò naſcitur, vel extra ſuas cauſas producitur: ſi tamen cauſæ fortes fuerint ſtatu Cœleſti & angulares, applicatio pariet effectum; quem intendet ſyzygia partilis.

9. Magna eſt habenda ratio anguli orientis ejuſque domini. Nam Planeta qui in loco ☌ ☍ vel □, & Horoſcopo figuræ plures habuerit dignitates, erit aliis præferendus. In ipſis verò locis ſpectanda eſt natura ſigni & manſionis, & in domino illorum, ejus natura, ſignum, manſio, domus in figura; ex iiſque judicandum.

10. Si dominus Lunationis fuerit naturæ humidæ, in ſigno humido applicans Planetæ humido, etiam in ſigno humido: & Luna primò applicet Planetæ humido, &c: magnæ humiditates & pluviæ erunt expectandæ in anni quarta, præſertim humida ut hyeme. Eademque eſt ratio de calido, frigido, ſicco. Si verò accidat contrarietas qualitatum: ut quod dominus ſit naturâ calidus, ſed in ſigno frigido, & ſuffragia utrinque ſint æqualia, temperies in calore & frigore erit prædicenda: ſi inæqualia, pars fortior vincet: ſed videndum erit cui anni quartæ natura faveat.

11. Cauſæ caloris æſtate calorem augent pro ſuo robore: hyeme frigus minuunt. Cauſæ frigoris contrà calorem æſtate remittunt, & hyeme frigus intendunt. Similiterque humiditatis cauſæ, ſiccitatem æſtatis moderantur, & hyemis humiditatem augent: unde patet quid efficiant generaliter cauſæ ſiccitatis.

12. Stellæ fixæ quæ conjunguntur luminaribus, vel Lunationum dominis, ſedulò ſunt advertendæ: ſunt enim ad Aeris mutationes valde potentes; tum quæ cum illis oriuntur culminant & occidunt. Vide etiam fixas momento figuræ orientes & occidentes.

13. Si in aliqua Lunationis figura contingat ☌ vel ☍ Planetarum aliorum, ac præſertim ſuperiorum inter ſe, vel cum inferioribus; ipſa majoris erit virtutis quàm alio tempore, ac præſertim ſi partilis fuerit. Maximæ verò ſi etiam ☉ & ☽ aſpiciant.

14. Mutatio ſignificata in Lunatione, accidet quando Luna poſt ☌ vel ☍ cum Sole, connectitur forti radio cum domino conſtitutionis; aut motu proprio deveniet ad ſignum vel gradum Horoſcopi: præſertim ſi illud ſignum fuerit in angulare in Revolutione Solis, vel ejus quarta. Nec ſyzygiæ Lunę cum Sole cauſabunt ex ſe mutationes illas.

15. ♄ ♃ & ♂ ſi inter ſe, vel cum ♀ & ☿ conjungantur, vel opponantur in Lunatione; & ſtatim Luna eis applicet, certò mutabitur Aer juxta naturam Planetę fortioris.

16. Cùm Planetæ domini conſtitutionis ſubordinatæ vel inferioris, motu proprio deveniunt ad ſigna angulorum, vel ipſos angulos figuræ ſuperioris, agunt juxta ſuam & ſigni naturam.

17. Aſtrologi quidam ex Mizaldo Libro de Judiciis Aeris, Cap. 2. dirigunt Horoſcopum Lunationis ad Planetam dominum, vel ejus □ aut ☍, dando cuilibet diei 13 gradus 11′. Tuncque volunt fieri mutationem, juxta naturam ipſius Planetæ, ſigni in quo eſt, & manſionem, niſi Planeta ipſe debilis extiterit. Hic autem aphoriſmus tantùm intelligendus eſt de novilunio, & locis in ipſo determinatis, ut pro Lunæ revolutionibus periodicis nativitatum diximus alibi.

18. Planetæ conjuncti magis ad ſerenitates, oppoſiti magis ad pluvias proni ſunt. Et cùm multi Planetæ ut 4 aut 5. coeunt in aliquo ſigno, de Aere judicandum eſt potiùs ex natura Planetarum & domini ſigni, quàm ex natura ſigni: hac non neglecta, nec ejus ſigni domino.

19. In novilunio, ☍ & □, Lunæ latitudo non eſt omittenda nec Planetæ qui Themati dominatur: nec Triplicitas in qua verſantur. Inde ſiquidem fiet conjectura de Mundi parte, ex qua mutatio Aeris expectanda ſit.

20. Magnæ mutationes Aeris vocantur portarum vel cataractarum Cœli apertiones. Eſt enim duplex apertio, quippe minor, ſeu portarum, & major, ſeu cataractarum aut valvarum. Minor eſt, quando Planetæ, qui domos habent oppo-

tas, ut ♄ & ☉, ♄ & ☽, ♃ & ☿, tum ♂ & ♀ inter ſe conjunguntur, quadrantur vel opponuntur.

Major verò eſt cùm Luna à ☌ □ vel ☍ unius illorum, immediatè fertur ad alterius aſpectum, quippe à ♄ ad ☉, à ♃ ad ☿, & à ♂ ad ♀, aut contrà; tunc enim furibundi venti, procellæ, nimbi, pluviæ copioſæ, grandines, tonitrua & fulmina pro ratione anni quartæ, & Planetarum portas aperientium expectanda ſunt; præſertim ſi Planetæ ipſi à quo Luna defluit, vel cui applicat in univerſali conſtitutione dominium ſortiantur, & ſint cum fixis tempeſtuoſis, ſeque aſpiciant. Fit autem Aeris mutatio interdum penes naturam Planetæ ſuperioris, interdum pene naturam fortioris, ſæpius verò penes naturam ejus cui Luna applicat. Ut ſi defluens à Sole applicet ♄: erit aeris mutatio Saturnina, habita ratione ſigni quod Saturnus occupat, fixarum quibus jungitur & anni quartæ: ſique ☿ corpore vel aſpectu forti copuletur Planetæ portas aperienti, ventos ac tempeſtates ſonoras excitabit. Planeta autem retrogradus pluviam copioſam, duo retrogradi, copioſiorem. Eſtque notandum quod ſi ☉ fuerit circa ſuum perigæum, cum inferioribus Planetis, erunt propenſi ad pluvias in apertione portarum, præſertim in ſigno aqueo: At ſi fuerit circa ſuum apogæum cum Planetis ſuperioribus, ad ſerenitatem & ſiccitates erunt proni, niſi natura ſigni ejuſque domini obſtiterit. Ac præterea notandum eſt, quod validior eſt portarum apertio, dum Luna defluit à Planeta inferiore applicans ſuperiori; quàm ſi defluat à ſuperiore applicans inferiori. Denique hîc non omittendum quòd tam minor, quàm major portarum apertio egregiè confirmat ſympathiæ vinculum, quâ Planetę cum ſuis domibus Cœleſtibus connectuntur; quodque ipſi agunt non ſolùm ratione naturæ propriæ, ſed etiam ratione dominii.

Caput XII.

De revolutionibus ſynodicis ♄ ♃ ♂ ♀ ☿, tam inter ſe, quàm cum luminaribus, illarumque quartis; tum de ipſarum effectibus.

Poſtquam de revolutionibus ☉ & ☽, Planetarum in Mundo primariorum ſufficienter actum eſt, doctrinæ ordo exigit, ut de ♄ ♃ ♂ ♀ & ☿ revolutionibus ea ſaltem dicamus, quæ humani ingenii vim & capacitatem non excedunt.

Primò igitur eorum periodicæ revolutiones ad ſua loca radicalia initio creationis ſuæ, multò minùs nobis innoteſcunt, quàm periodicæ revolutiones Solis & Lunæ. Et quod ad ſynodicas attinet, tam cum luminaribus quàm inter ſe; quamvis ſciri poſſit, quo in ſigno & gradu Zodiaci contingant: tamen qua præcisè horâ fiant, adhuc neſcitur, ob Aſtronomicarum Tabularum defectum: vixque unquam ſcietur de ♄ ♃ & ♂ inter ſe, ob tarditatem motus ipſorum; præſertim cùm circa ſtationes verſantur. Ob has igitur rationes, illarum figura Cœleſtis per Tabulas erigi nequit: unde neſcitur etiam quis earum particularis dominus exiſtat, ratione angulorum, nec quos ſpeciales producturę ſint effectus ratione domorum, in ſingulis Terræ locis, ſed tantum ſciri poteſt, quid univerſaliter toti Terræ ſignificent ratione ſui ſtatus Cœleſtis, dum ſaltem ſeorſim conſiderantur. Idque forſan divinâ factum eſt providentiâ; ut imminentibus magnis ☌ infauſtis, ſingulæ nationes habeant timendi, ad Deumque recurrendi cauſam.

Suppoſitis autem Tabulis motuum Solis, fixarum, ♄, ♃, ♂, ♀, ☿ atque ☽ accuratè reſtitutis, etiam accuratè erigentur figuræ revolutionum ſynodicarum Lunæ cum Planetis omnibus; ac pręſertim cum ♄ ♃ & ♂; eruntque poſſibiles revolutionum figuræ, pro ☉ ♀ & ☿ inter ſe; magis autem cum ♄ ♃ & ♂: proindeque reſtabunt duntaxat figuræ revolutionum ♄ ♃ & ♂ inter ſe; quas erigere quiſquis aggredietur; non Tabulis, ſed obſervatione id illi tentandum erit; quòd Tabulæ ad tantam præciſionem, eamque conſtantem perduci nequeant. Sic autem erit procedendum. Obſervetur motus diurnus utriuſque Planetæ in circulo præſertim Meridiano, pridie quàm fiat eorum ☌, Problem. 2 & 4. Tertiæ Partis Aſtron. Reſt. ſed vitato tempore, quo tardiùs progrediuntur. Dumque obſervatione conſtabit, Planetarum differentiam longitudinis & tardioris Planetæ diurnum longitudinis ſimul addita, efficere ſummam, quæ non excedit Planetæ velocioris diurnum longitudinis: tunc in regula aurea ponatur differentia amborum diurnorum pro primo numero, 24. horæ pro ſecundo, & differentia longitudinis ſupradicta pro tertio: quartus enim proportionalis erunt horę & minuta, quibus poſt obſervationem fiet ipſorum Planetarum conjunctio. Cúmque hæc obſervatio non videatur impoſſibilis, dum præſertim ♂ erit unus Planetarum; certum eſt quod ſi rectè ſuccedat, erit interdum magnæ utilitatis, ob vim inſignem ipſarum ☌.

Jam verò ſive non erecta, ſive erecta ☌ figura; pro ejus ſtatu Cœleſti notentur ſequentia.

1. Quæ ſit natura amborum Planetarum conjunctorum.

2. In quo fiat Trigono, nec non in quo immediatè præceſſerit.

3. In quo fiat ſigno; & quis ſit ejus dominus, tum quis ſit ejus ſtatus Cœleſtis; tum an & qualiter aſpiciat conjunctionis locum.

4. An Planetæ conjuncti eorumque dominus ſint orientalęs, vel occidentales Soli aut Lunę.

5. An ſigno ſint benè affecti vel malè, & quis eorum ſit fortior, nec nón domino loci conjunctionis familiarior.

6. Qualis ſit eorum latitudo & declinatio.

7. Quinam Planetæ aſpiciant conjunctionis locum ejuſque dominum: & cui primò applicent tam Planetæ conjuncti, quàm dominus conjunctionis.

8. Quibus ſtellis fixis ſint etiam conjuncti; & in qua manſione.

Ex his autem omnibus contemperatis, eruatur virtus univerſalis, quâ talis ☌ aget in univerſam Terram.

Si autem revolutionis ſynodicæ figura erigi queat, inde ſcietur etiam ejus ſtatus Terreſtris; &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

& quos effectus ſpecie productura ſit juxta domorum ſignificata in Horiſonte quolibet. Quoniam enim certum eſt quod ipſa fiet in aliqua domo figuræ reſpectu cujuſvis Horiſontis; etiam certum eſt, quod ipſa aget circa ſignificata ipſius domus, & earum in quibus ſunt, vel quibus præſunt domini ipſius ☌, ob determinationem. Itaque ſi ☌ fiat in prima domo; aget circa rerum initia & exortus, hominumque geneſes: ac forſitan cauſabit geneſin hominis alicujus inſignis, de natura Planetarum conjunctorum. Si fiat in decima aget in Regna, Reſpublicas, dignitates ac ſuſcepta: ſi in nona, circa Religiones & ſectas: ſi in ſeptima, circa conjugia, lites, bella: ſi in octava, circa mortes ac interitus naturales aut violentos, juxta vim ☌. At ☌ ♄ ♃ & ♂, majores præ cæteris edunt effectus, creduntur que vulgò, Regnorum everſiones aut mutationes, novas Religiones, ſectas, bella, peſtes ſævas, diluvia, alioſque ſtupendos effectus excitare: ſcilicet in Regionibus, ubi fiunt in congruis ad talia domibus, vel quibus ſunt verticales, & congrua inferiorum diſpoſitio adeſt, cum inſigni robore ipſius ☌. Ideoque ad has præcipuè attendere ſolent Aſtrologi, ſpretis aliis. Et Albumaſar Libro de magnis conjunctionibus tradit, quid in ſingulis ſignis effecturæ ſint; & ſequitúr hac in parte Hermetis placita apud Haly, Part. 8. de Judic. Aſtror.: ſed eorum doctrina confuſa eſt, adeo ut illam hîc omittendam cenſeamus: & nonnullos duntaxat aphoriſmos ſubjungimus, ſynodicis omnibus communes revolutionibus, & aſtrologicis rationibus conſentaneos, ex quibus adjunctis Tabulis Cap. 6 & 7. plus lucis ac certitudinis ad prædicendum deprometur.

1. Duorum Planetarum quorumcunque ſynodica revolutio in eadem Triplicitate, in qua præceſſit immediatè eorumdem ☌; hujus effectus continuat, vel ſimiles denuò producit: in Triplicitate ſymbola, partim eoſdem ſpecie, partim diverſos: in prorſus contraria, prorſus contrarios & extraordinarios: non tamen ſemper maximos; nam effectuum magnitudo, correſpondet in omnibus ſynodis, robori Planetarum ☌ dominantium.

2. Si ☌ ejuſque dominus fuerint in eadem Triplicitate; majores erunt ipſius ☌ effectus ratione Triplicitatis; tam in Aere, quàm Terræ plagis ipſi Triplicitati ſubditis.

3. Magnæ ☌ in ſignis cardinalibus, ſemper magnos producunt effectus: & eò majores, quò propinquiores fuerint ſignorum ipſorum principiis; tum ob robur maximum punctorum cardinalium; tum quia ſigna ipſa ſunt exaltationes præcipuorum Planetarum.

4. ☌ ♄ & ♃ præ cæteris res magnas præſagiunt; quòd uterque Planeta ſit in Cœlo maximæ virtutis ac authoritatis, ut hactenus obſervatum eſt ab Aſtrologis. Nec mirum, quandoquidem uterque proprio ſtipatur ſatellitio ad inſtar Solis; quod veteribus fuit ignotum. At eorum ☌ in ſignis cardinalibus, cæteris ſunt efficaciores.

5. Multi planetæ in ſignis cardinalibus, ſemper aliquid magni ſignificant, in conſtitutionibus tam univerſalibus, quàm particularibus: nam aut ſunt inter ſe conjuncti, aut quadrati, aut oppoſiti; quod in illis ſignis ingentia mala ſæpiùs cauſat.

6. ☌ ♄ & ♂ eſt ſemper valde mala, niſi benefici Planetæ potenter dominentur ipſi ☌. Eſt autem pejor in ſignis cardinalibus; peſſima autem in ♋, qui eſt exilium ♄, & dejectio ♂. Et hanc ☌ ſemper ſecutæ ſunt corruptiones Aeris, peſtes, diluvia, piſcium interitus, Bella, & mortes Principum.

7. Planetarum ☌ omnes in ſignis maleficorum, pernicioſæ ſunt: deteriores verò ſi malefici pravè afficiantur, vel ☌ loco pravè configurentur.

8. In omnibus Planetarum ☌, magna eſt habenda ratio ☉ & ☽. An ipſi ſint conjuncti, vel configurati conjunctis. Inde enim effectus ſunt univerſaliores, magis conſpicui, & pertinent ad Reges vel Principes.

9. Conjunctio in ſignis igneis, calorem & ſiccitatem excitat; in aereis ventos atque procellas; in terreis gelu atque nives; in aqueis pluvias. Eſt tamen habenda ratio quartæ anni & naturæ Planetarum & conjunctorum; quę ſi concordet cum ſignis, fiet exceſſus nocuus; ſi contrarietur; fiet naturarum temperies.

10. Planetarum conjunctorum fortior in loco ☌, & ſuperior in Excentrico, & qui ſuper Horiſontem altiùs attollitur, præpollet in effectibus: ſique fuerit natura beneficus benefaciet, ſi verò maleficus malefaciet.

11. Si dominus ☌ fuerit naturâ beneficus & benè affectus, benefaciet; ſi maleficus & malè affectus, mala cauſabit.

12. Si ☌ fiat in ſigno fixo, lenti erunt effectus atque diuturni, præſertim ſi ♄ fuerit unus Planetarum conjunctorum, & ſit inſuper ſtationarius vel motu tardus. ſi fiat in mobili ſigno, effectus erunt celeres breviorìſque durationis, præſertim ſi ♂ aut ♀, fuerit unus Planetarum conjunctorum, & motu velox: ſi fiat in ſignis communibus, effectus erunt medii.

Quod verò ad ipſarum conjunctionum □ & ☍ attinet, hæ duplices ſunt, ſcilicet per determinationem & ſyzygiam: quæ cùm explicent ipſius ☌ effectus, promovendo, augendo, minuendo, ſupprimendo, aut quid novi moliendo, ut in revolutionibus ☉ & ☽ ſynodicis dictum eſt; etiam de his ſimiliter venit judicandum; habita nempe ratione virtutis ☌ ac determinationis, tuncque vigentis Cœleſtis conſtitutionis.

Denique tempora effectuum cujuſque revolutionis ſynodicæ, deteguntur per appulſum Planetarum conjunctorum ad figuræ angulos, vel loca dominorum: vel per appulſum dominorum ad angulos & locum ☌; vel per directiones inſtituendas per diurnum medium revolutionis periodicæ aut ſynodicæ velocioris Planetarum conjunctorum; ut pro ☽ factum eſt, Cap. 12. Sect. 1. ſed notandum quod tam hîc quàm pro Luna, directiones non ſunt inchoandæ à figuris quartarum vel oppoſitionis; ſed duntaxat à figura ☌, uſque ad proximè ſequentem ☌: advertendo qualiter themata Cæleſtia quadraturarum & oppoſitionis, præſertim ex determinatione concordent, vel diſcordent cum directionibus ad illa tempora.

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Caput XIII.

De compoſitione conſtitutionum univerſalium Cœli ſubordinatarum; earumque mixtis effectibus.

CApite 3. Sectionis 1. fuſè actum eſt de Conſtitutionum Cœli univerſalium ſubordinatione; atque oſtenſum quod revolutiones ſynodicæ ♄ ♃ ♂ ♀ ☿ ac ☽, tam cum Sole quàm inter ſe, ſubordinentur revolutioni mundanæ Solis. Deinde verò tantùm egimus hactenus de conſtitutionibus ſimplicibus; quippe de mundana revolutione Solis, & ſynodicis revolutionibus ☽ ♄ ♃ ♂ ♀ ☿, tam inter ſe quàm cum Sole ſeorſim ſpectatis, earumque effectibus. Jam igitur ſupereſt, ut de earum mixtione & mixtis effectibus pauca, ſed præcipuè neceſſaria dicamus.

Itaque ad judicandum de effectibus mundanæ revolutionis Solis, combinandæ ſunt propriæ ſignificationes Thematum Cœleſtium, tam ipſius revolutionis, quàm Novilunii, Plenilunii, quadraturæ Solis & Lunæ immediatè præcedentis revolutionem ipſam. Advertendo quod ſignificatio quadraturarum, & plenilunii dependet à ſignificatione Novilunii, ut jam antea dictum eſt: proindeque præcipuam eſſe habendam rationem ipſius novilunii, licet inter hoc & Solis ingreſſum in principium ♈ plenilunium, aut quadratura interceſſerit: ſic tamen ut ipſum novilunium ſpectetur duntaxat, ut cauſa diſponens ſeu præparans naturam ſublunarem ad proprios effectus ingreſſus Solis in ♈, non autem ut eorum cauſa efficiens. Neque ſpernantur Themata Cœleſtia quadraturarum, & ☍ Lunæ ad loca in novilunio determinata, quibus vis ineſt haud exigua. In Lunationibus autem primæ anni quartæ, hoc eſt occurrentibus inter ingreſſus Solis in ♈ & ♋; combinandæ erunt propriæ ſignificationes quadraturarum & plenilunii, primò quidem ſeu proximè cum ſignificatione novilunii ſui; deinde verò omnes hæ ſignificationes, vel quod ex eis reſultat, combinandum erit cum ſignificatione Thematis ingreſſus Solis in principium ♈; non ampliùs habita ratione thematis novilunii hunc ingreſſum præcedentis, cujus efficacia præteriit ac deſiit. Similiterque faciendum erit pro ſingulis anni quartis.

Quod verò ſpectat ad alias revolutiones ſynodicas ♄ ♃ ♂ ♀ & ☿, cum luminaribus & inter ſe; primò videndum erit cum quo Sol ante ſuum ingreſſum in ♈, & Luna ante novilunium præcedens, ultimò coiverint: eritque talium ſynodorum habenda ratio, ut cauſarum diſponentium naturam ſublunarem ad effectus Solis pro Anno, & Lunæ pro menſe: eruntque ſpectandi tranſitus Solis & Lunæ per □ & ☍ locorum ipſarum ſynodorum, donec Sol & Luna, cum iiſdem iterum coeant; non etiam omiſſis quadraturis & ☍ per ſyzygias. Pro aliis verò ſynodis ipſorum ♄ ♃ ♂ ♀ & ☿ inter ſe attendantur in Thematibus Solis & Lunæ, illorum revolutiones ſynodicæ currentes, præſertim verò ♄ ♃ & ♂; & tranſitus tam luminarium quàm ipſorum ♄ ♃ ♂ ♀ & ☿, per loca in quibus ultimò coiverint: ſiquidem ſupradictorum nihil in Natura ſuperfluum, vel otioſum eſſe poteſt; ſed ſingula penes ſuam vim concurrunt ad hæc ſublunaria alteranda & immutanda. Unde hujus mirabilis ſcientiæ amplitudo & difficultas humano objecta ingenio facilè conjici poteſt. Ut autem ipſa tollatur ſaltem ex parte, notentur ſequentes regulæ.

Prima. Si duarum figurarum ſubordinatarum idem fuerit dominus, in eodem utrobique ſigno, ille maximè erit efficax in poſteriore figura, pro ambarum communi ſignificato, etiam concurrente fortiter ipſius ſigni domino. Si fuerint diverſi, ſed in eodem ſigno, vide in poſteriore figura, an ipſius ſigni dominus forti radio connectatur, cum figurarum dominis vel eorum altero, aut ſit in angulis figuræ præcipuis: tunc enim poſterior figura erit etiam multum efficax circa ambarum commune ſignificatum. Si denique fuerint diverſi figurarum domini, & in ſignis diverſis, nec ejuſdem Triplicitatis, nec in poſteriore figura ſe receperint, aut forti radio connectantur; poſterior figura exiguæ, vel nullius erit virtutis, circa ſignificatum prioris, ſaltem ut illud promoveat.

Secunda. Si duarum figurarum ſubordinatarum, idem fuerit ſignum aſcendens; & dominus ejus ſit etiam dominus punctorum in Conſtitutionibus primariorum, aut ſaltem alterius ipſorum, ac præſertim conſtitutionis prioris; aut ipſa puncta forti radio intueatur; etſi ipſe fortis ſtatu Cœleſti & angularis: poſterior figura valdè promovebit ſignificata prioris.

Tertia. Conſtitutio univerſalis ordine prior ac ſuperior, in ſuas prorumpit effectus, per conſtitutiones poſteriores & ſubordinatas, ſua durante periodo contingentes, ſi hæ ſimilia priori ſignificent: retardatur autem vel impeditur, ſi contraria ſignificent: ſemper enim conſtitutiones priores ac ſuperiores continent ſuos effectus futuros in potentia, quæ ad actum reducitur à poſterioribus vel inferioribus; non quidem ab omnibus; ſed duntaxat à virtute propria ſimilibus & conſentientibus: ut à ſimili patet ex Nati figura genethliaca, ejuſque revolutionibus.

Quarta. Plures conſtitutiones ſimul tempore concurrentes, ut novilunium cum ſynodo ♄ & ♃, aut talis ſynodus, vel novilunium cum mundana Solis revolutione; maximos producunt effectus: præſertim ſi conſtitutionum concurrentium idem ſit Horoſcopus; vel idem puncti primarii dominus.

Plures autem aliæ regulæ ex his deduci & conſtrui queunt ab Aſtrologo perito. Sed hæ jam ſufficiant.

Caput XIV.

De dependentia conſtitutionum Cœli particularium pro nativitatibus, à conſtitutionibus univerſalibus antea expoſitis: Et quomodo hæ agant in Natos ſingulos, horum durante vitâ.

DOctrina hoc Capite contenta, eſt momenti in Aſtrologia præcipui, quippe quòd particularia ſubjiciantur univerſalibus, ut rectè monet Ptolemæus in præfatione Libri 2. Idque patet in quolibet Nato, qui dependet à propria Cœli conſtitu-

ſtitutione genethliaca in temperamento, moribus, ingenio & futuris vitæ accidentibus, ut univerſa teſtatur Aſtrologia cum ipſa experientia: hæc verò particularis conſtitutio Cœli dependet à precedentibus univerſalibus, ſcilicet ingreſſu Solis in ♈ ♋ ♎ vel ♑ & Lunationibus, quarum illa tantùm pars eſſe poteſt, non agens independenter à ſuo toto, quod de potentia pro ſuo modulo reducit in actum: at nec Ptolemæus nec Cardanus ejus Commentator doctrinam iſtam, ut par erat expoſuerunt ac elucidarunt. Errat enim Cardanus Commento in Text. 2. dum ait. *Nihil unum poſſe toti Orbi generaliter ſignificari; ideoque non dari conſtitutiones generales ratione cauſæ agentis, ſed ſolùm ratione loci.* Hoc eſt nullam poſſe dari cauſam Cœleſtem, quæ toti Orbi quid unum ſignificet, ſed tantùm quæ diverſa ſignificet, ratione diverſorum locorum. Si quidem certum eſt ex Elementis, quod conjunctio ♄ & ♃ in ſe ſpectata cum ſuo ſtatu Cœleſti, aliud efficit reſpectu totius Orbis, quàm ☌ ♄ & ♂; & tam hæc quàm illa quid unum generaliter toti Orbi ſignificat. Quippe hæc effectum vel impreſſionem à ♄ & ♂ conjunctis; illa vero effectum à [illegible] & ♃ conjunctis. Nam ex elementis quoque certum eſt, quod ☌ ♄ & ♂ eſt eodem momento temporis in ſingulis figuræ domibus; non unius loci reſpectu, ſed totius Terræ. Et quibus eſt in decima, ſignificat quidem circa accidentia decimæ; quibus in octava, circa accidentia octavæ; quibus in ſeptima, circa accidentia ſeptimæ; ſed in ſingulis parit effectus & facit impreſſionem juxta vim propriam, ac aliter quàm faceret ☌ ♄ & ♃: ergo toti Mundo quid unum ſignificat, ſed tantùm genericè; idemque dicendum de ingreſſu Solis in principium ♈, de Eclipſi, vel quovis novilunio, &c: unde patet hanc cauſæ Cœleſtis univerſalitatem, nec Ptolemæo, nec Cardano innotuiſſe.

Porrò talis cauſa ſive conſtitutio toti Terræ univerſalis, determinatur à ſingulis Terræ locis per ſuum ſtatum Terreſtrem reſpectu cujuſque loci, quem ſtatum exprimit figura Cœleſtis ad quemlibet locum erecta: indeque oritur cauſa univerſalis reſpectu regni provinciæ, urbis & pagi, quam Ptolemæus & Cardanus admiſerunt, & de qua etiam hìc nobis agendum eſt.

Igitur Ptolemæus Textu 3. & Cardanus in Commento, cauſam hanc univerſalem dividunt in eas quæ determinantur circa totum Regnum, totam provinciam, unicam urbem, & unicum pagum: atque ut pagus, civitas, provincia, & regnum ſubordinantur velut pars atque totum; ſic cauſas illas univerſales ſubordinari inde infinuatur. Nec tamen dixerunt Ptolemæus, vel Cardanus quomodo inferior à ſuperiore dependeat in agendo, vel hanc determinet, nec quomodo figura Cœleſtis pro toto Regno ſit erigenda, ut inde ſciatur quid toti Regno ſignificetur. Cùmque Cardanus Comment. in Text. 7. aſſeruerit quâ ſolet audaciâ, quod poſt annum 1583 uſque ad annum 1782 ante medium incipiet Monarchia, & omnia regentur unius nutu; hæcque forſan prædictio Hiſpaniæ Reges ad Monarchiæ ambitionem ſtimulaverit, ad quam directè ſatis longo tempore pergentes, tandem ſub Philippo 3. facti ſunt ſtationarii, & jam ſub Philippo 4 valde retrogradi; amiſſis regnis Cataloniæ & Luſitaniæ, cum Indis orientalibus, multiſque aliis ditionibus, certum eſt quod pro tali Monarchia nulla poſſet erigi figura conſtitutionis alicujus univerſalis; utpote novilunii, vel ingreſſus Solis in Ariete, vel alicujus eclipſis. Si enim dicatur erigi poſſe in civitate totius Monarchiæ Metropoli vel Capite, in qua ipſe Monarcha morabitur: ſanè cùm ſit in arbitrio Monarchæ, quancunque voluerit Orbis civitatem facere metropolim, in eaque ſedem figere; patet quod nationes ſingulæ ſubjicientur conſtitutioni univerſali, non ratione hujus ſtatus Terreſtris, vel ſitus ad Horiſontem proprium, ſed ratione voluntatis Monarchæ; quod eſt ab aſtrorum agendi modo prorſus alienum. Hæcque ratio valet non ſolùm pro Monarchia univerſa, ſed pro quolibet Regno vel imperio. Quis enim Aſtrologus dixerit Philippinas Inſulas affici ab Eclipſi, penes ejus figuram erectam in Hiſpania, ubi moratur Princeps qui Inſulis ipſis dominatur, niſi forſan per accidens, ut infra explicabitur? Itaque de his omnibus cauſis univerſalibus & earum ſubordinatione, ſive naturali qualis reperitur inter ingreſſum Solis in ♈, & ſequens novilunium in Cœlo tantùm ſpectata, ſive locali, qualis reperitur inter figuram erectam pro toto Regno, & figuram erectam pro aliqua ejus civitate, nobis definiendum eſſe videtur juxta ſequentes Regulas.

Prima. Nullus Terreſtris ſuperficiei locus preeſt alteri naturaliter, & per ſe. Nam in globo Terreſtri in ſe ſpectato, ſingulæ partes ejus ſuperficiei ſe habent æqualiter: & una parte ſumpta quæ ſit A, non poteſt afferri valida ratio naturalis, cur ipſa ſubjiciatur potiùs parti B, quàm parti C, vel D, E, F, &c: eidem circumpoſitis; vel potiùs parti L propinquiori, quàm parti M remotiori.

Secunda. In quolibet Terræ loco poteſt conſtrui civitas Metropolis Regni, ut ex ſe notum eſt. Igitur nullus Terræ locus per ſe, & naturaliter dependet ab alio, ut civitate Metropoli inſignito.

Tertia. Quilibet Terræ locus à Cœli conſtitutione afficitur naturaliter, per Thema Cœleſte determinatum ad ipſum Terræ locum; & non ad alterum in quo ipſius conſtitutionis Thema, ſenſibilem admittit angulorum diverſitatem ratione graduum, ſed prætertim ſignorum. Alioquin univerſa corrueret Aſtrologia, ſi non fieret judicium de cujuſque loci accidentibus, ex figura erecta ad ipſum locum.

Quarta. Nullus homo alteri homini naturaliter ſubjicitur, præterquam parentibus, à quibus accipit eſſe hominis atque vitam: hæcque libertas naturalis inter ſylveſtres homines adhuc perdurat. At politicè quilibet homo poteſt alteri ſubjici: ſicque ſervus domino ſuo ſubjicitur, cliens ſuo Principi ſive Regi; & Imperator captivus ſuo victori, ut de Bajazetho & Tamerlano, aliiſque plurimis notum eſt.

Quinta. Ex his verò ſequitur, quod dum dicitur, hic pagus dependet à tali civitate, & ipſa civitas à tali regno; id non eſt intelligendum de naturali dependentia ipſorum locorum: ſed de politica dependentia hominum loca illa incolentium,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

tium, qui alicui Regi vel Principi politicè ſubordinantur atque ſubjiciuntur, quæ eſt dependentia per accidens, ſuperiùs inſinuata, & frequenter mutabilis, fortunę caſibus.

Sexta. Cuiuſque loci accidentia ſive fata duplicis ſunt generis. Alia enim ſunt naturalia, ut Aeris diſpoſitiones, & quæ inde ſequuntur peſtes, ſterilitates, inundationes, tum quæ ad domorum ſignificata ex ſe pertinent. Alia verò ſunt politica ut leges, edicta, tributa, &c. Prioris generis fata in quolibet loco, dependent primò & per ſe à conſtitutionibus ſive cauſis Cœleſtibus univerſalibus, per themata ad ipſum locum erecta. Poſterioris verò generis fata dependent particulariter à propria geneſi & revolutione Regis vel Principis vel horum Miniſtri plenipotentis; univerſaliter autem ab eadem conſtitutione univerſali, prout hæc recipitur ab ipſo Rege ſuoque Miniſtro & Conſilio in loco, in quo hi reperiuntur momento ipſius conſtitutionis. Nam ipſa conſtitutio ſingulos afficit, prout determinatur reſpectu ſingulorum. Ideoque ſinguli agunt & patiuntur prout illam recipiunt, & cum illa per propriam geneſin ac directiones nec non revolutiones concordant vel diſcordant. Itaque ſi in Metropoli alicujus provinciæ erigatur figura conſtitutionis univerſalis, & conferatur cum figura ejuſdem conſtitutionis erecta ad locum, ubi tunc fuit Rex ejuſque primus Miniſter, adhibitis horum figuris nativitatum & revolutionum cum directionibus; conjici poterit quid ipſi Provinciæ à tali conſtitutione ſignificetur. Regis autem nomine intelliguntur non ſolùm ipſe Rex vel Regina; ſed regni Primates, penes quos eſt abſoluta regendi poteſtas, quo in caſu potiùs ad ipſos Primates quàm ad Regem vel Reginam advertendum eſt; quòd ſcilicet illi pro ſuo arbitrio ac impetu cuncta gubernent.

Septima. Natus recipit influxum ingreſſus ☉ in ♈, in loco ubi tunc reperitur: & hic ingreſſus ſuos ſortitur effectus in ipſo loco ratione ſtatus Cœleſtis atque Terreſtris durante revolutione Solis. Natus autem qui talem influxum penes utrumque ſtatum in ipſo loco recipit, ſi aliò proficiſcatur, equidem ſecum defert influxum à ſe receptum ſecundum utrumque ſtatum; ſed peregrinando ſe liberat ab ipſo influxu penes ſtatum Terreſtrem in illo loco receptum, & fit obnoxius effectibus quem idem ingreſſus ſuo ſtatu Terreſtri efficit in locis quę peragrat, vel in quo ſtationem facit, non ſecus ac tranſiens per urbem in qua peſtis graſſatur, vel etiam moram faciens, peſti maximè fit obnoxius. Indeque accidere poteſt ut in priore loco ipſi Nato mors vel morbi, & in poſteriore ſanitas atque vita ſignificentur. Quamobrem pro optimo peſtis remedio, non abs re dictum eſt ab antiquis, longè fugiendum eſſe à loco ubi ipſa graſſari incipit; ſcilicet extra limites figuræ Cœleſtis, quæ in ipſo loco peſtem concitavit, ubi nempe mutantur anguli; vel conſtitutionis ipſius domini peſtem ſignificantes; & tardè redeundum metu reliquiarum. Atque hæc de dependentia unius loci ab alio ratione conſtitutionis Cœleſtis, tum Nati à ſingulis: dicta ſufficiant.

Conſequenter autem dicamus quomodo natus ſubjiciatur conſtitutionibus univerſalibus loci in quo ipſe verſatur; ſive conſtitutionem illam reciperit in illo loco per geneſin vel moram ſimplicem, ſive in altero unde diſceſſit: ad quod ſequentes notentur Regulæ.

Prima. Cauſarum univerſalium aliæ ſunt potentes, Planetarum dignitate, dominorum robore, & conſtitutionis univerſo ſtatu, Cœleſti ſcilicet ac Terreſtri: aliæ verò ſunt debiles. Sunt autem inter ſe & cum particularibus conferendæ.

Secunda. Cauſę Cœleſtes quò ſunt univerſaliores & potentiores; eò majores univerſaliores & diuturniores producunt effectus. Atq; ſic ingreſſus ☉ in principium ♈, tum conjunctio ♄ & ♃ univerſaliores majores & diuturniores producunt effectus, quàm novilunium etiam eclipticum; ſaltem cæteris paribus quò ad robur & debilitatem conſtitutionum invicem collatarum.

Tertia. Cæteris paribus univerſalis conſtitutio vincit particularem; & magis univerſalis minùs univerſalem. At debilis univerſalis non vincet particularem fortem, nec debilis univerſalior fortem minùs univerſalem. Ideoq; ſi ingreſſus ☉ in ♈ debiliter ſignificaverit ſiccitatem, & novilunium ſequens fortiter pluvias, eo menſe pluet. Similiterque ſi tam ingreſſus ☉ in ♈, quàm novilunium ſignificaverint bonam ſanamque Aeris conſtitutionem; Natus autem habuerit eo anno ac menſe à directionibus revolutionibus ☉ & ☽, nec non tranſitibus fortem morbi ſignificationem, quam non prævideat & cui non reſiſtat, pro certo ægrotabit. Atque ſic de reliquis.

Quarta. Cæteris paribus effectus conſtitutionis circa multos, ut quod peſtis ab univerſali conſtitutione ſignificata multos occidet, certior eſt quàm effectus conſtitutionis particularis circa unicum. Ut quod Natus à propria directione & revolutione ſit moriturus. Si quidem facilius eſt impedire unicum particularem effectum, quàm multos.

Quinta. Particulares conſtitutiones concordantes cum univerſali ſubeunt effectum ipſius univerſalis, ſive bonum, ſive malum: idque omnino vel ex parte, prout fortiter vel debiliter inter ſe concordant. Ideoq; ſi in conſtitutione univerſali Cœlum, ☉, ☽, aut Planetę ſynodos vel ſyzygias celebrantes, fuerint ſimiliter diſpoſiti, ac in figura radicis vel revolutionis Nati; hic profectò afficietur ab univerſali juxta hujus ſignificata.

Sexta. Si morborum vel mortis ſignificator in genitura vel Revolutione Nati, fuerit idem cum ſignificatore calamitatis morboſæ in univerſali conſtitutione; & adſit directio congrua, ille anno ipſo vel menſe morietur. Similiterque ſi Planeta dignitatum ſignificator in geneſi, fuerit idem cum domino Medii Cœli conſtitutionis univerſalis; & ſit utrobique fortis & fortunatus, honores vel dignitatem ipſe Natus adipiſcetur.

Septima. In quibus genituris iidem fuerint anguli vel luminarium loca cum angulis, & luminarium locis in univerſali conſtitutione: hi benè vel malè afficientur, prout conſtitutio fuerit bona ſive mala. Si genituræ loca ſint oppoſita vel quadrata locis conſtitutionis, pravè afficientur, ſi in △ vel ✳ benè afficientur. Si verò præcipui genituræ domini, ac præſertim Horoſcopi, Solis & Luna nullam connexionem habeant per dominium vel aſpectum cum loco ☌ vel ☍ geniturarum im-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

immediatè prçcedentis, vel ejus loci domino: ſintque ♄ & ♂ in præcipuis genethliacæ figuræ angulis, aut luminaria lædant. Sordidæ, infauſtæ & monſtroſæ erunt tales genituræ. At ſi gradus ☌ ☉ & ☽ nativitatem immediatè præcedentis, fuerit fœlix ſtatu Cœleſti ac Terreſtri in figura natali: tunc ſignificabitur inſigne bonum de natura domus figuræ in qua fuerit ipſe gradus. Ut ſi fuerit in decima, ſignificabit dignitates inſignes, ſi in ſeptima, magnam in conjugio fortunam, &c: ſi fuerit infelix ſtatu Cœleſti & Terreſtri, ingens malum ſignificabitur: ut ſi fuerit in octava in □ ♄ vel ♂, mortem præmaturam aut violentam: ſi fuerit benè affectus ſtatu Cœleſti, ſed in prava domo; Natus incidet in infortunia illius domus, ſed vincet vel evadet, nec ſuccumbet: idque patet in me qui gradum illum habeo in duodecima domo, quæ eſt morborum, inimicorum & carcerum. Si denique fuerit malè affectus ſtatu Cœleſti in bona domo; impediet bona ipſius domus, vel illa turbabit.

Octava. Conſtitutiones infauſtæ à quibus nulli vel pauci evadunt, ſunt eæ, quarum domini ſunt valde potentes ad malum, & exactè in cardinibus præcipuis.

Nona. Si dominus geneſis vel Horoſcopi Nati, iſque beneficus atque fortis præſit puncto primario conſtitutionis vel ejus domino; ipſe evadet malæ conſtitutionis: maximè verò ſi hæc non fuerit valde mala, & Nati revolutio eidem etiam contrarietur. At nihil eſt quod magis tutum reddat à prava conſtitutione univerſali, quàm cum genituræ vel Horoſcopi ejus dominus, eſt etiam dominus pravæ ipſius conſtitutionis, & maximè ſi fuerit beneficus: nam ſi fuerit maleficus, ſervabitur ab initio, ſed in fine peribit, præſertim ſi directio & revolutiones conſentiant.

Decima. Genitura & revolutiones Regis ſunt cauſæ univerſales reſpectu ſubditorum: ideoque ſubditus aulicus qui diſcordem habuerit cum Rege geneſin, vel revolutionem, ſibi caveat à Rege: qui verò concordem, fortunabitur apud ipſum: propria præſertim geneſi aut revolutione ad bonum vel malum inclinante. Et quod dicitur de Rege, de primis regni Miniſtris, tum quovis Principe dictum etiam intelligatur.

Caput XV.

De ſignificationibus generalibus & particularibus Cometarum.

INter nova Cœli phœnomena, nullum eſt quod hominum mentes æquè turbet, ut efficit Cometa, qui ferè ab omnibus cenſetur eſſe quoddam minax Dei flagellum & portentum imminentis alicujus ingentis mali ſuper Terra: unde illud Claudiani.

Et nunquam Cœlo ſpectatum impunè Cometem.

De Cometarum autem ſignificationibus paucula habet Ptolemæus, Lib. 2. Quatrip. Cap. 8. in qua Cardanus fusè commentatus eſt: tum aphoriſmo 100 Centiloquii, cujus tamen ipſe Ptolemæus non eſt author, ut probavi in meis Notis Aſtrologicis, ſupra Commentarium ejuſdem Centiloquii à D. de Villenes in lucem editum. Ex iis verò quæ à Ptolemæo & cæteris tradita ſunt, ſeligentes quæ Aſtrologiæ principiis & veritati ſunt magis conſentanea, repudiatiſque reliquis, circa Cometarum præſagia notentur ſequentia.

Primum. Quæ ſit natura Cometæ; nam cùm Cometæ ſint Planetarum progenies in Æthere, ideoque pheudoplanetæ dicantur; ergo cujus Planetæ colorem ipſe Cometa præcipuè referet, illius præcipuè naturam in ſuis effectibus æmulabitur. Ideoque qui fuſcus apparet, naturæ eſt Saturni; qui valde candidus, Jovis; qui valde rutilus, Martis; qui flavus, Veneris; qui variegatus, Mercurii; qui ex albo pallidus, Lunaris; qui ſplendidus, Solaris: & quilibet pro ſua natura, diverſos efficit mutationes in ſublunaribus, ſicque futurorum effectuum genera prævidentur.

Secundum. Quò major, diuturnior, & fulgidior erit Cometa; eò majores, diuturniores, magiſque conſpicuos producet effectus. Idemque dicendum de cauda, quò hæc fuerit prolixior. Contraria à contrariis ſignificantur.

Tertium. Cometa quò fuerit proprio motu velocior, eò citiores velocioreſque edet effectus.

Quartum. Cometæ proprio motu retrogradi in antecedentia ſigna; ingentes Regnorum & Religionum mutationes, omniſque naturalis ordinis depravationem magnam in illis portendunt. Directi verò, mutationes rationi & Naturæ congruentiores.

Quintum. Cometa durante ſua apparitione Planetam aliquem aut fixam inſignem ſuę caudæ extremitate continuò indicans; portendit Planetam ipſum aut fixam, futurorum effectuum forè præcipuam cauſam.

Sextum. Cometa ſuo durante motu tranſiens ab uno ſigno in aliud: ſemper ſubeſt dominio ejus Planetæ in cujus domo fuerit; agitque penes ejus naturam atque ſtatum; ſi præſertim eidem corpore vel forti radio connexus fuerit.

Septimum. Cometa agit penes aſpectus validos quos à Planetis excipit, præſertim in ſuo exortu: ut Cometa ab Haly Rodoan obſervatus.

Octavum. Cometa fortiter agit in ea Terræ loca quibus fit verticalis. Ideoque quò ampliorem Cœli Zonam ab Auſtro in Septentrionem percurrerit, eò majorem Terræ portionem ipſi Zonæ ſubjacentem, magnis mutationibus afficiet. Unde patet ratio cur Cometa magnus ac terribilis anni 1618, qui incepit cum declinatione auſtrali 17 graduum, & deſiit in declinatione boreali 80 graduum, cum motu retrogrado & cauda maxima; imperii Chinenſis invaſionem à Tartaris prçcipuè portenderit: tota enim China illi tractui vel Zonæ Cœli ſubſternitur. Dico præcipuè. Nam etſi per totum Telluris ambitum illi Zonæ ſuppoſitum mutationes magnas effecerit; tamen Chinæ invaſio à Tartaris cum horrenda hominum ſtrage, illius fuit effectus præcipuus, inceptus quo tempore Cometa apparuit.

Nonum. Cometarum præſagia deſumpta in ſuo exortu & progreſſu ex ſignorum natura, prout vulgo dicuntur humana, ferina, bicorporea, &c: tum à formis conſtellationum, ut vocantur Aries, Taurus, Piſces, Serpentarius, Delphin, Hydra, &c: vana ſunt, & in fabulis atque figmentis ſolum fundata: non tamen præſagia deſumpta à naturis propriis fixarum & conſtellationum.

De-

Decimum. Judicandum eſt de Cometa in aliquo ſigno, ut de Planeta illi naturâ analogo in eodem ſigno. Verbi gratiâ de Cometa martiali in ♑, judicandum eſt aut de ♂ in ♑.

Undecimum. Cometæ Soli orientalis, citiùs quàm occidentalis ſuos edere dicuntur effectus.

Duodecimum. Notandæ ſunt Mundi plagæ unde emergunt & moveri incipiunt Cometæ. Nam locus unde emergit Cometa, indicat malum illinc proditurum, & affecturum loca ad quæ fertur ipſe Cometa, motu proprio; ſcilicet ad ortum, occaſum, boream vel auſtrum.

Atque hæc de Cometarum effectibus in genere, per totum Terræ tractum quem percurrunt dicta ſufficiant.

In ſpecie verò prout ipſi conſiderantur in Thematibus Cœleſtibus duplex occurrit ſpeculatio. Prima eſt circa Themata generalia, ſcilicet Revolutionis annuæ Solis & Lunationum, ſive cum Eclipſi, ſive abſque Eclipſi. Dicitur enim aphor. ultimo Centiloquii, obſervandum eſſe an Cometæ Soli orientales intra unius ſigni diſtantiam, appareant in Cardinibus, aut locis ſuccedentibus, aut cadentibus: quod intelligendum eſt de figura revolutionis annuæ Solis, aut ſynodicæ Lunæ, quæ immediatè præceſſit Cometę apparitionem, ut explicui in meis Notis Aſtrologicis, quibus totius Centiloquii vera doctrina traditur: indeque judicandum erit de ipſius Cometæ effectibus in Regione ad quam figura ipſa pertinet: nimirum penes domum figurę in quam Cometa in ſuo exortu cadet; & penes ejus determinationem, & connexionem cum ipſius figuræ dominis: notando etiam ejus tranſitus per præcipua figurę loca, ejuſque tunc ſtatu Cœleſti.

Secunda eſt circa Themata genethliaca. Nam ſimiliter obſervandum eſt, in quam figuræ domum Cometa exoriens incidat; & quis ſit tunc ejus ſtatus Cœleſtis. Nam ſi fuerit pravè affectus, & in primam domum inciderit, vigente pręſertim vitæ infauſta directione radicali ac ſimili revolutione Solis aut Lunæ: de morte timendum erit. Si benè affectus inciderit in decimam, fauſtâ pro ſuſceptis & dignitatibus vigente directione radicali, ſimilique revolutione Solis aut Lunæ; aliquid magni in ſuſceptis & honoribus ſignificabit; atque ſic de cęteris.

Qui verò naſcuntur exoriente Cometa, ii potiſſimùm ab hoc afficiuntur juxta ipſius Cometæ determinationem atque ſtatum Cœleſtem: iiſque aliquid magni ſignificatur, ſi Cometa ſit in Horoſcopo, vel Medio Cœli figuræ natalitiæ. At qui naſcuntur poſt Cometæ exortum, hi non aliter ab eo afficiuntur, quàm prout Cometa pertinet ad Lunationem, quæ immediatè præceſſit nativitatem, ſi illa durante Lunatione exortus fuerit.

Qui plura minùs fida, imo à ratione aliena de Cometis videre voluerit, Legat Junctini hac de re collectiones amplas.

Caput XVI.

Quomodo de diurnis aſtrorum effectibus in his ſublunaribus ſit prædicendum.

Diurni aſtrorum effectus in his ſublunaribus pendent à conſtitutionibus Cœli univerſalibus, de quibus antea ſufficienter actum eſt. Si enim univerſalis conſtitutio anni & menſis pluviam præſagiat; diurna Cœli conſtitutio pluviam præſagiens (ut applicatio ☽ ad ♄) pluviam dabit: non autem ſi univerſalis conſtitutio ſiccitatem ſignificaverit. Sunt autem univerſalium conſtitutionum effectus ſaltem in ſeptuplici differentia: nempe calor aut frigus; ſiccitas vel humiditas; ventus aut tranquillitas; coruſcatio, tonitru, fulgur; fertilitas aut ſterilitas; morbus aut ſalubritas; & pax aut bellum: quorum ſingula ſignificantur à ſuis cauſis genuinis, potentibus in ipſis conſtitutionibus univerſalibus, ut ſupra dictum eſt. Atque dantur 6 modi ad diurnos Aſtrorum effectus in his ſublunaribus prædicendos; qui diurna ſive particularis conſtitutio vocandi ſunt; de quibus jam ſigillatim agendum eſt.

Primus eſt per doctrinam Offuſii, cujus imperfectionem deteximus Cap. 1. Sect. 2. Adde quod per eam tantùm prædici poſſunt calor & frigus; tum ſiccitas & humiditas in Aere; Sol enim ſuper Horiſontem quovis tempore calefacit: non autem venti, tonitrua, coruſcationes, procellæ & ſimilia; ſive imminentia, ſive poſtmodum futura: in eaque nulla habetur ratio naturæ elementalis ſignorum.

Secundus. Eſt per doctrinam Kepleri; qui rationem reddere conatur omnium meteororum per ſyzygias Planetarum ſimpliciter & abſolutè ſpectatas. Quæ jure à nobis rejicitur eodem Cap. 1. Sect. 2. ob rationes ibidem expoſitas.

Tertius. Eſt per directiones luminarium vel angulorum in univerſali conſtitutione; vel Planetarum ipſi conſtitutioni dominantium, ad promiſſores congruos: qui ſunt iidem Planetæ & eorum Aſpectus, aut fixæ potentes in ipſa conſtitutione. Si enim Sol in annua revolutione, vel Luna in menſtrua, dirigantur ad ♄ conſtitutionis dominum, qui ſit retrogradus in ſigno humido; & anni quarta ſit præſertim verna vel hyberna: accident pluviæ à tali directione: maximè ſi univerſalis conſtitutio ac præſertim menſtrua, pluvias ſignificaverit. Quod ſi ad idem tempus diverſæ virtute contingant directiones; judicandum erit pro efficaciore, habita ratione quartæ anni, & loci, & conſtitutionis menſtruæ. Et in quolibet promiſſore ſpectanda erit natura & ſtatus Cœleſtis ac Terreſtris, tam in figura conſtitutionis, quam ad diem completæ directionis. Et hæc in quavis directione ſunt obſervanda.

Quartus. Eſt per applicationes Planetarum; circa quas non exiguæ occurrunt difficultates. Non enim circa nobis eſt de prædicendis effectibus diurnis locorum Terræ ſub Horiſonte noſtro latentium; ſed eorum duntaxat qui ad noſtrum Horiſontem pertinent, ad quem conſtitutionum univerſalium figuræ ſunt erectæ. Jam verò dum unus Planeta alteri applicat, poteſt uterque eſſe ſupra Horiſontem vel uterque infra, vel unus ſupra, alter infra, vel unus, vel ambo in Horiſonte. Si ſint ambo ſupra Horiſontem vel in Horiſonte, dubium non eſt quin hæc applicatio ſit valde potens in figuræ loco: ſi tantùm unus, mediocris erit virtutis: at ſi ambo fuerint ſub Terra, aut nullius, aut minimæ virtutis erit in ipſo loco. Et hoc præcipuè patebit in portarum apertionibus.

Ratio

Ratio autem hæc eſſe mihi videtur, quod cum diurnæ Aeris mutationes ſint potiſſimum elementales, ideoque præcipuè pendeant ab Aſtrorum qualitatibus elementalibus, maximè requiritur, ut ad eas producendas Aſtra ipſa ſuper horizontem verſentur, aut ſaltem non ſint ambo infra Terram: ut patet ex Sole, qui in Aerem noſtrum non infundit calorem, dum ſub Terra verſatur. De his vero nihil vidi ab Antiquis oſtenſum, ideoque Poſterorum experientiæ committantur.

Occurrit alia non minor difficultas. Nam quamvis Keplerus per ſyzygias intellexerit duntaxat partiles, ut patet ex diurnis effectibus quos attribuit ſyzygiæ partili ♄ & ♃, aut ♂. Tamen certum eſt ac receptum ab Aſtrologis, quod ſyzygia quælibet totalis, complectitur tria momenta temporis præcipua, ſcilicet applicationem propriè dictam, dum Planeta velocior ſuo virtutis Orbe attingit centrum Planetæ tardioris, ſyzygiam partilem, & defluxum, dum Planeta velocior deſerit ſuo virtutis Orbe centrum tardioris. Ac Aſtrologi dum loquuntur de Aſtrorum effectibus per illorum applicationes, non excludunt partilem ſyzygiam, neque defluxum. Jam verò centrum eſt, quod ſyzygiæ totales à ♄ & ♃ durant per plures menſes: à ♃ & ♂, pluſquam menſe; ſyzygiæ verò totales Solis ♀ ☿ cum ♄ ♃ & ♂, & inter ſe, pluribus diebus perdurant. Ideoque ex his ſeorſim & ſimpliciter ſpectatis fieri nequit prognoſis de diurnis in Aere conſtitutionibus, pro aliquo particulari Terræ loco. Luna autem ob celerem ſuum motum, equidem in diurnis tempeſtatibus ciendis per ſuas cum Planetis aliis ſyzygias eſt aptiſſima & potentiſſima: ſed quia durante totali ejus ſyzygia, totum Telluris ambitum peragrat. Idcirco ex ejus totali ſyzygia ſeorſim ſpectata prædici nequit etiam diurnus effectus in aliquo particulari loco Terræ; licet Aſtrologi fateantur, effectus eſſe quandoq; ab applicatione propriè dicta, interdum a partili ſyzygia, & nonnunquam à defluxu. Et quamvis rationi quadret quod ſint à prima applicatione, dum matura eſt Sublunarium diſpoſitio, à partili ſyzygia, dum adhuc cruda eſt, & à defluxu dum crudior, vel ratióne loci, vel ratione quartæ anni (quæ maturitas aut cruditas nobis ad prædictionem ſufficienter non innoteſcit:) tamen certum eſt, quod in eodem Terræ loco & eadem anni quarta non pluit quoties Luna applicat, aut partiliter jungitur ♄ in ſigno humido, vel ab eo defluit. Proindeq; adhuc aliquid requiritur, vel ex parte ♄, vel ex parte ☽, vel ex parte utriuſq;, ſcilicet quod ſint potentes in conſtitutione univerſali præcedente, quod ſaltem non ſint ambo infra Terram: & ſint in congruo poſitu ad horizontem, nempe in Ortu, Medio Cœli, vel Occaſu, aut cum fixis effectui congruis. Atque ſi hæc omnia concurrerint (de quibus non cogitavit Keplerus) Planetæ agent etiam prima applicatione in Aerem & Globum terreſtrem, & non hic in ſeipſum, ut ſomniavit Keplerus, aut agent in partili ſyzygia, aut in defluxu, prout in horum momentorum quolibet Planetæ & fixæ fuerint ad horizontem congruentius diſpoſitæ. Eruntque effectus præſertim juxta naturam Planetæ cui Luna applicat, illiuſque ſtatum, de communi conſenſu Aſtrologorum. Atque ex aliis applicationibus Planetarum, erit à ſimili prædicendum. De quibus plurimi ſunt Aphoriſmi apud Veteres Aſtrologos ad hanc normam revocandi, quod Aſtra non promiſcue, ſed legibus certis ſuos producant effectus. Quomodo autem Planetæ per radiorum ſuorum mixtionem, producant pluvias, ventos, ſerenitates, calorem, frigus, procellas, &c. definire difficillimum eſt. Non enim, ut à colliſione duorum lapidum excutiuntur ſcintillæ ignis: ſic ab occurſu duorum Planetarum excutiuntur meteora in Aere conſpicua: ſed elementales exurgunt qualitates mixtæ, ipſorum meteororum productrices.

Quintus motus eſt per Ortus & Occaſus aſtrorum, vel conſtellationum: qui duplex eſt, nempe abſolutus & reſpectivus. Ortus abſolutus eſt aſcenſus Planetæ, aut ſtellæ ſuper horizontem, ſine reſpectu ad aliud. Reſpectivus verò eſt ipſius Planetæ, aut ſtellæ aſcenſus ſupra horizontem, cum reſpectu ad aliud; quippe ad Solem, de communi conſenſu Aſtrologorum. Idemque dicendum de Occaſu.

Porrò aſtrum reſpectivè ad Solem oritur, vel occidit dupliciter in genere, ſcilicet verè & apparenter. Verus Ortus & Occaſus eſt, cum tam Sol, quam ſtella Oriens, vel Occidens, ſimul tempore verſantur in horizonte. Eſtque talis Ortus & Occaſus iterum duplex, quippe vel cum ipſo Sole, vel in ejus oppoſito. Stella Oriens oriente Sole, dicitur matutinè, vel coſmicè oriri: & Occidens occidente Sole dicitur veſpertinè, ſeu acronyctè occidere. At Oriens occidente Sole, dicitur veſpertinè, ſeu acronyctè oriri.

Similiter Ortus, vel Occaſus apparens (qui etiam dici ſolet heliacus) duplex eſt, nimirum paulò ante Solis Ortum, & paulò poſt ejus Occaſum: & uterque iterum duplex, ſcilicet matutinus Ortus & veſpertinus.

Ortus matutinus heliacus eſt, cum aſtrum ante Solis Ortum prius non conſpicuum, primò prodit in conſpectum per receſſum Solis ab aſtro tardiore, vel retrogrado: convenitque fixis & Planetis omnibus Lunâ exceptâ. Ortus verò heliacus veſpertinus eſt, cum aſtrum poſt Solis Occaſum prius non conſpicuum, primò prodit in conſpectum, per ejus à tardiore Sole receſſum: convenitque tantum Veneri, Mercurio ac potiſſimum Lunæ.

Occaſus matutinus heliacus eſt, cum aſtrum mane ante Solis Ortum prius viſum, primò diſparet per ſuum ad Solem acceſſum. Et convenit Veneri, ☿ & potiſſimum Lunæ, motu proprio velocioribus Sole. Occaſus denique veſpertinus heliacus eſt, cum aſtrum, veſperi poſt Solis Occaſum prius viſum, primò diſparet per acceſſum Solis ad aſtrum tardius, vel retrogradum, convenitque fixis & Planetis omnibus, Lunâ exceptâ.

His præmiſſis ſciendum quod tam Planetarum quam fixarum Ortus & Occaſus ſupradicti, potentes ſunt ad diurnas mutationes in Aere concitandas, præſertim verò Ortus & Occaſus veſpertini, tam veri quam apparentes: & tunc maximè cum aſtra ipſa aliquod in univerſali conſtitutione antecedente dominium habuerint. Non enim per totum Terræ ambitum Aerem mutant, quamvis per totum Terræ ambitum oriantur & occidant. Et inter ſtellas, aut conſtellationes quæ tem-

peſtuoſæ cenſentur, famoſæ ſunt Arcturus, Orion, Pleiades, Hyades, oculus Tauri, Præſepe, Aſelli, Lucida, Libræ, cor Scorpii, cor & cauda Leonis, Canis major & minor, Caſtor & Pollux, Caput Herculis, Aquila, Delphinus, & plures aliæ, de quibus conſule Aſtrologos & experientiam. Non enim omnino fidendum eſt Aſtrologorum Scriptis, nec eorum Tabulis de Ortu & Occaſu vero fixarum; tum quod aliæ Juliano, aliæ Gregoriano accommodentur Kalendario: tum quod error etiam in ipſis deprehendatur circa verum Ortum, vel Occaſum reſpectivum ad Solem: & hæc à quibusdam Aſtrologiæ cultoribus diſcerni minimè poſſunt. Ideoque tutius erit Ortus & Occaſus fixarum in Cœleſti Globo inſpicere, deindeque eorum præſagia quærere, vel apud Origanum Part. 3. cap. 6. vel in Diania Aſtrologica Wolfgangi Satleri capitib. 28. & 29. vel apud alios qui de his ſcripſerunt. Hic enim ſingula diſcutere & exponere, nimis laborioſum eſſet, nobiſque ſat eſt viam naturalem oſtendere, generalia tradere, difficultates ſolvere, & de vitandis erroribus admonere: quæque hic deſiderari videntur, forſan in Aſtrologia practica ſupplebimus, ſi Deus Opt. Max. vitam largiatur.

Notandum verò eſt quod fixarum Ortus & Occaſus veri, non ſolum attendendi ſunt per reſpectum ad Solem, aut Lunam, ſed etiam ad alios Planetas, præſertim ſibi dominium vendicantes in univerſali conſtitutione. Hi enim Ortus & Occaſus vix robore cedunt Ortui & Occaſui reſpectivo ad luminaria.

Sextus denique modus eſt per phœnomena in Cœlo, Aere, Aqua, vel Terra conſpicua. Quæ eſt Agricolarum & naturarum vulgaris Aſtrologia. Ex his enim cauſis proximis & ſenſibilibus imminentes in Aere mutationes mirabiliter prædicere ſolent, ab hiſque ſibi & ſuis rebus cavere ſi opus fuerit & fieri poſſit: ne hac in parte videantur eſſe deterioris conditionis quam bruta.

De hoc obiter agit Ptolemæus capite ultimo Lib. 2. ſed omnium fuſiſſimè & optimè Antonius Mizaldus in ſua Aeromantia, ſive Aſtrologia Meteorologica, quam evolve & per experientiam diſce. Hæc enim cognitio non ſolum eſt utiliſſima ſuper Terra atque Mari, ad Agriculturam, Nauticam, Medicinam, Venationem, Militiam, &c. ſed inſignem quoque affert honorem ejus praxi perito. Quique in ea excelluerit & in Aula vixerit, præter admirationem, etiam Regum & Principum favorem ſibi conciliabit. Præſertim ſi huic connexa fuerit cognitio practica modorum 3. 4. 5. quæ ſcientiam Conſtitutionum univerſalium complectitur. Sed de his omnibus hactenus dicta ſufficiant pro Aſtrologiæ Theoria, ad honorem & gloriam Omnipotentis Creatoris Cœli & Terræ, cui ſit laus & gratiarum actio in æternum, Amen.

FINIS LIBRI VIGESIMI QUINTI.

ASTRO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ASTROLOGIÆ GALLICÆ

LIBER VIGESIMUS SEXTUS.

De Interrogationibus & Electionibus Aſtrologicis.

PRÆFATIO.

NOn abs re Liber hic ultimum in Aſtrologia noſtra genethliaca locum ſibi vendicat. Supponit enim quidquid in prioribus Libris Aſtrologicum eſt: ac præſertim erectiones Thematum, Radicis & Revolutionum, eorumque directiones & tranſitus Planetarum per congrua Thematum loca, ſine quorum inſpectione non niſi fortuito veritatem ad interrogata reſpondebit Aſtrologus, aut rei ſuſcipiendæ idoneum tempus eliget, quod nimirum utriuſque ſit ignarus. Quanti autem momenti iſta ſint, paucis verbis exprimi nequit, ſed frequentiſſimis experientiis probari poteſt. Verum nemo hactenus Doctrinam iſtam à figmentis & erroribus expugnavit, ejuſque fundamenta vera tradidit. Sed ferè omnes Aſtrologi; ac præſertim Arabes & Indi ob lucrum proprium eâ abuſi ſunt in inſigne dedecus Aſtrologiæ, & frequentem perniciem eorum qui tales Aſtrologos conſuluerunt. Cum autem in vitæ directione ſit pernecesſaria, ad evitanda mala, & comparanda bona particularia, congruis temporibus, ideoque utiliſſima: imò ferè totus Aſtrologiæ fructus ex ea colligi queat: idcirco hoc in Libro præcipua nobis cura fuit utramque doctrinam, de Interrogationibus, ſcilicet, & Electionibus, in ſua puritate tradere. Quod utrum fecerimus, Lector æquus judicabit.

SECTIO I.

De Interrogationibus Aſtrologicis.

CAPUT I.

Circa quæ verſetur Doctrina de Interrogationibus Aſtrologicis, & qui ſint limites veritatis illius.

DOctrina de Interrogationibus Aſtrologicis, verſatur circa reſponſiones veras ab Aſtrologo faciendas, ad quæſtiones illi propoſitas de rebus præteritis, præſentibus & futuris. Ait autem Haly prima parte de Judic. Aſtrorum Cap. 5. Ptolemæum doctrinam iſtam ablegaſſe, ut falſam, quod etiam fatetur Cardanus ad finem capitis 10. Lib. 4. Quatrip. ubi ait, doctrinam hanc eſſe ſortilegam; ſed poſtea Libellum de Interrogationibus compoſuit, quem in fine Commentarii in Quatripartit. expoſuit. At Haly cum Hermete, Vuellio, & aliis Arabibus illam, ut veram amplexus eſt, traditque prima, ſecunda & tertia parte de Judic. Aſtrorum, quibus adjunxit Librum nonum Judicum, ubi Aſtrologia circa cujuſcumque generis quæſtiones cum adeo effrænatâ tractatur licentiâ, nulla figuræ genethliacæ habita ratione, ut quæſtione facta de fure, non ſolum ſpecialiter quid furatus ſit, quam in partem fugerit, ubinam ſit: ſed etiam cujus ſit formæ, ætatis, & religionis, quot litteris nomen ejus conſtet, quænam illæ ſint: & quomodo furis nomen inde ſit componendum definire, tales Aſtrologi ſtultè præſumpſerint: aſſerentes aut veritatem his omnibus ineſſe, aut nequidem figuris nativitatum ineſſe; quippe quod velint non ſolum nativitates hominum, ſed eorum etiam actiones omnes, cogitationes & quæſtiones eſſe à cauſis cœleſtibus.

Ego vero vitatis ambabus extremis ſententiis, ſcilicet Ptolemæi atque illorum Arabum, mediâ incedendum eſſe puto, atque dicendum, non ad quaſlibet, ſed ad aliquas duntaxat quæſtiones, Aſtrologos legitima poſſe reſponſa dare; ad eas ſcilicet quæ fiunt pro perſonis quorum habetur figura nativitatis, & rebus ſignificatis in ipſa figura, ex cujus intuitu ipſa reſponſa deducuntur.

CAPUT II.

An Corpora Cœleſtia ſint cauſæ per ſe, omnium actionum & motuum hominis.

HOc quidem non modo ſupponitur, ſed etiam aſſeritur ab Arabibus cæteriſque Aſtrologis, qui de quolibet quæſito judicandum ſuſcipiunt ex ſolo themate cœleſti ad momentum quæſtionis erecto. Ad hoc enim dicit Aomar Lib. 9. Judicum. *Quod cœleſtis circuli vis Divina atque motus, ſub ipſius hora quæſtionis quærentem ad interrogandum compellit. Nam humana conditio, cœleſtium tam ſyderum, quam circulorum affectus, ordinem & progreſſus debitæ quaſi cujuſdam dilectionis vinculo imitari non ceſſat.* Ideoq; volunt quod aſtra moveant quærentem ſub cœleſti conſtitutione, quæ ſit conformis optatæ veritati.

Cæterum id quidem dicitur ab hujus ſectæ Aſtrologis, ſed nec probatur, nec probari poteſt: quippe quod hæc opinio fatalem inducat neceſſitatem, quam ipſe quoque Ptolemæus vir Ethnicus cap. 2. Lib. 1. Quatrip. optimè refellit. Et nos cap. 16. Lib. 23. probavimus, quod eorum quæ nato accidunt à cauſis naturalibus, quædam ſunt efficienter à ſolis aſtris, quædam à ſola voluntate, quædam à ſolis aliis cauſis Sublunaribus; quædam verò à communi curſu harum cauſarum: falſumque ſit aſſerere, quod omnia quæ homini accidunt naturaliter, ſint efficienter à ſolis cauſis cœleſtibus. Et hoc aperte ex eo confirmatur: quia ſi præſens Cœli conſtitutio me movet ad iram, vel luxuriam, cum hic motus non neceſſitet de communi conſenſu omnium, qui homini liberum concedunt arbitrium, omnino certum eſt quod per liberum arbitrium cœleſti motioni reſiſtere queo, ſique reſiſto, hoc non eſt à præſenti conſtitutione cœleſti; quæ ſi à prædominio, circa paſſiones animi moveat ad iram, vel luxuriam, non ſimul etiam movebit ad reſiſtendum paſſionibus ipſis, vel ad virtutes contrarias: ſed eſt à mea voluntate quæ aſtris per ſe non ſubjicitur, utpote naturæ ſuperioris, quia ſpiritualis. Ideoque falſiſſimum eſt aſſerere, quod cœleſtia corpora ſint cauſæ per ſe omnium actionum, cogitationum & motuum hominis. Vide inſuper cap. 7. Sect. 4. Lib. 20. Quomodo aſtra agant in homines.

Præterea dum Aomar ait, *quod circuli vis Divina atque mótus, ſub ipſius horâ quæſtionis quærentem ad interrogandum compellit*; adverſus ſe provocat Indos & illos de Ferith & Babylonienſes, qui aſſerunt, quod quæſtiones poſitæ ſunt in voluntate quærentis. Et hoc ideo verum eſt, quia cum homo ſit natura ſua liber, compelli nequit ab aſtris quæſtionem proponere, & quamvis eam conceperit, non tamen proponet, niſi voluerit. Et hoc eſt, quod maximè turbat hujuſce vanitatis Profeſſores, qui inter ſe convenire nequeunt, quo momento figura ſit ab Aſtrologo ad reſponſum erigenda.

Hermes enim & Vuellius apud Haly part. 1. cap. 7. nolunt, *quod hora accipiendi aſcendens, ſit illud momentum quo quæſitor venit ad Magiſtrum, ſive Aſtrologum.* Ipſe verò Haly vult, *quod hora accipiendi aſcendens quæſtionis, ſit illud momentum quo quærens jubet Aſtrologo accipere aſcendens*, hoc eſt erigere figuram: *nam* (inquit) *ſi venerit & non dicat, quod accipiat aſcendens, illud non eſt aſcendens, niſi quando dixerit.* Ex quibus patet Haly in hoc convenire cum Indis & Babyloniis, quod quæſtio & ejus aſcendens poſita ſint in voluntate quærentis. Proindeque aſtra non moveant ac determinent quæſitorem, ſed hic è contra determinet ad placitum figuram cœleſtem. Quod ſi argutiolus quiſpiam dixerit, quod quo momento quæſitor interrogat Aſtrologum, ipſo momento figura Cœli, continens rei quæſitæ veritatem, movet ipſum quærentem ad interrogandum, ut volebat Aomar. Reſpondeo primò. Hic peti principium, eſſeque probandum figuram Cœli ſemper continere quæſitæ rei veritatem, quo momento quæſitor interrogat Aſtrologum. Reſpondeo ſecundò, aut quæſitor poteſt retardare interrogationem, aut non: ſi hoc, compellitur & libertas tollitur: quod nefas eſt aſſerere, ut jam ſuperius dictum eſt: ſi illud, ergo, aut nulla erit veritas reſponſionis, aut erit dumtaxat hypotetica. Nimirum quod ſi nunc quæſtionem propoſuerit, hæc erit veritas reſponſionis, ſi verò poſt unam, aut duas horas, alia erit veritas reſponſionis, unde hujus artis vanitas manifeſtè patet.

Subtilius dici poſſet, quod quo momento quiſpiam cogitat de veritate aliqua ab Aſtrologo inquirenda: tunc figura Cœli veritatem continens ipſum movet, ideoque ad illud momentum figura eſſet erigenda. Verum præterquam quod Aſtrologi hoc non obſervant, ne de vera figura videantur incerti, ob ipſius momenti incertitudinem; non ſufficit cogitare de quæſtione proponenda: levis enim cogitatio citò evaneſcit: circa anxiam verò homo diu apud ſe conſultabit, an Aſtrologum ſit aditurus necne, priuſquam ſeſe ad alterum determinet, ſique Aſtrologum adire decreverit, ad decreti momentum figura eſſet potius erigenda: ſed ſemper ut antea dicam; aut potuit retardare decretum, aut non: & quovis dato, ſequeretur abſurdum.

Caput III.

An rerum omnium initia ſint inſtar naſcentis hominis.

Haly Part. 1. cap. 5. cum Hermete, Vuellio & aliis Arabibus, ut ſuam de quæſtionibus Artem ſtabiliant, aſſerunt, quod initia rerum omnium, ſive naturalium, ut hominis, equi, ſive artificialium, ut domus, ſtatuæ, ſive corporearum, ut prœlii, ſive ſpiritualium, ut cogitationis, quæſtionis, orationis, &c. ſint inſtar naſcentis hominis, ac proinde cauſentur à Cœlo, ideoque de ſingulis, ut de naſcente homine judicium ferri poſſe. Et quod fieri nequit, ut ſi alicui ſignificaverit ſua nativitas & revolutio annua conjugii, vel itineris infortunium, illud idem non appareat in quæſtione, quodque nulla hora poteſt habere ſignificationem, niſi ſecundum quæſtionem nativitatem & revolutionem anni: & quod ſi harum aliqua mentiretur, omnes mentirentur. Hæc autem non minus mendaciter quam imprudenter aſſerta, ſine ulla prorſus ratione, aut probatione, à vera Aſtrologiæ ſcientia ſunt ableganda rationibus ſequentibus.

Primo enim, ſolus ſpiritus ſeminis rerum generalium, eſt proprium ſubjectum inhæſionis influxus corporum cœleſtium, ut à nobis oſtenſum eſt cap. 11. & 29. Lib. 12. tum Sect. 4. Lib. 20. At artefacta omnia ſemine carent: ideoque in ipſa non agunt influentialiter corporea cœleſtia, ut cap. 8. Sect. 4. Lib. 20. abundè probatum eſt: multò minus prœlia, cogitationes, quæſtiones, orationes, & his ſimilia ſemen habent ex quo Phyſicè generentur: ergo nihil ipſorum cœleſtibus influentiis eſt per ſe obnoxium.

Secundò. Dum quiſpiam quæſtionem proponit Aſtrologo, cœleſtis influxus imprimitur, vel quærenti, vel Aſtrologo, vel ipſi quæſtioni, vel rei de qua quæritur, ſed horum neutrum aſſeri poteſt. Non enim imprimitur quærenti ipſo quæſtionis momento: alioquin ſequeretur Cœlum in ſuo influxu, vel actione pendere à voluntate quærentis, in cujus ſcilicet voluntate eſt quæſtionem proponere, vel non, aut eam pro arbitrio retardare: ſicq; Cœlum non eſſe agens naturale, quod nempè

ſuum

ſuum effectum ex ſe cohibere non poteſt; ſed ſemper agit juxta vim propriam neceſſitate naturæ: aut ſaltem ſequeretur voluntatem per ſe conferre Cœlo ad libitum, vim ſignificandi quæſitam veritatem; quæ ſunt planè abſurda. Eademque ratio valet pro Aſtrologo, tum pro quæſtione ipſa, de qua verè dici poteſt, quod ſuum initium, vel exiſtentiam non habeat per ſe à Cœlo, ſed à ſolo quærentis libero arbitrio. Ac denique valet pro re de qua fit quæſtio, quæ plerumq; non amplius erit, ut dum quæritur de homine an ſit vivus, qui tamen eſt mortuus. Ex his igitur patet quanta ſit differentia inter naſcentem hominem in quem Cœlum neceſſario agit, ac independenter à cujuſvis hominis voluntate, & quæſtionem quæ fit, cæteraque ſupra poſita: ac per conſequens quanta ſit hujus artis vanitas.

Tertiò, ſi quo inſtanti quæſtio proponitur, fieret à Cœlo aliqua impreſſio; hæc fieret in ipſam quæſtionem quæ tunc incipit eſſe, non ſecus ac volunt domum quo momento inchoatur, impreſſionem influentialem à Cœlo recipere: ideoque non de re quæſita eſſet judicandum, ſed de ipſa quæſtione, illam examinando per 12 domorum ſignificata, prout Haly eodem cap. 6. Part. 1. illa conatus eſt accommodare ad res omnes quarum initia Aſtrologo ſpeculanda proponuntur. Dicens, *quod aſcendens, ſive prima domus eſt ſignificator proprietatis rei. Secunda eſt ſignificatrix pretii rei. Tertia ejus quod accidit in re, & quod ſibi adjungitur in una ſpecie. Quarta ſignificat progeniem rei, & ejus radices. Quinta ſignificat conditionem rei, & id quod generatur ex ea. Sexta ſignificat durabilitatem rei, & id quod ſervit ei. Septima ſignificat rei contrarium in eadem fortitudine exiſtens de ſua progenie. Octava ſignificat vilem æſtimationem rei, finem ac diminutionem ejus. Nona ſignificat ablationem rei, & cauſas quæ ei adhærent. Decima ſignificat nobilitatem & excellentiam rei, & ejus proprietatem in factis. Undecima ſignificat complementum rei, pulchritudinem & convenientiam ejus. Duodecima ſignificat diverſitatem rerum & accidentia mala quæ accidunt in ea: unde cujus domus jam dictarum dominus fuerit in bono ſtatu, dirigitur natura illius rei ſecundum quantitatem rationis & proventus illius ſui domini.* Hæc Haly, ac nec Haly, nec cæteri Arabes quidquam ſupradictorum reſpondent de quæſtione ipſa, cui nequidem convenire queunt, ut per ſe patet, ſed ipſa reſpondent de re pro qua fit quæſtio, cur interdum etiam illa minimè congruunt, & in quam non cadit illa cœleſtis impreſſio, cum ſæpiſſimè non ſit, ut dum fit quæſtio de re præterita, aut de futura, aut de homine an vivat, qui jam mortuus eſt.

Dicent fortaſſe nonnulli cœleſtem influxum non quidem imprimi in ullum 4 ſupradictorum, ſcilicet quærentem, Aſtrologum, quæſtionem, aut rem de qua fit quæſtio, ut ſuperius probatum eſt; ſed Cœli figuram, ſive ſtatum momento quæſtionis, continere in ſua ſignificatione veritatem ipſius quæſtionis. At reſpondeo primo: non igitur Cœlum movet quærentem, ut communiter fatentur, hic enim motus ſine influxu recepto à quærente concipi nequit. Deinde dicam quod ſtatus Cœli, aut ſemper habet illam ſignificationem, aut tantum quando fit quæſtio. Si primum, non erit curandum de tempore, proindeq; nec de una potius quam altera figura: ex qualibet enim eruetur eadem veritas quæſtionis, contra mentem Arabum, hujuſque artis principia. Si ſecundum, ergo tantum habebit ſignificationem illam à quærentis voluntate, quod jam ſæpius rejectum eſt. Igitur undique patet hanc Arabum doctrinam eſſe falſiſſimam.

Quod ſi quis objecerit ad morborum initia erigi figuras cœleſtes approbante ipſa Eccleſia Romana, quæ Aſtrologiam pro medicina nunquam abjecit. Reſpondeo, morbos oriri per generationem naturalem ex ſuis ſeminibus, habereque propria ſymptomata, motus ac periodos, nec non initia naturalia: quæſtiones autem carere ſeminibus & habere initia duntaxat arbitraria, quæ eſt magna diſparitas: ideoque morbos effici ab aſtris, non autem quæſtiones, & morborum figuras continere veritatem, non autem figuras quæſtionum.

Longè gravius urgebit ſi quiſpiam objecerit, rationibus noſtris poſſe etiam everti doctrinam de nativitatibus, nam ſi natus in ſua geneſi exceperit ab Aſtris influxum ambitionis dignitatum. Dum petit, vel emit dignitatem (quæ mercatura, proh nefas atq; pudor! fit in Gallia) vel movetur à Cœlo, vel non: ſi non movetur, ergo fruſtra dicetur in geneſi excepiſſe ab Aſtris influxum ambitionis dignitatum: ſi movetur, aut Cœlum ſemper habet virtutem, natum ita movendi, aut tantum quando ipſe petit, vel emit dignitatem: ſi hoc dixeris, quoniam de facto petere, vel emere pendet à libera nati voluntate: ergo Cælum vim illam non habebit ex ſe, ſed à nati voluntate: ideoque natus non movebitur à Cœlo contra hypotheſim, cum movere nequeat, quin prius habeat movendi virtutem. Si dixeris illud: ex parte Cœli nulla dabitur ratio cur natus potius petat hodie, quam prius, vel poſterius.

Sed reſpondeo, quod, dum natus petit, vel emit dignitatem ob influxum ambitionis dignitatum ab Aſtris exceptum in geneſi, tunc movetur à Cœlo per radicalem influxum, congruam directionem radicalem, & congruas revolutiones Solis & Lunæ harumque directiones, nec non tranſitus congruos, quæ omnia aut pars maxima eorum ſimul concurrunt, quo tempore actu movetur, non autem ſemper: ideoque Cœlum non ſemper habet taliter movendi virtutem, ut ſuis locis fusè à nobis explicatum eſt. Nec à voluntate vim movendi excipit: in cujus quidem voluntatis poteſtate non eſt, moveri vel non moveri, ſaltem naturaliter: ſed tantum petere, vel non petere: quandoquidem ex doctrina pluribus in locis à nobis repetita, voluntas in propriis ſuis actionibus non ſubjacet Aſtris, ſed tantum eorum motioni reſiſtere poteſt, ne ſuum ſortiatur effectum, non modo ad unam horam, vel diem unũ, ſed etiam omninò; quamvis motionem ipſam effugere nequeat, ſaltem naturaliter, quod ipſa motio ſit naturalis. Præterea petendi tempus aliquam habet latitudinem; etiam per tranſitus qui ſunt cauſæ omnium maximè particulares, breviorifque durationis ad movendum actualiter. Nam petitio, vel emptio poteſt non ſolum ſciri ipſo die partilis tranſitus, ſed pridie, vel poſtridie de communi conſenſu, niſi fuerit tranſitus Lunæ: imo totum tempus applicationis & defluxionis, qui in omnibus Planetis (Luna excepta) eſt plurium dierum, pertinet ad actualem petendi motionem, quæ ceſſat, cauſis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

illis ceſſantibus, elapſaque earum virtute, quâ vigente petit natus ſi voluerit, & quando voluerit; deſinente verò, non amplius curat de petitione, vel emptione dignitatis. Eademque eſt ratio de motione ad vindictam, luxuriam, furta, cędes, &c. At in quæſtionibus res ſe habet longè aliter. Nam ſi Cœlum continet veritatem quæſtionis, tantum ipſo momento quo fit quæſtio, quæ eſt arbitraria, non poteſt ipſam aliunde habere, quàm à voluntate, ſi illam continet quovis momento, quælibet figura cœleſtis illam veritatem etiam continebit, & alia ſequentur abſurda, quæ ſuperius dicta ſunt, infraque dicentur.

Caput IV.

Arabum Doctrina de Interrogationibus multis innititur præcautionibus vanis.

Mirè ſibi percavent Arabes, Indi, cæterique Orientales populi, tum cæteri omnes illorum ſequaces, ut ſuam de Interrogationibus artem veram eſſe perſuadeant: ſique eorum reſponſa non ſuccedant, multos habeant excuſationum prætextus, quibus honori ſuo conſulant.

Dicunt enim primò quemlibet non eſſe capacem formandi, vel proponendi quæſtionem. Dicit autem Hermes Aphor. 16. *Non definias aliquid antequam ſcias intentionem quærentis. Multi quidem interrogare neſciunt, nec poſſunt exprimere, quod intendunt.*

Verùm nullius eſt momenti hoc effugium: quandoquidem ſufficit Aſtrologo, ut quærentis intentionem concipiat, poſſitque ipſam quæſtionem reformare, dicendo heus fatue, qui me interrogatum accedis & interrogare neſcis, nonne hoc, vel illud vis à me quærere? Sed forſan ſi Aſtrologus loqueretur, nec totus audiendo ſolum eſſet intentus, cœleſtis influxus inde mutaretur, aut depravaretur, ipſaque optata veritas evaneſceret, quod tamen vereri fatuum eſſet.

Dicunt ſecundò, non eſſe reſpondendum ad quæſtionem tentandi, vel deridendi causâ propoſitam. Sed quomodo ſciet Aſtrologus, an quærens duntaxat tentare, vel deridere intendat? Haly Part. 1. cap. 11. docet quomodo quærentis cogitatio ſit invenienda, ſecundum Alkindum & ſecundum ſe ipſum. Dicit enim Alkindus hujusce vanitatis Profeſſor celebris. *Quod ſi volueris ſcire cogitationem quærentis, numera gradus qui ſunt à domino horæ uſque ad gradum Solis, & id quod provenit projice ab initio Arietis: & in loco ubi numerus finietur, erit cogitatio; quam ſuis ſignis judicabis ſecundum naturam domini ejus.* Verum quia dominus horæ eſt merè fictitius, ut infra oſtendemus: corruit iſte modus detegendi cogitationem quærentis. Ipſe verò Haly tam compendioſo arcano minimè contentus eſt, & cum aliis Arabibus, vult quod ſignificatores cogitationis ſint in aſcendente nona, & extra aſcendens tertia. *Illi qui ſunt in aſcendente* (inquit) *nominantur dominus domus, dominus exaltationis, dominus triplicitatis, dominus ſui termini, dominus faciei, dominus ſuæ novenariæ. ſuus Almutec, Planeta ad quem vadit gradus aſcendens, & Planeta qui invenitur in aſcendente. Qui verò ſunt extra aſcendens, ſunt pars fortunæ & ejus dominus: dominus horæ & dominus Solis in die, vel Lunæ in nocte. Conſidera ergo* (inquit) *horum omnium quis plures habeat dignitates ac firmiores, & majus dominium in figura, quia ille erit ſignificator cogitationis.*

Verum quid aliud efficit Haly multiplicando fictitios dominos præſertim termini, faciei, novenariæ, horæ (quæ ſunt meræ nugæ, ut alibi docuimus) quam Aſtrologi mentem conjicere in majorem ignorantiam cogitationis quærentis? Præterea quomodo ſit utendum ſignificatore cogitationis quærentis, ut hæc innoteſcat, Haly non docuit, quippe quod ipſemet id neſciverit, aut (quod probabilius eſt) non experientiæ correſpondere deprehenderit. Unde nil mirum ſi Chaldæi, vel Babylonienſes Aſtrologi, dicere non auſi ſint Regi Nabuchodonoſor quid ſomniando cogitaſſet: ſolaque revelatione divina id judicatum fuerit Danieli, qui Regi aſſeveravit, Magos ac ſapientes Babylonis illud indicare non poſſe.

Deinde ſi quiſpiam probandæ Aſtrologi ſcientiæ causâ, utrum frater ſuus vivat quem ſcit eſſe mortuum, quærat, cognitio quam habet veritatis, turbatne faciem Cœli ne veritatem ipſam ſignificet; aut mentem Aſtrologi ne eandem agnoſcat? Id profecto dici nequit, ſicut nec eadē cauſari à voluntate quærentis, probandi ſcientiam Aſtrologi, ſed potius dici debet, hujus farinæ Aſtrologos non alia de cauſa reſpuere jam ſcientem, quod quærit, quam quia ipſum decipere nequeunt, ignarum verò & credulum fallere poſſunt: ideoque volunt hanc eſſe ſuæ ſcientiæ proprietatem, ut tantum de rebus ignotis quærenti, valeat vera dare reſponſa, non autem de jam cognitis. Quod ſi dixerint quæſtiones tentandi causâ propoſitas non cauſari ab Aſtris, ſed à ſolo eſſe hominis voluntate, proindeq; non eſſe reſpondendum, niſi ſeriis quæſtionibus, aut ei qui ſummâ curâ & ſolicitudine pro ſe, vel pro alio de quo ſibi multum attineat, per ſe, vel per alium nuncium quæſitor acceſſerit, ut vult Meſſahala Lib. 9. Judicum, *quod nempe velit tales duntaxat quæſtiones ab Aſtris concitari.* Non tamen idcircò effugient, quandoquidem ſciens veritatem quæſtionis proponendæ, poteſt ſerio & magnâ curâ ac ſolicitudine illam pro ſe, vel pro alio proponere Aſtrologo, ut probet an ipſi in aliis rebus etiam majoris momenti confidere queat, quod ſane ipſius quærentis ac præſertim Magnatis non parum intereſt. His adde quod ex cap. 3. volunt rerum omnium initia eſſe inſtar naſcentis hominis, proindeque à Cœlo cauſari; quo dato ſed non conceſſo, tenentur ex propriis principiis de qualibet quæſtione reſpondere, cum præſertim nulla ſit quæſtio, cui non quadret aliqua reſponſio vera, ſive affirmativa, ſive negativa: juxta hæc axiomata, *quodlibet eſt, vel non eſt, & de quocumque vera eſt affirmatio, vel negatio.* Undique igitur patet quam frivolum ſit hoc ſecundum effugium.

Dicit tertiò Meſſahala cum aliis. Quæſtionem debere eſſe ſimplicem, nec fas eſſe aliam ei quæſtionem ſubjungere: & hoc omnes valde commendant. Nec præterea volunt de eadem re fieri quæſtionem apud duos Aſtrologos, nec ſimul tempore, nec ſucceſſive, nec bis apud eundem. Quæ ſanè præcautio eſt omnium præcipua ad tegendam artis ſuæ vanitatem. Ex reſponſionibus enim duorum, vel plurium Aſtrologorum, vel ſimul tempore, vel ſucceſſivè ſuper eadem quæſtione, nimis pateret quot ſunt capita tot eſſe ſenſus, nullam autem ſcientiam, quandoquidem omnis ſcientia eſt uniformis atque certa, circa ſuas de

re

re eadem concluſiones, ſi eamen certis principiis innitatur.

Ad tertium hoc effugium eſſe vaniſſimum ſic probabitur. Quocumque temporis momento, de re qualibet quæſtio proponi poteſt Aſtrologo, qui ad quæſtionem ipſam reſponſum pro vero dabit. Ergo ſi de eadem re proponatur quæſtio duobus Aſtrologis, aut ſimul, aut ſucceſſivè, aut bis eidem; nihil obſtat quo minus ſemper reſponſa dari queant circa veritatem quæſtionis ipſius. Antecedens probatur, tum ex praxi horum Aſtrologorum qui nullum quærentem ablegant quidquid ipſe ſaltem ſerii quærat, dicentes tali momento non poſſe reſponderi tali quæſtioni: ſed pro quærente quolibet figuram erigunt atque reſpondent; niſi fortè ſcrupuloſior aliquis viderit domum 7, ejuſque dominum prave affectos, quo in caſu Aſtrologus reſponſioni falſæ videt ſe obnoxium, ut explicat Pontanus in Aphoriſmum 14 Centiloquii, qui hæc habet. *Quantis in erroribus verſatur Aſtrologus, cum locus ſeptimus ejuſque dominus afflicti erunt.* Ideoque reſpondere veretur ne in ſua vana arte, nimis apertè erret indeque vituperetur. Tum quia liberi cum ſint homines, nec compellantur ab Aſtris quæſtionem proponere: ſed eam ad libitum retardent, vel proponant. Inde ſequitur quod illam quolibet momento proponere queunt, nec poſſibile eſt impoſſibilitatem oſtendere, aut de unico, aut de pluribus quærentibus. Conſequentia probatur. Nam ſi quovis momento pro qualibet propoſita quæſtione ſaltem ſeria, figuram erigunt atque reſpondent: ſupponunt quod momento quolibet Cœlum eſt diſpoſitum ad danda reſponſa de quæſito quolibet. Ergo ſi de eadem re proponatur quæſtio duobus Aſtrologis, aut ſimul, aut ſucceſſivè, aut bis eidem, nihil obſtat quominus ſemper reſpōſa dari queant circa veritatem ipſius quæſtionis. Ex qua tamen doctrina, quanta ſequatur abſurda ſequenti capite dicetur. Sed hoc imprimis ſequitur, quod ſi propoſita quæſtio non fuerit ſimplex, ut vult Meſſahala cum aliis, ſed adjunctam habeat aliam diverſam quæſtionem; ex eadem tamen figura poterit utrique reſponderi. His adde, quod Dorothius apud Haly Part. 1. cap. 11. Meſſahalæ contrarius ait. *Si quando habeas multas quæſtiones* (quod intellige ſimul ab eodem quærente) *accipe primam ab aſcendente: 2. à Medio Cæli: 3. ab undecima domo: 4. à quinta: 5. à ſeptima: 6. & 7. ab Angulo Terræ: & 8. à nona domo.* Alii vero dicunt *primam quæſtionem accipies ab aſcendente: 2. à ſecunda domo: 3. à tertia, & ſic conſequenter.* Alii autem, *accipe primam quæſtionem à prima applicatione quam habet Luna, ſecundam à ſecunda, & ſic conſequenter.* Alii denique ſuccedere aſſerunt, *ſi accipias primam quæſtionem à domino primæ horæ, ſecundam à domino ſecundæ horæ, & ita deinceps uſque ad finem quæſtionum paucarum, vel multarum; inquiras enim oportet* (ait Haly) *& ſtudeas ſi duce Deo invenire velis.* At (inquam) abſurdum eſt opinari Deum ſe ducem exhibiturum Aſtrologo percurrente hos 4. modos inter ſe diverſos adeoque abſonos & alienos à naturali fundamento, ut potius devinando quam illis ſtudendo, veritas quæſtionis alicujus enunciari queat, mirerque tanti nominis Aſtrologos non puduiſſe tantas nugas ſapientioribus ingeniis expoſuiſſe. Maneat itaque ratum vanas imò ridiculas eſſe prædictas Arabum præcautiones, vel effugia, quibus Artem ſuam de quæſtionibus conantur defendere.

Caput V.

Arabum Doctrina de Interrogationibus eſt planè falſa.

Quamvis ex ſupra expoſitis ipſius doctrinæ fundamentis abundè pateat illam eſſe falſam: tamen ne hac de re ullum ſuperſit dubium, Aſtrologica demonſtratione ſic eadē jam confirmanda eſt.

Thema erectum ad horam quæſtionis juxta Arabes, nullius eſt per ſe veritatis circa rem de qua quæritur. Ergo Arabum doctrina de Interrogationibus eſt planè falſa. Probatur antecedens, nam dum quispiam pro ſe quærit ab Aſtrologo, an habiturus ſit divitias, vel dignitates quas figura natalis ipſi denegat, profecto qualiſcunque fuerit figura quæſtionis talia ſignificans, fatuum erit opinari quod per ipſam figuram, ſive particularem Cœli conſtitutionem, deleatur Cœli character impreſſus in geneſi, divitias, vel dignitates denegans, fiatq; nova impreſſio in quærente, qua ad divitias, vel dignitates diſponatur. Alioquin nulla erit habenda fides figuris genethliacis. Hæc enim duo, natus nunquam habebit divitias (ut teſtatur figura nativitatis): & quandoque habebit divitias (ut teſtatur figura quæſtionis) ſunt contradictoria, quorum ſi hoc fuerit verum, illud erit falſum: at de communi conſenſu & experientia omnium Aſtrologorum etiam Arabum ipſorum, maxima præcipuaq; fides habenda eſt per ſe figuris genethliacis: ergo nulla per ſe habenda eſt figuris quæſtionum, ideoq; thema erectum ad horam quæſtionis more Arabum, nullius eſt per ſe veritatis: unde patet conſequentiam eſſe veram, & viceverſa ſi geneſis divitias ſignificet nato, ac præſertim fortiter: abſurdū erit ex figura quæſtionis aſſerere, quod non habebit. Idemq; dicendum eſt de quærente pro alio. Confirmatur autem hæc demonſtratio. Nam durante vita nati millies fieri poteſt quæſtio, vel ab ipſo, vel ab aliis, an futurus ſit dives ex cap. 4. ſique eadem quæſtio proponatur pluribus Aſtrologis, aut ſimul tempore, aut ſucceſſivè, nullus eorum quærentem interrogat an eadē quæſtio jam fuerit olim propoſita, aut jam alteri proponatur: ſed illico figuram ſuam erigit atque reſpondet. Tot autem figuras diverſas, figuræ radicali & inter ſe conformes eſſe quoad ſignificationē divitiarum, nullus Arabum aſſeret, cum nequidem velint eandem quæſtionem de eodem homine bis proponi, metu diverſitatis figurarum, & conſequentis inde contrarietatis judicii. Ac proinde cum ex figuris ipſis aliæ ſignificent ex ſe divitias, aliæ vero non; dici quidem poteſt quod in ſe ſpectatæ ſignificant divitias, aut paupertatem, imò eadem ſignificant, vel præſagiunt, tunc naſcentibus in locis figurarum ipſarum, qui figuris ipſis ſubjiciuntur, ab iiſque dependent, ut effectus à ſua cauſa. At reſpectu quærentis qui ab illis figuris, nec in eſſe, nec in interrogare dependet, quandoquidem ejus interrogatio pendet ab ejus voluntate non niſi fortuito & per accidens verum reſponſum exhibere queunt, ex hypotheſi nempe quod figura occurrat ſimilis radicali in ſignificatione divitiarum.

Quod ſi dixerint nec millies, nec quidem bis, ſed ſemel duntaxat proponi poſſe legitimam de eadem re quæſtionem, illo ſcilicet momento quo quærens primo interrogat; à Cœlo impulſus, quod tunc con-

tinet in ſua ſignificatione veritatem quæſtionis. Reſpondeo primò. Id quidem ab illis dici, non autem probari. Reſpondeo ſecundò. Illum Cœli impulſum & ſignificationem momento interrogationis, jam ſuperius eſſe rejecta. Reſpondeo denique quærentem pro alio an ſit ducturus uxorem, hunc nulla ratione impedire poſſe, ne in propria cauſa ipſemet idem quærere poſſit: cum res ipſa magis ad hunc, quam ad illum pertineat: afferant enim rationem, aut praxim contrariam, qua nempè ab interrogante quærant, utrum ſit primus, vel ſolus qui eamdem interrogationem fecerit? Cui quæſtioni ſæpiſſimè feréque ſemper reſpondebit interrogans ſe neſcire, nihilominus Arabs vatis ſententiam feret. Quod enim ait Hermes Aphor. 98. ☽ *in* 4. 7. 9. *vel* 12. *indicat cauſam illam jam interrogatam fuiſſe*, idemque indicat ſi ſeparata fuerit à ♀: nec ratione, nec experientia confirmari poteſt, nec ab ullo Arabe approbatur.

Ejuſdem doctrinæ falſitas ſic ſecundò probatur; Quoniam ex cap. 2. Arabes ſupponunt, vel ex eorum doctrina atq; praxi deducitur, eos ſupponere, quod momento quolibet Cœlum eſt diſpoſitum ad danda reſponſa de quæſito quolibet: ergo præſens quicumque Cœli ſtatus, continet reſponſiones veras omnium quæſtionum quæ fieri queunt de re quacumque, ſive præſenti, ſive præterita, ſive futura: ideoque ex figura nativitatis cujuſvis hominis, aut etiam canis, vel qualibet figura quæſtionis, dici queunt omnia quæ ſingulis hominibus, aut beſtiis, aut plantis, aut artefactis de quibus quæſtio fieri poteſt, acciderunt, accidunt, & accident; quam fatuitatem nemo non videt: imò ſequetur omnes cœleſtes figuras ejuſdem eſſe ſignificationis, nec quidquam ab una ſignificari quod ab alia quavis non ſignificetur, quo nihil ab Aſtrologica ſcientia magis alienum ac inſanum cogitari poteſt.

Probatur tertiò ex eorum praxi. Nam ſi quæratur ab Arabe, utrum aliquis duxerit, aut jam ducat, aut ducturus ſit uxorem; tantum advertit an figura ſignificet matrimonium, ut reſpondeat de quovis tempore præterito, præſenti, vel futuro: non enim habet rationes legitimas quibus hæc diſcernat tempora. Nam ſi forſan dicere vellet, quod ſignificationis domini in angulis, ſignificant tempus præſens; in ſuccedentibus futurum, & in cadentibus præteritum, aut eorum conjunctionem, vel aſpectum partilem ſignificare præſens, applicationem futurum, & defluxionem præteritum. Inde concludi poſſet in nativitatum figuris, natum duxiſſe uxorem & habuiſſe dignitates, priuſquam naſceretur, & nullum dum naſcitur habere temperamentum, quæ ſunt effatu ridicula. Ergo ſi quæſtio ſit de præterito, reſpondebit duxiſſe, ſi de præſenti ducere, & ſi de futuro ducturum, quia ſcilicet figura eſt conjugii ſignificatrix. Imò ſi 3 fuerint ſimul tempore quærentes de conjugio, unus de præterito, alter de præſenti, alter de futuro: Arabs ex eadem figura pro ſingulis eodem modo reſpondebit. Quin etiam ſi 1000 eſſent ſimul quærentes, vel pro ſe, vel pro alio de matrimonii contractu præterito, præſenti, vel futuro. Non quibuſdam affirmativè, aliis verò negativè, ſed omnibus affirmativè, vel omnibus negativè reſponderet ex ipſamet figura, etiam contra nativitatis cœleſte decretum. Idemque dicendum erit de qualibet alia re quæſita eodem momento temporis. Hæc autem quam ſint abſurda, & ab Aſtrorū agendi modo aliena, tum veris Aſtrologiæ principiis à nobis expoſitis, non eſt opus hic amplius oſtendere: quandoquidem in nativitatum doctrina à nobis tradita probatum eſt, cœleſtes figuras non eſſe ſignificatrices, niſi prout ſunt effectrices, vel non eſſe ſigna, niſi prout ſunt cauſæ: Eandem verò cauſam in tot hominibus ex ſuis figuris natalibus diverſiſſimè, imò contrariè diſpoſitis eundem ſimul effectum producere, à natura cauſarum eſſe penitus alienum: agens enim ſequitur diſpoſitionem patientis, & quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur, ut notum eſt Philoſophis, ideoque idem Solis calor ſimul lutum indurat, & ceram liquefacit.

Probatur quartò, ex eorum vaticinandi modo. Nam nequidem inter ſe conveniunt de primis judicandi principiis: & quamvis convenirent abſurda eſſet convenientia, ſicut & judicandi modus. Primum patet, nam quamvis omnes primam figuræ domum largiantur interroganti, tamen de hoſpitio Aſtrologi (quem judicem quæſtionis faciunt) inter ſe litigant, nec adhuc ſibi ſecuram domum reperire potuerunt; idq; juſtè cum ſint duntaxat falſi judices, perſuadere conantes, ſe quo momento figuras quæſtionum erigunt, cœlitus afflari, ut qui olim ex Tripode oraculo dabant: cum tamen Cœlum in ipſos non influat circa propoſitam quæſtionem, ut cap. 3. dictum eſt. Pleriq; Aſtrologū collocant in 10. domo, quod ſit dignitatis & honoris, Aſtrologus autem ſit judex honore dignus. Alii è decima ipſum in ſeptimā detrudunt: quam ajunt illi melius congruere, ut vult Pontanus Comm.in 14. Aphor. Centiloq. Ejuſque ratio eſt quod prima domus datur communiter interroganti: accedit autem ad Aſtrologum, ut ignarus rei quam quærit ad ſcientem. Ignorantia autem & ſcientia è diametro opponuntur: ergo ſi prima debetur quærenti, ſeptima primæ diametraliter oppoſita debebitur Aſttologo: ideoque Ptolemæus inquit illo Aphoriſmo. *Quantis in erroribus verſatur Aſtrologus cum locus ſeptimus atque ejus dominus afflicti erunt*: quia ſcilicet ſi malefici fuerint in ſeptima, aut huic dominentur pravè affecti, accidet infortunium Aſtrologo (ut volunt) quod non aliud eſſe putant, quam quod falſum pro vero pronuntiabit. Verum domus decima eſt duntaxat actionum & dignitatum ipſius nati, vel in genere, vigoris rei, cui prima domus tribuitur: ſeptima autem eſt conjugii vel hoſtium nati, vel in genere, declinationis rei, cui prima domus tribuitur, ut alibi diximus. Hæc verò planè ſunt aliena à Judice quæſtionis. Itaque miror quod Aſtrologo potius quartam non dederint, quæ eſt de rebus arcanis, ab illo revelandis, aut nonam quæ eſt de ſcientiis ac Prophetiis, aut ſaltem primam, quia propoſita quæſtione incipit eſſe Judex, tuncque decima daretur ejus actioni quæ eſt judicare, vel dignitati: ſeptima verò daretur quærenti, vel ejus quæſtioni inſtar litis à Judice dirimendæ, eſſetq; figmentum hoc rationabilius ſuprapoſitâ Arabum doctrinâ. Quidquid ſit, ego conſulam Judici, ut ſi in ſua figura domorum, ipſarum una illi non placeat, ob ejus infortunium, ſe recipiat in aliam fortunatiorem, ibiq; liber à maleficis ſententiam ferat: quandoquidem totius negotii ſumma in hoc conſiſtit quod Aſtrologus veritatem reſpondeat, poſſitque Aphoriſmus applicari cuilibet domui, quæ Aſtrologo aſſignabitur: cui tamen ex ſupradictis nulla eſt aſſignanda.

Sed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Sed demus omnes convenire de duabus determinatis domibus, altera pro quærente, & altera pro Aſtrologo; videamuſque quam abſurda ſit convenientia. In qualibet propoſita quæſtione quatuor occurrunt, perſona quærens, ipſa quæſtio, res de qua quæritur, & Judex, ſive Aſtrologus. Prima domus figuræ datur quærenti, quatenus eſt quærens, Aſtrologo decima, vel ſeptima. Res de qua quæritur pertinet ad domum de cujus eſt eſſentiali ſignificato, ut ſi quæſtio ſit de amicis, pertinebit ad undecimam, de uxore ad ſeptimam, de dignitatibus ad decimam: quod intellige ex eorum mente de domibus figuræ quæſtionis: non autem figuræ nativitatis ejus pro quo fit quæſtio, ad quam figuram ipſi non attendunt, quamque ſæpius ignorant. Ipſi autem quæſtioni nullam domum aſſignant: cum tamen ad primam pertinere debeat, quandoquidem ipſa quæſtio incipit eſſe, quæ prius non erat, atque ſic quærentis & quæſtionis erit eadem domus. Jam verò cœleſtis conſtitutio in nullum quatuor ipſorum influit momento quæſtionis, quatenus illa deſervire quæſtioni ſupponitur ex cap. 3. Ideoque circa nullum ipſorum quidquam efficit, cum ſine influxu efficere nequeat. Et proinde circa nullum ipſorum ſignificat, cum nihil ſignificet quin id efficiat: quorſum ergo abibit tota quæſtio, vel unde prodibit vera ejus reſponſio? Huic quæſtioni ſi poſſint reſpondeant veritatem.

Præterea domorum ſignificationes quas cap. 3. ex Haly retulimus, convenire debent rei cui domus prima tribuitur, hoc enim patet ex doctrina nativitatum: quod ſcilicet prima domus eſt naſcentis hominis: ſecunda divitiarum ejus: tertia fratrum ejus, atque ſic de cæteris. Jam verò in hac quæſtionum doctrina, domus prima tribuitur quærenti, vel quæſtioni: ergo ſecunda domus ex Haly erit ſignificatrix pretii quærentis, vel quæſtionis: tertia ejus quod accidit quærenti, vel quæſtioni, & quod ſibi adjungitur in una ſpecie: quarta ſignificabit progeniem quærentis, vel quæſtionis eorumque radices, atque ſic de reliquis. Sed hæc rem de qua quæritur non attingunt, nec ad eam referri debent, quippe quod ipſi rei prima domus non tribuatur, quæ tantum eſt rerum incipientium eſſe, res verò de qua quæritur ſi futura fuerit nondum incipit eſſe, ut ſi quæratur de futuro matrimonio, aut futura dignitate. Fortaſſis dicent quod quærens pro ſe ipſo eſt res ipſa, de qua quæritur, an ſit verbi gratia ducturus uxorem, aut adepturus dignitatem: & quo momento interrogat, tunc incipit eſſe quærens, quod prius non erat. Sed præterquam quod in hoc caſu retinendæ eſſent appellationes domorum figuræ natalitiæ, non autem immutandæ, ut fecit Haly: dum quærens non per ſe, ſed pro altero quærit, ut ſi quærat an ſuus frater vivat, qui tamen mortuus eſt, & deſiit eſſe: aut ſi quæſierit de aliis quibuſcunque rebus non ad ſe pertinentibus, quæ vel non ſunt amplius, vel tantum futuræ ſunt; ſed ſaltem jam non incipiunt eſſe; effugii ſuperioris futilitas detegetur: & eo magis quia dum de fratre hoc tantum quæritur, an ſit vivus, vel mortuus, quid convenientiæ habent ſignificata domorum cum hac unica quæſtione, ſi tertiam exceperis, quæ fratrum eſſe dicitur? Numquid examinanda ſunt neceſſario aliorum domorum ſignificata, ut an ipſe frater ſit, vel fuerit, vel futurus ſit dives, an ducat, vel duxerit, vel ducturus ſit uxorem? &c. priuſquam concludatur, illum eſſe vivum, vel mortuum, quod unicum reſponſum exſpectatur, reliquis nequidem cogitatis.

Sed videamus tandem quomodo judicent de morbo, vel morte fratris illius qui interrogat. Quoniam quæſtio eſt de fratribus, conſiderant domum tertiam figuræ, quæ eſt fratrum, ſique viderint maleficos in tertia, aut dominari tertiæ, aut dominum duodecimæ in tertia, vel dominum tertiæ in duodecima, vel conjunctum domino duodecimæ; judicant Arabes fratrem interrogantis morbo detineri: ſed quæſtio eſt de morte non autem de morbo: ſi igitur viderint tertiam à maleficis pravè affectam, aut dominum tertiæ, præſertim maleficum eſſe in octava, aut hujus dominum maleficum in tertia. Aut dominum tertiæ conjunctum quadratum, vel oppoſitum domino octavæ præſertim malefico pravè affecto, fratrem interrogantis mortuum eſſe aſſeverant: eademque ratione judicant de aliis omnibus quæſtionibus domorum duodecim. Sed quæro ab Arabe, utrum domus duodecima & octava figuræ quæſtionis ſint domus morborum & mortis interrogantis, an verò fratris pro quo interrogat? Dici nequit quod ſint interrogantis, alioquin ex iis concludi non poſſet morbus, aut mors fratris, ſed potius quærentis: nec etiam dici poteſt quod ſint morborum & mortis ipſius fratris, quia cum duodecima & octava ſint tales reſpectu primæ quæ datur quærenti, non fratri: erunt domus morborum, vel mortis reſpectu quærentis, non autem fratris cui datur tertia. Solvant igitur hoc argumentum ſi potuerint, non enim video qua ratione illud ſolvere poſſint. Ad hæc fratres, parentes, uxor, liberi, &c. minus dependent pro ſuis accidentibus à figura genethliaca nati, quam à ſua propria geneſi. Ab illa enim dependent tantum generaliter quamvis ipſa ſit figura naturalis: à propria autem geneſi dependent particulariter. Quanto igitur minus dependent à figura quæſtionis quæ nequidem eſt naturalis, ſed duntaxat arbitraria: unde patet totam doctrinam Arabum de quæſtionibus nullum habere fundamentum naturale, ſed duntaxat arbitrarium. Tandem omnis figura cœleſtis debet eſſe cauſa eorum quæ ſignificat: idque patet in figuris, ſive conſtitutionibus univerſalibus & in particularibus nativitatum: alioquin aſtra nullius eſſent virtutis activæ; at figuræ quæſtionum Arabicarum non ſunt cauſæ, ſed tantum ſigna eorum quæ ſignificant, ex hypotheſi quod illa ſignificant. Dum enim quæritur an aliquis ſit vivus, vel mortuus, pauper, vel dives, &c. figura pro quæſtione erecta, nihil confert efficienter ejus morti, vitæ, divitiis, paupertati, &c. quæ plerumque ſunt longo tempore ante illam figuram: ergo figuræ hujus erectio & judicium inde ſequens ſunt mera ſtultitia, omni carens fundamento naturali: & hæc ratio eſt validiſſima.

Supradictis igitur rationibus ſatis ſuperque fit evidentiſſimnm, totam doctrinam Arabum de quæſtionibus eſſe planè falſam; quod oſtendendum ſuſceperamus.

CAPUT

Caput VI.

Arabum doctrina de Quæſtionibus eſt fraudulenta.

DOctrinam illam eſſe fraudulentam multipliciter convinci poteſt.

Primò. Quia cum cap. 5. oſtenſa ſit eſſe falſa, neceſſario ſequitur illam eſſe fraudulentam, ergo omnes qui eandem de quibuſcunque rebus conſulunt.

Secundò. Quia ſi quolibet momento temporis poteſt reſponderi ad quæſtionem quamlibet; Arabes fallunt ſuis præcautionibus, dicentes non poſſe duos Aſtrologos, aut ſimul tempore, aut ſucceſſivè de eadem quæſtione veram ferre ſententiam. At ſi reſponderi non poteſt; ergo fallunt Arabes, dum quocunque momento eis proponitur quæſtio, figuram erigunt, ex eaque reſpondent. Prius enim eſſet inſpiciendum, an illud momentum reſponſioni veræ ſit idoneum. Et ſi non fuerit, interrogans ablegandus eſſet: quod tamen illi non faciunt, ne oblatum ſibi lucrum amittant; plus enim de lucro ſoliciti ſunt quam de veritate, vel fama: dum enim mendaces deprehenduntur, ſuas habent præcautiones atque refugia vana quæ deceptis interrogantibus objiciant, ad ſuæ doctrinæ & famæ tutelam.

Tertio. Quia ut vaniſſimam ſuam artem fuco aliquo exornent, utuntur in ejus praxi eximiis etiam Aphoriſmis Aſtrologiæ veræ, ſive doctrinæ nativitatum, quos ſuis figuris applicant. Cum tamen maxima ſit diſparitas inter figuras nativitatum quæ ſunt naturales: & figuras quæſtionum duntaxat arbitrarias, nulloque vero innixas fundamento. Planè ſimiles ſuperſtitioſis geomanticis, qui ſuis punctorum figuris merè fortuitis (niſi occurrant ad libitum Magiſtri Diaboli, regentis manum Geomantici, qui ad numerum punctorum quæ notat in charta, obligatur non attendere: ideoque eorum numerus eſt merè fortuitus, vel eſt ad libitum Diaboli) ſigna & Planetas falsò attribuunt, horumque vires, ut coram imperitis ſuæ ſuperſtitionis artem commendent, ejuſque diabolicam vanitatem obtegant.

Caput VII.

Arabum Doctrina de Interrogationibus eſt Diabolica.

PRobatur Primò. Quia ex cap. 5. eſt falſa, & ex cap. 6. fraudulenta: Diabolus autem fuit primus mendax atque deceptor: ideoque omnis falſitatis atque fraudis primus author.

Secundo. Quia dum Arabes ajunt interrogantem compelli ab Aſtris momento quæſtionis, vel acceſſus ad Aſtrologum, evertunt quærentis liberum arbitrium, & fatalem inducunt neceſſitatem, nec poſſunt non illam inducere, ex ſuæ Artis principiis, quod eſt hæreticum veræque religioni contrarium, ideoque diabolicum. Unde nihil mirum ſi Turcæ, Arabes, cæterique omnes Mahumetani & Pagani Orientales à vera religione alieni, tam firmiter credant fatali ab Aſtris neceſſitati, & propter Arabum doctrinam illam, Aſtrologica ſcientia ferè ſemper fuerit à Romanis Pontificibus condemnata.

Tertio. Quia Diabolus illam introduxit in veram Aſtrologiam, ut hanc infamaret ac depravaret, ne homines vires proprias ac genuinas Aſtrorum agnoſcerent: indeque Deo debitas laudes redderent, ſed potius excœcarentur, excœcati verò ad figmenta terminorum, facierum, novenarum, decanorum, graduum putealium, lucidorum, fumoſorum, &c. converterentur. Sicque fallerentur & alios fallerent, non ſolum circa Aſtrologiæ reſponſa, ſed etiam circa Magiæ opera, ad quæ Diabolus ſuperſtitionem ex Aſtris quoque detorſit & propagavit.

Caput VIII.

De falſitate reſponſionum ad Interrogationes, per horæ Planetariæ dominum.

ARabes in ſua de Interrogationibus doctrina plurimum virtutis tribuunt dominis horarum Planetariis. Nemo autem miretur, quam variè atq; vanè ipſi Arabes, Chaldæi, Ægyptii, Indi de ſeptenario Planetarum numero luſerint circa nati annos, per Alfridarias: & circa dies ſingulos per horas Planetarias: ex quo enim à Diabolo ſeducti, cultum veri Dei deſerentes ad Idololatriam converſi ſunt, etiam in ſcientiis naturalibus, ac præſertim Aſtrologia omnium Diviniſſima, veritatis loco figmentis paſci meruerunt. Inter quæ doctrina ab illis tradita de horis Planetariis, vel Planeta cuilibet horæ diei dimanante, (quem dominum orbis nonnulli vocarunt) non minimum ſibi vendicat locum. Sed mirentur omnes, quod hoc etiam tempore non pauci, nec exigui nominis reperiantur inter Chriſtianos Aſtrologi, qui vanitatem illam pro magno arcano jactitent, illique etiam præcipuè confidant ad ſingularum horarum diei accidentia cuilibet prædicenda, ex præſenti ſtatu domini horæ Planetariæ cujuſque.

Quoniam autem doctrina illa eſt falſiſſima: atq; ni fallor à Diabolo introducta cum aliis Arabum figmentis, placet hic ejus falſitatem oſtendere, ne circa illam ingenia diutius ſeducantur.


Primò igitur ſupponunt tam diem quam noctem artificialem dividi in duodecim horas, quas Planetarias vocant: ac eas plerique faciunt æquales diviſo arcu Æquatoris qui per diem aſcendit in duodecim partes æquales, pro duodecim horis diurnis, & eum qui per noctem aſcendit, ſimiliter in duodecim partes æquales, pro duodecim horis nocturnis. Plerique verò faciunt eas inæquales diviſa medietate Zodiaci interdiu, aut noctu aſcendente, in duodecim partes æquales, quarum aſcenſiones erunt inæquales tam interdiu quam noctu. Circa quam ſuppoſitionem dico primò: Diviſionem diei & noctis in viginti quatuor horas non eſſe naturalem, ſed arbitrariam, ut eſt diviſio horæ in 60 minuta: proindeque non poſſe eſſe fundamentum naturale virtutis alicujus Planetariæ: & hæc ratio eſt validisſima. Secundò. Prius conveniendum eſſe an Æquator, an verò Ecliptica dividi debeat, & valida ratio naturalis pro diviſione unius potius quam alterius afferenda, quæ tamen à nullo quem viderim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

d[illegible] affertur Aſtrologo. Tertio illam diei & noctis artificialis diviſionem fieri non poſſe, à circulis arcticis verſus Polos Mundi, ubi Sol non oritur & occidit intra 24 horas; ſed dies, vel non artificialis durat pluribus diebus, vel etiam menſibus naturalibus. Proindeque doctrinam de horis Planetariis non eſſe ſcientificam, cum non ſit univerſalis, ſed tantum particularis.

Secundò. Supponunt ſingulis horis, ſingulos Planetas aſſignari, pro horarum ipſarum dominis: ſumpto initio ab Ortu Solis, & eo Planeta, à quo dies denominationem habet, Planetis aliis ſuo ordine & circulariter diſtributis per ſingulas 24 horas: verbi gratia, ſi ſit dies Jovis, qui denominatur à Jove, Jupiter ipſo die dominabitur primæ horæ ipſius diei ab Ortu Solis: Secundæ præerit Mars: Tertiæ Sol, & ſic conſequenter uſque ad 24 horas diei & noctis: quo ordine Venus reperietur dominari diei Veneris ab ipſa denominato, prima hora poſt Solis Ortum. Et quia idem conſequitur diebus ſingulis, putant hi Aſtrologi in hoc conſiſtere magnum divinúmque aliquod myſterium, quo ſinguli Planetæ verè fiant potentes ſucceſſivè ad regimen horarum ſingularum.

Perbellè verò ludus hic deſignatur in figura ſequente, in qua dividitur peripheria circuli in 7 partes æquales: & poſito ♄ in quovis puncto diviſionis, reliquis autem Planetis ♃ ♂ ☉ ♀ ☿ ☽ ſucceſſivè ad ſiniſtram juxta ſuum ordinem, in aliis punctis; à quolibet Planeta ad duos remotiores ducuntur lineæ, quæ 7 triangula iſoſcelia efformant. Et ecce myſterium: à Planetâ ♄, qui denominat diem Saturni, Chriſtianis Sabbati, & præeſt ejus primæ horæ, ſequere lineam quæ ducitur ad ſiniſtram; & indicabit ☉, qui denominat ſequentem diem Solis, Chriſtianis diem Dominicam, & præeſt primæ ejus horæ. Altera linea à Sole ducta indicat ☽, quæ denominat ſequentem diem Lunæ, ac præeſt primæ ejus horæ. Altera linea quæ ducitur à ☽ indicat ♂, qui denominat ſequentem diem Martis, ac præeſt primæ ejus horæ poſt Solis Ortum, atque ſic de reliquis, juxta dictum ordinem.



Si autem primæ horæ diei Sabbati detur pro domino ♄, ſecundæ ♃, tertiæ ♂, & ſic conſequenter, ſecundùm ſuum ordinem, vel ſitum quem ipſi Planetæ habent in Æthere deſcendendo à Cœlo ad Terram, uſque ad 24 horas: occurret in ordine Sol pro domino primæ horæ diei Solis, ſive Dominicæ: atque ſic de aliis. Quod certè myſterium ſi veritatem ab Arabibus attributam contineret, Hypotheſi Copernicanæ accomodari non poſſet; quippe quæ talem Planetarum ordinem non admittat.

At tres illæ ſuppoſitiones de ſingulis Planetis, aſſignatis ſingulis horis, deſumpto initio ab Ortu Solis potius quam ab Occaſu, vel meridie, aut media nocte & de Planeta denominatore diei, ſunt mera figmenta ſine ulla ratione, quod res ſic ſe habeant, atque ſic & non aliter faciendum ſit: & ſine conſtanti experientia quam hujus doctrinæ fautores afferre queant, licet quandoque fortuitam proferant. Quod verò ad myſterium in hoc conſiſtens, ut cujuſque diei horis ita diſtributis Planetis ſingulis, contingat ſemper Planetam dominum primæ horæ cujuſque diei, fore denominatorem ipſius diei. Dico primò. Id etiam fieri, ſi prima hora ſumatur à meridie, ut quibuſdam magis placet, vel etiam quavis alia hora: proindeque ad denominationem diei, nihil referre quis Planeta dominetur qualibet hora diei, quia ſcilicet quælibet hora diei poteſt attribui Planetæ diem denominanti. Dico ſecundò: Inde igitur patere, dierum denominationem eſſe poſteriorem ſupradicta Planetarum per ſingulas horas diſtributione: & ipſorum dierum denominationem deſumptam fuiſſe à Planetis primæ, vel cuilibet horæ diei ſic contingenter dominantibus. Quod ex eo probatur, quia ordo dierum nullam habet convenientiam cum naturali ordine Planetarum: quam tamen ſervat horarum ordo. Dico tertiò. Quod etſi dominium Planetarum in ſingulas horas ab Ortu Solis, vel meridie eſſet naturale & non fictitium: nihil tamen referret quomodo dies quilibet vocaretur, cum Planeta dominus horæ, nullam ab illa denominatione virtutem accipiat. Quæ ratio ex eo validior eſt, quia initium diei uſualis ad quem illa denominatio pertineret, diverſum eſt apud diverſas gentes. Nam Veteres Ægyptii diem inchoabant à media nocte, & finiebant ſequenti media nocte, quem morem Galli, Hiſpani, Germani, pluresque aliæ Nationes ſequuntur, cum Eccleſia Romana. Babylonii diem inchoabant ab Ortu Solis; Judæi, & nunc Itali ab Occaſu Solis: & ſic de aliis gentibus. Quomodo igitur ſtabit cum his moribus diverſis dierum denominatio, etiam in eodem regno, quandoquidem plures ſubjugari poteſt, ac toties immutari modus diem inchoandi? Denique explicent hujus vanitatis fautores ſi potuerint, quomodo & à quo cuilibet Planetæ ter aut quater in die conferatur, atque auferatur dominium horarum, præſertim cum ☿ ♀ ☉ ♂ ac præcipuè ♃ & ♄ in 7 horis ſtatum cœleſtem inter ſe varient inſenſibiliter. Sed ex ſupradictis pluſquam ſufficienter vanitas ac inſipientia eorum, qui quamlibet quæſtionem oblatam reſolvere, vel quid ſibi, aut alteri qualibet horâ diei futurum ſit prædicere ſuſcipiunt, ex præſenti ſtatu cœleſti domini horæ Planetariæ. His adde, quod ſi quis interrogaverit primâ diei horâ, habebit unum reſponſum ex domino illius horæ, ſi horâ ſecundâ fiat interrogatio, aliud & fortaſſis contrarium habebitur reſponſum, & ſic de aliis horis: unde hujus doctrinæ fatuitas patet.

Quanti autem interſit univerſam de quæſtionibus doctrinam ſuprapoſitam evertere, & à veræ Aſtrologiæ ſcientia excludere, ex eo palam eſt, quod ejus Profeſſores ignorantiæ tenebris involutos detineat, illegitimo lucro decipiendis nimium credulis interrogantibus occupet; tam hos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

hos quam illos Diabolo ejus Authori mancipet; & veram ſcientiam infamet. Quæ mala ſunt in Mundo non exigua, nec aliorum infœcunda. Ideoque tales Aſtrologi eſſent puniendi.

Caput IX.

Continens Errores Cardani in ſuo Libello de Interrogationibus.

CArdanus tandem circa quæſtiones Aſtrologicas ſapientior factus, Libellum de iis compoſuit, in cujus proëmio præmonet, quod etſi alias ſæpè interrogationes damnaverit, tamen neceſſarium eſſe duxit de illis ſcribere, quod plerique unum quæſitum ſcire cupiant (nempe ſignificatorum à geneſi) non autem omnia: aitque hanc partem æquè naturalem & conjecturalem eſſe ac alteram de nativitatibus, ad quam ipſe attendit, ſaltem, ut plurimum. Ac in rei veritate doctrina de Interrogationibus ea duntaxat eſt admittenda quæ ſubordinatur doctrinæ Nativitatnm, & quæſita reſolvit ex natalitio themate quærentis, aut ejus pro quo ſit quæſtio. Attamen Cardanus circa doctrinam iſtam non leves commiſit errores, quorum ſaltem nonnulli ſunt hic à Nobis indicandi, ne Cardano nimium addicti, illum diutius hac in parte ſequantur.

Primò igitur ad quæſtionem primam. Quantû Rex victurus ſit? conſulit judicare ſecundum geneſim Regis: & hoc quidem rectè. Sed ſubjungit, *quod ſi non habeas geneſim, momentum invenies quo cœpit imperare, ſi enim ſit legitimus hæres, momentum accipies quo mortuus eſt prior Rex, ſive Pater, ſive Frater: ſi autem electione fiat, momentum quo electus eſt. Et tunc debes erigere figuram. Et eliges, ut in genituris, Aphetam, & diriges, & proceſſus etiam facies, & ingreſſus ſingulis annis.*

In his autem Cardanus errat. Nam quocumque die, vel horâ moriatur Rex Galliæ, Hiſpaniæ, &c. quibus in locis regnum eſt hæreditarium quocumque modo Cœlum diſponatur ipſo momento, Succeſſor ejus legitimus pro Rege admittitur, lege Patriæ; quæ rationem habet fati ſecundi, ut loquitur Ptolemæus: fato primo ac ſuperiore, hoc eſt cœleſtibus corporibus, tunc novo Regi nequidem faventibus, niſi id fortuito contigerit: imò nequidem in ſua geneſi Regnum illi pollicentibus, ſed potius denegantibus. Habet igitur Regnum à lege Patriæ, & non ab Aſtris; niſique talis eſſet lex, filius mortuo patre non eſſet Rex, ut accidit in Polonia, Venetiis & alibi, ubi Regnum datur Electo, fierique ſolebat in Germanico Imperio. Si igitur filius ſuccedens non habet Regnum ab Aſtris, profectò abſurdum eſt erigere figuram cœleſtem ad momentum quo ſuccedit, ut ſciatur quot annis Rex victurus ſit. Nam ſi figura illa non dat Regnum, multò minus dabit durationem in Regno, ſeu vitam Regis, ut Regis. Adde quod eodem modo ex figura erecta ad momentum mortis cujuſcumque Patris, judicandum eſſet de longitudine vitæ ſui hæredis: imò ſingulorum hæredum, ſi plures eſſent inſtituti; ut quandoque accidit Imperatoribus qui morientes Regna ſua dividunt liberis, qui ex figura erecta ad momentum mortis Patris, deberent omnes eodem die interire: hæc autem à ratione & experientia ſunt aliena, nec Aſtrologorum praxis circa hæc occupatur.

Quod verò attinet ad Regna cæteraſque dignitates quæ per electionem conferuntur, quamvis hora electionis accelerari, vel retardari queat ex arbitrio Electorum, non ſecus ac hora coronationis Regis, quam idcirco Cardanus reſpuit, ut minimè naturalem, ſed arbitrariam: Nihilominus certum eſt quod in electionibus ad dignitates, influxus cœleſtes non parum juris ſibi vendicant. Nemo enim ad honores & dignitates eligitur, cui Aſtra in geneſi dignitates non præſagierint: etiam ipſo electionis tempore, per directiones, revolutiones & tranſitus; imò figura ad momentum electionis erecta ſuo influxu favet electo, & quodammodo ſimilis eſt ſignificatione influxui radicali, quem de potentia reducit ad actum. Ex eaque fieri poteſt judicium an electio ſit fortunata, vel infortunata, ſed hi omnes influxus tantum determiantur circa ipſam dignitatem, non autem circa vitam, ut ejus longitudinem indicent. Quod ex eo patet evidentius, quia de qualibet dignitate per electionem à Rege collata, judicandum eſſet, ut de Regno per electionem. At Rex eidem homini ſibi charo, vel inclyto permultas dignitates ſucceſſivè conferre poteſt, quarum figuræ diverſæ magnam circa vitæ terminum confuſionem parerent. Quamobrem modum hunc fallacem arbitror, & à ratione alienum pro termino vitæ Regis, vel cujuſque alterius, qui dono, vel pretio dignitatem adipiſcitur, tantúmque cenſeo ferri poſſe veram ſententiam ex figura nativitatis. Non tamen negaverim, quod ex figura erecta ad momentum electionis Regis, Papæ, Cancellarii, &c. conjici queat an electus, in dignitate collata, vel empta diu ſit permanſurus: ſed hæc conjectura debilis erit, niſi à figura genethliaca confirmetur.

Ad quæſtionem ſecundam, *qualis erit adminiſtratio Regis?* Cardanus vult judicium fieri non ex propria genitura Regis, vel altera, ſed propriè ab initio Regni, hoc eſt momento quo cœpit eſſe Regnum, ut patet ex quæſtione quarta: erectâ ſcilicet, ad illud momentum figurâ cœleſti.

Sed doctrina hæc evidenter ex eo falſa eſt: quia præterquam quod nemo ſcit illud initium, contrariatur veritati nativitatis; quæ vel nulla eſt, vel dicendum quod Regis adminiſtratio talis erit, quales erunt ejus mores ac ingenium, & Cœli influxus natalis circa actiones & dignitates: adjunctis revolutionibus annuis, tum directionibus: Regula autem Cardani circa quæſtionem hanc ſunt meræ nugæ ad placitum confictæ, quas videat qui voluerit.

Ad quæſtionem tertiam. *An Reges ſint amici?* vult id conjici ex eorum genituris & Regnorum initiis: Etſi in præcipuis loca proxima convenerint, pronunciat Reges amicos ad amica Regna. Sin minus, judicat aut Reges inimicos, & Regna etiam, aut Regem amicum, & Regnum inimicum, vel contra.

Sed ſi viveret Cardanus quærerem ab ipſo, an umquam ſciverit alicujus Regni initium, figuræ erigendæ congruum? aut viderit Aſtrologum inter Antiquos, vel Neotericos, qui de tali cognitione glorietur? aut ſaltem erexerit veram figu-

ram

ram talis initii? Nugæ. Ex ſolis igitur genituris quæſtio ſolvenda eſt: quandoquidem neque Regnum, neque Civitas ſunt ſubjectum proprium & per ſe, influxus aſtrorum, qui tantum excipitur ab his quæ naturaliter generantur, ut à Nobis alibi fusè fuit expoſitum.

Ad quæſtionem quartam. *Regum invicem bellantium quis erit ſuperior?* ait Cardanus. *Si habes initia Regnorum, hoc eſt optimum: & ſi non habes, habeas initia in quibus tales Reges regnare cœperunt. Tertiò loco eſt, ut habeas initium deliberationis alterius eorum bellum gerendi. Quartò ſi omnia deſint, habeas geneſes illorum & Præfectorum generalium. Ultimò ſi nullum horum habes, à Marte teſtimonium accipies.*

Patet autem Cardanum velle, quod hæc 5. ſibi ordine virtutis ſuccedant, ideoque figura genituræ ſit incertior tribus prioribus ad quæſtionem ſolvendam: quod tamen eſt falſiſſimum. Nam primum ignoratur ab omnibus, & quamvis ſciretur, vanum eſt, ut ſuperius patuit. Pro ſecundo, etſi Rex regnare cœperit fœlici momento, tamen ſi ex ſua genitura ſit infœlix in dignitate, ſuſceptis ac bellis; profectò corruet coram altero Rege in iiſdem à geneſi fortunato, ſi præſertim fœlix ad tempus prœlii adſit directio & revolutio. Et de hoc dubitare eſt Aſtrologiæ principia ignorare, vel certiorem ejus doctrinam quæ eſt de nativitatibus evertere. Ex tertio autem ſciri nequit, an momentum deliberationis bellum gerendi ſit fauſtum, vel infauſtum deliberanti; quin cum ejus figura natalitia conferatur, in qua Sol, aut Luna, aut ipſe ♃, aut ♀, aut ♂ poſſunt eſſe ſignificatores mortis, qui vitæ fautores falsò crederentur in figura deliberationis. Quintum denique eſt planè abſurdum, cum Mars in adeo generali ſignificatione nihil particularis ſignificet, ut fusè alias docuimus. Quamobrem ex ſolis geneſibus Regum & Præfectorum ſuorum veritas reſponderi poteſt; non rejecta figura deliberationis belli, ex qua videri poteſt an aggreſſor qui bellum inferre decrevit, fauſto, vel infauſto ſibi momento decreverit: plurimúmque valet etiam figura ad principium conflictus erecta, collata cum geniturarum figuris. Nam certum eſt quod eo tempore quo fiunt res magnæ, ſive bonæ, ſive malæ, Cœlum eſt ad illas diſpoſitum reſpectu hominum particularium ad quas illæ primariò & per ſe pertinent.

Ad quæſtionem 6. *Quis in Monomachia victor erit?* Vult quod ſi geneſes eorum ignorentur (quibus præcipuè credendum concedit) erigatur figura ad momentum quo deliberatio facta eſt firma & inconcuſſa pugnandi, ex qua fiat judicium dando primam domum aggreſſori, ſeptimam adverſario, & decimam Judici.

Verum in Monarchia eſt deliberatio aggreſſoris & conſenſus amborum, quod eſt momentum præcipuum atque firmum. Nam ſine conſenſu amborum non erit Monarchia, ſive duellum. In figura autem ad hoc momentum (utriq; hoſtium commune) erecta, cur prima domus dabitur potius aggreſſori quam ejus adverſario? Cumque duellum ſit actio pertinens ad domum decimam, cur non datur litigantium alteri, aut ambobus dividitur, ſed datur Judici, qui circa duellum illud nihil aget? Numquid ex propria geneſi ignarus, ſtultus, ac ſycophanta Judex, per ſtatum cœleſtem decimæ domus in quæſtionum figuris, fiet doctus, ſapiens atque probus: cum in talibus figuris dici nequeat Cœlum in unum, potius quam in alterum Aſtrologum influere, quandoquidem libera eſt electio Aſtrologi: & in rei veritate in neutrum influat ſcientiam & ſapientiam, nullaq; domus Judici aſſignari queat ex cap. 5. Ex his igitur patet talis doctrinæ futilitas, quodq; tantum ſit ferenda ſententia ex figuris geniturarum, momento conſenſus ad duellum & horâ conflictus, ut dictum eſt de Regibus. Hæc enim tria veritatem quæſtionis continent. Sed hæc de erroribus Cardani circa quæſtiones ſufficiant.

CAPUT X.

Ad quot Capita generalia reduci queant omnes quæſtiones Aſtrologo proponendæ.

QUoniam hic duntaxat verſamur in Aſtrologiæ Theoria, idcirco doctrina de quæſtionibus tantum generaliter hic à Nobis tradetur. De particularibus quæſtionibus acturi fuſius in Aſtrologiæ praxi, ſi DEUS Opt. Max. eo uſque vitam nobis produxerit.

Eas autem quæſtiones legitimas appellamus, quæ pertinent, vel ad conſtitutiones particulares naturaliter naſcentium: ut Petri, aut hujus equi, vel ad conſtitutiones univerſales Planetarum, ſcilicet horum revolutiones, aut periodicas, aut ſynodicas. Reliquas verò omnes cenſemus illegitimas & ſcientificæ reſponſionis incapaces. Ut ſi quæratur quamdiu durabit hæc domus, aut navis, aut ſtatua; vel quid portendat occurſus Lupi, aut Falconis & Milvi conflictus in aere viſus, aut quis furatus ſit Petro ſuam pecuniam, &c.

Porrò quæſtiones legitimæ ad ſex Capita generalia reduci poſſe mihi videntur: ſcilicet

1. Ad accidentia nato peculiaria in vita, moribus, ingenio, divitiis, fratribus, parentibus, liberis, &c. An ſcilicet habiturus ſit fratres, conjugem, &c. An dilecturus ſit illas perſonas. An futurus ſit fœlix circa illas, & ſimilia, in quibus de nato tantum quæritur aliquid circa res illas.

2. Ad accidentia nato cum aliis perſonis communia, ut concordiam, diſcordiam, negotiationes, lites, duella, contractus cum fratribus, parentibus, liberis, conjuge, ſervis, dominis, amicis, inimicis.

3. Ad accidentia particularia perſonarum ad natum pertinentium: ut qua morte & quando pater, frater, uxor, liberi, morientur: quo tempore filius ſit ducturus uxorem, an caſta ſit uxor, &c.

4. Ad accidentia perſonarum ad natum non pertinentium ex ſua geneſi, ut quamdiu Rex victurus ſit, vel quis Regum præliantium futurus ſit victor.

5. Ad accidentia generalia à conſtitutione univerſali pendentia: ut bellum, peſtem, famem, diluvia, &c.

6. Ad accidentia generalia à conſtitutione univerſali non dependentia, ut adminiſtrationem Regni, Navigationem, commercium à pluribus ſociis initum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Caput II.

Quomodo generaliter judicandum ſit de quæſtionibus ad illa ſex Capita pertinentibus.

NUlla quæſtio legitima judicanda eſt tantum per figuram erectam ad momentum quo ipſa quæſtio proponitur. Talis enim figura nullam continet veritatem niſi fortuitam circa quæſtionem ipſam, ut ſatis conſtat ex præcedentibus capitibus. Fuitque methodus hæc inſtigante Diabolo inventa duntaxat ab avaris & ſuperbis nebulonibus Aſtrologiæ utcumque peritis, lucri & inanis famæ causâ, ut ſcilicet apud ignaros gloriarentur ſe quamcumque propoſitam quæſtionem ſolvere poſſe, nullamque lucri occaſionem prætermitterent, ſed ex inſana miſerorum hominum curioſitate, pecunias undique corraderent: & ne ipſorum ignorantia, vel fraus detegerentur, multis illas præcautionibus obduxerunt vanis, ut ſuperius patuit. Sed doctrina omnem quæſtionem judicandi fundatur in Thematibus cœleſtibus, vel geniturarum, vel conſtitutionum univerſalium.

Itaque ad quæſtiones primi generis de propriis & particularibus nati accidentibus: Reſpondendum eſt duntaxat per figuram nativitatis illius. Ut ſi quæratur an dignitates ſit adepturus, inſpicienda eſt domus 10, quæ eſt de dignitatibus, ac videndum quæ ſigna, Planetæ, & fixæ ipſam occupent, vel ipſi dominentur. An ſint naturæ beneficæ, vel maleficæ, tum an ipſi Planetæ ſint benè, vel malè affecti ſtatu cœleſti, nec non quomodo ſe habeant ad Horoſcopum ejuſque dominum, & ad luminaria. Tum an ſint in bonis, vel malis figuræ domibus: & ex horum attenta ſpeculatione, dandum erit reſponſum, ut docebitur in Aſtrologiæ praxi, quæ tamen Theoricè tota continetur Lib. 21. Idemque à ſimili faciendum eſt circa quæſtiones de divitiis, fratribus, liberis, conjuge, &c. An talia natus ſit habiturus, & circa hæc fortunatus, juxta Aphor. 17. Hermetis. *Cum interrogatus fueris de patre, aſpice quartam, de fratre tertiam, de filio quintam, de uxore ſeptimam. Si vero interrogatus fueris pro ægro, nullam aliam quam aſcendens accipias.* Quod ſi quæſtio proponatur ad tempus aliquod præfixum, ut an natus conjugem ſit ducturus hoc menſe, adjungendæ erunt directiones radicales, tum revolutio annua & menſtrua harumque directiones. Ex ex his ferenda erit ſententia: eademque eſt ratio in cæteris.

Ad quæſtiones ſecundi generis, quæ ſunt de accidentibus nato cum aliis perſonis communibus, ut duellum cum inimico ſuſceptum; videndæ ſunt geneſes utriuſque perſonæ, horum directiones & revolutiones ad tempus duelli: imò figura erecta pro hora duelli de qua conventum eſt, & ex his omnibus invicem collatis laude digna ſit reſponſio. Si quæratur de conjugum inter ſe concordia, videantur mariti & uxoris geneſes, non ſolum an inter ſe conveniant, vel ſibi contrarientur (ut cum Horoſcopi, vel horum domini ſunt inter ſe oppoſiti, vel quadrati, ſuntque ipſi domini naturâ malefici, ſed etiam an ex propria Mariti figura ſignificetur illi diſcordia cum uxore, aut viceverſa: & ſecundum hæc & alia ſignificationis ejuſdem feratur ſententia. Si quærat natus an fœliciter negotiaturus ſit cum altero, ad tempus propoſitum: videnda utriuſque geneſis, an uterque ſit ad negotiandum fœlix, ac præſertim eo tempore per directiones & revolutiones: & an geneſes amborum inter ſe concordent, & ſuper hæc judicandum: eademque eſt ratio in cæteris.

Ad quæſtiones tertii generis. Ut ſi quæratur à nato, quando frater ejus morietur; hoc præcipuè judicandum ex ipſius fratris radicali figura, inſpectis ejus directionibus & revolutionibus, ſed ſi figura ipſa ignoretur; tunc ex figura nati extrahatur figura fratris, ut alibi docuimus, ejuſque fiant directiones & revolutiones, indeque judicetur, quamvis incertius.

Porrò notandum eſt quod ſi natus hunc fratrem unicum habuerit, figura extracta illi particulariter ſignificabit. At ſi plures fratres habuerit, figura extracta omnibus illis generaliter tantum ſignificabit, nec potius uni quam alteri particulariter. Ideoque parum erit fidendum ipſi figuræ pro fratre particulari, ſed multò magis quam figuris quæſtionum more Arabum quæ nullum habent in natura fundamentum. Idemque dicendum de figura extracta ex geneſi Patris, qui unicum, vel plures filios habuerit. Si tamen de nati morte fieret quæſtio ex propria ejus figura, deindeque ex figuris extractis à geneſibus Patris, Matris, fratris, conjugis, &c. certum eſt quod diverſa inde orietur ferenda ſententia, nec omnes in eandem convenirent. Sed in hoc caſu ſemper eſſet judicandum ex figura quæ fortius ſignificaret: propria autem nativitas omnium fortiſſimè ſignificat, poſtea verò figura extracta ex geneſi Patris, aut filii, ac præſertim primogeniti: deinde verò uxoris & fratrum, hic enim ordo eſt virtutis figurarum extractarum: filius enim participat influxum radicalem patris per ſuam generationem ex illius ſemine: & pater per ſuum ſemen vivit in liberis: conjunctio autem per corpus cum uxore major eſt & arctior, quam conjunctio per ſanguinem cum fratribus ex domorum cabala.

Ad quæſtiones quarti generis, figura nati non eſt inſpicienda: nam influit duntaxat in perſonas ad ipſum pertinentes; ideoque ſi de unica perſona ad natum non pertinente quæratur aliquid illi proprium, geneſis ejus conſulatur: & ſi hæc ignoretur, videatur figura ejus extracta ex geneſi ſui Patris, aut Matris, aut filii, aut conjugis, aut fratris, & quo plures habebuntur, eo certius erit judicium ſi circa quæſtionem propoſitam convenerint. At multò certius erit ſi duæ figuræ extractæ, cum ipſius perſonæ figura genethliaca convenerint. Si autem de duobus hominibus quæratur aliquid circa rem illis communem, ut circa duellum: eorum ambæ geneſes conſulantur, tum directiones & revolutiones ad tempus duelli, ſi ambæ ſciantur; aut ſaltem earum altera cum figuris extractis: quod ſi utraque geneſis ignoretur, ferenda erit ſententia ex pluribus figuris extractis pro utroque. Atque notan-

notandum primò: Quod figuræ extractæ valent etiam ad certius judicandum de quæſtionibus primi & ſecundi generis. Secundò: Quod ſignificatores uxoris (verbi gratia) ſpectati in figura genethliaca nati, ratione domorum in quibus ſunt, vel quibus præſunt, tum connexionis per corpus aſpectum & dominum cum ſignificatoribus nati, vel aliarum rerum ad ipſum pertinentium, magis ſignificant res propriè, vel impropriè communes nato ejuſque uxori: figura autem uxoris extracta ex nati geneſi efficacius ſignificat res uxori proprias: eademque eſt ratio in cæteris. Nec extrahitur figura ex figura extracta, alioquin daretur proceſſus in infinitum, & continua præſagiorum contrarietas.

Ad quæſtiones quinti generis, reſpondendum eſt per figuras erectas ad momenta conſtitutionum univerſalium de quibus actum eſt Lib. 24. ſolæ namque ſufficiunt, ut judicium feratur de peſte, fame, diluviis & ſimilibus. At pro bello non parum etiam proderit inſpicere figuras natales Regum atque Principum, earumque directiones & revolutiones ad tempus conſtitutionis univerſalis currentis.

Denique ad quæſtiones ſexti ordinis pro adminiſtratione Regni; vide quæ diximus contra Cardanum cap. 9. Pro navigatione tum videantur geneſes nautæ & præcipuorum qui navigationem ſuſcipiunt, tum figura ad momentum quo navis ſolvit è portu. Et pro commerciis videantur figuræ natales ſociorum commercii & figura ad horam quo inita eſt commercii, ſocietas, figuris extractis non neglectis ſi natales deſiderentur.

Porrò ſuprapoſita doctrina nullis indiget Arabum præcautionibus, ſed poteſt quælibet quæſtio legitima proponi eidem Aſtrologo millies, aut mille Aſtrologis ſimul, vel ſucceſſivè. Et ſaltem ex fundamentis ſuprapoſitis eadem ſemper feretur ſententia, ſive quæſtio ſit de rebus præteritis, præſentibus, aut futuris; quod veræ & ſtabilis doctrinæ indicium eſt certiſſimum. Atque de quæſtionibus Aſtrologo proponendis hactenus dicta ſufficiant.

SECTIO II.

De Electionibus Aſtrologicis.

CAPUT I.

Circa quæ verſetur Doctrina de Electionibus Aſtrologicis, & qui ſint limites veritatis illius.

DOctrina de Electionibus verſatur circa invenienda tempora congrua ad fugiendum malum, quod à geneſi ſignificatur, aut timetur, & adipiſcendum bonum, quod à geneſi promittitur, vel optatur: Tum ad omnia ſuſcepta & actiones in finem optatum dirigendas. Itaque differunt electiones à quæſtionibus, quod hæ quieſcant in cognitione rei quæſitæ: illæ verò ad actionem ordinentur.

Electiones autem dupliciter fieri queunt. Primò, habita ratione figuræ natalis perſonæ pro qua fit electio; & hic modus eſt legitimus & verax. Secundò, nulla figura natalis habita ratione, qui modus illegitimus eſt atque falſus, ut multis rationibus probat Haly part. 7. de Jud. Aſtr. cap. 1. Quarum ſumma eſt, quod in figura electionis temporis, licet ipſa ſit apparenter fœliciſſima, nihilominus ſi fuerit contraria natalitiæ figuræ non cognitæ, nihil boni ſed potius infortunium prodibit ex illa electione, fortaſſis enim Horoſcopus electionis erit octava domus, vel duodecima radicis, vel dominus Horoſcopi electionis erit dominus octavæ radicis, aut duodecimæ: fierique poteſt, ut aliquis horâ ad iter fœliciſſima ratione præſentis ſtatus Cœli, inchoet iter ſibi infœliciſſimum, vel in vita, vel in bonis, dum alius proficiſcens horâ apparenter infortunatiſſimâ omnimodam fœlicitatem experietur, quippe quod nonnullis in geneſi Planetæ malefici ſint ſignificatores vitæ, dignitatum, divitiarum, &c. beneque affecti. Planetæ autem benefici ſint illis ſignificatores malorum & male affecti: aliis verò contrarium accidat. Quocirca hortatur Haly ne fiat electio pro eo cujus nativitas ignoratur, niſi ſaltem (inquit) habueris ejus quæſtionis aſcendens: Qua in re jam errat Haly dum putat figuram quæſtionis inanis citra geneſim factæ pro itinere ſuſcipiendo, eſſe poſſe legitimum fundamentum electionis bonæ ad iter.

CAPUT II.

De nonnullis generaliter notandis circa Electiones.

CIrca temporum electiones generaliter hæc notanda eveniunt.

Primum: Electiones ipſas prodeſſe non modò ad aſſequendum bonum, aut aliquod ſuſceptum fœliciter aggrediendum: ſed etiam ad malum imminens, vel quod timetur evitandum. Nam qui Principis amicitiam ſibi conciliare, aut optatum contrahere matrimonium, aut domum, Caſtellum, vel Urbem ædificare voluerit, proderit maximè tempora ad illas res congrua eligere, quibus nempè Cœlum faveat nato ſuſcipienti talia: Cœleſtis enim influxus tantum afficit natum primò & per ſe circa talia, quæ tantum per accidens afficidenda ſunt. Domus enim conſtruendæ fortunium non conſiſtit in ſtatu Cœli in ſe ſpectati qua horâ domus ipſa ædificari incipit (quod tamen afferendum eſſet ſi cœleſtis influxus primò & per ſe afficeret artefacta) ſed ſpectati reſpectu Architecti & ejus qui jubet domum ſibi conſtrui: poteritque Cœli ſtatus fœlix eſſe primo modo, ſed infœlix ſecundo; unde ipſius domus ſequetur infortunium: eademque eſt ratio in cæteris. Similiter qui morbum ab Aſtris imminens præcavere voluerit, invento morbi tempore per directiones, & revolutiones Solis & Lunæ, tempus eliget ante morbi adventum, quo aut ſanguinem detrahere, aut humores noxios tutò purgare queat. Et Rex à ſibi vicino Rege bellum metuens, ante belli exortum quæ pacis erunt cum illo tractanda ſuſcipiet ſibi fauſto & ad pacem compoſito tempore, ac per homines eodem etiam tempore ad id cœlitus fortunatos: eademque ratio eſt de imminente lite, in qua de bonis, aut vita timetur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Secundum. Quemlibet poſſe tam pro ſe, quam pro alio quovis eligere tempora congrua, tam in bonum, quam in malum finem. In bonum, ut ſi quis velit filio ſuo dignitatem procurare: in malum verò, ut ſi quis velit alterum perdere, aut vita, aut bonis, (quod plerumque licet in pravos authoritate ſua nimium abutentes) ſagaciter attendet in ejus figura natali, quando pravæ compleantur directiones & revolutiones. Tuncque illum aleis, aut litibus, aut bellis, aut periculoſis negotiis implicabit, ipſumque aggredietur ſi litem cum ipſo habuerit, & tunc ab Aſtris fortunetur. Eademque eſt ratio de Rege bellum adverſus alterum Regem ſuſcepturo. Non enim bellum etiam juſtum ſuſcipiat, ſi cum geneſi parum fauſtæ occurrant directiones & revolutiones infauſtæ, hoſti autem contrarium accidat, ſed exſpectet quod hoſtis à Cœlo infortunetur, ipſe verò econtra fortunetur; proderitque multum intueri quoque geneſes Præfectorum belli utriuſque partis. Atque bis non animadverſis multa plerumque ſuſcepta infortunatiſſimè ſuccedunt.

Tertium. Ad electionem quamlibet, ut pro fœliciter contrahendo matrimonio, hæc duo requiri. Primum, ut fœlix conjugium fuerit in genitura ſignificatum. Secundum, ut tempore contractus adſint congruæ directiones, revolutiones & tranſitus ſignificatorum. Horum enim altero deficiente non proderit electio, quantumvis opportuna fauſtaque videatur. Non enim electiones evertere queunt ſignificata radicis, cum id nequidem poſſint directiones & revolutiones. Radicalis autem ſignificatio poteſt eſſe in ſupremo, infimo, vel medio gradu, ſicut & ſignificatio conſtitutionis electæ ad agendum. Si quæ deſumuntur à geneſi, concordent cum figura electionis in gradu ſupremo, magnus ſequetur effectus atque velox, conformis utrinque ſignificato: ſi in gradu infimo erit minimus, vel ejus duntaxat erit apparentia: ſi in gradu medio, erit medius: gradus autem ſupremus partis unius cum infimo partis alterius, producet ſupra infimum, & cum medio ſupra medium, præſertim ſi gradus ſupremus ad natale thema pertinuerit.

Quartum hujus doctrinæ præcipuum in praxi, in eo conſiſtere: ut quæ agenda ſunt, incipiantur, momento figuræ, ſeu conſtitutionis cœleſtis electæ. Nam tota virtus electionis conſiſtit in eo Cœli poſitu, qui fini intento conformis eligitur: quoque per diurnum Cœli motum diſſoluto, perit etiam, vel depravatur virtus optata, & quod pro itinere inchoando fœliciter in nona domo collatum fuerit, præcipitatur in octavam, ubi mortem, aut vitæ pericula portendet. Aut quod pro valetudine in prima domo fœliciter erat, tranſibit in duodecimam, quæ eſt morborum. Atque idcirco in agendis ad tempus electum, omnia ante ipſum momentum ſemper debent eſſe parata, ut nihil aliud exſpectetur præter ipſum momentum, non horologiis vulgaribus quæ ſæpè fallunt pluſquam dimidia horâ, ſed Sole aut ſtellis accipiendum: ſicque omnia neceſſaria habens parata ante ipſum momentum, jure dominus temporis dici merebitur, ut qui eo ad libitum uti novit. Sicque agendum cum figura electionis, quod ſit figura particularis.

CAPUT III.

Quantæ ſit utilitatis Doctrina de Electionibus.

DOctrina de Electionibus tantæ eſt utilitatis ſi recte attendatur, ut Aſtrologiæ univerſæ fructum practicum in ſe complecti reperiatur. Non enim alio fine hominibus data eſt à DEO ſapientiſſimo & optimo Aſtrorum ſcientia, quam ut mala ſibi à geneſi ſignificata præcaverent, bona autem à Cœlo promiſſa conſequerentur: ſicque omnium ſuſceptorum & actionum ſuarum naturalem regulam atque directionem haberent apud ſe, venerantes Divinæ Providentiæ per Aſtra diſpenſationem in Sublunaria; ſuæque libertatis vim ſuper Aſtrorum influxus admirantes: ut proinde quam latè patet humanarum actionum campus, tam latè pateat utilitas electionum.

Quia tamen hominis intellectus hac in caliginoſa vita eò uſque perſpicax non eſt, ut omnium ſuarum minimarum, vel etiam mediocrium actionum cauſas aſtrales exacte diſcernere eaſque in electionibus ritè applicare valeat: tutius eſſe cenſeo electionibus uti duntaxat in rebus majoris momenti, quarum cauſæ ſunt evidentiores: reliquas autem prudentiæ ex rerum inferiorum ſtatu, vel diſpoſitione conjectanti, committere. Ne volenti ad omnia negotia electionibus uti, idem accidat quod Ludovico Sfortiæ Mediolanenſium Duci, de quo ſcribit Cardanus ad Text. 14. Lib. 1. Quatrip. *quod aleret quæſtuoſum Aſtrologum, ſed ignarum, eumque ditaverat egregiè, centum atque plus magnis aureis talentis: à quo pro tanta mercede tempus unicuique negotio inchoando præſcribebatur, adeò ridiculè ut ſapientiſſimus alioquin Princeps cogeretur tempeſtatibus maximis equos conſcendere, totamque Aulicam cohortem & ſtipatores, per medios imbres, per cœnum atque lutum, tanquam hoſtes, vel inſecuturus, vel fugiturus deducere: neſcio an Aſtrologi amentiâ, an ambitione ſummâ, an potius irriſione: ut qui Principi ipſi talibus commentis per flagitium illuderet. Atque ei (quod nullis aliis prorſus Provinciæ noſtræ Principibus contigit unquam) evenit, ut Regno ab inimico Rege Galliæ ſpoliatus & captus, miſerè vitam in carceribus etiam colapho accepto, & in clatrata ferrea dormiens finierit.* Qua ſanè deploranda hiſtoria Alexander de Angelis Lib. 4. in Aſtrol. cap. 15. Doctrinam Electionum infamare contendit, potius quam ſycophantæ Aſtrologi inſcitiam condemnare. Atque oſtenditur cavendum eſſe non ſolum Principibus, ſed etiam cuilibet alteri præſertim in rebus magni momenti, à conſilio ignari Aſtrologi, cui longè periculoſius eſt credere, quam ignoto Aſtrorum influxu actiones ſuas ſolo propriæ rationis lumine dirigere. Nam etſi ratio ex ſe ſola ſit ignara futuri, tamen dum futurum fiet præſens incipiendo eſſe, ratio circa illud, vel amovendum, vel conſequendum etiam ſola multum poterit.

Sed quantum valeat Aſtrologia & præſertim electionum doctrina in rebus magnis ſuſcipiendis atque tractandis, evidenter conjici poteſt ex Regis Chinæ potentiſſimi Conſilio ſecretiori, ad quod tantum 12 viri totius Regni ſapientiſſimi admittuntur, ſed nullus ex eis admittitur qui

Aſtro-

Aſtrologus non ſit egregius: quippe quod in illo conſilio prius conſulantur Aſtra tam de rebus agendis, quam de perſonis iiſdem rebus præficiendis: & de temporibus ad res agendas idoneis. Quod tamen non facerent viri una omnium voce egregiæ Politices peritiſſimi; niſi id ad populorum regimen plurimum conducere experirentur. Idemque commune fuit primis Mundi Monarchis, qui in rebus arduis ſuos conſulebant Magos, non aliunde ſic vocatos quam ab Aſtrologiæ peritia, ſublimi quippe ac divinâ ſcientiâ.

Ac Ego quidem arbitror Regi, vel Primo Miniſtro vix quidquam utilius fore, trium ſaltem peritiſſimorum Aſtrologorum Conſilio, qui non ſolum Regum & Principum vicinorum, ſeu etiam omnium Magnatum in Aula conſpicuorum & ad dignitates aſpirantium, veras haberent genituras: inde enim à quo Rege, & quando bellum eſſet evitandum, contra quem, & quando eſſet ſuſcipiendum, & qui exercituum Præfecti eligendi, & qui recuſandi, non abſque inſigni fructu pateret: cum econtra plerumque bellum ſuſcipiatur à Rege infœliciſſimo, atque nato potius ad Regni diſſipationem quam incrementum, idque anno ipſi Regi infœliciſſimo, & per Præfectos ipſo tempore ruinoſos: contra Regem alium tunc temporis fortunatum. Ex quibus concurrentibus, quid niſi magna clades venit exſpectanda? Quod autem de bello hic dicitur, à ſimili dictum de valetudine & conjugio Regis, de legationibus tranſmittendis, vel excipiendis, & aliis Regni præcipuis rebus. Tres autem Aſtrologos ſaltem ſuaderem, unicus enim huic oneri impar eſſet, dumque duo diſcordes eſſent, tertius neceſſario eſſet admittendus, quandoquidem in multo minoris momenti controverſiis litigantium, multo plures admittuntur Judices. Nec quiſquam mei causâ hoc dictum fuiſſe putet, qui tale munus proculdubio reſpuerem: nam ſi in ipſa juventute Aulam odio habui, ut libertatis & ingenuitatis meæ inimicam: potiuſque fugi, quam ambivi Principibus, aut Magnatibus ſubjici: certum eſt quod jam agens annum 66, nec procul à vitæ termino, corrupta nunc ſupra modum Aulæ aura, fortiter nauſeam mihi movet; ac inſanus eſſem ſi non de morte potius quam de vita Aulica meditarer: ſed dictum ſit duntaxat in gratiam veritatis & Aſtrologiæ dignitatis, quibuſcunque me defuncto ipſius Aſtrologiæ excellentia ex hoc opere innoteſcet.

Quod ſi Regibus & Principibus in maximis rebus utilis ac neceſſaria eſt Aſtrologia, & ejus potiſſimum pars iſta, nemini dubium eſſe poteſt, quin aliis etiam quibuſvis hominibus prodeſſe queat ad ſingula negotia fœliciter aggredienda: ſive ad agriculturam, ſive ad generationem liberorum, animalium domeſticorum, ſive ad medicinam, ſive ad humana commercia quælibet pertineat, tuncque vitandos Cœli poſitus infauſtos, ſub quibus ingentia mala, aut pericula contingere ſolent, annis præſertim quibus pravæ ſunt directiones & revolutiones, ut cap. 11. Sect. 2. Lib. 24. abunde probavimus per 8 figuras Cœli: ad momenta incœpti prœlii in quo Guſtavus Adolphus Rex Suetiæ occubuit, mortis virorum aliquot, & ingentium periculorum in quibus ipſe fui.

At quia ut plurimum neque Rex, neque primus ejus Miniſter, neque cæteri homines curant de ſibi comparandis natalibus figuris eorum quibuſcum rem ſunt habituri; idcirco non obſtantibus temporum electionibus ad agenda congruis ſecundum geneſim Regis, aut ejus primi Miniſtri, fit interdum, ut ſperatus non ſuccedat effectus: nam Miniſter habet ſupra ſe fortunium, vel infortunium Regis cui ſubſervit. Rex autem & Miniſter habent infra ſe fortunium, vel infortunium virorum, quibus ad mandata exequenda, vel res peragendas utuntur. Proprium autem Regis, aut Miniſtri fortunium, vel infortunium, ab illis dependet in communi concurſu: ideoque hæc omnia eſſent inſpicienda ſimulque miſcenda, pro eventuum prædictione veriore; non ſecus ac miſcentur influentiæ multorum Planetarnm in eundem effectum concurrentium. At ſi aliorum geneſes ignorentur, dicendum erit duntaxat quid Aſtra ipſi Regi, vel primo ejus Miniſtro peculiariter præſagiant, eo anno per directiones & revolutionem, tum ipſo die, vel horâ per electionem. Hoc enim ſcire melius eſt quam neſcire, ac proderit ad audendum; pro cæteris ignotis cautiones præſcribendo vel adhibendo. Idemque cenſendum eſt de alicujus exercitus Præfecto generali ejuſque officiariis, tum de omnibus qui alienæ voluntati ſerviunt, vel ſuam exequendam alteri committunt, in magni præſertim momenti negotiis, quos melius eſt ſcire Cœlum ſibi tunc favere quam contrariari. Ex duobus enim Præfectis, aut Regibus invicem præliaturis, ſi eorum alter ſciverit horâ inchoantis certaminis Cœlum ſibi eſſe propitium, jure dubitabit ne hoſti æquè, vel magis ſit propoſitum, ideoque pugnabit audacius: quamvis eſſet tutius geneſim hoſtis habere: & ex ambarum inſpectione Cœlum ſibi opportunum, hoſti verò ſimul contrarium eligere. Tunc enim Regi cui Cœlum favet certò ſperanda erit victoria dummodo ipſius Cœli fortunato influxui debitè cooperetur.

Etenim ſciendum eſt ex rebus quas corpora cœleſtia particulariter alicui ſignificant, quaſdam eſſe ad quas natus nihil de ſuo contribuit, ſeque habet merè paſſivè, ut cum inopinus cadit ab alto, aut incidit in latrones, aut accipit à Rege beneficium, vel dignitatem, de quibus nequidem cogitabat: & hæ à ſolo influxu malefico, vel benefico Aſtrorum erga natum perficiuntur. Alias vero eſſe ad quas etſi Aſtra ſola natum excitent, non tamen ſola ipſas perficiunt, ſed ipſius nati requiritur cooperatio, qualia ſunt ſuſcepta, prœlia, negotia, omneſque actiones præcipue ipſius nati. Ut enim Cœlum eſt in natura imago Dei perfectiſſima in ſuo agendi modo, ſicut oſtenſum eſt alibi, ita influxus naturalis eſt ſimillimus influxui Dei ſupernaturali qui gratia nuncupatur: ſicut enim Deus ſuâ gratiâ voluntatem excitat ad agendum, non tamen eam cogit, vel ſibi ſubjicit, aut ſolus perficit opus, ſed requiritur libera hominis cooperatio, quam Deus relinquit illius arbitrio: ſic Cœlum ſuo influxu hominem ad agendum excitat, nec tamen eum cogit, aut ſolum actionem perficit, ſed requiritur hominis cooperatio Dumque hominis cooperatio conformis eſt aſtrorum influxui, accidit effectus, ſive bonus, ſive malus, juxta qualitatem influxus. At ſi ho-

minis cooperatio ſit influxui contraria, aut quod etiam ipſe non cooperetur, influentia nullum erga ipſum habebit effectum proprium & per ſe.

Hinc verò patet eos vehementer hallucinari qui Aſtrologiæ nimium confidentes, credunt fœlicitatem ſibi ab Aſtris ſignificatam in ſuſceptis & actionibus ſucceſſuram, etiamſi nihil agant, vel incongruè operentur, putantes ſat eſſe quod Cœlum id ſignificaverit, ut certo ſuccedat: & non ſuccedente, opinantur, vel Aſtrologiam eſſe falſam, vel ſe ab Aſtrologo deceptos fuiſſe. Nam Aſtrologus prædicendo ex Aſtris fœlicitatem ſuſceptorum, vel actionum liberarum nati, ſupponit congruum concurſum ipſius nati: qui ut ſua prudentia poteſt malum prænunciatum evitare, ita ſuâ negligentiâ, vel imprudentiâ bonum à Cœlo ſibi promiſſum perdere poteſt. Nec Aſtrologus de ſuæ prædictionis ſucceſſu reſpondere tenetur, ſed tantum de prædictione ſecundum artem, vel influxum aſtrorum facta. Verè ſiquidem aſtra homines inclinant, & ad quid inclinent verè prædici poteſt: quid autem futurum ſit de ejus liberis actionibus tantum prædici poteſt conjecturaliter. Cum Aſtrologia circa hæc ſit humano ſaltem ingenio tantum conjecturalis ſcientia; tum propter indifferentiam liberi arbitrii ad utrumque, tum propter aliarum cauſarum concurſum, etiam plerumque liberum, quæ quomodo tunc à Cœlo afficiantur non innoteſcit. Etſi enim pars hominum maxima, ſuas in agendo ſequatur propenſiones innatas (quod ad tuto prædicendum maximè facit) tamen ſunt multi qui aut prudentiâ, aut religione, aut coactione, aut captivitate eludunt aſtrorum influxus. Et de his cautius prædicendum eſt habita ratione conditionis, vel ſtatus ipſorum. Hæc autem hic à me apponuntur, ut pateat omnibus quanta Aſtrologo requiratur ſagacitas in prædicendo, quodque in actionibus liberis nihil certò ac infallibiliter definiendum eſt, ſed tantum conjecturaliter. Attamen cum eo majore probabilitate, quo res à Cœlo validius ſignificabuntur. Monendo ſemper homines prædictionum avidos, Cœlum quidem talia pro certo præſagire; effectum verò præcipue pendere à cooperatione, ſive ad bonum, ſive ad malum. Suprapoſitis autem debitè notatis, & quantum fieri poterit obſervatis in rerum agendarum idoneo tempore eligendo, dubitandum minimè eſt, quin utilitas magna frequenter inde prodeat.

Caput IV.

Quam vana ſint Alexandri de Angelis Argumenta, adverſus Electiones.

Alexander de Angelis Lib. 4. in Aſtrologos cap. 15. multa habet futilia contra electiones, quibus ſibi applaudit, ſed nulla ſunt reſponſione digna. Præter hæc autem, duo ſtatuit argumenta, quibus ut machinis fatalibus Partem hanc Aſtrologiæ, proindeque Aſtrologiam univerſam ſe ſubvertiſſe putat.

Primum tale eſt. *Vel rem quam aggrederis* (Aſtrologum alloquitur) *fœlicem tibi & voto natalia aſtra pollicentur; vel infœlicem & inauſpicatam, vel nihil natalis Horoſcopus de ea habet. Si primum, quocumque aſtro rem aggrediaris, proſpero ſecundoque exitu negotium tractabis. Si ſecundum, nullæ ſtellæ adverſus natalitia decreta rem tibi proſperabunt. Si res ad genitalia ſydera non pertinent, perit omnis genethliaca diſciplina, quæ ex aſtris, quæ conceptui & ortui præſident, res omnes deducit.*

At conceſſis duobus ultimis membris, ad primum reſpondeo. Hic Alexandrum de Angelis ſuam Aſtrologiæ inſcitiam evidentiſſime teſtari. Neſcivit enim equidem natalitia aſtra res fœlices polliceri, at non quovis tempore; ſed certo ac definito, quod directionibus menſuratur, & per revolutiones congruas confirmatur. Quodque ut in partu, figura cœleſtis fœtui conſtitutioni congrua, illum mirabiliter educit ex utero in ſcenam mundanam, illumque ſuæ juriſdictioni ſiſtit, ſibique influentialiter ſubjicit: Ita bonum à geneſi ſignificatum ac per directionem & revolutionem congruam maturatum, figura cœleſtis congrua per Cœli poſitum & Planetarum tranſitus aptos, traducit de potentia in actum, illudque oriri facit; quod eſt veriſſimum ac genuinum electionum fundamentum. Nec præterea ſcivit quod cum in omni geneſi & bona, & mala ſignificentur (nulla enim eſt omni ex parte beata, vel infauſta) abſurdum eſt opinari quod vel omnia bona ſimul, vel omnia mala ſimul, vel omnia bona & mala ſimul accidant ipſi nato, quando enim omnia ſimul acciderent? & quid accideret reliquo vitæ tempore? aut cur bonum potius quam malum, vel econtra certo accideret tempore? Itaque fatendum eſt quælibet ſive bona, ſive mala ſuo tempore accidere, ut probatur ex directionibus, proindeque falſum eſſe quod quocumque aſtro (hoc eſt tempore) rem aggrediaris, proſpero ſecundoque exitu rem tractabis.

Secundum tale eſt. *Sed faciamus eo Cœli habitu aliquem iter capeſſere quo ad iter auſpicandum nihil deſiderari poſſit magis fauſtum: hujuſmodi Cœli conſtitutio perduratne toto longiſſimi itineris tempore? ſtare igitur oportet Cœlum quamdiu homines moventur, quis feret hujuſmodi deliria? An cum tempore dilabitur? quo tandem modo ſoſpitabit multorum dierum, ac etiam menſium longum iter? An dicturus eſt afflari hominem ab aſtris, quando primò equum conſcendit, eumque afflatum ſoſpitalem perdurare toto viæ tempore, fauſtitatemque præſtare? Itane vero? qui iter facit, nonne quotidie equum aſcendit? cur non aliis, & aliis quotidie afficitur, quæ ſibi ſuccedunt in rerum Sublunarium dominatu? jam verò ſi varie ſingulis diebus, imò ſingulis horis afflatur, quid prodeſt fauſta, vel infauſta itineris auſpicatio? Nec illud explicabunt Aſtrologi, quomodo iter agenti ſtellæ ſternant viam, abigant à via latrones, diſcuſſis nubibus temperent Solis ardorem, ſuſtineant equos ne offendant, exæquant montes valleſque, quæ omnia præſtare debet Cœlum ſi proſperum iter præſtet.*

Hæc æquè riſu digna atque homine docto indigna apponere volui, ut pateat Alexandrum de Angelis ignoraſſe in quo itineris proſperitas conſiſtat. Quæro igitur ab illo num iter beatiſſimæ Virginis Mariæ ad viſitandam Elizabetam fuerit proſperum atque fœlix? & tamen illud fecit per montana Judeæ, Lucæ cap. 1. quæ non fuerunt complanata ſicut nec montes Sepher, Gadgad,

Hor

Hor & Abarim in quibus caſtra metati ſunt filii Iſraël in ſua peregrinatione ex Ægypto in Terram promiſſionis, Numer. cap. 33. Numquid omnia itinera per montes ſunt infauſta; ea verò ſolum fauſta quæ fiunt in planitiebus, quæ ad prœlia eligi ſolent, in quibus prœliantium pars altera ſemper infortunium patitur? Cur non dixit etiam de Angelis Cœlum debere maria & flumina dividere, ut diviſa ſunt in peregrinatione filiorum Iſraël? Itaque non in his & ſimilibus conſiſtit itineris fortunium; ſed in hoc ut iter ſuſcipiens cum valetudine proſpera, ſine ullis obſtaculis præternaturalibus, vel extraordinariis quæ ſuperare nequeat, & ſine rerum ſuarum jactura ad locum optatum opportunè perveniat, qui eſt peregrinationis ſcopus. Ad id verò quod de Angelis quærit: an Cœli conſtitutio electa perduret toto longiſſimi itineris tempore? Idque fieri non poſſe quin ſtet Cœlum quamdiu homines moventur. Reſpondeo eamdem abſurditatem quæri poſſe de figura cœleſti, ſub qua quiſpiam fœliciter natus eſſe dicitur, quæ quidem non perdurat in Mundo per quietem Cœli quamdiu vivit natus, ſed perdurat in nato per ſuam impreſſionem in ipſo, & perdurat in Cœlo per hujus determinationem. Itaque dum quærit de Angelis: an dicturus es hominem afflari ab Aſtris, quando primò equum conſcendit, eumque afflatum ſoſpitalem perdurare toto viæ tempore, fauſtitatemque præſtare? Reſpondeo rem ſic ſe habere, ac meras eſſe nugas verbaque inania, quæ in contrarium dicuntur ab de Angelis. Nam in Cœli & hominis ſympathia, Cœli conſtitutio genethliaca eſt norma cæterorum ipſius hominis. Ut enim homo in ſua geneſi generaliter ſubjicitur alicui determinato Aſtrorum influxui pro tota vita, nec ſingulis diebus novam ſubjectionem induit, ut in ejus nativis moribus, ingenio, & agendi modo experientia probat: ſic dum ipſe incipit aliquid à ſua natali figura non alienum & directioni ac revolutioni conforme: per figuram electionis aptam quo momento rem aggreditur, excipit à Cœlo actualem influxum, particularem, ſimilem potentiali radicis circa rem ipſam, ad hanc perficiendam; qui per conſequens durat quouſque res ipſa perfecta ſit, nec mutatur diebus ſingulis, alioquin non eſſet influxus ad aliquid faciendum, ſed tantum incipiendum: ſique diebus ſingulis, vel etiam horis mutaretur influxus circa rem ipſam: profectò quoniam influxus cœleſtis tam per Cœli, quam per Planetarum motum ſubinde variatur, aut nulla res perficeretur, aut inordinatiſſimè progrederetur, ſicque in omnibus falſa eſſet figura radicalis, quod tamen in longis peregrinationibus ex electionis figura fortunatis falſum eſſe infra patebit: eademque eſt ratio in aliis.

Multò gravius urgeret hæc Objectio noſtra. Cœlum non modò ſignificat futura nato accidentia, ſed ipſorum quoque tempora particularia per revolutiones & directiones, ut alibi pluries diximus: ergo vel illis temporibus efficiet Cœlum quæ ſignificavit, vel non efficiet: quidquid autem dixeris, vana aut ſuperflua erit dierum & horarum electio.

At reſpondeo. Decreta Cœli non eſſe fatalis neceſſitatis, præſertim in liberis actionibus, ſed dependere in ſuis effectibus ab hominis cooperatione, quem quidem certo tempore excitant, ſed non determinant; habetque illud tempus quandam latitudinem, ut dictum eſt in fine cap. 3. Sect. 1. intra quam ſe determinare poteſt homo ad agendum. Cum autem illo durante tempore Planetarum loca mutentur continuo, & Cœli facies ſingulis horis multum varietur; negari nequit quod ſuſceptam actionem, ut iter longum Cœlo accommodare, vel Cœlum actioni quantum fieri potuerit convenientiſſimè, id ſemper erit optimum & fœliciſſimum: atqui hoc duntaxat per electiones fieri poteſt: ergo ſunt utiliſſimæ imò neceſſariæ ad fœliciorem eventum rei ſuſceptæ.

CAPUT V.

Quid Cardanus de Electionibus cenſuerit.

CArdanus circa Electiones ſic titubat, ut tandem ſupinus cadat. Nam libello de Quæſtionibus, quæſito 14. ait. *Videri quod electiones proſint, quoniam figuræ quædam ſub Electo, ſcilicet Cœli influxu ſculptæ, vel conflatæ, aliquid facere videntur ad renum dolores & calculum: non quia talis figura eſt, ſeu enim Canem, ſeu Leonem, ſeu montem ex horâ ſculpſeris, idem erit; ſed quia actio eſt, quæ cum electione aliquid poteſt.* At Cardanus etſi talibus verbis ſuperſtitionem evitare videri velit, tamen illâ inquinatus remanet, dum talia morborum remedia probat. Præterea ſi ſculptile medetur quatenus eſt actio ſub tali electione facta: profectò ſequetur quidquid ſub tali electione fit, ſive vas terreum, aut ligneum, aut deambulatio, aut oratio, &c. renum doloribus & calculo mederi poſſe, quatenus eſt actio cum tali electione, quod opinari eſt ridiculum, præterquam quod alibi probavimus, & cap. 3. Sect. 1. diximus, talia non eſſe cœleſtis influxus per ſe ſuſceptiva.

Subjungit autem Cardanus. *In Monarchia electionem aliquid facere, ſed non ſecundum diem.* Et Lib. de Judic. Genitur. cap. 22. ait. *In rerum initiis electionem aliquid facere: ſed in rebus voluntariis parum prodeſſe & difficillimam eſſe, & dierum ac horarum electionem abſurdiſſimam eſſe, exceptis rebus naturalibus, ut ſatione, putatione & ſimilibus, cum in rebus liberis eo perfectionis non devenerimus* (ait) *ut dierum decreta poſſimus attingere: ideoque in his* (exclamat) *quis ſciet eligere?* & loco de quæſtionibus ſupra citato concludit, *quod in voluntariis ſi quis ſit fœlix, ſequatur naturæ & anni impetum: ſi infœlix, frangat & fugiat, non ſolum occaſionem, ſed etiam perſæpè rem ipſam.* Hæc Cardani ſententia de Electionibus. In qua tamen ſibi paſſim & omnibus Aſtrologis maximè contrariatur. Ad quid enim directiones & revolutiones, progreſſiones & tranſitus in Artem hanc admiſſa, niſi ut fœlices, vel infœlices dies ac horæ inveniantur, & his ſignificata bona, vel mala prænuncientur, quod à pluribus factitatum fuiſſe legimus, & de quo ipſemet Cardanus Libro ſuo de Revolutionibus gloriatur, & Jacobo Mariæ Ferrarienſi, tum Paridi Cereſario famoſis ſui temporis Aſtrologis familiaria fuiſſe tradit? Nonne Aſtrologica ſcientia eſſet imperfectiſſima, ſi ex geneſi prædici quidem poſſet mortis violentæ periculum aliquando futurum, non autem annus, neque menſis, neque dies?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

dies? Aut ſi annus, non tamen menſis, aut ſi menſis non tamen dies? Ne toto menſe, vel anno metu crucietur natus, & ſibi fruſtra caveat ante periculi tempus, eo autem imminente ſui curam negligat? Numquid accidentia infauſta fœlicibus diebus accidere obſervantur, fauſta verò infœlicibus? Ego certè id numquam obſervavi: ſed ſemper contrarium; & plus quam centies dolui me non prædixiſſe ingentia bona, vel mala quæ contigerunt Magnatibus ac Principibus quorum geneſes habebam, quæque ad diem ipſum prædicere potuiſſem, ut nonnulla prædixi, adeò evidentes erant atque potentes cauſæ diebus ipſis; ſed hujuſmodi prædictiones ſaltem frequentes, ad illum duntaxat pertinent Aſtrologum, qui ut monet Cardanus ipſe cap. 22. negotiis vacuus eſt, totuſque praxi incumbit: quod ſanè mihi non contigit, cui per continuas ferè diſtractiones & impedimenta varia durantibus annis 30, Theoria fuit à fundamentis extruenda, expurganda & confirmanda. Sed quamvis difficilis ſit hæc particularis prædictio, pertinens potiſſimum ad revolutiones annuas & menſtruas, earumque directiones: tum ad Planetarum tranſitus de quibus fusè dictum eſt Lib. 23. & 24. tamen abſit ut dicatur impoſſibilis, ſperoque Theoriâ jam ut par eſt conſtitutâ, prædictiones tales futuras olim frequentiſſimas apud eos qui doctrinam huc usque à Nobis traditam calluerint. Etſi enim Cardanus illo cap. 22. glorietur ſe hanc ſcientiam inveniſſe; tamen dum exclamat, quis ſciet eligere? atque dierum & horarum electionem in rebus liberis abſurdiſſimam eſſe, oſtendit exiguam fuiſſe ſuam ſcientiam in hac parte: cum electio libertati nihil noceat, ſed potiùs ad libertatem pertineat, ipſamque commendet. Sed de his hactenus dicta ſufficiant.

Caput VI.

De Regulis generalibus ad Electiones neceſſariis. Et quomodo in genere Electio facienda ſit, pro re qualibet.

PRæmiſſis quæ hactenus dicta ſunt, jam ſubjungendæ videntur generales quædam Regulæ ad electiones neceſſariæ, quibus oſtendetur, quomodo in genere pro re quælibet electio ſit facienda. Has autem regulas ex variis Authoribus præſertim Arabibus ſelegimus inter plures vanas, quibus confusè admixtæ ſunt, eaſque in ordinem redegimus ad majorem diſcendi & operandi facilitatem, pluribus etiam ad principia noſtra accommodatis. Porrò notandum eſt, non ex his ſimpliciter & abſolutè ſpectatis, electiones eſſe inſtituendas, ut Arabes plerique & horum Sectatores faciunt: ſed ſemper habita ratione figuræ nativitatis, & eorum quæ ex ipſa dependent ad tempus electionis: ſcilicet directionum radicalium, revolutionum Solis & Lunæ, harumque directionum, nec non tranſituum: ſit ergo

Prima. Omnis electio legitima ſit inſpiciendo geneſim, revolutiones, directiones & Planetarum tranſitus per loca geneſis & revolutionum; accommodando ſingula quantum fieri poterit, ad ſcopum electionis.

Secunda. Vide ad quam figuræ domum pertineat res, pro qua electio facienda eſt. Ut ſi fuerit dignitas, pertinet ad decimam: ſi uxor, ad ſeptimam, ſi iter, ad nonam, vel tertiam, &c. Ac ſi facienda ſit electio pro dignitate impetranda, Schonerus & alii tempus eligunt, quo progreſſiones Horoſcopi Medii Cœli, ☉ & ☽ radicis, erunt in decima radicis. Sed quia progreſſiones à Nobis rejectæ fuerunt Lib. 24. idcircò elige tempus quo directiones Horoſcopi Medii Cœli ☉ & ☽ horumque dominorum in revolutionibus ☉ & ☽, pervenerint ad decimam radicis, vel ejus fœlicem aſpectum, vel ad Planetam beneficum in ipſa, vel ad ipſius domus dominum; aut ad locum ☉, vel ☽ in geneſi, vel horum domini, vel ad horum fœlices radios. Et quo die id acciderit fœlicius, tunc elige horam aptam, hoc eſt, Cœli poſitum ſcopo tuo congruum, & figuram erige. Eademque eſt ratio pro itinere aggrediendo, vel matrimonio contrahendo, &c.

Tertia. In electionis figura præcipuè eſt habenda ratio Horoſcopi ſignificatoris perſonæ pro qua ſit electio, Medii Cœli, quod illius ſuſcepta & actiones ſignificat, domus figuræ ad quam pertinet res pro qua ſit electio: nec non Lunæ quæ in omnibus electionibus multum juris ſibi vendicat: ut ſcilicet in electionis figura benè afficiantur. Et cavendum ne loca ipſorum Horoſcopi Medii Cœli & ☽ fuerint malè affecta in geneſi, aut cuſpides malarum domorum, ſed potius benè affecta, aut cuſpides bonarum & congruarum domorum.

Quarta. Vide ut domus figuræ electionis ad quam pertinet res pro qua ſit electio, fortunata ſit horâ electionis. Quod ſi in figura radicis etiam fortunata fuerit, ac inſuper in figura revolutionis currentis tam Solis, quam ☽, id erit optimum. Fortunabitur autem præſentiâ, vel dominio beneficorum, qui etiam in radice & revolutionibus fuerint naturâ benefici, benéque affecti: atque determinati corpore, dominio, vel aſpectu congruo, ad rem pro qua ſit electio. Quod ſi electio ſit pro dignitate, & in electionis figura culminaverit ſignum decimæ radicis, aut revolutionis currentis, aut illud in quo fuerit dominus illius domus, eo melior & efficacior erit electio: atque ſic de reliquis. Præcipuè autem cavebis, ne Planeta natura, vel determinatione radicali maleficus, & ſcopo contrarius, ſit in ipſa domo electionis. Atque conaberis, ut beneficus Planeta in eam admiſſus, vel ejus dominus, fœliciter dominio, vel aſpectu connectatur cum Horoſcopo, vel Medii Cœli, vel eorum dominis.

Quinta. In propriis rebus, hoc eſt à ſe ſolo peragendis, fac ut aſcendens electionis ſit aſcendens tuæ nativitatis. In communibus verò, hoc eſt, in quibus amicorum indiges auxilio, fac ut cuſpis undecimæ, vel quintæ radicis ſit Horoſcopus electionis. Ita Schonerus, verum cur in communibus rebus, amicorum operâ perficiendis, pro Horoſcopo electionis ponetur cuſpis undecimæ radicis, potius quam Horoſcopus radicis? Quia ſi poneretur Horoſcopus, radicis ergo omnis electionis Horoſcopus, deberet eſſe radicis Horoſcopus, quia omnis res peragenda eſt propria, vel communis, ſed illud non requiritur. Ac proinde quoniam Horoſcopus electio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

electionis ſemper ſignificat eum pro quo fit electio, arbitror advertendum eſſe, ut ſaltem ille benè ſit cum domino domus radicis ad quam pertinet res pro qua fit electio, vel cum Planeta exiſtente in ipſa domo. Atque ſit etiam benè cum domino undecimæ radicis, vel Planeta in ipſa, ſi ad rem illam amicis opus fuerit, vel electio ſit pro amicitia concilianda: eademque eſt ratio de cæteris.

Sexta. In eligendo Horoſcopo figuræ electionis, eſt habenda ratio naturæ rei pro qua fit electio; ut ſcilicet Horoſcopus ipſi rei conveniat. Ideoque pro re quam citò fieri cupis, ut peregrinationem, fac ut aſcendat ſignum mobile & fuge fixum: at pro re quam optas perdurare, ut conjugium, vel domum conſtruendam, ſume ſignum fixum & fuge mobile, & cave ne dominus Horoſcopi ſit tardus, retrogradus, à maleficis infortunatus & præſertim iis applicans.

Septima. Interdiu fac aſcendens ſignum diurnum, & noctu nocturnum: ſitque etiam Sol interdiu in ſigno diurno, Luna noctu in nocturno: & dominus Horoſcopi rectè ſit poſitus ad ☉, vel ☽; melior enim & efficacior erit electio cum Planetæ diurni fuerint ſuper Terram interdiu, in ſignis maſculinis, Orientales à ☉: & Planetæ nocturni, ſuper Terram noctu, in ſignis fœmininis, Occidentales à ☽.

Octava. Si dominus Horoſcopi electionis fuerit dominus Horoſcopi radicis, vel revolutionis currentis, & fuerit naturâ beneficus ac utrobique fortunatus: erit in electione fœliciſſimus.

Nona. Si fuerit aliquid petendum à Rege, aut Regina, aut Principe, aut aliquo Magnate genere, vel dignitate, aut cum talibus viris tractandum: coapta Horoſcopum ejuſque dominum domino Medii Cœli radicis & revolutionis, & Planetis analogis. Hoc eſt Soli pro Rege, ☽ pro Regina, ♃ pro Cancellario, Præſide, Epiſcopo; ♂ pro belli Duce, atque ſic de reliquis: ſique Planeta analogus fuerit dominus Medii Cœli, hoc erit efficacius. Cave autem ne in radice, aut revolutione ſit malè affectus, vel ad mala determinatus: eademque eſt ratio de aliis perſonis pertinentibus ad domos 3. 4. 5. 7. & 9.

Decima. Veteres omnes Aſtrologi, tantam vim concedunt Lunæ in electionibus, ut ſi non primam, ſaltem ſecundam electionis curam, ad illam pertinere velint: nec tamen video quod ullam habeant rationem determinationis ejus in radicali figura: cum nihilominus hæc animadverſio mihi videatur omnino neceſſaria: ne ſi in genitura fuerit mortis ſignificatrix, ſumatur in electione pro vitæ ſignificatrice, ſive congrua præcautione. Neque hoc in Luna ſolum, ſed in quovis Planeta obſervandum eſt. De Luna autem Veteres tradunt ſequentia.

Undecima. Nihil novi natus incipiat, quando Luna fuerit in loco radicali ♄, vel ♂, vel in eorum pravis aſpectibus, aut in ſigno quod in geneſi fuerit pravè affectum, aut in domibus 6, 8, vel 12 radicis. Ac ſimiliter in figura electionis cave ne infortunetur à ♄, vel ♂, corpore, vel aſpectu, nec ſit in 6, 8, vel 12. Imò nec in prima, ut volunt ferè omnes, quod (ajunt) ſit Horoſcopo inimica, ob ſuam frigiditatem, quam rationem vanam eſſe puto: niſi forſan in Medicina, vel agricultura, idque interdum.

Duodecima. Abhorrendæ ſunt applicationes ☽ ad ♂ de domibus ♀: & ad ♃, de domibus ☿: & ad ☉ de domibus ♄: ac proinde cave ne hoc in electionis figura contingat.

Decima tertia. Luna ♄, vel ♃ juncta, lumine & numero aucta, ad omnia erit bona: ſi verò minuta fuerit, ad omnia erit mala. Totum verò contrarium intelligas, dum ♂, aut ♀ jungetur.

Decima quarta. Diligenter adverte ad Lunæ locum in electionis figura. Nam ſi fuerit in △, vel ✶ radicali alicujus Planetæ; tutum erit agere cum perſonis quas ipſe Planeta & ſua natura & radicali determinatione ſignificabit. Si autem fuerit in □, vel ☍ erit contrarium. Verbi gratia, ſi fuerit Luna in △ radicali ♂, qui præſertim fuerit in ſeptima radicis, vel dominus ſeptimæ radicis benè affectus; ſignificabitur victoria in prœlio, vel lite; & favor militum, equitum ac Præfectorum exercitus: aut Procuratorum & Cauſidicorum in lite. At ſi fuerit in □, vel ☍, erit contrarium: eademque eſt ratio in aliis.

Decima quinta. Luna benè collocatur in domo rei pro qua ſit electio: verbi gratia, in nona ſi fiat electio pro itinere, dummodo ſit in loco radicis fortunato, qui ſi rem ipſam quoque ſignificaverit, ipſaque Luna ejuſdem quoque rei ſignificationem habuerit; ac inſuper aſpiciat Horoſcopum fortunatum, vel ei præſit, nihil fœlicius deſiderari poterit.

Decima ſexta. Cave ne Luna jungatur Planetæ retrogrado, vel ei applicet. Nam rem incœptam deſtrueret.

Decima ſeptima. Si non potes fortunare Lunam & Horoſcopum ſimul, interdiu potius fortuna Horoſcopum, noctu verò Lunam: & ſi fuerit interdiu ſub Terra, & noctu ſupra Terram, melius erit pro Horoſcopo.

Decima octava. Eſt habenda ratio ♂, vel ☍ luminarium præcedentis electionem, ut nempe eorum locus ſit in electionis figura fortunatus: & in domo rei congrua.

Decima nona. Quando Luna ſeparatur à ♂, vel ☍ cum ☉, & applicat infortunæ, præſertim in geneſi ad malum determinatæ, cave ab omni incepto, ſaltem alicujus momenti. Nam tempus illud eſt valdè malum: eritque pejus ſi applicet illius □, vel ☍.

Vigeſima. Ex bono, vel malo ſtatu loci ♂, vel ☍ luminarium præcedentis electionem; & benefico, aut malefico Planeta, cui Luna immediatè applicat; conjicietur eventus rei pro qua fit electio. Nam ſi ſtatus loci fuerit bonus & Planeta beneficus, res à principio ad finem fœliciter procedet: ſi ſtatus loci fuerit malus & Planeta maleficus, res à principio ad finem procedet infœliciter, aut non fiet: ſi ſtatus loci fuerit bonus, & Planeta malus, res benè incipiet maléque finiet: ſi denique ſtatus loci fuerit malus, & Planeta beneficus, res malè incipiet, benè autem finiet.

Vigeſima prima. Aliquando urget electio, neque dat tempus retardandi, ut omnes ſignificatores benè aptentur. Tum verò ſaltem advertendum eſt, ut dominus Horoſcopi benè aptetur, & fortuna ſit in angulo in fœlici aſpectu domini aſcendentis.

Vigeſima ſecunda. In omni electione quæ feſtinationem requirit, ſi Lunam fortunare non poſſis, pone ♃, aut ♀ in Horoſcopo, vel Medii Cœli, Lunam verò in domibus cadentibus: ſed cave ne infortunata Horoſcopum aſpiciat, præſertim ma-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

ligno radio, aut Planetam qui ex ſuâ naturâ, aut determinatione radicali ſignificat rem pro qua ſit electio, vel eorum dominos, vel dominum domus ad quam res ipſa pertinet.

Vigeſima tertia. Urgente electione, nec tempore conceſſo retardandi, quouſque omnes ſignificatores congruè aptari queant, ſaltem adverte ad Horoſcopum & Medium Cœli, ut benè aptentur; ſintque fortunæ in angulis, fœliciter aſpicientes Horoſcopum, vel Medium Cœlum, vel eorum dominos. Quippè notandum eſt quod in electionibus rarò contingit, ut omnes ſignificatores ex voto aptare queas: ſed vide ſemper quid melius & congruentius tuo ſcopo fieri poſſit, illudque præſta: & quod ſupererit, tua ſuppleat prudentia: Memor quod hominis cooperatio cum Aſtris, quò fuerit ſegnior, aut imprudentior, eò minus ſperandum ab Aſtris: quò diligentior, fortior & ſagacior, eò magis ſperandum.

Vigeſima quarta. In omni electione cave ne malefici ſint in Angulis, ac præſertim Horoſcopo & Medio Cœli, niſi ſtatu cœleſti & determinatione benefici fuerint in radice. Tunc enim iis uti poteris in bonum. Eſt tamen notandum quod malefici in rebus ſuæ naturæ valdè proſunt, ut Mars ad prœlia, victorias, venationem, lites: ♄ ad domos conſtruendas, agriculturam, &c. Ac præſertim ſi ad talia fuerint à radice determinati.

Vigeſima quinta. Conſideratio ſtellarum fixarum in electionibus nequaquam omittenda eſt, præſertim inſigniorum: Nam in angulis, & cum ſignificatoribus, inſignes effectus parere queunt: præſertim ſi ad rem pro qua ſit quæſtio jam fuerint à radice determinatæ.

Atque ex ſuprapoſitis Aphoriſmis ad omnes electiones generalibus, ſatis patet quomodo in genere facienda ſit electio, pro qualibet re particulari; quæ ſaltem ad 12 domorum Thematis cœleſtis ſignificata pertineat; quamvis ſint res quædam particulares, quibus peculiares aliqui conveniunt Aphoriſmi, quales ſunt, verbi gratia, qui ſequuntur.

Vigeſima ſexta. Membrum ferro ne incidas, cum Luna fuerit in ſigno, quod ipſi membro dominatur.

Vigeſima ſeptima. In purgationibus utere Lunâ exiſtente in ſignis Aqueis, ac præſertim ♏, vel ♓: & dominus Horoſcopi connectatur Planetæ ſub Terra poſito. hoc enim confert ad dejectiones. Si enim connectatur Planetæ ſuper Terram exiſtenti, præſertim applicando, evomet potionem, cujus etiam vis hebetabitur, ſi Luna fuerit ♃ conjunctâ, aut in ♌, vel ſigno Terreo.

Vigeſima octava. Iter aggreſſurus caveat ne domus 8, & ejus dominus ſint afflicti; ne aſcendat ſignum fixum: ne dominus Horoſcopi ſit maleficus, retrogradus & Luna pravè affecta. Nam quo plura horum adfuerint, eo infœlicior erit peregrinatio.

Vigeſima nona. Ne exeas ad prœlium cum dominus Horoſcopi, præſertim debilis, vel infortunatus, iverit ad dominum ſeptimæ, præſertim fortem, aut fuerit in octava, aut Luna fuerit pravè affecta.

Trigeſima. Petiturus aliquid à Rege, Regina, vel Magnatibus, pone Solem, aut Lunam cum ♃, aut ♀ benè affectis in decima, benéque connexis domino Horoſcopi, & obtinebis.

Sed hæc jam ſufficiant, plura enim dicentur in Aſtrologiæ praxi dummodo id Nobis Deus conceſſerit; tantumque notetur hic quod temporum electio ſagax, non eſt opus cujuſvis Aſtrologi, ſed doctiſſimi & ſapientiſſimi: qui non ſolum debet attendere ad ſtatum Cœli, ſed etiam ad ſtatum & diſpoſitionem cauſarum inferiorum: ut ſcilicet præparatæ ſint ad horam electam. Et hoc quidem facile eſt in rebus quæ ſunt in noſtra poteſtate, ut in inchoanda peregrinatione: ſed in rebus quæ non ſunt in noſtra poteſtate, ut in alloquendo Regem die & horâ electis, id erit difficilius plurimis, vixque fiet niſi mediantibus amicis chariſſimis, qui ipſa hora præbeant ad Regem acceſſum. Hæ igitur cauſæ prius ſunt diſponendæ ad horam electam, ſimiliterque in aliis faciendum erit.

Caput VII.

Quo duobus Exemplis inſignibus oſtenditur & comprobatur uſus Electionum.

Fieri queunt electiones annorum, dierum atque horarum cum inſigni utilitate. Si enim quiſpiam ad dignitates fortunatus, præviderit complendam fore aliquo anno directionem Medii Cœli ad ☉, aut ♃ dominum Horoſcopi, vel Medii Cœli: tutò illum eligat annum ad dignitatem ſibi comparandam, & influxui cœleſti congruè cooperetur: ſi præſertim ipſo anno faveat revolutio Solis: etſi enim ignoret menſem, diem ac horam in anno beatiorem ad ſuum intentum: nihilominus perſeveranter cooperando fatum cœleſte à ſe promiſſa adimplebit. At ſi illa non ignoret, tuncque Cœlo faventi concurrat, multò breviori labore atque fœlicius voti compos efficietur.

Plura hic exempla afferre poſſem ad oſtendendum comprobandumq; uſum electionum ex obſervationibus noſtris: ſed duo ſequentia mihi videntur ſufficere, eos monens quibus non ſuffecerint, ut ex doctrina a Nobis tradita obſervationibus aliis incumbant.

Igitur anno 1646. circa Medium Veris, Illuſtriſſimus Dominus Leo De Bouthillier, Comes de Chavigny, Antibes, &c. ſecũdus Regni Galliæ Miniſter, cum E. Cardinali Mazarino, longam voluit peregrinationem ſuſcipere ad ſuum Comitatum Antipolis, Gallicè *Antipes*, Urbem munitam atque portum Maris Mediterranei, extremum Galliæ, ex parte Orientis; diſtantem ab Urbe Lutetia milliaribus Gallicis ad minimum 200. Meque pro ſua erga me benevolentia ad illud iter invitavit. Diſtuli reſponſum donec quid mihi circa longum iter & valetudinem Aſtra ipſo anno præſagirent attentiùs inſpexiſſem; deindeque conſenſi. Sed Illuſtriſſimum dominum ingenio excellentiſſimum, omni diſciplinarum genere excultiſſimum, & ab Aſtrologia non alienum rogavi, ut ipſi placeret, Me diem & horam ad proficiſcendum fortunatam eligere, ſeq; experturum quanti eſſet momenti, ſuſcepta ſub congruo Cœli ſtatu inchoare. Quod cum Illuſtriſſimus Dominus ſciendi percupidus lubenti animo annuiſſet, brevique proficiſci decreviſſet, elegi horam 7. matutinam cum 9′ diei 9. Maji: ad quam ipſum monui, ut curaret omnia eſſe parata, quo ad illud momentum poſſet conſcendere currum: idque ab eo diligentiſſimè & accuratiſſimè factum eſt, Etenim

in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

in ejus horto pulcherrimo; Sole 4 egregia horologia ſciotericâ illuminante ferè per dimidiam horam momentum electum exſpectavimus domini temporis: quo inſtante & paratis omnibus currum aſcendit, & Lutetiâ profectus eſt, cum circiter triginta perſonis & totidem equis. Jam figuras Cœlique ſtatum tam pro Illuſtriſſimo Domino, quam pro Me inſpiciamus.

Figura Nativitatis Illuſtriſſimi D. Comitis De Chavigny.

178. 40




Figura Revolutionis Solis.

253. 42




Figura Revolutionis Lunæ.

332. 41




Figura Electionis Temporis.

333. 52.



Hæc & ſequens nativitas nequaquam ſunt ex vulgaribus, ut prima fronte cuilibet Aſtrologo palam eſt, ſed prima eſt clara bonis, ſecunda verò quippe mea clara malis: quarum decreta in Illuſtrium geniturarum judicandarum centuria à Nobis ſuſcepta exponimus. Hic annotare ſufficiat, quod in geneſi Illuſtriſſimi Domini Comitis de Chavigny Sol & ☿ domini nonæ domus, Luna in nona: ♃ dominus Horoſcopi & tertiæ, conjunctus ☉ & ☿, in △ cuſpidis nonæ; & Mars dominus ☉, ☿ & ♃ in △ ☽, tum ♀ in tertia, & ♄ ejus dominus itinerum ſignificatores exiſtunt, ſed præcipuè Luna ☉ ☿ ♃, atque ♀: ab iiſq; plura itinera etiam longa ſignificabantur.

Anno autem 1645. initio revolutionis annuæ, ſive Solis, Medium Cœli actionum dignitatumque ſignificator dirigebatur ad 8 gradum ♏ ✶ ♂ labores, itinera dignitatemque præſagiens. Tuncque factus eſt Plenipotens pro generali pace, omniaque paravit ad iter longum verſus Monaſterium, Urbem Germaniæ, ubi omnes conveniebant Plenipotentes Principum, ſed Regia, aut Primi Miniſtri deliberatione mutata, miſſus eſt alius. Anno autẽ 1646. prædictæ directioni quæ ſuum

effectum nondum ſortita fuerat, acceſſit directio ☿ domini nonæ ad ✶ partilem ♃ domini Horoſcopi. Qui ambo fortes itinerum ſignificatores fuerant. Ideoque directio ipſa longum fœlixque iter ſignificavit. Sed ipſius anni revolutio Solis, idem quoque præſagiebat. Nam in ipſa locus radicalis ♀ fuit in Horoſcopo, ☿ & ☉ domini nonæ radicis fuerunt in prima, cum ♂ domino nonæ revolutionis, ♂ & ☿ conjunctis in ☍ ☽ quæ rediit ad ſuum locum radicalem, ſub dominio ☿, idque in △ ♀ dominæ tertiæ & ♄ domini Horoſcopi: ♃ autem dominus Medii Cœli & nonæ fuit in quarta in mutua receptione domus cum ☿ & △ Horoſcopi, quæ omnia iter longum atque fauſtum præſagiebant, ut jam ab initio revolutionis eidem Illuſtriſſimo Domino prædixeram.

At in revolutione Lunæ quæ præceſſit diem diſceſſus, fuit Luna domina Horoſcopi in △ Solis domini nonæ radicis, & ♄ domini nonæ revolutionis ipſius, tum in △ ♀ & ſui domini ☿, cum quo fuit in mutua receptione exaltationis. ♃ autem fuit in Horoſcopo ſub dominio Lunæ & in ejus ✶, fuitque ibi exaltatus atque dominus Medii Cœli, in ejuſque △ ferè partili, ſed fuit etiam in ✶ ☉ & ♄ dominorum nonæ radicis, & hujuſce revolutionis: quo fortuniorum concurſu nihil beatius aptari poterat pro longa fauſtaque peregrinatione, quam hæc etiam revolutio palam præſagiebat.

Figura meæ Nativitatis erecta per Triangula Sphærica.

284. 42




Figura Revolutionis Solis.

25. 12



Figura Revolutionis Lunæ.

192. 15




Figura Electionis Temporis.

333. 52.



In

In figura autem electionis Temporis pro diſceſſu quod breve reſtabat, prudentia cum Aſtrologiæ ſcientia fuit conjungenda. Quoniam enim interdiu diſcedendum erat, nolui Solem eſſe in prima domo, quia ♄ & ♂ fuiſſent etiam in prima, vel in duodecima. Ideoque Illuſtriſſimo Domino morbos portendiſſent: ac in duodecima ejus etiam ſervis ac equis infortunia, à quibus ſervos ipſos & equos ſtudui immunes facere, quatenus res erant ad ipſum Illuſtriſſimum Dominum pertinentes. Nec etiam volui maleficos eſſe in decima, nona, vel octava: quia ejuſdem domini actionibus & dignitatibus, nec non peregrinationi infauſta portendiſſent: & in octava ſaltem vitæ pericula. Ideoque malui Solem ♄, ♀ & ♂ eſſe in undecima, ♂ forti ac orientali præeunte in illa doryphoria Solis. Et fortunavi Horoſcopum pro valetudine proſpera ipſius Illuſtriſſimi Domini, & Medium Cœli pro fœlici ſucceſſu ſuſceptorum: ponens quippe ♃ exaltatum in Horoſcopo, qui fuerat dominus Horoſcopi radicalis, ipſumq; in △ Medii Cœli, cui dominabatur, & tam Horoſcopum, quam Medii Cœli in ⚹ ♀ quæ præerat ☉ & ♄, Lunam autem dominam Horoſcopi poſui in nona domo pro peregrinatione, ſuper loco radicali ♀, quæ hac in figura fuit in propria domo: ſoluſque ſuperfuit ☿ benè affectus in duodecima, qui nocere non poterat. Hæc ergo ſeſe habebant fœliciſſimè: quamvis enim horoſcoparet cuſpis octava radicis, tamen ♃ in Horoſcopo fortior, valetudinem & vitam tuebatur. Tantúmque timendum erat à falſis amicis ob ♄ & ♂ in undecima, quos minori incommodo alibi collocare non licuit. & qui qualem effectum pepererint dicetur infra.

Jam verò in revolutione Solis, Horoſcopus ad diem diſceſſus, ſcilicet 9. Maji pervenerat directione annua ad 16 gradum octavi locum partilem ♀ in ipſa revolutione, quæ erat domina tertiæ atque fortis. Sol autem pervenerat ad 12 gr. ♊ locum □ Lunæ radicis & revolutionis.

At in revolutione Lunæ, Medium Cœli hora diſceſſus dirigebatur ad 6 gr. ♍, hoc eſt ipſo die attingebat locum Lunæ radicalem: & Horoſcopus directione devenerat ad 19 gr. ♏, hoc eſt attingebat ipſo die □ ♀ radicalem: & ☽ venerat ad 12 gr. ♓ ſuam ☍ radicalem & ⚹ ♀ & ☿ in ipſa revolutione: Maximus igitur erat conſenſus Aſtrorum eo die ad fœlicem fauſtamque peregrinationem.

Quoniam autem in electione Temporis pro hac peregrinatione, mei quoque rationem habere decreveram: Nunc videndum an id etiam convenienter præſtitiſſem.

Igitur in mea geneſi ♃ & ♄ domini nonæ, tum ☿ & ☽ domini tertiæ cum ♂ domino Horoſcopi centraliter in tertia, fuerunt itinerum ſignificatores; ſed omnium præcipuè ♃ dominus cuſpidis nonæ, qui Planetis omnibus excepto ☿ dominabatur, huic tamen conjunctus. Anno autem 1646. initio revolutionis annuæ, Medium Cœli radicale directione devenerat ad 16 gr. ♓ ferè locum Lunæ, quæ conjuncta fuit ♃ & ♄, ideoque itinerum ſignificatrix. Et ⊗ in prima devenerat ad 17 gr. ♋ △ præciſum ipſius ☽: Hæc igitur eo anno iter etiam mihi præſagiebant.

In annua autem revolutione Solis, longum iter valdè quoq; ſignificabatur. Nam Horoſcopus radicis fuit in Medio Cœli revolutionis, quod mihi nova ſuſcepta & actiones ſignificabat: ♀ autem domina decimæ fuit in nona Horoſcopo radicali applicans; atque fuit in ⚹ ♃ domini cuſpidis nonæ, & △ Horoſcopi: quæ certè longum iter haud obſcure præſagiebant. Porrò ♂ dominus ♀ & Medii Cœli, fuit in cuſpide ſeptima cum ☿ in ♒, quod mihi labores non modò, ſed etiam contentiones. Mercuriales ſignificavit, quales habui poſt reditum cum Frommio Mathematum Regio Profeſſore Hafniæ pro Aſtronomiæ reſtitutione, & P. Leonardo Duliris Recollecto pro longitudinum praxi, contra quos ipſo anno ſcripſi.

At in menſtrua revolutione Lunæ proximè antecedente 9. diem Maji, iter etiam valdè ſignificabatur. Nam aſcendebat □ Lunæ & culminabat ejus Antiſcium; ipſaq; erat in tertia cum ♂ partim domino tertiæ ac decimæ, tum ☉ & ☿, qui erat dominus nonæ in △ Horoſcopi. Jupiter autem dominus Horoſcopi fuit in principio ♋ ſub dominio ipſius ☽, cui viciſſim præerat & defluebat à △ radicali ☿ ad △ radicalē ♀ & cumuli Planetarū. Hæc igitur omnia ad longum iter maximè conſpirabāt.

Jam verò in electionis figura quid pro me fœlicius facere poteram quam ponere ♃ dominum cuſpidis nonæ meæ geneſis, & omnium ferè Planetarum in Horoſcopo & △ ſuo radicali, ipſiuſque cumuli Planetarum, & in Medio Cœli locum radicalem ipſius cumuli cui ♃ ipſe dominabatur, & quem △ ſuo partili fortunabat: Lunam verò dominam Horoſcopi & ♃ in nona in loco radicali ☿, illæſam à maleficis? Hæc certè ad iter etiam fauſtiſſimum erant aptiſſimè diſpoſita.

Porrò in revolutione ☉ Medium Cœli dirigebatur 9. die Maji ad 9 ♋ locum radicalem ♂ in tertia, & △ cumuli mei Planetarum, Sol autem ad 1 gr. ♉ ⚹ radicalem ♀: Luna autem ad 20 gr. ♋ □ ♀ in ipſa revolutione.

At in revolutione Lunæ Medium Cœli devenerat ad 0 ♎ □ ♃ in ipſa revolutione, Horoſcopus ad 5 gr. ♐ □ cumuli mei Planetarum, ac præſertim ☉ & ♃. Sol autem ad ☋ □ radicalem ♂: & Luna 4 gr. ♓ locum radicalem ☉ & ♃ & cumulum Planetarum. Quæ omnia etiam ad iter longum atque fœlix conveniebant. Quibus inſpectis anno etiam ætatis meæ 64. me huic longæ peregrinationi æſtivo tempore commiſi. Nec me deterruit ☉ in octava revolutionis annuæ qui præerat Horoſcopo, nec ♂ in cuſpide ſeptima, quod ſcilicet in radice nulla directio lethalis eo anno compleretur, benéque ſeſe haberent reliqua. Nihilominus ad majorem ſecuritatem Solis ardorem & corporis fatigationem vitans quiete & temperantiâ quantum in conviviis potui ſanitati meæ conſului, & præcavi ne in aliquem morbum inciderem.

Quis autem ſupradictorum fuit eventus? A Civitate Pariſienſi ad Lugdunenſem Terrâ peregrinatum eſt, à Lugdunenſi ad Avenionenſem Aquâ, toto ſcilicet comitatu hominum & equorum, ipſoque curru in tres grandiores cymbas ſuper Rhodano tranſpoſitis; tandemque Avenione Antipolim Terrâ perrectum eſt per loca aſperrima & montes equis, ac præſertim currui difficillimos & periculoſos. Toto autem itinere Illuſtriſſimus Dominus in Civitatibus exceptus

eſt cum honoribus debitis Galliæ Miniſtro, Ingenio, Doctrinâ, rerum Aulicarum peritiâ atque prudentiâ Clariſſimo; nec paſſim defuere convivia: & tamen non obſtante mutatione Climatis, ardore Solis æſtivo in Provincia, vinis poſt Urbem Lugdunum craſſioribus & generoſioribus quam in Burgundia & Francia, quibus nemo ac præſertim ſervorum parcebat (quod ubique pro more Illuſtriſſimo Domino affluenter offerrentur) nequidem unus ſervus à pedibus, nec unus equus malè habuit toto itinere. Quod enim ſpectat ad Illuſtriſſimum Dominum De Chavigny: is in victu erat hominum temperatiſſimus, ſuæque ſanitatis gubernaculum prudentiſſimè regit, unde nil mirum ſi ſemper optimè valuerit: ſicque cum inſigni alacritate Cœlo ab Urbe Lutetia ſemper ſereno, deventum eſt ad Antipolim, ubi per Menſem commoratum eſt, æſtuante Sole, ſed nullo, nec homine, nec equo malè habente.

Tranſito Menſe & negotiis confectis, voluit Illuſtriſſimus Dominus Pariſios reverti: quem rogavi, ut quia electionis temporis à me factæ Pariſiis, egregium viderat experimentum, rurſus vellet ad horam quam eligerem Antipoli diſcedere. Quod cum annuiſſet, omnibus circumſpectis elegi horam quartam matutinam cum 27′. diei 2. Julii: fueruntque rurſus omnia pro diſceſſu parata ad ipſum momentum, exſpectavitque mecum Illuſtriſſimus Dominus in ſuo cubiculo feneſtris ad Orientem apertis donec Solem ortum conſpexit: tuncque ſine mora conſcendit equum cum toto Comitatu, curru ejus, equis multaque ſuppellectile per Mare præmiſſis ob aſperitatem & difficultatem montium, qui die ſecunda peregrinationis ipſi occurrerent.

Porrò in revolutione annua Illuſtriſſimi Domini Horoſcopus tunc dirigebatur ad 14 gr. ♋ □ radicalem ☿ domini nonæ, & ☽ in nona radicis: Medium verò Cœli dirigebatur ad 17 ♓ ⚹ ♀ in ipſa revolutione inter corpora ♂ ☿ conjunctorum, in prima quorum ☿ fuit dominus nonæ radicis, & ♂ dominus nonæ revolutionis.

In figura autem revolutionis ☽ proximè antecedentis diem 2. Julii, aſcendit locus radicalis ♂, qui in revolutione Solis præeſt nonæ, & in hac eſt decimæ: Venus autem eſt domina nonæ conjuncta ferè partiliter ♄ domino Horoſcopi cui applicat, & ♂ domino decimæ, in propria domo & angulo quartæ: fueruntque ♄ ♀ & ♂ in △ Horoſcopi, atque Lunæ. Quæ omnia peregrinationem fortiter præſagiebant, etiam fauſtam, quod ♃ eſſet in ⚹ ♂ ♀ & ♄, ac in △ Medii Cœli, Luna autem & Sol etiam fœlicibus radiis foverent Medium Cœli. Et quamvis eſſent in pravis domibus, tamen à maleficis non lædabantur. Præterea hac in revolutione Horoſcopus die 2. Julii dirigebatur menſtruè ad 11 gr. ♌ △ ſiniſtrum ☉ ☿ & ♃ radicis. Medium verò Cœli dirigebatur ad loca ♂ ♀ ♄ hujus revolutionis: Luna verò ad loca ♂ & ☿ in revolutione Solis.

At in mea revolutione annua, Medium Cœli pervenit die 2. Julii ad 1 gr. ♍ ☍ ♀ & cumuli mei Planetarum; Horoſcopus ad 15 gr. ♏ △ radicalem ☽, ipſiuſque cumuli: & ☉ ad 11 gr. ♊ ejuſdem cumuli quadratum.

Figura Revolutionis Lunæ Illuſtriſſimi Domini De Chavigny.

211. 38




Figura Revolutionis Lunæ noſtra.

155. 47





Figura Electionis Temporis.

348. o



In figura autem revolutionis Lunæ quæ proximè anteceſſit diem 2. Julii, Luna eſt interdiu ſub Terra in Angulo quartæ, domina nonæ, in △, Horoſcopi atque ♃ domini primæ, cum quo eſt in mutua receptione domus, nec non □ ☉ domini nonæ & ☿ domini Medii Cœli: Mars autem dominus Horoſcopi eſt conjunctus ♀ potenti in △ Medii Cœli, quæ omnia rectè ſe habebant ad peregrinationem: nec ☉ ☽ Horoſcopus, vel Medium Cœli lædebantur à maleficis. Præterea hac in revolutione Horoſcopus die 2. Julii horâ diſceſſus dirigebatur menſtruè ad 27 gr. ♎ oppoſitum mei Horoſcopi radicalis, percurrens eo die △ cumuli mei Planetarum. Luna ad 18 gr. ♒ attingens eodem die ipſum cumulum: & Sol ad 2. ♉ attingens ipſo die □ ejuſdem cumuli, ſicque ab Aſtris multi aderant ſtimuli.

His verò ſic ſe habentibus, horam elegi ſuprapoſitam, quâ Cœlum & Planetæ excepto ☉ ferè diſponuntur, ut in primæ electionis figura, quæ cum optimè ſucceſſiſſet, numquid hanc ablegasſem? In hac igitur Sol Horoſcopus applicat ♃, qui rurſus eſt in Horoſcopo exaltatus, ac in △ Medii Cœli cui dominatur; & Luna rurſus domina Horoſcopi ☉ & ♃ eſt in nona ſuper loco radicali ♀ in figura Illuſtriſſimi Domini. Saturnus autem ♂ & ♀ rurſus in undecima, quos nempe abeſſe volui à domibus 1. 12. 10. 9. & 8. ob rationes ſuperius dictas; fueruntque ☉ & ♃ in ſuis □ radicalibus Illuſtriſſimi Domini. Quod verò ad me ſpectat, aſcendat △ cumuli mei Planetarum, fuitque ♃ dominus nonæ meæ radicalis in Horoſcopo: & in Medio Cœli fuit locus radicalis meæ Lunæ partiliter, ipſaque ☽ in loco ☿ radicalis & ⚹ Horoſcopi radicalis, applicans cumulo Planetarum.

Jam quid inde ſucceſſit. Ab Urbe Antipoli Lugdunum uſque Terrâ peregrinatum eſt: inde verò Illuſtriſſimus Dominus currum ſuum, majoremque ſui Comitatus partem tranſmittit per Burgundiam, at ipſe cum ſuis à pedibus, & aliquot præcipuis magiſque neceſſariis domeſticis voluit ligeri deſcendere, ſed ardore Solis ſuper fluvio intolerabili exiſtenti metu morbi coactus eſt fluvium deſerere Niverſii, & reliquum itineris equitando abſolvere: Omneſque ſani & alacres Pariſios advenimus, initio Auguſti, nullusque, vel homo, vel equus per totum iter ægrotavit, quo tempore multis in locis homines & jumenta præ nimio calore & ſiccitate moriebantur: & in Civitatibus aquâ abundantibus homines inveniebamus qui ex pagis tres, vel quatuor leucarum diſtantiæ cum curribus & doliis venerant quæſitum aquam pro hominibus & jumentis: ita ut Pariſiis multam concitaverimus admirationem quod in tota illa peregrinatione trium menſium nullus homo, vel equus malè habuerit.


Tandem verò dicendum quid effecerint ♄ & ♂ in undecima domo utriuſque electionis. Sanè falſos, malignos atque fraudulentos concitarunt amicos, qui Illuſtriſſimo Domino Comite abſente, eum è Miniſterio detrudere, totis viribus moliti ſunt, idq; futurum paſſim in Aula apud Fontembellaqueum commorante credebatur. Ideoque ab amicis præmonitus eſt, ut ab Aulà declinaret & Lutetiam peteret. Falſos prætextus aſſumptos ſubticeo, inter quos tamen hic erat, quod Illuſtriſſimus Dominus Aſtrologum ſecum duxiſſet, ut eum conſuleret de vita Regis, Reginæ, Eminentiſſimi Cardinalis Mazarini Primi Galliæ Miniſtri, &c. quibus de rebus nullum planè factum eſt verbum toto peregrinationis tempore. Eo autem invidia & calumnia proceſſerant, ut Illuſtriſſimus Dominus à me bis etiam petierit, num in Aſtris viderem aliquod infortunium in dignitatibus ſibi imminere? & ſemper aſſeveravi nullum imminere. Quia tamen tranſactis etiam diebus aliquot à reditu, nondum viderat E. Cardinalem, nec proinde Reginam: Dixi bonum fore ſi Cardinalē non qualibet horâ ſed electa inviſeret.

Nam

Nam Chriſtus ipſe Apoſtolis monentibus ne Hieroſolymam peteret ob Judæos illum occidere volentes; non ſine cauſa reſpondit: *Nonne ſunt duodecim horæ diei?* ſcilicet aliæ tutæ, vel fauſtæ, aliæ periculoſæ, vel infauſtæ. Proindeque ſi liberet horam commodam eligerem, quod annuens, elegi horam ſequentem; in qua aſcendit ſignum decimæ radicis, ejuſque domina ♀ applicat ☽ potenti atque dominæ Medii Cœli. Decima autem domus quæ eſt dignitatum fœliciſſimè ſe habebat. Nam Sol & ♃ qui fuerant in 4 radicis honorum ſignificatores, erant in ipſa decima, Sol in ſua domo & ♃ exaltatus. Mercurius autem dominus Medii Cœli radicis erat cum corde ♌ in cuſpide undecimæ. Mars dominus ſeptimæ erat in ⚹ ☉ & △ Horoſcopi. Luna autem & ♀ erant in ⚹ ⊕ quæ reperiebatur in loco radicali ☽: & quamvis ☉ eſſet in □ ♄ (nec enim omnia ad votum haberi queunt) tamen ☉ erat in decima & fortis, ſcilicet in proprio ſigno. Unde auſus ſum aſſerere quod ſi ea hora E. Cardinalem inviſeret, decima domo ſic fœliciter ſe habente, perſuadere mihi non poteram quin fœliciter exciperetur, nihilque tunc eſſe timendum. Et certè res ita ſe habuit.

Figura Electionis Temporis ex ſola geneſis Figura.

108.



Nam meo monitu pridiè Pontem, bellaqueum petiit, & noctu ingreſſus eſt, ne videretur. Deinde ſequenti mane ad horam electam inviſit Cardinalem fœliciſſimè, à quo etiam convivio exceptus, & à prandio ductus ad Reginam, à qua etiam benè exceptus, horâ Conſilii juſſus eſt in ſuo ſecundi Miniſtri loco ſedere. Neque in his ullius omnino uſus fuit operâ Magnatis, qua de re ipſemet non ſine admiratione gloriebatur.

Poſſem plures alias in meis & in aliorum negotiis electiones cum egregio & optato ſucceſſu hic inſerere: ſed (ut patet) illas explicare nimis longum eſſet, proindeque ſupradicta ſufficiant, & Aſtrologiæ noſtræ Theoriam hic terminemus, ad honorem & gloriam Æternæ Sapientiæ Domini noſtri Jesu Christi, qui fecit Cœlum & Terram, corporaque cœleſtia mirandis ditavit virtutibus: cuique ſit ſempiterna Laus, Virtus & Gloria, Amen.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
390 B 4